5 - 2

ZIONALE
8
6 — M
6
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

444.9.

Digitized by Google

Digitized by Google

DON JOSEPHI

CACHERANI

TAURINENSIS

EX CLERICIS REGULARIBUS
BARNABITIS CONGREGATIONIS S. PAULI,

THEOLOGIÆ ASSERTIVÆ

TOMUS TERTIUS,

COMPLECTENS TRACTATVS SCHOLASTICOS
de VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, de INCARNATIONE,
de SACRAMENTIS IN GENERE,
Nova methodo utilitati, ac brevitati maximè accommodata diſpoſitos.



LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS & JOAN. POSUEL,

M. DC. LXXXI.
CUM APPROBAT. ET SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

INDEX
TITULORUM TRACTATUS
de Virtutibus Theologicis.

LIBER PRIMUS.

De Fide.

CAPUT I.

De objecto materiali fidei.

§. I. QUODNAM ſit objectum materiale adæquatum fidei? p.2
§. II. Quodnam ſit objectum materiale primarium fidei? p.3
§. III. An & quomodo objecta materialia fidei complexa ſint, vel incomplexa? p.4
§. IV. Utrùm objecta materialia fidei creverint aut decreverint ſucceſſu temporis? p.5

CAPUT II.

De objecto formali fidei.

§. I. UTrùm lumen infuſum, aut actuale auxilium, aut ſupremum Dei dominium, aut Deitas ipſa ſpectet ad objectum formale fidei? p.8
§. II. Utrùm divina veracitas ſpectet ad objectum formale fidei? p.11
§. III. Utrùm divina Revelatio ſpectet ad objectum formale fidei? p.13
§. IV. Utrùm Eccleſiæ propoſitio ſpectet ad objectum formale fidei? p.15
§. V. In quonam tandem unicè conſiſtat objectum formale fidei? p.17
§. VI. An & quomodo veracitas & revelatio Dei ut ſunt objectum formale fidei debeant præcognoſci antè fidei aſſenſum? p.18

CAPUT III.

De requiſitis ad Dei veracitatem & revelationem, ut ſunt objectum formale fidei.

§. I. QVanta perfectio requiratur in veracitate divina ut eſt objectum formale fidei: Ubi, an Deus poſſit falſum dicere aut mentiri? p.22
§. II. Reliqua ſpectantia ad perfectionem veracitatis divinæ: Ubi an Deus uti amphibologiis, æquivocatione, reſtrictione mentali: infundere errorem, operari miracula in confirmationem falſi? p.24
§. III. Utrùm Revelatio ad objectum formale fidei requiſita debeat eſſe explicita & formalis? pag.28
§. IV. Dubium incidens; An & quomodo de fide ſit & ſufficienter revelatum hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificem? p.32
§. V. Utrùm revelatio privata ſimul cum publica requiratur, aut ſine publica ſufficiat ad objectum formale fidei? p.35
§. VI. Utrùm revelatio requiſita ad objectum formale fidei debeat eſſe divina in re, an ſufficiat talis in exiſtimatione? p.38

CAPUT IV.

Communia objecto tum materiali, tum formali fidei, id eſt utriuſque obſcuritas, credibilitas, ordo.

§. I. AN & quomodo ad fidem requiratur obſcuritas ex parte rei revelatæ: Ubi an de eodem objecto materiali dari poſſit ſcientia & fides? p.41
§. II. An & quomodo ad fidem requiratur obſcuritas ex parte revelationis: ubi an poſſit fides conſiſtere cum evidentia in atteſtante? p.45
§. III. Utrùm cum obſcuritate cohæreat evidentia credibilitatis, & an hæc detur in fidei objectis? p.49
§. IV. Qualis eſſe debeat & unde proveniat evidentia credibilitatis in rebus fidei? p.51
§. V. Utrùm evidentia credibilitatis requiratur in ſingulis credentibus: utrùm ſit ſupernaturalis actus & à quo habitu eliciatur? p.53
§. VI. An & quomodo detur aliquis ordo inter objecta fidei aut formalia, aut materialia? p.55

CAPUT V.

De actu fidei interno.

§. I. QVid & quotuplex ſit actus fidei? p.57
§. II. Utrùm actus fidei requirat aut admittat diſcurſum? p.59
§. III. Utrùm actus fidei ſit creditor quocunque alio actu ſive naturali, ſive ſupernaturali? p.63
§. IV. An & quomodo actus fidei ſit liber & dependens à voluntatis imperio, quod pium affectum vocant? p.66
§. V. Utrùm actus fidei requirat pium affectionem non naturalem tantum, verùm etiam habitualem: & utrum de potentia abſoluta utraque ſit ſuppleibilis à Deo? p.71

§ 2 §. VI.

Index Titulorum.

§. VI. An & Quomodò aliquis actus fidei ſit ad ſalutem Adultorum neceſſarius: Ubi quid neceſſitas medij, quid neceſſitas præcepti. p.74

§. VII. Quinam actus fidei ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij, quinam neceſſitate præcepti? Ubi in primis de fide Incarnationis. pag.78

§. VIII. Utrum actus fidei ſit ſupernaturalis: Vbi in univerſum qualis ſit & unde proveniat ſupernaturalitas actuum in via? p.85

CAPVT VI.

De actu Fidei externo.

§. I. AN & quomodo actus externus ſeu confeſſio fidei proveniat à fidei habitu? pag.91

§. II. An & qualis ſit obligatio ſeu neceſſitas confeſſionis fidei ad ſalutem? p.93

§. III. Vtrum liceat occultare ſeu diſſimulare fidem? Vbi de fuga in perſecutione: De taciturnitate & tergiverſatione coram Tyranno. pag.95

§. IV. Vtrum liceat ſimulare negationem fidei aut falſam religionem? Vbi de negatione facta cum amphibologia aut reſtrictione, & de uſu eorum quæ ſunt Infidelium propria. p.97

CAPVT VII.

De Fidei habitu.

§. I. AN ſit, Quid ſit, & Quotuplex ſit habitus fidei per ſe infuſus? p.100

§. II. Quandonam infundatur habitus fidei, & Vtrum efficiatur ſemper immediatè à ſolo Deo? pag.103

§. III. An & Quomodò habitus fidei intendatur, remittatur, amittatur? p.106

§. IV. In quonam ſubjecto tum proximo tum remoto recipiatur, & in quibuſnam de facto reperiatur habitus fidei? p.109

§. V. Vtrum præter ſupernaturalem habitum ſupponantur aut ſubſequantur ad fidei actum ſupernaturales ſpecies? p.113

§. VI. Reliqua de habitu fidei: & plura communia habitibus per ſe infuſis, præſertim theologicis. p.115

CAPVT VIII.

De Fidei oppoſitis.

§. I. QVid ſit formalis infidelitas, & an poſſit in voluntate conſummari? p.117

§. II. Quot & quæ ſint infidelitatis ſpecies, & utrum eſſentiales, an accidentales? p.120

§. III. Quænam infidelitas ſit gravior: & utrum omnis ac ſola hæreſis ſit infidelitas punibilis ab Eccleſia? p.123

§. IV. Cenſuræ variarum propoſitionum in materia fidei, & intra aut infra infidelitatem. p.126

LIBER SECVNDVS.

De Spe & Charitate.

CAPVT. I.

De objecto materiali, & formali Spei.

§. I. QVodnam ſit objectum materiale Spei tum adæquatum, tum primarium, quod etiã vocant attributionis & formale *Quod*? p.129

§. II. In quonam conſiſtat ratio formalis ſub qua, ſeu objectũ formale *Quo* & motivum ſpei? p.131

§. III. An & quomodò beatitudo aliena ſit objectum ſpei, & qualis ordo inter fidei objecta reperiatur? p.135

CAPVT II.

De actu, & habitu Spei.

§. I. QVinam actus eliciantur ab habitu Spei? p.136

§. II. Quinam timor ſit actus elicitus ab habitu ſpei: Ubi nonnulla obiter de timore ſervili. p.139

§. III. De ſubjecto tum proximo, tum remoto actus & habitus Spei. p.141

§. IV. Spei certitudo: neceſſitas, ſeu obligatio: definitio; aliaque nonnulla. p.145

CAPVT III.

De Oppoſitis Spei.

§. I. QVale peccatum, & quid ſit præſumptio & an ea ſola, quæ infidelitati conjungitur deſtruat Spem. p.148

§. II. Quale peccatum, & quid ſit deſperatio, & an poſſit eſſe ſine infidelitate? p.150

§. III. Vtrum is cui revelaretur propria damnatio adhuc teneretur ad ſperandum aut ſaltem ad non deſperandum? p.151

§. IV. An & cui poſſet à Deo revelari ſimpliciter & abſolutè propria damnatio? p.153

CAPVT IV.

De objecto materiali & formali Charitatis.

§. I. QVodnam ſit objectum materiale charitatis tum adæquatum, tum primarium quod etiam vocant attributionis & formale *Quod*? p.156

§. II. In quonam conſiſtat ratio formalis ſub qua, ſeu objectum formale *Quo* & motivum charitatis? p.157

§. III. Vtrum idem ſit objectum formale charitatis in Proximum, ac charitatis in Deum; Vbi ad quos ſe extendat Proximi nomen? p.160

§. IV. Vtrum aliquis ſit & quis ſit ordo in objectis quæ ex charitate diliguntur? p.163

CAPVT V.

De actu & habitu Charitatis.

§. I. AN & Quomodo actus charitatis erga Deum ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate tum medij, tum præcepti? p.169

§.II.Quale

Index Titulorum.

§. II. Quale ſit & pro quo tempore obliget præceptum charitatis erga Deum? p.170

§. III. An & quis actus charitatis erga Proximum ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate aut medij, aut præcepti? p.172

§.IV. An & quis ordo charitatis cadat ſub præcepto? Vbi quiſnam Proximus in tali ordine cenſendus ſit conjunctior, & quid de eo ordine in Patria? p.176

§. V. Subjectum, Vnitas, Definitio actus & habitus Charitatis? p.182

CAPVT VI.

De oppoſitis Charitati.

§. I. AN & quomodò eſſe poſſit odium Dei in nobis & quam grave peccatum ſit? p. 184

§. II. An & quodnam odium Proximi licitum vel illicitum ſit? Vbi de odio inimicorum an licuerit in lege veteri? p.186

§. III. Odium Proximi quam grave peccatum ſit, & utrum unius ſpeciei athomæ cum in ſe cum relatè ad odium Dei? p.187

§. IV. Reliqua oppoſita Charitati enumerātur. p.189

INDEX

TITVLORVM TRACTATVS DE INCARNATIONE.

LIBER PRIMVS.

De Exiſtentia, Modo, & Cauſis Incarnationis.

CAPVT I.

De Poſſibilitate, Actualitate, & Cognoſcibilitate Incarnationis.

§. I. AN & quomodo certum ſit Incarnationem eſſe poſſibilem? p.198

§. II. An & Quomodo certum ſit Incarnationem eſſe actualem etiam peractam? p.200

§. III. An & quæ probabilitas naturæ lumine haberi poſſit de Myſterio Incarnationis? p.202

CAPVT II.

De Convenientia Incarnationis.

§. I. AN & quomodo Incarnatio fuerit conveniens Deo & Perſonæ divinæ aſſumenti? p.205

§. II. An & quomodo Incarnatio fuerit conveniens naturæ humanæ aſſumptæ, & toti univerſo? p.208

§. III. An & quomodo Incarnatio fuerit conveniens ratione finis, temporis, aliarumque circumſtantiarum? p.209

CAPVT III.

De Neceſſitate Incarnationis.

§ I. UTrū Incarnatio fuerit neceſſaria neceſſitate abſoluta phyſica, aut morali? p.212

§. II. Utrùm Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione creationis univerſi, aut elevationis hominum ad finem ſupernaturalem? p.213

§. III. Utrùm Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati aut commiſſi, aut reparandi? p.215

§. IV. Utrùm Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati reparandi per condignam ſatisfactionem? ubi nonnulla de talis ſatisfactionis incapacitate in pura creatura. p.218

§. V. Undénam proveniat in pura creatura incapacitas exhibendi Deo ſatisfactionem condignam pro lethali? p.220

§. VI. Quid de condigna ſatisfactione pro peccato aut commiſſo in pura natura, aut præcisè philoſophico, aut veniali? p.224

CAPVT IV.

De modo Incarnationis ex parte Verbi Incarnati.

§. I. UTrum Incarnatio ex parte verbi facta ſit in natura ſeu eſſentia, aut in ſubſiſtentia eſſentiali? p.230

§. II. An & quomodo Incarnatio ex parte Verbi facta ſit in Perſona? p.233

§. III. An aliæ divinæ Perſonæ aut ſeorſim à Verbo, aut ſimul cum Verbo potuiſſent naturam humanam aſſumere? p.234

§. IV. An poſſit eadem divina Perſona duplicem; aut una Perſona unam, alia aliam naturam creatam ſimul aſſumere? p.237

§. V. Vtrum in aſſumptione unius humanitatis à pluribus divinis Perſonis, aut plurium humanitatum ab una divina Perſona eſſent plures homines, an unus? p.239

§. VI. An & quomodò Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poſſit naturam creatam aſſumere? p.241

CAPVT V.

De modo Incarnationis ex parte naturæ aſſumptæ.

§. I. STatuitur propria ratio ſubſiſtentiæ, & diſtinctio ejus à natura aſſumpta, aliâve quâlibet natura creata? p.246

§. II. Vtrum potuerit à Verbo aſſumi humanitas antecedenter, aut etiam concomitanter ſubſiſtens in propria perſona? p.250

§. III. Quænam alia natura præter humanam fuerit à Verbo aſſumptibilis? Vbi an accidens elevari poſſit ad ſubſiſtendum? p.254

§. IV. An & quo ordine Verbum de facto aſſumpſerit veras partes eſſentialis humanitatis? p.260

ſ 3 §.V. Quænam

Index Titulorum.

§. V. Quaſnam alias humanitatis partes præter eſſentiales Verbum de facto aſſumpſerit? Vbi potiſſimum de aſſumptione ſanguinis. p.264

§. VI. Vtrum humanitas à Verbo aſſumpta appetat ſubſiſtentiam propriam? ubi alia nonnulla de natura ad ſubſiſtentiam propriam comparata. p.270

CAPUT VI.

De modo Incarnationis ex parte unionis humanitatis cum Verbo, ſeu naturæ creatæ cum Perſona divina.

§. I. Vtrum unio humanitatis cum Verbo ſit in ſe formaliter quid ſimplex, an complexum? & utrum diſtinguatur realiter adæquatè ab vtroque extremo, an ſolùm realiter inadæquatè à quolibet ſeorſim? p.275

§. II. Vtrùm unio humanitatis cum Verbo in ſe formaliter ſit naturalis, eſſentialis, ſubſtantialis? p.278

§. III. An & quomodo unio humanitatis cum Verbo ſit omnium unionum maxima? p.280

§. IV. Vtrùm unio humanitatis cum Verbo ſit perpetua & indiſſolubilis? Vtrùm unica & indiviſibilis? p.284

CAPUT VII.

De Cauſis extrinſecis Incarnationis, & primò de fine ſeu motivo.

§. I. Ex quonam fine Verborum abſolutè potuerit incarnari? ubi alia nonnulla ad ſequentes difficultates præambula. p.287

§. II. An & quomodo peccati remedium, hominumque redemptio fuerit motivum & finis Incarnationis de facto peractæ? p.289

§. III. Cujuſnam peccati remedium fuerit de facto motivum & finis Incarnationis? p.295

§. IV. An & quonam peccatò non exiſtente Verbum ex vi præſentis decreti incarnatum non fuiſſet? p.298

CAPUT VIII.

De Cauſa Incarnationis efficiente phyſica.

§. I. Qvænam ſit & quænam eſſe potuit cauſa Incarnationis efficiens phyſica principalis? p.304

§. II. An dabilis ſit, aut etiam de facto detur cauſa Incarnationis efficiens phyſica inſtrumentalis? p.305

CAPUT IX.

De Cauſa Incarnationis efficiente morali, ſeu meritoria: Item de Cauſa diſpoſitiva.

§. I. Vtrùm in Humanitate Chriſti aliquod opus Incarnationem præcedens fuerit aut eſſe potuerit Incarnationis meritorium? p.310

§. II. Vtrùm in Chriſto aliquod opus Incarnationem ſubſequens fuerit aut eſſe potuerit Incarnationis meritorium? p.314

§. III. An & quodnam Incarnationis meritum dari poſſit in pura creatura. p.316

§. IV. An fuerit de facto in antiquis Patribus meritum congruum Incarnationis aut quoad ſubſtantiam aut quoad circunſtantias? p.318

§. V. Quid de merito Beatæ Virginis in ordine ad circumſtantiam maternitatis? p.322

§. VI. De cauſa Incarnationis diſpoſitiva: Vtrum ſcilicet unionem ad Verbum præceſſerit aut præcedere in humanitate potuerit aliqua diſpoſitio? p.326

LIBER SECUNDUS.

De Perſona Chriſti, ejuſque Intellectu, voluntate, & Sanctitate.

CAPUT I.

Expenditur in Chriſti Perſona compoſitio, & idiomatum communicatio.

§. I. Vtrum Chriſtus ſit perſona ſimplex, an compoſita, & Quomodo? p.330

§. II. Vtrum detur in Chriſto: Vnde habeatur: & Vtrum perſonæ unitatem conſequatur communicatio idiomatum? p.333

§. III. Quænam potiſſimum regulæ aſſignari poſſint circa communicationem, ſeu prædicationem idiomatum in perſona Chriſti? p.337

§. IV. Expenduntur ſingillatim aliquæ inſigniores propoſitiones in præſenti materia controverſæ? p.340

CAPUT II.

Expediuntur communia intellectui, & voluntati Chriſti.

§. I. Vtrum detur in Chriſto duplex intellectus & duplex voluntas? p.348

§. II. Vtrum detur in Chriſto duplex intelligere & duplex velle; Vbi an ſaltem de potentia abſoluta humanus Chriſti intellectus poſſit eſſe intelligens intellectione divina? p.350

§. III. Quantæ perfectionis ſint & quandonam cœperint operari humanus intellectus & humana voluntas Chriſti Domini? p.352

CAPUT III.

De ſcientia ſupernaturali intellectus humani Chriſti.

§. I. Qvam certum ſit intellectum humanum Chriſti habuiſſe ſcientiam beatam in vita mortali, & quàm perfectam eam habuerit? p.354

§. II. An & Quomodò Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat creaturas pro aliqua differentia temporis exiſtentes? p.356

§. III. An & Quomodò Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat creaturas poſſibiles? p.359

§. IV. Vtrum præter ſcientiam beatam detur in Chriſto ſcientia per ſe infuſa, & qualis iſta ſit? p.362

§. V. An & quomodò ſub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadant res naturales, ſecreta cordium, futura contingentia, Myſteria gratiæ, poſſibilia omnia, Deus ipſe ut unus & Trinus? p.369

§. VI. Vtrùm ſcientia per ſe infuſa habuerit ſemper in Chriſto aliquem actum ſecundum & qualem? p.388

CAP.

CAPUT IV.

De Scientia naturali intellectus humani Christi.

§. I. Utrùm detur inChriſto & ad quid ſe extendat ſcientia naturalis per ſe infuſa? p.391
§. II. Vtrùm detur in Chriſto naturalis ſcientia tùm experimentalis, tùm aliqua alia propriis eius actibus aquiſita, tùm præter hanc utramque aliqua etiam infuſa per accidens? p.393
§. III. Vtrùm Chriſtus aliquid didicerit ab hominibus, aut ab Angelis? p.397

CAPUT V.

De ijs, quæ ſunt propria voluntatis humanæ Christi.

§. I. Utrùm voluntas humana Chriſti habuerit libertatem indifferentiæ, etiam in ordine ad bonum minus? p.400
§. II. Vtrùm in Chriſto voluntas humana efficax fuerit aut eſſe potuerit difformis voluntati divinæ pariter efficaci? p.405
§. III. An & quomodo in Chriſto voluntas humana potuerit eſſe inefficax, & qua talis voluntati divinæ difformis? p.407

CAPUT VI.

De Sanctitate Christi ſubſtantiali & increata.

§. I. Utrùm humanitas in Chriſto ſanctificetur formaliter ſanctitate ſubſtantiali & increata? p.412
§. II. An & quomodo ſanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habeatur aut ab unione, aut à ſubſiſtentia Verbi, aut à natura divina? p.415
§. III. An & quomodo humanitas Chriſti ex ſanctitate ſubſtantiali & increata reddatur ſancta infinitè? p.421

CAPUT VII.

De Sanctitate Christi accidentali, & creata, maximè verò de eius gratia habituali.

§. I. An detur, quàm certò detur, & ad quid detur gratia habitualis in Chriſto? p.425
§. II. Qualis & quanta ſit gratia habitualis in Chriſto? p.429
§. III. An & quomodò dentur in Chriſto habitus virtutum, ſive theologicarum, ſive moralium etiam per ſe aquiſibilium, & ordinis naturalis? p.434
§. IV. An & Quomodò dentur in Chriſto tùm dona Spiritus Sancti, tum Gratiæ gratis datæ? & utrum ei fuerint neceſſaria auxilia gratiæ actualis? p.438
§. V. Vtrum gratia Capitalis in Chriſto ſit eadem cum habituali? ubi nonnulla prævia de Chriſto ut Eccleſiæ Capite. p.442

LIBER TERTIUS.

De Christi ſatisfactione, & merito.

CAPUT I.

De morali valore operum Christi.

§. I. Unde formaliter habeatur, & in quonam formaliter cunſiſtat moralis valor operum Chriſti proprius? p.449
§. II. An & quomodo moralis valor operum Chriſti proprius ſit infinitus? p.451

CAPUT II.

Quomodò, & pro quibus Christus ſatisfecerit.

§. I. Utrum Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecerit condignè aut etiam ſuperabundanter? p.454
§. II. Vtrùm Chriſtus ſatisfaciendo ſervaverit rationem formalem juſtitiæ, aut ſaltem aliquas & quas juſtitiæ conditiones? p.459
§. III. Ex quanam virtute & quibus potiſſimùm actibus Chriſtus ſatisfecerit? p.465
§. IV. Vtrùm Chriſtus ſatisfecerit pro omnibus omninò hominibus; an ſolùm pro electis? p.466

CAPUT III.

De Merito Christi, tùm abſolutè, tùm relatè ad ipſummet Christum.

§. I. An & quo tempore Chriſtus meruerit? p.468
§. II. Quibus, & ſingillatim utrùm beatificis, utrùm naturalibus, actibus Chriſtus meruerit p.473
§. III. Quantum fuerit Chriſti meritum, & quodnam præmium ſit illi adæquatum? p.477
§. IV. An aliquid, & quid potiſſimum ſibi de facto Chriſtus meruerit. p.480
§. V. An Chriſtus de facto ſibi meruerit gloriam eſſentialem, gratiam habitualem, aut ſuæ unionis hypoſtaticæ continuationem, extenſionem, circumſtantias? p.482
§. VI. An Chriſtus de potentia abſoluta potuerit ſibi mereri, ea, quæ de facto ex §. præced. ſibi non meruit? p.485

CAPUT IV.

De Merito Christi relatè ad alios.

§. I. Utrum Chriſtus meruerit aliquid Angelis & primis Parentibus in ſtatu innocentiæ? p.488
§. II. Quid Chriſtus meruerit hominibus & ipſis primis Parentibus in ſtatu naturæ lapſæ? p.491
§. III. An & quomodò Chriſtus meruerit Virgini Genitrici maternitatem ſeu Matris dignitatem? p.496

LIBER QUARTUS.

De Defectibus & alijs pertinentibus ad Christi humanitatem.

CAPUT I.

De Humanitatis defectibus ex parte Corporis.

§. I. Utrum Chriſti humanitas conſtiterit corpore verè paſſibili & mortali? p.500
§. II. Quoſnam alios defectus habuerit aut non habuerit Chriſti humanitas ex parte corporis? p.501
§. III. An & quomodo defectus ex parte corporis aſſumpti fuerint Chriſto voluntarij? p.503

CAP.

Digitized by Google

CAPUT II.

De pracipuo humanitatis defectu ex parte anima: Vbi de Chriſti impeccabilitate, & hujus concordia cum libertate & merito in operibus preceptis.

§. I. UTrum Chriſtus de facto peccaverit aut peccare potuerit? p.506
§. II. Vndènam humanitas Chriſti habeat & quantam habeat impeccabilitatem etiam de potentia abſoluta? p.508
§. III. Quomodò varij varie concilient in Chriſto, humanitatis impeccabilitatem, ejuſdem libertatem ac meritum, & præceptum mortis ſubeundæ? p.512
§. IV. Statuitur veriſimilior modus prædictæ conciliationis: Vbi quid de eadem conciliatione in ordine ad præcepta naturalia? p.514
§. V. Utrum humanitas eſſet impeccabilis etiam antè aſſumptionem aut poſt dimiſſionem? Vbi alia quædam pro complemento impeccabilitatis Chriſti. p.519

CAPUT III.

De minùs pracipuis humanitatis defectibus ex parte Anima.

§. I. UTrum in humano Chriſti intellectu fuerit aut eſſe potuerit ignorantia & error? p.525
§. II. Vtrum in humana Chriſti voluntate eſſe potuerint habitus vitioſi? p.529
§. III. Vtrum in Chriſto fuerit appetitus ſenſitivus & in appetitu ſenſitivo eſſe potuerit fomes peccati? p.530
§. IV. An, Quæ & Quales paſſiones appetitus ſenſitivi in Chriſto fuerint? p.534

CAPUT IV.

De Servitute, Filiatione, Prædeſtinatione, Adoratione Chriſti ut hominis, ſeu humanitatis ejus.

§. I. AN & Quomodò Chriſtus ut homo poſſit dici Dei ſervus? p.539
§. II. An Chriſtus ut homo poſſit dici Filius Dei adoptivus aut ſaltem ejus humanitas adoptata? p.541
§. III. Quomodò & reſpectu cujus Chriſtus, præſertim ut homo, ſit filius naturalis? p.544
§. IV. An & ad quid, ſeu ad quem terminum Chriſtus præſertim ut homo, poſſit dici prædeſtinatus? p.548
§. V. Quænam adoratio debeatur Chriſto ut homini ſeu humanitati ut conjunctæ Verbo? Vbi præaſſeritur quid & quotuplex ſit adoratio. p.554
§. VI. Quænam adoratio debeatur humanitati Chriſti cogitatione præciſæ, aut etiam re ipſa dimiſſæ à Verbo? p.560

INDEX
TITVLORUM TRACTATUS DE SACRAMENTIS in genere.

LIBER PRIMVS.

Communia Sacramentis utriuſque legis, & quædam propria Sacramentorum legis antiquæ.

CAPUT I.

De eſſentia & definitione Sacramenti ſumpti generaliſſimè.

§. I. VTRUM Sacramentum ſit in genere ſigni, an in genere cauſæ? p.564
§. II. Vtrum Signum quod eſt Sacramentorum genus debeat neceſſariò eſſe ſenſibile & permanenter inſtitutum? p.566
§. III. Vtrum ſit omnibus Sacramentis eſſentiale ſignificare perfectam & conferre imperfectam ſanctitatem? p.570
§. IV. Vtrum Sacramentum poſſit ſimpliciter ac propriè definiri, & quam variè à varijs definiatur? p.573
§. V. Ponitur, & exponitur verior Sacramenti definitio. p.576

CAPUT II.

De exiſtentia & neceſſitate Sacramentorum in varijs humani generis ſtatibus.

§. I. UTrum in ſtatu innocentiæ ſive qui duravit de facto, ſive qui duraſſet diutiùs, extiterint ac neceſſaria fuerint ſacramenta? p.579
§. II. Vtrum in ſtatu legis naturæ extiterit pro originali remedium, quod fuerit ſacramentum? & utrum præter iſtud extiterint ſacramenta alia? p.584
§. III. Vtrum in ſtatu legis antiquæ ſeu ſcriptæ extiterint, & plura extiterint ſacramenta vera ac propria? p.589
§. IV. An, Quot & Quæ ſacramenta exiſtant in ſtatu legis novæ ſeu gratiæ, & quam neceſſaria ſint? p.591

CAPUT III.

Quædam propria antiquorum Sacramentorum, & iſtorum cum novis comparatio.

§. I. QVomodo ab invicem differant Circumciſio, & Remedium legis naturæ? Ubi nonnulla de utriuſque Sacramenti ritu. p.593
§. II. An & Quomodò tum Circumciſio tum Remedium legis naturæ contulerint parvulis gratiam? p.600

§.III. Vtrum

Index Titulorum.

§. III. Vtrum in aliquo antiquo ſacramento data fuerit gratia adultis, à quibus ſuſcipiebatur? p.602

§. IV. In quibus ab invicem differant, & quomodo ad invicem conveniant ſacramenta antiqua & nova? p.606

LIBER SECVNDVS.

Propria Sacramentorum novæ legis ex genere ſuo.

CAPUT I.

De Conſtitutivis & cauſis intrinſecis Sacramentorum novæ legis.

§. I. VTrum ſacramenta novæ legis conſtent rebus & verbis tanquam materia & forma? p.612

§. II. Quam ſimultatem requirant: Vnde determinationem habeant: Et quomodo mutationem admittant res & verba in ſacramentis novæ legis? p.616

§. III. Vtrum intentio Miniſtri, aut aliquid aliud præter res & verba ingrediatur conſtitutionem ſacramentorum novæ legis? p.620

§. IV. Quomodò in ſacramentorum conſtitutione res & verba componant tum inter ſe tum cum ſignificatione? p.624

§. V. Quid ſint, & an dentur in ſingulis novis ſacramentis Res tantùm, ſacramentum tantùm, Res & Sacramentum ſimul? p.626

CAPUT II.

De cauſis extrinſecis Sacramentorum novæ legis: & primò de efficiente, ſeu de Inſtitutore & Miniſtro.

§. I. AN & quomodò Chriſtus tum ut Deus tum ut homo inſtituerit omnia ſacramenta novæ legis? p.629

§. II. An & quænam inſtituendorum Sacramentorum poteſtas communicari poſſit puræ creaturæ? p.631

§. III. Quiſnam ſit vel eſſe poſſit Miniſter conficiens Sacramenta novæ legis? p.635

§. IV. Vtrum in Miniſtro conficiente ſacramenta novæ legis requiratur fides, probitas, & intentio? p.638

§. V. Quæ & qualis ſit intentio in Miniſtro requiſita ad valorem novorum Sacramentorum? p.642

§. VI. Expediuntur circa internam Miniſtri intentionem nonnulla fragmenta tum auctoritatum D.Thomæ tum hiſtoriarum Eccleſiæ. p.648

CAPUT III.

De cauſa extrinſeca materiali Sacramentorum novæ legis, ſeu de Suſceptore, & ſubjecto.

§. I. QVodnam ſit ſubjectum capax ſuſcipiendi ſacramenta novæ legis? p.652

§. II. An aliquorum & quorum Sacramentorum novæ legis ſint proximè capaces vel incapaces parvuli ante uſum rationis? p.658

§. III. An aliqua & qualis prævia intentio ſeu voluntas requiratur in adultis ut ſint proximè capaces ſacramentorum novæ legis? p.654

CAPUT IV.

De effectu univerſaliore & principaliore Sacramentorum novæ legis ſcilicet de Gratia Sacramentali.

§. I. FAciliora & certiora de cauſalitate & efficacia novorum Sacramentorum in gratiam. p.662

§. II. Vtrum nova ſacramenta cauſent gratiam moraliter, & in quo conſiſtat moralis ipſorum cauſalitas? p.664

§. III. An & Quomodo nova Sacramenta cauſent gratiam etiam phyſicè? p. 668

§. IV. Quandonam & An ſe totis nova ſacramenta cauſent phyſicè gratiam? p.674

§. V. Quid ſit gratia ſacramentalis, & Vtrum etiam ſecundum id, quod addit non ſacramentali, cauſetur à novis ſacramentis phyſicè? p.678

§. VI. Quamnam gratiam habitualem Sacramenta per ſe cauſent, primam ne an ſecundam? p.683

§. VII. Quantam gratiam habitualem Sacramenta per ſe cauſent? Cum quanam diſpoſitione majorem, cum quonam obice nullam? p.687

§. VIII. Quomodò obex auferatur & quomodo hoc ablato cedeat impeditus Sacramentorum, præſertim baptiſmi, effectus? p.695

§. IX. Ad quantam gratiam ablato obice reviviſcant ſacramenta cum obice ſuſcepta? Vbi de ipſorum & præſertim baptiſmi reviviſcentia ad remiſſionem venialium. p.698

CAPUT V.

De effectu minùs univerſali, & minus principali Sacramentorum novæ legis ſcilicet de Charactere.

§. I. AN aliqua & quænam novæ legis ſacramenta characterem imprimant. Item quomodo & quando. p.705

§. II. Quid ſit Sacramentalis character: ubi præſtituitur An ſit realis entitas, an relatio, an modus, an & cujus ſpeciei qualitas. p.708

§. III. Quodnam ſit ſubjectum tum remotum, tum proximum ſacramentalis characteris. p.713

§. IV. De indelebilitate ſeu perpetuitate; æqualitate; ſignificativitate, & ſignificatione ſacramentalis characteris. p.714

Facultas Reverendiſſimi Patris Vicarij Generalis Congregationis. Cleric. Regular, S, Pauli.

CVm Librum, cui titulus eſt, *Theologia Aſſertiva complectens Tractatus de Virtutibus Theologicis, de Incarnatione & de Sacramentis in genere*, à Reverend. Patre Don Joſepho Cacherano noſtræ Congregationis Presbytero profeſſo,& noſtro Aſſiſtente, compoſitum duo ejuſdem Congregationis eruditi Viri. quibus id commiſimus accuratâ lectione & gravi judicio recognoverint, ac poſſe in lucem edi probaverint: Nos ut typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus: In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Collegio noſtro Sanctorum Blaſij,& Caroli, die 20. Martij, Anni 1680.

Don ALEXANDER ROTA, Vicarius Generalis.

IMprimatur, ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

J. DE ANGELIS, Archiep Urbin. Viceſgerens.

APPROBATIO OPERIS.

EX Commiſſione Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri revolvi hoc tertium Theologiæ Scholaſticæ opus, cujus Author Admodum Reverendus Pater Don Joſeph Cacheranus, vir quidem de Scholaſticis diſciplinis adeo benemeritus tum claritate in dicendo, tum profunditate in ſpeculando, ut inter laudatos ſuæ ætatis ſcriptores nemini ſecundus excipi mereatur. Gaudeat communi luce, ut ſpecialem quam in hoc recondit volumine ad propriam poſteri profeſſores utilitatem exhauriant. Datum Romæ, die 28. Martij, Anni 1680.

PHILIPPVS GROTTIERI, Romanus Clericorum Minorum Sacr. Theolog. Lector,& Sacr. Congreg. Indicis Conſultor.

IMprimatur.

Fr. RAYMVNDVS CAPISVCCVS, Ordin. Prædicat. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

PROLVSIO

PROLUSIO SCHOLASTICA,
IN TRACTATUM VI.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

OBEAT licèt in Cœlis Deus Doctoris Maximi, & Optimi Magiſtri munus, homines Angeloſque ad ſcientiam beatam erudiendo; non tamen ſoli cœleſtis Athenæi Confeſſores Divini Magiſterij privilegio gaudent, nec ſolum Empyreum Dei docentis archigymnaſium eſt: Quinimò ſublunari in Univerſo magiſterium ſuum Deus ingeminat; & duplici ſub lumine, naturæ altero, altero Fidei, duplicem propemodùm palæſtram inſtituit; in utraque Dei Diſcipulus & Auditor Theologus eſt; diſcit in lycæo Fidei principia diſponere, diſcit in lycæo Naturæ concluſiones inferre: Fidei propterea, quæ prima Theologiæ principia ſuppeditat, nequit Theologiæ Candidatus abſque inofficioſi animi nota prima negare proloquia, & ego ejus, quam Theologus fidei debet, obſervantiæ jure compulſus ineuntis anni litteraria præludia Fidei conſecrans, cui captivæ mentis defero obſequia, ſolutæ ad proludendum linguæ devoveo officia, dicendique impatiens per ejus dotes nullo mihi præfixo, nullo vobis propoſito ordine excurro; præmittitur enim ſervandi ordinis ſeries ut orationi vel afferatur claritas, vel concilietur attentio; at Fidei, quæ obſcura, quæ ex auditu eſt, ſicuti nec prodeſſe claritas, nec deeſſe attentio poteſt; ita non eſt cur ullam proponam, & præmittam aut protaſim, aut analyſim dicendorum.

Non implorabo igitur veſtrarum aurium benignitatem, nec pertimeſcam ſermonem effundere, ubi auditus non ſit, dum eam virtutem proloquor, quæ tota eſt ex auditu: Pluribus intentus non erit minor ſenſus ad ſingula, dũ eam profecto, quæ ſenſuum experimentum dedignata, intelligibilem, non ſenſibilem attentionem efflagitat; nec auribus, ſed menti ſe ingerit; cujus aciem ne perſtringat, argumentum facta non apparentium proprium fulgorem temperat umbra deliteſcentis veritatis, ambitque illuſtre illud ex Boëtio obſcuritatis decus.

Latet obſcuris condita virtus
Clara tenebris.

Quamvis nonniſi ſacrum amorem exeitet, profani amoris cæcitatem æmulata velamen obſcuræ revelationis apponit oculis, animi tamen, non corporis: Amica eſt opacitatis, quamvis opaca refugiat opera tenebrarum, ſuiſque faciens ex tenebris præclariorum operum lumen ſplendeſcere, nõniſi in Filijs lucis inhabitet, *Nox quippe ejus, ſicuti dies illuminatur, ſicut tenebræ ejus ita, & lumen ejus:* Lumen prorsùs ſingulare, quod Naturæ imperans, inſerviens gloriæ, neutrius ſplendorem ſuum aſciſcit in ſubſidium; nec niſi ſingulari poteſt lumine gaudere Fides, quæ adeo ſingularitatis eſt avida ut ſolo monarchico Principatu contenta nullibi eſſe velit, niſi ſingulariter dominetur, menteſque ipſas, quæ ſolæ in homine ſui juris ſunt, totas ſubijciat;

Nequit dividere impetium, & quæcumque ipſius diviſio infert perniciem omnimodam; non eſt viliſſimorum ad modum ſerpentum, qui victitant etiam diſſecti, ſed nobiliſſimorum inſtar animantium quæ diviſiſſe, funditus peremiſſe eſt: Idem ei eſt imminui Majeſtate & excidere: Neſcit vel minimam repulſam tolerare, & nullibi negationaturam magis malignantem exercet, quam ubi in Fidem inciderit; hanc nec leviſſime poteſt attingere, quin tota ſtatim malignitate diffuſâ ipſam totam inficietur: Commune illud ex Seneca virtutis elogium, *Non poteſt virtus maior aut minor fieri*, proprijſſimum fidei eſt, cujus Monarchicum imperium nec in prima mundi ætate quaſi adoleſcens incrementa ſuſcepit, nec in ejuſdem ætate poſtremâ quaſi ſeneſcens decrementa patietur, & licet David *ſe ſuper ſenes intellexiſſe* glorietur, gloriari nequit ſuper ſenes credidiſſe. Una fides, ſemperque eadem eſt; divina cum ſit, divinam unitatem ſingularitatemque imitatur, & ſicuti Deus uno omnia profert Verbo, ita homo una omnia credit Fide, quam non poteſt habere multiplicem, niſi multiplicem fingat Deum cui credat, multiplicem quam credat Deitatem: Ubi una Charitas omnem bonitatem exhaurit, neceſſe eſt quod una Fides omnem veritatem abſorbeat: Memini optaſſe Caligulam unicum Romæ toti caput unico obtruncandum ictu; unica eſt unico ſub capite, atcui obtrūcando nullus ictus ſufficiat, Romana fides & vera Religio. Hinc hæreticorum turba in Fidem ſæviens nihil impetit acriùs, quàm unitatem, & Catholicam calumniatur Eccleſiã, non quod ſit falſorum dogmatum Magiſtra, ſed quod quaſi neſciens ſine alieno funere vivere, & in extraneæ lucis præſentia propriam ſervare ſplendorem, adeò ſit ſingularitatis unitatiſque ſolicita, ut nullam admittat alterius Religionis aut Fidei ſocietatem, omnem damnet multiplicis ſectæ diviſionem; & ſi quas ipſa tanquam circumamicta varietatibus diviſiones habet, diviſiones tantùm gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: Hiſce diviſionibus appoſitè inſcriberetur lemma illud, *varietate unitas*, inſcriptum olim Organo Muſico, quod diſparibus mole, & ſitu fiſtulis unicum idemque ſuaviſſimum edit melos, dum unico afflatur ſpiritu; non aliter ſi aliquando adagium fuit, *Muſicam docet Amor*, docet etiam Muſicam Fides & Fidelium cœtus ex varia membrorum gratiarumque diviſione conſurgens, dum uno divinitus Spiritu afflatur, concordi & harmonica pace perfruitur, deridetque miſerrimos hujuſce pacis deſertores, & oſores unitatis, qui politicum illud dogma *Divide & impera*, ad ſpirituale regimen transferentes, dividunt imperandi libidine; ſed diviſionis experiuntur incommoda, & imperãdi commoda non conſequuntur; quin potiùs nec Principatus noverunt, nec Imperia, niſi ut Principum iras, & Imperatorum diras ſuſtinerẽt. Hinc erubuerũt proprio reſperſi ſanguine nigerrimi Æthiopes Fidei candorem in Hiſpania denigrantes: In Rupellenſi expugnatione expugnatam hæreſim celebrat Gallia: Ab Auſtriaco Imperio & robore veræ Religionis inſignia ſacratius ſemper, latiúſque protendi, & in Pannonia repullulantia in dies, tanquam hydræ capita perduellium hæreticorum agmina, feliciter ſemper fortiterque proſterni gratulatur Germania: Anglia, dum alit Sectarios, ſe ipſam inteſtinis morſibus devorat, eamque Deus à Catholico Principe vinci non deſtinat, vel quia nationi perditiſſimæ ſpecies eſſet gloriæ à Catholico Principe debellari, vel quia immaniſſimus Anglus à nullo vexari poteſt immaniùs, quam à ſeipſo. Batavi Populi ab unitate Fidei deficientes unitatum Provinciarum titulum uſurparunt, ut unitatem aliquam nanciſcerentur; ſed unita ipſorum virtus adeò imbecillis eſt, ut diviſo Anglo vix reſtiterit, & in Nationis utriuſque diſcordijs Fides ſemper ſine pugna triumphaverit, quia ſive Hollandica, ſive Anglica claſſis vinceret, ſemper hæreſis vincebatur; & jam præſignabantur ſolemniores Fidei triumphi, quos Auguſtus

guſtus & ſemper invictus Religionis Propagator Ludovicus in illarum Provinciarum gremium cum admiratione & plauſu totius Catholici orbis urgeret, illiuſque plebeculæ obſcuræ caliginem ſolis inſtar diſſolveret: Perierunt ſuo in ſchiſmate prælatiores Orientis Eccleſiæ; ſola, quæ in occidente eſt, occaſus neſcia propriæ unitatis tuta munimine inconcuſſa ſervat ſuæ perennitatis fundamenta. Quid igitur tandem obtinuere ſectarij Catholicam tentantes Eccleſiam ſauciare? putidiſſimi ſcarabei in hoc uno apibus ſimiles, quod figentes ſpicula ad Fidem vulnerandam animas relinquunt in vulnere, vel ſcorpionum in morem propria contuſione & nece plagas ſanant, quas infligunt; dum ad noſtræ Fidei gloriam plus proprio profunt odio, quàm prodeſſe poſſent obſequio. Quid igitur tandem diviſerunt Catholicam tentantes Fidem dividere? Diviſerunt à vera beatitate proprias calamitates, à vera unitate propria diſſidia, à vera luce propriam cæcitatem, & miſerrimè imitantur perduelles illos, quos Henricus III. deſcriptis in numiſmate veſpertillionibus adverſo ſemper ſole volitantibus deriſit addita epigraphe *Non cognoverunt lucem præſentem*. Interim Catholicus cœtus agnoſcens lucem præſentem ſorte feliciſſima aſpitat ad futuram, ex ſubobſcura revelationis Aurora æternum, cumque clariſſimum ſibi diem inauguratur; in lumine Fidei lumen videbit gloriæ, dum profitetur unam, acunicam eſſe verâ Fidem, ipſâque ſolâ ad gloriâ pervenire.

Hic ſtatim occurrit animo induſtrium illud certaminis genus, quo accingebant ſe curſores in ſtadio facem geſtantes accenſam ex lege certaminis ad metam uſque deferendam, adeo ut qui paterentur in face lucis deliquium, paterentur in curſu mercedis jacturam, quo ni fallor certamine prænotabat Antiquitas decem virgines properantes ad ſponſum, quarum quæ accenſas lampades prætulerunt, optatiſſimos ſponſi amplexus excepere, quæ eaſdem geſtarunt extinctas frigida illa voce, *Neſcio vos*, dimiſſæ receſſerunt: Fruſtra ſcilicet ad æternum bravium curſus capeſſitur niſi fidei fax accenſa prælucear: fruſtra ad Agni nuptias acceſſus expetitur, niſi fidei lampas exardeat; fruſtra, andabaticâ, & cæcâ pugnâ certatur, niſi certaminis campum fidei ſplendor illuſtret. Summa omninò neceſſitas fidei, quæ non ſecùs ac lux dedignatur abſcondi, & vinci neſcia conflictum nullum declinat, nullam ſibi irrogatam injuriam diſſimulat, & licèt humilitatis ac tolerantiæ indiviſa comes doceat ad gloriam computare omnem calumniarum, convitiorum, & ſcommarum colluviem, nullatenus patitur vel leviſſimam imputationem hæreſeos: Teſtis ſit piiſſimus ille Anachoreta, qui ſuæ periculum factutus patientiæ cujuſcunque calumniæ & piaculi etiam atrociſſimi objectionem æquo, imò læto excipiens animo, ad objectam calumniam hæreſeos non læſæ patientiæ futore, ſed religionis zelo in calumniatorem totus excanduit, arbitratus ſine fidei detrimento tolerari non poſſe etiam per jocum apertumvè mendacium appoſitam labem infidelitatis. Neceſſe eſt fidem interiùs exteriuſque profiteri, nec ſimulanda eſt, nec diſſimulanda; ſeria ipſi injuria contemptu etiam jocoſo irrogatur & modiciſſima quævis offenſa excteſcit in crimen læſæ majeſtatis: Hippocritas æquè ac puſillanimes deteſtatur; interiorem hominem ſine exteriore, exteriorem ſine interiore non ſuſcipit; refugit eum qui corde credit ad juſtitiam, niſi etiam ore faciat confeſſionem ad ſalutem; odit doctis impalleſcentem chartis Theologum, ſi dum chartis impalleſcit erubeſcit Evangelium; reſpuit lacrymis irrigari, niſi ſanguine purpuraſcant, & malè prodigus eſt ſudoris impendendi in ipſius obſequium qui avarus eſt cruoris effundendi in ejuſdem teſtimonium; Chryſoſtomo Auctore *nihil fideli periculoſius, quàm fugere fidei pericula*; in fidei quippe pugna illuſtrius eſt proprio quàm alieno ſanguine inſignia cruentare, ut ſolemniter comprobat Romanum hoc ſo-

lum tercentorum millium Martyrum ſanguine conſecratum: vexilla ipſa virginitatis nunquam candicant glorioſiùs, quàm cum candorem vividiùs excitat ſanguinis rubor; ipſa lilia puritatis nunquam albicant defæcatiùs, quàm cum rubeſcentibus Martyrij roſis intermiſcentur: In fidei licæo Pythagoricum ſilentium non commendatur, audiri vult illa ſimul, & prædicari, & (ut ait Auguſt.) *non perfectè credunt, qui quod credunt, nolunt loqui*: Fidei characteres nemo deſcribit elegantiùs, quàm qui eos in corde ſimul, & fronte delineat: In fidei delubro nemo ſacrificat auguſtiùs, quàm qui ſeipſum offert in victimam, & ſingulari privilegio immolari religioſiùs eſt, quàm immolare.

Neque hæc ſunt fidei nova elogia, & privilegia recentia, ſed cuncta vetuſtiſſimo Majorum jure, & ſæculorum omnium teſtimonio confirmata; lumen enim fidei ita eſt lumine gloriæ dote claritatis infirmiùs, ut ſit eodem dote antiquitatis illuſtrius, æternique ſolis prior, quamvis non major participatio, ſuæ ſeriem propaginis à primo rerum exordio recenſet; à ſummo Cœlo egreſſio ejus, & quamvis ſublunaris orbis incola, ſua habuit in ſuperlunari natalia: Cum Angelis in Cœlo jactans primordia creaturas maximè liberas gloriatur ſibi natas captivas, gaudetque ſplendidioribus ſpiritualis Cœli ſyderibus propriam impertiendo obſcuritatem addidiſſe ſe, non detraxiſſe nitorem: E Cœlo in terram delapſa Fides in Terreſtrem Paradiſum ſe tranſtulit, utque facilius in totum mundi ſublunaris corpus efflueret ſe collocavit in Capite, Adamo ſcilicet infuſa, in omnes Poſteros poſtulabat effundi, & licet ſupra totam naturam hominis cuilibet homini expoſcebat innaſci, niſi Adam ab Apoſtatis Angelis actus in crimen Poſteros feciſſet Apoſtatas & hæreditario patrimonio tranſmiſiſſet in Filios pro gratia culpam, pro innocentia fomitem, pro fide infidelitatem, pro luce noctem: Hujuſce noctis plus quàm cimmerijs tenebris quis extinctum prorsùs Fidei lumẽ non ingemiſcat? & in humani generis irreparabili excidio quis Divinæ Fidei perpetuum ab Univerſo poſtliminium non deploret? At candidior nigriores poſt tenebras lux effulget & denſiora poſt nubila ſol coruſcat amabilior; non aliter Divini ſolis ortu novum diem afferente poſt communis ignorantiæ caliginem Fides irradiat ſplendidior, ex vniuerſi interitu vegetior renaſcitur, aſſurgit robuſtior: Ipſa ſcilicet in lege naturæ remedium culpæ ſuppeditat, & Parvuli qui in primo Parente peccarunt, in proximorum Parentum Fide juſtificati Fidei agnoſcunt beneficium, priuſquam Fidem ipſam agnoſcant: In lege ſcripta tot habet præcones quot Prophetas, tot inſignia quot figuras, tot teſtimonia quot prodigia: At ſicuti quantum naturam gratia, imaginem exemplar; tantundem legem naturæ & ſcriptam lex gratiæ exuperat; ita in lege gratiæ tanto uberiora, quàm in lege naturæ & ſcripta Fides oſtentat admirationis argumenta, quorum eximiũ præludium intonat Apoſtolus gratulabundis illis vocibus *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, & ut loquitur Auguſtinus, *in lege nova os ſuum aperuit, qui in lege veteri aperire ſolebat ora Prophetarum*: Verbum grande ſenſum myſticum, verbum parvum ſenſum litteralem aliàs appellavit Hebræus; at nobis omne fidei verbum grande eſt, quia illud grandiloquo, proprio ſcilicet ore, Deus eloquitur: Auream eloquentiam, pretioſa eloquia, malè in ſuis Oratoribus priſca ſæcula celebrarunt; ille ſolùm pretioſa loquitur qui de theſauro verba profert, & in eo loquitur, in quo ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: Legitimam veritatis vocem Fidem eſſe quis ambigat? quando Divina ipſa veritas humanæ aſſumpſit organa locutionis, ut homini Fidem loqueretur: In univerſum Orbem longè lateque effundendum Fidei ſo-

num

num quis inficietur? quando Verbi eſt ſonus immenſi; Fidelis Populus non tam poteſt gloriari *quod non ſit alia natio tam grandis, quæ Deos habeat appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*; quàm quod non ſit alia Natio tam grandis, quæ Deos habeat loquentes ſibi, ſicut Deus noſter loquitur nobis; Non tam poteſt decantare felicem culpam, quæ Deum meruit habere Redemptorem, quam felicem ignorantiā quæ Deum meruit habere Doctorem: ſi primus diſcendi ardor nobilitas eſt Magiſtri, quantum Divinum magiſterium quodcunque Humanum excedit, tantumdem debet ediſcendæ Fidei ardor cujuſcumque alterius diſciplinæ ardorem excedere: Hic ſolùm liceat aut ſine perjurij ſcrupulo jurare in verbo Magiſtri, aut ſine ſuſpicione mendacij aſſerere, quod nequeat eſſe diſcipulus ſuprà Magiſtrum; Magiſtrum inquam qui Deus eſt, qui loquitur digna eloquio divino magnalia; loquitur abſcondita à ſæculis myſteria, credibilia nimis teſtimonia, incomprehenſibilia judicia; loquitur ſub Sacratiſſima Triade diſtinctas in eſſentiæ identitate Perſonas, ſub unione hypoſtatica impermixtas in ſuppoſiti unitate Naturas, in duobus Teſtamentis unicam hæreditatem, in ſeptem ſacramentis ſeptem orbis reparati miracula, in duodenario articulorum credendorum numero prodigia innumera; & ſi olim Ovidius de ſeipſo teſtabatur, *Quidquid tentabam dicere, verſus erat*; veriùs omninò de fide pronunciaverim, quidquid tentabit dicere, prodigium eſt; Imò etiam prodigium eſt, quidquid tentabit operari: Nonne etenim quidquid arduum, quidquid portentoſum humana mens concipit, Fides miraculorum omnium Parens fœcunda progignit? Nonne pygmæa hominis virtus, ſi Fidei ſubſidio roboretur, vires induit pluſquam giganteas? quibus facillimum ſit vel convulſis firmiſſimis ſaxeiſque radicibus montes ad motum erudire, vel diviſis fluidis undis in ſolidos aggeres liquidi elementi vortices ſiſtere, immobileſque detinere; vel ignis ardore temperato excitare zephiros in accenſâ fornace; vel citatiſſimâ ſolis converſione interruptâ Planetæ erratico fixi Aſtri naturam accommodare; vel in humani generis bonum omnia elementorum jura, omnes naturæ leges ſuperare & excedere, everrere etiam & violare.

Et ecce obiter aliud eximium Fidei præconium, quo Monarchicæ dignitati, unitati, neceſſitati, antiquitati, prærogativam utilitatis adijciens omnibus omnia facta, ſicut generoſos animos majeſtate allicit, pervicaces neceſſitate compellit, ita tenaces utilitate attrahit. Utile etenim aſſeruit Stagirites, quod comparationi bonorum, & malorum inſeruit propulſioni; at quæ bona non comparet, quæ mala non propulſet portentoſa vis Fidei? Nunquam diſcedat utile à decoro, protulit Auſonius; nigra eſt Fides ſed formoſa, pulcherrimumque ipſius decus eſt, quod fuſca ſit, quia à Divino ſole decolorata; non poteſt igitur deeſſe Fidei utile cui ne deſit decorum, obſcuritas ipſa conducit ad decus: Niſi Religioſæ paupertatis cultores alloquerer, opulentiſſimum mihi divitiæ ſuppeditarent argumentum ejus, quæ fidei ineſt, utilitatis; omnia quippe obedire pecuniæ, ad omnia argentum utile, totius ſæcularis orbis adagium eſt; & tamen ut cum Auguſtino loquar, *Apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, ſed Fidei*. Vileſcit igitur omnis pecuniarum utilitas utilitati Fidei comparata. Verùm abſtineamus ab ulteriore utilitatis indagine; ne juſtè objurgemur auctoritate Philoſophi dicentis, *Utilitatem quærere non convenit magnanimo, & ingenuo Homini*: Bonum, quod omnes magnanimo niſu, ingenuoque ſtudio perquirunt, beatitudo eſt; ideò ut ineluctabili argumento Fidei ſupereminentem excellentiam concludam, in ea totam humani generis extra cœleſtem Patriam peregrinantis beatitudinem ſitam eſſe demonſtro.

Eo eſt per Philoſophum homo beatior, quò Deo propinquior; at appropinquantem

quantem ad Deum oportet credere? *Omnis eſt Deorum vita beata, hominum autem quatenus in eâ elevet quoddam ejus actionis exemplar.* At non aliundè, quàm per ſpeculum fidei, elucet in homine exemplar Divinitatis? non aliundè igitur, quàm per fidem beata poteſt evadere viatorum hominum vita: & ut Auguſtiores hujuſce veritatis Patronos accerſam, nonne ſupernæ Jeruſalem nobiles Incolæ verbis illis, *ſicut audivimus, ſic vidimus*, teſtantur, quod ſicuti in Patria viſio, ita in via auditus, & quæ ex auditu Fides, tota beatitudo eſt? Nonne increata ipſa ſapientia irrefragabili teſtimonio id expreſſit Petro, & Thomæ, dum huic dixit, *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, illi *Beatus es, quia Pater meus tibi revelavit*? Quid ni tandem ipſa Fidei definitio primis etiam vocibus maximam eſſe beatitudinis, & Fidei cognationem evincit? Quis enim, niſi neget ſe ſperare beatitatem, inficietur idem eſſe Fidem definirè *ſperandarum ſubſtantiam rerum*, ac ipſam dicere ſubſtantiam & baſim beatitatis? Nec ullus ſuccenſeat me Theologicæ licentiæ fines prætergredi & contrà Theologiæ rudimenta ſummam miſeriam cum ſumma felicitate componere; dum hanc in Fide miſerrimum peccati conſortium admittente conſtituo, Enim verò Fides cujus adumbro lineamenta, non eſt cadaver inanime, aut materia informis, quæ in ſeipsâ emortua habere poſſit comitem mortem peccati, & aſſeclas ſuos ſpiritualis vitæ æquè ac corporeæ nolit eſſe ſolicitos: Proludo Fidem, quæ divinorum chariſmatum amorem æquè ac notitiam largiatur, & ſacratiſſimam Triadem ita veneretur menti illabentem per cognitionem ut unâ ſimul eandem adoret animæ inſidentem per gratiam, nec ſinat credentem motibus actum contrarijs averti impio voluntatis conſenſu ab eo, ad quem pio intellectus aſſenſu convertitur: Unico verbo, proludo Fidem non humanam; non falſa oſtentantem & ambulantem in mirabilibus ſuper ſe; non languidam, non infirmam; non otiantem; ſed Theologicam, operantem, viventem, gratiæ munitam auxilijs, ſpei & charitatis præſidijs roboratam. Fas ſi quidem non eſt Theologo feliciſſimum theologicarum virtutum ternarium theologica tractatione disjungere: Fides propterea quæ compendiaria prolocutione in præſenti ſolam ſe protulit, ſpe, & charitate ſociata ampliore apparatu prodibit in ſcenam: decuit nihilominus hoc in proſcenio ipſam ſolam proloquentis partes ſuſtinere, ut ſicuti ſe ſolâ tribuit Theologiæ principia, ita ſe ſolâ ſuſciperet Theologorum primitias; nec ſacrum illud charitatis elogium, *Major horum eſt charitas*, ſatis arridet Theologo, qui ſaltem gratitudinis titulo Fidei debet virtutis primæ & omnium maximæ prærogativam: præſertim in hoc Fidei ſupremo ſolio ejuſdemque ſemper triumphantis Theatro auguſtiſſimo; in hac ſcilicet almâ Urbe, in qua Theologicæ Fidei felicitatem, utilitatem, neceſſitatem, antiquitatem, & Majeſtatem, pro annua Theologici ſtudij inſtauratione proludebam.

Digitized by Google

THEOLOGIÆ ASSERTIVÆ.

TRACTATVS SEXTVS.

De VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

LIBER PRIMVS.

De Fide.

LICEAT mihi à lecturo implorare aliquod rerum cæterarum otium, ut brevi temporis intervallo totus totis animi viribus in tres Theologicas virtutes incumbat, quæ nomine ipſo & numero ſingulares, divinitatem in illo, Trinitatem in iſto præſeferunt, ternionemque componunt Theologicâ conſideratione digniſſimum; utpotè non gregarijs aut vulgaribus, ſed ſupremis atque reginis virtutibus conſtitutum: & ſi, ut olim ampliſſimam Romani Imperij dominationem tres in ditiones diviſere Triumviri, ità tres eſſet in Principatus dividenda virtutum Reſpublica, par tantæ diviſioni præſtandæ Triumviratus ex ſolis fide, ſpe, & Charitate conſurgeret: quas certè non ineptè Triumviros dixeris, ſunt enim viriles & maſculæ, ſunt regiæ & divinæ virtutes, cæteris omnibus præſident, præcellunt, imperant, & jure ſuum ſibi ſingulæ vendicant Principatum: Hunc potiſſimè Fides exercet, dum non ſolùm ſibi ſubjicit virtutum aliarum actus & habitus, ſed ipſas ſimul naturæ intellectualis facultates in ſuùm trahit obſequium, imò in beatam adigit captivitatem. Captivâ igitur in fidei obſequium mente fi- Diviſio
dei explicationem aggredior, eique primum præſentis operis librum inſcribo & Tractatus.
addico, alterum Spei addicam & Charitati; ſicque librorum binario complectar pro modulo meo ternarium virtutum.

CAPVT I.

De objecto materiali fidei.

OMITTO præambula, tùm de virtutibus Theologicis in genere, tùm de varijs acceptionibus ac ſignificationibus fidei; & quoad primum ſufficiat innuere virtutes Theologicas ità dici, quia ſunt ſpecialiter in ordine ad Deum, & habent ex parte objecti formalis aliquod Divinum; quoad ſecundùm ſatis ſit ſupponere in acceptione & ſignificatione hujus loci propriâ fidem importare credulitatem ſeu aſſenſum, & quatenùs Theologicam, importare credulitatem ſeu aſſenſum in ordine ad Deum: Omitto inſuper præmittere de fide Theologicâ *An ſit*, & in caput quintum transfero ſtatuere quid propriè ſit: nam primum vix ſub controverſiâ cadit, & conſtabit à fortiori ex infrà

dicendis de fidei neceſſitate, ſecundum nequit plenè intelligi ſine prævià notitiâ objecti, à quo ſumit ſpeciem & eſſentiam ſuam quælibet virtus, præſertim ſupernaturalis per ſe infuſa, & ſe habens ut potentia: Omitto tandem circà fidei objectum explicare communem ac tutam cujuſlibet objecti diviſionem in materiale & formale, ſeù terminativum & motivum: His omnibus aut omiſſis, aut aliò tranſmiſſis, occurrit primo loco inquirendum de objecto materiali: Ideò ſit

§. I.

Quodnam ſit objectum materiale adæquatum fidei?

ASSERT. Objectum materiale adæquatum fidei eſt omnis veritas à Deo revelata & in aliquo ſenſu etiam omnis veritas à Deo revelabilis. Ità Theologi communiſſimè cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 24. & D. Thomâ *ead. diſt. quæſt.* 1. *art.* 1. item 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & *de verit. quæſt.* 14. *art.* 8.

1. Objectum materiale adæquatum fidei eſt omne verum revelatum aut revelabile.

Probatur: Objectum materiale adæquatum alicujus virtutis ſeù potentiæ eſt illud, quod terminat aut terminare poteſt aliquem talis virtutis ſeù potentiæ actum; materiale enim dicitur quia ſe habet ut materia, circà quam actus alicujus virtutis ſeù potentiæ verſantur & terminantur, undè denominatur etiam terminativum; atqui omnis veritas à Deo revelata, & in aliquo ſenſu, ideſt magis remotè & aptitudinaliter, etiam omnis veritas à Deo revelabilis terminat aut terminare poteſt aliquem actum fidei (ſubintellige divinæ, & theologicæ de quâ ſolâ in præſenti agitur) ergo objectum materiale adæquatum fidei eſt omnis veritas, &c. Minor probatur; terminat aut terminare poteſt aliquem actum fidei illud omne, quod conjungitur aut conjungi poteſt cum ratione formali ſpecificativâ fidei, quæ ex dicendis eſt auctoritas & revelatio divina; atqui cum hâc conjungitur aut conjungi poteſt ſaltem remotè & aptitudinaliter omnis veritas à Deo revelata aut ſaltem revelabilis; nam eſſe revelatum aut revelabile nihil eſt aliud, quàm eſſe cum revelatione conjunctum aut conjungibile; ergo.

Dices: non poſſumus credere niſi revelata; ergo actus fidei verſari poſſunt circà ſolas veritates revelatas, non circà revelabiles; & illas ſolas, non iſtas habent pro objecto materiali adæquato: antecedens probatur, quia ex D. Thomâ *hic quæſt.* 5. *artic.* 3. *in corp.* formale objectum fidei eſt veritas prima ſecundùm quod manifeſtatur in ſcripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ; in ſcripturis autē ſacris & doctrinâ Eccleſiæ continentur ea duntaxat, quæ revelata ſunt; & quando poſſemus credere revelabilia, nulla eſſet veritas, quam credere non poſſemus, quia nulla eſt veritas quæ à

3. Deo revelabilis non ſit. Sed contrà: proximè & actualiter non poſſumus credere niſi revelata; at remotè & aptitudinaliter poſſumus credere etiam revelabilia, quatenùs etiam revelabilia poſſunt evadere revelata, & quatenùs revelabilia habent ſpecialem habitudinem ad eſſe revelatum; undè ſicuti potentia viſiva v.g. complectitur intrà ſuum objectum materiale adæquatum colores etiam poſſibiles, quamvis proximè & actualiter videre poſſit ſolùm exiſtentes, ità ſimiliter, &c. Neque vrgeas objectum materiale ſolùm remotè & aptitudinaliter attingibile eſſe minùs propriè objectum: Contrà enim hoc ſpectat præcisè ad modum loquendi; nec nobis efficit, cum veritates revelabiles non eâdem prorsùs ratione, quâ revelatas, ſub objecto fidei collocemus, ut in aſſerto expreſſimus per particulas illas *& in aliquo ſenſu.* Quod ſi vrgeas inſuper objectum, quamvis remotè duntaxat & aptitudinaliter attingibile ab habitu finito, non poſſe eſſe infinitum, ſicuti tamen infinitum eſt objectum conſurgens ex veritatibus revelatis & revelabilibus: Impugnaberis, quia licèt reſpectu habitus finiti nequeat eſſe infinitum objectum attingibile ſimul & cathegorematice, ſecùs tamen de objecto attingibili ſucceſſivè & ſyncathegorematicè, alioqui nec creatus intellectus habere poſſet pro objecto omne verum, nec creata voluntas omne bonum, &c.

Ex his habes objectum materiale adæquatum fidei acceptum in totâ ſuâ latitudine ampliſſimum eſſe, & ſub ſe continere primò ea omnia quæ ſunt in Deo ſive eſſentialia ſivè perſonalia; ſivè neceſſaria ſivè libera: Secundò omnia ſupernaturalia myſteria quibus Deus ad extrà ſuam ſupernaturalem providentiam exercet, præſertim verò Incarnationem & Euchariſtiam: Tertiò omnes naturales veritates, qualeſcumque ſint; hæc enim omnia ſimpliciter & abſolutè cadere poſſunt ſub divinâ revelatione: Breviter, omnis & ſola veritas ſubeſſe poteſt divinæ revelationi, & eſſe materiale objectum fidei. 4.

Quod ſi quæras: utrùm ſaltem de potentiâ extraordinariâ ſit dabilis aut aliqua falſitas revelabilis, aut aliqua veritas irrevelabilis, adeò ut conſequenter de potentiâ extraordinariâ nec ſola nec omnis veritas ſub materiali fidei objecto contineatur. Reſpondetur ad primum negativè, ratio eſt quia, ut infrà oſtendetur, ſecundùm omnem potentiam repugnat Deum aut falſum dicere aut mentiri: Nec refert, quod poſſit à Deo revelari aut mendacium de aliquo, puta de dæmone quod fuerit Evæ mentitus; aut aliquid de mendacio, puta quod peccatum ſit: Non refert, inquam, quia hoc non eſt revelari mendacium, ſed eſt revelari veritatem circà mendacium; nec mendacium ipſum ſubeſt revelationi niſi indirectè & in obliquo, quod non ſufficit ut dicatur revelatum aut revelabile, ſicuti nec ut dicatur creditum aut credibile. Neq; vrgeas, Mendacia ſunt ſimpliciter à Deo cognoſcibilia, ergo revelabilia. Contrà enim in primis dici poteſt mendacia eſſe cognoſcibilia à Deo ſolùm indirectè, & in veritatibus oppoſitis: Certè autem non ſunt cognoſcibilia niſi judicio, aut negativo, aut quo affirmetur eſſe neganda; undè ad ſummum inferes eſſe revelabilia revelatione negativâ, quâ dicatur eſſe negāda, at in præſenti agitur de objecto revelabili poſitivè, & affirmando per fidem, ac credēdo.

5. Repugnat ſimpliciter falſitas quæ à Deo ſit revelabilis.

Reſpond

Digitized by Google

6 Reſpondetur ad ſecundum ex ſuppoſitione ſolùm extrinſecâ dari poſſe veritatem aliquam irrevelabilem, quatenùs Deus decernat ſe veritatem aliquam nunquàm revelaturum, ex ſuppoſitione talis decreti, non poſſet talis veritas revelari; quia non poteſt Deus aut decretum aliquod ſemel habitum retractare, aut habere ab æterno decreta oppoſita de veritate eâdem nunquam revelandâ, & aliquando revelandâ.

Dices: eo ipſo quod ſit dabilis aliqua veritas irrevelabilis ex ſuppoſitione extrinſecâ eſt dabilis aliqua alia irrevelabilis ab intrinſeco, ergo malè reſponſum eſt ex ſuppoſitione ſolùm extrinſecâ dari poſſe veritatem aliquam irrevelabilem; antecedens probatur, decernat Deus & mihi revelet ſe nuu revelaturum vllum actum fidei à me elicitum, in hoc caſu actus fidei, quibus crederem alia objecta, eſſent irrevelabiles ex ſuppoſitione extrinſecâ; at actus fidei, quo crederem ipſum decretum de non revelando vllo actu fidei à me elicito, eſſet irrevelabilis ab intrinſeco, quia eſſet irrevelabilis ratione objecti, nec poſſet revelari niſi eſſet de objecto falſo, quod eſſentialiter & ab intrinſeco repugnat actui fidei ſupernaturalis. Sed contrà: dico omnem veritatem

7 irrevelabilem eſſe talem ex ſuppoſitione extrinſecâ ſaltem indirectè & mediatè, & hoc ſufficit ad ſalvandam noſtram ſuperiorem reſponſionem; ad exemplum in inſtantiâ illatum dico actum fidei quo crederem, &c. eſſe irrevelabilem ex ſuppoſitione extrinſecâ afficiente directè & immediatè omnem actum fidei à me eliciendum; quamvis indirectè tantùm & mediatè actum illum reflexum, quem de omni actu à me ſive elicito ſivè eliciẽdo efformo; ſtet igitur nullam præpoſitionem eſſe poſſe irrevelabilem, niſi detur ſuppoſitio extrinſeca; utrùm verò quando ſuppoſitio extrinſeca ſolùm indirectè ſe habet, propoſitio poſſit dici ab intrinſeco irrevelabilis, multum habet quæſtionis de nomine; certè ſi ly *ab intrinſeco* ſumatur ſimpliciter provt omnem prorſus ſuppoſitionem extrinſecam excludit, ab intrinſeco irrevelabilis dici non poteſt; ad ſummum talis dici poterit, ſi ly *ab intrinſeco* ſumatur ſecundùm quid provt excludit ſolam ſuppoſitionem extrinſecam afficientem immediatè & directè.

Repugnat veritas quæ ſit irrevelabilis independenter ab omni ſuppoſitione extrinſecâ.

8. Eodem modo, quo mox diximus ex ſuppoſitione extrinſecâ & non aliter dari poſſe veritatem aliquam irrevelabilem, ex ſuppoſitione pariter extrinſecâ & non aliter dari poteſt veritas aliqua revelata per fidem non credibilis; talis eſſet veritas, circà quam licèt revelatam Deus decerneret negare omnem ſupernaturalem concurſum ad actum fidei eliciendum; imò ſi Deus decerneret nunquàm concurrere ad vllum actum fidei ſupernaturalem, non pluſquàm ex ſuppoſitione extrinſecâ, indirectâ tamen & mediatâ, repugnaret ſupernaturalis fidei actus circà hanc propoſitionem reflexam à Deo revelabilem *Deus decrevit nunquàm concurrere ad actum fidei ſupernaturalem*: Quidquid quoàd hanc propoſitionem, & quoàd doctrinam præcedentis inſtantiæ, cõtrà ſentiat Herinex *hic diſp.2.q.2.n.6.*

Repugnat item veritas revelata independenter ab omni ſuppoſitione extrinſecâ incredibilis.

§. II.

Quodnam ſit objectum materiale primarium fidei?

ASSERT. Objectum materiale primarium, quod aliqui vocant objectum attributionis, aliqui objectum *formale quod*; hujuſmodi, inquam, objectum reſpectu fidei eſt Deus ut Deus, ſeu ſub ratione deitatis. Ità D. Thomas *hic quæſt.1.artic.1.1.par quæſt.1.art.7. in 3.diſt.24.artic.1.* & cum ſuo Doctore Thomiſtæ, qui licèt loquantur de Deo ſub ratione primæ veritatis, ſumunt tamen primam veritatem in eſſendo, & ut indiſtinctam à ratione deitatis. Ità inſuper Scotus cum ſuis, ut teſtatur Herinex *præcit.quæſt.1.num.8.* Ità tandem Suarez *hic diſp.2.num.5.* Valentia *diſp.1. quæſt.1.num.1.* Lugus *diſput.3. ſect.1.* Maderuus *quæſt.1.artic.5.* cæterique Recentiores communiter, contrà Gregorium *quæſt.4. prologi* Argentinam & Ægidium *eâd. quæſt* aſſignantes pro objecto primario Theologiæ & fidei Deum ut Salvatorem, aut ut glorificatorem: item contrà Durandum *quæſt.5.prolog.* pro eodem objecto aſſignantem ſub aliquâ ratione actum humanum meritorium, ſub aliquâ aliâ Deum ut Salvatorem; poſteà tamen *in 3. diſt.24. quæſt.1.* videtur ad propoſitionem à nobis aſſertam acceſſiſſe: Ex recentioribus habemus Adverſarium Arriagam *hic diſput.1.* in quâ *num.8.* cenſet fidem nullum habere propriè objectum attributionis, & deinde *num.14 & 15.* fidei concedendo in aliquo ſenſu minùs proprio tale objectum, collocat hoc in noſtrâ ſalute vel in Chriſto, ſeu in Deo ut ſalvatore potiùs quàm in Deo ut Deo. 9.

Probatur: Deus ut Deus eſt, id quod per ſe primò fides reſpicit, & in ordine ad quod reſpicit cætera; ergo objectum materiale primarium, &c. conſequentia patet, antecedens probatur primò ex D. Thomâ *hic præcit. art.1.* ubi ait nihil cadere ſub fide niſi in ordine ad Deum, & addit Deum eſſe objectum fidei, ſicut ſanitas eſt objectum medicinæ: Secundò, idem eſt objectum materiale primarium fidei, quod Theologiæ, ex eodem D. Thoma *1.part. quæſt.1. artic.7.* dicente idem eſſe ſubjectum principiorum & totius ſcientiæ; atqui Deus ut Deus eſt id, quod Theologia reſpicit per ſe primò, & tanquàm objectum materiale primarium, ut ſuo loco dictum eſt, & conſtat ex diffinitione receptiſſimâ, quâ Theologia dicitur ſcientia de Deo, &c. Tertiò; fides prius & principalius reſpicit Deum ut Deum, quàm Deum, aut ut factum hominem, aut ut glorificatorem, aut noſtram ſalutem, aut noſtros actus meritorios; nam iſti ad noſtram ſalutem ordinantur, noſtra ſalus in Dei cognitione conſiſtit juxtà illud Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te*; fides Dei ut hominis ſe habet ut quid conſequens ad fidem Dei ut Dei juxtà teſtimonium ipſiuſmet Chriſti domini dicentis Jo.14. *Creditis in Deum & in me credite*; ergo.

10. Fidei objectum materiale primarium quod vocant attributionis, eſt Deus ut Deus.

11. Dices ex Arriaga hæc & ſimilia ſolùm probare, quod Deus ut Deus ſit inter objecta fidei præcipuum & nobiliſſimum, & ad ipſum tanquam ad finem extrinſecum cætera ordinari; at aliquid amplius requiri ad objectum primarium, quod vocant attributionis; alioqui omnis facultas reſpiciens Deum haberet ipſum pro attributionis objecto, quia certè ipſum reſpiceret ut objectum præcipuum & inter cætera nobiliſſimum, ad quod etiam & ad finem tali facultati extrinſecum facilè poſſent cætera ordinari; requiritur igitur aliquid ampliùs ad objectum attributionis, requiritur ſcilicet ad illud cætera ordinari, taliter quod illius cognitio ex cæterorum cognitione inferatur, & ſe habeat ad cætera ut concluſio ad præmiſſas; atqui hoc modo nec ad Deum, nec ad aliud quidquam ordinari poſſunt cætera quæ fides reſpicit; ergo nec Deum, nec aliud quidquam fides habet pro objecto attributionis; probatur minor mox ſubſumpta, fides ſecundum ſe eſt indifferens ad contraria, imò ad contradictoria objecta, eodemque habitu quo modò, v. g. credimus Adamum peccaſſe, Verbum incarnatum fuiſſe; crederemus non peccaſſe Adamum, non fuiſſe incarnatum Verbum, aut fuiſſe incarnatum Spiritum Sanctum, ſi verè res ita extitiſſet, idque Deus revelaſſet; atqui ex contrariis aut contradictoriis non poteſt ſpecialiter inferri unum & idem, & eadem concluſio nequit habere pro propria præmiſſa modo unam, modo alteram propoſitionum contradictoriarum; ergo nec ad Deum, nec ad aliud quidquam ordinari poſſunt cætera, quæ fides reſpicit taliter quod illius cognitio ex cæterorum cognitione inferatur, & ſe habeat ad

12.
Impugnatur ratiocinium denegans fidei omne objectum attributionis.

cætera ut concluſio ad præmiſſas. Sed contrà: impugnatur Arriagæ ratiocinium primò quia nimis ſtrictè explicat objectum attributionis, nec facilè inveniet in quolibet alio habitu intellectus objectum attributionis ex cæteris objectis inferri, & dummodò ad illius cognitionem cætera conducant, habetur ſufficienter, quomodo non quodlibet objectum cæteris nobilius ſit objectum attributionis, abſque eo quod ulteriùs addatur cætera debere conducere ad cognitionem illam, ſpecialiter ipſam inferendo per modum præmiſſarum, & in fide præſertim quæ ſecundum ſe diſcurſiva non eſt incongruè hoc requiritur: Secundò quia ex contrariis aut contradictoriis ſub ea ratione, ſub qua talia ſunt, non poteſt quidem inferri unum & idem; benè tamen prout ſubjiciuntur uni eidemque rationi formali, fides autem contraria aut contradictoria non reſpicit, niſi ut eidem rationi formali revelationis ſubjicibilia, ideo &c.

Dubitatur hic cur objectum materiale primarium & attributionis dicatur objectum *formale quod*? cum præſertim hoc loquendi modo confundi videatur objectum materiale cum

13.
Objectum materiale attributionis cur dicatur etiam *formale quod*?

formali. Reſpondetur idem objectum dici materiale & *formale quod* propter reſpectum ad diverſa, quatenùs enim comparatur ad objectum *formale quo*, ſeu ad ultimam rationem formalem ſpecificativam fidei, ſe habet ut quid determinabile, & convenit cum cæteris objectis materialibus, ſicque rectè denominatur objectum materiale; quatenùs verò comparatur ad cætera objecta materialia & attributa, cum ſit aliquid primò intentum & ad quod cætera ordinantur, quod eſt proprium formæ ſe habet ut forma cæterorum, ideò rectè denominatur objectum formale.

---

§. III.

An & quomodo objecta materialia fidei complexa ſint, vel incomplexa?

ASSERT. Objecta materialia fidei ſecundùm nos, & ex parte credentis, ſunt omnia complexa ſeu compoſita; ſecundùm ſe, & ex parte rei creditæ, aliqua ſunt complexa ſeu compoſita, aliqua incomplexa ſeu ſimplicia: Abſolutè verò & ut credibilia ſunt ab intellectu, etiam ſeparato, rectè dicuntur tùm ex parte credentis, tùm ex parte rei creditæ, abſtrahere ſeu præſcindere a complexo & ſimplici. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *hic quæſt.* 1. *art.* 2 *& in* 3. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 3. Lugo *diſp.* 3. *ſect.* 2. &c. 14.

Complexio alia ex parte cognitionis, alia ex parte objecti.

Probatur & explicatur: Complexio, quantùm attinet ad præſens intentum, alia ſe tenet ex parte cognitionis, alia ex parte objecti: Complexio ſe tenens ex parte cognitionis conſiſtit vel in pluralitate conceptuum, vel in conceptu etiam unico non attingente æquè primò totum ſuum objectum, nec unam partem aut in altera aut eodem modo quo alteram; hâc ratione non ſolùm in enunciatione, verùm etiam in unica ſimplici apprehenſione noſtri intellectus complexionem agnoſcit Lugus *præcit. ſect.* 2. *num.* 37. Nihilominus magis propriè complexio cognitionis penes enunciationem attenditur; unde S. Doctor locis præcitatis objectum complexum ex parte cognoſcentis appellat complexum per modum enunciabilis, nec non rerum enunciabilium: ratio eſt, quia in enunciatione reperitur ſpecialis compoſitio non communis ſimplici apprehenſioni; proprium quippè eſt noſtræ enunciationis ſupponere duplicem ſaltem conceptum, alterum ſubjecti, alterum prædicati, & deinde componere vel dividere, affirmando vel negando identitatem inter ſubjectum & prædicatum.

Complexio ſe tenens ex parte objecti conſiſtit in eo quod objectum ſit in ſe aut multæ res, aut realiter compoſitum ex multis rebus. 15.
Porro quia juxta doctrinam D. Thomæ 1. *part.* *q.* 12. *art.* 3 cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis, & cujuſlibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ, fit objectum de ſe incomplexum cognoſci complexè, ſi cognoſcens habeat modum eſſendi, ac per conſequens etiam modum cognoſcendi complexum, ut habet intellectus unitus corpori, & è contra objectum de ſe complexum cognoſci incomplexè, ſi cognoſcens habeat modum eſſendi, ac per conſequens etiam modum cognoſcendi incomplexum, ut habet Deus & cum aliqua minore perfectione intellectus

Digitized by Google

intellectus tum Angelicus tum humanus ſeparatus; unde ſuo loco diximus Angelos ad nullius objecti cognitionem indigere compoſitione & diviſione propriè dicta.

16. Objecta materialia fidei habent omnia primam, aliqua etiam ſecundam complexionem.

Diſtribuo jam hanc univerſalem doctrinam ad explicanda ſingula aſſerti membra: Primum eſt, quod objecta materialia fidei ſecundum nos & ex parte credentis ſint omnia complexa; ratio eſt, quia talia objecta ſecundum nos & ex parte credentis important aſſenſum, quem intellectus noſter ipſis præſtat in via & in ſtatu unionis ad corpus; omnis autem hujuſmodi aſſenſus eſt enunciativus ſeu judicium, & omnis actus enunciativus ſeu judicativus in ſtatu unionis ad corpus eſt complexus, & elicitus componendo: Secundum eſt, quod eadem objecta ſecundum ſe, & ex parte rei creditæ, aliqua ſint complexa, aliqua incomplexa; ratio eſt, quia aliquod ex hujuſmodi objectis eſt multæ res, ut cum credimus eſſe duodecim Apoſtolos, eſſe tres divinas Perſonas, aut eſt realiter compoſitum ex multis ut Perſona Chriſti Sacramenta, &c. aliquod aliud eſt ſimplex, ut Deus & omnia prædicata abſoluta Dei, item Angelus anima rationalis, &c. Tertium eſt, quod eadem objecta abſolute, & ut credibilia ab intellectu etiam ſeparata, rectè dicantur, &c. Et ratio eſt, quia ſub hac univerſalitate objecta materialia fidei, non ſolùm ſunt ex parte ſui aliqua complexa, aliqua incomplexa, ut mox explicatum eſt; verum etiam ex parte cognoſcentis ab aliquo complexè, ab aliquo incomplexè attinguntur; complexè, ut attinguntur de facto à noſtro intellectu unito corpori; incomplexè, ut attingerentur ab intellectu ſeparato & attacta fuerunt ab Angelis viatoribus; propter hanc igitur indifferentiam, qua objectum materiale fidei ita univerſaliter acceptum poſſet tam ex parte ſui, quàm ex parte credentis, tum pro complexione tum pro incomplexione ſupponere, rectè diceretur ſimpliciter & abſolutè ſe habere præciſivè ſeu permiſſivè ad utramque.

17. Abſolutè verò dici poſſunt præſcindere ab utraque.

---

§. IV.

Vtrùm objecta materialia fidei creverint, aut decreverint ſucceſſu temporis?

18. Objecta materialia remota fidei non poſſunt in tempore creſcere, aut minui.

ASSERT. I. Objecta materialia fidei ſumpta aptitudinaliter, & remotè, nec creverunt nec decreverunt, imò nec creſcere nec decreſcere potuerunt.

Probatur & explicatur; Objectum materiale fidei ſumptum aptitudinaliter & remotè eſt veritas revelabilis; atqui veritates revelabiles nec creverunt umquàm nec decreverunt, imò nec creſcere nec decreſcere potuerunt; cum eſſe revelabile conveniat ab intrinſeco omni veritati, nec ulla fieri poſſit aut de revelabili irrevelabilis qua ratione decreſcerent, aut de irrevelabili revelabilis qua ratione creſcerent objecta materialia remota fidei. Nec refert, quòd ex ſuppoſitione ſaltem extrinſeca poſſit dari veritas irrevelabilis: Non refert, inquam, quia talis irrevelabilitas, cum debeat haberi ex divino decreto, nequit ſupervenire de novo aut ſucceſſu temporis ceſſare, ſed ſi detur, datur ab æterno nec umquam in tempore ceſſare poteſt, cum æterna ſint & in tempore immutabilia omnia Dei decreta: Unde attendendo ad veritates, quæ poſſunt eſſe irrevelabiles ex ſuppoſitione, & quodammodo extrahi ab objectis materialibus remotis fidei, infertur quidem objecta hæc materialia potuiſſe eſſe aut plura aut pauciora ab æterno, quàm de facto fuerint; at non infertur poſſe ea creſcere aut decreſcere in tempore; Simili modo ex veritatibus contingentibus infertur quidem materialia objecta remota fidei potuiſſe variari, & aliter eſſe ab æterno; at non poſſe ea variari, & aliter eſſe in tempore, ſuppoſito quòd talia fuerint ab æterno.

Verùm difficultas & controverſia, quæ ſub præfixo titulo ſolet agitari, procedit de objectis materialibus non aptitudinaliter & remotè, ſed actualiter & proximè ſumptis, non præcisè revelabilibus, ſed revelatis, & quò ad hæc duplex fides diſtinguitur, explicita altera, altera implicita: datur de aliquo objecto fides explicita, quando habetur fidei aſſenſus ſeu actus formaliter terminatus ad illud in ſe ipſo; datur fides implicita de objecto, quod actum fidei non terminat per ſe ipſum; ſed per aliud in quo continetur, & in quo explicitè creditur: Hujus fidei implicitæ tres modos affert Suarez *hic diſp* 2. *ſect.* 6. Primus eſt per relationem ad objectum formale, cum enim omnia credibilia ſubſint eidem objecto formali eidemque motivo, qui uni objecto aſſentitur ex motivo auctoritatis, revelationiſve divinæ, paratus eſt aſſentiri aliis omnibus, de quibus conſtiterit tali auctoritati revelationive ſubeſſe, ſicque dicitur habere fidem implicitam omnium aliorum revelatorum: Secundus per relationem minorum ad majores, ſic rudiores & idiotæ credendo omnia, quæ docet Eccleſia, quæ crediderunt Sancti Patres, quæ tradiderunt Apoſtoli, habent fidem implicitam de iis, de quibus iſti habuerunt fidem explicitam, etiamſi plura in particulari ignorent: Tertius per relationem unius objecti materialis ad alterum in eo contentum, aut cum eo connexum; ſic qui credit explicitè propoſitionem univerſalem, credit implicitè propoſitiones particulares ſub ea contentas; qui credit explicitè eſſentiam, credit implicitè proprietates; qui credit explicitè ſubſtantiam alicujus myſterij, credit implicitè circumſtātias, etiamſi ei tales circumſtantiæ, tales proprietates, tales propoſitiones particulares, nec innoteſcant adhuc, nec proponantur ſigillatim. 19.

Fides alia implicita, alia explicita.

Fidei implicitæ tres modi.

Modò pro ſolutione difficultatis & controverſiæ præſentis comparanda ſunt objecta proxima materialia fidei tum ad fidem explicitam, tum ad fidem implicitam; præſertim verò ad implicitam poſtremo ex tribus enumeratis modis acceptam; eſt enim ſpecialis ratio dubitandi, utrùm objectum aliquod cujus talem fidem implicitam Apoſtoli, & primi Chriſtianæ Religionis Proceres non habuerint, ſucceſſu temporis fuerit ab Eccleſia traditum ut fide explicita credendum, in quo partem affirmativam valdè promovet ex re- 20.

certioribus Arriaga *hic diſp.*11 *ſect.* 4 *ſubſec.*3.

21. *Objecta materialia proxima fidei non creverunt quoad rem.*

Aſſert.2. Sub gratiâ objecta materialia fidei ſumpta actualiter & proximè non creverunt ſucceſſu temporis quoad rem; aliqua tamen creverunt quoad modum quatenùs reddita ſunt explicatiora & tranſierunt à fide implicitâ ad explicitam. Ità D. Thomas *hic quæſt.*1.*artic.*7.*& in* 3.*diſt.* 25. *quæſt.*2. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 2. Magiſter & Scotus *ead. diſt.* & magis in terminis Sylvius *eod. artic.*7. Suarez *diſput.*2.*ſect.*6 *num.*10. Valentia *diſp.*1.*quæſt.*1. *punc.*6. Lugus *diſp.*3.*ſect.*5. *num* 70. Malderus *quæſt.*1.*art.*9. Joannes à S.Thomâ *diſp.*6.*art.*2. *num.*6. ibi ait iſtam conclusionem ita certam eſſe, ut oppoſitum judicetur communiter error in fide; quidquid ſit de hac cenſurâ, quæ videri poteſt limitanda ad præcipua ac fundamentalia myſteria fidei, traditur oppoſitum ab Arriagâ loco præcitato.

Dixi *ſub gratia* propter tria temporum intervalla, quorum primum dici poteſt *ante legem* (ſubintellige ſcriptam) & duravit ab Adamo ad Moyſem; ſecundum *ſub lege*, & duravit à Moyſe ad Chriſtum: Tertium *ſub gratiâ*, quod à Chriſto uſque ad nos duravit & durabit uſque ad finem mundi: Porrò utrùm ſub lege creverint & plura fuerint fidei objecta, quàm ante legem, aut ſub gratiâ plura, quàm ſub lege, attingemus infra *num.* 29. pro nunc ſolùm ſtatuimus ſub gratiâ & toto eo intervallo temporis, quod à Chriſto & Apoſtolis uſque ad nos fluxit, non creviſſe quoad rem objecta credenda; & nihil nunc eſſe de fide, quod non fuerit ſaltem implicitè revelatum Apoſtolis, & ab iiſdem implicitè creditum; Quod ſic,

22. Probatur: Sub gratiâ quidquid ſucceſſivo decurſu temporis Eccleſia proponit, aut definit de fide credendum, habuit in Apoſtolis revelationem & fidem ſaltem implicitam; ergo quidquid nunc eſt de fide ſaltem implicitè revelatum Apoſtolis, & ab iiſdem implicitè creditum; ac per conſequens ſub gratiâ objecta materialia fidei ſumpta actualiter & proximè non creverunt ſucceſſu temporis quoad rem: Antecedens, in quo ſolo poteſt eſſe aliqua difficultas, probatur primò ex ſcriptura Jo. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Secundò, ex praxi Eccleſiæ, quæ ut aliquid ſtatuat de fide, ſcrutatur ſemper ſcripturas & traditiones Apoſtolorum per ſanctos Patres ad nos tranſmiſſas, undè etiam Tridentinum *ſeſſ.* 4. ait omnem veritatem ſalutarem *contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto traditionibus*: Tertiò ex eo quod veriſimile non eſt eos, quos Chriſtus fidei Magiſtros inſtituit, & primos ſuæ Eccleſiæ Miniſtros, latuiſſe aliquid ad fidem Eccleſiamque pertinens & reſervatum fuiſſe Apoſtolorum ſucceſſoribus revelandū aliquid ipſis Apoſtolis non revelatum. Confirmatur ex eo quod noſtra fides catholica; dicitur quoque Apoſtolica; ſignum eſt igitur nihil nos catholicè credere, quod fuerit ab Apoſtolis ignoratum.

Eccleſia nihil ſtatuit de fide, quod non fuerit creditum ab Apoſtolis.

Dices primò ad ſalvanda hæc omnia ſufficere, quod Apoſtoli non ignoraverint eas veritates fundamentales & primarias, quas dicimus myſteria ſeu articulos; cæterum aliquarum ex aliis veritatibus minus præcipuis omninò admittendam eſſe in Apoſtolis ignorantiam; Quis enim dicat Apoſtolos habuiſſe fidem quod Clemens X. ſit verus Pontifex, aut potuiſſe nominatim recenſere ſeriem omnium ſummorum Pontificum legitimè eligendorum uſque ad finem mundi. Admittendum item non omnia prorſus, quæ Eccleſia definit credenda, contineri in ſacris Scripturis aut Traditionibus, nam de fide eſt Tridentinam ſynodum v.g. fuiſſe legitimam, & tamen in quanam Sacrâ Scripturâ aut Traditione id continetur? cum nequidem Tridentina civitas verbo ullo aut ſcripto aut tradito nominetur: Hæc & ſimilia urget Arriaga pro ſuâ opinione. Sed contrà: Apoſtolos fuiſſe à Spiritu ſancto edoctos omnem veritatem, & Eccleſiam pro rebus etiam non fundamentalibus, nec primariis, ſucceſſu temporis diffiniendis conſulere revelationes antiquas & doctrinam Apoſtolicam, aliquid amplius probat, quàm Apoſtolis in materiâ fidei innotuiſſe ſola myſteria ſeu ſolos articulos. Ad exempla veritatum, quas tanquàm ab Apoſtolis ignoratas affert inſtantia, dico illas fuiſſe ignoratas impropriè & ſecundum quid, prout ignorantia negat fidem explicitam; at non propriè & ſimpliciter, prout ignorantia negat fidem etiam implicitam, quâ creduntur omnia particularia ex eo præcisè quod credatur univerſale, ſub quo talia particularia continentur; & ſicuti implicitè crediderunt Apoſtoli ſingulos Adæ poſteros peccaſſe in Adamo, etiamſi non habuerint diſtinctam ſingulorum notitiam, nec potuerint ſingulos nominatim recenſere; ità nil mirum quod implicitè crediderint Clementem X. & alium quemlibet Pontificem legitimè eligendum, fore verum Pontificem, & Synodum Tridentinam, aliamvè quamlibet à ſummo Pontifice congregatam & approbatam, fore legitimam etiamſi ipſis in mentem ſingillatim non venerit aut perſona Clementis X. aut Civitas Tridenti; pro quâ re videri poſſunt Suarez *num.* 18. Lugus *num.* 72. & quæ à nobis dicentur infrà *cap.* 3. §. 3. & 4. 23.

Occurritur fundamentis opinionis oppoſitæ.

Dices ſecundò: Non eſt neganda ſummo Pontifici & Eccleſiæ poteſtas ſtatuendi de novo aliquam veritatem de fide; ergo re ipsâ aliquam veritatem ità ſtatuit, alioqui eſſet inanis & otioſa poteſtas, quæ nunquàm in actum reduceretur; antecedens probatur, quia talem poteſtatem negando nimis derogaretur auctoritati Pontificis & Eccleſiæ, & minùs rectè hæc diceretur regula fidei: Confirmatur; veritates fidei aliquæ dicuntur ab Eccleſiâ proponi, aliquæ definiri; non poteſt autem inter hæc duo aſſignari diverſitas, niſi dicantur proponi veritates revelatæ antecedenter tempore Apoſtolorum; definiri veritates revelatæ de præſenti, & de novo ſub formali objecto fidei conſtitutæ, ac de fide factæ. Sed contrà: In ſummo Pontifice & Eccleſiâ datur poteſtas ſtatuendi aliquam novam veritatem de fide, quatenùs poteſt à Deo fieri ſummo Pontifici & Eccleſiæ aliqua nova revelatio: at ſicuti poſt tempora Apoſtolorum nulla nova revelatio facta eſt, nec Eccleſia quidquam definivit

definivit tanquàm de novo revelatum; ſed ſolùm tanquam contentum in revelationibus antiquis; ità pariter poſt eadem tempora nulla ſimpliciter nova fidei veritas eſt ſtabilita, nec propterea poteſtas ſtabiliendi otioſa eſt, alioqui otioſa quoque foret in Deo poteſtas revelandi novas veritates, quas nunquàm revelabit. Ad confirmationem dico proponi eas veritates, quarum revelatio expreſſa eſt & extrà controverſiam in Eccleſiâ; diffiniri eas, quæ aut non fuerint explicitè revelatæ nec explicitè creditæ ab Apoſtolis ut exemplificatum eſt *num. præced* aut etiamſi Apoſtolorum tempore fuerint explicitè creditæ, earum tamen fides ad nos non eſt explicite tranſmiſſa, eò quod ſit in ſcripturis parum expreſſa, nec non Sectariorum erroribus oppugnata & quaſi obtenebrata, ſic v.g. explicite crediderunt Apoſtoli Filium eſſe Patri conſubſtantialem, Spiritum ſanctum à filio non à ſolo Patre procedere; Hæc tamen & ſimiliter dicitur Eccleſia diffinitive non præciſè propoſuiſſe, propter oppoſitos; qui viguerunt, errores Arrianorum & Græcorum, item propter minùs exploratam de illis notitiam ab Apoſtolis ad nos deductam.

25. Quænam fidei veritates reddantur ſucceſſu temporis explicatiores.

Ex his habes objecta fidei quæ ſucceſſu temporis reddita ſunt explicatiora aliqua eſſe reddita explicatiora comparativè ad Apoſtolos, & hujuſmodi præcipuè ſunt ea, quæ pendent ab effectibus contingentibus, quorum applicatio tempore Apoſtolorum erat futura, non præſens, ut legitima electio Clementis X. in Pontificem, legitima congregatio Concilij in Civitate Tridenti; aliqua eſſe reddita explicatiora comparativè non ad Apoſtolos, ſed ad aliquod aliud tempus poſterius pro quo eorum fides erat minùs explorata, quam Apoſtolorum tempore; aliqua tamen hæreſis contrà inſurgens præbet occaſionem Eccleſiæ, ea definiendi claris prorsùs & explicatioribus terminis; hincque ſine ulteriori probatione conſtant ſufficienter poſtremæ particulæ ſuperioris aſſerti.

Aſsert. 3. Quoad ſubſtantiam credibilium fuit eadem fides ab initio mundi, quæ nunc eſt ſub gratiâ, & in aliquo ſenſu objecta materialia fidei nunquàm creverunt; at non in eo, quo ex ſupradictis non creverunt ſub gratiâ dici pariter poteſt non creviſſe ab initio mundi uſque ad tempus gratiæ.

26. In quonam ſenſu dici poſſit fuiſſe ab initio mundi eamdem fidem, quæ nunc eſt.

Probatur prima pars: In hominibus viatoribus fuit ſemper quoad ſubſtantiam eadem Eccleſia, eadem ſanctitas & tendentia in eandem beatitudinem; atqui fides eſt vinculum & quaſi forma conſtituens Eccleſiam, eſt primum initium ſanctitatis & primus motus, quo in beatitudinem tenditur; ergo in hominibus viatoribus fuit ſemper quoad ſubſtantiam credibilium eadem fides adeóque fuit eadem ab initio mundi quæ nunc eſt, & in aliquo ſenſu objecta materialia ipſius nunquàm creverunt; Quod ſic magis explicatur & confirmatur: tota fides quæ nunc eſt ſub gratiâ continetur implicitè ſub illis duobus credibilibus *Deus eſt & Remunerator eſt*; ſed fides horum duorum credibilium ab initio mundi & ſemper fuit; quia hæc fides in omni ſtatu eſt viatoribus adultis neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, certum eſt nunquàm humano generi defuiſſe aliquid neceſſarium ad ſalutem præſertim neceſſitate medij. Major probatur advertendo in illis duobus credibilibus dupliciter poſſe alia credibilia contineri, vel ſecundùm nos, quatenùs nobis continentia innoteſcat, & poſſit à nobis fieri aliorum credibilium ex illis duobus illatio; vel ſecundùm ſe tantùm, quatenùs in re datur talis continentia, at nobis nota non ſit; poteſt deindè in re dari talis continentia, vel ex natura rei ideſt ex neceſſariâ & intrinſecâ connexione aliorum credibilium cum illis duobus, vel ex decreto extrinſeco ideſt ex ordinatione Dei volentis hoc determinato modo, non alio ſuam ſupernaturalem providentiam exercere. Porrò ſub illis duobus credibilibus, *Deus eſt, & Remunerator eſt*, quamvis ſecundùm nos & ex naturâ rei non contineatur tota fides quæ nunc eſt ſub gratiâ, continetur tamen ex divinâ ordinatione, quatenùs Deus decernendo revelare ſe ipſum ut exiſtentem, ſimul decrevit revelare ſe ut Trinum in Perſonis, ut Creatorem rerum omnium, ut potentem producere ſupernaturales effectus; quæ & ſimilia pertinent ad Deum ut in ſe exiſtentem: decernendo revelare ſe ut remuneratorem ſeu glorificatorem decrevit ſimul revelare media, quibus nobis de facto remuneratio & gloria æterna erat conferenda, nimirùm Verbi Incarnationem, Chriſti paſſionem & mortem, inſtitutionem Sacramentorum, &c.

27. Et illam totam contineri ſub his duobus credibilibus *Deus eſt, & remunerator eſt.*

Ex hac doctrinâ non ſolùm probata manet & explicata major illa propoſitio, *Tota fides, quæ nunc eſt ſub gratia, continetur implicitè ſub illis duobus credibilibus*, &c. Verùm etiam facilè ſolvitur quidquid ei opponunt Adverſarij dicentes ex illis duobus credibilibus nos non poſſe deducere cæteras fidei veritates: Cum illis duobus credibilibus non magis connecti hæc quàm illa media, quibus Deus poteſt homines ad ſalutem & remunerationem obtinendam perducere: Ad illa indifferenter ſe habere quod Iudex v. g. à quo Chriſtus erat damnandus, Pilatus aut aliter nominaretur; quod Apoſtoli eſſent plures, paucioreſquè, quàm duodecim, &c. facilè, inquam, hoc ſolvitur quia primum probat dumtaxat in illis duobus credibilibus cæteras fidei veritates non contineri ſecundùm nos: duo reliqua verificantur de illis credibilibus conſideratis ab intrinſeco & ex naturâ rei; at non quatenùs ſubſunt ordinationi extrinſecæ & providentiæ actuali, quam Deus de facto exercere conſtituit; ſufficit autem pro noſtro intento, quòd illa credibilia relatè ad præſentem providentiam habuerint ſecundùm rem, quàmvis non ſecundùm nos noſtramvè notitiam, ſpecialem connexionem cum illis medijs in ordine ad ſalutem, cum illis circumſtantiis in ordine ad Chriſtum, de quibus deindè tradita eſt revelatio & fides expreſſa.

28. Occurritur inſtantiis Adverſariorum.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Objecta materialia fidei ita non creverunt ſub gratia, ut eo toto intervallo ſtatus gratiæ, quod

ab

Digitized by Google

ab Apoſtolis uſque ad nos fluxit, nullum objectum fuerit revelatum de novo, quamvis aliquod redditum fuerit explicatius quoad modum; atqui non poteſt hoc idem dici de eo toto intervallo, quod fluxit ab initio mundi uſque ad tempus gratiæ incluſivè acceptũ: ergo non in eo ſenſu, quo non creverunt ſub gratia objecta materialia fidei, dici pariter poteſt non creviſſe ab initio mundi uſque ad tempus gratiæ; major ſupponitur *ex præced. num.* 22. minor probatur dum factus eſt tranſitus, tum à ſtatu antè legem ad ſtatum ſub lege, tum à ſtatu ſub lege ad ſtatum ſub gratia, habitæ ſunt novæ revelationes, & revelata ſunt de novo plura objecta credibilia, præſertim pertinentia ad inſtitutionem Sacramentorum & vitam Chriſti, quæ licèt lex ſcripta in figuris contineret, non poterant à nobis ſufficienter erui, ideò dici non poterant ſecundùm nos revelata in lege ſcripta, multoque minùs antè legem in ſtatu naturæ, in quo figuræ deerant, & pauciores habebantur revelationes, alioqui nihil fuiſſet de novo revelatum Prophetis & Sacris Scriptoribus: ſic v.g licet initio ſtatus naturæ revelatum fuerit Chriſtum eſſe venturum, quod tamen eſſet futurus ex ſemine Abrahæ & ex progenie David, non fuit revelatum niſi multo poſt, quando id Deus ſpecialiter promiſit.

Sub gratia habemus plures revelationes, quàm habuerimus ſub lege, aut antè legem.

30\. Ex his habes quid reſpondeas ſimpliciter & abſolute quærenti, quonam tempore & in quibus perſonis fuerit quoad credendorum, ſeu creditorum multitudinem major fides? Reſpondendum ſcilicèt fuiſſe majorem in temporibus & perſonis viciniores Chriſto Domino; præſertim in Apoſtolis: Infertur hoc ex eo, quod dictum eſt *num.* 21. *&* 24. poſt tempora Apoſtolorum non eſſe factum in Eccleſia ullam novam revelationem; in ò quoties poſteà aliqua ignorantia, aut aliquis error irrepſit fuiſſe inveſtigatam veritatem ex traditionibus Apoſtolicis, & ex antiquioribus Patribus tamquàm tempori Apoſtolorum propinquioribus. Nec refert quòd *ex præced n.* 23. *&* 25. quoad aliqua individua contingentia fuerit poſt Apoſtolos reddita fides explicatior: Non refert, inquam, quia reliqua in quibus fuit explicatior fides Apoſtolorum plura & excellentiora ſunt; jure ergo dicitur ſimpliciter major fides, quæ viguit in Apoſtolis circa tempora Chriſti Domini, quàm quæ ullo alio tempore viguerit; cum præcipuè tempus Chriſti *ad Galat.* 4. dicatur tempus plenitudinis, de plenitudine autem ſolent participare abundantiùs illi, qui ſunt ipſi propinquiores: Vtuntur hac incongruentiâ, & ſtant pro reſponſione à nobis allata D. Gregorius *homil.* 16. *in Ezech.* & D. Thom. *hic q.* 1. *art.* 7. *ad* 4.

Fides fuit ſimpliciter major in Apoſtolis, quàm ullo alio tempore.

31\. Si quæratur ulteriùs, quonam tempore & in quibus Perſonis fides fuerit major intenſivè, ſeu quoad intenſionem, claritatemque actus? Reſpondetur rem eſſe magis dubiam & minùs notam; nec videtur aliud dici poſſe, quàm majorem fidei claritatem facilè præſumendam eſſe in iis, qui vocantur & deſtinantur à Deo ad edocenda & prædicanda divina myſteria; cæteris paribus deinde in viris majori ſanctitate præditis: Unde probabile eſt Apoſtolos habuiſſe non extenſivè tantùm, ſed etiam intenſivè majorem fidem, quàm nos ſaltem regulariter loquendo, habeamus.

Major, inquã, non extenſivè tantùm, verùm etiam intenſivè.

CAPVT II.

De Objecto formali fidei.

1\. Nomine objecti formalis non venit in præſenti objectum *formale quod*, ſinonymum cum objecto materiali primario, ſeu attributionis, ut ſuprà attigimus *n.* 9. *&* 13. Venit igitur objectum *formale quo*, dictum etiam communiter ratio formalis *quâ* aut *ſub quâ*; item objectum ſpecificativum & motivum; ſpecificativum quidem, quia eſt quaſi ultima forma, per ordinem ad quam deſumitur propria differentia, & ſpecificatio potentiæ, vel habitus; motivum verò quia movet ad tendendum in objectum materiale, eſtque id, propter quod præſtatur objecto materiali aſſenſus & in quod tamquàm in ultimam rationem talis aſſenſus reſolvitur. Hæc eſt germana acceptio objecti formalis ſub præfixo titulo aſſignandi pro fide ſupernaturali ac Theologica; hoc ipſo autem quod agimus de actu & habitu ſupernaturali, ac Theologico, non poſſumus non ei tribuere pro objecto formali aliquid ſupernaturale ac divinum, ex quo illicò improbatur error Manichæorum olim teſte Auguſtino *de utilitate credendi cap.* 1. & deinde Abailardi teſte Bernardo *Epiſt.* 190. *circà init.* contendentium nihil eſſe credendum, niſi quod ratio oſtendit, adeoque ſtatuentium rationem naturalem pro formali & motivo objecto fidei, quod eſt nihil ſupernaturale ac Theologicum in fide agnoſcere, imò eſt deſtruere conceptum ipſum genericum fidei, cum hæc ex genere ſuo petat non inniti rationi; unde etiam pro fide humana rationem non quærimus, & ſine ratione Majoribus ac Parentibus credimus. Tali errore rejecto Catholici aliquid ſupernaturale & divinum pro re præſenti aſtruentes adhuc diviſi ſunt in varios dicendi modos, ex quibus ut primò minùs probabiles rejiciamus, ſit

Quid in præſenti veniat nomine objecti formalis.

§. I.

Vtrùm lumen infuſum, aut actuale auxilium, aut ſupremum Dei dominium, aut Deitas ipſa ſpectet ad objectum formale fidei?

2\. Aſſert. 1. Lumen infuſum ſeu Deus ut infundens ſupernaturalem fidei habitum, aut ut per ipſum inclinans ad aſſenſum, non ſpectat ad formale fidei objectum. Ita Theologi communiter contra Canum *lib.* 12. *de locis cap.* 3. *conc.* 2. *&* 3. Arragonium *hic quæſt.* 1. *art.* 1. alioſque nonnullos, quorum opinionem ut probabilem refert, & legentium judicio committit Scotus *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. unic.* §. *Aliter poteſt poni*, quamvis eam ipſe non amplectatur, ut

Ad objectũ formale fidei non ſpectat fidei habitus.

Digitized by Google

ut cum Aterino & Smiſing notat Maſtrius *in 3. diſp. 6. q. 1. n. 33.*

Probatur lumen infuſum, ſeu habitus fidei, neque per ſe ſufficit ad objectum formale fidei, neque ex parte talis objecti formalis requiritur tamquam pars aut conditio ipſius; ergo lumen infuſum ſeu habitus fidei non ſpectat ad formale fidei objectum; conſequentia patet; antecedens quoad primam partem ſupponitur ex infrà dicendis de veracitate, revelationeque divina & probatur inſuper primò quia idem eſt ſpecificativum habitus, ac actus; habitus igitur fidei ſpecificaretur à ſeipſo, ſi eſſet totum objectum formale adeóque totum ſpecificativum ſui actus: Secundò, quia objectum formale determinat ad actum in genere cauſæ formalis, aut quaſi formalis, & afficit objectum materiale; habitus infuſus concurrit ad actum in genere efficientis & afficit potentiam. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, & ſimul à fortiori corroboratur prima pars, primò quia adultus infidelis ſe convertens ad fidem priùs natura elicit actum, quam recipiat habitum; ergo habitus non requiritur ex parte objecti formalis tamquam pars aut conditio ipſius, alioqui actus natura prior fuiſſet elicitus ſine totali, aut ſine ſufficienti ratione objecti formalis: Secundò quia objectu formale etiá partiale, & quidquid requiritur ex parte ipſius debet conducere ad actum modo rationali & ut medium cognitum, cum præſertim ſermo ſit de actu fidei libero; at habitus fidei ſicuti non cognoſcitur aut ſaltem neceſſe non eſt cognoſci ab eliciente actum, ita quantùm eſt de ſe conducit ad actum cæco & naturali, non rationali modo, ergo.

Neque ut totum objectum formale.

3. Neque ut pars, aut cõditio ipſius.

Dices, ex una parte non repugnat idem lumen habere rationem principij efficientis & formalis, ſe tenere ex parte potentiæ & ex parte objecti ex alia parte niſi adſit lumen infuſum aut aliquod ſuppletivum ipſius non habetur ſufficiens ſpecificativum fidei ſupernaturalis; nam veracitas & revelatio divina ſecundùm ſe non magis determinant ad ſupernaturalem, quàm ad naturalem actum; ergo nec probatio aſſerti, nec aſſertum ipſum ſubſiſtit. Accedit quòd potiſſima prærogativa formalis objecti fidei eſt, quod manifeſtet & reddat credibile objectum materiale; hoc autem utrumque optime præſtat lumen infuſum, cum & lumen quodlibet ex genere ſuo ſit manifeſtativum, & ſine tali lumine non poſſemus credere ſupernaturaliter ac ut oportet. In tota hac inſtantia probatione maximè indiget prima primi antecedentis pars, probatur autem primo in lumine gloriæ, quod ita eſt principium elevans potentiam ac ex parte potentiæ ſe tenens, ut ſecundùm aliquos ſimul ſit ſpecies ſe tenens ex parte objecti, hocque à nobis *tract. 1. lib. 2. cap. 3. num. 6.* admiſſum fuit de poſſibili, licèt non de facto, ſecundò in lumine corporeo, quod ita ſe tenet ex parte potentiæ viſivæ ipſam illuminando & iuvando effectivè, ut ſimul ſe teneat ex parte objecti illuminando colorem & conſtituendo ipſum formaliter in eſſe viſibili. Sed contrà: Ad primam partem primi antecedentis dico

4. Qualitas eadem quo-

dupliciter aliquid poſſe habere rationem principij efficientis & formalis; nimirum vel formalis quomodocumque, vel formalis ſpecificativi ſui ipſius; primum permitto non repugnare, at repugnat omninò ſecundum; habitus autem fidei ſi eſſet principium formale eo modo, quo in præſenti controvertitur, eſſet principium formale ſpecificativum ſui ipſius, ideò &c. Ad primam probationem in oppoſitum dico quòd qualitas, quæ eſſet ſimul lumen & ſpecies, ſe teneret quidem ex parte potentiæ & objecti; at utroque modo concurreret in genere efficientis, nec ſe teneret ex parte objecti tamquam quid ſpecificativum & ſpectans ad objectum formale; ſicuti tamen ſe teneret pro re noſtra habitus fidei, ideò &c. Ad alteram probationem nego lumen corporeum ſe tenere ex parte potentiæ & juvare effectivè potentiam, conſtat enim experientia oculum lumine extrinſeco non illuminatum optimè videre objectum, dummodo iſtud illuminatum ſit; lumen igitur corporeum ſe tenet duntaxat ex parte objecti, ut iam attigimus *præcit. c. 3 n. 14.* Neque dicas, de lumine innato intellectus negari nequit, quin ſe teneat ex parte potentiæ cum ſit ipſi intellectui identificatum, & tamen eſt objectum formale ſpecificativum aſſenſus, qui præſtatur primis principijs & propoſitionibus per ſe notis, ut pote quæ ita denominantur ex eo quòd per ſe innoteſcant lumine naturæ. Contra enim, fateor lumen innatum intellectus ſe tenere ex parte intellectus, at nego eſſe objectum formale ſpecificativum alicujus aſſenſus; & dum dicitur prima principia propoſitioneſque per ſe notas ita denominari ex eo quòd &c. eſt explicatio facta per cauſam efficientem non per cauſam formalem; cæterùm in ipſis ratio formalis ſpecificativa & motiva ad aſſenſum eſt immediata connexio terminorum, non naturæ lumen.

modò poſſit, aut non poſſit ſe tenere ex parte potentiæ & objecti?

5. Lumen corporeum ſe tenet ſolum ex parte objecti.

Lumen innatum ſolum ex parte potentiæ.

Ad ſecundam partem primi antecedentis dico falſum ſimpliciter eſſe, quod aſſumitur, & veracitatem revelationemque divinam prout eſt motivum univerſale credendi non determinare niſi ad actum ſupernaturalem; undè qui in hæreſim labitur, licèt quoad plures articulos, quos actu naturali credit videatur retinere idem motivum veracitatis revelationiſque divinæ, re vera non retinet; cum non habeat ipſum pro motivo univerſali credendi. Neque dicas, veracitas & revelatio divina, etiam ut eſt motivum univerſale credendi, non determinat ſufficienter ad fidei actum, cum cognito tali motivo adhuc liberum ſit elicere aut non elicere actum; ergo multò minùs determinat ad fidei actum ſupernaturalem. Contra enim: non determinat ſufficienter ad fidei actum quoad ſpeciem nego, quoad exercitium concedo; at determinatio quoad exercitium neque etiam habetur ab habitu, ſed habetur à voluntate, pioque affectu. Ad illud, quod additur, dico objectum materiale poſſe manifeſtari & reddi credibile, vel per aliquid ſe tenens ex parte ipſiuſmet objecti ipſumque afficiens, vel per aliquid ſe tenens ex parte potentiæ auferendo ab iſta quodammodo velamen cæcitatis, eamdemque elevando ad eliciendum actum credendi; fidei habitus ac lu-

6. Objectum formale determinat quoad ſpeciem, non quoad exercitiũ actus.

men manifeſtat & reddit credibile objectum ſecundo, non primo modo, prærogativa autem objecti formalis eſt manifeſtare & reddere credibile primo, non ſecundo modo; ideò &c.

7. Ad objectū formale fidei non ſpectat actuale auxilium.

Assert. 2. Actuale auxilium, ſeu Deus ut per gratiam actualem auxilians ad eliciendum actum fidei, non ſpectat ad formale fidei objectum. Eſt ſpecialiter contra Granadum *hic diſp. 5 ſect. 5. 6. & 7.*

Probatur eodem modo, quo aſſertum præcedens; auxilium enim actuale non minùs, quàm lumen habituale, ſe tenet ex parte potentiæ, concurrit in genere efficientis, nec neceſſe eſt cognoſci à credente, quidquid autem ſpectat ad objectum formale debet ſe tenere ex parte objecti, concurrere in genere cauſæ formalis, & eſſe medium cognitum, ideò &c.

Dices auxilium actuale aliud eſſe concomitans, aliud præveniens, & hoc reſpectu actus fidei conſiſtere in illuſtrationibus & apprehenſionibus internis de re credita, & de divina revelatione, quæ quidem illuſtrationes & apprehenſiones quatenùs informando intellectum inclinant ipſum & diſponunt ad fidei aſſenſum; dici poſſunt concurrere in genere cauſæ formalis, quatenus applicant quodammodo revelationem, dici poſſunt ſe tenere ex parte objecti; quatenùs tandem ſunt actus intellectus habent aliquam rationem medij cogniti, cum per nos omnis cognitio aliqualiter attingat ſeipſam; ergo à primo ad ultimum allata probatio non procedit de actuali auxilio præveniente, imò huic convenit quidquid neceſſe eſt, ut ſpectet ad objectum formale fidei: ſi non ut tota ratio, ſaltem ut ratio partialis,

8. Etiamſi ſermo ſit de auxilio præveniente.

aut conditio. Sed contrà, auxilium non ſolùm concomitans, verùm etiam præveniens ſitum in illuſtrationibus & apprehenſionibus, ſe tenet ex parte potentiæ, & iſtud habet quidem rationem aliquam cauſæ formalis reſpectu intellectus, quem informat, at non reſpectu actus, ad quem concurrit movendo intellectum per modum principij moralis, adeóque efficientis, non verò per modum formæ ſpecificantis actum ipſum, nec certè reſponderes ad mentem interrogantis, ſi peteret motivum formale cur credis myſterium Trinitatis v. g. Aſſignares auxilium actuale quo fuiſti ad tale myſterium credendum præventus: Quâ de re multa Lugus *hic diſp. 1. ſect. 2. à num. 12. ad 28.*

9. Ad objectū formale fidei non ſpectat ſupremum Dei dominium.

Assert. 3. Supremum Dei dominium, ſeu Deus ut potens jure dominij exigere à nobia fidei actum, non ſpectat ad formale fidei objectum. Eſt ſpecialiter contrà Gulielmum Pariſienſem *in tract. de fide, & legibus circa init.* ubi docet nos Deo credere, *quia jubet ſibi credi*, & fidem Chriſtianiſſimam vocat eam, *per quam obedientia ſua debitum ſolvit intellectus humanus.*

Probatur. Supremum Dei dominium in ordine ad eliciendum actum fidei nihil confert per modum objecti, & movere ad ipſum poteſt moraliter & in genere efficientis ut movent ex genere ſuo præcepta; at non formaliter & ſpecificativè, ut requiritur ad rationem objecti formalis: Deinde ſupremum Dei dominium eo modo, quoad actum fidei, movere poteſt ad actus quoſcumque præceptos aliarum virtutum, nec ſpeciali modo ad ullam virtutem ſe habet niſi ad obedientiam; eſt igitur ratio vaga & apta tranſcendere cæteras virtutes, & ſi alicujus eſt propria ac ſpecificativa, talis eſt reſpectu obedientiæ, non reſpectu fidei: Hancque valdè impropriè ac abuſivè obedientiam intellectus appellat Gulielmus præcit. Neque Gulielmo ſuffragatur Apoſtolus 2. *Cor.* 10. verbis illis *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: Non ſuffragatur, inquam, quia ex mente Apoſtoli captivitas & obſequium refertur non ad dominium, ſed ad prælationem; ſecundùm quam debet intellectus præferre auctoritatem rationi, & ſe gerere ut convictum, & quaſi ligatum, ubi nulla ipſum ratio convincit, nulla evidentia ligat.

10. Nec deitas ipſa, ſeu prima veritas in eſſendo.

Assert. 4. Deitas ipſa, ſeu veritas prima tranſcendentalis & in eſſendo, non ſpectat ad objectum formale fidei. Solet hoc exiſtimari contra Aureolum apud Capteolum *in 3. diſt. 24. art. 2.* & Cajetanum *quæſt. 1. art. 1. §. Ad evidentiam.* Porrò appoſui ly *ſeu veritas prima,* &c. quia ex una parte prima veritas tranſcendentalis cum Deitate coincidit, & Deus ut in eſſendo verus idem eſt ac Deus ut Deus, & alia parte fides, utpotè virtus intellectus, meliùs videtur explicari per ordinem ad objectum expreſſum ſub conceptu veritatis, quàm ſub ullo alio conceptu. Hinc Eſparza *lib. 6. quæſt. 15. art. 6*, non diſtinguens in Deo veritatem in eſſendo à veritate in revelando cenſet Aureolum & Cajetanum malè referri pro opinione diverſa ab ea, qua communiter objectum formale fidei collocatur in prima veritate revelante: Sed quidquid ſit de legitima illorum Auctorum mente, aſſertum, ut jacet,

Probatur. Deus ut Deus ſeu Deus ut tranſcendentaliter verus eſt objectum commune pluribus aliis actibus intellectus, nimitùm viſioni, ſapientiæ, & notitiæ abſtractivæ, qua in Deum ex creaturis aſſurgimus; ergo non ſpectat ad objectum formale & ſpecificativum fidei, quod certè debet eſſe fidei proprium. 11.
Deinde objectum formale controverſum in præſenti eſt objectum formale *Quo*; Deus autem ut Deus & ſub ratione Deitatis eſt objectum formale *Quod*, ſeu materiale primarium *ex præcedent. §. 2.* atqui res eadem reſpectu ejuſdem nequit eſſe objectum materiale, & formale; formale *Quod* & formale *Quo*; ergo. Confirmatur, quia fides ſuppoſito quòd reſolvenda ſit, tamquàm in ſuum objectum formale, in Deum ut verum, reſolvenda eſt in Deum ut verum in dicendo, non ut verum in eſſendo; cum ſit de univerſaliſſimo fidei conceptu inniti teſtimonio, & veracitati dicentis, ſeu veritati in dicendo.

Dices: licèt reſolutio fidei immediata facienda ſit in veritatem in dicendo; reſolutio tamen ejuſdem ultimata non poteſt non fieri in Deitatem veritatemque in eſſendo, in quam tanquàm in primam radicem omnium divinorum prædicatorum, neceſſe eſt tandem reſolvi veritatem in dicendo, & quidquid aliud

affigne

aſſignetur pro objecto formali fidei. Sed contrà: hinc nimis probatur, probatur ſcilicè t
12. nullum actum, nullamvè virtutem habere poſſe pro objecto formali aliquid divinum, quin habeat pro objecto formali ultimo deitatem: Dico igitur veritatem in dicendo ſumi poſſe vel in ratione rei & in eſſendo; vel in ratione objecti fidei, & in movendo ad fidei aſſenſum: Primo, non ſecundo modo, veritas in dicendo reſolvitur in deitatem; & ſola ſecunda reſolutio ſpectat ad fidem, prima verò ſpectat ad ſcientiam, cujus proprium eſt conſiderare rerum cauſas in eſſendo, & per tales cauſas diſcurrere; & ſicuti quod color reſolvatur tanquàm in cauſam in mixtionem primarum qualitatum, & ſonus in colluſionem corporum, non impedit quin color ſit ultimatum ſpecificativum viſionis, & ſonus auditionis; ità ſimiliter, &c. Addit Lugus *hic diſp.* 1. *num.* 100. poſſe de veracitate Dei ſuſtineri, quòd ſit motivum etiam in eſſendo ſimpliciter ultimum, ſumendo talem veracitatem conditionatè ſic, *Si Deus loquitur, veraciter loquitur; ſi Deus eſt, eſt verax*, ait enim ex unâ parte has propoſitiones eſſe per ſe notas ex terminis, nec in aliud reſolubiles, & ex alia parte veracitatem Dei ſic conditionatè ſumptam eſſe ſufficiens fidei motivum. Verùm prima ſolutio ſicut communior eſt ità & tutior: & propoſitiones conditionales videntur omnes ex genere ſuo reſolubiles in propoſitiones abſolutas; imò conditionales allatæ videntur continere implicitè reſolutionem veracitatis in Deitatem & æquivalere iſtis. *Quia Deus eſt qui loquitur veraciter loquitur; Quia Deus eſt, eſt verax.*

Veritas in dicendo quomodo reſolvatur in deitatem?

Modus quo nullatenus in Deitatem reſolvatur, rejjicitur.

13. Excluſâ à formali objecto fidei divinâ veritate in eſſendo occurrit duplex alia divina veritas de quâ dubitatur, Verùm aut alterutra aut utraque tale objectum ingrediatur? Prima eſt veritas in cognoſcendo, & conſiſtit in perfectione, quâ divinus intellectus non poteſt in ullâ ſuâ cognitione falli, & opinio doceos unicam hanc divinam veritatem pertinere ad formale fidei objectum tribuitur Bonaventuræ *in* 3. *diſt.* 24. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *in c.* Valentiæ *hic diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 1. §. *difficultatum*, alijſque nonnullis. Secunda eſt veritas in dicendo & conſiſtit in perfectione, qua divina voluntas non poteſt imperare locutionem difformem divino conceptui: ex hac utraque veritate conſurgit maxima auctoritas, qua Deus fert teſtimonium omni prorſus exceptione majus ac penitùs irrefragabile; cum enim ipſe ratione veritatis in cognoſcendo nequeat in ſe falli, & ratione veritatis in dicendo nequeat mentiri, fit quod neque materialiter & ſine mendacio, neque formaliter & cum mendacio poſſit falſum dicere; in quo ſita eſt excellentia ſummæ auctoritatis, quam multi veritatem vocant nec à veritate in dicendo ſecernunt, & certè ſi veritas in dicendo ſumatur ut excludens quamcumque locutionem falſam, etiam non formaliter mendacem, utique aut includit, aut eſſentialiter ſupponit & connotat veritatem in cognoſcendo.

Veritas in cognoſcendo & in dicendo quid?

14. Ego ad vitandam quæſtionem de nomine ponetem duplicem in dicendo veritatem; alteram præciſiſſimam & minùs perfectam, oppoſitam dumtaxat formali mendacio; alteram non adeò præciſam & magis perfectam, oppoſitam cuilibet falſitati locutionis; illam fateor diſparatam & ſeparabilem à veritate in cognoſcendo: iſtam cum veritate in cognoſcendo eſſentialiter connecto, nec curo deindè, utrùm iſta connexio dicenda ſit per modum includentis cum incluſo, aut connotantis cum connotato: & de veritate in dicendo hoc poſteriore modo acceptâ loquuntur Auctores communiter in præſenti controverſiâ, licet non omnes id tradant formalibus & expreſſis terminis.

Veritas in dicendo duplex.

---

§. II.

Vtrùm divina veracitas ſpectet ad objectum formale fidei?

15. ASSERT. Divina veracitas prout cum auctoritate coincidit, & importat veritatem in dicendo, perfectam ac eſſentialiter connexam cum veritate in cognoſcendo, ſpectat ad objectum formale fidei; & eſt objectum formale, ſaltem partiale. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 1. *artic.* 1. *in* 3. *diſt.* 29. *quæſtion.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & *quæſt.* 34. *art.* 1. *de verit. quæſt.* 14. *art.* 8. *ad* 16. Scotus *in Prolog. quæſt.* 1. §. *Ad quæſtionem igitur in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. unicâ*, & aliis in locis relatis à Maſtrio *in* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 21. Doctores ſubtilem & Angelicum ſequuntur tum Scotiſtæ & Thomiſtæ communiter, tum major pars Recentiorum, ut Suarez *hic diſput.* 3. *ſect.* 4. *num.* 7. Lugus *diſp.* 1. *ſec.* 6. *num.* 79. Amicus *diſput.* 2. *ſec.* 1. *num.* 16. Oviedus *controv.* 2. *punc.* 2. Madernus *quæſt.* 1. *art.* 1. &c. contrà Auctores relatos tum in aſſertis ſuperioribus tum *præced. num.* 13. item contrà aſſerendos infrà *num.* 40.

Divina veritas ſeu auctoritas eſt objectum formale fidei, ſaltem partiale.

Probatur primò ex D. Thomâ, qui licet ſæpè pro fidei objecto ſtatuat veritatem primam nulla facta expreſſa mentione veritatis in dicendo, ideóque nonnulli ipſum intellexerint de veritate in eſſendo; nihilominus ex eo quod *præcit. art.* 8. *ad* 16. ait *teſtimonium veritatis primæ ſe habere in fide ut principium in ſcientiis demonſtrativis*, & *præcit. art.* 2. *ad* 1. habet. *Objectum fidei non eſt veritas prima, ſecundùm quod eſt in re exiſtens tantùm, ſed ſecundum quod eſt nobis divinitus annuntiata*; ſufficientiſſimè deducitur S. Doctorem aliis in locis nomine veritatis primæ intelligere veritatem primam in dicendo, ad quam ſolam ſpectat ferre teſtimonium & annunciari: Connexio etiam hujus veritatis cum veritate in cognoſcendo inſtituatur ab Angelico dum *hic quæſt.* 4. *artic.* 8. *ad* 2. explicat maximam fidei certitudinem per reſpectum ad Deum, qui falli non poteſt; quod eſt idem ac dicere per reſpectum ad primam veritatem in cognoſcendo; totum igitur aſſertum eſt ex mente D. Thomæ & in primam ejus probationem rectè ponitur Angelica auctoritas.

16. Probatur ſecundò, fides eſt virtus intellectualis & theologica; adeóque quâ intelle-

ctualis, poſtulat habere pro objecto formali & ſpecificativo rationem aliquam veri; quâ theologica, rationem aliquam divini, ergo poſtulat pro objecto formali rationem veri divini, ſeu veritatem divinam; atqui non veritatem divinam in eſsendo ut jam probatum eſt, neque præcisè aut directe & principaliter veritatem divinam in cognoſcendo, quia hæc quatenùs ſiſtit in ſuâ lineâ præcisè eſt perfectio omninò abſoluta nec reſpicit perſonas extraneas, quibus ſe manifeſtet, & ſe credibilem, credendamvè proponat; ergo veritatem divinam in divino, perfectam tamen ac eſsentialiter connexam cum veritate in cognoſcendo; quia ſine hac connexione veritas in dicendo non habet omnimodam infallibilitatem, & poteſt admittere locutionem falſam, quamvis non mendacem: Utrùm deindè ex hoc capite veritas in cognoſcendo dicenda ſit in ordine ad fidem pars objecti formalis, an connotatum & conditio? pendet ex modo connexionis ejus cum auctoritate ſeu veritate perfectâ in dicendo, de quâ connexione, utrùm ſit per modum partis, an per modum connotati; jam monui me non curare, & facile eſt cuilibet ſuſtinere quod maluerit: Nobis ſufficiat aſseruiſse & probaſse

Veritas in cognoſcendo eſt reſpectu talis objecti aut conditio aut pars omnino præcipua.

veritatem in cognoſcendo, ſi pars eſt, non conditio tantùm objecti formalis, eſſe partem minùs præcipuam & minùs directè importatam quàm ſit veritas in dicendo: hocque rurſus confirmatur ex ratione genericâ fidei, hæc quippe ex genere ſuo nititur auctoritati & teſtimonio; auctoritas autem & teſtimonium clarius elucet, & principaliùs attenditur penes veritatem in dicendo, quàm penes veritatem in cognoſcendo.

Dices: veritas in dicendo reſolvitur in veritatem in cognoſcendo; ergo iſta non quomodocumque ſe tenet ex parte objecti formalis fidei, ſed eſt ultima & poſtrema ipſius ratio; antecedens probatur quia in Deo quidquid eſt ad aliud reſolvitur in aliquid, quod eſt ad ſe; veritas igitur in dicendo, quæ eſt ad aliud, nimirum ad non fallere alios, debet reſolvi in aliquid ad ſe, ideſt in non falli in ſe, ſeu in veritatem in cognoſcendo. Sed contrà:

18. inſtantia benè procedit de utraque veritate ſumptâ in ratione rei & in eſſendo, non ſic de eadem utraque ſumptâ in ratione objecti fidei, hæc quippe ultimò ſiſtit in veritate perfectâ in dicendo, quæ ſi per impoſſibile perfecta eſse poſset ſine veritate in cognoſcendo haberet eamdem prærogativam formalis objecti, quam habet nunc ut cum veritate in cognoſcendo connexa; in eſſe igitur objecti veritas in dicendo veritatem in cognoſcendo reſpicit connexivè aut connotativè non reſolutivè, quamvis ipſam reſolutive reſpiciat in eſse rei.

Dices aliter probando ex oppoſito veritatem in dicendo ex ſe præcisè & ſine veritate in cognoſcendo ſufficere ad objectum formale fidei, veritas in dicendo ſine veritate in cognoſcendo poteſt eſse omninò infallibilis, hocque dupliciter; quatenus ſupponatur Deum vel poſse falli in ijs dumtaxat, quæ cognoſcit quoad ſe, non in ijs quæ cognoſcit ut dicenda alijs; vel poſse revelare illud dumtaxat quod verum eſt, licèt ipſe non cognoſcat eſse verum. Sed contrà: nego veritatem in dicendo ſine veritate in cognoſcendo poſse eſse omninò infallibilem, & ad hoc rite negandum ſufficit, quod in nulla hypotheſi poſſibili oppoſitum eveniat, ut non evenit in re noſtra, cum utraque, quam inſtantia affert hypotheſis, impoſſibilis ſit: & inſuper in prima hypotheſi aſſignandum eſset undènam Deus ea, quæ cognoſcit quoad ſe, diſcerneret ab iis, quæ cognoſcit ut dicenda alijs. In ſecundâ non poſſet Deus obligare creaturam ad credendum, quia ſi non cognoſcit eſse verum, quod revelat, exponit ſe periculo obligandi creaturam ad credendum falſum; repugnat autem Deo ità obligare. 19.

Veritas in dicendo ſine veritate in cognoſcendo non poteſt eſſe omnino infallibilis.

Ex his explicatum manet & probatum quidquid in aſſerto definitur; ſupereſt tamen definiendum illud, quod ultimis aſſerti particulis indefinitum relinquimus; utrùm ſcilicet ratio formalis objecti reperta in veracitate ſeu auctoritate divinâ totalis ſit, an partialis? Hocque pendet præcipuè ex eo, quod ſtatuatur de revelatione quæ à Deo, & de propoſitione, quæ ab Eccleſiâ fit circà res credendas, ingrediantur ne, an non rationem formalis objecti? Ut primum expediam.

Adverto revelationem dici quaſi veli ſeu velaminis objectum occultantis remotionem; ſicuti autem occultatio, quemadmodum apparet in colore ad potentiam viſivam comparato, fit vel velo afficiente objectum ipſum, ut cum color eſt in loco tenebricoſo, vel velo afficiente potentiam ut cum oculus eſt cæcus, ità revelatio ſeu veli remotio poteſt aut ex parte potentiæ, fieri; quod exemplificando in ſubjectâ materiâ invenio duplex velamen occultans myſteria credibilia alterum eſt improportio, & quaſi cæcitas noſtri intellectus: alterum eſt abſentia & excellentia ipſorum Myſteriorum: Primum velamen ſe tenet ex parte potentiæ & aufertur per infuſionem luminis fidei, quæ infuſio certè eſt manifeſtatio aliqua & revelatio, ſicuti eſt multo magis in patriâ infuſio luminis gloriæ, quam aliqui teſte Suarezio *hic diſp. 3. ſec. 3. num. 7.* vocant revelationem facialem: Secundum velamen ſe tenet ex parte objecti, & aufertur per quidquid ducit in objecti notitiam, ſivè ſit ſpecies intentionalis, ſivè ſit ſignum aut teſtimonium extrinſecum. Unico verbo revelatio in tota ſua latitudine eſt cujuſcumque velaminis remotio, eſt quæcumque manifeſtatio: Strictius tamen, propriéque accepta ſecundùm quod facit ad rem præſentem, eſt manifeſtatio ſe tenens ex parte objecti, & per loquutionem facta, quam Auctores ex Suarezio præmemorati revelationem auricularem vocant. 20.

Revelatio latiſſime accepta quid?

Revelatio facialis quæ?

Revelatio ſtrictius accepta dicta auricularis, quæ?

Hæc revelatio ſtricta & propria conſiſtens in manifeſtatione per loquutionem factâ addit manifeſtationi latiùs dictæ illud, quod importat ex genere ſuo loquutio; importat autem, ut attigimus *tract. 3. lib. 2. cap. 4. n. 44.* ultrà manifeſtationem rei manifeſtationem conceptus in loquente exiſtentis de tali re, voces enim, & alia quælibet ſigna loquutioni 21.

Digitized by Google

ni inſi tvientia, inſtituta ſunt ad manifeſtandas res ut ſubſtantes conceptibus, ſeù ad manifeſtandos ſimul cum rebus conceptus; loquutio igitur quomodocumque fiat conceptum loquentis manifeſtat; nec aliundè illam fidem facit apud audientem; niſi ex eo quod audiens conceptum illi conformem apprehendat in loquente, quem conceptum quia non apprehendimus in verbis prælatis ab amente vel ebrio, talium verborum prælatio non habetur pro verâ loquutione, nec ullam apud nos fidem facit.

22\. Aſcendendo iam ad revelationem divinam, prout fidei Theologicæ inſervit, dicamus illam ſitam eſſe in divinâ loquutione manifeſtante res credendas ut ſubſtantes conceptui ac cognitioni Dei, & poſſe illam multipliciter fieri, ſicut poteſt Deus multipliciter loqui iuxtà illud Hebr. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens*, &c. Poteſt ſcilicèt loqui vel ſpiritualiter, vel ſenſibiliter; vel immediatè, vel mediatè: loquitur ſpiritualiter, ſi loquatur aut per ſigna ſpiritualia, aut ſine ullis ſignis (eo ferè modo quo de Angelis dictum eſt) præcisè ordinando ad alterium proprios conceptus, quorum ſpecies alienæ licèt & abſtractivæ ſupponantur in alterius intellectu præexiſtentes: loquitur ſenſibiliter, ſi per ſigna ſenſibilia, ſivè hæc ſint verba, ſivè ſcripta, ſivè opera mirabilia, quibus haberi quamdam Dei loquutionem expreſsè tradidit Auguſtinus *epiſt* 49. *quæſt*. 6. dicens *Deus mirabilibus operibus loquitur*, & inſinuavit Apoſtolus Heb. 2. *Conteſtante Deo ſignis & portentis*: loquitur immediatè, ſi loquatur aut ſine ſignis ordinando præcisè ſuos conceptus, &c. aut ſignis à ſe immediatè productis puta vocibus formatis in corpore ſivè ſibi hypoſtaticè unito, quomodo plura de facto Verbum Divinum immediatè revelavit Apoſtolis loquendo cum ipſis in carne mortali, ſivè per unionem non hypoſtaticam aſſumpto, quomodo nullam adhuc fuiſſe factam immediatam Dei locutionem infertur ex eo quod *tract*. 3. *lib*. 1. *cap*. 4. *n*. 9. probabilius cenſuimus nullum umquam corpus fuiſſe à Deo immediatè aſſumptum: loquitur mediatè ſi per Angelos propriam Perſonam repræſentantes ſigna format, vel mediatiùs per homines Dei nomine loquentes, quâ ratione Deus loquitur per os alienum, *ſicut locutus eſt per os Sanctorum* Luc. 1. *Sicut prædixit Spiritus Sanctus per os David*. Act. 1. His pro terminorum prænotione poſitis, ſit

Deus pluribus modis loquitur.

§. III.

Vtrùm divina revelatio ſpectet ad objectum formale fidei?

23\. **A**SSERT. Divina revelatio propriè ſtrictéque ſumpta pro manifeſtatione objecti facta per loquutionem ſpectat ad objectum, formale fidei. In hoc aſſertum ſub his terminis univerſalibus & abſtrahentibus à modo quo revelatio ad objectum formale ſpectet, conſluunt unanimiter Theologi omnes, diviſi deindè inter ſe circa modum, de quo infrà; interim aſſertum ſic univerſaliter poſitum facilè,

Divina revelatio ſtrictè ſumpta ſpectat ad formale objectum fidei.

Probatur, quia fides ex genere ſuo nititur teſtimonio, ſeu teſtificatione ſui objecti ab aliquo facta, & teſtificatio per locutionem habetur; fides igitur divina requirit ex parte ſui objecti teſtificationem, locutionemque divinam. Confirmatur expreſſis verbis ſcripturæ. Rom. 10. *fides ex auditu; auditus per verbum Chriſti*, auditus autem eſt correlativus ad locutionem clarè etiam inſinuatam in ly (per verbum Chriſti) 1. *Io*. 5. pro ratione credendi affertur Dei teſtimonium ſeù locutio: *Spiritus eſt qui teſtificatur*, & paulò infrà arguendo à minori ad majus ſubditur: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*; quaſi dicatur ſi teſtimonio humano movemur ad credendum, multo magis debemus ad credendum moveri teſtimonio divino; illo quidem ad credendum fide humanâ, iſto ad credendum fide divinâ. 1. *Theſſal*. 2. habetur verbum Dei externum operari in ordine ad fidem. *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei qui operatur in vobis, qui credidiſtis*. Tandem *Matth*. 16. commendatur à Chriſto Domino fides Petri eo quod habita ex divina revelatione, *Quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt*. A primo igitur ad ultimum negari nequit, quin revelatio ex parte objecti requiratur ad omnem actum fidei, adeoque quin ſe teneat ex parte objecti formalis.

24\. Circa modum, circa quem jam monui diviſos eſſe Theologos, invenio duas ſententias extremas, unam mediam: Ex ſententiis extremis prima docet revelationem eſſe ex ſe ſufficiens & adæquatum objectum formale fidei, ità Pôrius *hic diſp*. 27. *quæſt*. 2. *n*. 7. cum nonnullis aliis, qui impugnantur ex dictis §. *præced*. Secunda docet revelationem nullatenùs ingredi conſtitutionem objecti formalis, ſed ſe habere, ut puram conditionem: Ita Maſtrius *in* 3. *diſp*. 6. *num*. 56. Smiſing. *Proëm. quæſt*. 2. *n*. 60. Hetinex *hic diſp*. 2. *n*. 22. cæterique Scotiſtæ ferè omnes. Sententia inter has extremas media docet revelationem nec eſſe puram conditionem, nec totum objectum; ſed hujus conſtitutionem ingredi tamquam partem, & eſſe objectum formale partiale. Ita Thomiſtæ communiter quatenùs pro objecto formali abſolutè aſſignant veritatem primam ut revelantem & magis in terminis Amicus *hic diſp*. 2. *ſect* 2. Lugus *diſp*. 1. *ſect*. 6. Suarez *diſp*. 3. *ſect*. 2. Arriaga *diſp*. 2 *ſect*. 1. Eſparza *lib*. 6. *q*. 15. Madernus *quæſt*. 1. *art*. 2. & major recentiorum pars cum aliquo inter ſe diſſidio in explicando, nam Suarez *præcit ſect*. 2. *num*. 4. vult divinam atteſtationem ſeu revelationem conſtituere objectum formale fidei, ſolùm tamquam unionem primæ veritatis ad objectum materiale, quâ ratione valdè in re accedit ad Scotiſtas, Eſparza *præcit. q*. 15. *art*. 11. vult revelationem divinam ſecundùm illud, quod dicit in tempore ad extrà, eſſe purum obliquum objecti formalis; è contrà Gabriel à S. Vincentio *diſp* 1. *dub*. 3. *n*. 42. facit revelationem ſe habere ut

Quomodò ad tale objectum ſpectet variæ opiniones.

25. *Cauſæ cum conditione facilis confuſio.* obliquum & connotatum ſecundùm illud, quod dicit Deo intrinſecum & ad intrà. Verùm hæc & ſimilia ſpectantia ad modum loquendi facilè deſinunt in quæſtionem de nomine; imò in hanc quoque deſinere poteſt principalis quoad rem præſentem controverſia propter occaſionem æquivocationis, quam præbet confuſio conditionis cum causâ, parùm explorata ſignificatio utriuſque, & valdè occulta differentia unius ab alia, ut enim obſervat Eſparza *q.14.art.3.* prædicatum, quod eſt notiſſimum in causâ, nimirum neceſſitas ipſius ad effectum & dependentia effectus ab ipsâ, commune eſt conditioni ſine quâ non; facilis autem eſt æquivocatio, & difficilis diſcretio inter ea, quæ conveniunt in prædicatis notiſſimis ac magis obviis: Subdit nihilominùs notabiliter differre cauſam à conditione, potiſſimum penes duo.

26. *Cauſæ a conditione duplex diſcrimen notabile.* Primum eſt, quòd cauſa requiratur ad effectum ratione ſui, conditio ratione alterius. Secundum, quòd cauſa formaliter aut æquivalenter contineat aliquod prædicatum effectus, ratione cujus propterea eſſe ſit illius participatio; conditio verò nullatenùs ſit contentiva ullius prædicati ullìuſve perfectionis effectus, nec iſte aliquid ſui à conditione participet, ſed ab hoc dependeat ſolùm in ordine ad recipiendum ſeu participandum eſſe ab aliquo alio habente rationem cauſæ: Hoc ſecundum diſcrimen, cujus jam meminimus *tract. 2. lib. 1 c. 3. n. 49.* magis arridet, quia eſt magis abſolutum, & primarium utpotè alterius diſcriminis præællati fundamentum ac radix. His breviter delibatis ſit.

27. *Divina revelatio eſt pars, non pura conditio, objecti formalis fidei.* Assert. 2. Divina revelatio propriè ſtrictéque ſumpta ſpectat ad objectum formale fidei ut pars ipſius, non ut pura conditio. Ità *ex præced num. 24.* Thomiſtæ, & Recentiores magis communiter contrà Scotiſtas, alioſque paucos.

Probatur primò auctoritatibus *præcedent. num. 23.* adductis aliiſque ſimilibus, quibus fides in ſcripturâ explicatur per ordinem ad revelationem teſtimonium, & verbum Dei; ſi autem hæc eſſent pura conditio, modus ille loquendi eſſet imperfectus ac valdè improprius; quod non eſt dicendum ſine urgenti neceſſitate, quæ tamen nulla eſt in præſenti; imò eſt neceſſitas oppoſiti, ut in ſequentibus probabitur; ergo.

Probatur ſecundò: Illud eſt pars objecti formalis, non conditio, reſpectu fidei, quod ut motivum partiale cauſat & ſpecificat aſſenſum fidei. Sed divina revelatio ità ſe habet; ergo eſt pars objecti formalis non conditio; major patet; minor probatur primò, quia Dei veracitas & revelatio ſunt duo principia objectiva, & quaſi duæ præmiſſæ, ex quibus infertur aſſenſus fidei, nam neque ex eo præcisè quòd Deus ſit ſummè verax, neque ex eo dumtaxat quòd Deus revelaverit, infertur aſſentiendum eſſe Myſterio Incarnationis v. g.

28. ſed ex utroque: Secundò quia illud eſt partiale motivum cauſans & ſpecificans aſſenſum fidei, in quo reperitur aliquod prædicatum ſeu aliqua formalitas exiſtens in aſſenſu fidei; ut patet ex ſuprà allato diſcrimine inter conditionem & cauſam; reperitur autem aliquod hujuſmodi in revelatione, reperitur ſcilicèt obſcuritas, quam verè eſſentialiter habet & à revelatione habet aſſenſus fidei: Tertiò, quia revelatio non ſolùm applicat, & intentionaliter approximat divinam veritatem intellectui, ut illa poſſit iſtum objectivè movere ad aſſenſum infallibilem; verùm etiam addit divinæ veracitati ſpecialem virtutem movendi ad talem aſſenſum, addit ſcilicet ſuâ infallibilem certitudinem, quam habet ut locutio externa Dei directa & imperata ab ipſomet Deo; ergo revelatio omninò eſt objectum partialiter movens, non puta conditio objecti moventis applicativa: Maſtrius acutus alioqui, & legitimus Scotiſta huic poſtremæ rationi aliqualiter cedit, *& præcit. diſp. 6. num. 72.* agnoſcit tandem in revelatione rationem aliquam formalem motivam, licèt minùs primatiam, & minùs gratiâ ſui, quàm in veracitate.

29. *Occurritur Achilli & paritati adverſariorum.* Ex his optimè conſtat quomodò revelatio non ſe habeat præcisè ut applicatio primæ veritatis ad intellectum & objectum credendû; quomodò per conſequens illa non ſe habeat reſpectu intellectus, ſicut ſe habet cognitio boni reſpectu voluntatis, aut approximatio calefactivi reſpectu calefactibilis: Enim verò nec cognitio bono, nec approximatio calefactivo addit virtutem aliquam motivam & cauſativam; item nec cognitio prædicatum exiſtens in actu voluntatis, nec approximatio prædicatum exiſtens in effectu calefactivi continet; cum tamen ex adverſo ut mox probatum eſt revelatio & addat virtutem aliquam motivam primæ veritati, & contineat prædicatum aliquod exiſtens in actu fidei; quamvis igitur in datis caſibus tum cognitio tum approximatio ſit pura conditio, non ſic revelatio eſt pura conditio in caſu noſtro; adeoque funditus corruit adverſariorum paritas.

Dices. quidquid ſit de hac paritate, aliunde oſtenditur revelationem in caſu noſtro eſſe puram conditionem, non partiale motivum; oſtenditur ſcilicèt primò, quia objectum formale motivum utpotè quod eſt quaſi forma objecti materialis, debet eſſe intrinſecum objecto materiali & immutativum ipſius; atqui revelatio neque eſt intrinſeca objectis materialibus fidei, neque ipſorum immutativa; ergo: Secundò, quia revelatio Dei ſumitur vel ſecundum illud, quod dicit ad intrà, & hac ratione importat conceptum divinæ mentis, vel ſecundùm illud quod dicit ad extrà, quâ ratione importat ſigna à Deo producta aut etiam immediatam excitationem alicujus ſpeciei in noſtro intellectu exiſtentis; atqui neutro ex his modis revelatio eſt formale objectum fidei; non primo, quia ad fidem ſpectat revelatio prout eſt locutio facta nobis, per proprium autem conceptum præcisè Deus ſibi non nobis loquitur: non ſecundo, quia objectum formale virtutis Theologicæ, qualis eſt fides, debet eſſe quid increatum & divinum, tale autem non eſt aliquid ad extrà. Tertiò, quia ſine revelatione haberetur aſſenſus fidei, ſi ſine ipſa poſſet divina veracitas applicari objecto materiali, ſicuti ſi aliundè, puta ex manifeſta-

tione

Digitized by Google

tione Angeli, mihi innoteſcat Petrum velle mihi rem aliquam dicere poſſum tali rei aſſentiri fide humana & ob Petri auctoritatem, ſine ulla humana Petri atteſtatione aut locutione mihi facta. Sed contrà.

30. Ad primum dico revelationem divinam eſſe intrinſecam objecto materiali fidei & immutativam ipſius moraliter & in eſſe objecti, quamvis non phyſicè & in eſſe rei, nec quidquam ampliùs requiritur pro re præſenti, pro qua retorqueri poteſt inſtantia in divina veritate, quæ non magis quàm divina revelatio aut intrinſecè afficit, aut immutat materialia objecta fidei.

31. Virtus Theologica non requirit objectum formale adæquatè divinum.

Ad ſecundum dico non eſſe neceſſe, quòd totum & totale objectum virtutis Theologicæ increatum divinumque ſit, & revelationem quatenùs eſt aliquid creatum ſpecificare actum fidei, ut eſt actus certus & obſcurus, non ut eſt actus Theologicus; imò ſi vis illum ad hanc formalitatem ſe habere ut puram conditionem, non diſſentio, rectè enim obſervat Eſparza *præcit. quæſt.* 14. *art.*7. quod eſt cauſa reſpectu effectus ſecundum unam formalitatem poſſe eſſe puram conditionem reſpectu ejuſdem ſecundùm aliam formalitatem. Addo per conceptum divinæ mentis abſolutè acceptum Deum ſibi loqui, per eumdem ad nos relatum ſeù ordinatum loqui nobis, adeóque revelationem etiam ſecundùm illud, quod dicit ad intrà, ſpectante ad fidem, & deficere in utraque ſui parte argumentum.

32. Ad tertium dico veracitatem divinam ſine revelatione applicatam ad objectum fidei materiale non fore ſufficiẽtem ad fidei aſſenſum, quia ex vi veracitatis aliter, quàm per revelationem applicatæ, non poſſet haberi aſſenſus cum eâ obſcuritate, & cum eâ totâ certitudine, quâ habetur nunc; pro quo ſufficit recolere rationes poſitas *præced. n.* 28. Illud quod additur de fide humanâ falſum eſt, & repugnat humana fides ſine omni humano teſtimonio.

Si quid aliud alicujus momenti poteſt hic urgeri ſpectat ad modum, quo revelatio à nobis ſufficienter cognoſcatur, & militat contrà veracitatem æquè ac contrà revelationem; objectum enim formale & motivum alicujus actus intellectus non poteſt eſſe ſecundùm ullam ſui partem incognitum: Diſcutietur autem ex profeſſo hæc difficultas quoad veracitatem & revelationem ſimul infrà §. 6. Interim.

33. Revelatio altera pro objecto fidei eſt revelatio adæquatè accepta; activa tamen, non paſſiva.

Ex dictis habetur ponendam eſſe pro objecto formali fidei revelationem propriè dictam adæquatè & ſecundùm ſe totam; nimirum ſecundùm illud, quod dicit tùm intrà, tùm extrà Deum; tùm de increato, tùm de creato; dummodò tamen talis revelatio ſumatur activè & ex parte objecti; nam ſi ſumatur paſſivè prout dicit auditionem & applicationem potentiæ intellectivæ ad rem credibilem, ſe tenet ex parte potentiæ, adeóque non ingreditur rationem formalem objecti: Multo minus hanc rationem formalem ingreditur revelatio paſſiva prout dicit receptionem luminis infuſi & paſſivam intellectus illuminationem, quæ quidem ab objecto formali deficit non ſolùm quia ſe tenet ex parte potentiæ, verùm etiam, quia eſt revelatio impropria facta ſine locutione, pro quo recolantur ſupradicta *num.* 3. & 20. & videatur Madernus *hic quæſt.* 1. *art.* 2. *n.* 6. contrà Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 1. *dub.* 3. *n.* 42. & 48. Neque revelationi paſſivæ priore modo acceptæ favet illud Apoſtoli Rom. 10. *fides ex auditu*, nam his verbis explicatur fides ex parte potentiæ, unde etiam ut explicetur ſimul ex parte objecti, ſubditur illicò *Auditus autem per verbum Chriſti.*

§. IV.

Vtrùm Eccleſiæ propoſitio ſpectet ad objectum formale fides?

34. Eccleſiæ propoſitio ſpectat ad formale objectum fidei.

ASSERT. 1. Eccleſiæ propoſitio de lege ordinaria ſpectat ad objectum formale fidei. Hoc aſſertum ſic univerſaliter poſitum eſt Catholicum dogma contrà Sectarios nullam agnoſcentes Eccleſiæ propoſitionem, nec aliud quidquam ad fidem requirentes præter ſacram ſcripturam, & privatum ſpiritum internum, aut cujuſlibet aut ſaltem ejus quem conſtet habere interpretationis donum, hunc errorem tradiderunt Lutherus, Calvinus, Melanchton, Brentius, &c. apud Bellarm. *contron.* 1. *lib.* 3. *c.* 3.

Probatur: Illud ſpectat ad objectum formale fidei, ſine quo iſtud non poteſt objecto materiali applicari & intellectum movere ad aſſenſum; atqui Eccleſiæ propoſitio de lege ordinaria ità ſe habet ad objectum formale fidei; ergo Eccleſiæ propoſitio, &c. Major patet, Minor in quâ ſicut & in aſſerto appoſui ly *de lege ordinaria* propter doctrinam circa revelationes privatas infrà afferendam *c.* 3. *n.* 70. minor, inquam, probatur, quia ex una parte certum eſt objectum formale fidei, ut applicetur materiali & intellectum moveat, indigere aliqua ſui propoſitione, cum intellectus nec moveatur ab objecto ſine ipſius cognitione nec objectum cognoſcat ſine ejuſdem propoſitione: ex aliâ parte non quæcumque objecti formalis propoſitio & ad materiale applicatio inducere poteſt aſſenſum fidei, ſed ea ſola quæ cauſat judicium evidentis credibilitatis; talis autem eſt de lege ordinariâ ſola propoſitio Eccleſiæ, utpotè quæ ſola ſecum fert ſigna & motiva evidentis credibilitatis de lege ordinariâ ex dicendis *c.* 4. §. 4. Interim confirmatur

35. Eccleſiæ propoſitionis ab Eccleſiæ aſſeveratione diſcrimen.

aſſertum: Propoſitio Eccleſiæ verſatur immediatè & directè circà objectum formale fidei; ergo ad ipſū ſpectat, probatur antecedens quia propoſitio Eccleſiæ habet pro objecto immediato & directo revelationem ut cadentem ſuprà veritatem & ut ſimul cum veracitate, quam revelatio iſta applicat, tribuente veritati rationem formalem credibilis fide divinâ, quod magis explicat Valentia *diſp.* 1. *q.* 1. *punc.* 1. § *requiri quoque*, ubi Eccleſiæ aſſeverationem à propoſitione diſtinguit in eo, quod aſſeveratio habeat pro objecto veritatem, propoſitio revelationem; iſta aſſerat de fidei veritate revelationem, illa aſſerat ipſam fidei veritatem, ſivè deinde hanc aſſerat ut novam quod de facto non evenit, ſivè ut antiquam, erutam

tamen

Digitized by Google

tamen ab oblivione errorumvè caligine, quâ eſſet obvoluta juxtà doctrinam inſinuatam à nobis *cap preced. num.* 14. & à Valentia *præcit. quæſtion.* 1. *punc.* 6. *in reſp. ad* 1. *objectionem.*

36. Suppoſitâ neceſſitate propoſitionis Eccleſiæ ad credendum, cjuſque pertinentia ad objectum formale fidei, egrè poſſumus definire talis neceſſitatis & pertinentiæ modum, quin nonnulla prælibemus de Eccleſia, & Eccleſiæ auctoritate in iis, quæ ad fidem ſpectant Ideò.

Quid Eccleſia in tota ſua latitudine?

Adverto primò Eccleſiam ex Græco idem eſſe, quod evocatio ſive cætus vocatorum, & in tota ſua latitudine complecti multitudinem eorum omnium, quos beneficio vocationis divinæ verus Dei cultus, & vera Dei cognitio divinitùs indita quomodocumque conjungit: Eccleſia in hac latitudine varias ſubit diviſiones, varios ſtatus, ut videre eſt apud Va-

37. lentiam *hic diſp.*1.*q.*1.*punc.*7.§.14.& Gonetum *diſp.*3.*art.*1.§.1. ad rē tamen præſentem ſpectat ſolùm Eccleſia militāns ſub ſtatu, quem in lege evangelica accepit à Chriſto Domino, & rectè definitur ex Banne *hic art.*10. ſocietas viſibilis fidelium baptizatorū ſub uno Capite Chriſto in Cælis & Vicario ejus in terris inter ſe eodem cultu communicantium. Societas hæc ſeu cætus optimè, ſibi vindicat evocationis nomen, tum quia omnes ad ſe vocat, tum quia nemo ei ſe adjungit ex ſe & ex proprio inſtinctu, ſed omnes debent a Deo vocari divinaque vocatione præveniri. Sumendo deindè continens pro contento tranſlatum eſt Eccleſiæ nomen ad ſignificandum locum, in quo fideles prædicti congregantur, qua ratione habetur Iudith 6. *totam noctem intrà Eccleſiam oraverunt*: cum aliquo verò adjuncto aliquando uſurpatur etiam in malam partem, ut Pſal. 25. *Odivi Eccleſiam malignantium.* Verum hæc non faciunt ad noſtrum inſtitutum.

Quid Eccleſia militans ſub lege evangelica?

38. Adverto ſecundò duplicem auctoritatem poſſe in Eccleſiâ conſiderari, alteram fundatam in conſenſione virorum illuſtrium, pietate doctrināque pollentium, & miraculis, prodigijs, ſanguinis effuſione comprobantium, quod teſtantur; alteram fundatam in peculiari aſſiſtentiâ Spiritus ſancti Eccleſiam regentis & gubernantis, ne poſſit in rebus fidei errare. Prima auctoritas humana eſt, licet in tali genere ſumma & habens omnem infallibilitatem excogitabilem in quavis auctoritate creatâ; Secunda auctoritas eſt divina; licet per inſtrumentum, organumque creatum ac humanum ad nos deducta, Prima reſidet in plurium cœtu, non in aliquâ ſingulari perſonâ, & deſcribitur ab Auguſtino *lib. contrà epiſt. fundament. cap.* 4. enumerante ea, quibus in Eccleſiâ tenebatur, ideſt *ſapientiam Doctorum, conſenſionem populorum, vim miraculorum, antiquitatem, perpetuam ſucceſſionem*, &c. Secunda inſinuatur 1. *ad Timoth.* 3. dum Ec-

Auctoritas in Eccleſia duplex.

39. cleſia dicitur *eſſe columna & firmamentum veritatis*, eademque promiſſa fuit à Chriſto *Matth.* 16. dicente *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: Reſidet autem in ſummo Pontifice non ut privatâ perſonâ, ſed ut univerſali Eccleſiæ Paſtore docente ex cathedrâ & obligante fideles ad credendum quæ docet, reſidet, inquam, in ipſo non executivè duntaxat & per facultatem à Concilio demādatam nec ſolùm cōjunctim cū aliquo generali Concilio, ſed per ſe & ſeorſim; adeò ut è contra Concilia ipſa ſeorſim à Romano Pontifice, & independenter à Pontificiâ confirmatione, nullam habeāt infallibilitatem divinæ auctoritatis ex ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentiâ derivatam. Ratio univerſalis eſt, quia non primariis Paſtoribus in Concilio congregatis, non ulli fidelium cætui; ſed ſoli Petro & in Perſonâ Petri ejus Succeſſoribus dictum eſt à Chriſto Domino Matth. 16. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā & tibi dabo claves.* Jo. 21. *Paſce oves meas.* Luc. 22. *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hinc primatus Petri ſuprà omnes Apoſtolos: Superioritas Romani Pontificis ad Concilia: Infallibilis & ſuprema ejuſdem auctoritas in definiendis rebus fidei: Quidquid hiſce etiam temporibus in favorem Conciliorum Generalium contrà opinentur, in Galliis præſertim, aliqui Doctores, communiter gravi cenſurâ notati apud Recentiores Theologos, qui diſputationem hanc polemicam & Controverſiſtarum propriam ſcholaſticis quæſtionibus intermiſcent. Præſtant id autem luculenter inter Auctores, quos nunc evolvo Suarez *diſp.* 5. & 9. Valentia *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 7. *à* §. 27. *ad* 46. Amicus *diſp* 6. 7. & 8. & Arriaga *diſp.* 7. 8. & 9. Malderus *qu.* 1. *art.* 10. per tres tractatus Joannes à S. Thomâ *eod. art.* 10. per tres diſputationes Gonetus *diſp.* 3. 4. & 5. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 1. *à dub.* 26. *ad* 30. Herinex *diſp.* 5. & 6. Apud iſtos facilè inveniet ſtudioſus ac curioſus lector quidquid de Eccleſiâ, Pontifice, Concilijs, quoad dignitatem, ſuperioritatem, auctoritatem optaverit, nobis poſt prælibata ea, quæ præſentis ſunt inſtituti, ſufficiat indicaſſe undè poſſint reliqua hauriri; & redeundo ad rem noſtram, ſit

Pontifex Romanus habet per ſe & ſeorſim à Concilijs auctoritatē definiendi res fidei ex peculiari aſſiſtentia Spiritus ſancti.

Aſſert. 2. Propoſitio Eccleſiæ ſpectat ad objectum formale fidei, non ut pars talis objecti conſtitutiva, ſed ut peculiaris modus applicationis ipſius & conditio ex lege ordinariâ Dei, non ex naturâ rei neceſſaria. Ità in primis illi omnes Theologi, qui in aſſignando formali objecto fidei nullam mentionem faciunt propoſitionis Eccleſiæ, clariùs deindè & in terminis Suarez *hic diſp.* 3. *ſec.* 10. *num.* 8. Amicus *diſp.* 3. *ſec.* 2. *num.* 18. Arriaga *diſp.* 3. *ſec.* 4. Eſparza *lib.* 6 *quæſt.* 16. *art.* 2. & *ad* 1. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 2. §. 2. Madernus *quæſt.* 1. *art.* 3. &c. contrà Medinam *lib.* 5. *de rectâ in Deum fide*, Ajalam *de Tradit. par.* 2. *cap.* 1. Durandum *in* 3. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *num.* 16. alioſque nonnullos, quibus favet inter Recentiores Lugus *diſp.* 1. *ſec.* 7. *num.* 131. 40.

Eccleſiæ propoſitio ad formale fidei objectum ſe habet ut conditio.

Probatur: Actus fidei non poteſt partialiter reſolvi in auctoritatem Eccleſiæ, tanquàm in rationem formalem, & motivum credendi; ergo propoſitio Eccleſiæ non ſpectat ad objectum formale fidei, ut pars conſtitutiva conſequentia patet intelligenti terminos, antecedens probatur, Eccleſiæ auctoritas *ex præced. num.* 38. alia eſt humana, alia

divina,

Digitized by Google

divina; atqui in neutram poteſt partialiter reſolvi actus fidei: Non in humanam, quia Apoſtolus 1. *Cor* 2. ait *Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei*, & Christus *Matth.* 16. dixit Petro *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus*: in quibus & ſimilibus teſtimoniis Eſparza *præcit. quæſt.* 56 *art.* 4. egregiè expendit malignitatem particulæ negativæ *Non* & efficacitatem particulæ adverſativæ *ſed*: hiſce auctoritatibus accedit validiſſima ratio deſumpta ex maxima certitudine fidei habente eſſentialem repugnantiam cum qualibet formidine, tanta autem certitudo nequit etiam partialiter reſolvi in auctoritatem humanam, quæ quantacumque tandem ſit nequit inducere certitudinem majorem morali, cum hac autem non repugnat eſſentialiter omnis formido.

Et neque humana Eccleſiæ auctoritas.

Non poteſt item actus fidei reſolvi in Eccleſiæ auctoritatem divinam, quia hæc auctoritas nihil eſt aliud, quàm peculiaris aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa & ſemper parata ſūmo Pontifici loquenti ex cathedrâ; atqui in hanc non reſolvitur actus fidei primò, quia eſt res credita, non motivum credendi; Secundò quia ſine tali auctoritate habetur propoſitio Eccleſiæ ſufficiens ad credendum, ſumendo propoſitionem rigoroſè prout ab aſſeveratione contra diſtinguitur *ex præced. num.* 35. Eccleſia enim ſine ſummo Pontifice licèt nequeat definire res fidei controverſas, optimè poteſt proponere & obligare ad credendum res fidei, de quibus nullum eſt in Eccleſia tota diſſidium, nulla controverſia; Tertio quia talis auctoritas eſt Eccleſiæ extrinſeca, utpotè conſiſtens in extrinſeca aſſiſtentia, ad eam Eccleſia ſe habet ut organum Spiritus Sancti, & inſtrumentum motum à Deo principali agēte, minùs propriè igitur denominatur auctoritas Eccleſiæ, & quando in eam fieret aliqua reſolutio, hæc meliùs diceretur facta in auctoritatem Dei, qui aſſiſtentiam præbet & eſt cauſa principalis, quàm in auctoritatem Eccleſiæ, quæ aſſiſtentiam ſuſcipit & eſt cauſa inſtrumentalis.

42. Neque divina eſt pars objecti formalis.

43. Ex eo quod hucuſque probavimus Eccleſiæ propoſitionem ſpectare ad formale objectum fidei, & non tamquam partem conſtitutivam, conſequens eſt ſe habere tamquam conditionem, ſicut expreſsè tradidimus in poſtremis ſuperioris aſſerti particulis, in quibus additum eſt ſe habere tamquam conditionem ex lege ordinaria Dei, non ex natura rei neceſſariam, quia Deus, licèt ſecundum præſentem providentiam nec aliquid de novo revelet, nec ullam revelationem præteritam ex ſe immediatè proponat, poteſt tamen orrumlibet ex his præſtare, & vix dubitabile eſt, quin id olim præſtiterit reſpectu quorumdam inſigniorum Prophetarum, multoque magis reſpectu primi Angeli, primorumque Parentum; in his enim cum fides extiterit nondum exiſtente Eccleſia, utique illa extitit independenter ab iſtius propoſitione, & ratio à priori eſt, quia hæc requiritur ſolùm ut applicatio divinæ revelationis, talis autem applicatio poteſt aliter fieri, quàm per Eccleſiæ miniſterium. Sit igitur Eccleſiæ propoſitio ad credendum neceſſaria ex lege Dei, non ex natura rei, ſit conditio cum quâ, non ſine quâ, cum quâ ſcilicèt de facto credimus, non ſine quâ credere non poſſumus. Ex quo obiter manet a fortiori confirmatum, quod non ingrediatur conſtitutionem formalis objecti, cum enim objectum formale ſit objectum ſpecificativum & eſſentiale, utique nequit illius conſtitutionem ingredi aliquid non requiſitum ex natura rei.

Se habet, inquam ut cōditio cum quâ, non ſine quâ.

Dices hæc malè cohærere verbis Auguſt. *lib. contra epiſtolam fundamenti c.* 5. dicentis *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ auctoritas commoveret* ly *enim non crederem niſi*, evincit in Eccleſiæ auctoritate ad minus rationem conditionis ſine quâ non, & requiſitę ex natura rei. Sed contra: Auguſtinus loquitur ſecundùm præſentem providentiam, ſecundùm quā non ſuppetit modus ullus credendi ſine Eccleſiæ propoſitione, & certè cum ipſe circà Evangelium non haberet, aut revelationem privatam, aut alium credendi modum, meritò proteſtatur, quòd non crederet niſi, &c. retractaret verò hanc proteſtationem, & aliter loqueretur, ſi in ſe experiretur privatam de Evangelio revelationem, aliumvè credendi modum. Cæterum quòd ſaltem Auguſtinus non agnoſcat in auctoritate Eccleſiæ rationem motivam, in quam propriam fidem reſolvat evincitur ex aliis ejuſdem verbis *lib.* 1. *contra Creſconium c.* 3. ubi ait ſe Eccleſiæ credere, quia Scriptura eam demonſtrat. 44.

Hactenùs de propoſitione Eccleſiæ ultimatâ & remotâ, quæ ſcilicèt habeat pro proponēte aut ſummum Pontificē ex cathedra loquentem, aut omnium pluriumvè ſaltem, cumque gravium fidelium, cætum: Præter hanc datur propoſitio immediata & proxima habens pro proponente peculiarem aliquem Eccleſiæ miniſtrum, puta, Parochum, Prædicatorem, Theologiæ Doctorem: Quæ verò pro pertinentia ad objectum formale fidei per modum conditionis, non partialis cōſtitutivi dicta ſunt de priore propoſitione, à fortiori procedunt de poſteriore, cujus infallibilitas minor eſt, & in auctoritatem proponentis remoti reſolvitur. Sciſcitāti deindè, quænam requirantur, ut propoſitio immediata & proxima, facta à particulari Eccleſiæ Miniſtro, cenſeatur ſufficiens ad credendum & ad inducendam credendi obligationē: dicito requiri quod talis propoſitio ſit condecorata motivis & conveſtita circūſtantiis reddentibus evidenter credibilem rem propoſitā, de quibus quidem motivis & circumſtantiis agetur infrà *c.* 4. *§.* 4. Interim alia nonnulla minoris momenti circà proponentem proximum videri poſſunt apud Amicum *hic diſp.* 4.

45. Propoſitio rerum fidei alia proxima, alia remota.

§. V.

In quonam tandem unicè conſiſtat objectum formale fidei?

Assert. Objectū formale fidei unicè cōſiſtit in divinâ veracitate & divinâ revela- 46.

tione;ſumendo illam ot connexam cum veritate in cognoſcendo,iſtam ut factam eum loquut ione. Eſt aſſertum conſequens ad hucuſque dicta, ex quibus etiam facile eſt recolere, quoſnam Patronos habeat, quos Adverſarios?

Veracitas & revelatio unicè ac adæquatè conſtituunt objectum formale fidei.

Probatur; divina veracitas ae divina revelatio,& præter hane utramque nihil aliud, ingreditur conſtitutionem formalis objecti fidei;ergo iſtud uoicè conſiſtit,&c.anteeedens quoad primam pattem habetur ex §.§.2.& 3. quoad ſecuodam infertur ex §.§.1.& 4. iu quibus improbatur quidquid aliud à varijs variè eum aliqua probabilitatis ſpecie excogitatum eſt conſtitutionem illam ingredi; ergo.

Dices objectum formale debere eſſe quid ſimplex,nec poſſe ex plutibus coaleſcere,præſertim verò non ex divinâ veracitate & revelatione primò, quæ ſunt duæ tationes diſparatæ, una increata,alia creata: Secundò quia non in uttamque ultimò reſolvitur; aſſenſus enim, qui præſtatur divinæ revelationi, præſtatur propter divinam veracitatem, bæe igitur ſola eſt tatio ultima in quam tota fides reſolvitur: Tert ò quia non utraque ſpectat in recto ad motiuum credendi, in boc enim toto, *veracitas revelans*, revelatio exprimitue ſecundariò, per modum adjacentis & obliqui,ſola veracitas primariò, per modum per ſe ſtantis & recti. Sed contrà: Objectum

47. formale,quàmvis ut plurimum quod ſimplex ſit, ex genere tamen ſuo præſcindit à ſimplici & eomplexo, & poteſt ex pluribus coaleſcere; ſpecialitee veiò ex Dei vetaeitate & revelatiooe. Ad primam iiopugnationem dieo eſſe duas rationes diſparatas in eſſe eutitativo & abſoluto, non in eſſe motivo & relato ad fidem; quo ſecundo modo poſſunt eſſe nou diſparatæ etiam ratio increata & ratio creata; quod in te revelatio non tàm eſt quid ereatum, quàm qoid increatum *ex praced. nu.* 33. Ad ſecundam dieo aſſenſum, qui præſtatur divinæ revelationi, prout hæe eſſe poteſt objectum materiale fidei & ees credita, præſtari propter divinam veracitatem; non ſie aſſenſum,qui præſtatur eidem ut exercenti partialem rationem formalis objecti, quomodò autem revelatio ſic ſpectata cognoſcatur? *ſeq.*§. deſioietur. Ad tertiam dieo continere formam arguendi valdè infirmain,ut potè pe-

In eſſe motivo & relato ad fidem non ſunt duæ rationes diſparatæ.

48. titam à grammaticali & aebitrariâ coostructione verborum; & objectum formale fidei explicari poteſt per boc totum *revelatio verax* æquè ac per illud *veracitas revelans*; ſicq; codẽ modo,quo inferebatur importariin obliquo revelationẽ,inferri pariter poſset importaii in obliquo veracitatem:Deindè,quidquid ſit de hoe, in concreto, *Album*, albedo importatur in obliquo, & tamen iogreditur eſſentialiter, imò & primario, talis eoncreti conſtitutionem,dato igitut quod in concreto formalis objecti fidei revelatio importetur in obliquo, nihil infertur contrà præſens intentum.

Quænam ex duabus importetur in obliquo? eſſe poteſt quæſtio grammaticalis.

Vrgebis licet objectum formale poſſit eſſe quid complexum, convenientiùs tamen aſſignatur quid ſimplex, ubi eſt aſſignabile; eſt autem aſſignabile in præſenti, & eſſe poteſt volitio efficax divina de re aliquâ revelanda; cum enim Deus noo poſſit velle revelare aliquid falſum,volitio illa habebit eſſentialem ac infallibilem connexionem cum veritate rei revelandæ, erit igitur ſufficiens motiuum aſſenſus certi,& infallibilis. Sed eontrà: per- 49.

mitto volitionem illam poſſe eſſe ſufficiens motiuum aſſenſus eerti & infallibilis;at nego talem aſſenſum poſſe eſſe actum fidei: primò quia fides ex genere ſuo reſpicit veritatem teſtimonij,non efficaciam vllam voluntatis: ſecundo quia Eccleſia, cujus propoſitio eſt applicatio motivi credendi,proponit nobis myſteria ut à Deo revelata, non ut à Deo volita revelati.Tertiò,Scriptura & Patees, dum aguut de aſſenſu fidei, faeiunt ſæpè mentionem revelationis ac veracitatis divinæ, non ſic voluntatis revelandi; iſta igitur ſine ullo fundamento ponitur ſpectare ad fidem, præſertim tanquàm objectum formale, ſive totale ſive partiale; undè Arriaga *hic diſp.* 1. *ſec.* 6. ubi hujuſee quæſtionis memioit, fatetur ſe eam non vidiſſe ex propoſito tractatam. Vix majore gaudet fundamento opinio, quam idem Arriaga *ſec.* 3. retulerat ex quibuſdam innominatis Reeentioribus pro formali fidei objecto aſſignantibus Deum ut Auctorem loquutionis moraliter divinæ,quæ opinio ſi uomine loquutionis moraliter divinæ nou intelligat aliquid diverſum à eevelatione,ut per loquutionem faciendâ, poteſt quoad rem ex parte admitti;at diſplicet quod ſine neceſſitate inducat phraſim obſcuram ac invſitatam;ſi intelligat aliquid à revelatione prædictâ diverſum, eſt quoad pbraſim & quoad rem ſimul reijcienda, ut eam etiam latè eeijcit Arriaga *pracit. ſect.* 3. Et hinc obiter remanet plenius confirmata ſecunda pars antecedentis ſuprà formati in aſſerti probationem.

Excluditur ab objecto formali fidei tùm voluntas revelandi.

Tùm loquutio moraliter divina.

---

§. VI.

An & quomodo veracitas & Revelatio Dei, ut ſunt objectum formale fidei, debeant pracognoſci antè fidei aſſenſum?

ASSART. 1. Veracitas & Revelatio Dei, ot ſunt objectum formale fidei, omninò debent aliqua ratione antè fidei aſſenſum præeognoſci.Eſt aſſertum adeò eommune ut ſupponi magis,quàm tradi à Theologis ſoleat,& facile. 50.

Dei veracitas & revelatio debent præcognoſci ante fidei aſſenſum.

Probatur. Veracitas & eevelatio Dei,ot ſunt objectum formale fidei, ſuot objectum movens & rationabili modo inclinans iotellectum ad fidei aſſenſum; atqui hoc objectum debet præcognoſci antè aſſenſum, ad quem mouet & inelinat; ergo veracitas & reuelatio &c. Minor probatur, quia modus eationabilis eſt modus cognoſcitiuus, & intellectum moueri rationabiliter eſt moueri eum quodam virtuali & æquivalenti diſcueſu, diſcurſus autem nequit incipere ab ignoto cum ſit progreſſus à noto ad ignotum, quidquid igitur eſt rationabile motiuum alicuius aſſenſus

ſus, debet ante talem aſſenſum præcognoſci. Vbi obſerua obiter, quàm diverſâ ratione objectum motiuum denominetur cum ſpecies intentionalis, tùm obiectum formale; illa enim denominatur à motione factâ modo naturali, & relatâ ad ſimplicem notitiam; iſta à motione facta modo rationabili & relata ad aſſenſum; propterea nil mirum, ſi ſpecies ſit objectum motiuum incognitum; objectum formale debeat eſſe objectum motiuum præcognitum.

51\. Opiniones variæ circa modum, quo debeat præcognoſci. Supereſt iam difficultas, eaque valdè perplexa & controuerſa circa modum quo debeat tale obiectum formale præcognoſci, in definiendo ſcilicet, utrùm veracitas & revelatio, ut ſunt objectum formale fidei, præcognoſcantur lumine naturali, an ſupernaturali? per actum tempore priorem & realiter diſtinctum ab actu fidei, an per actum ipſum fidei [illegible] & cum priorit[illegible] aliquâ rationis, aut [illegible] attingentem objectum formale, [illegible] verò & cum aliqua poſterioritate [illegible]

R[illegible] præſertim circà veracitatem actum naturalem, ſ[illegible] naturali lumine [illegible], aut etiam [illegible] actum ſufficie[illegible] [illegible] aſſenſum fidei A[illegible] lib. 3. ſum tract. cap. 2. queſt. Albertus in [illegible] art. [illegible] ad argumenta. Capreolus in [illegible] 4. quæſt. 1. artic. 2. quibus utique Romaniſis [illegible] quibus quoad neceſſitatem, ſi minùs quoad ſufficientiam actus naturalis, favent Coninchus diſp. 9. dub. 4. num. 42. & Arriaga diſp. 1. ſec. 4. num. 58.

Requirunt circà eamdem veracitatem actum ſupernaturalem, realiter tamen diſtinctum & diverſum ab actu fidei, ut però evidentem, Lugus diſp. 1. ſec. 6. num. 89. & 100. Hurtadus diſp. 7. ſec. 6. §. 90. Arriaga diſput. 1. ſec. 4. num. [illegible]7. Docent ſcilicet hi Auctores lumen naturæ, cui evidenter conſtat divina veracitas, elevari ab habitu fidei ad eliciendum de tali veracitate actum ſupernaturalem evidentem, & ab hoc actu primò incipere, in hunc actum ultimò reſolvi noſtram fidem; Nec modo multùm diverſo loquuntur de revelatione, niſi quod volunt actum, quo præcognoſcitur, non eſſe evidentem ſed obſcurum, immediatum tamen; adeò ut exiſtentia revelationis con[illegible] immediatè ex terminis, quàmvis obſcurè Hæc eſt ni fallor mens Lugi diſp. 1. ſec. 7. num. 116. & 119. & Arriagæ præcit. ſec. 4. num. 61.

52\. Reliqui Auctores magis communiter volunt ad cognoſcendum veracitatem & revelationem divinam, ut ſunt objectum formale fidei, nec poſſe inſervire aſſenſum ullum naturalem, nec eſſe neceſſarium aſſenſum ſupernaturalem diſtinctum ab actu fidei; ſed ad actum ipſum fidei, quo præſtatur aſſenſus objecto materiali propter formale ſufficere quòd præcedat ſimplex apprehenſio terminorum. Ità inter cæteros magis expreſsè & magis in terminis Joannes a S. Thomâ diſput. 1. art. 2. Suarez diſp. 3. ſec. 6. & 12. Eſparza lib. 6. qu. 20. artic. 4.

53\. Pro hujus ſententiæ intelligentiâ, & prævio quodam apparatu adverto primò poſſibilem rationem negandi, quod aſſenſus naturalis [illegible] per ſe inſerviat ad cognoſcendum Dei veracitatem & revelationem, ut ſunt objectum formale fidei, conſiſtere in eo quod aſſenſus fidei [illegible] tandem in aſſenſum alium naturalem [illegible] tem aut per ſe inſervientem ad cognoſcendum &c. ſicque aſſenſus altior & firmior [illegible] retur in inferiorem & debiliorem, [illegible] fundatur, ab iſto penderet, quod repugnat. Ratio hæc inefficax & ab omnibus [illegible] da videtur Arriagæ præcit. ſec. 4. [illegible] certum eſt, inquit, aſſenſum fidei circa exiſtentiam revelationis pendere ab [illegible] naturali circà propoſitionem Eccleſiæ: Nec refert, quod hæc dependentia ut ſolùm tanquam a conditione; quia, urget Arriaga, [illegible] tam pendet effectus a conditione, quam a cauſa ipſa; ſæpè ruente conditione [illegible] [illegible], quam ruente motivo: Ratio igitur deſumpta ex eo, quòd aſſenſus [illegible] dependere nequeat à debiliore, vel nihil probat, vel probat dependere etiam non poſſe à debiliore tanquam a conditione, quod falſum [illegible] aſſenſus fidei à propoſitione [illegible] hanc argumentationem [illegible] Arriaga diſp. 3. ſec. 4. n. 71. [illegible] circa [illegible] formale [illegible] tanquam a conditione [illegible] circa propoſitionem Eccleſiæ, pendet quidem tanquam a conditione à cognitione apprehenſiva ſeù ab apprehenſione talis propoſitionis, at non ab aſſenſu circa [illegible]. Neque [illegible] hoc referre, quia [illegible] dependentia actus [illegible] aliquo naturali. Conceſſimus: Cum hæc [illegible] ſupponat intellectualem naturam, ſpecies intelligibiles naturales, & ſimilia; utique negari non poteſt dependentia ipſius ab aliquo naturali; in præſenti igitur ſolùm a nobis negatur eiuſdem dependentia ab aliquo naturali per modum aſſenſus, adeò ut deindè conſequenter fidem ſub ratione formali aſſenſus [illegible] aliquod naturale, fundari aliquo naturali.

Adverto ſecundò duplicem eſſe poſſibilem modum explicandi, quòd actu fidei præſtetur aſſenſus obiecto materiali propter formale, non præſupponendo circà objectum formale ullum alium aſſenſum realiter diſtinctum ſed dumtaxat cognitionem terminorum apprehenſiuam. Primus modus eſt, ſi dicatur eodem actu fidei credi objectum materiale propter formale, & formale propter ſe ipſum; 55. adeò ut aſſenſus ex fide præſtitus ſit verè ac propriè fidei actus, non ſolùm ut eſt circà materiale, ſed etiam ut eſt circa formale fidei objectum, ex eo quod objectum formale ſuprà ſe ipſum reflectat, & qui credit verbū eſſe Incarnatū quia Deus verax revelauit, credat Deū id revelaſſe, quia reuelauit ſe id reuelaſſe: Neq; ad hoc neceſſaria eſt diſtincta revelatio in actu ſignato, quia revelatio quælibet eſt exercitè revelatio ſui ipſius per intrinſecā quādam reflexionem in ſe ipſam, & ſicuti per ſimilem reflexionem (quemadmodùm ſemel & iterùm alibi attigimus) quicumque aliquid ſcit, neceſſariò ſcit ſe ſcire, ita quicumque aliquid di-

Digitized by Google

cit, dicit ſe dicere, quicumque aliquid revelat, revelat ſe revelare. Verè igitur qui credit aliquid; quia Deus revelavit, ſimul credit, aut ſaltem poteſt ſimul credere, Deum id revelaſſe, quia revelavit ſe revelaſſe: Rursùs qui credit aliquid quia Deus dicit ſeù revelavit, ſimul credit Deum eſſe veracem, implicat enim credere quia aliquis dixit, ſeù ex auctoritate dicentis, non credendo ipſam auctoritatem dicentis: ſicque à primo ad ultimum eodemmet actu, quo creditur res revelata, creditur ſimul aut ſaltem credi poteſt

56. Dei revelatio, & Dei veracitas. Secundus modus eſt, ſi dicatur eodem actu præſtari aſſenſum objecto materiali & formali; at talem aſſenſum reſpectu objecti formalis eſſe omninò immediatum nec ferri in revelationem propter eamdem revelationem ſuprà ſe reflectentem, ſed ut immediatè & ex ſolâ terminorum apprehenſione credibilem; exiſtentia enim revelationis, quamvis non conſtet evidenter evidentiâ veritatis, benè conſtat evidenter evidentiâ credibilitatis propter plurima & vehementiſſima credibilitatis motiva, cum quibus proponitur, hæeque eadem motiva veracitati applicata communicant ipſi pariter credibilitatis evidentiam; quod ſufficit ut intellectus ex efficaci imperio & pio affectu voluntatis eliciat circà veracitatem & revelationem aſſenſum immediatum firmiſſimum, & quidem provenientem à fidei habitu; cum eſſe ex ratione genericâ habitus debeat habere virtutem attingendi immediatè ſuum objectum formale, ut obſervat Arriaga *diſp. 11. ſec. 3. num. 21.* His animadverſis ſit.

57. Aſſert. 2. Veracitas & revelatio Dei, ut objectum formale fidei, non eſt neceſſe, quòd antè fidei aſſenſum præcognoſcatur aliter, quam per ſimplicem apprehenſionem; ipſo tamen fidei aſſenſu attinguntur priùs ratione, quàm attingatur objectum materiale. Ità Auctores præcitati *num.* 52. & in univerſum quicumque docent fidem habere in ſe, ſufficiens fundamentum, in quod ultimò reſolvatur, nec fundari in ullo aſſenſu, ut ità dicam, extraneo, contrà Altiſiodorenſem, Albertum & alios, de quibus ſuprà *num.* 51.

Fidei actus non requirit ullum aſſenſum prævium naturalem circà Dei veracitatem & revelationem.

Probatur prima pars: Veracitas & revelatio Dei, ut ſunt objectum formale fidei, non eſt neceſſe quòd terminent aut aſſenſum naturalem, aut aſſenſum ſupernaturalem, realiter diſtinctum & realiter priorem aſſenſu ipſo, ſeù actu fidei; ergo non eſt neceſſe quod antè fidei aſſenſum præcognoſcantur aliter quàm per ſimplicem apprehenſionem: Probatur antecedens quoad primam partem; veracitas & revelatio, ut ſunt objectum formale fidei, non eſt neceſſe quod terminent eum aſſenſum, qui non poteſt per ſe inſervire ad eliciendum fidei actum, & in quem non poteſt aliqualiter reſolvi ipſe fidei aſſenſus; atqui *ex præced. num.* 53 hujuſmodi eſt aſſenſus

58. quilibet naturalis, ergo Probatur antecedens quoad ſecundam partem primò ex D. Thomâ *de verit. quæſt.* 4. *art.* 1. *in c.* ubi docet in fide eſſe aſſenſum & cogitationem quaſi ex æquo, & aſſenſum non ex cogitatione cauſari, ſed ex voluntate: intellectum, quamvis firmiſſimè

Non item requirit aſſenſum prævium ſupernaturalem.

aſſentientem, non eſſe ſatisfactum, ſed determinatum ſeu terminatum ab extrinſeco; ideóque dici captivatum quatenus tenetur terminis alienis & non proprijs; quæ omnia minus rectè dicerentur, ſi requireretur aliquis alius aſſenſus prævius & inferens aſſenſum fidei; jam enim aſſenſus & cogitatio, ideſt actus ipſe fidei, & ejus quaſi præmiſſæ non ſe haberent quaſi ex æquo; jam aſſenſus ex cogitatione cauſaretur, non ex voluntate; & intellectus terminis propriis teneretur, non alienis. Secundò quia ſupernaturalis circà revelationem & veracitatem aſſenſus, vel eſſet evidens, vel obſcurus, vel partim evidens partim obſcurus, ideſt evidens circà veracitatem, obſcurus circà revelationem: Si evidens, contrà; tùm quia fundaretur in aliquâ evidentiâ naturali, ſicque recurrerent ſupradicta *num.* 53. tùm quia nec poſſet procedere ab habitu fidei, utpotè qui eſt lumen obſcurum, nec eſſet aſſignabilis alius habitus cui correſponderet: Si obſcurus, pariter contrà; quia in eo minùs aut ſaltem non magis intellectus quieſceret, quàm in actu ipſo fidei; malè igitur ponitur prærequiri, ut in eum actus fidei reſolvatur.

Dictum & probatum hucuſque eſt ad fidei aſsenſum non eſſe neceſsarium quod præcedat aſsenſus ullus diſtinctus, aut naturalis, aut ſupernaturalis, circà Dei veracitatem & revelationem; cum quo ſtat benè poſse aliquem hujuſmodi aſsenſum præcedere, neque enim negamus dari poſse de Dei veracitate evidentiam naturalem, item tùm circà veracitatem tùm circà revelationem ſecundùm ſe aſſenſum aliquem ſupernaturalem immediatum ex ſpeciali auxilio elicitum, & attingentem objectum formale fidei præcisè, non materiale propter formale: Aſsenſus igitur prævius, de quo hucuſque, negatur à nobis, ut aut non inſerviens aut non neceſsarius; at non ut impoſſibilis. 59.

59. Neutrum tamen aſſenſum prævium excludit tanquàm impoſſibilem.

Probatur ſecunda pars. Quod ità attingitur, ut ſit ratio attingendi aliud, neceſſe eſt quod attingatur priùs ratione quam aliud; atqui Dei veracitas & revelatio ut ſunt objectum formale fidei ſunt ratio attingendi objectum materiale; ergo ipſo aſsenſu fidei prius ratione attinguntur, quàm attingatur objectum materiale. Confirmatur paritate actus tendentis in media propter finem, hujuſmodi enim actus quoties unus ac idem eſt prius ratione tendit in finem quàm in media, quia finis eſt motivum ac ratio volendi media, & ille ad iſta ſe habet ut objectum formale ad materiale. Confirmatur inſuper ſi quis per duos actus realiter diſtinctos tendat in objectum formale & propter iſtud in materiale, aut in finem & propter iſtum in media; tendentia in objectum formale aut in finem erit prior ſaltem naturâ, utpotè alterius tendentiæ cauſa, ergo ſi quis in illud utrumque tendat unico actu, tendentia in objectum formale aut in finem retinebit eam, quam poteſt, prioritatem, ideſt prioritatem rationis.

60. Actus fidei prius ratione attingit objectum formale, quàm materiale.

Dices: Actus, de quo in præſenti, unus & idem tendens in objectum materiale & prius ratione in formale, vel eſſet actus fidei etiam ut

ut tendens in formale, vel non. Si primum, aſſentiretur veracitati & revelationi propter veracitatem & revelationem, aſſent. tur Deum veracem revelaſſe, quia Deus verax revelavit; adeoque eſſet actus ſeu aſſenſus illuſionis & involvens circulum vitioſum. Si ſecundùm, idem actus eſſet & non eſſet actus fidei; eſſet aſſenſus mediatus & immediatus: Deinde ſi non eſſet actus fidei, quomodonam eſſet à fidei habitu? Pro vitandis igitur hiſce anguſtijs admittendum omnino eſt prærequiri circà objectum formale aſſenſum realiter diſtinctum ab actu fidei, quo creditur objectum materiale. Sed contra; ut jam attigimus *præced. n. 55.*

61. Quomodò talis actus, etiam ut attingens objectum formale, poſſit ſuſtineri verus actus fidei.

utraque dilemmatis pars admitti ac ſuſtineri poteſt: ſuſtinendo primam dicito quando deventum eſt ad rationem ultimam, ſicuti per nos in lineâ credendi ſunt ratio ultima veracitas & revelatio, ſine illuſione & ſine circulo poſſe præberi tali rationi aſſenſum propter ſe ipſam ſuppoſita præſertim ejuſdem ſuprà ſe ipſam reflexione, de quâ *num. præcit.* Non negaverim tamen etiam juxta hanc doctrinam actum fidei ut tendentem in objectum materiale propter formale, cum demque ut tendentem in formale propter ſe fore aliqualiter diverſum; nam primo modo eſſet mediatus propriè & formaliter, ſecundo modo eſſet mediatus impropriè & æquivalenter, primo modo tenderet in objectum revelatum revelatione realiter diſtinctâ & directâ, ſecundo modo, tenderet in objectû revelatum revelatione realiter indiſtinctâ & reflexâ ſuper ſe: At hæc diverſitas non eſt tanta, ut actus utrumque modum complectés non poſſit eſſe realiter unus, & ſecundùm utrûque modû denominari fides.

62. Quomodò poſſit etiam ſuſtineri oppoſitum.

Suſtinendo ſecundam dilemmatis partem dicito nullam involvi repugnantiam in eo, quod idem actus ſit & non ſit actus fidei, ſit aſſenſus mediatus & immediatus relatè ad diverſa objecta, cum præſertim ly, *non ſit actus fidei*, non ſignificet præcisè negationem actus fidei, ſed rationem poſitivam ab actu fidei diverſam, & infinitanter, non negativè ſupponat: Nec mirum videri debet, quod talis actus etiam ſub eâ ratione, quâ non eſt fidei actus prodeat à fidei habitu: enimverò habitus infuſi ex magnitudine ſuæ perfectionis, & ex eo quod potentias imitentur, ſicuti poſſunt cauſare actus ſpecie diverſos, & qui non omnes habeant denominationem ſui habitus, ita poſſunt tribuere eidem actui rationes partiales quaſi ſpecie diverſas, & quarum aliqua denominationi ipſiuſmet habitus ſimilis ſit, aliqua diſſimilis.

63. Quodnam deindè ex his duobus membris præferendum ac præeligendum ſit? libenter relinquo aliorum optioni & arbitrio: Ne verò ſenſum meum omninò diſſimulem, addo me propendere in ſecundi membri delectum, eo quod meo videri expeditiorem, clarioremque doctrinam contineat, & reflexio cujuſlibet revelationis ſuprà ſeipſam, cui primum membrû maximè nititur, facilè poſſit aut non cenſeri ſufficiens ad actum fidei proptrè talem, aut etiam abſolutè negari, quamvis aliunde valdè cohæreat doctrinæ à nobis alibi traditæ, & indicatæ *præcit. num. 55.* Contrà idem primum membrum occurrit alia ſpecialis difficultas ſita in eo quod numquàm objectum formale fidei attingeretur ut purè formale; ſed ſemper ſimul attingeretur ut materiale; numquàm purè ut ratio credendi, ſed ſemper ſimul ut res credita; hoc autem ſi non prorsùs inconvenienter, ſaltem minùs convenienter dicitur quàm oppoſitum, in quo melius relucet diſtinctio objecti materialis à formali, & propria utriuſque attingentia, aliqualis item cauſalitas objecti formalis in materiale.

64. Hac occaſione quæres, utrùm aliquo alio modo veracitas & revelatio poſſint eſſe objectum materiale fidei? adeò ut tum veracitas, tum revelatio, ſit res credita propter revelationem & veracitatem. Quoad revelationem vix ulla eſt difficultas in tali modo aſſignando, cum enim revelatio ſaltem inadæquatè & ſecundùm illud, quod importat ad extrà, poſſit eſſe multiplex, & poſſit Deus revelatione omninò diſtinctà aliquam aliam revelationem revelare, ſicut de facto revelavit ſe revelaſſe Abrahamo adventum Chriſti; cum, inquam, res ita ſit, vix ulla eſt difficultas quin revelatio per aliam revelationem revelata poſſit eſſe res credita propter hanc aliam revelationem, item propter veracitatem, ſicque illa prima revelatio erit verè ac propriè objectum materiale fidei. Major eſt difficultas in veracitate, de quâ ſicuti conſtat poſſe revelari, imò eſſe de facto revelatam, ita pariter conſtat poſſe credi propter revelationem; at quomodò poſſit credi etiam propter veracitatem, quæ unica prorsùs eſt, difficultate non caret; ſi enim veracitas una & eadem ſit ſimpliciter propriéque objectum formale ſui ipſius, exercebit cauſalitatem aliquam in ſeipſam, quod durum eſt: Pro difficul-

Quomodò veracitas & revelatio Dei poſſint eſſe objectû materiale fidei verè ac propriè?

65. tatis ſolutione Arriaga *diſp. 11 ſect. 3. n. 16.* huc revocat doctrinam, quâ alibi tradiderat eamdem rem poſſe reproduci & cauſari quoad ſecundum eſſe à ſeipsâ, proportionaliter deindè ait eandem rem quoad ſecundum cognoſci poſſe eſſe objectum materiale ſui ipſius & à ſe ut ab objecto formali cauſari; ſicque unam prorſus, ac eandem Dei veracitatem jam ſemel aliundè cognitam, poſſe quoad ſecundum cognoſci eſſe objectum materiale fidei ac ſui ipſius, & à ſe ut ab objecto formali cauſari. Non diſplicet ratiocinium, & cum etiam doctrina, quam ſupponit ſit à nobis alibi comprobanda, neque diſplicet modus, quo Arriaga prædictâ difficultatem ſolvit, & ſolvat divinam veracitatem poſſe aliquando eſſe ſimpliciter ac propriè objectum materiale fidei: libenter tandem admiſero non deeſſe aliam ſufficientem id ſalvandi viam.

CAPVT III.

De requiſitis ad Dei veritatem, & revelationem, ut ſunt objectum formale fidei?

PRIMO loco expendenda eſt divinæ veracitatis ut ad fidem relatæ perfectio, ac 1.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUEL

per conſequens excludendum quidquid redolet oppoſitam imperfectionem, cujuſmodi certè ſunt falſum dicere, aut mentiri, & fortè etiam uſus amphibologiæ, aut reſtrictionis mentalis, infuſio actus aut habitus erroris, miraculi operatio in confirmationem falſæ doctrinæ: His & ſimilibus expeditis, agetur ſecundo loco circà revelationem. Quomodò ſufficiat nec ne revelatio univerſalis virtualis, privata, putata, &c. Interim pro primâ & primo loco expendendâ præfixi tituli parte.

> Mentiri & falſum dicere ſunt ſeparabilia in nobis, non in Deo.

Præmitto falſum dicere & mentiri eſſe ex genere ſuo ſeparabilia, at non eſſe talia in Deo, ſi in ipſo poſſibilia ſint: Mentiri enim eſt contrà mentem ire, eſt ſcilicet dicere aliquid contrà id, quod exiſtit in mente, propterea ſi quis habeat falſum conceptum dicendo juxta id, quod habet in mente, falſum dicet, quia exprimet falſum conceptum; & non mentietur quia non ibit contra mentem: dicendo contrà id, quod habet in mente, mentietur, quia ibit contrà mentem: & non dicet falſum, quia dicet contrarium falſo; adeóque ſeparabuntur falſum dicere & mentiri: At Deus, cujus mens nihil non verum admittit, eo ipſo quod ſupponatur dicere falſum, neceſſe eſt quod dicat contrà id, quod habet in mente; eo ipſo item quod mentiatur, dicendo contrà mentem, neceſſe eſt, quod dicat contrà verum, ſeu quod dicat falſum; adeóque mentiri & falſum dicere ſi in Deo dentur, dantur inſeparabiliter & convertibiliter. Neque dicas obiter, ad mentiendum præter ire contrà mentem requiritur animus fallendi, atqui ex eo quod Deus ſupponatur dicere falſum, eſto neceſſe ſit quod eat contrà mentem, non pariter neceſſe eſt, quod habeat animum fallendi; ergo falſum dicere etiam in

> 2. Ad mendacium non eſſentialiter requiritur animus fallendi.

Deo, ſi ſit dabile, eſt à mentiri ſeparabile. Impugnaberis enim impugnatione ſuppoſiti, & animus fallendi expreſſus ac formalis eſt ad ſummum quid regulariter comitans aut conſequens mendacium, at non quid eſſentiale; nam mendacium jocoſum eſt mendacium proprium, & tamen profertur ex animo placendi potius, quam fallendi; Deo item poſſumus propriè mentiri, nec poſſumus habere efficacem animum ipſum fallendi; cum nobis conſtet hoc eſſe impoſſibile. Sentiendum igitur mendacium habere quidem ſecundùm ſe ex parte rei dictæ vim fallendi, at non requirere, quod aut fallat in actu ſecundo eum cui dicitur, aut importet expreſſam fallendi voluntatem in dicente: Quâ de re videantur D. Auguſtinus *lib. de mendacio cap. 3. & lib. contra mendacium cap.* 14. S. Doctor 2. 2. *quæſt.* 110. *artic.* 1. *in corp. & ad* 3. item *art.* 3. *ad* 6. Joannes à S. Thoma *hic diſp.* 2. *art.* 4. *num.* 4. Amicus *diſp.* 2. *ſec.* 8. *num.* 16. Lugus *diſput.* 4. *ſec.* 1.

§. I.

Quanta perfectio requiratur in veracitate divinâ, ut eſt objectum formale fidei? Ubi An Deus poſſit falſum dicere, aut mentiri?

ASSERT. 1. In veracitate divinâ, ut eſt ob- 3.
jectum formale fidei requiritur omnis & ſumma perfectio ſuæ lineæ.

> Veracitas divina, ut eſt objectum formale fidei, ſumma eſt ac perfectiſſima.

Probatur: Veracitas divina, ut eſt objectum formale fidei, cauſat actum in lineâ fidei perfectiſſimum, & certum ſummâ ac omninò infallibili certitudine; ergo in eâ requiritur omnis & ſumma perfectio ſuæ lineæ; alioqui ſi eſſet excogitabilis veracitas major in ſuâ lineâ perfectionis, eſſet pariter excogitabilis firmior, certior, ac perfectior in ſuâ linea fides. Confirmatur: Veracitas divina eſt objectum formale fidei, ut divina, atqui ut divina importat omnem ac ſummam perfectionem ſuæ lineæ, quodlibet enim prædicatum ex eo præcisè, quod conciabar eſſe divinum, infinitatur & ſibi quodammodò omnes ſuæ lineæ gradus identificat; adeóq; quatenus reduplicat eſſe divinum, reduplicat omnem ac ſummam ſuæ lineæ perfectionē, ergo: Major probatur: fides habet, quod ſit virtus theologica à ſuo objecto ut divino, atqui id habet aut unicè, aut magis principaliter à veracitate; ergo fides habet pro objecto veracitatē ut divinam, quod eſt idem ac dicere, ergo veracitas divina eſt objectum formale fidei ut divina: Mo- 4.
neo tamen, ne hanc reduplicationem ſumas in ſenſu excluſivo, quaſi verò ſola ratio divini in præſenti reduplicanda ſit, & non etiam cum ratione divini ratio veracitatis? quæ quidem utraque, ſicuti actum fidei ſpecificat, ità in objecto fidei formaliter ac reduplicativè importatur. Regrediendo jam ad veracitatis divinæ perfectionem, melius iſta conſtabit oſtendendo, quomodò non patiatur mixturam ullam oppoſitarum imperfectionum? & in primis quidem mendacij aut falſitatis, quæ duo tamen ad Deum relata, ſicuti ex præmiſſis inſeparabilia, ac convertibilia ſunt, ità unicam, non duplicem poſſunt excitare difficultatem, & quidquid de Deo aſſeretur pro repugnantiâ mentiendi, militabit ſimiliter pro repugnantiâ dicendi falſum.

Porrò circà mendacium errarunt ac blaſphemarunt turpiter Priſcillianiſtæ (quibus nonnulli addunt Armenos) arbitrati Deum mentiri poſſe, & aliquando mentitum eſſe, hincque putantes ſua excuſare, imò commendare mendacia, tanquàm omnino licita & juramento etiam firmanda, præſertim ſervandi ſecreti causâ, undè arriſit ipſis ſacrilegus ille verſiculus.

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Errori huic ſuo nituntur fundamentum ali- 5.
quod conſtruere ex ſacrâ ſcriptura, in qua videntur prænunciata nonnulla quæ deindè non evenerunt, nonnulla item contineri pugnantia inter ſe & contraria; quæ certè inferunt mendacium & falſitatem in Sacra Scri-

> Mendacium aliquod tribuere Deo de facto, eſt hæreſis.

ptura,

ptura, ac per conſequens etiam in Deo, ſaltem ut per alios loquente. Verùm vano labore, impioque niſu quæritur mendacium aliquod in Scriptura Sacra, nec hujus falſitati, ſed aliorum pravæ intelligentiæ, tribuendum eſt, quod quædam aut malè inter ſe cohærentia, aut eventu prænuntiato carentia videantur, pro quo plura ſingillatim loca ritè expenſa & ab Adverſatiorum calumnijs vindicata habentur apud Valentiam *hic diſp* 1. *quæſt*. 1. *punc*. 3. Joannem à S. Thomâ *diſp*. 2. *art*. 4. *in ſolut. argument*. & plures alios, quos facilè poterit lector conſulere, dum nos quæſtionem transferimus à de facto ad de poſſibili, quia ſic ex una parte non omnis deerit controverſiæ locus, & ex alia quidquid afferetur pro quæſtione, de poſſibili inſervire à fortiori poterit pro quæſtione de facto.

6. Loquendo igitur de poſſibili & in ordine ad potentiam abſolutam, res non eſt extrà controverſiam, & mendacium Deo non repugnare docuerunt nonnulli antiqui Scholaſtici, inter quos recenſeri ſolent Alliacenſis *in* 1. *quæſt*. 12. *art*. 5. *dub*. 3. Adamus Goddam *in* 3. *diſt*. 14. *quæſt*. 5. *dub*. 2. Gabriel *in* 3. *diſt*. 38. *quæſt. unicâ* Almainus *in moralibus cap*. 7. & licet hi Auctores ad vitandam vocis invidiam mendacium ſub proprio nomine in Deo poſſibile non aſtruant, aſtruunt tamen rem per nomen importatam aſtruendo Deum poſſe falſum dicere; nec quod aiunt mentiri addere ſuprà falſum dicere deordinationem moralem, valet reſpectu Dei reſpectu cuius præmiſſum eſt illa duo inſeparabilia eſse ac convertibilia. Propterea nulla habitâ ratione talis effugij præcitatos mox Auctores eorumque opinionem gravi cenſurâ cæteri notant; Suarez *diſp*. 3 *ſec*. 5. *num*. 6. Coninchus *diſp*. 10. *num*. 5. cenſent hæreticam & contrà fidem æquè ac relatum Priſcillianiſtarum errorem: Bannes *quæſt*. 1. *art*. 3. *conc*. 3. Turrianus *diſp*. 3. *dub*. 1. erroneam: Lugus *diſp*. 4. *ſec*. 2. *num*. 19. Herincx *diſp*. 3. *num*. 5. proximam hæreſi: Ioannes à S. Thomâ *diſp*. 2. *art*. 4. *num*. 6. valdè proximam errori, & plùs quam temerariam: Valentia *diſp*. 1. *quæſt*. 1. *punc*. 3. *verſic. Hoc etiam* ad minus temerariam. His non obſtantibus aliqui inter quos nuper Gabriel à S. Vincentio *diſp*. 1. *dub*. 4. *num*. 167. exiſtimant cæteros Theologos eſſe Cenſores nimis rigidos, at ab omni cenſurâ liberant memoratam opinionem, ſi benè intelligatur, ſi nimirùm non procedet datâ & non diſpenſatâ lege æternâ prohibente mendacium; ſed ex ſuppoſitione, quod Deus talem legem aut non haberet, aut diſpenſaret iuxtà probabilem doctrinam Nominalium, & Scotiſtarum volentium omnia præcepta ſecundæ tabulæ eſſe à Deo diſpenſabilia.

Tribuere de poſſibili eſt opinio obnoxia gravi cenſuræ.

7. Verùm neque hoc modo crediderim cenſuram omnem vitari primò quia ut obſeruat Herincx *diſp*. 3. *præcit num*. 9. plures etiam ex Scotiſtis à diſpenſabilitate præceptorum ſecundæ tabulæ excipiunt præceptum non mentiendi; ſecundò quia datâ circà hoc præceptum diſpenſatione ſeù non obligatione legis æternæ mendacium deſineret eſſe malum theologicè tantùm, non philoſophicè; & tùm ratione malitiæ philoſophicæ tùm ratione imperfectionis phyſicæ, quam inferret, adhuc non poſſet in Deo poni ſine cenſurâ.

8. Aſſert. 2. Deus nec de potentiâ abſolutâ poteſt falſum dicere aut mentiri, neque per ſe neque per alium: Hocque ſpectat ad divinam veracitatem, etiam ut eſt objectum formale fidei. Ità D. Thomas *hic quæſt*. 1. *art*. 3. *in* 3. *diſt*. 24. *quæſt*. 1. *art*. 1. *de potentiâ quæſt*. 4. *art*. 1. Richardus *ead. diſt*. 24. *art*. 1. *quæſt*. 3. Durandus *ead. diſt. quæſt*. 2. & reliqui Theologi, Thomiſtæ præſertim ac Recentiores, contrà paucos Antiquos, quorum opinionem ſimul & cenſuram retulimus *præced. num*. 6.

Contrà quam ſentiendum nec de potentia abſoluta Deum poſſe falſum dicere aut mentiri.

Dixi *falſum dicere aut mentiri* claritatis gratiâ, cæterùm in propoſito, ut ſemel & iterùm attigimus, non differt unum ab altero, & ſufficiet probationes afferre pro mendacio.

Dixi *neque per ſe, neque per alium*, & licèt primo aſpectu non appareat tanta imperfectio in mentiri per alium, quanta in mentiri per ſe, propterea que Canus *lib*. 2. *de locis theolog. cap*. 5. putet non eſſe tàm certum Deum non poſſe mentiri per alium, quam certum eſt non poſſe mentiri per ſe; in re tamen æqua eſt utriuſque certitudo & eadem ratio primò, quia ad locutionem & mendacium ſicuti materialiter omnino ſe habet, quod voce, ſcripto, aut nutu, fiat, ità non minùs materialiter ſe habet, quòd fiat per ſe, aut per alium; qui enim per alium loquitur alio utitur tanquàm inſtrumento, non minùs quàm linguâ vel calamo tanquàm inſtrumẽto utatur qui loquitur voce vel ſcripto.

Nec per ſe ipſum nec per alium.

9. Secundò quia quidquid Deus loquitur mediatè & per alium neceſſe eſt quod alicui loquatur immediatè & per ſe; nam ille alius, per quem Deus loquitur, vel illud quod loquitur audiuit immediatè à Deo, & ſic ei Deus immediatè locutus eſt; vel audiuit ab aliâ creaturâ, & de hâc rursùs quæretur, à quo audierit, & ſic, ne aut procedatur in infinitum, aut locutio Dei ultimò reſolvatur in creaturam deueniendum tandem erit ad aliquem, qui illud, quod Dei nomine dicitur, immediatè à Deo audierit. Tertiò quia ferè omnis divina locutio de facto eſt mediata & per alium, ad certitudinem igitur noſtræ fidei, & ad perfectionem diuinæ veracitatis eam fulcientis, maximè pertinet, quod Deus nequeat mentiri per alium, & ne irrepat ulla ſuſpicio fallibilitatis in noſtrâ fide, aut ſit excogitabilis alia fides firmior, habendum eſt pro æquè certo, quod Deus non poſſit mentiri per alium, ac quòd non poſſit mentiri per ſe.

10. Probatur aſſertum tùm à priori, tum à poſteriori, à priori quidem ex conditione ſummæ & primæ veracitatis, hanc enim ut pote ſibi eſſẽtialem nec de potentiâ abſolutâ Deus exuere aut minuere poteſt; & tamen exuere aut ſaltẽ minuere poſſet ſi poſſet mentiri, deficit enim veracitas per mendacium quod eſt à veritate deviatio, & cuiuſlibet contrarij perfectio minuitur per alterius contrarij conſortium: Deindè veracitatem excludentem de potentiâ abſolutâ mendacium quis non præferat veracitati mendacium excludenti ſolùm de potentiâ ordinariâ; iſta igitur non poteſt eſſe veracitas

veracitas ſumma & prima. A poſteriori ex abſurdis, quorum primum eſſet infirmitas aliqua & vacillatio noſtræ fidei, in quâ poſſemus ſuſpicari Deum per uſum potentiæ abſolutæ fuiſſe aliquandò mentitum, & licèt Deus oppoſitum revelaverit dicendo ſe mentitum de facto non eſſe, adhuc ſuſpicio non deletur, imò cadere poteſt ſupra hoc ipſum, ſuſpicando Deum mentitum eſſe, dum dixit ſe non eſſe mentitum; Secundum eſſet, quia in Deo poſſet dari mendacium cum miraculo, non ſine miraculo; abſurdum autem eſt, quod Deus ut Auctor ſupernaturalis potiùs, quam vt Auctor naturalis poſſit aliquid imperfecti, & quod effectus miraculi excellentiâ ac perfectione ſuâ non ſuperet effectum naturalem miraculo impeditum, ſicuti certè loquutio mendax præſertim reſpectu Dei non ſuperat loquutionem veracem; Tertium eſſet, malitia aliqua moralis ſaltem philoſophica, quam mendacium in Deo poſitum Deo inferret, & cum ſumma veracitate ſummam ſimul bonitatem everteret; dixi *ſaltem philoſophica* ſita in purâ diſconvenientiâ cum naturâ intellectuali, quia hanc innegabile eſt eſſe intrinſecam eſſentialemque mendacio, quamvis in re cenſeam talem pariter eſſe malitiam theologicam, ex quâ augeatur propoſitum abſurdum.

11. Nec in loquendo, nec in promittendo.

Ex his habetur Deum non ſolùm in loquendo præcisè, ſed nec in promittendo poſſe mentiri; mendacium enim eſt eiuſdem in utroque rationis, imò habet maiorem repugnantiam in promittendo, quia ſic ex parte Dei ſimul cum veracitate fidelitas deficeret, ex parte noſtri ſimul cum fide ſpes mutaret. Neque obſtat quod *ex Heb.* 6. ſpes noſtra jurejurando, non promiſſione ſola firmetur, dicente Apoſtolo *Vt per duas res immobiles* (quarum nomine veniunt promiſſio & jusjurandum) *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem* ubi videtur indicari promiſſionem loquutionemvè divinam non eſse omninò infallibilem, niſi juſiurandum accedat, & ſolum cum jurejurando eſse Deo impoſſibile mentiri. Non obſtat, inquam quia verba in eodem textu præcedentia *Abundantius volens Deus oſtendere*, &c. *interpoſuit juſiurandum*, evincunt juſiurandum à Deo ex abundantia, non ex indigentia apponi;

12. Omnis divina loquutio eſt æquivalenter loquutio jurata.

& Deus ſolum ut more noſtro loquatur aliquando firmat expreſso juramento, quod loquitur, cæterum omnis divina loquutio eſt æquivalenter loquutio jurata, jurare enim eſt afferre Deum in teſtem. Deus autem eo ipſo quod loquitur utique affert ſe in teſtem ſuæ locutionis. Relatus igitur textus favet, non obeſt rei noſtræ, cui ſimiliter ſuffragantur multæ aliæ ex Scriptura, & plures ex Patribus auctoritates, pro inſignioribus conſuli poſſunt Lugus *præcis. ſec.* 2. & Amicus *diſp.* 2. *ſec.* 8. Ego ab omnibus data opera abſtinui; à prioribus quidem, quia contumax Adverſarius ſe facilè expediet impudenter dicendo in illis ipſis mendacium reperiri; à poſterioribus, quia poſſunt intelligi aut de potentia ordinaria, aut de mendacio dumtaxat ut ſubſtrato legi æternæ non diſpenſatæ, juxtà effugium intimatum *præced. num.* 6.

§. II.

Reliqua ſpectantia ad perfectionem veracitatis divinæ: Vbi An Deus poſſit uti amphibologia, æquivocatione, reſtrictione mentali, infundere errorem: operari miracula in confirmationem falſi?

13. Deus nequit propriè uti amphibologia ſeu æquivocatione.

Asserit. Deus non poteſt propriè loquendo uti amphibologia ſeu æquivocatione. Ità Scholaſtici communiter, & quamvis Oviedus *controu.* 3. *punc.* 3. Gonetus *diſput.* 1. *artic.* 4. *num.* 107. Henricx *diſput.* 3. *quæſt.* 1. Madernus *quæſt.* 1. *artic.* 10. aliique non pauci concedant Deo amphibologiam ſeu æquivocationem, quam vocant materialem meo videri potius abutentur amphibologiæ & æquivocationis nomine, quam eam in Deo aſtruant; & quidquid ſit, ſi in re tribuunt Deo aliquid amplius, quàm locutionem tropicam, metaphoricam, obſcuram, illis non aſsentior & dignius de Deo ſentio.

Probatur: uti amphibologia ſeu æquivocatione propriè loquendo eſt verba habentia ſenſum multiplicem, unum juxtà, alios contrà mentem loquentis, ità proferre, ut ex circumſtantiis & adjunctis non facilè poſſit audiens, etſi alioqui ſapiens & prudens, ea intelligere in ſenſu conformi menti loquentis, quàm potius ea ſit intellecturus in ſenſu difformi, & diverſo ab eo quem loquens intendit, ac habet in mente; at non poteſt Deus taliter proferre verba habentia ſenſum multiplicem; ergo non poteſt propriè loquendo uti, &c. Major continet communem explicationem amphibologiæ ſeu æquivocationis propriè dictæ; & ex ea patet obiter quod uti amphibologiâ ſeu æquivocatione eſt aliquid amplius, quam proferre verba ſecundùm ſe æquivoca ſeu amphibologica alioqui proferens aliquod hujuſmodi verbum cum prævia proteſtatione ſeu expreſſione ſenſus à ſe intenti adhuc diceretur proprie uti amphibologia ſeu æquivocatione. Minor probatur, verba 14.
continentia unum ſenſum juxtà, alios contrà mentem loquentis, quoties ex circumſtantiis & adjunctis nullatenus, aut difficillimè poſſunt, ab audiente juxtà priorem ſenſum intelligi reſpectu audientis ità ſe habent, ac ſi priore ſenſu carerent, & æquivalent verbis habentibus dumtaxat ſignificationes loquentis menti difformes, & taliter proferre verba habentia ſenſum multiplicem, unum juxtà, alios contrà mentem loquentis, eſt ſpecies quædam artificioſi mendacij, aut ſaltem defectus mendacio affinis & repugnantis cum perfectione ſummæ veracitatis, eſt quippe artificiosè aut æquivalenter contrà mentem ire, quod utique Deo repugnat; ergo non poteſt Deus taliter proferre verba habentia ſenſum multiplicem. Confirmatur: ſi Deo non repugna- 15.
ret propriè loquendo uti amphibologia & æquivo

æquivocatione, ſæpè poſſemus in rebus fidei ſuſpicari, e ratione talis uſus à Deo ex juſtâ causâ, quamvis nobis occultâ, habiti ſenſus legitimus verborum ſcripturæ, & divinæ revelationis, ſit alius ab eo, quem nos concipimus, ſicque non repugnantia utendi amphibologiâ & æquivocatione redderet nutantem noſtram fidem æquè, aut ferè æquè, ac non repugnantia mentiendi; ergo nullatenùs poteſt Deus propriè loquendo uti amphibologiâ, aut æquivocatione.

Dices eandem nobis ſuſpicionem ingenerari poſſe ex locutione obſcurâ & tropicâ, quâ tamen certum eſt Deum uti poſſe, quin & ſæpè de facto uſum fuiſſe in ſacrâ ſcripturâ, undè etiam *in Theol. prolegom. cap. 5. num. 15.* attigimus plures hujuſmodi divinæ locutionis utilitates, ac convenientias. Sed contrà: locutio propriè amphibologica & æquivoca requirit, ut nullus ſit modus ſe certificandi de ſenſu intento à loquente, non id requirit locutio obſcura ac tropica, & nos de facto in obſcuris & tropicis ſacræ ſcripturæ locis habemus ſenſus a Deo intenti infallibilem viſibilemque interpretem, ac regulam Eccleſiam, quæ ſub iiſdem motivis credibilitatis, ſub quibus proponit revelationem tanquam divinam, proponit ejus ſenſum tanquam divinæ menti conformem & à Deo intentum.

16. *Nec reſtrictione mentali ſimpliciter & purè tali.* ASSERT 2. Deus non poteſt uti reſtrictione mentali ſimpliciter & purè tali. Ità Lugus *hic diſp. 4. ſect. 5. num. 62.* Oviedus *controv. 3. punct. 3.* Hertinex *diſp. 3. num. 21.* Coninchus *diſp. 10. dub. 3.* De Quiros *1. p. diſp. 4. num. 14. & quaeſt. 1 art. 10 num. 168.* & alij magis communiter contrà Navarrum *in Manuali cap. 12.* & alibi Suarium *tom. 2. de Religione tract. 5. lib. 3. cap. 10.* Leſſium *de juſtitiâ cap. 42. dub. 9. num. 47.* & alios univerſaliter docentes licitam eſſe ac citrà mendacium, locutionem ex juſtâ causâ factam cum reſtrictione purè mentali, hancque poſſe in juramẽtis adhiberi citra perjurium, quæ doctrina mihi diſplicet maximè ex eo, quod nuperrimè emanaverit ſub Innoc. XI. nũc feliciter regnãte damnatio variarum propoſitionũ, inter quas vigeſima ſexta ita habet. *Si quis vel ſolus vel coram aliis, ſivè interrogatus ſive propria ſponte ſivè recreationis causâ, ſivè quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod re verâ fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in qua fecit vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec eſt perjurus.*

Dixi *reſtrictione mentali ſimpliciter & purè tali*, cujus nomine ea venit reticentia, quæ ex verbis exteriùs prolatis & circumſtantiis comitantibus, aut nullatenùs aut difficillimè poteſt prudenter conjici ab audiente, nam quãdo ex propoſitione mutilâ, & verbis integrũ ſenſum non reddentibus, aut aliundè, conſtat loquentem mente retinere aliquid pertinens ad id, quod exteriùs profert, non tàm eſt mentis reſtrictio, quàm obſcura ac minùs expreſsa manifeſtatio, & eam quidem licèt multi Auctores etiam ex iis, qui pro præfixo ſtant aſſerto vocare ſoleant reſtrictionem impropriam ac materialem, & ſub hâc limitatione reſtrictionis mentalis uſum Deo concedant; nihilominùs, ſi nullatenùs mentis reſtrictionem appellaveris, ſed obſcuram & parùm expreſſam manifeſtationem, ſecurius loqueris, & coherentiùs ad id quod jam poſuimus circà amphibologiam ab aliquibus dictã materialem; nec aliter loquendum aut ſentiendum eſse cenſeo.

17. *Reſtrictio mẽtalis reddit locutionem amphibologicam & mẽdacem.* Probatur; locutio facta cum reſtrictione mentali ſimpliciter & purè tali continet formaliter, aut æquivalenter mendacium; ergo Deus non poteſt eâ uti; conſequentia patet; antecedens probatur primò, quia talis locutio eſt amphibologica, eſt enim prolatio verborum habentium duplicem ſenſum, alterum contrà mentem loquentis; at ſecundùm priorem, utpotè quem habent ut continuata cum verbis omninò interiùs retentis, nequeunt ab audiente intelligi, & prudenter ac regulariter intelliguntur ſecundùm poſteriorem, quem habent ut prolata exteriùs, quique eſt loquentis menti difformis; Idem antecedens probatur ſecundò, locutio facta cum mentali reſtrictione ſecundùm totum id, quod in ipſa habet vim ſignificandi eſt difformis conceptui exiſtenti in mente, eſt enim illi inadæquata, & qui v. g. mente concipit non exiſtere Deum falſum, & exteriùs profert *Non exiſtit Deus* reticendo *falſus*, adeò ut audienti nullum appareat reticentiæ argumentum, utique profert verba mutilata & inadæquata conceptui; ergo eidem difformia; ergo formaliter aut æquivalenter mendoſa; cum præſertim ex ſupradictis ad mendacium ſufficiat verba per ſe habere vim fallendi, nec requiratur in loquente fallendi animus.

Dices relata verba eſſe inadæquata conceptui, ſi ſumantur ſecundùm ſe præcisè, ſecùs ſi ſumantur ſecundùm quod componunt unam orationem cum eo, quod reticetur; eſſe autem liberum loquenti orationem, locutionemvè ſuam componere ex terminis partim vocalibus, partim mentalibus, ſicuti eſt eidem liberum illam componere ex terminis partim vocalibus, partim ſcriptis. Deindè dato quòd verba illa ſint inadæquata, non proptereà ſunt mendoſa, niſi quando loquens proteſtaretur ſe aperire totam ſuam mentem, aut ad id teneretur, quod rarò evenit; cæterùm ex genere ſuo, ſicut cognitio inadæquata poteſt eſſe non falſa juxtà illud *Abſtrahentium quod eſt in re non eſt mendacium*; ita locutio inadæquata poteſt eſſe non mendax. Sed contrà; ſi illud, quod reticetur ſit ex circumſtantiis aliqualiter externum & ſenſibile, permitto verba ore prolata poſſe cum eo unam orationem componere, at hinc à mendacio liberatur ſolùm locutio obſcura & manifeſtatio parùm ſenſibilis; non reticentia ſimpliciter & propria reſtrictio mentalis, in quâ quod reticetur & mente retinetur nullatenùs fiat externum, nullatenùs evadat ſenſibile; cum hoc malè omninò ſupponitur verba ore prolata poſſe in unum coire, aut liberum eſſe loquenti ex terminis vocalibus & mentalibus orationem ſuam componere, termini enim purè mentales, ſeù conceptus purè interni, ſicuti non poſſunt ſe ſolis conflare locutionem (ſubintellige, quæ homini fit) ità nec poſſunt in orationem unam coire cum terminis vocalibus ſeù verbis ore prolatis, in quo 18.

Locutio humana non poteſt conſtare terminis partim vocalibus partim mentalibus.

eſt diverſa ratio de iiſdem verbis comparatis ad nutus & ſcripta, hæc quippè ſicuti ſingula poſſunt ex ſe locutionem formare, ità & ſimul quodammodò mixtam orationem componere.

19. Ad illud, quod in inſtantia addebatur, dico cognitionem inadæquatam poſſe eſſe non falſam, ſi ad inadæquatum, ſecùs ſi ad adæquatum, objectum refertatur, & ſimiliter verba inadæquata poſſe eſſe non mendoſa, ſi referantur ad conceptum inadæquatum, ſecùs ſi ad adæquatum; ad quem tamen ex communi lege locutionis verba referuntur, quoties aliud loquens non proteſtatur, & licè nemo teneatur aperire totam ſuam mentem, ideſt omnes mentis ſuæ conceptus, quoties tamen aperit conceptum aliquem tenetur aperire ipſum totum, quia hoc eſt neceſſarium ad ſervandam conformitatem ejus, quod profertur, cum eo quod exiſtit in mente. Impugnatur deniè poſitivè tota inſtantia, & ſimul confirmatur aſſertum ex eo, quia ſemel admiſſa facultate utendi exterius verbis inadæquatis interna conceptui, & componendi in ordine ad eandem locutionem verba ore prolata cum verbis mente retentis, quidquid per mendacium dicitur poterit hac arte dici ſine mendacio, & tamen ſequentur eadem, quæ ex mendacio incommoda; evertetur ſcilicèt & ſuſpecta reddetur omnis fides, evadent impunè doloſa omnia commercia; fruſtrà mendacium prohibebitur, dum poterit reſtrictionibus mentalibus præſtari quidquid præſtatur mendaciis. Neque ceſſant hæc incommoda per hoc, quòd reſtrictionibus uti non liceat niſi cum causâ; ſequentur enim adhuc ea ſaltem quæ ſequerentur ex mendaciis cum causâ prolatis: Neque item perfectè ceſſarent, quando loquens expreſsè aſſeveraret ſe reſtrictionibus non uti; fortè enim in hoc ipſo reſtrictione uteretur, & proteſtaretur quodammodò contrà proprium factum.

20. Erroris actus non poteſt à Deo infundi.

Assert. 3. Non poteſt à Deo infundi actus erroris, etiam independenter ab eo, quòd actus vitalis non poſſit produci ab extrinſeco. Ità Suarez *hic diſp. 3. ſect. 5. num.* 15. & in metaph. *diſp* 34 *ſect.* 13. Coninchus *diſp.* 10. *dub.* 2. Amicus *diſp.* 1 *ſect* 4. Gonetus *diſp.* 1 *art.* 4. §. 2. Gabriel à S Vincentio *diſp.* 1. *dub.* 4. *num.* 177. & 179. aliique Thomiſtæ communiter cum majori parte recentiorum contrà Vaſquium 1. 2. *diſp* 92. *cap.* 4 *&* 3. *part. diſp.* 61. *cap.* 6 *&* 9. Hurtadum *hic diſp.* 28. *ſect.* 6. *ſubſect.* 1. Lugum *diſp.* 4. *ſect.* 3. Madernum *quæſt.* 1. *art.* 50. Herincx *diſput.* 3. *quæſt.* 2. Pontium *in* 3. *diſtinct.* 18. *num.* 29. & alios non paucos, tùm Recentiores, tùm Scotiſtas.

Dixi *etiam independenter ab eo quod*, &c. quia (ut iterùm fatebor infrà in Tractat. de Incarnat. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 11.) etiamſi aliàs pro infuſione actus erroris à Deo faciendâ propenderim ad aſtruendam eam ſolam repugnantiam, quam in meis principiis habet ex genere ſuo actus quilibet vitalis, ne producatur ab extrinſeco ac per conſequens ne producatur in creaturâ à ſolo Deo, hincque facilè admitterem habitui erroneo non repugnare Deo infundi, nihilominùs poſteà, dum hæc ipſa pro typis conſcriberem, doctior aut ſaltem cautior & emendatior factus cenſui aliter eſſe ſentiendum, & repugnantiam infuſionis à Deo ſuſtineri debere non reſpectu ſolius erronei actus, ſed etiam reſpectu erronei habitus, & reſpectu actus non ex ſola ratione genericâ vitalitatis, ſed etiam ex propriâ ratione ſpecificâ falſitatis, ſicque independenter ab eo quod, &c. ideò aſſertum.

Etiamſi aliùndè actus vitalis poſſet produci ab extrinſeco.

21. Probatur repugnat Deum eſſe ex ſe & per ſe cauſam alicujus repugnantis cum ſuâ ſummâ aut bonitate aut veracitate; atqui cum hâc utraque repugnat infuſio erroris, & quidem independenter ab eo, quod ſit actus vitalis, nam vitalitas ex genere ſuo eſt perfectio ſimpliciter, & reperitur in Deo ipſo formaliter; ergo repugnat infuſio erroris, ſeù non poteſt à Deo erroris actus infundi, etiam independenter ab eo quod, &c. Major patet, probatur minor primò quoad repugnantiam cum ſummâ bonitate; cum hâc repugnat, quòd Deus ſit ex ſe & per ſe cauſa alicujus mali moralis; atqui erroris actus eſt malum morale radicaliter, quamvis non ſemper formaliter; quamvis enim non ſit ſemper culpa, eſt ſemper malum intellectus, qui eſt radix totius moralitatis; prætereà ex eo, quòd ſit malum intellectus diſconvenit naturæ intellectuali ſeù rationali quâ tali, penes autem convenientiam aut diſconvenientiam cum naturâ rationali, quâ tali attenditur omnis moralitas ut repetemus iterùm infrà *præcitat. cap.* 3. *num.* 8. excludendo à Chriſto Domino omnem prorsùs errorem, quamvis ſpeculativum; hicque obiter moneo repugnantiam ibi aſſertam & eam, quam aſſerimus in præſenti, fovere ſe mutuò; cum ſicut Chriſtus in ratione ſubjecti, ità Deus in ratione principij ſummam habeat bonitatē ac ſanctitatem; illud igitur, quod ratione moralis malitiæ nequit in Chriſto recipi, nequit pariter per ſe à Deo produci.

Erroris infuſio repugnat ſummæ Dei bonitati.

22. Item ſummæ ejuſdem veracitatis.

Probatur eadē minor, ſecundo quoad repugnantiam cum ſummâ veracitate; Sicut opponitur bonitati malitia, ita veracitati falſitas, ergo illud quod Deo ratione ſummæ bonitatis repugnat in ordine ad malum, eidem ratione ſummæ veracitatis repugnat in ordine ad falſum; atqui ex primo capite Deo repugnat eſſe ex ſe & per ſe cauſam mali moralis, ſivè in ſe, ſivè in aliis, ergo ex ſecundo repugnat eodem modo Deum eſſe cauſam falſi, poſſet autem Deus eſſe per ſe cauſa falſi in alio, ſi poſſet id alij infundere: Ratio univerſalis à priori ſit, quia opponitur perfectioni cujuſlibet virtutis velle actum ei contrarium, in quocūque ſubjecto quis talem actū velit, & peccat v. g. peccato oppoſito temperātiæ aut prudentiæ, qui vult actum intemperantiæ, aut imprudentiæ in alio, non verò ſolum qui vult talem actum in ſe; peccat igitur ſimiliter contrà veracitatem qui vult aut cauſat errorem in alio; atqui quod titulo alicujus virtutis eſt nobis ab intrinſeco illicitum, & peccaminoſum, eſt Deo ſimpliciter repugnans; ergo titulo ſummæ veracitatis Deo ſimpliciter repugnat quod per ſe cauſet errorem in alio.

Dicès primò impugnando minorem quoad primam partem: Ratione ſummæ bonitatis phyſicæ non repugnat Deo producere in

nobis

Digitized by Google

nobis malum phyſicum; ergo nec ratione ſummæ bonitatis moralis repugnat Deo producere in nobis malum morale; ac per conſequens dato, quòd error ſit malum morale, adhuc eius infuſio non habet repugnantiam cum ſummâ Dei bonitate. Quod ſi reſpondeatur ex una parte argumentum nimis probare, quia probat Deum poſſe eſſe cauſam peccati; ex alia parte diſparitatem eſſe, quia principium mali phyſici non ex hoc denominatur malum phyſicè, ſicut principium mali moralis denominatur ex hoc malum moraliter, cum denominatio moralis, non denominatio phyſica, haberi poſſit ab effectu & formâ extrinſecâ. Impugnabitur reſponſio, quia eſſe principium mali moralis ſolùm radicaliter talis non denominat malum moraliter, nec repugnat ſummæ Dei bonitati, ut conſtat in potentiâ peccandi, cujus Deus eſt principium, quamque in nobis cauſat; cum igitur error ſit malum morale ſolùm radicaliter, conſequens eſt, quod ejus infuſio ſeu productio nõ denominet malum moraliter ſuum principium,

24. Malum morale radicaliter eſt in duplici differentia.
pium, nec repugnet Deo. Sed contra: accepto reſponſionem inſtantiæ interpoſitam, quamvis alioqui non unicam, quæ afferri poteſt; ad impugnationem dico malum morale radicaliter aliud eſſe tale poſitivè & per ſe, quod ſcilicet eſt radix determinatè & unicè malum reſpiciens; aliud eſſe tale permiſſivè & quaſi per accidens, quod ſcilicet eſt radix indifferenter reſpiciens malum & bonum; error habitus erroneus, habitus vitioſus ſunt radicaliter mala moralia primo modo; Potentia peccandi, cum ſit formalis ad bonum & malum libertas, eſt radicaliter malum morale ſecundo modo: Non ſubſiſtit igitur illatio & paritas, quâ inſtantia inſtauratur.

25. Dices ſecundò impugnando eandem minorem quoad ſecundam partem: *ex cap. præced. num.* 14. & 15. Summa Dei veracitas non importat niſi perfectionem in dicendo connexam cum perfectione in cognoſcendo, atque adeò ratione veracitatis repugnat Deo illud ſolum, quod opponitur perfectioni aut loquendi aut cognoſcendi; atqui infuſio erroris non opponitur perfectioni loquendi, quia per eam Deus non loqueretur, ſicut nec de facto loquitur per infuſionem ſupernaturalium habituum; & ratio eſt, quia non infunderet Deus errorem, ut ſubſtantem & conformem ſuo interno conceptui, & intendendo aliquem internum conceptum manifeſtare: Non item opponitur perfectioni cognoſcendi, quia per hoc, quòd Deus errorem infunderet non erraret ipſe, imò per id præcisè nequidem cognoſceret; cum errorem infundere ſit operatio mortua & tranſiens, cognoſcere ſit actus

26. vitalis & immanens; ergo. Sed contrà: oppoſitio alia directa & primaria; alia indirecta & ſecundaria; veracitati divinæ directè & primariò tranſeat eſſe contrarium illud ſolum, quod opponitur perfectioni aut loquendi aut cognoſcendi; tranſeat item huic perfectioni non opponi infuſionem erroris; quod quoad locutionem ſpeciali difficultate non caret in Scholâ Scotiſticâ docente Deum, & Angelos loqui per impreſſionem notitiæ ſeu productionem cognitionis factam a loquente in audiente; hæc nihilominus omittendo dico indirectè & ſecundariò eſſe veracitati contrarium illud omne, quod importat falſitatem ex ſe & per ſe intendere ſeu cauſare, in quocumque ſubjecto cauſetur, juxtà rationem univerſalem, de quâ ſuprà *n.* 22. ideò, &c.

27. Repugnantia infundendi errorem extenditur ad habitum.
Ex his habetur neque erroris habitum poſſe à Deo infundi, habitus enim reſpiciens malum morale eſt & ipſe malus moraliter, quamvis magis remote; eſt quippe eo ipſo per ſe cauſa moralis mali, eſt ad iſtud poſitiva & determinata inclinatio, non permiſſiva ſolùm & indifferens tendentia ut eſt ex dictis potentia peccandi; eſt tandem in actu primo id, quod eſt in actu ſecundo ſuus actus; pro quo poterunt plura huic transferri ex dicendis *præcit. cap.* 3. *de Incarn.* §. 1. & 2. Confirmatur: Infuſio habitus ad errorem inclinantis immediatè facta à ſolo Deo eſſet quid extraordinarium, & habens ſpeciem aliquam miraculi; eſſet igitur quaſi miraculum factum in ordine ad errorem producendum; atqui hoc repugnat, ſicuti ex ſtatim dicendis repugnat miraculum factum in ordine ad errorem confirmandum, ſeu pro falſi confirmatione; ergo.

28. Aſſert. 4. Repugnat Deum operari miracula in confirmationem falſi; imò nec per accidens & per abuſum poteſt falſa doctrina confirmari veris miraculis. Prima pars eſt de fide, aut ſaltem innegabilis ſine cenſura gravi. Secunda pars videtur magis communiter ſupponi, & expreſsè traditur à Suario 3. *part. tom* 2. *diſput.* 31. *ſec.* 2. §. *Hac argumenta.* Granado *hic diſp.* 8. *num.* 10 Lugo *diſp.* 2. *ſec.* 1. *nu.* 24. contrà Hurtadum *diſp.* 26 *ſec.* 4. Medinam *de rectâ in Deum fide cap.* 7. Durandum *quæſt.* 1. *prolog. num.* 47. & alios apud Oviedum *hic controv.* 3 *punc.* 4.

29. Miracula non poſſunt a Deo fieri in confirmationem falſi.
Probatur prima pars: Deum operari miracula in confirmationem falſi eſt ipſum loqui & teſtificari aliquid falſum, ſed hoc omninò repugnat, & quod repugnet eſt de fide, aut ſaltem eſt ità certum, ut negari nequeat ſine gravi cenſurâ; ergo repugnat Deum operari miracula, &c. Minor habetur ex eo, quod in præcedentibus dictum eſt Deum non poſſe mentiri, aut falſum dicere; Major probatur; Miracula ſunt aliqua, imò potiſſima ac propriiſſima Dei locutio & teſtificatio, ut partim attigimus *cap. præced. num.* 22. partim confirmatur ex ipſomet Chriſto Domino, qui de mirabilibus à ſe factis dicebat Joan. 10. *Ipſa teſtimonium perhibet de me: operibus credite*, & ex D. Thomâ 3. *p. quæſt.* 43. *art.* 1. *in c.* ubi miracula tanquam ſigillum divinæ auctoritatis comparat annulo Regis, quo litteræ ſignantur; & certè cum miracula nequeant eſſe niſi à Deo virtuteque divina, vix apparet vehementius indicium Dei præſentis volentis, & comprobantis id, in cujus atteſtationem fiunt; undè etiam meritò cenſentur eſſe in myſteriis fidei inſigne argumentum credibilitatis; ergo à primo ad ultimum repugnat Deum operari miracula in confirmationem falſi, hocque eſſet ipſum loqui & teſtificari aliquid falſum.

30\. Nec ad id per accidens & per abuſum inſervire.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Si per accidens & per abuſum poteſt falſa doctrina confirmari vero miraculo, maximè quatenus qui ex divina revelatione aut aliundè prænoſcet miraculum cras v.g. faciendum, & deindè ex ſua pravitate proponat aliquid falſum tanquam verum, addatque faciendum eſſe cras tale miraculum in rei à ſe propoſitæ confirmationem: vel quatenus impertiat Deus alicui poteſtatem ſuſcitandi v. g. mortuum quoties velit, & iſte tali poteſtate abutens mortuum ſuſcitet in teſtimonium falſi; atqui neutro ex his modis poteſt vero miraculo falſum ſeu falſa doctrina confirmari, & in utroque, aliovè quolibet ſimili caſu, tenebitur Deus aut ſuſpendere ac impedire miraculum, aut (quod facilius eſt) apponere tales circumſtantias, ex quibus conſtet miraculum fieri ob bonum finem, & ex alienâ malitia dolosè proponi, tanquàm factum in teſtificationem falſi; alioqui non ſufficienter ſubſiſteret firmitas noſtræ fidei, cujus magnum præſidium ſunt miracula, nec eſſet inviolabilis divina veracitas & auctoritas, ſi poſſet per accidens eſſe mendax, & ſigillo ſuo quamvis manu, ut ita dicam, alienâ appoſito falſam doctrinam obſignare: Certè Princeps tradens ſigillum ſuum aut etiam ſubſcriptionem Miniſtro, & poſteà ſciens hunc eo abuti ad falſas litteras, erit ipſe nec reus falſitatis, ſi impedire valeat nec impediat; Deus igitur, qui ſemper ſcit & ſemper valet impedire abuſum ſuorum miraculorum, quibus tanquàm proprio ſigillo alijs tradito falſum confirmatur, eſſet ſemper falſitatis reus, quoties non impediret; ac per conſequens repugnat omnino, quòd nun impediat.

31\. Ex his infetas, quod ſicut in præmemoratis caſibus tenetur Deus impedire, ne ſua miracula ex alieno abuſu inſerviant ad confirmandum falſum, ita ſi per impoſſibile poſſet ipſe in nobis intercedente miraculo errorem producere, ne haberemus anſam exiſtimandi tale miraculum fieri in confirmationem erroris eo concedente producti, deberet Deus revelare ſeu manifeſtare miraculum ad id non fieri, vel ſe non intendere per ipſum loqui: eo ferè modo, quo ſivè per poſſibile ſive per impoſſibile Deus producat has voces, *Cælum eſt lapideum, Verbum non eſt incarnatum* debeat ſignificare & quaſi proteſtari ſe illas producere materialiter, & ſine animo loquendi per ipſas.

---

§. III.

Vtrùm revelatio ad objectum formale fidei requiſita debeat eſſe explicita & formalis?

32\. Revelatio non omninò explicita ſufficit ad objectum formale fidei.

ASSERT. I. Revelatio ad objectum formale fidei requiſita non debet eſſe, ſeu non eſſe neceſſe quod ſit omnino explicita; quamvis ſi ſit talis, optimè ſufficiat, nec poſſit major revelatio acquiri. Hoc aſſertum communiter ſupponitur, & quoad ſecundam partem patet ex terminis; quoad primam.

Probatur facilè ex eo quod revelatio, qua dicitur omnia ſacramenta cauſare gratiā, omnē hominē eſſe mortalem, non eſt omnino explicita reſpectu cujuſlibet ſacrameti & cujuſlibet hominis in particulari; qui enim dicit omnia Sacramēta nō dicit explicitè ſingula, &c. atqui ut ſit de fide credendū quodlibet Sacramentū in particulari cauſare gratiā ſufficit, quod ſit revelatum omnia Sacramenta, &c. ergo revelatio ad objectum formale fidei requiſita non eſt neceſſe, quod ſit omninò explicita: Minor probatur tùm à poſteriori, quia ſecus obligatio credendi nimis extenuaretur, & multa, quæ de fide creduntur, non poſſent ſuſtineri tanquam de fide credenda aut credibilia; tum à priori, quia omnia Sacramenta & quodlibet Sacramentum in particulari ſunt quoad rem Synonima non minus, quam dicere unâ voce centum, & dicere ſucceſſivè unum, duo, &c. Deus autem in ſuis revelationibus non præcisè terminum, quo utitur, ſed rem ſignificatam, quæ ſub variis terminis Synonimis unica eſt, revelare intendit.

In hâc re adeò facili difficultatem aliquam ſibi movet Arriaga 1 *part. tom. 1. diſp. 1. ſect. 7. ſubſec. 3.* docens revelationem propoſitionis univerſalis non ſufficere ad credenda particularia, niſi fiat ad iſta deſcenſus ſub eodem prorsùs conceptu, imò ſub iiſdem terminis; adeò ut ex revelatione illâ, omnis homo eſt mortalis de fide ſit, hic homo eſt mortalis ille homo eſt mortalis, non verò Petrus eſt mortalis, Paulus eſt mortalis, quia quod hic & ille homo ſit homo, eſt omninò certum & ex terminis notum; non ſic quod Petrus & Paulus ſit homo. Verùm non placet hæc ſubtilitas, & cum ſecundùm ipſummet Arriagam in ly *hic homo* debeat ſubintelligi, ſi exiſtit; etiam de Petro, ſubintelligendo ſi exiſtit ſecundùm illa prædicata, quæ omnes concipiunt nomine Petri, non video cur non ſit per ſe & ex terminis notum, quod ſit homo: Malè igitur in propoſito requiritur deſcenſus ad particularia faciendus ſub iiſdem terminis; quod à fortiori conſtabit ex eo, quod mox ſtatuetur talem deſcenſum ſufficientem ad fidem poſse fieri ad particularia, de quorum continentia ſub revelatione univerſali habeatur dumtaxat certitudo moralis. Pro quo. 33.

34\.

Recolendum ex *præced. tract. de Gratia li. 3. cap. 3. num. 25.* certitudinem moralem aliam eſſe infimam, aliam mediam, aliam ſummam; & hanc excludere non ſolum dubium, non ſolum actualem formidinem, ſed etiam moralem potentiam formidandi; talis eſt certitudo, quam communiter habemus de eo quod Roma exiſtat; quod Cicero, quod Virgilius extiterit. Certitudo moralis triplex.

35\. Revelatio univerſalis extenditur ad particularia ſub ſe contenta etiam ſolâ certitudine morali.

Aſſert. 2. Revelatio univerſalis eſt ſufficiens ad credenda particularia ſub ſe implicitè contenta, etiamſi de tali continentia habeatur dumtaxat certitudo moralis, dummodò hæc ſit in tali genere ſumma. Ità Hurtadus *hic diſp. 11. ſec. 3. num. 25.* Lugus *diſp. 1. ſec. 13. §. 4.* Suarez *diſp. 3. ſec. 11. n. 6.* & in univerſum quicumque ſine ulla limitatione docent revelationem univerſalem ſufficere ad credenda particularia contrà Arriagam *hic diſp. 6. ſec. 1. & tom. 1. præcit. ſec. 7.* & alios plures.

Probatur:

Digitized by Google

Probatur: Ad credendum fide divinâ ſufficit, quòd ſit certa moraliter applicatio divinæ revelationis ad objectum credibile; ſed per hoc quod habeatur certitudo moralis de continentiâ alicujus particularis ſub revelatione univerſali eſt certa moraliter applicatio divinæ revelationis ad tale particulare; ergo revelatio univerſalis eſt ſufficiens ad credenda particularia, etiamſi &c. Minor patet quia eâdem ratione, quâ conſtat aliquid contineri ſub revelatione, conſtat applicatam ei eſſe revelationem, cum hæc duo pro re præſenti idem ſonent, eadem igitur certitudo, quæ habetur de continentia ſub revelatione, habetur de applicatione revelationis: Major probatur, ad credendum fide divina ſufficit applicatio divinæ revelationis facta per auctoritatem Eccleſiæ etiam ſub eâ ratione ſub quâ talis auctoritas eſt purè humana *ex cap. præced. num.* 41. *&* 42. ſed applicatio ſic facta non poteſt eſſe certa pluſquàm moraliter; ergo. Et ratio à priori eſt, quia certitudo moralis ſumma de quâ aſſertum procedit & quam Eccleſiæ auctoritas humana inducit, ſufficit ad evidentiam credibilitatis, ad fidem autem nihil amplius prærequiritur ex parte revelationis, quàm evidens
36. credibilitas de ipſius applicatione. Arridet deindè ſpecialiter tota hæc doctrina ex eo etiã capite, quod facilem aperiat viam ad explicandum; quomodò de fide ſit hunc numero Pontificem à totâ Eccleſiâ receptum eſſe verum Pontificem? quod nec negari, nec ſine doctrinâ hujus aſſerti adeò benè ſuſtineri poteſt, ut conſtabit *ex § ſeq.*

Dices: Si certitudo ſolùm moralis de continentiâ alicujus particularis ſub revelatione univerſali ſufficeret ad credendum fide divinâ tale particulare, daretur fides divina habens certitudinem ſolùm moralem; ſed hoc dici non poteſt: ergo. Sequela majoris probatur, fides divina habet certitudinem dependenter à revelatione ſeu dependenter à continentiâ ſui objecti, ſub revelatione; ergo non poteſt habere certitudinem majorem certitudine talis continentiæ, ac per conſequens ſi de tali continentiâ habeatur certitudo ſolùm moralis, conſequens eſt quòd fides divina habeat certi-
37. tudinem ſolùm moralem. Sed contrà: inſtantia militat non ſolùm contrà certitudinem moralem de continentiâ, &c. verùm etiam contrà quancunque certitudinem naturalem phyſicam, imò & metaphyſicam; cum fides divina habere debeat certitudinem non ſolùm morali, verùm etiam quacunque naturali certitudine majorem. Quia tamen hoc totum libenter concedetur ab Adverſariis, præſertim ab Arriaga; ad inſtantiam directè nego ſequelam majoris, ad probationem dico aliud eſſe dependere à revelatione ſeù continentiâ objecti ſub revelatione, aliud dependere à certitudine talis continentiæ; prima dependentia eſt tanquam à ratione formali aſſentiendi, non ſecunda; ideò certitudo actus fidei poteſt eſſe major, quàm prævia certitudo revelationis ſeù continentiæ ſub revelatione, ſi talis aliqua certitudo præcedat, nam neceſſe id non eſt, & ſufficit præcedere circà revelationem ſimplicem notitiam evidentis credibilitatis, ut attigimus *capite præcedenti*, *num.* 56. *&* 63.

Urgebis: Habetur de facto certitudo moralis de continentiâ plurium particularium ſub revelatione univerſali abſque eo, quod de illis particularibus detur fides divina, ergo quia ad hanc non ſufficit certitudo moralis de continentiâ, &c. antecedens probatur, quia ex unâ parte de fide eſt & univerſaliter revelatum omnem infantem ritè baptizatum eſſe in gratiâ, omnem hoſtiam ritè conſecratam continere corpus Chriſti; ex alia parte de infante, quem nos baptizavimus, de hoſtiâ quàm Sacerdos adorandam proponit, habemus moralem certitudinem, quòd ille ſit ritè baptizatus, iſta ſit ritè conſecrata; alioqui deberemus illum ſub conditione rebaptizare; iſtam tantùm ſub conditione adorare, & tamen non tenemur, imò non poſſumus credere fide divinâ illum infantem eſſe in gratiâ; iſtam hoſtiam
continere corpus Chriſti; ergo. Sed contrà: 38. Debet aſſerta certitudo moralis eſſe in tali genere ſumma, & cur?
non otiosè oppoſitæ ſunt in aſſerto particulæ illæ, *dummodò hæc ſit in tali genere ſumma*, ideò diſtinguo antecedens, habetur de facto certitudo moralis media ac non ſumma de cõtinentiâ, &c. concedo antecedens, habetur de facto certitudo moralis ſumma de continentiâ &c. nego antecedens eademque diſtinctione utor ad conſequentiam; ad probationem antecedentis dico non eſſe certitudinem moralem ſummam illam, quam communiter habemus de infante ritè baptizato, de hoſtia ritè conſecrata; nam licèt motiva formidandi, ſint levia, motiva aſſentiendi non ſunt omninò vehementia, quia non nituntur communi quadam & univerſali auctoritate, quâ accedente etiam in exemplis adductis haberetur certitudo moralis ſumma; undè Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *tom. 3. Biblioth. Theolog. lib. 3. ſect. 4. cap.* 10 circa finem, item Gonetus *hic diſput.* 4. *num.* 110. docent quod ſi daretur unica hoſtia, quam tota Eccleſia ut ritè conſecratam adoraret adorandamque proponeret, eſſet de fide talem hoſtiam in particulari continere corpus Chriſti, eademque ratione foret de fide eſſe ab originali juſtificatum eum, quem tota Eccleſia proponeret ut ritè baptizatum, ſicuti tanquam talem, implicitè ſaltem ac indirectè, proponit eum, quem recipit ut legitimè electum veromque Pontificem. Illud quod adde-
barur de infante ſub conditione rebaptizando, de hoſtiâ ſub conditione adorandâ, non probat intentum, quia rebaptizatio & adoratio ſub conditione non eſt ponenda, niſi ex prudenti & rationabili dubio oppoſiti, quod dubium excluditur per certitudinem moralem etiam non ſummam de baptiſmo & conſecratione ritè factis, quâ de re plura Logus *præcit.* §. 4. *n.* 318. *& ſeqq.* 39.

Quæ hucuſque dicta ſunt de revelatione 40. Revelatio totius extenditur ad partes eodem modo quo revelatio univerſalis ad particularia.
univerſali in ordine ad particularia ſub tali univerſali contenta procedunt proportionaliter de revelatione totius in ordine ad partes tale totum conſtituentis, ſive phyſicæ, ſive metaphyſicæ ſint; adeò ut ex eo præcisè quòd revelatum v.g. ſit Chriſtum eſſe hominem, ſi aliundè conſtet certitudine ſaltem morali ſummâ animum & corpus eſſe partes phyſi-

Digitized by Google

cas, animalitatem & rationalitatem eſſe partes metaphyſicas hominis, ſit de fide credendum Chriſtum habere animam & corpus, animalitatem & rationalitatem; quamvis etiam in hoc puncto adverſetur Arriaga *præcit ſect.*1. cujus fundamentum eſt, quod ex unâ parte revelatio definiti non revelet identitatem ipſius cum definitione, & ex aliâ circà rerum definitiones ſæpè ſint magni errores, magnaque opinionum diſſidia, conſequens eſt igitur non poſſe credi definitionem ex revelatione definiti, niſi ſimul reveletur definitio ipſa ut conveniens

41. definito. Sed impugnatur hoc fundamentum, quia revelans definitum, quamvis non revelet ſignificatè & explicitè identitatem ipſius cum definitione, revelat tamen exercitè & implicitè; adveniente deindè (explicativè, non motivè) certitudine de bonitate definitionis revelatio redditur explicita & obligans ad definitionem credendam: Nec refert, quòd circà definitiones ſæpè contingant errores & diſſidia, quia hæc non contingunt circà illas, de quarum bonitate habetur certitudo ſaltem moralis ſumma, & de his ſolis doctrina noſtra procedit. Vndè etiam immeritò nobis objicit Arriaga fore de fide, quòd Chriſtus in templo habuerit ubi accidentale diſtinctum; eò quod ipſi certiſſimum ſit corpus conſtitui in loco per tale ubi, Immeritò, inquam, quia de re controverſa, & extrà Societatem à majori Scholaſticorum parte non admiſſa, non datur ſumma certitudo moralis, quam certè, dum plures alij contradicunt, nec Arriagæ nec omnium Doctorum Societatis auctoritas poteſt inducere, & dum Arriaga ait id eſſe ſibi certiſſimum, ſi loquatur de certitudine impropria importante quamcunque firmam mentis adhæſionem, etiam ex arbitrario voluntatis affectu provenientem, libenter id ei indulgebo, at non ſufficit ad intentum: ſi loquatur de certitudine propria conjuncta cum infallibilitate, & proveniente ex merito formalis objecti, tenebitur aſſignare objectum formale ac motivum ſuæ maximæ certitudinis, in quo fruſtra laborabit, interim ne hæreas in allatis terminis propriæ & impropriæ certitudinis recole *Theologiæ prolegomena c.*2.*n.*11.

Certitudo alia impropria & adhæſiva; alia propria, & objectiva.

Et ecce ſatisfactum primo tituli membro, abundeque, ni fallor, oſtenſum non requiri ad objectum formale fidei revelationem explicitam, ſed ſufficere implicitam, dummodò formalis ſit; ulteriùs pergimus ad alterum membrum de revelatione formali quærendo, utrùm iſta requiratur, an ſufficiat implicita? etiam non formalis ſed virtualis tantùm, vel (ut alij vocant) mediatâ, & datur reſpectu eorum quæ radicaliter, non formaliter continentur in re explicitè revelatâ; taliter continetur riſibilitas in homine, calor in igne.

42. Revelatio virtualis quid?

ASSERT.3. Revelatio requiſita ad objectum formale fidei non eſt neceſſe quod ſit formalis, ſed virtualis ſufficit; ſunt ſcilicet credenda ex fide ea etiam, ſuper quæ divina revelatio ſolùm virtualiter cadit. Ità Vega *lib.*9. *in Trid. cap.*29. Amicus *hic diſp* 2. *num.*190 Albertinus *corol.*3. *ex* 1 *princip. Philoſop. punct.*1. *num.* 18. & apud iſtos alij (quos aut non vidi in fonte, aut inveni obſcuriùs loquentes) contrà Valentiam *hic diſp.*1. *quæſt* 1. *punct.* 2. §. *Diligenter autem* Suarium *diſp.* 3. *ſect* 12. *num.* 7. Lugum *diſp.*1. *ſect.*13. *num.*261. Gabrielem à S Vincentio *diſp.*1. *num.*113. Cajetanum 1. *p. quæſt.*1. *art.*2. §. *Ad quartum* Molin. *eod art. diſp.*1. & 2. & hic poſtremus Auctor cum aliis nonnullis vult veritates virtualiter revelatas neque etiam poſtquàm ſunt ab Eccleſia definitæ ad fidem pertinere, qua in extenſione ei non conſentiunt, Suarez, Lugus, Gabriel à S. Vincentio, cæterique magis communiter.

Sufficit ad objectum formale fidei.

Probatur. Revelatio virtualis tam certificat intellectum & tam poteſt ſufficienter proponi, quàm revelatio formalis; ergo revelatio requiſita ad objectum formale fidei non eſt neceſſe, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, omne Dei teſtimonium, ſivè formale ſivè virtuale ſit, eſt æquè infallibile, & ſicuti ex ſupradictis *num* 9. æquè infallibiliter Deus loquitur quando per alium, ac quando per ſe loquitur, ita æque infallibiliter revelat quod revelat in alio & virtualiter, ac quod revelat in ſe & formaliter; ſed teſtimonium divinum ſeù revelatio certificat intellectum ratione ſuæ infallibilitatis; ergo revelatio virtualis tàm certificat, quàm revelatio formalis. Probatur antecedens quoad ſecundam partem; ſicuti revelatio formalis ſufficienter proponitur, quando habetur certitudo ſaltem moralis ſūma de formali continentia rei ſub objecto expreſsè revelato; ita ſufficienter proponetur revelatio virtualis, ſi habeatur æqualis certitudo de virtuali continentia rei ſub eodem objecto; atqui de tali virtuali continentia ſæpè habetur certitudo pluſquam moralis ſumma; ut patet in virtuali continentia riſibilitatis ſub homine, caloris ſub igne, &c. 43.

43. Certificat intellectum & ſufficienter proponitur æquè ac revelatio formalis.

Dices non eſſe eandem rationem de virtuali, ac de formali continentia, quæ enim continentur formaliter, ſicuti ſunt omninò idem & impræſcindibilia ab eo, in quo formaliter continentur: ità certum eſt per iſtius revelationem revelari; at quæ continentur radicaliter ſicuti ab eo, in quo radicaliter continentur, poſſunt præſcindi & quandoque realiter ſeparari quoad eſſe ità & quoad revelati; nec ex vi revelationis terminatæ ad radicalitèr continens debent cenſeri revelata, niſi id aliundè ſpecialiter conſtet. Sed contrà: inſtantia rectè probat in ordine ad potentiam abſolutam, ſecundùm quam licèt nequeat revelari continens, non revelatis implicitè iis quæ formaliter cōtinet, revelari rectè poteſt non revelatis iis quæ continet virtualiter; at nihil probat in ordine ad potentiam ordinariam, ſecundum quam continens ſicuti nunquàm ſeparatur quoad eſſe, ita nec quoad revelari ab iis quæ virtualiter ſeù radicaliter continet; revelatio enim de potentia ordinaria manifeſtat rem juxtà ſuam naturam, & prout eſt tùm in ſe tùm in ſcientia divina, hiſce autem modis certum eſt rem quamlibet importare ea etiam, quæ virtualiter ſeu radicaliter continet, ideò, &c. 44.

Probatur inſuper aſſertum ſigillatim contrà eos, qui docent veritates virtualiter revelatas eſſe ſufficiens fidei objectum ſolùm, ſi ſint ab Eccleſia definitæ: Definitio Eccleſiæ non eſt nova revelatio veritatis, quæ definitur, 45.

45. Si non ſufficeret ad objectum formale fidei Eccleſia non

ſed

poſſet definite de fide ullam veritatem virtualiter revelatam.

ſed ſolùm eſt explicatio ſeu major applicatio revelationis antecedenter factæ; vt ſuppono *ex præced. cap.* 1 *num.* 12. & 24. ergo veritates virtualiter revelatæ poſt definitionem Eccleſiæ ſunt ſufficiens fidei objectum, & ſufficienter revelatæ, tales erant etiam antè Eccleſiæ definitionem, nec antè hanc deerat revelationi ſufficientia objecti formalis, ſed ſolum ſufficientia applicationis propoſitionis, quæ eſt pura conditio.

Dices: Quando Eccleſia definit aliquam veritatem virtualiter revelatã reſpectu talis veritatis revelatio, quæ erat implicita & virtualis, fit explicita & formalis; ergo ex eo quod poſt definitionem Eccleſiæ veritas virtualiter revelata ſit ſufficiens objectum fidei, malè infertur quod ſit ſufficiens ad fidem virtualis revelatio: & ratio ulterior eſt, quia qui veritati virtualiter revelatæ aſſentitur poſt definitionem Eccleſiæ, ei aſſentitur omninò immediatè nulloque adhibito principio naturali; antè definitionem verò non poterat præſtari niſi aſſenſus mediatus & dependens à principio ſic verbi gratia huic veritati ab Eccleſiâ contrà Monothelitas definitæ, Chriſtus habet duas voluntates, modò præſtatur immediatus aſſenſus ex vi revelationis, antè definitionem non poterat præſtari & vi revelationis aſſenſus niſi mediatus & dependens ab hoc principio naturali, ubi ſunt duæ voluntates. Sed contrà: per definitionem Eccleſiæ, revelatio de implicitâ quidem fit explicita, at non de virtuali formalis; eadem enim revelatio poteſt ſucceſſivè eſſe implicita & explicita, quod pendet a ſolo modo applicationis at non poteſt fieri de virtuali formalis, quod ſpectat ad ſubſtantiam revelationis, & importat diverſam attingentiam objecti in alio, & in ſe: & Eccleſia definiens de fide veritatem illam, Chriſtus habet duas voluntates, proponit quidem illam ut revelatam, & ſuâ propoſitione reddit revelationem explicitam, at non proponit ut revelatam in ſe nec reddit revelationem formalem. Ad illud, quod additur, dico ſi ly *mediatè & immediatè*, cadat ſuprà rationem aſſentiendi tàm antè quam poſt definitionem Eccleſiæ aſſenſum, qui præſtatur veritati virtualiter revelatæ, eſſe immediatum; & principium naturale, quod ſolet intervenire, mediat præcisè ut conditio applicans & explicans, non ut ratio aſſentiendi; ſi ly *mediatè & immediatè* cadat ſuprà medium applicans & explicans concedo aſſenſum qui præſtatur veritati virtualiter revelatæ, eſſe poſt Eccleſiæ definitionem immediatum, antè definitionem mediatum; at hoc nihil eſt aliud, quàm revelationem virtualem nullâ indigere explicatione ſi ſit definita, indigere verò ſi non ſit definita ab Eccleſiâ; at quid hinc contrà noſtrum aut quæ repugnantia in eo quod aſſenſus fidei pendeat ab aliquo principio naturali explicativè, non motivè ſe habente: Quâ de re aliquid amplius dicetur *cap.* 5. §. 2. attingendo modum, quo fides poſſit eſſe diſcurſiva.

46. *Revelatio eadem poteſt fieri de implicita explicita, non de virtuali formalis.*

Aſſenſus fidei poteſt eſſe mediatus medio explicativè non motivè ſe habente.

§. IV.

Dubium incidens, An & Quomodò de fide ſit, & ſufficienter revelatum hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificem?

Assert. 1. Eſt ſimpliciter, & immediatè, de fide hunc numero Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe verum Pontificem, id eſt verum Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium; etiam antequam aliquid ex cathedra definiat. Ita Valentia *hic diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 7. § 38. Suarez *diſput.* 10. *ſec.* 5. Amicus *diſput.* 1. *ſec.* 5. Lugus *diſput.* 1. *ſec.* 11. §. 5. Arriaga *diſput* 7. *ſec.* 8. Joannes à S. Thomâ *diſp.* 8. *artic.* 2. Gonetus *diſp.* 4. *art.* 4. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 1. *dub.* 16. §. 8 Madernus *quæſt.* 1. *artic.* 18. Dominicus à SS. Trinitate *tom.* 3. *Biblioth. Theolog. lib* 3. *ſec.* 4. *cap.* 10. cæterique Theologi noſtri temporis contrà nonnullos Antiquos, inter quos Suarez recenſet Cajetanum, Bannezium, Cano, Vegam, Cordubam, Turrecrematam, & Alphonſum à Caſtro, nihilominus Ioannes à S. Thoma ſolum Alphonſum à Caſtro apertè collocat in ſententia oppoſitâ, reliquos exiſtimat trahi poſſe in bonum ſenſum. Cujuſcumque deindè ſit ſententia apertè oppoſita tribuens certitudinem moralem duntaxat, aut ad ſummum theologicam, veritati à nobis aſſertæ de fide, utrùm tolerabilis ſit, & à cenſurâ immunis? diverſum eſt diverſorum judicium; Gabriel à S. Vincentio *præcit.* §. 8. *num.* 158. ab omni cenſurâ abſtinet Gonetus *num.* 117. ſchiſmatis, non hæreſis cenſuram innuit: Dominicus à Sanctiſſimâ Trinitate *præcitat. cap.* 10 §. *Circà quam*, notat ut ſuſpectum de hæreſi, idem videtur eſſe judicium Amici *num.* 181. Suarez *num* 9. Arriaga *num.* 56. & Ioannes à S. Thomâ *num.* 16 non excuſant ab hæreſi. 47.

Eſt ſimpliciter de fide hunc numero Pontificem ab Eccleſia receptum eſſe verè talem.

Cenſura & judicium ſententiæ oppoſitæ.

Dixi *ſimpliciter & immediatè*, quia omnem veritatem habentem certitudinem theologicam aliqui dicunt eſſe de fide mediatè, & ſecundùm quid, ſeu per ſe ſecundò; ut igitur ſignificaremus ſuſtineri à nobis in veritate aſſertâ certitudinem theologicâ majorem, & in toto rigore de fide, poſuimus particulas illas, *ſimpliciter & immediatè*. 48.

Quid ut de fide mediatè & per ſe ſecundò?

Dixi *ab univerſâ Eccleſiâ receptum*, nam antè communem & pacificam Eccleſiæ acceptationem ſi dubium aliquod, diſſidiumvè, oriatur circà electionem, aut Pontificem electum, pro tunc ſicuti nemo ab Eccleſiâ proponitur ut Pontifex verus ac legitimè electus, ità nemo ut talis credendus de fide eſt. Quandonam verò cenſeatur ab univerſâ Eccleſiâ acceptatus, quantùm neceſſe eſt ad hoc ut reddatur de fide credendus; Utrùm ubi primùm Cardinales in ejus electionem conſenſerunt ipſumque ut legitimum Petri ſucceſſorem adorarunt? aut ſaltem poſtquàm iidem Cardinales eundem promulgarunt in loco electionis abſque ulla fidelium ibidem exi- 49.

Quandonam Pontifex cenſeatur receptus à tota Eccleſia?

ſtentium

ſtentium publicâ contradictione ? an verò dumtaxat, quando te per omnes Catholici orbis partes diffuſâ ab omnibus paulatim fidelibus ubique locorum aut expreſse aut tacitè comprobatur, ot legitima, electiu promulgata ? pauci examinant, attingit id obiter Suarez *præcit ſec.5 .num.6.* Joannes à S. Thoma *præcit.art.2.num.21.* & magis ex profeſſo Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *præcitat. cap.10. conc.2. & 3.* Inſinuabo quod certum eſt: eſt ſcilicet certum ad reddendam de fide legitimitatem Pontificis non poſſe quidquam amplius requiri, quàm famam legitimæ electionis toto orbe catholico diffuſam abſque ullâ fidelium contradictione: Certum eſt inſuper Cardinalium conſenſionem in electione ſervatis ſervandis factâ, accedente prætertim comprobatione fidelium in electionis loco commorantium ſufficienter inducere obligationem obedientiæ, & charitatis ad ſubjiciendum ſe Pontifici electo, nec poſſe quemquam ſe ſubtrahere ſine ſchiſmate: utrum verò eadem conſenſio ſufficiat ad credendam de fide legitimitatem Pontificis ex eo, quod Cardinales ſede vacante congregati repræſentent quodammodò totam Eccleſiam, & æquivaleant generali Concilio ? judicent alij.

50. Dixi *etiam antequam aliquid ex cathedrâ definiat* propter limitationem nonnullorum volentium etiam ſuppoſitâ acceptatione univerſæ Eccleſiæ non incipere eſſe de fide legitimitatem Pontificis, niſi quando definit aliquid ſpectans ad fidem, aut ad communem inſtitutionem morum, aut exercet reſpectu univerſæ Eccleſiæ miniſterium aliquod Pontificis proprium, ut eſt indicatio univerſalis jubilæi; ità videtur ſentire Valentia *præcit.* §.38 circà finem. Verùm independenter ab hac conditione aſſertum.

Probatur ex Conſtitutione Martini V. quæ habetur in Concilio Conſtantienſi poſt *ſeſſ. 45.* & inter interrogationes faciendas ſuſpectis de hæreſi hanc ſtatuit, *Item utrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expreſſo ſit ſucceſſor B. Petri habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei ?* Hæc verba, cum requirant actum credendi, & loquantur de Pontifice in particulari, qui pro tempore exiſtit, nec mẽtionem faciãt ullius definitionis ex cathedrâ factæ, adamuſſim continent quidquid neceſſarium eſt ad aſſerti probationem. Confirmatur: eſt

51. de fide ſimpliciter & immediatè hanc numero Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, ergo pariter de fide eſt hunc numero Pontificem ab univerſâ Eccleſia receptum eſſe verum Pontificem; antecedens patet, quia inter cæteros articulos credimus *unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam*; conſequentia probatur Eccleſiæ viſibilis, quam credimus, Pontifex eſt viſibile caput; ergo credendo hãc numero veram Eccleſiam debemus credere hũc numero verum Pontificẽ, alioqui crederemus Eccleſiam imperfectam, mutilam, & acephalã, crederemus inſuper Eccleſiam ſine ſpeciali aſſiſtentiâ Spiritus ſancti in ordine ad res fidei cum per nos *ex præc ca.2.n 38.* talis aſſiſtentia ſit promiſſa ſummo Pontifici, non Eccleſiæ ut ſejunctæ à Pontifice. Confirmatur inſuper ex doctrina ſequentis aſſerti, in quo ſtatuetur ſufficientia divinæ revelationis circà veritatem hujus numero Pontificis ab Eccleſia recepti, conſtat autem apud omnes eſſe de fide credendam veritatem ſufficienter revelatam. Sit igitur,

Aſſert.2. In eo quod Deus univerſaliter revelavit omnem Pontificem legitimè electum eſſe verum Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium eſt ſufficienter, immediatè, & per ſe revelatum talem eſſe hunc numero Pontificem ab univerſâ Eccleſia receptum. Ità Amicus *hic diſput.4. ſec.5. num 168.* Suarez *ſec.5. num.6.* Madernus *quæſt. . art . 8. num.4. & 10.* Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *præcit. cap 10.§. eadem inſuper*, & aliqui alij contrà eos in primis, qui exiſtimant revelationem univerſalem non extendi ad particularia, de quorum continentia non habetur certitudo major morali; & deindè contrà eos, qui revelationem de legitimitate hujus numero Pontificis explicant aliquo ex modis infrà impugnandis. 52.

Eſt univerſaliter revelatum omnem Pontificem legitime electum eſſe verum Petri ſucceſſorem.

Probatur aſſertum primò: & quidem & quod Deus univerſaliter revelaverit omnem Pontificem legitimè electum eſſe, &c. habetur ex verbis Chriſti Matt 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Jo.21. *paſce oves meas* Luc. 22. *Confirma fratres tuos*; quæ & ſimilia intelligenda ſunt univerſaliter, nec fuerunt dicta Petro ut perſonæ particulari, ſed ut Paſtori univerſali uſque ad finem mundi permanſuro in perſona aliorũ Paſtorum univerſaliũ & legitimè ſuccedẽtium, ſicuti ly *Eccleſiam meam, oves meas, fratres tuos*, nõ extenditur ſolum ad Eccleſiam oves, & fratres exiſtentes eo tempore, quo Chriſtus ita loquebatur, ſed ſimul ad omnes impoſterum ſucceſſivè extituros; quâ de re plura Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *præcit ſec.4. cap.6.* & Gonetus *diſput.4. art.3.* Suppoſita tali revelatione univerſali quod in ea immediatè & per ſe revelatum ſit hunc numero Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe verum Petri ſucceſſorem ſic oſtendo, ex ſupradictis revelatio univerſalis immediatè, & per ſe extenditur ad omnia particularia ſub ſe contenta, etiamſi de tali continentia habeatur dumtaxat certitudo moralis, dummodo ſumma; ſed Pontifex ab univerſâ Eccleſia receptus eſt particulare contentum ſub illa univerſali, omnis Pontifex legitimè electus, hocque eſt certum ſaltem ſumma certitudine morali, quia hanc ſaltem, ſi non majorem, cauſat conſenſus univerſæ Eccleſiæ recipientis Pontificem, tanquam legitimè electum, ergo.

53. Eſt id etiam in particulari revelatum de quolibet Pontifice recepto ab Eccleſia.

Probatur ſecundò impugnando duos præcipuos modos quibus ſolet aliter explicari revelatio de legitimitate ſeu veritate hujus numero Pontificis.

Primus eſt contineri talem revelationem in duplici revelatione univerſali, qua revelatum eſt ex una parte omnem Pontificem legitimè electum eſſe verum Petri ſucceſſorem, & ex alia Eccleſiam univerſam in rebus fidei nunquam erraturam. Ità Gonetus *præcit. artic. 4. num.110.*

Digitized by Google

*n.*110. Io. à S. Tho. *n.*23. Lugus *num.* 330. & alij plures. Sed impugnatur hic modus quia, quòd revelatum eſt univerſam Eccleſiam in rebus fidei errare non poſſe, non procedit de Eccleſia á ſuo capite & à Sum. Pont. ſejunctâ; ſpecialis enim Spiritus S. aſſiſtentia, ex quâ oritur infallibilis illa ab errore immunitas, promiſſa eſt Sum. Pont. & Eccleſiæ ut Sum. Pont. tanquàm Capiti conjunctæ, non Cardinalium, aut Epiſcoporum, aut aliorum fidelium cœtui ſecundùm ſe ex *præced. c.* 2. *n.* 39.

Secundus eſt de veritate hujus numero Pōtificis non haberi revelationē factam propriè loquendo interiùs aut exteriùs; habere tamen revelationem in actu exercito, quatenùs Deus non permittit ut toti Eccleſiæ, aut à tota Eccleſia, proponatur indubitanter ut verus Pontifex, niſi ille, qui reverà talis eſt. Ità Arriaga

55. *præcit ſect.* 8. *n.* 51. Sed impugnatur primò, quia in hunc dicendi modum Arriaga trahitur duplici falſo principio, quo ex verâ parte negat revelatione univerſali revelari particularia ſub eodem omninò conceptu & nomine non expreſſa, ex alia parte affirmat ſucceſſivè fieri Eccleſiæ aliquas novas revelationes, illud autem *c.* 1. §. 4. iſtud *præced. n.* 33. improbatum eſt. Secundò, quia minùs propriè & minùs rigoroſè ſalvat eſſe revelatum ac de fide hunc numero Pontificem eſſe verum Petri ſucceſſorem. Tertiò, quia revelatio in actu exercito, & non permiſſio errandi, de qua Arriaga loquitur, non poteſt aliundè haberi, quàm ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, hanc autem ex jam dictis non habet Eccleſia, niſi ut conjuncta Summo Pontifici. Neque dicas talem aſſiſtentiam in ordine ad reliqua convenire quidem Eccleſiæ, dumtaxat ut conjunctæ Sum. Pontifici, at in ordine ad recipiendum ipſum Pontificem convenire Eccleſiæ ſecundùm ſe. Contrà enim, videtur hoc dici aut gratis, aut cum petitione principij libenter tamen id admitto, at non exiſtimo eſſe tàm certum, quàm certum eſt Pontificem ab Eccleſia receptum eſſe verè talem, adeoque non rectè ponitur hanc veritatem ab illa pendere.

Majoris doctrinæ gratiâ ſubjicio nonnulla dubia, quorum reſponſio erit una ſimul ſolutio difficultatum militantium contrà aſſertam de fide veritatem hujus numero Pontificis ab Eccleſia recepti, ut nuper communi totius Catholici orbis plauſu, ne dum conſenſu, receptus eſt Innocentius XI.

Dubitatur primò: Utrùm de fide ſit Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe validè baptizatum? Ratio dubitandi eſt, quia ex unâ parte ſine baptiſmo non datur capacitas Pontificatus, neque enim poteſt eſſe Eccleſiæ caput qui non eſt Eccleſiæ membrum, imò qui non eſt ingreſſus Eccleſiam per baptiſmum unicam talis ingreſſus januam; ex alia parte de Benedicto Odeſcalcho v.g. in Innocent. XI. electo, toto tempore antecedente electionem non fuit de fide, quod eſſet validè baptizatus, tempore autem comitante & ſubſequente electionem non eſt facta nova ulla Dei revelatio, aut Eccleſiæ definitio de ipſius Baptiſmo. Reſpondetur ad dubium, affirmativè cum Lugo *præcit.*

56. Eſt de fide Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe validè baptizatum.

§. 5. *n.* 330. Arriaga *n.* 51. Gabriele à S. Vincentio *n.* 561. &c. contrà Gonet. *n.* 114. Io. à S. Tho. *n.* 16. Dominicum à ſanctiſ. Trinit. *in reſp ad* 1. & Suar. *n.* 7. Infertur affirmativa reſponſio ex eo, quod per nos revelatio virtualis ſufficit ad reddendum aliquid de fide, cadit autem revelatio virtualis ſuper omnem proprietatem, aut quaſi proprietatem neceſſariò convenientem rei formaliter revelatæ; cum igitur baptiſmus ſit quædam affectio neceſſariò connexa cum vero Pontificatu, revelatio cadens formaliter ſuprà verum Innoc. XI. Pontificatum cadit virtualiter ſuprà validum ejuſdem Baptiſmum. Accedit quod ex infrà dicendis *c.* 5. *n.* 19. concluſio deducta ex duabus præmiſſis de fide, quâvis formaliter & ut deducta habeat ſolùm certitudinem Theologicam ſpecificativè tamen & materialiter eſt de fide, atqui hunc numero Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe validè baptizatum eſſe poteſt concluſio deducta ex his duabus præmiſſis de fide, Omnis verus Pontifex eſt validè baptizatus. Hic Pontifex ab univerſa Eccleſia receptus eſt verus Pontifex. Ad rationem dubitandi pro parte negativâ dico tempore ſubſequente electionem, quo Pontifex ab univerſa Eccleſia recipitur, etiamſi non fiat nova revelatio, fieri novam applicationem tùm revelationis cadentis formaliter ſuprà verum Pontificatum hujus numero Pontificis, tùm revelationis univerſalis, quâ de fide eſt omnem verum Pontificem eſſe validè baptizatum.

Dubitatur ſecundò, utrùm pariter de fide ſit Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe virum, & eſſe validè ordinatum ſeù habere poteſtatem ordinis? Reſpondetur quoad eſſe virum idem ſentiendum, quod de baptiſmo, nam ſine ſexu virili nō minùs, quàm ſine baptiſmo non datur capacitas Pōtificatus, & illud utrumque de jure divino requiritur ad verum Pontificatum, nec alio quàm ignorantiæ, titulo excuſantur qui putarunt aliquando univerſam Eccleſiam recepiſſe in Pontificem fœminam; falſamque prorsùs ac apocryphā eſſe hiſtoriā, quâ id narratur optimè inter alios oſtendunt Baron. & Bellarm. tractando de Rom. Pont. itē Florimund. Romund. in libello eâ de re edito. Quoad ſecundum, ideſt, quoad eſſe validè ordinatum, res non caret controverſiâ, & Arriaga *præcit. ſect.* 8. *n.* 51. inſinuat, licèt dubitanter, verum Papam poſſe eſſe ſine omni ordine, adeò ut ſicuti poteſt in Papam eligi aliquis non ordinatus, ita poſſit non ordinatus perſeverare in Papatu, ex quo fit Eccleſiam poſſe recipere pro Pontifice aliquem qui ordinatus exiſtimetur, & verè ordinatus non ſit, & quamvis hinc ſequatur talem verum Pontificem erraturum, ſi ordinet & abſolvat ſacramentaliter; Arriaga non agnoſcit in hoc majus inconveniens, quàm in alio Epiſcopo aut ſimplici Sacerdote, qui invalidè ordinatus ordinaret aut abſolveret. Ioannes à S. Thoma *num.* 17. Gonetus *numero* 115. Dominicus à Sanctiſ. Trinitate, Suarez, & reliqui communiter docent reſpectu Pontificis ab univerſa Eccleſia recepti tantam haberi certitudinem de valore ordinis, quantam de valore baptiſmi, & hoc confirmant ex eo quod Pōtificatus ſit de jure divino annexus Epiſcopatui Romano, itē ex eo quod poteſtas

57. Item eſſe virum.

58. Non eſt adeò de fide certum, quòd ſit verè ordinatus.

Google

juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſeù ſpiritualis, nequeat haberi ſine poteſtate ordinis, imò ut loquitur Madern. *art.* 18. *n.* 9. in Pontifice non ſint duæ poteſtates, ſed una eminens & utramque comprehendens: De his omnibus ut ſenſum meum paucis proferam, admitto in primis connexionem tùm Pontificatus cum Epiſcopatu Romano, tùm juriſdictionis ſpiritualis cũ poteſtate ordinis; at neutram connexionem exiſtimo pervenire ad certitudinem fidei; ideò ex neutrâ infertur eſſe de fide quòd Pontifex ab univerſa Eccleſia receptus ſit ritè ordinatus &
59. conſtitutus in poteſtate ordinis: Exiſtimo inſuper non eſſe abſurdum, aut ſaltem non eſſe contrà fidem, quòd Pontifex poſſit defectu poteſtatis errare conferendo ordines, aut abſolutionem ſacramentalem; non enim hinc redundat ulla falſitas in doctrina, aut paucitas in regulis morum; ex quo capite Lugus *præcit. n.* 330. probat Pontificem in Sacramentis conficiendis errare poſſe defectu intentionis, aut materiæ; nec eſſe de fide, quod hoſtia ab ipſo conſecrata ſit ritè conſecrata, ut docuerat Hurtadus *diſp.* 41 *ſect.* 2. §. 21. contrà quem addit eveniſſe de facto, ut in Baſilica S. Petri ipſo Apoſtoli feſto quidam Pontifex ſolemniter celebrans aquam pro vino ex Miniſtrorum incuriâ poſitâ in Calice populo adorandâ inculpabiliter propoſuerit. Exiſtimo tandem, quod ait Arriaga poſſe in Papam eligi aliquem non ordinatum, non probare quod ipſe contendit poſſe verum Papam eſſe pro aliquo tẽpore ſine ordinibus: Enimverò qui inordinatus in Papam eligeretur, eligeretur ſub conditione futuræ ordinationis, nec ut verus Papa ab univerſâ Eccleſiâ reciperetur, niſi poſtquàm fuiſſet conſecratus, aut ſaltem ordinatus Sacerdos. Hæc omnia recolligendo ad ſecundum dubij membrum reſpondeo non ſatis conſtare quod ſit de fide; eſſe tamen valde certum & fidei proximum, quod hic numero Pontifex ab univerſâ Eccleſia receptus ſit ritè validéque ordinatus.

Caſus Pontificis invalidè conſecrantis.

Eſt fidei proximum quod Pontifex ab univerſa Eccleſia receptus ſit ritè ordinatus.

Dubitatur tertiò: Quàm certum ſit in electione Pontificis ab univerſâ Eccleſiâ recepti fuiſſe ſervatas conditiones neceſſarias de jure poſitivo, & Eccleſiaſtico? puta quod electio nõ fuerit ſimoniaca, non coacta, quod fuerit à legitimis electoribus & ſufficienti calculorum numero facta. Adverte inter has conditiones & alias hucuſque memoratas nimirũ quod Pontifex ſit vir, baptizatus, & probabiliſſimè etiam quod ſit ritè ordinatus, hoc potiſſimum eſſe diſcriminis, quod hæ poſteriores utpotè requiſitæ de jure divino non poſſint ab Eccleſiâ diſpenſari, benè verò illæ priores, utpotè ab Eccleſiâ ipsâ inductæ. Hoc poſito reſpondetur de
60. hujuſmodi conditionibus ſervatis haberi certitudinem aliquam moralem; at non haberi certitudinem aut fidei proximam; imò nec moralem ſummam, niſi de disjuncto, quo dicatur ipſas aut ſervatas fuiſſe aut diſpenſatas. Ratio primæ partis eſt, quia verè adhibetur ab Electoribus magna diligentia & inquiſitio pro conditionibus illis ſervandis, & pro dignoſcẽdo, utrùm aliqua deſit in Perſonâ, de cujus electione agitur. Ratio ſecundæ partis eſt quia ad electionem validam non eſt determinatè neceſſarium cõditiones illas ſervari, ſed ſub disjuncto, aut ſervari, aut diſpenſari ſeù ſanari, ut verè diſpenſari ſanarique ab Eccleſiâ poſſunt, & reipsâ diſpenſantur, quoties contingit aliquam deficere: unde Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *præcit. cap.* 10. §. *obſervandum eſt*, duplicem diſtinguit Summorum Pontificum electionem, alteram quæ à cætu Cardinalium, alteram quæ ab univerſâ Eccleſiâ fit, priorem admittit poſſe eſſe vitioſam ex defectu alicujus conditionis requiſitæ de jure Eccleſiaſtico, poſteriorem non item eo quod Eccleſia acceptatione ſuâ ſanet prioris vitium, ſi quod irrepſit. Neque dicas, Eccleſia acephala, & ſede vacante, nequit diſpenſare Conſtitutiones præcedentiũ Pontificum, electio igitur, ſi ſit vitioſa ob non ſervatam aliquam talem Conſtitutionem, non poterit ex Eccleſiæ acceptatione ſanari. Cõtrà 61.
enim quoad præſens punctum neceſſe eſt Conſtitutiones præcedentium Pontificum ex ipſorũ Conſtituentium mente poſſe ab Eccleſiâ acephalâ diſpenſari, alioqui eſſent invalidæ, quia contrà commune bonum & in detrimentum Eccleſiæ, quæ etiam poſt Pontificem univerſaliter receptum poſſet ſuſpicari in ipſius electione perſeverantiam alicujus vitij contra jus poſitivum.

In eligendo Pontifice ab univerſa Eccleſia recepto certum eſt fuiſſe, aut ſervatas, aut diſpenſatas, conditiones præſcriptas à jure poſitivo.

Dubitatur quartò: utrùm, ſi non eſſet de fide hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificẽ, adhùc teneremur de fide credere illud, quod hic numero Pontifex de fide credendum proponeret aut definiret? Affirmat Amicus *præcit. ſect.* 5. ubi propterea exiſtimat nullius roboris argumentum, quo probari ſolet eſſe de fide legitimitatem hujus numero Pontificis, eo quod de fide credenda ſint ea quæ definit, & ratio Amici eſt, quia Pontifex proponens aut definiens aliquid de fide ſe habet præciſè ut applicans ac proponens divinam revelationẽ, de applicatione autem legitimâ divinæ revelationis non eſt neceſſe habere certitudinem fidei, ſed ſufficit certitudo moralis & evidẽtia credibilitatis, unde etiam de parochis, & Prædicatoribus Evangelij, res fidei proponentibus nõ tenemur fide divina credere, quod ſint legitimi. Ni- 62.
hilominùs reſpondetur ad dubium negativè cũ Suar. Arriag. Madern. Goner. Gabr. à S. Vincent. Io. à S. Tho. & alijs communiter: Probatur ex eo quia Pontifex ità proponit res fidei, ut ſimul proponat ſe ipſum tanquam fidei regulam, & tanquam habentem ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam; repugnat igitur credere ea, quæ Pontifex proponit, niſi ſimul credatur ipſum eſſe fidei regulam & habere ſpecialẽ Spiritus Sancti aſſiſtentiam, quod eſt credere ipsũ eſſe verum Pontificem; nec Pontifex ſe habet præciſè ut applicans & proponẽs divinam revelationem, ſed ut id præſtans ex ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtẽtiâ, quod alijs proponẽtibus non convenit; undè etiam iſti poſſunt ſolùm proponere res fidei incontroverſas, & applicare revelationes explicitas; Pontifex poteſt definire res fidei controverſas, & explicare revelationes implicitas. Neque dicas ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam poſſe convenire Pontifici etiam putato, & poſſe hanc à nobis de hoc numero Pontifice credi abſque eo quòd ſimul credamus eſſe verũ Pontificem. Contra enim: ſpecialis Spiritus S. aſſiſtentia à nobis nõ

Pontifex nõ poſſet definire res fidei, ſi non eſſet de fide ipſius legitimitas.

colligi

colligitur aliundè, quàm ex promiſſione factâ Petro, ſicuti igitur Petrus fuit verus Pontifex, ità ſecundùm præſentem ſaltem providentiam debet illa cenſeri in Petro promiſſa & poſt Petrum collata, ac conferenda, ſolis veris Pontificibus.

63. Dubiis hucuſque ſolutis addi poſſent alia plurima pertinentia ad modum electionis, ad cauſas depoſitionis, ad nunquam interruptam legitimam ſeriem Summorum Pontificum, ad materias in quibus Pontifex errare non poteſt, ad unicum & monarchicum primatum totius Eccleſiæ, ad conjunctionem Sum. Pontificatus cum Epiſcopatu Romano, ad aliorum Epiſcoporū poteſtatem à Papali derivatam, quæ & id genus alia, nec poſſunt breviter expediri, nec ſunt hujus loci admodum propria, ſed partim Controverſiſtis, partim Canoniſtis magis accommodata, quamvis ex Theologis ea hic agitent Valentia, Suar. Amic. Arriag. Gonet. Io. à S. Thoma, Gabriel à S. Vincentio, Malderus, Herincx, & apud iſtos alij, ad quos lectorem remitto.

---

§. V.

Vtrùm revelatio privata ſimul cum publica requiratur, aut ſine publica ſufficiat ad objectum formale fidei?

64. **Revelatio privata, ſeu privatus ſpiritus, non requiritur ad credendum fide divina.**

ASSERT. 1. Ad objectum formale fidei non requiritur revelatio privata ſimul cum publica, ſed hæc ſe ſola ſufficit. Eſt Catholicū dogma contra Novatores ſeu Sectarios noſtri temporis, qui non agnoſcunt ullam vivam fidei regulam, nec admittunt infallibilitatem Eccleſiæ in rebus fidei proponendis, ſed volunt requiri ad credendum purum pictum verbum ſcriptum, ut ſubſtans privato inſtinctui & ductui, quem unicuique præſtat ſpeciali revelatione, interno que lumine, Spiritus Sanctus.

Probatur aſſertum primò ex Marci 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangeliū omni creaturæ qui crediderit*, &c. Vbi Chriſtus Dominus declarat revelationes Apoſtolis factas, & ab Apoſtolis in Evangelij prædicatione propoſitas eſſe credendas, nulla facta mentione ſpecialis privatæque revelationis, quam unuſquiſque habeat; ſignum eſt igitur hanc non requiri ſed illas, quæ utpotè factæ Principibus Eccleſiæ erant univerſales ac publicæ, ſe ſolis ſufficere; unde etiam fideles *Epheſ.* 2. dicuntur *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorū & Prophetarum*, quia nimirùm noſtra fides nititur publica revelatione iis facta, & per eos Eccleſiæ, per Eccleſiam nobis. Confirmatur tùm ex dictis *c. præced.* § 4. de infallibilitate, & ſecundum legem ordinariam neceſſitate propoſitionis Eccleſiæ, tùm ex dicendis *c. ſeq.* §. 4. de evidenti credibilitate Myſteriorum fidei independenter ab omni privato inſtinctu credentis.

65. Probatur ſecundò: Revelatio privata, & proprius cujuſque inſtinctus, neque eſt pars ſimul cum revelatione publica conſtituens integrum objectum formale; neque eſt conditio applicans ipſam revelationem publicam, diſcernens ſcilicèt verum ſenſum ſcripturæ revelationes publicas continentis, ergo ad objectū formale fidei non requiritur, &c. antecedens quoad primam partem patet, quia revelatio privata non addit auctoritatem ullam aut infallibilitatem revelationi publicæ; cum Deus non ſit magis verax in teſtimonio privato, quàm in publico; revelatio igitur privata non integrat quodammodò publicam in ratione objecti formalis, nec eſt pars conſtituens, &c. Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia conditio diſcernens verum ſenſum ſcripturæ, & regula dignoſcendi revelationes legitimas ab illegitimis, debet eſſe nota & infallibilis; at revelatio privata, de quâ in præſenti, ſita in proprio cujuſque inſtinctu non eſt nota, quia ad ſummum innoteſcit ei cui fit, non eſt infallibilis, quia eſt ſibi ipſi contraria, & cum diverſi Sectarij contraria ſentientes profiteantur ſe loqui ex privato ſpiritu, neceſſe eſt privatum hunc ſpiritum in aliquibus falli; neceſſe eſt non eſſe divinam revelationem, nec illuſtrationem provenientem à Divino ſpiritu, ſed commentum imaginarium à tartareo ſpiritu, qui varius & mendax eſt excitatum; ut eleganter & elegantibus Auguſtini auctoritatibus proſequitur Herincx *diſp.* 5. *q.* 5. ubi etiàm plura alia invenies evertentia privatum Sectariorum ſpiritum, ſicut & apud Amicum *diſp.* 6. *ſect.* 1. Arriagam *diſp.* 2. *ſect.* 4. *conc.* 1. Gonetum *diſp.* 4. *art.* 1. §. 1. Bellarminum *lib.* 3. *de Verbo Dei c.* 3.

Dices favere privato ſpiritui multa Scripturæ loca ut Ier. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum ſcribam eā, & non docebit ultra vir proximum ſuum.* 1. Io. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, & c. 2. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos ſed unctio docet vos de omnibus.* 1. Cor. 2. *Spiritualis judicat omnia.* Sed contrà: ad primū textum dico ly *non docebit ultra vir proximum* proce- 66. **Explicantur auctoritates, quibus abutuntur Sectarij.**
dere de vitâ futurâ, in quâ non indigebimus alieno magiſterio ad Deum cognoſcendum. Ad ſecundum ly *probate ſpiritus* importat probationem faciendam, non privato inſtinctu à quolibet, ſed auctoritate Eccleſiæ à Miniſtris ad id deputatis, & ab ipſomet Pontifice loquente ex cathedrâ, ſi opus ſit. Ad tertium ly *non neceſſe habetis*, &c. indicat credentes, ad quos Apoſtolus ſcribit eſſe jam ſatis inſtructos in fide, nec debere eſſe ſollicitos audiendi alios Doctores, ne fortè decipiantur ab aliquo ſe ſimulante ex ſcholâ Chriſti, undè monentur permanere in doctrinâ per Apoſtolos acceptâ mediante unctione, ſeù gratiâ Spiritus Sancti: colligitur hoc totum ex textu, in quo præmittitur. *Non ſcripſi vobis, quaſi ignorantibus veritatem. Quod audiſtis ab initio in vobis permaneat. Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos.* Ad quartum juxtà phraſim & contextum Pauli nec ly *ſpiritualis* ſignificat omnem fidelem, nec ly *judicat omnia* refertur ad res fidei; ſed affertur diſcrimen hominis ſpiritualis ab animali, quòd iſte, ſivè infidelis ſit ſivè fidelis, dumtaxat circà terrena & corporalia, ille etiam circa ſuperna & ſpiritualia judicium diſcretionis habeat; vel ut Hieronymus interpretatur *ſpiritualis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur*; quia *judicat vana eſſe, in quibus carnales*

homines delectantur, & ipſe ita ſe agit, ut à nemine judicetur.

67. Revelatio privata triplex.

Ecce quomodò Scriptura Sacra nullatenùs favet Sectariis, niſi eam ipſi interpretentur ex ſuo falſo privato ſpiritu, quo ſemel tanquàm indice & judice ſenſuum ſacrorum admiſſo, nulla non poteſt ſacris verbis falſitas ſubſtrui. Verùm ſinamus hæc, & ex quo de revelatione privatâ, ſivè ut malè â Novatoribus prætenditur, ſivè ut poteſt eſſe verè divina, oſtenſum eſt non requiri ad credendum, ſtatuamus jam, utrùm ſufficiat? pro quo adverte revelationem aliquam dici poſſe privatam tripliciter, nimirùm ex parte modi quo fit; ex parte perſonæ cui fit, ex parte materiæ circà quam fit: Dicitur privata ex parte modi, quoties non proponitur ab Eccleſia aut Principibus, miniſtriſvè ipſius: Dicitur privata ex parte Perſonæ, quoties non fit iis, quos Deus eſſe voluit tanquam publica ac univerſalia inſtrumenta ſuæ doctrinæ patefaciendæ, quales fuerunt Apoſtoli, ac Prophetæ, & modo Summus Pontifex: Dicitur privata ex parte materiæ, quoties revelatur aliquid non pertinens ad ſtatum Eccleſiæ & communem religionem fidemvè contentam in Sacris Scripturis ac traditionibus: Primo & ſecundo modo fuerunt privatæ revelationes ſpecialiter factæ S. Birgittæ S. Catharinæ Senenſi: Tertio modo eſſet privata revelatio, quâ Deus revelaret quot ſint in Cœlo ſydera? Quomodò continuum componatur? Quid apud Indos fiat?

Assert. 1. Revelatio privata dumtaxat ex parte modi quo fit, aut Perſonæ cui fit, ſufficit ad objectum formale fidei Theologicæ. Ita in primis omnes Auctores afferendi pro ſequenti aſſerto, & ex Adverſis aſſerto ſequenti Ioannes à S. Thoma *diſp.* 6. Gonetua *diſp.* 1. *art.* 2. §. 2. Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *tom.* 6. *Biblioth Theolog. lib.* 7. *cap.* 7. contrà Magiſtrum *in* 3. *diſt.* 23. §. *Quid ſit fides.* Canum *lib.* 12. *de locis Theolog. cap.* 3. & 4. Valentiam *hic diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. §. *Quinta difficultas eſt*, alioſque nonnullos.

68. Fidei Theologicæ, & Catholicæ diſcrimen.

Dixi *fidei Theologicæ*, propter diſtinctionem, quam aliqui hic faciunt inter fidem Theologicam, & fidem Catholicam ſeù univerſalem, quæ tamen diſtinctio fundatur in diſcrimine accidentali & denominatione extrinſecâ; nam revelatio, quæ uni tantùm facta, non eſt objectum fidei Catholicæ, fit ipſius objectum ſi publicetur publiciſque credibilitatis ſignis ad alios extendatur; quis autem non videt meæ fidei eſſe valdè accidentale & extrinſecum, quod ejus objectum extendatur ad alios, qui eliciant actus ſimiles actui à me elicito: Appoſui igitur ly *Theologicæ* ad non immorandum in quæſtione de nomine; cæterum quoad rem privata revelatiò dici poteſt objectum fidei Catholicæ ſpecificativè loquendo, quia ut fides, cujus eſt objectum, ſit Catholica, non requiritur aliquam novam rationem objecti, nec debet mutari intrinſecè ſicuti nec debet mutari intrinſecè revelatio ipſa, ut de privata evadat publica ex parte modi, aut perſonæ cui fit.

69. Revelatio ex parte modi, aut perſonæ, privata ſufficit ad fidem.

Probatur aſſerta revelatio privata habet tantam infallibilitatem, quantam revelatio publica, & cum pro nunc ſupponamus eſſe de aliquo pertinente ad religionem & ad Deum, eſt apta ſpecificare fidem in toto rigore Theologicam & tendentem in Deum ut in objectum attributionis: Poteſt etiam ſufficienter proponi, quia reſpectu ejus, cui fit, poteſt divinitus condecorari ſignis & miraculis inducentibus evidentem credibilitatem, ut enim hæc detur reſpectu privatæ perſonæ, non ſunt neceſſaria ſigna & miracula publica; ergo aſſerta revelatio privata habet quidquid requiritur ad objectum formale fidei Theologicæ, idque non quomodocunque, ſed in actu exercito & applicato. Confirmatur ſpecialiter quoad revelationem privatam ex parte perſonæ cui fit, revelatio privata ex parte modi facta perſonæ publicæ eſt ſufficiens ad fidem, ergo eſt pariter ſufficiens facta perſonæ privatæ; antecedens patet in revelationibus, quas immediatè Deus fecit Adamo, Prophetis, Apoſtolis: conſequentia probatur, quia perſona privata temere exigeret ad fidem motiva credendi, aut ſigna credibilitatis, majora, quàm exigat perſona publica.

70. Ad eandem ſufficit revelatio privata etiam ex parte materiæ.

Assert. 2. Revelatio privata etiam ex parte materiæ, adeoque omnis prorſus revelatio privata (dummodò divina ſit & ſufficienter propoſita) ſufficit ad objectum formale fidei Theologicæ. Ità Vega *lib.* 9. *in Trident. cap. ult.* Catharinus *opuſc. de certitud. grat.* Bellarminus *lib.* 3. *de juſtificat. c.* 3. Suarez *hic diſp.* 3. *ſect.* 10. Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 3. Lugus *diſp.* 1. *ſect.* 11. Arriaga *diſp.* 2. *ſect.* 4. Maldetua *quæſt.* 1. *art.* 1. *ſect.* 5. Maderinus *quæſt.* 1. *art* 4. Herincx *diſp.* 2. *q.* 4. cæterique Theologi magis communiter contrà Ioannem à S. Thoma, Gonetum, Dominicum a Sanctiſſima Trinitate locis ſuprà relatis, alioſque nonnullos Thomiſtas, & à fortiori contrà Adverſarios aſſerti præcedentis.

Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ.* 6 *cap.* 11. & *can.* 16. ubi ſtatuendo neminem poſſe eſſe certum de alicujus prædeſtinatione, aut de ſua futura perſeverantia, niſi ex ſpeciali revelatione, omninò indicat ex ſpeciali revelatione prædeſtinationis, aut futuræ perſeverantiæ, poſſe de his haberi certitudinem, & quidem fidei Theologicæ, quia certitudo abſoluta, infallibilis, & revelationi innixa, qualis eſt de qua loquitur Tridentinum, non niſi fidei Theogicæ eſſe poteſt: atqui ſpecialis revelatio de alicujus prædeſtinatione, aut ſua perſeverantia, eſt revelatio privata ex parte materiæ; eſt enim de re particulari non pertinente ad ſtatum Eccleſiæ, communemque religionem, cui valdè indifferens eſt, quod hic vel ille habet prædeſtinationis, aut perſeverantiæ donum, quodvè id certò innoteſcat, aut non.

Dices Tridentinum poſſe intelligi locutum de certitudine fidei ſupernaturalis communiter dictæ, non de certitudine fidei Theologicæ modo infrà explicando: Deinde, quidquid ſit de hoc, ſpecialem revelationem, cujus meminit Concilium, non eſſe privatam ex parte materiæ in eo ſenſu, in quo hic agitur; nam prædeſtinatio, & finalis perſeverantia, referuntur in Deum ut finem ſupernaturalem; hic autem revelatio privata ex parte materiæ ſu-

mitur

mitur pro eâ ſolâ, quæ attingit rem non ſpecialiter relatam ad Deum, & habet pro obje-
71. cto, ut loquitur Gonetus *præcit. §.2. n.69.* aliquid temporale ſub ratione temporali, Sed contrà; diſtinctio fidei ſupernaturalis communiter dictæ, & fidei Theologicæ, ubi infià explicabitur, unâ ſimul impugnabitur: Illud, quod additur, jam valdè limitat revelationes privatas ex parte materiæ, & licet ſub tali limitatione non probet efficaciter intentum noſtrum adducta Tridentini auctoritas, non deeſt tamen aliundè efficax probatio. Idcò aſſertum:

Probatur ſecundò ratione; Revelatio divina de quacumque re ſit, etiam Philoſophicâ & purè temporali, adeoque revelatio privata etiam ex parte materiæ in toto rigore ab Adverſariis intento, habet ſummam ac abſolutam infallibilitatem; Deus enim de quacunque re loquatur, eſt ſummè & æquè verax, ſed revelatio divina ratione ſuæ ſummæ, & abſolutæ infallibilitatis, quâ ad aſſenſum movet, eſt objectum formale fidei; ergo revelatio divina, de quacunque re ſit, ſufficit ad objectum formale fidei.

Dices fidem ſupernaturalem aliam eſſe cõmuniter dictam, quâ præcisè credimus Deo; aliam eſſe propriam ac Theologicam; quâ credimus Deo, & ſimul credimus Deum; revelatio de quacunque re ſit, ſufficit ad fidem priore, non poſteriore modo, & ſignanter ad fidem poſteriore modo non ſufficit revelatio de re purè temporali, neque enim poſſumus credere Deum credendo rem temporalem ad Deũ non relatam: Porrò quòd fides propria ac Theologica importet non ſolùm credere Deo, ſed credere Deum infertur ex D. Thoma tùm *hic quæſt. 1. art. 1.* ubi ait nihil cadere ſub fide, niſi in ordine ad Deum, tùm *in 3. diſt. 24. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3.* ubi diſtinguit fidem à prophetia in eo, quòd illa reſpiciat primò & per ſe aliquid æternum, iſta aliquid temporale. Sed contrà; excogitata ab Adverſariis diſtinctio fidei communiter dictæ, & fidei Theologicæ, facilè excitabit quæſtionem de nomine; cæterùm in re fides, quam vocant communiter dictam & quâ Deo credimus, cum habeat pro objecto formali *quo* aliquid divinum eſt propriè Theologica, & licèt perfectior ſit ea, quæ facit nos Deo & Deum credere, quæque habet Deum pro objecto formali *quo* & *quod*, nequit tamen hæc ſola dici Theologica; alioqui plura etiam ex contentis in Sacra Scriptura crederentur fide non Theologica; enim verò credendo canem Tobiæ moviſſe caudam, aliudvè quidpiam pertinens ad particulares hiſtorias in ſcriptura poſitas, non magis credimus Deum, aut rem ſpecialiter ad Deum relatam, quàm ſi ex privata revelatione ſciat quis & credat tot eſſe in Cœlo ſydera, bellum apud Indos fieri, &c. Si igitur hæc poſteriora non crederentur fide Theologica, idem eſſet ſentiendum de illis prioribus. Ad auctoritates ex D. Thoma allatas dico S. Doctorem ibi loqui de fide ſecundùm ſuos præcipuos & nobiliores actus, non ſecundùm actus quoſcumque minùs præcipuos, proprios licèt ac Theologicos; nec aſſignat aliquid æternum & dicens ordinem ad Deum pro objecto materiali fidei adæquato ſed pro objecto materiali potiſſimo & nobiliſſimo, quod rectè dicitur objectum formale *quod*, & in hujus confirmationem poteſt aliquid reperi *ex præced. c. 1. n. 2. 10. & 11.*

72. Diſtinctio fidei in cõmuniter dictam, & Theologicã, impugnatur.

Stabilito quod revelatio privata, qualiſcunque ſit ſufficiat ad objectum formale fidei, duo occurrunt circà illam expedienda: Primum eſt, utrùm inducat obligationem credendi? adeò ut non ſolùm poſſit, ſed etiam debeat credi quidquid privatim revelatur: Secundum eſt, utrùm reſpiciat eundem habitum, quem reſpicit revelatio publica? adeò ut ex habitu, ex quo eliciuntur actus fidei propter revelationes publicas, eliciantur pariter propter revelationes privatas.

Ad primum reſpondetur inducere obligationem credendi, quoties eſt ſufficienter propoſita, & talem eſſe regulariter reſpectu illius cui immediatè ſit, non reſpectu aliorum. Ratio primæ partis eſt, quia obligatio credendi oritur ex infallibilitate & indefectibilitate divinæ auctoritatis, cui ſufficienter propoſitæ non credere eſt negare cultum intellectualem ei debitum, & ſuſpicari quod poſſit ei ſubeſſe falſum; vero enim cognitu ut tali nequit intellectus diſſentiri, atqui infallibilitas & indefectibilitas divinæ auctoritatis non minor eſt in revelationibus privatis, quàm in publicis; ergo. Neque dicas, diſcredens revelationi privatæ, quamvis ſufficienter propoſitæ, non peccat; ergo nulla eſt obligatio credendi tali revelationi; antecedens probatur, quia ſi peccat maximè peccato hæreſis, atqui hoc non, quia nemo ab Eccleſia damnatur ut hæreticus ob diſcreditam revelationem privatam. Contrà enim; diſcredens revelationi privatæ non eſt quidem hæreticus ſaltem hæreſi punibili ab Eccleſia, quia hæc importat contumaciam contrà Eccleſiæ propoſitionem ex infià dicendis *cap 8. num. 35.* Eſt tamen infidelis aut etiam, ſi vis, hæreticus hæreſi puniendâ a Deo, Cæterum obligationem credendi prædictæ revelationi agnoſcunt illi etiam, qui eam faciunt inſufficientem ad fidei actum, & volunt talem obligationem pertinere aut ad fidem reductivè, ità Ioannes à S. Thoma; aut ad prudentiam infuſam, ità Valentia. Ratio ſecundæ partis allatæ reſponſionis eſt, quia Deus in privata revelatione ſolet ordinare ſuã locutionem ſolùm ad eũ, cui immediatè ſit, & motiva credibilitatis ſolent huic duntaxat patere, & iſte deindè dum revelationem ſibi privatim factam proponit aliis, talis propoſitio nec ex auctoritate proponentis, qui eſt homo privatus; nec ex ſignis comitantibus, quæ non adeſſe ſupponuntur, habet infallibilem & evidentem credibilitatem, quæ requiritur ad hoc ut divina revelatio ſit ſufficienter propoſita.

73. Revelatio privata ſufficiẽter propoſita inducit obligationem credendi.

74. At regulariter, eſt ſufficienter propoſita ei duntaxat, cui immediatè ſit.

Ad ſecundum reſpondetur revelationem privatam reſpicere eundem habitum, quem reſpicit revelatio publica. Ità Amicus *præcitat. ſect. 3. num. 70.* Lugus *præcit. ſect. 11. num. 232.* & communiter quicunque tribuunt privatæ revelationi ſufficientiam ad objectum formale fidei, excepto Cajetano *hic q. 1. art. 1. ad 2. dub.* 75.

75. Revelatio privata reſpicit eundem habitum, quem publica.

exiſtimante objectum formale poſſe excedere ſuum habitum, & actum elicitum ex revelatione privatâ eſſe ex objecto formali fidei, at non ex fidei habitu; quod à fortiori docene quicumque negant privatæ eevelationi formale fidei objectum, & hi volunt aſſenſum revelationi privatæ præſtitum procedere ab habitu prudentiæ, Conſilijvè dono, aut nullum pro tali aſſenſu dari habitum, ſed ſolum actuale auxilium,& ſpecialem illuſtrationem. Contrà tamen probatur reſponſio: Aſſenſui præſtito revelationi priuatæ nec congruit elici dependenter aut ab habitu prudentiæ, aut à ſolo actuali auxilio; nec quidquam obſtat, quin eliciatur ex eodem habitu, ex quo præſtatur aſſenſus revelationibus publicis; ergo revelatio privata reſpicit eundem habitum, &c. Probatur antecedens quoad primam partem,quia habitus prudentiæ, ſicut & conſilij donum,non datur in peccatore, cui tamen poteſt fieri revelatio privata: auxilium actuale eſt ex genere ſuo principium extrinſecum,& tranſiens,& minus connaturale, nec aſtruendum, niſi ubi non eſt aſſignabilis ullus habitus;Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia ſi quid obſtat maximè id eſſet quod,aut revelatio privata & publica non habeant rationem unius objecti formalis,aut ratio objecti formalis poſſet excedere ſuum habitum;atqui primum eſt ex profeſſo improbatum; ſecundum quando dici poſſet, dici,ſaltem non deberet ſine ſpeciali neceſſitate, quæ nulla vrget in præſenti; at nec dici poteſt,quia objectum formale eſt objectum ſpecificatiuum,ſpecificatiuum autem non poteſt excedere ſpecificatum; alioqui non commenſuraret, nec proportionaret ſpecificatum ſibi, quod tamen eſt de ratione ſpecificativi. Confirmatur reſponſio in univerſum ex eo, quod habitus infuſi, qualis eſt habitus fidei, extendi poſſunt ad actus ſpecie diverſos; revelatio igitur privata, & revelatio publica, reſpicere poſſent eundem fidei habitum etiam quando (quod non conceditur) reſpice-
76. Etiam quando non obligat ad credendum.
rent diverſos ſpecie actus. De toto hoc dubio agit latius Lugus *præcit. ſec.* 11. ubi addit revelationem privatam, etiam quando non obligat ad credendum, ſi tamen ut aliquando poteſt verè credatur, ex eodem habitu credi licet aſſenſu minus perfecto, & minus firmo, quam ſit aſſenſus præſtitus revelationi, ſivè publicæ,ſive privatæ,ad credendum obligāti.

Subijciendum hic obiter eſſet, quandonam & cui revelationi priuatæ, ad credendum non obliganti præſtari poſſit firmus ac certus aſſenſus? At licet facilè in univerſum dicatur talem aſſenſum præſtari poſſe quoties revelatio in re vera eſt & divina, quamvis non omninò ſufficienter propoſita, diſcernere tamen in particulari & dijudicare revelationes
Regulæ diſcernendi privatas revelationes.
veras à falſis,impreſſioneſque divinas ab illuſionibus phantaſiæ vel dæmonum,res eſt periculi plena,& indigens magna attentione ad regulas tradi ad id ſolitas à viris in theologiâ myſticâ verſatis, quas quidem regulas eruditè colligit,& in varias claſſes diſtinguit Dominicus à Sanctiſſima Trinitate *tom. 6. Biblioth theolog. lib. 7 cap. 6.*

§. VI.

Vtrùm Revelatio ad objectum formale fidei requiſita debeat eſſe divina in re, an ſufficiat talis in exiſtimatione.

ASSERT. Revelatio ad objectum formale fidei requiſita debet eſſe divina in re, 77.
Revelatio putativè divina non ſufficit ad objectum formale fidei.
nec ſufficit talis in exiſtimatione. Eſt aſſertum certiſſimum, quod communiſſimè ſupponunt Theologi docentes fidei neque etiam materialiter poſſe ſubeſſe falſum: tradunt verò ex profeſſo & in terminis Suarez *diſput.* 3. *ſec.* 13. Amicus *diſp* 2. *ſec.* 7. Lugus *diſput.* 4. *ſec.* 6. Arriaga *diſput.* 4. *ſec.* 5. Hernnex *diſp.* 7. *quæſt.* 3. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 4. §. 5. Joannes à S. Thoma *diſput.* 2. *art.* 4. Gabriel à S. Vincentio *diſp* 1. *dub.* 4. §. 9. &c.

Ex hujus aſſerti probationibus plures inefficaces ſunt. Talis eſt primò probatio deſumpta ex eo,quod revelatio divina in exiſtimatione tantùm,non in re, inſervire non poſſet actui theologico cujuſmodi eſt fides. Hæc probatio inefficax eſt, quia ratio theologici in fide non habetur aut ſaltem non eſt neceſſe quod habeatur à divina revelatione, ut attigimus *præced. cap.* 2. *num.* 32. ex hoc capite igitur parum intereſt, quod revelatio ſit divina,aut realiter aut putativè tantum. Talis eſt 78.
ſecundo probatio deſūpta ex eo,quod objectū formale fidei ſit revelatio divina,revelatio autem exiſtimata,non ſit divina. Hæc probatio inefficax eſt, quia ſupponit quod eſt in quæſtione, dum ſupponit objectum formale fidei eſſe revelationē divinam,pro ut divina contra diſtinguitur ab exiſtimata; & ſicuti in humanis ex habitu inclinante ac facilitante ad credendum Petro, adeóque habente pro objecto formali auctoritatem Petri crederem Joanni putato Petro, quod eſſet credere teſtimonio Petri putato; ità niſi aliud obſtet ex habitu,quo credo Deo, potero credere homini aut Angelo putato Deo, quod eſſet habere fidem divinam ob teſtimonium putatum ſeu exiſtimatum divinum. Talis eſt ter- 79.
tiò probatio deſumpta ex eo, quod revelatio non divina in ſe nequeat inculpabiliter & invincibiliter exiſtimari divina propter illuminationem, quam Deus ad obſtandum falſæ exiſtimationi tribuit cuilibet facienti quod eſt in ſe: Ad hanc probationem traditam ab Altiſiodorenſi *lib.* 3. *ſum. tract.* 3. *cap.* 2. *quæſt.* 3. valdè accedit illa Suarezij *præcit. ſec.* 13. *num* 9. deſumpta ex eo, quod revelatio putata nunquàm poſſit eſſe ſufficienter propoſita: item illa Eſparzæ *hic lib.* 6. *quæſt.* 22. *art.* 14. volentis adeſſe ſemper diſcerniculum veræ revelationis à falsâ, imperceptibile quidem naturaliter,
Revelatio non divina poteſt inculpabiliter exiſtimari divina, & ſufficienter proponi ut talis.
perceptibile verò per ſupernaturalem illuminationem & inſtinctum Spiritus ſancti. Hæc probatio, quocumque modo ex inſinuatis ſumatur, inefficax eſt; nam non poſſe revelationem non divinam invincibiliter exiſtimari divinam,& ut talem ſufficienter proponi, videtur eſſe contra experientiam, quâ Parochus

ruſticanus

ruſticanos v.g.ſylvicolas ſuos etudiens facilè poteſt, vel ax ignotantiâ, vel ex malitiâ, revalationem de Incarnatione Spititus ſancti proponere eodem prorsùs apparatu, ijſdemque ſub motivis, ſub quibus proponit revelationes verè divinas de Trinitate, de inſtitutione Sacramentorum, &c. in quo caſu, ſi falſa revelatio de Incarnatione Spiritus ſancti non ſit ſufficienter propoſita, & Sylvicolæ illi non faciant quod eſt in ſe, ſi majorem diligentiam non adhibeant, neque aliæ veræ revelationes erunt ſufficienter propoſitæ, & ſylvicolæ ac tuſtici defectu ſufficientis propoſitionis, & defectu faciendi qood eſt in ſe, vix aliquid credent fide divinâ, quia vix eis proponetur revelatio vera taliter, ut non poſſit eis eodem modo proponi revelatio falſa:

80\. Non datur internum ſupernaturale diſcerniculum revelationis divinæ à non divinâ.

Illuminatio, de quâ Altiſiodotenſis, cum in Setipturâ non fiat ulla ejus expreſſio aut promiſſio, eſt gratis excogitata, eadamque eſt ratio de diſcerniculo ab Eſparza inducto. Deindè dicere, qood quilibet habeat intetnam illuminationem, ut non decipiatur citcà divinas revelationes, & poſſit diſcernere veraa à falſis, eſt favere ſuprà impugnato errori Sectariorum ponentium pro fidei regulâ illuminationem, revelationemvè pr.vatam, propriumque iuſtinctum; cum præſertim ſectarij ipſi non omninò reijciant propoſitionem Eccleſiæ, ſed velint talem propoſitionem inſervire quidem ad explicandas res fidei, non tamen ſufficere, nec obligare ad credendum, niſi accedat privata revelatio propriuſque inſtinctus. Rejectis hiſce probationibus, & relictis aliis minoris momenti.

81\. Probatur aſſertum argumento communi deſumpto ex eo, qood aſſenſus fidei non poſſit eſſe falſus, qualis tamen poſſet eſſe, ſi revelatione putatâ, ac conſequenter aliquando falsâ, niti poſſet: At hic illico tecurrit tota difficultas in oſteodenda repugnantia aſſenſus fidei cum falſitate, ejuſdemque concordia cum ordinario revelationis proponendæ modo, qui poteſt eſſe onus & idem pro revelatione falsâ, ac pro vera, difficultatis gratia excogitarunt Theologi doctrinas à nobis mox impugnatas: Verùm hæc concordia non eſt difficilis, quoties concedatur poſſa aliquem invincibiliter & inculpabiliter exiſtimare ſe potentem & obligatum credere fide divina aliquid, quod taliter in te credere nec teneatur, nec poſſit: Repugnantia autem aſſenſus fidei cum falſitate, quamvis ſupponi ſoleat potiùs, quàm probari, ſuadetur tamen efficaciter tùm à poſteriori ex eo, quia aſſenſus fidei non eſſet certus, ſi poſſet eſſe falſus; tùm à priori ex eo, quia fides divina eſt per ſuam eſſentiam ſupernaturale lumen & intellectualis virtus; quatenus eſt ſupernaturale lumen eſt ſpecialis participatio luminis divini ut aſt in ſe, & intellectum elevat, deficeret autem à divino lumine ut eſt in ſe, & intellectum daprimeret infrà ſe, ideſt infrà propriam inclinationem, ſi inclinaret ad aſſenſum falſum; quatenùs eſt intellectualis virtus diſponit intellectum ad optimom, optimum autem intellectus eſt verum, ſicuti optimum voluntatis eſt bonum; & ſicuti à virtute voluntatis non poteſt haberi actus malus, ita à virtute intellectus non poteſt haberi actus falſus.

Aſſenſus fidei divinæ non poteſt eſſe falſus.

82\. Dixi primò hinc ſuadetur, quod aſſenſus fidei nequeat eſſe falſus per ſe ac formalitar, quod eſt ipſum niti non poſſe tevelatione falsâ cognitâ ut tali; ac cum hoc ſtat poſſe eſſe falſum per accidens & materialiter, quà ſolùm ratione eſſet falſus aſſenſus præſtitus revelationi falſæ putatæ vera, ſicuti eadem ſolùm ratione eſſet falſa loquutio, quâ quis diceret falſum putatum verum. Porò quod contrà aſſenſum falſum ſolùm per accidens non militet noſtra probatio infertur ex eo, quòd plures aliæ virtutes ſupernaturales poſſint verſati circa falſum per accidens, & putatum verum; ſic ex teligione poteſt adorati hoſtia, quam contingat eſſe potativè tantùm, non verè conſecratam; ex charitate poteſt tribui eleemoſina pauperi, qui ſe talem ſimulet, & talis exiſtimetur, quamvis talis in re non ſit. Sed contta. Si teſtimonium putatum poſſit eſſe obiectum formale fidei, fides poterit eſſe falſa ex vi ſui objecti formalis adeoqne ex ſua ſpecie per ſe & formaliter ut obſervat Ioannes à S. Thoma *pracit. art.4. par.2.num.3.* Hoc tamen omiſſo dico nec materialiter & per accidens aſſenſum fidei poſſe eſſe falſum, idque probatione noſtra ſuaderi, quia neque per accidens poteſt, aut lumen ſupernaturale deficere à participatione luminis divini ut eſt in ſa, aut virtus intellectualis diſponere ad malum intellectus; aliæ virtutes ſupernaturales, quas inſtantia opponit, ſunt virtutes morales & voluntatis, quæ habent pro objecto bonum morale, ideo nihil mirum quod poſſint verſari circà falſum, ſi morale booum, ut poteſt, reperiatur in falſo. Neque urgeas actus fidei ſunt meritorij; ergo fides eſt virtus moralis, non purè intellectualis: actus prudentiæ ſunt actus virtutis intellectualis & tamen poſſuot verſari circà falſum, ut circa falſum verſantur judicia prudentialia, quibus quis iudicat adorandam eſſe hoſtiam tantum putativè conſecratam, tribuendam eſſe eleemoſynam pauperi tantùm putativè tali.

Neque materialiter, & per accidens.

83\. Contrà enim: actus fidei ſunt meritorij, ut ſubſunt imperio libero voluntatis, non ut præcisè eliciuntur ab intellectu; ideò fides imperativè ad ſummum & extrinſecè, non elicitivè & intrinſecè dici poteſt virtus moralis, niſi ſumas fidem impropriè pro pio aſſentiendi affectu, non pro aſſenſu ipſo: Quoad prudentiam dico ipſam eſſe virtutem intellectualem quidem, ſed practicam ac quaſi mediam inter virtutes purè intellectuales & virtutes purè morales; nec judicia prudentialia ſunt da vero ſpeculativo, ſed de vero practico ſeu da licito, ab hoc vero nunquam verſantur circa falſum practicè, nunquam dictant tanquam licitum, quod illicitum eſt: ſic v.g. hanc hoſtiam eſſa aut non eſſe etè conſecratam eſt verum ſpeculatiuum, de quo prudentia, ut virtus eſt, non judicat: hanc hoſtiam eſſa adorandam in circumſtantiis, in quibus nulla occurrit ratio prudenter dubitandi de ipſius rectâ conſecratione, eſt verum practicum, de quo prudentia iudicat,

Prudentia falli poteſt circa verum ſpeculatiuũ, non circa verum practicum.

quodque

quodque non deficit per hoc, quod hoſtia conſecrata in re non ſit. Breviter dico prudentiam ea ratione, qua eſt virtus intellectualis non poſſe verſari circa falſum; eſt ſcilicet virtus intellectualis practica relata ad verum practicum, & hac ratione nunquàm verſatur circa falſum; licet deindè aliquando verſetur circa falſum ſpeculative, quod ad ipſam impertinenter ſe habet æquè ac ad virtutes voluntatis.

Dices: actus fidei verus, & elicitus ex verâ revelatione, poteſt evadere falſus, & continuati ex revelatione putatâ; ergo aſſenſus fidei poteſt eſſe falſus & habere pro objecto formali revelationem putatam; antecedens probatur in Judæo, qui antè Chriſti nativitatem habuiſſet actum fidei de Chriſto naſcituro, & Chriſto deinde jam nato in eodem actu perſeveraſſet. Sed contrà: nego abſolutè

84. *Fidei actus elicitus ex revelatione vera non poteſt continuati ex revelatione putatâ.*

antecedens, & actus dependens à vera revelatione poteſt conſignari ad ſummum, non continuari; poteſt eſſe apparenter, non realiter idem cum actu dependente à revelatione putatâ, nec magis quam apparenter in eodem actu perſeveraret Judæus qui poſt nativitatem crediditſſet Chriſtum naſciturum ſicut id credebat antè nativitatem: niſi dicas actum antè Nativitatem elicitum de Chriſto naſcituro etiam poſt nativitatem dependere à verâ revelatione & perſeverate verum, eò quod ſemper connotet idem tempus, & ſemper ſignificetur Chriſtus naſciturus poſt inſtans, quo actus ille fuit primo elicitus. Secunda reſponſio eſt juxtà eos, qui non admittunt propoſitionem ullam poſſe tranſire de verâ in falſam: Prima juxta eos, qui id admittunt de propoſitione contingente.

Dices tertiò. Poteſt quis præſertim ſimplex & idiotâ teneri ad credendum fide divina revelationi putatæ; ergo verè poteſt haberi fides divina de revelatione putatâ; conſequentia non videtur poſſe negari, quia nemo tenetur ad impoſſibile; antecedens probatur, quia revelatio putata per nos poteſt eſſe ſufficienter propoſita tanquam vera, imò poteſt eſſe à verâ indiſcernibilis, & experientiâ conſtat ruſticos, quos Parochus in fide inſtruat miſcendo veris revelationes falſas exiſtimare ſe eodem modo obligatos ad præbendum utriſque aſſenſum; quin etiam eadem facilitate, eademque firmitate utriſque aſſentiri. Accedit quod actus, quo Ruſtici in dato caſu diſcrederent revelationi falſæ, eſſet actus hæreſis expellens habitum fidei infuſæ; ergo actus quo crederent eſſet actus fidei divinæ ab habitu infuſo proveniens. Sed contrà:

85. *Revelatio putata ſufficienter propoſita inducit obligationem credendi.*

cum Amico *pracit. ſec. 7. num.* 249. Lugo *n.* 91. Herinex *num.* 22. dico poſſe aliquem teneri ex ignorantiâ & obligatione exiſtimatâ, non in re & obligatione abſolutâ (quâ ſola nemo tenetur ad impoſſibile, ad credendum fide divinâ revelationi putatæ; vel teneri ad credendum tali revelationi fide divina putata, non fide divinâ reali, hoc tamen ſufficit ut diſcredens peccet, ſicuti in univerſum peccat quicumque tranſgreditur præceptum in exiſtimatione tantum, non in re exiſtens, & ſicuti v. g. occidens non Clericum, quem Clericum putat, eſt ſacrilegus quoad malitiam actus, quàmvis non compleat in re ſacrilegium, proptereàque non incurrat ſacrilegorum pœnas; ità diſcredens revelationi non divinæ, quam divinam putat, eſſet quoad actus malitiam hæreticus, quamvis in re non compleret crimen hæreſis, proptereàque hæreticorum pœnas non incurreret; ex quo non contradicam, ſi inferas credentem eidem revelationi fore fidelem quoad moralem bonitatem & meritum actus, utpotè qui licet in re non eſſet fides divina, imperaretur tamen ab eodem pio & ſupernaturali affectu credendi, à quo imperatur, bonitatemque moralem & meritoriam ſortitur fides verè divina. Experientia,

Diſcreditur cum malitia hæreſis, creditur cum merito fidei divinæ.

86. quæ in inſtantia affertur, vim non habet; cum res noſtra ſub experientiam non cadat, nec poſſit per experientiam percipi diſcrimen ullum, aut diſcerniculum fidei ſupernaturalis à naturali; quamvis igitur ſimul credens revelationem veram, & revelationem putatam, eodem modo propoſitas, nil diſcernat in proprijs actibus & exiſtimet ſe ambas credere eadem fide, eademque firmitate; in re tamen credit revelationem veram fide divina, & firmitate ſupernaturali; revelationem putatam fide aquiſita & firmitate naturali. Quoad facilitatem concedi ſimpliciter poteſt eſſe eandem, dicendo hanc etiam in ordine ad actum ſupernaturalem haberi ab habitu aquiſito, ſito in ſpeciebus naturalibus; non ab habitu infuſo, cum habitus infuſi ex genere ſuo dentur tanquam potentiæ ad poſſe ſimpliciter, non ad poſſe facilius.

Fide tamen & firmitate quoad rem naturali.

87. Ex dictis habetur fidem ſupernaturalem & divinam, ſub revelatione putatâ non ſolùm circà objectum falſum, ſed nec circà objectum verum verſari poſſe: enim verò fides ſupernaturalis & divina non ſolùm debet habere verum pro objecto materiali, ſed etiam pro objecto formali; revelatio autem putata non eſt verum objectum formale fidei ſupernaturalis; hæc rursùs debet eſſe aſſenſus, non ſolùm verus, ſed etiam certus; aſſenſus autem præſtitus ſub revelatione putatâ objecto materiali vero eſſet quidem verus, at non eſſet certus; quia eſſet verus contingenter, non eſſentialiter, & falſum ei non ſubeſſet, poſſet tamen ſubeſſe.

Habetur inſuper nec de potentiâ abſoluta eſſe dabilem actum fidei ſupernaturalis elicitum ex revelatione putatâ; nam nec de potentiâ abſolutâ poteſt aut talis actus carere certitudine, aut lumen ſupernaturale non eſſe participatio luminis diuini ut eſt in ſe, aut virtus intellectualis non diſponere intellectum ad optimum; quæ tamen concedenda eſſent ab eo, qui de potentiâ abſolutâ contenderet dabilem eſſe actum fidei, &c.

Aſſertum traditum extenditur ad potentiâ abſolutam.

CAPUT

CAPUT IV.

Communia objecto tum materiali, tùm formali fidei: ideſt utriuſque, obſcuritas, credibilitas, ordo.

1. HUCUSQUE de objecto materiali & de objecto formali ſeorſim, & quoad ea quæ ſunt cuilibet propria; nunc de objecto materiali, formalique ſimul, & quoad ea quæ ſunt utrique communia, ſicuti iu primis conveniens utique & communis eſt obſcuritas, quam propterea primo loco expendimus, & conſideramus ut ſe tenet ex parte rei reuelatæ objectique materialis, eandem poſteà conſideraturi ut ſe tenet ex parte revelationis & objecti formalis; ne tamen res tota laboret falſitate ſuppoſiti præmittendum eſt verè obſcuritatem aliquam poſse ſe tenere ex parte objecti, quidquid contrà ſenſerit Lugus *hic diſp.2.ſect.1. num.49.* exiſtimans res in ſe ipſis nec habere claritatem, nec obſcuritatem; nec certitudinem, nec incertitudinem; ſed denominari claras, vel obſcuras; ab actu intellectus claro vel obſcuro, obſcuritatemque propterea non tàm eſse diverſitatem in objecto, quàm in modo tendendi actus ad objectum; quod experientia cõfirmat qua videmus idem objectum ex apprehenſione eorumdem terminorum clarè cognoſci ab homine acuti & perſpicacis intellectus, obſcu-

2. *Datur obſcuritas aliqua propriè ſe tenens ex parte objecti.* rè vel minùs clarè à tardo & hebete: Sed impugnatur Lugus, quia licèt fatendum ſit, idque optimè ſuadeat allata experientia, aliquam obſcuritatem ſe tenere ex parte actus, nec objecto convenire niſi per denominationem extrinſecam ab actu; admittenda ſimul eſt aliqua alia ſe tenens ex parte objecti, cum experientiâ pariter conſtet eumdem intellectum quomodocumque acutum & perſpicacem non poſse eâdem actus claritate cognoſcere quodlibet objectum; ſed ex objecto aut diverſo aut diverſimodè propoſito ſæpè in actum derivari majorem minoremvè claritatem, aut obſcuritatem; nec meo videri negari poteſt dari ex parte objecti claritatem ac certitudinem majorem in propoſitione neceſſariâ, quàm in propoſitione contingente; in primis principijs, quàm in concluſionibus indè deductis. Stabilitâ igitur veritate ſuppoſiti, & non repugnantiâ obſcuritatis ſe tenentis ex parte objecti, ſit.

---

§. I.

An & Quomodo ad fidem requiratur obſcuritas ex parte rei revelatæ: Ubi, An de eodem objecto materiali dari poſſit ſcientia & fides?

3. ASSERT. 1. Ad fidem requiritur obſcuritas ex parte rei revelatæ ſeù objecti materialis; & talis obſcuritas quatenus ſe tenet ex parte objecti fidei præcisè requiritur eſſentialiter; quatenus ſe tenet ex parte ſubjecti non item. Prima pars eſt veritas catholica contrà errorem dicentium nihil eſſe credendum quod non priùs evidenti ratione innoteſcat pro quo errore ſuprà *cap.2.num.1.* retulimus Manichæos & Abailardum, pro eodem Ualentia *hic diſp.1. q.1. punc.4.* refert Calvinum & quemdam alium Novatorem, nec non ex Catholicis Franciſcum de Marchiâ & Holcot: ſed hunc Auctorem Suarez *diſp.3.ſec.7.num.2.* ait æquivocationem committere faciendo tranſitum ab evidentiâ credibilitatis ad evidentiam rei. Secunda aſſerti pars quoad poſteriores particulas eſt contrà negantes dari ſimul poſſe de eodem objecto materiali ſcientiam & fidem, quos mox recenſebimus *num.6.* *Error dicentium objecta fidei debere innoteſcere evidenter.*

4. *Oſtenditur talium objectorum ſeu rerum revelatarum obſcuritas.* Probatur prima pars ex eo, quod Apoſtolus *Heb.11.* vocat fidem argumentum non apparentium & *1.Cor.13.* viſionem ænigmaticam faciali appoſitam: ex Patribus Auguſtinus *tract.40 in Ioan.* ait *Quid eſt fides? credere quod non vides.* Hilarius *lib.8. de Trinit.* aſſignat pro objecto fidei *ignorare quod credas.* Ambroſius *lib.1.de Habraham cap.3.* habet *Bonum eſt, ut rationem præveniat fides.* Hùc pariter pertinent omnes auctoritates ſuadentes aſſenſum fidei eſſe liberum ac dependentem ab arbitrio, pioque affectu voluntatis; ubi autem in objecto relucet clara & evidens veritas, aſſenſus non præſtatur liberè ſaltem quoad ſpecificationem, nec dependet ab ullo libero voluntatis imperio: Porrò auctoritates aſſenſum liberum ſuadentes videri poſſunt apud Ualentiam *præcit. punc.4.* Confirmatur: Objectum aliquod poteſt eſſe clarum & evidens tripliciter, quatenùs vel ſit per ſe notum ſolâque indigeat intelligentiâ terminorum, ut prima principia; vel evidenter deducatur ex per ſe notis, ut concluſione, ſcientificè, vel ſenſu immediatè manifeſtéque percipiatur, ut quæ ſub experientiam cadunt; atqui res revelatæ & objecta materialia fidei nullo ex his modis habent evidentiam & claritatem, nam ſunt aut myſteria ſupernaturalia aut cum myſterijs ſupernaturalibus connexa; & ſi quid continent purè naturale, iſtud eſt vel futurum vel præteritum, quod per conſequens nequit ſub noſtram experientiam cadere; ergo à primo ad ultimum objecta materialia noſtræ fidei obſcura ſunt ac inevidentia; quod ſignum eſt ad fidem ſaltem de facto, & regulariter loquendo, requiri obſcuritatem ex parte rei revelatæ ſeu objecti materialis.

5. *Eſſentialis talibus objectis reduplicativè & formaliter; non ſpecificativè, & concomitanter accepti.* Probatur & explicatur ſecunda pars, cujus priores particulæ nihil aliud inſinuant quàm objectum materiale fidei ſumptum præcisè ſub ratione objecti fidei; quod eſt idem ac dicere ſumptum reduplicativè, ut ſubeſt fidei motivo, & ut terminat fidei actum, importare eſſentialiter obſcuritatem, quod conſtabit ex infrà dicendis de obſcuritate eſſentialiter repetitâ ad fidei motivum & actum. Ejuſdem ſecundæ partis particulæ poſteriores, dum aſtruunt objectum materiale fidei non importare eſſentialiter obſcuritatem ex parte

 ſubjecti,

ſubjecti, denotant objectum quod eſt eſſentialiter obſcurum relatè ad actum fidei poſſe eſſe aliunde clarum, & terminare evidentiam alicujus alterius actus exiſtentis ſimul cum actu fidei in eodem ſubjecto, ſeu in eodem intellectu; quod eſt dari poſſe de eodem ſubjecto materiali ſcientiam & fidem; hocque indiget majori diſcuſſione propter Auctores hinc inde valdè diviſos, nam.

6. Partem negantem & repugnantiam actus fidei cum actu ſcientiæ circa idem objectum ſuſtinent Cajetanus, Bann. z, & Sylvius *hic quæſt.1.art.5.* Joannes à S. Thoma *diſputat. 2. art.1.* Gonetus *diſp. 1. art.6.* Richardus *in 3. diſt.24 art.1.quæſt 5.* Gabriel *quæſt. unica art.2.* Maſtrius *diſp 6.quæſt 4 art.2* Molina 1. *part. qu.1.art.2.diſp.4.* Eſparza *hic lib.6. q. 25.* Madernus *q.1.art.14.* & aliqui alij Recentiores cũ pluribus Scotiſtis, & Thomiſtis communiter.

Partem affirmantem, & compoſſibilitatem actus fidei cum actu ſcientiæ circà idem objectum tradunt Albertus magnus *in 3.diſt.14. art.9.* Alenſis *3.par.quæſt.68.memb. 3.* Altiſiodorenſis *lib. 3. tract.3. cap.1. quæſt.4.* Valentia *hic diſp.1.quæſt.1.punc.4.* Suarez *diſp.3.ſec.9.* Amicus *diſput.11.ſec.2.* Lugus *diſput.2.ſec.8.* Turrianus *diſp. 8. dub. 5.* & tum multi alij Antiqui, tùm major pars Recentiorum, ad quos in ordine ad potentiam abſolutam accedunt Pontius in logicâ *diſput. 28. quæſt. 3.* Herincx *hic diſp. 3. quæſt.4.* & alij nonnulli Scotiſtæ exiſtimantes ſuum Doctorem *in 3. diſt 24.* locutum ſolùm fuiſſe de potentiâ ordinaria, dum docuit fidem & ſcientiam habitualem, non verò actualem, poſſe ſe compati. Porr relati Auctores non carent omni inter ſe diſſidio; quidã enim ut Lugus & Turrianus affirmationem ſuam limitant ad ſcientiam abſtractivam & nec de potentia abſoluta admittunt dabilem eſſe circà idem objectum evidentiam quamcumque perfectiſſimam cum aſſenſu fidei; quidam ut Amicus & Suarez nulla limitatione adhibitâ faciunt de potentia abſoluta compoſſibilem fidem cum evidentia quacumque etiam beatæ viſionis; imò cum hac facilius, quam cum evidentia ſcientiæ naturalis actualem fidem componi exiſtimat Durandus *in 3.diſt 31.quæſt.4.nu.11.* propter majorem oppoſitionem eorum quæ ejuſdem, quàm eorum quæ diverſi generis & ordinis ſunt.

7. Aſſert.2. Ad fidem non requiritur eſſentialiter rei revelatæ obſcuritas ex parte ſubjecti & poteſt de eodem objecto materiali dari ſimul in eodem intellectu actus fidei & actus ſcientiæ; ſeu aſſenſus obſcurus, & aſſenſus evidens; nec in ordine ad potentiam abſolutam neceſſaria eſt ulla exceptio evidentiæ perfectiſſimæ. Auctores hujus aſſerti tum Patronos tum Adverſarios repete *ex n.præced.* Interim.

Obſcuritas fidei eſt modica lux.

Adverte obſcuritatem actus fidei (eadem eſt proportionaliter ratio de obſcuritate objecti, ut poté quæ debet correſpondere & commenſurari obſcuritati actus) non eſſe puram carentiam cujuſcumque claritatis ad modum tenebrarum; nec item quid poſitivum ad modum caliginis intellectum occupantis, & impedientis ac occludentis aditum cuicumque luci; ſed eſſe aliquam claritatem & lucem medicam tamen & imperfectam; nam habitus fidei dicitur lumen, & olim qui recens baptizati fidem ſuſcipiebant dicebantur illuminati, uti & baptiſmus ipſe Sacramentum illuminationis. Deindè dũ fides *Heb.11.* dicitur argumentum non apparentium & 2. *Pet.1.* lucerna lucens in caliginoſo loco; per ly *lucerna lucens* importatur aliqua lux, quæ eſſe non poteſt ſine aliqua claritate; & per ly *argumentum* denotatur aliquid per fidem manifeſtari, manifeſtari autem aliquid eſt induci aliquã de ipſo claritatem. Tandem actus fidei eſt actus intellectus, qui ex genere ſuo ſicuti eſt notitia & manifeſtatio, ità eſt claritas & lux. Hinc obſervant aliqui fidem rectè dici claram & obſcuram reſpectu diverſorum; eſt ſcilicet clara reſpectu ignorantiæ, quia manifeſtat veritatem ſub ignorantia penitus latentem: reſpectu erroris, quia manifeſtat ut eſt in ſe veritatem apparentem ſub errore contrario modo, ac ſit in ſe & deterius latentem, quàm ſub ignorantia: reſpectu opinionis, quia manifeſtat veritatem cum prævia credibilitatis evidentia, qua evidentia caret opinio. Eſt obſcura reſpectu ſcientiæ cujuſcumque maximè vero reſpectu ſupernaturalis viſionis, quia manifeſtat veritatem minus evidenter ac minus diſtinctè; & nec immediatè ut viſio, nec per medium aliquod intrinſecum ſeu eſſentialiter connexum, & in ſe notius ut quælibet ſcientia; ſed per medium extrinſecum, & parum in ſe notum, id eſt per revelationem obſcuram. Quia deinde fides ſolet magis comparari ad viſionem, quam ad ignorantiam, errorem, & opinionem, fit quod ſoleat ſimpliciter abſoluteque appellari obſcura potius, quam clara.

8. Fides eſt clara & obſcura reſpectu diverſorum.

Probatur jam aſſertum: lux ſeu claritas intellectualis minor poteſt ſimul eſſe in eodem intellectu circà idem objectum cum luce ſeu claritate intellectuali majore; ſed actus fidei ad actum ſcientiæ, actus obſcurus ad actum evidentem, ſe habet ut lux ſeu claritas intellectualis minor ad lucem, ſeu claritatem intellectualem majorem; ergo poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu circa idem objectum; ac per conſequens ad fidem non requiritur eſſentialiter rei revelatæ obſcuritas ex parte ſubjecti, &c. Minor continetur in doctrinâ advertendi mox præmiſſi: Major probatur primò quia in univerſum quæ ſe habent ut magis & minus nec contrariè nec contradictorie opponuntur, adeóque non ſe excludunt ab eodem ſubjecto: Secundò quia cognitio matutina & veſpertina in Angelis, cognitio item rerum in verbo & in proprio genere communis omnibus beatis, ſicut & cognitio intuitiva Dei quam iidem beati habent per viſionem, & cognitio abſtractiva ejuſdem per ſcientiam infuſam, ſe habent ut major & minor intellectualis lux; nec propterea ſe impediunt, aut excludunt, imò de facto optimè ſimul cohærent in eodem intellectu? Tertiò quia lux minor materialis & corporea optime poteſt eſſe cum luce corporea majore; neque enim modicum v. g. candelæ lumen extinguitur accedente magno lumine ſolis, ergo à pari de minori, majorique luce intellectuali.

9. Fides actualis poteſt ſimul eſſe cum ſcientia de eodem objecto.

Dices,

Dices primò hæc omnia nimis probare, probare ſcilicet compoſſibilitatem fidei & ſcientiæ etiam naturaliter & de potentia ordinaria; item probare quod actus fidei & ſcientiæ non tantùm poſſint eſſe ſimul, ſed quòd poſſint quoque unum & eundem actum perfectiorem conſtituere; ſicuti modica lux

10\. poteſt eſſe ſimul etiam naturaliter cum luce magnâ, item poteſt cum iſtâ conſtituere unum & idem lumen intenſius. Sed contrà: ad primum concedo actibus fidei & ſcientiæ, ex genere ſuo compoſſibilitatem etiam naturaliter & de potentia ordinaria; ex genere, inquam, ſuo, nam quod fides de facto non perſeveret in patria ſimul cum viſione juxta Apoſtolum 1. *Cor.* 13. dicentem *Quum venerit quod perfectum eſt evacuabitur quod ex parte eſt*, non provenit à viſione, ut eſt in genere cognitionis claræ & evidentis; ſed ab eadem, ut eſt beatitudo, cum qua non poteſt naturaliter conjungi fides, tum quia eſt proprietas à fide naturaliter inſeparabilis quod ſit ſperandarum rerum ſubſtantia, beatitudo autem excludit & ſpem & ſpei fundamentum; tum quia ex actu fidei intellectus patitur violentiam quandam & captivitatem incongruam perfectiſſimo ac feliciſſimo ſtatui beatitatis: Undè etiam, quia de potentia abſolutâ poteſt tùm fides non eſſe de re ſperandâ, tum beatitudo admittere aliquam imperfectionem, violentiam, ac moleſtiam, erit de potentia abſoluta compoſſibilis fides cum viſione ut beatificâ,

Idque de potentia etiam ordinaria.

De potentia vero abſoluta poteſt ſimul eſſe cũ ipſa met viſione beata.

11\. nedum ut evidentiſſimâ, quod multum favet poſtremis illis aſſerti particulis *Nec in ordine ad potentiam abſolutam neceſſaria eſt*, &c. Ad ſecundum, ſi motiva fidei & ſcientiæ ſimul proponantur admitto poſſe conſtitui unum, eumdemq. actum actibus fidei & ſciẽtiæ ſeorſim acceptis perfectiorem; ſecus ſi motiva ut ſolent proponãtur ſucceſſivè: Nec urget, quoad hoc paritas lucis corporeæ, quia lux corporea major & lux corporea minor ſunt ejuſdem rationis, non ſunt autem ejuſdem rationis major lux ſcientiæ & minor lux fidei; ex quo capite lux corporis glorioſi, & lux corporis naturalis, quamvis utraque corporea ſit, unum & idem lumen majus non conſtituunt: Deindè alia ratio diſparitatis eſt, quia lux corporea eſt capax formalis intenſionis, non ſic lux intellectualis; cum nullus actus intellectus augeatur & intendatur per alium ſibi ſuccedentem, ut attigimus *tract.* 1. *lib.* 2. *cap* 6. *num.* 31.

Dices ſecundò: etiam aſſenſus & diſſenſus, item cognitio vera & cognitio falſa, ſe habent ut major & minor lux; cũ omnis prorſùs actus intellectus ſit aliqua lux; atqui non propterea ſunt compoſſibiles in eodem intellectu de eodẽ objecto aſſenſus & diſſenſus cognitio vera &

12\. cognitio falſa; ergo ſimiliter &c. Sed contrà: aſſenſus & diſſenſus, cognitio vera & cognitio falſa, ſunt circà idem objectum incompoſſibiles alio, quàm obſcuritatis & claritatis titulo; nimirum ex eo quod eſſentialiter requirant in objecto ipſo materiali rationes contradictoriè oppoſitas, aſſenſus quidem & cognitio vera eſſe, diſſenſus & cognitio falſa non eſſe: at fides & ſcientia non requirunt in objecto materiali rationes oppoſitas, ſed rationem unam eamdemque, nimirum veritatem & eſſe; ſi igitur non ſint incompoſſibiles titulo obſcuritatis & claritatis, quod per nos idem eſt ac dicere titulo minoris & majoris lucis, non habent aliundè titulum ullum incompoſſibilitatis & repugnantiæ.

De potentia abſoluta non poſſunt ſimul eſſe aſſenſus & diſſenſus, cognitio vera & cognitio falſa circa idem.

Dices tertiò: Quidquid ſit, Utrùm fidei & ſcientiæ ſimultas repugnet titulo obſcuritatis & claritatis? nimis facilè à nobis ſupponitur non repugnare aliundè, imò præſto ſunt duo alij repugnantiæ tituli: Primus deſumitur ex parte ſubjecti, ex imperfectione ſcilicet, quam fides eſſentialiter in ſubjecto requirit, pro quo Ioannes à S. Thomâ *precit. art.* 1. *n.* 11. advertit cum Caietano dupliciter actum aliquem poſſe eſſe imperfectũ ex parte ſubjecti, primò quatenùs ſubjectũ reddatur imperfectum ex ipſo actu, hâc ratione quælibet cognitio imperfecta, puta opinativa aut abſtractiva, dicit imperfectionem ex parte ſubjecti; ſecundò quatenùs actus ſupponat eſſentialiter imperfectionem in ſubjecto, ſeù ſubjectum in ſtatu imperfecto, hâc ratione motus eſt actus entis in potentiâ ſeu entis imperfecti, non quia ponit, ſed quia eſſentialiter ſupponit in ſubjecto imperfectionem & carentiam termini, adeò ut talis imperfectio & talis carentia non ſolùm debeat eſſe in motu ipſo, ſed & in ſubjecto ut ſit capax motus: Porro fides eſt actus imperfectus hoc ſecundo modo, ſupponit 13.
ſcilicet intellectum in ſtatu imperfecto & in motu ad objectum, *per fidem enim ambulamus* ex 2. Cor. 5. Undè ſic formatur argumentum, Res exiſtens in quiete & in termino repugnat quòd etiam per aliud medium, moveatur ad talem terminum, atqui intellectus per evidentiam redditur quietatus & immobilis circà objectum, adeòque eſt in objecto tanquàm in termino & in ſtatu perfecto; per fidem movetur ad perfectionem, & eſt tanquàm in via, ergo repugnat quòd intellectus circa objectum, circà quod habet evidentiam, ſimul habeat fidem. Secundus repugnantiæ titulus deſumitur ex parte medij ſeù motivi, quatenùs medium ſcientificum, cum nullam relinquat in intellectu incertitudinem aut hæſitationem, & ſit clarius medio fidei, nullum relinquit huic medio locum ad movendum intellectum, qui circa veritatem quam jam cognoſcit, non movetur, niſi circà ipsã aut magis illuminetur aut magis firmetur; quomodo autẽ poteſt aut magis illuminari à lumine minus claro, aut magis firmari ſi nullatenùs hæſitat? Sed contrà: 14.
Ad primam repugnantiam dico quâlibet cognitione rem cognitam poſſideri, ut explicabatur *in tract. de Beatit.* & intellectum attingere objectum aquirendo ſeù trahendo ipſum ad ſe, non movendo ſe ad ipſum proptereà per quamlibet cognitionem intellectus eſt in termino, in quiete, & in poſſeſſione objecti; ſicuti tamen eadem res poteſt poſſideri pluribus titulis, quorum unus ſit fortior alio; ità poteſt attingi pluribus actibus, quorum unus ſit perfectior, vel imperfectior alio: falſum eſt igitur fidẽ dicere imperfectionem ex parte ſubjecti eſſentialiter præſuppoſitam eo modo, quo imperfectionem præſupponit motus; nec per fidem dicimur ambulare & eſſe in motu, per

Fides non præſupponit eſſentialiter imperfectionem in ſubjecto: Quomodò per ipſam dicamur ambulare.

viſionem quieſcere & eſſe in termino, niſi ratione ſtatus, quatenùs fides convenit homini in ſtatu, qui viæ nuncupatur, & terminatur in prædeſtinatis per viſionem; è demque ratione probaretur hominem per fidem moveri ad eatentiam viſionis, quia ad hanc in reprobis ſtatus viæ terminatur, & carentia viſionis reſpectu reproborũ nõ minùs quã viſio reſpectu prædeſtinatorũ, ſtatus termini denominatur.

Ad ſecundam repugnantiam, quæ præcipuè urgetur à Maſtrio *præcit. art. 2. n. 126.* aliíſque Scotiſtis, ſuppono contrà ipſos dabilem eſſe ejuſdem effectus duplicem cauſam totalem, & dico inſtantiam probare quod medium ſcientificum non indigeat conſortio alterius medij, ut moveat, at non quòd impediat aliud medium, ne moveat. ſicuti una cauſa totalis non indiget, &c. & licèt intellectus habens de objecto certitudinem & evidentiam non magis illuminetur, nec magis firmetur intenſivè, firmatur tamen & illuminatur magis extenſivè per medium etiam minùs elatum, & ſicuti natura humana totaliter, imò ſuperabundanter, terminata per ſubſiſtentiam increatam Verbi, poteſt adhuc magis extenſivè terminari per ſubſiſtentiam creatam minùs perfectam; ità intellectus perfectè illuminatus & firmatus adhuc poteſt ſaltem extenſivè magis illuminari, &c.

Dices tertiò ex Eſparxa *præcit. quæſt. 25. art. 6.* his omnibus contrariam eſſe experientiam & rationem moralem validiſſimam; experientia quidem, quia unuſquiſque experitur ſe non poſſe, tametſi maximè velit, ullà auctoritate moveri ad eliciendum aſſenſum fidei circà propriam exiſtentiam, aut circà veritatem, cujus habeat ex demonſtratione mathematicà perfectam evidentiam. Ratio moralis, quia ineptè interponitur teſtimonium & auctoritas ubi impoſſibile eſt dubitare, & res aut per ſenſus aut ex terminis aut aliter conſtat evidentiſſimè; undè etiam alterum derideret non coleret, qui diceret ſe eximiam ejus auctoritatem tanti æſtimare, ut paratus eſſet firmiter credere ei dicenti bis tria eſſe ſex, lucere ſolem in meridie; ſaltem igitur cum evidentia perfectiſſima omninò repugnat fides, ſivè humana, ſivè divina, & habens evidentiam illam de re aliquâ, ſuprà quam teſtimonium aut humanum aut divinum cadat, poterit quidem teſtimonij qualitatem, auctoritatemque apprehendere, at non ab iſta moveri. Sed contrà: experientia dumtaxat ſuadet nos ſequendo genium intellectus & connaturalem ipſius modum, contrà quem, tametſi velimus, difficilè poſſumus operari, ad auctoritatem non attendere, & conſequenter ab eâ non moveri, quoties veritatem habemus omninò perſpicuam & quaſi palpabilem; cum quo ſtat poſſe aliter evenire ex imperio voluntatis, quæ accedente, ſi opus ſit, extraordinario Dei concurſu determinet & quaſi compellat intellectum, etiam renitentem, ad attendendum auctoritati, ſuſcipiendamque motionem ipſius, præſertim ſi auctoritas ſit divina, quæ magis certificat quàm ulla naturalis evidentia rei utcumque notiſſimæ; unde dicere ſolebat Auguſtinus faciliùs

16\. Intellectus ex genio ſuo non attendit auctoritati, ubi veritas eſt perſpicua.

Poteſt tamen ad id quaſi compelli à voluntate.

ſe dubitaturum, an exiſteret? quàm de rebus fidei. Ratio moralis vim aliquam habet in 17.
humanis, ubi ſicuti cultus quilibet & honor cedit in deriſum, ſi exhibeatur ultrà id, quod poſtulat conditio Perſonæ, puta ſi viro rudis colatur ut ſapiens, aut ſervo deferatur reverentia debita Principi; ità proportionaliter ſpecies deriſionis eſt oſtendere magnam humani teſtimonij æſtimationem, ubi non ſolet ad ipſum attendi, ut evenit in rebus maximè notis: at non militat eadem ratio in divinis, ubi ſicuti nullus cultus Divinæ Majeſtatis poteſt eſſe ultrà id quod par eſt, & ex hoc capite abire in deriſum; ità non poteſt eſſe ultra id quod par eſt, & cenſeri deriſoria illa æſtimatio divini teſtimonij, cujus auctoritas ac certitudo tanta eſt, ut veritati etiam notiſſimæ interpoſita digna ſit attentione & apta inducere adhæſionem notabiliter majorem, & ſi ut refert Semerex in logicâ *diſp. 7. q. 6.* ajebat olim præſtantiſſimus Mathematicus ſe dubitaturum de veritate concluſionis, quoties Angelus diceret paralogyzas, quod ſignum eſt ipſum ex oppoſito fore magis confirmandum in illa veritate, quoties Angelus diceret benè ſylogyzas; quàm à fortiori cenſendum eſt utile & æſtimabile divinum teſtimonium ad confirmandas concluſiones Mathematicas, & quaſlibet alias evidentiſſimas veritates? ſi eis interponatur.

Velle credere homini in re notiſſimâ poteſt cedere in deriſum, non ſic velle in eadem credere Deo.

Libenter hic, ſcienterque diſſimulo cætera, quæ aut pro Adverſarijs contrà nos, aut 18.
pro nobis contrà Adverſarios militant; ſunt enim partim Philoſophica nec hujus loci admodùm propria, partim omnium ore decantata & apud Auctorem quemlibet obvia. Diſſimulo item ex profeſſo oſtendere compoſſibilitatem fidei divinæ cum fide humanâ & opinione, quæ quidem compoſſibilitas ſuprà compoſſibilitatem hucuſque propugnatam non habet difficultatem, niſi Philoſophicam ſitam in ſtatuendo, quod fides humana & opinio non importent eſſentialiter actualem formidinem, a quâ ſuppoſito quod præſcindant, & ſe habeant ad certitudinem ut minor adhæſio ad majorem, proptereàque poſſint conjungi cum certitudine divinæ fidei. Diſſimulo inſuper examinare ſingillatim, quod *præced. num. 11.* admiſi obiter, unum eumdemque actũ 19.
ſimul producibilem ex duplici motivo altero fidei divinæ, altero ſcientiæ, aut ſi vis ex quadruplici, addito altero fidei humanæ, altero opinionis; quæ quidem motiva, ſuppoſito quod poſſint ſimul cauſare circà idem objectum diſtinctos actus, poſſe etiam ſimul concurrere ad cauſandum actum unum & eumdem non pendet niſi ab eo, quod in Philoſophia univerſaliter ſuſtineatur poſſe unum actũ internum elici ex pluribus motivis proximis & non ſubordinatis; quod latè tradit in præſenti Lugus *diſp. 2. ſect. 3.* breviter Amicus *diſp. 11. num. 62.* contrà Suarez *præcit. ſec. 9 n. 13.* Diſſimulo tandem comparare, aut inter ſe, aut cùm actibus, fidei & ſcientiæ habitus; ſemel enim admiſſa compoſſibilitate actuum omni caret difficultate, & à fortiori admittenda eſt compoſſibilitas habituum, tùm inter ſe, tùm cũ actibus: imò hanc compoſſibilitatem, & ſimulta

Fides divina poteſt eſſe ſimul cum opinione & fide humana.

Idem actus poteſt elici ex motivis opinionis, ſcientiæ, & fidei.

Quid de compoſſibilitate habituum fidei & ſcientiæ.

multatem habitus fidei, v. g. cum habitu, aut actu ſcientiæ circà idem objectum, profiteri ſolent illi etiam, qui negant compoſſibilitatem actuum, exceptis Thomiſtis univerſaliter volentibus repugnare invicem actus, & inferentibus (parùm tamen efficaciter) repugnantiam habituum in eſſendo ex repugnantia eorumdem in cauſando.

20. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

His omnibus diſſimulatis non poſſum non leviter ſaltem inſinuare quomodò occurrendum ſit auctoritatibus, quas Adverſarij, ex Scripturâ & Patribus, præſertim verò ex Gentium Doctore & Angelico contrà nos magnificant. Occurrendum ſcilicet eſt dicendo quoties habetur fidem eſſe de non apparẽtibus, de non viſis; fidem non eſſe ubi objectum videtur, ubi humana ratio præbet experimentum; debere intelligi de fide ſumptâ ex parte objecti formalis, aut materialis præciſè & reduplicativè; non de eadem ſumptâ ex parte ſubjecti aut objecti materialis ſpecificativè & concomitanter: Neque ab hac expoſitione deterret nos Maſtrius *num* 109. eam appellãs ridiculam planè & prorsùs ineptam, loquitur enim ex abundantia cordis & ex nimio ſuæ opinionis amore; dictumque ſuum invalidè probat ex eo quod doctrina noſtræ expoſitionis admiſſa opus non fuiſſet Patribus circa illa verba Chriſti Ioan. 20. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* recurrere ad diverſa objecta materialia, quorum unum Thomas viderit, alterum crediderit: Enimverò ad talem recurſum moventur non ex repugnantiâ, ſed ex minùs connaturali conjunctione viſionis, & fidei circà idem objectum materiale, multoque magis ex contextu verborum, quibus Thomas ipſe reſpondet ſe Chriſtum credere Dominum & Deum, quem certè non ut talem, ſed ut hominem, corporeis oculis viderat. Aliter accommodatè ad rem noſtram expendit prædictum textum Lugus *diſp.* 2. *ſect.* 2. *n.* 98. ubi quoque obſervat Apoſtolum, dum appellat fidem *argumentum non apparentium* non ſolùm rectè explicari in ſenſu formali modo jam dicto, ſed inſuper ut ſervetur conformitas ad verba præcedentia *ſperandarum ſubſtantia rerum* debere intelligi ampliativè, non excluſivè; adeò ut fides, ſicuti eſt etiam, at non dumtaxat de rebus ſperandis; ità ſit etiam, at non dumtaxat de non apparentibus.

---

§. II.

An & quomodo ad fidem requiratur obſcuritas ex parte revelationis: ubi an poſſit fides conſiſtere cum evidentia in atteſtante?

21. ASSERT. 3. Suppoſitâ evidentia ex parte veracitatis requiritur eſſentialiter ad fidem obſcuritas ex parte revelationis. Ità Suarez *hic diſp.* 3. *ſect* 8. *num.* 19. Beccanus *cap.* 1. *quaſt.* 5. Arriaga *diſp.* 4 *ſect.* 4. Madernus *quaſt.* 1. *art.* 13. Poncius *in* 3. *diſt.* 24. *num.* 33. Albertinus *corol.* 4. *punct.* 5. *num.* 19. & ex parte, imò à fortiori. Lugus *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 35. & Granadus *diſp.* 5. *num* 9. ad noſtram fidem requirentes obſcuritatem revelationis etiam non ſuppoſita evidentia veracitatis. Habemus verò Adverſarios Auctores, de quibus *n.* 9.

Probatur: Ad fidem eſſentialiter requiritur obſcuritas ex parte objecti formalis, at ſi ſuppoſita evidentia ex parte veracitatis non detur obſcuritas ex parte revelationis, nulla prorſus dabitur obſcuritas ex parte objecti formalis: ergo ſuppoſita evidentia ex parte veracitatis requiritur eſſentialiter, &c. minor patet, quia cum veracitas & revelatio ſint totum objectum formale fidei, neceſſe eſt quod ſaltem ex parte alterutrius indeterminatè ſe teneat quidquid ſe tenet ex parte objecti formalis, & quod in iſto non datur quidquid in neutra illarum datur. Major probatur: aſſenſus fidei (ut Adverſarij fatentur) eſt eſſentialiter obſcurus & per obſcuritatem potiſſimum differt ab aſſenſu ſcientifico; ergo ad fidem eſſentialiter requiritur, &c. Probatur hæc conſequentia primò, quia in univerſum prædicata eſſentialia & differentialia alicujus actus meliùs ei tribuuntur ratione objecti formalis, quàm ratione objecti materialis, aut aliunde: ſecundò quia ſuppoſita evidentia totius objecti formalis nequit ſalvari obſcuritas objecti materialis, etiam accepti reduplicativè, & ut terminantis fidei aſſenſum; iſte igitur erit undequaque evidens, ſi omni careat obſcuritate ex parte objecti formalis, ut mox oſtendetur in probatione aſſerti ſequentis; Interim aliqua occurrunt breviter expedienda. Ad fidem requiritur eſſentialiter obſcuritas in objecto formali.

Primum eſt: utrùm obſcuritas, quam ex parte objecti formalis ad fidem requirimus, ſe habeat ut modus intrinſecus & quaſi pars ipſius objecti, an ut pura conditio, ſine quâ non? exiſtimo cum Suarezio *præcit. diſp.* 3. *ſect.* 7. *num.* 4. Albertino *præcit. num* 19. Caſpenſi *diſp.* 1. *ſec.* 5. &c. contrà Durandum *in* 3. *diſt.* 24. *quaſt.* 1. *num.* 11. Lugum *præcit. ſect.* 1. *n.* 49. & alios plures apud Maſtrium *diſp.* 6. *num.* 75. qui poſteriores Auctores, licèt loquantur de obſcuritate ſe tenente ex parte objecti materialis, utuntur tamen argumentis militantibus univerſaliter de quacunque obſcuritate: 22.

Exiſtimo, inquam, ſe habere ut modum intrinſecum & quaſi partem objecti formalis: ratio eſt quia ex tali obſcuritate reſultat prædicatum conſtitutivum differentiale fidei, & licèt ex diverſa applicatione, ac per conſequens ex diverſa conditione objecti formalis poſſint provenire actus ſpecie diverſi adeóque diverſa prædicata conſtitutiva, ut patet in eo quod eadem bonitas diverſimodè cognita ſpecificat actus amoris, gaudij, deſiderij, non reperiuntur tamen hæc prædicata in conditione, à quâ proveniunt, nec à conditione formaliter participantur, ſicuti obſcuritas fidei reperitur in obſcuritate objecti formalis, & participatur ab eadem; iſta igitur obſcuritas nec ad fidem, nec ad objectum formale fidei, ſe habet ut pura conditio; hocque eſt valdè conforme ſupradictis c. 2 §. 3. Neq; dicas: Obſcuritas eſt quid negativum; ergò nequit eſſe pars aut modus intrinſecus objecti formalis poſiti- Ut pars talis objecti potiùs, quàm ut pura conditio.

vi, & poſitivum actum ſpecificantis: Deindè, ut eſſet talis objecti pars, deberet eſſe partialis ratio aſſentiendi & movēs partialiter ad aſſenſum, obſcuritas autem removet & retardat ab aſſenſu, cum ſit negatio claritatis, ſub quâ veritas eſt maximè apta movere. Contra enim: 23. obſcuritas neque in objecto fidei neque in actu eſt quid negativum, licet ſoleat negativè explicari; eſt ſcilicet modica claritas, licet ſoleat explicari per negationem claritatis, ſicuti irrationalitas in leone v. g. eſt poſitiva differentia rugibilitatis, licet per rationalitatis negationem explicetur. Ad illud, quod additur, dico ſimiliter obſcuritatem negativè acceptam removere ab aſſenſu, ſecus acceptam poſitivè pro modicâ claritate; & veritas licet ſub magna claritate magis moveat ad aſſenſum ſimpliciter, ad aſſenſum tamen talem, ideſt obſcurum, qualis eſt aſſenſus fidei, magis imò unicè movet ſub claritate modicâ.

Secundum eſt: Utrum fides, quæ foret obſcura penes veracitatem, non penes revelationem, eſſet ab eodem habitu & ejuſdem ſpeciei cum ea, quæ de facto in nobis eſt obſcura aut penes utramque rationem; aut penes revelationem, non penes veracitatem? Negant quoad utrumque Lugus & Granadus arbitrati habitum fidei, qui de facto datur ejuſque actus verſari non poſſe circà revelationem evidentem, etiam ex hypotheſi veracitatis obſcuræ: Exiſtimo tamen in primis iſtos Auctores nimis limitare fidei habitum, qui utpotè infuſus poteſt ex genere ſuo ex-

24. tendi ad actus ſpecie diverſos, quando igitur actus fidei ex vi veracitatis, non ex vi revelationis, obſcurus ſpecie differret ab aliis actibus, quos communiter habemus obſcuros ex vi revelationis, adhuc optimè poſſet dependere ab habitu, qui de facto datur; multo magis verò, ſi actus ille ſuſtineatur ejuſdem ſpeciei cum cæteris, qualem in re ſuſtinendum eſſe exiſtimo, utpotè qui convenit cum cæteris in eo, quod ſit obſcurus ex vi objecti formalis, & licet ipſius obſcuritas ex unâ parte, obſcuritas cæterorum ex alia parte objecti formalis aut etiam ex toto objecto formali proveniat, cenſeo tamen hoc non ſufficere ad inducendam diverſitatem ſpecificam, eo quod in ordine ad fidem non ſit diſcrimen notabile; diverſitas autem proveniens ab objecto formali non diverſificat ſpecie actus, niſi ſit notabilis, ut in ſubjecta materiâ patet ex eo quod actus fidei non differunt ſpecie propter revelationem magis, vel minus obſcuram: Dicito igitur actum, de quo in præſenti, fore quidem magis diverſum a cæteris communibus fidei actibus, quàm ſint iſti ab invicem, at diverſitate ſeu etherogeneitate individuali ſolùm, non ſpecificâ. Neque dicas habitum fidei non poſſe concurrere ad actum evidentem, & iſtum non poſſe eſſe ejuſdem ſpeciei cum actu obſcuro; eſſet autem evidens ſaltem reſpectu revelationis actus, qui diceretur ex vi revelationis evidentis, & reſpectu ejuſdem obſcuri ſunt cæteri, quos communiter habemus fidei actus. Contrà enim, habitus fidei non poteſt concurrere ad actum evidentem ſimpliciter, benè tamen ad actum

Obſcuritas illa ſive ex parte revelationis, ſive ex parte veracitatis tantum, ſive ex parte utriuſque ſe teneat, non variat ſpecie fidem.

evidentem ſecundùm quid, cum præſertim per nos obſcuritas ipſa ſit quædam modica claritas ſeu evidentia ſecundùm quid; porrò actus, qui diceretur ex vi revelationis evidentis, utpotè qui indiviſibiliter penderet à veracitate obſcurâ, & obſcurè attingeret rem revelatam eſſet obſcurus ſimpliciter, evidens duntaxat ſecundum quid; ideò, &c. Eadem ratione dicito actum evidentem ſimpliciter non poſſe eſſe ejuſdem ſpeciei cum actu obſcuro, benè tamen actum evidentem ſecundùm quid.

Tertium eſt: Verùm in re dari poſſit evidentia revelationis, ſeù Dei revelantis, abſque evidentiâ veracitatis ſeù Dei veracis. Bannez *hic quæſt.1 art.5. ad 3. & quæſt.5. art.1. ad* 1. Sylvius *eod. art.*1. Dequiros 1. *p. tract.*7. *diſp.*25. *ſec.*5. *num.*26. & aliqui alij docentes evidentiam divinæ revelationis, quam vocant evidentiam in atteſtante, haberi non poſſe ſine Dei viſione, docebunt conſequenter talem evidentiam non poſſe in re dari ſine evidentiâ veracitatis; qui enim Deum videt ut eſt in ſe utique videt & evidenter cognoſcit ipſum eſſe veracem, præſertim in principiis Thomiſticis, in quibus nec de potentiâ abſolutâ cognitio intuitiva, ſeù viſio, poteſt eſſe inadæquata & præciſiva: ex hoc capite nos non urgemur, ut pote qui *tract.*2. *lib.*3. *cap* 4. §.5. tradidimus evidentiam in atteſtante communicari poſſe puro viatori Deum non videnti & inſuper *tract.*1. *lib.*2. *cap.*4. §.3. admittimus viſionem eſſe poſſe præciſivam: Non deeſt tamen pro re præſenti aliqua alia ratio dubitandi; nam ſicut lumen naturale evidenter oſtendens Deum eſſe aut Deum loqui, unâ ſimul oſtendit evidenter Deum veracem eſſe & non mentiri; ità idem proportionaliter ſentiendum de lumine ſupernaturali quod excellentius eſt, nec videtur Deus poſſe communicare evidentiam ſuæ locutionis, quin manifeſtet in tali locutione perfectionem majorem eâ, quæ reperiri poteſt in quâlibet locutione creaturæ, ac conſequenter veracitatem fidelitatemque majorem quâlibet veracitate & fidelitate creatâ. His non obſtantibus exiſtimo eſſe in re ſimpliciter abſolutéque dabilem evidentiam revelationis ſine evidentiâ veracitatis, conſideranti enim facilè innoteſcet allatam rationem dubitandi habere vim duntaxat de potentiâ ordinariâ, & attento connaturaliore operandi modo; poterit igitur Deus extraordinario modo, ac ſi vis contrà exigentiam luminis infuſi, communicare evidentem ſuæ revelationis, obſcuram ſuæ veracitatis notitiam; quamvis de facto utens modo connaturaliore, ſi primo Angelo, primis Parentibus, alijſque noſtræ fidei Anteſignanis conceſſit revelationis evidentiam, non negavit evidentiam veracitatis, & iſti propterea cohærenter ad mox dicenda de rebus ſibi cum evidentiâ in atteſtante revelatis habuerint ſupernaturalem cognitionem fide altiorem & clariorem at non fidem.

Quartum eſt. Verùm de facto præmemoratis fidei anteſignanis communicata fuerit evidentia in atteſtante? Res eſt facti, in quâ nec ſcriptura quidquam ſufficienter exprimit, 28.
nec

25.

26. **Evidentia revelationis poteſt in re haberi ſine viſione Dei.**

27. **Item ſine evidentia abſtractiva veracitatis, at hoc minus connaturaliter.**

nec ratio ulla valdè efficax pro negante potiùs, quàm pro affirmante parte occurrit: faciliùs quidem exiſtimarem illis communicatum tale privilegium, ſi cum ipſo fides cohæreret; at dum per nos non cohæret, & connaturali modo procedendo, ijs quibus privilegium illud conceditur neganda eſt fides, mallem primo Angelo excepto, de quo ſpecialem rationem attigimus *præcit.* §.5. *num.*38. mallem inquam in reliquis negare evidentiam in atteſtante, ne cogerer hâc admiſsâ negare in iiſdem fidem, quæ in Prophetis præſertim videtur colligi ex multis ſcripturæ locis multo magis, quàm evidentia in atteſtante, & clara notitia rerum atteſtatarum ad talem evidentiam per nos conſequens; quâ de re Suarez *præcit ſec.*8. *num.*11. Amicus *diſp.*2. *ſec.*5. *num.*115. Madernus *quæſt.*1. *art.*13.

Probabile eſt quod de facto fuerit communicata ſoli primo Angelo.

Non poteſt formaliter, & per ſe, ſtare cum fide:

29. Aſſert. 2. Cum evidentiâ in atteſtante formaliter, & per ſe loquendo, non poteſt fides conſiſtere. Ità Auctores relati *præced. num.*20. aliique plures contrà Scotum *in* 3. *diſt.*24. *quæſt. un.* § *Sed ſi loquamur* Maſtrium *hic diſp.*6. *quæſt.*3. *art.*2. Herincx *diſp.*3. *quæſt.*5. *num.*47. Caietanum *quæſt.*5. *art.*1. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.*1. *dub.*4. §.3. Ferrarienſem 3. *cont. Gent. cap.*40. Amicum *diſp* 2. *ſec.*5. *num.*131. Vaſquium 1. *p. diſp.*135. *cap.*5. & cum Scotiſtis communiter non modica pars cæterorum, tùm Recentiorum, tùm Thomiſtarum, ex quibus problematicus eſt Ioannes à S. Thomâ *diſp.*2. *art.*2.

Bene vero concomitanter.

Dixi *formaliter & per ſe loquendo*: Vbi ly *formaliter* excipit evidentiam in atteſtante ſolùm concomitanter ſe habentem; ſi enim quis revelationem atteſtationemque divinam ità cognoſcat evidenter per unum medium, ut ſimul (quod ex doctrinâ præcedentis aſſerti non repugnat) per aliud cognoſcat obſcurè, & aſſentiatur rei revelatæ dependenter à cognitione obſcurâ revelationis, cognitione aliâ clarâ ad aſſenſum non ſe habente cauſative & formaliter; hunc aſſenſum concedimus eſſe fidem, hac ratione admittimus compoſſibilitatem fidei cum evidentia in atteſtante, & in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Doctor, ſi aliquando videtur illi compoſſibilitati ſimpliciter favere. Ly *per ſe* ponitur ad ſignificandam evidentiam in atteſtante factam modo connaturaliore & ordinario, pro ut ſolet habere comitem evidentiam veracitatis; nam ſi ſupponatur extraordinarius modus, quo prior evidentia per accidens ſeparetur à ſecunda, & revelationis claritas conjungatur cum veracitatis obſcuritate; jam dictum eſt in tali hypotheſi poſſe optimè convenire fidei evidentiam in atteſtante. Genuinus igitur aſſerti ſenſus eſt, quod revelatio & veracitas divina ambæ evidenter cognitæ nequeant, quâ taliter cognitæ, eſſe formale objectum fidei; & in hoc ſenſu.

Et per accidens.

30. Probatur: Cùm evidentia in atteſtante formaliter & per ſe ſumptâ non poteſt conſiſtere obſcuritas rei revelatæ; ſed ſine obſcuritate rei revelatæ non poteſt conſiſtere fides; ergo cum evidentiâ in atteſtante, &c. Minor habetur *ex* §. *præced.* & admittitur ab Adverſariis in objecto materiali fidei majorem, quàm nos, obſcuritatem requirentibus, & volentibus tale objectum reſpectu credentis, neque etiam aliundè, poſſe eſſe evidens: Major probatur, evidentia in atteſtante formaliter & per ſe ſumpta dicit evidentiam totius objecti formalis fidei, id eſt tum divinæ revelationis, tum divinæ veracitatis, ut mox præmiſſum eſt, cum hac autem evidentia nequit conſiſtere obſcuritas rei revelatæ, quod ſic probo: Evidentia revelationis & veracitatis divinæ continet duo principia, ex quibus evidenter deducitur res revelata; res enim revelata ſit v. g. Myſterium Trinitatis, habens evidentiam illam ità procedit, *Quidquid Deus revelat vere exiſtit*, hoc principium eſt evidens ex evidentia veracitatis, *ſed Deus revelat myſterium Trinitatis*, hoc principium eſt evidens ex evidentia revelationis, *ergo myſterium Trinitatis vere exiſtit*, Ecce rem revelatam evidenter deductam ex duobus principiis evidentibus contentis in evidentiâ, revelationis, & veracitatis; quomodo igitur poteſt talis res revelata, ut revelationi ſubſtans, eſſe obſcura, & ex vi revelationis obſcurè cognoſci?

Evidentia in atteſtante gignit evidentiam rei atteſtatæ.

Reſponſio Adverſariorum.

31. Reſpondent communiter Adverſarij diſtinguendo duplicem evidentiam, unam intrinſecam & provenientem à medio intrinſeco, cujus medij nomine intelligunt quidquid habet ſpecialem cum re connexionem ut principia conſtituentia, paſſiones, effectus proprij, & naturales ſimilitudines ſeu cauſæ talis rei: aliam extrinſecam provenientem à medio extrinſeco, quod non habeat cum re ſpecialem connexionem, nec majorem per ſe loquendo cum una re quàm cum aliâ; hujus medij rationem tribuunt revelationi ſeu teſtimonio Dei. Addunt deindè obſcuritatem fidei & rei revelatæ non cohærere cum intrinſecâ, benè tamen cum extrinſeca evidentiâ, qua dicunt rem reddi evidentem ſolum ut atteſtatam & quoad modum; non ſimpliciter & quoad ſubſtantiam: ſolùm ſecundùm rationem quæ creditur. Hæc doctrina, ſive ſumatur prout diſtinguit evidentiá in intrinſecá & extrinſecam, ſive pro ut illam ſolùm non iſtam evidentiam à fide excludit, multum habet de modo loquendi, quem ſicuti facile cuique eſt pro ſuo ſibi libito ſtatuere, ità difficile eſt efficaciter & ſine vocum contentione impugnare, nec immeritò Herincx *præcit. quæſt.* 5. *num.*45. exiſtimat præſentem controverſiam non aliam eſſe quam de nomine: Nihilominus impugnatur quantùm fieri poteſt in re Adverſariorum doctrina primò quoad primam partem, quia teſtimonium divinum malè dicitur medium extrinſecum veritati rei atteſtatæ, teſtimonium enim eſſentialiter verum, cujuſmodi eſt teſtimonium divinum, habet eſſentialem ſpecialemque connexionem cum veritate rei atteſtatæ, tanquam cum objecto ſpecificativo; non minus quàm viſio corporea cum colorato, auditio cum ſonoro; ſicuti igitur viſio licet in eſſendo extrinſeca colorato, eſt eidem intrinſeca in cognoſcendo (ut Adverſarij ipſi loquuntur) & illatio colorati ex viſione corporea eſt per medium intrinſecum quantum ſufficit ad gignendam intrinſecam,

Definit in quæſtionem de nomine.

32.

Ex evidentia atteſtationis habetur evidentia intrinſeca rei atteſtatæ.

intrinſecam evidentiam; ità divina atteſtatio, licèt rei revelatæ extrinſeca in eſſendo, erit eidem intrinſeca in cognoſcendo, &c. Neque dicas hinc ſolùm probari, quod divina atteſtatio ſit medium intrinſecum ad inferendam rationem genericam veritatis, at non ad inferendam rationem propriam veritatis talis; cum ſimiliter ex actu viſionis rectè inferatur color in genere, at non albedo potiùs, quàm nigredo. Contrà enim ſicuti ex viſione non ſolùm infertur color in genere, ſed etiam in ſpecie albedinem eſſe colorem, ſi aliundè conſtet dari viſionem albedinis, ita ex actu atteſtationis non ſolùm infertur veritas in genere, ſed etiam in ſpecie Myſterium Trinitatis eſſe verum, ſi aliundè conſtet dari atteſtationem Trinitatis, ut evidenter conſtat habenti evidentiam in atteſtante.

33. Fides à ſe excludit evidentiam rei extrinſecam.

Impugnatur eadem doctrina ſecundò quoad ſecundam partem, quia fides ſolet dici ſimpliciter inevidens, non eſſet autem ſimpliciter talis, ſi intrinſecam tantùm, non extrinſecam evidentiam excluderet, & Adverſarij, dum ſibi uſurpant jus limitandi communem evidentiæ excluſionem ad excluſionem evidentiæ intrinſecæ, ægrè poterunt convincere eum, qui id ulteriùs limitaret ad excluſionem evidentiæ intuitivæ, adeóque admitteret actum fidei evidentem evidentiâ etiam intrinſecâ, abſtractivâ tamen. Ratio ulterior ac validior eſt, quia ex obſcuritate fidei ſolet inferri libertas credendi & pius ac liber voluntatis affectus ad credendum prærequiſitus: evidentia autem extrinſeca non minùs, quàm intrinſeca, ad aſſenſum neceſſitat & determinat intellectum independenter a quolibet pro affectu, & habens evidentiam horum principiorum *Quidquid Deus revelat verè exiſtit: Deus revelat Myſterium Trinitatis*; ſufficientiſſimè ex ipſis determinatur ac neceſſitatur ad hanc veritatem *Myſterium Trinitatis verè exiſtit* non minùs quàm ad aliam concluſionem deductam ex principiis evidentibus intrinſecis. Quod in reſponſione addebatur evidentiâ extrinſecâ rem reddi evidentem ſolùm ut atteſtatam, ſolùm quoad modum, & rationem ſub quâ, eſt pura petitio principij, quâ reſpondetur per id quod eſt in quæſtione; non enim aliud in præſenti quæritur, niſi utrùm evidentia rei ut atteſtatæ inferat evidentiam rei ſimpliciter, & evidentia revelationis, quæ eſt ratio *ſub quâ*, evidentiam veritatis revelationi ſubſtantis, quæ eſt ratio *qua*. Accedit quod aſſenſus fidei præſtatur rei ut atteſtatæ, adeóque Adverſarij concedentes evidentiam in re, ut atteſtata, concedent aſſenſum fidei præſtari rei ut evidenti, ſpecificari ab evidentia; quomodò ergo ſalvabunt eundem aſſenſum obſcuritate conſtitui?

Dices: Ratio formalis & eſſentia fidei præcipuè, imò unicè, conſiſtit in eo, quod ſit aſſenſus præſtitus teſtimonio & locutioni; atqui cum evidentia in atteſtante formaliter, & per ſe ſumptâ adhuc aſſenſus præſtatur teſtimonio & locutioni Dei; ergo cum tali evidentiâ adhuc conſiſtit fides divina ac Theologica, & quia cum eâ evidentiâ non poteſt conſiſtere, niſi obſcuritas evidentiæ intrinſecæ appoſita, qualiſcunque tandem hæc ſit, debet cenſeri ad fidem ſufficiens; major probatur, tùm quia fides eſt aſſenſus qui præſtatur credendo, credere autem unicè refertur ad teſtimonium loquentis ſeù ad locutionem; tùm quia fides humana nihil aliud eſt, quàm aſſenſus præſtitus teſtimonio humano, nec quidquam refert ſi habeatur evidentiâ talis teſtimonij ſeù hominis atteſtantis. Sed contrà: Adverſarij notionem fidei ex proprio genio conſtituent, ſi velint omnem aſſenſum teſtimonio præſtitum debere dici fidem, & in hoc vix quidem poterunt impugnari ſine quæſtione de nomine, at pro nobis ſtat præſumptio & nominis ſignificatio magis uſitata, ſecundùm quam fides importat aſſenſum teſtimonio, non quomodocunque ſed obſcurè & ſine evidentia rei atteſtatæ præſtitum, & conformiter ad hanc ſignificationem diſtinguenda eſt major inſtantiæ propoſitio; ad cujus primam probationem dico credere unicè referri ad teſtimonium, non quomodocunque; ſed non inducens evidentiam rei: ad ſecundam probationem dico fidem humanam ut plurimùm non impediri per evidentiam teſtimonij ſeù hominis atteſtantis, quia talis evidentia non ſolet habere comitem evidentiam veracitatis, adeóque non ſolet inducere evidentiam rei atteſtatæ.

34. Fides habet pro objecto formali teſtimonium ut inducens obſcuram notitiam rei atteſtatæ.

Vrgebis: ſtante evidentiâ atteſtationis & veracitatis adhuc poterit præſtari aſſenſus teſtimonio, ut teſtimonium eſt præciſè, non ut eſt evidens, nec ut habet cum re revelatâ connexionem evidentem, ac per diſcurſum deductam ex atteſtatione & veracitate evidentibus, tanquàm ex evidentibus præmiſſis, & certè qui haberet de Myſterio Trinitatis evidentiam in atteſtante non neceſſariò formaret diſcurſum inſinuatum *præced. n.* 30. adhuc igitur poſſet Myſterio aſſentiri abſolutè & immediatè propter teſtimonium, quâ teſtimonium Dei eſt, evidentiâ ſe habente applicativè, explicativè, & concomitanter, non motivè & cauſaliter, quâ ratione non apparet quid tali aſſenſui deeſſet ad verum actum fidei. Sed contrà: cum obſcuritas per nos ex *præced. num.* 22. ſit pars conſtituens formale objectum fidei, aſſenſus qui præſtaretur divino teſtimonio, ut divinum teſtimonium eſt præciſè, non haberet adæquatum & ſufficiens motivum fidei, idcò non eſſet fidei actus & ſicuti abſtraheret ab evidentia & obſcuritate, ità abſtraheret à ſcientiâ & fide: Quod dicebatur habentem evidentiam in atteſtante poſſe aſſentiri nullo formato diſcurſu, do libenter: at diſcurſus à nobis formabatur ad probandum evidentiam in atteſtante habere vim inferendi evidenter rem revelatam, qui deindè aſſentitur propter motivum eâ vi pollens, ſivè formet ſivè non formet diſcurſum, evidenter aſſentitur. Quod addebatur evidentiam explicativè, & concomitanter ſe habere, eſt contrà noſtri aſſerti ſuppoſitum, poterit tamen id permitti, ſi aliundè adſit obſcura revelationis notitia, quæ motivè & cauſaliter ſe habeat, hâc ratione non negaverim cum evidentiâ in atteſtante ſe habente concomitanter poſſe elici proprium fidei actum, ut jam attigi ſuperiùs *n.* 29.

35. Nec aſſenſus præſtitus teſtimonio, ut teſtimonio præciſè, eſt aſſenſus fidei.

Ex

Digitized by Google

36. Ex dictis habetur quodnam ſit, & quam magnum ſit diſcrimen inter nos & Scotiſtas, alioſque, quos habemus Adverſarios circà obſcuritatem objecti fidei; iſti enim obſcuritatem ponunt ex parte objecti materialis, & volunt objectum formale, revelationemque in particulari, ſivè hæc ſit formalis objecti pars, ſivè conditio dumtaxat, non debere neceſſario habere obſcuritatem, ſed debere hanc ſupponere in objecto materiali, tanquam ei aliundè convenientem. Nos ex oppoſito volumus objectum formale debere eſſe obſcurum in ſe obſcuritate ingrediente ipſiuſmet conſtitutionem, ſivè deinde obſcuritatem aliundè ſupponat etiam in objecto materiali, ſive non: Proptereàque magis proprie & magis rigorosè, quam Adverſarij ſuſtinemus obſcuram eſſe fidem, dum in hanc derivamus obſcuritatem, non ut præſtant Adverſarij, ab aliquo ſe tenente ex parte objecti materialis, & ſe habente per modum conditionis ſine quâ non; ſed à partiali conſtitutivo objecti formalis.

---

§. III.

Vtrum cum obſcuritate cohæreat evidentia credibilitatis, & an hæc detur in fidei objectis?

37. ASSERT. 1. Cum obſcuritate objectorum fidei optimè cohæret evidens eorumdem credibilitas, ſeù evidentia credibilitatis. Ità ſupponunt Theologi communiter cum D. Thomâ *hic quæſt.1. art 4. ad 2.* item *1. contrà Gent. cap.6.* & Scoto *quæſt.2. prolog.* contrà Capreolum *in 3. diſt.31. quæſt.1. in ſolut. argum.*

Obſcuritas veritatis optimè cohæret cum evidentia credibilitatis.

Probatur: Obſcuritas objectorum fidei eſt obſcuritas rei & veritatis, ſed cum hàc obſcuritate optimè cohæret evidentia credibilitatis, cum enim credibilitas & veritas diverſa ab invicem ac ſeparabilia ſint, evidentia unius non tollit obſcuritatem alterius, nec è contrà; ergo cum obſcuritate objectorum fidei optimè cohæret &c. Confirmatur ex eo, quòd veritas & credibilitas; evidentia veritatis & evidentia credibilitatis deſumuntur à principijs diverſis; ergo poſſunt eadem objecta habere unam ſine alterâ, vel habere reſpectu unius obſcuritatem, reſpectu alterius evidentiam; antecedens probatur, quia veritas deſumitur ab exiſtentiâ rei, credibilitas ab exiſtentiâ extrinſeci teſtimonij, evidentia veritatis à cognitione rei per ſe ipſam aut per media, cum quibus res neceſſariò connectatur; evidentia credibilitatis ab exiſtimatione teſtimonij, & à motivis extrinſecis habentibus cum re credendâ connexionem non omninò neceſſariam, valdè tamen probabilem ac veriſimilem.

Dices: Vbi intellectus convincitur datur evidentia veritatis, ſed ex evidentia credibilitatis intellectus convincitur, ergo ubi datur evidentia credibilitatis datur evidentia veritatis & rei, nec illa poteſt cum iſtius obſcuritate cohærere; minor probatur ex D. Thomâ hic *qu.5. art. 2. in c.* ubi docet *intellectum convinci per auctoritatem divinam aſſentire his, quæ non videt* & nonnullis interpoſitis addit *S. aliquis Propheta prænuntiaret in ſermone Domini aliquid futurum & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando: ex hoc ſigno convinceretur intellectus videntis, ut cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo* Ecce S. Doctor vult ex ſigno afferente evidentem credibilitatem intellectum convinci ad aſſentiendum rem eſſe à Deo teſtatam, quod eſt intellectum habere evidentiam divinæ atteſtationis; atqui per nos evidẽtia divinæ atteſtationis non cohæret cũ obſcu- 38.
ritate rei atteſtatæ, ergo neque cum hac obſcuritate cohæret evidentia credibilitatis. Sed contrà: ſolùm ubi intellectus convincitur ad aſſentiendum veritati, datur evidentia veritatis; ex evidentiâ autem credibilitatis ſi aliqua habetur intellectus convictio, habetur ad aſſentiendum credibilitati ideſt adjudicandum eſſe credibile id, quod apparet evidenter tale. Quidquid tamen ſit de hoc, datâ abſolutè majore nego minorem, ad cujus probationem dico verba primo loco relata non eſſe disiungenda ab immediatè ſequentibus *& propter imperium voluntatis moventis intellectum & obedientis Deo*, quibus S. Doctor expreſsè tradit intellectum non ſolâ auctoritate penes quam attenditur credibilitas, ſed piâ ſimul voluntate convinci ad aſſentiendum his, quæ non videt. Ad verba relata ſecundo loco dico pariter attendendum eſſe, quod ibidem ſubditur *dæmones videre multa manifeſta indicia ex quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ à Deo eſſe*, ſicuti enim hæc verba intelligi non poſſunt de evidentiâ in atteſtante quâ certè dæmones carent, ità nec priora, in quibus propterea ly *ut cognoſcat manifeſtè hoc dici à Deo* nil aliud ſignificat, quàm ut cognoſcat manifeſtè hoc eſſe credibile tanquam dictum à Deo, ſeu credibilitate divinâ: evidentia igitur credibilitatis rectè cõſiſtit cum obſcuritate, tùm rei atteſtatæ, tùm etiam atteſtationis.

Dices aliter: Quod eſt evidenter credibile fide divinâ eſt evidenter verum; ſed evidens credibilitas de quâ in aſſerto, eſt credibilitas relata ad fidem divinam; ergo eſt evidens, credibilitas inferens evidentiam veritatis, nec cum obſcuritate cohærens; minor patet, quia evidens credibilitas, de quâ in aſſerto eſt credibilitas objectorum fidei divinæ; circà quæ, ſi appareant evidenter credibilia ſolùm fide humanâ, non poterit prudenter haberi pius affectus voluntatis imperantis aſſenſum fidei divinæ: Major probatur, quia evidens eſt fidei divinæ non poſſe ſubeſſe falſum, & verum eſſe quidquid fide divinâ creditur; er- 39.
go eſt evidenter verum quidquid eſt evidenter fide divinâ credibile. Sed contrà: major non caret difficultate; & quàmvis libenter admittamus ut evidens, quod nequeat fidei divinæ ſubeſſe falſum ex falſitate revelationis divinæ realis, non eſt adeo evidens quod ei nequeat ſubeſſe falſum ex falſitate revelationis divinæ putatæ cum *ex præced. §.6.* ſatis deducatur non eſſe evidens, quod fidei divinæ actus ex revelatione divinâ putatâ elici nequeat: Nihilominùs

In aliquo ſenſu non eſt evidens, quod nequeat fidei divinæ ſubeſſe falſum.

omittò maiorem, diſtinguo minorem, eſt credibilitas relata ad fidem divinam ſuo conceptu communi fidei firmiſſimæ, abſtrahentis tamen à fide divinâ reali & à fide divinâ putatâ concedo; eſt credibilitas relata ad fidem divinam ſub proprio conceptu fidei divinæ realis nego, cum enim in viâ non poſſimus habere evidentiam de eo, quod fides divina realis & ſupernaturalis ſit dabilis, multo minùs poſſumus habere evidentiam de eo, quod aliquid ſit tali fide credibile aut talis fidei objectum; credibilitas igitur, de quâ in aſſerto, facit apparere objecta evidenter credibilia, non quidem ſolâ fide humana, at nec abſolutè & determinatè fide divina; ſed indeterminatè fide firmiſſimâ etiam divina, ſi poſſibilis; quod autem hoc modo eſt evidenter credibile non eſt evidenter verum, quia omnis fides non determinatè divina poteſt ſuſtineri fallibilis.

40. Non deſunt aliquæ aliæ difficultates contrà ſimultatem obſcuræ veritatis & evidentis credibilitatis militantes; ſed opportuniùs occurrent in materiæ progreſſu, in quo ſtatuendum eſt, Utrùm re ipſa detur in objectis fidei evidens credibilitas? Qualis eſſe debeat? undè proveniat? & quodnam indicium de ea formandum ſit, naturalenè an ſupernaturale.

Objecta noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia.

Aſſert.2. Datur evidentia credibilitatis in objectis fidei, nimirùm tùm in objecto formali & revelatione; tùm in objectis materialibus & rebus revelatis; in illo tamen per prius & principalius, quàm in iſtis. Ità Theologi communiſſimè contrà Capreolum loco præcit.

Probatur primò aſſertum in univerſum tùm auctoritate ex verbis pſal.92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis* ubi ly *nimis* explicat perfectionem quamdam ſeù excellentiam, ac quaſi ſuperabundantiam credibilitatis, non in alio meliùs, quàm in eiuſdem evidentiâ collocabilem; tùm ratione, quia in fidei objectis datur credibilitatis certitudo, atqui hæc nequit eſſe ſine evidentiâ, nec de credibilitate rerum fidei poteſt nobis conſtare certò quin ſimul conſtet evidenter, ergo. Major non videtur negabilis, non enim teneremur res fidei certò credere, & ſolùm ex imprudentiâ ac levitate animi certò crederentur, ſi non eſſent certò credibiles, aut nobis non innoteſcerent ut tales: Minor probatur certitudo, quæ non habetur per fidem, nequit eſſe ſine evidentiâ, & intellectus convinci ac certificari non poteſt aliundè, quàm aut ex evidentia aut ex pio affectu voluntatis fidem imperantis; atqui in fidei objectis certitudo credibilitatis non habetur per fidem, nam cognitio talis credibilitatis fidem antecedit tanquàm quid prærequiſitum ad ipſam, ſi igitur illa cognitio per fidem haberetur, fides ſe ipſam antecederet, ad ſe ipſam prærequireretur, vel eſſet ponenda alia fides per quam crederetur credibilitas, alia per quam crederetur credibilitas credibilitatis, & ſic in infinitum procederetur. Confirmatur ex eo quod §.*ſeq.* enumerabimos ſingillatim plura motiva, quæ reddunt evidenter credibilia myſteria noſtræ fidei; imò credibiliora, quàm ſint dogmata alterius cujuſcumque Religionis.

41. Certitudo, quæ non habetur per fidem nequit eſſe ſine evidentia.

Dices: Myſteria noſtræ fidei creduntur obſcurè, non evidenter; ergo ſunt obſcurè non evidenter credibilia; quod eſt idem ac dicere, ergo datur obſcuritas, non evidentia credibilitatis. Deindè ex Myſteriis noſtræ fidei plura ſunt ſupernaturalia, quæ per conſequens non cognoſcuntur à nobis evidenter poſſibilia; at ſi cognoſcerentur evidenter ut credibilia cognoſcerentur evidenter ut poſſibilia, quia quod evidenter judicatur impoſſibile, evidenter judicatur incredibile; ergo ab oppoſito conſequentis arguendo ad oppoſitum antecedentis, quod evidenter judicatur credibile, evidenter judicatur non impoſſibile ſeu poſſibile. Sed contrà: concedo antecedens, diſtinguo conſequens, ergo Myſteria noſtræ fidei non ſunt evidenter credibilia, ſi ly *evidenter* referatur ad actum credendi, & ſenſus ſit non ſunt credibilia actu evidenti, concedo; ſi ly *evidenter* referatur ad alium actum reflexum ſuprà poſſibilitatem actus credendi, & ſenſus ſit non conſtat actu evidenti myſteria fidei eſſe credibilia, nego; & dico inſtantiam laborare æquivocatione ob diverſum reſpectum, quem habere poteſt ly *evidenter* dum applicatur Myſterio credibili, quod duplici titulo tale denominatur nimirum, tum ab actu directo quo creditur, tùm ab actu reflexo quo cognoſcitur dignum credi; primo modo dici poteſt credibile proximè, & non ſupponitur talis credibilitas ad actum credendi; ſecundo modo dici poteſt credibile remotè & credibilitate prævià ac ad actum credendi prærequiſitâ, ut obſervat Arriaga hic *diſp.5.num.*30. Ad illud, quod additur nego minorem ſubſumptam, & dico ab evidentiâ credibilitatis non bene argui ad evidentiam poſſibilitatis, quia prior evidentia ſumitur à motivis extrinſecis, poſterior à principiis intrinſecis, ut dicebamus de evidentiâ veritatis: ad probationem tranſeat antecedens, nego conſequentiam, & regula arguendi ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis valet quando arguitur ab appoſito contradictorio, non ab oppoſito contrario; evidenter autem credibile & evidenter incredibile; evidenter poſſibile & evidenter impoſſibile, contraria ſunt, non contradictoria, cum medium admittant, & poſſit dari aliquid cujus nec credibilitas; nec poſſibilitas nec impoſſibilitas, evidens ſit; & de facto quoad res ſupernaturales nec poſſibilitatis nec impoſſibilitatis habemus poſitivam evidentiam.

42. Evidentia credibilitatis non infert evidentiam poſſibilitatis.

Probatur ſecundò aſſertum in particulari quoad ultimas particulas: Motiva gignentia evidentiam credibilitatis cadunt immediatè & primario ſuprà revelationem, mediante revelatione & ſecundario ſupra res revelatas; ergo evidentia credibilitatis per prius, & principalius datur reſpectu revelationis; quàm reſpectu rerum revelatarum; reſpectu objecti formalis, quàm reſpectu objectorum materialium; antecedens probatur primò quia in prællatis verbis pſalmi ly *teſtimonia tua* explicitè & formaliter ſupponit pro revelatione,

43. Illa prius & principalius convenit objecto formali fidei, quàm objectis materialibus.

non

non pro rebus revelatis : ſecundò quia miracula ; perpeſſiones tormentorum & mortis, & inſignoiora hujuſmodi motiva evidentis credibilitatis cadunt ſuprà exiſtentiam revelationis aut veracitatis divinæ, non ſuprà veritatem rerum revelatarum ſpecificativè & præſcindendo à revelatione ; quia ut obſervat Arriaga *præcit.diſp.5. num* 3. Martyr mortem ſuſtinens pro alicujus myſterij fide non dicit, Morior pro ſuſtinendo hoc myſterio, alioqui qui myſterium ſuſtinens ex propriâ opinione aut ex fide humana, pro ipſo moreretur, moreretur ut Martyr, ſed dicit, morior pro ſuſtinendâ revelatione & veracitate Dei, ut circa hoc Myſterium verſatur.

§. IV.

Qualis eſſe debeat, & undè proveniat evidentia credibilitatis, in rebus fidei?

44. Credibilitas noſtræ fidei eſt evidens etiam comparativè & major omni alia credibilitate.

ASSERT. I. Evidentia credibilitatis in rebus noſtræ fidei debet eſſe non ſolum abſoluta, verum etiam comparativa ; adeò ut res noſtræ fidei ſint non ſolùm evidenter credibiles, verum etiam alijs omnibus evidenter credibiliores ; & ſectæ oppoſitæ, ac repugnantes, ad noſtram fidem comparatæ, appareant prudenter incredibiles. Ità Theologi communiſſimè, magis verò ex profeſſo & in terminis terminantibus Suarez *diſp.* 4. *ſec.* 4. Amicus *diſp* 3 *ſec.* 3. *conc.* 2. Arriaga *diſput.* 5. *ſec.* 3. *conc.* 3. & 4.

Dixi *appareant prudenter incredibiles*, neque enim poſſumus omnimodè incredibilia judicare ea, quæ de facto videmoa credi à multia etiam comparantibus ſuam fidem cum noſtrá, licet deinde in hac comparatione deficiant non perpendendo omnia, nec attentè ſingula, motiva militantia pro credibilitate noſtræ fidei, quam relinquunt, & pro incredibilitate ſectæ oppoſitæ, quam amplectuntur, adeóque imprudenter ac illicitè huic credant, illi diſcredant.

Probatur. In rebus noſtræ fidei debet eſſe credibilitas talis ac tanta, ut prudenter poſſimus, imò teneamur elicere aſſenſum omninò firmiſſimum, & ſine ulla ſuſpicione umquam diſſentiendi, aut minus illis aſſentiendi, quàm aliquibus aliis ; atqui ad hoc neceſſaria eſt evidentia credibilitatis etiam comparativa, quâ res noſtræ fidei ſint evidenter credibiliores &c. ſi enim aliquid aliud appareat æquè credibile omnibus æquè perpenſis, ſemper poterit ſine imprudentiâ mutari aſſenſus, aut ſaltem ſemper poterit haberi prudens ſuſpicio mutationis aliquando faciendæ, ergo eviden-
45. tia credibilitatis in rebus noſtræ fidei &c.

Dices : ſi daretur in rebus noſtræ fidei hæc evidens credibilitas comparativa, & major non poſſet intellectus illis diſſentiri, aut aſſentiri ulli ſectæ oppoſitæ ; quod eſt contrà experientiam & inſuper infert plura abſurda ; infert ſcilicet actum fidei elici non liberè, non meritoriè, non ex pio voluntatis affectu, non ex ſpeciali, gratiâ : ſequela probatur quia intellectus licet poſſit non aſſentiri probabili, ſuppoſito tamen quod velit aſſentiri uni ex duobus inæqualiter probabilibus, non poteſt non aſſentiri probabiliori cognito ut tali ; & voluntas ipſa circà bonum quodcumque finitum maximè libera, ſi debeat eligere unum ex duobus bonis inæqualibus, nequit in multorum ſententiâ eligere bonum minus relicto majore ; ergo ſimiliter ex inæqualiter credibilibus nequit intellectus diſſentiri credibiliori, aſſentiri minus credibili ac per conſequens nequit diſſentiri noſtræ fidei, aut aſſentiri ulli ſectæ oppoſitæ ſi noſtra fides evidenter
proponitur ut credibilior omni ſectâ oppoſi- 46.
tâ. Sed contrà : inſtantia imprioris non infert neceſſitatem aſſentiendi rebus noſtræ fidei ſimpliciter, ſed ſolùm ex ſuppoſitione. quòd quis velit aſſentiri aut rebus noſtræ fidei, aut rebus alterius ſectæ ; quando enim intellectus non poſſet diſſentiri credibiliori aſſentiendo minùs credibili, poſſet tamen ſimpliciter neutri aſſentiri, at hoc non ſufficit pro re noſtrâ quia actus fidei ſuſtinendus eſt liber, meritorius, & ex gratiâ etiam reſpectu illius, qui ſupponatur omninò determinatus ad aſſentiendum rebus aut noſtræ fidei, aut alterius ſectæ : ad ſequelæ igitur probationem omitto antecedens ſumptum cum limitationibus, cum quibus à ſuis Auctoribus tradi ſolet, diſtinguo conſequens, ergo ſimiliter ex inæqualiter credibilibus nequit intellectus &c. ſi aſſentiatur prudenter & ex imperio voluntatis habentis præcisè pro motivo credibilitatem ac honeſtatem concedo ; ſi aſſentiatur imprudenter & ex imperio voluntatis habentis pro motivo credibilitatem ut conjunctam cum bono utili aut delectabili, quod facilè poteſt eſſe majus, ubi credibili-
tas eſt minor, oego conſequentiam. 47.

Aſſert. 2. Evidentia credibilitatis in rebus fidei non ſolùm abſoluta, verum etiam comparativa, provenit ex varijs motivis & argumentis, quæ non ſolùm ſunt plurima & graviſſima ; verùm etiam ſunt plura & graviora, quàm in ullâ aliâ ſecta. Ita Theologi communiter diligenter eruentes talia motiva & argumenta ex Sanctis Patribus, præſertim ex Auguſtino, Iuſtino Martyre, Lactantio, Tertulliano, Chryſoſtomo, Damaſceno, Bonaventura, Dionyſio, Clemente Alexandrino, quorum textus ſingillatim citat Valentia *hic diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 4.

Probatur recenſendo in particulari motiva præcipua, breviterque inſinuando efficaciam ſingulorum ac vim ad credibilitatem inducendam : Placet autem claritatis gratiâ ea diſtinguere in quinque claſſes cum Maldero *hic quæſt.* 2. *art.* 5. *dub.* 4. *ſec.* 3. Prima ſit ſe tenentium ex parte ejus, cui creditur : ſecunda ex parte ejus, quod creditur : Tertia ex parte eorum, qui credunt : Quarta ex parte eorum, qui non credunt : Quinta ex parte modi, quo propagatur & propugnatur fides qua creditur.

48. Prima claſſis motivorum pro evidenti credibilitate.

Sub prima claſſe continentur primo miracula, quæ ut potè opera propria divinæ virtutis oſtendunt Deum eſſe Auctorem, aut teſtem illius doctrinæ, in cujus confirmationem

rerum fidei ſe tenens ex parte ejus, cui creditur.

fiunt, & conſequenter Deo credere quicunque eam credunt. Secundo Prophetiæ, quibus noſtra fides abundat, & quarum aliquæ ſucceſſu temporis comprobatæ inſinuant cæteras pariter comprobandas, & ſuadent Prophetas quidquid nobis tradiderunt tradidiſſe dictante Deo, cujus proprium eſt futura prænoſcere & interna penetrare: Tertiò probitas & Sanctitas Prophetarum, Patriarcharum, Apoſtolorum, aliorumque Eccleſiæ Procerum, à quibus rerum credendarum promulgationem & propoſitionem accepimus; probitas enim & ſanctitas ſicut ad auctoritatem, ità & ad credibilitatem plurimùm conducit; Quartò præſtantia, dignitas, auctoritas Perſonæ Chriſti, efficacitas ſermonum ipſius, ſigna divinitatis in eo relucentis, quæ omnia indicant ejus doctrinam eſſe ſpecialiter à Deo, ſummeque credibilem.

49. *Secunda ex parte ejus, quod creditur.*

Sub ſecunda claſſe continentur primò rationabilitas & honeſtas doctrinæ per fidem traditæ; in qua nihil contra bonos mores, nihil contra naturæ dictamina, nihil contra Dei dignitatem, imò omnia conducentia ad candorem morum, ad cultum virtutum ad magnificè ſentiendum de Deo; Secundò ejuſdem doctrinæ conſonantia & concordia, quâ nullibi continet aliqua inter ſe repugnantia; item evidentia negativa, qua in nulla re poteſt convinci falſitatis: Tertiò antiquitas, quæ tanta eſt, ut præcipua quæ nunc credimus myſteria in ipſo mundi exordio cæperint eſſe credenda, & ipſamet Sacra Scriptura magna ſui parte longè anteceſſerit alia omnia profanorum Auctorum monumenta, ut eruditè oſtendunt Ioſephus, Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, & alij apud Valentiam *præcitat. punct.* 4. *argum.* 14.

50. *Tertia ex parte eorū, qui credunt.*

Sub tertia claſſe continentur primò ingens numerus & multitudo credentium, inter quos plurimi pollentes ingenio & dignitate auctoritateque conſpicui; nec omnes uno eodemque tempore & loco, ſed in quacunque temporum & locorum diverſitate ſemper conſentientes. Secundò eorundem credentium probitas elucens præcipuè, tùm in eo quod ſemper in Eccleſiâ floruerint plures utriuſque ſexus fideles eximiâ ſanctitate excellentes; tùm in admirabili animi mutatione, quam experiuntur ſuſcipientes fidem Catholicam ob ſingulare robur ad vitanda graviora peccata, contrà naturæ legem, ob tranquillitatem conſcientiæ, quâ fidem ſuſceptam retinent, & ob ſpirituales delitias quibus ſæpè perfunduntur. Tertiò plurimorum Martyrum cujuſlibet ſexus & ætatis conſtantia invicta, quâ æquo, imò læto animo ſuſtinuerunt tormenta acerbiſſima, & ſanguinem vitamque fuderunt pro fidei confeſſione, & licèt etiam inter hæreticos inventi ſint qui pro ſuâ ſectâ perierint; hi tamen nec multi fuere, nec aut vitam morum innocentiâ aut mortem ſignis & prodigiis reddidere ſpectabilem.

51. *Quarta ex parte eorum, qui non credunt.*

Sub quartâ continentur primò teſtimonia, quæ infideles ipſi præbent de Sanctitate Chriſti Domini & Religionis ab ipſo inſtitutæ, nam Ioſeph Hebræus *lib.* 18. *antiquit. c.* 9. Chriſtum eximiè commendavit, & Imperatores Gentiles veterum Romanorum habuerunt in admiratione & exiſtimatione Chriſtianæ vitæ inſtitutum: Etiam nunc Iudæi, dum per totum orbem diſperſi circumferunt vetus teſtamentum, in quo plures ſunt prophetiæ de Chriſto & lege ab ipſo inſtitutâ, præbent luculentiſſimum noſtræ fidei teſtimonium: Secundò clades & calamitates, quibus mulctantur noſtræ Religionis hoſtes & oppugnatores, ut patet in miſerrima Iudæorum poſt Chriſti mortem conditione, in felici exitu Simonis Magi apud Egeſippum; Iuliani Apoſtatæ apud Nazianzenum *Oratione in Athanaſium, & Invectiva* 2. *in Iulianum*; Montani apud Euſebium *lib.* 5. *hiſtoria cap.* 16. Lutheri apud Cochlæum, Calvini apud Bolſecum: Tertiò experientia, quâ conſtat aliarum Religionum Sectatores, ſi tangantur puro deſiderio ſalutis conſequendæ, non aliam quàm noſtram fidem eligere, cum econtrà (ut obſervat Amicus *diſp.* 2. *num.* 69.) nullus legatur, qui ſolo deſiderio ſalutis è noſtrâ ad aliam religionem tranſierit.

Sub quinta continentur primò brevitas temporis, quo doctrina Evangelica per totum ferè terrarum orbem diffuſa eſt, non armis & potentia ut Machometiſmus, non libertate conſcientiæ, & impunitate peccandi ut Novatorum Sectæ; ſed miniſterio paucorum, inermium, & rudium hominum, hiſque proponentibus myſteria ſuperantia naturalem intelligendi vim, præcepta repugnantia naturali appetitus inclinationi, & doctrinas aut ſpeculativè aut practicè difficiles: Secundò efficacia occulta, nec aliundè, quàm divinitus inſita vis, quæ inerat verbis Chriſti, dum oratione ſimplici, ſententiis planis, & vulgaribus ſimilitudinibus utens conciliavit ſibi famam Magiſtri ſapientiſſimi, ad ſuorum dictorum admirationem & ſequelam populos commovit, & quos ſibi eligebat in diſcipulos unâ ſtatim voce ad ſe traxit: Tertiò non adeò quidem eximia, valdè tamen mirifica, vis inexiſtens toti ſcripturæ, quæ licèt nec ornatè, nec artificioſè compoſita, magis perſuadet, magis docet, magis excitat, magis ſolatur; quàm ulla oratio omni artificio omnibuſque ornamentis eleganter inſtructa. 52. *Quinta ex parte modi propagatæ, & propugnatæ fidei, qua creditur.*

Hucuſque inſinuata credibilitatis motiva ſi ad alias ſectas cōferas, invenies in his aut valdè pauca, aut nulla, aut prorsùs oppoſita; in nulla ſcilicet ſecta, in nulla alia religione invenies vera miracula veroſque Martyres; nulli alij ſectæ favorabile præbent teſtimonium religionis noſtræ Cultores: in alijs ſectis facilè depræhendes aut dogmatum inter ſe repugnantiam, aut errorem aliquem manifeſtum contrà lumen naturæ, aut doctrinam corruptelæ morum, virtutumque everſioni deſervientem, &c. ut magis adamuſſim expendunt Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 4. & Valentia *præcit. punct.* 4. dum ille quoad credibilitatem ſingillatim confert Religionem noſtram ad alias præcipuas religiones nimirum Paganiſmum, Iudaiſmum & hæreticorum ſectas; iſte ſingula fere prææſſata motiva comparat ad alias ſectas, & ea in ipſis deeſſe oſtendit. Nobis ſufficiat pro epilogo omnia breviter in 53.

unum

unum colligere, & formare unicum, ſed ſemper invictum, credibilitatis tùm abſolutæ, tùm comparativæ argumentum ſic.

54. *Omnium præcedentiū motivorum in unum argumentum collectio & conglobatio.*

Doctrina miraculis comprobata, prænunciata oraculis Prophetarum, miniſterio virorum ſanctitate illuſtrium tradita; quæ eſt per ſe conformis rationi, conſona honeſtati divinæque Majeſtati honorifica; quæ nullius repugnantiæ aut falſitatis convictione laborat, & gaudet privilegio vetuſtiſſimæ antiquitatis, in quam conſentiunt innumeri, & ex his multi graves docti ac probi viri; cui præbent favorabile teſtimonium plures etiam Adverſarij; cujus confeſſionem proprio ſanguine libenter ac lætanter conſecrant præclari & innocentiſſimi Martyres; ad cujus ampliſſimam propagationem & propugnationem validiſſimam nec armorum vis nec artificium verborum inſervit, &c. talis, inquam, doctrina eſt evidenter credibilis, & credibilior omni alia doctrina paribus motivis non decorata imò deturpata oppoſitis; atqui ità ſe habet doctrina noſtræ fidei ad doctrinam alterius cujuſcunque religionis comparata, ergo.

---

§. V.

Vtrùm evidentia credibilitatis requiratur in ſingulis credentibus; utrùm ſit ſupernaturalis actus, & ex quo habitu eliciatur?

55. *Evidentia credibilitatis neceſſaria eſt ſingulis fidelibus cū latitudine tamen, & inæqualitate.*

Assert. 1. Evidentia credibilitatis eſt ad fidem neceſſaria non ſolùm reſpectu corporis Eccleſiæ, ſed etiam reſpectu ſingularum Perſonarum, dummodò talis evidentia ſumatur cum aliqua latitudine & inæqualitate. Ità Cajetanus *hic quæſt. 1. art. 4.* Joannes à S. Thoma *diſp. 2. art. 3. num* 5. Gabriel à S. Vincentio *diſp. 1. dub. 11. num.* 285. Suarez *diſp. 6. ſect. 5. numer.* 8. Amicus *diſp.*, *ſect. 2. num.* 14. cæterique Thomiſtæ & Recentiores magis communiter contrà Gabriel. *in 3. diſt. 24. art. 3. dub.* 1. Pontium *diſp.* 28. *quæſt.* 4. & aliquos alios Scotiſtas, qui tamen & ſingillatim Maſtrius *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *artic.* 2. limitatione illa, *dummodo talis evidentia*, &c. facilè in aſſertum noſtrum trahuntur.

Probatur: evidentia credibilitatis eſt ad fidem neceſſaria ut actus fidei prudenter eliciatur cum adhæſione ac certitudine ſummâ excludente omnem formidinem, imò omnem potentiam formidandi in ſenſu compoſito illius actus; atqui non ſolùm reſpectu corporis Eccleſiæ, ſed etiam reſpectu ſingularum Perſonarum neceſſe eſt, quòd actus fidei prudenter eliciatur cum adhæſione, ac certitudine ſummâ excludente, &c. adhæſio enim hæc & certitudo eſt de eſſentia cujuſcunque actus fidei divinæ in quocunque ſubjecto reperiatur; ergo evidentia credibilitatis eſt ad fidem neceſſaria, &c. Major infertur *ex præced. n* 45. & ulteriùs clariùſque probatur ex eo, quod actus elicitus cum adhæſione ac certitudine ſumma excludente, &c. eſt actus quo ſummè creditur; atqui in viro prudente ad ſummè credendum prærequiritur ſumma notitia ſummæ credibilitatis, alioqui prudenter crederet magis, quam poſſet prudenter credere, & actus ſecundos credendi excederet actum primum credibilitatis; ergo.

Dices: evidentia credibilitatis in rebus fidei eſt quaſi concluſio deducta ex collectione ſeù conglobatione omnium motivorum numeratorum §. *præced.* & conſequenter ſupponit omnium hujuſmodi motivorum notitiam, ſicut concluſio ſupponit notitiam præmiſſarum; atqui horum omnium motivorum notitia non eſt ad fidem neceſſaria reſpectu ſingularum Perſonarum, nam doctrinæ antiquitas, martyrum confeſſio, populorum conſenſus, & aliqua alia omninò deerant tempore primorum fidelium, & poſtquàm Eccleſia eſt illis omnibus inſtructa, conſtat experientia nō à ſingulis fidelibus illorum omnium notitiam comparari; imò nec eſſe tantæ notitiæ capaces pueros ac indoctos viros, ſicut nec Evangelij prædicatores & propagatores ſolliciti ſunt recenter converſos de illis omnibus edocere, aut putant non poſſe illos elicere ullum actum veræ fidei, antequàm ſint de illis omnibus edocti. Sed contrà: evidentia credibilitatis in rebus fidei poteſt quidem eſſe concluſio deducta ex omnibus præcedentibus motivis ſimul collectis & conglobatis; at neceſſe id non eſt, & ſufficienter, licèt minùs perfectè, habetur etiam ex aliquo aut ex aliquibus eorum ſeorſim, & quod mox dicebamus notitiam credibilitatis debere eſſe ſummam, intelligendum eſt de ſummâ in ſpecie & appretiative, non de ſummâ graduali ter & intenſivè; neque enim idem eſt dicere ſummam ac dicere in ſummo gradu, & ideò appoſitæ ſunt in aſſerto particulæ illæ *dummodò talis evidentia ſumatur cum aliquâ latitudine & inæqualitate*: apparet autem maximè hæc latitudo & inæqualitas in pueris, indoctis, recenter ad fidem converſis, comparativè ad adultos, ſapientes, in fide provectos; in illis certè quærenda non eſt tanta, nec ex tot motivis, evidentia, quanta in iſtis; at nec neganda evidentia omnis, nam motivum multitudinis Chriſtianorum in noſtram fidem conſentientium, item notitia aliqua miraculorum & martyrum eandem confirmantium, nec pueris, nec indoctis, deſunt; quæ quidem motiva ſe ſolis, licèt fortè poſſent relinquere rationem aliquam dubitandi in homine valdè ſagaci, ſecùs in rudi & indocto, in iſto proptereà ſufficiunt ad gignendā credibilitatis evidentiam. huc ſpectat illud Auguſtini *lib contra epiſt. fundam. cap.* 4. dicentis *In Catholica Eccleſia pauci ſpirituales ad ſinceriſſimam ſapientiam perveniunt in hoc ſtatu: cæteram quippè turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimos facit.* Quod in inſtantia dicebatur de quibuſdam credibilitatis motivis deſideratis tempore primorum fidelium minorem habet difficultatē, illorum quippè motivorum defectus compenſabatur tunc majore Evangelizantium ſanctitate & energia; majore prodigiorum eorumque mirabiliorum frequentia. Adde quod tùm initio Eccleſiæ, tùm in pueris & rudibus,

56.

Latitudo illa & inæqualitas maximè apparet in pueris, indoctis, & recenter converſis ad fidem.

Digitized by Google

credibilitas compleri poteſt ſpeciali auxilio inſpirationis & vocationis internæ, ut colligitur ex D. Thomâ, *quodlib.1. art.6. in corp.*

57. Iudicium de evidentiâ credibilitatis ut præcisè tale poteſt eſſe naturale.

Aſſert.2. Iudicium de evidentiâ credibilitatis, ut præcisè tale, non eſt neceſſe, quod ſurpernaturale ſit. Ità Suarez *hic diſp.4. ſec.6. & diſp.6. ſec.8.* Amicus *diſp.3. ſec.5. & diſp. 10. ſec.8.* Turrianus *diſp.7. dub.4.* Maſtrius *diſp.7. quæſt.10. num.197.* & alij plures contrà Caietanum *quæſt.1. art.4. ad 2.* Bannexium *ibid.* Joannem à S. Thomâ *diſp.2. art.3. nu.15.* Lugum *diſp.11 ſec.1.* & tùm reliquos Thomiſtas communiter, tùm aliquos Recentiores, ex quibus etiam nonnulli problematicè ſentiunt, ut Arriaga *diſp.5 ſec.5.*

Dixi *ut præciſè tale*, ideſt ut præcisè verſatur circà objectum ut credibile, nec ulteriùs progreditur attingendo objectum ut credendum hic & nunc, quod eſt idem ac dicere iudicium ſpeculativè acceptum, non verò etiam practicè.

Dixi *non eſt neceſſe* ut innuerem me negate tantùm neceſſitatem, non poſſibilitatem ſupernaturalitatis in iudicio de evidentiâ credibilitatis, etiam ſpeculativè accepto & præcisè tali; eſt enim poſſibilis, quamvis non neceſſaria, illuſtratio aliqua ſupernaturalis ad iudicium illud conducens, undè mox cum S. Doctore obſervavimus poſſe aliquando credibilitatem compleri ſpeciali auxilio inſpirationis ſeù vocationis internæ. Aſſertum ſic explicatum.

58. Probatur Iudicium de evidentia credibilitatis, ut præcisè tale, eſt concluſio deducta per diſcurſum naturalem ex præmiſſis naturalibus, ſeu naturali lumine cognitis, ſed concluſio ſic deducta non eſt neceſſe, quod ſupernaturalis ſit; ergo iudicium de evidentiâ credibilitatis &c. minor patet, maior probatur, judicium de evidentiâ credibilitatis eſt concluſio deducta ex his præmiſſis: doctrina comprobata miraculis, prænuntiata oraculis Prophetarum, miniſterio virorum ſanctitate illuſtrium tradita, rationi conformis, honeſtati conſona &c. eſt evidenter credibilis; Doctrina noſtræ fidei eſt comprobata miraculis, prænunciata oraculis Prophetarum &c. ſed hæ duæ præmiſſæ ſunt à nobis cognitæ lumine naturali; nam prima eſt lumine naturæ per ſe nota; ſecunda innoteſcit partim experientiâ, partim fide humana, ergo.

Dices: Iudicium de evidentia credibilitatis excitat & inducit voluntatem credendi fide divina, & ab ipſo incipit ſeries actuum ad fidem divinam pertinentium; ergo eſt actus ſupernaturalis; probatur hæc conſequentia primò quia actus naturalis non poteſt excitare & inducere voluntatem ſupernaturalem; ſupernaturalis autem eſt voluntas credendi fide divina: ſecundò quia iudicium illud eſt initium iuſtificationis & fidei, non poteſt autem poni pro tali initio aliquid naturale ſine acceſſu ad Semipelagianos tribuentes naturæ viribus initium ſalutis: tertiò quia Auguſtinus *de prædeſt. ſanctor cap.2.* referens verba illa 2. Cor. 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, ait *quis non videat prius eſſe cogitare, quàm credere, nullus quippè credit aliquid, niſi prius cogitauerit eſſe credendum* iuxtà Auguſtinum igitur non ſumus ex nobis ſufficientes ad cogitationem præcedentem velle credere, eſſemus autem ſufficientes, ſi
iudicium de evidentia credibilitatis, in quo 59.
cogitatio illa conſiſtit, eſſet actus naturalis.

Sed contrà: Iudicium de evidentia credibilitatis, ut præcisè tale & ut purè ſpeculativum non excitat, nec inducit voluntatem credendi, quia nullam habet determinatam connexionem cum tali voluntate, & prærequiritur quidem ad ipſam at non ſufficit; non item ab ipſo tanquàm ab aliquo per ſe influente & determinatè connexo cum fide divinâ incipit ſeries actuum &c. ideò inſtantia rectè probat conſequentiam, at difficultas eſt in antecedente, quod nego & dico ad inducendam voluntatem credendi, & inchoandam ſeriem actuum ad fidem pertinentium, non ſufficere judicium de evidentia credibilitatis, ut præcisè tale & purè ſpeculativum, ſed inſuper requiri ſupernaturalem illuminationem, quam ſi vis collocare in judicio ſupernaturali practico, quo intellectus à Deo ſpecialiter motus judicet eſſe hic & nunc credendum fide divinâ, non diſſentio.

Præter iudicium illud naturale prærequiritur ad voluntatem credendi illuminatio ſupernaturalis.

Neque dicas hoc modo tandem nos concedere circà evidentiam credibilitatis judicium ſupernaturale, quod Adverſarij intendunt, aut ſaltem de quo æquè ac de judicio ſupernaturali ab Adverſarijs intento ſupererit inquirendum à quonam ſupernaturali habitu proveniat? & quænam ſupernaturalis cognitio præcedat ſupernaturalem voluntatem, à quâ judicium illud utpotè liberum im-
peratur. Contrà enim: judicium ſupernatura- 60.
le practicum nos permiſſivè admittimus, non requirimus neceſſariò; & pro illuminatione ſupernaturali ſitâ in tali judicio cenſemus poſſe æquè bene inſervire illuminationem ſitam in ſimplici apprehenſione honeſtatis ſupernaturalis relucentis in hoc, quod eſt adhibere fidem divinam teſtimonio, quod evidenter apparet ut divinum: eo deindè judicio permiſſo non eſt à nobis inquirendum à quonam ſupernaturali habitu proveniat, & quænam ſupernaturalis cognitio præcedat? &c. quia tale judicium ſicuti eſſet ſpecialis illuminatio, ità ſequeretur conditionem cæterarum illuſtrationum divinarum, & eſſet actus indeliberatus, quem Deus ſuo actuali auxilio operaretur in nobis ſine nobis liberè cooperantibus; ad actus autem ſupernaturales indeliberatos nec datur ſupernaturalis habitus, nec præcedit ſupernaturale voluntatis imperium; quia tum habitus infuſi pro ſtatu viæ, pro quo habitibus utimur cum volumus, tum propriæ voluntatis imperium requiruntur dumtaxat ad actus liberos & elicitos ex perfectâ deliberatione.

Sita in actu intellectus, quem Deus operatur in nobis ſine nobis liberè cooperantibus.

Ex dictis habetur hunc ordinem ſtatui 61.
poſſe in actibus præcedentibus fidei aſſenſum: Suppoſita ſcilicet externâ propoſitione objecti credendi primus actus eſt libera applicatio potentiarum ad percipiendum & apprehendendum tale objectum: Secundus, apprehenſio ipſius & ſimul ſignorum ac motivorũ quibus redditur credibile: Tertius, judicium de evidenti

Series actuũ ad fidem pertinentiũ.

denti credibilitate; Quartus, actus indeliberatus ſpecialis illuminationis internæ: Quintus, actus liber voluntatis quæ per mota ex ſupernaturali honeſtate per divinam illuminationem relucente in hoc, quod eſt aſſentiri teſtimonio divino propoſito ut evidenter credibili, imperat intellectui, quòd propter tale teſtimonium præſtet aſſenſum firmiſſimum myſterio atteſtato; Sextus, actus intellectus voluntati obſequentis & firmiſſimè aſſentientis myſterio. In hoc porrò actuum ordine tres primi actus poſſunt eſſe naturales, & ſpectant ad fidem tanquam aliquid prærequiſitum, non tanquam aliquid determinatè connexum: tres poſteriores ſunt ſupernaturales; in ſexto & poſtremo conſummatur fidei actus, & in hunc quartus & quintus determinatè conducunt, ac ſuo modo influunt: in quarto habetur fidei initium, & illud cogitare de quo loquitur Auguſtinus in verbis ſuprà relatis *ex c. 2. de prædeſtinat. Sanctor.*

62. Iudicium de evidentia credibilitatis elicitur ab habitu naturali ſcientiæ acquiſitæ.

Assert. 3. Judicium de evidentia credibilitatis, ut præcisè tale, provenit ab habitu naturali ſcientiæ acquiſitæ. Hoc aſſertum eoſdem, quos aſſertum præcedens habet tùm Patronos tùm Adverſarios, & hi quidem ſicuti judicium de quo agitur, volunt eſſe ſupernaturalem actum, ità cohærenter loquuntur negando ipſum provenire à naturali habitu; ſunt tamen deindè inter ſe diviſi, dum aliqui docent provenire ab habitu fidei divinæ; aliqui ab habitu prudentiæ infuſæ, aliqui non ab habitu ullo, ſed à ſolo auxilio actuali ſupernaturali.

Probatur: Naturalis ſcientiæ actus non ab alio, quàm à naturali ſcientiæ habitu, provenire debet; atqui judicium de evidentiâ credibilitatis, ut præcisè tale, per nos eſt naturalis ſcientiæ actus; eſt enim concluſio per naturalem diſcurſum deducta ex præmiſſis naturali lumine cognitis: ergo. Confirmatur ex eo, quòd judicium illud nec provenire debet ab aliquo habitu ſupernaturali, cum naturale ſit; non ab habitu Theologiæ, cum iſta præſupponat fidei actus, adeóque à fortiori judicium de evidentiâ credibilitatis, quod fidei actus præcedit; non ab habitu prudentiæ, quia hæc verſatur circà actus practicos, judicium autem, de quo in præſenti, eſt ſpeculativum; non ab habitu fidei humanæ, quia hæc habet pro motivo ſolam humanam auctoritatem, nec inclinat ad aſſenſum certum & evidentem; noſtrum autem judicium eſt aſſenſus certus & evidens, nec habet humanam auctoritatem pro motivo, niſi partiali & minùs præcipuo; ſupereſt igitur, quòd per actus, quibus primò judicamus fidei objectum eſſe evidenter credibile, acquiratur habitus ſcientificus, à quo deinde eliciantur cætera judicia, quæ ſucceſſu temporis formamus de credibilitatis evidentia.

63. Pro ſupernaturalitate judicij hucuſque agitati, ejuſque dependentia ab habitu fidei infuſæ afferri ſolet D. Thomas *hic quæſt. 1. art. 4. ad 3. & art. 5. ad 1*, docens lumen fidei facere videre ea, quæ creduntur, & per ipſum videri eſſe credenda ea, quæ ſunt fidei. Nihilominùs S. Doctor vel per ly *facere videre* intelligit facere credere adeò ut nomen viſionis tribuat actui credendi, fortè propter maximam, quam iſte habet certitudinem, ut obſervat Amicus *præcit. ſect. 5. num. 114.* vel ſi ly *videre* refert ad actum evidentem & credibilitatis evidentiam, dicit lumen fidei facere videre, quatenùs habens lumen fidei eſt meliùs diſpoſitus ad habendam credibilitatis evidentiam, & quidem duobus modis ut explicat Suarez *diſp. 4. ſect. 6.*

Occurritur auctoritati D. Thomæ.

---

§. VI.

An & quomodo detur aliquis ordo inter objecta fidei, aut formalia, aut materialia?

Assert. 1. Objecta materialia fidei, ut purè talia, nullum habent inter ſe ordinem prioritatis & dependentiæ in eſſe credibilis. Eſt aſſertum communiſſimum, & facillimè probabitur explicatis terminis. 64.

Dixi *objecta materialia ut purè talia*, quæ reduplicatio excludit Dei veracitatem & revelationem; hæc enim poſſunt quidem eſſe objectum fidei materiale, at non purè tale, ideſt non taliter quod non ſint ſimul objectum formale, ut attigimus *præced. cap. 2. n. 64.* Unde, quod ex mox dicendis cætera objecta materialia fidei in eſſe credibilis habeant ordinem dependentiæ ab his duobus, non impedit, quin objecta materialia, ut purè talia, nullum talem ordinem habeant inter ſe.

Objecta materialia fidei habent inter ſe ordinem in eſſe entis.

Dixi *ordinem prioritatis & dependentiæ in eſſe credibilis*, nam in eſſe entis dubitari nequit quin creata ab increatis, neceſſaria à contingentibus dependeant, illaque ſint iſtis priora; ac per conſequens objecta materialia fidei, cum quædam ſint increata, quædam creata, quædam neceſſaria, quædam contingentia, proculdubio admittunt inter ſe ordinem prioritatis & dependentiæ in eſſe entis; eâdem ferè ratione admittunt ordinem dignitatis; item ordinem majoris, minoriſvè neceſſitatis ad ſalutem, ad quam explicita aliquorum fides eſt neceſſaria neceſſitate medij, aliquorum neceſſitate dumtaxat præcepti, aliquorum ſufficit fides omninò implicita.

65. At non in eſſe credibilis.

Probatur jam & explicatur aſſertum: Objecta fidei purè materialia habere inter ſe prioritatis & dependentiæ ordinem in eſſe credibilis eſt unum objectum non poſſe credi, niſi poſt aliud & dependenter ab alio, atqui objecta fidei purè materialia non ità ſe habent & tum omnia ſunt æquè primò credibilia, tum quodlibet ipſorum poteſt antè alia omnia credi, aut etiam poſt: Ratio à priori eſt, quia objecta materialia fidei conſtituuntur in eſſe credibilis per divinam revelationem, quæ liberrimè à Deo fit & liberrimè applicatur uni potiùs, quàm alteri rei, & illud, quod eſt antè alia omnia revelatum, potuit poſt omnia revelari: Imò quia quoad nos credibilitas pendet à propoſitione revelationis etiamſi eſſet in revelatione neceſſarius aliquis ordo, quoties non foret neceſſarius idem ordo in

revela

Digitized by Google

revelationis propoſitione, adhuc objecta materialia fidei nullum haberent inter ſe ordinem in eſſe credibilis.

Dices : Objecta materialia fidei non omnia ad fidem æquè pertinent ; ergo habent inter ſe ordinem in eſſe credibilis, nec omnia ſunt æquè credibilia : antecedens probatur
66. primò ex D. Thoma *hic quæſt.* 1. *art.* 6. *ad* 1. dicente *quod aliqua ſunt credibilia, de quibus eſt fides ſecundum ſe ; aliqua de quibus eſt fides ſolùm in ordine ad alia*, de aliquibus autem credibilibus dari fidem ſolùm in ordine ad alia, quid aliud eſt quàm aliqua credibilia ab aliis pendere in eſſe credibilis. Secundò ex eo quod ſuprà *cap.* 1. §. 2. admiſimus inter objecta materialia fidei objectum primarium & attributionis ; ab objecto autem attributionis ex genere ſuo cætera pendent, & objectum primarium ex vi nominis dicit ordinem prioritatis ad ſecundaria. Tertiò ex eo quod non omnia objecta materialia fidei ſunt æquè revelata, aliqua enim ſunt revelata explicitè, formaliter, & in particulari ; aliqua ſolum implicitè, virtualiter, & in univerſali. Quartò experientiâ, quâ conſtat non poſſe credi Deum ut remuneratorem, quin prius credatur ut exiſtens ; nec hominem reſurrecturum, quin prius credatur mortuus. Quintò paritate luminis increati in Deo, & luminis gloriæ in beatis, quod utrumque lumen eſt determinatum ad attingendum objectum increatum priùs, quàm creatum, ergo idem proportionaliter ſentiendum de lumine fidei quod eſt participatio luminis increati, & inchoatio luminis gloriæ, pro quo etiam facit ad rem illud Pſal. 47. *Sicut audivimus, ſic vidimus.* Sextò ex motivis credibilitatis, quæ non omnia æquè militant pro quolibet objecto, ut clarè patet in miraculis. Sed contrà : nego antecedens intellectum ; ut intelligendum eſt, de pertinentia ad fidem in eſſe credibilis.

67. Occurritur inſtantiis Adverſariorum. Ad primam antecedentis probationem dico ex contextu verborum ſequentium conſtare, quòd S. Doctor eo loco loquatur de credibilibus non in eſſe credibilis, ſed in eſſe conducentis ad ſalutem, & vitam æternam, quâ ratione jam præmiſimus dari ordinem inter credibilia.

Ad ſecundam dico inter objecta materialia fidei nos admiſiſſe objectum primarium & attributionis, ad quod cætera ordinentur quomodocumque, id eſt vel excitando amorem, vel augendo ſpem, vel perficiendo cognitionem ipſius, at non ad quod cætera ordinentur in eſſe credibilis, ſub quâ ratione præcisè fateor inter objecta materialia fidei nullum eſſe objectum attributionis, nullumque objectum primarium niſi valdè impropriè & ſolâ primitate dignitatis.

Ad tertiam dico non omnia objecta materialia fidei eſſe æquè revelata quoad modum revelationis, benè tamen quoad revelationis ſubſtantiam, ſeù quoad revelationem ut eſt objectum formale fidei ; enimverò ratio hæc objecti formalis reperitur in revelatione implicitâ, virtuali, univerſali, æquè ac in explicitâ, formali particulari, quia ex his una æquè ac alia eſt infallibilis & certificativa ut attigimus *cap. præcedent.* §. 3. Objecta igitur materialia fidei ſunt omnia æquè revelata in eſſe credibilis, ſeù ſub eâ ratione, ſub quâ habent à revelatione eſſe credibile.

Ad quartam dico experientiam malè ſupponi : Non poteſt quidem Deus eſſe remunerator, quin in aliquo priori ſit exiſtens, aut ſi vis non poteſt cognoſci ut remunerator, quin priùs aliquo modo cognoſcatur ut exiſtens ; at non eſt neceſſe quod utrumque cognoſcatur eodem genere cognitionis, adeò ut ſi per fidem cognoſcatur ut remunerator, debeat priùs per fidem cognoſci ut exiſtens : eadem eſt ratio de alio exemplo, quod in inſtantia affertur. 68.

Ad quintam dico lumen fidei eſſe valdè analogam participationem luminis increati & inchoationem luminis gloriæ, ideoque nutare paritatem ; neque hanc confirmant verba Pſalmi, quia ſenſus ipſorum eſt beatos videre ſingula, quæ crediderunt verè eſſe, ut crediderunt ; quod nullatenùs infert debere eſſe eundem ordinem in credendo, qui erit in videndo.

Ad ſextam dico aliud eſſe credibilitatem, aliud evidentiam credibilitatis : illa habetur ab objecto formali, iſta à motivis extrinſecis ; illa reſpectu fidei divinæ ſemper una eſt, & eadem, ſicuti unum ſemper & idem eſt objectum formale ; iſta major, minorvè eſſe poteſt & inæqualis, ſicuti aliquando plura, aliquando pauciora eſſe poſſunt motiva extrinſeca : Quod igitur non omnia motiva pro quolibet objecto militent probat non quodlibet objectum eſſe æquè evidenter credibile, cum quo ſtat quodlibet eſſe æquè credibile.

Assert. 1. Objecta formalia fidei, ut purè talia, nullum habent inter ſe ordinem dependentiæ, & prioritatis in eſſe credibilis, aut cognoſcibilis.

Probatur & explicatur ; nomine objectorũ formalium fidei veniunt ex ſupradictis Dei veracitas, & revelatio, quæ ſingulæ ſunt objecta formalia partialia, & ſumuntur, ut purè talia, quoties ſumuntur ut præcisè propter utrãque creduntur cætera, non ut poteſt una credi propter aliam, quæ enim propter aliam crederetur, ſe haberet ut objectum materiale, non ut purè formale. Porrò de veracitate & revelatione, ut propter utramque credũtur cætera, dico non habere inter ſe dependentiæ ordinem in eſſe credibilis, aut cognoſcibilis, quia vel ambæ æquè primò attinguntur eo actu, quo creditur objectũ aliquod materiale, vel ſi velis per utramque tanquàm per duplicẽ præmiſſâ diſcurſus quaſi ſucceſſivè procedere ad credendum objectum materiale ; potes primo loco & pro primâ præmiſſâ indifferenter, ac arbitrariè, ponere quam malueris ; ut tibi ipſi conſideranti patebit : Divina igitur veracitas & revelatio non habent ex ſe ullum ordinem prioritatis, quoties attingũtur ut objecta fidei purè formalia, ſivè deinde actus quo ſic attinguntur ſit dicendus actus credendi, ſivè non, de quo problematicè loquutus fui *præc. c.* 2. *n.* 61. & 62. & propterea ut hic conformiter loquerer dixi ſub disjunctione & indefinitè *in eſſe credibilis aut cognoſcibilis.*

69. Objecta formalia fidei non habent inter ſe ordinem in eſſe credibilis aut cognoſcibilis.

Assert.

Digitized by Google

70. Aſſert. 3. Si objecta materialia fidei comparentur cum formalibus, illa ab iſtis in eſſe credibilis habent ordinem dependentiæ & poſterioritatem, ſaltem rationis. Ità Theologi communiter quorum aliqui ut Suarez *diſp. 2. ſec. 4. num. 5.* ſubobſcurè loquuntur, & videntur ponere ordinem inter objecta materialia; cum tamen nihil aliud intendant, quàm aſtruere dependentiam cæterorum objectorum à veracitate & revelatione, quæ licet in re poſſint eſſe objecta materialia, ſimpliciter formalia ſunt, & ab ipſis ut à formalibus, non ut à materialibus cætera pendent: ideò nihil aliud docent re ipsâ, quàm præſens aſſertum, quod.

Habent tamen talem ordinem & prioritatem ſaltem rationis comparata cum materialibus.

Probatur: Non poteſt præſtari aſſenſus fidei alicui objecto materiali, quin prius ſaltem ratione præſtetur aſſenſus objectis formalibus; atqui hoc eſt objecta materialia fidei habere à formalibus in eſſe credibilis poſterioritatem & dependentiam ſaltem rationis, ergo ſi objecta materialia fidei comparentur cum formalibus; illa ab iſtis &c. Major traditur ex profeſſo *præced. cap 2. §. 6.* & patet ex eo quod reſpectu actuum intellectus quodlibet objectum formale ex genere ſuo eſt ratio, quæ non incognita, ſed priùs cognita ducit in cognitionem objecti materialis.

71. Ex his habes ordinem rerum credendarum in ſymbolis per articulos diſpoſitum eſſe ordinem congruum, at non eſſentialem: Non eſt ordo eſſentialis, quia diſponuntur in ſymbolis ac diſtinguuntur res credendæ & objecta fidei materialia, inter quæ per ſe & eſſentialiter nullus eſt ordo ex hucuſque dictis: eſt verò ordo congruus, quia accommodatiſſimus ad facilem ac uniformem rudiorum inſtructionem, nec non ad expeditam fidei profeſſionem contrà hæreticos; quâ de re plura videri poſſunt apud S. Doctorem *hic quæſt. 1. art. 6. & 8. in 3. diſt. 25. quæſt. 1. & opuſc. 5.* Item apud Valentiam *diſp. 1. quæſt. 1. punc. 5.* Suarezium *diſp. 2 ſec. 5.* Amicum *diſp. 1. ſec. 5.* Gabrielem à S. Vincentio *diſp. 1. dub 20. & 21.* Herincx *diſp. 5. quæſt. 8.* & alios nonnullos, apud quos ſimul invenies quid ſignificent & undè derivata ſint ſymbolorum & articulorũ nomina; quot ſint fidei ſymbola, quot articuli in ſingulis ſymbolis; & cætera hujuſmodi.

CAPUT V.

De actu fidei interno, Quoad eius eſſentiam, proprietates, & affectiones.

1. Titulus iſte materiam ampliſſimam complecteretur, niſi ea, quæ de objecto præſertim formali dicta ſunt, jam præoccupaſſent non pauca pertinentia ad varias hujuſcè Capitis difficultates, quas propterea potero breviter expedire; imó & aliquas prorſùs ſupponere. Sic.

Suppono primò internum actum fidei eſſe eſſentialiter obſcurum, ità tamen, ut hæc obſcuritas non excludat, quin potiùs prærequirat, evidentiam credibilitatis; item compatiatur ex parte ſubjecti evidentiam ſcientificam, & poſſit quantùm eſt de ſe actus obſcurus fidei divinæ eſſe ſimul cum actu evidente cujuſcumque ſcientiæ. Habentur hæc *ex cap. præced. §. 1. 2. & 3.*

Suppono ſecundo eumdem actum eſſe ſummè certum ſumméque infallibilem, cum nequeat ei ſubeſſe falſum, neque ex objecto, neque ex ſubjecto; id eſt neque ex Deo dicente, neque ex homine credente: Non ex Deo dicente, propter maximam perfectionem auctoritatis ſeù veracitatis divinæ, de quâ *præced. cap. 3. §. 1. & 2.* Non ex homine credente, propter impotentiam eliciendi actum fidei divinæ ex rei teſtimonio, quod divinum ſit in exiſtimatione credentis tantùm, non in ſe; de quâ re *eod. cap 3. §. 6.*

Suppono tertiò actum fidei, de quo in præſenti; non eſſe in ſe formaliter actum voluntatis, nec ſumi pro fidelitate aut fiduciâ, ſed imperari quidem à voluntate, eo quod liber ſit & pium voluntatis affectum ſupponat, ut magis infrà tradetur; elici tamen ab intellectu & eſſe formaliter actum intellectus: Habetur hoc *ex præced. cap. 2. § 2. 3. & 5.* ubi objectum formale fidei collocatum eſt in veracitate & teſtimonio Dei; quæ duo ad intellectum referuntur, non ad voluntatem; nec certè iſtius, ſed illius munus eſt aſſentiri veracitati, credere teſtimonio; obſcuritas etiam de quâ *præced. cap. 4. §. 1. & 2.* intellectum, non voluntatem reſpicit, His ſuppoſitis ſit. 2.

Actus fidei eſt elicitivè ab intellectu, imperativè à voluntate.

§. I.

Quid & Quotuplex ſit actus fidei?

Assert. 5. Actus fidei eſt aſſenſus certus & inevidens fundatus in auctoritate & revelatione divina. Hæc definitio conſequitur ad ſupradicta, & ſolâ majori terminorum claritate, non re ipsâ differt ab illa, quam tradit Apoſtolus Heb. 11. *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*, aut ab alia quam tradit Auguſtinus *lib. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 2.* & approbat Angelicus hic quæſt. 2. art. 1. *Eſt cogitatio cum aſſenſione.* 3.

Definitur tripliciter.

Probatur & explicatur. Dicitur *aſſenſus* loco generis, & quod actus fidei verè aſſenſus ſit, evincitur ex eo quod ſupponatur eſſe actus intellectus, & fundetur in auctoritate ſeu veracitate & teſtimonio. Dicitur *certus* ad diſtinguendum aſſenſum fidei divinæ à quolibet aſſenſu probabili ſivè opinionis ſit ſivè fidei humanæ, & quod ille reverâ certus ſit, jam ſuppoſuimus ex præcedentibus, & magis conſtabit ex eo quod infrà ſtatuetur nõ dari ullum aſſensũ certiorẽ. Dicitur & *inevidens* ad diſtinguendum aſſenſum fidei à quolibet aſſenſu per ſe claro, aut ſcientifico. & quod ille debeat eſſe inevidens habetur tùm ex dictis de obſcuritate revelationis, tùm ex dicẽdis de libertate actus fidei, & imperio voluntatis ad talem actum prærequiſito, ad aſſenſum enim evidentem intellectus nec eſt liber, nec expectat voluntatis imperium. Dicitur *fundatus in auctorita-*

te & revelatione divinâ, quo quàm verum ſit patet ex omnibus ſuprà aſſertis de formali objecto fidei; & licèt tales particulæ non videantur in toto rigore neceſſariæ; ſunt tamen valdè utiles, ut potè quæ expreſſius diſtinguunt noſtram fidem ab humanâ & inferunt prærogativam actus tùm theologici, tùm ſupernaturalis.

4. Explicatur definitio fidei ex Apoſtolo.

Quod deindè aſſerta definitio re ipsâ non differat à definitione Apoſtoli explico ſic: ly *argumentum* ſumptâ causâ pro effectu importat firmum ac certum aſſenſum, quem argumentum cauſare ſolet convincendo intellectum, unde ab Auguſtino *lib. 2. de peccat. meris. & remiſſ.* pro argumento ponitur convictio ly *non apparentium* pro ut poteſt ſumi in ſenſu formali, & ex parte objecti formalis ſe tenere, importat aſſenſum obſcurum & ſignificat obſcuritatem fidei maximè eſſentialem, ut attigimus *cap præced. num. 20.* Reliquæ particulæ *ſperandarum ſubſtantia rerum* quamvis non ſint ſimpliciter neceſſariæ, ſunt valdè accommodatæ ad meliorem fidei notitiam, important enim aliquid ipſius proprijſſimum, nimirum quod ſicuti ſubſtantia ſe habet, ut fundamentum & baſis ad res alias, ità fides rerum ſperandarum, vel (ut quidam loquuntur) ſperatarum fundamentum ac baſis ſit, & ſalutis initium; niſi ſumendo ſubſtantiam pro ſubſiſtentiâ & hypoſtaſi velis dicere fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, quatenùs facit res ſperandas in intellectu quaſi ſubſiſtere, ideſt firmiter exiſtere. Nolim tamen hinc inferas eſſe credenda ea dumtaxat, quæ ſperanda ſunt, enim verò ly *ſperandarum* vel refertur ad principale, non ad totale fidei objectum; vel ſumitur ampliativè non excluſive ut *cap. 4. num. 20.* dixi de ly *non apparentium*; cæterum credimus v. g. infernum, Chriſtum, paſſionemvè ejus, quamvis non ſperemus infernum, quia ſpes eſt de bono non de malo; nec Chriſtum ejuſvè paſſionem, quia ſpes eſt de futuris non de præteritis. Ex his habes obiter malè Eraſmum docuiſſe verba huc uſque explicata laudem, non definitionem fidei continere, & ad fidem ſumptam pro fiduciâ pertinere; malè item Kemnitium & Calvinum antiquâ Apoſtoli definitione repudiatâ comminiſci definitiones novas quibus, ut faveant proprio errori de fide peccatorum remiſſivâ non veram fidem, ſed pravam fiduciam definiunt, ut videre eſt apud Valentiam *diſp. 1. quæſt. 4. punc. 1.*

5. Explicatur definitio fidei ex Auguſtino.

Quod eadem definitio re ipsâ non differat à definitione Auguſtini explico ſic: ly *cogitatio* importat ex genere ſuo cognitionem imperfectam, & contra diſtinguit fidem à perfectâ & clarâ intelligentia, undè Auguſtinus *lib. 15. de Trinit. cap. 16.* à divino verbo cogitationem removet dicens. *Cogitatio quippe noſtra perveniens ad id, quod ſcimus, atque indè formata, verbum noſtrum verum eſt, & ideò verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi* & Iſidorus *lib. 1. ſententiarum cap. 13.* ait *Cogitatio eſt quadam veluti iterata coactio*, quâ intellectus cogitur ad intelligendum, quod non ſtatim videt, neque penetrat, primo intuitu ly *cum aſſenſione* ſignificat aſſenſum firmum ac certum; aſſenſionis enim nomen ſimpliciter & abſolutè, ac quaſi antonomaſticè, poſitum ſupponit pro ſignificato famoſiore, adeóque pro aſſenſu firmo & certo; accedit quod aſſenſus conſequens cogitationem & veritatis inquiſitionem, ſolet eſſe perfectè deliberatus, adeóque firmus & conſtans. Breviter in verbis Auguſtini cogitatio inevidentiam, aſſenſio certitudinem, utraque actum intellectus importat; quod eſt internum fidei actum per genus & differentiam explicare, ac in toto rigore definire.

Aſſert. 2. Actus fidei eſſentialiter & in ſuâ ſpecie unicus eſt, non multiplex; admittit tamen aliquas diviſiones imperfectas & improprias; ſecundùm quas dividitur primò fidei actus in internum & externum: Secundò in actum credendi Deo, credendi Deum, & credêdi in Deum: Tertiò in fidem explicitam & implicitam: Quartò, in fidem particularem ſeu privatam & univerſalem ſeu publicam: Quinto in fidem Hiſtoricam, Promiſſionum, & miraculorum. 6.

Actus fidei divinæ ſunt omnes unius ſpeciei.

Probatur prima pars: Objectum formale fidei divinæ eſt in ſuâ ſpecie, aut quaſi ſpecie, unicum, nec excogitare poſſumus eſſentialiter & ſpecie diverſas Dei, aut veracitates, aut revelationes; ergo eſſentialiter & in ſua ſpecie unicus eſt fidei actus, utpotè qui à ſuo objecto formali ſpecificatur: Confirmatur ex eo quod *tract. præced. lib. 3. cap. 1. §. 7.* dictum eſt gratiam habitualem eſſe eſſentialiter unicam in ſpecie athoma, & ibidem inſinuatum eſt ejuſdem rationis eſſe quoad hoc cæteros habitus per ſe infuſos; & licèt unus habitus per ſe infuſus poſſit reſpicere actus ſpecie diverſos, ex unitate tamen ſpecifica habitus fidei rectè infertur, quod propter ipſum non poſſint eſſe ſpecie diverſi actus, ſi igitur iſti neque propter objectum formale poſſint differre ſpecie, conſequens eſt, quod omnes fidei actus ſint unius rationis eſſẽtialis & ſpecificæ; hocque magis conſtabit ex ſequentibus: Ideò.

7. Nec dividuntur niſi per diviſiones improprias.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Prima diviſio actus fidei in internum, & externum, eſt diviſio impropria & valdè analoga; quia ſolus actus internus eſt verus actus fidei eique ſoli conveniunt definitiones, quas mox de fidei actu tradidimus: Actus vero externus non eſt, niſi quoddam ſignum fidei internæ, nec denominatur actus fidei, niſi per analogiam, qua ſigno tribui poteſt nomen ſignati ut magis explicabitur in limine ſequentis capitis.

Secunda diviſio in actum credendi deo, Deum, & in Deum, eſt pariter diuiſio impropria, quia non eſt in tres actus realiter diſtinctos, ſed in tres modos ſeù tres habitudines ejuſdem actus, qui quatenùs reſpicit Deum ut dicentem, & ut objectum formale, dicitur actus credendi Deo; quatenus eumdem reſpicit ut creditum unum & trinum v. g. & ut objectum materiale, dicitur actus credendi Deum; quatenus ipſum reſpicit ut ultimum finem, & ut noſtram beatitudinem, dicitur actus credendi in Deum.

Tertia, & quarta diuiſio, ſunt in membra ſolùm accidentaliter diverſa, & diſtincta pe-

nes

nes accidentales differentias ejuſdem objecti formalis, neque enim pluſquam accidentaliter differt revelatio explicita ab implicita, publica à privata, cum in qualibet perfectè ſalvetur divinæ atteſtationis tum obſcuritas & inevidentia, tum infallibilitas & indefectibilitas, quæ ſunt propriæ rationes, ſecundùm quas divina revelatio eſt objectum formale fidei.

8. Quinta diviſio deſumitur ex diverſis partibus objecti materialis, adeoque eſt in membra ſolùm materialiter & numericè; non formaliter & ſpecificè diverſa, & hoc pacto poſſent facilè excogitari aliæ plures diviſiones, quibus v. g. actus fidei dividatur in neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, & neceſſarium ſola neceſſitate præcepti; in fidem myſteriorum ſupernaturalium, & fidem rerum naturalium, &c.

Circà enumeratas diviſiones plura hic poſſent deſiderari, at habent alibi proprium locum, nam quæ ad tertiam & quartam diviſionem pertinent recolenda ſunt ex ſupradictis *cap. 1. §. 4. & cap. 3. §. 3. & 5.* Quæ ſpectant ad quintam in eo ſenſu, quo malè à Sectarijs excogitata eſt, attigimus *in tract. de Gratiâ lib. 3. cap. 3. num. 12. & lib. 4. cap. 1. num.* 10. in ſenſu autem, quo nunc permittitur, id eſt quatenùs attenditur præciſe penes diverſas partes objecti materialis, ſiù rerum credibilium, non indigent ulla diſcuſſione. Quæ ſpectant ad primam ſunt materies ex profeſſo pertractanda in ſequentibus. Quæ ſpectant ad ſecundam quoad primum & ſecundum ipſius membrum habentur ſufficienter ex dictis circà objectum materiale fidei repertum præcipuè in Deo abſolutè conſiderato, & circà objectum formale collocatum in eodem Deo ut veraci & revelante, quoad tertium membrum, quod non videtur habere alibi propriam ſedem, expedit in præſenti nonnulla quærere, breviter tamen expedienda, quia vix habent difficultatem, niſi in modo loquendi & de nomine.

9. Dubitatur igitur primò: utrùm ſicuti dicimur credere Deo, Deum, & in Deum; ità dici poſſimus credere Eccleſiæ, Eccleſiam, & in Eccleſiam. Quoad credere Eccleſiam certum eſt dici id non poſſe tantùm, ſed debere. Quoad credere Eccleſiæ, rectè id dicitur in ſententia affirmante propoſitionem Eccleſiæ ingredi formale objectum fidei & motivum credendi, in noſtra ſententia hoc negante minùs propriè dicimur Eccleſiæ credere; poteſt tamen aliqualiter dici, quatenùs per nos Eccleſiæ propoſitio ex parte formalis objecti ſe tenet, quamvis ipſum non conſtituat. Quoad credere in Eccleſiam negandum eſt ſimpliciter, quia nec Eccleſiam, nec aliud quidpiam creatum, habere poſſumus pro fine ultimo; ſolùm igitur in Deum, in divinas Perſonas, & Chriſtum Dominum, ut Perſona divina eſt, credimus: Nec refert quod ex ſymbolo Conſtantinopolitano ſecundùm editionem in Cõcilio Chalcedonenſi repertam, & retentam in Baſilienſi, teſte Turrecremata *lib. 1. cap.* 20. habeatur *Credimus in unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Non refert, inquam, quia verior lectio pro ly *in unam Catholicam* habet *& unam Catholicam* ut monet Malderus *hic quæſt. 2. art. 2. dub. 2. ad* 3. aut ſi prior lectio toleranda eſt, dicito ly *In* referri ad Eccleſiam non ſecundùm ſe, ſed ut dicit Perſonam Spiritus Sancti ſibi ſpecialiter aſſiſtentis.

Credimus Eccleſiam, non in Eccleſiam.

Dubitatur ſecundò: utrùm credere in Deum conveniat duntaxat juſtis, an poſſit quoque competere fidelibus exiſtentibus in peccato? Ratio dubitandi eſt quia habitudo ad Deum, tanquam ad ultimum finem non videtur haberi poſſe aliundè, quàm à charitate; propterea Durandus *in 3. diſt. 23. quæſt. 7. num. 6.* docet credere in Deum importare ſimul cum actu fidei actum charitatis dirigentis ipſum actum fidei in Deum, quod conforme eſt varijs dictis Auguſtini, Anſelmi & Bedæ apud Malderum *præcit. art. 2. dub. 1.* favet etiam D. Thomas *hic quæſt. 1. art 9. ad 3.* ubi inſinuat confeſſionem fidei *Credo in Deum* proferri à peccatore ex perſona totius Eccleſiæ, cujus fides ſemper eſt viva & formata per charitatem. His non obſtantibus eſſet planè contrà communem ſenſum dicere, quod peccator in Deum non credat & ut obſervat Arriaga *diſput. 15. ſect. 3. num.* 17. nemo Catholicorum extrà tractationem hujus dubij unquam putavit mentiri peccatorem, dum dicit ſymbolum; ideò ſentiendum habitudinem ad ultimum finem importatam per ly *in Deum* præſcindere à perfecta & imperfecta; perfectam haberi à ſola charitate, imperfectam haberi poſſe, vel ab amore concupiſcentiæ ergà Deũ, vel ab actu religionis dirigentis actum fidei ad cultum Dei, vel à quacunque piâ affectione voluntatis in Deum. Reſpondetur igitur abſolutè omnes fideles non ſolum Deo & Deũ, ſed etiam in Deum credere, ità tamen ut peccatores credant cum imperfectâ, juſti cum perfectâ ad Deum habitudine, & de credere in Deum non utcumque, ſed cum perfectâ habitudine, procedunt auctoritates inſinuatæ pro ratione dubitandi: In hâc noſtrâ reſponſione, quæ ſententias oppoſitas conciliat, conveniunt Valentia *q. 2. punct. 1.* Suar *diſp. 6 ſect. 3. num.* 4. Gabriel à S. Vincentio *diſp. 2. dub. 3. n.* 21. Malderus *præcit. dub.* 1. cæterique Theologi communiter. 10.

Credere in Deum convenit tùm juſtis tùm peccatoribus, diverſimodè tamen.

---

§. II.

Vtrùm actus fidei requirat aut admittat diſcurſum?

Assert. 1. Actus fidei per ſe loquendo non requirit ullum prorsùs diſcurſum propriè talem. Ità Cajetanus *hic q. 1. art. 1. dub.* 4. Ioannes à S. Thoma *diſp. 1. art.* 2. Gabriel à S. Vincentio *diſp. 1. dub.* 19. Suarez *diſp. 6. ſect.* 4. Amicus *diſp* 9 Oviedus *contron. 2 punct.* 8. Eſparza *lib. 6. quæſt. 19 art.* 7. Madernus *quæſtio. 1. art.* 7. Herinex *diſp. 7 quæſt.* 2. & Thomiſtæ communiter aliique multi Recentiores contrà Durandum *in 3 diſt. 24. quæſt. 1. num.* 8. Gabrielem *diſt. 23. quæſt. 2. art* 2. Scotum *quæſt. 5. prolog. art. 3. & in 3. diſt. 24. quæſt. unic. 6. ad propoſitum.* Maſtrium *n 3. diſp. 6. quæſt. 11. art. 1.* Vaſquium *1. p. diſp. 5. cap.* 3. Lugum *diſp. 7. ſec.* 1. 11.

Arriagam *diſp.15 ſect.5.ſubſect.3.* alioſque tùm Nominales & Scotiſtas ferè omnes, tùm Recentiores non paucos docentes in aſſenſu fidei dari per ſe diſcurſum ab objecto formali ad materiale, qui quidem diſcurſus ut plurimùm virtualis tantùm ſit, poſſit tamen etiam eſſe formalis.

Dixi *per ſe loquendo* adeò ut ſcilicet diſcurſus, proximè cauſet ipſum fidei aſſenſum, non verò antecedenter & remotè ſe habeat, tanquam aliquid neceſſarium aut ad penetrãdam ſignificationem & comparandam notitiã terminorum, aut ad formandum judicium de evidentia credibilitatis, quâ ratione ad actum fidei poſſe aliquando requiri diſcurſum in doctioribus præſertim & ſapientioribus, qui ne leviter credant, indigent majore credibilitatis evidentiâ, libenter concedimus, & conſequitur ad ſupradicta §.4.& 5.

12. Dixi *ullum prorsùs diſcurſum propriè talem* ubi per ly *ullum prorsùs diſcurſum* intelligo nõ ſolùm diſcurſum formalem factum cum reali actuum multiplicitate, & aſſenſu principiorũ realiter diſtinctu ab aſſenſu concluſionis; ſed etiam diſcurſum virtualem conſiſtentem in unico actu, quo præſtetur aſſenſus tùm concluſioni, tùm principijs, & concluſioni ut innoteſcenti ex principijs: Per ly *propriè talem* intelligo diſcurſum, in quo aſſenſus præſtetur ex vi illationis, ſeù ex vi formæ ſyllogiſticæ; ſivè deinde hæc forma ſit applicata realiter & cùm multiplicitate actuum reali, quod fit in diſcurſu formali; ſivè ſit applicata tantùm virtualiter, & cum multiplicitate actuũ æquivalẽti, quod fieri poteſt in diſcurſu virtuali. Porrò aſſensũ pręſtari ex vi illationis, ſeù formæ ſyllogiſticæ, eſt ipſum reſolvi in illud cõmune & fundamentale artis ſyllogiſticæ principiũ, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, eſt ſcilicet aſſentiri objecto cõcluſionis propter idẽtitatem, & connexionem ipſius cum objecto præmiſſarum, ſeù cum tertio diſpoſito in præmiſſis; eſt aſſentiri uni non præciſè propter aliud, ſed propter identitatem cum alio & propter aſſenſum ei jam præſtitum in alio, v.g. qui ſic diſcurrit *Omnis homo eſt rationalis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt rationalis*: in vi diſcurſus non aſſentitur Petrum eſſe rationalem, quia eſt homo; ſed quia eſt idem cum homine, cum quo pariter eſt idem rationale, hocque affirmando in præmiſſis fuit in iiſdem implicitè affirmatum Petrum eſſe idem cum rationali; ſeù Petrum & rationale eſſe idem inter ſe ob principium illud *quæ ſunt eadem uni tertio, &c.*

Diſcurſus propriè talis, quis?

13. Probatur jam aſſertum: Actus fidei ut importat præciſè fidei aſſenſum non requirit diſcurſum, quo procedatur aut à re non revelatâ ad revelatam, aut ab una ad aliam rem revelatam, aut à revelatione ad rem revelatam; ergo actus fidei per ſe loquendo non requirit ullum prorsùs, &c. conſequentia patet ex ſufficienti partium enumeratione.

Fidei actus non requirit diſcurſum.

Probatur antecedens quoad primam partem, quia fides non poteſt indigere rationibus, & mediis aptis ad inducendum aſſenſum ſcientificum, ut ſemel & iterùm diximus in ſuperioribus & in confeſſo eſt apud omnes Catholicos; atqui diſcurſus, quo procedatur à re non revelata (& ut ſupponitur neque à Dei veracitate, neque à revelatione) eſt diſcurſus procedens rationibus, & mediis aptis ad inducendum aſſenſum ſcientificum; nam diſcurſus non procedens auctoritate, neceſſe eſt quod procedat ratione; ergo fides non poteſt requirere diſcurſum, quo procedatur à re non revelata ad revelatam.

Aut à re nõ revelata ad revelatam.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem: ſi actus fidei requirit diſcurſum, quo procedatur ab una ad aliam rem revelatam, nulla res revelata eſt credibilis, niſi ſupponat aliam revelatam, per quam ad ipſam procedatur; ſicque dabitur in eſſe credibilis ordo prioritatis & dependentiæ inter res revelatas & objecta materialia fidei contrà ſupradicta, & prætereà vel erit deveniendum ad aliquam rem revelatam non credibilem; vel erit admittendus infinitus proceſſus, quo quælibet res revelata aliam rem revelatam in infinitum ſupponat.

Aut ab una ad aliam rẽ revelatam.

14. Probatur idem antecedens quoad tertiam partem & ſimul à fortiore confirmatur quoad primam & ſecundam: Actus fidei habet revelationem ac veracitatem divinam pro unico & adæquato motivo aſſentiendi rei revelatæ; atqui hoc eſſet falſom ſi actus fidei requireret diſcurſum propitè talem, quo à revelatione ad rem revelatam procedatur: Etenim talis actus jam haberet pro motivo aſſentiendi non revelationem & veracitatem præciſè, ſed ſimul univerſale illud fundamenram diſcurſus *Quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. nec aſſentiretur rei revelatæ vi revelationis formaliter & proximè; ſed vi connexionis, quam res revelata, & veritas ipſius, haberent cum revelatione, & vi aſſenſus huic connexioni jam præſtiri in præmiſſis; Qui v.g. ſic diſcurrit *Omne revelatum à Deo eſt verum, Incarnatio Verbi eſt revelata à Deo, ergo Incarnatio Verbi eſt vera*, in vi diſcurſus non aſſentitur Verbi Incarnationem eſſe veram, quia revelatur; ſed quia Verbi Incarnatio connectitur cum revelatione, cum quâ pariter connectitur veritas, hocque affirmando in præmiſſis fuit in iiſdem implicitè affirmatum Incarnationem eſſe veram, ſeù Incarnationem, & verum eſſe idem inter ſe ob principium illud *Quæ ſunt eadem uni tertio*, &c.

Aut à revelatione ad rẽ revelatam.

15. Reſpondet Maſtrius *præcit. quæſt.* 11. *numero* 317. cum aliis Auctoribus ſuæ ſententiæ retorquendo in primis totam probationem contrà diſcurſum virtualem, quem Adverſarij ſupponunt à nobis in fide admitti & neceſſariò admittendum eſſe ubicunque præſtatur aſſenſus uni propter aliud ut ſit in fide, in quâ nos ipſi fatemur præſtari aſſenſum objecto materiali propter formale, rei revelatæ propter revelationem: Ratio retorſionis eſt, quia in diſcurſu virtuali reperiuntur ſuo modo bonitas illationis & cognitio connexionis conſequentis cum antecedenti, concluſionis cum præmiſſis, & cætera quæ in formali, ſuprà quem virtualis addit ſolam realem multiplicitatem actuum, & hinc Lugus *præcitat. ſect.1. num.3.* ex diſcurſu virtuali in fide reperto putat erui efficaciſſimum argumentum ad

Reſponſio & doctrina Adverſariorum.

ovin

cendam in eadem fide capacitatem diſcurſus formalis reſpectu intellectus, cui ex genere ſuo non repugnat pluralitas actuum realiter diſtinctorum: Addit deinde Maſtrius pro reſponſione directa aſſenſum fidei niti quidem bonitate illationis & connexionis rei revelatæ cum revelatione, veracitateque divinâ, at hinc malè inferri quod non nitatur revelationi & veracitati ſoli, nam pro ly *ſoli*, inquit, non excluditur id quod eſſentialiter involvitur in aſſenſu in Dei revelatione, veracitateque fundato, qualis eſt bonitas illationis vel neceſſaria connexio, quæ proinde non ſolet appellari motivum *ut quod*, ſed *ut quo*, quia eſt ratio, quæ applicat & conjungit motivum: Neque etiam, proſequitur Maſtrius, hinc rectè infertur aſſenſum fidei fundari in regulis logicis naturaliter cognitis, in quibus fundatur bonitas illationis, & notitia connexionis; hæc enim, inquit, ſicut in diſcurſu naturali ad lumen naturale pertinet, ità in diſcurſu ſupernaturali ſpectabit ad lumen ſupernaturale, ſcilicet ad ipſum lumen fidei.

Reſponſio & doctrina præcedens impugnatur ex eo, quod plura falſo ſupponat.

16. Reſponſio hæc valdè laborat falſitate ſuppoſiti, & in primis falsò ſupponit admitti à nobis in actu fidei virtualem diſcurſum, loquendo de virtuali diſcurſu propriè tali; neque hic intervenit ubicunque præſtatur aſſēſus uni propter aliud, niſi talis aſſenſus præſtetur uni propter aliud, & ſimul propter bonitatem illationis unius ex alio, ac talis bonitatis regulam logicam virtualiter applicatam; quod ſecundum per nos non evenit, dum in actu fidei præſtatur aſſenſus rei revelatæ propter revelationem, nec item in multis aliis caſibus; ſed in illis ſolis in quibus attenditur ad bonitatem illationis virtualiter applicatam; bonitas enim illationis movere non poteſt ad aſſenſum niſi cognoſcatur, nec cognoſci niſi ad ipſam attendatur: Hinc corruit obiter Lugi argumentum ex diſcurſu enim virtuali non infertur efficaciter capacitas diſcurſus formalis, niſi ubi diſcurſus virtualis eſt propriè talis, qualis non eſt in caſu noſtro. Inſuper reſponſio falsò ſupponit aſſenſum fundatum in revelatione, veracitateque divina, eſſentialiter involvere bonitatē illationis, & per hanc proptereà non impediri, quin aſſenſus ille nitatur revelationi & veracitati ſoli, falsò, inquam, id ſupponit quia neceſſe eſſet in tali aſſenſu cognoſci ſemper illationis bonitatem, & ad ipſam attendi, quod falſum eſt & contrà experientiam; quæ confirmatur ex eo quod in univerſum quoties explicatis terminis cōſtat connexio unius cum alio, poſſumus aſſentiri uni propter aliud, abſque eo quod nos moveat vis illa diſcurſus, & certe quis dicat mediante diſcurſu propriè tali, & attentâ bonitate illationis, nos aſsētiri hiſce cauſalibus Quia
17. ſol eſt, dies eſt. Quia ignis eſt, comburit. Tandē reſponſio falsò ſupponit quod regulæ ſyllogiſticæ, & bonitas illationis, in diſcurſu ſupernaturali (qui ſcilicèt præmiſſis ſupernaturalibus conſtat, & in ſupernaturali materia exercetur) ſpectent ad ſupernaturale lumen fidei; enim verò regulæ ſyllogiſticæ, ſicuti in quacū que materiâ eædem ſunt, ità in quacunque materiâ ad idem lumen pertinent, & ſicuti ſuppoſitâ elevatione ad ſtatum ſupernaturalem lumen naturæ plura dictat ad talem ſtatum pertinentia, ità ſuppoſitis præmiſſis ſupernaturalibus lumen naturæ poterit ipſas diſponere in iis, quæ pertinent ad diſcurſum: Deinde ſi regulæ logicæ ſeù ſyllogiſticæ in diſcurſu ſupernaturali ab Adverſariis prætento cognoſcerentur per lumen fidei, eſſet de fide in eo diſcurſu regulas illas eſſe infallibiles, & dari bonitatem illationis logicæ: quod mihi valdè novum videtur.

Dices, tota hàc doctrina nos non agnoſcimus in actu fidei ullam bonitatem illationis, & reputamus abſurdum, quod ille in iſta fundetur; atqui hoc eſt velle perſuadere aliquid aliunde imperceptibile; enimverò dū aſſentior myſterio propter revelationē, ſi nō video myſterium ex revelatione inferri, & cū revelatione connecti quod eſt cognoſcere bonitatē illationis, ſi, inquā, id non video eſt imperceptibile, cur dicar aſſentiri myſterio propter revelationem potiùs, quàm propter exiſtentiā mūdi, aut propter occasū ſolis, aut propter quodcunque aliud diſparatum, quia non viderē myſterium connexum cū revelatione potiùs, quā
cum exiſtentia mundi, aut occaſu ſolis, &c. Sed 18.
contrà: dum actu fidei aſſentior myſterio propter revelationē, non eſt neceſſe quod cognoſcā myſterium ex revelatione inferri diſcurſu propriè tali, aut cum revelatione connecti tāquam cum tertio, quod ſit medium diſcurſus; ſed ſufficit quod revelatio mihi innoteſcat ut applicata myſterio, vel ſi vis ut cōnexa cū myſterio tanquā cū re atteſtata; hocque mihi innoteſcit ex motivis credibilitatis, quibus proponitur myſterium ut revelatum: ex quo facilè reſpondebo interroganti cur præſtetur aſſenſus myſterio propter revelationem potiùs, quàm propter mundi exiſtentiam: dicam ſcilicèt id eſſe non quia attendam ad illationē aliquam, ſed quia ex motivis credibilitatis mihi innoteſcit applicata myſterio revelatio, non mundi exiſtentia, & illa, non iſta, apta eſt conjungi cum myſterio tāquàm cum re atteſtata.
Aſſert. 2. Actus fidei admittit diſcurſum etiā formalem, qui explicativè aut quaſi diſpoſitivè; non probativè & motivè ſe habeat ad aſſenſum. 19.
Habemus in hoc aſſerto, præſertim quoad ſecundam partem eoſdem Adverſarios, quos in præcedenti, imò Adverſarij ibi relati expreſſiùs loquuntur contrà terminos hujus aſſerti docendo in fide admitti per ſe poſſe diſcurſum formalem, & ſolùm conſequenter docent in eadem per ſe requiri diſcurſum virtualem, quē hucuſque impugnavimus directè, & mox iterū licèt indirectè impugnabimus probando ſecundā præſentis aſſerti partē: Interim

Aſſenſus fidei admittit diſcurſum explicativè ſe habentem.

Probatur & explicatur prima pars: Poteſt intellectus creatus pluribus actibus realiter diſtinctis ferri in unum propter aliud, ſeù in objectum materiale propter formale; eſtque hic modus cognoſcendi explicatior, quia intellectus limitatus, & imperfectus meliùs attingit per partes, quàm totum ſimul objectum complexum; unde etiam ut ſuo loco dicebamus, Angelus ſuperior objecta, de quibus inferiorem illuminat, non explicat aliter, quàm proponendo ea per partes &

per plures actus attingenda: Poſſumus igitur per plures actus, & formaliter diſcurrendo procedere ab objecto formali fidei ad materiale, & hâc ratione procedendo utrumque objectum attingemus clariùs atque explicatius, quod eſt diſcurſum explicativè ſe habere ad fidei aſsenſum: In diſcurſu v.g. de quo ſuprà *Omne revelatum à Deo eſt verum, Incarnatio Verbi eſt revelata à Deo: ergo Incarnatio Verbi eſt vera*, vel poteſt attendi vis

20. *Sivè talis diſcurſus procedat ab objecto formali ad materiale, ſivè etiam ab uno objecto materiali ad aliud.*

illativa, vel poteſt attendi explicatio terminorum quæ major eſt in illis tribus propoſitionibus, quàm in hac unica propoſitione complexâ *Incarnatio eſt, quia à Deo revelatur*; hoc ſecundo modo diſcurſus explicativè ſe habet & in fide admittitur, ſivè procedat ab objecto formali ad materiale, ut in exemplo adducto; ſivè ab uno objecto materiali ad aliud; puta ab objecto revelato formaliter ad objectum revelatum virtualiter, item ab objecto revelato in communi ad objectum revelatum in particulari, ut ſi dicatur Omnis homo eſt riſibilis, revelatum eſt Chriſtum eſſe hominem, ergo revelatum eſt Chriſtum eſſe riſibilem: Item Omnis pontifex legitimè electus eſt verus Petri Succeſſor; hic numero Pontifex Innocentius XI. eſt Pontifex legitimè electus, ergo hic numero Pontifex Innocentius XI. eſt verus Petri ſucceſſor: Hujus utriuſque diſcurſus concluſiones ſunt ſecundùm ſe veritates fidei ut ſuppono ex *præced. cap. 3. §. 3. & 4.* & per hoc, quod connotent diſcurſum explicativè ſe habentem, ſicuti non mutant motivum, ità non deſinunt terminare fidei aſſenſum.

21. Probatur ſecunda pars: Si fides admitteret diſcurſum formalem, qui probativè ac motivè ſe habeat ad aſſenſum, iſte aſſenſus eſſet, & non eſſet actus fidei: eſſet, ut ſupponitur: Non eſſet primò, quia non haberet revelationem, veritatemque divinam pro unico & adæquato motivo: Secundò quia non eſſet liber & dependens à pio affectu voluntatis; ſuppoſito enim aſſenſu præmiſsarum non datur libertas, nec requiritur prius affectus ad aſsenſum concluſionis; quod ſi dicas aſſenſum fidei debere eſſe liberum, pro ut verſatur circà revelationem, non pro ut verſatur circà myſterium revelatum; iam multum detrahis de libertate ac per conſequens de merito fidei; deindè hanc facis liberam ſolum circà illud objectum, circà quod non habet propriam fidei denominationem ex *præced. cap. 3. num. 62.* Tertiò quia reſolveretur ſaltem partialiter in aliquid naturale, nimirum in regolas, logicas, & ſyllogiſticas, ſpectantes ad lumen rationis naturalis. Quartò quia non eſſet ſummè certus, cum præmiſſæ ſint ſemper notiores concluſione, & aſſenſus, qui præſtatur concluſioni, ut ex præmiſſis deductæ, ſit ſemper minùs certus eo, qui præmiſſis ipſis præſtatur.

Dices hæc omnia malè cohærere cum ſuprà aſſertâ dependentiâ objectorum materialium fidei ab objecto formali in eſſe credibilis; hæc enim dependentia nihil eſt aliud, quàm inferibilitas objecti materialis ex formali, ubi autem datur inferibilitas unius objecti ex alio, dabilis eſt diſcurſus & quidem formalis; ſi talia objecta ſint attingibilia diſtinctis actibus, quemadmodùm ex dictis *præced. cap. 2. § 6.* objectum formale & objectum materiale fidei poſſunt attingi diſtinctis actibus & formale cognoſci priùs realiter, quàm materiale. Sed contrà: non eſt dabilis diſcurſus, ubicumque datur dependentia unius objecti ab alio, niſi talis dependentia ſit mediata & excerceatur mediante bonitate illationis; dependentia autem, quam habent in eſſe credibilis & in ordine ad aſſenſum fidei objecta materialia à formali non eſt hujuſmodi ſed eſt prorsùs immediata, & præſcindit ab omni bonitate illationis; ideò &c. Vbi adverte obiter aliud eſſe, quod ex objecto formali fidei poſſit per diſcurſum inferre materiale, aliud quod poſſit ſic inferri in eſſe credibilis & in ordine ad aſſensú fidei; hoc nó illud à nobis negatur; & ulterior ratio negationis eſt, quia in diſcurſu aſsenſus concluſionis dependet, tanquàm à motivo, non à præmiſſis tantum, verùm etiam ab aſſenſu præmiſſi præſtito; nec tantùm propter præmiſſas, verum etiam propter aſſenſum præmiſſis præſtitū aſſentior concluſioni at in caſu noſtro aſsenſus fidei, qui præſtatur objecto materiali dependet tanquàm à motivo ab objecto formali precisè, non ſimul ab aſſenſu ipſius, & aſſentior myſterio revelato propter revelationem præcisè, non propter revelationem & aſſenſum præſtitum revelationi: Inſinuat hanc rationem Gabriel à S. Vincentio *præcit. dub. 19. num. 40.*

22. *Objecti materialis fidei dependentia à formali in eſſe credibilis eſt immediata: pro diſcurſu verò deberet eſſe mediata.*

23. Ex dictis habetur quoad præſentem controverſiam parùm referre, quod diſcurſus procedat aut à revelatione ad rem revelatam, quem vocant diſcurſum per medium intrinſecum, aut ab unâ re revelatâ ad aliam ſibi connexam, puta ab eſſentiâ rei revelatæ ad ſuam proprietatem ſuumvè effectum neceſſarium, quem vocant diſcurſum per medium intrinſecum, parùm, inquam, refert ſecundùm noſtram doctrinam, ſecundùm quam fides neutrum diſcurſum per ſe requirit, neutrum ut motivè ſe habentem admittit; quàmvis multum id referat ſecundùm doctrinam Adverſariorum, qui dum tribuunt fidei diſcurſum, ſolent loqui de ſolo diſcurſu per extrinſecum, non per intrinſecum medium, procedente, & ſolùm Vega *in Tridentinum lib. 9. cap. 39.* alijque pauci agnoſcunt in fide diſcurſum per medium intrinſecum, adeò ut propoſitio deducta ex duabus de fide, aut etiam una de fide, alterâ per ſe notâ, ſit de fide formaliter & quatenus deducta, nā quod talis propoſitio ſit de fide ſumpta materialiter & ſpecificativè, nec non relata ad diſcurſum ſolum explicativè ſe habentem, nos ipſi non negamus & inſinuavimus id *præcedent. numer. 20.* cohærenter ad ſupra dicta *cap. 3. §. 3. & 4.*

24. Habetur inſuper fidem non poſſe dici ſimpliciter & abſolutè diſcurſivam cum non ſit diſcurſiva per ſe & formaliter; poterit tamen dici diſcurſiva cum addito; ſic primò dici poterit diſcurſiva præſuppoſitivè, quatenus ſolet habere diſcurſum prævium ad evidentiam

Fides quamvis non diſcurſiva ſimpliciter, eſt talis præſuppoſitivè, cō

comitanter & activè. dentiam credibilitatis, ſecundò dici poterit diſcurſiva concomitanter, quatenùs admittit diſcurſum explicativè non cauſaliter ſe habentem ad aſſenſum, vel etiam per nos quatenùs res per fidem credita ſit ſimul aliundè per diſcurſum ſcita; tertiò dici poterit diſcurſiva activè quatenùs eſſe poteſt præmiſſa diſcurſus, undè Theologia noſtra diſcurrit ex principiis fidei tanquàm ex præmiſſis.

---

§. III.

Vtrùm actus fidei ſit certior quocunque alio actu ſivè naturali, ſivè ſupernaturali?

25\. Actus fidei eſt ſimpliciter certior quocumque actu naturali.

ASSERT. I. Actus fidei eſt ſimpliciter & abſolutè certior quocumque actu naturali. Ita D. Thomas *hic quæſt.4. art* 8. Bonaventura, Richardus, Gabriel, Albertus, & alij plures antiqui *in* 3. *diſt.*23. *&* 25. Suarez *hic diſp* 6 *ſec* 5. *num* 10 Valentia *diſp.*1. *quæſt.*4. *punc.*8. Amicus *diſp.*12. Herinex *diſp.*7. *quæſt.*4. *num.*29. Madernus *quæſt.*2. *art.*2. Eſparza *lib.*6. *quæſt.*22. Arriaga *diſp.*3. *ſec* 4. *ſubſec.*3. & reliqui Scholaſtici communiter contrà Durandum *in* 3. *diſt.*23. *quæſt.*7. *num.*10. Almaynum *ead. diſt. quæſt.*3. & fortè etiam Hugonem Victorinum *lib.*1 *de ſacram. par.*10. *cap.*1. cum definit fidem eſſe *certitudinem animi de rebus abſentibus ſuprà opinionem, & infrà ſcientiam, conſtitutam*, imò & Auguſtinus videtur agnoſcere certitudinem aliquam naturalem majorem ea fidei *lib. de utilit. credendi cap.*4. dum poſt enumerata contrà Manichæos argumenta, quibus ipſe ad fidem catholicam movebatur ſubdit *Apud vos autem, ubi nihil horum eſt, quod me invitet ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio: quæ quidem ſe tàm manifeſta monſtratur, ut in dubium venire non poſſit, præponenda eſt omnibus rebus, quibus in catholica teneor: ſi autem tantummodò promittitur, & non exhibetur &c.* Nihilominus ly *infrà ſcientiam* in verbis Hugonis, & ly *præponenda eſt* in verbis Auguſtini, debent intelligi ſecundum quid, non ſimpliciter, adeò ut ex utriſque ſolùm inferatur in notitia aliquâ naturali certitudo major ſecundum quid, ſubſiſtat verò in notitiâ fidei certitudo major ſimpliciter; nec quidquam ampliùs intendunt Auctores noſtri aſſerti, quàmvis deindè diſſideant inter ſe in modo explicandi certitudinem ſimpliciter, & qualificandi certitudinem ſecundùm quid; de qua aliqui ſeveriùs, aliqui liberalius ſentiunt; & inter liberaliores meritò poteſt recenſeri Arriaga *præcit. ſec.*4. *ſubſec.*4. *&* 5. ubi multum tribuit certitudini, quæ poteſt haberi circà res alias à fide. Interim,

26\. Certitudo quid, Quotuplex.

Recolendum *ex prolegom. cap.*2. §. 2. certitudinem propriè acceptam duo importare, infallibilitatem ſcilicèt & firmitatem, ſeu neceſſariam connexionem cum veritate, & firmam adhæſionem ad objectum; item poſſe certitudinem conſiderari vel ex parte ſubjecti; & dicitur certitudo adhæſiva ſeu ſubjectiva; vel ex parte actus, & dicitur certitudo formalis, vel ex parte objecti & dicitur certitudo objectiva; de hac ibi ſingillatim docuimus rectè dici certitudinem contrà Vaſquium, alioſque nonnullos, agnoſcentes certitudinem ſolùm in actu, ad quos valdè accedit Arriaga *præcit. ſec.*4. *num.*76. *&* 95. ſicut & Lugus cuius meminimus *præced. cap.*4. *num.*1. De eadem maximè procedit ſcrupulus, quo nonnulli verentur admittere unam certitudinem majorem alia, eò quod infallibilitas, quæ eſt maximè propria certitudinis objectivæ, & ab hac in alias certitudinis ſpecies derivatur, eò quod, inquam, infallibilitas ſit negatio, nimirùm repugnantia ſeù impotentia falſitatis, negatio autem, utporè quæ ſemper totum negat, non ſuſcipit magis & minus, nec una eſſe poteſt major alia: Nihilominùs infallibilitas fortè eſt in ſuo conceptu formali ratio poſitiva, quamvis negativè explicetur; & quando conſiſtat formaliter in negatione, non ſuſcipiet quidem magis & minùs ex parte ſui conceptus formalis, benè tamen ex parte principiorum, aut præcedentium, aut comitantium, quod familiare eſt aliis negationibus, & ſufficit pro re præſenti. His ſuppoſitis. Et quomodò ſuſcipiet magis & minus.

27\. Probatur aſſertum tùm auctoritatibus Scripturæ & Patrum apud Valentiā *præc. n.*8. tùm ratione ſic: Certitudo ſivè ſumatur, ut dicit infallibilitatem ſive ut dicit firmitatem, ſivè ut dicit utramque rationem eſt major in actu fidei, quàm in quocumque actu naturali, ergo actus fidei eſt ſimpliciter & abſolutè certior quocumque actu naturali, conſequentia patet antecedens quoad tertiam partem evincitur ex probatione utriuſque alterius partis, quoad primam facilè probatur ex eo quod infallibilitas maximè attenditur penes certitudinem objectivam & ex objecto ſubintellige formali, maximè deſumitur; objectum autem formale actus fidei eſt infallibilius quocumque objecto formali alicuius actus naturalis; veracitas ſcilicet, & revelatio divina, habet majorem repugnantiam cum falſitate, quàm habet evidentia naturalis, aut ullum aliud naturale medium; quia habet talem repugnantiam non ſolùm in ordine ad quamcumque potentiam, verùm etiam pluribus & nobilioribus titulis, quàm habeat ullum medium naturale, & quoties per impoſſibile deberet falſificari, aut divinum teſtimonium, aut medium evidens naturale; ſuprà iſtud potiùs, quàm ſuprà illud falſificatio caderet: Idem

28\. primum antecedens quoad ſecundam partem probatur quia illa adhæſio eſt firmior illaque firmitas eſt major, quæ alij adhæſioni aliique firmitati rationabiliter præfertur: perfectio enim & magnitudo rei debet maximè attendi penes prælationem ipſius ad res alias, non penes intenſionem quodammodò & gradus; atqui adhæſio & firmitas contenta in actu fidei præfertur cuilibet alij adhæſioni contentæ in aliquo actu naturali; & quilibet fidelis tum ex merito objecti, tum ex pio affectu voluntatis paratus eſt negare quamcumque veritatem naturaliter evidentem potiùs, quàm objectum revelatum; ergo adhæſio & firmitas contenta in actu fidei eſt ſimpliciter & prælativè major adhæſione contentâ in quolibet

quolibet actu naturali, quàmvis in hoc poſſit eſſe firmitas ſeù adhæſio major quaſi intenſivè, & gradualiter, propter majorem proportionem & propenſionem intellectus; pro quo revocanda huc ſunt quæ dicebamus *præcit.* §.2. Interim brevitatis & claritatis gratiâ variis dubitatiunculis expedio nonnullas rei præſentis difficultates, & cum ſuperiùs inſinuatum ſit actus naturales poſſe eſſe ſecundùm quid certiores actu fidei, illicò occurrit hoc explicandum. Ideò:

29. Quomodo certitudo ſecundum quid poſſit eſſe major in aliquo actu naturali, quam in actu fidei.

Dubitatur primò: Quomodò aliquis actus naturalis poſſit eſſe ſecundùm quid certior actu fidei? Reſpondetur poſſe eſſe ſecundùm quid certiorem primò, quatenùs actus evidens naturalis magis penetrat objectum ſcitum, quàm actus fidei penetret objectum creditum, & hinc habetur in illo actu major certitudo quaſi intenſiva & gradualis, quam mox memoravimus, & quam Scotus *in 3. diſt.*23. in fine ac cum eo Maſtrius *diſp.*6. *num.*147. vocat majorem ſecundùm proportionem geometricam actuum ad objecta, non ſecundùm proportionem arithmeticam actuum inter ſe. Secundò, quatenùs actus evidens naturalis habet certitudinem quodammodò magis permanentem & minus amiſſibilem, ſicuti actus ipſe magis permanens & minus amiſſibilis eſt, ut potè qui eſt neceſſarius, voluntas autem nequit directè imperare intellectui ceſſationem ab actu neceſſario, ſicuti directè imperare ceſſationem ab actu fidei, ad quem intellectus ab objecto non neceſſitatur. Neque dicas: ſi adhæſio fidei facilius abjicitur, quàm adhæſio actus naturalis, quonam pacto ſubſiſtit quod paulò antè dicebatur adhæſionem fidei habere prælationem, quod eſt idē ac dicere credentem eſſe paratum ad abjiciendā aliam quamcumque adhæſionem potius, quam illam fidei. Contrà enim optimè ſtat ex merito objecti, & ex pio affectu voluntatis, aliquem eſſe paratum ad id, quod difficilius eſt, ideò, &c. Tertiò, quatenus actus evidens naturalis habet certitudinem quodammodò magis puram ac magis impermixtam; excludit enim ſeu prævenit ac impedit omnem dubitationem & formidinem, quamvis indeliberatam; non ſic certitudo fidei, quæ propter ſuam obſcuritatem nequit incidentes & ſubrepentes dubitationes impedire, ſed patitur ipſarum conſortium, dummodò deliberatæ & voluntariæ non evadant.

Dubitatur ſecundò: Utrùm actus fidei ſit quocumque actu naturali ſimpliciter certior ſecundùm ſe tantùm, non ſecundùm nos adeò ut certitudinem ſimpliciter majorem, quam in ſe habet, noſtro intellectui non communicet, nec eâ totâ nos certos reddat. Pro affirmativâ reſponſionis parte referuntur Soncinas 4. *metaph. quæſt.*14. Capreolus *in* 3. *diſt.*25. *quæſt. un. art.*3. Caietanus 1. *p. quæſt.*1. *art.*3. & 2.2. *quæſt.*4. *art.*8. quo articulo *in c. & ad* 3. videtur idem tradidiſſe D. Thomas, dum docuit reliqua eſſe certiora fide quoad nos, & ex parte ſubjecti. Nihilominus reſpondendum negativè, nec contrarius eſt D. Thomas, legenti enim textum loco citato ſatis conſtat ipſum admittere, quòd reliqua poſſint eſſe certiora fide ſecundùm nos, & ex parte ſubjecti, quatenùs poſſumus ea aſſequi pleniùs & cum majori remotione formidinis modo jam explicato; non quatenùs actus fidei poſſit habere in ſe aliquam certitudinem, quam intellectui noſtro non communicet, quod quidem evenire non poſſe evincitur ex eo, quia actus fidei eſt actus vitalis, qui ſicuti eſt ſecundùm ſe totum eſſentialiter intrinſecus potentiæ vitali, ità eſſentialiter communicat ei ſe totum, ſuamque totam certitudinem; neque hæc eſt forma abſtracta, & quaſi per ſe ſtans, ſed actuans intellectum, eique inhærens. Neque dicas certitudo nos certificat & nobis ſe communicat tantùm, quantùm nobis innoteſcit; atqui certitudo actus fidei nobis non innoteſcit tanta quanta eſt, alioqui perfectè cognoſceremus totam talis actus perfectionem ac ſupernaturalitatem; ergo. Contrà enim: ut ſimus certi, non requiritur diſtinctus actus reflexus, quo cognoſcamus nos eſſe certos, ſicuti ut ſimus cognoſcentes non requiritur diſtinctus actus, quo cognoſcamus nos cognoſcere; igitur ad majorem propoſitionem diſtinguo, certitudo nos certificat, quantùm nobis innoteſcit per ſe ipſam formaliter ſeu per actum indiſtinctum, quem ipſa conſtituit, concedo; quantùm nobis innoteſcit per alium actum diſtinctum, nego; eâdem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam.

30. Certitudo in actu fidei eſt ſimpliciter major etiam quoad nos.

31.

Dubitatur tertiò: Utrùm ſaltem reſpectu alicujus primi principij poſſit dari tanta firmitas, & tanta adhæſio intellectus, quanta datur in credente reſpectu objecti fidei. Affirmat Arriaga *diſp.*3. *ſec.*4. ubi *ſubſec.*3. collocat certitudinem propriam aſſenſus fidei in repugnantiâ metaphyſicâ falſitatis proveniente ex connexione eſſentiali actus fidei cum revelatione divinâ verâ & reali, ratione cujus connexionis ſit actum fidei ex ſuâ naturâ & perfectione eſſentiali poſtulare, quod objectum exiſtat qualiter enuntiatur, adeò ut etiamſi nihil aliundè de objecto ſciatur, ſit legitima & formalis hæc illatio *datur talis actus fidei, ergo objectum exiſtit ut per ipſum enuntiatur*: Deindè præter hanc certitudinem ponis in credente certitudinem aliam quam vocat adhæſivam, & ex parte ſubjecti, & vult provenire non ab ipſo actu fidei, ſed à motivis credibilitatis & à voluntatis imperio. Poſteà *ſubſec.*4. & 5. docet hujuſmodi certitudinem adhæſivam poſſe eſſe tantam aut majorem circà aliquod principium per ſe notum, aliamvè veritatem naturalem, imò & circà errorem, quanta eſt in credente circà objectum fidei. In hac doctrina diſplicet primò, quod certitudo aſſenſus fidei collocetur in ſolâ repugnantiâ falſitatis, hæc enim eſt præcisè infallibilitas, certitudo autem actus ut potè quæ ex aliundè ſuppoſitis ex certitudine tum objectiva tum adhæſivâ conſurgit, importat tum infallibilitatem, tum adhæſionem & firmitatē. Diſplicet ſecundò, quod ponatur in credente certitudo, quæ ſit formalis, reddat ſcilicet formaliter certum, & tamen non proveniat ab actu fidei; nam licèt objectivè aut effectivè poſſit intellectus aliundè, quam ab

32. Item eſt ſimplicier major etiam quoad adhæſionem, non quoad infallibilitatem præciſè.

Digitized by Google

ab actu certificari, ſecus formaliter; nec certè motiva credibilitatis, aut voluntatis imperium, ſunt forma reddens intellectum formaliter certum; non ab illis igitur, ſed à ſolo actu, habetur formaliter omnis credentis certitudo circà objectum fidei. Diſplicet tertiò, quod ſub nomine certitudinis aſtruatur major adhæſio intellectus ad aliquod aliud objectum; quam ad objectum fidei; hoc enim nimis detrahit perfectioni credendi, & multum diſcrepat à modo loquendi Sanctorum Patrum extollentium fidei firmitatem, & profitentium ſe ea detineri ac convinci magis, quam evidentiâ quacumque naturali: Dixi *ſub nomine*

Pertinacia, & certitudo, quomodo differant?

certitudinis ſub quo venit adhæſio rationabilis, prudens, & commenſurata ac proportionata objecto; nam ſi ſumatur adhæſio latius pro ea, quæ venit etiam ſub nomine pertinaciæ, & quæ ſuperat exigentiam, capacitatem, ac meritum objecti, eſtque ſemper imprudens, ſaltem reſpectu habentis legitimam objecti notitiam; ſi inquam, adhæſio ità ſumatur, non negaverim poſſe eſſe majorem circà alia quam circà res fidei adhæſionem; at hæc eſſet dicenda adhæſiva pertinacia, non

33. adhæſiva certitudo. Ideò terminis ritè, & in proprio ſenſu, uſurpatis adhibenda eſt dubio reſponſio negativa, pro quâ præter mox-dicta facit primò ratio adducta *præced.num.*18. facit ſecundò quod *num.*30. dicebatur de neceſſitate, quâ actus quilibet communicat ſubjecto totam ſuam certitudinem; certitudo enim communicata ſubjecto reddit ipſum objecto adhærens; incongruè igitur Arriaga ponit circà res fidei majorem certitudinem aſſenſus in actu ſine majori certitudine adhæſionis in ſubjecto, & quod ad declinandam hujus rationis vim affert *præcit. ſec.*4.*num.* 103. partim valdè obſcurum, partim falſum eſt.

Dices: nemo non citiùs & facilius negaret hanc veritatem fidei, *Deus eſt Trinus*, quam hoc primum principium naturale *Quodlibet eſt vel non eſt*; ergo quia quilibet habet majorem certitudinem adhæſivam, ſeu majorem adhæſionem circà hac principium naturale,

34. quàm circà illam veritatem fidei. Quod ſi reſpondeatur faciliorem ab adhæſione receſſum non arguere adhæſionem minùs firmam ſimpliciter, & quaſi ſubſtantialiter; ſed ſolum ſecundùm quid & quoad aliquam perfectionem accidentalem modo ſuprà tradito *num.* 29. Urgebitur inſtantia, quia ab illo principio naturali *quodlibet eſt vel non eſt* pendet hæc veritas *Deus eſt Trinus*, non è contrà; eo principio falſificato falſificaretur hæc veritas, non è contrà; nam falſificato eo diſiuncto univerſali falſificaretur hæc diſiunctiva particularis *Deus eſt vel non eſt Trinus*, hâc autem falſificatâ neceſſe eſt falſificari propoſitionem determinatam ſub diſiunctivâ contentam *Deus eſt Trinus*; non è contrà falſificatâ propoſitione determinata neceſſe eſt falſificari propoſitionem diſiunctivam, ideò falſificatâ hâc determinatâ *Deus eſt Trinus* non falſificaretur illa diſiunctiva *Deus eſt vel non eſt Trinus*, nec illa alia univerſaliſſima *Quodlibet eſt vel non eſt*. Deindè videtur imperceptibile quod quis firmiùs aſſentiatur Deum eſſe Trinum, quàm Deum eſſe Trinum vel non eſſe; æquè ac ſi quis vellet firmius judicare Petrum currere, quàm aliquem currere. Sed contrà

35. Quomodo hæc veritas *Deus eſt*, pendeat ab illâ *Deus eſt vel non eſt*?

ratam habeo reſponſionem in inſtantiâ inſinuatam, ad illud quod urgetur dico hanc veritatem *Deus eſt Trinus* conſiderari poſſe vel ſecundùm ſe & ut ſubeſt præcisè propriis terminis, vel ſecundùm quod eſt revelata, & ut ſubeſt formali objecto fidei; primo, non ſecundo modo pendet ab illo principio naturali *Quodlibet eſt vel non eſt*; ideò primo ad ſummum, non ſecundo modo, evincitur adhæſio ſimpliciter major circà principium illud naturale; at dum nos dicimus circà res alias, & circà ipſamet prima principia naturalia, non eſſe dabilem tantam adhæſionem, quanta circà res fidei, de iſtis loquimur non quomodocumque, ſed ut ſubſunt motivo & medio proprio.

Dices aliter, & ſimul impugnabis quod mox dictum eſt: Aliquis invincibiliter deceptus ex iiſdē motivis aſſentiatur tùm objecto, quod ſubeſt revelationi divinæ veræ, tum objecto, quod ſubeſt revelationis divinæ putatæ eò quod utrumque objectum eodem penitus modo proponatur ut revelatum; hic certè objecto verè revelato aſſentiretur ut ſubſtanti proprio fidei motivo, & tamen non haberet majorem adhæſionem circa ipſum, quàm circà alterum in re non revelatum, nec poſſet eſſe paratus ad præferendam illam adhæſionem, quia experiretur circa utrumque adhæſionem omninò ſimilem; & quando etiam ei diceretur circà unum ex duobus objectis deciperis, adhuc ipſe ſine majore declaratione non poſſet ſe prudenter determinare ad removendam adhæſionem mentis ab uno potiùs, quàm ab alio; ergo. Sed contrà: In data hy-

36. Circà objectum non revelatum haberi poteſt adhæſio quæ putetur tanta, non quæ ſit tanta, quanta circà objectum revelatum.

potheſi adhæſio circà objectum ſubſtans revelationi divinæ veræ eſſet major in re, quamvis ut major non diſcerneretur; adhæſio autem circà objectum ſubſtans revelationi putatæ, quamvis putaretur ſimilis, & æqualis eſſet in re minor; & ſicuti infallibilitas actus circà utrumque objectum etiam per adverſarios eſſet inæqualis, item eſſet naturalis circà unum ſupernaturalis circà aliud objectum entitas actus licet credens id non diſcerneret, ſed putaret ſe habere circà utrumque objectum infallibilitatem æqualem & actum eundem; ità ſimiliter de adhæſione. Rursùs adhæſio illa, quæ putaretur tanta circà objectum non revelatum, quanta circà revelatum, quatenus verſatur circà objectum revelatum habet propriam rationem certitudinis, quatenùs circà non revelatum habet rationem pertinaciæ, quia primo modo eſt conſentanea objecto & juxtà meritum ac exigentiam ipſius, non ſic ſecundo.

Neque urgeas ex Arriagâ *num.*84. & 100. multum habere de nomine quod prædicta adhæſio dicatur certitudo reſpectu unius objecti, pertinacia reſpectu alterius; eandemque adhæſionem malè aſſeri conſentaneam uni obiecto non alteri, cum cuilibet objecto ſecundum ſe ſit conſentanea quælibet maxima certitudo, & poſſit quodlibet objectum quamlibet maximam certitudinem terminare, ut patet ex eo, quod Deus eſt de quolibet

objecto maximè & ſummè certus. Contrà enim, ubi ſuſpicio eſt quæſtionis de nomine, expedit eam partem amplecti, pro qua plures ſtant, in nominum enim ſignificatione magna habetur ratio auctoritatis & pluralitatis quodãmodò ſuffragiorum, Arriaga igitur, ſi quæſtionem de nomine ſuſpicatur, ex hoc ipſo nõ deberet proſequi modum dicendi ferè ſingularem communiore relicto. Quod addebatur cuilibet objecto eſſe conſentaneam quamlibet maximam certitudinem permitti poteſt de quolibet objecto materiali præcisè accepto, at non de objecto formali, aut de materiali ut ſubſtat formali, & in tantùm relatè ad Deum omnia terminant maximam certitudinem, in quantùm relatè ad Deum omnia ſubſtant objecto formali maximè certo, maximéque infallibili, habet enim Deus in omni ſua cognitione pro objecto formali eſſentiam propriam.

38. Aſſert. 2. Actus fidei eſt ſimpliciter certior quocunque actu cognitionis ſupernaturalis habẽtis pro objecto formali aliquid creatum: relatè verò ad actum viſionis beatæ, prophetiæ, aliumvè ſimilem habentem pro objecto formali Deum ipſum ſe manifeſtantem, divinamve veritatem, actus fidei eſt ſimpliciter æquè certus. Prima pars eſt Turriani *diſp.* 42. *dub.* 2. Gabr. à S. Vincent. *diſp* 2. *dub.* 6. *n.* 55. cõtrà Amic. *diſp.* 12. *n.* 17. ubi non ſolùm relatè ad actum viſionis, verùm etiam relatè ad alium quemlibet actum ſcientiæ ſupernaturalis, vult actum fidei eſſe dũtaxat æquè certum. Quoad ſecundam partem aſſertum eſt valdè commune, quamvis non adeò communiter ſoleat tradi expreſſis terminis.

Actus fidei eſt æquè certus, ac viſio & prophetia, certior aliis actibus ſupernaturalibus.

Probatur: certitudo ſimpliciter maximè attenditur penes objectum formale, & ab iſto potiſſimum derivatur in actum; atqui Deus ipſe, divinaque veritas, eſt objectum certius quocunque creato, eſt ſcilicet quid magis infallibile magiſque repugnans cum falſitate, & ſi per impoſſibile aliquis actus ſupernaturalis poſſet eſſe falſus ex objecto formali, eſſet id permittendum de actu ſupernaturali habente pro objecto formali aliquid purè creatum, quá de habente pro objecto formali Deum; ergo actus fidei eſt ſimpliciter certior quocunque actu cognitionis ſupernaturalis habentis pro objecto formali aliquid creatum:

39. Quia deinde relatè ad prophetiam, & viſionem beatam, habet actus fidei objectum formale æquè certũ & æque infallibile; cum Deum fallere in revelatione obſcurâ æquè repugnet, ac in revelatione clarâ, item æquè repugnet Deum fallere in revelatione factâ per locutionem, ac in revelatione factâ per immediatam ſui manifeſtationem; conſequens eſt quod relatè ad viſionem beatam, prophetiam, &c. actus fidei ſit ſimpliciter æque certus, ſimpliciter, inquam, nã diverſa applicatio objecti formalis, quæ in prophetia fieri ſolet cum evidentia in atteſtãte, in beata viſione fit cum omnimoda claritate & faciali intuitu, utique inducit majorem certitudinem ſecundum quid, pro qua à fortiori hic militant ſupradicta *n.* 19. Porrò fides, licèt ſit ſimpliciter æquè certa, non eſt ſimpliciter æquè perfecta, ac viſio; habet enim hæc plura alia perfectiſſima prædicata in quibus excedit; relatè verò ad prophetiam utrùm fides ſit ſimpliciter æquè perfecta? & relatè ad alios actus ſupernaturales ſit ne ſimpliciter perfectior, ſicuti eſt ſimpliciter certior? valde dubia res eſt.

---

§. IV.

An & quomodò actus fidei ſit liber, & dependens à voluntatis imperio, quod pium affectum vocant?

Aſsert. 1. Actus fidei eſt aliquo modo liber, & à voluntatis imperio dependens, eoque indigens. Eſt certiſſimum fidei dogma, ut loquitur Malderus *q.* 1. *art.* 5. *ſect.* 4. *dub.* 3. & ſupponũt Scholaſtici cõmuniter cum D. Thoma *hic q.* 1. *art.* 4. *& q.* 4. *art.* 5. Scoto *in* 3. *diſt.* 25. *q.* 1. contrà Franciſcum de Marchiâ & Holcot ex Catholicis, necnon contrà plures Hæreticos, quorum meminimus *c. præced. n.* 3. ad fidẽ requirentes evidentiam objecti, quâ poſitâ intellectus aſſentitur neceſſariò, & nullâ expectatâ motione voluntatis. 40.

Libertas actus fidei ſpectat ad fidei dogma.

Probatur ex Scripturâ Act. 6. *Turba Sacerdotum obediebat fidei.* Rom. 1. *Accepimus gratiam & Apoſtolatũ ad obediendũ fidei.* Rom. 10. *Non omnes obediunt Evangelio.* obedire autem eſt opus liberum. Luc. 24. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum.* tarditas autem increpatione digna non poteſt eſſe ſine libertate. Deinde non credere imputatur ad culpã juxtà illud Marc. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*; credere reputatur ad meritum Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*; culpa autem ſupponit libertatem ad actum oppoſitum, & meritum requirit libertatem in ipſo actu meritorio. Confirmatur ex Conciliis, nam Concilium Toletanum IV. *c.* 23. ait infideles non cogi ad fidem, *quia fides debet eſſe libera.* Arauſicanum *can.* 2. *c.* 5. ait: *Quod credulitatis affectus, quo in eum credimus qui juſtificat impium, datur nobis Spiritus Sancti inſpiratione corrigente voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem.* Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. ſtatuit homines diſponi ad juſtitiam, *dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes vera eſſe, &c.* Suppoſito quod actus fidei liber ſit, facile 41.
eſt evincere quod à voluntatis imperio dependeat, eoque indigeat, cum enim intellectus nõ ſit potentia formaliter libera non poteſt determinare ſeipſum liberè, ſed ut taliter determinetur & erumpat in actum liberum, indiget imperio & motione potentiæ formaliter liberæ, qualis eſt ſola voluntas, cujus etiam fit expreſſa mentio in verbis ex Arauſicano allatis, & pro eâdem non deſunt aliæ claræ auctoritates, ut cum *Rom.* 10. habetur *Corde creditur ad juſtitiam* & Actor. 8 *ſi creditis ex toto corde,* nomine autem cordis venit potiſſimum voluntas, ex Auguſtino lib. de bono perſever. cap. 16 *fides ſine voluntate non poteſt eſſe* & tract. 26. in Ioan. *Cætera poteſt homo nolens, credere autem non poteſt, niſi volens:* Quibus conſonant plura alia teſtimonia, tùm ejuſ-

dem

dem Auguſtini aliis in locis, tum aliorum Sanctorum Patrum.

Accidunt auctoritatibus rationes, quæ tamen majori claritate & efficacitate afferentur, ſi aſſerta veritas dividatur in propoſitiones magis particulares, quibus de actu fidei ſingillatim ſtatuatur, qualem libertatem habeat, & qualevoluntatis imperium requirat? Utrùm habeat libertatem exercitij immediatam, & proximam? Utrùm etiam libertatem ſpecificationis, pariter immediatam, & ſuppoſitu quod intellectus attendat ad credibilitatis evidentiam? Utrùm ad ſuæ libertatis determinationem requirat voluntatis imperium poſitiuum & ſupernaturale; an ſufficiat negatiuum, aut poſitiuum naturale? Tandem Utrùm ſaltem partialiter aut mediatè dependere poſſit ab imperio pravo?

42. Actus fidei eſt liber libertate exercitij proximâ.

Aſſert. 1. Actus fidei eſt liber libertate exercitij, non ſolùm remotâ, verùm etiam proximâ, & indiget voluntatis imperio non ſolum ut intellectus attendat ad propoſitionem objecti credibilis & ad motiva credibilitatis, verùm etiam ut ſuppoſitâ attentione eliciat aſſenſum. Ità Theologi communiter contrà Holcot *in* 1. *quæſt.* 1. *art.* 6. Marſilium *in* 3. *quæſt.* 14. *art.* 1. & tùm alios quoſdam Nominales, tùm etiam nonnullos Recentiores, qui licet cum hæreticis non ſentiant res fidei debere eſſe evidenter veras, exiſtimant tamen evidentiam credibilitatis ſufficere ad inducendam neceſſitatem aſſenſus, & volunt actum fidei eſſe liberum ſolùm remotè, quatenus voluntas poteſt intellectum divertere, ne attendat ad motiva evidentis credibilitatis.

Probatur primò auctoritatibus jam allatis, quæ non ſunt intelligendæ procedere de libertate remotâ, ne ſine neceſſitate deprimantur ad ſenſum minus proprium; ne item fidei tribuatur ea ſola libertas, quæ tribui poteſt actui ſcientiæ dependenti à voluntate quoad applicationem intellectus ad objectum ſcibile; ne tandem negetur actui fidei omne meritum formale & proprium ad quod neceſſaria eſt immediata & proxima libertas *ex tract. præced. lib.* 4. *cap.* 7. §. 6. Confirmatur ex eo quod Paulus *Rom.* 10. ait cum Iſaiâ *Domine quis credidit auditui noſtro?* ubi ſupponuntur liberè credere ij etiam, qui res fidei audiunt, & *Act.* 18. refertur quod ex audientibus Paulum de reſurrectione diſſerentē. *Quidam credebant his quæ dicebantur, quidam verò non credebāt* & Chriſtus Dominus Jo. 15. verbis illis *ſi non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autē excuſationem non habent de peccato*, clatè declarat Phariſæos non credidiſſe etiā viſis prodigiis, & auditis motivis credibilitatis, horum igitur applicatio non neceſſitavit Phariſæos, nec neceſſitat nos ad credendū.

43. Probatur ſecundo ratione: Propoſito objecto credibili, & attentis motivis credibilitatis, adhuc intellectus manet indifferens ad eliciendum, vel ſuſpendendum, aſſenſum; ergo actus fidei eſt liber, &c. conſequentia patet; antecedens probatur; propoſitio objecti credibilis, & motiva credibilitatis, quomodocumque applicata & explicata ſint non inducunt evidentiam veritatis *ex cap. præced.* §. 3. in quo oſtenſum eſt evidentiam veritatis, & evidentiam credibilitatis, valdè differre, ac ſeparari ab invicem poſſe; atqui ſola evidentia veritatis per ſe ipſam neceſſitat, & independenter à voluntatis imperio determinat intellectum ad aſſenſum; ſola enim evidentia veritatis, ſeu ſola veritas evidens, excludit omnem imminentiam, omnemve apparentiam falſi, quod eſt malum intellectus, cum igitur nulla potentia poſſit innato impetu, & neceſſitate naturali, ferri in proprium malum, conſequens eſt, quod intellectus non neceſſitetur ad aſſenſum ex ſe niſi ubi excluditur omnis apparentia falſi, quod eſt idem ac dicere niſi ubi habetur evidentia veri.

Dices: objectum fidei attentis motivis credibilitatis, vel eſt intellectui ſufficienter propoſitum, vel non: ſi primum ergo intellectus eſt determinatus ad aſſentiendum independenter ab imperio voluntatis: ſi ſecundum, ergo intellectus eſt incapax ad aſſentiendum etiam ex imperio voluntatis: eſt enim intellectus potentia neceſſaria, & potentiis neceſſariis commune eſt non poſſe obedire voluntati, aut in non attingendo proprio objecto ſufficienter propoſito, aut in attingendo eodem propoſito inſufficienter, ut exemplificari poteſt in potentiis viſivâ, & auditivâ, reſpectu colorati, & ſonori. Sed contrà: objectum ſufficienter propoſitum latè patet & poteſt inter æquivoca recenſeri; aliquādo enim diſtinguitur aliquādo nō diſtinguitur ab objecto propoſito efficaciter, aliquādo objectū dicitur ſufficienter propoſitum per hoc, quod nihil deſit ex parte ipſius; aliquādo per hoc, quod nihil deſit etiam aliundè, dico igitur objectum fidei attentis motivis credibilitatis eſſe propoſitum ſufficienter, prout ſufficienter ſe tenet præcisè ex parte objecti, & contra diſtinguitur ad efficaciter, non prout ſufficienter dicit omnem prorsùs ſufficientiam ad actum requiſitam & cum efficaciter coincidit quâ ratione ut objectum ſit ſufficienter propoſitum debet, aut eſſe evidenter verum, aut habere comitans imperium voluntatis: Quoad alias potentias neceſſarias duplex eſt diſcrimen; primum ex parte objecti, quod non poteſt eis proponi cum imminentia & apparentiâ oppoſiti, ſicuti tamen proponitur intellectui quodlibet objectum non evidenter verum; nil mirum igitur, quod ex tali apparentiâ poſſit intellectus ſuum actum ſuſpendere, non ſic aliæ potentiæ, quibus quoties proprium objectum proponitur, proponitur eo modo, quo evidenter verum intellectui: Secundum diſcrimen eſt ex parte ipſarum potentiarum carentium omni libertatis veſtigio, cum tamen intellectus in ſe habeat libertatem radicalem, proptereáque facilius poni poſſit connexio cúm libertate formali, & dependentia à voluntatis imperio, in actibus intellectus, quàm cæterarum potentiarum; undè etiam *tractat.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 76. dicebamus actus intellectus non habere libertatem purè extrinſecam, ut habeot actus ſenſuum. Accedit quod in potentiâ loco-motivâ, licet non in aliis potentiis externis, invenimus dependentiam ab imperio voluntatis ſimilem ei, quam conten-

44. Objectum ſufficienter propoſitum ſtat multipliciter.

Et diverſimode ſe habet ad intellectum, ac ad alias potentias neceſſarias.

45. Præſertim ſenſitivas, tam de potentia loco-

motivâ eſt ferè eadem ratio, ac de intellectu, & cur?

dimus debere admitti in intellectu; nam poteſt eſſe applicata loco cum viribus robuſtis ac ad motum expeditis, quod eſt ipſam habere ſuo modo propriū objectū ſufficienter propoſitum; nec propterea neceſſariò movetur, aut non indiget voluntatis imperio ut moveatur. Si quæras obiter: Unde proveniat dependentia à voluntatis imperio in potentiâ loco motivâ potiùs, quam in potentijs ſenſitivis? dicerem provenire ex majore illius, quàm iſtarum connexione cum intellectu & voluntate, hanc autem majorem connexionem deducimus ex eo, quod potentiam loco motivam, non ſic potentias ſenſitivas inveniamus in creatis ubicumque invenimus intellectum & voluntatem, ut patet in animâ ſeparatâ, & Angelis.

46. *Actus fidei eſt liber libertate ſpecificationis.* Aſſert. 3. Actus fidei præter libertatem exercitij habet libertatem ſpecificationis, & à voluntatis imperio pendet, eoque indiget etiam quoad ſpeciem actus; quamvis ſupponatur intellectus attendens ad motiva evidentis credibilitatis. Ità D. Thomas locis præcit. & ibi Caietanus, Ioannes à S. Thomâ *hic diſp.* 3. *art.* 1. cæterique Thomiſtæ & ex Recentioribus Suarez *diſp.* 6. *ſec.* 6. Amicus *diſp.* 10. *ſec.* 4. Eſparſa *lib.* 6. *quæſt.* 27. *art.* 2. &c. contra Scotum *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *in fine* Aretinum *eâd. diſt. quæſt.* 2. *art.* 1. Pontium *diſp.* 27. *quæſt.* 1. Maſtrium *diſp.* 6. *quæſt.* 8 *num.* 240. Herincx *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 12. cæteroſque Scotiſtas, qui concedunt quidem actum fidei eſſe liberum regulariter libertate ſpecificationis, at id concedunt eò quod ut meminimus *cap. præced. num* 55. exiſtiment ſingulos credentes regulariter non habere, aut ſaltem non attendere ad motiva evidentis credibilitatis; cæterùm intellectum ad iſta attendentem volunt eſſe neceſſitatum ad ſpeciem actus, nec poſſe diſcredere.

Probatur primò repetendo ex præallata auctoritate Concilij Araſicani verba illa *inſpiratione corrigente voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem*, voluntatem autem corrigi ab infidelitate ad fidem eſt ipſam relicto diſſenſu imperare aſſenſum, quæ eſt determinatio quoad ſpecificationem, non præcisè quoad exercitium. In verbis etiam relatis ex Act. 28. ly *Quidam credebant*, *Quidam verò non credebant* ſunt termini imputantes in quibuſdam liberum aſſenſum, in quibuſdam liberum diſſenſum, quæ eſt libertas contrarietatis ſeù ſpecificationis. Si dicas in his caſibus non ſupponi applicata motiva evidentis credibilitatis: Impugnaberis ex eo quod *præcit. num.* 53. oſtenſum eſt ad quemlibet actum fidei eſſe neceſſariam credibilitatis evidentiam, & licèt hæc aliquando magis, aliquando minùs perfecta eſſe poſſit; nulla tamen eſt ratio limitandi ſuperiores auctoritates ad evidentiam minùs perfectam, cum præſertim aliundè probetur libertatem ſpecificationis in actu fidei poſſe ſupponere evidentiam credibilitatis ſummam ac perfectiſſimam. Ideò.

47. Probatur ſecundò: Intellectus ex ſolâ veritatis evidentiâ non ſolùm quoad exercitium, verùm etiam quoad ſpecificationem neceſſitatur ac determinatur independenter à voluntatis imperio; atqui quomodocumque intellectus ſupponatur habere attentionem ad motiva credendi, & evidentiam credibilitatis ſummam ac perfectiſſimam, non per hoc adeſt veritatis evidentia; ergo non per hoc quoad ſpecificationem neceſſitatur ac determinatur independenter à voluntatis imperio & conſequenter actus fidei præter libertatem exercitij habet libertatem ſpecificationis &c. Minor ſupponitur; major probatur, intellectus neceſſitatur quoad ſpecificationem ſolùm ubi proponitur objectum ſub purâ ratione veri, & manet quoad ſpecificationem liber quoties proponitur verum quodammodo mixtum falſo, ſeù cum imminentiâ & apparentiâ falſi; in objecto enim ſic propoſito imminentia falſi poteſt movere ad diſſenſum, licèt præponderantia veri vehementiùs moveat ad aſſenſum; ſicuti voluntas neceſſitatur quoad ſpecificationem ſolùm ubi proponitur objectum ſub purâ ratione boni, & manet quoad ſpecificationem libera quoties objectum proponitur ſub ratione partim boni, partim mali, licèt ratio boni & major & meliùs appareat; atqui ſolùm ſtante evidentiâ veritatis objectum proponitur ſub purâ ratione veri, ſeù abſque omni imminentia ac apparentiâ falſi; ergo intellectus ex ſolâ veritatis evidentiâ &c. Confirmatur, objectum formale fidei, neque ſecundùm ſe, neque ut ſubeſt motivis evidentis credibilitatis, habet vim determinandi intellectum & neceſſitandi ipſum quoad ſpecificationem; non ſecundùm ſe, quia eſt obſcurum, & oppugnatum gravibus difficultatibus propellentibus intellectum in partem oppoſitam; non ut ſubeſt motivis credibilitatis, quia hæc cum non ſint ratio aſſentiendi, non reſpiciunt immediatè aſſenſum, ſed judicium de dignitate & congruentiâ aſſenſus, ad quod permitto motiva illa ſufficienter determinare; at cum tali judicio adhuc intellectus poteſt diſſentiri, quia poteſt ex parte diſſenſus repræſentari agens bonum utile aut delectabile, quod voluntas malit, quam bonum honeſtum relucens in dignitate & congruentiâ aſſenſus; ergo à primo ad ultimum actus fidei ſemper eſt liber quoad ſpecificationem. 48.

Dices: Objectum fidei, ut ſubſtans motivis evidentis credibilitatis non eſt diſcredibile; ergo actus fidei circà tale objectum non elicitur cum potentiâ diſcredendi & libertate ſpecificationis; conſequentia patet, quia potentia diſcredendi ferretur extrà ſuam rationem formalem diſcredendo objectum non diſcredibile; antecedens probatur; Objectum fidei, ut ſubſtans motivis evidentis credibilitatis, non habet motiva diſcredibilitatis; atqui ſine iſtis non eſt diſcredibile, & voluntas, ſicuti non poteſt imperare intellectui quod judicet aſtra eſſe paria v. g. ſine ullo motivo id judicandi, ità nec quod diſcredat ſine ullo motivo diſcredendi; ergo. Sed contrà: Objectum ut ſubſtans motivis evidentis credibilitatis non eſt diſcredibile ex vi talium motivorum, quæ certè nequeunt movere ad diſcredendum; eſt tamen diſcredibile aliundè, & habet aliundè diſcredibilitatis motiva, & ſunt

49. *Objectum fidei divinæ habet motiva diſcredibilitatis, imprudentis tamen.*

ſunt omnia argumenta, omniaque fundamenta militantia adversùs res fidei; quæ quidem licèt cum motivis credibilitatis comparata debiliora ſint, & leviſſima, nec poſſint inducere diſcredibilitatem prudentem, etiam tamen ſic accepta ſufficiunt ad diſcredibilitatem imprudentem, quam poteſt intellectus habere de objecto minùs diſcredibili ſicut, & credibilitatem imprudentem de objecto minùs credibili, ut attigimus *c. præced. n. 46.*

Urgebis: motiva credibilitatis in fide divina robuſtiora ſemper ac vehementiora ſunt, quàm in fide humana, atqui in hac aliquando ſunt robuſta adeò ac vehementia, ut intellectus neque imprudenter poſſit diſcredere & neceſſitetur quoad ſpecificationem; ergo à fortiori ſic ſe habet relatè ad motiva fidei divinæ; minor probatur experientiâ, qua conſtat nos non poſſe diſcredere ea, quæ omnes communiter teſtantur, puta Conſtantinopolim eſſe; imò nec mortem Amici, de quâ teſtis fide dignus ad nos ſcribat, undè etiam nemo requirit piam voluntatis affectionem, ut non diſcredamus, aut etiam ut credamus ea, quæ paſſim legimus apud graves Auctores.

50. Objectum fidei humanæ aliquando omni prorsùs motivo diſcredibilitatis caret.

Sed contrà: conceſſa majore & data minore, nego conſequentiam eò quod non ſint cætera paria; nam circà ea, quæ creduntur fide humanâ, aliquando intellectus nullum prorsùs habet motivum diſcredendi, cum faciliima ſint & nemine contradicente proponantur; ſecùs in fide divina ubi quæ creduntur, plura quoad objectum materiale, omnia quoad formale, ardua ac ſuprà humanum captum exiſtunt, nec ſine multis contradicentibus, ut magis expendunt Arriaga *diſp. 17. num. 12.* & Maſtrius *præcit. q. 8. n. 257.*

Aſſert. 4. Imperium voluntatis, à quo pendet & quo indiget actus fidei, debet eſſe poſitivũ, nec ſufficit negativum ſitum in non reſiſtentia, ſeù non renitentiâ. Ità Suarez *præcit. ſect. 6. num. 7.* Amicus *ſect. 5. n. 71.* Madernus *quæſt. 2. art. 5. n. 4.* cæterique communiter contrà nonnullos Scotiſtas arbitratos ſe ſentire cum ſuo Doctore, qui certè *in 3. diſt. 25. quæſt 2. §. Ideò dico verſic ſed poſita* eis multum favet, nihilominus quia tum in verbis ſequentibus, tum in calce quæſtionis præcedentis propendet in imperium poſitivum, ſtant pro hoc, & pro noſtro aſſerto, multi etiam Scotiſtæ, & quidem meliores: ut obſervat Maſtrius *præcitat. q. 8. n. 244.*

51. Imperium, à quo pendet actus fidei, debet eſſe poſitivum.

Probatur primò ex eo quod imperium, à quo pendet actus fidei, tùm in relatis verbis Concilij Arauſicani, tùm in conſueto modo loquendi Theologorum, appellatur affectus credulitatis, ſeù pia affectio, quod malè quadraret in imperium negativum & puram non reſiſtentiam: In verbis item relatis ex Tridentino ly *liberè moventur in Deum* videtur omninò importare poſitivam voluntatis motionem, non permiſſionem præcisè.

Probatur ſecundò ratione. Imperium voluntatis, à quo pendet actus fidei debet determinare intellectum ex ſe indifferentem, tùm ad exercitium, tùm ad ſpeciem actus, ut habetur ex hucuſque dictis; atqui ad determinandum intellectum requiritur imperium poſitivum, nec negativum ſufficit; hoc enim relinquit intellectum, ſicut erat anteà, adeòque relinquit indifferentem, ſi erat anteà indifferens: & voluntatem nõ reſiſtere determinationi non eſt voluntatem cauſare determinationem, ſed eſt ſupponere hanc cauſati aliundè, at in propoſito non poteſt determinatio aliundè cauſari, quia nec ab objecto, nec ab intellectu ipſo, ut jam probatum eſt, ergo. Neque dicas objectum fidei non poſſe quidem intellectum determinare abſolutè, poſſe tamen ex ſuppoſitione quod voluntas non reſiſtat, adeò ut hæc non reſiſtentia, quamvis non ſit ratio per ſe ipſam determinans, ſit conditio neceſſaria, ut objectum determinet. Contrà enim: objectum fidei non poſſe intellectum determinare abſolutè provenit ex eo, quod careat evidentiâ veritatis, quæ ſola eſt ratio ex parte objecti determinans intellectum ad aſſenſum; atqui ex ſuppoſitione, quòd voluntas non reſiſtat ſeù poſita non reſiſtentiâ, adhuc objectum fidei caret evidentiâ veritatis; ergo adhuc nequit determinare. Neque urgeas: etiam poſito imperio poſitivo adhuc objectum fidei caret evidentiâ veritatis; ergo poſito tali imperio adhuc intellectus non determinabitur.

52. Contra enim concedo antecedens, diſtinguo conſequens, adhuc intellectus non determinabitur ab objecto ipſo præcisè, concedo; ab objecto ipſo, & imperio poſitivè impellente, & concauſante determinationem, nego conſequentiam.

53. Debet item eſſe ſupernaturale.

Aſſert. 5. Imperium voluntatis à quo pendet, & quo indiget, actus fidei debet eſſe ſupernaturale. Ita Amicus *diſp. 10. ſect. 6.* Arriaga *diſp. 17. ſect. 4.* Madernus *q. 2. art. 3 n. 7.* Gabriel à S Vincen *diſp. 1. dub. 3. §. 1.* cæterique Theologi communiter contrà Semipelagianos, qui tribuerunt viribus arbitrij initium ſalutis & hoc præcipuè collocarunt in voluntate credẽdi: Item contrà nonnullos Catholicos infrà afferendos *n* 55. requirentes ſupernaturale imperium duntaxat ad primum fidei actum, non ad ſecundum, & tertium.

Probatur ex eo quod Concilium Arauſicanum ſuprà relatum ait affectum credulitatis (cum quo coincidit imperium voluntatis, de quo in præſenti) dari Spiritus Sancti inſpiratione, & Tridentinum pariter relatum ait homines, dum liberè moventur (quæ libera motio habetur per aſſertum voluntatis imperiũ) ad credendum, excitari & adjuvari divinâ gratiâ; quæ parùm accommodatè dicerentur de imperio & actu naturali. Ratio etiam meriti, quæ communiter tribuitur actui fidei juxta illud Rom. 4. *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam* ægrè ſubſiſteret cum naturali voluntate credendi, ab hac enim ſicuti fides habet libertatem ità & rationem meriti; meritum autem apud Deum, & cum debeat eſſe ſupernaturale, ægrè haberi poteſt ex actu naturali; vnde obiter confirmatur præaſſerta inſufficientia imperij negativi, enimverò voluntas negativa nequit eſſe meritoria tùm quia non eſt ſupernaturalis, tũ quia eſt pura omiſſio, à quâ *tract. præced lib. 4. c. 6. §. 7.* excluſimus omnem rationem meriti. Accedit quod per nos actus fidei multũ firmatur ex volũtatis

imperio & ab hoc maximè habet, quod certitudine ſuâ omnem naturalem certitudinem ſuperet, neceſſe eſt igitur imperium ipſum eſſe ſuprà omne imperium naturale, ſeu eſſe ſupernaturale. Tandem proxima proportio, determinata connexio, & efficax conducentia

Et quidem in ſubſtantiâ.

ejuſdem imperij ad aſſenſum fidei, ſuadet utrumque eſſe in eodem ordine, & eſſe ſupernaturale imperium ſicuti *ex ſeq.* §.8. eſt ſupernaturalis aſſenſus; imò ſicuti iſte eſt ſupernaturalis in ſubſtantiâ, ità & illud; quod ſufficiat pro nunc indicaſſe; nequit enim ex profeſſo tractari ſine perfectâ notitia ſupernaturalitatis in ſubſtantia & ſupernaturalitatis in modo tradendâ eo §.8.

55\. **Reſpectu cujuſcumque actus ſivè primi, ſivè ſecundi, & tertij.**

Tota probatio mox poſita, præſertim ut ratione nititur, procedit de quocumque prorsùs actu fidei, nam in quocumque prorsùs actu fidei reperiuntur meritum apud Deum, & certitudo major qualibet certitudine naturali, quæ ſunt duo media conſtituentia mox poſitam probationem: Idcircò non placet limitatio quam in præſenti adhibent Maſtrius *diſp.*6.*quæſt.*8.*num.*247. Aretinus *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.*2.*art.*1. & nonnulli alij Scotiſtæ, quibus accedit Suarez *diſp.*6.*ſec.*7.*n.*6. requirentes ſupernaturale imperiũ pro primo actu fidei, non pro ſecundo, tertio, & alio quocumque, adeò ut eo imperio quis indigeat ſolùm quando primo convertitur ab infidelitate ad fidem, non quando jam eſt habitualiter credens & ad credendum aſſuetus: Afferunt autem pro hac limitatione primo experientiam, quâ experimur circa myſteria, quæ aſſueti ſumus credere, ex ſolâ applicatione ad cogitandum & excitatione ſpecierum, nos illicò elicere actus fidei quaſi per modum naturæ & nullo expectato voluntatis imperio: Afferunt ſecundò rationem, quia inquiunt habitualiter credens habitu ducitur ad credendum, ſicque actus ſecundò aut tertiò elicitus evadit ſupernaturalis ex vi habitus; at qui primò credit caret habitu, ideò ſi careat quoque ſupernaturali voluntatis imperio, nullum habebit ſibi intrinſecum principium ſupernaturale, ex quo efficiatur ſupernaturalitas actus. Deindè qui ſecundò & tertiò credit, ſupponit præceſſiſſe pro primo actu credendi ſupernaturale imperium, in cujus virtute ſecundus & tertius actus ſufficienter denominantur liberi, at qui primò credit non ſupponit præceſſiſſe pro ullo alio actu ſupernaturale imperium, ideò

56\. tale imperium requirit pro ipſo primo actu

ut liberè credat. Sed contrà: Ad experientiam dico, etiam in aſſuetis credere imperium voluntatis, quamvis forte aliquando non percipiatur, nunquàm deeſſe; quod aliquando non percipiatur provenit ex facilitate, qua elicitur ab eo, qui poſtquàm ſæpius credidit, non indiget ampliùs examinare & expendere argumenta credibilitatis, quæ ſunt motiva voluntatis credendi & ſupernaturalis imperij: Quod nunquàm deſit, arguitur ex probatione jam poſitâ, & inſuper ex eo, quod circà ea, quæ aſſueti ſumus credere etiam poſitâ excitatione ſpecierum & applicatione ad cogitandum, adhuc intellectus manet indeterminatus & liber ad aſſenſum, adhuc ergo indiget determinari ex voluntatis imperio. Ad rationem dico eum, qui caret habitu, actuali auxilio ſupplente habitum duci ad credendum eo modo, quo per Adverſarios habitu ducitur habitualiter credens: Cæterùm quid ſit habitualiter credentem habitu duci ad credendum, ſeu operari ex habitu, ut propterea

excludatur imperij neceſſitas, difficillimum 57.

eſt: Si enim nihil aliud ſignificetur quàm concurſus habitus infuſi fidei, cum hic infundatur in baptiſmo, quicumque poſt baptiſmum primò credit, habitu decretum ad credendum ſicque nec ad primum fidei actum dabitur neceſſitas ſupernaturalis imperij: Si ſignificetur concurſus habitus ſupernaturalis acquiſiti per primum ſupernaturalem actum, ſupponitur res valdè controverſa, & eâ datâ ſubſequentes actus fidei, ſicuti adhuc eliciuntur liberè & cum certitudine excedente omnem certitudinem naturalem, imò & quodammodò ſuperante exigentiam motivi obſcurè propoſiti, ità adhuc indigent poſitivo & ſupernaturali voluntatis imperio. Quod poſtremò afferebant Adverſarij dicentes ſecundum & tertium actum poſſe eſſe liberum ex vi imperij, quod præceſſit pro primo, impugnatur, quia imperium quod præceſſit & nunc non eſt, pro nunc ità ſe habet ac ſi nunquàm fuiſſet, nec poteſt quidquam nunc operari. Quod ſi ſupponas imperium, quod præceſſit, virtualiter perſeverare, nihil aliud dicis quàm pro ſingulis fidei actibus non eſſe neceſſaria diſtincta imperia, ſed poſſe ex vi unius imperij ad plures actus ſimul terminati, & in ipſa actuum ſucceſſione virtualiter perſeverantis ſucceſſivè elici plures actus; at hoc non eſt præſens intentum Adverſariorum, contrà quos plura videri poſſunt apud Arriagam *diſp.*17 *ſec.*1. *& ſec.*2. *ſubſec.*3.

Ex eo, quod hucuſque oſtenſum eſt fidem imperari debere ab actu ſupernaturali, omninò ſequitur eam imperari non poſſe unicè & immediatè ab actu malo; ſi enim fides ex unâ parte imperaretur ab actu ſupernaturali, & ex aliâ imperaretur unicè ac immediatè ab actu malo, daretur actus ſupernaturalis ex ſe præciſe & ex proprio objecto malus; ſicque ordo ſupernaturalis non foret ampliùs ordo divinus ac proprius ſanctitatis & gratiæ. Dixi *unicè & immediatè*, nam utrum fides poſſit ab actu malo imperari partialiter aut mediatè; partialiter quidem, quatenus quis cum piâ credulitatis affectione habeat volitionem inanis gloriæ & ex utrâque determinetur ad fidem; mediatè quatenus ipſa pia affectio ſupernaturalis ab actu malo imperetur eſt diverſa difficultas, ad quam affirmativè reſpondet Arriaga *præcit. diſputat.* 17. *ſec.*4. *ſubſec.* 4. etiamſi acriter antea ſuſtinuerit fidem debere à ſupernaturali actu imperari. Nihilominus exiſtimo negativè occurrendum eſſe difficultati quoad utramque partem, & dico actum fidei, nec partialiter, nec mediatè, poſſe imperari ab actu malo; ratio eſt quia imperium malum etiamſi, aut partiale tantùm aut mediatum, vel refunderet malitiam in actum ipſum fidei, vel non: Si primum dicatur, ergo actus ipſe fidei eſſet malus & quidem

58\. **Imperium actus fidei non poteſt eſſe actus malus.**

Etiamſi ſermo ſit de imperio aut partiali, aut mediato.

quidem ſimpliciter quia malum ex ſingulis defectibus, nec ei ſuffragaretur bonitas proprij objecti, quia hæc ut conjuncta cum circumſtaotiâ malâ non eſt apta bonificare moraliter actum; atqui repugnat actum fidei eſſe malum, & quando non obſtante propriâ ſupernaturalitate malus eſſe poſſet unicè & immediatè, nedum partialiter & mediatè ab actu malo imperabilis. Si ſecundum dicatur, ergo actus malus, qui ſupponitur partialiter aut mediatè imperans non eſt verè imperans, quia de ratione actus verè imperantis eſt, quod libertas ipſius afficiat actum imperatum, & iſte ſit magis liber libertate actus imperantis, quàm libertate propriâ; bonitas autem & malitia moralis maximè conſequitur libertatem, nec poteſt unus actus refundere in alium propriam libertatem quin ſimul refundat propriam aut malitiam aut bonitatem; actus igitur malus, qui in alium non refundet ſuam malitiam, neque etiam refundet ſuam libertatem, ac per conſequens non erit verè imperans, & poſitivè determinans; ſed ad ſummum negativè ſe habens, tamquàm removens prohibens.

60. Dices: poteſt quis cum piâ affectione habere actum tendentem in vanam gloriam, aut in lucrum temporale, & tùm ab actu piæ affectionis, tùm ab hoc alio actu moveri ad credendum; atqui hoc eſt fidem imperari partialiter ab actu malo; ergo, probatur major quoad ſecundam partem primò, quia poteſt quis eſſe taliter diſpoſitus, ut niſi adeſſet motivum vanæ gloriæ, aut lucri temporalis, ſuſpenderet piæ affectionis actum; ſecundò quia poteſt quis moveri ad ſuſcipiendum ſacramentum tùm ad obediendum Eccleſiæ, tùm ad ſervandam in alijs bonam ſui exiſtimationem; ſuſceptio autem ſacramenti involuit ſupernaturalem actum doloris: tertio quia Auguſtinus *lib. de catechizandis rudibus cap.* 17. ait *Sunt qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, ut aut promereantur homines à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt; quos timent*; atqui velle eſſe Chriſtianum eſt imperare actum fidei, ergo ex mente Auguſtini poteſt fides (ſubintellige ſaltem partialiter) imperari ab actu malo. Sed contrà ut ab Auguſtino incipiam, Arriaga *præcit. ſubſec.* 4. *num.* 47. quamvis alioqui nobis adverſetur, fatetur tamen longè aliam eſſe Auguſtini mentem adeò ut per ly *volunt eſſe Chriſtiani* non intelligat volunt efficaciter elicere actum fidei, ſed volunt ſeriò baptizari; poteſt autem quis etiam adultus ſeriò, ac validè baptizari, abſque eo quòd eliciat actum fidei; aut ullum alium actum ſupernaturalem; quo ſe diſponant ad juſtificationem & fiant verè Chriſtiani interiùs; undè de illis ſtatim ſubdit Auguſtinus quod reprobi ſunt, & in areâ poſſunt eſſe cum frumento Dei, at cum iſto non erunt in horreo; & clariùs *eod. lib. cap.* 5. loquens de intentione actu fidei docuerat nullum velle fieri Chriſtianum, niſi aliquo timore Dei perculſum, eos verò qui id volunt aut ſpectando aliquod commodum, aut devitando aliquod incommodum ab hominibus, fingere potiùs, quàm velle, quia *fides non res eſt ſalvandi corporis, ſed credentis animi.* Expedit. Auguſtini auctoritate redeo ad inſtantiam, & dico benè poſſe cum piâ affectione ſimul eſſe prauum actum inanis gloriæ juxtà generalem doctrinam, quâ (ut nos ipſi attigimus *tract. præced. lib.* 4. *cap* 6. *num.* 54.) poteſt quis ſimul elicere duos actus 61.
unum undequaque bonum, alium undequaque malum, at falſum eſt illum inanis gloriæ actum poſſe movere ad credendum; ſicque concesſâ primâ parte majoris nego ſecundam; ad cujus primam probationem dico ſolum inferri, quòd inanis gloria poſſit ſe habere negative & ut removens prohibens, non ut poſitivè movens, & propriè imperans aut piam affectionem, aut actum fidei: Ad ſecundam dico vanam cupiditatem ſervandæ, aut augendæ bonæ exiſtimationis, poſſe negativè ſolùm, non poſitivè movere ad ritè ſuſcipiendum Sacramentum, & ad eliciendum ſupernaturalem dolorem, & foret ſacrilega, ac ſine ſupernaturali dolore, Sacramentalis confesſio, in quâ quis haberet inanem gloriam pro fine partiali formaliter intento & poſitive movére, ut magis explicat Eſparza *de act. hum. lib.* 3. *quæſt.* 28. *ad* 3. ubi etiam *art.* 5. tradit quid ſit finem movere pure negative. Interim diſplicet immorari circà rem non propriam hujus loci, & in quâ diſcurrendum eſt juxtà doctrinam generalem, quâ quiſque affirmat in univerſum, aut negat, actum bonum præſertim ſupernaturalem pendere poſſe ab imperio pravo; nos propendemus in partem negativam, quàmvis etiam pars affirmativâ ſua probabilitate non careat, & fortè non pauciores pro ſe Auctores habeat, quàm negativa; ut videre eſt apud Oviedum 1. 2. *tractat.* 4. *controv.* 7. *punc.* 1.

Finis prauus poteſt negativè, non poſitivè, movere ad actum bonum.

---

§. V.

Vtrùm actus fidei requirat piam affectionem non actualem tantùm, verùm etiam habitualem: & vtrùm de potentiâ abſolutâ utraque ſit ſupplebilis à Deo?

ASSERT. 1. fidei actus requirit piam affectionem etiam habitualem, actui ſcilicet piæ affectionis correſpondet in voluntate ſpecialis habitus. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 4. *art.* 2. *in c. & ad* 2. Joannes à S. Thomâ *diſp.* 3. *artic.* 3. Richardus *in* 3. *diſt.* 23. *artic.* 6. *quæſt.* 1. Medina *lib.* 4. *de recta in Deum fide cap.* 2. Suarez *diſp.* 7 *ſec.* 2. Amicus *diſp.* 10. *ſec.* 7. Arriaga *diſp.* 17 *ſec.* 5. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 3. *num.* 15. cæterique magis communiter, contrà Scotum *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2 Henricum *quodlib.* 5. *qu.* 21. Cajetanum *hic quæſt.* 4. *art.* 2. Maſtrium *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *art.* 2. Uvlpium *diſp.* 33. *art.* 4. Vaſquium 3. *p. quæſt.* 7. *art.* 3. *in comm.* alioſque non paucos præſertim ex ſchola Scotiſtica, qui tamen non omnes eodem nituntur fundamento; nam aliqui Scotiſtæ negant omnem habitum piæ affectioni correſpondentem eò quod negent hanc eſſe ſupernaturalem & velint 62.

Actui piæ affectionis correſpondet in volútate ſpecialis habitus.

lint pro fide ſufficere imperium aut naturale aut negativum. Henricus pariter & Cajetanus id ſentiunt de fide informi, eò quod huic tribuant naturale imperium, fidem deinde formatam volunt ſemper imperari à charitate, & pro ipſa admittunt ſupernaturale imperium at non aliunde proveniens, quàm ab habitu charitatis. Vaſquez movetur ex eo quòd putet ſedatis paſſionibus, quod fit per alias virtutes, actum fidei ſtatim elici nullo expectato voluntatis imperio. Maſtrius negativè procedit impugnando omnem habitum pro piâ affectione aſſignabilem, & ad ſalvandam à ſe admiſſam ſupernaturalitatem piæ affectionis non aliud ſupernaturale principium agnoſcit ex parte voluntatis, quàm actuale auxilium.

63. Probatur aſſertum primò ex eo, quòd omnia mox relata Adverſariorum fundamenta nitantur falſo ſuppoſito: falſum enim eſt ex ſupradictis ſufficere pro actu fidei, quamvis informi, imperium aut naturale aut negativum: falſum item eſt ſedatis paſſionibus actū fidei ſtatim elici abſque ullo imperio, iſtud enim requiritur ad determinandam libertatem & firmandam certitudinem actus fidei, qui certè ſedatis paſſionibus non elicitur aut ſine libertate aut cum minori certitudine. Falſum tandem eſt non eſſe aſſignabilem pro pia affectione ullum ſpecialem habitum, imò mox aſſignabitur, & piæ affectionis actus eſſet deterioris conditionis; quàm cæteri omnes actus ſupernaturales, ſi ſemper procederet à ſolo actuali auxilio, & ſemper careret principio connaturali ac permanente. Hinc

Probatur aſſertum ſecundò. Actus piæ affectionis eſt ſupernaturalis, & determinatæ ſpeciei; ergo quâ ſupernaturalis requirit potentiam factam ſupernaturalem per habitum non minùs, quàm cæteri actus ſupernaturales; quâ determinatæ ſpeciei requirit habitum ſpecialem, cujus proprium ſpecificativum ſit honeſtas reperta in hoc; quod eſt velle firmiter credere divino teſtimonio ſufficienter, licèt obſcurè, propoſito; ergo fidei actus requirit piam affectionem etiam habitualem, actui ſcilicèt piæ affectionis, &c. Confirmatur ratione deſumptâ ex D. Thoma *præcit. art.* 2. Perfectio actus, qui à duobus principiis pendet, requirit quod utrumque principium perfectum ſit; atqui actus fidei pendet à duobus princiis, ab intellectu ſcilicet & voluntate, ab illo ut eliciente, ab iſtâ ut imperante; ergo requirit, quòd tùm intellectus, tùm voluntas, ſint principium perfectum; conſtituuntur autem intellectus & voluntas in ratione principij perfecti per habitum ſibi inhærentem: ergo.

Dices ex Scoto *præcit. quæſt.* 2. *ad* 2. ut potentia motiva moveat inſtrumentum artificiale ad ſcindendum ſufficit perfecta diſpoſitio, ſcilicet acuties, in ipſo inſtrumento, nec requiritur ulla diſpoſitio in potentia: ergo ſimiliter ut voluntas moveat intellectum ad credendum, ſufficit habitus infuſus in ipſo intellectu, nec requiritur proportionalis habi-

64. tus in voluntate. Sed contrà: Paritas, præterquam eſt valdè à longè petita, deficit in aſſumpto, ad benè enim ſcindendum requiritur non ſolùm acuties tanquam perfecta diſpoſitio inſtrumenti, ſed etiam habitus artis in movente, tanquam perfecta diſpoſitio potentiæ, ut enim ait D. Thomas *præcit art.* 2. Non benè poteſt ſecari, niſi & ſecans habeat artem, & ſerra ſit benè diſpoſita ad ſecandum.

Exemplum Scoti contra ipſum militat.

Aſſert. 2. Specialis habitus correſpondens piæ affectioni & virtus à cæteris diſtincta, quæ proprio nomine dici poteſt credulitas: Ità Suarez Amicus Arriaga locis præcitatis, aliique plures contra Bonaventuram *in* 3. *diſt* 23. *art.* 1, *quæſt.* 2. Alenſem 3. *part. quæſt.* 66. *memb.* 8. Madernum *præcit. num.* 15. tribuentes piam affectionem ipſimet habitui fidei, quem volunt, tùm in intellectu, tùm in voluntate recipi: Molinam *in Concord. quæſt.* 14. *diſp.* 8. §. *Hic etiam breviter.* Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp.* 6. *ſect.* 6. Valentiam *hic diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. §. *Sit ne fides ad* 3. illam tribuentes virtuti ſtudioſitatis Medinam *præcit. cap.* 2. illam tribuentem virtuti obedientiæ; alioſque nonnullos eam tribuentes, aut religioni, aut urbanitati.

Probatur. Pia affectio imperans actum fidei Theologicæ habet proprium objectum formale diſtinctum ab objecto formali cujuſcunque alterius virtutis; ergo habitus ei correſpondens eſt virtus à cæteris diſtincta, cui rectè tribui poteſt credulitatis nomen, utpotè quod eſt deſumptum ex Concilio Arauſicano ſuprà relato, & derivatum ex præcipuo effectu piæ affectionis, qui eſt determinare ad credendum. Majoris probationis gratiâ eſſet hic oſtendendum in particulari, quomodò habitus, quē dicimus credulitatis, differat à ſingulis virtutibus in aſſerto enumeratis: ut præſtant præcipuè Amicus & Maſtrius; at quia res foret prolixior, ſufficiat pro diſtinctione & diverſitate ipſius ab habitu fidei dicere, quod iſte communiter ſumitur pro habitu intellectus & pro virtute purè Theologicâ; talis autem non eſſet ſi ab eo procederet pia affectio, quæ eſt actus voluntatis & non Theologicus, utpotè habens pro objecto honeſtatem credendi repertam in ipſo actu fidei, quæ & ipſe actus fidei ſunt, quid creatum: Pro diſtinctione & diverſitate ejuſdem à ſtudioſitate, obedientiâ, religione, urbanitate, ſatis ſit in univerſum obſervare has omnes eſſe virtutes morales infuſas, quæ in peccatore non perſeverant, in quo tamen, ſicuti perſeverat habitus fidei rectè diſponens intellectum ad eliciendum fidei actum, ità rectè ponitur perſeverare habitus rectè diſponens voluntatem ad fidei actum imperandum: Neque dicas, virtus, quam nos nominamus, credulitatis, licèt diſtincta à reliquis, eſt tamen virtus moralis; ergo quoad non permanentiam in peccatore; eſſet eadem ratio de ipſa, ac de cæteris virtutibus moralibus enumeratis. Contrà enim, Credulitas à nobis aſſerta ita eſt virtus moralis, ut ex propria ratione formali connectatur cum virtute Theologica, & ſit quædam virtutis Theologicæ inchoatio, ſicuti actus ipſius eſt quædam inchoatio actus fidei; ideò eſt ſpecialis ratio ipſam excipiendi à communi lege cæterarum virtutum moralium quoad non permanentiam in peccatore: Quod ſi propter hanc con-

65. Habitus, à quo elicitur pia credendi affectio, eſt virtus credulitatis.

66. Et eſt virtus moralis formaliter, Theologica inchoativè.

nexio

nexionem credulitatis cum fide contendas ex utraque coaleſcere unicam virtutem, quæ partim in intellectu, partim in voluntate, recipiatur, erit quæſtio de nomine, in quâ non multùm contendam, & propterea etiam fortè ſolùm de nomine, & in modo loquendi, à nobis diſcrepat Bonaventura in opinione ſupra relata.

Dices pro omnimodâ indiſtinctione credulitatis ab habitu fidei. Ad eundem habitum pertinet actus directus attingens objectum, & actus reflexus attingens actum directum; atqui pia affectio, quam nos tribuimus habitui credulitatis, nihil eſt aliud, quàm actus reflexus ſuprà actum directum fidei, ſicuti volitio actus prudentiæ, aut temperantiæ, non eſt niſi actus reflexus ſuprà prudentiæ aut temperantiæ actum; ergo pia affectio pertinet ad eundem habitum ad quem pertinet actus directus fidei; nec credulitas, & fides infuſa, ſunt duo habitus in re diſtincti; Major probatur primò, quia ad eandem potentiam pertinet tendere directè in proprium objectum, & reflexè in proprium actum, cum ex objecto & actu, ex illo *ut quod* ex iſto *ut quo* coaleſcat adæquatum ſpecificativum potentiæ; eadem igitur eſt ratio de habitibus præſertim infuſis, qui potentias imitantur: Secundò quia, ſi actus reflexus & directus, imperans & imperatus, non pertinerent ad eundem habitum, pro qualibet virtute morali deberet infundi duplex habitus, alter ad eliciendos, alter ad imperandos actus, alter quo quis vellet eſſe, alter quo eſſet temperans v. g. Imò quia ſuprà quemlibet actum dari poteſt alius, & alius in infinitum, actus reflexus & imperans, ſub qualibet virtute eſſent ponendi plures & plu-
67. res in infinitum habitus. Sed contrà: tranſeat major, quando actus directus & reflexus eliciendi ſunt ab eadem potentia, ſecùs quando à potentiis diverſis, ut in noſtro caſu, in quo pia affectio elicitur à voluntate, fides ab intellectu; ratio eſt quia, quando eliciendi ſunt à diverſis potentiis, non ſe habent propriè tanquã actus directus & reflexus ut monet Maſtrius *præcit. art. 2. n. 276.* nec actus, quo voluntas imperat v. g. temperantiam exercendam ab appetitu ſenſitivo, eſt propriè actus ſuprà temperantiam reflexus. Deinde quando eliciendi ſunt à potentiis diverſis, ſinguli procedunt ſub motivo & modo tendendi diverſo, accommodato potentiæ à quâ eliciuntur; puta actus intellectus ſub motivo veritatis & modo aſſimilativo, actus voluntatis ſub motivo bonitatis & modo impulſivo; quæ quidem rationes, ſicuti ſunt per ſe ſufficientes ad ſpecificandas diverſas potentias, ità & ad ſpecificandos diverſos habitus, quorum univerſalitas non videtur ponenda major univerſalitate potentiarum: Ad primam majoris probationem dico eam procedere de actu directo & actu reflexo eliciendis ab eâdem potẽtiâ, quos

Actus directus & reflexus quando pertineant ad eundem habitum, quãdo non?

68. permitto ad eumdem habitum pertinere. Ad ſecundam dico actum directum & reflexum in virtutibus moralibus, vel utrumque elici ab eâdem potentiâ, ſcilicet à voluntate, & ſic pro utroque ſufficit unus habitus propter rationem diſparitatis jam adductam; vel actum reflexum (ſubintellige minùs propriè ut mox præmonui) ſeu imperantem elici à voluntate; actum directum ſeu imperatum ab aliquâ potentiâ externâ, & ſic ſufficit unicus habitus in voluntate pro actu imperante, quia potentiis externis ad ſuos actus non dantur virtutum habitus, præſertim ſupernaturales. Ad illud, quod addebatur, de reflexione actuum in infinitum procedentium, præter quod tales actus eliciendi eſſent non à diverſis in infinitum potentijs, ſed ab unicâ, dico reflexionem illam eſſe valdè accidentariam & cogitatione quidem concipi poſſe, at exerceri non ſolere, ideò non eſſe habendam ullam ipſius rationem pro habitibus multiplicandis.

Obſervandum eſt hic obiter magnum diſ- 69.
crimen inter actus imperantes & imperatos in materiâ aliarum virtutum & in materiâ fidei; in materia enim aliarum virtutum actus imperans explicat purum exercitium volitionis circà actum imperatum, ſic cum dico *volo habere actum charitatis* explico volitionem conferentem præcisè ad exercitium actus charitatis, in materiâ fidei pia affectio imperans non explicat præcisè exercitium, ſed tribuit quamdam ſpecificationem actui; confert ſcilicet ad augendam perfectionem & certitudinem ipſius. Hincque etiam habetur ſpecialis titulus ponendi diſtinctum habitum pro actu imperante in materiâ fidei potiùs, quàm in materiâ cæterarum virtutum; & ſimul confirmatur, quod jam inſinuavimus, piam affectionem imperantem ad actum fidei imperatum non ſe habere præcisè, ut actum reflexum ad directum.

Obſervandum inſuper actum directum & reflexum etiam, quando ab eâdem potentiâ eodemque habitu infuſo eliciuntur, non eſſe ejuſdem ſpeciei, niſi reductivè, ſi enim eſſent ejuſdem ſpeciei formaliter, eſſet formaliter theologica voluntas diligendi Deum æquè, ac ipſa dilectio, & tamen illa habet pro objecto immediato & proximo aliquid purè creatum. Item actus, quo quis efficaciter vellet actum contritionis, aut amoris Dei, eliciendum poſt quadrantem, eſſet iuſtificativus & expulſivus peccati æquè, ac ipſe Dei amor aut contritio.

Actus directus & reflexus differre ſolent quaſi ſpecie, & ſunt unius ſpeciei ſolũ reductivè.

Dices pro indiſtinctione credulitatis, ſeu piæ affectionis habitualis, ab aliquâ aliâ virtute infuſa morali, præſertim ab urbanitate. Cuilibet virtuti infuſæ reſpondet aliqua ſimilis acquiſita; atqui pro affectione naturali imperante fidem humanam non datur habitus naturalis & aquiſitus credulitatis; ergo ſimiliter propriâ affectione ſupernaturali, vel non datur habitus credulitatis infuſus, vel ſaltem non diſtinguitur ab habitu alicujus alterius virtutis, præſertim urbanitatis, ad quam videtur multùm accedere affectio, quâ hominibus credimus; cenſemur enim urbani ergà aliquem, dum volumus ejus dictis præſtare fidem inurbani dum nolumus, undè dici ſolet, *Credere eſt aulicismus.*
Sed contrà: tranſeat major de virtute infuſâ 70.
purè morali; at credulitas ſupernaturalis

eſt virtus infuſa inchoativè & reductivè theologica, ſequens quodammodò conditionem fidei; ſicuti igitur fidei infuſæ non correſpondet virtus ulla fidei acquiſitæ, ità nec credulitati infuſæ &c. quod ſi loqui velimus de habito, qui non ſit virtus, in ordine ad credendum fide humanâ, non minùs admittam habitum aquiſitum credulitatis in voluntate, quàm habitũ aquiſitũ fide in intellectu. Quod additur de urbanitate eſt valdè voluntariè dictũ, & parum conforme Philoſopho 4. *Etich. c.* 8. docenti ad urbanitatem ſpectare ſolùm moderationem in ludo. Deindè quando in humanis velle credere reduceretur ad urbanitatem, eſſet diverſa ratio in ordine ad Deum; eſſemus enim urbani credendo homini; quia non ſumus certi de eius veracitate; ſumus autem certi de veracitate Dei, qui propterea habet ſummum jus ut ei credatur, & ex hoc capite velle Deo credere deberet reduci ad iuſtitiam potiùs, quam ad urbanitatem, vt obſervat Maſtrius *præcit. quæſt. 9. n. 278.*

Affectio credendi in fide humanâ non ſupponit virtutem acquiſitã & cur?

71. Dubitatur hic: Utrùm ſaltem de potentia abſoluta habitus credulitatis poſſit eſſe indiſtinctus ab aliquo alio habitu infuſo, præſertim verò ab habitu fidei? Reſpondetur affirmativè, & pro reſponſionis explicatione & probatione ſufficit recolere, quæ dicebamos *tract. præced. lib. 3. cap. 1. §. 6.* docentes eſſe poſſibilem habitum, qui ſit per identitatẽ gratia & charitas, charitas & fides, imò qui unus & idem æquivaleat omnibus virtutibus infuſis. Et hinc obiter conijcies, cur aſſertam diſtinctionem habitus credulitatis ab habitu fidei, non probaverimus ex eo, quod ille in voluntate, iſte in intellectu ſubiectetur, ab hac ſcilicet probatione abſtinuimus, quia militaret pro diſtinctione utriuſque habitus etiam in ordine ad potentiam abſolutam, eſſet igitur probatio nimia, adeòque imbecillis, ut magis oſtendimus *præcit. §. 6. n. 67.*

Divinitùs credulitas & fides infuſa poſſunt eſſe unicus habitus.

Aſſert. 3. Pia affectio habitualis ſeù credulitatis habitus eſt à Deo ſupplebilis de potentiâ abſoluta, imò & aliquando ſuppletur de facto: Non ſic eſt ſupplebilis, ſalva libertate actus fidei, pia affectio actualis, ſeù piæ affectionis actus.

72. Probatur prima pars ex communi lege cæterorum habituum ſupernaturalium, quorum influxus & activitas in ordine ad proprios actus ſuppleri à Deo poteſt imò ſuppletur de facto, quoties tales actus eliciuntur à principio deſtituto ſopernaturalibus donis, & infuſis habitibus, ut eſt in ordine ad habitus charitatis & virtutum moralium omnis peccator, in ordine ad habitum fidei & credulitatis omnis infidelis; qui propterea actum piæ affectionis, quo primò vult credere elicit dependenter non ab habitu, ſed ab actuali auxilio ſupplente habitum; & divinitiùs poſſet id evenire etiam in fideli & iuſto, in quo Deus aut auferret credulitatis habitũ, aut ſuſpenderet eius concurſum non impedito piæ affectionis actu. Porrò ſuplementum talis habitus, quod connaturaliore modo & de facto præſtatur per auxilium actuale intrinſecum, poſſet modo magis extraordinario & minus connaturali præſtari per extrinſecam aſſiſtentiam, pro quo ſufficit repetere quæ de lumine gloriæ per ſimilem aſſiſtentiam ſupplebili dicebamus *tract. 1. lib. 2. cap. 3. §. 5.*

Pia affectio habitualis in ordine ad fidei actum eſt a Deo ſupplebilis: & quomodò?

73. Probatur & explicatur ſecunda pars: Duplex eſt excogitabilis modus, qui à Deo ſuppleatur piæ affectionis actus: Primus, quatenus Deus producat ſe ſolo talem piam affectionem in creatâ voluntate, aut ſine pia affectione producat pariter ſe ſolo aſſenſum fidei in creato intellectu; & hic modus eſt omninò repugnans ex generica ratione actus vitalis, cui eſſentiale eſt produci à potentia vitali, nec poſſe advenire purè ab extrinſeco, ut aliundè ſuppono. Secundus, quatenùs ſuppleat modo non vitali determinationem illam & quaſi ſpecificationem, quam actui fidei tribuit pia affectio vitalis, ſuppleat, inquam, imprimendo intellectui qualitatem aliquam mortuam determinativam ipſius in genere efficientis ad aſſenſum fidei, ad quem pariter in genere efficientis aut quaſi efficientis determinat pia affectio, propriæque voluntatis imperium: & hic modus, quamvis, ut docent Amicus *diſp. 10. ſec. 5. num 72.* Arriaga *diſp. 17. ſec. 3. num. 17.* Madernus *quæſt. 2. art. 3. num. 6.*, non ſit impoſſibilis ſimpliciter, non eſt tamen poſſibilis ſalvâ libertate actus fidei, nam determinatio ad credendum, ad quam non concurrit propria credentis voluntas, non poteſt eſſe credenti libera, cum nullus ſit liber in eo, ad quod non concurrit per potentiam formaliter liberam, qualis eſt in unoquoque ſola propria voluntas; ergo à primo ad ultimum non eſt ullo modo à Deo ſupplebilis ſalvâ libertate actus fidei pia affectio actualis, quamvis ſit ſupplebilis ſimpliciter & non ſalvâ libertate; Utrùm deinde actus fidei, qui eliceretur non ſalva libertate eſſet ſpecie diverſus ab actu fidei libero, quem elicimus ex propriæ voluntatis imperio? pendet ab eo, quod in univerſum libertas aſſeratur eſſentialis & intrinſeca, vel accidentalis & extrinſeca actibus liberis.

Non ſic eſt ſupplebilis pia affectio actualis ſalvâ libertate actus fidei.

---

§. VI.

An & Quomodò aliquis actus fidei ſit ad ſalutem adultorum neceſſarius Vbi quid neceſſitas medij, Quid neceſſitas præcepti?

ASSERT. 1. Admittenda eſt in ordine ad ſalutem neceſſitas alia medij, alia præcepti. Illa eſt neceſſitas rei per ſe ac poſitivè in ſalutem influentis ad modum medij in finem, iſta eſt neceſſitas rei quaſi per accidẽs & negative ad ſalutem conducentis per modum removentis prohibens. Ità Theologi communiter contrà Vulpium *diſp. 35. art. 5.* non agnoſcentem neceſſitatem ullam medij diverſam à neceſſitate præcepti. 74.

Probatur & explicatur aſſertum: Dantur aliqua ad ſalutem neceſſaria ſimpliciter, quæ per ſe cauſant primam gratiam, ſine quâ de lege ordinariâ nullo modo poteſt haberi ſalus & hujuſmodi ſunt Baptiſmus, Contritio, Auxilia

Explicatur neceſſitas medij & neceſſitas præcepti in ordine ad ſalutem.

xiliа actualia: dantur aliqua alia ad ſalutem neceſſaria ſecundùm quid, quæ ſupponunt primam gratiam, & ſufficientem ſalutis cauſam; ſi tamen ponantur, utilia ſunt & removent prohibeos ac impedimentum ſalutis, quod ex illorum tranſgreſſione ſeu voluntaria omiſſione reſultaret; ſic jejunium quadrageſimale, communio paſchalis, ſupponunt aut ſaltem ex ſe non cauſant primam gratiam, ſi tamen voluntariè omittantur inducunt culpam expulſivam gratiæ, & impeditivam ſalutis: Illa dicuntur neceſſaria neceſſitate medij, iſta neceſſitate præcepti, & in utriſque ad diſcrimen mox traditum, quod præcipuum ac
75. primarium eſt, conſequuntur aliqua alia minora & ſecundaria diſcrimina, puta quod quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, quomodocumque deſint, etiam ex impotentia aut ignorantiâ invincibili, obſunt ſaluti; ſeeùs quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, impotentia enim, aut ignorantia invincibilis, ſicuti excuſat ab obligatione præcepti ita & à neceſſitate ipſius ad ſalutem: Quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij locum habent etiam in carentibus uſu rationis, & cadunt etiam ſuprà res nobis non liberas, dummodò poſitivæ ſint; quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti locum habent ſolùm in adultis, quibus ſolis poſſunt præcepta imponi, & cadunt tantùm ſuprà ea, quæ nobis ſunt libera, ſive deindè ſint actus poſitivi, ſivè omiſſiones, & carentiæ actuum; hæc enim omnia, & ſola, poſſunt eſſe præceptorum materies: Tandem quod eſt neceſſarium neceſſitate medij conducit ad ſalutem poſitivè & eſt neceſſarium ob connexionem ſui ipſius cum ſalute; quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti conducit ad ſalutem potiùs negativè, & eſt neceſſarium ob connexionem omiſſionis ſui cum omiſſione ſalutis.

Dices hæc omnia eſſe aut falsò aut gratis excogitata: enimverò in primis nihil eſt in ſalutem per ſe influens eamque per ſe cauſans, quia quidquid à nobis ponatur in ordine ad ſalutem, adhuc poteſt Deus ſalutem negare & ſalus ideſt beatitudo noſtra eſt bonum infinitum ac increatum, quod non poteſt ab ullâ re creata per ſe cauſari: Deindè baptiſmus enumeratus eſt inter neceſſaria neceſſitate medij, & tamen à neceſſitate baptiſmi excuſat impotentia; ſufficit quippe ad ſalutem baptiſmus in voto, quoties non poteſt ſuſcipi in re. Tandem fruſtra inducitur ad ſalutem alia neceſſitas, quàm præcepti, primò, quia *Matth.* 19. Chriſtus Dominus requiſitus de neceſſariis ad ſalutem omnia revocavit ad obſervantiam præceptorum dicens *ſi vis in vitam ingredi ſerva mandata*: ſecundò quia quidquid aſſignetur pro neceſſitate medij eſt pariter neceſſarium neceſſitate præcepti; nihil enim magis cuique præcipitur, quam quod procuret ſalvari, adeóque quàm quod adhibeat media ad id neceſſaria: Tertiò quia neceſſarium neceſſitate medij eſt tale ex ordinatione Dei; atqui ordinatio Dei utpotè ordinatio Superioris habet vim præcepti; ergo quidquid eſt neceſſarium neceſſitate medij eſt pariter tale neceſſitate præcepti; ergo à primo ad ultimum neceſſitas medij vel non datur, vel à neceſſitate præcepti non diſtinguitur. Sed contrà: non tollitur influxus, & cauſalitas per ſe, ex eo quod Deus poſſit nega- 76.
re effectum de potentia extraordinariâ, nam præſtare hoc poteſt etiam reſpectu cauſæ naturalis & neceſſariæ cui tamen nemo non concedet influxum & cauſalitatem per ſe in proprium effectum, atqui ſi ponamus media neceſſaria ad ſalutem Deus poteſt hanc negare ſolùm de potentià extraordinaria ideò, &c. Quod dicebatur ſalutem ſeù beatitudinem noſtram eſſe bonum infinitum & increatum, verum eſt de beatitudine objectivâ, non de beatitudine formali; iſta igitur poterit ab aliquo creato per ſe cauſari. Quòd à neceſſitate baptiſmi in re excuſet impotentia, verum eſt ſolùm reſpectu adultorum, quos tamen nihil excuſat à neceſſitate baptiſmi in voto; & quando baptiſmus dicitur neceſſarius neceſſitate medij, relatè ad parvulos id procedit de baptiſmo in re; relatè ad adultos id procedit de baptiſmo vel in re vel in voto.

Ad poſtremum dico præſertim in parvulis præceptorum incapacibus liquidò apparere, quomodò non fruſtrà inducatur alia neceſſitas quàm præcepti, cum in ipſis reperiatur neceſſitas medij ſeparata à neceſſitate præcepti; quando deindè ambæ neceſſitates in adulto conjunguntur, adhuc retinent ſuam diſtinctionem, tùm quia non dicuntur ad convertentiam, & adulto quidquid eſt neceſſarium neceſſitate medij (ſubintellige cognitum ut tale) eſt quidem neceſſarium neceſſitate præcepti, at non è contrà, tùm quia diverſimodè ſe habent ad ſalutem, ad quam etiam in adulto neceſſitas medij conducit poſitivè & requiritur propter influxum ipſius cauſativum; neceſſitas verò præcepti conducit negativè & requiritur propter ſuperioris imperium: Ad primam probationem dico Chriſtum Dominum eo loco omnia revocaſſe ad obſervantiam mandatorum, quia reſpondebat adulto interroganti de eo, quod ſibi eſſet faciendum, non verò inquirenti omnia ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria. Secunda probatio habet ſolutionem mox ex dictis. Ad tertiam dico neceſſaria neceſſitate medij aliqua eſſe talia ab intrinſeco & ex naturâ rei, ut contritio & amor Dei; ea verò, quæ ſunt neceſſaria ex divinâ ordinatione, ut baptiſmus, adhuc habent neceſſitatem diverſam à purâ neceſſitate præcepti; & ordinatio Superioris habet puram vim præcepti, quando fit præcisè ad inducendam obligationem operis, & afficit ſolùm Perſonas præcepti capaces; non verò quando fit etiam ad ſuppeditandum medium poſitivè in ſalutem influens, & extenditur ad Perſonas præcepti incapaces, qualis eſt ordinatio, vi cujus orta eſt neceſſitas medij in baptiſmo.

77. Quomodo ambæ retineant diſtinctionem? etiam quando ſimul conjunguntur in adulto.

Aſſert. 2. Aliquis actus fidei ſupernaturalis & divinæ eſt, & fuit ſemper, neceſſitate medij neceſſarius ad juſtificationé, & conſequenter ad ſalutem Adultorum. Ità D. Thomas 1. *p. quæſt.* 1 *art.* 1. & 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 4. & 2. 2. *quæſt.* 2 *art.* 3. Scotus *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. §. *ſed poſito*, cætetique Theologi communiſſimè

78. Aliquis actus fidei eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij.

contrà Vegam *lib. 6. in Trid. cap. 20. & 21.* exiſtimantem eum, qui invincibiliter ignoraret res fidei, aut etiam Deum, poſſe juſtificari cognitione naturali Dei, aut etiam boni honeſti: Idem ferè de homine in lege naturæ docuerat Sotus *lib. 2. de naturâ & gratiâ cap. 11.* at ſe retractavit *eod. loco* in poſteriori editione, & iterùm *in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3.* remanetque, ni fallor, inter Scholaſticos unicus & ſingularis Adverſarius Vega, cujus exi-

Cenſura opinionis oppoſitæ.

ſtimationem affert oppoſitam Amicus *hic diſp. 13. num. 10.* notat ut in fide periculoſam & errori proximam Canus *relect. de Sacram. in gen par. 2. quæſt. 3. conc* 1. ut erroneam & fortè hæreticam, Suarez *diſp. 13. ſec. 2. num. 5.* ut errorem in fide.

79. Dixi *ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem adultorum*, ut per ly *adultorum* excluderem parvulos cujuſcumque proprij actus incapaces; per ly verò *ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem* inſinuarem me non loqui de ſalute præcisè, hæc enim poteſt aliquando haberi ſine actu fidei tunc ſcilicet quando quis in infantiâ baptizatus ac juſtificatus, perveniens poſteà ad uſum rationis viveret aliquo tempore ſine peccato lethali & ſine actu fidei; iſte ſic decedens ſalvaretur per gratiam in baptiſmo ſuſceptam ſine fide actuali, monet tamen Suarez *præcit. ſec. 2. num.* 10. quod is quamvis in re adultus, ſalvaretur ut infans potiùs, quàm ut adultus; quia ſalvaretur per commune infantium remedium, & ut adultus non egiſſet quidquam pro ſalute, aut contrà ſalutem: De his porrò adultis aſſertum non procedit, ſed de illis qui juſtificatione indigent, & (ut nonnulli loquuntur) carent ſalute, non ſolùm ſecundâ ſeu ultimâ ſitâ in glorificatione, verum etiam primâ ſitâ in juſtificatione. Aſſertum ſic explicatum.

80. Probatur primò ex Apoſto Rom. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem* Epheſ. 2. *Gratis eſtis ſalvati per fidem.* Heb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, certum autem eſt neminem fieri aut juſtum aut ſaluum abſque eo quod Deo placeat. Item ex Tridentin. quod *ſeſſ. 6. cap. 7.* ait de fide *ſine qua nulli unquàm contigit juſtificatio*, & cap. 8. de eadem ait quod ſit *radix omnis juſtificationis*. Aliæ ſcripturarum & Conciliorum auctoritates, ſicut & præclaræ Sanctorum Patrum ſententiæ, videri poſſunt apud Valentiam *hic diſputat. 1. quæſt. 2. punc. 3.* Allatas porò auctoritates aliaſque ſimiles, militare pro neceſſitate non quâcumque ſed medij infertur ex eo, quod valdè univerſales ac indefinitæ ſint, fideique neceſſitatem ad omnem Perſonam ac omne tempus extendant, ut clarè omnino præſtat Tridentinum in ly *nulli unquam*, ly etiam *per fidem* in verbis Apoſtuli, & *radix* in verbis Tridentini arguit poſitivum influxum fidei in juſtificationem; neceſſitas autem ſimpliciter, univerſalis, & cum poſitivo influxu, eſt neceſſitas medij.

Reſpondebis ex Vegâ omnes hujuſmodi auctoritates procedere regulariter, at non in caſu particulari & extraordinario, quo quis res fidei aut Deum ipſum invincibiliter ignoraret; ratio excipiendi hunc caſum eſt, quia ſecus in tali ignorantiâ conſtituto eſſet impoſſibilis juſtificatio, & deeſſet medium ſufficiens ad ſalutem; facienti etiam quod eſt in ſe Deus denegaret gratiam, ſi non juſtificaret hominem illum de peccatis ſuis dolentem ex cognitione naturali Dei, aut legis naturæ, ac boni honeſti in genere, quoties ignorat invinci-
biliter ipſum Deum. Sed contrà: nullus eſt 81.
excogitabilis caſus particularis, quo fas ſit Pelagianiſmum inducere faciendo gratiam & gloriam debitam viribus naturæ, præmemoratæ igitur auctoritates, ſicuti non tolerant aliquid pelagianizans, ità non admittunt prætenſam exceptionem, & ad exceptionis rationem nego utramque ſequelam; ſuppono enim *ex præced tract. de Gratiâ lib. 1. cap. 3. §. 10.* proviſa eſſe omnibus infidelibus auxilia ſufficientia ad comparandam opportuno tempore fidem, & tùm *ex eod. tract. lib. 2. cap. 6. nu.* 8. tùm *ex tract. 1. de Deo lib. 5. cap. 4. num. 10. & 11.* illud *facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam* intelligendum eſſe de faciente ex viribus gratiæ & ut oportet; non dolet autem ex viribus gratiæ, & ut oportet, qui dolet ex cognitione naturali.

Probatur ſecundò: Adultus peccator non 82.
poteſt juſtificari niſi diſponendo ſe per actum contritionis extrà ſacramentum, aut attritionis in ſacramento; ſed nec contritionis nec attritionis actum poteſt elicere ſine prævio actu fidei ſupernaturalis, & divinæ; ergo ſine iſto non poteſt adultus peccator juſtificari; ac per conſequens actus fidei neceſſarius eſt ad juſtificationem; & quidem neceſſitate medij, ſicuti neceſſitate medij eſt neceſſaria contritio, aut attritio, ut potè quæ in juſtificationem ipſam moraliter poſitivè influit, & quomodocumque deſit, juſtificatio non ponitur: Major intellecta de lege ordinariâ certa eſt, & ſupponitur ex tract. de Gratiâ pluribus in locis; Minor probatur tum contritio tùm attritio attingit Deum ut finem ſupernaturalẽ, contritio quidem directè cum includat Dei ut finis ſupernaturalis amorem; attritio ſaltem indirectè, quatenùs debet eſſe cum ſpe veniæ à Deo ut fine ſupernaturali obtinendæ ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.*; atqui actus voluntatis attingẽs Deum ut finem ſupernaturalem non poteſt eſſe ſine prævio actu intellectus Deum ut finem ſupernaturalem repræſentantis, & de lege ordinariâ non datur in viâ actus alius ab actu fidei taliter Deum repræſentans; ergo nec contritionis; nec attritionis, actus poteſt elici à peccatore adulto ſine prævio actu fidei.

Contritio & attritio attingunt Deũ ut finem ſupernaturalem, & prærequirunt fidem ſupernaturalem.

Dices Deum finem ſupernaturalem repræſentari & attingi poſſe actu cognitionis naturalis puta fidei humanæ: & inſuper dabilem eſſe etiam de lege ordinariâ in homine elevato cognitionem ſupernaturalem aliam à fide, & talem eſſe poſſe cognitionem de Deo ex creaturis comparatam, elicitam tamen ex ſpeciali elevatione, quam noſtræ potentiæ habent ad eliciendos actus ſupernaturales circà objectum, circà quod eliciunt actus bonos naturales: & quando tandem tota noſtra ratiocinatio concederetur non inferri neceſſitatem

Digitized by Google

ratem medij in actu fidei quia probatur influxus ipſius in contritionem aut attritionem, at non in ſalutem ipſam, cum tamen ex ſupradictis, quod eſt neceſſarium ut medium ad ſalutem, debeat in ſalutem influere. Sed

83. Nec eis ſufficit naturalis cognitio attingens ſupernaturalem finem.

contrà: Ad primam partem inſtantiæ admitto cognitionem naturalem, quâ repræſentetur Deus finis ſupernaturalis, at hæc ſufficit duntaxat ad actum naturalem quo voluntas eumdem finem proſequatur, non ad contritionem aut attritionem ſupernaturalem, de quâ in præſenti; & hùc revocanda ſunt quæ dicebamus *in tract. de Gratiâ lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. Ad ſecundam partem dico eam niti falſo ſuppoſito, & ſententiâ ſingulari, quam ex Ripaldâ attigimus *in tractatu de Gratiâ libro* 2. *cap.* 2. *num.* 5. & prout ſpectat ad rem præſentem latiùs refert ac reprobat Lugus hic *diſp.* 12. *ſec.* 1. Quando deindè permitteretur

Nec item ſupernaturalis cognitio de Deo hauſta ex creaturis.

ſententia illa ſingularis inducens cognitionem ſupernaturalem Dei ſimilem cognitioni naturali de eodem Deo per diſcurſum hauſtæ ex creaturis, talis cognitio non veniret nomine fidei ſtrictè dictæ; ideò non poſſet ſalvis auctoritatibus ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum cenſeri ſine fidei actu ſufficiens ad contritionem, aut attritionem, quâ adultus juſtificetur; & ratio ſit, quia talis cognitio à cognitione naturali differret quidem in ſuâ entitate per ordinem ad diverſum principium; at non per ordinem ad objectum; nec haberet pro objecto formali aliquid ſupernaturale, aut divinum; adhùc igitur non haberet proportionem cum contritione aut attritione, cujus utriuſque ſupernaturalitas eſt per ordinem non ad principium tantùm, verùm etiam

84.

ad objectum formale: Non negaverim tamen eum qui contenderet prædictam cognitionem ſupernaturalem loco fidei invincibiliter ignoratæ ſufficere ad juſtificationem & ſalutem fore à Pelagianiſmo alienum, & longè minori cenſuræ obnoxium, quàm ſit Vega ſufficientiam illam tribuens cognitioni naturali. Ad tertiam partem dico, quod eſt neceſſarium ut medium ad ſalutem, debere in ſalutem influere, præſcindendo tamen ab eo, quod influat aut immediatè & proximè, aut mediatè & remotè; & hoc poſteriore modo influit actus fidei.

Vrgebis: Quamvis fides concedatur ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij, ſufficere ad ſalutem poterit fides in voto, ſicuti baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij, & tamen in voto ſufficit; atqui fides in voto reſpectu invincibiliter ignorantis ejus Myſteria dici poterit contineri in cognitione Dei hauſta ex creaturis, præſertim ſi ſupernaturalis ſit; ergo hæc cognitio ſufficit ad ſalutem; nec impugnatur auctoritatibus prænunciatis; poſſunt enim omnes intelligi de fide, vel in re, vel in voto; & ut intellectæ de fide

85. Ad ſalutem ſufficit aliquando baptiſmus in voto; at requiritur ſemper fides in re.

in voto accommodari cognitioni illi, ut fidei votum continenti. Sed contrà: inſtantia poſtulat explicari, cur ad ſalutem adultorum actus fidei ſit determinatè neceſſarius in re, baptiſmus verò indeterminatè, in re, vel in voto. Explico id autem primò ab auctoritate, nam Marci ultimo habetur *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*, in quibus verbis D. Bernardus *epiſt.* 77. obſervat Chriſtum non dixiſſe *Qui verò non baptizatus fuerit* ſicuti dixit *Qui verò non crediderit* ad indicandam majorem neceſſitatem actus fidei, quàm baptiſmi; & licet hæc obſervatio Bernardi videatur improbari poſſe ex eo, quod ad ly *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, æquipollet pro baptiſmo illud Io. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; nihilominùs non obſtante iſtâ ſimili formâ enunciandi neceſſitatem baptiſmi & fidei, obſervatio illa ſubſiſtit, quia conſona eſt Eccleſiaſticæ traditioni, quæ ex alijs ſcripturæ locis colligit non eſſe omninò ſimilem illam utramque neceſſitatem; habetur autem Eccleſiaſtica traditio ex Concilijs & Patribus, qui numquàm aut fidei in voto meminerunt, aut de fide in voto intellexerunt teſtimonia ſacra militantia pro neceſſitate fidei ad ſalutem. Explico id ſecundò à ratione, quam apud 86.
Suarium *præcit. ſec.* 2. *num.* 11. *&* 12. latiùs diſpoſitam, ſic breviter profero, fides ut potè neceſſaria ad ſalutem ab intrinſeco, & ex naturâ rei non poteſt ſuppleri niſi per aliquid quod ſit in majore aut ſaltem in eodem gradu excellentiæ cum ipſa, nam quidquid ponatur minus ipſa deerit aliquid ex natura rei ad ſalutem; ergo actus, qui tanquàm fides in voto ſuppleret fidem in re, deberet eſſe in majore aut ſaltem in eodem gradu excellentiæ cum ipsâ fide in re; atqui non eſt aſſignabilis aliquis huiuſmodi actus, ergo non eſt aſſignabilis fides in voto: & inſtantia laborat falſitate ſuppoſiti, dum contendit fidem in voto poſſe ad ſalutem ſufficere pro fide in re: Minor ſubſumpta probatur: pro actu illo nec poſſet aſſignari aliquis actus intellectus, nec aliquis actus voluntatis; ſi enim aſſignetur aliquis actus intellectus erit cognitio hauſta ex creaturis; quæ dato etiam quod foret ſupernaturalis non eſſet, ut jam attigi, talis ex ſuo objecto formali, ſicque erit inferioris conditionis ad fidem: Si aſſignetur aliquis actus voluntatis, erit voluntas conſequens ad cognitionem fide imperfectiorem, & ſic erit in gradu inferiore ad fidem.

Imò propriè non eſt dabilis fides in voto.

Aſſignabis fortè pro fide in voto voluntatem habendi fidem ſeu voluntatem credendi. Sed impugnaberis quia voluntas credendi 87.
ſpectat ad fidé in re tanquàm pars & inchoatio ipſius ut patet ex dictis de pio affectu: Deindè permittamus modum loquendi, & per rem in voto intelligendo præcisè votum ac deſiderium rei, voluntatem credendi appellemus fidem in voto, voluntas hæc non poterit in ordine ad ſalutem ſupplere fidem in re, cum ſit inchoatio fidei, eſt quid minus ac imperfectius fide, & adhùc non erit fides in voto juxtà ſenſum hic intentum, ubi nec baptiſmus in voto eſt præcisè voluntas baptiſmi, ſed talis voluntas contenta in actu dilectionis aut contritionis, ſine quo actu non ſuppletur in ordine ad ſalutem neceſſitas baptiſmi in re.

Aſſert. 3. De potentiâ abſolutâ non repugnat haberi juſtificationem, & ſalutem adultorum abſque omni actu fidei. Eſt aſſertum communiſſimum.

88. Varij modi, quibus de potentia abſoluta adultus juſtificetur & ſalvetur nullo prævio actu fidei.

Probatur facilè in noſtris præſertim principijs, quibus docuimus poſſe diviniùs remitti peccatum, & infundi gratiam, peccatori adulto abſque omni ipſius actu: quod autem fit abſque omni peccatoris actu, fit certè abſque actu fidei: Deindè etiam non juſtificando abſque omni actu poteſt Deus juſtificare peccatorem abſque acto fidei, poteſt ſcilicet eſſe contentus amore & dolore conſequente ad cognitionem de Deo comparatam lomine naturali; multoque magis poſſet eſſe contentus amore & dolore ſupernaturali (licèt non perveniente ad perfectionem ejus, quem modò elicimus dependenter à fide) conſequente ad evidentem, quam Deus ipſe infunderet, notitiam gratiæ & donorum ſopernaturalium, ex quibus deduceremus in Deo prærogativam finis & Auctoris ſupernaturalia, ut magis explicar Amicus *precit. diſput.*13. *num.*13. Nec difficile eſt excogitare alios modos, quibus de potentiâ abſolutâ & extraordinariâ nullus fidei actua præeat juſtificationem, ſalutemque adultorum: Verùm redeamus ad poteotiam ordinariam, ſecundùm quam poſt ſtabilitam in genere neceſſitatem alicujus actus fidei, ſupereſt in particulari exquirendum, quinam ſit talia actus? conſiderando multiplicem actum fidei relatè ad multiplicem materiam ſeù ad varia objecta materialia ipſius, & determinando, quorum objectorum materialium fidea ſit ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij? viget autem controverſia præcipuè circà myſterium Trinitatis & Incarnationis, & agitati magis ex profeſſo ſolet circà Incarnationem ſeu circà Chriſtum Dominum, ob ſæpiùa factam pro re præſenti de ipſo, quàm de Trinitate mentionem in Scripturâ & Patribus, & ex eo quod à fide Incarnationis valet arguere ad fidem Trinitatis; cum enim Incarnatio facta ſit in ſecundâ Trinitaria Perſonâ, non poteſt diſtinctè illa credi, quin credantur plurea, nec poſſunt rectè credi plurea quin credantur tres in divinia Perſonæ; non ſic à fide Trinitatis valeret arguere ad fidem Incarnationis, & ratio à priori eſt, quia potuit exiſtere Trinitas, ſine Verbi Incarnatione, non Verbi Incarnatio ſine Trinitate.

89. Porrò ad definiendam de Incarnationis fide controverſiam diſtinguendum in primis eſt tempus antecedens & tempus ſubſequens promulgationem Evangelij: Deindè *ex præced. cap.*1. *num.*19. recolenda diviſio fidei in explicitam alteram, alteram implicitam; & ex modis fidei implicitæ ibi aſſignatis inferendum non poſſe haberi actum ullum fideś divinæ quin habeatur aliquo modo fidea implicita Incarnationis, imò cæterorum omnium Myſteriorum; ſicque (ut obſervat Arriaga *diſp.*12 *num.*16.) aſtruentes de Incarnatione neceſſitatem ſolius fidei implicitæ voce potiùs, quàm re, differunt ab abſolutè negantibus omnem de eadem fidei neceſſitatem; undè nullâ habitâ ratione diverſitatis ſentiendi ſe tenentis penea fidem implicitam & explicitam poſſunt ut reliquis diverſæ ſententiæ diſtingui & aſſignari hoc modo.

Prima abſolutè affirmat illius fidei neceſſitatem, tùm poſt, tùm etiam antè promulgationem Evangelij: Itâ nonnulli apud Bannezium 2.2 *quæſt.*2.*art.*8. Secunda neceſſitatem illam abſolutè negat, tùm antè, tùm etiam poſt Evangelij promulgationem: Itâ Medina *de recta in Deum fide lib.*4.*cap.*10. Vega *lib.*6. *in Trid. cap.* 2. Sotus *lib.*2. *de nat. & grat. cap.*12. & *in* 4. *diſt.*5. *quæſt.*2. *art.*2. Suar. *hic diſp.*12 *ſect.*4. *num.*51. Turrian. *diſp.*26. *dub.*4. Arriaga *diſp.*12. *num.*7. & 56. Madern. *quæſt.*3. *art.*3. Herincx *diſp.*7. *q.*5. *num.*49. &c. Tertia neceſſitatem illam affirmat pro tempore ſubſequente promulgationem Evangelij, negat pro tempore antecedente: Itâ D. Bonaventura *in* 3 *diſt.*2. *art.*1. *quæſt.*3. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 1. §. *Quilibet tamen.* Maſtrius *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *art.* 5. Joannes à S. Thoma *diſp.*4. *art.*1. Gabriel à S. Vincentio *diſp.*2. *dub.*9. §. 3. & 4. Malderus *quæſt.* 2. *art.*7. Valentia *diſp.*1. *quæſt.*2 *punct.*4. Amicus *diſp.*53. *num.*37. & 48. Eſparza *q.*28. *art.*5. Quarta concedit etiam pro tempore ſubſequente promulgationem Evangelij fidem Chriſti non eſſe neceſſitate medij neceſſariam ad juſtificationem ſeu ſalutem primam, vult tamen eſſe neceſſariam ad glorificationem ſeu ſalutem ſecundam: Itâ Canus *de Sacram. in gener. part.*2. *conc.*2. Alphonſ. à Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali cap.* 14. Bannez *hic quæſt.*2. *art.*8. Arragon. *ead. quæſt.*2. *art.* 5. Ut feramus de his ſententijs judicium, ſit.

90. Verùm fides explicita Chriſti ſit medium neceſſarium ad ſalutem: variæ ſententiæ.

---

§. VII.

Quinam actus fidei ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij; quinam neceſſitate præcepti? Ubi in primis de fide Incarnationis.

91. Non requiritur major fides ad gloriam, quàm ad gratiam comparandam.

ASSERT. 1. Nullus fidei actus eſt neceſſitate medij neceſſarius ad ſalutem ſecundam ſeu glorificationem, qui non ſit eadem neceſſitate neceſſarius ad ſalutem primam ſeu juſtificationem. Itâ Theologi cæteri communiter contrà mox relatos quartæ ſententiæ Auctores.

Probatur: Ut ſaluti primæ ſalus ſecunda, & juſtificationi glorificatio, ſuccedat, nihil aliud requiritur niſi perſeverantia finalis; atqui juſtificatus ut perſeveret finaliter per ſe loquendo non indiget novâ, & majore fide; ergo ut juſtificationi glorificatio ſuccedat, non eſt per ſe loquendo neceſſaria nova, & major fides, quàm ad juſtificationem ipſam, ac per conſequens nullus fidei actus eſt neceſſitate medij neceſſarius &c. Major patet, quia certum eſt ſalvari omnem juſtum perſeverantem finaliter & decedentem in gratiâ, undè Auguſtinus reprehendit Pelagianos quod parvuloa, quos ſine baptiſmo juſtoa exiſtimabant, non exiſtimarent ſine baptiſmo

Digitized by Google

mo idoneos regno cœlorum, & Eugenius Papa in litteris unionis definit omnes illos mox in vitam ingredi, qui hinc diſceſſerint in juſtitiâ plenè purgati: Minor probatur, tùm quia juſtificatus aliquando poteſt finaliter perſeverare abſque omni novo actu, ſi nimirum breviſſimo poſt juſtificationem tempore, aut decedat, aut in amentiam incidat, tùm quia ex Tridentino *ſeſſ.6. can.22.* cum Dei auxilio omnis juſtificatus poteſt, ſi velit, perſeverare finaliter; ſi autem ad hoc indigeret novâ ac majore fide, eſſet dabilis caſus, in quo non poſſet perſeverare finaliter, eo quod non haberet novam, majoremque propoſitionem credibilium, quâ poſſet poſt juſtificationem elicere novam, majoremque fidem.

Dices Deum juxta præſentem providentiam non permiſſurum, ut is, qui ſine explicitâ Chriſti fide juſtificatur, ſic juſtificatus decedat, quin priùs habeat de Chriſto propoſitionem ſufficientem & fidem explicitam, vel ſaltem ejus animam in inſtanti ſeparationis à corpore diſcere Incarnationis Myſterium, & in hoc ſenſu non glorificari ſine fide explicitâ Incarnationis. Sed contrà: hoc ſecundum effugium reducit quæſtionem ad novum mo-

92.
Non magis ad illam, quàm ad iſtam requiritur fides Incarnationis, ſeu Chriſti.

dum loquendi, juxtà quem etiam parvulis eſſet ad ſalutem ſecundam neceſſaria Incarnationis, imò & cæterorum Myſteriorum fides actualis explicita; quia etiam parvulorum animæ in inſtanti ſeparationis diſcunt explicitè Incarnationem, imò & cætera myſteria. Ad primum effugium dico gratis, & cum petitione principij, excogitari providentiam inſolitam, quà juſtus non permittatur ſine explicitâ Chriſti fide decedere, poſtquàm permiſſus eſt ſine eâ juſtificari; cum præſertim Scripturæ teſtimonia militantia pro neceſſitate fidei Chriſti expreſſiora ac frequentiora ſint comparativè ad juſtificationem & ſalutem primam, quàm comparativè ad glorificationem & ſalutem ſecundam, ut oſtendit Suarez *præcit. ſec.4. num.14.* Nec favet Adverſarijs auctoritas Auguſtini *lib.1. ad Simplicianum quæſt.2.* dicentis *quod in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum Cœlorum, ſicut in Cathecumenis, ſicut in ipſo Cornelio, antequàm Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ: In quibuſdam verò tanta eſt, ut jam Corpori Chriſti, & Sancto Dei templo, deputentur.* Non favet, inquam, quia fides, quæ ex Auguſtino non ſufficit ad obtinendum regnum Cœlorum, non ſolùm ad ſecundam, ſed nec ad primam

93.
Occurritur auctoritatibus Auguſtini.

ſalutem ſufficit; & prima etiam ſalus rectè intelligitur nomine regni Cœlorum juxtà illud Luc. 17. *Regnum Dei intrà vos eſt*, ubi per regnum Dei ſignificatur divina gratia dans jus ad regnum. Porrò fides ad ſalutem, ſivè ſecundam, ſive primam inſufficiens, eſſe poteſt quædam inchoatio, ſeu conceptio, & apprehenſio potiùs, quàm aſſenſus juxtà eumdem Auguſtinum *præcit. quæſt.2.* paucis interpoſitis ſubdentem *fiunt inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles, non tamen ſolùm concipi ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.*

Urgebis de Cornelio, in quo Auguſtinus ponit exemplum, habetur *Act.10.* quod eſſet *vir juſtus & timens Deum*, antequàm inſtrueretur & baptizaretur à Petro, quod eſt idem ac dicere antequàm Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ; ergo fides, quæ ibi ſecundum Auguſtinum non ſufficit ad obtinendum regnum Cœlorum, ſuffecerat ad juſtificandum Cornelium, ergo ex mente Auguſtini datur aliqua fides ſufficiens ad gratiam, non ad gloriam; ad primam, non ad ſecundam ſalutem: pro qua re Bannezius affert Chryſoſtomum dicentem opera Cornelij nondum à Petro edocti placuiſſe Deo, ſed fuiſſe mortua; & ex eo quod ejus opera Deo placuerint, infert Cornelium fuiſſe in gratiâ, ex eo quod eſſent mortua, infert eumdem non habuiſſe fidem ſufficientem ad gloriam. Sed contrà: Quod de Cornelio habetur *Act.10.* à pluribus intelligitur de juſtitiâ naturali proveniente ab operibus moraliter bonis, non de juſtitiâ ſupernaturali inductâ per gratiam ſanctificantem; & quia opera moraliter bona facta à non exiſtente in gratiâ, ex primo capite placent aliqualiter Deo, ex ſecundo ſunt mortua, facilè corruit juxta hanc intelligentiam inſtantia Adverſariorum quoad utramque ſui partem. Intelligendo verò de ſupernaturali juſtitiâ illud *Act. 10.* difficilior eſt Auguſtini & Chryſoſtomi mens: at nobis ſufficiat reſpondiſſe juxta priorem intelligentiam, juxtà quam jure poſſumus præſumere locutos prædictos Sanctos Patres, ut fatetur etiam Suarez *præcit. ſec.4. num.21.* quamvis ipſe aliundè probabiliorem exiſtimet intelligentiam poſteriorem.

94.
Et Chryſoſtomi.

95.
Ex his habes, quòd de facto multæ juſtorum animæ detineantur per aliquod tempus in Purgatorio, antequàm Regnum ingrediantur, non provenire ex eo quòd decedant cum fide ſufficiente ad primam ſalutem tantùm, non ad ſecundam; ſed ex eo quòd habeant ſecundæ ſalutis ſtatim conſequendæ obicem, reatum ſcilicet pœnæ temporalis perſolvendæ; undè, ſi fidem ſuam in Purgatorio perficiunt hoc per accidens eſt, non de neceſſitate ſecundæ ſalutis. Eâdem ferè ratione antè Chriſti adventum non ad acquirendam, aut perficiendam fidem Chriſti (ut malè conjectant Adverſarij) detinebantur in limbo animæ decedentium in gratiâ, aut etiam ſine reatu ullo pœnæ, ſed ad expectandum quod reſeraretur Regni janua per Chriſtum; qui nondùm aſcenderat *pandens iter antè eos* ut habetur *Michea 2.* Undè illi etiam, qui explicitam Chriſti fidem habuerant ut Abraham, Moyſes, Iſajas; imò qui Chriſtum viderant, ut Simeon, & Joannes Baptiſta, ſubierunt eamdem ſortem expectandi in limbo Chriſti aſcenſionem: ſicut & de facto aliqui etiam ex decedentibus cum fide magnâ, & valdè explicitâ ſuſtinent ſortem luendi pœnam temporalem in Purgatorio, quamvis hoc multo magis eveniat in habentibus fidem parvam ac valdè implicitam, vix enim fieri poteſt, quod cum hâc fide quis decedat omninò mundus ab omni veniali culpâ, & ab omni pœnæ reatu, ut obſer-

vat

vat Suarez *præcitat. ſec. 4. numer. vigeſimo-*
quarto.

96\. Aſſert. 2. fidem explicitam Incarnationis
numquam fuiſſe, nec eſſe de facto neceſſita-
te medij neceſſariam ad juſtificationem,& ſa-
lutem adultorum, eſt magis pium rationique
magis conſonum & probabilius;quamvis op-
poſitum quoad de facto ſit valdè probabile.
Ita Scholaſtici *præced. num.90.* relati pro ſe-
cundâ ſententiâ & cum aliquâ modificatione
favent etiam ex Adverſariis *ibid.* adductis
Maſtrius *num.410.* & Joannes à S. Thoma
*num.*10.

Fides explicita Incarnationis non eſt ad salutẽ neceſſaria neceſſitate medij.

Dixi *numquam fuiſſe, nec eſſe de facto*, ſuf-
ficiet tamen probare non eſſe de facto, ideſt
poſt promulgationem Evangelij; ex hoc
quippè erit à fortiori probatum numquam
fuiſſe. Dixi *ad juſtificationem & ſalutem*, ſi
tamen probetur quoad juſtificationem, prop-
ter doctrinam præcedentis aſſerti militabit
probatio etiam quoad ſalutem.

Probatur prima pars: quia de facto, &
poſt promulgatum Evangelium, adhuc mul-
ti ſunt aut eſſe poſſunt, qui nihil de Chri-
ſto audierint, & habeant ignorantiam in-
vincibilem Incarnationis; idque non ſo-
lùm apud Indos occidentales, aliarum-
que barbararum regionum incolas; verùm
etiam in regionibus noſtris apud Sylvicolas
& rudiores ruſticos; eſt autem valdè durum
dicere quod omnes in tali ignorantiâ dece-
dentes damnētur,& inſuper quod aliquis ru-
ſticus rudior, qui ſæpiùs cum tali ignoran-
tiâ acceſſerit ad pœnitentiæ Sacramentum,
numquam fuerit juſtificatus, ſed acceſſerit in-
validè & teneatur repetere omnes confeſſio-
nes præcedentes;& tamen in praxi Confeſſa-
rius inveniens pœnitentem Incarnationis ig-
narum erit quidem ſolicitus de eo inſtruendo
at non de eo obligando ad repetendas totius
anteactæ vitæ confeſſiones; eſt igitur ad pra-
xim,'& ad conſcientiarum ſolamen,magis ac-
commodatum, magiſque pium ſentire, quod
cum ignorantiâ invincibili Incarnationis ha-
beri poſſit,ſive extrà Sacramentum, ſivè in
Sacramento juſtificatio,adeóque quod de fa-
cto Incarnationis fides explicita non ſit me-
97\. dium ad ſalutem neceſſarium: Ratio ulte-
rior eſt, quia communis & regularis modus
fidei acquirendæ eſt cum ſucceſſione,quâ pro-
ponitur unum myſterium poſt aliud; propo-
natur igitur Cathecumeno, ut debet & neceſ-
ſe eſt fieri, loquendo humano modo; propo-
natur inquam Deus ut exiſtens & remunera-
tor, antequàm proponatur Incarnatio, vel
talis Cathecumenus poterit credere & cre-
dendo amare Deum exiſtentem & remunera-
torem in illo priori, vel non; ſi ſic,ergo in il-
lo priori juſtificabitur ſine fide explicitâ In-
carnationis, utpote nondùm propoſitæ: ſi
non, id erit ex eo quod Deus nolit concede-
re ad credendum aut ad amandum auxilia,
niſi poſt propoſitam Incarnationem; at hæc
eſſet providentia extraordinaria inductiva
gravaminis & detrimenti, adeóque novæ &
gratioſæ legi incongrua. Suarez *præcit. ſec.*4.
num. 16. addit caſum, quo Cathecumenus
in illo priori amiſſo uſu rationis incidat in

Incarnatio poteſt invincibiliter ignorari.

mortis periculum; eſſet, inquit Cathecume-
nus iſte baptizandus,baptizetur igitur & ſta-
tim moriatur, nonnè ſine explicita Chriſti fi-
de ſalvabitur?

Probatur ſecunda pars: quia plures ſunt 98.
textus in novo teſtamento, plures Sancto-
rum Patrum ſententiæ, & aliqua etiam Con-
cilij Tridentini verba, quibus valdè & validè
inſinuatur, aut eſſe inſeparabilem conne-
xionem fidei Chriſti cum ſalute, aut fidem
Chriſti eſſe nobis neceſſariam eodem modo,
quo fides Dei, ut videre eſt apud Adverſario-
rum quemlibet, & ſingillatim apud Valen-
tiam *præcit punc.*4. Portò ex hujuſcemodi au-
ctoritatibus evadit admodùm probabile fi-
dem Chriſti eſſe neceſſariam neceſſitate me-
dij, remanet tamen adhùc probabilius oppo-
ſitum, quod pietate ac ratione magis ſuade-
tur; nec caret aliquâ interpretatione veriſi-
mili, & idoneâ ad occurrendum præmemo-
ratis auctoritatibus; Quæ enim inſinuant 99.
connexionem fidei Chriſti cum ſalute, ſi
affirmativæ & poſitivæ ſint, ut cum *Jo. 6.*
dicitur *Qui credit in me, habet vitam æternam*,
intelligi poſſunt de conducentiâ, non de ne-
ceſſitate illius fidei ad ſalutem: ſi ſint nega-
tivæ & excluſivæ, ut cum *ad Galat.*2. dicitur
Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus
legis. niſi per fidem Jeſu Chriſti, intelligi poſ-
ſunt de fide Jeſu Chriſti non ut objecti, ſed
ut cauſæ meritoriæ; adeò ut ſenſus ſit nos
non juſtificari, niſi per fidem, quam habe-
mus ex meritis Chriſti ſeu ex gratia Chriſti.
Quæ inſinuant neceſſitatem eamdem in fide
Chriſti, quæ eſt in fide Dei, ut cum *Jo.*14.di-
citur *Creditis in Deum,& in me credite* ſolùm
evincunt connexionem ordinariam unius fi-
dei cum aliâ,& continentiam implicitam fidei
Chriſti in fide Dei:Aliquæ etiam ex prænun-
ciatis auctoritatibus congruè intelliguntur
de neceſſitate præcepti, quæ magnificentiùs
exprimitur pro Incarnationis,quàm pro alio-
rum Myſteriorum fide; quia poſt promulga-
tionem Evangelij habetur luculentior propo-
ſitio Incarnationis, quàm aliorum myſte-
riorum.

Occurritur auctoritatibus.

Dices: fides Chriſti, ut cauſæ meritoriæ,
requirebatur in lege ſcriptâ æquè ac requi-
ratur in lege novâ, & tamen ſcriptura non
facit fidem Chriſti neceſſariam in ſcriptâ
æquè ac in novâ lege; ergo dum facit il-
lam neceſſariam in lege nova, & tradit nos
non juſtificari niſi per fidem Jeſu Chriſti,
non loquitur de fide Jeſu Chriſti, ut cauſæ
meritoriæ. Sed contrà: fides Chriſti ut cau- 100.
ſæ meritoriæ requirebatur in lege ſcripta
neceſſitate velatâ & occultâ, in lege nova
requiritur neceſſitate explicata & manife-
ſta, quia non conſtabat in lege antiquâ,
ſicuti conſtat in nova, Chriſtum eſſe re-
demptorem, & motalem Auctorem om-
nium donorum ſopernaturalium; jure igi-
tur Scriptura in lege nova potiùs, quàm in
ſcripta, ſingillatim tradit nos non ſalvari
ſene fide proveniente ex Chriſti meritis, &
jure hanc nos intelligimus nomine fidei
Chriſti, cujus utilitatem & neceſſitatem ex-
preſſiùs ſcriptura commendat relatè ad legem
novam

Digitized by Google

novam etiam ex eo, quòd merita Chriſti in lege nova plurea & uberiores effectus præſtent.

101. *Fides explicita mediatoris in communi non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.*

Ex his habetur à fortiori non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium fidem explicitam Mediatoris abſtrahendo à pura creatura, & à Deo homine, aut à Deo Angelo; quam fidem Coninchus *diſput.* 14. *dub. nono*, neceſſariam exiſtimat potiùs, quàm fidem Mediatoris in particulari, qui ſit Chriſtus, & Deus homo: Sed immeritò, quia ex una parte pietas & ratio; de quibus ſuprà, æquè militant contra Mediatorem in communi, ac contrà Mediatorem in particulari, ut facilè poteſt innoteſcere conſideranti; ex aliâ parte auctoritates, quæ ſolæ reddunt cum aliquâ probabilitate neceſſariam fidem Mediatoris, loquuntur de Chriſto & Mediatore in particulari, non de Mediatore in communi, ut accuratè oſtendit Arriaga *diſput. duodecima ſect. ſecunda ſubſec.* 1. Neque dicas; fides Dei remuneratoris *ex ſeq. num.* 103. eſt medium ad ſalutem neceſſarium; ſuppoſito autem peccato originali fides Dei remuneratoris involuit fidem Mediatoris ſaltem in communi; cum ex unâ parte Deus remunerator ſit Deus juſtificator & glorificator, & ex aliâ parte ſuppoſito peccato non poſſimus juſtificari ſine Mediatore ſupplente impotentiam, quam habemus ad condignè ſatisfaciendum pro lethali: Contrà enim; non ſolùm nos ipſi, ſed nec ulla pura creatura poteſt condignè ſatisfacere pro noſtro originali, ideò inſtantia, ſi quid probaret, probaret neceſſariam fidem Mediatoris, non qui abſtraheret etiam à creatura & Deo, ut vult Coninchus, ſed qui eſſet Deus: In re tamen neque hoc probat, quia quod ſine Mediatore Deo nequeat condignè ſatisfieri pro lethali parum refert ad Deum juſtificatorem, cum abſque condigna ſatisfactione poſſet Deus pluribus modis nos à lethali juſtificare, ut ſuppono tùm ex tractatu de Gratia, tum ex tractatu de Incarnatione, & quantùm attinet ad rem præſentem attingetur iterùm infrà *numero* 107.

102. *Nec item fides explicita Trinitatis.*

Quæ dicta ſunt de fide Incarnationis pro prima præſertim aſſerti parte extendenda omninò ſunt ad fidem Trinitaria, quia contrà abſolutam iſtius neceſſitatem militant pietas & ratio, de quibus ſuprà; ejuſdem verò neceſſitati non tot, quot neceſſitati fidei Incarnationis, ſuffragantur auctoritates; ſi igitur his non obſtantibus ſenſimus probabilius eſſe, quòd non ſit neceſſitate medij neceſſaria fides explicita Incarnationis, idem majori jure ſentiendum de fide explicita Trinitatis. Neque dicas hujus neceſſitatem ſuaderi ſpecialiter ex forma baptiſmi, in qua continetur Trinitatis expreſſio; ſignum eſt igitur eſſe neceſſariam neceſſitate medij fidem Trinitatis, ſicuti eſt neceſſarius neceſſitate medij baptiſmus. Contra enim, hinc probaretur neceſſaria fides Trinitatis ſolùm vel in re vel in voto; cum non aliter ſit neceſſarius baptiſmus; & tamen *ex præced. numer.* 86. *&* 87. fides in voto non eſt propriè dabilis. Rursùs probaretur neceſſitas fidei ex parte miniſtrantis potiùs, quàm ex parte ſuſcipientia baptiſmum, quia ab illo, non ab iſto, baptiſmi forma profertur, & tamen per baptiſmum juſtificatur & ſalvatur is, qui ſuſcipit; non is, qui miniſtrat. Quidquid verò de his ſit, dico fidem Trinitatis exprimi in forma baptiſmi non in ſignum neceſſitatis medij, ſed in ſignum neceſſitatis præcepti majoris pro fide Trinitatis, ſicut & Incarnationis, quàm pro aliis credibilibus; eo quòd illa duo ſint primaria & maximè fundamentalia Myſteria novæ legis.

103. *Fides explicita Dei tùm ut exiſtentis tùm ut Remuneratoris eſt neceſſaria neceſſitate medij.*

Aſſert. 3. fides explicita Dei, tùm ut exiſtentis, tùm ut ſupernaturalis Remuneratoris eſt de facto, & fuit ſemper, neceſſitate medij neceſſaria ad juſtificationem & ſalutem adultorum. Hoc aſſertum eſt quoad utramque partem communiſſimum, & quamvis quoad ly *ſupernaturalis Remuneratoris* negetur ab aliquibus, ad quos propendet Arriaga *diſput.* 12. *ſect.* 5. totum tamen ſimul negari nequit ſine cenſura; undè Suarez *diſput.* 12. *ſec.* 4. *num.* 1. obſervat meritò notari ut erroneam opinionem quamdam docentem fidelibus ſimplicioribus non eſſe neceſſarium credere aliquid in particulari, dummodo in generali credant vera eſſe, quæ credit Eccleſia: Imò nec ſinè cenſura negari aſſertum poteſt quoad ly *ſupernaturalis Remuneratoris*, poſtquam emanavit in Congregatione ſacræ Inquiſitionis decretum damnans & prohibens inter alias ſexaginta quinque propoſitiones hanc in ordine vigeſimam ſecundam, *Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.*

Probatur primò ex illo celeberrimo teſtimonio Apoſtoli Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit:* Ubi ly *oportet* præſertim, ut connexum cum verbis immediatè præcedentibus, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, importat neceſſitatem omnimodam, & medij.

Dices cum Arriagâ relatum ex Apoſtolo teſtimonium quoad primam partem ſolùm, non quoad ſecundam procedere de fide explicita vel ſolam primam partem importare neceſſitatem medij, ſecundum verò importare, aut utilitatem ad ſalutem, non neceſſitatem; aut neceſſitatem præcepti, non medij; nec nos poſſe has interpretationes ſine inconſequentiâ reſpuere circà unicum teſtimonium, quod militat pro fide remuneratoris, poſtquàm ſimiles interpretationes attulimus ad plura teſtimonia, quæ ſuprà militabant pro fide Chriſti. Sed contrà: Cum relatum teſti- 104.
monium à cæteris communiter intelligatur quod utramque partem de neceſſitate medij, rejicienda eſt Arriagæ interpretatio tanquam ſingularis, & incongrua, tùm verborum contextui, tùm etiam conſenſui cæterorum Theologorum; nec jure nobis objicit inconſequentiam; nam in ſimilibus interpretationibus afferendis pro fide Chriſti ducti fuimus plurium Scholaſticorum auctoritate, & gravi pietatis rationiſque fundamento; quæ non militans pro fide Remuneratoris.

L Urgebis:

Urgebis : imò militat ſaltem quoad magnam ſui partem eadem pro fide Remuneratoris , ratio , quæ ſupra militabat pro fide Chriſti ; quatenùs propter ſucceſſionem neceſſariam in percipiendis modo humano fidei Myſteriis facilè poteſt proponi Deus ut exiſtens, priuſquàm ut remunerator ; cur ergo in illo priori Cathecumenus non poterit credere,& credendo amare ſuper omnia Deum ut exiſtentem ? ſicque juſtificari ſine fide explicitâ Dei remuneratoris; ſicuti *præced. num.97.* eâdem arguendi formâ probabamus iuſtificari poſſe ſine fide explicitâ Chriſti. Sed con-
105. trà;datis reliquis dico in illo priori Cathecumenum poſſe quidem amare Deum amore imperfecto,inefficaci,& ſimplicis complacentiæ;at non amore perfecto , efficaci, & ſuper omnia , qualis ad juſtificationem requiritur ; idque oſtendo ſecundâ aſſerti probatione, quam ſubijcio. Ideò

Ex fide Dei ut exiſtentis præcisè, non ut remuneratoris , nequit haberi amor ejuſdem perfectus & ſuper omnia.

Probatur aſſertum ſecundo ratione : Cum ſolâ fide explicitâ Dei ut exiſtentis , non ut ſupernaturalis Remuneratoris , nequit elici Dei amor perfectus efficax , & ſuper omnia; ergo cum ea ſolâ nequit haberi à peccatore adulto juſtificatio & ſalus ; ac per conſequens fides explicita , etiam Dei ut remuneratoris ſupernaturalis, eſt de facto ac fuit ſemper neceſſitate medij neceſſaria ad juſtificationem & ſalutem peccatoris adulti,de quo ſolo procedit difficultas cohærenter ad ſupradicta *num.79.*Probatur Major,amor Dei perfectus, efficax,& ſuper omnia,debet eſſe amor ipſius in ratione finis vltimi , ergo ſupponit fidem ejuſdem ut finis ultimi, ac per conſequens ut ſupernaturalis remuneratoris ; nam Deus ut fruibilis in ratione ultimi finis eſt noſtra merces,ac noſtra remuneratio in Patriâ,& ut conferens media ad talem fruitionem conducentia eſt noſter ſupernaturalis remunerator in viâ, antecedens probatur primò , quia amor perfectus ex genere ſuo eſt amor in ratione finis,ſeù fertur in rem tanquam in finem , ut attigi *in tract.de Beatitud.lib.*1 *cap.*2.*n* 28.ergo amor perfectiſſimus,& ſuper omnia,debet eſſe in ratione finis ultimi ;ſecundò ratio ſummi boni & ratio finis ultimi ſunt rationes ſynonymæ;atqui Deus non poteſt amari perfectè & ſuper omnia,quin ametur ſub ratione ſummi boni,ergo ſimiliter quin ametur ſub ratione finis ultimi.

Dices hinc ſaltem non probari , quin ſine fide explicitâ Dei ut remuneratoris poſſit haberi juſtificatio in lege novâ , in qua poteſt peccator iuſtificari ſine perfecto Dei amore, ſupplendo hunc in Sacramento per attritionem ; attritio autem cum poſſit elici ex metu pœnæ, puta ex motivo vitandi infernum non apparet quomodò neceſſariò requirat fidem Dei ut remuneratoris ? poterit igitur aliquis in infantiâ baptizatus, in ſylvis enutritus ; & in plura peccata prolapſus à fidei inſtructore ediſcere talia peccata mereri æternam pœnam, à Deo tamen condonandam ea cum dolore confitenti,ſicque ex metu æternæ pœnæ de iis dolendo ad confeſſionem accedere & iuſtificari ſine ullâ prorſus habitudine explici-
106. tâ ad remunerationem. Sed contrà : Dici in primis poſſet primam iuſtificationem haberi non poſſe ſine perfecto Dei amore propter ſpecialem obligationem , quam unuſquiſque habet amandi Deum ſuper omnia circà initium uſus rationis, & quàm primum poſteà, quoties id circà tale initium non præſtiterit: Hoc tamen omiſſo dico neque per attritionem in Sacramento poſſe quemquam juſtificari ſine fide explicitâ Dei ut remuneratoris primò, quia attritio , licet haberi poſſit ex metu pœnæ,debet eſſe dolor ſupernaturalis , adeòque cum habitudine ad Deum ſupernaturalem Auctorem; & ſi ſit ex metu pœnæ eſſe debet ex metu ipſius,ut à Deo ſupernaturali auctore infligendæ;Deus autem nequit explicite credi ut Auctor ſupernaturalis , niſi in ordine ad dona ſupernaturalia , in ordine ad quæ eſt remunerator. Secundò quia ex Tridentino *ſeſſ.*14.*cap.*4.ut per attritionem in Sacramento homo iuſtificetur neceſſaria eſt prævia ſpes veniæ , quæ quidem ſit actus ſupernaturalis elicitus à ſpe infusâ ; atqui hic actus reſpicit ſupernaturalia dona,& Deum ut remuneratorem; ergo,

Neque attritio ſufficiens ad juſtificationem in Sacramento.

Urgebis : Deus de facto eſt ſupernaturalis Remunerator , & peccata remittit , per gratiam Chriſti ſeu ex Chriſti meritis ; ergo ſi eſt ad iuſtificationẽ neceſſaria fides explicita Dei ut ſupernaturalis remuneratoris eſt pariter neceſſaria fides explicita Chriſti ; vel ſi iſta neceſſaria non eſt , nec illa ; adeòque noſtrum ſecundum & tertium aſſertum malè inter ſe cohærent. Sed contrà : ex anteceden- 107.
te inferri rectè poteſt implicita , non explicita Chriſti fides , alioqui ex eo, quod Deus de facto ſit remunerator mediis Sacramentis à Chriſto inſtitutis,inferretur pariter neceſſaria neceſſitate medij explicita fides Sacramentorum ; concesſo igitur antecedente , nego conſequentiam, ratio à priori eſt,quia quod Deus in actu exercito ſit remunerator , & iuſtificator , ex Chriſti meritis,non provenit ex naturâ rei , & fuit Deo liberum id præſtare ſine Chriſto & ſine omni mediatore;qui igitur illud explicitè credit , ſufficit quod explicitè credat non deeſſe Deo aliquem modum iuſtificandi,& remunerandi , abſque eo quod fides explicita cadat ſuprà modum ullum determinatum.

Hinc habes obiter implicitam Incarnationis fidem,quam ſuprà *num.* 89. ſuppoſuimus neceſſitate medij neceſſariam , eſſe talem non ſolùm titulo objecti formalis , quatenus objectum formale fidei neceſſariæ per modum medij ad ſalutem ſe extendit ad Incarnationem,quâ ratione fides implicita cujuſcumque rei revelatæ rectè dicetur ad ſalutem neceſſaria per modum medij,verum etiam titulo objecti materialis,quatenus fides Chriſti ſecundùm præſentem providentiam implicitè continetur in fide Dei Remuneratoris , Deus autem remunerator eſt objectum materiale fidei ad ſalutem neceſſariæ neceſſitate medij.

Fides implicita Chriſti ad ſalutem neceſſaria qualis ſit.

Habes inſuper fidem explicitam neceſſita- 108.
te medij neceſſariam debere eſſe ſupernaturalem,non ſolùm relatè ad objectum formale, verùm etiam relatè ad objectum materiale;cum ex mox dictis in ſuo objecto materiali

includat

Digitized by Google

includat rationem ſupernaturalis Remuneratoris; imò aliqui volunt totum objectum materiale talis fidei ſupernaturale eſſe, adeò ut in præallatis Apoſtoli verbis ſicut ly *Remunerator* pro ſupernaturali Remuneratore, ità ly *Quia eſt* pro ſupernaturali exiſtentiâ ſupponat: Nihilominùs nihil nos ad hoc cogit, & ex aliâ parte ly *Quia eſt* abſolutè poſitum videtur ex terminis ſignificare exiſtentiam naturalem potius, quàm ſupernaturalem, vel ſaltem exiſtentiam ſimpliciter includentem permiſſivè utramque: Præter quod Amor Dei ſuper omnia attingit Deum etiam ut Naturæ auctorem, & eſt amor ipſius etiam ſuper omnia naturalia; ergo fides ad talem amorem prævia debet eſſe de exiſtentiâ Dei etiam naturali: Nec refert, quod de hac exiſtentia comparari poſſit ſcientia & evidentia naturalis, quæ ex una parte excludit fidem, & ex aliâ parte meliùs, quàm fides, reddit hominem diſpoſitum ad operandum circà proprium objectum. Non refert, inquam, quia ſcientia naturalis nec reddit hominem melius diſpoſitum, cum ſit minùs certa, & diſponat tantùm ad operandum actu naturali; nec excludit fidem cum *præced. cap.* §.1. expreſsè tradiderimus oppoſitum, & quando fidem excluderet, adhuc habens ſcientiam exiſtentiæ, poſſet & deberet aliquando de eadem habere fidem, ceſſando ab actu ſcientiæ, & ſuſpendendo actualem evidentiam, ſaltem per non attentionem ad motivum talis evidentiæ inductivum.

Fides explicita Dei ad ſalutem neceſſaria eſt de Deo etiã ſecundum exiſtentiam naturalem.

109. Aſſert. 4. Præter fidem neceſſariam neceſſitate medij aliqua alia fides interna eſt in lege nova neceſſaria ad ſalutem purâ neceſſitate præcepti poſitivi, & talis eſt fides explicita eorum ſaltem, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum. Jtà D. Thomas *hic quæſt.* 2. *artic.* 5. & 1.2. *quæſtion.* 76. *artic.* 2. Adrianus *Quodlib.* 3. *artic.* 1. Arragonius *hic quæſtion.* 2. *artic.* 6. Valentia *diſputation.* 1. *quæſt.* 2. *punc.* 2. Suarez *diſputation.* 13. Amicus *diſputat.* 13. *num.* 51. Arriaga *diſp.* 13. *ſec.* 2. 3. *&* 4. Herincx *diſp.* 7. *quæſt.* 6 Madernus *quæſt.* 3. *art.* 4. Joannes à S. Thomâ *diſp.* 4. *art.* 2. cæterique Theologi magis communiter contrà Innocentium, Oſtienſem Panormitanum, Rozelam, Gulielmum Pariſienſem, & Altiſiodorenſem apud Suarium *præcit. diſput.* 13. *ſec.* 4. *num.* 2. volentes præter fidem neceſſariam neceſſitate medij ſimpliciores quoad cætera non teneri, niſi ad fidem implicitam, qua credant quidquid credit Eccleſia quæ quidem opinio quatenus non excludit ab obligatione præcepti omnes prorſùs articulos particulares videtur eidem Suarezio immunis à cenſurâ: Eſt inſuper aſſertum contrà Bonaventuram *in* 3. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 3. Duraudum *ead. diſt. quæſt.* 1. alioſque nonnullos extendentes præceptum fidei ad ea Myſteria quæ ſolemniter ab Eccleſia celebrantur ut ſunt Pentecoſtes, Transfiguratio. &c.

110. Fides ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij eſt talis ſimul neceſſitate præcepti.

Dixi *Præter fidem neceſſariam neceſſitate medij*, quam quidem eſſe ſimul neceſſariam neceſſitate præcepti liquidò conſtat ex eo, quod univerſaliter omne medium neceſſarium ad ſalutem conſiſtens in actu humano, & dependens à noſtrâ liberâ voluntate cadit ſub præcepto, & quidem naturali; nam lumen naturæ dictat unumquemque teneri ad procurandam propriam ſalutem, & naturalis lex charitatis obligat quemlibet ad fugiendum grave damnum ſibi imminens, nullum autem eſt damnum gravius æternâ damnatione ſaluti oppoſitâ. Nec obſtat quod fides, de quâ in præſenti, ſupernaturalis ſit: Enim verò data ſuppoſitione ſupernaturalis elevationis, etiam quæ ſupernaturalia ſunt poſſunt ſub obligatione naturali cadere, & jus naturale ſumi poteſt, vel per ordinem ad naturam puram, vel per ordinem ad naturam elevatam, & per connaturalitatem ad gratiam; hoc ſecundo modo, licèt non primo, ad ſupernaturalia extenditur: Si tamen majoris claritatis & vitandæ æquivocationis gratiâ volueris cum Suarezio *præcit. diſput.* 13. *ſec.* 1. *num.* 3. prædictum præceptum appellare partim naturale, partim ſupernaturale; vel cum aliis quibuſdam connaturale potius, quam naturale, non omnino improbabo loquendi modum.

111. In lege nova obligatio fidei ad plura extenditur, quam in lege ſcripta.

Dixi *in lege nova* quia in lege naturæ & ſcriptâ nec utile, nec facilè eſt, quidquam certi ſcire: Arriaga *præcit. diſp.* 13. *num* 8. videtur in neutrâ lege agnoſcere præceptum fidei niſi in ordine ad credibilia neceſſaria neceſſitate medij, reliqui magis communiter agnoſcunt in utrâque lege obligationem credendi ea, quæ regulariter populo proponebantur, ſervatâ proportione ſtatus; & hæc quidem plura fuerunt in lege ſcriptâ, quàm naturæ, ſicut & plura ſunt in lege nova, quàm fuerint in ſcriptâ.

Dixi *pura neceſſitate præcepti poſitivi* ubi ly *pura* ponitur præcisè ad contra diſtinguendam neceſſitatem præcepti à neceſſitate medij ly *præcepti poſitivi* ſumi poteſt vel prout idem eſt ac præceptum affirmativum & contrà ponitur præcepto negativo; vel prout idem eſt ac præceptum juris poſitivi & contrà ponitur præcepto naturali; utroque modo illud ſumimus in præſenti, & intendimus præter præceptum negativum ſemper, pro ſemper, & in omni lege obligans ad non admittendum diſſenſum, imò nec formidinem, aut dubium circà res fidei ſufficienter propoſitas, dari præceptum affirmativum obligans ad aſſentiendum explicitè aliquibus articulis in particulari: Jtem præter præceptum juris naturalis, quale diximus eſſe illud, quo tenemur aſſentiri credibilibus neceſſariis neceſſitate medij, dari præceptum juris poſitivi, & quidem divini, quo ex inſtitutione divinâ tenemur credere aliqua credibilia non neceſſaria ex naturâ rei ad ſalutem.

112. Præceptum fidei obligat ſaltem ad articulos contentos in ſymbolo Apoſtolorum.

Probatur: independenter ab eo, quod fides ſit medium neceſſarium ad ſalutem, datur ex inſtitutione divinâ obligatio credendi ea ſaltem, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum; ergo præter fidem neceſſariam neceſſitate medij aliqua alia fides interna, &c. Antecedens probatur primò, quia quæ continentur in ſymbolo ferè omnia pertinent ad Myſterium Incarnationis, & Trinitatis; hujus autem utriuſque myſterij fides, licet ex ſupra-

Digitized by Google

dictis non ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij, habet tamen multas auctoritates tali neceſſitati faventes, hiſce igitur auctoritatibus, quibus alij nituntur ſtabilire ex inſtitutione divina neceſſitatem medij, tribuenda ad minus eſt ex eâdem inſtitutione neceſſitas præcepti. Secūdò Chriſtus Dominus *Matt.* 28. mandans Apoſtolis, quod docerent omnes Gentes dedit eis poteſtatem determinandi ea, quæ eſſent ſpecialiter credenda, dum igitur convenerunt ad conficiendum ſymbolum id præſtiterunt ex ordinatione & poteſtate divina; & hinc in nos derivata eſt ſpecialis obligatio credendi, quæ in Symbolo continentur: Tertiò pro obligatione credendi explicitè articulos Symboli ſtat Catechiſmus Pij V, & tùm præterita, tùm præſens praxis Eccleſiæ: præſens quidem elucet in ſolicitudine, qua Parochi & habentes curam animarum ſingulos Symbolum docent; præterita colligitur ex eo, quod antiquitus exigebatur notitia explicita Symboli ab ijs, qui erant baptiſmo initiandi, ut patet ex Concilio Bracharenſi II. *cap.* 1. Agathenſi *cap.* 13. Laodicæno *cap.* 46.

Dices: ex una parte continentur in Symbolo aliqua, quæ aut minoris momenti ſunt, quàm ut, in ea debeat, aut majoris difficultatis, quam ut in ea rationabiliter poſſit cadere reſpectu omnium obligatio fidei explicitæ; primum exemplificari poteſt in eo, quòd paſſio contigerit ſub Pontio Pilato & reſurrectio facta ſit tertia die; ſecundum in myſterio Trinitatis, in ſeſſione Jeſu Chriſti ad dexteram Patris, in communione Sanctorum: Ex aliâ parte plura non continentur in Symbolo, in quæ tamen cadit obligatio fidei, non ne enim eſt obligatio credendi præcepta Decalogi, & ea quæ ſpectant ad uſum Sacramentorum præſertim Euchariſtiæ & Pœnitentiæ? imò in univerſum ea omnia, quæ ſufficienter proponuntur ut à Deo revelata; ergo malè aſſeritur præceptum credendi ea omnia & ſola, quæ continentur in Apoſtolorum Symbolo. Sed contrà: Ad primam partem inſtantiæ

113. Quando de talibus articulis quoad ſubſtantiam & juxta cujuſque capacitatem.

dico omnia, quæ in Symbolo continentur eſſe explicitè credenda ſufficere tamen, quòd credantur quoad ſubſtantiam, & ſecundùm propriam cujuſque capacitatem; ex primo capite ſufficit credere explicitè paſſionem & reſurrectionem omiſsâ circumſtantiâ Pontij Pilati, & tertiæ diei; ex ſecundo capite ſufficit rudioribus ſuperficialis quædam & groſſa intelligentia difficiliorum Myſteriorum, aut ſi neque hanc admittat mentis tarditas & hebetudo, ſatisfaciet præcepto diligentia & cura ediſcendi. Ad ſecundam partem dico obligationem credendi aliam eſſe propter cognitionem & præciſè ex virtute fidei, huic (de quâ ſolâ procedit aſſertum) ſatisfit credendo explicitè articulos Symboli; aliam eſſe propter operationem, & ex alijs virtutibus à fide; ſub hâc obligatione do cadere plura non contenta in Symbolo; ſic ex virtute, qua quis tenetur ſervare præcepta Decalogi, tenetur ea ſcire aut certò credere; ſicut & ex virtute, quâ quis tenetur ad uſum ſive activum ſivè paſſivum Sacramentorum tenetur comparare fidem explicitam ac notitiam pro tali uſu ritè habendo neceſſariam. Ad illud quod poſtremo loco additur de obligatione credendi omnia, quæ ſufficienter proponuntur ut revelata, dico hanc obligationem non eſſe adeò ſtrictam, alioqui (ut obſervat Herincx *præcit. quæſt.* 6. *num.* 77.) ſe exercens in lectione ſcripturæ & Conciliorum deberet jugiter elicere actus fidei ad ſingulas propoſitiones. Deindè talis obligatio ſi datur, non eſt abſoluta, ſed ſolùm ex ſuppoſitione rei ſufficienter propoſitæ: cum tamen obligatio credendi articulos Symboli abſoluta ſit & obliget non præciſè ad eos credendos ſuppoſito, quod ſufficienter proponantur, verùm tum ſingulos fideles ad procurandam de ipſis instructionem & ſufficientem propoſitionem, tum Eccleſiæ Miniſtros ad eoſdem ſpecialiter explicandos & ſufficienter proponendos.

114. Qualis ſit obligatio credendi quidquid ſufficienter proponitur?

Duo hic ſuperſunt dubia: Primum eſt, Utrùm præter obligationem fidei communem omnibus fidelibus ſit in aliquibus particularibus Perſonis obligatio fidei majoris? Secundum eſt, Pro quonam tempore obliget aſſertum fidei præceptum?

Quomodo detur obligatio fidei inæqualis.

Ad primum reſpondetur affirmativè: ratione enim officij, & gradus, aliqui tenentur habere fidem tùm majorem intenſivè, quatenùs habeant eam magis diſtinctam, & poſſint eam exponere ac defendere; tum majorem extenſivè, quatenus eamdem habeant ſe extendentem ad plura objecta etiam diverſa ab articulis Symboli: Hinc pro re præſenti ſolent congruè aſſignari tres ſtatus hominum; ſcilicet Majorum, quorum nomine veniunt Epiſcopi & Prælati: Mediorum, quorum nomine veniunt Sacerdotes, Parochi præſertim Concionatores: Minorum, quorum nomine veniunt Laici, & reliqua plebs fidelium; & juxtà hos tres ſtatus triplex obligatio fidei majoris, mediæ, & minoris.

115. Pro quo tẽpore obligat fidei præceptum.

Ad ſecundum aliqui aſſignant aut dies dominicos alioſque omnes dies feſtos, aut ſaltem feſta ſolemniora; aliqui nullum prorsùs tempus determinant & relinquunt in optione hominis credere, cum ei libuerit ſemel in vita: Inter primum hunc modum nimis rigidum, & ſecundum nimis laxum, mediâ viâ incedendum dicendo præceptum fidei obligare infidelem adultum pro eo tempore, pro quo incipit eſſe ſufficienter inſtructus, & habere articulos ſufficienter propoſitos, puerum verò baptizatum pro eo tempore, pro quo incipit eſſe adultus & pollere uſu rationis: Deinde poſt primam hanc vicem obligat indeterminatè aliquando in vitæ decurſu, & tandem iterùm determinatè in mortis articulo, ita tamen ut poſt primam vicem reliquæ obligationi & praxi ſatisfiat per actus, qui frequenter eliciuntur, tanquam prærequiſiti aut ad exercitium actuum amoris, ſpei pœnitentiæ & ſimilium, aut ad victoriam gravium tentationum, aut ad obſervantiam alicujus præcepti ſpectantis ad aliam virtutem à fide. De his, ſicut & de cæteris hucuſque traditis circa fidei neceſſitatem, varia alia videri poſſunt apud varios Auctores, & plura præſertim apud Suarium, Arriagam, & Herincx locis præcitatis.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Vtrùm actus fidei ſit ſupernaturalis: Ubi in univerſum, Qualis ſit & undè proveniat ſupernaturalitas actuum in via?

116. Actus fidei eſt verè ac propriè ſupernaturalis.

116. ASSERT. I. Actus fidei infuſæ & divinæ eſt verè, ac propriè, ſupernaturalis. Eſt aſſertum receptiſſimum apud Scholaſticos & certiſſimum apud Catholicos contra Pelagianos & Semipelagianos tribuentes naturæ viribus ſalutem aut ſalutis initium.

Probatur imò ſupponitur ex eo, quod *in præced. tract. de Gratia* tùm *lib. 2. cap.4. §.2.* tùm *lib.4.cap.6.§.5.* tùm aliis in locis ſæpè, dictum eſt actus ſalutares indigere ſupernaturali auxilio, & ſolos actus verè ac propriè ſupernaturales poſſe habere rationem diſpoſitionis, aut meriti, in ordine ad ſalutem; Hoc poſito cum pariter certum ſit actum fidei infuſæ & divinæ eſſe ſalutarem, eſſe ſalutis initium, & primam diſpoſitionem ad gratiam, eſſe ſupernaturalis præmii meritorium de congruo in peccatore, de condigno in juſto, conſequens omninò eſt actum fidei infuſæ & divinæ eſſe verè ac propriè ſupernaturalem. Neque res hæc ſub his univerſalibus terminis patitur difficultatem ullam huius loci propriam, ideò ſic raptim expeditâ primâ tituli parte illicò aggredior ſecundam, quam quidem non pauci expediunt in tractatu de gratiâ at nos indè eam huc reſervavimus occaſione actus fidei agitandam & extendendam ad cæteros actus virtutum infuſarum in via; Igitur pro tituli intelligentia obſerva ſub ly *Qualis ſit* dubitari. Utrum dentur in via actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, an dumtaxat ſupernaturales quoad modum? Sub ly *Undè proveniat* inquiri, Utrùm diverſitas actuum ſupernaturalium à naturalibus proveniat ab objecto formali, an aliunde? Porro hæc poſterior controverſia multum dependet à primâ, cujus diſcuſſionem placet aliquanto altiùs repetere. Ideò

Mens Scoti circa ſupernaturalitatẽ rerum creatarum.

Adverto doctrinam de ſupernaturalitate
117. apud Scotiſtas & Nominales eſſe valdè diverſam ab ea, quæ communiter circumfertur apud cæteros Scholaſticos: Quod enim communiter cæteri dicunt ſupernaturale, ſimpliciter & abſolutè tale, eſſe illud quod eſt ſuprà vires tùm activas tùm paſſivas, tùm phyſicas, tùm intentionales cujuſcúmque naturæ creatæ, à Scoto nec quoad vires paſſivas nec quoad vires intentionales admittitur; & vult ipſe nullam dari ſupernaturalitatem relatè ad ſubjectum & potentiam receptivam, nullum item ens ſupernaturale creatum excedere titulo ſupernaturalitatis præcisè vires cognoſcitivas & intentionales cujuſcumque creati intellectus. quo utroque in puncto Scoti mentem magis explicuimus, ſimulque impugnavimus partim in tract. de Deo Uno *lib.2. cap.1. §. 6.* partim in tract. de Angelis *lib.2. cap.2. §.14.* Agnoſcit igitur Subtilis Doctor ſupernaturalitatem univerſaliter & per ſe primò (has particulas appono propter id, quod mox inſinuabitur *num. ſeq.*) ſolùm relatè ad vires activas, nec conſtituit formas ſupernaturales, niſi per ordinem ad ſupernaturale agens & ſupernaturalem actionem: Hinc ut nos ipſi attigimus *præcit. cap.1. num.236.* ſolet inferri, quod juxtà mentem Scoticam nulla forma ſit ſupernaturalis per perfectionẽ abſolutam ſibi intrinſecam in genere entis, imò ulteriùs aliqui contendunt quòd juxtà eandem mentem nulla forma dici poſſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, hocque habet non leve fundamentum in verbis ipſiuſmet Doctoris *in 4. diſt.10.quæſt.8.§. Contra rationem etiam* dicentis *Naturale & ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicujus in ſe, ſed tantùm in comparatione ad agens:* Nihilominùs neque ex his verbis, neque aliundè colligitur Scotum reverà negaſſe omnem formam ſupernaturalem in ſubſtantia, in primis enim licet ſupernaturalitas nullatenus eſſet perfectio abſoluta, ſed purus ordo ad ſupernaturale agens, adhuc prout iſte ordo afficeret; aut entitatem formæ, aut modum aliquem ipſius, forma rectè diceretur ſupernaturalis aut quoad ſubſtantiam, aut quoad modum: Deinde ſupernaturalitas, quæ ex mente Scoti eſt purus ordo & formalitas relativa, eſt ſupernaturalitas formalis, cum quo ſtat non eſſe contra mentem Scoti, ſi collocetur in perfectione abſolutâ ſupernaturalitas radicalis; & de formali, non de radicali ſupernaturalitate intelligantur verba in oppoſitum præallata, pro quo videri poteſt ex Scotiſtis Maſtrius *in 1. diſp.6.quæſt.2.num.58.& 76.* Tan- 118.

Scotus non negavit omnem formã ſupernaturalem in ſubſtantia.

dem ipſemet ſubtilis Doctor inſinuat aliquam ſupernaturalitatem diverſam ab ea, quæ habetur per ordinem ad agens, nam *quæſt.1. prolog. §. antequam* præter ſupernaturalitatem convenientem rei, quia eſt à ſupernaturali agente, inducit aliam ſupernaturalitatem provenientem ab objecto, & convenientem rei, quia eſt ab agente ſupplente vicem ſupernaturalis objecti, & vult hanc ſupernaturalitatem inferre illam aliam, licèt non è converſo: Item *in 2. diſt.3. quæſt.9.§. Ad quæſtionem igitur* poſtquàm poſuit in Angelis ſpeciem abſtractivam Dei infuſam divinitùs, & non comparabilem ipſorum viribus, adeóque ſupernaturalem per ordinem ad agens, contra diſtinguit talem ſpeciem à formis merè ſupernaturalibus gratiæ & gloriæ, agnoſcit igitur in hiſce formis aliquam ſupernaturalitatem majorem eâ, quæ habetur per ordinem ad agens, & hujuſmodi ſupernaturalitatem majorem Maſtrius *præcit. quæſt.2. num. 61.* putat juxtà ſui Doctoris mentem provenire ab objecto ſupernaturali, cui ſpeciali quodam modo intentionaliter potentiam uniunt actus gratuiti, vel glorioſi.

Non poſuit ſupernaturalitatem omnem per ordinem ad agens.

Suppoſito quòd de mente Scoti dentur 119.
aliquæ formæ, & aliqui actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, manet liberior in omni ſcholâ locus inquirendi; Utrùm tales ſint actus fidei, cæterarumque virtutum per ſe infuſarum in viâ, & quidem negat Scotus ipſe *in 1. diſt.17. quæſt.2. §. ad ſolutionem* & *in 3. diſt 23.quæſt un.* clarius verò *quodlib.17.§. De tertio.* Negant item Ocham *quodlib.13.quæſt.7.* Gabriel *in 3. diſt. 23. quæſt.2.* Baſſolius *ead.*

Opinio ponens in via actus ſupernaturales ſolùm quoad modum.

Digitized by Google

*diſt.*23 *quaſt.un.* Uulpius *par.*2. *tom.*2. *diſp.*52. *art.*7. Maſtrius *in* 3.*diſp.*6. *quaſt.* 6. *art.*1. & non ſolum reliqui Nominales & Scotiſtæ ferè omnes, verum etiam ex Thomiſtis Capreolus *in* 1.*diſt.*17.*qu.*1.*art.*3. Cajet. *hic qu.*17.*art.*2. *ad* 3. Sotus *l.*1.*de natura & gratia c.*22.*cor.*1. &c. Conveniunt iſti inter ſe in eo, quod prædicti actus ſint entitativè ejuſdem rationis cum actibus naturalibus, nec indigeant habitu infuſo & gratiæ ſupernaturalis auxilio propter propriam entitatem, ſed propter aliquem modum, ſivè deindè iſte modus ſit laudabilitas; ſivè delectabilitas, ſivè major promptitudo, ſivè major intenſio; ſivè ſingillatim in actu fidei major certitudo aut major infallibilitas, in quo variant præmemorati Auctores.

120\. *Opinio ponens eoſdem ſupernaturales quoad ſubſtantiam.* Stant pro parte oppoſitâ, & affirmant actus fidei, cæterarumque virtutum per ſe infuſarum in viâ eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, Richardus *in* 3. *diſt.*23. *art.*7. *quaſt.*2. Medina 1. 2. *quaſt.*62. *art.*2 Ioannes à S. Thumâ 1.2. *diſp.*20. *art.*1. Bannes *hic quaſt.*5. *art.*2. & *quaſt.*6.*art.* 1. Suarez de gratiâ *lib.*2. *cap.* 5. & de fide *diſp.*6. *ſec.*5. Arriaga de gratia *diſp.*41. Oviedus de gratiâ *tract.* 7. *controv.*6. *punc.*3. Madernus de gratiâ *quaſt.*4.*art.*1. & de fide *quaſt.*2. *art.*1. Eſparza de Gratiâ *lib.* 4.*quaſt.*7. & de fide *lib.*6.*quaſt.*26. Amicus *hic diſp.*10 *ſec.*2. & Major pars cæterorum, tùm Thomiſtarum, tùm Recentiorum.

121\. Ad ferendum inter utramque opinionem judicium videbitur alicui neceſſarium præmittere, quænam ſit propria ac formalis ratio ſupernaturalitatis in genere? ut exindè deſcendi poſſit in particulari ad perfectam notionem ſupernaturalitatis quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalitatis quoad modum: pro quo placet obiter indicere ordinem ſupernaturalem eſſe ordinem divinum & in creatis per participationem reperiri, ubi reperitur proportio ſeu proportionata connexio aut immediata, aut mediata, cum prædicatis propriis Dei ut eſt in ſe, & quæ per conſequens in Deo conſtituunt ordinem ipſius proprium ac in toto rigore divinum; nam quæ Deus habet cum creatoris communia ut eſſe intellectivum, eſſe volitivum, eſſe ſpiritum, eſſe ſubſtantiam, eſſe ens, conſtituunt ordinem non tàm divinum, quàm abſtrahentem à divino & creato: Elucet maximè proportionata connexio cum prædicatis Dei propriis in viſione beata, quæ talia prædicata nimirùm rationem entis à ſe, rationem actus puri, rationem ſummi boni & ſimilia attingit ut ſunt in ſe ac immediatè in ſe ipſis: hincque transfertur connexio ſaltem mediata in ea omnia, quæ habent proportionem cum viſione per modum aut effectus ad ipſam conſequentis, aut proprietatis ipſam comitantis, aut principij ſivè phyſici ſivè moralis ad ipſam conducentis: Ex proportione deindè & connexione cum ijs, quæ ſunt Dei naturæque increatæ propria, infertur exceſſus & ſuperioritas ad omnem naturam creatam, quod eſt idem ac dicere ſupernaturalitas ſecundùm ſignificationem, quam habet ex vi ipſa nominis:

Supernaturalitas in genere quid ſit formaliter ac propriè?

122\. Scio doctrinam hanc non omnibus arridere, eamque impugnat inter cæteros Arriaga 1.*p.* *diſp.*3.*ſec* 2. *ſubſec.* 1. At mihi ſufficiat indicaſſe quid ſentiam in difficultate, de quâ nec opportunum hic eſt nec neceſſarium ex profeſſo diſſerere, nam in quocumque tandem ſupernaturalitas ſivè formalis ſivè radicalis collocetur, pro re noſtra poſſumus indeffinitè loqui & uti terminis communibus ac notis abſtrahendo ab eo, quod ſub ipſis continetur tanquàm Medulla ſub cortice; poſſumus ſcilicet ſupernaturale in genere appellare illud, quod eſt ſuprà vires cujuſcumque naturæ & ſubſtantiæ creatæ nobis notæ; illud deindè quod tale eſt ratione propriæ entitatis ac perfectionis ſpecificæ, ac per conſequens quod ſemper eſt tale, ſicuti ſemper habet eandem entitatem rationemque ſpecificam, appellamus ſupernaturale quoad ſubſtantiam; illud verò quod eſt tale ratione alicujus à ſe diſtincti, & ſine quo eſſe poteſt, ac per conſequens quod non ſemper eſt tale, appellamus ſupernaturale quoad modum, intrinſecum quidem, vel extrinſecum; pro ut ea ratio diſtincta intrinſecè, vel extrinſecè afficit entitatem rei; ſic natura humana in Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ dici poteſt ſupernaturalis quoad modum intrinſecum actus naturalis elicitus ex imperio virtutis per ſe infuſæ dici poteſt ſupernaturalis quoad modum extrinſecum; ſicuti & à fortiori ea omnia, quæ ſuperant naturæ vires non ratione alicujus permanentis in re, aut cum re productâ, ſed præciſè in fieri & ratione talis determinati modi producendi, ut viſio cæco reſtituta, reproductio ejuſdem numero effectus, vinum ex aquâ factum in nuptiis, &c. His pro ſententiarum varietate, & terminorum prænotione ſuppoſitis ſit.

Quid item ſub terminis vulgaribus ex vi nominis?

Quid ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam: Quid ſupernaturalitas quoad modum?

Aſſert. 2. Actus fidei infuſæ & divinæ, cæterique actus virtutum per ſe infuſarum in viâ ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Ita Thomiſtæ & Recentiores communiter contrà Nominales & Scotiſtas, ut retulimus *præced. num* 119 & 120. 123.

Actus fidei, aliarumque virtutum per ſe infuſarum ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam.

Dixi *in via* non quia non ſint pariter quoad ſubſtantiam ſupernaturales actus virtutum per ſe infuſarum in patriâ; ſed quia maior eſt & huius loci magis propria controverſia de actibus viæ, & quidquid de his dicetur de illis à fortiori proceder; imò actus patriæ, ſeu glorioſos, fatentur eſſe in ſubſtantiâ ſupernaturales plures etiam ex iis, qui talem prærogativam negant actibus viæ, de quibus tamen aſſertum.

Probatur: ad eliciendos actus fidei, cæterarumque virtutum per ſe infuſarum in viâ prærequiruntur tùm ſupernaturales quoad ſubſtantiam habitus, tum auxilia actualia ſupernaturalis ordinis; atqui nec illi nec iſta poſſunt neceſſario prærequiri, niſi ad actus quoad ſubſtantiam ſupernaturales; ergo verè actus fidei, &c. ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturales: Major quoad primam partem patet ex eo, quod loquimur de actibus virtutum per ſe infuſarum, adeóque prærequirentibus virtutes per ſe infuſas, quod eſt idem ac dicere habitus ſupernaturales ſimpliciter & quoad ſubſtantiam, qui etiam veniunt nomine donorum, quorum infuſio ex Tridentino *ſeſſ.*6. *cap.*7. 124.

cap. 7. fit ſimul cum infuſione gratiæ; quoad ſecundam habetur *ex tractat. præcedent. lib. 2. c. 4. §. 2. &* 3. ubi inſinuavimus plures ex ſcripturâ & Conciliis auctoritates requirentes ad fidem, aliaſque virtutum infuſarum actus, auxilia actualis gratiæ, & quidem ſupernaturalis ex communi Sanctorum Patrum ſenſu; hoc *ibid.* comprobavimus multis rationibus, at quia iſtæ ferè omnes ſupponebant actus ſalutares eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, non poſſumus ex neceſſitate gratiæ, ut rationibus illis comprobata, inferre ſupernaturalitatem actuum, niſi fortioando circulum vitioſum quo probemus ex ſupernaturalitate actuum neceſſitatem ſupernaturalis auxilij, & ex neceſſitate ſupernaturalis auxilij ſupernaturalitatem actuum. Minor probatur occurrendo doctrinæ, quâ Adverſarij aliundè, quàm ex actuum ſupernaturalitate quoad ſubſtantiam conantur ſalvare neceſſitatem auxiliorum habituumque ſupernaturalium.

Quid item ſub terminis vulgaribus ex vi eorum mis?

Quid ſupernaturalem quoad ſubſtantiam; Quid ſupernaturalem quoad modum?

Dices igitur primò in univerſum talem neceſſitatem provenire ex actuum ſupernaturalitate quoad modum, & hoc deducitur ex eo, quòd Concilia & Patres dum loquuntur de actibus patriæ abſolutè docent eos haberi nô poſſe naturæ viribus, de homine verò in viâ dum docent ipſum non poſſe per ſolas naturæ vires credere, ſperare, pœnitere, Deum diligere, &c non loquuntur ſimpliciter ſed cum addito *ut oportet* ly autem *ut oportet* non eſt niſi quædam modificatio ſeù modus actuum; in ordine ad bonc modum, non in ordine ad ſubſtantiam actuum prædictorum homo in via indiget auxiliis & habitibus ſupernaturalibus, & confirmari poteſt ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 171. *art.* 2. *ad* 3. ubi diſtinguit actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam ut *miracula facere* & ſupernaturales quoad modum, ut *Deum diligere* & ad hoc ait dari donum gratiæ habitualis. Sed contrà: impugnando ſequentes inſtantias innoteſcet Adverſarios non poſſe aſſignare modum ullum ab actuum ſubſtantiâ diſtinctum, in quem poſſit refundi neceſſitas & terminari activitas auxiliorum, habituumque ſupernaturalium; interim in univerſum dico multum dertahi præmemoratis auctoritatibus, dum explicantur relatè ad modum tantùm, non ad ſubſtantiam actuum: Nec ſubſiſtit Adverſariorum deductio, nam diverſa Sanctorum Patrum locutio de actibus viæ & patriæ, provenit fortè ex eo, quod potiſſimus patriæ actus omnium viſio, nullum habet actum naturalem ſibi genericè ſimilem, ſicuti tamen dantur actus naturales genericè ſimiles reſpectu actuum ſupernaturalium viæ. Ly *ut oportet* additur à Patribus, & Concilijs, ad ſignificandam differentiam ſpecificam, vel, ſi vis, modificationem eſſentialem; nec importat modum accidentalem & diſtinctum à ſubſtantia actus, ut malè imaginantur Adverſarij. Ad confirmationem dico D. Thomam ibi appellate ſupernaturales quoad ſubſtantiam eos actus, qui ſunt indebiti homini etiam elevato, ſupernaturales quoad modum eos, qui ſunt homini elevato connaturales, cum quo ſtat etiam iſtos eſſe ſupernaturales in ſenſu à nobis hic intento. Hæc auctoritatis angelicæ intelligentia eſt omninò conſona textui, cæterùm ſi alibi, aut apud alium Sanctum Patrem, invenias actus credendi, ſperandi & dici ſupernaturales quoad modum, naturales quoad ſubſtantiam, intelligito de modo eſſentiali qualificativo ſeu diviſivo generis, & de ſubſtantia ſumpta pro ratione generica.

125. [sidenote partly cut off: ... ſides ... ſupernaturales ... ſubſtantiam]

125.

Dices ſecundò in particulari aſſignari poſſe triplicem potiſſimùm modum, ratione cujus ad actus ſalutares, & ut oportet, requirantur auxilia & habitus ſupernaturalis ordinis: Primò ſcilicet aſſignari poteſt intentio, aut duratio major eâ, ad quam poſſint ex ſe naturæ vires pervenire: Secundò facilitas & delectabilitas, cum qua nequeat naturalis potentia operari, ſine auxilijs & habitibus ſupernaturalibus: Tertiò aliquid ſpectans ad genus moris, & ſpecialis dignificatio ex habitibus infuſis in actus redundans, eoſque reddens Deo acceptabiles, & meritorios. Sed contrà. 126.

Intentio eſt de ſubſtantiâ actus, non modus.

Ad primam partem inſtantiæ, præter quod malè ſupponit actum non poſſe eſſe ſalutarem, & ut oportet, niſi attingat determinatam quandam intenſionem; dico intenſionem non eſſe modum actus, ſed ſubſtantiam; non enim aliter augetur ſubſtantia ſeu entitas actus, quàm per hoc quod intendatur; dantur igitur habitus ſupernaturales propter ſubſtantiam, non propter modum, ſi dantur propter intenſionem actuum: eadem ferè eſt ratio de duratione, cum nec actus ſalutaris requirat ullam determinatam moram durationis, nec iſta per nos ſit quid adæquatè diſtinctum à ſubſtantia rei duratis. Neque dicas, ſicuti requiritur gratia ad obſervantiam legis per notabile, non per breve tempus, adeóque obſervantia legis ratione majoris durationis excedit naturæ vires, cur idem dici pariter non poterit de actu ſalutari? Contrà enim, quòd obſervantia legis per notabile tempus, & magnam durationem, indigeat gratiâ, eſt propter impedimenta extrinſeca in majori duratione occurrentia, non propter durationem ipſam, quæ ſit quid obſervantiæ ſuperadditum, & modos excedens naturæ vires; ideò nulla hinc habetur pro Adverſariorum intento paritas, nullaque illatio.

Ad ſecundam partem dico in primis facilitatem, & delectabilitatem, eſſe modum potentiæ potiùs, quàm actus, qui in ſe nihil amplius haber ex eo, quòd ſit facilè & delectabiliter elicitus; deindè tribuere facilitatem & delectabilitatem eſt commune habitibus aquiſitis, modus igitur facilitatis & delectabilitatis nec eſt ex genere ſuo ſupernaturalis, nec requirit habitus per ſe infuſos. Tandem ponere principia ſupernaturalia ſolùm propter facilitatem & delectabilitatem actuum ſalutarium eſt accedere ad Pelagianos, volentes gratiam requiri ad facilè, non ad ſimpliciter poſſe ſalvari. 127.

Ad tertiam partem, præter quod habere rationem formæ dignificantis in ordine ad meritum videtur proprium gratiæ habitualis, dico quod cæteri habitus, ſi nihil aliud præſtarent, quàm dignificare moraliter in genere cauſæ 128.

Habitus virtutum non ſe habent ut formæ, dignificantes

moraliter ſuos actus.

cauſæ formalis, non eſſent operativi, nec benè dicerentur habitus virtutum, ſicuti nec habitus operativus, nec virtus eſt, ipſa gratia ſanctificans. Deinde ſi actus ſalutares à non ſalutaribus differunt præcisè penes dignitatem aliqnam moralem in ipſos ex virtutum habitibus redundantem, ad actus ſalutares & virtutum infuſarum non requirerentur diverſa, majoraque auxilia actualia, quàm ad actus non ſalutares & virtutum aquiſitarum; neque enim ad dignificationem moralem requiruntur ſpecialia auxilia.

Dices tertiò ſpecialiter circà actum fidei pro modo ſupernaturalem habitum exigente aſſignari poſſe certitudinem & infallibilitatem, quæ omninò major eſt in actu fidei infuſæ, quàm eſſe poſſit in quolibet actu fidei

129. aquiſitæ. Sed contrà: hujuſmodi majot certitudo & infallibilitatis eſt ſubſtantia, non modus fidei infuſæ; ut enim patet ex dictis, ingreditur definitionem ipſius & ei convenit ratione objecti formalis; proprium autem eſt objectorum formalium ſpecificare, non modificare ſuos actus, ſeu eis tribuere ſubſtantiam, eſſentiam, ſpeciem; non modum.

Dices quartò: Quando tandem aſſignari non poſſet determinatè, quis ſit modus ſupernaturalis actuum ſalutarium? certè nequit in univerſum negari, quin ſint poſſibiles actus ſupernaturales ſolùm quoad modum; atqui ſuppoſita præcisè hâc poſſibilitate, tales aſſerendi ſunt de facto actus ſalutares; eſt enim regula generalis, quod non debeant diverſificari entitates ſine neceſſitate, magis autem entitates diverſificat qui actus ſalutares aſtruit ſupernaturales in ſubſtantiâ, quàm qui illos aſtruit ſupernaturales in modo; quia ille, non iſte diverſificat ſpecie actus ſalutares virtutum infuſatum à non ſalutaribus virtutum aquiſi-

130. tarum. Sed contrà: quoad modum extrinſecum dicito, ſi vis, ſupernaturales omnes actus naturales elicitos ex imperio ſupernaturali; at quidquid aſſignaveris pro modo intrinſeco, erit actuum ſubſtantia, non modus; ideò nõ admitto poſſibilem actum ſupernaturalem ſolùm quoad modum intrinſecum, non quoad ſubſtantiam: Quidquid deindè ſit de hac poſſibilitate in genere, ſaltem in ſpecie nullatenus admitto poſſibilẽ hujuſmodi actũ, qui ſalutaris ſit: Regula non diverſifiraudi; nec multiplicandi ſine neceſſitate entitates, nobis favet quia ex una parte Adverſarij ponunt in actu ſalutari duas entitates, nimirùm entitatem naturalem actus, & entitatem ſupernaturalem modi, nos ponimus unicam entitatem

Actus ſupernaturales ſolum quoad modum intrinſecum ſimpliciter repugnant.

131. actus, quæ ſit per ſe ipſam ſupernaturalis ſine ullo ſuperaddito; ex alia parte non deeſt nobis neceſſitas diverſificandi ſpecie actus ſalutares à non ſalutaribus; eam enim evincunt in primis quæcunque hucuſque probarunt actus ſalutares eſſe ſupernaturales in ſubſtantiâ, & prætereà tum ſubſtantialem ſupernaturalitatem tum ſpecificam diverſitatem actuum ſalutarium à reliquis, ſuadent primò ſubſtantialis ſupernaturalitas & ſpecifica diverſitas habituum per ſe infuſorum ab habitibus aquiſitis: Secundò rationes diſpoſitionis, meriti, medij per ſe conducentis ad formam, ad

Attinguntur variæ confirmationes aſſerti ſuperiùs poſiti.

mercedem, ad finem in ſubſtantiâ ſupernaturalem, quæ rationes ſolis actibus ſalutaribus conveniunt: Tertiò proportio, & ſpecialis connexio, cum prædicatis Dei proprijs, ſeu cum Deo ut eſt in ſe, reperta in ſolis actibus ſalutaribus, præſertim verò in theologicis, qui ſunt ſpeciales participationes actuum, quibus Deus intelligit & diligit immediatè ſe ipſum ut eſt in ſe. Quartò ſupernaturalitas & ſpecifica diverſitas objectorum formalium; Pro quâ, & pro poſtremâ præfixi tituli parte mox ſtatuetur ex ſupernaturalitate objectorum formalium maximè deſumi ſupernaturalitatem actuum, & in univerſum ab illis iſtoa ſpecificari ſeu ſpecie diverſificari. Sit igitur.

Aſſert. 4. Actus fidei infuſæ & divinæ, cæterique actus ſalutares primariò ſortiuntur ſupernaturalitatem ſuam ex ſupernaturalitate objectorum formalium; nec poteſt actus naturalis reſpicere objectum formale ſupernaturale, aut actus ſupernaturalis objectum formale naturale. Ita Alcnſis 3. *par. quaſt.* 78. *memb* 2. Richardus *in* 2. *diſt*. 3. *art*. 7. *quaſt*. 1. *ad* 1. & *in* 3. *diſt*. 23. *art*. 7. *quaſt*. 2. Bonaventura *ead. diſt. art*. 2. *q*. 2. D. Thomas *hic q*. 5. *art*. 3. *in c*. Bannez *q*. 9. & 24. *artic*. 2. Medina 1. 2. *quaſt*. 62. *articul*. 2. Vaſquez 1. 2. *diſput*. 86. *cap*. 2. Suarez *de gratia lib*. 2. *cap*. 11. Amicus *hic diſp*. 10. *ſec*. 4. Eſparza *lib*. 6. *q*. 26. & multi alij recentiores cum Thomiſtis communiter contrà Seotum *in* 3. *diſt*. 25. *quaſt*. 2. & *diſt*. 27. *quaſt unic. art*. 2. Maſtrium *in* 3. *diſp*. 6. *quaſt*. 7. *art*. 1. & inter reliquos negantes actibus ſalutaribus ſupernaturalitatem in ſubſtantia, tum ex admittentibus talem ſupernaturalitatem Oviedum *de gratia tract*. 7. *controv*. 2. *punct*. 2. Madernum *de gratia quaſt*. 3. *num*. 28. Arriagam *hic diſput*. 14. *ſect*. 3. alioſque nonnullos. 131.

Actus ſalutares ſunt ſupernaturales præcipuè ex vi objectorum formalium.

Dixi *primariò ſortiuntur*, Cum enim hucuſque probatum ſit actus ſalutares eſſe ſupernaturales in ſubſtantia ex eo, quod procedant ab habitibus in ſubſtantiâ ſupernaturalibus, utique neceſſe eſt actus ſalutares ſortiri ſupernaturalitatem etiam ex habitibus: illud igitur quod in præſenti intendimus eſt, quod ſortiantur ſupernaturalitatem ex habitibus in genere cauſæ efficientis, at in genere cauſæ formalis, tum actus ipſi, tum habitus, eam ſortiantur ex ſupernaturalitate objectorum formalium ſeu ex habitudine ad objecta formalia ſupernaturalia, adeò ut ex eo quod actus aliquis habeat aut petat principium efficiens ſupernaturale, rectè infetatur ipſius ſupernaturalitas, at non poſſit habere aut petere principium efficiens ſupernaturale, niſi ratione objecti formalis ſupernaturalis: Dum ſupernaturalitas actus infertur ex ſupernaturalitate habitus proceditur à ſpecificato ad ſpecificans; dum ex ſupernaturalitate objecti proceditur à ſpecificante ad ſpecificatum, quæ eſt illatio potior & primaria; quamvis pro præcedenti aſſerto uſi potiſſimum fuerimus illatione deſumpta ex habitibus, eò quod ſit magis facilis, & minùs controverſa. 133.

Dixi *ex ſupernaturalitate objectorum formalium*, de materialibus enim diverſa eſt ratio, & horum quidem ſupernaturalitatem nec 134.

requiri

Non ſic ex vi objectorum materialium.

requiri, nec ſufficere ad ſupernaturalitatem actuum, patet ex eo quia viſio beata eſt actus maximè ſupernaturalis, & tamen habet pro objecto materiali, ac terminativo plures res naturales, & fides infuſa eâ ex parte, qua hiſtorica eſt, fere dumtaxat ad naturalia terminatur; ad ſupernaturalem igitur actum non requiritur ſupernaturalitas materialis objecti; at nec ſufficit, quia hæreticus non habet fidem ſupernaturalem, ſed naturalem dumtaxat & humanam, & tamen credit omnia ferè ſupernaturalia myſteria quæ credit Catholicus, non eſt igitur ſupernaturalis actus ex eo quod attingat objectum materiale ſupernaturale; & fortè aliqui ex Adverſarijs, dum abſolute docent actum naturalem attingere poſſe ſupernaturale objectum, loquuntur de ſolo objecto materiali, aut de objecto formali ſumpto materialiter. Verùm quidquid ſit de hoc

135. Probatur ex eo, quod communiter dici ſolet habitus ab actibus, actus ab objectis (ſubintellige formalibus) ſpecificari; non ſpecificarentur autem, ſi ab objecto formali naturali naturalitatem, ab objecto formali ſupernaturali ſupernaturalitatem actus & habitus non ſortirentur; & poſſent ex eodem objecto formali, ſivè naturali, ſivè ſupernaturali, elici actus naturalis ab habitu acquiſito, actus ſupernaturalis ab habitu infuſo. Confirmatur primo ex Scoto, qui ut attigimus *præced. num.* 118. docet dari aliquam ſupernaturalitatem provenientem ab objecto, & ex hac ſupernaturalitate vult inferri ſupernaturalitatem provenientem ab agente; hoc autem quid aliud eſt, quàm actus ſortiri primario ſupernaturalitatem ex objecto, & ex hoc inferri ſupernaturalitatem habitus, quæ eſt ſupernaturalitas ſe tenens ex parte agentis. Confirmatur ſecundò: actus fidei infuſæ habet certitudinem & infallibilitatem majorem omni eâ, quæ reperiri poſſit in quocumque actu naturali; atqui hoc eſſet falſum ſi ex objecto formali ſupernaturali elici poſſet naturalis fidei actus, iſte enim haberet certitudinem & infallibilitatem tantam quantam actus fidei infuſæ, qui non eſt certus & infallibilis, niſi ex vi ſui objecti formalis: nec pro majori certitudine fidei infuſæ recurri poteſt ad pium voluntatis affectum; quia ſi actus fidei acquiſitæ elici poteſt ex eodem objecto formali, elici à fortiori poterit ex eodem pio affectu, ex quo fides infuſa.

Dices primò actus ſpecificari ab objectis, at tanquàm ab inadæquato, non tanquam ab adæquato ſpecificativo, propiereáque ſpecificari etiam à principijs; ut patet ex eo, quòd intellectio angelica & humana; etiam quando habent idem objectum formale, ſpecie differunt propter diverſas ſpecie potentias intellectivas, a quibus eliciuntur; cur ergo ſimiliter propter diverſitatem ſpecificam habituum, quorum unus naturalis, alter ſupernaturalis ſit, dari non poterunt de eodem objecto formali ſive naturali ſive ſupernaturali diverſi ſpecie actus, unus naturalis, alter ſupernaturalis. Sed contra: dico actus ſpecificari ab objectis formalibus, tanquam ab inadæquato ſpecificativo, quando ipſa objecta formalia habent habitudinem & proportionem ad diverſa ſpecie principia, ut evenit in ente naturali comparato ad intellectum angelicum & humanum præſertim animæ ſeparatæ, ſecùs quando objecta habent habitudinem & proportionem ad unicum determinatum principium; ſicuti v. g. Deus ut eſt in ſe habet proportionem ſolùm cum lumine gloriæ aut aliquo ipſum ſupplente; ſic & in propoſito objecta formalia ſupernaturalia habent proportionem ſolùm cum habitibus & principijs ſupernaturalibus, naturalia cum naturalibus, quia objectum formale eſt ultima determinatio ſub qua res attingitur, implicat autem quod attingentia ſupernaturalis feratur in rem ſub ultimâ determinatione attingibilitatis naturalis, aut attingentia naturalis in rem ſub ultimâ determinatione attingibilitatis ſupernaturalis; attingentia enim potentiæ & attingibilitas objecti debent eſſe ejuſdem rationis & ſibi correſpondentes; alioqui ſonus ſub ratione audibilis poſſet attingi ab oculo, cujus materiale per ſpeciem ſenſibilem poſſet attingi ab intellectu. 136.

Objecta formalia quandonam ſint ſpecificativa inadæquata, quando adæquata?

Dices ſecundò: ſi actus naturalis & ſupernaturalis non poſſent elici ex motivo & objecto formali eodem, unuſquiſque haberet experientiam ac per conſequens certitudinem de naturalitate aut ſupernaturalitate ſuorum actuum; certò ſcilicet diſcerneret, quandonam habeat naturalem, quando ſupernaturalem actum? atqui nemo poteſt habere talem experientiam & certitudinem pro ſtatu viæ, quia ſecùs poſſet eſſe certus de propriâ gratiâ, & juſtificatione; cum certum ſit de facto gratiam juſtificantem ſemper conferri elicienti ſupernaturalem actum contritionis, aut dilectionis Dei; ergo actus naturalis & ſupernaturalis poſſunt elici ex eodem motivo: Major probatur ex eo, quod unuſquiſque facilè habet experientiam, & certitudinem de motivo ex quo operatur, naturale ne an ſupernaturale ſit? puta Utrùm pro motivo credendi teſtimonium humanum habeat, an divinum? Hanc inſtantiam deſumunt Adverſarij ex Scoto *in* 1. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. & alibi, & addunt eam non militare contrà actus patriæ & glorioſos, quorum objecta formalia etiam ipſi admittunt non poſſe actibus naturalibus attingi, at inquiunt hoc nihil referre, quia in patria unuſquiſque habet certitudinem & experientiam ſuorum actuum ſupernaturalium. Sed contrà: dico in primis nos non adeò adhærere doctrinæ aſſertæ ut eam pro omninò certâ habeamus, & notemus oppoſitam aut tanquam quaſi erroneam ut videtur notare Suarez apud Arriagam *præcit. diſp.* 14. *num.* 1. aut tanquam periculoſam ut notat Canus apud Amicum *præcit ſec.* 4. *n* 45. nullam nos cenſemus notam inurendam Adverſarijs, imò admittimus ſtare ſuâ pro illorum opinione probabilitatem; hinc fit quod quamvis certus eſſem me operari ex motivo formali ſupernaturali adhuc non eſſem certus me elicere ſupernaturalem actum, quia probabilius 137.

Sententia præcedenti aſſerto oppoſita non debet cenſura notari.

Digitized by Google

tantùm, non ſimpliciter certum mihi eſt, ex motivo formali ſupernaturali non poſſe elici, niſi actum ſupernaturalem: verùm nec admittendum eſt poſſe aliquem in via eſſe certum ſe operari ex motivo ſupernaturali primò, quia ſæpè poteſt ſuſpicari, utrùm motivum ſupernaturale, quod ſibi proponit, ſit in re an putativè tantum tale? motivum autem formale ſupernaturale duntaxat putative non ſufficit ad ſupernaturalem actum *ex præcedent.ca.3.§.6.* Secundò, quia non poteſt diſcerni, utrùm objectum formale ſupernaturale exerceat munus ſuum, an materialiter ſe habeat & purè terminet actum per modum objecti materialis: quâ ratione ſolent attingere hæretici objectum formale noſtræ fidei; & impotentia diſcernendi provenit ex eo, quod ſimul cum objecto formali ſupernaturali repræſentetur ſemper, aut tanquàm prævium, aut tanquam concomitans, aliquod objectum naturale, de quo dubitari poteſt, utrùm ipſummet ſit ratio motiva & objectum formale in actu exercito?

Cur nemo in via ſit certus de ſuis actibus ſupernaturalibus?

138. Dices tertiò nos hucuſque proceſſiſſe ex falſo ſuppoſito, ſuppoſuiſſe ſcilicet dari pro actibus fidei divinæ, aliarumque virtutum per ſe infuſarum, objecta formalia ſupernaturalia; cujus ſuppoſiti falſitas probatur in primis quoad fidem divinam; hujus objectum formale juxtà ſupradicta conſurgit ex veracitate Dei, & revelatione propriè ſumptâ ac per loquutionem factâ; atqui tum veracitas, tum revelatio & loquutio Dei, ſunt objectum maximè naturale & naturæ lumine cognoſcibile; nam Deum eſſe veracem eſt quaſi principium per ſe notum & cadit ſub naturali evidentia, eo ipſo autem quod eſt verax neceſſariò ſequitur quod loqui poſſit, repugnat quippè veracitas ſeu veritas in dicendo ei, qui nihil poſſit dicere; & certè quis audeat Deum mutum excogitare, cum nec de falſis diis ulli unquam nationi id in mentem venerit, ſed Pagani omnes ſuppoſuerint ſuos Deos poſſe dare reſponſa, ideoque conſueverint eos interrogare, & conſulere, ut obſervat Arriaga *hic diſputatio. decima quarta, ſectio. quarta, numero ſexageſimo ſexto*; ergo objectum formale fidei totum eſt naturale: eſt pariter naturale objectum formale charitatis; nam Deus ut in ſe ſummè bonus innoteſcit naturæ lumine, nec datur in Deo duplex ſumma bonitas, quarum altera poſſit ſolo lumine infuſo innoteſcere, & ſit objectum formale ſupernaturale proprium charitatis per ſe infuſæ. Multo magis naturalia ſunt objecta formalia virtutum per ſe infuſarum moralium, juſtus enim exercens actum temperantiæ infuſæ v.g. non reſpicit diverſam honeſtatem ab ea, quam reſpicit alius quicunque eliciens actum temperantiæ acquiſitæ; idem exemplificari poteſt in largitione eleemoſynæ, &c. Sed contrà: multum detrahitur, tum neceſſitati gratiæ, tum perfectioni actuum ſalutarium, tribuendo iſtis objectum formale naturale, ideò nego nos proceſſiſſe ex falſo ſuppoſito, & malè ſuppoſuiſſe ſupernaturalitatem objectorum formalium, &c.

Ad illud quod in oppoſitum dicitur de objecto formali fidei, quidquid ſit, utrùm veracitas & locutio Dei, utcumque accepta, poſſint cadere ſub naturæ lumine & habere rationem objecti naturalis: quod, præſertim quoad locutionem propriè ſumptam, valdè controvertitur, & negatur tum ab Eſparza *lib.6 q.16 a.7.* tum ab aliis quorum plura argumenta refert Arriaga *præcit. ſect.4.* licet ipſe oppoſitum ſentiat, & intendat ibi ex profeſſo oſtendere Deũ naturaliter poſſe cum hominibus loqui; quidquid, inquam, ſit de veracitate & locutione Dei utcumque acceptis, dico utramque eſſe ſupernaturalem, ſi accipiatur, ut eſt objectum formale fidei, ut ſcilicet ſub repræſentatione & apparentia obſcura inducunt intellectum ad aſſenſum firmiſſimum, conſtat quippè in nullo objecto naturali naturaliter conſiderato dari ſine evidentia vim certificandi intellectum, & firmandi ipſum ſimpliciter in aſſenſu ſuo: Habet inſuper utraque ut eſt objectum formale fidei ſupernaturalitatem ea ratione, quâ mox dicemus de objectis formalibus virtutum moralium. 139.

Explicatur ſupernaturalitas objecti formalis fidei.

Ad objectum formale charitatis dico Deum naturæ lumine non innoteſcere ut ſummè bonum ſimpliciter, ſed ſolùm ut ſummè bonum in ordine naturæ; undè etiam amor Dei naturalis quomodocunque perfectus ſit, non eſt ſuper omnia ſimpliciter, quia eſt amor Dei tantùm ſuper omnia bona creata naturalia, non etiam ſuper ſupernaturalia, cum hæc non cadant ſub lumine naturalem Dei amorem dirigente: Ad illud quod dicebatur non dari in Deo duplicem ſummam bonitatem, verum eſt formaliter & abſolutè, ſecùs eminenter & relatè ad nos; pro quo repetenda ſunt ſupradicta *tract. præced. lib.1. cap.2. §. 3.* & obſervandum abſolutè in Deo nihil eſſe ſupernaturale, quia quidquid Deo ineſt naturaliſſimè ineſt, nec quidquam eſſe poteſt ſuprà naturam increatam ipſius; ſupernaturalitas igitur dicitur ſolùm relatè ad nos, naturamque creatam, ſicque bonitas divina quatenùs cauſat & ſuperat bona excedentia quamlibet naturam creatam, hæcque per conſequens eminenter continet rectè dicitur ſupernaturalis eminenter, & relatè ad nos. 140.

Item objecti formalis charitatis.

Ad objecta formalia virtutum moralium per ſe infuſarum dico honeſtatem temperantiæ, & alterius cujuſcunque virtutis moralis conſiderari poſſe dupliciter, primò præciſè ſecundùm perfectionem ſibi intrinſecam & quaſi innatam, ſecundùm quam eſt apta conducere ad ultimum finem naturalem, ſecundò quatenus ſubeſt ordinationi divinæ, ſecundùm quâ eſt apta conducere ad finem ſupernaturalẽ ad quem homo ſupponitur elevatus; honeſtas virtutis moralis, ut affecta hâc conducentiâ ad finem ſupernaturalem, differt in ratione objecti motivi & formalis à ſe ipſa præciſè accepta, & eſt objectum formale ſupernaturale quod, quatenùs ſimul cum tali conducentia movet, nequit per naturalem actum attingi. Neque dicas in exercitio virtutum moralium valdè rarò, aut à rudioribus fortè nunquam attendi ad talem conducentiam; 141.

Item objecti formalis virtutum moralium per ſe infuſarum.

Digitized by Google

tiam; ſicque ſi talis conducentia deberet intendi, & ingredi rationem formalem motivi in ordine ad actus ſalutares, pauciſſimi, aut in rudioribus fortè nulli actus ſalutares exercerentur in materia virtutum moralium. Contrà enim: ſufficit quod talis conducentia intendatur ſub conceptu implicito, quo quis in ſuâ operatione intendat ſalutem & beatitudinem, ad quam eſt de facto ordinatus; quæ intentio in exercitio virtutum moralium frequenter, & facilè haberi poteſt, etiam à rudioribus: ideò &c.

142. Ex dictis habes Adverſarios, dum docent actus, tùm naturales, tùm ſupernaturales, verſari poſſe circà idem prorsùs objectum etiam formale, non idcircò omnes negare diverſitatem ſpecificam inter actus naturales, & ſupernaturales, ad eandem virtutem ſpectantes, ſed eos præſertim, qui actus ſupernaturales ponunt tales in ſubſtantia, adhuc ſuſtinere ſpecificam ipſorum diverſitatem à naturalibus, cum hoc à nobis diſcrimine, quod ipſi velint talem diverſitatem ſpecificam, ſicut & ſopernaturalitatem provenire dumtaxat ex ſpecificâ diverſitate & ſupernaturalitate habituum; nos verò volumus per prius & principalius provenire ex diverſitate, & ſupernaturalitate formalium objectorum.

143. *Actum naturalem & actum ſupernaturalem non poſſe eſſe de eodem objecto formali, procedit etiam de potentia abſoluta.*

Habes inſuper per nos nec divinitùs poſſe eſſe de eodem objecto formali actus, rùm naturales, tùm ſupernaturales; cum nec divinitùs variari poſſint rerum eſſentiæ; variarentur autem, ſi actus naturalis, qui pro ſuo eſſentiali ſpecificativo reſpicit objectum formale ordinis naturalis, poſſet reſpicere objectum formale ſupernaturale, quod eſt eſſentiale ſpecificativum actus ſupernaturalis; & iſte è contra &c. Propterea reijcienda eſt tanquàm falſa media quædam in hâc difficultate ſententia, qua Lugus *diſput. 9. ſectione prima* aliique nonnulli docent non dari quidem de facto & de lege ordinaria actus naturales, & ſupernaturales, circa idem objectum formale; abſolutè tamen id non repugnare; hanc ſententiam Arriaga *pracitata diſputat. decimaquarta, ſectio. quinta*, ait maximè laborare vitio ſententiis mediis familiari, quod eſt utriuſque extremæ ſententiæ difficultatibus ſubjacere, & neutris ſatisfacere.

CAPVT VI.

De actu fidei externo.

1. *Actus externus ſeu confeſſio fidei quid?*

ACtus fidei externus nuncupatur communiter confeſſio, ſeu profeſſio fidei, & conſiſtit (quatenùs humano modo fit) in actione potentiæ locomotivæ, quâ per motum linguæ, manus, aut alterius membri formatur locutio, ſcriptura, aut nutus aliquis, ad proteſtandam & ſignificandam fidem internam; unde perſpicuum eſt actum fidei externum eſſe valdè imperfectiorem interno, & ſi ad internum comparetur vix poſſe nominari fidei actum, utrùm verò fidei actus ſimpliciter, ac propriè dici poſſit? ſi comparetur ad habitum adeò ut à fidei habitu ſpecialiter proveniat; controvertitur inter Theologos, & aliqui apud Mæratium *hic diſp. 20. ſectio. 1.* docent actum fidei externum provenire ab habitu quodam ſpeciali, quem virtutē confeſſionis vocant; aliqui alij volunt imperativè quidem prodire ab eodem habitu piæ affectionis, à quo imperatur fides; at elicitivè, nec ab habitu fidei, nec ab ullo alio habitu virtutis oriri, ita Mæratius *loc. cit.* Arriag. *diſp. 21. ſec. 1.* Herincx *diſp. 8. q. 1.* &c. Pro ſolutione ſit

---

§. I.

An & quomodo actus externus, ſeu confeſſio fidei, proveniat à fidei habitu?

ASSERT. I. Actus externus ſeu confeſſio fidei ſuo modo provenit, tum elicitivè, tum imperativè ab eodem habitu, à quo provenit fides interna: provenit ſcilicet elicitivè ab habitu fidei exiſtente in intellectu, imperativè ab habitu piæ affectionis exiſtente in voluntate, Ita D. Thomas *hic quaſt. 3. art. 1.* Sylvius *eod art. 1.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 3. dub. 1.* Valentia *diſp. 1. quaſt. 3. punct. 1.* Amicus *diſp. 14. num. 5.* Madernus *quaſt. 3. art. 6.* cæterique communiter contra nonnullos, quorum meminit Mæratius *pracit. ſect. 1.* & ex parte contrà ipſummet Mæratium, Arriagam, & Herincx, cum quibus tamen diſſidium ad modum loquendi potiùs, quàm ad rem pertinens, ferè componimus particulis illis *ſuo modo*, quibus intendimus confeſſionem fidei proficiſci elicitivè à fidei hâbitu, eo modo, quo actus externi poſſunt ex genere ſuo elici ab habitibus intellectus, aut voluntatis, ideſt vel moraliter ut loquitur Valentia, vel ſecundariò & conſequenter ut loquuntur alij; non verò eodem prorsùs modo, quo elicitur à fidei habitu actus ipſe internus, quod ſolùm videntur negare Auctores mox citati, qui proptérea volunt fidei confeſſionem non elici à fidei habitu eo, quod univerſaliter veline nullum actum externum elici ab habitu virtutis. Aſſertum ſic explicatum — 2. *Proveait ſuo modo ab eodem habitu, à quo fides interna.*

3. *Actus exteriores quarumnam virtutum ſint actus.*

Probatur ratione D. Thomæ. Actus exteriores illius virtutis ſunt actus, ac per conſequens ab illo habitu ſuo modo proveniunt, ad cujus fines ſecundùm ſuas ſpecies referuntur; atqui actus exterior, ſeu confeſſio fidei, ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem illius virtutis & habitus, à quo provenit fides interna; ergo actus exterior, ſeu confeſſio fidei, &c. Major patet tum ratione, quia actus externus & internus ad eundem finem ſecundum ſuas ſpecies relati habent per ſe loquendo eandem perfectionem moralem, debent igitur poni ſub eadem

 virtu

Digitized by Google

virtute;tùm inductioue, quia jejunium, quod ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtineotiæ,ſcilicet ad carnem compeſcēdam,eſt abſtinentiæ actus; & largitio eleemoſynæ, quæ refertur ad finem miſericordiæ, ſcilicet ad miſeriam ſublevandam, eſt actus miſericordiæ &c. Minor probatur, finis virtutis & habitus, à quo provenit fides interna, eſt honeſtas reducens in eo, quod præſtetur condecens & firma adhæſio veracitati: revelationique divinæ; atqui ad bunc finem ſecundùm ſuam ſpeciem refertur fidei confeſſio primò, quia excellentia divinæ veracitatis poſtulat, quod ei nec interiùs verbo mentali, nec exteriùs verbo vocali diſſentiatur? ſecundò quia confeſſio fidei ad fidem internam ſe habet, ut locutio externa ad conceptum internum, habet autem locutio externa cum conceptu interno per ſe loquendo eundem finem,cum illa ſit quoddam iſtius complementum, quid unum cum iſto conſtituens, ſicut propoſitio vocalis cum mentali, & inſinuat id Apoſtolus *2.Cor.4.*dicens *Habentes autem eundem ſpiritum fidei.ſicut ſcriptum eſt, credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*

Dices primò in univerſum actus unius potentiæ non poſſe elicitivè proficiſci ab habitu exiſtente in aliâ potentiâ, cum igitur fides interna eliciatur ab habitu exiſtente in intellectu, & fidei confeſſio ſit actus potentiæ loco motivæ externæ, conſequens eſt quod fidei confeſſio non eliciatur ab eodem habitu,à quo elicitur fides interna; & poterit quidem utraque proficiſci imperative ab eodem habitu piæ affectionis exiſtente in voluntate, at non elicitivè ab eodem habitu fidei exiſtente in intellectu, & in univerſum actus exteriores imperativè dumtaxat, non elicitivè,ſunt actus illius virtutis, ad cujus fines per ſe referuntur. Sed contrà: ſi dicatur elici ab habitu actus

4. *Quid ſit actum elici ab habitu.*

ille dumtaxat, qui terminat efficientiam phyſicam habitus, tranſeat actum unius potentiæ non poſſe elici ab habitu exiſtente in alia potentia; quod ſi cum Sylvio, Amico, alijſque pluribus dicatur elici ab habitu etiam actus, qui ab illo immediatè,ideſt non mediante alio habitu, dirigitur, & regulatur, ſicut oratio, quæ eſt actus intellectus, immediatè dirigitur & regulatur ab habitu religionis reſidente in voluntate, negandum erit actum unius potentiæ non poſſe &c. ſicque poſſet abſolutè ſuſtineri confeſſionem fidei, quamvis ſit actus potentiæ locomotivæ, elici ab habitu reſidente in potentia intellectiva: Nihilominùs majoris doctrinæ gratia,& ad vitandum quæſtionem de nomine, alia utor diſtinctione, & dico actum unius potentiæ phyſicè & primariò non poſſe elici ab habitu exiſtente in alia potentia, ſecùs moraliter & ſecundario, ſeu tanquam complementum & conſectarium actus primarij, ſicut externa confeſſio verè eſt complementum,&conſectarium interni aſſenſus,ejuſdemque bonitatis moralis cũ ipſo,& in univerſum actus exteriores relati ad finem alicujus virtutis ſunt quoddam complementum actus primarij ipſius & induunt ac participãt moralẽ talis actus primarij bonitatẽ.

Dices ſecundò in particulari circà fidei confeſſionem, iſtam ſecundùm ſuam ſpeciem non referri ad finem habitus,à quo elicitur fides interna, quia deberet eſſe utilis ad talem finem, ſicuti jejunium eſt utile ad carnem compeſcendam qui eſt finis abſtinentiæ, & largitio eleemoſynæ ad miſeriam ſublevandam qui eſt finis miſericordiæ; finis autem fidei infuſæ eſt adhæſio condecens divinæ veracitati, ad quam adhæſionem præſtandam non eſt utilis externa confeſſio, hæc quippè non eſt niſi teſtificatio adhæſionis præſtitæ, quod nihil conducit ad adhæſionem præſtandam; ſicut nec teſtificatio interioris abſtinentiæ, aut miſericordiæ, conducit ad carnem compeſcendam, aut miſeriam ſublevandam. Sed contrà: cum externa confeſſio ex mox dictis ſit quoddam complementum adhæſionis internæ, & faciat cum eâ quid unum, utique eſt utilis & conducens ad ipſam, non utcumque, ſed conſideratam in eſſe completo. Quod additur de teſtificatione abſtinentiæ, aut miſericordiæ verum eſt, & rectè probaret talem teſtificationem non eſſe actum ab abſtinentia aut miſericordia elicitum, & habent iſtæ virtutes alios actus, per quos exteriùs ſe exercent ac quaſi complentur,fides verò exercetur exteriùs,ac completur unicè,per confeſſionem ſeu teſtificationem; & ratio à priori eſt, quia teſtificatio non eſt complementum cujuſcumque actus interni; ſed illius dumtaxat,qui in mentis conceptu conſiſtit;loquutio quippè per ſe ordinatur ad manifeſtationem conceptuum; conſiſtit autem in mentis conceptu interna fides, non abſtinentia,aut miſericordia, ideò &c. conſiſtit pariter in mentis conceptu bona, aut mala,alicujus exiſtimatio, ideóque talis exiſtimationis teſtificatio provenit pariter ab eodem habitu, à quo exiſtimatio ipſa.

5. *Quomodò externa confeſſio per ſe referatur ad finem fidei infuſæ?*

Vrgebis: Uirtus dirigens,ac regulans manifeſtationem internorum conceptuum mentis,eſt veracitas,non fides; ergo ratio mox allata probaret confeſſionem externam, de quâ in præſenti, elici à veracitate, non à fide.

Sed contrà: Veracitas dirigit manifeſtationem internorum conceptuum, ut loquens ſe talem exterius ore exhibeat, qualis eſt interiùs in corde; at hic eſt finis accidentalis & extrinſecus confeſſioni fidei, non is ad quem ſecundùm ſuam ſpeciem refertur; & ex hoc capite confeſſio fidei poteſt à veracitate proficiſci imperativè, at non elicitivè; quatenùs una virtus poteſt imperare actus alterius, at non elicere; hâc porrò ratione poteſt eadem confeſſio ad fortitudinem, ad religionem, aliaſque multas virtutes pertinere,& ad ipſarum fines, extrinſecè tamen & ſecundùm accidens, non intrinſecè & ſecundùm propriam ſpeciem referri: Undè etiam diverſimodè cadit ſub imperium aliarum virtutum, ac cadat ſub præaſſertum imperium piæ affectionis; ab iſtâ enim imperatur per ſe & in ordine ad finem ipſi confeſſioni intrinſecum,ac proprium; ab alijs imperatur per accidens, & in ordine ad finem ſibi extrinſecum ac alienum. 6.

Quomodò poſſit imperari ab alijs virtutibus?

Ex his habes negationem externam fidei 7.

rectè

Externa fidei negatio eſt actus infidelitatis, & propriè contra fidem.

rectè dici actum externum infidelitatis, ſicuti confeſſio dicitur actus externus fidei, & ſicuti iſta eſt directè & propriè ſub fide, ita illam eſſe directè ac propriè contrà fidem, etiamſi non conjungatur cum diſſenſu interno, in quo caſu Arriaga *præcit. ſect. 1. num 4.* videtur negationem illam directè opponere veracitati, nec vult eſſe contrà fidem, niſi ratione ſcandali, & inductionis aliorum ad diſſentiendum fidei; nihilominùs cum per nos opponatur actui elicitivè proficiſcenti à virtute fidei, & per ſe ſpectanti ad ejuſdem virtutis obligationem, non eſt cur non ſit contrà fidem directè ac propriè; ſecundariò tamen non primariò, prout ex dictis eſt ſecundarius, non primarius fidei actus confeſſio externa; ex quo occurrit obiter ratio aliqua congruentiæ, ob quam Deus ſtatuerit de facto infuſum fidei habitum amitti interno diſſenſu, non externa negatione præcisè, licèt etiam propter hanc juſtiſſimè potuiſſet talem amiſſionem ſtatuere,

Per ipſam tamen ſine diſſenſu interno non amittitur fidei habitus, & cur?

non habet reſpectu gratiæ, & ſalutis, ullam cauſalitatem moralem, quam non habeat fides interna ſe ſola; & hac poſitâ non poteſt titulo medij, & cauſæ moralis, per ſe ulteriùs ad ſalutem requiri fidei confeſſio.

Breviter expedita neceſſitate medij latiùs tractanda eſt neceſſitas præcepti, & licèt confeſſio fidei, utpotè in actione poſitiva conſiſtens, videatur ſolùm pertinere poſſe ad præceptum affirmativum, in re tamen includit etiam præceptum negativum rei alienæ, non retinendæ; Incipiendo igitur ab obligatione præcepti negativi non defuerunt olim qui talem obligationem rejecerint, & errore perniciosiſſimo ac martyriis vitandis, hæreſibuſque fovendis accommodatiſſimo, docuerint licere præſertim tempore perſecutionum negare fidem exteriùs, dummodò interiùs retineatur: ita in primis Gnoſtici apud Tertullianum *in Scorpiaco cap. 1.* Item Samſeitæ ſeu Helceſaitæ apud Euſebium *lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 28.* Item Priſcillianiſtæ apud Auguſtin. *lib. de hæreſ. cap. 70.* Item Anabaptiſtæ apud Staphilum *in epitome Theologiæ Lutheri*, imò & noſtris temporibus libertini, & politici quidam nullius religionis, dicentes fidei negotiũ eſſe poſtponendum, ubi aut corporis aut fortunæ bona periclitantur, ut referunt Valentia *hic diſp. 1. q. 3 punct. 2.* & Maldetus *quæſt. 3. art. 2. mem. 1.* 10.

§. II.

An & qualis ſit obligatio ſeu neceſſitas confeſſionis fidei ad ſalutem?

8.

Confeſſio fidei non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.

ASSERT. 1. Confeſſio fidei non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij, eſt veritas incontroverſa, & ſupponi à Scholaſticis ſolet magis, quàm tradi ex profeſſo, attingit eam in terminis Amicus *hic diſput. 14. num. 30.*

Probatur: Illud eſt ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij quod per ſe cauſat (ſubintellige, aut proximè, aut remotè) primam gratiam, & quomodocunque deſit, obeſt ſaluti; atqui confeſſio fidei nec per ſe cauſat primam gratiam, nec quomodocunque deſit, obeſt ſaluti; ergo confeſſio fidei non eſt, &c. Major habetur *ex cap. præced. num. 74.* Minor quoad primam partem probatur, quia confeſſio fidei nec per ſe cauſat primam gratiam proximè, quia haberet majorem in ordine ad juſtificandum virtutem quàm habeat fides interna; nec eandem cauſat remotè, tanquam conditio aut diſpoſitio requiſita ad illud, quod cauſat primam gratiam proximè, quia nec ad ſuſcipiendum baptiſmum, nec ad eliciendum actum contritionis aut dilectionis, per ſe requiritur fides externa:

9. Minor eadem probatur quoad ſecundam partem, quia ſi quis adultus omittat fidei confeſſionem eò quod poſt uſum rationis breviſſimo tempore vivat, & in hac temporis brevitate, aut non habeat alios homines præſentes quibus fidem ſuam manifeſtet aut inſcius mortis proximè imminentis totum ſe occupet in internis actibus fidei, ſpei, & charitatis, differatque exteriorem fidei confeſſionem, ad quam certè non tenetur æquè primò, ac ad aſſenſum internum; iſte utique ſine fidei confeſſione ſalvabitur, adeóque fidei confeſſio deerit & non oberit ſaluti. Confirmatur hoc totum; quia actus externus ex genere ſuo non addit aliquam perfectionem moralem actui interno; ergo confeſſio fidei

Aſſert. 2. Confeſſio fidei negativè accepta, prout importat non negare fidem, eſt ad ſalutem neceſſaria ſemper & pro ſemper ex obligatione præcepti negativi. Eſt dogma catholicum contra errorem cum ſuis damnatæ memoriæ Auctoribus mox præmemoratum. 11.

Quomodo includat obligationem præcepti negativi?

Probatur primò ex Scriptura *Matth. 10.* ubi Chriſtus Dominus loquens de tempore perſecutionum ait *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, & paucis interpoſitis ſubdit *Qui invenit animam ſuam* (vitam ſcilicet ſervat negãdo Chriſtum in perſecutionibus) *perdet illam*; Similia habentur *Marc. 8.* & *Luc. 9.* Nec propterea Deus, ut objiciebant Gnoſtici, hominum ſanguinem flagitat, aut Chriſtus pro nobis ſemel occiſus vicem repetit, quaſi & ipſe ſalutem de nece noſtrâ expectet: enim verò, nec Deus martyrium abſolutè præcipit, ſed ſolùm quando aut fides neganda aut mors ſubeunda eſt; nec Chriſtus mortem noſtram pro ſua fide vult, quia eâ indigeat, ſed quia nos tunc & morte & fidei confeſſione indigemus ad propriam ſalutem. Confirmatur egregijs auctoritatibus Sanctorum Patrum apud Valentiam & Malderum *locis præcit.*

Occurritur fundamento Gnoſticorum

Probatur ſecundo ex perpetuo ſenſu & conſenſu totius Eccleſiæ, qui luculenter conſtat primò in tot millionibus Martyrum graviſſima quæcumque tormenta, & mortis genera tolerantium pro fide non neganda: Secundò in facto ſummorum Pontificum Petri & Marcellini, qui ſolùm exteriùs fidem negarunt, & tamen id tanquam peccatum graviſſimum Petrus amare deflevit, & Marcellinus coram trecentis Epiſcopis in Concilio Sinueſſano congregatis, ore proprio faſſus eſt: Tertiò in gravitate pœnarum, quas antiquitùs 12.

Digitized by Google

Pœnæ negantium etiã ſolum exterius fidem.

Eccleſia ſtatuerat contrà eos, qui in tormentis deficientes etiam ſolùm exterius à fide, reſipiſcentes petebant inter fideles iterùm recenſeri, ut videre eſt in Concilio Ancyrano per plures canones, in Elibertitano *can.* 1. 2. *&* 3. in Nicæno *can.* 10. *&* 11. imò & de facto ſic lapſos incurrere cenſuras & pœnas à ſummis Pontificibus latas contrà hæreticos & Apoſtatas docent Cajetanus *hic quæſt.* 12. *art.* 1. *& quæſt.* 94. *art.* 2. alijque nonnulli, quàmvis longè communior ſit ſententia negans, pro quâ plurimos Auctores refere Suarez *diſput.* 14. *ſec.* 6. *num.* 4.

13. Probatur tertio ratione, quia irreverens eſt erga veracitatem & revelationem divinam is, qui ei externum cultum negat, tum quia etiam iſte eſt debitus veracitati ſummæ, tum quia cultus internus negato externo remanet mutilus & imperfectus: eſt pariter irreverens Chriſto, qui ſe Chriſtianum negat, redundat quippe in domini dedecus, quod ſeruus nolit aut erubeſcat ejus dominium, propriumque obſequium profiteri: Tandem, ut arguit Auctor operis imperfecti *in Matth. homil.* 25. ſi ſufficit ſolo corde credere, cur non ſufficit hypocritis ſolo ore confiteri? Cum Deus ſimul cum corde os creaverit; quomodo poteſt ei non deberi ſimul cum cordis fide oris confeſſio? Neque ex eo quod *Pſal.* 14. ſalvandus dicatur *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, & Epheſ. 4. habeatur *loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo* rectè inferunt Priſcillianiſtæ ſufficere, quod fidei veritas corde retineatur, aut ſaltem quod proferatur apud domeſticos fidei, non apud alienos & extraneos. Non inquam rectè inferunt, quia ly *in corde* non excludit oris confeſſionem, ſed indicat hanc non debere eſſe ſine interiore cordis ſententiâ, qua ratione eſt doloſa undè ibi ſequitur *Qui non egit dolum in linguâ ſua* ly *cum proximo ſuo* ſupponit pro quolibet homine, non pro ſolis domeſticis & fidelibus, inter quos cum puniatur negatio, non confeſſio minoris eſt meriti fidem confiteri; nec Chriſtus de ſolis domeſticis locutus eſt in textu præcit. *ex Matth.* 10. & clarius non de ſolis domeſticis, ſed magis de Adverſariis & extraneis, procedit illud Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones*, &c. erubeſcentia enim Chriſti, & ſermonum eius, apud infideles & adverſarios, non apud fideles, & domeſticos fidei, locum habet.

Occurritur fundamento Priſcillianiſtarum.

14. Aſſert. 3. Confeſſio fidei poſitivè accepta prout importat profiteri fidem, eſt ad ſalutem neceſſaria aliquando, ſeu pro aliquo tempore, ex obligatione præcepti affirmativi. Ità Theologi communiter, quamvis deindè inter ſe diſſideant in determinando tempore talis obligationis, de quo infrà *num.* 18. interim aſſertum ſub eâ, ſub qua iacet, univerſalitate

Confeſſio fidei poſitivè accepta cadit ſub præceptum affirmatiuum.

Probatur ex Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ubi ly *ad ſalutem* nequit intelligi de ſalute prima cum ex dictis fidei confeſſio non ſit neceſſaria neceſſitate medij; procedit igitur de ſalute ſecundâ, quod autem requiritur ad ſalutem ſecundam, ideſt ad gratiam conſervandam & gloriam conſequendam, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti; pro quo etiam faciunt verba illa Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* & alia multa. Confirmatur ratione: datur præceptum affirmatiuum de interno actu fidei, ut ſuppono *ex cap. præced.* §. 7. ergo etiam de actu externo ſeu de confeſſione; homini enim conſtituto ex anima & corpore connaturale eſt aliquando exterius manifeſtare operatione corporeâ operationes ſpirituales animæ: eſt inſuper hoc accommodatum Eccleſiæ viſibili, cui homo per fidem internam non ſufficienter adhæret: Tandem faciunt quoque pro præſenti intento rationes *præced. num.* poſitæ pro præcepto negativo.

Ex his habetur obiter præceptum, tum negatiuum fidei exterius non negandæ, tùm poſitiuũ fidei exterius profitendæ provt abſtrahendo ab hac vel illâ materiâ univerſale eſt, & omnes homines afficit, rectè dici naturale ſeu connaturale homini ſuppoſitâ ipſius elevatione ad finem ſupernaturalem, rationes enim quibus utrumque præceptum oſtenditur, procedunt ex dictamine naturali ſuppoſita hominis elevatione; & cum ſuprà *num.* 10. fidem internam ſupernaturalem in ſubſtantia poſuerimus ſub præcepto naturali ſeu connaturali; multo magis poſuimus ſub ſimili præcepto ponere confeſſionem externam ſitam in operatione quoad ſubſtantiam naturali. Non negaverim tamen idem præceptum rectè quoque dici divinum, quatenus eſt in Scripturis ſacris expreſſum, & à Deo, ut elevante hominem ad finem ſupernaturalem, derivatum. 15.

Quod eſt juris tum naturalis, tum divini.

Præter hoc univerſale præceptum juris tum naturalis, tum divini, datur de fide confitenda ſpeciale præceptum iuris eccleſiaſtici obligans intrà certum tempus ad emittendam profeſſionem fidei ſub præſcripta forma quaſdam inſigniores Perſonas, nimirum Archiepiſcopos, Epiſcopos, Proviſos de beneficiis curatis aut canonicatibus, Prælatos locorum regularium, Magiſtros, Regentes, ac facultatis cujuſcumque Profeſſores in publicis univerſitatibus; pro quo præcepto videatur Tridentinum *ſeſſ.* 24. *capit.* 12. *& ſeſſ.* 25. *cap.* 2. Bulla Pij IV. incipiens *Injunctum nobis*. & alia Bulla Pij V. incipiens *In Sacroſancta*. Poriò apud Perſonas, apud quas iſtæ Bullæ ſeu Conſtitutiones ſunt receptæ obligatio profitendi juxtà formam præſcriptam eſt ſub lethali, quia verſatur in materia gravi, & injungitur gravi ac rigoroſo præcipiendi modo; monent tamen Summiſtæ magis communiter ob abſentiam, aut aliam juſtam cauſam poſſe tali obligationi ſatisfieri profeſſione per Procuratorem facta. 16.

Cadit etiam quoad aliquas inſigniores Perſonas ſub præceptum Eccleſiaſticum.

Supereſt determinandum tempus, pro quo urget obligatio illius primi præcepti tùm naturalis tùm divini, & quidem in praxi non eſt neceſſe adhibere ſolicitudinem, aut ſcrupuloſam attentionem ad illum tempus peculiare, per hoc enim quod quis ingrediatur catholicam religionem, & cætera ejus præcepta ac ritus obſervet, frequenter exercet actus fidei proteſtativos, quibus ſatisfacit prædictæ obli- 17.

Præceptum naturale & divinum cõfeſſionis fidei impletur in praxi per hoc, quod obſerventur reliqua præ-

gatio

cepta religionis catholicæ.

gationi; ſic qui adulti baptizantur ipſamet petitione, ac ſuſceptione baptiſmi, fidem exteriùs profitentur; qui baptizantur in infantiâ eam profitentur, dum uſu rationis comparato amplectuntur inſtructionem Myſteriorum religionis, formant ſignum crucis, diſcunt & recitant Apoſtolorum ſymbolum: Utrique deindè baptiſmo initiati, & de religione inſtructi paſſim ſucceſſivo vitæ decurſu proteſtantur exterius fidem ſuam, dum Sacramenta ſuſcipiunt, aut miniſtrant; dum miſſam audiunt, aut celebrant; dum catholico ritu Deum colunt, multóque magis dum alios in fide erudiunt, aut concionantur, &c. Ecce quomodò exercendo alios actus religionis catholicæ unuſquiſque regulariter ſatisfacit præcepto fidei confitēdæ quod propterea aliqui exiſtimāt nunquàm obligare per ſe præciſè & ex virtute fidei; ſed ſolum ex occaſione aliorum præceptorum, & ex virtutibus alijs à fide; propendent in hanc exiſtimationem Arriaga *diſp.*21.*ſec.*4.*n.*28. Viggers *q.*3.*n.*75. Herincx

18\. *diſp.*8.*quaſt.*1. *n.*8. Nihilominus quia etiam in præcepto fidei internæ & alijs multis, quæ ſentiendum omninò eſt obligare per ſe ac ratione ſui, evenit ut ipſis in praxi ſatisfiat exercendo actus præceptos, quaſi per accidens ſeu occaſionaliter; & in univerſum præceptum per ſe & ratione ſui obligans ceſſat obligare ex eo quod impleatur etiam per accidens & ratione alterius; quia ut ceſſet obligatio præceptorū quamvis per ſe talium ſufficit quod ponatur opus ſub obligationem cadens, nec requiritur intentio directa ſatisfaciendi obligationi.

Propter hæc inquam, & propter rationes præallatas *num.*13. *&* 14. ſentio cum Suarezio *diſp* 14.*ſec.*2 *n.*7. Amico *diſp.*14.*n.*35. Maldero *quaſt.*3.*art.*2.*memb.*2. *aſſert.*1. &c. præceptum confeſſionis fidei aliquando obligare per ſe & ratione fidei præciſè, & pro tempore talis obligationis rectè aſſignari, cum aliquâ tamen latitudine morali, initium quo quis incipit habere actualem fidem internam, & deinde aliquoties in decurſu vitæ ſequentis, ſi diuturna ſit; adeò ut, quando non occurreret ex ullâ aliâ virtute obligatio fidei exteriùs proteſtandæ, peccaret directè contrà fidem, & contrà præceptum confeſſionis ipſius, quiſquis diu

Obligat tamen per ſe & ratione fidei circa initium fidei internæ & aliquando impoſterum.

19\. retineret fidem internam, eam exterius non proteſtando, aut eam primò proteſtatus viveret diutius nullam impoſterum proteſtationem iterando. D. Thomas *hic quaſt.* 3. *art.* 2. *in c.* aſſignat & aliud determinatum tempus, pro quo obliget præceptum confeſſionis fidei nimirum *quando per omiſſionem huius confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera; vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide.* Pro his caſibus libenter accedo ad S. Doctorem, & agnoſco obligationem fidei confitendæ; at ſunt caſus accidentales, & non communes cuilibet fideli; non enim facilè contingit quemlibet interrogari in circumſtantiis, in quibus per omiſſionem confeſſionis *ſubtrahatur honor debitus Deo*, quod vix evenit niſi interrogatione publicè facta tempore perſecutionis, *aut utilitas impendenda proximis*, quod ſupponit magnam proximorum infirmitatem & ignorantiam. Accedit quod ſubtrahere honorem debitum Deo, & utilitatem impendendam proximis non eſt præciſè contra fidem, ſed iſtud contrà charitatem proximi, illud contrà charitatem Dei, aut etiam contrà religionem: Pro memoratis igitur caſibus obligatio confeſſionis, fidei nec eſt univerſalis reſpectu omnium, nec eſt omnino per ſe, ſed ex ſuppoſitione accidentali, nec eſt præciſè ratione fidei, ſed cum concurſu alterius virtutis; ideò tempus quo fides univerſaliter per ſe, & ratione ſui obliget ad exteriorem confeſſionem eſt determinatè ſolum initium fidei internæ, & aliàs aliquandò iudicio prudentis.

§. III.

Vtrùm liceat occultare, ſeu diſſimulare fidem? Vbi de fugâ in perſecutione: De taciturnitate & tergiverſatione coram Tyranno.

Aſſert. 1. Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei negativa & materialis non eſt illicita, imò humano modo eſt neceſſaria. Aſſertum hoc indiget ſolâ intelligentia terminorum. Ideò. 20.

Occultatio fidei negativa & materialis ſemper licita eſt.

Probatur & explicatur facilè. Quoties quis quâcumque ex cauſâ non confitetur, ſeu non proteſtatur actu fidem, dicitur eſſe in occultatione ſeu diſſimulatione materiali & negativâ ipſius; atqui non eſt illicitum, imò eſt neceſſarium, quod quis ſæpè non confiteatur, ſeu non proteſtetur, actu fidem; præceptum enim confeſſionis actualis, ut potè affirmatiuum non obligat ad ſemper, & eſt humano modo impoſſibile fidelem ſemper verſari in actuali confeſſione, ſeu proteſtatione ſuæ fidei, ergo occultatio ſeu diſſimulatio fidei negativa & materialis non eſt, &c.

Poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita.

Aſſert. 2. Occultatio, ſeu diſſimulatio fidei poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita eſt. Ità Theologi communiter, quàmvis in determinandis circumſtantiis & caſibus particularibus talis occultationis licitæ, aut illicitæ, patiantur inter ſe aliquod diſſidium, cujus Auctores afferentur in proceſſu & diſcuſſione materiæ: Interim aſſertum univerſaliter poſitum.

Probatur & explicatur: Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei poſitiva & formalis dici poteſt illa omnis, quâ data occaſione opportunâ fidei confitendæ formalis confeſſio omittitur. Porrò talis occaſio opportuna dari poteſt, aut quando urget per ſe, & nulla factâ ſuppoſitione, ex præcepto affirmativo confeſſionis obligatio juxtà mox dicta *num.*18. & tunc indubiè occultatio poſitiva & formalis eſt illicita, cum ſit formalis tranſgreſſio præcepti actu obligantis, & omiſſio actionis cadentis ſub tali præcepto: aut quando nulla factâ ſuppoſitione præceptum affirmatiuum confeſſionis non obligat, puta hodie poſſum 21.

com

commodè, imò & utiliter fidem exterius profiteri, ad id tamen per ſe loquendo non teneo; ſupponatur jam excitari contrà fideles perſecutio, aut etiam adeſſe Tyranni interrogatio, controvertitur, utrum in hac ſuppoſitione teneat meam fidem prodere, aut ſaltem de ea diſertis verbis Tyranno reſpondere; an licitè poſſim meam fidem occultare fugâ declinando perſecutionem, aut etiam taciturnitate, exceptione perſonæ, detractatione examinis, eludendo interrogationem Tyranni?

22. Quoad primum punctum Tertullianus *lib. de fuga in perſecutione* ex profeſſo docet nullatenus licere fuga fidem occulrare, & declinare perſecutionem: verùm liber iſte, utporè conſcriptus poſt defectionem ſui Auctoris, & hauſtus ex erroribus Montani curandus non eſt, & tanquam dogma catholicum habendum licitam eſſe fugam illam per ſe loquendo, ideſt, niſi quis aut ex Paſtoris officio, aut ex neceſſitate juvandi alios infirmiores, ſpecialiter teneatur non diſcedere. *De fide eſt fugam in perſecutione eſſe licitam per ſe.* Primò quia, ne fuga illa illicita exiſtimaretur, Chriſtus *Matth.* 10. expreſsè dicit *Si vos perſequentur in Civitate iſtâ, fugite in aliam*, quæ verba malè Tertullianus accipit ut dicta ſolis Apoſtolis, cum præſertim verba proximè præcedentia vix Apoſtolis conveniant ut obſervat Herincx *diſp.*8.*num.*15. Secundò quia fugam illam, tanquam licitam, approbavit ſemper communis ſenſus Eccleſiæ, ut oſtendunt, tum plura quæ Herincx *num præcit.* affert ex veteri & novo teſtamento exempla inſignium fidelium, qui ſe aliquando per fugam ſubtraxerunt perſecutionibus; tum opuſcula varia Sanctorum Patrum hujuſmodi fugam non defendentium tantùm, ſed & commendantium, quorum meminit Suarez *diſp.*14.*ſect.*

23. 3.*num.*9. Tertiò quia fuga illa non tam eſt fidei occultatio, quam quædam virtualis confeſſio; eſt enim ſignum perſeverantiæ in fide, non defectionis à fide, & qui fugit ne cogatur in fidei confeſſione mortem ſubire, fugit quia non vult fidem negare; & quamvis ſimul nolit ſe martyrio & morti exponere non propterea peccat, quia per ſe loquendo nemo tenetur ea ſponte amplecti, alioqui non liceret pugnare pro vita ſimul & fide defendenda, ſicuti tamen certum eſt licere; etſi deinde qui in tali pugna occideretur, non occumberet Martyr. Nec refert quod perſecutio ſit ex ordinatione divina, adeò ut propterea fugiens perſecutionem, & mortem à perſecutore infligendam, videatur reſiſtere divinæ ordinationi, & niti (quemadmodum objicit Tertullianus) contra divinam providentiam. Non refert, inquam, quia optimè poteſt perſecutio ſimul, & fuga perſecutionis, eſſe ex ordinatione Dei, & ſi valeret Tertulliani illatio, poſſet pariter inferri non eſſe fugiendum à peſte, ab incendio; item non eſſe pugnandum Chriſtianis contrà Turcas, ut eadem, quâ, Tertullianus, arguendi forma concludebat Lutherus teſte Maldero *præcit. memb.*2.*aſſert.*3.*ad* 2.

24. Quoad ſecundum punctum conveniunt omnes taciturnitatem illam, aut tergiverſationem, non licere, quoties ea utens exiſtimaretur quoad apparentiam ſaltem exteriorem negare fidem, ut eveniret in caſu, quo omnes adſtantes interrogarentur *velint ne eſſe Gentiles*, & cæteris reſpondentibus *volumus*, unus, aut alter taceret; aut quo tu à Tyranno interrogareris *es ne Chriſtianus* & tu taceres, dum alius pro te reſponderet, *Non*: In his & ſimilibus caſibus taciturnitas proculdubio eſſet illicita propter negativum fidei non negandæ præceptum ſemper, & ad ſemper, obligans: utrùm verò eadem taciturnitas nulla exiſtente ſuſpicione, & apparentia negationis externæ, adhuc ſit illicita propter præceptum poſitivum fidei confitendæ, quod urgeat quoties Tyrannus interrogat? *Non ſic per ſe licita eſt Tyranno interrogante taciturnitas.* negant Coninch. *diſp.* 15.*num.*109. Caſtro Palao *diſp.*1.*punct.*14. *n.*3. Lorca, aliique nonnulli, quorum Doctrinam cenſet ſpeculativè ſatis probabilem Herincx *præcit.diſp.*8. *num.*13. Affirmant Malderus *præcit.memb.*2 *aſſert.*1. Suarez *ſect.* 3. *nu.*4. Amicos *diſp.*14.*num.*14. Ariaga *diſp.*21.*ſect.* 2. Madernus *quæſt.*3. *art.*7. *num.*3. cæterique communiter, quorum partem affirmantem 25.
amplector primò quia vix videtur occurrere poſſe major neceſſitas fidei confitendæ, quàm cum de eâ Tyrannus infidelis publicè interrogat; urget igitur pro tunc præceptum poſitivum confeſſionis, & hujus omiſſio, quomodocumque fiat, illicita eſt: Secundò, quia taciturnitas pro tunc etſi, ut ſupponitur, non ſit ſignum negationis fidei, indicat tamen timorem Tyranni & aliqualem voluntatem ei placendi, nec non initium aliquod inconſtantiæ in fide, & erubeſcentiæ Chriſti: Tertiò, quia omnes Martyres à Tyrannis & Regibus interrogati fidem palàm profeſſi ſunt, praxis igitur fidelium, & ſenſus Eccleſiæ, eſt contrà taciturnitatem: Nec obſtat ſilentium Chriſti coram Pilato, quia tale ſilentium fuit in circumſtantiis, in quibus ſe habuit ut virtualis confeſſio, & ſignum conſtantiæ; quod ſi alias eveniat erit etiam alias licitum coram Tyranno interrogante ſilentium: Nec item obſtat in univerſum, quod Tyrannus infidelis contra jus & per nefas interroget: enim verò reſponſionis & confeſſionis obligatio non oritur ex juriſdictione interrogantis, ſed ex præcepto fidei, cujus vis quodammodò conſummatur poſita interrogatione: Et ex hoc capite etiam illicitum eſt Tyranno interroganti reſpondere. *Quid ad te? Tua non intereſt: Non teneor tibi reddere rationem de mea fide.* *Aut rejectio interrogationis tanquàm illegitimæ.* Accedit quod hujuſcemodi reſponſum gratis, ac inutiliter, irritat Tyrannum in majus odium reſpondentis, & ex alia parte cum communi eſſe poſſit cujuſcumque religionis verò nullatenus favet veræ fidei, & aptum eſt Judæi aut Lutherani ſuſpicionem ingerere æquè, ac exiſtimationem Catholici.

Dubitatur hic primò: Utrùm taciturnitas, aut interrogationis tanquam illegitimæ rejectio, illicita ſit etiam quando quis de fide interrogatur privatim à perſonâ privatâ, aut ab iſtâ publicè, aut à perſonâ publicâ privatim? Videntur affirmare quicumque indiſtinctè docent interrogatam de fide teneri ad poſitivam confeſſionem, ut D. Thomas *hic q.*3. *art.*2.

Arragonius

Atragonius *eod. art.* item Sylveſter & Angelus in ſumma: Affirmant verò expreſsè & in terminis Suarez *pracit. ſect. 3. num. 6.* Amicus *num. 15.* Turrianus *diſp. 55. dub. 3.* &c. Negant è contrà præſertim quoad interrogationem factam à perſona privata privatim Bannez *hic quaſt. 3. art. 2. dub. 1. concluſ. 3.* Valentia *diſput. 1. quaſt. 3. punct. 2. dub. 3.* Arriaga *diſput. 21. ſect. 3.* Madernus *art. 7. num. 6.* Sylvius *quaſtio. 3. artic. 2. concluſ. 2.* Sanchez *lib. 2. decal. cap. 4. num. 6.* & alij multi, quorum ſententia eſt valde probabilis propter diſcrimen auctoritatis publicæ à privatâ; hæc enim neque apparens & exiſtimatum habet interrogandi jus, non eſt apta timorem incutere, & quamvis irritato nocere vix poteſt; interrogante igitur privatâ perſona taciturnitas cenſebitur provenire ex contemptu, non ex timore, & rejectio interrogationis non irritabit in majus odium perſonam potentem religioni nocere, ac per conſequens valdè probabiliter licebit, tum tacere, tum interrogationem retundere per ſe loquendo, & niſi occurrat aliqua peculiaris circumſtantia afferens aliunde malitiam judicio prudentis viri.

26. Benè tamen probabile eſt utramque per ſe licere interrogante Perſona privata.

Dubitatur ſecundò, utrùm liceat vitare interrogationem publicâ auctoritate faciendam, adeundo Magiſtratus vel Tyrannorum miniſtros, & ab eis, etiam oblatâ pecuniâ, obtinendo ne publicè interrogent de fide? Reſpondetur licere per ſe loquendo, qui enim ità ſe gerunt nihil præſtant contrà fidem, imò hanc virtualiter profitentur, & eadem de iſtis eſt ratio, ac de illis fidelibus, imò integris Eccleſiis, quæ tempore Tertulliani (id malè damnantis *cap. 13. & 14 lib. de fuga in perſecutione*) vectigal ſolvebant beneficiariis Cæſaris, ne cogerentur ad ſacrificandum aut negandam fidem, ex quo capite Herincx *n. 14.* obſervat licuiſſe Catholicis in Angliâ & Hiberniâ redimere pecuniis iniquas vexationes, & impetrare, quod non cogerentur accedere ad conciones, & cœnas Calviniſticas, & hic notandum obiter diſcrimen inter iſtos fideles & Libellaticos illos, qui in Affricâ viguerunt tempore S. Cypriani de ipſis agentis *epiſt. 15. 31. 52.* & *in tract. de lapſis*; iſti enim vel præviâ ſecretâ negatione impetrabant à Magiſtratibus ſolutâ pecuniâ libellos ſecuritatis & immunitatis ab ulteriore vexatione, & interrogatione publicâ, vel ad eundem finem, quamvis negatione non factâ impetrabant libellum & teſtimonium factæ negationis, & obſervati mandati Imperatorum, ut magis explicant ex Scholaſticis Malderus *pracitat. memb. 2.* & Herincx *num 26.* Hos libellaticos reprehenderunt cæteri Catholici, at non quia pecuniâ redimerent immunitatem ab interrogatione publica, ſed quia aut occultè, aut ſimulatè fidem negabant. Ideò & cætera.

27. Licitum eſt impendere vectigal ad vitandam interrogationem publica auctoritate faciendam.

Quinam olim dicti fuerint libellatici.

Dubitatur tertiò, utrùm aliquando teneatur quis vitare interrogationem publica auctoritate faciendam, ſi id poſſit? Reſpondetur affirmativè, & hoc præcipuè in duplici caſu: Primus eſt, quando quis imbecillitatis ſuæ conſcius probabiliter timet ſe in tormentis pro fidei confeſſione ſuſtinendis defecturum: Secundus, quando quis ſciret propriâ vitam, & libertatem fore valde utilem defenſioni & propagationi fidei, communique Eccleſiæ bono; tormentorum verò perpeſſionem, & mortem in fidei confeſſione ſuſceptam, parùm fidelibus profuturam & futuram in majorem infidelium perniciem. In his duobus caſibus Suarez *pracit. ſect. 3. num. 10.* Malderus *memb. 2.* Herincx *n. 26.* cæterique communiter docent eſſe obligationem fugiendi, adeóque vitandi interrogationem; paritas autem rationis ſuadet, quod ſi nequeat interrogatio vitari arripiendo fugam, vitari verò poſſit obtinendo ejus immunitatem datâ pecuniâ, ſuadet inquam eſſe obligationem id præſtandi, cum aliundè licitum ſit ex mox dictis, non minùs quàm fugere,

28. Aliquando eſt obligatio vitandi interrogationē fidei, & fugiendi perſecutionem.

§. IV.

Vtrùm liceat ſimulare negationem fidei, aut falſam religionem? Vbi de negatione facta amphibologicè, aut cum reſtrictione, & de uſu eorum, quæ ſunt propria Infidelium.

ASSERT. 1. Non licèt verbis ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam, & vel cum reſtrictione mentali, vel cum amphibologiâ & æquivocatione, aptâ inducere apparentiam & rationabilem ſuſpicionem veræ negationis. Ita in primis Theologi communiter, dum abſolute aut omnem fidei negationem damnant, aut confeſſionem diſertis verbis faciendam requirunt, & deinde ſub propriis terminis Herincx *diſp. 8. n. 24.* Arriag. *diſp. 22. ſect. 1. ſubſect. 1.* Amic. *diſp. 14. n. 14.* ubi in oppoſitum refert Coninch. *diſp. 15. dub. 5. concl. 6.* & videtur etiam à fortiori contrarius Adrian. refellendus & afferendus infrà *n. 31.*

29. Nunquam licet ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam.

Probatur: obligatio aliquando poſitivè confitendi, & nunquam negandi fidem non oritur præcisè ex veracitate, aut ex præcepto nunquã mentiendi; ſed ex præcepto fidei proprio & reverentiâ debita auctoritati divinæ ac Chriſto Domino, atqui quidquid ſit de priore obligatione, cui an & quomodò ſatisfieret per reſtrictionem mentalem aut amphibologiã; colligi poteſt *ex prac. c. 3. §. 2.* quidquid ſit, inquã, de obligatione illa, non ſatisfacit præcepto fidei proprio, & reverentiæ debitæ auctoritati divinæ à Chriſto Domino, quiſquis verbis ſimulat negationem fidei faciendo confeſſionẽ, &c. ergo non licet verbis ſimulare, &c. Major habetur *ex praced. §. 2. n. 13.* & inſuper ex eo, quod nemo non apprehendit majorem peccati gravitatem in negatione fidei, quàm in ſimplici mendacio, cum iſtud ſit ex genere ſuo veniale, illa ſemper lethalis ſit; deinde contrariorum eadem eſt ratio, cum igitur *ex pracedent. §. 1.* non proveniat præcisè à veracitate fidei confeſſio, neque erit præcisè contrà veracitatem fidei negatio: Minor probatur, vel ſupponitur adeſſe obligatio

30. Obligatio non negandi fidem internam non provenit ex ſolo præcepto non mentiendi.

præcepti affirmativi ex eo, quod Tyrannus v. g. publicè interroget, & huic præcepto non ſatisfieri verbis aptis inducere apparentiam, & rationabilem ſuſpicionem negationis, infertur ex ſupradictis de taciturnitate & rejectione interrogationis, quæ certè minùs ſapiunt erubeſcentiam, inconſtantiàm, irreverentiam, & faciliùs poſſunt habere rationem aliquam veræ confeſſionis virtualis, quàm verba de quibus in præſenti: vel ſupponitur non adeſſe obligatio præcepti affirmativi, ſed negativi tantùm; & ad obſervandum hoc præceptum, quamvis nemo teneatur de fide loqui, ex ſuppoſitione tamen, quòd loquatur, tenetur loqui ſine irreverentiâ divinæ auctoritatis & ſine apparentia negationis, quod non præſtat quiſquis utitur verbis aptis inducere &c. & ſicuti v. g. qui hic & nunc non tenetur preces ullas recitare, ſi recitet, tenetur recitare reverenter; ita qui hic & nunc non tenetur facere fidei confeſſionem, ſi faciat, tenetur facere cum reverentia divinæ auctoritatis, & ſine negationis apparentia; ſicuti item non eſt immunis à blaſphemia qui profert verba apta ingenerare ſenſum blaſphemum, etiamſi ea proferat cum reſtrictione & amphibologia, qua mediante poſſent bonum ſenſum reddere, ita non eſt immunis à fidei negatione, qui profert verba apta ingenerare negationis opinionem, etiamſi ea proferat cum reſtitutione & amphibologia, qua mediante poſſent ſignificare veram fidei confeſſionem. Confirmatur, ex mox dicendis non licet ſimulare factis falſam religionem, aut negationem fidei; ergo nec licet hanc ſimulare verbis.

31. Nunquam licèt ſimulare idololatriam.

Aſſert. 2. Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam religionem, etiamſi nec inſtet præceptum confeſſionis fidei, nec adſit ſcandalum, quo quiſquam aut in errore confirmetur aut à fide avertatur. Ita Antoninus *par. 2. titul. 12. cap. 6.* Angelus & Sylveſter verbo *fides* Valentia *hic diſput. 1. quæſt. 3. punc. 2. dub. 4.* Maldetus *quæſt. 3. articul. 2. memb. 3.* Sylvius *eod. artic. conc. 3.* Herincx *diſput. 8. quæſt. ſecunda, numer. vigeſimo octavo* cæterique tùm Summiſtæ, tum Scholaſtici communiter contrà Adrianum *in 4. q. 1. de baptiſmo ad 5.* cujus ſingularem opinionem Suarez *diſp. 14. ſec. 4. num. 4.* rectè monet in re morali poſſe

Cenſura opinionis oppoſitæ.

eſſe pernicioſam, & Arriaga *diſp. 22. ſec. 5. ſubſec. 5. num. 40.* ait oppoſitam videri eſſe è ſenſu omnium fidelium, & Gabriel à S. Vincentio *diſp. 3. dub. 5. num. 28.* exiſtimat magnum afferre præjudicium Adriano decretum, quo hic Romæ Sacra Congregatio de Propaganda damnavit factum quorundam Miſſionariorum, qui dum cogerentur thurificare idola, ut conſtaret an eſſent Catholici, formabant prius in terra parvam crucem, & deindè intendendo thurificare talem crucem ſimulabant thurificare idolum; Nihilominus hoc factum jure damnatum videtur excedere mentem Adriani, quis facilè diceret inſtare præceptum confeſſionis fidei reſpectu Miſſionariorum, dum coguntur thurificare idola, ut conſtet de ipſorum religione.

Probatur primò, Simulatio quæcunque in materia religionis, & fidei, eſt peccaminoſa & illicita in profitente religionem fidemque veram; ergo non licet ſimulare idololatriam &c. antecedens probatur ex diſcrimine ſimulationis in materia fidei à ſimulatione in aliis materiis, in aliis enim materiis ſimulatio poteſt eſſe per ſe ſignificativa veri, illud ſcilicet, quod quis ſimolat, poteſt eſſe verum, ut ſi quis ſimulat ſe eſſe Mercatorem, aut ſe neſcire aliquid, quod in re ſciat; at in materia fidei ſimulatio profitentis veram fidem eſt ſemper ſignificativa falſi, eſt ſcilicet ſemper ex objecto falſum illud, quod quis ſimulat, ut patet in eo, qui ſimulat idolum eſſe Deum; ſimulatio igitur in aliis materiis poteſt ſolùm eſſe contrà præceptum affirmativum manifeſtandi & ſignificandi verum, quod præceptum ſicut non ſemper urget ita & ſimulatio in aliis materiis non ſemper eſt illicita; at in materia fidei ſimulatio eſt quoque contra præceptum negativum non dicendi, ſeu non ſignificandi falſum, quod præceptum ſicuti ſemper & pro ſemper urget, ita & ſimulatio in materia fidei ſemper eſt illicita, egregiè expendit hoc diſcrimen Valentia *præcitat. dub. 4. in reſponſ. ad 5.* Habetur autem etiam aliud diſcrimen *ex ſeq. numer. 34.*

32. Simulatio cur liceat aliquando in aliis materiis, nunquam verò in materia fidei.

Probatur ſecundò: Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam religionem, urgente ad id & inſtante Tyranno; ergo neque Tyranno non urgente & etiamſi non inſtet præceptum confeſſionis &c. antecedens probatur primò ex facto Marcellini Pontificis, qui ex eo quod Tyranno inſtante idola, quamvis nihil dicens, thurificaverit, à tota Eccleſia ipſomet id fatente iudicatus eſt graviter peccaſſe: Secundò ex facto Eleazari, qui nunquam potuit induci ad ſimulandum ſe manducaſſe de ſacrificij carnibus, ſicut Rex imperaverat, in proteſtationem Gentiliſmi 2. *Machab. 6.* Nec dici poteſt id Eleazarum ex ſupererogatione feciſſe: quia obligationem, non ſupererogationem, continet ratio ibidem allata ab Eleazaro. *Non enim ætati noſtra dignum eſt, inquit, fingere, ut multi adoleſcentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum &c.* Eandem obligationem in facto non diſſimili clarè protulit, S. Saba Martyr. qui (ut ex Metaphraſte refert Surius ad diem duodecimam aprilis) cū videret quibuſdam obtrudi carnes non immolatas, ut ſimularent ſe ſatisfeciſſe mandatis Tyranni de comedēdis idolothytis, exclamavit *Si quis ex carnibus illis comederit, Chriſtianus eſſe non poteſt.* Tertiò ex facto Miſſionariorum damnato per decretū Congregationis de Propagāda, ut retulimus *præced. n. 31.* Quartò quia, ſi licet factis ſimulare falſam religionē urgente ad id Tyranno, nulla erit ſufficiens ratio, cur id non liceat & verbis? & cur Tyranno de fide interroganti non poſſit quis ſimulatè & cum reſtrictione mentali reſpondere *Ego ſum Gentilis. Ego ſum Calviniſta &c.* Nec indiget majori probatione veritas admiſſa ab ipſomet Adriano, cum quo modo res agitur, & qui conceſſo illo antecedente conſequentiam negat ex eo, quod urgente & inſtante

33. Simulationem falſæ ſectæ non licere urgente ad id Tyranno.

Tyranno

Digitized by Google

Tyranno obliget præceptum affirmat ivum confeſſionis fidei, aut etiam facile adſit ſcandalum; ſecùs Tyranno non urgente.

34. Infert nec licere Tyranno non urgente.

Impugnatur tamen in hoc Adrianus, & ſimul probatur conſequentia primi argumenti, quia quòd urgente Tyranno non liceat ſimulare profeſſionem falſæ, ſicut nec deſertionem ſeu negationem veræ fidei, provenit quidem ex præcepto affirmativo confeſſionis, quod admitto ſæpè non obligare Tyranno non urgente; at non provenit ex eo ſolo, ſed etiam ex præcepto negativo obligante ſemper & pro ſemper, ſivè urgeat Tyrannus, ſivè non: & quidem hujuſmodi præceptum negativum eſt duplex; aliud non ſignificandi aliquid ſemper & per ſe falſum, de quo *præced. num.* 32. aliud non exercendi irreverentiam ergà veram religionem, & auctoritatem divinam, de quo *num.* 30. & hinc habetur obiter novum diſcrimen, ratione cujus in alijs materijs, non in materia fidei, poteſt aliquando licere ſimulatio. Confirmatur ex eo, quod Eccleſia habuit ſemper, ut reos gravibuſque ſemper pœnis proſecuta eſt omnes, aut thurificatos, aut ſacrificatos, aut libellaticos, qui ſcilicet aut adoleverunt thus, aut obtulerunt ſacrificium Idolis aut libello & teſtimonio empto id ſe præſtitiſſe ſimularunt apud Tyrannorum Miniſtros; habuit, inquam, ut reos non inveſtigando, utrùm ad actiones illas urgerentur à Tyranno, an non? & attendendo ad profeſſionem falſæ fidei potiùs, quàm ad violatum præcisè præceptum poſitivum confeſſionis fidei veræ.

35. Dices pro Adriano: ex pluribus factis Sacræ ſcripturæ infertur licitum eſſe ſimulare idololatriam, aut aliam falſam religionem; ergo id licet ſaltem quando non inſtat præceptum confeſſionis fidei, nec adeſt ſcandalum & ex alia parte ſimulatio fit ad occultandam veram fidem, aut ad alium bonum finem ut ſupponit Adrianus: probatur antecedens primò. Naaman 4. *Reg.* 5. petiit & obtinuit ab Elizeo poſſe ſimul cum Rege Syriæ adorare in templo Remmon; non conceſſiſſet autem id Elizeus, ſi nec ſimulando poſſet licitè fieri. Secundò, Iehu 4. *Reg.* 10 dixit ſe velle colere idolum Baal, & tamen in hoc non peccavit, quia *ibid.* laudatur à Domino quod ſtudioſè egerit, & D. Hieronymus *in cap.* 2. *ad Galat.* ait *Vtilem verò ſimulationem & aſſumendam in tempore, Iehu Regis Iſrael nos doceat exemplum.* Tertio *ex Act.* 16. *&* 21. *& ad Galat.* 2. conſtat Apoſtolos Petrum & Paulum aliquoties ſervaſſe cæremonias legis veteris, etiam poſt Chriſti paſſionem, idque D. Hieronymus *epiſt.* 19. ait eos feciſſe pia ſimulatione: & D. Ambroſ. *ſer* 69. alias 15. *de Sanctis* poſt relata verba Apoſtoli 1. Cor. 9. factus ſum Judæis tãquã Judæus &c. ait *Sicut Paulus factus eſt Iudæis Iudæus ut Iudæos lucrifaceret, ita Euſebius hæreticis ſe hæreticum eſſe mentitus eſt ut de hæreſi filium liberaret* &c. Sed contrà. Simulatio idololatriæ, utpotè per nos intrinſecè mala, non poteſt ex ullo bono fine reddi licita; & præſertim non ex fine occultandæ veræ fidei, quia huic fieri non poteſt eſſe utilis; qui enim ſimulatè idolum thurificat v. g. adeò ut adſtantes non [illegible] ſcandalizentur, neceſſe eſt ipſos non apprehend[illegible]e talem thurificationem tanquam ſignum relig[illegible]is; per id autem, quod religionis ſignum n[illegible]ſpectat, fides nec[illegible]eſt & ad religionem non [illegible]tur; ideò &c. Nec [illegible]ultatur nec manifeſta adducta inferunt quod ex Sacris Sccipturis [illegible]anus intendit:

36. ſimulatio idololatriæ nequit eſſe utilis ad occultandam veram fidem

Enimverò

Ad primum: Vel Naaman [illegible] quod petiit, & Elizeus reſpõdẽdo *Va*[illegible] voluit modeſte dimittere, non concedere[illegible] ſcrupuloſe quodammodò petiit aliquid licitum, ideſt non ſimulatum cultum præſtandum Idolo, ſed humanum officium & civile obſequium præſtandum regi in templo idoli, ut magis explicat Malderus *præcit. memb* 3. *ad* 2.

37. Occurritur [illegible] ctoritati[illegible] ſimul pro idololatria

Ad ſecundum: ly *Iehu dixit* probaret etiam verbis poſſe idololatriam ſimulari, quod nec Adrianus admittit; cæterùm in re nihil probat, quia ibi Iehu peccavit mendacio impio, & ſacrificio ſacrilego ut loquitur Auguſtinus *lib. cont. mendacium cap.* 2. nec poſteà à Domino laudatur de ſimulata voluntate colendi idolum, ſed de obedientia divinæ voluntati præſtita in delenda domo Achab, & occidendis Sacerdotibus Baal: Quoad verba D. Hieronymi Malderus *ad* 3. monet ipſum ex commentariis & doctrina Origenis longius abductum, nimium fuiſſe in ſimulationibus defendendis; ideò hac in re magis, quàm Hieronymo, adhærendum Auguſtino & aliis.

Ad tertium: Apoſtoli ſervando aliquando cæremonias legis veteris non peccarunt quia non cœperunt eſſe illicitæ & mortiferæ ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed duntaxat poſt promulgatum Evangelium, ut tradit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *ad* 1. Singulis igitur ſe accommodando in licitis, non ſimulando cum Iudæis judaiſmum, gentiliſmum cum Gentilibus, Iudæis Iudæus, omnibus omnia Apoſtolus factus eſt. Verba ex Ambroſio relata deſumpta ſunt ex ſermone incerti Auctoris, non Ambroſij. Factum D. Euſebij, vel non abſolvendum omni culpa, vel excuſandum ignorantia invincibili; certè autem non imitandum, pro quo videatur Herincx *præcit. q.* 2. *num.* 12.

38. Duplex genus eorum, quæ ſunt Infidelium propria & quænam ex ijs liceant fidelibus.

Aſſert. 3. Non licet uti iis, quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta ad proteſtationem & ſignificationem falſæ religionis: Benè verò iis, quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint duntaxat ſigna politica inſtituta ad diſtinguendam unam nationem ab alia; aut homines unius ſectæ ab hominibus alterius. Ita Theologi communiter, quamvis cum magno inter ſe diſſidio in ſtatuendo determinatè & ſingillatim, quænam ſint hujuſmodi actiones & ſigna; aut in quibus circumſtantiis ſignum ſecundum ſe politicum poſſit evadere ſuperſtitioſum & proteſtativum falſæ religionis; quo quidem in diſſidio, quantùm obſervare curſim potui, laxiores ſunt Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 4. Azor *lib.* 8. *moral. Inſtit. cap.* 27. Amicus *hic diſput.* 14. *ſect.* 4. Coninch. *diſp.* 15. *dub.* 3. Lorca *quæſt.* 6. *diſp.* 14. &c. Regidiores verò Cajetanus *hic quæſt.* 3. *art.* 2. Sylvius *eodem art concluſ.* 3. Antonin. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 6. Sylveſter

verbo *fides*, verbo *Apoſtaſia* verbo *nfidelitas* & iiſdem verbis Angelus, Tab-na Armil- la &c. laxos inter & rigidos. ncdij Suarez *hic diſput.* 14 *ſect.* 5. Arria *diſput.22.ſec.3.* Madernus *quæſt.* 3. *artic* Herincx *diſput.8.* *quæſt.1.* &c. Nobis in morali magis, quàm Scholaſticâ; & qua quæſtiuncula ferè ſtitur, ſufficiat indicare Au- innumeræ conque poſſit pro genio ſuo con- ctores, quorum

ſulcwatur aſſertum univerſaliter poſitum.

39. , quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta &c. non habent alium uſum moralem præter proteſtationem falſæ religionis, & quiſquis eis utitur non poteſt alium a tali proteſtatione finem apud adſtantes rationabiliter prætendere; ergo uti hujuſmodi ſignis eſt ſaltem ſimulatè profiteri falſam religionem, quod ex mox dictis nunquam licet. Ex alia parte ea, quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint duntaxat ſigna politica inſtituta &c. habent ſecundùm ſe alios uſus ſpectantes ad humanum convictum & civile conſortium, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate poteſt quis eis uti non ſolùm habendo, verum etiam rationabiliter apud adſtantes prætendendo finem aliquem diverſum ab omni religionis proteſtatione, ergo ex juſtâ cauſa, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate, licet his ſignis uti: ergo à primo ad ultimum, non licet uti ijs, quæ ita ſunt Infidelium propria ut ſint ſigna ſuperſtitioſa &c. Benè verò ijs, quæ &c.

40. *Limitatio obligationis proferendi disertis verbis fidem veram.* Materiam præſentem abſolvo duas afferendo circà ſupradicta limitationes. Prima cadit ſuprà obligationem reſpondendi ac proferendi diſertis verbis fidem ſuam ſuppoſita interrogatione, & eſt quod interrogatio fiat in odium fidei; nam ſi quis te interroget Utrùm ſis Chriſtianus, Utrùm Iudæus, Utrùm Turca? non ad dignoſcendum cujus fidei & religionis ſis; ſed cujus nationis, aut conditionis, & ſtatus politici; quomodocunque reſpondeas non peccas contra fidem, quia nec interrogatio, nec reſponſio fidem, religionemvè reſpicit. Secunda cadit ſuprà obligationem non ſimulandi falſam religionem, nec utendi ijs, quæ ſunt Infidelium propria, tanquam ſigna ſuperſtitioſa, ac quaſi religioſa ipſorum, & eſt quod talis ſimulatio & uſus ſerio fiat; nam per iocum & ſcenicè, ut faciunt perſonantes in theatris, ſicuti licitum eſt induere perſonam Apoſtatæ aut infidelis, ita licitum eſt ſub tali perſona exercere actus falſæ religionis proprios, proferre verba denotantia negationem veræ fidei, quia illi materialiter exercentur, iſta materialiter proferuntur, *& habent* (ut de iocis ait Auguſtinus lib. de mendacio cap. 2.) *evidentiſſimam ex pronunciatione, atque ipſo iocantis affectu, ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enunciantis.*

Limitatio obligationis non ſimulandi fidem falſam.

CAPUT VII.

De fidei Habitu.

SOLENT in hujus capitis limine à pluribus plura ſupponi de habitibus theologicis, imò de habitibus ſupernaturalibus ac per ſe infuſis in communi; at quia de neutris hucuſque ex profeſſo alibi egimus vix poſſumus quidquam aliundè recolere, tanquam ſupponendum in præſenti, ubi proptereà opportunum eſt primo expedire quæ ſpectant ſingillatim ad fidem, & deindè partim ex ijs quæ fuerint tradita de habitu fidei in particulari, partim ex aliis, quæ obiter ſparſimus in tract. de Gratiâ, inferre aut breviter addere, quæcumque videbuntur neceſſaria de reliquis habitibus, & virtutibus præſertim theologicis: Ideò ſit 1.

§. I.

An ſit, Quid ſit, & Quotuplex ſit Habitus fidei per ſe infuſus?

ASSERT. 1. Datur habitus fidei per ſe infuſus: idque eſt quoad rem dogma catholicum & fidei veritas: quoad rem, inquam, quia Concilia loquuntur de fide habituali ſub nomine virtutis aut doni, non ſub nomine habitus per ſe infuſi; ideò ſub nomine habitus non videtur tam certum fidem exiſtere, quàm certum eſt exiſtere rem illo nomine importatam, quæ quidem pro nunc idem eſt ac res importata nomine virtutis aut doni. Ita Scotus *in 3. diſt. 23. quæſt. un. §. ad quæſtionem* Gabriel *ead. diſtinct. quæſt. 2. articul. 2.* Vega *lib. 7. in Trident. cap.* 24. Suarez *hic diſput. 7. ſect. 1. num. 2.* Arriaga *diſput. 16. ſec. 1.* Amicus *diſput. 15. num. 12.* cæterique Theologi communiter contra Sotum *lib. 2. de natura & gratia cap. 19.* & *in 4. diſtinct. 1. quæſtio 3. articul. 1.* aliosque nonnullos volentes exiſtentiam habitus fidei eſſe certam certitudine concluſionis theologicæ tantùm, non certitudine fidei. 2. *Dari habitum fidei per ſe infuſum eſt quoad rem dogma fidei.*

Probatur ex variis Conciliis; primò ſcilicet ex Moguntino *cap. 7.* dicente *Cum veniâ peccatorum homo etiam Dei gratiam & Spiritum Sanctum, una cum fide ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem recipit: iiſque donis in ipſo manentibus &c.* Secundò ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* docente juſtificationem *fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, & addente deindè *In ipſa juſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem ſpem & charitatem.* Confirmatur ex Catechiſmo Romano, in quo agendo de baptiſmo, poſtquàm definitum eſt gratiam eſſe qualitatem divinam in anima inhærentem, ſubditur *huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

Dices

3. *Nec poſſunt de ſolo actu intelligi auctoritates id probantes.*

Dices has auctoritates intelligi poſſe de actibus fidei, aliarumque virtutum, non de habitibus. Sed contrà; in primis infuſio ex genere ſuo malè dicitur de actibus; deinde in verbis relatis traditur infuſio fidei & virtutum eodem modo, quo infuſio gratiæ juſtificantis, hæc autem eſt infuſio gratiæ habitualis, non actualis. Rurſus in Moguntino exprimitur permanentia, quæ eſt propria habituum: Tandem Tridentinum *c. 6.* & *can. 3.* præſupponit actum fidei tanquam diſpoſitionem ad juſtificationem, dum igitur in ipſa juſtificatione ait fidem infundi, non loquitur amplius de actu, ſed de habitu; eademque eſt ratio de ſpe & charitate: *can.* etiam 28. definit amiſſa per peccatum gratia non admitti fidem, niſi ſit peccatum infidelitatis, quod de fidei actu non benè intelligitur. Accedit quod ut obſervant Amicus *diſp præcit. num.* 6. & Herincx *diſp. 1. quæſt. 3. num.* 28. Concilium Tridentinum loquitur ad ſenſum controverſiæ, de qua facta fuerat mentio ſub Innocent. III. *in c. Majores de bapt.* & poſtea actum ſub Clemente V. *in Concilio Viennenſi*, ea autem erat de virtutibus, quæ per baptiſmum communicarentur etiam parvulis, quibus certè competere tantùm poſſunt virtutum habitus, non actus.

4. *Pro eadem veritate duplex ratio valde probabilis.*

Si quæras: utrum exiſtentia habitus fidei poſſit quoque ſufficienter probari ratione. Reſponderem vix poſſe afferri rationem omnino efficacem, occurrunt tamen duæ potiſſimum valdè probabiles. Prima deſumitur ab exiſtentia actus fidei ſupernaturalis in ſubſtantia, adeoque requirentis ſupernaturale principium, quod licet poſſit eſſe tranſiens, aut etiam extrinſecum potentiæ vitali, connaturalius tamen ac congruentius eſt, quod ſit intrinſecum & permanens, adeoque habituale. Secunda ex eo, quod parvuli baptizati rectè dicuntur fideles, non poſſunt autem tales dici aut ratione characteris baptiſmi præciſè, quia ſecus eſſent dicendi fideles etiam hæretici; aut ratione actus fidei, quia non ſunt capaces ullius actus proprij: ergo ratione habitus & quidem per ſe infuſi, ſeu quod idem eſt, ſupernaturalis in ſubſtantia; cum ſupernaturalis in ſubſtantia ſit tum gratia juſtificans ad quam conſequitur, tum actus credendi ad quem datur, tum formalis ratio objecti à quo ſpecificatur.

5. *Definitur habitus fidei.*

Aſſert. 2. Habitus fidei eſt ſimplex qualitas menti per ſe infuſa, quâ inchoatur vita æterna in nobis, & efficitur aſſenſus certus ac inevidens fundatus in auctoritate revelationeque divinâ. Eſt definitio deſumpta partim ex D. Thom. *hic q. 4. art. 1.* partim ex dictis de fidei actu *præced. c. 5. n. 3.*

Eſt qualitas extenſivè ſimplex.

Probatur & explicatur. Dicitur *eſt ſimplex qualitas*, pro genere enim in definitione habitus videbatur omninò ponendum aliquid univerſalius ipſo habitu, ut univerſalior eſt ratio ſimplicis qualitatis, & ly *ſimplex* non intenſivè, ſed extenſivè debet intelligi; quatenùs habitus fidei, licèt poſſit eſſe magis aut minùs intenſus, ſemper tamen idem & æqualis eſt quoad extenſionem, quia ſecundum ſe ſemper extenditur ad quamlibet veritatem revelatam, nec admittit extenſivam etherogeneitatem, pro qua poſſunt huc proportionaliter revocari ea, quæ de habitu luminis gloriæ attigimus *tract. 1. lib. 2. cap. 5. num.* 39. & favent etiam quæ *præced. cap. 5. num. 6.* dicebamus de unitate ſpecifica omnium fidei actuum. Poteſt inſuper per ly *ſimplex qualitas* excludi opinio,

6. *Non diſtinguuntur realiter à fidei lumine.*

qua apud Suarezium *præcit. ſect. 1. num. 5.* nonnulli diſtinguunt in fide habituali duplicem qualitatem, & alteram fidei habitum, alteram fidei lumen vocant; ſed immeritò, nam licèt verè detur fidei lumen & de ipſo aptè intelligantur verba illa Io. 1. *Illuminat omnem hominem* & 1. Pet. 2. *vocavit nos in admirabile lumen ſuum*; tamen ratio habitus, & ratio luminis, in fide habituali ſunt unica qualitas, quæ quatenùs permanenter inhæret potentiæ dicitur habitus, quatenus manifeſtat veritatem revelatam coëfficiendo actum attingentem ipſam dicitur lumen; ſicuti proportionaliter in patria unica qualitas eſt gloriæ habitus & gloriæ lumen. Nec refert, quòd habitus naturalium ſcientiarum diſtinguantur à lumine naturali. Non refert, inquam, quia lumen naturale identificatur cum potentia intellectiva, ſicuti igitur ab iſta, ita & ab illo debent diſtingui naturales habitus; non ſic identificatur cum potentia intellectiva lumen ſupernaturale aut gloriæ aut fidei, propterea rectè ponitur identificari cum ſupernaturali habitu; cum præſertim iſte in ſuo ordine ſe habeat, ut potentia, ac per conſequens etiam ex hoc capite debeat ſibi identificare lumen ſupernaturale non minùs quàm potentia naturalis lumen naturale.

7. *Per ſe menti infunditur.*

Dicitur *menti per ſe infuſa* ad indicandum ſubjectum, & ſupernaturalitatem fidei habitualis, & ad contrà diſtinguendum habitum fidei propriè ſtrictéque acceptum, de quo in præſenti, ab habitu piæ affectionis, qui eſt quidem ipſe quoque qualitas per ſe infuſa, cum detur ad imperium in ſubſtantiâ ſupernaturale, at infunditur voluntati non menti; eſt virtus moralis magis, quàm Theologica; nec eſt adeò certum quod detur, ut conſtat ex dictis *præced. cap. 5. §. 5.*

Inchoat in nobis vitam æternam.

Dicitur, *quâ inchoatur vita æterna in nobis*, quia ex D. Thoma *1. 2. q. 62. art. 1. in c.* virtutes Theologicæ ex genere ſuo ſunt principia, quibus ordinamur ad vitam æternam ſeu beatitudinem ſupernaturalem, & inter hujuſmodi principia illud, quo primò indigemus, eſt virtus fidei: non negaverim tamen has particulas poſitas eſſe ad quamdam abundantiorem notitiam potiùs, quàm ex omnimoda definitionis neceſſitate, ut *præced. c. 5. n. 4.* dicebamus proportionaliter de particulis illis *ſperandarum ſubſtantia rerum* in definitione fidei actualis.

8.

Dicitur & *efficitur aſſenſus certus ac inevidens* &c. quibus particulis explicatur fidei habitus per ordinem ad proprium actum, propriumque objectum formale, quo ultimò diſtinguitur à quolibet alio habitu; diſtinguitur item per ly *efficitur* ab auxilio actuali ſupplente habitum, quod quidem auxilium non per ſe primò efficit, ſed ſupplet efficientiam in actum aſſenſus, præterea tale auxilium ut pote qualitas tranſiens minus propriè di-

Quomodo diſtinguatur ab auxilio actuali?

citur infundi per ſe, undè etiam titulo qualitatis per ſe infuſæ aſſignari poteſt diſcrimen habitus fidei ab illo auxilio.

Cauſæ effectus, & objectum formale ipſius.

Ex his habes tum proprium effectum & objectum formale, tum omnes cauſas babitus fidei: Habes ſcilicet effectum & objectum formale in ly *aſſenſus certus ac inevidens*, &c. Habes in ly *Qualitas ſimplex* cauſam formalem indiſtinctam à fidei habitu, qui eſt per ſe ipſum forma. Habes cauſam materialem & efficientem in ly *menti per ſe infuſa*, materialem quidem in ly *menti*, efficientem in ly *per ſe infuſa*, quatenus quidquid per ſe infunditur, fit aut præcipue, aut unice, à Deo. Habes cauſam finalem in ly *qua inchoatur vita æterna in nobis*. Habes uno verbo definitionem copioſam & abundantem; quod ſi abundantia ipſa diſpliceat, poteris brevius & cohærenter ad ſupradicta *cap. 5. num. 5.* ſic definire fidei habitus eſt qualitas ſimplex per ſe infuſa quà efficitur cogitatiu cum aſſenſione.

Definitur brevius idẽ fidei habitus.

9. Habitus fidei eſt eſſentialiter & in ſua ſpecie unicus.

Aſſert. 3. Habitus fidei eſſentialiter, & in ſua ſpecie, unicus eſt, non multiplex, nec admittit diviſionem ullam niſi impropriam, imperfectam & in membra diverſa ſolùm accidentaliter. Ità D. Thomas *hic quæſt. 4. art. 6.* D. Auguſtinus *lib. 13. de Trinit. cap. 2.* Scotus *in 3. diſt. 23. & 24.* cæterique Theologi communiter & eſt veritas adeò certa, ut vix non exiſtimetur de fide propter illud Epheſ. 4. *unus Dominus, una fides*; ex hoc tamen locu Arriaga *diſput. 16. num. 15.* vult non haberi tantam aſſertæ veritatis certitudinem, eo quod ex mente Apoſtoli verba relata procedant de fidei objecto, quod pro omnibus locis unum & idem eſt; non de fidei habitu, & quando de iſto procederent, non probarent intentum, quia habitus ex eo quod ſit unus non excludit partes eſſentiales ſpecie diverſas, ſicut homo eſt unus, & tamen tales partes in ſe admittit: Abſtrahendo igitur à certitudine dogmatica aſſertum.

Probatur: Habitus fidei non continet ſub ſe habitus ſpecie diverſos, neque partiales, ex quibus tanquam totum ex partibus eſſentialibus componatur; neque totales, in qoos tanquàm genus in ſpecies dividatur; ergo habitus fidei eſſentialiter & in ſuâ ſpecie unicus eſt, &c. antecedens quoad primam partem habetur ex eo, quod jam dictum eſt, habitum fidei eſſe in ſe qualitatem intenſivè ſimplicem & homogeneam; quoad ſecundam probatur diſcurrendo per omnes habitus ab Adverſariis aſſignabiles, & oſtendendo ipſos aut non contineri ſub habitu fidei, de quo in præſenti; aut non differre ab invicem niſi accidentaliter, & extrinſecè; & ex primo quidem capite illico conſtat non facere hic ad rem habitum piæ affectionis; ex ſecundo capite non debent tanquam duæ ſpecies ſub eodem genere habitus contentæ diſtingui fidei virtus, & fidei lumen; ſicque corruunt duæ diviſiones quarum altera poſſet fides habitualis dividi in habitum aſſenſus, & babitum piæ affectionis, alterâ in fidei virtutem, & in fidei lumen: Superſunt autem duæ aliæ diviſiones, de quibus poteſt occurrere aliqua major ratio dubitandi.

10. Diviſio fidei in ſpeculativam, & practicam, qualis?

Prima eſt in fidem ſpeculativam, & fidem practicam: At hæ duæ fides non poſſunt differre eſſentialiter in ratione habitus primò, quia ſpeculatiuum & practicum ex genere ſuo ſunt differentiæ accidentales, ut attigi *in prolegom cap. 1. num. 25.* Secundò quia dicuntur formaliter & propriè ſolùm de fidei actibus, de habitu verò non niſi eminenter & denominative ab actibus; fidei enim habitus, utpotè per ſe infuſus, ſe habet ut potentia in quâ ſpeculatiuum & practicum continentur eminenter, & præcisè tanquam in principio productivo, per ordinem igitur ad actus ſpeculativos & practicos ſicut non multiplicamus potentias naturales, ità nec debemus multiplicare habitus per ſe infuſos, qui ſunt potentiæ ſupernaturales: ſicque diviſio fidei in ſpeculatiuam & practicam nec eſt diviſio in membra ſpecie diverſa, nec propriè eſt diviſio fidei habitualis, ſed actualis duntaxat.

11. Diviſio fidei in informem & formatã, ſeu mortuã & vivam, qualis?

Secunda diviſio eſt in fidem informem, & formatam, ſeu mortuam & vivam, circà quam diviſionem fuit olim ingens concertatio, & ex docentibus fidem informem, & formatam, eſſe duos habitus realiter diſtinctos aliqui dixerunt adveniente fide formatâ deſtrui fidem informem, & iſtam ſuccedere illa deficiente, aliqui ſenſerunt remanere fidem informem ſimul cum formatâ, & ex his quidam voluerunt fidem informem tunc perſeverare informem; quidam alij admiſerunt formari, at non à gratia aut charitate, ſed à fide formatâ, quam ſecum ferunt gratia & charitas: Calvinus deindè, Lutherus, eorumque Aſſeclæ nullam agnoſcentes fidem, quæ poſſit ſine charitate conſiſtere, negarunt fidem informem, & memoratam diviſionem deriſerunt: antiquam opinandi varietatem refert ex Sanctis Bonaventurâ & Thomâ Malderus, *quæſt. 4. art. 4.* Sectariorum verò errorem Valentia *diſp. 1. quæſt. 4. punc. 4.* Noſtris temporibus, & poſt Tridentinum, veritas Catholica eſt, quod admittenda ſit fides tum informis tum formata, at quod non ſint duo habitus ſpecie diverſi, imò nec numero, adeò ut ex Maldero *loco præcit.* eſſet hæretica ſententia, quæ doceret eſſe duos habitus diverſos ſpecie; temeraria verò, quæ doceret eſſe diverſos numero, quamvis fortè quoad duos babitus ſpecie diverſos mitiùs ſentiret Arriaga, qui *ex præced. num. 9.* cenſet ad dogma non pertinere unitatem ſpecificam babitus fidei: certa tamen eſt hæc unitas præſertim in fide formatâ & informi, & unus idemque tum ſpecie tùm numero habitus fidei quatenus eſt ſine gratia & charitate (ſine qua ex dicendis de fide eſt aliquando eſſe) dicitur fides informis & mortua; formata verò & viva, quandu habet conſortium gratiæ & charitatis, quæ eſt forma virtutum & ſpiritualis vita animæ, ſubintellige extrinſecè & moraliter, non intrinſecè & phyſicè; informat, inquam, charitas & vivificat fidei habitum moraliter & extrinſecè, quatenus perficit actum ejus reddendo ipſum meritorium vitæ æternæ, & ſimpliciter ordinatum ad finem ſupernaturalem, ut magis explicant Malderus, & Valentia *præcit. quæſt. 4. art. & punc. 3.*

Certum eſt utramque dari, & utrâque eſſe unicum habitum.

12.

Fides informis & mortua quomodo formetur & vivificetur per charitatem?

Sic

Sic explicatâ fide formatâ & informi, vivâ & mortuâ, liquidò conſtat relatam diviſionem eſſe in membra accidentaliter & extrinſecè, non eſſentialiter & intrinſecè diverſa, eundemque fidei habitum aliquando evadere de informi formatum, aliquando de formato informem: Nec refert, quod nequeat hoc evenire in fidei actu, enimverò diſparitas in promptu eſt, quia fidei habitus eſt quid permanens, actus eſt quid tranſiens; cæterum etiam fidei actus, & aliud quodlibet opus mortuum aliquando fieret vivum, aut vivum evaderet mortuum, ſi idem numero eliceretur à peccatore & perſeveraret in juſto, aut eliceretur à juſto & perſeveraret in peccatore.

Occurrunt hic circà explicatam mox diviſionem nonnulla dubia ad modum loquendi potius, quàm ad rem pertinentia: Primum eſt: Cur fides habitualis potius, quam aliæ virtutes, dividatur in vivam & mortuam, & cur fidei potius, quam aliarum virtutum, habitus gratiâ & charitate vivat? Secundum, an & quomodo fides etiam informis ſit vera virtus? Tertium an & quomodo fides etiam informis ſit inchoatio vitæ æternæ, & juſtitiæ fundamentum?

13. *Cur fides potius quam aliæ virtutes, charitate vivat, & in vivam ac mortuam dividatur.*

Ad primum dico quoad rem omnes virtutes per ſe infuſas charitate vivere charitateque formari, unde hæc abſolutè dicitur forma virtutum; quoad modum loquendi id peculiariter fidei tribui, quia ipſa eſt initium ac fundamentum vitæ æternæ, in ſcripturâ *Heb.* 10. ſingillatim dicitur juſtum fide vivere & dum *Iacob.* 2. habetur fidem ſine operibus eſſe mortuam egregiè inſinuatur eam potiſſimum operatricis charitatis ſpiritu reddi vivam. Accedit, quod cæteræ virtutes infuſæ, ſpe excepta, in peccatore non permanent adeoque non evadunt de vivis mortuæ, de formatis informes; aut è contra, ut fides.

14. Ad ſecundum; Durandus *in* 3. *diſtinct.* 23. *quæſt.* 6. contra ſententiam communiſſimam negavit prærogativam virtutis etiam fidei formatæ. D. Thomas *hic quæſt.* 4. *art.* 5. *in c.* videtur eam negare fidei informi, & idem ſenſiſſe videtur D. Chryſoſtomus dum ſcribens *in cap.* 3. *Epiſt.* 2. *ad Tim.* ait *fides ſine operibus figura ſolum abſque virtute eſt.* Nihilominus in Chryſoſtomo ly *abſque virtute* operativâ, & D. Thomas *eo art. ad* 3. ſatis exprimit ſe negaſſe fidei informi rationem virtutis ſecundùm quid, & quoad perfectionem ſtatus; non ſimpliciter, & quoad eſſentiam; & in hoc ſenſu reſpondeo abſolutè fidem informem eſſe virtutem; ſi enim talis non eſſet, non poſſet dici eſſentialiter & intrinſecè idem habitus cum fide formatâ, quæ certè virtus eſt; non poſſet item ſimpliciter dici vera fides, cum tamen Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 28. anathematizet eum, qui dixerit fidem remanentem poſt peccatum *non eſſe veram fidem, licet non ſit viva.*

Fides etiam informis & mortua eſt ſimpliciter quoad eſſentiam virtus.

15. *Eodemque modo eſt juſtitiæ fundamentum.*

Ad tertium dico eandem eſſe rationem, ac de prædicato virtutis; ideò juxtà mox dicta reſpondeo fidem etiam informem eſſe inchoationem vitæ æternæ ac juſtitiæ fundamentum abſolutè, & quoad ſubſtantiam; quamvis non ſecundum quid & quoad ſtatum; vel dicito, ſi vis, in actu ſignato, non in actu exercito.

---

§. II.

Quandonam infundatur habitus fidei, & utrum efficiatur ſemper immediatè à ſolo Deo?

ASSERT. 1. Infuſio habitus fidei in parvulis eſt ſimul tempore cum infuſione habituum gratiæ & charitatis; in adultis eſt regulariter prior. Prima pars eſt communiſſimè recepta. Secunda eſt D. Thomæ *hic qu.* 6. *art.* 2. *ad* 3. Cajetani *ibid.* Bannezij *quæſt.* 4. *art.* 7. *dub.* 5. *ad* 2. Valentiæ *diſput.* 1. *quæſt.* 6. *punc.* 2. Eſparzæ *lib.* 6. *quæſt.* 10. Maderni *quæ.* 4. *art.* 2. Amici *diſput.* 15. *ſec.* 4. *& de Gra. diſputat.* 29 *ſec.* 9. Suarezij *de Gra lib.* 8. *cap.* 23. & aliorum tum Thomiſtarum communiter, tum plurium Recentiorum, contrà Bonaventuram *in* 3. *diſt.* 23. *dub.* 6. Albertum *in* 3. *diſtinct.* 36. *art.* 2. Scotum *ead. diſt. quæſt. unica* §. *Quantum ad quartum* Gabrielem *ead. diſt.* Durandum *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 6 §. *Quantum ad tertium* Vegam *lib.* 7. *in Trident. cap.* 28. Lugum *diſp.* 16. *ſec.* 2. Arriagam *diſp.* 16. *ſec.* 4. & ex parte Sotum *lib.* 3. *de nat. & Gra. cap.* 8. quatenus docet extra baptiſmum infuſionem fidei nunquam eſſe priorem infuſione gratiæ, in baptiſmo verò tunc ſolùm, cum quis baptizatur ſufficienter diſpoſitus ad fidem, non ad gratiam.

Probatur prima pars, quia in parvulis nullus datur fidei actus, nulla prævia diſpoſitio ratione cujus fieri debeat fidei infuſio, hæc igitur illis fit ſolum ad exigentiam infuſionis gratiæ cauſatæ per baptiſmum, & quatenus juſtificatio perfecta importat infuſionem omnium habituum ſupernaturalium connaturaliter comitantium gratiam; Deus igitur, qui ſuis operationibus nulla indiget temporis morâ infundit parvulis in baptiſmo ſimul cum gratia habitum fidei, & cæteros habitus ſupernaturales; ſicuti gratia ipſa, ſi haberet virtutem talium habituum productivam, eos produceret in primo ſuæ productionis inſtanti ſervatâ ſibi reſpectu eorundem prioritate naturæ tantùm, non temporis; ergo infuſio habitus fidei in parvulis eſt ſimul tempore, &c. 16.

Habitus fidei infunditur parvulis ſimul tempore cum habitu gratiæ.

Probatur ſecunda pars: Subjecto diſpoſitionis capaci infunditur habitus fidei, quando habet ſufficientem & ultimam diſpoſitionem ad ipſum, atqui adulti ſunt ſubjecta diſpoſitionis capacia, ut ex ſe patet & regulariter habent ſufficientem & ultimam diſpoſitionem ad habitum fidei prius, quam ad habitum gratiæ & charitatis; ergo in adultis infuſio habitus fidei eſt regulariter prior, &c. Major patet, quia in univerſum reſpectu ſubjecti diſpoſitionis capacis connaturale eſt formæ expectare quodammodo diſpoſitionem, ſtatim verò conferri quando adeſt ſufficiens & ultima diſpoſitio, de qua propterea dici ſolet quod ſimul ſit cum forma, ad quam diſponit; 17.

Adultis verò regulariter infunditur prius tempore.

diſponit: Minor probatur, actus fidei eſt ſufficiens & ultima diſpoſitio ad fidei habitum, ita enim ſe habet actus fidei ad habitum fidei, ſicuti actus charitatis ad habitum charitatis; & ſicuti quilibet actus naturalis habet vim effectivam in ordine ad proprium habitum aquiſitum, ita quilibet actus ſupernaturalis habet vim ultimò diſpoſitivam in ordine ad proprium habitum per ſe infuſum, nec certè eſt excogitabilis pro ſupernaturali habitu diſpoſitio ulla ſufficientior & immediatior proprio ſupernaturali actu; atqui adulti regulariter habent actum fidei priùs, quàm actum aut dilectionis & contritionis, quæ extra Sacramentum, aut attritionis quæ in Sacramento, eſt ultima diſpoſitio ad habitum gratiæ & charitatis, vix enim homo (quamvis diverſa ſit ratio de Angelo) poteſt pro eodem inſtanti temporis primò elicere actum fidei, ſpei, & charitatis aut attritionis; ergo adulti regulariter habent ſufficientem, & ultimam diſpoſitionem ad habitum fidei, priuſquàm &c.

Actus ſupernaturalis theologicus eſt ſufficiens & ultima diſpoſitio ad proprium habitum.

Dices primò hoc argumentum nimis probare, poteſt enim totum ad amuſſim formari in habitibus per ſe infuſis virtutum moralium; quos tamen certum eſt nunquam infundi antè habitum gratiæ & charitatis. Accedit quod titulo ſufficientis diſpoſitionis habitus fidei deberet infundi etiam antè ipſum fidei actum ſtatim ac elicitur pia affectio credendi; hæc enim eſt propriſſima ad fidem diſpoſitio, & actus fidei eſt potiùs effectus, utpotè qui connaturaliter prærequirit habitum pro principio. Sed contra: quoad habitus

18. Non ſic actus ſupernaturalis moralis.

per ſe infuſos virtutum moralium non ſunt cætera paria, quia ut attingetur infra nunquam illi ſine gratia conſervantur, ſicuti tamen conſervantur habitus fidei & ſpei; quid igitur mirum, quod illi nunquam antè gratiam infundantur, benè verò iſti; & quod actus caſtitatis v.g. in ſubjecto gratia deſtituto non ſit ſufficiens diſpoſitio, ut infundatur illicò caſtitatis habitus; benè verò fidei actus, ut infundatur habitus fidei: Nec refert quòd gratia habitualis ſit prima radix virtutum theologicarum æquè ac moralium, adeòque debeat præcedere illarum æquè, ac iſtarum infuſionem, & prærequiri ut ſubjectum ſit ad illas æquè, ac ad iſtas ſufficienter diſpoſitum. Non refert, inquam, quia reſpectu fidei & ſpei eſt prima radix tantùm poſitivè, reſpectu virtutum moralium eſt prima radix poſitivè & negativè, habes horum terminorum explicationem *tract. præced. lib.3. cap.2. num.*49. & terminis clarioribus dici poteſt reſpectu fidei & ſpei radix ſeparabilis reſpectu aliarum virtutum radix inſeparabilis.

Gratia non eſt prima radix virtutum theologicarum eodem modo quo moralium.

19. Ad illud quod in inſtantia additur dico, quòd intento noſtro quoad ſubſtantiam nihil obeſſet concedere actui piæ affectionis rationem diſpoſitionis ultimæ, ad quam illico ſequatur infuſio habitus fidei, & ita in re ſentit cum Turriano *diſp.*38. *dub.*3. Amicus *præcit ſec.*4. *num.* 104. id tamen non concedo, quia ex una parte habet majorem proportionem convenientiam, & connexionem cum fidei habitu fidei actus, quàm actus piæ affectionis, & ex alia parte ille prærequirit quidem connaturaliter pro principio fidei habitum loquendo abſolutè, at non in hypotheſi ultimæ diſpoſitionis, ut exemplificari poteſt in actu charitatis ad proprium habitum comparato, & magis explicari recolendo ſuprà dicta *in tractat. de Angelis lib.*3. *cap.*1. *num.*20. *&* 21. & *de Gra. lib.*3. *cap.*2. *numer.*47. *&* 53.

Actus piæ affectionis non eſt ultima diſpoſitio ad habitum fidei.

Ex quo ſe obtulit piæ affectionis actus poſtulabis obiter, utrùm ille ſit ſaltem ſufficiens diſpoſitio ultima ad habitum proprium, quem credulitatis nuncupavimus, quique proptereà regulariter infundatur adulto antè habitum gratiæ, imò etiam antè habitum fidei? Exiſtimo eſſe affirmandum, ſicuti enim ſuprà *c.*5. *n.*66. diximus credulitatem habitualem eſſe ejuſdem cum fide habituali conditionis quoad permanere poſt amiſſionem gratiæ; ità hic ejuſdem conditionis dicenda eſt quoad infundi ante gratiæ infuſionem: Accedit quod ut magis conſtabit *ex ſequentibus numero* 38. ratio militans pro cæteris virtutibus moralibus quoad ipſarum aut non permanentiam ſine gratiâ, aut non infuſionem antè gratiam, non militat pro virtute credulitatis. 20.

Benè verò ad habitum credulitatis.

Ex his habes argumentum à nobis poſitum pro infuſione fidei antecedente infuſionem gratiæ eſſe efficax in ordine ad illos habitus dumtaxat, de quibus aliundè ſupponitur, quod exiſtant quantùm eſt de ſe ſine habitu gratiæ, ut exiſtunt præcipuè fides ac ſpes & valdè probabiliter habitus credulitatis: Proptereà nil mirum, ſi idem argumentum inutiliter formetur, & male ab Adverſariis retorqueatur, in habitibus virtutum, de quibus nullum eſt veſtigium, quod exiſtant ſine habitu gratiæ, imò ſupponitur oppoſitum, ut evenit in habitibus per ſe infuſis virtutum moralium, & in habitu Theologico Charitatis. Urgebis tamen, &

Dices ſecundò: quamvis de habitu fidei rectè ſupponatur, quod permaneat & conſervetur ſine habitu gratiæ, non tamen aut benè infertur aut ſimiliter ſupponitur, quod poſſit ſine habitu gratiæ primò produci & quod à gratia non dependeat in infuſione, ſicuti non dependet in conſervatione, ut eſſet neceſſarium pro noſtro intento, & pro ſuperioris argumenti efficacia: Non benè id infertur, quia plura ſæpè requiruntur ad primam productionem, quàm ad conſervationem; ſic anima rationalis ut producatur, non ut conſervetur, corpus requirit & à corpore pendet; materia Euchariſtiæ, ut conſecretur, non ut conſecrata permaneat, debet eſſe ſenſibilis: Non benè id ſupponitur, quia non ſuppetunt pro prima productione auctoritates, ut pro conſervatione; imò pro illa occurrunt auctoritates oppoſitæ, ſuadentes ſcilicet habitum fidei ſemper primò produci, ſimul tempore cum habitu gratiæ & dependenter ab ipſo, non priùs & independenter; nam tàm parvulis, quàm adultis, fieri in qualibet juſtificatione, præſertim verò ex vi baptiſmi, ſimultaneam infuſionem gratiæ, & virtutum, tradunt Concilia Viennenſe, Moguntinum, Tridentinum, & Catechiſmus Romanus, ut ſuprà retulimus *n.*2. *&* 3. Item D. Thomas 1.2. *quæſt.*62. 21.

quæſt.62.art.4.in corp.3.part.quæſt.85. art.6. & *in 3.diſt.23.quæſt.2.art.5.* expreſsè docet fidem, & alias virtutes, ſimul infundi, nec attendi in ipſis ordinem temporis quoad habitus, ſed ſolùm quoad actus, ſicuti etiam de ſolis actibus videtur agere *præcit. art. 2. ad 3.* ubi ſuprà eum retulimus pro noſtro aſſerto. Sed contrà,

22. Occurritur auctoritatibus militantibus contra anteceſſionem fidei ad gratiam.

ut à D. Thoma incipiam, dico ipſum loqui de virtutibus in eſſe formato & ſtatu perfecto, quem habent à charitate, quoties docet in illis non attendi ordinem temporis quoad habitus: in loco pro nobis relato non bene intelligitur de actibus fidei & charitatis, quia habitus magis propriè à Deo accipimus, quam actus, quos elicimus nos ipſi, & tamen ibi S. Doctor ait *ille qui accipit à Deo fidem abſque charitate &c.* Ad Concilia dico ea quidem velle quod in qualibet juſtificatione, ſeu in quolibet juſto, ſint ſimul gratia & virtutes; at non curare deindè, utrùm infundantur ſimul an ſucceſſivè? loquuntur de ſimultate ſubiecti, non de ſimultate infuſionis, ut magis explicat Eſparza *præcit. quæſt. 10. ad 2.* ubi etiam *& art 4. præced.* expendit quædam verba Tridentini cogentia, ut ait, ad talem intelligentiam. Auctoritates igitur non ſunt contrà independentiam fidei à gratiâ in primâ infuſione, quamvis pro ea vix militent, aut ſaltem non adeò urgeant, ut pro indepen-

23. dentia fidei à gratia in conſervatione. Ad illud, quod objiciebatur ex hac poſteriore independentia non benè inferri illam priorem ex eo, quòd plura ſæpè requirantur &c. dico nos non inferre unam independentiam ex alia præcisè, ſed ex independentia in conſervari & ſufficienti diſpoſitione ad independenter produci inferimus independentiam in produci, & plura requirimus ad iſtam, quàm ad illam; ad illam enim ſatis eſt non poni obicem infidelitatis, ad iſtam neceſſaria ulteriùs eſt poſitiva diſpoſitio proprij actus eo ferè modo, quo animæ rationali ut conſervetur ſatis eſt, quod non ponatur principium anihilans; ut producatur neceſſaria eſt ultrà principium creativum organica diſpoſitio corporis.

Dices tertio: Per actum fidei non tollitur peccatum infidelitatis, nullum enim peccatum tollitur ſine gratia & ſufficienti diſpoſitione ad ipſam; ergo ſaltem in eo qui caret fidei habitu propter peccatum infidelitatis non eſt ad illum ſufficiens diſpoſitio fidei actus, utpotè qui relinquit in ſubjecto obicem, & moraliter perſeverantem actum con-

24. Actus fidei tollit errorem, non malitiam infidelitatis.

trarium. Sed contrà: per actum fidei non tollitur peccatum infidelitatis ſecundùm rationem malitiæ, benè tamen ſecundùm rationem erroris ſecundùm quam ſolam infidelitas eſt obex expellens & impediens habitum fidei; unde etiam *capit. præcedent. numero ſeptimo*, dicebamus infidelitate externâ ſine errore interno talem habitum non amitti, ideò &c.

Aſſert. 2. Habitus fidei, tanquam à cauſa phyſica principali, infunditur ac efficitur ſemper immediatè à ſolo Deo, adeò ut nec fidei actus, nec gratiæ habitus in illum unquam exerceant ullam phyſicam efficientiam. Eſt aſſertum commune, præſertim ex ea parte qua procedit de fidei actu, contrà quam partem Amicus *de gra di p.15. ſec.7. num.173.* ait neminem ſe legiſſe abſolutè ſentientem; quoad aliam partem, qua procedit de gratiæ habitu, habemus Adverſarios Granadum *3.2. controv.4.diſp.4. & controv.8. tractat.4. diſp.3.* Caietanum *3.p. quæſt.62. art.2.* alioſque nonnullos maximè ex Thomiſtis, at habemus multo plures nobiſcum ſentientes, inter quos Suarez *de Gra lib 6. cap 4.* Amicus *de Gra. diſp.29.ſec.8.* Oviedus *de Iuſtificat. controv.3. punc.1.* &c.

Dixi *tanquam à cauſa phyſica principali*, ne excluderem cauſam moralem, aut phyſicam inſtrumentalem & quidem ratio cauſæ moralis in ordine ad primò infundendum fidei habitum convenit tum proprijs ipſius actibus habentibus in peccatore rationem aliquam meriti congrui, tum gratiæ habituali exigenti, quòd Deus ſecum infundat fidei habitum, quoties hunc non reperiat infuſum antecedenter; talis autem exigentia eſt quædam efficientia moralis. Ratio cauſæ phyſicæ inſtrumentalis convenit Sacramentis baptiſmi & pœnitentiæ in ſententia univerſaliter docente Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica.

25. Habitus fidei habet pro cauſa efficiente morali actus proprios, & gratiam habitualem.

Pro cauſa phyſica inſtrumentali baptiſmum & pœnitentiam.

Neque dicas duo prædicta Sacramẽta in adultis ſemper ſupponere prævium fidei actum, adeóque nos non loqui cohærenter, dum hucuſque docuimus poſito fidei actu ſtatim infundi fidei habitum, & modo tribuimus virtutem hujus habitus cauſativam Sacramentis ſemper ſupponentibus fidei actum, ac per conſequens & habitum, in ordine ad quem propterea Sacramenta habebunt virtutem cauſativam ſemper otioſam. Contra enim quoad baptiſmum

26. ipſius vis in actu ſecundo efficax ad producendum fidei habitum elucet ſaltem reſpectu parvulorum; reſpectu verò adultorum, tùm à baptiſmo, tùm à pœnitentia, exercetur eadem vis in ordine ad augendũ, ſi non ad primò producendum eundem habitum; cæteri tamen aliquando poteſt etiam in ordine ad primò producendũ, quatenùs poteſt quis, licet regulariter hoc non eveniat, uno eodemque inſtanti temporis per proprios actus ſe diſponere ad ſacramentũ baptiſmi aut pœnitentiæ, & ipſũmet ſacramẽtũ ſuſcipere. Aſſertũ ſic explicatũ.

Probatur primò in univerſum ex eo quod fidei habitus ſit per ſe infuſus & inchoet aut perficiat noſtram juſtificationem, noſtra autem juſtificatio ex alibi dictis eſt à ſolo Deo, ut à cauſa phyſica principali, & ratio infuſionis videtur ex genere ſuo requirere, quod à ſolo Deo fiat.

Pro cauſa phyſica principali ſolum Deum.

Probatur ſecundò in particulari quoad fidei actum: iſte eſt imperfectior ſuo habitu ergo non poteſt eſſe cauſa phyſica principalis ipſius; imò (quod obiter dixerim) nec poteſt eſſe cauſa phyſica inſtrumentalis quia ut diſcurrit Amicus *præcit. ſec ſeptima, numer. 176.* nec poteſt eſſe inſtrumentum animæ, nec habitus infuſi, nec Dei: Non animæ, nec habitus infuſi, cum anima non poſſit ex ſe eſſe principalis cauſa qualitatis ſupernaturalis, & habitus infuſus ſe habeat, ut potentia, cui non convenit

27. Nullatenus verò proprium actum

Digitized by Google

aut ſe ipſam augere, aut producere aliam ſibi ſimilem: Non Dei, quia eſſet inſtrumentum obedientiale & miraculoſum, modus autem operandi obedientialiter & miraculoſe non eſt aſtruendus ſine neceſſitate, & ſine magno præſidio auctoritatis, aut rationis, quod nullum eſt in præſenti.

Nec gratiæ habitum. Probatur tertiò in particulari quoad gratiæ habitum: ſi iſte phyſicè cauſaret habitum fidei, cauſaret ipſum per ſimplicem emanationem tanquam eſſentia paſſionem ſuam & proprietatem, adeoque cauſaret neceſſariò & ſemper; at hoc non, quia talem habitum non cauſat in beatis, nec in Chriſto; item quia eſſet miraculum, quoties fidei habitus produceretur aut conſervaretur independenter à gratiâ, quâ ratione inducerentur frequentia & familiaria ſine neceſſitate miracula.

18. *Hucuſque dicta ſunt extendenda ad alios habitus per ſe infuſos.* Confirmatur ea eo, quod hoc modo meliùs, & in majori rigore ſalvatur, quod gratia non ſit habitus operativus, ex quo capite & ea paritate habitus fidei (quæ paritas inſtaurari poteſt tum in habitu ſpei, tum in habitu luminis gloriæ) neganda eſt gratiæ habituali efficientia phyſica in alios habitus per ſe infuſos, multoque magis in ſupernaturales actus: concedenda verò ſola efficientia moralis immediata quidem in habitus, mediata in actus; quod ſufficit ad ſalvandum quod gratia ſe habeat per modum naturæ, & radicis ad reliqua dona ſupernaturalia, & quod ut ait Divus Thomas 1. 2. quæſtio. 110. articulo 4. ad 1. *Sicut ab eſſentia animæ effluunt ejus potentiæ, quæ ſunt operum principia, ita etiã ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus*; quam comparationem cum nimio rigore aſſumunt, & nobis objiciunt Adverſarij ex influxu animæ in potentias inferentes non influxum quomodocunque, ſed influxum omninò ſimilem, idest phyſicum, gratiæ in virtutes.

---

§. III.

An & quomodo habitus fidei intendatur, remittatur, amittatur?

29. ASSERT. 1. Habitus fidei in peccatore fideli augetur, ſeu intenditur, quolibet actu proprio; in juſto regulariter loquendo intenditur quolibet actu meritorio augmenti gratiæ. Prima pars eſt ſatis communis contrà Eſparzam *hic quæſt. 10. ad 3.* aliosque nonnullos docentes habitum fidei, quamvis poſſit ſeorſim exiſtere abſque gratia & charitate, augmentum tamen nullum nanciſci poſſe abſque augmento gratiæ & charitatis, ſeu ſeorſim à gratia & charitate. Secunda *Habitus fidei augetur in juſto regulariter quolibet actu meritorio.* pars eſt communiſſima, in ea autem appoſui ly *regulariter loquendo*, quia ſuppoſito quòd habitus fidei augeatur in peccatore contingere poteſt, ut aliquis peccator evadens juſtus habeat fidei habitum intenſiorem habitu gratiæ, in hoc caſu quouſque intenſio fidei excederet intenſionem gratiæ, non augeretur fides actu meritorio augmenti gratiæ, ut attigimus *in tractat. de grat. lib. 4. cap. 8. §. 1.* ea quo etiam ſupponenda eſt & deſumenda ipſiuſmet ſecundæ partis probatio; remanet igitur probandum aſſertum ſolum quoad augmentum fidei in peccatore; & hoc ſic

Probatur. Proprio actu, tanquam ultima diſpoſitione morali & merito congruo, 30. *In peccatore quolibet actu proprio.* primò producitur habitus fidei in peccatore infideli; ergo eodem proprio actu eodem modo augetur ſeu intenditur in peccatore fideli; antecedens ſupponitur *ex §. præcedenti*, conſequentia probatur, habitum fidei augeri nihil eſt aliud, quàm de novo produci aliquam partem, ſeu aliquem gradum ipſius præexiſtentis jam ſecundùm aliam partem, aliumvè gradum; eo igitur modo, quo producitur proprio actu aliqua pars habitus fidei nullatenus præexiſtentis, quod eſt talem habitum primò produci, eur non producetur aliqua pars ejuſdem jam præexiſtentis, quod eſt eundem habitum augeri? Nec poteſt hic obeſſe remiſſio actus; cum *tractatu de Gratia, libro quarto, capite tertio, paragrapho ſeptimo*, latè oſtenſum ſit quolibet actu utcunque remiſſo augeri in juſto gratiam, nec poſſit quidquam afferri contrà actum remiſſum fidei, qui ſit in peccatore diſpoſitio ultima & meritum congruum ad proprium habitum intenſiorem, quin illud idem proportionaliter militet contrà actum remiſſum charitatis, verbi gratia, qui ſit in juſto meritum condignum ad intenſiorem habitum gratiæ. Neque item obeſſe poteſt, quòd facilè contingeret valdè intendi habitum fidei in peccatore, & deinde eſſe in juſto intenſiorem, quam ſint habitus cæterarum virtutum & gratiæ. Enimverò non adeò facilè id contingeret, quia cum præceptum fidei ſecundùm ſe rarò urgeat, peccator non frequenter elicit fidei actus niſi occaſione ſe diſponendi ad juſtificationem & gratiam; quando deinde ea magna & major intenſio aliquando eveniret, non eſſet id habendum pro inconvenienti, cum jam ſemel & iterùm dictum ſit poſſe, licèt non per ſe & regulariter, reperiri in juſto fidei, ſicut & ſpei, habitum reliquis omnibus intenſiorem. His omiſſis.

Dices ex Eſparza: Actus fidei, ut eſt ultima diſpoſitio ad proprium habitum, conſiſtit in indiviſibili; quia quilibet fidei actus unit intellectum cum Deo ſummè & ſuper omnia; ut eſt meritum congruum non habet connexionem infallibilem cum ſuo habitu, meritum enim congruum ex genere ſuo non obtinet infallibiliter præmium; ergo actui fidei neque ut ultimæ diſpoſitioni, neque ut merito congruo, debetur augmentum proprij habitus in peccatore, quamvis illi debeatur in ratione diſpoſitionis primæ infuſio. Sed contrà: Sicuti fides & reliquæ virtutes Theologicæ conſiſtunt in indiviſibili quoad appretiationem tantùm, non quoad intenſionem, ita proprij ſingularum actus ad eoſdem quoad appretiationem tantùm, non quoad intenſionem indiviſibiliter diſponunt, ut innegabile eſt in actu charitatis, nec quidquã amplius probatur in actu fidei ex eo quod quilibet uniat intel- 31.

lectum

lectum Deo ſummè & ſuper omnia. Ad illud quod additur dico meritum congruum non importare quidem ex genere ſuo connexionem infallibilem at nec excludere ut patet in actu charitatis elicito à peccatore, de quo *in tractatu de gratia, libr. 4. cap. 9. numero 13 & 21.* dicito igitur meritum congruum, quoties eſt ſimul ultima diſpoſitio ad ſuum habitum, importare connexionem infallibilem. Præter quod infuſio habituum fidei, & ſpei, eſt quædam inchoatio juſtificationis: ergo promiſſio, quâ Deus promittit ſuam dilectionem & juſtificationem ultimatam gratiæ & charitatis infuſione impertiendam diligentibus, probabiliter extenditur ad dilectionem & juſtificationem inchoatam fidei & ſpei infuſione impertiendam credentibus & ſperantibus, certum eſt autem meritum congruum cum Dei promiſſione conjunctum afferre infallibilitatem ſui præmij.

Per proprios actus augetur moraliter.

Ex his habes habitum fidei in quocunque ſubjecto per proprios actus augeatur moraliter, non phyſice augeri; cum nec in peccatore deſit actui fidei efficacia moralis, nec ei ex ſupradictis tribui poſſit efficacia phyſica ad ſuum habitum producendum; augmentum autem ſit quædam productio, quamvis non prima; quâ de re aliquid etiam attigimus *præcit. §. 1. de Grat. n. 8.*

32. Aſſert. 2. Habitus fidei ſecundùm ſe & ex naturâ rei eſt capax remiſſionis: de facto tamen nunquam remittitur. Hæ poſteriores particulæ ſunt contrà nonnullos, quorum ſententiam ut probabilem refert Bannez *hic quæſt. 4. art. 5. dub. 1. ad 4.* docentes fidem & ſpem manere debilem & minùs intenſam in peccatore, quàm eſſet in juſto, & remitti ab eodem agente, à quo corrumpitur gratia & charitas; phyſicè ſcilicet à Deo, moraliter à peccato.

Eſt capax remiſſionis.

Probatur prima pars: Omnis forma capax intenſionis eſt ſecundùm ſe & ex naturâ rei capax remiſſionis; quod enim per additionem gradus ad gradum augetur poteſt per ſubſtractionem gradus à gradu minui; atqui habitus fidei ſecundum ſe & ex naturâ rei eſt capax intenſionis ut ſuppoſuimus in præced. aſſerto, & eſt veritas dogmatica conſequens ad inæqualitatem ac intendibilitatem gratiæ habitualis, nec non ad communem ſenſum Eccleſiæ, cum quâ ſolemus à Deo petere, ut nobis fidem adaugeat.

At de facto numquàm remittitur.

Probatur ſecunda pars: Non eſt aſſignabilis modus, quo de facto fidei habitus remittatur; non enim remittitur ex ſe præcisè, quatenùs petat paulatim deſinere; quia non eſt qualitas ex genere ſuo tranſiens: Non ſolâ ceſſatione actus; quia hæc ceſſatio, utpotè non peccaminoſa, nullam habet oppoſitionem moralem cum fidei habitu; at nec habet oppoſitionem phyſicam, quia nec eſt privatio habitus, nec forma ei contraria. Non quolibet peccato mortali, quia mortale peccatum non magis opponitur uni gradui fidei, quàm omnibus, & ſecundum ſe eſt dignum pœnâ privationis omnium graduum fidei æquè ac unius. Non ſpeciali peccato mortali infidelitatis; quia hoc peccato amittitur fidei habitus totus, non remittitur quoad aliquem gradum. Non aut quolibet veniali aut ſpecialiter veniali infidelitate, ſi datur, quia venialis infidelitas, & multo magis quodlibet veniale, non magis opponitur fidei, quàm quodlibet pariter veniale opponatur gratiæ & charitati; ſicuti igitur per nullũ veniale remittitur gratia & charitas; ita, &c. Fateor quidem quòd potuiſſet Deus habere decretum minuendi habitum fidei ob quodlibet, aut morale, aut veniale; nec eſſet hujuſmodi decretum incongruum, imò pro ipſo militaret vehemens congruentia deſumpta ex eo, quod habitus aquiſiti minuuntur per actus contractos iis, per quos augentur, cur igitur habitus fidei non minuetur per quodlibet opus peccaminoſum, & demeritorium; ſicuti in juſto augetur per quodlibet opus meritorium, & virtuoſum Nihilominus quod de facto tale decretum Deus non habuerit, imò habuerit oppoſitum, colligitur ex rationibus præallatis, & confirmatur ex eo, quod ſoleat Deus citrà condignum punire, & miſericordia ſuperexaltante judicium pronior ſit ad impertienda bona, quàm ad infligenda mala. Congruentia pro decreto oppoſito deſumpta ex habitibus aquiſitis non eſt adeò vehemens, quia dato ſuppoſito alioqui falſo in noſtra ſententia collocante tales habitus in ſpeciebus intentionalibus, quæ aliarum quarumcunque ſpecierum acceſſione redduntur quidem difficiliores ad exercitium, at non in ſe remiſſiores: 33.

Idque ex decreto extrinſeco Dei congruentiſſime tamẽ.

34. Dato, inquam, ſuppoſito diſparitas facilis eſt, quia fidei habitus per actus bonos augetur moraliter, & moraliter minueretur, ſi minueretur per malos; Deum autem non ſequi totam exigentiam malorum actuum eſt punire citrà condignum, quod ei connaturale eſt; habitus acquiſiti per actus augentur, & per actus contrarios, ſi minuũtur, phyſicè minuuntur, actibus illis generantibus habitum phyſicè contrarium præexiſtenti, connaturale autem eſt Deo ſequi totam exigentiam phyſicam creaturarum. Eluditur inſuper paritas ex eo, quod nimis probet; probet ſcilicet habitum fidei ingenti quacunque malorum actuum multiplicatione forè tandem totaliter amittendum.

Occurritur congruentiæ oppoſitæ ex paritate habituum aquiſitorum.

35. Aſſert. 3. Habitus fidei amittitur, ſeu corrũpitur, per ſolum & quodlibet peccatum lethale infidelitatis internæ, ly *ſolum* eſt contrà eos, qui diſtinguunt realiter fidem formatam ab informi, & volunt illam nõ poſſe à charitate ſejungi, adeoque ſimul cum charitate amitti ex vi cujuſlibet prorſus lethalis; hujus opinionis, & qualificationis ejus, meminimus jam *præced. n. 11.* ly *quodlibet* eſt contrà Durand. *in 3. diſt. 23. q. 9. n. 8.* ubi cenſet hæreticum erranté circà aliquod particulare credibile retinere fidem infuſam informẽ circà reliqua credibilia, quod & docuit Gloſ. *in c. firmiter* de Sum. Trinit. nihilominus Gloſſam, hanc meritò juſſit auferri Greg. XIII. ut obſervat Malder. *q. 5. art. 3.* ubi opinionem ex Durand. relatam notat ut temerariam, Bannez *eod art.* eã appellat errori proximam, & Suar. *diſp. 7. ſect. 4 n. 1.* vult non poſſe ſine errore negari veritatem à nobis aſſertam, quã tradunt D. Tho. *q. 5 art. 3.* Scot. *in 3. diſt. 23.*

Cenſura opinionis docentis in hæretico permanere habitum fidei.

Pœnæ negantium etiã ſolùm exterius fidem.

Eccleſia ſtatuerat contrà eos, qui in tormentis deficientes etiam ſolùm exterius à fide, reſipiſcentes petebant inter fideles iterùm recenſeri, ut videre eſt in Concilio Ancyrano per plures canones, in Elibetitano *can.* 1. 2. & 3. in Nicæno *can.* 10. & 15. imò & de facto ſic lapſos incurrere cenſuras & pœnas à ſummis Pontificibus latas contrà hæreticos & Apoſtatas docent Cajetanus *hic quæſt.* 12. *art.* 1. & *quæſt.* 94. *art.* 2. alijque nonnulli, quàmvis longè communior ſit ſententia negans, pro quâ plurimos Auctores refert Suarez *diſput.* 14. *ſec.* 6. *num.* 4.

13. Probatur tertio ratione, quia irreverens eſt erga veracitatem & revelationem divinam is, qui ei externum cultum negat, tum quia etiam iſte eſt debitus veracitati ſummæ, tum quia cultus internus negato externo remanet mutilus & imperfectus: eſt pariter irreverens Chriſto, qui ſe Chriſtianum negat, redundat quippe in domini dedecus, quod ſeruus nolit aut erubeſcat ejus dominium, propriumque obſequium profiteri: Tandem, ut arguit Auctor operis imperfecti *in Matth. homil.* 25. ſi ſufficit ſolo corde credere, cur non ſufficit hypocritis ſolo ore confiteri? Cum Deus ſimul cum corde os creaverit; quomodo poteſt ei non deberi ſimul cum cordis fide oris confeſſio? Neque ex eo quod *Pſal.* 14. ſalvaudus dicatur *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, & Epheſ. 4. habeatur *loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo* rectè inferunt Priſcillianiſtæ ſufficere, quod fidei veritas corde retineatur, aut ſaltem quod proferatur apud domeſticos fidei, non apud alienos &

Occurritur fundamento Priſcillianiſtarum.

extraneos. Non inquam rectè inferunt, quia ly *in corde* non excludit oris confeſſionem, ſed indicat hanc non debere eſſe ſine interiore cordis ſententiâ, qua ratione eſt doloſa undè ibi ſequitur *Qui non egit dolum in linguâ ſua* ly *cum proximo ſuo* ſupponit pro quolibet homine, non pro ſolis domeſticis & fidelibus, inter quos cum puniatur negatio, non confeſſio minoris eſt meriti fidem confiteri; nec Chriſtus de ſolis domeſticis locutus eſt in textu præcit. *ex Matth.* 10. & clarius non de ſolis domeſticis, ſed magis de Adverſariis & extraneis, procedit illud Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones*, &c. erubeſcentia enim Chriſti, & ſermonum eius, apud infideles & adverſarios, non apud fideles, & domeſticos fidei, locum habet.

14.

Confeſſio fidei poſitivè accepta cadit ſub præceptum affirmatiuum.

Aſſert. 3. Confeſſio fidei poſitivè accepta prout importat profiteri fidem, eſt ad ſalutem neceſſaria aliquando, ſeu pro aliquo tempore, ex obligatione præcepti affirmativi. Ità Theologi communiter, quamvis deindè inter ſe diſſideant in determinando tempore talis obligationis, de quo infrà *num.* 18. interim aſſertum ſub eâ, ſub qua iacet, univerſalitate

Probatur ex Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ubi ly *ad ſalutem* nequit intelligi de ſalute prima cum ex dictis fidei confeſſio non ſit neceſſaria neceſſitate medij; procedit igitur de ſalute ſecundâ, quod autem requiritur ad ſalutem ſecundam, ideſt ad gratiam conſervandam & gloriam conſequendam, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti; pro quo etiam faciunt verba illa Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* & alia multa. Confirmatur ratione: datur præceptum affirmatiuum de interno actu fidei, ut ſuppono *ex cap. præced.* §. 7. ergo etiam de actu externo ſeu de confeſſione; homini enim conſtituto ex anima & corpore connaturale eſt aliquando exterius manifeſtare operatione corporeâ operationes ſpirituales animæ: eſt inſuper hoc accommodatum Eccleſiæ viſibili, cui homo per fidem internam non ſufficienter adhæret: Tandem faciunt quoque pro præſenti intento rationes *præced. num.* poſitæ pro præcepto negativo.

Ex his habetur obiter præceptum, tum negatiuum fidei exterius non negandæ, tùm poſitiuũ fidei exterius profitendæ provt abſtrahendo ab hac vel illâ materiâ univerſale eſt, & omnes homines afficit, rectè dici naturale ſeu connaturale homini ſuppoſitâ ipſius elevatione ad finem ſupernaturalem, rationes enim quibus utrumque præceptum oſtenditur, procedunt ex dictamine naturali ſuppoſita hominis elevatione; & cum ſuprà *num.* 10. fidem internam ſupernaturalem in ſubſtantia poſuerimus ſub præcepto naturali ſeu connaturali; multo magis poſuimus ſub ſimili præcepto ponere confeſſionem externam ſitam in operatione quoad ſubſtantiam naturali. Non negaverim tamen idem præceptum rectè quoque dici divinum, quatenus eſt in Scripturis ſacris expreſſum, & à Deo, ut elevante hominem ad finem ſupernaturalem, derivatum. 15.

Quod eſt juris tum naturalis, tum divini.

Præter hoc univerſale præceptum juris tum naturalis, tum divini, datur de fide confitenda ſpeciale præceptum iuris eccleſiaſtici obligans intrà certum tempus ad emittendam profeſſionem fidei ſub præſcripta forma quaſdam inſigniores Perſonas, nimirum Archiepiſcopos, Epiſcopos, Proviſos de beneficiis curatis aut canonicatibus, Prælatos locorum regularium, Magiſtros, Regentes, ac facultatis cujuſcumque Profeſſores in publicis univerſitatibus; pro quo præcepto videatur Tridentinum *ſeſſ.* 24. *capit.* 12. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. Bulla Pij IV. incipiens *Injunctum nobis*, & alia Bulla Pij V. incipiens *In Sacroſancta*, Porrò apud Perſonas, apud quas iſtæ Bullæ ſeu Conſtitutiones ſunt receptæ obligatio profitendi juxtà formam præſcriptam eſt ſub lethali, quia verſatur in materia gravi, & injungitur gravi ac rigoroſo præcipiendi modo; monent tamen Summiſtæ magis communiter ob abſentiam, aut aliam juſtam cauſam poſſe tali obligationi ſatisfieri profeſſione per Procuratorem facta. 16.

Cadit etiam quoad aliquas inſigniores Perſonas ſub præceptum Eccleſiaſticum.

Supereſt determinandum tempus, pro quo urget obligatio illius primi præcepti tùm naturalis tùm divini, & quidem in praxi non eſt neceſſe adhibere ſolicitudinem, aut ſcrupuloſam attentionem ad ullum tempus peculiare, per hoc enim quod quis ingrediatur catholicam religionem, & cætera ejus præcepta ac ritus obſervet, frequenter exercet actus fidei proteſtativos, quibus ſatisfacit prædictæ obligatio 17.

Præceptum naturale & divinum cõfeſſionis fidei impletur in praxi per hoc, quod obſerventur reliqua præ-

ˢepta religionis catholicæ.

gationi; ſic qui adulti baptizantur ipſamet petitione, ac ſuſceptione baptiſmi, fidem exteriùs profitentur; qui baptizantur in infantiâ eam profitentur, dum uſu rationis comparato amplectuntur inſtructionem Myſteriorum religionis, formant ſignum crucis, diſcunt & recitant Apoſtolorum ſymbolum: Utrique deindè baptiſmo initiati, & de religione inſtructi paſſim ſucceſſivo vitæ decurſu proteſtantur exterius fidem ſuam, dum Sacramenta ſuſcipiunt, aut miniſtrant; dum miſſam audiunt, aut celebrant; dum catholico ritu Deum colunt, multóque magis dum alios in fide erudiunt, aut concionantur, &c. Ecce quomodò exercendo alios actus religionis catholicæ unuſquiſque regulariter ſatisfacit præcepto fidei confitēdæ quod propterea aliqui exiſtimāt nunquàm obligare per ſe præcisè & ex virtute fidei; ſed ſolum ex occaſione aliorum præceptorum, & ex virtutibus alijs à fide; propendent in hanc exiſtimationem Arriaga
18. *diſp.* 21. *ſec.* 4. *n.* 28. Viggers *q.* 3. *n.* 75. Herinex *diſp.* 8. *quæſt.* 1. *n.* 8. Nihilominus quia etiam in præcepto fidei internæ & alijs multis, quæ ſentiendum omninò eſt obligare per ſe ac ratione ſui, evenit ut ipſis in praxi ſatisfiat exercendo actus præceptos, quaſi per accidens ſeu occaſionaliter; & in univerſum præceptum per ſe & ratione ſui obligans ceſſat obligare ex eo quod impleatur etiam per accidens & ratione alterius; quia ut ceſſet obligatio præceptorū quamvis per ſe talium ſufficit quod ponatur opus ſub obligationem cadens, nec requiritur intentio directa ſatisfaciendi obligationi.

Obligat tamen per ſe & ratione fidei circa initium fidei internæ & aliquando impoſterum.

Propter hæc inquam, & propter rationes præallatas *num.* 13. & 14. ſentio cum Suarezio *diſp.* 14. *ſec.* 2 *n.* 7. Amico *diſp.* 14. *n.* 35. Malderu *quæſt.* 3. *art.* 2. *memb.* 2. *aſſert.* 1. &c. præceptum confeſſionis fidei aliquando obligare per ſe & ratione fidei præcisè, & pro tempore talis obligationis rectè aſſignari, cum aliquâ tamen latitudine morali, initium quo quis incipit habere actualem fidem internam, & deinde aliquoties in decurſo vitæ ſequentis, ſi diuturna ſit; adeò ut, quando non occurreret ex ullâ aliâ virtute obligatio fidei exteriùs proteſtandæ, peccaret directè contrà fidem, & contrà præceptum confeſſionis ipſius, quiſquis diu
19. retineret fidem internam, eam exterius non proteſtando, aut eam primò proteſtatus viveret diutius nullam impoſterum proteſtationem iterando. D. Thomas *hic quæſt.* 3. *art.* 2. *in c.* aſſignat & aliud determinatum tempus, pro quo obliget præceptum confeſſionis fidei nimirum *quando per omiſſionem huius confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera; vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide.* Pro his caſibus libenter accedo ad S. Doctorem, & agnoſco obligationem fidei confitendæ; at ſunt caſus accidentales, & non communes cuilibet fideli; non enim facilè contingit quemlibet interrogari in circumſtantiis, in quibus per omiſſionem confeſſionis *ſubtrahatur honor debitus Deo*, quod vix evenit niſi interrogatione publicè facta tempore perſecutionis, *aut utilitas impendenda proximis*, quod ſupponit magnam proximorum infirmitatem & ignorantiam. Accedit quod ſubtrahere honorem debitum Deo, & utilitatem impendendam proximis non eſt præcisè contra fidem, ſed iſtud contrà charitatem proximi, illud contrà charitatem Dei, aut etiam contrà religionem: Pro memoratis igitur caſibus obligatio confeſſionis, fidei nec eſt univerſalis reſpectu omnium, nec eſt omnino per ſe, ſed ex ſuppoſitione accidentali, nec eſt præcisè ratione fidei, ſed cum concurſu alterius virtutis; ideò tempus quo fides univerſaliter per ſe, & ratione ſui obligat ad exteriorem confeſſionem eſt determinatè ſolum initium fidei internæ, & aliàs aliquando judicio prudentis.

---

§. III.

Vtrùm liceat occultare, ſeu diſſimulare fidem? Vbi de fugâ in perſecutione: De taciturnitate & tergiverſatione coram Tyranno.

ASSERT. 1. Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei negativa & materialis non eſt illicita, imò humano modo eſt neceſſaria. Aſſertum hoc indiget ſolâ intelligentia terminorum. Ideò. 20.

Occultatio fidei negativa & materialis ſemper licita eſt.

Probatur & explicatur facilè. Quoties quis quâcumque ex cauſâ non confitetur, ſeu non proteſtatur actu fidem, dicitur eſſe in occultatione ſeu diſſimulatione materiali & negativâ ipſius; atqui non eſt illicitum, imò eſt neceſſarium, quod quis ſæpè non confiteatur, ſeu non proteſtetur, actu fidem; præceptum enim confeſſionis actualis, ut potè affirmativum non obligat ad ſemper, & eſt humano modo impoſſibile fidelem ſemper verſari in actuali confeſſione, ſeu proteſtatione ſuæ fidei, ergo occultatio ſeu diſſimulatio fidei negativa & materialis non eſt, &c.

Poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita.

Aſſert. 2. Occultatio, ſeu diſſimulatio fidei poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita eſt. Ità Theologi communiter, quàmvis in determinandis circumſtantiis & caſibus particularibus talis occultationis licitæ, aut illicitæ, patiantur inter ſe aliquod diſſidium, cujus Auctores afferentur in proceſſu & diſcuſſione materiæ: Interim aſſertum univerſaliter poſitum.

Probatur & explicatur: Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei poſitiva & formalis dici poteſt illa omnis, quâ data occaſione opportunâ fidei confitendæ formalis confeſſio omittitur. Porrò talis occaſio opportuna dari poteſt, aut quando urget per ſe, & nulla factâ ſuppoſitione, ex præcepto affirmativo confeſſionis obligatio juxtà mox dicta *num.* 18. & tunc indubiè occultatio poſitiva & formalis eſt illicita, cum ſit formalis tranſgreſſio præcepti actu obligantis, & omiſſio actionis cadentis ſub tali præcepto: aut quando nulla factâ ſuppoſitione præceptum affirmativum confeſſionis non obligat, puta hodie poſſum 21.

com

commodè, imò & utiliter fidem exterius profiteri, ad id tamen per ſe loquendo non teneo; ſupponatur jam excitari contrà fideles perſecutio, aut etiam adeſſe Tyranni interrogatio, controvertitur, utrum in hac ſuppoſitione tenear meam fidem prodere, aut ſaltem de ea diſertis verbis Tyranno reſpondere; an licitè poſſim meam fidem occultare fugâ declinando perſecutionem, aut etiam taciturnitate, exceptione perſonæ, detractatione examinis, eludendo interrogationem Tyranni?

22. Quoad primum punctum Tertullianus *lib. de fuga in perſecutione* ex profeſſo docet nullatenus licere fuga fidem occultare, & declinare perſecutionem; verùm liber iſte, utpotè conſcriptus poſt defectionem ſui Auctoris, & hauſtus ex erroribus Muntani curandus non eſt, & tanquam dogma catholicum habendum licitam eſſe fugam illam per ſe loquendo, id eſt, niſi quis aut ex Paſtoris officio, aut ex neceſſitate juvandi alios infirmiores, ſpecialiter teneatur non diſcedere. Primò quia, ne fuga illa illicita exiſtimaretur, Chriſtus *Matth.* 10. expreſsè dicit *Si vos perſequentur in Civitate iſta, fugite in aliam*, quæ verba male Tertullianus accipit ut dicta ſolis Apoſtolis, cum præſertim verba proximè præcedentia vix Apoſtolis conveniant ut obſervat Herincx *diſp.* 8. *num.* 15. Secundò quia fugam illam, tanquam licitam, approbavit ſemper communis ſenſus Eccleſiæ, ut oſtendunt, tum plura quæ Herincx *num præcit.* affert ex veteri & novo teſtamento exempla inſigniorum fidelium, qui ſe aliquando per fugam ſubtraxerunt perſecutionibus; tum opuſcula varia Sanctorum Patrum hujuſmodi fugam non defendentium tantùm, ſed & commendan-

De fide eſt fugam in perſecutione eſſe licitam per ſe.

23. tium, quorum meminit Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 3. *num.* 9. Tertiò quia fuga illa non tam eſt fidei occultatio, quam quædam virtualis confeſſio; eſt enim ſignum perſeverantiæ in fide, non defectionis à fide, & qui fugit ne cogatur in fidei confeſſione mortem ſubire, fugit quia non vult fidem negare; & quamvis ſimul nolit ſe martyrio & morti exponere non propterea peccat, quia per ſe loquendo nemo tenetur ea ſponte amplecti, alioqui non liceret pugnare pro vita ſimul & fide defendenda, ſicuti tamen certum eſt licere; etſi deinde qui in tali pugna occideretur, non occumberet Martyr. Nec refert quod perſecutio ſit ex ordinatione divina, adeò ut propterea fugiens perſecutionem, & mortem à perſecutore infligendam, videatur reſiſtere divinæ ordinationi, & niti (quemadmodum objicit Tertullianus) contra divinam providentiam. Non refert, inquam, quia optimè poteſt perſecutio ſimul, & fuga perſecutionis, eſſe ex ordinatione Dei, & ſi valeret Tertulliani illatio, poſſet pariter inferri non eſſe fugiendum à peſte, ab incendio; item non eſſe pugnandum Chriſtianis contrà Turcas, ut eadem, quâ, Tertullianus, arguendi forma concludebat Lutherus teſte Maldero *præcit. memb.* 2. *aſſert.* 3. *ad* 2.

24. Quoad ſecundum punctum conveniunt omnes taciturnitatem illam, aut tergiverſationem, non licere, quoties ea utens exiſtimaretur quoad apparentiam ſaltem exteriorem negare fidem, ut eveniret in caſu, quo omnes adſtantes interrogarentur *vultis ne eſſe Gentiles*, & cæteris reſpondentibus *volumus*, unus, aut alter taceret; aut quo tu a Tyranno interrogareris *es ne Chriſtianus* & tu taceres, dum alius pro te reſponderet, *Non*: In his & ſimilibus caſibus taciturnitas proculdubio eſſet illicita propter negativum fidei non negandæ præceptum ſemper, & ad ſemper, obligans: utrùm verò eadem taciturnitas nulla exiſtente ſuſpicione, & apparentia negationis externæ, adhuc ſit illicita propter præceptum poſitivum fidei confitendæ, quod urgeat quoties Tyrannus interrogat? negant Coninch. *diſp.* 15. *num.* 109. Caſtro Palao *diſp.* 1. *punct.* 14. *n.* 3. Lorca, aliique nonnulli, quorum Doctrinam cenſet ſpeculativè ſatis probabilem Herincx *præcit. diſp.* 8. *num.* 13. Affirmant Malderus *præcit. memb.* 2 *aſſert.* 2. Suarez *ſect.* 3. *nu.* 4. Amicus *diſp.* 14. *num.* 14. Arriaga *diſp.* 21. *ſect.* 2. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 7. *num.* 5. cæterique

Non ſit per ſe licita eſt Tyranno interroganti taciturnitas.

communiter, quorum partem affirmantem 25.
amplector primò quia vix videtur occurrere poſſe major neceſſitas fidei confitendæ, quàm cum de ea Tyrannus infidelis publicè interrogat; urget igitur pro tunc præceptum poſitivum confeſſionis, & hujus omiſſio, quomodocumque fiat, illicita eſt: Secundò, quia taciturnitas pro tunc etſi, ut ſupponitur, non ſit ſignum negationis fidei, indicat tamen timorem Tyranni & aliqualem voluntatem ei placendi, nec non initium aliquod inconſtantiæ in fide, & erubeſcentiæ Chriſti: Tertiò, quia omnes Martyres à Tyrannis & Regibus interrogati fidem palàm profeſſi ſunt, praxis igitur fidelium, & ſenſus Eccleſiæ, eſt contrà taciturnitatem: Nec obſtat ſilentium Chriſti coram Pilato, quia tale ſilentium fuit in circumſtantiis, in quibus ſe habuit ut virtualis confeſſio, & ſignum conſtantiæ; quod ſi aliàs eveniat erit etiam alias licitum coram Tyranno interrogante ſilentium; Nec item obſtat in univerſum, quod Tyrannus infidelis contrà jus & per nefas interroget: enim verò reſponſionis & confeſſionis obligatio non oritur ex juriſdictione interrogantis, ſed ex præcepto fidei, cujus vis quodammodò conſummatur poſita interrogatione: Et ex hoc capite etiam illicitum eſt Tyranno interroganti reſpondere. *Quid ad te? Tua non intereſt: Non teneor tibi reddere rationem de mea fide.* Accedit quod hujuſcemodi reſponſum gratis, ac inutiliter, irritat Tyrannum in majus odium reſpondentis, & ex alia parte cum communi eſſe poſſit cujuſcumque religionis verò nullatenus ſavet veræ fidei, & aptum eſt Judæi aut Lutherani ſuſpicionem ingerere æquè, ac exiſtimationem Catholici.

Aut rejectio interrogationis tanquàm illegitimæ.

Dubitatur hic primò: Utrùm taciturnitas, aut interrogationis tanquam illegitimæ rejectio, illicita ſit etiam quando quis de fide interrogatur privatim à perſonâ privatâ, aut ab iſtâ publicè, aut à perſonâ publicâ privatim? Videntur affirmare quicumque indiſtinctè docent interrogatam de fide teneri ad poſitivam confeſſionem, ut D. Thomas *hic q.* 3. *art.* 2.

Arragonius

Atragonius *eod. art.* item Sylveſter & Ange-

26. Benè tamen probabila eſt utramque per ſe licere interrogante Perſona privata.

lus in ſumma: Affirmant verò expreſsè & in terminis Suarez *pracit. ſect. 3. num. 6.* Amicus *num. 15.* Turrianus *diſp. 35. dub. 5.* &c. Negant è contrà præſertim quoad interrogationem factam à perſona privata privatim Bannez *hic quaſt. 3. art. 2. dub. 1. concluſ. 3.* Valentia *diſput. 1. quaſt. 3. punct. 2. dub. 5.* Arriaga *diſput. 21. ſect. 5.* Madernus *art. 7. num. 6.* Sylvius *quaſtio. 3. artic. 2. concluſ. 2.* Sanchez *lib. 2. decal. cap. 4. num. 6.* & alij multi, quorum ſententia eſt valde probabilis propter diſcrimen auctoritatis publicæ à privatâ; hæc enim neque apparens & exiſtimatum habet interrogandi jus, non eſt apta timorem incutere, & quamvis irritato nocere vix poteſt; interrogante igitur privatâ perſona taciturnitas cenſebitur provenire ex contemptu, non ex timore, & rejectio interrogationis non irritabit in majus odium perſonam potentem religioni nocere, ac per conſequens valdè probabiliter licebit, tum tacere, tum interrogationem retundere per ſe loquendo, & niſi occurrat aliqua peculiaris circumſtantia afferens aliunde malitiam judicio prudentis viri.

Dubitatur ſecundò, utrùm liceat vitare interrogationem publicâ auctoritate faciendam, adeundo Magiſtratus vel Tyrannorum miniſtros, & ab eis, etiam oblatâ pecuniâ, obtinen-

27. Licitum eſt impendere vectigal ad vitandam interrogationem publica auctoritate faciendam.

do ne publicè interrogent de fide? Reſpondetur licere per ſe loquendo, qui enim ità ſe gerunt nihil præſtant contrà fidem, imò hanc virtualiter profitentur, & eadem de iſtis eſt ratio, ac de illis fidelibus, imò integris Eccleſiis, quæ tempore Tertulliani (id malè damnantis *cap. 13. & 14 lib. de fuga in perſecutione*) vectigal ſolvebant beneficiariis Cæſaris, ne cogerentur ad ſacrificandum aut negandam fidem, ex quo capite Herincx *n. 14.* obſervat licuiſſe Catholicis in Angliâ & Hiberniâ redimere pecuniis iniquas vexationes, & impetrare, quod non cogerentur accedere ad conciones, & cœnas Calviniſticas, & hic notandum obiter diſcrimen inter iſtos fideles & Libellaticos illos, qui in Africâ viguerunt tempore S. Cypriani de ipſis agentis *epiſt. 15. 31. 52. & in tract. de lapſis*; iſti enim vel præ-

Quinam olim dicti fuerint libellatici.

viâ ſecretâ negatione impetrabant à Magiſtratibus ſolutâ pecuniâ libellos ſecuritatis & immunitatis ab ulteriore vexatione, & interrogatione publicâ, vel ad eundem finem, quamvis negatione non factâ impetrabant libellum & teſtimonium factæ negationis, & obſervati mandati Imperatorum, ut magis explicant ex Scholaſticis Malderus *pracitat. memb. 2.* & Herincx *num 26.* Hos libellaticos reprehenderunt cæteri Catholici, at non quia pecuniâ redimerent immunitatem ab interrogatione publica, ſed quia aut occultè, aut ſimulatè fidem negabant. Ideò & cætera.

28. Aliquando eſt obligatio vitandi interrogationē fidei, & fugiendi perſecutionem.

Dubitatur tertiò, utrùm aliquando teneatur quis vitare interrogationem publica auctoritate faciendam, ſi id poſſit? Reſpondetur affirmativé, & huc præcipuè in duplici caſu: Primus eſt, quando quis imbecillitatis ſuæ conſcius probabiliter timet ſe in tormentis pro fidei confeſſione ſuſtinendis defecturum: Secundus, quando quis ſciret propriā vitam, & libertatem fore valde utilem defenſioni & propagationi fidei, communique Eccleſiæ bono; tormentorum verò perpeſſionem, & mortem in fidei confeſſione ſuſceptam, parùm fidelibus profuturam & futuram in majorem infidelium perniciem. In his duobus caſibus Suarez *pracit. ſect. 3. num. 10.* Malderus *memb. 2.* Herincx *n. 16.* cæterique communiter docent eſſe obligationem fugiendi, adeóque vitandi interrogationem; paritas autem rationis ſuadet, quod ſi nequeat interrogatio vitari arripiendo fugam, vitari verò poſſit obtinendo ejus immunitatem datâ pecuniâ, ſuadet inquam eſſe obligationem id præſtandi, cum aliundè licitum ſit ex mox dictis, non minùs quàm fugere.

---

§. IV.

Vtrùm liceat ſimulare negationem fidei, aut falſam religionem? Vbi de negatione facta amphibologicè, aut cum reſtrictione, & de uſu eorum, quæ ſunt propria Infidelium.

ASSERT. 1. Non licèt verbis ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam, & vel cum reſtrictione mentali, vel cum amphibologiâ & æquivocatione, aptâ inducere apparentiam & rationabilem ſuſpicionem veræ negationis. Ita in primis Theologi communiter, dum abſolute aut omnem fidei negationem damnant, aut confeſſionem diſertis verbis faciendam requirunt, & deinde ſub propriis terminis Herincx *diſp. 8. n. 24.* Arriag. *diſp. 22. ſect. 1. ſubſect. 1.* Amic. *diſp. 14. n. 14.* ubi in oppoſitum refert Coninch. *diſp. 15. dub. 5. concl. 6.* & videtur etiam à fortiori contrarius Adrian. refellendus & afferendus infra *n. 31.*

29. Nunquam licet ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam.

Probatur: obligatio aliquando poſitivè confitendi, & nunquam negandi fidem non oritur præcisè ex veracitate, aut ex præcepto nunquā mentiendi; ſed ex præcepto fidei proprio & reverentiā debita auctoritati divinæ ac Chriſto Domino, atqui quidquid ſit de priore obligatione, cui an & quomodò ſatisfieret per reſtrictionem mentalem aut amphibologiā colligi poteſt *ex prac. c. 3. §. 2.* quidquid ſit, inquā, de obligatione illa, non ſatisfacit præcepto fidei proprio, & reverentiæ debitæ auctoritati divinæ à Chriſto Domino, quiſquis verbis ſimulat negationem fidei faciendo confeſſionē, &c. ergo non licet verbis ſimulare, &c. Major habetur *ex praced. §. 2. n. 13.* & inſuper ex eo, quod nemo non apprehendit majorem peccati gravitatem in negatione fidei, quàm in ſimplici mendacio, cum iſtud ſit ex genere ſuo veniale, illa ſemper lethalis ſit; deinde contrariorum eadem eſt ratio, cum igitur *ex pracedent. §. 1.* non proveniat præcisè à veracitate fidei confeſſio, neque erit præcisè contrà veracitatem fidei negatio: Minor probatur, vel ſupponitur adeſſe obligatio

30. Obligatio non negandi fidem internam non provenit ex ſolo præcepto non mentiendi.

præcepti affirmativi ex eo, quod Tyrannus v. g. publicè interroget, & huic præcepto non ſatisfieri verbis aptis inducere apparentiam, & rationabilem ſuſpicionem negationis, infertur ex ſupradictis de taciturnitate & rejectione interrogationis, quæ certè minùs ſapiunt erubeſcentiam, inconſtantiam, irreverentiam, & faciliùs poſſunt habere rationem aliquam veræ confeſſionis virtualis, quàm verba de quibus in præſenti: vel ſupponitur non adeſſe obligatio præcepti affirmativi, ſed negativi tantùm; & ad obſervandum hoc præceptum, quamvis nemo teneatur de fide loqui, ex ſuppoſitione tamen, quòd loquatur, tenetur loqui ſine irreverentiâ divinæ auctoritatis & ſine apparentia negationis, quod non præſtat quiſquis utitur verbis aptis inducere &c. & ſicuti v. g. qui hic & nunc non tenetur preces ullas recitare, ſi recitet, tenetur recitare reverenter; ita qui hic & nunc non tenetur facere fidei confeſſionem, ſi faciat, tenetur facere cum reverentia divinæ auctoritatis, & ſine negationis apparentia; ſicuti item non eſt immunis à blaſphemia qui profert verba apta ingenerare ſenſum blaſphemum, etiamſi ea proferat cum reſtrictione & amphibologia, qua mediante poſſent bonum ſenſum reddere, ita non eſt immunis à fidei negatione, qui profert verba apta ingenerare negationis opinionem, etiamſi ea proferat cum reſtrictione & amphibologia, qua mediante poſſent ſignificare veram fidei confeſſionem. Confirmatur, ex mox dicendis non licet ſimulare factis falſam religionem, aut negationem fidei; ergo nec licet hanc ſimulare verbis.

31. Nunquam licet ſimulare idololatriam.

Aſſert. 2. Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam religionem, etiamſi nec inſtet præceptum confeſſionis fidei, nec adſit ſcandalum, quo quiſquam aut in errore confirmetur aut à fide avertatur. Ita Antoninus *par.* 2. *titul.* 12. *cap.* 6. Angelus & Sylveſter verbo *fides* Valentia *hic diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punc.* 2. *dub.* 4. Malderus *quæſt.* 3. *articul.* 2. *memb.* 3. Sylvius *eod. artic. conc.* 3. Herincx *diſput.* 8. *quæſt. ſecunda, numer. vigeſimo octavo* cæterique tùm Summiſtæ, tum Scholaſtici communiter contrà Adrianum *in* 4. *q.* 1. *de baptiſmo ad* 5. cujus ſingularem opinionem Suarez *diſp.* 14. *ſec.* 4. *num.* 4. rectè monet in re morali poſſe eſſe perniciosam, & Arriaga *diſp.* 22. *ſec.* 5. *ſubſec.* 5. *num.* 40. ait oppoſitam videri eſſe è ſenſu omnium fidelium, & Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 3. *dub.* 5. *num.* 28. exiſtimat magnum afferre præjudicium Adriano decretum, quo hic Romæ Sacra Congregatio de Propaganda damnavit factum quorumdam Miſſionariorum, qui dum cogerentur thurificare idola, ut conſtaret an eſſent Catholici formabant prius in terra parvam crucem, & deindè intendendo thurificare talem crucem ſimulabant thurificare idolum; Nihilominus hoc factum jure damnatum videtur excedere mentem Adriani, quis facilè diceret inſtare præceptum confeſſionis fidei reſpectu Miſſionariorum, dum coguntur thurificare idola, ut conſtet de ipſorum religione.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

Probatur primò, Simulatio quæcunque in materia religionis, & fidei, eſt peccaminoſa & illicita in profitente religionem fidemque veram; ergo non licet ſimulare idololatriam &c. antecedens probatur ex diſcrimine ſimulationis in materia fidei à ſimulatione in aliis materiis, in aliis enim materiis ſimulatio poteſt eſſe per ſe ſignificativa veri, illud ſcilicet, quod quis ſimulat, poteſt eſſe verum, ut ſi quis ſimulat ſe eſſe Mercatorem, aut ſe neſcire aliquid, quod in re ſciat; at in materia fidei ſimulatio profitentis veram fidem eſt ſemper ſignificativa falſi, eſt ſcilicet ſemper ex objecto falſum illud, quod quis ſimulat, ut patet in eo, qui ſimulat idolum eſſe Deum; ſimulatio igitur in aliis materiis poteſt ſolùm eſſe contrà præceptum affirmativum manifeſtandi & ſignificandi verum, quod præceptum ſicut non ſemper urget ita & ſimulatio in aliis materiis non ſemper eſt illicita; at in materia fidei ſimulatio eſt quoque contra præceptum negativum non dicendi, ſeu non ſignificandi falſum, quod præceptum ſicuti ſemper & pro ſemper urget, ita & ſimulatio in materia fidei ſemper eſt illicita, egregiè expendit hoc diſcrimen Valentia *præcitat. dub.* 4. *in reſponſ. ad* 5. Habetur autem etiam aliud diſcrimen *ex ſeq. numer.* 34.

32. Simulatio cur liceat aliquando in aliis materiis, nunquam verò in materia fidei.

Probatur ſecundò: Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam religionem, urgente ad id & inſtante Tyranno; ergo neque Tyranno non urgente & etiamſi non inſtet præceptum confeſſionis &c. antecedens probatur primò ex facto Marcellini Pontificis, qui ex eo quod Tyranno inſtante idola, quamvis nihil dicens, thurificaverit, à tota Eccleſia ipſomet id fatente judicatus eſt graviter peccaſſe: Secundò ex facto Eleazari, qui nunquam potuit induci ad ſimulandum ſe manducaſſe de ſacrificij carnibus, ſicut Rex imperaverat, in proteſtationem Gentiliſmi 2. *Machab.* 6. Nec dici poteſt id Eleazarum ex ſupererogatione feciſſe: quia obligationem, non ſupererogationem, continet ratio ibidem allata ab Eleazaro. *Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere, ut multi adoleſcentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum &c.* Eandem obligationem in facto non diſſimili clarè protulit S. Saba Martyr. qui (ut ex Metaphraſte refert Surius ad diem duodecimam aprilis) cũ videret quibuſdam obtrudi carnes non immolatas, ut ſimularent ſe ſatisfeciſſe mandatis Tyranni de comedẽdis idolothytis, exclamavit *Si quis ex carnibus illis comederit, Chriſtianus eſſe non poteſt.* Tertiò ex facto Miſſionariorum damnato per decretũ Congregationis de Propagãda, ut retulimus *præced. n* 31. Quartò quia, ſi licet factis ſimulare falſam religionẽ urgente ad id Tyranno, nulla erit ſufficiens ratio, cur id non liceat & verbis? & cur Tyranno de fide interroganti non poſſit quis ſimulatè & cum reſtrictione mentali reſpondere *Ego ſum Gentilis. Ego ſum Calviniſta &c.* Nec indiget majori probatione veritas admiſſa ab ipſomet Adriano, cum quo modo res agitur, & qui conceſſo illo antecedente conſequentiam negat ex eo, quod urgente & inſtante

33. Simulationem falſæ ſectæ non licere urgente ad id Tyranno.

Tyranno

Digitized by Google

Tyranno obliget præceptum affirmativum confeſſionis fidei, aut etiam facilè adſit ſcandalum; ſecùs Tyranno non urgente.

34. *Infert nec licere Tyranno non urgente.* Impugnatur tamen in hoc Adrianus, & ſimul probatur conſequentia primi argumenti, quia quòd urgente Tyranno non liceat ſimulare profeſſionem falſæ, ſicut nec deſertionem ſeu negationem veræ fidei, provenit quidem ex præcepto affirmativo confeſſionis, quod admitto ſæpè non obligare Tyranno non urgente; at non provenit ex eo ſolo, ſed etiam ex præcepto negativo obligante ſemper & pro ſemper, ſivè urgeat Tyrannus, ſivè non: & quidem bujuſmodi præceptum negativùm eſt duplex; aliud non ſignificandi aliquid ſemper & per ſe falſum, de quo *præced. num.* 32. aliud non exercendi irreverentiam ergà veram religionem, & auctoritatem divinam, de quo *num.* 30. & hinc habetur obiter novum diſcrimen, ratione cujus in alijs materijs, non in materia fidei, poteſt aliquando licere ſimulatio. Confirmatur ex eo, quod Eccleſia habuit ſemper, ut reos gravibuſque ſemper pœnis proſecuta eſt omnes, aut thurificatos, aut ſacrificatos, aut libellaticos, qui ſcilicet aut adoleverunt thus, aut obtulerunt ſacrificium Idolis aut libello & teſtimonio empto id ſe præſtitiſſe ſimularunt apud Tyrannorum Miniſtros; habuit, inquam, ut reos non inveſtigando, utrùm ad actiones illas urgerentur à Tyranno, an non? & attendendo ad profeſſionem falſæ fidei potiùs, quàm ad violatum præcisè præceptum poſitivum confeſſionis fidei veræ.

35. Dices pro Adriano: ex pluribus factis Sacræ ſcripturæ infertur licitum eſſe ſimulare idololatriam, aut aliam falſam religionem; ergo id licet ſaltem quando non inſtat præceptum confeſſionis fidei, nec adeſt ſcandalum & ex alia parte ſimulatio fit ad occultandam veram fidem, aut ad alium bonum finem ut ſupponit Adrianus: probatur antecedens primò. Naaman 4. *Reg.* 5. petiit & obtinuit ab Elizeo poſſe ſimul cum Rege Syriæ adorare in templo Remmon; non conceſſiſſet autem id Elizeus, ſi nec ſimulando poſſet licitè fieri. Secundò, Iehu 4. *Reg.* 10 dixit ſe velle colere idolum Baal, & tamen in hoc non peccavit, quia *ibid.* laudatur à Domino quod ſtudiosè egerit, & D. Hieronymus *in cap.* 2. *ad Galat.* ait *Vtilem verò ſimulationem & aſſumendam in tempore, Iehu Regis Iſrael nos doceat exemplum.* Tertio *ex Act.* 16. *&* 21. *& ad Galat.* 2. conſtat Apoſtolos Petrum & Paulum aliquoties ſervaſſe cæremonias legis veteris, etiam poſt Chriſti paſſionem, idque D. Hieronymus *epiſt.* 19. ait eos feciſſe pia ſimulatione: & D. Ambroſ. *ſer* 69. alias 15. *de Sanctis* poſt relata verba Apoſtoli 1. Cor. 9. factus ſum Judæis tāquā Judæus &c. ait *Sicut Paulus factus eſt Iudais Iudaus ut Iudaos lucrifaceret, ita Euſebius hæreticis ſe hæreticum eſſe mentitus eſt ut de hæreſi filium liberaret.* &c.

36. *Simulatio idololatriæ nequit eſſe utilis ad occultandam veram fidem.* Sed contrà. Simulatio idololatriæ, utpotè per nos intrinſecè mala, non poteſt ex ullo bono fine reddi licita; & præſertim non ex fine occultandæ veræ fidei, quia huic fieri non poteſt eſſe utilis; qui enim ſimulatè idolum thurificat v.g. adeò ut adſtantes non ſcandalizentur, neceſſe eſt ipſos non apprehendere talem thurificationem tanquam ſignum religionis; per id autem, quod religionis ſignum non eſt & ad religionem non ſpectat, fides nec occultatur nec manifeſtatur; ideò &c. Nec facta adducta inferunt quod ex Sacris Scripturis Adrianus intendit: Enimverò

Ad primum: Vel Naaman quod petiit, & Elizeus reſpōdēdo *Vade* in pace voluit modeſtè dimittere, non concedere ... vel ſcrupuloſè quodammodò petiit aliquid licitum, ideſt non ſimulatum cultum præſtandum Idolo, ſed humanum officium & civile obſequium præſtandum regi in templo idoli, ut magis explicat Malderus *præcit. memb.* 3. *ad* 2.

37. *Occurritur auctoritatibus Scripturæ idololatra.* Ad ſecundum: ly *Iehu dixit* probaret etiam verbis poſſe idololatriam ſimulari, quod nec Adrianus admittit; cæterùm in re nihil probat, quia ibi Iehu peccavit mendacio impio, & ſacrificio ſacrilego ut loquitur Auguſtinus *lib. cont. mendacium cap.* 2. nec poſteà à Domino laudatur de ſimulata voluntate colendi idolum, ſed de obedientia divinæ voluntati præſtita in delenda domo Achab, & occidendis Sacerdotibus Baal: Quoad verba D. Hieronymi Malderus *ad* 3. monet ipſum ex commentariis & doctrina Origenis longius abductum, nimium fuiſſe in ſimulationibus defendendis; ideò hac in re magis, quàm Hieronymo, adhærendum Auguſtino & aliis.

Ad tertium: Apoſtoli ſervando aliquando cæremonias legis veteris non peccarunt quia non cœperunt eſſe illicitæ & mortiferæ ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed duntaxat poſt promulgatum Evangelium, ut tradit D. Thomas 1.2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *ad* 1. Singulis igitur ſe accommodando in licitis, non ſimulando cum Iudæis judaiſmum, gentiliſmum cum Gentilibus, Iudæis Iudæus, omnibus omnia Apoſtolus factus eſt. Verba ex Ambroſio relata deſumpta ſunt ex ſermone incerti Auctoris, non Ambroſij. Factum D. Euſebij, vel non abſolvendum omni culpa, vel excuſandum ignorantia invincibili; certè autem non imitandum, pro quo videatur Herincx *præcit. q.* 2. *num.* 32.

38. *Duplex genus eorum, quæ ſunt Infidelium propria & quænam ex ijs liceant fidelibus.* Aſſert. 3. Non licet uti iis, quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta ad proteſtationem & ſignificationem falſæ religionis: Benè verò iis, quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint duntaxat ſigna politica inſtituta ad diſtinguendam unam nationem ab alia; aut homines unius ſectæ ab hominibus alterius. Ita Theologi communiter, quamvis cum magno inter ſe diſſidio in ſtatuendo determinatè & ſingillatim, quænam ſint bujuſmodi actiones & ſigna; aut in quibus circumſtantiis ſignum ſecundum ſe politicum poſſit evadere ſuperſtitioſum & proteſtativum falſæ religionis; quo quidem in diſſidio, quantùm obſervare curſim potui, laxiores ſunt Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 4. Azor. *lib.* 8. *moral. Inſtit. cap.* 27. Amicus *hic diſput.* 14. *ſect.* 4. Coninch. *diſp.* 15. *dub.* 3. Lorca *quæſt.* 6. *diſp.* 14. &c. Rigidiores verò Cajetanus *hic quæſt.* 3. *art.* 2. Sylvius *eodem art concluſ.* 3. Antonin. *part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 6. Sylveſter

verbo *fides*, verbo *Apoſtaſia* verbo *Infidelitas* & ijſdem verbis Angelus, Tabiena Armilla &c. laxos inter & rigidos medij Suarez *hic diſput.* 14. *ſect.* 5. Arriaga *diſput.* 22. *ſec.* 3. Madernus *quæſt.* 3. *artic.* 8. Herincx *diſput.* 8. *quæſt.* 1. &c. Nobis in re morali magis, quàm Scholaſticâ; & ſub quâ quæſtiunculæ ferè innumeræ continentur, ſufficiat indicare Auctores, quos quiſque poſſit pro genio ſuo conſulere. Interim

39. Probatur aſſertum univerſaliter poſitum. Ea, quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta &c. non habent alium uſum moralem præter proteſtationem falſæ religionis, & quiſquis eis utitur non poteſt alium à tali proteſtatione finem apud adſtantes rationabiliter prætendere; ergo uti hujuſmodi ſignis eſt ſaltem ſimulatè profiteri falſam religionem, quod ex mox dictis nunquam licet. Ex alia parte ea, quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint dumtaxat ſigna politica inſtituta &c. habent ſecundùm ſe alios uſus ſpectantes ad humanum convictum & civile conſortium, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate poteſt quis eis uti non ſolùm habendo, verùm etiam rationabiliter apud adſtantes prætendendo finem aliquem diverſum ab omni religionis proteſtatione, ergo ex juſtâ cauſâ, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate, licet his ſignis uti: ergo à primo ad ultimum, non licet uti ijs, quæ ita ſunt Infidelium propria ut ſint ſigna ſuperſtitioſa &c. Benè verò ijs, quæ &c.

40. *Limitatio obligationis proferendi diſertis verbis fidem veram.* Materiam præſentem abſolvo duas afferendo circà ſuprädicta limitationes. Prima cadit ſuprà obligationem reſpondendi ac proferendi diſertis verbis fidem ſuam ſuppoſita interrogatione, & eſt quod interrogatio fiat in odium fidei; nam ſi quis te interroget Utrùm ſis Chriſtianus, Utrùm Iudæus, Utrùm Turca? non ad dignoſcendum cujus fidei & religionis ſis; ſed cujus nationis, aut conditionis, & ſtatus politici; quomodoconque reſpondeas non peccas contrà fidem, quia nec interrogatio, nec reſponſio fidem, religionemvè reſpicit. Secunda cadit ſuprà obligationem non ſimulandi falſam religionem, nec utendi ijs, quæ ſunt Infidelium propria, tanquam ſigna ſuperſtitioſa, ac quaſi religioſa ipſorum, & eſt quod talis ſimulatio & uſus ſerio fiat; nam per iocum & ſcenicè, ut faciunt perſonantes in theatris, ſicuti licitum eſt induere perſonam Apoſtatæ aut infidelis, ita licitum eſt ſub tali perſona exercere actus falſæ religionis proprios, proferre verba denotantia negationem veræ fidei, quia illi materialiter exercentur, iſta materialiter proferuntur, *& habent* (ut de iocis ait Auguſtinus lib. de mendacio cap. 2.) *evidentiſſimam ex pronunciatione, atque ipſo iocantis affectu, ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enuntiantis.*

Limitatio obligationis non ſimulandi fidem falſam.

CAPUT VII.

De fidei Habitu.

SOLENT in hujus capitis limine à pluribus plura ſupponi de habitibus theologicis, imò de habitibus ſupernaturalibus ac per ſe infuſis in communi; at quia de neutris hucuſque ex profeſſo alibi egimus vix poſſumus quidquam aliundè recolere, tanquam ſupponendum in præſenti, ubi propterea opportunum eſt primo expedire quæ ſpectant ſingillatim ad fidem, & deindè partim ex ijs quæ fuerint tradita de habitu fidei in particulari, partim ex aliis, quæ obiter ſparſimus in tract. de Gratiâ, inferre aut breviter addere, quæcumque videbuntur neceſſaria de reliquis habitibus, & virtutibus præſertim theologicis; Ideò ſit 1.

§. I.

An ſit, Quid ſit, & Quotuplex ſit Habitus fidei per ſe infuſus?

ASSERT. 1. Datur habitus fidei per ſe infuſus: idque eſt quoad rem dogma catholicum & fidei veritas: quoad rem, inquam, quia Concilia loquuntur de fide habituali ſub nomine virtutis aut doni, non ſub nomine habitus per ſe infuſi; ideò ſub nomine habitus non videtur tam certum fidem exiſtere, quàm certum eſt exiſtere rem illo nomine importatam, quæ quidem pro nunc idem eſt ac res importata nomine virtutis aut doni. Ita Scotus *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. un.* 5. *ad quæſtionem* Gabriel *ead. diſtinct. quæſt.* 2. *articul.* 2. Vega *lib.* 7. *in Trident. cap.* 24. Suarez *hic diſput.* 7. *ſect.* 1. *num.* 2. Arriaga *diſput.* 16. *ſec.* 1. Amicus *diſput.* 15. *num.* 11. cæterique Theologi communiter contra Sotum *lib.* 2. *de natura & gratia cap.* 19. & *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſtio* 3. *articul.* 1. alioſque nonnullos volentes exiſtentiam habitus fidei eſſe certam certitudine concluſionis theologicæ tantùm, non certitudine fidei. 2. *Dari habitum fidei per ſe infuſum eſt quoad rem dogma fidei.*

Probatur ex variis Conciliis; primò ſcilicet ex Moguntino *cap.* 7. dicente *Cum veniâ peccatorum homo etiam Dei gratiam & Spiritum Sanctum, una cum fide ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem recipit: ijſque donis in ipſo manentibus &c.* Secundò ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. docente juſtificationem *fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, & addente deindè *In ipſa juſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem ſpem & charitatem.* Confirmatur ex Catechiſmo Romano, in quo agendo de baptiſmo, poſtquàm definitum eſt gratiam eſſe qualitatem divinam in anima inhærentem, ſubditur *huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

Dices

3\. *Nec poſſunt de ſolo actu intelligi auctoritates id probantes.*

Dices has auctoritates intelligi poſſe de actibus fidei, aliarumque virtutum, non de habitibus. Sed contrà; in primis infuſio ex genere ſuo malè dicitur de actibus; deinde in verbis relatis traditur infuſio fidei & virtutum eodem modo, quo infuſio gratiæ iuſtificantis, hæc autem eſt infuſio gratiæ habitualis, non actualis. Rurſus in Moguntino exprimitur permanentia, quæ eſt propria habituum: Tandem Tridentinum *c. 6. & can. 3.* præſupponit actum fidei tanquam diſpoſitionem ad juſtificationem, dum igitur in ipſa juſtificatione ait fidem infundi, non loquitur amplius de actu, ſed de habitu; eademque eſt ratio de ſpe & charitate: *can.* etiam 28. definit amiſſa per peccatum gratia non admitti fidem, niſi ſit peccatum infidelitatis, quod de fidei actu non benè intelligitur. Accedit quod ut obſervant Amicus *diſp præcit. num.* 6. & Herincx *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 28. Concilium Tridentinum loquitur ad ſenſum controverſiæ, de qua facta fuerat mentio ſub Innocent. III. *in c. Majores de bapt.* & poſtea actum ſub Clemente V. *in Concilio Viennenſi*, ea autem erat de virtutibus, quæ per baptiſmum communicarentur etiam parvulis, quibus certè competere tantùm poſſunt virtutum habitus, non actus.

4\. *Pro eadem veritate duplex ratio valde probabilis.*

Si quæras: utrum exiſtentia habitus fidei poſſit quoque ſufficienter probari ratione. Reſponderem vix poſſe afferri rationem omnino efficacem, occurrunt tamen duæ potiſſimum valdè probabiles. Prima deſumitur ab exiſtentia actus fidei ſupernaturalis in ſubſtantia, adeoque requirentis ſupernaturale principium, quod licet poſſit eſſe tranſiens, aut etiam extrinſecum potentiæ vitali, connaturalius tamen ac congruentius eſt, quod ſit intrinſecum & permanens, adeoque habituale. Secunda ex eo, quod parvuli baptizati rectè dicuntur fideles, non poſſunt autem tales dici aut ratione characteris baptiſmi præciſè, quia ſecus eſſent dicendi fideles etiam hæretici; aut ratione actus fidei, quia non ſunt capaces ullius actus proprij: ergo ratione habitus & quidem per ſe infuſi, ſeu quod idem eſt, ſupernaturalis in ſubſtantia; cum ſupernaturalis in ſubſtantia ſit tum gratia iuſtificans ad quam conſequitur, tum actus credendi ad quem datur, tum formalis ratio objecti à quo ſpecificatur.

5\. *Definitur habitus fidei.*

Aſſert. 2. Habitus fidei eſt ſimplex qualitas menti per ſe infuſa, quâ inchoatur vita æterna in nobis; & efficitur aſſenſus certus ac inevidens fundatus in auctoritate revelationeque divinâ. Eſt definitio deſumpta partim ex D. Thom. *hic q. 4. art. 1.* partim ex dictis de fidei actu *præced. c. 5. n. 3.*

Eſt qualitas extenſivè ſimplex.

Probatur & explicatur. Dicitur *eſt ſimplex qualitas*, pro genere enim in definitione habitus videbatur omninò ponendum aliquid univerſalius ipſo habitu, ut univerſalius eſt ratio ſimplicis qualitatis, & ly *ſimplex* non intenſivè, ſed extenſivè, debet intelligi; quatenùs habitus fidei, licèt poſſit eſſe magis aut minùs intenſus, ſemper tamen idem & æqualis eſt quoad extenſionem, quia ſecundum ſe ſemper extenditur ad quamlibet veritatem revelatam, nec admittit extenſivam etherogeneitatem, pro qua poſſunt huc proportionaliter revocari ea, quæ de habitu luminis gloriæ attigimus *tract. 1. lib. 2. cap. 5. num.* 39. & favent etiam quæ *præced. cap. 5. num.* 6. dicebamus de unitate ſpecifica omnium fidei actuum. Poteſt inſuper per ly *ſimplex qualitas* excludi opinio, 6.

Non diſtinguitur realiter à fidei lumine.

qua apud Suarezium *præcit ſect. 1. num. 5.* nonnulli diſtinguunt in fide habituali duplicem qualitatem, & alteram fidei habitum, alteram fidei lumen vocant; ſed unmeritò, nam licèt verè detur fidei lumen & de ipſo aptè intelligantur verba illa Io. 1. *Illuminat omnem hominem* & 1. Pet. 2. *vocavit nos in admirabile lumen ſuum*; tamen ratio habitus, & ratio luminis, in fide habituali ſunt unica qualitas, quæ quatenùs permanenter inhæret potentiæ dicitur habitus, quatenus manifeſtat veritatem revelatam coëfficiendo actum attingentem ipſam dicitur lumen; ſicuti proportionaliter in patria unica qualitas eſt gloriæ habitus & gloriæ lumen. Nec refert, quòd habitus naturalium ſcientiarum diſtinguantur à lumine naturali. Non refert, inquam, quia lumen naturale identificatur cum potentia intellectiva, ſicuti igitur ab iſta, ita & ab illo debent diſtingui naturales habitus; non ſic identificatur cum potentia intellectiva lumen ſupernaturale aut gloriæ aut fidei, propterea rectè ponitur identificari cum ſupernaturali habitu; cum præſertim iſte in ſuo ordine ſe habeat, ut potentia, ac per conſequens etiam ex hoc capite debeat ſibi identificare lumen ſupernaturale non minùs quàm potentia naturalis lumen naturale.

7\. *Per ſe menti infunditur.*

Dicitur *menti per ſe infuſa* ad indicandum ſubjectum, & ſupernaturalitatem fidei habitualis, & ad contrà diſtinguendum habitum fidei propriè ſtrictéque acceptum, de quo in præſenti, ab habitu piæ affectionis, qui eſt quidem ipſe quoque qualitas per ſe infuſa, cum detur ad imperium in ſubſtantiâ ſupernaturale, at infunditur voluntati non menti; eſt virtus moralis magis, quàm Theologica; nec eſt adeò certum quod detur, ut conſtat ex dictis *præced cap. 5. §. 5.*

Inchoat in nobis vitam æternam.

Dicitur, *quâ inchoatur vita æterna in nobis*, quia ex D. Thoma 1. 2. *q. 62 art. 1. in c.* virtutes Theologicæ ex genere ſuo ſunt principia, quibus ordinamur ad vitam æternam ſeu beatitudinem ſupernaturalem, & inter hujuſmodi principia illud, quo primò indigemus, eſt virtus fidei: non negaverim tamen has particulas poſitas eſſe ad quamdam abundantiorem notitiam potiùs, quàm ex omnimoda definitionis neceſſitate, ut *præced. c. 5. n 4.* dicebamus proportionaliter de particulis illis *ſperandarum ſubſtantia rerum* in definitione fidei actualis.

Dicitur *& efficitur aſſenſus certus ac inevidens* &c. quibus particulis explicatur fidei habitus per ordinem ad proprium actum, propriumque objectum formale, quo ultimò di- 8.

Quomodo diſtinguatur ab auxilio actuali?

ſtinguitur à quolibet alio habitu; diſtinguitur item per ly *efficitur* ab auxilio actuali ſupplente habitum, quod quidem auxilium non per ſe primò efficit, ſed ſupplet efficientiam in actum aſſenſus, præterea tale auxilium ut pote qualitas tranſiens minus proprie di-

Cur nemo in via ſit certus de ſuis actibus ſupernaturalibus?

tantùm, non ſimpliciter certum mihi eſt, ex motivo formali ſupernaturali non poſſe elici, niſi actum ſupernaturalem; verùm nec admittendum eſt poſſe aliquem in via eſſe certum ſe operari ex motivo ſupernaturali primò, quia ſæpè poteſt ſuſpicari, utrùm motivum ſupernaturale, quod ſibi proponit, ſit in re an putativè tantum tale? motivum autem formale ſupernaturale duntaxat putative non ſufficit ad ſupernaturalem actum *ex præcedent. ca.* 3. §. 6. Secundò, quia non poteſt diſcerni, utrùm objectum formale ſupernaturale exerceat munus ſuum, an materialiter ſe habeat & purè terminet actum per modum objecti materialis? quâ ratione ſolent attingere hæretici objectum formale noſtræ fidei; & impotentia diſcernendi provenit ex eo, quod ſimul cum objecto formali ſupernaturali repræſentetur ſemper, aut tanquàm prævium, aut tanquam concomitans, aliquod objectum naturale, de quo dubitari poteſt, utrùm ipſummet ſit ratio motiva & objectum formale in actu exercito?

138. Dices tertiò nos hucuſque proceſſiſſe ex falſo ſuppoſito, ſuppoſuiſſe ſcilicet dari pro actibus fidei divinæ, aliarumque virtutum per ſe infuſarum, objecta formalia ſupernaturalia; cujus ſuppoſiti falſitas probatur imprimis quoad fidem divinam; hujus objectum formale juxtà ſupradicta conſurgit ex veracitate Dei, & revelatione propriè ſumptâ ac per loquutionem factâ; atqui tum veracitas, tum revelatio & loquutio Dei, ſunt objectum maximè naturale & naturæ lumine cognoſcibile; nam Deum eſſe veracem eſt quaſi principium per ſe notum & cadit ſub naturali evidentia, eo ipſo autem quod eſt verax neceſſariò ſequitur quod loqui poſſit, repugnat quippè veracitas ſeu veritas in dicendo ei, qui nihil poſſit dicere; & certè quis audeat Deum mutum excogitare, cum nec de falſis diis ulli unquam nationi id in mentem venerit, ſed Pagani omnes ſuppoſuerint ſuos Deos poſſe dare reſponſa, ideóque conſueverint eos interrogare, & conſulere, ut obſervat Arriaga *hic diſputatio. decima quarta, ſectio. quarta, numero ſexageſimo ſexto*; ergo objectum formale fidei totum eſt naturale: eſt pariter naturale objectum formale charitatis; nam Deus ut in ſe ſummè bonus innoteſcit naturæ lumine, nec datur in Deo duplex ſumma bonitas, quarum altera poſſit ſolo lumine infuſo innoteſcere, & ſit objectum formale ſupernaturale proprium charitatis per ſe infuſæ. Multo magis naturalia ſunt objecta formalia virtutum per ſe infuſarum moralium, juſtus enim exercens actum temperantiæ infuſæ v.g. non reſpicit diverſam honeſtatem ab ea, quam reſpicit alius quicunque eliciens actum temperantiæ aquiſitæ; idem exemplificari poteſt in largitione eleemoſynæ, &c. Sed contrà: multum detrahitur, tum neceſſitati gratiæ, tum perfectioni actuum ſalutarium, tribuendo iſtis objectum formale naturale, ideò nego nos proceſſiſſe ex falſo ſuppoſito, & malè ſuppoſuiſſe ſupernaturalitatem objectorum formalium, &c.

Ad illud quod in oppoſitum dicitur de objecto formali fidei, quidquid ſit, utrùm veracitas & locutio Dei, utcumque accepta, poſſint cadere ſub naturæ lumine & habere rationem objecti naturalis? quod, præſertim quoad locutionem propriè ſumptam, valde controvertitur, & negatur tum ab Eſparza *lib. 6. q. 26 a. 7.* tum ab aliis quorum plura argumenta refert Arriaga *præcit. ſect. 4.* licet ipſe oppoſitum ſentiat, & intendat ibi ex profeſſo oſtendere Deũ naturalitèr poſſe cum hominibus loqui; quidquid, inquam, ſit de veracitate & locutione Dei utcumque acceptis, dico utramque eſſe ſupernaturalem, ſi accipiatur, ut eſt objectum formale fidei, ut ſcilicet ſub repræſentatione & apparentia obſcura inducunt intellectum ad aſſenſum firmiſſimum, conſtat quippè in nullo objecto naturali naturaliter conſiderato dari ſine evidentia vim certificandi intellectum, & firmandi ipſum ſimpliciter in aſſenſu ſuo: Habet inſuper utraque ut eſt objectum formale fidei ſupernaturalitatem ea ratione, quâ mox dicetur de objectis formalibus virtutum moralium. 139.

Explicatur ſupernaturalitas objecti formalis fidei.

Ad objectum formale charitatis dico Deum naturæ lumine non innoteſcere ut ſummè bonum ſimpliciter, ſed ſolùm ut ſummè bonum in ordine naturæ; undè etiam amor Dei naturalis quomodocunque perfectus ſit, non eſt ſuper omnia ſimpliciter, quia eſt amor Dei tantùm ſuper omnia bona creata naturalia, non etiam ſuper ſupernaturalia, cum hæc non cadant ſub lumine naturalem Dei amorem dirigente: Ad illud quod dicebatur non dari in Deo duplicem ſummam bonitatem, verum eſt formaliter & abſolutè, ſecùs eminenter & relatè ad nos; pro quo repetenda ſunt ſupradicta *tract. præced. lib. 2. cap. 2. §. 3.* & obſeruandum abſolutè in Deo nihil eſſe ſupernaturale, quia quidquid Deo ineſt naturaliſſimè ineſt, nec quidquam eſſe poteſt ſuprà naturam increatam ipſius; ſupernaturalitas igitur dicitur ſolùm relatè ad nos, naturamque creatam, ſicque bonitas divina quatenùs cauſat & ſuperat bona excedentia quamlibet naturam creatam, hæcque per conſequens eminenter continet rectè dicitur ſupernaturalis eminenter, & relatè ad nos. 140.

Item objecti formalis charitatis.

Ad objecta formalia virtutum moralium per ſe infuſarum dico honeſtatem temperantiæ, & alterius cujuſcunque virtutis moralis conſiderari poſſe dupliciter, primò præcisè ſecundùm perfectionem ſibi intrinſecam & quaſi innatam, ſecundùm quam eſt apta conducere ad ultimum finem naturalem, ſecundò quatenus ſubeſt ordinationi divinæ, ſecundùm quã eſt apta conducere ad finem ſupernaturalẽ ad quem homo ſupponitur elevatus; honeſtas virtutis moralis, ut affecta hâc conducentiâ ad finem ſupernaturalem, differt in ratione objecti motivi & formalis à ſe ipſa præcisè accepta, & eſt objectum formale ſupernaturale quod, quatenùs ſimul cum tali conducentia movet, nequit per naturalem actum attingi. Neque dicas in exercitio virtutum moralium valdè rarò, aut à rudioribus fortè nunquam attendi ad talem conducentiam; 141.

Item objecti formalis virtutum moralium per ſe infuſarum.

tiam; ſicque ſi talis conducentia deberet intendi, & ingredi rationem formalem motivi in ordine ad actus ſalutares, paucissimi, aut in rudioribus fortè nulli actus ſalutares exercerentur in materia virtutum moralium. Contrà enim: ſufficit quod talis conducentia intendatur ſub conceptu implicito, quo quis in ſuâ operatione intendat ſalutem & beatitudinem, ad quam eſt de facto ordinatus; quæ intentio in exercitio virtutum moralium frequenter, & facilè haberi poteſt, etiam à rudioribus; ideò &c.

142. Ex dictis habes Adverſarios, dum docent actus, tùm naturales, tùm ſupernaturales, verſari poſſe circà idem prorsùs objectum etiam formale, non idcircò omnes negare diverſitatem ſpecificam inter actus naturales, & ſupernaturales, ad eandem virtutem ſpectantes, ſed eos præſertim, qui actus ſupernaturales ponunt tales in ſubſtantia, adhuc ſuſtinere ſpecificam ipſorum diverſitatem à naturalibus, cum hoc à nobis diſcrimine, quod ipſi velint talem diverſitatem ſpecificam, ſicut & ſupernaturalitatem provenire dumtaxat ex ſpecificâ diverſitate & ſupernaturalitate habituum; nos verò volumus per prius & principalius provenire ex diverſitate, & ſupernaturalitate formalium objectorum.

143. Habes inſuper per nos nec divinitùs poſſe eſſe de eodem objecto formali actus, tùm naturales, tùm ſupernaturales; cum nec divinitùs variari poſſint rerum eſſentiæ; variarentur autem, ſi actus naturalis, qui pro ſuo eſſentiali ſpecificativo reſpicit objectum formale ordinis naturalis, poſſet reſpicere objectum formale ſupernaturale, quod eſt eſſentiale ſpecificativum actus ſupernaturalis; & iſte è contra &c. Propterea reijcienda eſt tanquàm falſa media quædam in hâc difficultate ſententia, qua Lugus *diſput. 9. ſectione prima* aliique nonnulli docent non dari quidem de facto & de lege ordinaria actus naturales, & ſupernaturales, circa idem objectum formale; abſolutè tamen id non repugnare; hanc ſententiam Arriaga *præcitata diſputat. decimaquarta, ſectio. quinta*, ait maximè laborare vitio ſententiis mediis familiari, quod eſt utriuſque extremæ ſententiæ difficultatibus ſubjacere, & neutris ſatisfacere.

Actum naturalem & actum ſupernaturalem non poſſe eſſe de eodem objecto formali, procedit etiam de potentia abſoluta.

CAPUT VI.

De actu fidei externo.

1. Actus externus ſeu confeſſio fidei quid?

ACTUS fidei externus nuncupatur communiter confeſſio, ſeu profeſſio fidei, & conſiſtit (quatenùs humano modo fit) in actione potentiæ locomotivæ, quâ per motum linguæ, manus, aut alterius membri formatur locutio, ſcriptura, aut nutus aliquis, ad proteſtandam & ſignificandam fidem internam; unde perſpicuum eſt actum fidei externum eſſe valdè imperfectiorem interno, & ſi ad internum comparetur vix poſſe nominari fidei actum, utrùm verò fidei actus ſimpliciter, ac propriè dici poſſit? ſi comparetur ad habitum adeò ut à fidei habitu ſpecialiter proveniat; controvertitur inter Theologos, & aliqui apud Mæratium *hic diſp. 20. ſectio. 1.* docent actum fidei externum provenire ab habitu quodam ſpeciali, quem virtutẽ confeſſionis vocant; aliqui alij volunt imperativè quidem prodire ab eodem habitu piæ affectionis, à quo imperatur fides; at elicitivè, nec ab habitu fidei, nec ab ullo alio habitu virtutis oriri, ita Mæratius *loc. cit.* Arriag. *diſp. 21. ſec. 1.* Herincx *diſp. 8. q. 1.* &c. Pro ſolutione ſit

§. I.

An & quomodo actus externus, ſeu confeſſio fidei, proveniat à fidei habitu?

ASSERT. 1. Actus externus ſeu confeſſio fidei ſuo modo provenit, tum elicitivè, tum imperativè ab eodem habitu, à quo provenit fides interna: provenit ſcilicet elicitivè ab habitu fidei exiſtente in intellectu, imperativè ab habitu piæ affectionis exiſtente in voluntate. Ita D. Thomas *hic quæſt. 3. art. 1.* Sylvius *eod art. 1.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 3. dub. 1.* Valentia *diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1.* Amicus *diſp. 14. num. 5.* Madernus *quæſt. 3. art. 6.* cæterique communiter contra nonnullos, quorum meminit Mæratius *præcit. ſect. 1.* & ex parte contrà ipſummet Mæratium, Arriagam, & Herincx, cum quibus tamen diſſidium ad modum loquendi potiùs, quàm ad rem pertinens, ferè componimus particulis illis *ſuo modo*, quibus intendimus confeſſionem fidei proficiſci elicitivè à fidei habitu, eo modo, quo actus externi poſſunt ex genere ſuo elici ab habitibus intellectus, aut voluntatis, ideſt vel moraliter ut loquitur Valentia, vel ſecundariò & conſequenter ut loquuntur alij; non verò eodem prorsùs modo, quo elicitur à fidei habitu actus ipſe internus, quod ſolùm videntur negare Auctores modò citati, qui propterea volunt fidei confeſſionem non elici à fidei habitu eo, quod univerſaliter velint nullum actum externum elici ab habitu virtutis. Aſſertum ſic explicatum — 2. Provenit ſuo modo ab eodem habitu, à quo fides interna.

Probatur ratione D. Thomæ. Actus exteriores illius virtutis ſunt actus, ac per conſequens ab illo habitu ſuo modo proveniunt, ad cujus fines ſecundùm ſuas ſpecies referuntur; atqui actus exterior, ſeu confeſſio fidei, ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem illius virtutis & habitus, à quo provenit fides interna; ergo actus exterior, ſeu confeſſio fidei, &c. Majot patet tum ratione, quia actus externus & internus ad eundem finem ſecundum ſuas ſpecies relati habent per ſe loquendo eandem perfectionem moralem, debent igitur poni ſub eadem — 3. Actus exteriores quarumnam virtutum ſint actus?

Digitized by Google

virtute; tùm inductione, quia jejunium, quod ſecundùm ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtinentiæ, ſcilicet ad carnem compeſcẽdam, eſt abſtinentiæ actus; & largitio eleemoſynæ, quæ refertur ad finem miſericordiæ, ſcilicet ad miſeriam ſublevandam, eſt actus miſericordiæ &c. Minor probatur, finis virtutis & habitus, à quo provenit fides interna, eſt honeſtas reducens in eo, quod præſtetur condecens & firma adhæſio veracitati: revelationique divinæ; atqui ad hunc finem ſecundùm ſuam ſpeciem refertur fidei confeſſio primò, quia excellentia divinæ veracitatis poſtulat, quod ei nec interiùs verbo mentali, nec exteriùs verbo vocali diſſentiatur? ſecundò quia confeſſio fidei ad fidem internam ſe habet, ut locutio externa ad conceptum internum, habet autem locutio externa cum conceptu interno per ſe loquendo eundem finem, cum illa ſit quoddam iſtius complementum, quid unum cum iſto conſtituens, ſicut propoſitio vocalis cum mentali, & inſinuat id Apoſtolus 2. *Cor.* 4. dicens *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*

Dices primò in univerſum actus unius potentiæ non poſſe elicitivè proficiſci ab habitu exiſtente in aliâ potentiâ, cum igitur fides interna eliciatur ab habitu exiſtente in intellectu, & fidei confeſſio ſit actus potentiæ loco motivæ externæ, conſequens eſt quod fidei confeſſio non eliciatur ab eodem habitu; à quo elicitur fides interna; & poterit quidem utraque proficiſci imperative ab eodem habitu piæ affectionis exiſtente in voluntate, at non elicitivè ab eodem habitu fidei exiſtente in intellectu, & in univerſum actus exteriores imperativè dumtaxat, non elicitivè, ſunt actus illius virtutis, ad cujus fines per ſe referuntur. Sed contrà: ſi dicatur elici ab habitu actus

4. Quid ſit actum elici ab habitu.

illc dumtaxat, qui terminat efficientiam phyſicam habitus, tranſeat actum unius potentiæ non poſſe elici ab habitu exiſtente in alia potentia; quod ſi cum Sylvio, Amico, alijſque pluribus dicatur elici ab habitu etiam actus, qui ab illo immediatè, ideſt non mediante alio habitu, dirigitur, & regulatur, ſicut oratio, quæ eſt actus intellectus, immediatè dirigitur & regulatur ab habitu religionis reſidente in voluntate, negandum erit actum unius potentiæ non poſſe &c. ſicque poſſet abſolutè ſuſtineri confeſſionem fidei, quamvis ſit actus potentiæ locomotivæ, elici ab habitu reſidente in potentia intellectiva: Nihilominùs majoris doctrinæ gratia, & ad vitandum quæſtionem de nomine, alia utor diſtinctione, & dico actum unius potentiæ phyſicè & primariò non poſſe elici ab habitu exiſtente in alia potentia, ſecùs moraliter & ſecundario, ſeu tanquam complementum & conſectarium actus primarij, ſicut externa confeſſio verè eſt complementum, & conſectarium interni aſſenſus, ejuſdemque bonitatis moralis cũ ipſo, & in univerſum actus exteriores relati ad finem alicujus virtutis ſunt quoddam complementum actus primarij ipſius & induunt ac participãt moralẽ talis actus primarij bonitatẽ.

Dices ſecundò in particulari circà fidei confeſſionem, iſtam ſecundùm ſuam ſpeciem non referri ad finem habitus, à quo elicitur fides interna, quia deberet eſſe utilis ad talem finem, ſicuti jejunium eſt utile ad carnem compeſcendam qui eſt finis abſtinentiæ, & largitio eleemoſynæ ad miſeriam ſublevandam qui eſt finis miſericordiæ; finis autem fidei infuſæ eſt adhæſio condecens divinæ veracitati, ad quam adhæſionem præſtandam non eſt utilis externa confeſſio, hæc quippè non eſt niſi teſtificatio adhæſionis præſtitæ, quod nihil conducit ad adhæſionem præſtandam; ſicut nec teſtificatio interioris abſtinentiæ, aut miſericordiæ, conducit ad carnem compeſcendam, aut miſeriam ſublevandam. Sed contrà: cum externa confeſſio ex mox

5. Quomodò externa confeſſio per ſe referatur ad finem fidei infuſæ?

dictis ſit quoddam complementum adhæſionis internæ, & faciat cum eâ quid unum, utique eſt utilis & conducens ad ipſam, non utcumque, ſed conſideratam in eſſe completo. Quod additur de teſtificatione abſtinentiæ, aut miſericordiæ verum eſt, & rectè probaret talem teſtificationem non eſſe actum ab abſtinentia aut miſericordia elicitum, & habent iſtæ virtutes alios actus, per quos exteriùs ſe exercent ac quaſi complentur, fides verò exercetur exteriùs, ac completur unicè, per confeſſionem ſeu teſtificationem; & ratio à priori eſt, quia teſtificatio non eſt complementum cujuſcumque actus interni; ſed illius dumtaxat, qui in mentis conceptu conſiſtit; loquutio quippè per ſe ordinatur ad manifeſtationem conceptuum; conſiſtit autem in mentis conceptu interna fides, non abſtinentia, aut miſericordia, ideò &c. conſiſtit pariter in mentis conceptu bona, aut mala, alicujus exiſtimatio, ideóque talis exiſtimationis teſtificatio provenit pariter ab eodem habitu, à quo exiſtimatio ipſa.

Urgebis: Virtus dirigens, ac regulans manifeſtationem internorum conceptuum mentis, eſt veracitas, non fides; ergo ratio mox allata probaret confeſſionem externam, de quâ in præſenti, elici à veracitate, non à fide.

6. Sed contrà: Veracitas dirigit manifeſtationem internorum conceptuum, ut loquens ſe talem exterius ore exhibeat, qualis eſt interiùs in corde; at hic eſt finis accidentalis & extrinſecus confeſſioni fidei, non is ad quem ſecundùm ſuam ſpeciem refertur; & ex hoc capite confeſſio fidei poteſt à veracitate proficiſci imperativè, at non elicitivè; quatenùs una virtus poteſt imperare actus alterius, at non elicere; hâc porrò ratione poteſt

Quomodò poſſit imperari ab alijs virtutibus?

eadem confeſſio ad fortitudinem, ad religionem, aliaſque multas virtutes pertinere, & ad ipſarum fines, extrinſecè tamen & ſecundùm accidens, non intrinſecè & ſecundùm propriam ſpeciem referri: Undè etiam diverſimodè cadit ſub imperium aliarum virtutum, ac cadat ſub præaſſertum imperium piæ affectionis; ab iſtâ enim imperatur per ſe & in ordine ad finem ipſi confeſſioni intrinſecum, ac proprium; ab alijs imperatur per accidens, & in ordine ad finem ſibi extrinſecum ac alienum.

Ex his habes negationem externam fidei 7.

rectè

Externa fidei negatio eſt actus infidelitatis, & propriè contra fidem.

rectè dici actum externum infidelitatis, ſicuti confeſſio dicitur actus externus fidei, & ſicuti iſta eſt directè & propriè ſub fide, ita illam eſſe directè ac propriè contrà fidem, etiamſi non conjungatur cum diſſenſu interno, in quo caſu Arriaga *præcit. ſect. 1. num 4.* videtur negationem illam directè opponere veracitati, nec vult eſſe contrà fidem, niſi ratione ſcandali, & inductionis aliorum ad diſſentiendum fidei; nihilominùs cum per nos opponatur actui elicitivè proficiſcenti à virtute fidei, & per ſe ſpectanti ad ejuſdem virtutis obligationem, non eſt cur non ſit contrà fidem directe ac propriè; ſecundariò tamen nuu primariò, prout ex dictis eſt ſecundarius, non primarius fidei actus confeſſio externa; ex quo occurrit obiter ratio aliqua congruentiæ, ob quam Deus ſtatuerit de facto infuſum fidei habitum amitti interno diſſenſu, non externa negatione præciſè, licèt etiam propter hanc juſtiſſimè potuiſſet talem amiſſionem ſtatuere.

Per ipſam tamen ſine diſſenſu interno non amittitur fidei habitus, & cur?

---

§. II.

An & qualis ſit obligatio ſeu neceſſitas confeſſionis fidei ad ſalutem?

8. Confeſſio fidei non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.

ASSERT. 1. Confeſſio fidei non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij, eſt veritas incontroverſa, & ſupponi à Scholaſticis ſolet magis, quàm tradi ex profeſſo, attingit eam in terminis Amicus *hic diſput. 14. num. 30.*

Probatur: Illud eſt ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij quod per ſe cauſat (ſubintellige, aut proximè, aut remotè) primam gratiam, & quomodocunque deſit, obeſt ſaluti; atqui confeſſio fidei nec per ſe cauſat primam gratiam, nec quomodocunque deſit, obeſt ſaluti; ergo confeſſio fidei non eſt, &c. Major habetur *ex cap. præced. num. 74.* Minor qooad primam partem probatur, quia confeſſio fidei nec per ſe cauſat primam gratiam proximè, quia haberet majorem in ordine ad juſtificandum virtutem qoàm habeat fides interna; nec eandem cauſat remotè, tanquam conditio aut diſpoſitio requiſita ad illud, quod cauſat primam gratiam proximè, quia nec ad ſuſcipiendum baptiſmum, nec ad eliciendum actum contritionis aut dilectionis, per ſe requiritur fides extetua: Minor eadem probatur quoad ſecundam partem, quia ſi quis adultus omittat fidei confeſſionem eò quod poſt uſum rationis breviſſimo tempore vivat, & in hac temporis brevitate, aut non habeat alios homines præſentes quibus fidem ſuam manifeſtet aut inſcius mortis proximè imminentis totum ſe occupet in internis actibus fidei, ſpei, & charitatis, differatque exteriorem fidei confeſſionem, ad quam certè non tenetur æquè primò, ac ad aſſenſum internum; iſte utique ſine fidei confeſſione ſalvabitur, adeóque fidei confeſſio deerit & non oberit ſaluti. Confirmatur hoc totum; quia actus externus ex genere ſuo non addit aliquam perfectionem moralem actui interno; ergo confeſſio fidei

9.

non habet reſpectu gratiæ, & ſalutis, ullam cauſalitatem moralem, quam non habeat fides interna ſe ſola; & hac poſitâ non poteſt titulo medij, & cauſæ moralis, per ſe ulterius ad ſalutem requiri fidei confeſſio.

Breviter expedita neceſſitate medij latiùs tractanda eſt neceſſitas præcepti, & licèt confeſſio fidei, utpotè in actione poſitiva conſiſtens, videatur ſolùm pertinere poſſe ad præceptum affirmativum, in re tamen includit etiam præceptum negativum rei alienæ, non retinendæ; Incipiendo igitur ab obligatione præcepti negativi non defuerunt olim qui talem obligationem rejecerint, & errore pernicioſiſſimo ac martyriis vitandis, hæreſibuſque fovendis accommodatiſſimo, docuerint licere præſertim tempore perſecutionum negare fidem exteriùs, dummodò interiùs retineatur: ita in primis Gnoſtici apud Tertullianum *in Scorpiaco cap.* 1. Item Samſeitæ ſeu Heleeſaitæ apud Euſebium *lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap.* 28. Item Priſcillianiſtæ apud Auguſtin. *lib. de hæreſ. cap.* 70. Item Anabapriſtæ apud Staphilum *in epitome Theologiæ Lutheri*, imò & noſtris temporibus libertini, & politici quidam nullius religionis, dicentes fidei negotiū eſſe poſtponendum, ubi aut corporis aut fortunæ bona periclitantur, ut referunt Valentia *hic diſp. 1. q. 3 punct. 2.* & Malderus *quæſt. 3. art. 2. mem. 1.* 10.

11. Quomodo includat obligationem præcepti negativi?

Aſſert. 2. Confeſſio fidei negativè accepta, prout importat non negare fidem, eſt ad ſalutem neceſſaria ſemper & pro ſemper ex obligatione præcepti negativi. Eſt dogma catholicum contra errorem cum ſuis damnatæ memoriæ Auctoribus mox præmemoratum.

Probatur primò ex Scriptura *Matth.* 10. ubi Chriſtus Dominus loquens de tempore perſecutionum ait *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo,* & paucis interpoſitis ſubdit *Qui invenit animam ſuam* (vitam ſcilicet ſervat negādo Chriſtum in perſecutionibus) *perdet illam*; Similia habentur *Marc.* 8. & *Luc.* 9. Nec propterea Deus, ut objiciebant Gnoſtici, hominum ſanguinem flagitat, aut Chriſtus pro nobis ſemel occiſus vicem repetit, quaſi & ipſe ſalutem de nece noſtrâ expectet: enim verò, nec Deus martyrium abſolutè præcipit, ſed ſolùm quando aut fides neganda aut mors ſubeunda eſt; nec Chriſtus mortem noſtram pro ſua fide vult, quia eâ indigeat, ſed quia nos tunc & morte & fidei confeſſione indigemus ad propriam ſalutem. Confirmatur egregijs auctoritatibus Sanctorum Patrum apud Valentiam & Malderum *locis præcit.*

Occurritur fundamento Gnoſticorum

12. Probatur ſecundo ex perpetuo ſenſu & conſenſu totius Eccleſiæ, qui luculenter conſtat primò in tot millionibus Martyrum graviſſima quæcumque tormenta, & mortis genera tolerantium pro fide non neganda: Secundò in facto ſummorum Pontificum Petri & Marcellini, qui ſolùm exteriùs fidem negarunt, & tamen id tanquam peccatum graviſſimum Petrus amare deflevit, & Marcellinus coram trecentis Epiſcopis in Concilio Sinueſſano congregatis, ore proprio faſſus eſt: Tertiò in gravitate pœnarum, quas antiquitùs

Pœnæ negantium etiã ſolum exterius fidem.

Eccleſia ſtatuetat contrà eos, qui in tormentis deficientes etiam ſolùm exterius à fide, reſipiſcentes petebant inter fideles iterùm recenſeri, ut videre eſt in Concilio Ancyrann per plures canones, in Eliberitano *can.* 1. 2. & 3. in Nicæno *can.* 10. & 11. imò & de facto ſic lapſos incurrere cenſuras & pœnas à ſummis Pontificibus latas contrà hæreticos & Apoſtatas docent Cajetanus *hic quaſt.* 12. *art.* 1. & *quaſt.* 94. *art.* 2. alijque nonnulli, quàmvis longè communior ſit ſententia negans, pro quâ plurimos Auctores refert Suarez *diſput.* 14. *ſec.* 6. *num.* 4.

13. Probatur tertio ratione, quia irreverens eſt erga veracitatem & revelationem divinam is, qui ei eaternum cultum negat, tum quia etiam iſte eſt debitus veracitati ſummæ, tum quia cultus internus negato eaterno remanet mutilus & imperfectus: eſt pariter irreverens Chriſto, qui ſe Chriſtianum negae, redundat quippe in domini dedecus, quod ſeruus nolit aut erubeſcat ejus dominium, propriumque obſequinm profiteri: Tandem, ut arguit Auctor operis imperfecti *in Matth. homil.* 25. ſi ſufficit ſolo corde credere, cur non ſufficit hypocritis ſoln ore confiteri? Cum Deus ſimul cum corde os creaverit; quomodo poeeſt ei non deberi ſimul eum cordis fide oris confeſſio? Neque ea eo quod *Pſal.* 14. ſalvandus dicatur *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, & Epheſ. 4. habeatur *loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo* rectè inferunt Priſcillianiſtæ ſufficere, quod fidei veritas corde retineatur, aut ſaltem quod proferatur apud domeſticos fidei, non apud alienos & extraneos. Non inquam rectè inferunt, quia ly *in corde* non eacludit oris confeſſionem, ſed indicat hanc non debere eſſe ſine interiore cordis ſententiâ, qua ratione eſt doloſa undè ibi ſequitur *Qui non egit dolum in linguâ ſua* ly *cum proximo ſuo* ſupponit pro quolibet homine, non pro ſolis domeſticis & fidelibus, inter quos eum puniatur negatio, non confeſſio minoris eſt meriti fidem confiteri; nec Chriſtus de ſolis domeſticis locutus eſt in teatu præcit. *ex Matth.* 10. & clarius non de ſolis domeſticis, ſed magis de Adverſatiis & extraneis, procedit illud Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones*, &c. erubeſcencia enim Chriſti, & ſermonum eius, apud infideles & adverſarios, non apud fideles, & domeſticos fidei, locum habet.

Occurritur fundamento Priſcillianiſtarum.

14. Aſſert. 3. Confeſſio fidei poſitivè accepta prout importat profiteri fidem, eſt ad ſalutem neceſſaria aliquando, ſeu pro aliqoo tempore, ea obligatione præcepri affirmativi. Ità Theologi communiter, quamvis deindè inter ſe diſſideant in determinando tempore talis obligationis, de quo infrà *num.* 18. interim aſſertum ſub eâ, ſub qua iacet, universalitate

Confeſſio fidei poſitivè accepta cadit ſub præceptum affirmatiuum.

Probatur ex Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ubi ly *ad ſalutem* nequit intelligi de ſalute prima cum ex dictis fidei confeſſio non ſit neceſſaria neceſſitate medij; procedit igitur de ſalute ſecundâ, quod autem requiritur ad ſalutem ſecundam, ideſt ad gratiam conſervandam & gloriam conſequendam, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti; pro quo etiam faciunt verba illa Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* & alia multa. Confirmatur ratione: datur præceptum affirmatiuum de interno actu fidei, ut ſuppono *ex cap. præced.* §. 7. ergo etiam de actu externo ſeu de confeſſione; homini enim conſtituto ea anima & corpore connaturale eſt aliquando eaterius manifeſtare operatione corporeâ operationes ſpirituales animæ: eſt inſuper hoc accommodatum Eccleſiæ viſibili, eui homo per fidem internam non ſufficienter adhæret: Tandem faciunt quoque pro præſenti intento rationes *præced. num.* poſitæ pro præcepto negativo.

15. Ea his habetur obiter præceptum, tum negatiuum fidei exterius non negandæ, tùm poſitiuũ fidei eaterius profitendæ prout abſtrahendo ab hac vel illâ materiâ univerſale eſt, & omnes homines afficit, rectè dici naturale ſeu connaturale homini ſuppoſitâ ipſius elevatione ad finem ſupernaturalem, rationes enim quibus utrumque præceptum oſtenditur, procedunt ex dictamine naturali ſuppoſita hominis elevatione; & cum ſuprà *num.* 110. fidem internam ſupernaturalem in ſubſtantia poſuerimus ſub præcepto naturali ſeu connaturali; multo magis poſuimus ſub ſimili præcepto ponere confeſſionem externam ſitam in operatione quoad ſubſtantiam naturali. Non negaverim tamen idem præceptum rectè quoque diei divinum, quatenus eſt in Scripturis ſacris expreſſum, & à Deo, ut elevante hominem ad finem ſupernaturalem, derivatum.

Quod eſt juris tum naturalis, tum divini.

16. Præter hoc univerſale præceptum juris tum naturalis, tum divini, datur de fide confitenda ſpeciale præceptum iuris eccleſiaſtici obligans intrà certum tempus ad emittendam profeſſionem fidei ſub præſcripta forma quaſdam inſigniores Perſonas, nimirum Archiepiſcopos, Epiſcopos, Proviſos de beneficiis curatis aut canonicatibus, Prælatos locorum regularium, Magiſtros, Regentes, ac facultatis cujuſcumque Profeſſores in publicis univerſitatibus; pro quo præcepto videatur Tridentinum *ſeſſ.* 24. *capit.* 12. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. Bulla Pij IV. incipiens *Injunctum nobis*. & alia Bulla Pij V. incipiens *In Sacroſancta*. Porrò apud Perſonas, apud quas iſtæ Bullæ ſeu Conſtitutiones ſunt receptæ obligatio profitendi juxtà formam præſcriptam eſt ſub lethali, quia verſatur in materia gravi, & injungitur gravi ac rigoroſo præcipiendi modo; monent tamen Summiſtæ magis communiter ob abſentiam, aut aliam juſtam cauſam poſſe tali obligationi ſatisfieri profeſſione per Procuratorem facta.

Cadit etiam quoad aliquas inſigniores Perſonas ſub præceptum Eccleſiaſticum.

17. Supereſt determinandum tempus, pro quo urger obligatio illius primi præcepti tùm naturalis tùm divini, & quidem in praxi non eſt neceſſe adhibere ſolicitudinem, aut ſcrupuloſam attentionem ad ullum tempus peculiare, per hoc enim quod quis ingrediatur catholicam religionem, & cætera ejus præcepta ac ritus obſervet, frequenter exercet actus fidei proteſtativos, quibus ſatisfacit prædictæ obligatio

Præceptum naturale & divinum cõfeſſionis fidei impletur in praxi per hoc, quod obſerventur reliqua præ-

Digitized by Google

ceptæ religionis catholicæ.

gationi; ſic qui adulti baptizantur ipſamet petitione, ac ſuſceptione baptiſmi, fidem exteriùs profitentur; qui baptizantur in infantiâ eam profitentur, dum uſu rationis comparato amplectuntur inſtructionem Myſteriorum religionis, formant ſignum crucis, diſcunt & recitant Apoſtolorum ſymbolum: Utrique deindè baptiſmo initiati, & de religione inſtructi paſſim ſucceſſivo vitæ decurſu proteſtantur exterius fidem ſuam, dum Sacramenta ſuſcipiunt, aut miniſtrant; dum miſſam audiunt, aut celebrant; dum catholico ritu Deum colunt, multóque magis dum alios in fide erudiunt, aut concionantur, &c. Ecce quomodò exercendo alios actus religionis catholicæ unuſquiſque regulariter ſatisfacit præcepto fidei confitēdæ quod propterea aliqui exiſtimāt nunquàm obligare per ſe præcisè & ex virtute fidei; ſed ſolùm ex occaſione aliorum præceptorum, & ex virtutibus alijs à fide; propendent in hanc exiſtimationem Arriaga

18\. *diſp.* 21. *ſec.* 4. *n.* 28. Viggers *q.* 3. *n.* 75. Hermex *diſp.* 8. *quæſt.* 1. *n.* 8. Nihilominus quia etiam in præcepto fidei internæ & alijs multis, quæ ſentiendum omninò eſt obligare per ſe ac ratione ſui, evenit ut ipſis in praxi ſatisfiat exercendo actus præceptos, quaſi per accidens ſeu occaſionaliter; & in univerſum præceptum pér ſe & ratione ſui obligans ceſſat obligare ex eo quod impleatur etiam per accidens & ratione alterius; quia ut ceſſet obligatio præceptorū quamvis per ſe talium ſufficit quod ponatur opus ſub obligationem cadens, nec requiritur intentio directa ſatisfaciendi obligationi.

Propter hæc inquam, & propter rationes præallatas *num.* 13. & 14. ſentio cum Suarezio *diſp* 14. *ſec.* 2 *n.* 7. Amico *diſp.* 14. *n.* 35. Maldero *quæſt.* 3. *art.* 2. *memb.* 2. *aſſert.* 1. &c. præceptum

Obligat tamen per ſe & ratione fidei circa initium fidei internæ & aliquando impoſterum.

confeſſionis fidei aliquando obligare per ſe & ratione fidei præcisè, & pro tempore talis obligationis rectè aſſignari, cum aliquâ tamen latitudine morali, initium quo quis incipit habere actualem fidem internam, & deinde aliquoties in decurſu vitæ ſequentis, ſi diuturna ſit; adeò ut, quando non occurreret ex ullâ aliâ virtute obligatio fidei exteriùs proteſtandæ, peccaret directè contrà fidem, & contrà præceptum confeſſionis ipſius, quiſquis diu

19\. retineret fidem internam, eam exterius non proteſtando, aut eam primò proteſtatus viveret diutius nullam impoſterum proteſtationem iterando. D. Thomas *hic quæſt.* 3. *art.* 2. *in c.* aſſignat & aliud determinatum tempus, pro quo obliget præceptum confeſſionis fidei nimirum *quando per omiſſionem huius confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera; vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide.* Pro his caſibus libenter accedo ad S. Doctorem, & agnoſco obligationem fidei confitendæ; at ſunt caſus accidentales, & non communes cuilibet fideli; non enim facilè contingit quemlibet interrogari in circumſtantiis, in quibus per omiſſionem confeſſionis *ſubtrahatur honor debitus Deo,* quod vix evenit niſi interrogatione publicè facta tempore perſecutionis, *aut utilitas impendenda proximis,* quod ſupponit magnam proximorum infirmitatem & ignorantiam. Accedit quod ſubtrahere honorem debitum Deo, & utilitatem impendendam proximis non eſt præcisè contra fidem, ſed iſtud contrà charitatem proximi, illud contrà charitatem Dei, aut etiam contrà religionem: Pro memoratis igitur caſibus obligatio confeſſionis, fidei nec eſt univerſalis reſpectu omnium, nec eſt omnino per ſe, ſed ex ſuppoſitione accidentali, nec eſt præcisè ratione fidei, ſed cum concurſu alterius virtutis; ideò tempus quo fides univerſaliter per ſe, & ratione ſui obliget ad exteriorem confeſſionem eſt determinatè ſolum initium fidei internæ, & aliàs aliquàndo iudicio prudentis.

15\. *Quoad jus tum naturale, tum divinum.*

16\. *Cadit etiam quoad aliquas inſigniores Perſonas ſub præceptum Eccleſiaſticum.*

17\. *Præceptum naturale & divinum confeſſionis fidei impletur in praxi per hoc, quod obſerventur reliqua præ*

---

§. III.

Vtrùm liceat occultare, ſeu diſſimulare fidem? Vbi de fugâ in perſecutione: De taciturnitate & tergiverſatione coram Tyranno.

ASSERT. 1. Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei negativa & materialis non eſt illicita, imò humano modo eſt neceſſaria. Aſſertum hoc indiget ſolâ intelligentia terminorum. Ideò. 20.

Occultatio fidei negativa & materialis ſemper licita eſt.

Probatur & explicatur facilè. Quoties quis quâcumque ex cauſâ non confitetur, ſeu non proteſtatur actu fidem, dicitur eſſe in occultatione ſeu diſſimulatione materiali & negativâ ipſius; atqui non eſt illicitum, imò eſt neceſſarium, quod quis ſæpè non confiteatur, ſeu non proteſtetur, actu fidem; præceptum enim confeſſionis actualis, ut potè affirmatiuum non obligat ad ſemper, & eſt humano modo impoſſibile fidelem ſemper verſari in actuali confeſſione, ſeu proteſtatione ſuæ fidei, ergo occultatio ſeu diſſimulatio fidei negativa & materialis non eſt, &c.

Poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita.

Aſſert. 2. Occultatio, ſeu diſſimulatio fidei poſitiva & formalis aliquando licita, aliquando illicita eſt. Ità Theologi communiter, quàmvis in determinandis circumſtantiis & caſibus particularibus talis occultationis licitæ, aut illicitæ, patiantur inter ſe aliquod diſſidium, cujus Auctores afferentur in proceſſu & diſcuſſione materiæ: Interim aſſertum univerſaliter poſitum.

Probatur & explicatur: Occultatio, ſeu diſſimulatio, fidei poſitiva & formalis dici poteſt illa omnis, quâ data occaſione opportunâ fidei confitendæ formalis confeſſio omittitur. Porò talis occaſio opportuna dari poteſt, aut quando urget per ſe, & nulla factâ ſuppoſitione, ex præcepto affirmativo confeſſionis obligatio juxtà mox dicta *num.* 18. & tunc indubiè occultatio poſitiva & formalis eſt illicita, cum ſit formalis tranſgreſſio præcepti actu obligantis, & omiſſio actionis cadentis ſub tali præcepto: aut quando nulla factâ ſuppoſitione præceptum affirmatiuum confeſſionis non obligat, puta hodie poſſum 21.

com

commodè, imò & utiliter fidem exterius profiteri, ad id tamen per ſe loquendo non teneo; ſupponatur jam excitari contrà fideles perſecutio, aut etiam adeſſe Tyranni interrogatio, controvertitur, utrum in hac ſuppoſitione teneat meam fidem prodere, aut ſaltem de ea diſertis verbis Tyranno reſpondere; an licitè poſſim meam fidem occultare fugâ declinando perſecutionem, aut etiam taciturnitate, exceptione perſonæ, detractatione examinis, eludendo interrogationem Tyranni?

22. Quoad primum punctum Tertullianus *lib. de fuga in perſecutione* ex profeſſo docet nullatenus licere fuga fidem occultare, & declinare perſecutionem: verùm liber iſte, utpotè conſcriptus poſt defectionem ſui Auctoris, & hauſtus ex erroribus Montani curandus non eſt, & tanquam dogma catholicum habendum licitam eſſe fugam illam per ſe loquendo, ideſt, niſi quis aut ex Paſtoris officio, aut ex neceſſitate juvandi alios infirmiores, ſpecialiter teneatur non diſcedere. Primò quia, ne fuga illa illicita exiſtimaretur, Chriſtus *Matth.* 10. expreſsè dicit *Si vos perſequentur in Civitate iſta, fugite in aliam*, quæ verba malè Tertullianus accipit ut dicta ſolis Apoſtolis, cum præſertim verba proximè præcedentia vix Apoſtolis conveniant ut obſervat Herinex *diſp.* 8. *num.* 15. Secundò quia fugam illam, tanquam licitam, approbavit ſemper communis ſenſus Eccleſiæ, ut oſtendunt, tum plura quæ Herinex *num pracit.* affert ex veteri & novo teſtamento exempla inſigniorum fidelium, qui ſe aliquando per fugam ſubtraxerunt perſecutionibus; tum opuſcula varia Sanctorum Patrum hujuſmodi fugam non defendentium tantùm, ſed & commendantium, quorum meminit Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 3. *num.* 9.

De fide eſt fugam in perſecutione eſſe licitam per ſe.

23. Tertiò quia fuga illa non tam eſt fidei occultatio, quam quædam virtualis confeſſio; eſt enim ſignum perſeverantiæ in fide, non defectionis à fide, & qui fugit ne cogatur in fidei confeſſione mortem ſubire, fugit quia non vult fidem negare; & quamvis ſimul nolit ſe martyrio & morti exponere non propterea peccat, quia per ſe loquendo nemo tenetur ea ſponte amplecti, alioqui non liceret pugnare pro vita ſimul & fide defendenda, ſicuti tamen certum eſt licere; etſi deinde qui in tali pugna occideretur, non occumberet Martyr. Nec refert quod perſecutio ſit ex ordinatione divina, adeò ut propterea fugiens perſecutionem, & mortem à perſecutore infligendam, videatur reſiſtore divinæ ordinationi, & niti (quemadmodum objicit Tertullianus) contra divinam providentiam. Non refert, inquam, quia optimè poteſt perſecutio ſimul, & fuga perſecutionis, eſſe ex ordinatione Dei, & ſi valeret Tertulliani illatio, poſſet pariter inferri non eſſe fugiendum à peſte, ab incendio; item non eſſe pugnandum Chriſtianis contrà Turcas, ut eadem, quâ, Tertullianus, arguendi forma concludebar Lutherus teſte Maldero *pracit. memb.* 2. *aſſert.* 3. *ad* 2.

24. Quoad ſecundum punctum conveniunt omnes taciturnitatem illam, aut tergiverſationem, non licere, quoties ea orens exiſtimaretur quoad apparentiam ſaltem exteriorem negare fidem, ut eveniret in caſu, quo omnes adſtantes interrogarentur *vultis ne eſſe Gentiles*, & cæteris reſpondentibus *volumus*, unus, aut alter taceret; aut quo tu à Tyranno interrogareris *es ne Chriſtianus?* & tu taceres, dum alius pro te reſponderet, *Non:* In his & ſimilibus caſibus taciturnitas proculdubio eſſet illicita propter negativum fidei non negandæ præceptum ſemper, & ad ſemper, obligans: utrùm verò eadem taciturnitas nulla exiſtente ſuſpicione, & apparentia negationis externæ, adhuc ſit illicita propter præceptum poſitivum fidei confitendæ, quod urgeat quoties Tyrannus interrogat? negant Conninch. *diſp.* 15. *num.* 109. Caſtro Palao *diſp.* 1. *punct.* 14. *n.* 3. Lorca, aliique nonnulli, quorum Doctrinam cenſet ſpeculativè ſatis probabilem Herinex *pracit. diſp.* 8. *num.* 13. Affirmant Malderus *pracit. memb.* 2. *aſſert.* 2. Suarez *ſect.* 3. *nu.* 4. Amicus *diſp.* 14. *num.* 14. Arriaga *diſp.* 21. *ſect.* 2. Madernus *quaſt.* 3. *art.* 7. *num.* 5. cæterique communiter, quorum partem affirmantem amplector primò quia vix videtur occurrere poſſe major neceſſitas fidei confitendæ, quàm cum de eâ Tyrannos infidelis publicè interrogat; urget igitur pro tunc præceptum poſitivum confeſſionis, & hujus omiſſio, quomodocumque fiat, illicita eſt: Secundò, quia taciturnitas pro tunc etſi, ut ſupponitur, non ſit ſignum negationis fidei, indicat tamen timorem Tyranni & aliqualem voluntatem ei placendi, nec non initium aliquod inconſtantiæ in fide, & erubeſcentiæ Chriſti: Tertiò, quia omnes Martyres à Tyrannis & Regibus interrogati fidem palàm profeſſi ſunt, praxis igitur fidelium, & ſenſus Eccleſiæ, eſt contrà taciturnitatem: Nec obſtat ſilentium Chriſti coram Pilato, quia tale ſilentium fuit in circumſtantiis, in quibus ſe habuit ut virtualis confeſſio, & ſignum conſtantiæ; quod ſi aliàs eveniat erit etiam aliàs licitum coram Tyranno interrogante ſilentium; Nec item obſtat in univerſum, quod Tyrannus infidelis contrà jus & per nefas interroget; enim verò reſponſionis & confeſſionis obligatio non oritur ex juriſdictione interrogantis, ſed ex præcepto fidei, cujus vis quodammodò conſummatur poſita interrogatione: Et ex hoc capite etiam illicitum eſt Tyranno interroganti reſpondere. *Quid ad te? Tua non intereſt: Non teneor tibi reddere rationem de mea fide.* Accedit quod hujuſcemodi reſponſum gratis, ac inutiliter, irritat Tyrannum in majus odium reſpondentis, & ex alia parte cum communi eſſe poſſit cujuſcumque religionis verò nullatenus favet veræ fidei, & aptum eſt Judæi aut Lutherani ſuſpicionem ingerere æquè, ac exiſtimationem Catholici.

Non ſic per ſe licita eſt Tyranno interrogante taciturnitas.

25.

Aut rejectio interrogationis tanquàm illegitimæ.

Dubitatur hic primò: Utrùm taciturnitas, aut interrogationis tanquam illegitimæ rejectio, illicita ſit etiam quando quis de fide interrogatur privatim à perſonâ privatâ, aut ab iſtâ publicè, aut à perſonâ publicâ privatim? Videntur affirmare quicumque indiſtinctè docent interrogatam de fide teneri ad poſitivam confeſſionem, ut D. Thomas *hic q.* 3. *art.* 2.

Arragonius

Attagonius *eod. art.* item Sylveſter & Angelus in ſumma: Affirmant verò expreſsè & in terminis Suarez *pracit. ſect.* 3. *num.* 6. Amicus *num.* 15. Turrianus *diſp.* 55. *dub.* 3. &c. Negant è contrà præſertim quoad interrogationem factam à perſona privata privatim Bannez *hic quaſt.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 3. Valentia *diſput.* 1. *quaſt.* 3. *punct.* 2. *dub.* 3. Arriaga *diſput.* 21. *ſect.* 3. Madernus *art.* 7. *num.* 6. Sylvius *quaſtio.* 3. *artic.* 2. *concluſ.* 1. Sanchez *lib.* 2. *decal. cap.* 4. *num.* 6. & alij multi, quorum ſententia eſt valdè probabilis propter diſcrimen auctoritatis publicæ à privatâ; hæc enim neque apparens & exiſtimatum habet interrogandi jus, non eſt apta timorem incutere, & quamvis irritato nocere vix poteſt; interrogante igitur privatâ perſona taciturnitas cenſebitur provenire ex contemptu, non ex timore, & rejectio interrogationis non irritabit in majus odium perſonam potentem religioni nocere, ac per conſequens valdè probabiliter licebit, tum tacere, tum interrogationem retundere per ſe loquendo, & niſi occurrat aliqua peculiaris circumſtantia afferens aliunde malitiam judicio prudentis viri.

26. Benè tamen probabile eſt utramque per ſe licere interrogante Perſona privata.

Dubitatur ſecundò, utrùm liceat vitare interrogationem publicâ auctoritate faciendam, adeundo Magiſtratus vel Tyrannorum miniſtros, & ab eis, etiam oblatâ pecuniâ, obtinendo ne publicè interrogent de fide? Reſpondetur licere per ſe loquendo, qui enim ità ſe gerunt nihil præſtant contrà fidem, imò hanc virtualiter profitentur, & eadem de iſtis eſt ratio, ac de illis fidelibus, imò integris Eccleſiis, quæ tempore Tertulliani (id malè damnantis *cap.* 13. *&* 14 *lib. de fuga in perſecutione*) vectigal ſolvebant beneficiariis Cæſaris, ne cogerentur ad ſacrificandum aut negandam fidem, ex quo capite Herincx *n.* 14. obſervat licuiſſe Catholicis in Angliâ & Hiberniâ redimere pecuniis iniquas vexationes, & impetrare, quod non cogerentur accedere ad conciones, & cœnas Calviniſticas, & hic notandum obiter diſcrimen inter iſtos fideles & Libellaticos illos, qui in Africâ viguerunt tempore S. Cypriani de ipſis agentis *epiſt.* 15. 31. 52. & *in tract. de lapſis*; iſti enim vel præviâ ſecretâ negatione impetrabant à Magiſtratibus ſolutâ pecuniâ libellos ſecuritatis & immunitatis ab ulteriore vexatione, & interrogatione publicâ, vel ad eundem finem, quamvis negatione non factâ impetrabant libellum & teſtimonium factæ negationis, & obſervati mandati Imperatorum, ut magis explicant ex Scholaſticis Malderus *pracitat. memb.* 2. & Herincx *num* 26. Hos libellaticos reprehenderunt cæteri Catholici, at non quia pecuniâ redimerent immunitatem ab interrogatione publica, ſed quia aut occultè, aut ſimulatè fidem negabant. Ideò & cætera.

27. Licitum eſt impendere vectigal ad vitandam interrogationem publica auctoritate faciendam.

Quinam olim dicti fuerint libellatici.

Dubitatur tertiò, utrùm aliquando teneatur quis vitare interrogationem publica auctoritate faciendam, ſi id poſſit? Reſpondetur affirmativè, & hoc præcipuè in duplici caſu: Primus eſt, quando quis imbecillitatis ſuæ conſcius probabiliter timet ſe in tormentis pro fidei confeſſione ſuſtinendis defecturum: Secundus, quando quis ſcitet propriā vitam, & libertatem fore valde utilem defenſioni & propagationi fidei, communique Eccleſiæ bono; tormentorum verò perpeſſionem, & mortem in fidei confeſſione ſuſceptam, parùm fidelibus profuturam & futuram in majorem infidelium perniciem. In his duobus caſibus Suarez *pracit. ſect.* 3. *num.* 10. Malderus *memb.* 2. Herincx *n.* 16. cæterique communiter docent eſſe obligationem fugiendi, adeóque vitandi interrogationem; paritas autem rationis ſuadet, quod ſi nequeat interrogatio vitari arripiendo fugam, vitari verò poſſit obtinendo ejus immunitatem datâ pecuniâ, ſuadet iuquam eſſe obligationem id præſtandi, cum aliundè licitum ſit ex mox dictis, non minùs quàm fugere.

28. Aliquando eſt obligatio vitandi interrogationē fidei, & fugiendi perſecutionem.

---

§. IV.

Vtrùm liceat ſimulare negationem fidei, aut falſam religionem? Vbi de negatione facta amphibologicè, aut cum reſtrictione, & de uſu eorum, quæ ſunt propria Infidelium.

ASSERT. 1. Non licèt verbis ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam, & vel cum reſtrictione mentali, vel cum amphibologiâ & æquivocatione aptâ inducere apparentiam & rationabilem ſuſpicionem veræ negationis. Ita in primis Theologi communiter, dum abſolutè aut omnem fidei negationem damnant, aut confeſſionem diſertis verbis faciendam requirunt, & deinde ſub propriis terminis Herincx *diſp.* 8. *n.* 24. Arriag. *diſp.* 22. *ſect.* 1. *ſubſect.* 1. Amic. *diſp.* 14. *n.* 14. ubi in oppoſitum refert Coninch. *diſp.* 15. *dub.* 5. *concl.* 6. & videtur etiam à fortiori contrarius Adrian. refellendus & afferendus infrà *n.* 31.

29. Nunquam licet ſimulare negationem fidei faciendo confeſſionem ambiguam.

Probatur: obligatio aliquando poſitivè confitendi, & nunquam negandi fidem non oritur præciſè ex veracitate, aut ex præcepto nunquā mentiendi; ſed ex præcepto fidei proprio & reverentiā debita auctoritati divinæ ac Chriſto Domino, atqui quidquid ſit de priore obligatione, cui an & quomodò ſatisfieret per reſtrictionem mentalem aut amphibologiā; colligi poteſt *ex prac. c.* 3. §. 2. quidquid ſit, inquā, de obligatione illa, non ſatisfacit præcepto fidei proprio, & reverentiæ debitæ auctoritati divinæ à Chriſto Domino, quiſquis verbis ſimulat negationem fidei faciendo confeſſionē, &c. ergo non licet verbis ſimulare, &c. Major habetur *ex praced.* §. 2. *n.* 13. & inſuper ex eo, quod nemo non apprehendit majorem peccati gravitatem in negatione fidei, quàm in ſimplici mendacio, cum iſtud ſit ex genere ſuo veniale, illa ſemper lethalis ſit; deinde contrariorum eadem eſt ratio, cum igitur *ex pracedent.* §. 1. non proveniat præciſè à veracitate fidei confeſſio, neque erit præciſè contrà veracitatem fidei negatio: Minor probatur, vel ſupponitur adeſſe obligatio

30. Obligatio non negandi fidem internam non provenit ex ſolo præcepto non mentiendi.

præcepti affirmativi ex eo, quod Tyrannus v. g. publicè interroger, & huic præcepto non ſatisfieri verbis aptis inducere apparentiam, & eationabilem ſuſpicionem negationis, inferrur ex ſupradictis de taciturnitate & rejectione interrogationis, quæ certè minùs ſapiunt erubeſcentiam, inconſtantiam, irreverentiam, & faciliùs poſſunt habere eationem aliqnam veræ confeſſionis virtualis, quàm verba de quibus in præſenti; vel ſupponitur non adeſſe obligatio præcepti affirmativi, ſed negativi tantùm; & ad obſervandum hoc præceptum, quamvis nemo teneatur de fide loqui, ex ſuppoſitione tamen, quòd loquatur, tenetur loqui ſine irreverentiâ divinæ auctoritatis & ſine apparentia negationis, quod noo præſtar quiſquis utitur verbis aptis indocere &c. & ſicuti v. g. qui hic & nunc non tenetur preces ullas recitare, ſi recitet, tenetur recitare reverenter; ita qui hic & nunc non tenetur facere fidei confeſſionem, ſi faciat, tenetur facere cum eeverentia divinæ auctoritatis, & ſine negationis appatentia; ſicuti item non eſt immunis à blaſphemia qui profert verba apta ingenerare ſeuſum blaſphemom, etiamſi ea proferat cum eeſtrictione & amphibologia, qua mediante poſſent bonum ſenſum reddere, ita non eſt immunis à fidei negatione, qui profert verba apta ingeneeare negationis opinionem, etiamſi ea proferat cum reſtirutione & amphibologia, qua mediante poſſent ſignificare veram fidei confeſſionem. Confirmatur, ex mox dicendis non licet ſimulare factis falſam religionem, aut negationem fidei; ergo nec licet hanc ſimulare verbis.

31. Nunquam licet ſimulare idololatriam.

Aſſert. 2. Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam religionem, etiamſi nec inſtet præceptum confeſſionis fidei, nec adſie ſcandalum, quo quiſquam aut in errore confirmetur aur à fide avertatur. Ita Antoninus *par. 2. titul. 12. cap. 6.* Angelus & Sylveſter verbo *fides* Valentia *hic diſput. 1. quaſt. 3. punc. 2. dub. 4.* Malderus *quaſt. 3. articul. 2. memb. 3.* Sylvius *eod. artic. conc. 3.* Herincx *diſput. 8. quaſt. ſecunda, numer. vigeſimo octavo* cæterique tùm Summiſtæ, tom Scholaſtici communiter contrà Adrianum *in 4. q. 1. de baptiſmo ad 5.* cujus ſingularem opinionem Suarez *diſp. 14. ſec. 4. num. 4.* recte monet in ee morali poſſe eſſe perniciosam, & Arriaga *diſp. 22. ſec. 5. ſubſec. 5. num. 40.* ait oppoſitam videri eſſe è ſenſu omnium fidelium, & Gabeiel à S. Vincentio *diſp. 3. dub. 5. num. 28.* exiſtimat magnum afferre præjudicium Adriano decretum, qoo hic Romæ Sacra Congregatio de Propaganda damnavir factum quorumdam Miſſionariorum, qui dum cogerentur thurificare idola, ut conſtarer an eſſent Catholici? formabant prius in terra parvam crucem, & deindè intendendo thurificare talem crucem ſimulabant thurificare idolum; Nihilominus hoc factum jure damnatum videtur excedere mentem Adriani, quis facilè diceret inſtare præceptum confeſſionis fidei reſpectu Miſſionariorum, dum coguntur thurificare idola, ut conſter de ipſorum religione.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

Probatur primò, Simulatio quæcunque in materia religionis, & fidei, eſt peccaminoſa & illicita in profitente religionem fidemque veram; ergo non licet ſimulare idololatriam &c. antecedens probatur ex diſcrimine ſimulationis in materia fidei à ſimulatione in aliis materiis, io aliis enim materiis ſimulatio poteſt eſſe per ſe ſignificativa veri, illud ſcilicet, quod quis ſimolat, poteſt eſſe verum, ut ſi quis ſimulat ſe eſſe Mercatorem, aut ſe neſcire aliquid, quod io re ſciat; at in materia fidei ſimulatio profitentis veram fidem eſt ſemper ſignificativa falſi, eſt ſcilicet ſemper ex objecto falſum illud, qood quis ſimulat, ut patet in eo, qui ſimolat idolum eſſe Deum; ſimulatio igitur in aliis materiis poteſt ſolùm eſſe contrà præceptum affirmativum manifeſtandi & ſignificandi verum, quod præceptum ſicut non ſemper urget ita & ſimulatio in aliis materiis non ſemper eſt illicita; at in materia fidei ſimulatio eſt quoque contra præceptum negarivum non dicendi, ſeu non ſignificandi falſum, quod præceptum ſicuti ſemper & pro ſemper urget, ita & ſimulacio in materia fidei ſemper eſt illicita, egregiè expendit hoc diſcrimen Valentia *præcitat. dub. 4. in reſponſ. ad 5.* Habetur autem etiam aliud diſcrimen *ex ſeq. numer. 34.* 32.

32. Simulatio cur liceat aliquando in aliis materiis? nunquam verò in materia fidei.

Probatur ſecundò: Non licet ſimulare idololatriam, aut aliquam falſam eeligionem, urgente ad id & inſtante Tyranno; ergo neque Tyranno non urgente & etiamſi non inſtet præceptum confeſſionis &c. antecedens probatur primò ex facto Marcellini Pontificis, qui ex eo quod Tyranno inſtante idola, quamvis nihil dicens, thurificaverit, à cora Eccleſia ipſomet id fatente iudicatus eſt graviter peccaſſe: Secundò ex facto Eleazari, qui nunquam potuit induci ad ſimulandum ſe manducaſſe de ſacrificij carnibus, ſicut Rex imperaverat, in proteſtationem Gentiliſmi *2. Machab. 6.* Nec dici poteſt id Eleazarum ex ſupererogatione feciſſe: quia obligationem, non ſupererogationem, continet ratio ibidem allata ab Eleazaro. *Non enim ætati noſtra dignum eſt, inquit, fingere, ut multi adoleſcentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum &c.* Eandem obligationem in facto non diſſimili clarè protulit S. Saba Martyr. qui (ut ex Metaphraſte refert Surius ad diem duodecimam aprilis) cũ videret quibuſdam obtrudi carnes non immolatas, ut ſimularent ſe ſatisfeciſſe mandatis Tyranni de comedẽdis idolothytis, exclamavit *Si quis ex carnibus illis comederit, Chriſtianus eſſe non poteſt.* Tertiò ex facto Miſſionariorum damnato per decretũ Congregationis de Propagãda, ut retulimus *præced. n 31.* Quartò qoia, ſi licet factis ſimulare falſam religionẽ urgente ad id Tyranno, nulla erit ſufficiens ratio, cur id non liceat & verbis? & cur Tyranno de fide interroganti non poſſit quis ſimulatè & cum eeſtrictione mentali reſpondere *Ego ſum Gentilis. Ego ſum Calviniſta &c.* Nec indiget majori probatione veritas admiſſa ab ipſomet Adriano, cum quo modo res agitur, & qui conceſſo illo antecedente conſequentiam negat ex eo, quod urgente & inſtante

33. Simulationem falſæ ſectæ non licere urgente ad id Tyranno.

Tyeanno

Digitized by Google

Tyranno obliget præceptum affi:mat ivum confeſſionis fidri, aut etiam facile adſit ſcandalum;ſecùs Tyranno non urgente.

34. *Infert nec licere Tyranno non urgeate.* Impugnatur tamen in hoc Adrianus, & ſimul probatur conſequentia primi argumenti, quia quòd urgente Tyranno non liceat ſimulare profeſſionem falſæ, ſicut nec deſertionem ſeu negationem veræ fidei, provenit quidem ex præcepto affirmativo confeſſionis, quod admitto ſæpè non obligare Tyranno non urgente; at nan provenit ex eo ſolo, ſed etiam ex præcepto negativo obligante ſemper & pro ſemper, ſivè urgeat Tyrannus, ſivè non: & quidem hujuſmodi præceptum negativum eſt duplex; aliud non ſignificandi aliquid ſemper & per ſe falſum, de quo *præced. num.* 32. aliud non exercendi irreverentiam ergà veram religionem, & auctoritatem divinam, de quo *num.*30. & hinc habetur obiter novum diſcrimen, ratione cujus in alijs materijs, non in materia fidei, poteſt aliquando licere ſimulatio. Confirmatur ex eo, quod Eccleſia habuit ſemper, ut reos gravibuſque ſemper pœnis proſecuta eſt omnes, aut thurificatos, aut ſacrificatos, aut libellaticos, qui ſcilicet aut adoleverunt thus, aut obtulerunt ſacrificium Idolis aut libello & teſtimonio empto id ſe præſtitiſſe ſimularunt apud Tyrannorum Miniſtros;habuit,inquam, ut reos non inveſtigando, utrùm ad actiones illas urgerentur à Tyranno,an non? & attendendo ad profeſſionem falſæ fidei potiùs, quàm ad violatum præcisè præceptum poſitivum confeſſionis fidei veræ.

35. Dices pro Adriano: ex pluribus factis Sacræ ſcripturæ infertur licitum eſſe ſimulare idololatriam, aut aliam falſam religionem; ergo id licet ſaltem quando non inſtat præceptum confeſſionis fidei, nec adeſt ſcandalum & ex alia parte ſimulatio fit ad occultandam veram fidem,aut ad alium bonum finem ut ſupponit Adrianus: probatur antecedens primò.Naaman 4. *Reg.*5. petiit & obtinuit ab Elizeo poſſe ſimul cum Rege Syriæ adorare in templo Remmon;non conceſſiſſet autem id Elizeus,ſi nec ſimulando poſſet licitè fieri. Secundò, Iehu 4. *Reg.* 10 dixit ſe velle colere idolum Baal, & tamen in hoc non peccavit, quia *ibid.* laudatur à Domino quod ſtudiosè egerit, & D. Hieronymus *in cap. 2. ad Galat.* ait *Vtilem verò ſimulationem & aſſumendam in tempore, Iehu Regis Iſrael nos doceat exemplum.* Tertio *ex Act.*16. *&* 21. *& ad Galat.*2. conſtat Apoſtolos Petrum & Paulum aliquoties ſervaſſe cæremonias legis veteris, etiam poſt Chriſti paſſionem,idque D. Hieronymus *epiſt.*19. ait eos feciſſe pia ſimulatione: & D. Ambroſ.*ſer* 69 .alias 15. *de Sanctis* poſt relata verba Apoſtoli 1.Cor.9.factus ſum Judæis tãquã Judæus&c.ait *Sicut Paulus factus eſt Iudæis Iudæus ut Iudæos lucrifaceret,ita Euſebius hæreticis ſe hæreticum eſſe mentitus eſt ut de hæreſi filium liberaret.* &c.Sed contrà.Simulatio idololatriæ, utpotè per nos intrinſecè mala, non poteſt ex ullo bonu fine reddi licita; & præſertim non ex fine occultandæ veræ fidei,quia huic fieri non poteſt eſſe utilis; qui enim ſimulatè idolum thurificat v.g. adrò ut adſtantes non ſcandalizentur, neceſſe eſt ipſos non apprehendere talem thurificationem tanquam ſignum religionis; per id autem, quod religionis ſignum non eſt & ad religionem non ſpectat, fides nec occultatur nec manifeſtatur; ideò &c. Nec facta ex Sacris Scripturis adducta inferunt quod Adrianus intendir: Enimverò

36. *Simulatio idololatriæ nequit eſſe utilis ad occultandam veram fidem*

37. *Occurritur auctoritatibus Scripturæ pro licita ſimulatione idololatriæ.* Ad primum: Vel Naaman non obtinuit quod petiit,& Elizeus reſpõdẽdo *Vade in pace* voluit modeſte dimittere,non concedere: Vel ſcrupuloſe quodammodò petiit aliquid licitum,ideſt non ſimulatum cultum præſtandum Idolo, ſed humanum officium & civile obſequium præſtandum regi in templo idoli, ut magis explicat Malderus *præcit. memb.*3. *ad* 2.

Ad ſecundum: ly *Iehu dixit* probaret etiam verbis poſſe idololatriam ſimulari,quod nec Adrianus admittit; cæterùm in re nihil probat,quia ibi Iehu peccavit mendacio impio,& ſacrificio ſacrilego ut loquitur Auguſtinus *lib.cont.mendacium cap.* 2. nec poſteà à Domino laudatur de ſimulata voluntate colendi idolum, ſed de obedientia divinæ voluntati præſtita in delenda domo Achab, & occidendis Sacerdotibus Baal: Quoad verba D. Hieronymi Malderus *ad* 3.monet ipſum ex commentariis & doctrina Origenis longius abductum, nimium fuiſſe in ſimulationibus defendendis;ideò hac in re magis, quàm Hieronymo,adhærendum Auguſtino & aliis.

Ad tertium: Apoſtoli ſervando aliquando cæremonias legis veteris non peccarunt quia non cœperunt eſſe illicitæ & mortiferæ ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed duntaxat poſt promulgatum Evangelium, ut tradit D.Thomas 1.2.*quæſt.*103. *art.*4. *ad* 1. Singulis igitur ſe accommodando in licitis, non ſimulando cum Iudæis judaiſmum, gentiliſmum cum Gentilibus, Iudæis Iudæus, omnibus omnia Apoſtolus factus eſt. Verba ex Ambroſio relata deſumpta ſunt ex ſermone incerti Auctoris,non Ambroſij.Factum D.Euſebij, vel non abſolvendum omni culpa, vel excuſandum ignorantia invincibili; certè autem non imitandum,pro quo videatur Herincx *præcit. q.*2. *num.*32.

38. *Duplex genus eorum, quæ ſunt Infidelium propria & quænam ex iis liceant fidelibus.* Aſſert.3. Non licet uti iis, quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta ad proteſtationem & ſignificationem falſæ religionis; Benè verò iis,quæ ita ſunt infidelium propria, ut ſint duntaxat ſigna politica inſtituta ad diſtinguendam unam nationem ab alia,aut homines unius ſectæ ab hominibus alterius. Ita Theologi communiter, quamvis cum magno inter ſe diſſidio in ſtatuendo determinatè & ſingillatim,quænam ſint hujuſmodi actiones & ſigna? aut in quibus circumſtantiis ſignum ſecundum ſe politicum poſſit evadere ſuperſtitioſum & proteſtativum falſæ religionis; quo quidem in diſſidio,quantùm obſervare curſim potui,laxiores ſunt Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 4. Azor.*lib.*8.*moral. Inſtit.cap.*27.Amicus *hic diſput.*14.*ſect.*4. Coninch. *diſp.*15.*dub.*3. Lorca *quæſt.* 6. *diſp.*14. &c.Rigidiores verò Cajetanus *hic quæſt.* 3. *art.* 2. Sylvius *eodem art concluſ.*3. Antonin. *part.*2.*tit.*12. *cap.*6.Sylveſter

Digitized by Google

verbo *fides*, verbo *Apoſtaſia* verbo *Infidelitas* & ijſdem verbis Angelus, Tabiena Armilla &c. laxos inter & rigidos medij Suarez *hic diſput.* 14. *ſect.* 5. Arriagá *diſput.* 22. *ſec.* 3. Madernus *quæſt.* 3. *artic.* 8. Herinca *diſput.* 8. *quæſt.* 1, &c. Nobis in re morali magis, quàm Scholaſticâ; & ſub quâ quæſtiunculæ ferè innumeræ continentur, ſufficiat indicare Auctores, quos quiſque poſſit pro genio ſuo conſulere. Interim

39. Probatur aſſertum univerſaliter poſitum. Ea, quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint ſigna ſuperſtitioſa præcisè inſtituta &c. non habent alium uſum moralem præter proteſtationem falſæ religionis, & quiſquis eis utitur non poteſt alium à tali proteſtatione finem apud adſtantes rationabiliter prætendere; ergo uti hujuſmodi ſignis eſt ſaltem ſimulatè profiteri falſam religionem, quod ex mox dictis nunquam licet. Ex alia parte ea, quæ ità ſunt Infidelium propria, ut ſint duntaxat ſigna politica inſtituta &c. habent ſecundùm ſe alios uſus ſpectantes ad humanum convictum & civile conſortium, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate poteſt quis eis uti non ſolùm habendo, verùm etiam rationabiliter apud adſtantes prætendendo finem aliquem diverſum ab omni religionis proteſtatione, ergo ea juſtâ cauſâ, & ſervatâ circumſtantiarum congruitate, licet his ſignis uti: ergo à primo ad ultimum, non licet uti ijs, quæ ita ſunt Infidelium propria ut ſint ſigna ſuperſtitioſa &c. Benè verò ijs, quæ &c.

40. Materiam præſentem abſolvo duas aſſerendo circà ſupradicta limitationes. Prima cadit ſuprà obligationem reſpondendi ac proferendi disertis verbis fidem ſuam ſuppoſita interrogatione, & eſt quod interrogatio fiat in odium fidei; nam ſi quis te interroget Utrùm ſis Chriſtianus, Utrùm Iudæus, Utrùm Turca? non ad dignoſcendum cujus fidei & religionis ſis; ſed cujus nationis, aut conditionis, & ſtatus politici; quomodocunque reſpondeas non peccas contrà fidem, quia nec interrogatio, nec reſponſio fidem, religionemvè reſpicit. Secunda cadit ſuprà obligationem non ſimulandi falſam religionem, nec utendi ijs, quæ ſunt Infidelium propria, tanquam ſigna ſuperſtitioſa, ac quaſi religioſa ipſorum, & eſt quod talis ſimulatio & uſus ſerio fiat; nam per iocum & ſcenicè, ut faciunt perſonantes in theatris, ſicuti licitum eſt induere perſonam Apoſtatæ aut infidelis, ita licitum eſt ſub tali perſona exercere actus falſæ religionis proprios, proferre verba denotantia negationem veræ fidei, quia illi materialiter exercentur, iſta materialiter proferuntur, *& habent* (ut de iocis ait Auguſtinus lib. de mendacio cap. 2.) *evidentiſſimam ex pronunciatione, atque ipſo iocantis affectu, ſignificationem animi nequaquàm fallentis, etſi non vera enuntiantis.*

Limitatio obligationis proferendi disertis verbis fidem veram.

Limitatio obligationis non ſimulandi fidem falſam.

CAPUT VII.

De fidei Habitu.

1. SOLENT in hujus capitis limine à pluribus plura ſupponi de habitibus theologicis, imò de habitibus ſupernaturalibus ac per ſe infuſis in communi; at quia de neutris hucuſque ex profeſſo alibi egimus via poſſumus quidquam aliundè recolere, tanquam ſupponendum in præſenti, ubi propterea opportunum eſt primo expedire quæ ſpectant ſingillatim ad fidem, & deindè partim ex ijs quæ fuerint tradita de habitu fidei in particulari, partim ex aliis, quæ obiter ſparſimus in tract de Gratiâ, inferre aut breviter addere, quæcumque videbuntur neceſſaria de reliquis habitibus, & virtutibus præſertim theologicis: Ideò ſit

§. I.

An ſit, Quid ſit, & Quotuplex ſit Habitus fidei per ſe infuſus?

ASSERT. I. Datur habitus fidei per ſe infuſus: idque eſt quoad rem dogma catholicum & fidei veritas: quoad rem, inquam, quia Concilia loquuntur de fide habituali ſub nomine virtutis aut doni, non ſub nomine habitus per ſe infuſi; ideò ſub nomine habitus non videtur tam certum fidem exiſtere, quàm certum eſt exiſtere rem illo nomine importatam, quæ quidem pro nunc idem eſt ac res importata nomine virtutis aut doni. Ita Scotus *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. un.* §. *ad quæſtionem* Gabriel *ead. diſtinct. quæſt.* 2. *articul.* 2. Vega *lib.* 7. *in Trident. cap.* 24. Suarez *hic diſput.* 7. *ſect.* 1. *num.* 2. Arriaga *diſput.* 16. *ſec.* 1. Amicus *diſput.* 15. *num.* 11. cæterique Theologi communiter contra Sotum *lib.* 2. *de natura & gratia cap.* 19. & *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſtio* 3. *articul.* 1. alioſque nonnullos volentes exiſtentiam habitus fidei eſſe certam certitudine concluſionis theologicæ tantùm, non certitudine fidei. 2.

Dari habitum fidei per ſe infuſum eſt quoad rem dogma fidei.

Probatur ex variis Conciliis; primò ſcilicet ex Moguntino *cap.* 7. dicente *Cum veniâ peccatorum homo etiam Dei gratiam & Spiritum Sanctum, una cum fide ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem recipit: ijſque donis in ipſo manentibus &c.* Secundò ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. docente juſtificationem *fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, & addente deindè *In ipſa juſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem ſpem & charitatem.* Confirmatur ex Catechiſmo Romano, in quo agendo de baptiſmo, poſtquàm definitum eſt gratiam eſſe qualitatem divinam in anima inhærentem, ſubditur *huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

Dices

3. Nec poſſunt de ſolo actu intelligi auctoritates id probantes.

Dices has auctoritates intelligi poſſe de actibus fidei, aliarumque virtutum, non de habitibus. Sed contrà; in primis infuſio ex genere ſuo malè dicitur de actibus; deinde in verbis relatis traditur infuſio fidei & virtutum eodem modo, quo infuſio gratiæ juſtificantis, hæc autem eſt infuſio gratiæ habitualis, non actualis. Rurſus in Moguntino exprimitur permanentia, quæ eſt propria habituum: Tandem Tridentinum *c.* 6. & *can.* 3. præſupponit actum fidei tanquam diſpoſitionem ad juſtificationem, dum igitur in ipſa juſtificatione ait fidem infundi, non loquitur amplius de actu, ſed de habitu; eademque eſt ratio de ſpe & charitate: *can.* etiam 28. definit amiſſa per peccatum gratia non admitti fidem, niſi ſit peccatum infidelitatis, quod de fidei actu non benè intelligitur. Accedit quod ut obſervant Amicus *diſp præcit. num.* 6. & Herincx *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 28. Concilium Tridentinum loquitur ad ſenſum controverſiæ, de qua facta fuerat mentio ſub Innocent. III. *in c. Majores de bapt.* & poſtea actum ſub Clemente V. *in Concilio Viennenſi*, ea autem erat de virtutibus, quæ per baptiſmum communicarentur etiam parvulis, quibus certè competere tantùm poſſunt virtutum habitus, non actus.

4. Pro eadem veritate duplex ratio valde probabilis.

Si quæras; utrum exiſtentia habitus fidei poſſit quoque ſufficienter probari ratione. Reſponderem vix poſſe afferri rationem omnino efficacem, occurrunt tamen duæ potiſſimum valdè probabiles. Prima deſumitur ab exiſtentia actus fidei ſupernaturalis in ſubſtantia, adeoque requirentis ſupernaturale principium, quod licet poſſit eſſe tranſiens, aut etiam extrinſecum potentiæ vitali, connaturalius tamen ac congruentius eſt, quod ſit intrinſecum & permanens, adeoque habituale. Secunda ex eo, quod parvuli baptizati rectè dicuntur fideles, non poſſunt autem tales dici aut ratione characteris baptiſmi præcisè, quia ſecus eſſent dicendi fideles etiam hæretici; aut ratione actus fidei, quia non ſunt capaces ullius actus proprij: ergo ratione habitus & quidem per ſe infuſi, ſeu quod idem eſt, ſupernaturalis in ſubſtantia; cum ſupernaturalis in ſubſtantia ſit tum gratia juſtificans ad quam conſequitur, tum actus credendi ad quem datur, tum formalis ratio objecti à quo ſpecificatur.

5. Definitur habitus fidei.

Aſſert. 2. Habitus fidei eſt ſimplex qualitas menti per ſe infuſa, quâ inchoatur vita æterna in nobis, & efficitur aſſenſus certus ac inevidens fundatus in auctoritate revelationeque divinâ. Eſt definitio deſumpta partim ex D. Thom. *hic q.* 4. *art.* 1. partim ex dictis de fidei actu *præced. c.* 5. *n.* 3.

Probatur & explicatur. Dicitur *eſt ſimplex qualitas*, pro genere enim in definitione habitus videbatur omninò ponendum aliquid univerſalius ipſo habitu, ut univerſalior eſt ratio ſimplicis qualitatis, & ly *ſimplex* non intenſivè, ſed extenſivè, debet intelligi; quatenùs habitus fidei, licèt poſſit eſſe magis aut minùs intenſus, ſemper tamen idem & æqualis eſt quoad extenſionem, quia ſecundum ſe ſemper extenditur ad quamlibet veritatem revelatam, nec admittit extenſivam etherogeneitatem, pro qua poſſunt huc proportionaliter revocari ea, quæ de habitu luminis gloriæ attigimus *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 39. & favent etiam quæ *præced. cap.* 5. *num.* 6. dicebamus de unitate ſpecifica omnium fidei actuum. Poteſt

Eſt qualitas extenſivè ſimplex.

inſuper per ly *ſimplex qualitas* excludi opinio, qua apud Suarezium *præcit ſect.* 1. *num.* 5. nonnulli diſtinguunt in fide habituali duplicem qualitatem, & alteram fidei habitum, alteram fidei lumen vocant; ſed immeritò, nam licet verè detur fidei lumen & de ipſo aptè intelligantur verba illa Io. 1. *Illuminat omnem hominem* & 1. Pet. 2. *vocavit nos in admirabile lumen ſuum*; tamen ratio habitus, & ratio luminis, in fide habituali ſunt unica qualitas, quæ quatenùs permanenter inhæret potentiæ dicitur habitus, quatenus manifeſtat veritatem revelatam coëfficiendo actum attingentem ipſam dicitur lumen; ſicuti proportionaliter in patria unica qualitas eſt gloriæ habitus & gloriæ lumen. Nec refert, quòd habitus naturalium ſcientiarum diſtinguantur à lumine naturali. Non refert, inquam, quia lumen naturale identificatur cum potentia intellectiva, ſicuti igitur ab iſta, ita & ab illo debent diſtingui naturales habitus; non ſic identificatur cum potentia intellectiva lumen ſupernaturale aut gloriæ aut fidei, propterea rectè ponitur identificari cum ſupernaturali habitu; cum præſertim iſte in ſuo ordine ſe habeat, ut potentia, ac per conſequens etiam ex hoc capite debeat ſibi identificare lumen ſupernaturale non minùs quàm potentia naturalis lumen naturale.

6. Non diſtinguitur realiter à fidei lumine.

Dicitur *menti per ſe infuſa* ad indicandum ſubjectum, & ſupernaturalitatem fidei habitualis, & ad contrà diſtinguendum habitum fidei propriè ſtrictéque acceptum, de quo in præſenti, ab habitu piæ affectionis, qui eſt quidem ipſe quoque qualitas per ſe infuſa, cum detur ad imperium in ſubſtantiâ ſupernaturale, at infunditur voluntati non menti; eſt virtus moralis magis, quàm Theologica; nec eſt adeò certum quod detur, ut conſtat ex dictis *præced. cap.* 5. §. 5.

7. Per ſe menti infunditur.

Dicitur, *quâ inchoatur vita æterna in nobis*, quia ex D. Thoma 1. 2. *q.* 62. *art.* 1. *in c.* virtutes Theologicæ ex genere ſuo ſunt principia, quibus ordinamur ad vitam æternam ſeu beatitudinem ſupernaturalem, & inter hujuſmodi principia illud, quo primò indigemus, eſt virtus fidei; non negaverim tamen has particulas poſitas eſſe ad quamdam abundantiorem notitiam potiùs, quàm ex omnimoda definitionis neceſſitate, ut *præced. c.* 5. *n.* 4. dicebamus proportionaliter de particulis illis *ſperandarum ſubſtantia rerum* in definitione fidei actualis.

Inchoat in nobis vitam æternam.

Dicitur *& efficitur aſſenſus certus ac inevidens* &c. quibus particulis explicatur fidei habitus per ordinem ad proprium actum, propriumque objectum formale, quo ultimò diſtinguitur à quolibet alio habitu; diſtinguitur item per ly *efficitur* ab auxilio actuali ſupplente habitum, quod quidem auxilium non per ſe primò efficit, ſed ſupplet efficientiam in actum aſſenſus, præterea tale auxilium ut pote qualitas tranſiens minus propriè di- 8.

Quomodo diſtinguatur ab auxilio actuali?

citur infundi per ſe, undè etiam titulo qualitatis per ſe infuſæ aſſignari poteſt diſcrimen habitus fidei ab illo auxilio.

Cauſæ effectus, & objectum formale ipſius.

Ex his habes tum proprium effectum & objectum formale, tum omnes cauſas habitus fidei: Habes ſcilicet effectum & objectum formale in ly *aſſenſus certus ac inevidens*, &c. Habes in ly *Qualitas ſimplex* cauſam formalem indiſtinctam à fidei habitu, qui eſt per ſe ipſum forma. Habes cauſam materialem & efficientem in ly *menti per ſe infuſa*, materialem quidem in ly *menti*, efficientem in ly *per ſe infuſa*, quatenus quidquid per ſe infunditur, fit aut præcipuè, aut unicè, à Deo. Habes cauſam finalem in ly *qua inchoatur vita æterna in nobis*. Habes uno verbo definitionem copioſam & abundantem; quod ſi abundantia ipſa diſpliceat, poteris brevius & cohærenter ad ſupradicta *cap. 5. num. 5.* ſic definire fidei habitus eſt qualitas ſimplex per ſe infuſa quâ efficitur cogitatio cum aſſenſione.

Definitur brevius idē fidei habitus.

9. Habitus fidei eſt eſſentialiter & in ſua ſpecie unicus.

Aſſert. 3. Habitus fidei eſſentialiter, & in ſua ſpecie, unicus eſt, non multiplex, nec admittit diviſionem ullam niſi impropriam, imperfectam & in membra diverſa ſolùm accidentaliter. Ità D. Thomas *hic quæſt. 4. art. 6.* D. Auguſtinus *lib. 13. de Trinit. cap. 2.* Scotus *in 3. diſt. 23. &* 24. cæterique Theologi communiter & eſt veritas adeò certa, ut vix non exiſtimetur de fide propter illud Epheſ. 4. *unus Dominus, una fides*; ex hoc tamen loco Arriaga *diſput. 16. num. 15.* vult non haberi tantam aſſertæ veritatis certitudinem, eo quod ex mente Apoſtoli verba relata procedant de fidei objecto, quod pro omnibus locis unum & idem eſt; non de fidei habitu, & quando de iſto procederent, non probarent intentum, quia habitus ex eo quod ſit unus non excludit partes eſſentiales ſpecie diverſas, ſicut homo eſt unus, & tamen tales partes in ſe admittit: Abſtrahendo igitur à certitudine dogmatica aſſertum.

Probatur: Habitus fidei non continet ſub ſe habitus ſpecie diverſos, neque partiales, ex quibus tanquam totum ex partibus eſſentialibus componatur; neque totales, in quos tanquàm genus in ſpecies dividatur; ergo habitus fidei eſſentialiter & in ſuâ ſpecie unicus eſt, &c. antecedens quoad primam partem habetur ex eo, quod jam dictum eſt, habitum fidei eſſe in ſe qualitatem intenſivè ſimplicem & homogeneam; quoad ſecundam probatur diſcurrendo per omnes habitus ab Adverſariis aſſignabiles, & oſtendendo ipſos aut non contineri ſub habitu fidei, de quo in præſenti; aut non differre ab invicem niſi accidentaliter, & extrinſecè; & ex primo quidem capite illico conſtat non facere hic ad rem habitum piæ affectionis; ex ſecundo capite non debent tanquam duæ ſpecies ſub eodem genere habitus contentæ diſtingui fidei virtus, & fidei lumen; ſicque corruunt duæ diviſiones quarum altera poſſet fides habitualis dividi in habitum aſſenſus, & habitum piæ affectionis, alterâ in fidei virtutem, & in fidei lumen: Superſunt autem duæ aliæ diviſiones, de quibus poteſt occurrere aliqua major ratio dubitandi.

Prima eſt in fidem ſpeculativam, & fidem practicam: At hæ duæ fides non poſſunt differre eſſentialiter in ratione habitus primo, quia ſpeculativum & practicum ex genere ſuo ſunt differentiæ accidentales, ut attigi *in prolegom cap. 5. num. 25.* Secundò quia dicuntur formaliter & propriè ſolùm de fidei actibus, de habitu verò non niſi eminenter & denominative ab actibus; fidei enim habitus, utpotè per ſe infuſus, ſe habet ut potentia in quâ ſpeculativum & practicum continentur eminenter, & præcisè tanquam in principio productivo, per ordinem igitur ad actus ſpeculativos & practicos, ſicuti non multiplicamus potentias naturales, ità nec debemus multiplicare habitus per ſe infuſos, qui ſunt potentiæ ſupernaturales: ſicque diviſio fidei in ſpeculativam & practicam nec eſt diviſio in membra ſpecie diverſa, nec propriè eſt diviſio fidei habitualis, ſed actualis dumtaxat. 10.

Diviſio fidei in ſpeculativam, & practicam, qualis?

11. Diviſio fidei in informem & formatā, ſeu mortuā & vivam, qualis?

Secunda diviſio eſt in fidem informem, & formatam, ſeu mortuam & vivam, circà quam diviſionem fuit olim ingens concertatio, & ex docentibus fidem informem, & formatam, eſſe duos habitus realiter diſtinctos aliqui dixerunt adveniente fide formatâ deſtrui fidem informem, & iſtam ſuccedere illa deficiente, aliqui ſenſerunt remanere fidem informem ſimul cum formatâ, & ex his quidam voluerunt fidem informem tunc perſeverare informem; quidam alij admiſerunt formari, at non à gratia aut charitate, ſed à fide formatâ, quam ſecum ferunt gratia & charitas: Calvinus deindè, Lutherus, eorumque Aſſeclæ nullam agnoſcentes fidem, quæ poſſit ſine charitate conſiſtere, negarunt fidem informem, & memoratam diviſionem deriſerunt; antiquam opinandi varietatem refert ex Sanctis Bonaventurâ & Thomâ Malderus *quæſt. 4. art. 4.* Sectariorum verò errorem Valentia *diſp. 1. quæſt. 4 punc. 4.* Noſtris temporibus, & poſt Tridentinum, veritas Catholica eſt, quod admittenda ſit fides tum informis tum formata, at quod non ſint duo habitus ſpecie diverſi, imò nec numero, adeò ut ex Maldero *loco præcit.* eſſet hæretica ſententia, quæ doceret eſſe duos habitus diverſos ſpecie; temeraria verò, quæ doceret eſſe diverſos numero, quamvis fortè quoad duos habitus ſpecie diverſos mitiùs ſentiret Arriaga, qui *ex præced. num. 9.* cenſet ad dogma non pertinere unitatem ſpecificam habitus fidei: certa tamen eſt hæc unitas præſertim in fide formatâ & informi, & unus idemque tum ſpecie tùm numero habitus fidei quatenus eſt ſine gratia & charitate (ſine qua ex dicendis de fide eſt aliquando eſſe) dicitur fides informis & mortua; formata verò & viva, quando habet conſortium gratiæ & charitatis, quæ eſt forma virtutum & ſpiritualis vitæ animæ, ſubintellige extrinſecè & moraliter, non intrinſecè & phyſicè; informat, inquam, charitas & vivificat fidei habitum moraliter & extrinſecè, quatenus perficit actum ejus reddendo ipſum meritorium vitæ æternæ, & ſimpliciter ordinatum ad finem ſupernaturalem, ut magis explicant Malderus, & Valentia *præcit. quæſt. 4. art. & punc. 5.*

Certum eſt utramque dari, & utrāque eſſe unicum habitum.

12.

Fides informis & mortua quomodo formetur & vivificetur per charitatem?

Sic

Digitized by Google

Sic explicatâ fide formatâ & informi, vivâ & mortuâ, liquidò conſtat relatam diviſionem eſſe in membra accidentaliter & extrinſecè, non eſſentialiter & intrinſecè diverſa, eundemque fidei habitum aliquando evadere de informi formatum, aliquando de formato informem: Nec refert, quod nequeat hoc evenire in fidei actu, enimverò diſparitas in promptu eſt, quia fidei habitus eſt quid permanens, actus eſt quid tranſiens; cæterum etiam fidei actus, & aliud quodlibet opus mortuum aliquando fieret vivum, aut vivum evaderet mortuum, ſi idem numero eliceretur à peccatore & perſeveraret in juſto, aut eliceretur à juſto & perſeveraret in peccatore.

Occurrunt hic circà explicatam mox diviſionem nonnulla dubia ad modum loquendi potius, quàm ad rem pertinentia: Primum eſt: Cur fides habitualis potius, quam aliæ virtutes, dividatur in vivam & mortuam, & cur fidei potius, quam aliarum virtutum, habitus gratiâ & charitate vivat? Secundum, an & quomodo fides etiam informis ſit vera virtus? Tertium an & quomodo fides etiam informis ſit inchoatio vitæ æternæ, & juſtitiæ fundamentum?

13\. *Cur fides potius quam aliæ virtutes, charitate vivat; & in vivam ac mortuam dividatur.*

Ad primum dico quoad rem omnes virtutes per ſe infuſas charitate vivere charitateque formari, unde hæc abſolutè dicitur forma virtutum; quoad modum loquendi id peculiariter fidei tribui, quia ipſa eſt initium ac fundamentum vitæ æternæ, in ſcripturâ *Heb.* 10. ſingillatim dicitur juſtum fide vivere & dum *Iacob.* 2. habetur fidem ſine operibus eſſe mortuam egregiè inſinuatur eam potiſſimum operatricis charitatis ſpiritu reddi vivam. Accedit, quod cæteræ virtutes infuſæ, ſpe excepta, in peccatore non permanent adeoque non evadunt de vivis mortuæ, de formatis informes; aut è contra, ut fides.

14\. Ad ſecundum: Durandus *in 3. diſtinct.* 23. *quæſt.* 6. contra ſententiam communiſſimam negavit prærogativam virtutis etiam fidei formatæ. D. Thomas *hic quæſt.* 4. *art.* 5. *in c.* videtur eam negare fidei informi, & idem ſenſiſſe videtur D. Chryſoſtomus dum ſcribens *in cap.* 3. *Epiſt.* 2. *ad Tim.* ait *fides ſine operibus figura ſolum abſque virtute eſt.* Nihilominus in Chryſoſtomo ly *abſque virtute* operativâ, & D. Thomas *eo art. ad* 3. ſatis exprimit ſe negaſſe fidei informi rationem virtutis ſecundùm quid, & quoad perfectionem ſtatus; non ſimpliciter, & quoad eſſentiam; & in hoc ſenſu reſpondeo abſolutè fidem informen eſſe virtutem; ſi enim talis non eſſet, non poſſet dici eſſentialiter & intrinſecè idem habitus cum fide formatâ, quæ certè virtus eſt; non poſſet item ſimpliciter dici vera fides, cum tamen Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 28. anathematizet eum, qui dixerit fidem remanentem poſt peccatum *non eſſe veram fidem, licet non ſit viva.*

Fides etiam informis & mortua eſt ſimpliciter quoad eſſentiam virtus.

15\. *Eodemque modo eſt juſtitiæ fundamentum.*

Ad tertium dico eandem eſſe rationem, ac de prædicato virtutis; idcò juxtà mox dicta reſpondeo fidem etiam informen eſſe inchoationem vitæ æternæ ac juſtitiæ fundamentum abſolutè, & quoad ſubſtantiam; quamvis non ſecundum quid & quoad ſtatum; vel dicito, ſi vis, in actu ſignato, non in actu exercito.

---

§. II.

Quandonam infundatur habitus fidei, & utrum efficiatur ſemper immediatè à ſolo Deo?

ASSERT. 1. Infuſio habitus fidei in parvulis eſt ſimul tempore cum infuſione habituum gratiæ & charitatis; in adultis eſt regulariter prior. Prima pars eſt communiſſimè recepta. Secunda eſt D. Thomæ *hic qu.* 6. *art.* 2. *ad* 3. Cajetani *ibid.* Bannezij *quæſt.* 4. *art.* 7. *dub.* 1. *ad* 2. Valentiæ *diſput.* 1. *quæſt.* 6. *punc.* 2. Eſparzæ *lib.* 6. *quæſt.* 10. Maderni *quæ.* 4. *art.* 2. Amici *diſput.* 15. *ſec.* 4. *& de Gra. diſput.* 29 *ſec.* 9. Suarezij *de Gra lib.* 8. *cap.* 53. & aliorum tum Thomiſtarum communiter, tum plurium Recentiorum, contrà Bonaventuram *in* 3. *diſt.* 23. *dub.* 6. Albertum *in* 3. *diſtinct.* 36. *art.* 2. Scotum *ead. diſt. quæſt. unica* §. *Quantum ad quartum* Gabrielem *ead. diſt.* Durandum *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 6 §. *Quantum ad tertium* Vegam *lib.* 7. *in Trident. cap.* 28. Lugum *diſp.* 16. *ſec.* 2. Arriagam *diſp.* 16. *ſec.* 4. & ex parte Sotum *lib.* 3. *de nat. & Gra. cap.* 8. quatenus docet extrà baptiſmum infuſionem fidei nunquam eſſe priorem infuſione gratiæ, in baptiſmo verò tunc ſolùm, cum quis baptizatur ſufficienter diſpoſitus ad fidem, non ad gratiam.

16\. *Habitus fidei infunditur parvulis ſimul tempore cum habitu gratiæ.*

Probatur prima pars, quia in parvulis nullus datur fidei actus, nulla prævia diſpoſitio ratione cujus fieri debeat fidei infuſio, hæc igitur illis fit ſolum ad exigentiam infuſionis gratiæ cauſatæ per baptiſmum, & quatenus juſtificatio perfecta importat infuſionem omnium habituum ſupernaturalium connaturaliter comitantium gratiam; Deus igitur, qui ſuis operationibus nulla indiget temporis morâ infundit parvulis in baptiſmo ſimul cum gratia habitum fidei, & cæteros habitus ſupernaturales; ſicuti gratia ipſa, ſi haberet virtutem talium habituum productivam, eos produceret in primo ſuæ productionis inſtanti ſervatâ ſibi reſpectu eorundem prioritate naturæ tantùm, non temporis; ergo infuſio habitus fidei in parvulis eſt ſimul tempore, &c.

17\. *Adultis verò regulariter infunditur prius tempore.*

Probatur ſecunda pars: Subjecto diſpoſitionis capaci infunditur habitus fidei, quando habet ſufficientem & ultimam diſpoſitionem ad ipſum, atqui adulti ſunt ſubjecta diſpoſitionis capacia, ut ex ſe patet & regulariter habent ſufficientem & ultimam diſpoſitionem ad habitum fidei prius, quam ad habitum gratiæ & charitatis; ergo in adultis infuſio habitus fidei eſt regulariter prior, &c. Major patet, quia in univerſum reſpectu ſubjecti diſpoſitionis capacis connaturale eſt formæ expectare quodammodo diſpoſitionem, ſtatim verò conferri quando adeſt ſufficiens & ultima diſpoſitio; de qua propterea dici ſolet quod ſimul ſit cum forma, ad quam diſponit;

diſponit: Minor probatur, actus fidei eſt ſufficiens & ultima diſpoſitio ad fidei habitum, ita enim ſe habet actus fidei ad habitum fidei, ſicuti actus charitatis ad habitum charitatis; & ſicuti quilibet actus naturalis habet vim effectivam in ordine ad proprium habitum aquiſitum, ita quilibet actus ſupernaturalis habet vim ultimò diſpoſitivam in ordine ad proprium habitum per ſe infuſum, nec certè eſt excogitabilis pro ſupernaturali habitu diſpoſitio ulla ſufficientior & immediatior proprio ſupernaturali actu; atqui adulti regulariter habent actum fidei priùs, quàm actum aut dilectionis & contritionis, quæ extra Sacramentum, aut attritionis quæ in Sacramento, eſt ultima diſpoſitio ad habitum gratiæ & charitatis, vix enim homo (quamvis diverſa ſit ratio de Angelo) poteſt pro eodem inſtanti temporis primò elicere actum fidei, ſpei, & charitatis aut attritionis; ergo adulti regulariter habent ſufficientem, & ultimam diſpoſitionem ad habitum fidei, priuſquàm &c.

Actus ſupernaturalis theologicus eſt ſufficiens & ultima diſpoſitio ad proprium habitum.

Dices primò hoc argumentum nimis probare, poteſt enim totum ad amuſſim formari in habitibus per ſe infuſis virtutum moralium; quos tamen certum eſt nunquam infundi antè habitum gratiæ & charitatis. Accedit quod titulo ſufficientis diſpoſitionis habitus fidei deberet infundi etiam antè ipſum fidei actum ſtatim ac elicitur pia affectio credendi; hæc enim eſt propriiſſima ad fidem diſpoſitio, & actus fidei eſt potiùs effectus, utpotè qui connaturaliter præræquirit habitum pro principio. Sed contra: quoad habitus

18\. per ſe infuſos virtutum moralium non ſunt cætera paria, quia ut attingetur infra nunquam illi ſine gratia conſervantur, ſicuti tamen conſervantur habitus fidei & ſpei; quid igitur mirum, quod illi nunquam antè gratiam infundantur, benè verò iſti; & quod actus caſtitatis v.g. in ſubjecto gratia deſtituto non ſit ſufficiens diſpoſitio, ut infundatur illicò caſtitatis habitus; benè verò fidei actus, ut infundatur habitus fidei: Nec refert quòd gratia habitualis ſit prima radix virtutum theologicarum æquè ac moralium, adcóque debeat præcedere illarum æquè, ac iſtarum infuſionem, & prærequirit ut ſubjectum ſit ad illas æquè, ac ad iſtas ſufficienter diſpoſitum. Non refert, inquam, quia reſpectu fidei & ſpei eſt prima radix tantùm poſitivè, reſpectu virtutum moralium eſt prima radix poſitivè & negativè, habes horum terminorum explicationem *tract. præced. lib. 3. cap. 2. num. 49.* & terminis clarioribus dici poteſt reſpectu fidei & ſpei radix ſeparabilis reſpectu aliarum virtutum radix inſeparabilis. Ad illud quod in in-

Non ſic actus ſupernaturalis moralis.

Gratia non eſt prima radix virtutum theologicarum eodem modo quo moralium.

19\. ſtantia additur dico, quòd intento noſtro quoad ſubſtantiam nihil obeſſet concedere actui piæ affectionis rationem diſpoſitionis ultimæ, ad quam illicò ſequatur infuſio habitus fidei, & ita in re ſentit cum Turriano *diſp. 38. dub. 3.* Amicus *præcit. ſec. 4. num. 104.* id tamen non concedo, quia ex una parte habet majorem proportionem convenientiam, & connexionem cum fidei habitu fidei actus, quàm actus piæ affectionis, & ex alia parte ille prærequirit quidem connaturaliter pro principio fidei habitum loquendo abſolutè, at non in hypotheſi ultimæ diſpoſitionis, ut exemplificari poteſt in actu charitatis ad proprium habitum comparato, & magis explicari recolendo ſuprà dicta *in tractat. de Angelis lib. 5. cap. 1. num. 20. & 21. & de Gra. lib. 3. cap. 2. numer. 47. & 53.*

Actus piæ affectionis non eſt ultima diſpoſitio ad habitum fidei.

Ex quo ſe obtulit piæ affectionis actus poſtulabis obiter, utrùm ille ſit ſaltem ſufficiens diſpoſitio ultima ad habitum proprium, quem credulitatis nuncupavimus, quique propterea regulariter infundatur adulto antè habitum gratiæ, imò etiam antè habitum fidei? Exiſtimo eſſe affirmandum, ſicuti enim ſuprà 20.
c. 5. n. 66. diximus credulitatem habitualem eſſe ejuſdem cum fide habituali conditionis quoad permanere poſt amiſſionem gratiæ; ità hic ejuſdem conditionis dicenda eſt quoad infundi ante gratiæ infuſionem: Accedit quod ut magis conſtabit *ex ſequentibus numero 38.* ratio militans pro cæteris virtutibus moralibus quoad ipſarum aut non permanentiam ſine gratiâ, aut non infuſionem antè gratiam, non militat pro virtute credulitatis.

Benè verò ad habitum credulitatis.

Ex his habes argumentum à nobis poſitum pro infuſione fidei antecedente infuſionem gratiæ eſſe efficax in ordine ad illos habitus duntaxat, de quibus aliundè ſupponitur, quod exiſtant quantùm eſt de ſe ſine habitu gratiæ, ut exiſtunt præcipuè fides ac ſpes & valdè probabiliter habitus credulitatis: Propterea nil mirum, ſi idem argumentum inutiliter formetur, & male ab Adverſariis retorqueatur, in habitibus virtutum, de quibus nullum eſt veſtigium, quod exiſtant ſine habitu gratiæ, imò ſupponitur oppoſitum, ut evenit in habitibus per ſe infuſis virtutum moralium, & in habitu Theologico Charitatis. Urgebis tamen, &

Dices ſecundò: quamvis de habitu fidei rectè ſupponatur, quod permaneat & conſervetur ſine habitu gratiæ, non tamen aut benè infertur aut ſimiliter ſupponitur, quod poſſit ſine habitu gratiæ primò produci & quod à gratia non dependeat in infuſione, ſicuti non dependet in conſervatione, ut eſſet neceſſarium pro noſtro intento, & pro ſuperioris argumenti efficacia: Non benè id infertur, quia plura ſæpè requiruntur ad primam productionem, quàm ad conſervationem; ſic anima rationalis ut producatur, non ut conſervetur, corpus requirit & à corpore pendet; materia Euchariſtiæ, ut conſecretur, non ut conſecrata permaneat, debet eſſe ſenſibilis: Non benè id ſupponitur, quia non ſuppetunt pro prima productione auctoritates, ut pro conſervatione; imò pro illa occurrunt auctoritates oppoſitæ, ſuadentes ſcilicet habitum fidei ſemper primò produci, ſimul tempore cum habitu gratiæ & dependenter ab ipſo, non priùs & independenter; nam tàm parvulis, quàm adultis, fieri in qualibet juſtificatione, præſertim verò ex vi baptiſmi, ſimultaneam infuſionem gratiæ, & virtutum, tradunt Concilia Viennenſe, Moguntinum, Tridentinum, & Catechiſmus Romanus, ut ſuprà retulimus *n. 2. & 3.* Item D. Thomas 1. 2. *quæſt. 62.* 21.

quæſt.62.art.4.in corp. 3.part.quæſt.85. art.6. & in 3.diſt.23.quæſt.2.art.5. expreſsè docet fidem, & alias virtutes, ſimul infundi, nec attendi in ipſis ordinem temporis quoad habitus, ſed ſolùm quoad actus, ſicuti etiam de ſolis actibus videtur agere *præcit. art.2. ad* 3. ubi ſuprà eum retulimus pro noſtro aſſerto. Sed contrà, ut à D. Thoma incipiam, dico ipſum loqui de virtutibus in eſſe formato & ſtatu perfecto, quem habent à charitate, quoties docet in illis non attendi ordinem temporis quoad habitus: in loco pro nobis relato non benè intelligitur de actibus fidei & charitatis, quia habitus magis propriè à Deo accipimus, quam actus, quos elicimus nos ipſi, & tamen ibi S. Doctor ait *ille qui accipit à Deo fidem abſque charitate &c.* Ad Concilia dico ea quidem velle quod in qualiber juſtificatione, ſeu in quolibet juſto, ſint ſimul gratia & virtutes; at non curare deindè, utrùm infundantur ſimul an ſucceſſivè? loquuntur de ſimultate ſubiecti, non de ſimultate infuſionis, ut magis explicat Eſparza *præcit. quæſt.* 10. *ad* 2. ubi etiam *& art 4. præced.* expendit quædam verba Tridentini cogentia, ut ait, ad talem intelligentiam. Auctoritates igitur non ſunt contrà independentiam fidei à gratiâ in primâ infuſione, quamvis pro ea vix militent, aut ſaltem non adeò urgeant, ut pro independentia fidei à gratia in conſervatione.

22. Occurritur auctoritatibus militantibus contra anteceſſionem fidei ad gratiam.

23. Ad illud, quod objiciebatur ex hac poſteriore independentia non benè inferri illam priorem ex eo, quòd plura ſæpè requirantur &c. dico nos non inferre unam independentiam ex alia præcisè, ſed ex independentia in conſervari & ſufficienti diſpoſitione ad independenter produci inferimus independentiam in produci, & plura requirimus ad iſtam, quàm ad illam; ad illam enim ſatis eſt non poni obicem infidelitatis, ad iſtam neceſſaria ulteriùs eſt poſitiva diſpoſitio proprij actus eo ferè modo, quo animæ rationali ut conſervetur ſatis eſt, quod non ponatur principium anihilans; ut producatur neceſſaria eſt ultrà principium creativum organica diſpoſitio corporis.

Dices tertio: Per actum fidei non tollitur peccatum infidelitatis, nullum enim peccatum tollitur ſine gratia & ſufficienti diſpoſitione ad ipſam; ergo ſaltem in eo qui caret fidei habitu propter peccatum infidelitatis non eſt ad illum ſufficiens diſpoſitio fidei actus, utpotè qui relinquit in ſubjecto obicem, & moraliter perſeverantem actum contrarium. Sed contrà: per actum fidei non tollitur peccatum infidelitatis ſecundùm rationem malitiæ, benè tamen ſecundùm rationem erroris ſecundùm quam ſolam infidelitas eſt obex expellens & impediens habitum fidei; undè etiam *capit. præcedent. numero ſeptimo*, dicebamus infidelitate externâ ſine errore interno talem habitum non amitti, ideò &c.

24. Actus fidei tollit errorem, non malitiam infidelitatis.

Aſſert. 2. Habitus fidei, tanquam à cauſa phyſica principali, infunditur ac efficitur ſemper immediatè à ſolo Deo, adeò ut nec fidei actus, nec gratiæ habitus in illum unquam exerceant ullam phyſicam efficientiam. Eſt aſſertum commune, præſertim ex ea parte qua procedit de fidei actu, contrà quam partem Amicus *de gra diſp.15. ſec.7. num.*173. ait neminem ſe legiſſe abſolutè ſentientem; quoad aliam partem, quæ procedit de gratiæ habitu, habemus Adverſarius Granadum 1.2. *controv.4.diſp.4 & controv.8. tract.4. diſp.*3. Caietanum *3.p. quæſt.62. art.*2. alioſque nonnullos maximè ex Thomiſtis, at habemus multo plures nobiſcum ſentientes, inter quos Suarez *de Gra lib* 6. *cap* 4. Amicus *de Gra. diſp.19.ſec.*6. Oviedus *de Iuſtificat. controv.*3. *punc.*1. &c.

Dixi *tanquam à cauſa phyſica principali*, ne excluderem cauſam moralem, aut phyſicam inſtrumentalem: & quidem ratio cauſæ moralis in ordine ad primò infundendum fidei habitum convenit tum proprijs ipſius actibus habentibus in peccatore rationem aliquam meriti congrui, tum gratiæ habituali exigenti, quòd Deus ſecum infundat fidei habitum, quoties hunc non reperiat infuſum antecedenter; talis autem exigentia eſt quædam efficientia moralis. Ratio cauſæ phyſicæ inſtrumentalis convenit Sacramentis baptiſmi & pœnitentiæ in ſententia univerſaliter docente Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica. Neque dicas duo prædicta Sacramēta in adultis ſemper ſupponere prævium fidei actum, adeóque nos non loqui cohærenter, dum hic uſque docuimus poſito fidei actu ſtatim infundi fidei habitum, & modo tribuimus virtutem hujus habitus cauſativam Sacramentis ſemper ſupponentibus fidei actum, ac per conſequens & habitum, in ordine ad quem propterea Sacramenta habebunt virtutem cauſativam ſemper otioſam. Contra enim quoad baptiſmum ipſius vis in actu ſecundo efficax ad producendum fidei habitum elucet ſaltem reſpectu parvulorum; reſpectu verò adultorum, tùm à baptiſmo, tùm à pœnitentia, exercetur eadem vis in ordine ad augendū, ſi non ad primò producendum eundem habitum; exerceri tamen aliquando poteſt etiam in ordine ad primò producendū, quatenùs poteſt quis, licet regulariter hoc non eveniat, uno eodemque inſtanti temporis per proprios actus ſe diſponere ad ſacramentū baptiſmi aut pœnitentiæ, & ipſūmet ſacramētū ſuſcipere. Aſſertū ſic explicatū.

25. Habitus fidei habet pro cauſa efficiente morali actus proprios, & gratiam habitualem.

Pro cauſa phyſica inſtrumentali baptiſmum & pœnitentiam.

26.

Probatur primò in univerſum ex eo quod fidei habitus ſit per ſe infuſus & inchoet aut perficiat noſtram juſtificationem, noſtra autem juſtificatio ex alibi dictis eſt à ſolo Deo, ut à cauſa phyſica principali, & ratio infuſionis videtur ex genere ſuo requirere, quod à ſolo Deo fiat.

Pro cauſa phyſica principali ſolum Deum.

Probatur ſecundò in particulari quoad fidei actum: iſte eſt imperfectior ſuo habitu ergo non poteſt eſſe cauſa phyſica principalis ipſius; imò (quod obiter dixerim) nec poteſt eſſe cauſa phyſica inſtrumentalis quia ut diſcurrit Amicus *præcit. ſec. ſeptima, numer.* 176. nec poteſt eſſe inſtrumentum animæ, nec habitus infuſi, nec Dei: Non animæ, nec habitus infuſi, cum anima non poſſit ex ſe eſſe principalis cauſa qualitatis ſupernaturalis, & habitus infuſus ſe habeat, ut potentia, cui non convenit

27. Nullatenus verò proprium actum

Digitized by Google

aut ſe ipſam augere, aut producere aliam ſibi ſimilem: Non Dei, quia eſſet inſtrumentum obedientiale & miraculoſum, modus autem operandi obedientialiter & miraculoſe non eſt aſtruendus ſine neceſſitate, & ſine magno præſidio auctoritatis, aut rationis, quod nullum eſt in præſenti.

Nec gratiæ habitum.

Probatur tertiò in particulari quoad gratiæ habitum: ſi iſte phyſicè cauſaret habitum fidei, cauſaret ipſum per ſimplicem emanationem tanquam eſſentia paſſionem ſuam & proprietatem, adeoque cauſaret neceſſariò & ſemper; at hoc non, quia talem habitum non cauſat in beatis, nec in Chriſto; item quia eſſet miraculum, quoties fidei habitus produceretur aut conſervaretur independenter à gratiâ, quâ ratione inducerentur frequentia & familiaria ſine neceſſitate miracula.

Hucuſque dicta ſunt extendenda ad alios habitus per ſe infuſos.

28. Confirmatur ex eo, quod hoc modo meliùs, & in majori rigore ſalvatur, quod gratia non ſit habitus operativus, ex quo capite & ex paritate habitus fidei (quæ paritas inſtaurari poteſt tum in habitu ſpei, tum in habitu luminis gloriæ) neganda eſt gratiæ habituali efficientia phyſica in alios habitus per ſe infuſos, multoque magis in ſupernaturales actus: concedenda verò ſola efficientia moralis immediata quidem in habitus, mediata in actus; quod ſufficit ad ſalvandum quod gratia ſe habeat per modum naturæ, & radicis ad reliqua dona ſupernaturalia, & quod ut ait Divus Thomas 1.2. quæſtio. 110. articulo 4. ad 1. *Sicut ab eſſentia animæ effluunt ejus potentiæ, quæ ſunt operum principia, ita etiã ab ipſa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus*; quam comparationem cum nimio rigore aſſumunt, & nobis objiciunt Adverſarij ex influxu animæ in potentias inferentes non influxum quomodocunque, ſed influxum omninò ſimilem, id eſt phyſicum, gratiæ in virtutes.

---

§. III.

An & quomodo habitus fidei intendatur, remittatur, amittatur?

29. ASSERT. 1. Habitus fidei in peccatore fideli augetur, ſeu intenditur, quolibet actu proprio; in juſto regulariter loquendo intenditur quolibet actu meritorio augmenti gratiæ. Prima pars eſt ſatis communis contrà Eſparzam *hic quæſt.* 10. *ad* 3. alioſque nonnullos docentes habitum fidei, quamvis poſſit ſeorſim exiſtere abſque gratia & charitate, augmentum tamen nullum nanciſci poſſe abſque augmento gratiæ & charitatis, ſeu ſeorſim à gratia & charitate. Secunda pars eſt communiſſima, in ea autem appoſui ly *regulariter loquendo*, quia ſuppoſito quòd habitus fidei augeatur in peccatore contingere poteſt, ut aliquis peccator evadens juſtus habeat fidei habitum intenſiorem habitu gratiæ, in hoc caſu quouſque intenſio fidei excederet intenſionem gratiæ, non augeretur fides actu meritorio augmenti gratiæ, ut attigimus *in tractat. de grat. lib.* 4. *cap* 8. §. 1. ex quo etiam ſupponenda eſt & deſumenda ipſiuſmet ſecundæ partis probatio; remanet igitur probandum aſſertum ſolum quoad augmentum fidei in peccatore; & hoc ſic

Habitus fidei augetur in juſto regulariter quolibet actu meritorio.

30. Probatur. Proprio actu, tanquam ultima diſpoſitione morali & merito congruo, primò producitur habitus fidei in peccatore infideli; ergo eodem proprio actu eodem modo augetur ſeu intenditur in peccatore fideli; antecedens ſupponitur *ex §. præcedenti*, conſequentia probatur, habitum fidei augeri nihil eſt aliud, quàm de novo produci aliquam partem, ſeu aliquem gradum ipſius præexiſtentis jam ſecundùm aliam partem, aliumvè gradum; eo igitur modo, quo producitur proprio actu aliqua pars habitus fidei nullatenus præexiſtentis, quod eſt talem habitum primò produci, cur non producetur aliqua pars ejuſdem jam præexiſtentis, quod eſt eundem habitum augeri? Nec poteſt hic obeſſe remiſſio actus; cum *tractatu de Gratia, libro quarto, capite tertio, paragrapho ſeptimo*, latè oſtenſum ſit quolibet actu utcunque remiſſo augeri in juſto gratiam, nec poſſit quidquam afferri contrà actum remiſſum fidei, qui ſit in peccatore diſpoſitio ultima & meritum congruum ad proprium habitum intenſiorem, quin illud idem proportionaliter militet contrà actum remiſſum charitatis, verbi gratia, qui ſit in juſto meritum condignum ad intenſiorem habitum gratiæ. Neque item obeſſe poteſt, quòd facilè contingeret valdè intendi habitum fidei in peccatore, & deinde eſſe in juſto intenſiorem, quam ſint habitus cæterarum virtutum & gratiæ. Enimverò non adeò facilè id contingeret, quia cum præceptum fidei ſecundùm ſe raro urgeat, peccator non frequenter elicit fidei actus niſi occaſione ſe diſponendi ad juſtificationem & gratiam; quando deinde ea magna & major intenſio aliquando eveniret, non eſſet id habendum pro inconvenienti, cum jam ſemel & iterùm dictum ſit poſſe, licèt non per ſe & regulariter, reperiri in juſto fidei, ſicut & ſpei, habitum reliquis omnibus intenſiorem. His omiſſis.

In peccatore quolibet actu proprio.

Dices ex Eſparza: Actus fidei, ut eſt ultima diſpoſitio ad proprium habitum, conſiſtit in indiviſibili, quia quilibet fidei actus unit intellectum cum Deo ſummè & ſuper omnia; ut eſt meritum congruum non habet connexionem infallibilem cum ſuo habitu, meritum enim congruum ex genere ſuo non obtinet infallibiliter præmium; ergo actui fidei neque ut ultimæ diſpoſitioni, neque ut merito congruo, debetur augmentum proprij habitus in peccatore, quamvis illi debeatur in ratione diſpoſitionis prima infuſio. Sed contrà: Sicuti fides & re- 31.
liquæ virtutes Theologicæ conſiſtunt in indiviſibili quoad appretiationem tantùm, non quoad intenſionem, ita proprij ſingularum actus ad eoſdem quoad appretiationem tantùm, non quoad intenſionem indiviſibiliter diſponunt, ut innegabile eſt in actu charitatis, nec quidquã amplius probatur in actu fidei ex eo quod quilibet uniat intellectum

lectum Deu ſummè & ſuper omnia. Ad illud quod additur dico meritum congruum non importare quidem ex genere ſuo connexionem infallibilem at nec excludere ut patet in actu charitatis elicito à peccatore, de quu *in tractatu de gratia, libr. 4. cap. 9. numero 13 & 21.* dicito igitur meritum congruum, quoties eſt ſimul ultima diſpoſitio ad ſuum habitum, importare connexionem infallibilem. Præter quod infuſio habituom fidei, & ſpei, eſt quædam inchoatio juſtificationis: ergo promiſſio, quâ Deus promittit ſuam dilectionem & juſtificationem ultimatam gratiæ & charitatis infuſione impertiendam diligentibus, probabiliter extenditur ad dilectionem & juſtificationem inchoatam fidei & ſpei infuſione impertiendam credentibus & ſperantibus, certum eſt autem meritum congruum cum Dei promiſſione conjunctum afferre infallibilitatem ſui præmij.

Per proprios actus augetur moraliter.

Ex his habes habitum fidej in quocunque ſubjecto per proprios actus augeatur moraliter, non phyſice augeri; cum nec in peccatore deſit actui fidei efficacia moralis, nec ei ex ſupradictis tribui poſſit efficacia phyſica ad ſuum habitum producendum; augmentum autem ſit quædam productio, quamvis non prima; quâ de re aliquid etiam attigimus *præcis. §. 1. de Grat. n. 8.*

32. Aſſert. 2. Habitus fidei ſecundùm ſe & ex naturâ rei eſt capax remiſſionis: de facto tamen nunquam remittitur. Hæ poſteriores particulæ ſunt contrà nonnullos, quorum ſententiam ut probabilem refert Bannez *hic quæſt. 4. art. 5. dub. 1. ad* 4. docentes fidem & ſpem manere debilem & minùs intenſam in peccatore, quàm eſſet in juſto, & remitti ab eodem agente, à quo corrumpitur gratia & charitas; phyſicè ſcilicet à Deo, moraliter à peccato.

Eſt capax remiſſionis.

Probatur prima pars: Omnis forma capax intenſionis eſt ſecundùm ſe & ex naturâ rei capax remiſſionis; quod enim per additionem gradus ad gradum augetur poteſt per ſubſtractionem gradus à gradu minui; atqui habitus fidei ſecundum ſe & ex naturâ rei eſt capax intenſionis ut ſupponimus in præced. aſſerto, & eſt veritas dogmatica conſequens ad inæqualitatem ac intendibilitatem gratiæ habitualis, nec non ad communem ſenſum Eccleſiæ, cum quâ ſolemus à Deo petere, ut nobis fidem adaugeat.

At de facto numquàm remittitur.

Probatur ſecunda pars: Non eſt aſſignabilis modos, quo de facto fidei habitus remittatur; non enim remittitur ex ſe præciſè, quatenùs petat paulatim deſinere; quia non eſt qualitas ex genere ſuo tranſiens: Non ſolâ ceſſatione actus; quia hæc ceſſatio, utpotè non peccaminoſa, nullam habet oppoſitionem moralem cum fidei habitu; at nec habet oppoſitionem phyſicam, quia nec eſt privatio habitus, nec forma ei contraria. Non quolibet peccato mortali, quia mortale peccatum non magis opponitur uni gradui fidei, quàm omnibus, & ſecundum ſe eſt dignum pœnâ privationis omnium graduum fidei æquè, ac unius. Non ſpeciali peccato mortali infidelitatis; quia hoc peccato amittitur fidei habitus totus, non remittitur quoad aliquem gradum. Non aut quolibet veniali aut ſpecialiter veniali infidelitate, ſi datur, quia venialis infidelitas, & multo magis quodlibet veniale, non magis opponitur fidei, quàm quodlibet pariter veniale opponatur gratiæ & charitati; ſicuti igitur per nullũ veniale remittitur gratia & charitas; ita, &c. Fateor quidem quòd potuiſſe Deus habere decretum minuendi habitum fidei ob quodlibet, aut morale, aut veniale; nec eſſet hujuſmodi decretum incongruum, imò pro ipſo militaret vehemens congruentia deſumpta ex eo, quod habitus aquiſiti minuuntur per actus contractos iis, per quos augentur, cur igitur habitus fidei non minuetur per quodlibet opus peccaminoſum, & demeritorium; ſicuti in juſto augetur per quodlibet opus meritorium, & virtuoſum Nihilominus quod de facto tale decretum Deus non habuerit, imò habuerit oppoſitum, colligitur ex rationibus præallatis, & confirmatur ex eo, quod ſoleat Deus citrà condignum punire, & miſericordia ſuperexaltante judicium pronior ſit ad impertienda bona, quàm ad infligenda mala. Congruentia pro decreto oppoſito deſumpta ex habitibus aquiſitis non eſt adeò vehemens, quia dato ſuppoſito alioqui falſo in noſtra ſententia collocante tales habitus in ſpeciebus intentionalibus, quæ aliarum quarumcunque ſpecierum acceſſione redduntur quidem difficiliores ad exercitium, at non in ſe remiſſiores: 33.

Idque ex decreto extrinſeco Dei congruentiſſime tamẽ.

Dato, inquam, ſuppoſito diſparitas facilis eſt, quia fidei habitus per actus bonos augetur moraliter, & moraliter minueretur, ſi minueretur per malos; Deum autem non ſequi totam exigentiam malorum actuum eſt punire citrà condignum, quod ei connaturale eſt; habitus acquiſiti per actus augentur, & per actus contrarios, ſi minuũtur, phyſicè minuuntur, actibus illis generantibus habitum phyſicè contrarium præexiſtenti, connaturale autem eſt Deo ſequi totam exigentiam phyſicam creaturarum. Eluditur inſuper paritas ex eo, quod nimis probet; probet ſcilicet habitum fidei ingenti quacunque malorum actuum multiplicatione forè tandem totaliter amittendum. 34.

Occurritur congruentiæ oppoſitæ ex paritate habituum aquiſitarum.

35. Aſſert. 3. Habitus fidei amittitur, ſeu corrũpitur, per ſolum & quodlibet peccatum lethale infidelitatis internæ, ly *ſolum* eſt contrà eos, qui diſtinguunt realiter fidem formatam ab informi, & volunt illam nõ poſſe à charitate ſejungi, adeoque ſimul cum charitate amitti ex vi cujuſlibet prorſus lethalis; hujus opinionis, & qualificationis ejus, meminimus jam *præced. n. 11.* ly *quodlibet* eſt contrà Durand. *in 3. diſt. 23. q. 9. n. 8.* ubi cenſet hæreticum erranté circà aliquod particulare credibile retinere fidem infuſam informẽ circà reliqua credibilia, quod & docuit Gloſ. *in c. firmiter* de Sum. Trinit. nihilominus Gloſſam, hanc meritò juſſit auferri Greg. XIII, ut obſervat Malder. *q. 5. art. 3.* ubi opinionem ex Durand. relatam notat ut temeratiam, Bannez *eod art.* eã appellat errori proximam, & Suar. *diſp. 7. ſect. 4 n. 2.* vult non poſſe ſine errore negari veritatem à nobis aſſertam, quâ tradunt D. Tho. *q. 5 art. 3.* Scot. *in 3. diſt. 23.*

Cenſura opinionis docentis in hæretico permanere habitum fidei.

Digitized by Google

q.un.§.de primo & reliqui Theologi communiſſimè, quamvis cum aliqua diſcrepantia in ſtatuendo. Utrùm infidelitatis actus expellat fidei habitum phyſicè, an moraliter? de quo infrà *n.41.* Dixi autem *infidelitatis interna*, quia hæc ſola venit nomine infidelitatis ſimpliciter dictæ ex *cap.præced.n.7.* & quoad peccatum infidelitatis externæ præciſe non eſſe pro re præſenti eandem rationem conſtabit *ex ſeq. num.40.*

36. Fidei habitus non amittitur quolibet lethali abſolutè.

Probatur aſſertum primò quoad primam partem quod ſcilicet habitus fidei amittatur peccato infidelitatis ſolo; probatur, inquam, ex Tridentino quod *ſeſſ.6.cap.15.* ait. *Aſſerendum eſt non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti*; & poſtea *can.28.* anathematizat *eum, qui dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti.* Confirmatur: fides non amittitur per quodlibet lethale ſicut charitas; ergo ſi aliquando per lethale peccatum amittitur, amittitur per ſolum lethale infidelitatis, antecedens probatur, quia ſecùs nunquam reperiretur fides ſine charitate contra Apoſtolum *1.Cor.13.* dicentem, *Si habuero omnem fidem &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, & clariùs contra Auguſtinum *lib.1.de Trinit c.18* dicentem *fidem ſine charitate eſſe poſſe, non prodeſſe.*

Dices Apoſtolum intelligendum eſſe de fide actuali, alioqui ſibi ipſi contradiceret, dum deinde *1. ad Timoth. 1.* ait *repellentes bonam conſcientiam, circà fidem naufragari*, quod nihil aliud eſt quàm lethaliter peccantem fidem amittere: & ratio eſt, quia quodlibet peccatum habet vim demeritoriam habitus fidei, imò omnium donorum ſupernaturalium, non ſolius charitatis; ergo per quodlibet peccatum ſimul cum charitate fides, imò quodlibet ſupernaturale donum amittitur. Neque reſpondeas charitatem amitti quolibet peccato non ratione demeriti, ſed ratione ſpecialis oppoſitionis, quam habet quodlibet peccatum cum charitate & amicitiâ Dei, non cum fide: Impugnaberis enim, quia nec quodlibet peccatū habet ſpecialem oppoſitionem cum quacunque virtute morali, & tamen per quodlibet peccatum ſimul cum charitate quæcumque

37. virtus moralis amittitur. Sed contrà: habitus meliùs quàm actus venit nomine *omnis fidei*, nam ille, non iſte, ex ſe ſemper extenditur ad omne credibile; *habere* etiam meliùs dicitur in ordine ad aliquid permanens, quàm in ordine ad aliquid tranſiens, ut eſt actus; ideò ex terminis ipſis de habitu potiùs, quam de actu; intelligi debet illud *ſi habuero omnem fidem*, nec contraria ſunt verba relata *ex 1. ad Timoth.1.* nam referuntur ſingillatim ad Hymeneum & Alexandrum, qui conſcientiam bonam amiſerant incidendo in hæreſim, vel ſenſus illorum eſt, quod facilitas, & licentia peccandi, ſit facile occaſio deficiendi à fide ut interpretatur Suarez *diſp.7.ſec 3. n.4.* Ad rationem dico me amplecti reſponſionem ibi interpoſitam, & ad hujus impugnationem.

Adverto actus virtutum moralium infuſarum conſummare, ac ultimò perficere vitam ſupernaturalem; actus fidei, ſicut & ſpei, talem vitam inchoare; adeoque in ſupernaturali ædificio habitus fidei & ſpei ſe habent ut fundamentum; habitus gratiæ & charitatis ut ſubſtantia, habitus virtutum moralium ut ornamentum & complementum; corruente autem ædificio, quamvis neceſſe ſit ſimul deſtrui ornamenta, facilè tamen poteſt fundamentum remanere: hinc quodlibet peccatum, quamvis non habeat ſpecialem oppoſitionem directam cum quacunque virtute morali, habet tamen ſpecialem oppoſitionem indirectã, quatenùs directè opponitur gratiæ & charitati, ad cujus amiſſionem debet ſimul amitti quæcunque virtus moralis, cum fide autem, ſicut & cum ſpe, non ſolum directam, ſed nec indirectam oppoſitionem ſpecialem habet quodlibet peccatum; ideò &c. Breviter diſparitas fundamentalis ſita eſt in eo, quod conveniat peccatorem in viâ retinere initium & fundamentum ſupernaturalis vitæ; non ſic complementum & perfectionem. Neque urgeas: ſaltem hæc diſparitas non militat pro habitu pœnitentiæ, qui poteſt optimè dici fundamentum ac initium ſupernaturalis vitæ; cum ipſius actus maximè prærequirantur ad juſtificationem & vitam gratiæ. Contrà enim: actus pœnitentiæ neceſſariò prærequiſitus ad juſtificationem non eſt determinatè eliciendus ex pœnitentiæ motivo, & à pœnitentiæ habitu, ideò &c.

38. Diverſitas virtutum moralium à fide & ſpe in ordine ad vitam ſupernaturalem & connexionem cum gratia.

Probatur aſſertum ſecundò quoad ſecundam partem, quod ſcilicet habitus fidei amittatur peccato infidelitatis quolibet, probatur; inquam auctoritate Tridentini jam relata verbis illis *infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur* quæ verba licet quia obiter & per parentheſim poſita non habeant vim definitionis, nec reddant rem de fide, reddunt tamen valdè certam: Nec poſſunt aut quoad ly *infidelitate* limitari ad infidelitatem univerſalem, qua diſcredantur omnia credibilia; aut quoad ly *fides amittitur* intelligi de amiſſione partiali, qua amittatur habitus. ut præciſè reſpiciens objectum, quod diſcreditur; eum verò hujus amiſſionis partialis non eſt capax habitus fidei, qui eſt extenſivè indiviſibilis ex ſupradictis; & illa limitatio ad infidelitatem univerſalem eſt nimis arbitraria, cum etiam diſcredere unicum articulum ſit ſimpliciter & propriè infidelitas? undè hæretici, quamvis prætendant ſe multa credere, ex eo præciſè, quod aliquid diſcredant, cenſentur eſſe in maſſa infidelium & extrà fidelium Societatem. Confirmatur ex eo, quod Apoſtolus *ad Galat.5* ait *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini*, quibus verbis ſignificat unico errore de neceſſitate legis veteris ad juſtificationem evacuari Chriſti fidem ideſt deſtrui & corrumpi totam, undè & ſubdit, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Ratio à priori eſt, quia quodlibet peccatum lethale infidelitatis opponitur toti & integro motivo formali fidei, quod eſt credere divinæ revelationi in omnibus & ſuper omnia non poteſt autem ſic credere, qui in aliquo diſcredit, ſicque redditur omninò indiſpoſitus ad quemlibet fidei actum quiſquis elicit actum aliquem infidelitatis; ex defectu igitur

39. Fidei habitus amittitur quolibet lethali peccato infidelitatis.

propt ij

proprij motivi formalis, & ex indiſpoſitione ſubjecti, amittitur fidei habitus per quodlibet lethale peccatum infidelitatis.

40. Non purè demeritoriè.

Hinc fit infidelitate lethali expelli & deſtrui fidei habitum non purè demeritoriè, quâ ratione præciſo decreto extrinſeco Dei non poſſet aſſignari, cur non haberetur talis expulſio per omnem aliam culpam lethalem? præſertim infidelitate ipſa graviorem; ſed inſuper diſpoſitivè, aut ſi vis etiam objectivè, qui expulſionis modus, ut facilè patet conſideranti, alijs ab internâ infidelitate peccatis non convenit, & hoc titulo habetur ſolam & quamlibet infideliatem lethalem internam expellere & deſtruere habitum fidei, non ex decreto Dei extrinſeco, ſed ex naturâ rei.

Sed diſpoſitivè & objectivè.

41.

Utrum deinde hic expulſionis & deſtructionis modus dicendus ſit phyſicus, an moralis? multum habet quæſtionis de nomine: aliqui enim confundunt morale cum meritorio, & phyſicum vocant quidquid eſt tale ex natura rei; in hoc ſenſu conſequenter ad mox dicta infidelitas phyſicè, non moraliter expellit ac deſtruit fidei habitum; nec quidquam ampliùs videntur intendere Joannes à S. Thomâ *hic diſp. 5. art. 1. num. 7.* & aliqui alij Thomiſtæ docentes infidelitate phyſicè fidem expelli; nihilominùs quia communior loquendi modus aliquid ampliùs requirit ad phyſicam expulſionem, requirit ſcilicet quod proveniat ex oppoſitione, & contrarietate phyſicâ, unius formæ cum altera magis placet cum Suario *diſp. 7. ſec 4. n. 5.* & alijs apud ipſum aſſerere, quod infidelitas expellat fidem ſolùm moraliter, non quidem demeritoriè præcisè, ſed diſpoſitivè modo jam explicato, in primis enim hoc eſt conformius ijs, quæ *in tract. de Gra. lib. 5. c. 2. §. 5.* dicebamus prævias diſpoſitiones ad gratiam, licèt requiſitas ex naturâ rei, eſſe morales, non phyſicas, quâ etiam ratione actus virtutum infuſarum, ſi diſponunt ad ſuos habitus recipiendos, dicendi ſunt moraliter, non phyſicè, ad ipſos diſponere; actus igitur virij oppoſiti moraliter, ſolùm non phyſicè diſponunt ad eorundem virtutum habitus expellendos.

Moraliter tamen non phyſicè.

42. Actus infidelitatis & habitus fidei infuſæ non opponuntur inter ſe phyſicè.

Deindè actus infidelitatis, & habitus fidei infuſæ, non habent inter ſe oppoſitionem phyſicam nec formalem nec effectivam; non formalem, quia actus & habitus ex genere ſuo non ſunt formæ immediatè & directè oppoſitæ; non effectivam, quia actus infidelitatis non efficit in intellectu aliquid phyſicè contrarium habitui infuſo, efficit enim ad ſummum habitum erroris; at hic eſt habitus acquiſitus & naturalis, qui nequit eſſe directè contrarius habitui infuſo & ſupernaturali, cum contraria debeant eſſe in eodem genere, undè in homine recenter, juſtificato ſæpe ſimul permanent virtutes omnes infuſæ & plures habitus vitioſi; imò in infideli recenter converſo habitus fidei, & aliqui habitus erronei.

---

§. IV.

In quonam ſubjecto tum proximo, tum remoto, recipiatur: & in quibuſnam de facto reperiatur habitus fides?

ASSERT. 1. Habitus fidei, tanquam in ſubjecto immediato & proximo, recipitur in intellectu ſeu in natura intellectuali, ut ſubeunte rationem intellectus, tanquam in ſubjecto mediato & remoto, in natura intellectuali ſecundum ſe, ſuppoſita ipſius ordinatione ad finem ſupernaturalem. 43. Habitus fidei quodnam habeat ſubjectum.

Probatur, imò patet aſſertum præceptis terminis; pro quibus ſufficit recolere & huc proportionaliter transferre, quæ de ſubjecto habitualis gratiæ attigimus *præcedent tractat. lib. 5 cap. 2. §. 5.* item quod ſuprà *numer. 7.* obſervavimus habitum fidei, prout hic ſumitur, contradiſtingui ab habitu credulitatis ſeu piæ affectionis, cujus actus, ſicuti à voluntate elicitur, ita ſubjectum immediatum & proximum eſt voluntas ſeu natura intellectualis ut ſubiens rationem voluntatis. Monuerim tamen in ſententia diſtinguente realiter potentias ab anima aliquos ſubjectare omnes habitus ſupernaturales immediatè & proximè in ipſa eſſentia ſeu ſubſtantia animæ (eadem eſt ratio de ipſa ſubſtantia naturæ Angelicæ reſpectu Angelorum) principaliùs, quàm in potentiis eò quod inquiunt anima immediatè concurrit ad omnes actus intellectus & voluntatis; ergo quando iſti ſupernaturales ſunt, debet habitu per ſe infuſo elevari, non ſolum potentia intellectiva & volitiva, ſed ipſa quoque ſubſtantia animæ: in ipſa igitur priùs & principaliùs debet talis habitus recipi. Nihilominùs aliqui alij volunt animam ſufficienter elevari à gearia habituali, & quamvis hæc dicatur elevare ad ſupernaturaliter eſſe, non ad ſupernaturaliter operari; ſenſus tamen eſſe poteſt, quod non elevet ad ſupernaturaliter operari per modum potentiæ, benè verò per modum naturæ, ſicuti gratia ipſa eſt in ſuo ordine natura.

Quoad ſubjecta particularia, in quibus de facto fidei habitus reperitur, attendendi in primis ſunt varij ſtatus, quos de facto habent homines lapſi, nimirùm ſtatus viæ, ſtatus termini, & ſtatus medius animarum modo in purgatorio, & olim in limbo detentarum; deinde conſiderandus ſpecialiter eſt ſtatus, quem ab initio & in prima ſui conditione habuerunt primi Parentes, & Angeli.

Aſſert. 2. Habitus fidei pro ſtatu viæ reperitur de facto in illis omnibus, & ſolis hominibus; qui aut poſt primam juſtificationem non commiſerunt peccatum ullum infidelitatis internæ, aut antè primam juſtificationem, vel etiam poſt commiſſum aliquod infidelitatis peccatum, eliciunt actum fidei. 44. In quibuſnam hominibus viatoribus de facto reperiatur?

Probatur aſſertum, imò abſque novâ proba-

tione ſufficienter conſtat ex ſupradictis, partim ſcilicet ex eo, quod habitus fidei in quâlibet juſtificatione aut ſupponatur aut ponatur, nec amittatur deinde niſi ſupetveniente infidelitatis peccato; partim ex eo, quod actus fidei ex ſe ſufficiat ad inducendum fidei habitum ſivè iſto quis careat inculpabiliter ut infidelis negativè, ſivè culpabiliter ut infidelis poſitivè.

45. Reperitur in animabus purgatorij & SS. PP. olim in limbo.

Aſſert. 3. Habitus fidei pro ſtatu medio animarum aut olim in limbo, aut modo in purgatorio detentarum reperitur in hujuſmodi omnibus animabus. Eſt aſſertum communiſſimum & à nullo, quem viderim, negatum.

Probatur quia omnes hujuſmodi animæ ex unà parte juſtæ, ſunt & habent habitualem gratiam, à quâ non ſeparatur habitus fidei, niſi ſuccedat habitus luminis gloriæ ex aliâ parte, quamvis habitus fidei non ſit illis neceſſarius ut principium meriti, eſt tamen neceſſarius ut principium connaturale propriorum actuum, qui in animabus illis frequentes ſunt, ut pote prærequiſiti ad exercendos actus aliarum virtutum, ſpei præſertim & charitatis; charitatis quidem eximiæ circà Deum, & ſpei certæ circà propriam beatitudinem.

Aſſert. 4. Habitus fidei pro ſtatu termini non perſeverat; & nec in damnatis, nec in beatis de facto reperitur. Quoad damnatos eſt contrà Durandum *in 3. diſt. 23. quæſtion. 9. num. 9.* docentem eos, qui in fide ſine gratiâ moriuntur, fidem in ſtatu damnationis retinere: eſt item contrà quoſdam, quorum meminit Malderus *hic quæſt. 5. art. 2.* opinatos dæmones antè lapſum habuiſſe loco fidei claram quandam cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ in ipſis poſt lapſum permanſerit, evaſerit tamen ænigmatica, & fidei informis nomine cenſenda; ſed hoc erroneum eſſe

46. Cenſura opinionis ponentis habitum fidei in damnatis.

ſenſit Malonius *in 2. diſt. 2. diſp. 14. ſec. 1.* ſicut & Durandi ſententiam ab aliis periculoſam, & errori proximam, vocari obſervat Madernus *quæſt. 4. art. 4. num. 12.* Quoad beatos eſt contrà Gerſonem *in tract. de vita ſpirituali*, & ex parte contrà Durandum *in 3. diſt. 31. quæſt 3. num. 13.* ubi dubius eſt & perplexus; Suarez etiam *hic diſput. 7. ſec. 5. num. 4.* & Arriaga *tom. 2. diſp. 51. ſec. 1.* non carent omni perplexitate, dum fatentur quidem eſſe probabilius quod aſſertum eſt; at oppoſitum judicant non improbabile; pro quo citari inſuper ſolent Irenæus & Tertullianus, ut videre eſt apud Valentiam *diſput. 1. quæſt. 5. punc. 2.* Undè aſſertum quamvis quoad utramque partem commune, eſt tamen cum majori certitudine quoad primam, quàm quoad ſecundam receptum, nec vidi oppoſitum ſecundæ cenſura ulla notari, ſed duntaxat oppoſitum primæ.

47. Probatur aſſertum primo quoad primam partem, ſcilicet quoad damnatos ſivè Angelos ſive homines quoſcumque, illos etiam, qui antè ingreſſum ſtatus damnationis fidem habuerunt, ut habuerunt Angeli; probatur, inquam, ex D. Dionyſio *lib. de div. nom. cap. 4. par. 4.* ubi loquens de dæmonibus ait *Ipſi à toto bono, quod eis datum erat deflexerunt*; atqui habitus fidei eſt magnum bonum, quod eis ſimul cum gratiâ Deus dederat, ergo; hinc talis carentia, ſicut & cæterorum omnium ſupernaturalium donorum ſolet cenſeri tanquam minus præcipua pars pœnæ damni principalius conſiſtentis in carentiâ viſionis: hinc in damnatis impotentia phyſica eliciendi actum ullum ſupernaturalem, cui impotentiæ ex conditione ſtatus miſeriarum omnium cumulo conſtituti additur impotentia moralis ad quamcumque bonam operationem naturalem ut explicuimus *in tract. de Angelis lib. 3. cap. 5.* ex quibus ſic diſcurro, habitus fidei in damnatis ratione obſtinationis in malo, & impotentiæ ad pœnitendum, nequit eſſe juſtificationis & ſalutis initium; ratione deſperationis, & impotentiæ aut evadendi pœnam aut conſequendi gloriam, nequit eſſe fundamentum rerum ſperandarum; ratione habitualis indiſpoſitionis ad quodlibet bonum, præſertim verò ad quemlibet pium affectum, nequit habere ſubjectum rectè diſpoſitum; ratione extremi dedecoris & horroris comitantis miſerrimam damnatorum conditionem nequit tribui ad decus & ornamentum; ergo nulla eſt congruentia concedendi & plurima eſt neceſſitas negandi habitum fidei in damnatis.

Ratio excludendi habitum fidei à damnatis.

Dices hæc omnia à damnatis excludere fidem formatam, non fidem informem, quæ ratione ſtatus ſit eis inutilis ad ſalutem, ſicut eſt inutilis viatori fides ſine operibus quam propterea Iacobus *cap. 2.* comparat fidei, quâ *dæmones credunt & contremiſcunt*; ſit verò utilis ad pœnam propter torturam provenientem ex carentiâ viſionis non aliundè, quam per fidem notâ, item propter confuſionem & erubeſcentiam eorum, qui in fide uſque ad damnationem perſeverarunt, quod non diſcerneretur, ſi illi habitum fidei non retinerent: nec obſtat ſupernaturalitas ipſius habitus, alioqui etiam ſupernaturalitas characteris obſtaret, nec permaneret ad diſtinguendos baptizatos à non baptizatis ad quem tamen finem admittitur in damnatis character. Accedit auctoritas S. Auguſtini, qui pluribus in locis relatis à Maldero *præcit. art. 2.* expreſſe ait fidem dæmonum eſſe fidem informem ejuſdem rationis cum eâ, quâ credunt malè viventes Chriſtiani; favet quoque S. Thomas *quæſt. 18. art. 3. ad 2.* dicens, quod *magis poteſt eſſe fides informis in damnatis, quam ſpes.* Sed contrà: fides etiam informis eſt magnum Dei donum, & ſalutis initium, ac fundamentum iuſtificationis; undè in peccatore relinquitur ut poſſit ſalutem ſuam & juſtificationem inchoare, quod nequit dæmonibus, aliiſvè damnatis convenire, ideò, &c. Comparatio à D. Jacobo facta inter fidem ſine operibus, & fidem dæmonum, fundatur in ſimilitudine quoad inutilitatem præcisè, non quoad ſubſtantiam habitus aut actus; & ex eodem Apoſtolo haberi aliquod utriuſque fidei diſcrimen rectè notat Sylvius *quæſt. 5. art. 2. ad 1.* Quod dicebatur de utilitate fidei ad pœnam non concludit; quia ex fide aquiſitâ, & evidentia ſignorum, habent damnati ſufficientiſſimam viſionis notitiam, ut ejus carentiâ torqueantur; ſicut & ex diverſitate ſuppliciorum poſſunt optimè habere illud diſcerni

48. Comparatio inter fidem dæmonum, & fidem malorum Chriſtianorum, qualis.

diſcerniculum, quod Adverſatij ex fidei habitu prætendunt: Character baptiſmi, ſi permanet, non eſt præciſe ad diſtinguendum, ſed quia eſt qualitas ex genere ſuo indelebilis; & aliundè non eſt principium operatiuum & exigitiuum pij affectus, &c. ut eſt habitus fidei. Auguſtinus benè vocat fidem dæmonum fidem infotmem, cum verè talis ſit, ut potè deſtitutas gratiâ & charitare, dum deindè eam comparat & aſſimilat fidei Chtiſtianorum malè viventium loquitur in eodem ſenſu, iu quo diximus loqui Apoſtolum, undè aliquando addit particulam diminuentem ſic *ſerm.131.de verbis Apoſtoli cap.9.* ait *fides malorum prope eſt fides dæmoniorum.* D. Thomas admittens in damnatis fidem infotmem magis, quam ſpem, non loquitur de fide infuſâ, & ſolum intendit poiſe eſſe in damnatis fidem aliquam, nullam verò ſpem.

49. Habitus fidei non permanet in beatis.

Probatut aſſertum ſecundò quoad ſecundam partem ſcilicet quoad beatos ex 1. Corinth.13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*; atqui habitus fidei datur ad cognoſcendum obſcurè & ex patte; habitus luminis gloriæ facit beatos cognoſcete perfectè ergo habitus fidei evacuatur & deſtuitur per habitum luminis glotiæ, & quando hoc mediante Deum videbimus pet ſpeciem, non amplius cognoſcemus pet fidem; ſicuti nunc è contrà *per fidem ambulamus, non per ſpeciem* ex 2. Cor. 5. Ratio eſt quia ut jam ſuprà attigimus *cap. 4. num.* 10. non convenit ſtatui beatorum reſpectus ad Deum ut objectum ſperandum, nec captivitas ulla aut quaſi violentia mentis; & tamen hoc utrumque eſt fidei maximè ptoprium; & ſecundum ſpecialiter probat non ſolum circà Deum ipſum ſed nec circa objecta non viſa congruè excogitari in beatis actum ullum fidei.

Dices hinc probari, quod non maneat in beatis habitus fidei in otdine ad ptoprioa

50. actus, videtur tamen adhuc congtuum quod remaneat ad decus & ornamentum eo modo, quo temaneat in homine beato potentiæ nutritiva & generativa, licet inſervire non debeant ad ſuos actus producendos. Sed contrà: quando in eodem genere advenit forma perfectior, neque etiam ad ornamentum & decus congruè perſeverat forma imperfectiot, ut exemplificari poteſt in humanitate Chtiſti, in qua cum ſubſiſtentia increata non aſtuitur ſubſiſtentia cteata; cum igitur habitua luminis glotiæ, & habitus fidei, ſe habeant ut forma perfectiot & imperfectior in eodem genete luminis intellectualis, conſequens eſt, &c. Ex quo patet diverſa ratio in potentiis nutritiva & generativa: Accedit quod tales potentiæ non remanent ad otnamentum & decus præciſè; ſed maximè ad integritatem hnmani corpotis, quod ſine ipſis, ipſarumque organis mutilum eſſet & non integraliter perfectum.

Ex his habetur primò qnod *ſuperiore* §. aſſertum eſt habitum fidei amitti ſolo peccato infidelitatis procedere dumtaxat pro ſtatu viæ cumquo benè ſtar à beatis & damnatis deperdi ſine præviâ infidelitate, & non ratione alicujus actus, quem eliciant, ſed ratione ſtatus, quem ingrediuntur; in quo ceſſat finis utilitaa, & congruentia fidei habitualis. Porrò uterque modua fidei amittendæ eſt quidem ex naturâ rei; at relatè ad otdinatiam, non ad abſolutam Dei potentiam, ſecundum quam poſſet optimè tum cum infidelitatis actu, tum in damnationis aut beatitudinis ſtatu conſervati habitus fidei, ut quoad infidelitatis actum patet à fortiori ex eo, quod alibi dictum eſt, poſſe cum actuali peccato componi habitum gratiæ & charitatis: Quoad ſtatum damnationis ex eo, quod divinitus poſſit forma recipi & conſervati in ſubjecto indiſpoſito: Quo ad ſtatum beatitudinis, quia de potentia abſoluta dabilia eſt in ipſo aliqua ttiſtitia, aut aliquis error; cur non igitur etiam aliqua obſcuritas cognitionis & habitus qui ſit talis obſcuritatis principium? cum præſertim per nos aliundè non tepugnet fidei eſſe de objecto viſo, & hinc patet obitet, cur D. Paulus cum viſione & lumine gloriæ tranſeunter conceſſis in taptu tetinuerit habitum fidei, ut docet D.Thomas 2. 2. *queſt.*175. *art.*3. *ad.* 3. ratio ſcilicet eſt, quia viſio & lumen tranſiens non conſtituunt ſtatum beatitudinis; ratione cujus nou ratione ſiii præciſè excludunt habitum fidei in patriâ.

51. Divinitus poteſt habitus fidei eſſe, tum cum actu infidelitatis, tum cum ſtatu damnationis tum cum ſtatu beatitudinis.

52. Explicantur Irenæus & Tertullianus favêtes permanentiæ fidei in beatis.

Habetut ſecundo illud 1.Cor.13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*, non debere extendi ad permanentiam fidei, & ſpei, etiam in beatis, cum ibi Apoſtolus loquatur de præſeotis, non de futuræ vitæ tempore, & ly *nunc* ſit adverbium temporis præſentis, ut magis expendit Valentia *præcit punc.*2. ubi addit Irenæum &. Tertullianum, qui ex eo Apoſtoli textu viſi ſunt inferte pædictam permanentiam, intelligendoa eſſe de fide, & ſpe, ſecundum quandam rationem valdè genericam cognitionis, & adhæſionis, tepertam etiam in viſione & fruitione beatifica.

53. Quid de fide angelica & humana reſpectu beatorum.

Habetur tertiò rationem militantem pro excludenda à beatis fide divinâ nun eodem modo militare pro excludendâ ab iſdem fide angelica aut humana; hæcenim nullam affert violentiam, nullam captivitatem intellectus & ex genere ſuo minori obſcuritate contenta eſt, cum rectè admittat evidentiam atteſtantis: ex aliâ parte valdè congruit ſociall vitæ beatorum, quod unus poſſit credere altori beato loquenti, aut etiam homini viatori, dummodò beatus huic præſtet aſſenſum, quo judicet eſſe probabile potius, quam eſſe ſimpliciter verum, quod loquitur, qua ratione non exponit ſe periculo judicij ſeu aſſenſus falſi; talem cautelam non adhibebunt damnati, qui poſſunt abſolutè credete mentienti, & habere aſſenſum falſum, ac fidem fallibilem, imò fallentem.

54. Habitus fidei fuit de facto infuſus primis Parentibus & Angelis.

Aſſert.5. Habitus fidei fuit in Angelis, & primis Patentibus pro ſtatu quem habuerunt ab initio, & in prima ſui conditione: poteſt tamen valdè probabiliter excipi Angelus omnium ſupremus. Ità Theologi magis communiter contrà Hugonem Victorinum *lib.* 1. *de Sacramentis par.* 6. *cap.*14. Magiſtrum *in* 2. *diſt.*23. Bonaventuram *ead. diſt. art. ult. quaſt.* 3. Durandum *ead. diſt. quaſt.* 2. Alenſem 3. *par.*

ſum.

Digitized by Google

ſum. quæſt. 80. *memb.* 3. alioſque nonnullos tribuentes Angelis, & primis Parentibus, in prima ſua conditione cognitionem mediam inter viſionem & fidem, minorem viſione eò quod abſtractiva, majorem fide eo quod clara. His Auctoribus non obſtantibus aſſerta veritas, præſertim quoad primos Parentes eſt valdè, & vix poteſt ſine cenſurâ negari poſt Tridentinum, quod *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali* ſtatuit primum hominem tranſgrediendo in Paradiſo Dei mandatum ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe; & *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. juſtitiam & ſanctitatem collocat in infuſione gratiæ, & donorum, quorum nomine intelligit potiſſimum fidem, ſpem, & charitatem.

Probatur aſſertum in univerſum: Angeli & primi Parentes ab initio, & in primâ ſui conditione, habuerunt ſanctitatem & juſtitiam; ergo fuit in ipſis pro eo initio habitus fidei; antecedens quoad Angelos traditum eſt ſuprà *tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. quoad primos Parentes infertur ex Tridentino *præc. ſeſſ.* 5. & traditur communiter à Theologis agentibus de opere ſex dierum; conſequentia probatur partim ex Trid. *præcit. c.* 7. partim ex eo, quod gratia juſtificans, & ſanctificans ſicuti in Angelis & primis Parentibus fuit ejuſdem rationis ac ſit in nobis, ità debuit eadem dona, & ſingillatim eundem fidei habitum, ſecum ferre; hocque confirmatur vehementer ex eo, quod *præcit. cap.* 1. §. 3. inſinuatum eſt Angelos ſe diſpoſuiſſe ad gratiam eliciendo inter alios actum fidei, quod veriſimile pariter eſt de primis Parentibus; & hac ratione cohærenter ad ſupradicta §. 2. fuit illis infuſus habitus fidei prius naturâ, quam habitus gra-

56. Probabiliter excepto Angelo ſupremo.

tiæ. Confirmatur inſuper ex eo, quod cognitio evidens & abſtractiva ab Adverſariis loco fidei excogitata, neque talis eſſet ex evidentiâ in atteſtante, neque ex evidentia ſcientiæ infuſæ; non ex evidentia in atteſtante, quia hæc ut attigi *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 5. & iterùm *præced. capite* 4. §. 2. *num.* 28. non fuit communicata primis Parentibus, nec Angelis, excepto primo ſeu ſupremo, de quo propterea appoſui in aſſerto particulas illas *poteſt tamen valdè probabiliter excipi*, &c. Non ex evidentiâ ſcientiæ infuſæ, quia hæc ſcientia ſupernaturalis infuſa gratis inducitur, & ea congruenior eſt fides, ut potè quæ confert ad majus meritum, & ad uniformem modum juſtificationis pro omni viæ ſtatu: Nec major perfectio ſtatus innocentiæ, quàm viæ noſtræ, poſtulabat loco fidei ſcientiam ſupernaturalem infuſam, aut ut haberet cognitionem quaſi mediam inter ſtatum noſtræ viæ, & ſtatum patriæ, ſicuti ipſe erat ſtatus inter hunc utrumque medius juxtà Bonaventuram; aut ne aliqua ipſius cognitio evacuaretur in patria juxtà Alenſem, nam hæc evacuatio inani ſuſpicione apprehenditur inconveniens ſtatui innocentiæ, & media illa conditio inter ſtatum viæ noſtræ, & ſtatum Patriæ, eſt valdè metaphorica, & qualiſcumque ſit ſufficienter explicatur per majorem intenſioremque fidem; malè verò per claram notitiam, quæ minuit meritum, adróque pro ſtatu relato & meritorio, cujuſmodi eſt ſtatus viæ non eſt perfectio major fide.

Quorum autem objectorum particularem, explicitamque fidem habuerunt primi Parentes & Angeli; ſuppoſitâ in utriſque fide aliqua, non ponitur in controverſia fides Dei exiſtentis & ſupernaturalis remuneratoris; cum hæc ſit maximè neceſſaria ad ſalutem, & ad actus ſpei, charitatiſque perfectæ; communiter quoque conceditur fides Trinitatis, cum ſit Myſterium omnium excellentiſſimum, & nullum dicens ordinem ad peccatum, aut remedium, & redemptionem hominum: Controverſia tota verſatur circà Myſterium Incarnationis, cujus fidem actualem plures negant Angelis viatoribus, ut retulimus *tra.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 43. nihilominus, quia ut *ibid.* addimus communior eſt, & majori auctoritatum præſidio ſuffulta ſententia oppoſita, magìs placet hanc amplecti tùm quia in quæſtione facti dependentis à libera Dei voluntate multum deferendum eſt auctoritatibus; tum quia non eſt facilè negandum aliquid ſpectans ad cultum & dignitatem Chriſti Domini, quodque aliundè non habet difficultatem ullam alicujus momenti cum præſertim *præcit. cap.* 4. *num.* 44. explicatum jam ſit, quomodò Incarnatio potuerit revelari Angelis antè primum ipſorum peccatum? etiamſi decreta fuerit poſt permiſſionem & prævisionem talis primi peccati; auctoritates verò, quibus videtur ſuaderi in Angelis viatoribus ignorantia talis Myſterij ſufficienter intelliguntur de ignorantia quoad circumſtantias, quas D. Ambroſius *lib.* 1. *in Lucam cap.* 1. quatuor enumerat ſcilicet quo tempore, quo loco, ex quâ matre & quomodo Myſterium illud eſſet executioni mandandum. Harum circumſtantiarum ignorantia ſufficientiſſima pariter eſt ad explicandum, cur dæmones Chriſto jam exiſtente non cognoverint, niſi conjecturaliter ex effectibus ejus divinitatem, unionemque hypoſtaticam? etiamſi non fuerint peccati ullâ cognitione naturali, qua recordarentur de verbi incarnandi Myſterio in via credito: Cur item in veteri teſtamento inducantur Angeli de Chriſto interrogantes *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Quis eſt iſte, qui venit de Edom*: Præter quod iſtæ interrogationes dici poſſunt eſſe Angelorum admirationū potius, quam ignorantiū.

57. Habuerunt de facto primi Parentes & Angeli fidem actualem Dei exiſtentis, Remuneratoris, & Trini.

58. Habuerunt item Angeli fidem Incarnationis quoad ſubſtantiam.

Admiſſa in Angelis viatoribus actuali fide Incarnationis quoad ſubſtantiam, multo magis admittenda eſt eadem fides in primis Parentibus etiam ab initio viæ & antè peccatum, cum iſtis hanc concedant aliqui ex ipſiſmet Auctoribus, qui eam negant Angelis, ut Arriaga *tom.* 2. *diſp.* 40. *ſec.* 6. *ſubſec.* 2. ubi maximè nititur auctoritate multorum Patrum verba illa Adami Geneſ. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ* interpretantium de conjunctione Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio fuerit Adamo in ſopore revelata, cui interpretationi plurimum favet Apoſtolus *Epheſ.* 5. ſuper verba illa dicens, *Sacramentum hoc magnum eſt ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: Cum inſuper Chriſtus ex dicendis *tractat. ſequent.* fuerit ſpecialiori

59. Eandem multo magis habuerunt primi Parentes.

perfe

Google

perfectiorique modo caput hominum, quàm Angelorum, ipſius fides in primis Parentibus magis, quàm in Angelis, pertinuit tùm ad ejuſdem Chriſti dignitatem, tùm ad ſtatum
60. & gratitudinem primorum Parentum; in quibus tamen ante peccatum non eſt neganda ignorantia alicujus circumſtantiæ, præſertim quod Chriſtus eſſet venturus & Incarnatio eſſet facienda in remedium originalis; ex quâ circumſtantia Adamus innocens habuiſſet revelationem & prænotionem ſui lapſus, quæ revelatio & prænotio non induxiſſet quidem in Adamo neceſſitatem peccandi, ſicuti nec talem neceſſitatem induxit in Petro revelatio & prænotio ſuæ trinæ futuræ negationis; unde ex parte libertatis non repugnaſſet, ut nonnulli opinati ſunt, revelatio illa Adamo; attuliſſet tamen triſtitiam, moleſtiam, & anxietatem incongruam perfectioni ac felicitati ſtatus innocentiæ; ideò exiſtimo Adamum non fuiſſe præſcium ſui lapſus, nec habuiſſe revelationem de Chriſto ut venturo in remedium originalis, & in redemptionem totius humani generis: utrùm verò nec habuerit revelationem Chriſti ut paſſibilis? an habuerit quidem; ſed ſolùm ad redimenda peccata actualia, quæ plura eſſe potuiſſent in Poſteris etiam Adamo non peccante; affirmat Arriaga *præcit. ſubſec. 2. num. 33.* & exiſtimat eſſe ſententiam Hieronymi, Auguſtini, & aliorum Patrum; nihilominùs D. Thomas *hic quæſt. 7. art. 2. in c. ſeqq.* Suario, & aliis multis Theologis, videtur docere oppoſitum, unde res eſt mihi valdè dubia, & perplexa.

Qui tamen ante peccatum ignoraverunt Chriſtum venturum in remedium originalis.

Vtrùm etiam ignoraverint Chriſti paſſibilitatem valdè dubium.

---

§. V.

Vtrùm præter ſupernaturalem habitum ſupponantur, aut ſubſequantur, ad fidei actum ſupernaturales ſpecies?

61. ASSERT. 5. Præter fidei habitum non ſupponuntur, ſeu non dantur de facto ad fidei actum ſupernaturales ſpecies. Ita Amic. *diſp. 11. ſect. 1. n. 26.* Arriaga *diſp. 16. ſect. 5.* Hurtado *diſp. 7. q. 1. num. 5.* Gabriel a S. Vincent. *diſp. 6. dub. 3.* cæterique Theologi communiter (quamvis pauci ex profeſſo de hac re loquantur) contrà nonnullos quorum ſuppreſſo nomine meminit Arriaga *mox cit. ſec. 5. n. 29.*

Dixi *de facto*, ſpecies enim ſupernaturales, quæ ad actum fidei concurrant exiſtimo non neceſſarias, at non exiſtimo repugnantes; nec diffiteor poſſe Deum, ſi velit, ex liberalitate ſua, non ex fidei indigentia, infundere ſimul cum habitu ſupernaturales ſpecies objectorum credibilium, ipſarumque concurſu cauſare ſupernaturales apprehenſiones ad fidei aſſenſum prævias, imò & dabiles eſſe fidei actus qui ex natura ſua indigeant, ſeu exigant produci per ſpecies ſupernaturales traditur ut probabile ab Arriaga *n. 30.* quod mihi non probatur propter unitatem ſpecificam omnium fidei actuum, ſive exiſtentium, ſive poſſibilium aſſertam *præced. cap. 5. n. 6.* Verùm quidquid de hoc ſit, loquendo de facto aſſertũ

Species intentionales objectorum fidei poſſunt eſſe ſupernaturales.

Probatur Non debent multiplicari de facto entitates & miracula ſine neceſſitate; ſed ultrà naturales objectorum credibilium ſpecies, quas ex propoſitione rerum fidei comparamus miniſterio ſenſuum nulla eſt neceſſitas ponendi alias ſpecies ſupernaturales; ergo iſtæ de facto non dantur: Minor probatur, talis neceſſitas ſi daretur proveniret aut ex fidei objecto, aut ex fidei actu; propria enim conditio ſpecierum intentionalium nequit attendi penes aliud, quàm aut penes objectum cujus ſunt vicariæ, aut penes actum cujus ſunt cauſæ, atqui non provenit ex fidei objecto, quia cum ſint ſpecies abſtractivæ & alienæ, poſſunt eſſe inferioris & diverſi ordinis ab objecto; neque provenit ex fidei actu, quia ſpecies dantur ad actum apprehenſionis potiùs, quam ad actus aſſenſus, apprehenſio autem terminorum in rebus fidei eſt per nos naturalis cum *præced. c. 4. n. 57.* naturale aſſeruerimus judicium evidentis credibilitatis, quod eſt aſſenſui ſupernaturali proximius, ac inter aſſenſum ipſum & terminorum apprehenſionem medium, quando tamen cum Arriaga *diſp. 16. ſec. 5. num. 13.* Eſparza *q. 16. art. 2.* aliiſque nonnullis, ponerentur debere eſſe ſupernaturales apprehenſiones terminorum fidei, pro iſtarum ſupernaturalitate, ſicut & pro eo influxu, quem ſpecies præſtare poſſunt ad actum ipſum aſſenſus ſufficit elevatio ſpecierum naturalium facienda ab habitu infuſo, & lumine fidei; nec ſunt neceſſariæ novæ ſpecies ſupernaturales intrinſecè, & infuſæ per ſe. 62.

At tales non ſunt de facto.

Non ſunt item ſupernaturales apprehenſiones terminorum fidei.

Dices lumen & habitum fidei poſſe quidem elevare potentiam intellectivam, quia ex parte ipſius ſe tenet & concurrit concurſu ejuſdem rationis cum concurſu potentiæ; at non poſſe elevare ſpecies intentionales, cum non ſe teneat ex parte objecti ſicuti ſe tenent ſpecies, nec concurrat concurſu objectivo ſicuti ſpecies. Deinde ſi lumen fidei elevare poteſt ſpeciem naturalem ut concurrat ad ſupernaturalem actum fidei; cur non poterit aut lumen gloriæ elevare naturalem Dei ſpeciem ut concurrat ad ſupernaturalem actum viſionis, aut lumen ipſum fidei elevare naturalem cognitionem ut voluntati inſerviat ad eliciendum ſupernaturalem amorem? Sed contrà: ſpecies intentionales, quamvis effectivè ſe teneant ex parte objecti, ſe tenent inhæſivè ex parte ejuſdem potentiæ, ex parte cujus ſe tenet lumen fidei, quod ſatis ſuperque eſt, ut poſſint per tale lumen elevari. Concurſus ſpecierum, quamvis objectivus & aliqualiter diverſus à concurſu potentiæ, eſt tamen ſimul cum iſto in genere efficientis; ideò uterque, ſeu utriuſque principium, roborari poteſt & elevari à lumine fidei, quod & ipſum concurrit in genere efficientis; ex quo patet, cur idem lumen elevare nequeat cognitionem naturalem ut voluntati inſerviat ad ſupernaturalem amorem; ratio ſcilicet eſt, quia cognitio ad actum voluntatis ſe habet ut pura conditio, aut concurrit per modum repræſentationis in genere cauſæ formalis extrinſecæ, non in genere efficientis, in quo concurrit lumẽ fidei, & in quo ſolo poteſt aliud 63.

Species naturales objectorum credibilium pro influxu ad ſupernaturalem actũ elevantur à fidei habitu.

P comprin

comprincipium elevare; neque enim per concurſum unius generis poreſt elevare principium alterius generis, cum ſit proprium divinæ omnipotentiæ elevare poſſe, aut potiùs ſupplere, in genere efficientis quodlibet genus cauſæ. Quoad actum viſionis Dei non poteſt quidem ad ipſam efficiendam elevari naturalis ſpecies, at non eſt præciſè, quia viſio ſit actus ſupernaturalis; ſed quia eſt actus ex genere ſuo eſſentialiter exigens aut immediatum objecti exiſtentis concurſum, aut ſpeciem propriam & intuitivam, quæ reſpectu Dei nequit eſſe ulla entitas naturalis. Cæterùm facilè concedam lumen gloriæ elevare poſſe naturalem ſpeciem ad actum aliquem ſcientiæ ſupernaturalis abſtractivæ non minùs; quàm lumen fidei ad ſuum actum, qui ſemper abſtractivus eſt.

64. Habitus fidei datur ad credenda non ad apprehendenda objecta credibilia.

Ex his habes, juxta noſtram doctrinam ponentem naturales apprehenſiones ad aſſenſum fidei prævias, habitum fidei infuſum requiri propter aſſenſum dumtaxat, non propter apprehenſiones; qui autem has ſupernaturales aſtruunt, benè requirunt etiam propter apprehenſiones ipſas habitum, qui tum potentiam intellectivam, tum ſpecies intelligibiles: ſi naturales ſint, elevet ad apprehendendas priùs, quàm ad credendas res fidei, unde Arriaga *pracit. n.13.* habitum requirens ad utrumque munus loquitur cohærenter ad ſua principia, quamvis per nos falſa.

Expeditis pro prima tituli parte ſpeciebus, quæ ad actus fidei ſupponuntur, & ſimul cum habitu infuſo cauſant ipſos actus, occurrunt pro ſecunda parte ſpecies, quæ ad actus fidei ſubſequuntur, & ſimul cum habitu infuſo cauſantur ab iiſdem actibus, eo interveniente diſcrimine, quod habitus infuſus cauſetur ab hujuſmodi actibus moraliter diſpoſitivè, ſpecies cauſentur effectivè phyſicè. Poteſt verò in primis dubitari, utrùm actus fidei præter ſpeciem ſui, relinquat ſpeciem ſui objecti & qualem? verbi gratia, utrùm actus, quo credo Trinitatem præter ſpeciem cognitionis obſcuræ ad Trinitatem terminatæ relinquat ſpeciem immediatè repræſentativam Trinitatis; & utrùm ſupernaturalem, an naturalem? exiſtimo hanc ſecundam ſpeciem ex actu fidei non relinqui, & quando relinqueretur, fore naturalem: Ratio primi eſt, quia cæteri actus non producunt alias ſpecies niſi memorativas repræſentantes directè eoſdem actus, & indirectè objecta ut ſubſtantia actibus, ſeu in eſſe cognito & intellecto; nec quidquam cogit ſpecialiter tribuere actui fidei virtutem producendi directam ſpeciem ſui objecti, quod non magis ipſe continet, quàm contineant cæteri actus objecta quique ſua: Ratio ſecundi eſt, quia tum ſpecies objecti, à quâ actus fidei producitur; tum ſpecies ſui, quam actus fidei producit, naturales ſunt ut habetur partim ex jam dictis, partim ex mox dicendis; ergo ſi daretur ſpecies aliqua objecti ab actu ipſo producta deberet ipſa quoque eſſe naturalis & ejuſdem ordinis, aut cum aliis ſpeciebus objecti, aut cum aliis ſpeciebus productis ab actu: Ex eo quod actus fidei, ſi aliquam producit, non aliam quàm ſui, ſpeciem producat, & poſt ſe relinquat, patet quid in titulo veniat nomine ſpecierum actum fidei ſubſequentium, & de iſtis ſit

65. Actus fidei non relinquit ſpeciẽ directam ſui objecti.

Aſſert. 2. Species, quæ ſubſequuntur ad fidei actus, ſeu quæ per ipſos relinquuntur, de facto naturales ſunt, non ſupernaturales. Ità Arriaga *pracit. diſp. 16. ſect. 5. num. 35.* & *tom 1. diſp. 3. ſect. 4. ſubſect. 2.* contrà Turrianum *hic diſput. 58. dub. 5.* Ita inſuper (quamvis non expreſſis terminis) Oviedus *de anima controv. 14. punct. 7.* Molina *1. p quæſt. 1. art. 3. in fine* Suarez *hic diſp. 7. ſect. 4. n. 10.* Coninchus *diſp. 7. dub. 3.* & quicumque alij docent ex actibus ſupernaturalibus relinqui de facto habitum aquiſitum, non ſupernaturalem, ſed naturalem, ſivè deinde habitus naturales ex genere ſuo in majori intenſione ſpecierum, ſivè in ſimplici qualitate conſiſtant; contrà Almainum *in 3. diſt. 23. q. 3.* alioſque nonnullos arbitratos ex ſupernaturalibus actibus relinqui habitum aquiſitum ſupernaturalem. 66.

Poſſet relinquere ſupernaturalem ſui ſpeciem

Dixi *de facto* Neque enim exiſtimo repugnare ſupernaturales ſupernaturalium actuum ſpecies, aut deeſſe ſupernaturalibus actibus virtutem ſupernaturalium ſpecierum productivam; ſed intendo, quod ſupernaturales actus poſſint quoque producere ſpecies naturales, & quod has ſolas producant de facto, quod in particulari de actibus fidei.

Probatur: nulla eſt neceſſitas ſupernaturalitatis, & maxima eſt congruentia naturalitatis in ſpeciebus ſubſequentibus ad fidei actus, & per ipſos relictis; ergo ſpecies quæ ſubſequuntur ad fidei actus, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, ſi eſſet neceſſitas aliqua ſupernaturalitatis, maximè ex eo, quod ſpecies illæ producantur à ſupernaturali principio, ut repræſentent ſupernaturale objectum, producantur ſcilicet à ſupernaturalibus actibus, eoſdemque repræſentent, atqui hinc non probatur ſupernaturalitatis neceſſitas, cum optimè poſſit ſupernaturale principium producere naturalẽ effectum, quamvis non è contra; & poſſint item naturales ſpecies repræſentare ſupernaturale objectum, ut dictum eſt de ſpeciebus actum fidei præcedentibus; ergo: Probatur antecedens quoad ſecundam partem primò ex proportione ſervanda inter ſpecies præcedentes & ſubſequentes, quæ producunt actus & quæ producuntur ab actibus, cum igitur ex ſupradictis illæ de facto ſint naturales, etiam iſtæ: ſecundò ex eo, quod incongruit remanere ſpecies & qualitates ſupernaturales in damnatis & tamen remanent in ipſis memoria præteritorum actuum fidei, & ſpecies ipſorum rememorativæ; ergo iſtæ naturales ſunt.

67. At de facto tantùm naturalem relinquit.

Dices neceſſitatem & ſpecialem rationem ſupernaturalitatis in ſpeciebus per fidei actua relictis haberi ex facilitate, quam experimur majorem ad ſupernaturalem actum fidei poſt plures ſimiles actus repetitos; quæ major facilitas nequit provenire ab habitu fidei infuſo, cum iſte detur ad ſimpliciter, non ad facilè poſſe: nequit item provenire ab ullo habitu naturali, cum iſte non poſſit impendere concurſum proportionatum ad ſupernaturalem actum neceſſe eſt igitur, quod proveniat

à ſpecie

Digitized by Google

à ſpeciebus, quæ ſupernaturales ſint, adeò ut ſicuti per oos facilitas ad actum aliquem naturalem habetur ex ſpeciebus naturalibus relictis & intentis per ſimiles actus naturales, ita facilitas ad actum ſupernaturalem ex ſpeciebus ſupernaturalibus relictis & intentis per ſimiles actus ſupernaturales; quæ quidem ſpecies rectè dicatur habitus aquiſitus ſupernaturalis, ſicuti illæ aliæ dicuntur habitus aquiſitus naturalis: Nec debet videri abſurdum admittere habitū ſopernaturalem aquiſitum, non per ſe infuſum; enimverò quod communiter dicitur habitus ſupernaturales eſſe per ſe infuſos procedit de habitibus ſupernaturalibus datis ad ſimpliciter poſſe, ut nos ipſi inſinuavimus *tract. 1. in proleg. cap. 2.*

68. *num.* 13. Sed contra: permitto inſtantiam rectè probare poſſibilitatem habitus ſupernaturalis aquiſiti, & ſpecierum ſupernaturalium habentium vim facilitandi ad ſupernaturalem actum; at nego probari talem habitum ut neceſſarium, & admittendum de facto: nego item non poſſe in aliud, quàm in ipſum ſupernaturaleſvè præcedentium actuū ſpecies, refundi facilitatem credendi, quam dico de facto provenire primò ex motivis credibilitatis, quæ in actuum frequentatione ſolent aut plura occurrere aut vividiùs proponi; & hinc formato judicio majoris, evidentioriſque credibilitatis, voluntas redditur facilior, & propenſior ad imperandum aſſenſum, quem à voluntate faciliùs imperatum intellectus faciliùs elicit propter mutuam, ac quaſi ſympathicam, utriuſque potentiæ connexionem: Secundò ex habitu aquiſito naturali ſito in ſpeciebus naturalibus per frequentes ſupernaturales actus relictis, & intenſis, qui quidem habitus, licet nequeat propriâ activitate præcisè impendere concurſum proportionatum ad ſupernaturalem actum, optimè tamen id poteſt ut elevatus ab habitu infuſo; adeò ut ſicuti ex dictis ſpecies naturales actum fidei præcedentes elevantur ad producendos primos actus ſupernaturales, ita deindè ſpecies naturales ſubſequentes & ex primis actibus relictæ eleventur ad producendos faciliùs actus ſupernaturales ulteriores.

Facilitas ad actus ſupernaturales poſſet provenire ab habitu aquiſito ſupernaturali; at de facto provenit aliundè.

§. VI.

Reliqua de habitu fidei: & plura communia habitibus per ſe infuſis, præſertim theologicis.

69. ASSERT. Reliqua de habitu fidei, imò & plura communia cæteris habitibus per ſe infuſis præſertim theologicis, poſſunt facilè innoteſcere, & breviter expediri ex dictis, aut in præſenti, aut ſparſim alijs in locis.

Probatur & explicatur afferendo dubia varia ac miſcellanea, quorum ſolutiones non erunt, niſi corollaria ſeu conſectaria deducenda, aut repetenda ex alibi traditis.

Dubitatur primò: Utrùm quoties amittitur habitus fidei ex parte intellectus, amittatur habitus piæ affectionis ex parte voluntatis, & ſignanter utrùm iſte habitus amittatur in ingreſſu beatitudinis? Negat Suarez *diſp. 7. ſec. 5. num.* 4. & vult in beatis dari actum piæ affectionis & præparationis animi ad obediendum fidei, adeoque in ipſis permanere pro tali actu proprium habitum. Nihilominùs pia affectio in beatis non poteſt eſſe niſi inefficax, & propter ſolos actus inefficaces incongruè ponitur habitus; ex aliâ parte habitus piæ affectionis eſſe quaſi inchoatio habitus fidei, ad quem ſe habet ut acceſſorium ad ſuum principale; probabilius igitur eſt illum non permanere in beatis, & amitti non ſolùm ubi datur mala voluntatis affectio, ut in infidelibus & damnatis; ſed ubicumque amittitur habitus fidei ex parte intellectus quocumque ex capite amittatur.

Habitus piæ affectionis amittitur quoties amittitur habitus fidei, & nec in beatis permanet.

Dubitatur ſecundo: Utrùm fides tam quoad habitum, quam quoad actum, ſit prior cæteris virtutibus? Reſpondetur ordine dignitatis eſſe ſola charitate poſteriorem; ordine verò rationis, & quaſi cauſalitatis, eſſe priorem omnibus, ipſa etiam charitate: Ratio primæ partis eſt, quia charitas perficit fidem reddendo ipſam de imperfectâ perfectam, de informi formatam; eſt igitur charitate poſterior fides, fide prior charitas ordine dignitatis & perfectionis, nec relinquit dubitandi locum auctoritas Apoſtoli 1. *Cor.* 13. dicentis *Major autem horum eſt charitas*; & quidem charitas ſola eſt major, ſeu dignior fide, nam ſpes reſpicit fidem ut baſim, qua ſubſiſtit, imò ut formam à qua participat ſuam potiſſimam perfectionem, ideſt certitudinem; ideò fides eſt ſpe dignior; eſt inſuper ex ratione generica virtutis theologicæ dignior quacunque virtute morali; ideò &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia valet ſubſiſtendi conſequentia à ſpe & charitate ad fidem, non à fide ad ſpem aut charitatem; ubi ſcilicet datur ſpes aut charitas, benè infertur dari fidem, non è contra; inter quælibet autem duo illud eſt prius ratione, à quo valet ad aliud ſubſiſtendi conſequentia, ut ſuppono ex logicis. Deindè, verum, eſt ratione prius bono, atqui fides eſt circa verum, ſpes & charitas circa bonum; hinc Thomiſtæ, qui verum bono, intellectum voluntati in perfectione & dignitate præferunt, faciunt fidem etiam ordine dignitatis charitate priorem aliqua ratione, ideſt entitativè & metaphyſicè, ut obſervat Gabriel à S. Vincentio *diſp. 6. dub.* 4. *num.* 12. Porrò ordo rationis, & ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, ſupponit regulariter ordinem aliquem naturæ, & cauſalitatis; ideò fides, ſi eſt virtutibus reliquis prior ordine rationis, eſt pariter prior ordine aliquo cauſalitatis. Nec refert, quod habitus credulitatis ſeu piæ affectionis videatur ratione & cauſalitate fidem præcedere: Non refert, inquam, quia habitus piæ affectionis ſumitur tanquam inchoatio, & pars virtutis fidei; non tanquàm virtus ſimpliciter diſtincta.

70\.

Fides ordine dignitatis eſt ſola charitate poſterior.

Ordine rationis, & naturæ, eſt virtutibus omnibus prior.

Dubitatur tertio: Utrùm habitus triū virtu-

tum Theologiearum iuſundantur ſimulraneè, an ſucceſſive? Reſpondetur infundi parvulis

71. Virtutes theologicæ quanam ſucceſſione, & quanam ſimultaneitate infundantur.

ſimultaneè ſimultaneitate temporis cum ſucceſſione aliqua rationis & naturæ, ſecundùm quam priùs infunditur fides, deinde ſpes, poſtremò charitas; adultis verò regulariter infundi cum ſucceſſione etiam temporali correſpondente ſucceſſioni rationis mox aſſignatæ pro parvulis. Habetur reſponſio partim *ex num.præced.* partim *ex ſuperiori* §.2.

72. Habitus theologici, prærequirunt proprios actus ut diſpoſitiones ex natura rei.

Dubitatur quartò: Utrùm habitus virtutum Theologicarum prærequirant ex natura rei aliquam diſpoſitionem? Reſpondetur affirmative loquendo de ſubjecto diſpoſitionis capaci; & diſpoſitio, quam ſinguli habitus prærequirunt, eſt proprius cujuſque actus; qui cum ſit diſpoſitio ex ſe maximè proportionata habitui, & ſit pariter ſubjecto maximè conveniens (quod ſi eſt libertate præditum, ut ſupponitur, non debet ſine aliquo acto libero aquirere formam permanentem per quā ſtatum muter) non eſt, cur non debeat dici diſpoſitio requiſita ex natura rei; Nec refert quod ſit diſpoſitio moralis, quia etiam diſpoſitiones præcedentes habitum gratiæ ſunt morales, & tamen requiruntur ex natura rei, ut ſuppono *ex præcedenti tractatu, libr. 3. capite 2. §. 5. & 6.* quo ex loco plura poſſunt huc proportionaliter transferri, ſicut & aliqua *ex præced. n.17.*

Dubitatur quintò: Utrùm habitus virtutum Theologicarum effectivè cauſent actus diſponentes ad ipſorum infuſionem? rem hanc ſub propriis terminis agitant & negativè reſpondent Amicus *de Gratia diſp 29. ſect.10.* & Eſparza *hic quæſt.9.* Nobis negativa reſponſio

73. Iſtæ diſpoſitiones non procèdunt effectivè ab iiſdem habitibus.

diſcuſſione non indiget poſtquàm *præcedent. tractat. lib.3. cap.2. §.7.* latè oſtenſum eſt habitum charitatis nec de potentia abſoluta poſſe effective cauſare proprium actum ultimò diſponentem ad infuſionem ipſius, aut gratiæ: eſt enim eadem prorsùs ratio de habitibus fidei, & ſpei, comparatis ad proprios actus ut ad ipſorum infuſionem diſponentes: Procedunt igitur iſti actus effectivè ab auxilio ſupernaturali actuali & tranſeunte; non ab ullo principio habituali & permanente.

Dubitatur ſexto: Utrùm habitus per ſe infuſi ſe habeant non ſolùm, ut comprincipia elevantia potentiam ad efficiendos, verùm etiam ut diſpoſitiones materiales eandem elevantes ad recipiendos actus ſupernaturales? Prima facie videtur ſimpliciter affirmandum eâ ratione, qua *tract.1. lib.2.cap.3.* §.2. ſimpli-

74. Habitus theologici non ſunt diſpoſitiones materiales ad ſuos actus eo modo, quo lumen gloriæ ad viſionem.

citer id affirmatum eſt de habitu luminis gloriæ comparato ad actum viſionis: Nihilominùs ratio non eſt omninò eadem, quia actus viſionis ex ibi dictis eſt forma ultima in ordine ſupernaturali, & non eſt diſpoſitio ex naturà rei prævia ad lumen gloriæ: actus verò virtutum theologicarum non ſunt formæ ultimæ, & ſunt diſpoſitiones ex natura rei præviæ ad proprios habitus; quos propterea exiſtimo non ſe habere ad actus, ut materiales diſpoſitiones, eadem omninò ratione qua ſe habet gloriæ lumen ad viſionem; non negaverim tamen rectè dici diſpoſitiones connaturales & congruas, quatenùs informando potentiam reddunt ipſam idoneam, & in ratione ſubjecti connaturalis & congrui reſpectu propriorum actuum, ut obſervat Amicus *hic diſp.15.ſec.1.num.19.*

Dubitatur ſeptimo: Utrùm habitus per ſe infuſi ad naturales potẽtias comparati ſint tota ratio agendi? Utrùm tum ipſi, tùm potentiæ, ſint cauſæ principales ſupernaturalium actuum? Utrùm divinitus ſint ſupplebiles non ſolùm per actuale auxilium, verum etiam per aſſiſtentiam extrinſecam? Ad primum 75.
reſpondetur cum diſtinctione, eſſe ſcilicet totam rationem agendi ſi comparentur ad potentias naturales ſecundùm ſe; non ſic ſi comparentur ad eaſdem ut elevatas: Ad ſecundum & tertium reſpondetur affirmando abſolutè: Tota hæc quoad ſua tria membra reſponſio habetur *ex tract.1.lib.2.cap.3.§. 3.4. & 5.* ubi eadem dubia examinantur circa habitum luminis gloriæ, & ſolvuntur eodem modo quo mox reſponſum eſt; ideò quæ hic deſiderantur, poſſunt indè repeti, & ab habitu luminis gloriæ ad cæteros habitus per ſe infuſos proportionaliter transferri.

Dubitatur octavo: Utrùm ſolæ virtutes theologicæ ſint habitus per ſe infuſi, an juſto per ſe infundantur etiam habitus virtutum moralium? quod eſt idem ac quærere, Utrùm habitus ſupernaturales in ſubſtantia dentur pro ſolis virtutibus theologicis, an etiam pro moralibus? quæ propterea debeant dividi in aquiſitas & per ſe infuſas, in naturales & ſupernaturales. Sæpiùs alibi, & ſignanter agendo

76. Dantur virtutes morales, infuſæ per ſe & ſupernaturales in ſubſtantia.

de juſtificatione & merito, nec non *præced. cap.3 .num.* 141. inſinuavi me agnoſcere in juſto virtutes morales per ſe infuſas, ac ſupernaturales in ſubſtantia, nullibi tamen hucuſque id tradidi expreſsè & data opera, at neque hic tradi opportunè poteſt; ſolummodò, ne lectorem dimittam omninò vacuum placet referre Auctores, quos conſulere, & per quos controverſiam plenè diſcere poſſit. Negant igitur dari virtutes morales per ſe infuſas Henricus *quodlib.6. quæſt.12.* Scotus *in 3. diſt. 36. quæſt.1. art. 3.* Ocham *in 4. quæſt. 3.* Marſilius *in 4.quæſt.10.art.1.* Durandus *in 3. diſtinct.33. quæſt.6.num.7.* Argentinas *ead.diſt.quæſt.1.art.1.* & ex Modernis Scotiſtis Maſtrius *in 3. diſp.7. quæſt.2.art.1.* Herinex *par.3.diſp.2.quæſt.3.* Laurea de virtutibus *diſp.6.art.3.* &c. Affirmans è contra D.Thomas *1.2.quæſt.63. art.3.* & *in 3. diſt.33. quæſt.1. art.2.* D.Bonaventura *ead.diſt. art.2.quæſt.5.* D. Antoninus *par.4.ſum. artic.1. cap.1.§.3.* Vega *lib.2. in Trident.cap.124.* Vaſquez *1.2.diſp.86.cap.5.* Valentia *quæſt 9.punc.1.* Oviedus *tract. 3. controv. 2. punc.7.* Madernus *tract.6. quæſt.1.art.9.* Uno verbo negant cum pluribus Antiquis Scotiſtæ & Nominales. Affirmant cum Sanctis Antonino, Bonaventura, & Thoma, Thomiſtæ & Recentiores, ex quibus aliqui poſt Tridentinum cenſurâ notant ſententiam negantem; Capreolus eam

Opinio tamen id negans non eſt obnoxia ulli cenſuræ.

vocat erroneam, Conradus contrariam definitioni Eccleſiæ, Medina temerariam; Nihilominùs omnem cenſuram reijciunt cæteri communiter apud Oviedum *præcit. punc.7. num.97.* quia auctoritates clarè militantes

pro

Digitized by Google

pro habitibus per ſe infuſis poſſunt omnes ſufficienter intelligi de habitibus virtutum theologicarum; & re vera opinio, quam nunc etiam ſequitur inſignis Scotiſtarum ſchola, non niſi à cenſore nimis rigido damnari poteſt.

CAPUT VIII.

De fidei oppoſitis.

1. FIDEI opponuntur minus propriè omnia peccata contrà fidem, propriè illi ſoli infidelitatis actus, cum quibus eſt incompoſſibilis actus, & per quos conſequenter excluditur habitus fidei; antequam verò procedamus ad explicandas varias hujuſmodi actuum ſpecies expedit nonnulla præmittere de nomine & de ratione generica infidelitatis. Ideò

Infidelitas alia moralis, alia theologica: Iſta alia poſitiva, alia negativa: alia formalis, alia materialis.

Præmitto primò duplicem eſſe fidelitatem, alteram quæ eſt virtus moralis & exercetur in ſervandis promiſſis; alteram quæ eſt virtus Theologica & reſpicit auctoritatem revelationemque divinam, proprioque nomine dicitur fides divina, ſic & infidelitas altera eſt moralis, altera Theologica, prout fidelitati aut morali aut Theologicæ opponitur, in præſenti ſermo eſt de infidelitate Theologica, quæ à nonnullis proprio nomine incredulitas nuncupatur, & licet ex modo ſignificandi negationem importet, rectè tamen dividitur in poſitivam & negativam: Poſitiva eſt, quâ quis habet poſitivum errorem fidei contrarium, aut poſitivo actu diſcredit aliquam fidei veritatem; Negativa eſt, quâ quis ignorat aut omittit credere aliquod fidei Myſterium: utraque ſubdividitur in formalem, & materialem; ſeu vincibilem, & invincibilem; culpabilem, & inculpabilem; & infidelitatem culpabilem, ſeu vincibilem negativam, aliqui ſpeciali nomine privativam vocant.

2. Præmitto ſecundò infidelitatem Theologicam, quando formalis eſt, vincibilis, & culpabilis, eſſe peccatum ex genere ſuo valdè grave & in primis gravius quolibet peccato oppoſito virtutibus moralibus conſiderando utrumque ex genere ſuo, comparando ſcilicet graviſſimum peccatum ſub genere infidelitatis cum graviſſimo peccato ſub quocunque alio genere oppoſitionis ad aliquam moralem virtutem; aliundè enim non videtur repugnare, quod gravitas infidelitatis ex vehementia paſſionis diuturnitate tentationis, aliiſque ſimilibus circumſtantiis alleviantibus adeò decreſcat, & è contra gravitas alicujus alterius peccati ex circumſtantiis aggravantibus adeò creſcat, ut illius gravitas ab iſtius gravitate ſuperetur, & ſicuti alia peccata multiplicata poſſunt excedere gravitatem infidelitatis, ita circumſtantiæ aggravantes multiplicatæ in uno eodémque peccato poſſunt iſtius gravitatem urgere ſuprà gravitatem infidelitatis ex circumſtantiis alleviatæ: Cæterùm lo-

Infidelitas theologica formalis quàm grave peccatum ſit ex genere ſuo.

quendo ex genere ſuo modo jam dicto major infidelitatis gravitas habetur ex eo, quòd juxta regulam Ariſtotelis 8. *Ethic. c.* 5. in moralibus illud eſt peſſimum, quod optimo contrariatur; ergo illud eſt peius, quod contrariatur meliori; fides autem ex dictis melior eſt qualibet virtute morali: ergo infidelitas illi contraria peior eſt, ac gravior &c. eſt hæc deinde juxta eandem regulam gravior peccato oppoſito ſpei Theologicæ, minùs verò gravis odio Dei oppoſito Theologicæ charitati. Ratio horum omnium eſt, quia averſio à Deo, penes quam potiſſimùm debet attendi gravitas peccati magis reperitur in peccato oppoſito virtuti Theologicæ, quàm in peccato oppoſito virtuti morali, virtus quippe Theologica importat tendentiam in Deum directam & immediatam, non virtus moralis: Inter virtutes deinde Theologicas tendentia in Deum eſt quodammodo major in charitate, quàm in fide; in fide, quàm in ſpe; quia charitas attingit in Deo rationem univerſaliorem, & aliqualiter tranſcendentem omnia prædicata divina; fides attingit rationem magis particularem convenientem tamen Deo ſecundùm ſe; ſpes attingit Deum ut participabilem à nobis magis quàm ſecundùm ſe: proportionaliter igitur peccatum oppoſitum charitati eſt averſio à Deo major, quàm peccatum oppoſitum fidei, &c.

Præmitto tertiò infidelitatem culpabilem, & peccaminoſam, ſub denominatione peccati & formalitate malitiæ eſſe primariò ac principaliter in voluntate, in intellectu verò ſolùm ſecundariò & participativè: eſt enim primariò ac principaliter in voluntate, ſecundariò ſolùm & participativè in aliis potentiis libertas, à qua habetur omnis moralitas & omnis bonitas ac malitia moralis, unde & quodlibet peccatum, ſivè opere externo, ſivè intellectus actu commiſſum ſub denominatione peccati & formalitate malitiæ moralis, quod eſt idem ac dicere ſub denominatione & formalitate libertatis ſeu actus liberi, eſt primariò ac principaliter in voluntate; idem igitur ſentiendum de infidelitate ſub eadem denominatione & formalitate accepta. Quoad infidelitatem verò acceptam ſub propria & formali oppoſitione ad fidem diverſimodè loquendum eſt, nec dubium quin poſſit reperiri, imò quin ut plurimùm reperiatur completivè ſaltem; & conſummativè in intellectu; non eſt tamen extrà controverſiam, utrùm per accidens & in caſu aliquo extraordinario poſſit in voluntate conſummari abſque eo quod ad intellectum tranſeat? Pro quo ſit

3. Sub denominatione peccati, & formalitate malitiæ, eſt primario in voluntate.

---

§. I.

Quid ſit formalis infidelitas, & an poſſit in voluntate conſummari?

ASSERT. 1. Formalis infidelitas eſt peccatum ſecundum ſe repugnans cum omni actu, & excludens habitum fidei divinæ. Hæc deſcri 4.

4. Infidelitas theologica formalis quid?

deſcriptio conſequitur ad ſupradicta de amiſſione habitus fidei,& habetur ex Suar.*diſp.*16. *ſect.*1.*n.*2.Gabriele à S.Vincent.*diſp.*7.*dub.*1. *num.*8.&c.

Probatur tum ex ipſo nomine infidelitatis, quod ſonat carentiam & expulſionem fidei, tum ex eo quod *praced.n.* 35. dictum eſt omni & ſolo infidelitatis peccato amitti in via fidem; eſt igitur aſſerta deſcriptio valdè conſona tum nomine rei definitæ, tum doctrinæ ſuprà traditæ: continet inſuper differentiam optimè diſtinguentem ſpeciale peccatum infidelitatis à reliquis peccatis contrà fidem,quæ omnia ſecum admittunt fidei actũ, & habitum,eò quod opponantur quidem præcepto, at non motivo formali fidei, & reddant ſubjectum indignum, at non poſitivè indiſpoſitum ad fidei habitum; quod tamen utrumque præſtat ſpeciale infidelitatis peccatum, propterea que excludit fidei actum & habitum,idque magis explico diſcurrendo per plura peccata,quæ contra fidem ſunt, non infidelitas.

Quomodo differat à reliquis peccatis contra fidem?

5. Sic primo peccatum contra fidem eſt, non infidelitas, ſimulatio religionis falſæ, aut negatio purè externa religionis veræ, cum utrâque enim ſtare optimè poteſt firma animi adhæſio ad religionem veram, & internus aſſenſus ad res revelatas. Nec refert quod, ut ex Hieronymo refert Magiſter *in* 4. *diſt.* 13. ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis, ſint autem verba maximè inordinata ea quibus profertur negatio purè externa veræ religionis. Non refert, inquam, quia verba illa (ſi in Hieronymo inveniuntur, quod nonnulli negant) intelligenda ſunt de hæreſi minùs propria & purè externa, qua quis in foro externo hæreticus reputetur, quamvis talis reverâ non ſit; quo minus proprio loquendi modo ſicuti fides, ita & infidelitas, ipſiuſque ſpecies hæreſis, dividi poteſt in internam, & externam. Aliter aliqui rem explicant dicentes ex verbis inordinatè prolatis incurri hæreſim, quando negatur vox aliqua inſtituta ſpecialiter ab Eccleſia ad ſignificandam aliquam fidei veritatem, ut eſt vox *Conſubſtantialitas* in Myſterio Trinitatis, *Tranſubſtantiatio* in Myſterio Euchariſtiæ. Verùm prior explicatio ſolidior eſt, atque expeditior; & poſterior difficultate non caret, ut videre eſt apud Arriagam *diſp.*19. *ſec.*1.*num.*18.

Negatio fidei purè externa non eſt propria infidelitas.

6. Secundò peccatum contra fidem eſt, non infidelitas, voluntas ignorandi & non audiendi myſteria fidei, etiamſi ex tali ignorantia ſequatur error & quidem culpabilis utpotè proveniens ex ignorantia culpabili: ratio eſt, quia cum tali voluntate & errore culpabili poteſt ſtare voluntas credendi firmiter Myſteria fidei, ſi proponantur; ſicuti poteſt ſtare voluntas obediendi præcepto Superioris cum voluntate non inveſtigandi, imò vitãdi ipſum, non eſt igitur voluntas illa incompoſſibilis cum fidei actu; directè opponitur auditui, non aſſenſui præparationi ad fidem, non fidei, idcò non eſt propria infidelitas. Nec refert quod in alijs materijs peccatum commiſſum ex ignorantia culpabili ſit ejuſdem ſpeciei cum peccato commiſſo ſine ignorantiâ; nec homicidium v.g. aut adulterium extrahatur à propria ratione formali per hoc, quod fiat ex ignorantia, quando iſta culpabilis eſt, præſertim ſi affectata. 7. Non refert, inquam, nec propterea ignorantia culpabilis non excuſat ſeu non extrahit errorem contra fidem à propria formalique ratione infidelitatis: Enimverò ignorantia in alijs materijs (ſaltem regulariter loquendo) non variat rationem objectivam peccati, ſed ſolùm rationem voluntarij: & qui occidit v.g. culpabiliter ignorans, occidit quidem minus voluntariè, quàm qui occidit ſciens, uterque tamen tranſgreditur idem proſùs præceptum non occidendi; at in materiâ fidei ignorantia variat rationem objectivam, quia occultat revelationem & ſufficientem propoſitionem objecti credibilis, contrà quam ſolam poteſt eſſe propria infidelitas, ſicque qui in materiâ fidei errat ſcienter peccat contrà præceptum aſſentiendi revelationi divinæ ſufficienter propoſitæ, qui errat ex ignorantiâ culpabili contrà præceptum ſe præparandi ad fidem & ſciendi res fidei, quod eſt præceptum diverſum, & ſua tranſgreſſione refundens in actum diverſam malitiam objectivam, ut magis explicant Suarez *diſp.*19.*ſec.*3.*num.*24. Arriaga *diſp.*19.*ſec.*5.*ſubſec.*2. Vaſquez *diſp.*126. *cap.*2.*&* 3. alijque magis communiter contrà Canum *lib.* 12. *de locis theol.c.*9. Canarienſem *q.*32.*de Trinit.art.*4.3 *par.comment.*& quoſdam alios volentes errorem in materiâ fidei provenientem ex ignorantiâ culpabili, præſertim affectatâ, eſſe propriam infidelitatem.

Error in materia fidei proveniens ex ignorantia, etiam affectata, non eſt infidelitas.

8. Tertio peccatum contra fidem eſt, non infidelitas, pura omiſſio ſeu ſuſpenſio actus fidei, quando obligat affirmativum præceptum credendi; enimverò talis ſuſpenſio, niſi proveniat ex dubitatione aut ſuſpicione incertitudinis, non deſtruit objectum formale fidei & relinquit ſubjectum quodammodo indifferens, nec reddit ipſum poſitivè indiſpoſitum ad habendam fidem; undè licet poſſit contra fidem peccari tam peccato omiſſionis tranſgrediendo præceptũ affirmativum credendi, quàm peccato commiſſionis tranſgrediendo præceptũ negativum non diſcredendi; peccatum tamen infidelitatis propriæ dictæ eſt ſolum peccatum cõmiſſionis & tranſgreſſio præcepti negativi.

Nec item eſt infidelitas pura omiſſio aut ſuſpenſio actus fidei, quando eſt obligatio credendi.

Quartò peccatum contra fidem eſt, non infidelitas, exponere ſe, aut proximum, morali periculo apoſtatandi à fide; vel etiam proximum ad falſam religionem inducere, hæreſes diſſeminare & ſimilia, cum quibus poteſt fides retineri, & præſtari internus aſſenſus rebus revelatis.

9. Quintò peccatum contra fidem eſt, non infidelitas docere, tanquam de fide aliquid, quod de fide non ſit, & velle ei aſſentiri tanta firmitate, quanta rebus fidei, hoc enim eſt ſentire & docere ultrà, at non contra divinam auctoritatem; ſicuti eſt ultrà, non contra D. Thomæ doctrinam, aſſerere tanquam ab ipſo traditum aliquid, de quo ipſe non egerit; non repugnat autem cum fide, quod divinæ auctoritati non contrariatur, ideò &c. eſſet id tamen grave peccatum contra fidem, utpotè quæ licet directè obliget ſolum ad credendum

Nec tandem eſt infidelitas docere, tanquam de fide quod de fide non eſt.

firmiſſimè

Digitized by Google

firmiſſimè Deo loquenti, indirectè obligat ad non credendum eadem firmitate Deo non loquenti, quod dici poteſt peccatum nimiæ credulitatis; & ſicuti ſpes theologica habet commune cum virtutibus moralibus verſari inter vitia oppoſita, nimirum inter deſperationem cujus eſt non ſperare ſperanda, & præſumptionem cujus eſt ſperare non ſperanda; ità fides mediat inter infidelitatem cujus eſt non credenda, & nimiam credulitatem cujus eſt credere non credenda; ſubintellige tamen quod ſint ſimpliciter credibilia, & ſecundum ſe à Deo revelabilia; item quod Eccleſia non definierit credendum ea non eſſe credenda, nec de facto revelata.

10. E contrà non ſolum peccatum contrà fidem eſt, verum etiam infidelitas diſcredere divinæ auctoritati ſufficienter propoſitæ in re unica, utcumque leviſſima; divinæ enim auctoritati repugnat falli aut fallere in re unica æque, ac in multiplici; in re leviſſima æquè, ac in gravi; ideo quacumque in re divinæ auctoritati diſcredatur, deſtruitur quodammodo ipſius certitudo, & habetur repugnantia ac indiſpoſitio ad ei aſſentiendum ſuper omnia.

Dubium aut formido de rebus fidei eſt infidelitas.

Rursùs non ſolum peccatum contrà fidem eſt, verum etiam infidelitas, dubitare, aut formidare de rebus fidei; undè *in cap. 1. de Hæreticis* rectè habetur *Dubius in fide infidelis eſt*; non ſolùm enim diſſenſus, verum etiam dubium & formido repugnat cum aſſenſu firmiſſimo, & cum præparatione ſeu diſpoſitione animi ad talem aſſenſum: Eadem eſt ratio de opinione, ſi ſupponatur formidinem includere, at cum per res ab omni formidine abſtrahit & poſſit conjungi cum actu ſummè certo, non eſt infidelitas ulla, imo nec peccatum contrà fidem, habere actum opinionis de rebus fidei, dummodo iſte actus ex medio fidei extrinſeco, non ex vi divinæ revelationis habeatur; qui ex vi divinæ revelationis opinaretur, judicaret divinam revelationem eſſe probabiliter tantùm, non infallibiliter connexam cum veritate rei revelatæ, quod judicium pugnat cum certitudine fidei, & eſt actus infidelitatis; opinio igitur cum fide compoſſibilis debet provenire ex congruentiâ naturali, auctoritate humana, & ſimilibus medijs probabilibus; quibus de facto ſolemus explicare & probare plures res revelatas, idque certè abſque præjudicio fidei & abſque peccato, imo utiliter & laudabiliter.

11. *Non ſic opinio dummodo non ſit actus elicitus ex vi divinæ revelationis.*

Ex his facile eſt ad reliqua progredi, & in particulari ſtatuere, quinam alij actus circa res fidei nec infidelitas ſint, nec peccata contrà fidem; quinam & peccata contrà fidem ſint & infidelitas; quinam peccata contrà fidem non infidelitas; addi poſſet, quinam infidelitas, non peccata contrà fidem, cujuſmodi eſſent actus infidelitatis materialis & invincibilis; at hæc non eſt infidelitas in aſſerto definita, nec repugnat cum actu aut habitu fidei.

12. Aſſert. 2. formalis infidelitas ſub propria, & ſpecifica ratione infidelitatis poteſt per accidens, & modo aliquo extraordinario conſummari in voluntate. Ità Valentia *hic diſp. 1. quæſt. 10. punc. 1. dub. 3.* Hurtadus *diſp. 68. ſec. 2.* Lugus *diſp. 18. ſec. 1.* Arriaga *diſp. 19. ſec. 5. n. 14. & 16.* &c. contra Suarez *diſp. 16. ſec. 3. n. 7.* Amicum *diſput. 16 ſec. 1. n. 27.* Malderum *q. 10. art. 2.* Madernum *quæſt. 5. art. 3.* Gabrielem à S. Vincentio *diſput. 7. dub. 2.* & alios magis communiter, cum quibus tamen eſt diſſidium de voce, & de modo loquendi potius, quam de re.

Dixi *ſub propria & ſpecifica ratione infidelitatis*, nam de infidelitate ſumpta ſecundùm formalitatem culpæ, & malitiæ moralis, jam dictum eſt *præced. nu. 3.* eſſe per ſe & primario in voluntate; quod licet negetur ab Arragonio *hic quæſt. 10. art. 2.* Sylvio *eod. art. ad 1.* Gabriele à S. Vincentio *præcit. dub. 2. num. 21.* & nonnullis aliis præſertim ex ſcholâ Thomiſtica, non indiget tamen hic majori diſcuſſione; cum præciſe pendeat, ab eo quod libertas formalis ſit per ſe & primario in ſola voluntate ut nos ſupponimus; non etiam in intellectu ut cenſent Adverſarij mox memorati.

13. *Formalis infidelitas ſub propria, & ſpecifica ratione poteſt per accidens conſummari in voluntate.*

Probatur: formalis infidelitas ſub propria & ſpecifica ratione infidelitatis eſt peccatum ſecundum ſe repugnans cum omni actu, & conſequenter excludens habitum fidei; atqui aliquod hujuſmodi peccatum per accidens, & extraordinario modo poteſt in voluntate conſummari; ergo formalis infidelitas, &c. Major habetur *ex præced. 1. aſſerto.* Ad minoris probationem formant varij varios caſus, at ex majori parte parum efficaces, nec ſufficientes ad intentum, unicum profero ſic: Habeat quis voluntatem efficacem diſſentiendi rebus fidei, & vel ex eo, quod Deus neget concurſum ad diſſenſum, vel ex eo, quod intellectus aliis actibus totus occupetur & quodammodò exhauriatur, non eliciat diſſenſum ullum; in hoc caſu, qui per accidens & extraordinario modo dabilis eſt, propoſitum efficax diſſentiendi rebus fidei in voluntate conſummatur, nec ad intellectum tranſit, cum ex vi ipſius non ponatur ullus actus intellectus, & tamen eſt peccatum ſecundum ſe repugnans cum omni fidei actu, ac conſequenter excludens fidei habitum, tali enim propoſito perſeverante nequit ullus fidei actus elici; ergo aliquod peccatum ſecundum ſe repugnans cum omni actu, &c.

Dices tale propoſitum non conſummari ſimpliciter in voluntate & quatenus in iſta cóſummatur eſſe infidelitatem in affectu tantùm, nó in re; Ratio primi eſt, quia tale propoſitum ſupponit in intellectu judicium aliquod erroneum, divinæque auctoritati contrarium, peccatum enim voluntatis ſupponit ſemper errorem intellectus, & in iſto ſemper præcedit judicium practicum de objecto, quod illa amplectitur. Deinde excluſio actus, & expulſio habitus fidei, ab intellectu ſe tenet ex parte intellectus, non conſummatur igitur in voluntate propoſitum ſecum afferens talem excluſionem & expulſionem. Ratio ſecundi deſumitur à paritate aliorum actuum exteriorum, præſertim actus fidei; quoties enim voluntas habet propoſitum efficax actus fidei, aut operis exercendi ab aliâ potentiâ; ſi intellectus, aut hæc alia potentia, impediatur,

Digitized by Google

tur, dicitur hujuſmodi actus aut opus poni & conſummari iu affectu tantum, non in re. Sed contrà : Ad rationem primi nego neceſſi-
14. tatem prævij iudicij erronei de eodem objecto,&c. ſufficit propoſitio objecti ſub ratione tùm mali tùm booi, ut voluntas malè operetur, & peccatum voluntatis aliquando non alium ex parte intellectus errorem ſupponit, quàm inconſideracionis; pro re noſtrâ, ut voluntas habeat propoſitum efficax diſſentiendi rebus fidei, ſufficit quod intellectus remiſſius conſideret motiva aſſentiendi, & intentius, fortiuſque repræſentet motiva diſſentiendi, quamvis nihil practicè judicet, nec poſitivè erret. Eaclusio actus, & expulſio habitus fidei, ſpectat ad infidelitatem ut effectus ipſius & quaſi pœna; non ut ratio formalis; ideò rectè poteſt infidelitas quoad propriam rationem formalem tota conſummari in voluntate, etiamſi inducat carentiam actus, & habitus fidei, ex parte intellectus. Ad rationem ſecundi, utrum poſitum illud dicendum ſit infidelitas in affectu, an in re? multum habet quæſtionis de oomine, nobis ſufficit quod præſtet omnem effectum, quem præſtaret infidelitas in re; quod non evenit in actu fidei, cujus propoſitum & votum non eſt ſufficiens ſalutis ac juſtificationis initium, ſed requiritur in re, ſic & plura alia opera externa poſita in voto non habent eundem effectum, quem poſita in re; ideò iſta in propoſito, & affectu voluntatis, non ſimpliciter conſummatur, ſecus infidelitas.

---

§. II.

Quot & Quæ ſint infidelitatis ſpecies? & utrum eſſentiales, an accidentales?

15. Infidelitas triplex, nimirùm Paganiſmus, Iudaiſmus, Hæreſis.

ASSERT. I. Rectè aſſignantur tres infidelitatis ſpecies, nimirum Paganiſmus, Judaiſmus & Hæreſis. Ita D. Thomas *hic quæſt. 10. art. 5.* & Theologi communiter, cum aliquo tamen diſſidio in modo diviſionis explicandæ & qualificandæ; aliqui enim eam explicant relatè ad ſubjectum, aliqui relatè ad objectum, aliqui relatè ad Sacram Scripturam; eandem aliqui qualificant ut eſſentialem, aliqui ut accidentalem; aliqui ut numeris omnibus abſolutam & juxta omnem rigorem ſcholaſticum, aliqui ut datam ad commoditatem potius, quàm ad rigorem doctrinæ; & opportunam ferendis legibus ac ſanciendis pœnis contrà infideles magis, quam dialecticis diviſionum regulis accommodatam; in quibus labor eſt improbus & ſæpè deſinens in quæſtiunculas purè vocales.

Probatur aſſerta diviſio in univerſum ex communi ſenſu Eccleſiæ, quæ in die Paraſceves pro infidelibus oratura diſtinctas orationes inſtituit pro Paganis, pro Iudæis, pro Hæreticis. Eoſdem videtur diſtinguere Apoſtolus 1. *Corinth.* 1. dum poſt factam mentionem contentionum, & hæreſum, ait Chriſtum Crucifixum eſſe *Iudæis quidem ſcandalum Gentibus autem ſtultitiam.* Accedunt pro aſſertâ diviſione auctoritates Concilij Epheſini, Cyrilli, Alexandrini, Damaſi Papæ, ac Juris tum Civilis, tum Canonici, apud Suarium *diſp. 16 ſec. 4. num. 3.*

Probatur inſuper diſcurrendo in particulari per ſingula membra, quæ quidem placet eaplicare per ordinem ad renitentiam fidei, ſeu ad receſſum à fide; non quidem ſubjectivè receptâ, qua ratione aliqui Thomiſtæ vocant hæreticum eum, qui aliquando habuit veram fidem Chriſtianam; Judæum, qui aliquando habuit veram fidem in figura; Paganum, qui nullatenus unquam veram fidem habuit; quod licet poſſit in aliquibus evenire, neceſſe tamē id non eſt ut patebit ea ſequētibus: Attēdi igitur debet receſſus à fide accepta objectivè, adeò ut qui nullam prorsùs revelationem admittit, & à totâ quodammodò fide recedit, dicatur Paganus: Qui admittit revelationem tantum de Deo, non de Chriſto, nec de Incarnationis Myſterio præſertim ut jam facto, & recedit quodammodo à fide Chriſti, non à fide Dei, dicatur Judæus: Qui admittit revelationem tùm de Deo, tum de Chriſto præſertim de jam factâ Incarnatione, & negando aliquam particularem fidei veritatem recedit quodammodo à fide Chriſti partialiter & ſecundum quid, dicatur hæreticus. Hunc explicandi modum cæteris præfero, tum quia attenditur penes objectum non tantùm materiale, verum etiam formale; commune autem eſt omnibus virtutibus & vitiis diverſificari & diſtingui penes objectum, præſertim formale; tum quia optimè ſalvat quomodo allata diviſio adæquata ſit, & ſub aliquo ſuorum membrorum complectens quamcumque aſſignabilem infidelium ſectam, ut magis conſtabit aliquali inductione quam ſubijcio ſic: 16.

Singula prædicta membra explicantur relatè ad revelationem & fidem objectivè acceptam.

17. Sub Paganiſmo continētur Turciſmus. Atheiſmus. Idololatria. Anti-chriſtianiſmus.

Turcæ & Mahumetani infideles ſunt infidelitate Paganiſmi, quia licet admittant aliquas veritates fidei tum Chriſtianæ tum Judaicæ puta quod Deus ſit creator Cœli & terræ, quod ſit futurum judicium, quod Chriſti Mater ſit Virgo, eas tamen admittunt non ut revelatas à Deo aut à Chriſto, ſed ut dictas à Mahumete aut notas naturæ lumine.

Athei, Idololatræ, Philoſophi non aliundè quam ratione naturali unum Deum agnoſcentes pagani pariter ſunt; Athei ità dicti, quia ſine Deo, utique non agnoſcunt ullam Dei revelationem; Jdololatræ, ut potè qui non colunt Deum verum, ſed plures falſos, carent omni veri Dei revelatione non minus, quam omni vero Deo; Philoſophi dum ducuntur ſola ratione naturali, nullum habent ductum revelationis, nullam notitiam Dei ut Auctoris ſupernaturalis & ſupernaturaliter revelantis.

Anti-chriſtus interius & quoad rem erit infidelis infidelitate paganiſmi, poſt conquiſitum enim orbis dominium ſe proponet colendum ut Deum, & conabitur oſtendere nullum eſſe verum Deum præter ſe ipſum, quamvis ab initio ſimulaturus ſit ſe reſtauratorem eſſe legis Moſaycæ, & verum Meſſiam adeóque exterius incipiet profiteri religionem Iudaicam & primi ipſius aſſeclæ judaiſmum amplectentur.

Lutherani,

Digitized by Google

18\. Lutherani, Calviniſtæ cæterique Novatores ſunt infideles infidelitate hæreſis, admittunt enim revelationes tùm de Deo tùm de Chriſto ſimpliciter & abſolutè, negant verò plures particulares veritates circa juſtificationem, circa Sacramenta &c. Nec neceſſe eſt, quod tales veritates anteà aliquando crediderint, aut ſaltem verum baptiſmum ſuſceperint, quia nos infidelitatis ſpecies diſtinguimus per receſſum à fide objectivè, non ſubjectivè conſiderata; & meritò, nam Pauliauiſtæ verum baptiſmi ritum non ſervant, Anabaptiſtæ non baptizantur, niſi in ætate valdè adultâ, & ut plurimùm neutri unquam aliquo proprio actu fidem comparaverunt, & tamen tùm Pauliauiſtæ tùm Anabaptiſtæ, etiam antè ætatem valdè adultam, ſolent ab Eccleſia cenſeri Hæretici.

Ad hæreſim non eſt neceſſaria præcedens ſuſceptio baptiſmi aut fidei.

Dices: quidquid ſit de his & ſimilibus; aſſignari omninò poſſunt plures aliæ infidelitates quæ ſub nullo membro aſſertæ diviſionis etiam juxta explicationem à nobis poſitam intellectæ contineantur: Primò enim dubitatio in fide eſt infidelitas, & tamen non apparet ſub quonam ex illis membris contineatur. Secundò ſi quis antè Chriſti adventum credendo in univerſum divinas revelationes diſcredidiſſet aliquem particularem articulum religionis judaicæ fuiſſet infidelis, ut fuerunt de facto inter Iudæos Saducæi; & tamen nec fuiſſet Paganus quia admiſiſſet revelationes divinas, nec hæreticus quia nullam agnoſceret de Chriſto revelationem, quod per nos ad hæreſim requiritur, ergo Saducæiſmus, & ſi quæ alia ſimilis infidelitas inter Judæos extitiſſet, non continetur ſub aliquo ex membris aſſignatis. Tertiò apoſtaſia à fide eſt infidelitas, univerſalior ac major qualibet ex tribus infidelitatibus aſſignatis, ergo ſub nulla iſtarum continetur, & eſt quarta infidelitatis ſpecies. Sed contra.

19\. Ad primum dico dubitationem contineri ſub illa infidelitate, ad quam dubitans deflectit; adeò ut qui dubitat de omnibus divinis revelationibus ſit Paganus; qui de revelationibus Chriſti exiſtentis & Incarnationis factæ ſit Judæus; qui utriſque revelationibus univerſaliter admiſſis dubitat de aliquo articulo particulari ſit hæreticus.

Ad ſecundum dico aſſertam diviſionem eſſe traditã pro præſenti fidei ſtatu & in ordine ad infidelitates, quæ in eo poſſunt occurrere; cujuſmodi non eſt infidelitas Saducæorum, aut alia ſimilis, de qua propterea nil mirum ſi ad nullum aſſertæ diviſionis membrum directè pertineat; reductivè tamen pertineret ad hæreſim, quæ licet pro præſenti ſtatu ſit infidelitas admittentiũ revelationes de Chriſto præſente & profitentium religioné chriſtianã, ex genere tamen ſuo dici poteſt omnis infidelitas, qua quis profitendo veram pro tempore religionem deficit ab aliquibus articulis.

Saducæiſmus inter Iudæos reducebatur ad hæreſim.

20\. Petes, quid ſi pro tempore, quo Judaiſmus erat vera religio, Judæus aliquis defeciſſet credendo Chriſtum jam præſentem, & Incarnationem jam factam ut credunt modò Chriſtiani: hæc infidelitas reduceretur ne ad hæreſim an conſtitueret novam & quartam ſpeciem? Reſpondetur, quod talis infidelitas minùs congruè reduceretur ad hæreſim, quia Judæus pro tunc à tota ſua religione deficeret, videretur potiùs dicenda Chriſtianiſmus, quod nomen licèt poſt Chriſti adventum ſignificet veram religionem, non ſic antea; nec propterea eſſet quarta infidelitatis ſpecies, ſed tertia & ſe haberet ut nunc Judaiſmus; adeò ut ſicuti nunc tres infidelitates ſunt Paganiſmus, Judaiſmus & Hæreſis, ita antè Chriſti adventum in lege aut ſcripta aut naturæ, tres infidelitates fuiſſent Paganiſmus, Chriſtianiſmus, ſeu Pſeudo-chriſtianiſmus, & Hæreſis; ita ratiocinatur Lugus *diſp.* 18. *ſec.* 3. *num.* 74.

Chriſtianiſmus ante Chriſti adventum eſſet infidelitas ſe habens, ut nunc Iudaiſmus.

Ad tertium obſervo cum D. Thoma *hic quæſt.* 12. *art.* 1. apoſtaſiam ex vi nominis importare receſſum, ſeu retroceſſionem à Deo, & diverſimodè fit juxta diverſos modos conjunctionis cum Deo; nam conjunctioni per ſpecialem ſtatum religioſum, aut clericalem, correſpondet apoſtaſia à religione; quam quis profeſſus eſt; aut ab ordine, quo quis eſt initiatus: Conjunctioni per voluntatem ad obediendum divinis mandatis correſpondet apoſtaſia ab obedientia mandatorum: Conjunctioni per intellectum ad credendum Deo correſpondet apoſtaſia à fide, quæ eſt apoſtaſia omnium maxima, ipſa ſola pertinet ad rem præſentem, & definiri poteſt receſſus à fide ſuſcepta; & quidem ſi ſit à fide ſuſcepta viſibiliter coram Eccleſia per baptiſmum, videtur eſſe apoſtaſia magis propria; minùs propria verò, ſi à fide ſuſcepta inviſibiliter coram Deo ut ſi Catechumenus, antequam baptizetur, retrocedat; Videtur etiam apoſtaſia magis propria, ſi fides ſuſcepta ex integro relinquatur ut relinquitur à fideli lapſo in paganiſmum aut judaiſmum, minùs propria ſi relinquatur tantùm ex parte, ut relinquitur à fideli lapſo in hæreſim, imò huic ſimpliciter loquendo non tribuitur apoſtaſiæ nomen, ideóque Sancti Patres (ut refert Suarez *diſput.* 16. *ſec.* 5. *num.* 3.) appellarunt Iulianum apoſtatam, non hæreticum; Conſtantium hæreticum non apoſtatam; quia ille Imperator, non iſte, ex integro Chriſtum negavit, & à Chriſtiana fide totaliter receſſit. Dividimus igitur apoſtaſiam à fide in inviſibilem & viſibilem, in partialem & totalem, & ad vitandam quæſtionem de nomine deſertionem fidei, aut ſolùm ex parte, aut ſolùm inviſibiliter ſuſceptæ, de qua utraque controvertitur; utrùm ſit nec ne apoſtaſia? cenſemus eſſe apoſtaſiam minùs propriam.

21\. Apoſtaſia ex vi nominis quid, & quotuplex?

Apoſtaſia à fide quid? & quænam magis, quænam minus propria?

Sic breviter explicata apoſtaſia à fide dico eam non eſſe quartam infidelitatis ſpeciem, ſed circumſtantiam accidentalem quæ reperiri poteſt in Paganiſmo, & Iudaiſmo, ac minus propriè etiam in hæreſi; eſt accidentalis, quia nulla ex allatis infidelitatibus per ſe aut requirit, aut excludit, quod fides antea præceſſerit, eſt circumſtantia, non differentia ſpecifica, quia peccare contra virtutem quam quis habeat, & peccare contra virtutem quam quis non habeat antecedenter ad peccatum, non infert diverſam ſpecie malitiam, ut exemplificari poteſt in actu odij Dei, ſuperbiæ, intemperantiæ &c. ergo ſimiliter peccare cum 22.

Eſt infidelitatis non quarta ſpecies, ſed circumſtantia accidentalis & vaga.

apoſtaſia contra fidem ſuſceptam, & peccare ſine apoſtaſia contea fidem non ſuſpectam, non eſt divetſum ſpecie peccatum, ac per conſequens apoſtaſia non eſt differentia ſpecifica infidelitatis; imò nullatenùs eſt differentia, ſed accidens cæteris infidelitatibus commune & vagum. Neque dicas appoſtaſia erit ſpecialis differentia propriam ſpeciem conſtituens in eo ſaltem, qui veram fidem deſereret non amplectendo ollam falſam ſectam determinatè. Contrà enim falſæ ſectæ præſertim capitales diſtinguuntur non tantum penes errores poſitivos, quos involvunt; ſed etiam penes minorem, majorem, vel totalem receſſum à fide, & ex hoc capite is, qui veram fidem deſerit, ſemper amplectitur aliquam falſam ſectam deflectendo in aliquam ex tribus infidelitatibus enumeratis.

23\. *Addere ſolet infidelitati ſpecialem malitiâ contra aliam virtutem à fide.*

Utrùm verò apoſtaſia, quamvis non ſit propria infidelitatis ſpecies, eam tamen infidelitatis ſpeciem, cui advenit, ita aggravet, ut addat diverſam ſpecie malitiam proptee oppoſitionem ad aliam virtutem à fide; probabile eſt eegulariter loquendo addere, quia regulariter qui à fide apoſtatat, negat obedientiam Pontifici, & Eccleſiæ, cui in ſuſceptione baptiſmi ſe ſubjecerat, nihilominùs apoſtaſia minùs propria, qualis eſt illa Cathecumeni, qui nunquàm fuit Eccleſiæ ſubditus, non addetet infidelitati malitiam inobedientiæ & fortè nec ullam aliam ſpecie diverſam, ideò aggravaret tantùm infidelitatem in propriâ ſpecie, quatenus illam reddit pejorem major cognitio fidei.

24\. *Tres infidelitatis ſpecies accidentales ſunt, nec eſſentialiter differunt.*

Aſſert. 2. Tres aſſignatæ infidelitatis ſpecies accidentales ſunt, non eſſentiales. Ità Suarez *hic diſput.* 16. *ſec.* 4. *num.* 8. Lugus *diſput.* 18. *ſec.* 3. *num.* 94. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 7. *dub.* 6. *num.* 43. alijque nonnulli contrà Caietanum *hic quaſt.* 10. *art.* 5. Banneſium *ibid.* Maldetum *ibid.* Amicum *diſput.* 16. *num.* 21. Arriagam *diſput.* 19. *num.* 25. Eſparzam *quaſt.* 47. *artic.* 9. cæteroſque tùm Thomiſtas communiter, tùm moltos Recentiores.

Probatur: Nulla eſt neceſſitas diverſitatis eſſentialis inter tres aſſignatas infidelitatis ſpecies; ergo ſunt ſpecies accidentales, non eſſentiales; conſequentia patet ex generali regula, quâ non ſunt multiplicanda, nec diverſificanda entia ſine neceſſitate: Antecedens probatur, non habetur talis neceſſitas ut vult Caietanus ex fide priùs ſuſcepta, quia per nos id pee accidens ſe habet & poteſt, tùm in qualibet, tùm in nulla infidelitatis ſpecie reperiri; & quaodo ad aliquam determinatè eequireretur non inferret diverſitatem formalem, & eſſentialem, ſed materialem ſe tenentem ex parte ſubjecti.

Aut ex fide prius ſuſcepta.

Non habetur, ut vult Arriaga, ex diverſitate objecti aut materialis aut formalis fidei, à qua receditur, quia hic Auctor malè ſupponit tùm objecta materialia ſpecie diveeſa ſufficere ad diverſificandos ſpecie actus, tùm dari diverſitatem ſpecificam in ipſomet objecto formali fidei, ex quo capite ſicuti malè diverſificaverat ſpecie fidei actus, ità malè diverſificat ſpecie infidelitates.

Aut ex diverſitate objecti.

25\. *Aut ex diverſa oppoſitione ad fidem.*

Non habetur, ut voluot alij magis communiter, ex diverſo modo receſſus à fide ſeu oppoſitionis ad fidem; quia diverſa oppoſitio ad eandem virtutem ſufficit ad diverſificanda ſpecie vitia ſolùm, quando una oppoſitio eſt per exceſſum, altera pee defectum; qua ratione liberalitati opponuntur prodigalitas & avaritia; at in noſtro caſu omnes aſſignatæ infidelitatis ſpecies opponuntur fidei per defectum, & exceſſus in credendo plus, quàm oporteat credere nulli infidelitati per ſe, ac eſſentialiter convenit, & quamvis ſit peccatum contra fidem, eſt tamen ex ſe præciſe credulitas non infidelitas *ex præced. n.* 9. Non habetur quodammodò à poſteriori, aut ex neceſſitate explicandi in confeſſione, ad quamnam infidelitatis ſpeciem quis deflexerit, aut ex congruentia diſtinguendi tres aſſignatas ſpecies ab iovicem magis, quàm ab apoſtaſia; quæ tamen, cum ſit accidens infidelitatis, non apparet, cur dici nequeat ſpecies ipſius accidentalis? Enimverò huic congruentiæ facilè occurritur repetendo ex dictis apoſtaſiam eſſe accidens infidelitatis non differentiale & proprium, ſed commune & vagum, eamque proptereà dicerem accidens genericum, non differentiam accidentalem in linea infidelitatis; imò Arriaga *diſputatio. decima nona, numero trigeſimo quarto*, cenſet poſſe probabiliter dici genus ad tres infidelitatis ſpecies; hoc tamen non placet, quia genus debet eſſe ſuis ſpeciebus eſſentiale. Deinde magis differunt tres aſſignatæ infidelitatis ſpecies ab invicem, quàm ab apoſtaſia, quia iſta ſe tenet ex parte ſubjecti, illæ differunt ex objecto, tùm materiali, tùm formali nimirum ex renitentia, tum ad diverſas res revelatas, tùm ad diverſas eevelationes: Neque illicò inferas, ergo differunt eſſentialiter, ſi ex diverſo objecto etiam formali: Contrà enim diverſitas objecti formalis ut diverſificet eſſentialiter actus debet eſſe eſſentialis & ſpecifica, qoalis non eſt diverſitas revelationum penes quas diſtinguuntur infidelitates; & ſicuti hac de cauſa credere revelationes, aut de Deo, aut de Chriſto, non ſune actus fidei diverſi eſſentialiter, ita nec illas diſcredere ſunt diverſi eſſentialitee actus infidelitatis.

Aut ex majori diverſitate ab invicem, quàm ab apoſtaſia.

26\. *Aut ex neceſſitate explicandi in confeſſione.*

Supereſt neceſſitas explicandi in confeſſione, quam veeè admitto regularitee loquendo; at ſuſtinebit aliquis hanc provenire ex obligatione explicandi quidquid notabiliter aggravat etiam intra eandem ſpeciem; aliquis alius putabit ex ea inferri diverſitatem eſſentialem ſolùm in genere moris & quoad ſpeciem moralem, non quoad ſpeciem phyſicam, aut metaphyſicam. Meliùs tamen occurritue dicendo neceſſitatem obligationemvè explicandi in confeſſione ſpeciem infidelitatis, ad quam quis deflexit, non oriri à fide, ſed ab aliqua alia virtute præſertim à religione; cujus diverſos ritus per diverſas infidelitates quis amplectitur; contrà quam etiam ſæpè eſt diverſimodè blaſphemus, qui eſt diverſimo-

dè

Digitized by Google

dè infidelis, ut magis explicat Lugus *præcit. diſputatio. decima octava, à numero octuageſimo octavo, & diſputatio. decima ſexta, de Pœnitentia ſectio. quinta, à numero* 188. Tres igitur ſpecies aſſignatæ ſi conſiderentur præciſè ſub genere infidelitatis, & ſecundum malitiam, quam habent per puram oppoſitionem ad fidem, ſunt ſpecies accidentales, & probabiliter non eſſet ex hoc capite obligatio eas diſtinguendi in confeſſione; ſunt verò ſpecies eſſentiales, & ideò in confeſſione neceſſariò diſtinguendæ, ſi conſiderentur ſub aliis generibus, ſub quibus regulariter continentur, nimirùm irreligioſitatis, inobedientiæ, & ſecundùm malitiam, quam habent per oppoſitionem ad religionem, obedientiam &c.

---

§. III.

Quænam infidelitas ſit gravior, & utrùm omnis ac ſola hæreſis ſit infidelitas punibilis ab Eccleſia?

27\. ASSERT. 1. Sub una ratione infidelitas gravior regulariter loquendo eſt Paganiſmus, ſub alia eſt Hæreſis: Simpliciter verò & abſolutè hæreſis potiùs, quàm Paganiſmus, eſt infidelitas peſſima & graviſſima. Ita Divus Thomas *hic quæſtio. decima, articulo ſexto*, & Theologi communiter, quamvis cum aliqua diverſitate in afferenda ratione, ſub qua hæreſis eſt gravior.

Sub aliqua ratione Paganiſmus eſt infidelitas gravior aliquis.

Probatur & explicatur: Infidelitas conſiderari poteſt, vel materialiter & extenſivè, ideſt relatè ad fidei materiam, vel formaliter & intenſivè, relatè ad fidei notitiam. Sub prima ratione Paganiſmus gravior eſt Iudaiſmo, & uterque hæreſi; quia Paganiſmus negat plures res revelatas & plures revelationes continetque plures errores, quàm Iudaiſmus, & uterque plures, quàm hæreſis: Sub ſecunda ratione hæreſis gravior eſt Iudaiſmo, & uterque Paganiſmo; quia Hæreticus ſolet habere majorem veræ fidei notitiam, quàm Iudæus, & uterque majorem, quàm Paganus, & quia gravitas ſeu malitia formalis eſt illa, quæ ſimpliciter & abſolutè attenditur in peccato, ſimpliciter & abſolutè hæreſis potiùs, quàm Paganiſmus eſt infidelitas peſſima & graviſſima. Rationem majoris gravitatis in hæreſi à nobis collocatam in eo, quod ſit contrà fidem magis cognitam, aliqui collocant in eo, quod ſit contra fidem anteà ſuſceptam, & ita quoque loquitur Divus Thomas; qui tamen poteſt intelligi de fide ſuſceptâ, aut in cognitione, aut in re; cæterùm quod quis habuerit anteà fidem in re poteſt quidem aggravare infidelitatem, at per nos id non eſt hæreſis proprium.

Sub aliqua alia ratione, imò ſimpliciter, eſt gravior hæreſis, loquendo regulariter.

Dixi *regulariter loquendo* aliquandò enim contingit Paganum, aut Iudæum, habere majorem notitiam circà obligationem credendi, & res noſtræ fidei, quàm habeat hæreticus, quia iſte verbi gratia, rudis ſit & in ſylvis enutritus; ille doctus, & inter Catholicos verſatus; in hoc caſu Paganiſmi aut Iudaiſmi gravitas erit intenſivè major gravitate hæreſis: Econtrà hæc poteſt eſſe major extenſivè, ſi contingat aliquem hæreticum habere plures errores, quàm habeat Paganiſmus quia iſte verbi gratia, plura de Deo, aliqua etiam de Chriſto credat ille verò credat v. g. dumtaxat Verbum incarnatum.

Aſſert. 2. Nec omnis, nec ſola hæreſis, eſt infidelitas punibilis ab Eccleſia; verè tamen eſt punibilis hæreſis habens aliquas determinatas conditiones, at hæ reddunt punibilem etiam infidelitatem Iudaiſmi aut Paganiſmi, ſi in ipſa reperiantur. Eſt aſſertum communiſſimum, & ex parte de fide, contra Hæreticos noſtri temporis negantes eam, quam dederunt in Eccleſia poteſtatem ipſos puniendi: ex parte deindè, quia talis poteſtas aſtruitur etiam relatè ad alias infidelitates, eſt contrà nonnullos Catholicos, qui dum volunt omnes à fide apoſtatas eſſe hæreticos, docent conſequenter ſolam hæreſim eſſe ab Eccleſia punibilem; at hi Auctores procedunt ex falſo ſuppoſito, & à nobis diſcrepant non in Perſonis ab Eccleſia punibilibus, ſed in modo denominandi tales Perſonas infideles, una, vel alia infidelitate; quod eſt diſcrimen nominale & leviſſimum, ut magis mox conſtabit. 28.

Probatur & explicatur aſſertum, quod quia multa continet, indiget multa explicatione, multiſque animadverſionibus, ex quibus ſucceſſivè & paulatim eruetur probatio & intelligentia ſingularium aſſerti partium, ideò 29.

Hæreſis quid ex vi nominis.

Adverto primò hæreſim græcè idem eſſe, quod latinè electio, & poſſe in aliis materijs à fide ſumi in bonam partem æquè ac in malam, non ſic in materia fidei, in qua debemus ſolam divinam auctoritatem, non electionem noſtram ſequi; & licèt Adverſarij, aut externi, fidem Chriſti aliquandò appellaverint hæreſim, non approbant id tamen nec tolerant Chriſtiani, apud quos tùm propter allatam rationem, tùm propter Eccleſiæ conſuetudinem, in materiâ fidei malè ſonat hæreſis vox, & eſt electio prava doctrinæ, ad quam quis ex proprio arbitrio, non ex alieno divinoque teſtimonio ducitur, undè eſt ſpecies infidelitatis; tribuitur autem profitentibus fidem Chriſti potiùs, quàm Iudæis aut Paganis, quia ut tradit S. Doctor *quæſt.* 11. *art.* 1. *in c.* profitentes fidem Chriſti, dum intendunt Chriſto credere, deficiunt quodammodò in electione dumtaxat credendorum, non in intentione credendi; at Iudæi & Pagani, dum rejiciendo prorsùs religionem Chriſtianam nolunt Chriſto aſſentiri, deficiunt etiam in intentione credendi, & habent malam voluntatem circà finem,

circà quem verſatur intentio, non præcisè circà media, circa quæ verſatur electio: Hæreſis igitur ſumpta pro ſpecie infidelitatis formalis & propriæ poteſt tum ex ætimologia nominis tum ex re per nomen importata definiri, error quo quis ex propria electione deficit in materia fidei Chriſtianæ quam profitetur: Hujuſmodi error ſi intra mentem retineatur, dicitur hæreſis purè interna; ſi extra prodeat per ſignum aliquod ſenſibile, dicitur hæreſis externa, quam diviſionem intellige eodem proportionaliter modo, quo diviſionem actus fidei in internum & externum.

Quid proprie eſt ſpecies infidelitatis?

30. Hinc jam habetur non omnem hæreſim eſſe ab Eccleſia punibilem, certè enim talis non eſt hæreſis purè interna, quia de internis Eccleſia non iudicat; cum non poſſit de ipſis habere inquiſitionē & notitiam, utpotè quæ inviſibilia ac inſenſibilia ſunt, Eccleſia autem in ſe viſibilis, ac ſenſibilis eſt, & viſibili ſenſibilique modo procedit; ex quo capite, ſicuti nequit actus pure internos præcipere ita nec punire, cum vis punitiva & præceptiva pertineant ad eandem poteſtatem jurisdictionis.

Non omnis hæreſis eſt punibilis ab Eccleſia.

Adverto ſecundò pro particulis illis *verè tamen eſt punibilis hæreſis habens aliquas determinatas conditiones* duo eſſe præſtanda, Primò oſtendendum eſt in univerſum aliquā hæreſim eſſe ab Eccleſia punibilem: Secundò aſſignandæ ſunt in particulari conditiones neceſſariæ ad hæreſim punibilem, iſtas aſſignabo in animadverſione ſequenti, illud

31. ſic oſtendo: Datur in Eccleſia juſta poteſtas puniendi aliquos hæreticos; ergo verè aliqua hæreſis eſt ab Eccleſia punibilis & quidem juſtè. juſta enim poteſtas puniendi, & juſta punibilitas, ſunt correlativa eſſentialia, & poteſtas puniendi ſine juſtá punibilitate eſſet poteſtas facti, non juris; tyrannica, non juſta: antecedens probatur primò ex teſtamento veteri, in quo erant præcepta judiciaria de puniendis, etiam morte, falſis prophetis & inobedientibus; commendantur inſuper aliqua exempla talis punitionis, ut videre eſt apud Suarez *diſp.*20.*ſect.*3.*num.*10, præcepta autem illa, & exempla commendata, nequeunt non ſupponere juſtam puniendi poteſtatem: Secundò ex teſtamento novo Matthæi 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum*, &c. Matthæi ultim. ait Chriſtus *data eſt mihi omnis poteſtas*, utique ut per ſuos Vicarios & Miniſtros eam exerceat; undè ſubdit *euntes ergo docete*, & hinc Paulus alludens ad talem poteſtatem ſibi communicatam ait Corinth. 4. *vultis in virga veniam ad vos* & Corinth. 10. *ſi gloriatus fuero de poteſtate, quam dedit Dominus mihi*, &c. Tertiò ex conſuetudine univerſalis Eccleſiæ, quæ ut conſtat ex jure canonico, & decretis antiquorum Pontificum, ſemper uſa eſt poteſtate coërcitiva, & punitiva adversùs errantes in materia morum & fidei. Quartò ex conditione cujuſcunque dominationis, & reipublicæ, quæ non poteſt eſſe benè inſtituta ſi careat poteſtate puniendi delinquentes, & deviantes à communi bono, & præcipuo fine ipſius, atqui Eccleſia eſt Reſpublica, imò dominatio Monarchica, optimè inſtituta, & non aliter magis, quàm per hæreſim, deviatur ab ipſius communi & præcipuo fine; ergo.

Hinc habetur lumine, tum fidei, tum naturæ comprobatum, quòd aliqua hæreſis ſit ab Eccleſia punibilis, præſcindendo a qualitate pœnarum, & à Perſonis in quibus reſidet poteſtas eas infligendi, quod proſequi foret prolixius, ſolùm ſuppono eſſe aliqualiter certius, quod in Eccleſiæ Paſtoribus, præſertim in ſummo Pontifice; reſideat poteſtas coercendi hæreticos per ſpirituales, quam per temporales pœnas; attamen hoc quoque certum eſt, quidquid ſpecialiter contrà ſenſerint Marſilius Patavinus, Barclaius, & Rogerus Anglus, quorum ſententia ſi non eſt prorsùs hæretica, ut ſententia negantium Eccleſiæ omnem poteſtatem punitivam, etiā ſpiritualiter, eſt ſaltem erronea & valdè ſuſpecta de hæreſi; ut obſervat Suar. *n.*21. *ſec.*3. *præcit.* in quâ amplè agitat hanc materiam referens & refellens Sectariorum errores varios, eorumque præſumpta fundamenta. 32.

Eſt tamen punibilis aliqua.

Adverto tertiò Eccleſiam Chriſti viſibilem ex ſolis hominibus baptizatis conſtitui, & baptiſmum eſſe unicam januam, per quam habetur in illam ingreſſus, quia verù cujuſcunque Reipublicæ ſeu dominationis juriſdictio ſolùm verſatur circà eos, qui intrà ipſam ſunt eique ſubjecti, conſequens eſt, quod Eccleſia in ſolos baptizatos poteſtatem juriſdictionemque habeat, nec ſupereſt ullus dubitandi locus poſt verba Trident. *ſeſſ.* 14. *c.*2. dicentis *Cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt judicare?* Nec refert, quod extra Eccleſiam non detur ſalus, adeoque intrà Eccleſiam ſit quicunque ſalvari poteſt, ſalvari autem poſſit Catechumenus, aut aliquis alius non baptizatus, habens tamen baptiſmi votum. Non refert, inquam, quia ut quis ſalvetur ſufficit quod ſit intrà Eccleſiam in foro Dei & inviſibiliter, cum ſalus ſit quid inviſibile; at poteſtas coërcitiva exercenda per effectus viſibiles requirit, quod quis ſit intrà Eccleſiam viſibiliter & per viſibilem januam, quæ eſt ſolus baptiſmus: Hunc aliqui volunt ſufficere pro præſenti intento, etiamſi ſit dubius, imò invalidus; at baptiſmus invalidus, ſicuti non eſt verus baptiſmus, ita non eſt vera janua, per quam quis dici poſſit ingredi Eccleſiam; baptiſmus dubius eſt res facti, in dubiis autem facti præſumptio ſtat in favorem Rei, adeoque cum ſubjectio & punibilitas ſit gravamen, non debet quis ratione baptiſmi dubij cenſeri ſubjectus Eccleſiæ, & ab Eccleſia punibilis, quâ de re plura Suarez *diſp.*19. *ſec.*5. Lugus *diſp.*20. *ſect.*4. §. 1. & apud ipſos alij. 33.

Hinc habetur baptiſmum validè & certò ſuſceptum eſſe conditionem requiſitam ad hæreſim, ut ſit punibilis & in ſubjecto, 34.

Digitized by Google

Ea ſcilicet quæ habet in errante præcedentem baptiſmum, & comitem pertinaciam.

jecto, in quod poſſit Eccleſia exercere juriſdictionem poteſtatemque exercitivam; undè jure ſolet cenſeri omninò improbabilis ſententia Alphonſi de Caſtro *libro primo de juſtâ hæreticorum punitione capite octavo*, docentis Catechumenum profitentem fidem Chriſti & deindè in aliquo recedentem eſſe hæreticum ab Eccleſia punibilem. Alia conditio pro hæreſi punibili eſt errantis pertinacia, pro quâ Suarez *diſputation.* 19. *ſec.* 3. *numero nono*, congruit plura loca Juris Canonici & decreta Conciliorum, non inferentia cenſuram hæreſis, nec ſtatuentia pœnas, niſi in eos qui pertinaciter errores tenent, vel (quod idem eſt) præſumunt Eccleſiæ contra-
35. dicere: Huic Juris Canonici & Conciliorum praxi inhærentes Theologi conveniunt in requirendâ pertinacia ad hæreſim punibilem diſcrepant tamen in ſtatuendo quid illa ſit, & qualis eſſe debeat? Mitto reliqua, & cum ex vi nominis pertinacia nihil aliud ſit, quàm magna tenacia, ſentio cum communiore haberi pro re noſtrâ pertinaciam ex eo præcisè, quod habeatur plena perfectaque deliberatio, nemo enim non tenaciter adhæret electioni & judicio provenienti ex plenâ perfectâque deliberatione; ſicuti autem ad errandum cum plena & perfecta deliberatione, nulla requiritur aut temporis mora, aut correptio ſeu admonitio, ità neutra requiritur ad errandum cum pertinaciâ, & admonitio poteſt benè requiri ut detegatur, at non ut habeatur pertinacia: Utrùm verò hæc debeat eſſe contrà Eccleſiam, ejuſque auctoritatem, an ſufficiat quod ſit contra fidem ſufficienter propoſitam? Dubium eſt in praxi inutile, quia ſecundùm præſentem providentiam quidquid ſufficienter proponitur, ut de fide credendum, proponitur ab Eccleſia: ideò quiſquis eſt pertinax contrà fidem ſufficienter propoſitam, eſt pertinax contrà auctoritatem & propoſitionem Eccleſiæ, contrà quam ſi cenſeatur pertinax ille ſolus qui habet formalem & explicitam voluntatem contradicendi Eccleſiæ & contemnendi ipſius auctoritatem, facilè concedam pro hæreſi punibili non neceſſario requiri pertinaciam contrà Eccleſiam: verum prior loquendi modus uſitatior eſt & præferendus, ideò ſimpliciter verificatur hæreticum punibilem debere eſſe pertinacem contrà Eccleſiam ejuſque auctoritatem.

36. Porrò in caſu extraordinario, quo quis habens revelationem privatam ſufficienter propoſitam, ei cum plena advertentia & deliberatione perfecta diſſentiret, talis hæreticus ſicuti non eſſet contrà Eccleſiam pertinax, ità non eſſet ab Eccleſia punibilis; & ratio ulterior eſt quia in eo caſu hæreſis non eſſet quodammodò perfectè externa, eo quod Eccleſia ſicuti non poteſt probare revelationem privatam fuiſſe ſufficienter propoſitam, ità nec poteſt diſſentientem convincere de hæreſi: favet praxis, qua Eccleſia non ſolet inquirere de privatis revelationibus, nec ſtatuere, aut exequi in diſſentientes, cæterorum hæreticorum pœnas.

Adverto quarto tres conditiones aſſignatas pro hæreſi punibili quod ſit cum manifeſtatione externa, cum baptiſmo ſuſcepto, & cum pertinacia contrà Eccleſiam, non omnes quidem regulariter reperiri in Paganiſmo & Judaiſmo, reperiri tamen poſſe: ratio primi eſt quia Pagani & Judæi regulariter baptizati non ſunt, & ideò ut potè Eccleſiam non ingreſſi, non ſubſunt ejus juriſdictioni & punitioni. Ratio ſecundi eſt, quia per nos Paganiſmus & Judaiſmus ab hæreſi differunt objectivè penes renitentiam ad revelationes, & res revelatas; non ſubjectivè penes baptiſmum ſuſceptum, aut non ſuſceptum; ideò ſi quis poſt baptiſmi ſuſceptionem diſcredat omnes revelationes de Chriſto, & à Chriſto factas, aut etiam omnes prorſus revelationes divinas evadit infidelis infidelitate Judaiſmi aut Paganiſmi; & quamvis ita diſcredentes ab aliquibus dicantur hæretici Judaizantes aut Paganizantes potius, quàm Judæi aut Pagani, nihilominus quoad ſpeciem infidelitatis verè Judæi aut Pagani ſunt; & modus ille loquendi ſi admittatur, nihil aliud ſignificat, quàm tales Judæos aut Paganos eſſe hæreticos quoad pœnam, eaſdem ſcilicet incurrere pœnas, quas incurrunt hæretici ſimpliciter & infideles in propria ſpecie hæreſis. 37.

Conditiones requiſitæ ad hæreſim punibilem poſſunt reperiri in Paganiſmo & Judaiſmo, & utrumque punibilem reddere.

Hinc probata manet reliqua aſſerti pars, quod ſcilicet non ſola hæreſis ſit ab Eccleſia punibilis, ſed aliæ etiam infidelitates, ſi in iſtis, ut reperiri poſſunt reperiantur illæ determinatæ conditiones, quæ pro hæreſis punibilitate requiruntur, & ſunt tres præmemoratæ nimirum manifeſtatio externa, baptiſmus ſuſceptus, pertinacia contrà Eccleſiam: Scio nonnullos addere pro quarta quod præceſſerit vera fides actualis, aut ſaltem habitualis; nihilominus ex una parte jam dictum eſt præcedentem fidem non requiri ad hæreſim ſecundum ſe, & ut præcisè eſt determinata ſpecies infidelitatis, ex alia parte non urget ulla ſpecialis ratio, ob quam debeat requiri ad hæreſim ut punibilem, imo ſuadetur oppoſitum ex eo, quod de fide ſive actuali ſive habituali vere ſuſcepta conſtare Eccleſiæ non poſſit. Quando deindè hæc quarta conditio ad punibilitatem hæreſis requireretur, non propterea excluderetur punibilitas à cæteris infidelitatibus, quia vera fides poteſt præcedere etiam in tranſeuntibus ad Judaiſmum, aut Paganiſmum, cum ex dictis apoſtaſia à fide ſit accidens commune, & circumſtantia apta vagari per quamlibet infidelitatis ſpeciem. 38.

Quod dictum eſt Hæreticos, Judæos, & Paganos non eſſe ab Eccleſiâ punibiles, niſi ſint baptizati, procedit de punitione peccati infidelitatis; nam quoad alia crimina religionem præſertim, & fidem reſpicientia, cujuſmodi blaſphemiæ, ſortilegia, invocationes dæmonum, contemptus rerum ſacrarum, &c. ut poſſint ab Eccleſia puniri ſufficit, quod ſint Principibus Chriſtiani ſubjecti, aut ipſi, aut locis in quibus delinquunt; habet enim Eccleſia jus tuendi religionem

Infideles non baptizati poſſunt puniri ab Eccleſia quoad aliqua alia crimina, quamvis non quoad infidelitatem.

Digitized by Google

gionem & fidem in Perſonis & locis temporali ditioni Chriſtianorum Principum ſubjectis, & impediendi ne minuatur, lædatur contemnatur. Hinc ex Bullâ Gregorij XI. incipiente *Admodum dolenter audivimus* & Gregorij XIII. incipiente *Antiqua Iudæorum improbitas* committitur inquiſitoribus, ut puniant Judæos & Paganos negantes, quæ in ſua ſectâ habent communia cum catholica religione, undè aliqui apud Dianam *parte quarta, tractatu ſeptimo, reſolutio ſecunda,* ſatis probabiliter inferunt Judæum Principi Chriſtiano ſubjectum poſſe ab inquiſitore puniri, ſi ad Turciſmum tranſeat, eo ipſo enim minuit quodammodo noſtram fidem, & plura ejus dogmata deſerit, quæ habemus communia cum Judæis, non cum Turcis & Paganis.

40. Plura hic deſiderari poſſunt de pœnis, tùm ſpiritualibus, tum corporalibus infidelium; de communicatione cum ipſis eorumque libris prohibitâ; de modis quibus cogi poſſunt ad noſtram fidem audiendam, aut amplectendam; de permiſſione, & tolerantiâ libertatis conſcientiæ, &c. de quibus agere ſolent plures Thomiſtæ cum Sancto Doctore *quæſtion.* 10. ab *artic.* 7. ad 11. & ex aliis Scholaſticis Malderus & Valentia *ead. quæſtion.* Suarez à *diſputat.* 18. ad 24. Lugus à *diſput.* 21. ad 25. Amicus *diſput.* 17. & 18. Arriaga *diſput.* 23. & 25. Herincx *diſputat.* 9. *à quæſt.* 3. *ad* 9. &c. Verum hæc ad Theologiam moralem & jus canonicum, pertinent magis, quàm ad noſtra aſſerta ſcholaſtica; ideò pro nunc patior deſiderari.

---

§. IV.

Cenſuræ variarum propoſitionum in materia fidei, & intrà, aut infra infidelitatem.

41. *Propoſitionum damnabilium cenſuræ & gradus.* ASSERT. Propoſitionum damnabilium in materiâ fidei rectè aſſignantur intrà infidelitatem tres cenſuræ juxtà tres infidelitatis ſpecies; infrà infidelitatem multo plures; & eſſe poſſunt quod propoſitio dicatur alia erronea; alia hæreſi proxima, de hæreſi ſuſpecta hæreſim ſapiens; alia blaſphema, alia impia, piarum aurium offenſiva, male ſonans; alia ſcandaloſa; alia ſeditioſa; alia temeraria; alia improbabilis.

Probatur in univerſum ex eo, quod aſſertæ cenſuræ illæ ſunt, quæ ſolent à ſede Apoſtolica inuri varijs propoſitionibus damnabilibus, habentibus ſcilicet ultrà communem gradum falſitatis ignominioſum aliquid ac noxium, & ferè omnes continentur in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. contrà Uvicle-phum, & *ſeſſ.* 15. contrà Joannem Hus; item in Bulla Leonis X. contrà Lutherum, nec non Pij V. & Gregorij XIII. contrà Bajum. Confirmatur in particulari celeriter percurrendo & breviter explicando ſingulas propoſitiones damnabiles, ſingulaſque cenſuras.

Intrà infidelitatem tres cenſuræ juxtà tres infidelitatis ſpecies ſunt, quod propoſitio dici poſſit alia hæretica, alia judaica, alia paganica, prout poteſt alia hæreſim, alia judaiſmum, alia paganiſmum ſignificare ſeu continere; exemplum primæ ſit Hoſtia conſecrata non continet Corpus Chriſti: exemplum ſecundæ Meſſias nondum venit, verbum non eſt Incarnatum: exemplum tertiæ Non eſt Deus, Non eſt Trinitas Perſonarũ in uno Deo. Obſervandum tamen in præcitatis ſeſſionibus Concilij Conſtantienſis, & Bullis Pontificiis, non fieri mentionem propoſitionũ Judaicarum, aut Paganicarum, nec regulariter intrà infidelitatem propoſitiones cenſurari, aliter, quàm ut hæreticas; ratio eſt, quia Eccleſia regulariter examinat & qualificat, duntaxat propoſitiones profitentium Chriſti fidem, qui per conſequens, ſi infideles ſint, ſunt tales regulariter in ſpecie hæreſis: Hinc quoque Theologi explicare ſolent intrà infidelitatem ſolas propoſitiones hæreticas & infrà infidelitatem ſolas proximas hæreſi, aut ſuſpectas de hæreſi, potius quam proximas Judaiſmo aut Paganiſmo, &c. quæ tamen optimè poſſunt occurrere. Sequemur & nos cæterorum morem ſingillatim explicando ſolas propoſitiones hæreticas & infrà hæreſim; at ex his facile cuique erit eruere ea, quæ pertinent ad propoſitiones exiſtentes intrà, aut infrà, alias infidelitates, idest Judaicas, Paganicas; aut Judaiſmo proximas, Paganiſmo proximas, Judaiſmum ſapientes, &c. 42. *Quid & quæ ſit propoſitio judaica, aut paganica?*

Propoſitio igitur hæretica eſt, quæ hæreſim enuntiat, & cujus contraria aut contradictoria eſt de fide enuntians veritatem revelatam, ac ſufficienter propoſitam ut talem; illa per conſequens eſt ſecundum ſe apta conſtituere hæreticum, ſi cætera adſint, ſi nimirum profetatur ab homine baptizato, fidem Chriſti profitente, & contrà Eccleſiam pertinaci, qua ratione dici poteſt hæretica formaliter & punibiliter; hæretica verò materialiter, ſi proferatur ſine contumacia & plenâ advertentia; hæretica non punibiliter ſi ab homine non baptizato; & hac diſtinctione occurritur quæſtioni de nomine, qua propoſitionem enuntiativam hæreſis aliqui volunt eſſe hæreticam, à quocumque proferatur; aliqui ſolum, quando profertur ab hæretico. 43. *Quid, & quæ hæretica?*

44. Infrà infidelitatem, & ſignanter infrà hæreſim, propoſitio erronea non ſumitur pro omni propoſitione enuntiante præcisè errorem quemcumque, hac enim ratione tum propoſitio hæretica, tùm quælibet propoſitio falſa, eſſet erronea, ſumitur igitur pro media quadam ſpecie infrà hæreſim, & ſuprà communem falſitatem? & quidem in aliis materiis falſitas communis eſt, quæ opponitur vero præcisè, error qui opponitur certo aut evidenti; in materia fidei variè à variis explicatur, placet cum communiori appella- *Quid erronea?*

te

Digitized by Google

re errorem illud, quod opponitur concluſioni Theologicæ ut deductæ ex duobus principiis fidei, aut uno principio fidei, altero naturaliter evidente, talis enim concluſio; quamvis per nos ſit de fide ut explicata per talia principia, non ſit tamen ut deducta; ex alia parte eſt valdè certa, & habet etiam aliquam evidentiam ideſt formæ; propoſitio igitur illi oppoſita rectè dicitur erronea, prout hæc vox importat ſpeciem quandam mediam inter hæreſim, & communem falſitatem.

45. Quid proxima hæreſi? Propoſitio hæreſi proxima eſt, quæ enunciat aliquid oppoſitum veritati non omninò certæ de fide, valdè tamen probabiliter tali; exiſtimatæ ſcilicet à pluribus de fide, à pluribus non; monet verò Gabriel à S. Vincentio *diſputat* 8. *dub* 4. *num.* 42. ut propoſitio ſit hæreſi proxima, non ſufficere quod cenſeatur hæretica, aut propoſitio oppoſita cenſeatur de fide, ab uno tantùm vel altero Theologo. Quid proxima errori? Eodem proportionaliter modo aſſignari poteſt propoſitio errori proxima; & erit illa, quæ enunciat aliquid oppoſitum concluſioni Theologicæ, ut deductæ ex duobus principiis, de quibus non eſt omninò certum, quod ſint de fide, aut quod alterum ſit evidens.

46. Propoſitio de hæreſi ſuſpecta & hæreſim ſapiens ſeu olens quas nec ab invicem nec ab erroneâ diſtinguunt Oviedus *contr.* 22. *punc.* 4. §.6. Simancas *in inſtitut. tit* 54. aliique nonnulli poſſunt rectè cum diſtinctione ſumi, ſi dicatur propoſitionem erroneam afferre vehementem hæreſis præſumptionem, qui enim concluſionem theologicam negat præſumitur negare principium fidei potius, quam aut præmiſſam naturaliter evidentem, aut vim illationis, de qua utrâque convinci poteſt, propoſitio igitur erronea eſt in majori cenſuræ gradu, quia vehemens præſumptio eſt quid majus, quàm ſuſpicio, ſeu quaſi ſapor, aut odor hæreſis, hic uterque deindè indicat ſubſtantiam rei, quæ ſentitur magis, quàm ſuſpicio; Quid ſapiens ſeu olens hæreſim? Quid ſuſpecta de hæreſi? proptereà quando propoſitio eſt talis, & taliter prolata, ut probabiliter poſſit judicari aliqua hæreſis in proficiente, dici poterit ſapiens ſeu olens hæreſim; quando poterit quidem formari ſuſpicio, at non judicium probabile, erit ſuſpecta de hæreſi. Quid ſapiens errorem? Quid ſuſpecta de errore? Eodem proportionaliter modo aſſignari, & explicari poteſt propoſitio ſapiens errorem, aut ſuſpecta de errore; & erit ea quæ dabit fundamentum probabiliter judicandi, aut ſolùm ſuſpicandi errorem in proferente.

47. Quid blaſphema? Propoſitio blaſphema eſt, quæ enunciat injuriam contrà Deum, Sanctos, aut res ſacras; hujuſmodi injuria ſi contineat hæreſim dicitur blaſphemia hæreticalis, ut ſi quis dicat, Deus eſt auctor peccati; & propoſitio ſimilem blaſphemiam enuntians dici poteſt blaſphema hæreticaliter, nec differt à propoſitione hæretica niſi ex parte ſubjecti, in quo non ſolet ſupponere errorem intellectus & pertinaciam, ſeu perfectam deliberationem voluntatis; ideò non ſolet eſſe hæretica formaliter, eſt tamen hæretica materialiter juxtà diſtinctionem inſinuatam *præcedenti numer.* 43.

48. Propoſitio impia piarum aurium offenſiva, malè ſonans, in aliquo ſenſu inter ſe, imo & cum propoſitionibus damnabilibus hucuſque enumeratis, coincidunt, poſſunt tamen etiam ſumi cum diſtinctione & cum aliqua ſpeciali differentiâ; Quid impia? quâ ratione impia dici ſolet ea, qua detrahitur operibus pietatis, præcipuè cultui Dei & Sanctorum, aut obſervantiæ ergà Parentes; Quid non pia & piarum aurium offenſiva? cum impia ab aliquibus confunditur non pia, ſed hæc eſt in inferiori cenſuræ gradu & dici poteſt ea, quæ licet aliunde probabilis, imo etiam vera, prædictis tamen operibus non favet, & potius, quàm cum impia, coincidit cum piarum aurium offenſivâ, ut eſſet ſi quis diceret colimus Magdalenam meretricem, vel membra Chriſti ſanctiſſima obſcenis vocibus ſignificaret: Quid malè ſonans? Malè ſonans eſt quæ continet abuſum vocum extrà communem ſignificationem, & admittit duplicem ſenſum hæreticum & catholicum, ſed frequentius ſumitur in ſenſu hæretico; v. g. Chriſtus non eſt in Euchariſtia, habet ſenſum catholicum, ſi ly *eſt* ſumatur pro *edit* ſeu *manducat*; hæreticum ſi ſumatur, ut frequentiùs ſumi ſolet, pro *exiſtit*.

49. Quid ſcandaloſa? Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ etiam ſi non contraria fidei, imò fortè non falſa, præbet occaſionem ſpiritualis ruinæ alliciendo ad peccata, aut retrahendo à bonis operibus; ut ſi quis exaggeraret delitias ſæculi, aut difficultates ſtatus religioſi, & ſequelæ virtutum. Quid ſeditioſa? Seditioſa eſt, quæ ad ſeditionem, ſeu tumultum inducit, & ad ſeparationem ab obedientiâ Principis ſeu Reipublicæ; Quid ſchiſmatica? ſeditioſæ propoſitionis ſpecies eſſe poteſt propoſitio ſchiſmatica inducens ſine hæreſi ad ſeparationem ab Eccleſiâ, ſeu à ſummo Pontifice.

Propoſitio temeraria, alia eſt poſitivè, alia privativè talis: Quid temeraria poſitivè? Temeraria poſitivè dicitur, quæ ſine gravi fundamento enunciat aliquid contra plenum Sanctorum Patrum & Theologorum torrentem: Quid temeraria privativè. Temeraria privativè, quæ non habet pro ſe ſolidum actionis fundamentum, nec Sanctos Patres, nec graves Doctores; quamvis nec iſtos habeat expreſſè poſitivè contrarios; vix autem eſt in inferiori gradu à temerariâ poſitivè, quoties ex ijs, quæ Sancti Patres & graves doctores expreſsè docuerunt, conſtet iſtos eam fuiſſe negaturos, ſi fuiſſet eis propoſita; hoc enim modo eſt contrà communem eorundem ſenſum habitualem & interpretativum, quamvis non formalem & expreſſum: Quid arrogans? Si è contrà conſtet Sanctos Patres, & graves Doctores, fore eam affirmaturos, omni caret cenſurâ, imo eſt cenſuranda propoſitio oppoſita: Quid improbabilis? Si ambiguum ſit & perplexum, quid forent illi reſponſuri? non eſt certè appellanda temeraria ſimpliciter, poteſt tamen cenſuram aliquam leviorem ſubire, & dici arrogans eò quod plus affirmet, quam probare poſſit; aut ſaltem improbabilis, eo quod non ſit ſufficienti & probabili fundamento ſuffulta.

Hæ

50. Hæ propoſitionum cenſuræ quæ theologicæ ſunt prout aſficiunt ut ſupponitur propoſitiones verſantes in materia fidei, aut theologiæ, erunt philoſophicæ, ſi afficiant ut plures ex ipſis afficere proportionaliter poſſunt propoſitiones verſantes in materiâ philoſophiæ; cautè tamen & ſobriè ipſis utendum, tum in materiâ Philoſophicâ, aliave ſimili, tum multo magis in materiâ fidei aut Theologicâ; ut plurimum enim propoſitio aliam malè cenſurans reflectit in ſe cenſuram, quâ aliam fecit; eſt v.g. hæretica propoſitio cenſurans ut hæreticam propoſitionem de fide; eſt erronea cenſurans erroneam concluſionem Theologicam, &c. Ut tutè igitur procedatur expectandæ ſunt cenſuræ, præſertim graviores, à ſummo Pontifice; qui ſolus eſt infallibilis cenſor, & ſupremus Qualificator propoſitionum ad fidem pertinentium.

Cenſuræ reflexæ in malè cenſurantes.

LIBER

LIBER SECVNDVS.
DE SPE ET CHARITATE.

BENE ominoſum olim fûit binarium in augurijs; at ſacratius & certius quovis alio bono omine præſagium auſpicari fas eſt eo in binario, quod ex Spe & Charitate conſurgit, & cui quæcunque hucuſque de fide attigimus præluſere: fidei quippè tanquam baſi Spes & Charitas inſident regia ſimulacra: Ad bravium, fidei lumine oſtenſum, Spe currimus, Charitate pervenimus: Chriſtianæ militiæ per fidem adſcripti gerimus in Spe galeam ſalutis, in Charitate teſſeram victoriæ: initiſque per eandem fidem cum Chriſto Sponſalibus, Spe ſuſcipimus arrhas connubij, Charitate nuptias celebramus æternâ gloriâ conſummandas: Sicque pluribus titulis ſolemni & fauſto omine præfixum in titulo binarium aggredientes virtutes Theologicas optimis auſpicijs concludemus.

CAPVT I.

De objecto materiali, & formali Spei.

1. DISSIMVLATIS varijs ſpei acceptionibus & ſignificationibus, necnon ſuppoſitis ijs, quæ habet communia cum cæteris virtutibus Theologicis, ut quod de facto detur; quòd ſit vera & propria virtus, &c. initium facimus ab objecto, & nulla habita ratione repetendi univerſaliter ſpectantia ad tritam diviſionem in materiale & formale, illicò proponimus ſtatuendum, in quanam re objectum utrumque conſiſtat? & primò quidem proponimus materiale, tanquam ex genere ſuo facilius, ac univerſalius: Ideò ſit

---

§. I.

Quodnam ſit objectum materiale Spei tum adæquatum, tum primarium, quod etiam vocant attributionis & formale quòd.

Spei Theologicæ objectum materiale adæquatum quid?

ASSERT. 1. Objectum materiale adæquatum Spei Theologicæ conſurgit ex æterna beatitudine, & ex omnibus aliis bonis ad æternam beatitudinem pertinentibus. Ita Theologi communiter cum D. Thom. *hic q. 17. art. 2.* & Scoto *in 3. diſt. 26. q. un. §. Ad quæſtionem igitur.*

2. Probatur. Objectum materiale adæquatum conſurgit ex objecto attributionis, & objectis attributis; ſeu ex objecto primario, & objectis ſecundarijs; atqui æterna beatitudo eſt reſpectu ſpei Theologicæ objectum attributionis & primarium ut oſtendetur *ſeq. aſſert.* omnia alia bona ad æternam beatitudinem pertinentia, ſivè pertineant conducendo ad ipſam tanquam media, ſivè ad eandem conſequendo tanquam effectus & paſſiones, ſunt objecta attributa & ſecundaria; quia virtus reſpiciens primariò finem reſpicit ſecundariò omnia ad finem conducentia aut conſequentia; ſi enim non reſpiceret omnia conducentia, eſſet tendentia inefficax, nec reſpiceret finem ut obtinendum, cum non ſit obtinendus niſi per media ad ipſum conducentia, ſi non reſpiceret conſequentia, eſſet tendentia imperfecta, nec reſpiceret finem in ſtatu perfecto, in quo debet habere omne ſuum complementum integrale & acceſſorium; ergo à primo ad ultimum objectum materiale adæquatum ſpei Theologicæ conſurgit ex æterna beatitudine, & ex omnibus alijs, &c.

3. Hinc habes objectum materiale adæquatum ſpei conſtari partim ex bonis patriæ; partim ex bonis viæ: Quoad bona patriæ complectitur actus beatificos viſionis, amoris & gaudij, dotes animæ, dotes corporis, & id genus alia conſtituentia, aut conſequentia eſſentialem beatitudinem. Quoad bona viæ complectitur gratiam habitualem, virtutes infuſas, actualia auxilia, perſeverantiam finalem, plura item bona ordinis naturalis, quæ remotè & per modum removentis prohibens poſſunt conferre ad gloriam & eſſe ex divina ordinatione effectus prædeſtinationis, ut alibi.

Dices: Spes, de qua in præſenti, eſt virtus per ſe infuſa & Theologica: ergo quia per ſe infuſa poteſt habere pro objecto ſolùm aliquid ſupernaturale, quia Theologica ſolùm 4.
aliquid divinum; enumeratio autem facta continet aliqua non ſupernaturalia, & vix aliquid divinum; ergo. Sed contrà; virtus

per ſe infuſa & theologica non exigit in toto ſuo objecto rationem ſupernaturalis & divini; præſertim verò id non exigit in objecto materiali ſecundario, à quo non ſumitur ulla ſpecificatio; habet verò ſpes noſtra aliquid tùm ſupernaturale tùm divinum ex parte objecti materialis primarij; item, quod ſufficeret, ex parte objecti formalis *quo*, ut ex dicendis conſtabit, ideò &c.

Ejuſdem objectum materiale primarium quid?

Aſſert. 2. Objectum materiale primarium ſpei Theologicæ, quod etiam vocant attributionis & formale *quod*, eſt æterna beatitudo ſupernaturalis, præſertim objectiva. Hoc aſſertum, quatenus abſolutè aſſignat pro primario ſpei objecto æternam beatitudinem ſupernaturalem, eſt dogmaticum & de fide; quatenus aſſignat principaliter beatitudinem objectivam, eſt contrà Durandum *in 3. diſt. 26. quæſt. 2.* Paludanum *ibid.* & quoſdam alios antiquiores volentes ſpem reſpicere immediatè, & proximè, ſolam beatitudinem formalem ſitam in viſione Deum verò ipſum, qui eſt beatitudo objectiva, remotè dumtaxat & mediante viſione: Quatenus aſſignando principaliter beatitudinem objectivam implicitè admittit includi in objecto primario ſpei etiam beatitudinem formalem videtur eſſe contrà Capreolum *in 1. diſt. 1. quæſt. 1. concl. 5.* Caietanum *hic quæſt. 17. art. 2. & 5.* Bannezium *eod. art. 5.* Joannem à S. Thomâ *diſp. 10. art. 2.* Gonetum *diſp. 9. art. 2. §. 1.* cæteroſque Thomiſtas communiter volentes beatitudinem formalem reſpectu objecti primarij ſpei ſe habere, & primam conditionem, ſeu modum & connotatum, quibus tamen loquendi formalia vix aliud in re evincunt, quàm rationē objecti primarij principaliùs in objectiva quàm in formali beatitudine relucere, conflari verò ex utrâque, ut nos aſſerimus cum Scoto *præc. §. ad quæſtionē igitur.* Pontio *diſp. 13. quæſt. 2.* Maſtrio *in 3. diſp. 6. quæſt. 17. art 1.* Maderno *quæſt. 6. art. 1.* Gabriele à S. Vincentio *diſp. 11. dub. 3. §. 2.* aliiſque pluribus; & licèt ex his nonnulli videantur loqui de utrâque beatitudine ex æquo, non exiſtimo eſſe contrà ipſorum mentem, ſi aliqualiter temperentur ipſorum verba in favorem beatitudinis objectivæ, ſicque quoad rem conciliatis omnibus his Auctoribus habebimus Adverſarios dumtaxat Durandum Paludanum, & paucos alios, de quibus primo loco: Cæterum quidquid ſit de legitimâ variorum Auctorum mente, aſſertum, ut iacet,

5\.
Spes & fides habent idē objectum materiale primarium.

Probatur primò: Idem eſt objectum materiale primarium ſpei Theologicæ ac fidei, cum hæc ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, adeòque ſi non omnis, ſaltem præcipua res, quæ à fide attingitur, ſit res ſpectanda, ideſt à ſpe attingenda; atqui *ex lib. præced. cap. 1. §. 2.* Objectum materiale primarium fidei eſt Deus ut Deus, qui eſt noſtra beatitudo ſupernaturalis, præſertim objectiva; ergo. Confirmatur teſtimonio ipſiuſmet Dei *Geneſ. 15.* dicentis *ego ſum merces tua magna nimis*, & expreſſis verbis D. Thomæ *hic quæſt. 17. art. 5. in c. ubi ait Spei, in quantum eſt virtus, principale objectum eſt Deus.*

Beatitudo objectiva eſt præcipua pars objecti primarij ſpei.

Probatur ſecundò: Objectum materiale primarium ſpei Theologicæ eſt finis ultimus & ſummum bonum, ſed finis & ſummum bonum eſt æterna beatitudo ſupernaturalis, præſertim objectiva; nam finis ultimus, ſummum bonum, æterna beatitudo ſynonyma ſunt, & ſicuti finis ultimus importat quidem finem objectivum & formalem; finem *qui* & finem *quo*; at finem objectivum & *qui* principaliùs; ità beatitudo objectiva eſt in ſuo genere principalior formali, & primo loco venit nomine beatitudinis; primo item loco ingredietur primarium ſpei objectum, ſi hoc in beatitudine, & ultimo fine ſimpliciter, collocetur, ergo: minor tota ſupponitur ex dictis ſparſim *in tract. de beatitud.* maior probatur primò, quia finis ultimus & ſummum bonum, cum ex propriâ ratione ſibi ſubordinet omnia alia bona, petit eſſe objectum attributionis & primarium alicuius virtutis ad voluntatem pertinentis, non poteſt autem eſſe alterius magis quàm ſpei: Secundò, quia finis ultimus & ſummum bonum ſunt objectum primarium ſatietatis & gaudij in patriâ iuxta illud Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; idem autem eſt objectum ſpei in viâ quod ſatietatis & gaudij in gratiâ; ergo. 6.

Dices pro Durando: Deus eſt objectum, tùm ſpei in viâ, tùm gaudij in patriâ, ut ſummum bonum nobis, non ut ſummum bonum in ſe; atqui eſt ſummum bonum nobis mediante viſione ut viſus; non immediatè & ſecundùm ſe, quia ſolùm mediante viſione; & ut viſus, à nobis participatur & nobis ſe communicat; item quia ſolùm ratione viſionis poteſt denominari arduus, futurus, & poſſibilis, quæ ſunt conditiones propriæ objecti ſpei ergo objectum primarium & principalius ſpei eſt beatitudo formalis non objectiva; Dei viſio, non Deus; undè etiam Scriptura vitam æternam in viſione ſitam aſſignat ſimpliciter pro ſpei termino, ad Tit. 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur Deus* & cap. 3. *Ut iuſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* Item D. Thomas *quæſt. 17. art. 2. in c.* poſtquam dixit bonum, quod propriè & principaliter ſperare debemus, eſſe bonum infinitum, addit *Hoc autem bonum eſt vita æterna.* Confirmatur: eadem eſt materia deſperationis, & ſpei; atqui deſperatio immediatè & primariò verſatur circà viſionem & conſecutionem Dei, non circà Deum ipſum, in ſe & 7. ſecundùm ſe; ergo. Sed contrà: huius Inſtantiæ rationes & auctoritates mihi quidem ſuadent beatitudinem formalem ſitam in viſione, & vitâ æternâ, ingredi objectum primarium ſpei, nec poſſe hanc verſari circà Deum, quin ſimul verſetur circà Dei conſecutionem; at non evincunt beatitudinem formalem ſe ſolâ terminare immediatè & primariò actum ſpei: Ad auctoritates in oppoſitum allatas dico in illis vel aſſignari objectum partiale, non totale ſpei; vel vitam æternam ſumi tùm formaliter tùm objectivè, non formaliter præcisè: Ad rationem concedo Deum eſſe objectum ſpei ut ſummum bonum nobis; attingimus enim per ſpem Deum concupiſcentialiter, non amicabiliter, &

Tale tamen objectum ingreditur etiam beatitudo formalis.

proprium

proprium eſt charitatis attingere Deum ut bonum in ſe; at Deus, ut ſit beatifice bonus nobis, requirit quidem viſionem, hâc tamen ſuppoſita eſt nobis bonus etiam ratione ſui, non ratione ipſius viſionis præciſè, ut explicuimus *in tract. de Beatitud. lib.4. cap.2. num.43.* ubi etiam *num.44.* attigimus, cur cognitio diuitiarum ſit pura conditio in ordine ad ipſarum deſiderium aut fruitionem: non ſic in ordine ad Dei fruitionem Dei viſio, quod facit hic ad rem contra eos qui in toto rigore volunt viſionem & beatitudinem formalem eſſe puram conditionem in ordine
8. ad habendam, aut in viâ ſpem, aut in patriâ delectationem de beatitudine objectivâ. Ad illud quod in instantia addebatur de conditionibus objecti ſpei, dico iſtas convenire Deo quatenùs cum viſione conſtituit unum totalem finem, & adæquatum objectum, nec requiri, quod alliciant quodlibet objectum partiale ſecundùm ſe. Ad confirmationem tranſeat eandem eſſe materiam deſperationis & ſpei, non eſt tamen neceſſe, quod ſit idem ordo, adeo ut deſperatio debeat primo recedere ab ea materiæ parte, ad quam ſpes primò accedit; cum præſertim ſpes & deſperatio ſibi correſpondeāt penes oppoſitum modū ſe habendi ad rationem formalē, potiùs quàm penes habitudinem ad objectum materiale.

---

§. II.

In quonam conſiſtat ratio formalis ſub qua, ſeu obiectum formale Quo, *& motiuum ſpei?*

9. ASSERT. 1. Objectum formale *Quo* ſeu motiuum ſpei, non conſiſtit in arduitate ſeu in ratione ardui. Ità Auctores referendi in aſſertis ſequentibus contrà Bonauenturam *in 3. diſt.26 quaſt.4. & 5.* Paludanum *ead. diſt. quaſt.2.* Henricum *quodlib.8.quaſt.15. ad 2.* Richardum, Durandum, & multos alios antiquos ex Recentioribus ſequitur Amicus. *hic diſp.1.& 9.n 5.*

Objectum formale *Quo* ſpei non cō- ſiſtit in ratione ... ardui.

Probatur: Ratio ardui in præſenti, vel ſumitur radicaliter pro excellentiâ & eminentiâ objecti excedentis propriaa ſperantis vires & obtinendi dependenter à voluntate alterius ipſo ſperanta potentioris; vel ſumitur formaliter pro difficultate ortâ ex impedimentis & periculis in conſecutione rei concupitæ ſuperandis; atqui neutro modo in ratione ardui conſiſtit objectum formale *Quo*, ſeu motivum ſpei; ergo: probatur Minor, non conſiſtit in ratione ardui primo modo, quia hæc ratio eſt communis cuilibet virtuti reſpicienti objectum ſupernaturale; & quatenus poteſt ſpecialiter ad ſpem pertinere non eſt objectum formale *quo*, ſed pars aut modus objecti materialis; nihil enim eſt aliud, quam quædam ſpecialis ratio bonitatis paritas ſcilicet ſeu pretioſitas juxtà D. Thomam *in 3. diſt.26. quaſt.1. art.2. ad 1.* dicentem *quod difficile vel arduum addit quamdam ſpecialem rationem bonitatis, ſcilicet pretioſitatem quandam ex hoc ipſo, quod non de facili habetur, ſic dicitur omne rarum carum.* Noo conſiſtit in ratione ardui ſecundo modo, quia objectum formale *quo* ſpei debet eſſe ratio movens & alliciens voluntatem ad proſecutionem objecti ſperati, arduitas autem ſecundo modo retrahit potius & retardat; & voluntas cæteris paribus magis inclinat & libentiùs eligit quod facilius eſt: Ratio à priori eſſe poteſt quia quod eſt facilius, eſt magis proportionatū; & difficultas oritur aut ex minori proportione, aut ex aliqaali improportione, improportio autē nequit ut talis tradere & allicere.

10. Dices arduitatem conſiderari poſſe vel relatè ad impedimenta, & pericula ſecundum ſe; vel relatè ad ipſa ut ſimul accepta cum victoriâ, ex auxilijs quibus ſunt ſuperanda, arduitas primo modo dicit rationem mali & improportionem, ac retardat potius, quàm alliciat; ſecus ſecundo modo; undè etiam miles libenter eligit pugnam magis arduam, quoties eam conſiderat ex parte majorum auxiliorum & glorioſioris victoriæ; hunc ſecundum ardui modum expreſſit egregiè D. Thomas *1.p.quaſt.81. art.2. in c.* ubi agens de potentia appetitivâ iraſcibili ità habet *dicitur, quòd eius objectum eſt arduum, quia ſcilicet tendit ad hoc, quod ſuperet contraria & ſupereminet eis.* Non multum ab hac doctrinâ differt quod Amicus *præcit diſp.19. num.7.* ait arduum non habere rationē boni & allicitivi, ſi comparetur ad modum operandi ordinarium, benè verò ſi ad extraodinarium, ſingularem & fortiorem. Sed contrà: doctrina hujus inſtantiæ reſolvit objectum formale ſpei partim in arduitatem radicalem, & ſpecialem eminentiam bonitatis, partim in auxilia & media quibus roboramur ad ſuperanda impedimenta & repellenda pericula; primum autem iam impugnatum eſt ſecundum mox impugnabitur ſequenti aſſerto: Interim. 11.

Duplex ardui modus

Urgebis: arduitas etiam ſumpta formaliter, & præciſè pro difficultate ortâ ex impedimentis, & periculis occurrentibus eſt ſpecificativa ſpei, facit enim ipſam differre à ſimplici deſiderio, ergo eſt objectum motiuum, & ratio formalis *ſub qua*: Nec refert, quod proſecutionem objecti ſperati retardet potius, quàm promoveat; quia etiam obſcuritas retardat potiùs, quam promoveat aſſenſum obiecti crediti & tamen per nos ingreditur obiectum motiuum fidei & eſt partialis ratio *ſub quâ*, aſt hanc igitur ſufficiet, quod aut per ſe ipſam moveat aut ſit modificatio obiecti apti movere. Sed contrà: In primis arduitas formaliter & præciſè ſumpta non ſolùm non eſt allicitiua, ſed nec eſt quid diuinum, ideò non poteſt poni pro obiecto formali ſpei ſaltem ut Theologicæ: paritas obſcuritatis ſi procederet, ſuaderet ad ſummum partiale non totale obiectum collocari poſſe in arduitate; verum neque hoc ſuadet & paritati imponitur falſum ſuppoſitum, cum obſcuritas per nos verè promoveat, non retardet aſſenſum ex ſupradictis *cap.2. num.18.* & *cap.4. num.22.* Ad illud quod primo loco urgebatur, nimirum ratione arduitatis diver- 12.

ſificari ſpem à deſiderio, dico hoc non ſufficere, ut arduitas ſit objectum formale, quia idem formale objectum ſub diverſâ conditione habet vim diverſificandi actus, ut attigimus *præcit.num.*22. Præter quod ſpes à ſimplici deſiderio differt, non tam per arduitatem ſe tenentem ex parte objecti, quam per ſpecialem conatum, & applicationem mediorum ad talem arduitatem ſuperandam; cæterùm inefficaciter, & ſine conatu applicante media, etiam ſimplex deſiderium poteſt tendere in arduum.

13. Objectum formale *quo* ſpe non cõſiſtit in Deo, ut Auctore bonorum ſupernaturalium?

Aſſert. 2. Objectum formale *quo* ſeu motiuum ſpei non conſiſtit in Deo ut Auctore bonorum ſupernaturalium, ſivè ly *ut Auctore* reduplicet omnipotentiam præcisè ut docuit Vaſquez 1. *par diſputat.*84 *cap.*1. & 3. *p. diſputat.*43.*cap.* 2. ſivè reduplicet omnipotentiam ut promittentem quemadmodum docent Turrianus *hic diſput.*60. *dub.*2. & Eſparza *quæſt.*34 *art.*1. ſivè reduplicet omnipotentiam ut auxiliantem, quemadmodum ſentiunt Bannez *hic quæſt.*17.*art.*5. Joannes à S. Thoma *diſputat.*10. *art.*1. *num* 16. Gonetus *diſp.*9. *artic.*3.§.1.Gabriel à S. Vincentio *diſputat.*11. *dub.*2. §.4. cæterique Thomiſtæ magis communiter, contrà quos & Recentiores mox relatos, alioſque nonnullos, ſtant pro noſtro aſſerto Auctores citati *præced.num.*9.& citandi *ſeq.num.*20.

Probatur primò: Deus ut Auctor bonorum ſupernaturalium eſt Deus ut bona ſupernaturalia efficiens & omnipotentia ſivè ſumatur præcisè ut quodammodò tribuens bonis ſupernaturalibus poſſibilitatem cum Vaſquio, qui propterea vult objectum ſpei eſſe arduum ſperanti ſolum, quia eſt poſitum in alienâ poteſtate & redditur poſſibile per aliud.

Nec in omnipotentia, ſive ut promittente, ſive ut auxiliante.

Sivè ſumatur ut promittens, quod eſt omnipotentiam ſumi ut conjunctam decreto, & cum reſpectu ad bona ſupernaturalia conferenda & futura: Sivè ſumatur ut auxilians, quod eſt conſiderare omnipotentiam ut exercitam & operantem; quocumque, inquam, ex his modis omnipotentia ſumatur, ſumitur ut Dei virtus operativa ad extrà in genere efficientis, & per ipſam Deus eſt cauſa efficiens; ſed Deus ut cauſa efficiens bonorum ſupernaturalium, & rerum ſperandarum ſeu objectorum materialium ſpei, non poteſt eſſe ejuſdem ſpei objectum formale *quo*, hoc enim reſpectu objecti materialis debet ſe habere ut forma, non ut agens, ut cauſa formalis, non ut efficiens; undè etiam ſuprà *cap.*2. §.1. Deo ut infundenti ſupernaturale lumen negavimus prærogativam objecti formalis reſpectu fidei ex eo, quod ut lumen infundens ſit principium efficiens, ergo.

Reſpondebis cum Thomiſtis argumentum hoc laborare æquivocatione, & cauſam efficientem comparari poſſe vel ad actum & habitum, vel ad objectum materiale actus & habitus; illud quod eſt cauſa efficiens primo modo, ſicuti eſt reſpectu fidei Deus, ut infundens ſupernaturale lumen, non poſſe eſſe objectum formale; ſecus verò illud, quod eſt cauſa efficiens ſecundo modo, ſicuti eſt reſpectu ſpei Deus ut omnipotens ſeu ut auxilians; neque enim ſumitur ut auxilians ex parte potentiæ infundendo habitum, aut comproducendo actum ſpei, ſed ut auxilians ex parte objecti materialis ſeu rei ſperatæ conferendo rem ſperatam & auxilia ad ipſam conſequendam, difficultateſque occurrentes ſuperandas. 14.

Objectum formale *quo* non ſolum reſpectu actus, ſed & reſpectu objecti materialis debet habere rationem formæ.

Sed contrà: hæc reſponſio infirmat quidem aliqualiter paritatem ex fide deſumptam, at non ſubſtantiam argumenti, in quo advertenter dixi objectum formale *quo* debere ſe habere, ut formam reſpectu objecti materialis; eſt enim determinatiuum iſtius, & quamvis ſimpliciter dicatur forma ſpecificans actum aut habitum, non propterea non exercet rationem formæ etiam reſpectu materialis objecti, imo ex hoc & formali, tanquàm ex materiâ & forma, ex determinabili & determinativo, conſurgit objectum integrum & perfectum: Non ſolùm igitur principium effectiuum ipſius actus aut habitus, ſed nec principium effectiuum objecti materialis poteſt, quâ tale habere rationem objecti formalis *quo*: & hoc maximè procedit in propoſito, ubi quod ſe habet tanquàm efficiens reſpectu objecti materialis, ſe habet tanquam medium reſpectu finis, ut urgeo in ſequenti probatione.

15. Probatur ſecundò: Objectum formale *quo* ſeu motiuum ſpei, eſt ratio appetendi objectum materiale; atqui Deus ut Auctor bonorum ſupernaturalium, quocumque ex modis in aſſerto poſitis id intelligatur, nequit eſſe ratio appetendi objectum materiale ſpei, præſertim beatitudinem, & ultimum finem; ergo Deus ut Auctor, &c. Major patet, quia objectum formale *quo* ex genere ſuo eſt ratio tendendi in objectum materiale; reſpectu igitur potentiæ appetitivæ, quæ tendit appetendo, objectum formale *quo* erit ratio appetendi: Minor probatur, Deus ut auctor bonorum ſupernaturalium quocumque ex modis, &c. eſt medium, quo bona ipſa ſupernaturalia & ultimum finem conſequimur, ſicuti Medicus ut medens & adjuvans eſt medium, quo obtinemus ſanitatem; atqui Medicus ut medens, &c. non eſt ratio appetendi ſanitatem, & univerſaliter medium nequit eſſe ratio appetendi finem, alioqui eſſet & non eſſet medium, indueret quippè rationem finis; ergo.

Medium non poteſt eſſe formalis ratio petendi finem.

16. Confirmatur: Deus ut Auctor bonorum ſupernaturalium, & ut reduplicans omnipotentiam, vel ſumitur in actu exercito, quatenus exequens per ſua auxilia ſupernaturalea effectus; vel ſumitur in actu ſignato, quatenus explicans omnipotentiam ſecundum ſe & tanquam bonum ratione ſui pulcrum ac appetibile: Si primum; recurrunt directè ſuperiores probationes, & inſuper ſequitur ſpem eſſe virtutem moralem, non Theologicam; quia auxilia, quibus Deus exequitur ſupernaturalea effectus, ſunt aliquid purè creatum, non divinum; ſunt enim aliquid ad extrà, habitus infuſi & gratiæ actualea: Si ſecundum; ulterius inquiro, vel ſumitur omnipotentia ut bona in ſe, & hac ratione movebit ad actum charitatis potius, quàm ſpei; vel ſumitur ut bona nobis, & hac ratione ſi ſumatur ut bona nobis immediatè, quatenus per

ſe

ſe ipſam viſa nos delectat, nihil eſt aliud, quàm pars noſtræ beatitudinis objectivè, & non habet ullum ex modis in aſſerto poſitis; ſi ſumatur ut bona nobis mediatè idelt mediantibus auxilijs, quibus ſuperamus impedimenta beatitudinis conſequendæ habet rationem medij magis, quam ipſa auxilia; ideſt habet rationem medij magis remoti.

Reſpondebis cum Joanne à S. Thoma *præcitat. artic.* 1. *in ſolut. argument. num.* 12. medium, quod eſt purè executiuum aſſecutionis, non poſſe quidem eſſe rationem appetendi finem, & objectum formale *quo* in ordine ad ſperandam beatitudinem; bene verò medium, quod eſt etiam conſtitutiuum boni in ratione poſſibilis & aſſequibilis, quodque per conſequens addit ipſi fini propriam & ſpecialem rationem bonitatis, ſeu appetibilitatis; porrò divina omnipotentia, ſeu Deus ut
17. auxilians, eſt reſpectu beatitudinis medium ſecundo modo; ideò, &c. Sed contrà in primis reſponſio malè ſupponit rerum poſſibilitatem haberi per denominationem extrinſecam à divinâ omnipotentiâ: Deindè medium ut conſtitotiuum boni in ratione poſſibilis, ſeu aſſequibilis, nihil eſt aliod, quam ut aptum tribuere bono victoriam difficultatum, & impedimentorum occurrentium in ipſius aſſecutione; at in hoc ſenſu etiam Medicus poteſt ſuo modo dici medium conſtitutiuum ſanitatis in ratione poſſibilis & aſſequibilis; nec hæc conſtitutio ſpectat ad formalis, ſed ad efficientis cauſæ genus, contrà quod redeunt ſuperiora argumenta: Tandem his omiſſis poſſibilitas, & aſſequibilitas. eſt conditio objecti materialis ſpei, nec ex parte objecti formalis ſe tenet; ergo non poteſt formale ſpei objectum collocari in aliquo poſſibilitatis, ſeu aſſequibilitatis, conſtitutivo; antecedens probatur, quia motiuum ſperandi eſt res ut futura, poſſibilitas autem eſt præſens, & apta terminare ſimplicem complacentiam, non ſpem; præter quod ſpei motivum nequit eſſe ſine ratione boni, poſſibilitas autem ſecundum ſe abſtrahit à bono aut malo; prout eſt eſſe poteſt rei aut bonæ aut malæ, imo per Thomiſtas poſſibilitas rei etiam bonæ bona non eſt, cum per ipſos nulla creatura in ſtatu poſſibilitatis ſit à Deo amabilis.

Poſſibilitas ſe tenet ex parte materialis, non formalis objecti ſpei.

18. Ex his habes Deum ut auctorem bonorum ſupernaturalium, ut omnipotentem, ut auxiliantem ea ratione, qua ad ſpem pertinet, eſſe ipſius objectum materiale, non formale. Nec obſtant auctoritates, aut Scripturæ commendantis ſpem ex eo, quia à Deo & in Deo habeatur, quod dicit habitudinem ad Deum ut potentem & auxiliantem; aut D. Thomæ pluribus in locis, præſertim verò *in quæſt. diſp. quæſtion. uni. de ſpe artic.* 1. & 4. ubi expreſsè aſſignat divinum auxilium pro objecto formali ſpei, & ait auxilium divinæ poteſtatis ſe habere ad ſpem, ſicut ſe habet prima veritas ad fidem; quam paritatem Adverſarij nobis acriter obijciunt, comparant divinam omnipotentiam auxiliantem cum divinâ veracitate revelante, dicunt nos illi inniti in ſperando, ſicuti huic innitimur in credendo; & interroganti cur ſpe divina ſperemus beatitudinem? reſpondendum eſſe, quia Deus ad illam dandum potens eſt & fidelis; ſicuti interroganti cur credamus fide divina? reſpondetur, quia Deus in revelando verax eſt & infallibilis. Addunt quod ſicuti obiectum formale fidei eſt attributum veracitatis, & obiectum formale charitatis attributum bonitatis; ità quoque debet pro obiecto formali ſpei aſſignari aliquod divinum attributum, nec poteſt aliud melius aſſignari, quam omnipotentia, aut fidelitas; undè utrumque aſſignant qui formale ſpei obiectum collocant in omnipotentia ut promittente. Confirmant hæc omnia dicendo ſpem noſtram non fore à Pelagiana diverſam, ſi divino non nitatur auxilio. Sed contrà.

Ad auctoritates Scripturæ dico eas ſuffi- 19.
cienter ſalvari per hoc, quod Deus ut auxilians ſit cauſa efficiens objecti ſperari, ſicuti medicus eſt tantum cauſa efficiens ſanitatis cuius tamen ſpem rectè dicimur habere à Medico, & in Medico, præſertim ſi valdè peritus ſit.

Occurritur auctoritatibus, & inſtantiis Adverſariorum.

Ad auctoritates D. Thomæ fateor ipſum in quæſtionibus diſputatis videri nobis contrarium; at in ſummâ, cujus eſt habenda major ratio nobis favet, ut expendit, & ex profeſſo oſtendit, Arriaga *diſputat.* 27. *ſec.* 1. *ſubſec.* 2.

Ad paritatem, quam Adverſarij urgent, dico conſiſtere ſolùm in eo, quod omnipotentia ad ſpem, veracitas ad fidem pertineat; cæterum in modo eſt ſumma diſparitas; omnipotentia enim ex ſupradictis eſt cauſa efficiens objecti materialis ſpei, non ſic veracitas objecti materialis fidei, & qui interrogatus, cur ſperet? ait Quia Deus potens eſt & fidelis, reſpondet per cauſam efficientem ſeu coefficientem non per cauſam formalem & motivam, per quam reſpondet, qui interrogatus cur credat ait Quia Deus verax eſt & infallibilis: Quod addunt objectum formale ſpei Theologicæ debere eſſe ſpeciale aliquod attributum divinum, eſt gratis dictum, ſufficit quod ſit aliquid divinum, ſivè ſpeciale attributum ſit, ſivè non & objectum charitatis eſt quidem bonitas; at eſſentialis potios, quam attributalis, Non eſt item neceſſe, quod omnipotentiæ, correſpondeat aliqua virtus Theologica; alioqui ſpecialis virtus Theologica poſſet prætendi, & inquiri, pro quolibet divino attributo.

Ad confirmationem non eſt cum Pelagianis controverſia de neceſſitate divini auxilij ſopernaturalis ut objecti formalis, ſed ut principij efficientis; hac autem ratione nos abſolutè requirimus ad ſpem Theologicam divinum auxilium, ideo ſpes noſtra omnino differt à Pelagianâ, quæ divino non nititur auxilio ex parte principij efficientis.

Aſſert. 3. Objectum formale *Quo* ſeu motiuum ſpei eſt bonitas objecti formalis *Quod*; 20.
ut relata ad ſperantem, ſeu eſt beatitudinis præſertim obiectivæ convenientia reſpectu ſperantis. Ità Scotus *in* 3. *diſt.* 16. *quæſt unica* §. *ad quæſtionem* Gabriel *ead diſt.* 26. Almaynus *in moral. tr.* 2. *cap.* 7. Maſtrius *in* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 17. *art.* 2. Herincx *diſp.* 10. *quæſt.* 1. *nu.* 11.

Aſſignatur objectum formale *Quo* ſpei.

Digitized by Google

Sylvius *quæſt.* 17. *art.* 2. §. *his præmiſſis*, Suarez *diſp.* 1. *ſect.* 3. Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 4. Arriaga *diſp.* 27 *ſect.* 2. cæterique tom Scotiſtæ & Nominales, tùm Recentiores magis communiter, contrà Auctores relatos in duobus aſſertis præcedentibus.

Probatur primò argumento negativo, quatenùs excluſa ex huculque dictis ab objecto formali ſpei arduitate rei ſperatæ, & omnipotentia Dei auxiliantis, nihil remanet aſſignabile præter bonitatem objecti formalis *Quod* ut relatam ad ſperantem; quæ quidem bonitas, utpotè ſumma, eſt maximè appetibilis, ac per conſequens maximè apta movere voluntatem ad aliquem actum: utpotè bonitas beatitudinis præſertim objectivæ in ipſo Deo ſitæ, eſt bonitas divina apta ſpecificare actum Theologicum, ut relata ad ſperantem ſpectat ad appetitum cocupiſcentialem, à quo provenit ſpes, & contradiſtinguitur à divina bonitate abſolutè & ſecundum ſe acceptâ, quâ ratione eſt objectum formale charitatis, ergo bonitas objecti formalis *Quod* ut relata ad ſperantem, ſeù beatitudinis præſertim objectivæ convenientia, &c. rectè aſſignatur, & ipſa ſola aſſignari poteſt, pro objecto formali *Quo* reſpectu ſpei.

Dices: objectum formale *Quod* debet eſſe diverſum & diſtinctum ab objecto formali *Quo*, atqui bonitas objecti formalis *Quod* non diſtinguitur ab ipſo objecto formali *Quod*, imò ad ipſum ſe habet præcisè ut abſtractum ad concretum; ergo bonitas objecti formalis *Quod* ſpei non poteſt eſſe ejuſdem ſpei objectum formale *Quo*; major probatur, objectum formale *Quod* eſt pars objecti materialis eſt enim objectum materiale primarium; objectum autem materiale debet eſſe diverſum & diſtinctum ab objecto formali *Quo*, cum iſtud ſe habeat ad illud ut forma; iſtud motivum ſit, illud terminativum. Sed con-

21. Quomodo debeant ab invicem diſtingui objectum formale *Quod*, & formale *Quo*.

trà; objectum formale *Quod* poteſt quidem eſſe diverſum & diſtinctum ab objecto formali *Quo*; at neceſſe id non eſt loquendo de diverſitate reali & entitativa; ſufficit inter utrumque diverſitas muneris & modi ſe habendi, & ſicuti univerſaliter reſpectu intellectus idem objectum poteſt eſſe motivum & terminativum; ità & reſpectu voluntatis; objectum autem eſſe motivum eſt eſſe formale *Quo*: ad probationem minoris dico ad ſummum objectum materiale ſecundarium debere eſſe realiter diſtinctum ab objecto formali *Quo*, in materiali primario ſufficit, ut jam dictum eſt, diverſitas muneris & modi ſe habendi, & ad ipſum ſufficit, quòd objectum formale *Quo* ſe habeat, ut forma Metaphyſica.

Probatur ſecundò argumento poſitivo: Objectum formale *Quo* ſpei nihil eſt aliud quàm ratio formalis propter quam ſperamus objectum materiale; ſed hujuſmodi ratio formalis eſt bonitas objecti formalis *Quod*, ſeu beatitudinis præſertim objectivæ ut relata, &c. hujuſmodi enim bonitas eſt bonitas finis, cui maximè proprium eſt movere, & eſſe id propter quod voluntas in ſuos actus erumpit: Deinde ratio formalis, ob quam beatitudo poſſeſſa delectat, eſt bonitas ipſius ut relata ad poſſidentem, ſeu ut poſſidenti conveniens; ratio igitur, ob quam beatitudo poſſidenda ſperatur, eſt ipſius bonitas ut relata ad ſperantem, ſeù ut ſperanti conveniens. Tandem cum voluntas in omnibus ſuis actibus moveatur à ratione boni, ad ſpecificandos diverſos voluntatis actus non eſt quærenda niſi ratio boni, aut diverſa, aut diverſimodè conſiderata; ergo.

Dices primò hæc ferè omnia poſſunt transferri ad verum in ordine ad actus intellectus, & tamen reſpectu actuum fidei veritas objecti formalis *Quod* non eſt ratio formalis aſſentiendi, nec objectum formale *Quo*; ergo ſimiliter reſpectu actuum voluntatis & ſpei bonitas objecti formalis *Quod* non eſt ratio formalis ſperandi & objectum formale *Quo*. Sed 22.
contrà: diſparitas eſt, quia in ordine ad actus intellectus, & fidei, teſtimonium divinum aſſignatum pro objecto formali *Quo* auget veritatem objecti materialis, & formalis *Quod*, addit ſcilicet ipſi infallibilitatem & certitudinem objectivam, omnipotentia autem, aut arduitas, ab Adverſariis aſſignata pro objecto formali *Quo* nullam addunt bonitatem beatitudini, & objecto formali *Quod* ſpei. Præter quod, ſicut bonitas dividitur in abſolutam & relatam ad ſperantem, ità veritas dividi poteſt in abſolutam & relatam ad audientem; veritas autem relata ad audientem eſt veritas in dicendo, & veritas objecti formalis *Quod* ſumpta in dicendo eſt objectum formale *Quo* fidei, unde ſuo modo ſervatur paritas, & proportio, quam inſtantia prætendit.

Dices ſecundò: Bonitas beatitudinis objectivæ, ut relata ad ſperantem, ſeù ut conveniens & bona ſperanti, reſolvitur ultimò in ipſum ſperantem; ergo non poteſt eſſe objectum formale actus Theologici, imò nec virtuoſi; non actus Theologici, quia iſte nequit ultimò reſolvi in aliquid creatum, ſicut aliquid creatum eſt ipſe homo ſperans; non actus virtuoſi, quia bonitas beatitudinis objectivæ relata ad ſperantem eſt Deus relatus ad creaturam, referre autem Deum ad creaturam vitioſum eſt; eſt enim illud, quod Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtionum quæſt.* 30. appellat fruendis uti, ergo ut ſpes ultimò reſolvatur in aliquid divinum recurrendum eſt ad Dei auxiliantis omnipotentiam, adeò ut bonitas ipſa objectivæ beatitudinis ſit purum objectum materiale, ſeù formale *Quod*, ſubſit verò objecto formali *Quo*, quatenùs ſubeſt omnipotentiæ Dei auxiliantis, & confirmatur ex eo, quia ſperans ſibi aliquod bonum creatum conferendum à Deo, ut omnipotente, elicit actum ſpei Theologicæ, quod non poteſt ſuſtineri ſtante objecto formali ſpei à nobis aſſerto. Sed contrà: Bonitas beatitudinis 23.
objectivæ, ut relata ad ſperantem, reſolvitur ultimò in ipſum ſperantem, tanquam in ſubjectum, non tanquam in finem, vel tanquam in finem paſſivæ, non activæ utilitatis juxta doctrinam poſitam *in tract. de Beatitud. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 42. In complexo igitur bonitatis divinæ relatæ ad ſperantem ratio objecti formalis, & finis ultimi ſimpliciter dicti, rema-

net

net tota in bonitate divina; propteraque, ut habeatur aliquid divinum pro formali objecto ſpei, non eſt recurrendum ad divinam omnipotentiam; nec quod in confirmationem adducitur efficax eſt, malè enim ſupponit eſſe Theologicum actum, quo quis ſibi ſperat aliquid creatum obtinendum à Deo ut omnipotente, alioqui eſſet pariter Theologicus actus, quo quis ſibi timet pœnam à Deo ut omnipotente infligendam; utrobique igitur omnipotentia concurrit effectivè, & extrinſecè ex parte objecti materialis; non formaliter & ſpecificativè ex parte objecti formalis.

Nō eſt actus Theologicus ſperare aliquid creatum à Deo ut omnipotente.

§. III.

An & quomodo beatitudo aliena ſit objectum ſpei, & qualis ordo inter ſpei objecta reperiatur?

24. ASSERT. 1. Beatitudo aliena, ut præciſè relata ad alium, nullatenus eſt objectum ſpei Theologicæ; ut verò pertinere poteſt ad ſperantem eſt ſpei Theologicæ objectum, materiale tamen, non formale. Ità D. Thom. *hic quæſt.* 17. *art.* 3. & 3. *p. quæſt.* 7 *art.* 4. *ad* 3. Scotus *in* 3. *diſt.* 26. *quæſt. unic.* §. *Ad argumenta.* Amicus *diſp.* 19. *num.* 50. Conincbus *dub.* 50. Turrianus *diſputat.* 60. *dub.* 4. Maſtrius *diſput.* 6. *quæſtio.* 17. *numer.* 462. cæterique Theologi communiter contrà Arriagam *diſp.* 28. *num.* 7. & 14.

Beatitudo aliena, ut præciſè relata ad alium, non eſt objectum ſpei Theologicæ.

Probatur prima pars tùm auctoritate D. Thomæ *præcitat. art.* 4. *ad* 3. Spes dicitur propriè reſpectu alicujus, quod expectatur ab ipſo ſperante habendum: Item Auguſtini *in Enchir. cap* 8. Spes non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur; tùm ratione, quia qui vult bonum alienum, ut præciſè relatum ad alium, debet in hoc alio bonitatem aliquam præconcipere, à qua moveatur ad volendum ei bonum; ergo beatitudo aliena, ut præciſè relata ad alium, non poteſt eſſe alij volita, niſi ex motivo bonitatis in hoc alio præconceptæ; atqui hoc modo beatitudo aliena non poteſt eſſe objectum ſpei Theologicæ, actus enim totaliter tendens in beatitudinem alienam habet pro objecto formali, & motivo, non bonitatem increatam ipſius beatitudinis objectivæ, ſed bonitatẽ creatam ſubjecti & Perſonæ, cui beatitudo eſt volita; ergo, antecedens probatur, quia nemo eſt naturaliter determinatus ad volendum bonum alteri, ſicuti eſt determinatus ad volendum bonum ſibi; quamvis igitur, ut quis ſibi bonũ velit, ſufficiat præcognitio & motio bonitatis in ipſo objecto volito, nec neceſſe ſit ad propriam ſui bonitatem attendere & ab eâ moveri; ut tamen quis velit bonum alteri, reſpectu cujus eſt ad volendum bonum indifferens, neceſſaria eſt præcognitio & motio bonitatis in altero exiſtentis, per quam determinetur indifferentia ad volendum vel non volendum alteri bonum; ergo.

Dices, quamvis non ſit neceſſarium, nihil tamen impedit, quin aliquis ad ſui ipſius bonitatem attendat, & ab ea moveatur, dum ſibi beatitudinem vult, nec propterea hic actus deſinet eſſe ſpes Theologica; ergo ſimiliter qui attendit ad alterius bonitatem, dum ei beatitudinem vult, adhuc eliciet ſpem Theologicam, & hoc aliunde confirmatur multipliciter, primò ſcilicet, quia beatitudo aliena eſt ejuſdem ſpeciei cum beatitudine propriâ, ergo utraque poteſt ejuſdem ſpeciei actu attingi: Secundò, eodem habitu charitatis, quo amamus nos propter Deum, amare poſſumus proximum propter Deum; ergo eodem habitu ſpei, quo ſperamus beatitudinem noſtram, ſperare poſſumus beatitudinem proximi: Tertiò, poſſumus ſalutem, non ſolùm noſtram, verùm etiam proximi deſperare, ut colligitur ex Auguſtino *ſerm. de verbis Domini* dicente de nullius ſalute, dum vivit, eſſe deſperandum; ergo pariter poſſumus ſalutem, non ſolùm noſtram, verùm etiam proximi ſperare.

Sed contra, is, qui ut poteſt ad ſui ipſius bonitatem attenderet, & ab ea moveretur dum ſibi beatitudinem vult, eliceret actum concupiſcentiæ naturalis ſpecialiter dictæ; non ſpei Theologicæ, & proportionaliter actus eſt benevolentiæ naturalis, non ſpei Theologicæ, beatitudinem alteri velle ex cognitione & motione bonitatis in altero repertæ; nec oppoſitum aliunde evincunt rationes adductæ in inſtantiæ confirmationem, nam 25.

Ad primam dico beatitudinem alienam, & propriam eſſe ejuſdem ſpeciei materialiter, & quoad rem ſperatam; non formaliter, & quoad motivum ſperandi, quod reſpectu beatitudinis propriæ ultimò reſolvitur in objectum, reſpectu alienæ in ſubjectum beatitudinis.

Beatitudo aliena, & propria, ſunt ejuſdem ſpeciei quoad rem ſperatam.

Ad ſecundam diſparitas eſt, quia dum amamus nos & proximum propter Deum, habemus idem formale motivum amoris, ſcilicet ipſum Deum; at non habemus idem motivum ſpei ad ſperandam beatitudinem nobis, & proximo.

Ad tertiam dico nos non poſſe deſperare ſalutem proximi, niſi deſperatione impropriâ, ſumptâ aut pro judicio erroneo, quod alius damnandus ſit; aut pro qualicumque deſiderio alienæ damnationis, ſicut & ſpes quandoque impropriè ſumitur pro qualicumque deſiderio rei futuræ: Cæterùm deſperatio propria expulſiva habitus, & incompoſſibilis cum actu ſpei, debet verſari circa beatitudinem propriam; alioqui ſi videam hominem mori impœnitentem, & de ejus ſalute deſperem, non potero ampliùs habere ſpem Theologicam de meâ ſalute, quod eſt contrà communem ſenſum; ſicque in re præſenti ex deſperatione formari poteſt argumentum pro nobis potiùs, quàm pro Adverſariis. 26.

De ſalute aliena non poteſt haberi deſperatio, niſi impropria.

Probatur ſecunda pars: Potiſſimus modus, quo beatitudo aliena pertinere poteſt ad ſperantem, eſt quatenus conducere poteſt ad beatitudinem ipſius ſperantis, eam augendo & promovendo; atqui beatitudo aliena ſic conſiderata continetur ſub communi ratione bonorum ad propriam beatitudinem pertinentium; hæc verò *ex præcedent.* §. 1. ad ſpem Theologicam ſe habent, ut objectum materiale

Digitized by Google

riale ſecundarium ; ergo beatitudo aliena, ut pertinere poteſt ad ſperantem, eſt ſpei Theologicæ objectum, materiale ramen non formale, quin etiam materiale ſecundarium, non primarium.

27. Solet hic ex D. Thomâ *præcitat. art.3.* alius modus afferri, quo beatitudo aliena poſſit ad ſperantem pertinere, quatenus ut ait S. Doctor *præſuppoſita unione amoris ad alterũ, iam aliquis poteſt ſperare & deſiderare alteri vitam æternam, in quantum eſt ei virtus per amorem*; & ratio eſſe poteſt, quia amor facit communia amicorum bona, & reddit quodammodò propria bona aliena, ſicque aliena beatitudo ratione amoris pertinet ad amantem, & poteſt ab amante ſperari; at hoc nihil aliud eſt, quàm ſperare beatitudinem alienam, ut eſt accidentaliter propria, ſeu ut propriam accidentaliter auget; undè hic ſecundus modus reſolvitur in priorem à nobis traditum, nec ab ipſo ſimpliciter differt.

Aſſert.5. Inter objecta ſpei attendi potiſſimum debet ordo conducentiæ ad finem.

28. Ordo objectorum ſpei attenditur penes conducentiam ad finem.

Probatur & explicatur : ordo objectiuus in univerſum attenditur penes objecta materialia relata ad objectum formale, ut colligi poteſt *ex præcedent. cap.4. §. 6.* atqui objecta materialia ſpei ad ſuum objectum formale ſe habent, ut media ad finem; objectum enim formale ſpei eſt ſupernaturalis beatitudo, præſertim objectiva; quod eſt idem ac dicere finis ultimus, ut ſupernaturaliter finalizans; in medijs autem in ordine ad finem attenditur potiſſimum conducentia ſeu utilitas, & ea ſunt fini proximiora, ac per prius ratione finis volibilia, non quæ ſunt perfectiora & meliora in ſe, ſed quæ ſunt conducentiora & utiliora ad finem obtinendum; idem igitur proportionaliter ſentiendum de objectis materialibus ſpei relatis ad objectum formale, undè ut exemplificat Gabriel à S. Vincentio *hic diſput.11.num.67.* Euchariſtia, licet ſit in ſe majus bonum, quam baptiſmus, & pœnitentia; non eſt tamen magis ſperabilis, ſeu per prius volibilis ex motivo formali ſpei, ſed è contra; quia conducentia, & utilitas neceſſaria ad ſalutem, magis eſt in baptiſmo & pœnitentiâ, quam in Euchariſtia.

CAPVT II.

De actu, & habitu Spei.

1. PLURA ex ijs, quæ aut in univerſum de actibus & habitibus Theologicis, aut in particulari de actu & habitu fidei, dicta ſunt, facilè poſſunt accommodari actui & habitui ſpei, abſque eo quod iterum ſub proprijs terminis pertractentur; proptereà in præſenti ad examen non revocabimus. Qualis ſit ſupernaturalitas actus ſpei? Quomodò talis actus cauſet ſuum habitum per ſe infuſum, aut alium habitum aquiſitum? Quandonam ſpei habitus infundatur? Quomodò augeatur? Quomodo ſit ſupplebilis per actuale auxilium, aut extrinſecam aſſiſtentiam? hæc & ſimilia non pauca, ſupponimus tanquam repetenda ex dictis *lib præced. cap.5. & 7.* ſub hoc capite verò proponemus ea duntaxat, quæ peculiarem habent reſpectu ſpei difficultatem, & ſunt omninò propria actus, aut habitus ipſius. Idcò ſit

§. I.

Quinam actus eliciantur ab Habitu Spei?

ASSERT. 1. Ab habitu ſpei eliciuntur primo & principaliter actus, qui propriè & ſpecialiter denominantur ſpes : ſecundariò deindè & minùs principaliter aliqui alij, tum proſecutionis, tum fugæ : Ità Theologi communiter, quamvis cum aliquo diſſidio in modo diſtinguendi cæteros actus ab actu ſpei, nam Eſparza *quæſt.34 artic.2. ad 3.* negat omnem diſtinctionem realem, & alios actus, qui præter illos ſpei ponuntur à ſpei habitu provenire, uult per quandam participationem reperiri in quolibet ſpei actu, nec poſſe ſeorſim elici.

2. A ſpei habitu primò, & principaliter eliciuntur ſpei actus.

Probatur prima pars, tum ex vi nominis, habitus enim, de quo in præſenti, malè denominaretur habitus ſpei, ſi non eſſet primò & principaliter elicitiuus actuum, quibus eadem denominatio conveniret : tum ex vi objecti formalis, quod collocatum eſt in beatitudinis bonitate, ut relatâ ad ſperantem; talis autem bonitas de facto, & ut relata ad hominem viatorem, primò & principaliter repræſentatur tanquam futura & ardua; bonum autem futurum, & arduum, eſt proprium objectum actuum, qui denominantur ſpes.

3. Probatur & explicatur ſecunda pars : Commune eſt cuicumque virtuti, & habitui, extendi ad illud omne, in quo invenit propriam rationem formalem hæc autem reſpectu habitus ſpei eſt bonitas beatitudinis ut ſperanti conveniens, & præterquam ad actum ſpei movere poteſt ad aliquos alios actus, tum proſecutionis, tum fugæ; eadem enim bonitas, quæ ſub una conſideratione movet ad deſiderium efficax, quod quatenus verſatur circà bonum arduum futurum eſt proprius actus ſpei, ſub aliis conſiderationibus movere poteſt ad deſiderium inefficax, ad amorem, ad gaudium, qui ſunt actus proſecutionis; item ad triſtitiam oppoſitam gaudio, odium oppoſitum amori, ſimplicem fugam oppoſitam deſiderio inefficaci, & timorem oppoſitum deſiderio efficaci, qui ſunt actus fugæ; ergo in omnibus hiſce actibus poteſt ſpei habitus invenire propriam rationem formalem atque ad eos omnes eliciendos extendi; & quidem non ſolum (ut vult Eſparza) omnes ſimul, quatenus continentur aliqualiter in actu ſpei; verum etiam ſingulos ſeorſim, & ſecundum ſe; quia bonitas beatitudinis poteſt ſeorſim proponi, aut minus vividè, in ordine ad deſiderium inefficax; aut præſcindendo à præſentia & abſentia, in ordine ad actum amoris : Neque dicas hinc ſequeretur ſub ſpe dari actus

Secundario, & minus principaliter actus deſiderij inefficacis, amoris, & gaudij item oppoſiti actus fugæ.

ſpecie

ſpecie diverſos, quod videtur malè cohærere cum unitate ſpecifica actuum fidei ſuperiùs aſſerta *cap. 5. num. 6.*

4. Actus ſpei ſunt omnes ejuſdem ſpeciei, non ſic actus provenientes à ſpei habitu.

Contrà enim dupliciter intelligi poteſt dari ſub ſpe actus ſpecie diverſos, nimirùm vel quatenùs dentur diverſi ſpecie actus ſpei, hoc fortè malè cohæreret cum ſuprà aſſertâ unitate ſpecificâ actuum fidei; vel quatenus dentur diverſi ſpecie actus, qui licèt non ſint ſpei actus, ſint tamen à ſpei habitu elicibiles, & hoc ſolùm ſequitur ex noſtrâ doctrinâ, eſtque conforme alibi dictis de perfectione habituum infuſorum imitantium potentias, quæ ex genere ſuo aptæ ſunt elicere actus ſpecie diverſos. Neque dicas inſuper ſub eodem objecto formali malè concedi diverſos ſpecie actus. Contrà enim, quando in diverſis ſpecie actibus relucet diverſa formalitas objecto formali correſpondens, tranſeat, quod actus ſpecie diverſi nequeant eſſe ſub eodem objecto formali; cæterùm ſimpliciter, & abſolutè, ad diverſificandos ſpecie actus non requiritur ſemper diverſum objectum formale, ſed ſufficit objecti ejuſdem diverſa applicatio.

5. Inter actus fugæ potiſſimus actus proveniens ab habitu ſpei eſt timor.

Porrò ſicuti inter actus proſecutionis potiſſimus actus à ſpei habitu proveniens eſt is, qui ipſum ſpei nomen retinet, & per modum deſiderij efficacis proſequitur beatitudinem ſupernaturalem, ut arduam & futuram; ità actus potiſſimus inter actus fugæ eſt is, qui actui ſpei opponitur, & nominatur timor fugiens malum impeditivum beatitudinis, ut nobis bonæ, quod ut ſufficienter percipiatur neceſſe eſt tradere notionem aliquam timoris & diviſionum ipſius. Ideò

Timor quid & quotuplex?

Adverto primò timorem in totâ ſuâ latitudine acceptum dividi poſſe in naturalem & moralem. Timor naturalis eſt paſſio appetitus ſenſitivi, quâ animal naturaliter horret omnẽ læſionem imminentem, & difficulter vitabilem: Timor moralis eſt deliberatus actus voluntatis, quo creatura rationalis ad Deum ſe convertens, vel à Deo ſe avertens fugit malũ imminens difficulter vitabile, & hic timor duplicem potiſſimum dicit habitudinem alteram ad malum, tanquam ad objectum quod timetur, & ſecundum hanc habitudinem dicimur timere gehennam aut peccatum; alteram ad Perſonam, quæ aut malum infligit, aut per malum offenditur, & ſecundum hanc habitudinem dicimur timere Iudicem, Superiorem, maximè verò Deum.

Adverto ſecundò Theologos communiter cum Magiſtro *in 3. diſt.* 34. & S. Doctore *hic quæſt. 19. art. 2.* aſſignare quadruplicem timorem, nimirum mundanum, ſervilem, filialem, initialem; Arriaga *hic diſp. 29. ſect. 4.* addit quintum, quem mercenarium vocat: Omnes iſti timores continentur ſub timore morali, & poſtquam expoſiti aliqualiter fuerint ſinguli in particulari, facilè ſtatuetur, quinam ex ipſis propriè & directè à ſpei habitu eliciatur?

6. Quid timor mundanus?

Timor mundanus eſt immoderata fuga malorum temporalium, puta ægritudinis, paupertatis, infamiæ; adeò ut propter hæc vitanda quis paratus ſit peccatum committere, negare fidem verbi gratia, propter vitanda tormenta à Carnifice infligenda. Hic timor vitioſus eſt, & peccaminoſus non præcisè ex eo, quòd fugiat malum temporale, ſed ex eo quòd fugiat ipſum immoderatè, ideſt eligendo peccatum, tanquam medium ad talem fugam utile, unde ratione talis electionis oritur ex amore mundano, quo quis præfert creaturam Deo, & bona temporalia æternis: Ab hoc timore dehortatur Chriſtus Matth. 10. & Lucæ 12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus:* de eodem multi intelligunt illud 1. Ioan. 4. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*; quod tamen poteſt etiam rectè intelligi de timore ſervili juxtà dicenda inferiùs *n. 21.*

7. Quid timor ſervilis?

Timor ſervilis eſt fuga mali pœnæ, inducens vitationem, & fugam mali culpæ: damnatur à Luthero cum ſuis volentibus eum, qui timet infernum, & ideò ab aliquo peccato abſtinet, in hoc ipſo peccare lethaliter eò quòd habeat voluntatem conditionatam peccatum, à quo abſtinet, committendi, ſi non eſſet infernus: Nihilominùs quando daretur hæc voluntas, malitia peccati eſſet in hoc actu voluntatis, non præcisè in actu timoris: Verum neque ea voluntas neceſſariò datur in abſtinente à culpâ ex metu pœnæ, utpotè qui ſæpè nil cogitat de conditione pœnæ non futuræ; imò in propoſito de pœnis inferni à Deo infligendis; voluntas illa conditionalis eſt impoſſibilis & nolita, cum enim ipſa ſit cauſativa pœnarum inferni, qui vult vitare peccatum, ut fugiat pœnas inferni, nec poteſt, nec vult habere voluntatem conditionalem peccandi, ſi non eſſent pœnæ inferni, & qui diceret, ut fugiam infernum volo abſtinere à peccato, nolo tamen abſtinere à voluntate conditionali peccandi, ſi pœnæ inferni non eſſent, eodem modo ſe habet, ac ſi diceret, ut fugiam infernum volo abſtinere, & nolo abſtinere à peccato; vel ut fugiam infernum volo quidem abſtinere ab actu abſoluto, at non ab actu conditionato meritorio inferni: Ratio à priori deſumitur ex diſcrimine inter timorem humanum quo ab homine, & divinum quo à Deo pœnam quis timet, & ex primo quidem timore poteſt quis vitare peccatum, non vitaturus, ſi non eſſet puniendus, quia verè poteſt quis peccare abſque eo quod ſit ab homine puniendus; poteſt enim peccare occultè, adeò ut non poſſit in humano judicio de peccato convinci: at ex ſecundo timore non poteſt quis vitare peccatum, non vitaturus, ſi non eſſet puniendus, quia non poteſt committere peccatum Deo occultum, & de quo non poſſit, aut non debeat, in divino judicio puniri.

8. Error eſt negare quod ſit utilis & honeſtus.

Hinc patet levi, & inani, fundamento niti gravem errorem Lutheri omnem timorem ſervilem improbantis; contrà quem militat primò auctoritas Chriſti Domini talem timorem commendantis Matthæi 10. & Lucæ 12. *Timete eum, qui habet poteſtatem mittere in gehennam.* Secundo definitio Triden. *ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.* docentis *peccatores divina juſtitia timore utiliter concuti, & attritionem, quæ*

S ea

ex gehenna & pœnarum metu concipitur, eſſe donum Dei: Item *eadem ſeſſion. 6. can.* 8. anathematizantis cum, qui dixerit *gehennæ metum peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere*. Tertiò ratio, quia vitare pœnam aliquam, & incommodum proprium, ex ſe præcisè malum non eſt; ergo neque malum eſt ad vitandam pœnam abſtinere à peccato, & ſicuti iniquum non eſt ex parte Reipublicæ, quòd comminando pœnas à peccatis deterreat; ità nec ex parte ſubditorum, quod timendo pœnas à peccatis deterreatur: Neque his obſtat illud tritum

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:

9. Ex quo videtur inferri adhuc eſſe malos eos, qui ex timore pœnarum peccatum deſerunt. Contrà enim, vel ly *mali* non denotat malitiam peccati, ſed ſtatum imperfectum, & indolem non ingenuam, vel ly *formidine pœnæ* debet intelligi de timore humano, quem attigimus *præced n.*7. quem aliqui vocant ſervilem ſerviliter, non ſervilem abſolutè, & quo quis retinet conditionatum affectum peccandi, peccatumque externum vitat, non vitaturus, ſi non eſſet puniendus: Quâ de re plura Arriaga *diſp.*19.*ſect.*1. & 2. Gabriel à S. Uincent. *diſp.*13.*dub* 2. &c.

Quid timor filialis?

Timor filialis, qui etiam ingenuus, caſtus, ſanctus, & amicabilis vocatur, eſt fuga mali culpæ tanquam offenſæ Dei, & denominatur filialis à ſimilitudine timoris, quo filius Patris amans ſolet fugere quidquid Patrem offendit; ſicuti timor ſervilis denominatur à ſimilitudine ſervi horrentis plagas, quas ſi fugitivus, & inobediens ſit, à Domino patitur: utrumque hunc timorem inſinuavit Apoſtolus Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum*, &c. Porrò ſicuti filius Patrem, ità Amicus Amicum timet offendere, & quo quis alium magis amat, eo majori ſollicitudine, & timore, vitat quidquid ei poteſt offenſionem & diſplicentiam afferre, juxtà illud

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

10. Quid timor reverentialis?

Propterea timor filialis rectè dictus eſt amicabilis, & reſpectu Dei provenit à charitate infuſa: Sub timore filiali continetur reverentialis, quatenùs quis eò magis timet Dei offenſam, quò majorem in Deo concipit eminentiam & Majeſtatem, majoremque ei defert reverentiam & venerationem; hunc timorem reverentialem Ioannes à S. Thoma *diſp.* 12. *art.*2.*num.*10. Specialiter tribuit uni ex donis Spiritus Sancti, adeò ut timor filialis, quâ amicabilis, & quâ fugit culpam ut offenſivam divinæ amicitiæ, ab habitu charitatis; quâ reverentialis, & quâ fugit culpam ut offenſivam divinæ reverentiæ, à dono timoris proveniat.

Dices ex Durando *in* 3. *diſtinct.* 34. *quæſt.*4. *numer* 7. hæc omnia eſſe de ſubjecto non ſupponente eò, quòd peccatum & culpa nequeat eſſe immediatum objectum timoris, & ſit quidem malum odibile at non formidabile, ſeù timendum; cum enim in poteſtate noſtra ſit, & à voluntate noſtra dependeat, non eſt malum arduum & difficilè vitabile, ut ad objectum timoris requiritur. Sed contrà: Peccatum pendet quidem a voluntate noſtra, at ut plurimum ſimul pendet à principio externo alliciente & impellente; ſicuti igitur bonum à voluntate noſtra pendens ſi ſimul pendeat à principio externo, poteſt eſſe difficile conſequibile, ità peccatum, quatenus pendet quidem à voluntate noſtra, at ſimul ut plurimum à principio externo dici poteſt difficilè vitabili; præter quod ipſa inconſtantia voluntatis in bono ſufficit ut ſit difficilis vitatio mali. Quando deinde permitteretur peccatum non eſſe malum arduum, inferretur ad ſummum, quod non eſſet objectum timoris oppoſiti actui ſpei, quâ ratione etiam D. Thomas 1.2.*quæſt*.42.*art*.3. docet de malo culpæ timorem non dari; at adhuc poſſet eſſe objectum timoris latiùs accepti, & oppoſiti cuicunque deſiderio efficaci de re incerta, ſivè facili, ſivè difficili, quod ſufficit ad ſalvandam communem doctrinam à nobis traditam. 11.

12. Quid timor initialis?

Timor initialis a Durando *præcit. quæſt.* 4. *num* 8. ponitur comprehendere timorem tùm ſervilem tùm filialem, & ex utroque quodammodò conſurgere; poſtquam enim negavit peccatum eſſe ratione ſui objectum timoris ait fugam peccati propter pœnam damni eſſe timorē filialem, propter pœnam ſenſus eſſe timorem ſervilem, propter utramque pœnam eſſe timorem initialem: Ab Arriaga *diſput.*29.*ſection.* 5. *num.* 23. ponitur mediare inter ſervilem, & filialem, & aut non diſtinguitur à timore mercenario, de quo infià; aut collocatur in fuga peccati, ut eſt malum inconveniens naturæ rationali, non verò ut eſt vel offenſivum Dei vel illativum pœnæ: Ab aliquibus ponitur includi, tùm in timore ſervili, tùm in timore filiali, adeò ut utervis timor, quatenus ſumitur inchoativè & in ſtatu imperfecto, denominetur initialis: A Thomiſtis cum Divo Thoma *hic quæſtio.* 19. *articul* 8. ponitur ſe habere ad filialem, ut imperfectum ad perfectum in eodem genere, adeò ut timor filialis quatenus eſt in incipientibus dicatur initialis: Addit verò Suarez *diſputatio. prima, ſectio. quarta, numero ſeptimo*, in timore ſervili non benè diſtingui imperfectum & perfectum, quia ſequitur ad amorem concupiſcentiæ, qui totus imperfectus eſt, & eam perfectionem, quam habere poteſt, habet ſtatim totam ab initio; cum enim ſit naturæ accommodatus ſtatim eſt ab initio maximus. In hac varietate explicandi timorem initialem quædã ſunt ſimpliciter falſa; tale eſt quod tradit Durandus, nititur enim falſo ſuppoſito, & deinde difficile eſt quod timor filialis, & timor ſervilis, ex diverſo motivo formali & ex diverſo habitu provenientes poſſint in unum timorem coaleſcere, qui initialis dicatur: Quædam ſpectant ad quæſtionem de nomine & ad ſignificationem illius vocis *initialis*, quã aliqui volunt ſignificare id, quod eſt initiũ alterius à ſe diſtincti; & timorē initialem vocat eum, qui eſt initium ſapientiæ aut juſtitiæ; aliqui volunt ſignificare id, quod eſt in initio perfectionis propriæ, & timorem initialem vocant timorem incipientium, &

exiſten

Digitized by Google

exiſtentium in ſtatu charitatis imperfecto; juxtà primam ſignificationem timor initialis, tùm de ſervili, tum de filiali, dici poteſt, quamvis de filiali perfectiùs: juxtà ſecundam dicitur tantùm de timore filiali, quatenùs eſt in initio, nec reſpicit timorem ſervilem, niſi extrinſecè, imperando ipſum, & concomitanter admittendo ut ab ipſo adjuvetur: In quæſtione de nomine eò propendeo, ubi major viget auctoritas; hæc autem major eſt pro ſecunda ſignificatione & explicatione mox tradita, pro quâ ſtant D. Thomas *præcitato articulo* 8. D. Bonaventura *in 3. diſtinct.* 34. D. Auguſtinus *libr.* 83. *quæſtionum quæſt.* 36. & cum Thomiſtis communiter multi alij Scholaſtici.

14. Timor mercenarius quid?

Timor mercenarius ab Arriaga commendatus eſt fuga peccati propter beatitudinem non amittendam, & cum hæc de facto non detur niſi ut remuneratio & merces, eſt propter non amittendam remunerationem ſeù mercedem; & hinc ſortitur denominationem mercenarij; juxtà Arriagam mediat inter filialem & ſervilem, exiſtimat enim hic Auctor ſervilem habere pro objecto ſolam pœnam ſenſus ſitam in poſitivâ torturâ, & in hoc diſcrepat à cæteris magis communiter appellantibus ſervilem omnem timorem pœnæ, etiam negativæ, & damni: at nec de hoc fieri poteſt quæſtio, quæ non ſit de nomine, libentiùs adhæreo communiori loquendi modo, & omnem timorem pœnæ ſub ſervili conſtituo, nec admitto timorem mercenarium, niſi ut membrum contentum ſub ſervili, qui dividatur in mercenarium & non mercenarium, ſeù in timorem pœnæ damni, & pœnæ ſenſus; pœnæ negativæ, & pœnæ poſitivæ, quæ ſolet dici tortura; undè fortè ab aliquibus appellabitur timor tortoris, qui à nobis appellatur non mercenarius.

---

§. II.

Quinam Timor ſit actus elicitus ab habitu Spei? Ubi nonnulla obiter de Timore ſervili.

15. Timor ſervilis de pœna dàni elicitur ab habitu ſpei Theologicæ.

ASSERT. Timor, qui elicitur ab habitu Theologico ſpei, eſt ſolus timor pœnæ damni, qui per nos eſt ſervilis, & rectè dici poteſt timor mercenarius: Hæ poſteriores aſſerti particulæ patent ex mox dictis *numero præcedent.* Particulæ priores ſunt contrà Durandum *in 3. diſtin.* 34 *quæſt. 2. art.* 5. ubi timorem pœnæ damni ponit filialem ac conſequenter tribuit charitati: ſunt item contrà Suarezium *diſp.* 1. *ſect.* 4. *num.* 11. Maderum *quæſt.* 6. *artic.* 5. *numer.* 3. aliosque nullos tribuentes habitui ſpei etiam timorem pœnæ ſenſus; contrà quos prædictas priores particulas ſuſtinent Amicus *diſp.* 20. *n.* 22. Arriaga *diſp.* 29. *num* 8. & 21. Oviedus *controv. punct.* 5. &c.

Probatur: Ille ſolus timor elicitur ab habitu Theologico ſpei, qui elicitur ex formali ſpei Theologicæ motivo, ideſt juxtà ſuprà dicta propter beatitudinem ut bonam & convenientem ſperanti ſeu timenti; atqui hujuſmodi eſt ſolus timor pœnæ damni; nam timor mundanus vitioſus eſt & ex philautiâ ſeù inordinato ſui amore elicitur, non ex motivo ullius virtutis: Timor filialis elicitur ab habitu charitatis, & ex motivo Dei ut in ſe boni cum ſit timor amicabilis & ingenuus. Ab eodem charitatis habitu elicitur timor initialis, utporè qui eſt quoad ſubſtantiam idem cum filiali, & ſolùm diverſus quoad ſtatum; nec benè ab Arriaga confunditur cum mercenario, quia hic eſt ſimpliciter ſervilis; quando verò juxtà eundem Arriagam ſumeretur pro timore peccati ut præciſe diſconvenientis naturæ rationali, eſſet timor Philoſophicus, non Theologicus, ideò nec ab habitu ſpei, nec ab ullo alio habitu Theologico eliceretur; Supereſt igitur ſolus timor ſervilis, & licèt iſte poſſit etiam eſſe de pœna ſenſus, ſub hac tamen ratione præciſè ex ſpei motivo non elicitur, ſed ſolum prout eſt de pœna damni, quod ſic probo: Pœna ſenſus non timetur propter beatitudinem; ergo non timetur propter motivum & objectum formale ſpei, nec ex iſto elicitur timor habens pro objecto pœnam ſenſus præciſè, probatur antecedens, timetur propter beatitudinem illud ſolùm, quod beatitudinem impedit, ſicuti intenditur propter beatitudinem illud ſolùm, quod ad beatitudinem conducit; atqui pœna ſenſus ex ſe præciſè beatitudinem non impedit; nam vel ſermo eſt de pœna ſenſus temporali in Purgatorio, & hæc ad beatitudinem potius conducit, quàm eam impediat, eademque ratio de ipſa eſſe poteſt, ac de pœnalitatibus à juſtis in hac vita voluntariè ſuſceptis, quæ timentur quidem propter incommodum, quod afferunt naturæ; at non propter beatitudinem ſupernaturalem; quin propter iſtam potiùs deſiderantur & eliguntur; vel ſermo eſt de pœna ſenſus æternâ in inferno, & hæc, quamvis ad beatitudinem non conducat, non impedit tamen, primò quia *ex præced. tract* 4 *lib.* 5. *cap* 2. *num.* 19. poteſt divinitus cum beatitudine componi; ſecundò quia, quod carentiam beatitudinis ſupponit, nequit beatitudinem impedire; pœna autem ſenſus in inferno ſupponit de facto carentiam beatitudinis ex vi pœnæ damni, quæ ſola ex ſe formaliter beatitudinem impedit, & cum beatitudine repugnat; ac per conſequens timetur propter beatitudinem conſequendam ſeu non amittendam, ideò tandem ſolus timor pœnæ damni elicitur ex motivo, & ab habitu ſpei Theologicæ.

16. Timor filialis elicitur ab habitu charitatis: Item timor initialis.

17. Timor ſervilis de pœna ſenſus ex ſe præciſè non elicitur ab habitu ſpei

Dices primò: Malum timetur ex eodem motivo, ex quo ſperatur aut deſideratur bonum contrarium, ſicuti terra recedit à loco ſuperiore eodem pondere, quo tendit ad locum inferiorem, & res quælibet refugit propriam deſtructionem eadem vi innata, quâ appetit propriam conſervationem; atqui pœna ſenſus in inferno eſt malum contrarium beatitudini, ergo timetur ex eodem motivo, ex quo beatitudo ſperatur, ex bonitate ſcilicet ipſius beatitudinis ut ad ſperantem relatæ;

minor probatur, quia pœna ſenſus eſt damnatorum maxima miſeria, & id quod maximè conſtituit miſerum damnatorum ſtatum; ergo.
18. Sed contrà: pœna ſenſus conſiderari poteſt, vel ut conjuncta cum pœna damni, vel præcisè & ſecundùm ſe; hoc ſecundo modo duntaxat à nobis negatur, quod poſſit eſſe objectum timoris ex ſpei motivo eliciti; unde data ſimpliciter majore, diſtinguo minorem, pœna ſenſus in inferno ut conjuncta cum pœna damni eſt malum contrarium beatitudini concedo, præcisè & ſecundùm ſe nego minorem, vel ſubdiſtinguo eſt malum contrarium beatitudini ſumptæ adæquatè, & ſecundùm omnem ſuam perfectionem integralem, concedo; ſumptæ eſſentialiter, & ſecundùm ſuam rationem formalem ſitam in ſola Dei viſione, nego: ad probationem minoris dico pœnam ſenſus eſſe maximam damnatorum miſeriam, prout eſt conjuncta cum pœna damni; ſecundùm ſe verò non eſſe maximam miſeriam, niſi miſeria ſumatur ut contra poſita beatitudini non eſſentialiter, ſed adæquatè & integraliter acceptæ; cæterùm ſi ſimpliciter pœna ſenſus eſſet maxima damnatorum miſeria, daretur hæc etiam extrà ſtatum damnatio & in Purgatorio, ubi pœna ſenſus ſecundùm ſe eſt ejuſdem rationis ac in inferno; nec refert quod in Purgatorio æterna non ſit, benè verò in Inferno; non refert, inquam, quia æternitas pœnam ſenſus non extrahit à propria ratione formali, niſi quatenùs ei conjungit pœnam damni.

Pœna ſenſus ex ſe præcisè non eſt malũ contrarium beatitudini, niſi ſumptæ accidentaliter.

Dices ſecundò: Timor ſervilis de pœna ſenſus, cum *ex præcedent. num.* 8. bonus ſit, debet eſſe actus virtutis; at non poteſt eſſe alterius virtutis, quàm ſpei, cum non ſit aſſignabilis alia virtus cui rectè tribuatur, cum præſertim non poſſit tribui ulli virtuti inferiori ſpe, quia timor de pœna ſenſus eſt perfectior timore de pœna damni, ille enim vehementius movet ad bonum, & ſæpè quem à peccato non retrahit conſideratio pœnæ dãni & beatitudinis amittendæ, retrahit conſideratio pœnæ sẽſus & poſitivæ torturæ ſuſtinẽdę;
19. nequit igitur timor pœnæ sẽſus tribui virtuti inferiori ſpe, ſi huic tribuitur timor pœnæ dãni. Sed contrà: omiſſa tanquam falſa, aut ſaltem gratis, & voluntariè inductâ doctrinâ Durand. *in 3. diſt. 34. q. 4. n. 9.* volentis actum bonũ, ut ſit actus virtutis, debere elici propter amorem honeſti, aut vitationem turpis, timorem verò ſervilem elici propter vitationem triſtis; ideò licèt alioqui bonus ſit, non eſſe perfectum, nec punire ad rationem virtutis, hac inquam doctrinâ omiſſa dico cum Arriaga, Amico, & Oviedo timorem ſervilem de pœnâ ſenſus, prout poteſt eſſe utilis ad ſalutem, & juſtificationis initium, eſſe actum virtutis ſupernaturalis quidem, at non Theologicæ, & provenire ab habitu, cujus nomen eſſe poteſt timor infuſus, & motivum deteſtari ut propriæ naturæ noxias pœnas, quæ à Deo propter peccatum infliguntur. Quod addebatur timorem de pœnâ ſenſûs eſſe perfectiorem timore de pœnâ damni falſum eſt; tranſeat quod ille ſit potentior, non proptereà eſt perfectior; alioqui timor eſſet pariter perfectior

Timor pœnæ ſenſus provenit ab habitu timoris infuſi.

Eſt potentior, non perfectior timore pœnæ damni.

amore, quia ſæpè movet timor, quem non movet amor. Imò hæc additio nobis favet, ut enim arguit Arriaga *præcitat. num.* 8. ex eo, quod timor pœnæ ſenſus ſit potentior timore pœnæ damni, conſequens eſt, quod non eliciatur uterque ex eodem motivo, & ab eodem habitu.

Neque urgeas communiter appellari Theologicum omnem timorem ſalutarem: Contrà enim, non invenio adeò tritam & communem hanc appellationem; quando tamen ità foret, eſſet propria locutio tantùm relatè ad timorem pœnæ damni, impropria verò relatè ad timorem pœnæ ſenſus, qui dici poteſt ad ſpem Theologicam pertinere imperativè tantùm, non elicitivè. Præter quod illi, qui faciunt Theologicum actum ſpei ex divinâ omnipotentiâ, ut auxiliante, facilè poſſunt ſuſtinere Theologicum ex eadem omnipotentiâ, aut ex divinâ juſtitiâ ut puniente, timorem pœnæ ſenſus; ſivè deinde ab habitu ſpei eliciatur, ſivè non, quod ipſi viderint; nobis loquendum eſt conformiter ad noſtra principia. 20.

Poteſt eſſe actus ſpei Theologicæ ſolùm imperativè.

Dubitatur hic: Utrùm ſervilis timor pœnæ, ſivè damni, ſivè ſenſus, minuatur creſcente charitate? & utrùm hæc aliquando adeò creſcat ut timorem illum totaliter excludat?
Reſpondetur affirmativè loquendo regulariter, & de timore ſumpto quoad actum, non quoad habitum; charitas enim infuſa aliarum virtutum habitus ſecum trahit, & ſecum auget; non expellit, nec minuit; ex mox dictis autem timor ſervilis importat quoad habitum, ſi illa de pœna damni, virtutem Theologicam ſpei; ſi ſit de pœnâ ſenſus, virtutem infuſam timoris. Procedit igitur reſponſio quoad actum, & probatur ex eo, quia adveniente, quod perfectum eſt minuitur, & aliquando deſinit, quod imperfectum; cum igitur creſcente charitate creſcat amor & timor filialis, conſequens eſt minui quoad actum, & aliquando deſinere timorem ſervilem; hominem ſcilicet in juſtitia valdè provectum, & perfectum in charitate, raò, aut etiam nunquam, operari ex motivo timoris ſervilis; quamvis ex eo ſimpliciter operari poſſit, quod eſt timoris ſervilis actum regulariter loquendo minui, aut etiam excludi à perfecta charitate, & confirmari hoc poteſt, tùm egregia auctoritate Auguſtini dicentis *Charitas cum habitare cœperit, pellit timorem, qui ei locum præparavit*; tùm experientia ſanctiorum virorum, quibus familiare eſt, aut frequentiùs, aut ſemper, operari ex motivo placendi Deo, & ex amore bonitatis divinæ in ſe, ad pœnas verò, aut non attendunt, aut, ſi ad eas attendunt eaſque timent, aliunde tamen, quàm ex earum timore moventur ad odium & fugam peccatorum. 22. Nec debet videri inconſequenter dictum quod timor ſervilis ex una parte actus bonus honeſtuſque ſit; & ex alia minuatur, aut etiam deſinat creſcente charitate. Contrà enim: nulla in hoc eſt inconſequentia, quia connexio virtutum eſt quoad habitus, non quoad actus, & unum actum honeſtum cum altero ægrè componi, aut etiam aliqualiter repugnare evincitur in virginitate v.g. quæ repugnat cum voluntate honeſtate

21.

Timor ſervilis quoad actum minuitur, & aliquando deſinit creſcente charitate.

Aliqui actus honeſti poſſunt inter ſe repugnare, etiam in via.

Matri

Matrimonij,& non ſolum timor pœnæ, verum etiam ſpes præmij, eſt motiuum ægrè cohærens cum perfectioue chatiratis, ut obſervat Arriaga *hic diſp.29.ſec.2.n.4.*

23. Quodnam odium, & quænā ſimplex fuga elicīantur ab habita ſpei?

Ex dictis habetur, quod ſicuti ſolus timor ſervilis de pœnâ damni elicitur ab habitu ſpei, ità inter cæteros actus fugæ ſuprà aſſignatos à ſpei habitu elicitur illi ſoli, qui prædicto timori ſervili correſpondent, ideſt odium & ſimplex fuga pœnæ damni, odium verò & ſimplex fuga pœnæ ſenſus, quoties erunt actus ſalutares, ſpectabunt ad aliam ſpecialem virtutem infuſam at non Theologicam; odium & ſimplex fuga mali culpæ, ut Dei offenſæ, ſpectabit ad habitum Theologicum chatiratis, ad quem ſpectabit pariter triſtitia ſalutaris de eodem malo, ut commiſſo & præſente. Triſtitia ſimpliciter dicta de pœna damni ut præſente, ſeu de beatitudine ut amiſſa, non datur, niſi in damnatis, in quibus eſt actus vitioſus à deſperatione proveniens, non à ſpe: ſicuti tamen ſpes præter gaudium præcipuum, quod de beatitudine præſente cauſat in patriâ, cauſat aliquando in viâ aliud gaudium minus præcipuum de certitudine beatitudinis futuræ, hocque eo majus, quò major concipitur certitudo; ita ſi quis concipiat magnam quandam probabilitatem beatitudinis amittendæ, poterit de tali probabilitate triſtari, & indè moveri ad fugam peccatorum probabilitatem illam augentium; hujuſmodi autem triſtitia rectè dicetur conſequens ad timorem pœnæ damni, & directe pertinens ad ſpei Theologicæ habitum.

---

§. II.

De ſubjecto tum proximo, tum remoto, actus, & habitus ſpei.

24. Spei actus eſt unicè in voluntate, & à voluntate.

ASSERT. 1. Actus, & habitus, ſpei habet pro ſubjecto immediato & proximo voluntatem, ſeu naturam intellectualem ut ſubeuntem rationem voluntatis. Hoc aſſertum eſt primo contrà quoſdam hujus temporis hæreticos confundentes ſpem cum fide, illamque collocantes in certâ & firma perſuaſione futuræ ſalutis, quod ab omnibus cēſetur erroneum: eſt ſecundò contrà Ochamum *quodlib.3.quæſt.1.* docentem ſpem eſſe aggregatum ex fide & charitate, adeo ut ſperare nihil ſit aliud, quam credendo deſiderare, quod pariter erroneum videtur Goneto *diſputat.9. art.1. num.6.* Eſt tertio contra Arriagam *diſput.26.ſec.1.ſubſec.1.* collocantem ſpem partim in actu voluntatis ideſt in deſiderio beatitudinis, partim in judicio probabili conſecutionis ipſius, quod videtur quidem cenſeri temerarium à Suarezio *diſp.1.ſec.2.num 4.* at eſt nimia cenſura: Quidquid verò de hac ſit noſtram ſententiam collocantem actum & habitum ſpei unicè in voluntate tradunt S. Doctor *hic quæſt.18.art.1.* Scotus *in 3. diſt.26. quæſt.un.* cæterique Theologi communiter.

25. 1 Probatur: Actus ſpei eſt unicè actus voluntatis, ergo tum ipſe, tum habitus, habet pro ſubjecto immediato & proximo, &c. conſequentia currit ſuppoſito antecedente, & ſi quæ quoad habitum poteſt difficultas occurrere illico diluetur recolendo ſupradicta *cap. 7.num.43.* antecedens probatur primo, quia ex ſupradictis actus ſpei habet unicè pro objecto formali rationem boni, quæ eſt ſpecificativa duntaxat actuum voluntatis: ſecundò, quia ſpes, ſi conſiſteret partialiter in actu intellectus, eſſet aggregatum per accidens; & deindè non eſt aſſignabilis actus intellectus, in quo ſive partialiter, ſive totaliter, conſiſtat; hujuſmodi enim actus vel eſſet judicium certum, quo dicerem *poſſibile eſt me ſalvari*, vel probabile, quo dicerem probabiliter *ego ſum ſalvãdus*; in neutro autem poteſt ſpes ſivè partialiter, ſive totaliter, conſiſtere non in primo quia cum eo poteſt eſſe deſperatio; non in ſecundo, quia eſt actus naturalis, actus verò naturalis, licet poſſit ad actum ſpei ſalutaris prærequiri, ſicuti ex dictis *cap. 4. §. 5.* ad actum fidei ſalutaris prærequiritur naturalis evidentia credibilitatis; nequit tamen actum ſpei ſalutaris partialiter, & mulro minus totaliter conſtituere; ergo.

Dices non poſſe ſalvari aliquos communes loquendi modos niſi ſpes collocetur ſaltem partialiter in intellectu, enimvero ſpes Theologica denominatur certa, certitudo autem eſt propria intellectus: Spes, expectatio, Confidentia ſolent pro ſynonymis haberi; expectatio autem & confidentia ad intellectum pertinent; expectare enim eſt reſpicere ſeu ſpectare bonum, ut ex alio excipiendum; confidere eſt credere, quod aliquis velit credenti benefacere: Tandem dum dicimur habere magnam, vel exiguam ſpem rei alicujus obtinendæ; nihil aliud intelligimus, quam magnam vel exiguam probabilitatem, & opinionem multum vel parum probabilem. Sed contrà; quomodo certitudo dici poſſit etiam de actu voluntatis? attingetur infrà *num.* 44.

26. Spes expectatio, confidentia quomodo ſint idem?

Expectatio & confidentia, ſicut & fiducia, licet ex ætimologia vocum pertineant ad intellectum, ex uſu tamen loquendi rectè dicuntur etiam de actu voluntatis ut oſtendit Gabriel à S. Vincentio *diſput.22.dub.1.* quod ſi Adverſarius in vocis ætimologiâ nimium fixus talem uſum improbet, reſpondendum erit ſpem præſuppoſitivè, aut concomitanter; non formaliter acceptam, eſſe cum expectatione & confidentiâ ſynonymam: ſicut & ab aliquo præſuppoſitivè, fundamentaliter, & concomitanter; non formaliter ſe habente, ſumitur denominatio ſpei magnæ, vel exiguæ, in ultimo inſtantiæ membro, & facilè poteſt mirum videri, quod Arriaga *præcit. diſput. 26. num. 16.* eo ſolum loquendi modo fretus valdè propendeat ad ſtatuendam ſpem principalius in actu intellectus, quam in actu voluntatis.

Spes magna, & ſpes exigua quæ?

27. Spes nulla datur in Deo.

Aſſert. 2. Actus & babitus, ſpei haber pro ſubjecto mediato & remoto naturam intellectualem ſecundùm ſe ſuppoſitâ ipſius ordinatione ad finem ſupernaturalem: Quod dictum intellige de naturâ intellectuali creatâ, in Deo enim ſpem non reperiri tradidimus *tract.1.lib.4.cap.4. §. 4.* & ſatis quoque infer-

Digitized by Google

tur ex verbis mox poſitis, cum Deus nequeat habere aut finem ſupernaturalem, & ſuperiorem ſe, aut ordinationem ſibi ab extrinſeco, & aliundè convenientem.

Aſſertum ſub his univerſalibus terminis communiſſimum eſt, nec probatione indiget, aut explicatione, præſertim poſt ſuprà dicta *cap.7.num* 42. Deſcendendo vero ad ſubjecta particularia, & perſonas, in quibus de facto ſpei actus & habitus ſit, aut eſſe poſſit, ex eodem *num* 43. repetendi ſunt varij hominum ſtatus; & ne immoremur in iis, in quibus aut nulla eſt aut eadem prorsùs, quæ in fide, difficultas, & controverſia.

28. Spei actus & habitus fuit in primis Parentibus, & Angelis omnibus.

Supponendum primò fuiſſe, tum actum, tum habitum, ſpei in Angelis & primis Parentibus pro ſtatu, quem habuerunt ab initio & in prima ſui conditione, quæ enim *præced. cap 7. num.* . 4. dicta ſunt pro fide militant proportionaliter pro ſpe pro qua inſuper eſt aliqua major ratio, quia etiamſi loco fidei poneretur in eo ſtatu alia ſupernaturalis notitia evidens abſtractiva, ut à nobis poſita eſt ſpecialiter in Angelo ſupremo, adhuc ex vi talis notitiæ æque, ac ex vi fidei, poſſet haberi ſpei actus, ideò adhuc in tali ſuppoſitione ſentiendum eſſet Angelos & primos Parentes ab initio eliciſſe actum & habuiſſe infuſum habitum ſpei; neque de facto quoad ſpem excipimus ſupremum Angelum, licet eum excepimus quoad fidem; evidentia enim in atteſtante, ob quam ſupremo Angelo fidem negavimus, nullo modo impedit ſpem, imo optimè poteſt ad ſperandum inſervire.

29. Fuit item in animabus limbi, & modo eſt in animabus Purgatorij.

Supponendum ſecundò fuiſſe, tum actum, tum habitum, ſpei in animabus Sanctorum Patrum, quæ olim detinebantur in limbo, & eſſe de facto in animabus juſtorum, quæ modo detinentur in Purgatorio: Conſequitur hoc ad ſupradicta de fide *præcit.cap.7. num.* 45. & quoad animas Sanctorum Patrum in limbo confirmatur ſpecialiter ex ſap. 3. *Spes illorum immortalitate plena eſt.* Neque dicas in animabus, tum limbi, tum Purgatorij, certitudinem beatitudinis conſequendæ impedire actum ſpei, eo quod iſte requirat probabilitatem, adeóque incertitudinem, non certitudinem de futuritione rei ſperatæ; undè non dicimur ſperare futuram, aut diem craſtinam, aut combuſtionem ab igne. Contrà enim in primis dici poteſt certitudinem de boni futuritione impedire ſpei anxietatem, non ſpem ipſam: Deindè, ſi quæ certitudo ſpem

Quænam certitudo boni futuri obſtet ſpei?

impedit, eſt quæ provenit ex principiis intrinſecis rei ſperatæ, & tollit ipſius contingentiam, quam incertitudinem habent exempla in inſtantia allata, non beatitudo reſpectu animarum. Tandem animæ licet ſint certæ, de beatitudine, ſunt tamen incertæ de tempore, nec unquam certò apprehendunt ipſam ut imminentem quodammodo & præſentem, quo ſolum modo de bono certo futuro habetur gaudium potius, quam ſpes, ſicut de malo eadem certitudine futuro triſtitia potius, quam timor juxtà D. Thomam 3. *par. quæſt.*15 *art.* 7. *in c.* & Ariſtotelem 2. *Rhet.* dicentem *jam jam morte puniendus non timere ſed triſtari* ex hoc capite Arriaga *hic diſput.*58.*num.*36. ſuſtinet in animabus purgatorij, proprium actum ſpei etiamſi hunc non poſſe haberi cum certitudine de boni futuritione docuerit anteà *diſp.*26.*num.*6.

30. Damnati carent omni actu, & habitu ſpei etiam naturalis.

Supponendum tertiò, nec actum, nec habitum, ſpei reperiri in damnatis, tum quia præter characterem non retinent ullum ſupernaturale donum, aut actuale aut habituale; tum quia nullam habent cognitionem ſpei proportionatam tum tandem quia nunquam de beatitudine cogitant, quin deſperent; quapropter benè habetur Proverb. 11. *Mortuo homine impio nulla erit ultrà ſpes*; & poſtrema quidem hæc auctoritas, ac ratio, ſicut & impotentia cujuſlibet damnati ad ullum actum moraliter bonum, excludit à ſtatu damnationis ſpem etiam naturalem beatitudinis; nec ſunt alicujus momenti rationes dubitandi, quas contrà proponit Arriaga *diſp.* 28. *ſec.* 3. *ſubſec.*1.

Iuſti omnes in via habẽt habitum, & habere poſſunt actum, ſpei.

Supponendum quarto in quolibet juſto viatore reperiri habitum, & ſæpe etiam actum ſpei, aut ſaltem à nullo obice iſtum impediri. Patet primum ex ſæpius dictis de juſtificatione ſecum afferente omnium habituum ſupernaturalium, præſertim verò Theologicorum, infuſionem. Patet ſecundum ex eo, quod impedimentum actus ſpei in viâ non poteſt eſſe, niſi actus aliquis ei, aut fidei oppoſitus, ac per conſequens lethaliter peccaminoſus, juſtus autem retentâ juſtitiâ nequit admittere ullum hujuſmodi actum. Duo hic ſuperſunt: primum eſt, an & quinam peccator retineat ſpei habitum, & cum quonam actuali peccato componi poſſit ſpei actus in via? ſecundum eſt, an ſpei habitum retineant & aliquem ſpei actum eliciant beati in patriâ?

Aſſert. 5. Spei actus componi poteſt in eodem ſubjecto cum quolibet actuali peccato, infidelitate & deſperatione exceptis: & ſpei habitus pro ſtatu viæ reperitur in illis omnibus, & ſolis peccatoribus, qui aut poſt primam juſtificationem, nec infidelitatis, nec deſperationis peccatum commiſerunt; aut poſt commiſſum aliquod hujuſmodi peccatũ, vel etiam antè primam juſtificationem, eliciunt actum ſpei. Hoc aſſertum eſt in primis contrà illos Sectarios, qui collocantes juſtificationem in fide ſeu fiduciâ divinæ miſericordiæ, & non imputationis peccatorum, docent conſequenter neminem poſſe a juſtificatione deficere, quin amittat fidem & ſpem: 31.
Eſt inſuper contra nonnullos Catholicos extendentes ad peccatum præſumptionis illud, quod nos in ordine ad actum & habitum ſpei dicimus de peccato deſperationis: eſt tandem quoad poſtremas particulas contrà Auctores præced. *cap.*7. *num.* 15. relatos pro ſententia docente nullius virtutis habitum infundi antè habitum gratiæ.

32. Peccans infidelitate, aut deſperatione, nequit ſimul habere ſpei actum.

Probatur aſſertum primo quoad componibilitatem actus ſpei cum quolibet peccato actuali, infidelitate & deſperatione exceptis: Actus ſpei rectè componitur cum eo omni peccato, quod non importat actum ei oppoſitum & deſtructivum objecti formalis ipſius atqui nullum peccatum, infidelitate & deſperatione exceptis, importat hujuſmodi actum;

erog

ergo actus ſpei rectè componitur, &c. Major patet, tum paritate actus fidei incompoſſibilis cum ſolo peccato infidelitatis, ut colligitur *ex præced.cap.7.num.36.& 40.* tum ex eo, quia in univerſum actus alicujus virtutis non eſt incompoſſibilis cum quolibet actu vitioſo, ſed ſolum cum oppoſito & deſtructivo proprij objecti, ſeu motivi formalis: Minor probatur, quia motivum, ſeu objectum formale, actus ſpei eſt bonitas beatitudinis ut relata ad ſperantem, & ſubſtans cognitioni omnino certæ de ſui poſſibilitate & conditionata futuritione modo infrà explicando *num.* 45. quod objectum formale, & actus ex ipſo ſequens, tollitur quidem ac impeditur directè per deſperationem, de qua *cap.ſeq.* §.2. indirectè per infidelitatem, qua ſicuti tota ſemper fides amittitur, ità in particulari amittitur fides, tũ de promiſſionibus divinis circa beatitudinẽ, tum de auxiliis à Deo pro ipſa paratis, tũ de ipſamet ſupernaturalis beatitudinis poſſibilitate, præter deſperationẽ verò & infidelitatẽ nõ tolli objectũ illud, nec actũ ei innixum impediri, ullo alio actu faciè conſtare poteſt facienti inductionem per alios actus, & conſulenti infrà dicenda de præſumptione; enimverò ſi aliquo alio actu ſpes impediretur, maximè actu præſumptionis, & tamen hoc actu ratione ſui non impeditur *ex cap.ſequent.*§.1.

33. *Et amittit ſpei habitum, non ſic peccans alio peccato.* Probatur ſecundò quoad exiſtentiam habitus ſpei in illis peccatoribus, qui poſt primam juſtificationem, nec infidelitatis, nec deſperationis, peccatum commiſerunt: Habitus ſpei non amittitur quocumque peccato, ſed eo ſolo, quod deſtruit objectum formale ipſius, & eſt incomponibile cum quolibet ſpei actu, atqui hujuſmodi eſt ſolum peccatum infidelitatis & deſperationis; ergo hoc ſolo ſpei habitus amittitur, ac per conſequens juſtus in via quomodocumque peccet, dummodò nec erret in fide, nec deſperet, retinet habitum ſpei, quod eſt hunc habitum pro ſtatu viæ reperiri in illis omnibus peccatoribus, qui poſt primam juſtificationem nec infidelitatis nec deſperationis peccatum commiſerunt; major patet *ex præcedent. num.*32. major infertur à pari *ex præcedent. capit. 7. num.*36.

Peccator carens ſpei habitu, ipſum recuperat eliciendo ſpei actum. Probatur tertio quoad exiſtentiam habitus ſpei in illis peccatoribus, qui actum ſpei eliciunt etiam antè primam juſtificationem, aut poſt commiſſum peccatum infidelitatis vel deſperationis: Si aliqua eſt ratio hoc negandi, maximè quia habitus ſpei non infunditur antè habitum gratiæ; ſed hoc eſt falſum, ut colligitur *ex præced.cap.7. num.*17. *& ſeqq. ergo.*

Aſſert.4. Beati in patriâ non eliciunt circà principale objectum actum ſpei, ſeu qui propriè & ſpecialiter denominatur ſpes: Retinent tamen ſpei habitum. Prima pars eſt communiſſima, & quamvis nonnulli, de quibus infrà *num.*41. antè univerſalem reſurrectionem admittant in beatis actus ſpei circa gloriam propriorum corporum, aut circa beatitudinem alienam; nullus tamen admittit in iiſdem ſpei actum circa propriam beatitudinem increatam, quæ ſola eſt principale objectum pro re præſenti. Secundam partem tradunt Argentinas *in 3.diſt.*26. *art.*3. *conc.*4. Pontius *diſput.*31. *quæſt.*4. Uulpius *diſput.* 51. *art.*1. Maſtrius *diſput.*6.*quæſt.*18. Suarez *diſp.*1. *ſec.*8. Amicus *diſput.*22. *num.* 15. Conincbua *diſputat.*19.*dub.*10 *&* 11. Arriaga *diſput.* 28. *ſec.*3.*ſubſec.*2. Et tum Scotiſtæ non pauci, tum major pars Recentiorum contrà Magiſtrum *in 3.diſt.*26. Richardum *ead. diſt. art.*5. *quæſt.*2. Sylvium *quæſt.*18. *art.*2. Joannem à S. Thomâ *diſput.*11. *art.*1. Gonetum *diſputat.* 9. *art.*4. Vaſquium 3.*p. diſput.* 43. *cap.* 2. Turrianum *hic diſput.*62. *dub.*1. Eſparzam *lib.*6. *q.*36. Malderum *quæſt.* 18. *artic.* 2. *&* 3. Madernum *quæſt.*6.*art.*4. Item contrà Lichetum *in* 3.*diſt.* 51.*quæſt.un.* Tattaretum Aretinum, & cæteros antiquos Scotiſtas, inter quos, & Scotiſtas Recentes fuit occaſio diviſionis ac diſſidij ambigua & non ſatis expreſſa mens ſubtilis Doctoris.

Probatur prima pars: Actus qui propriè & ſpecialiter denominatur ſpes, quique verſatur circà ſuum principale objectum, eſt deſiderium efficax eſſentialis beatitudinis, ut patet ex ſæpius hucuſque dictis, præſertim verò *ex præcedent.num.*2. atqui Beati in Patriâ nequeunt elicere deſiderium efficax ſuæ eſſentialis beatitudinis; deſiderium enim efficax reſpicit bonum ut abſens & poſſidendum; & quatenus eſt ſpes ſupponit inſuper rationem ardui, beatus autem reſpicit ſuam eſſentialem beatitudinem ut præſentem & poſſeſſam nec ulli prorsùs difficultati ſubſtantem; ergo beati non eliciunt, &c. Undè Apoſtolus *Rom.* 8. rectè ait *Spes quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperet?* & Benedictus XI. in Extravag. *Benedictus* jure definit viſione Dei evacuari actus fidei & ſpei, prout ſunt virtutes Theologicæ. 35. *In Beatis nõ datur ſpei actus circa ſuum objectum principale.*

Hæc probatio, ſivè ſumatur prout auctoritate, ſivè prout ratione nititur, excludit à beatis actum ſpei non ſolum circa ſubſtantiam, verum etiam circa continuationem beatitudinis, in bono enim immutabili & æterno cujuſmodi eſt eſſentialis beatitudo, etiam continuatio & permanentia eſt præſens; nec ſeparatur poſſeſſio à poſſeſſione continuata: eſt ſcilicet continuatio ſaltem connaturalis & neceſſaria beatitudinis proprietas; nec magis poteſt beatus habere ſpem de tali continuatione, quam anima vel Angelus de continuatione ſui eſſe, ſui intellectus, ſuæ voluntatis. Videatur D.Thomas *in quæſtionib. diſputation. quæſt.un.de ſpe art.*4.*ad* 3. *Neque ſumpta quoad ſubſtantiam, neque, ſumptum quoad continuationem.*

Probatur ſecunda pars. Beati in patriâ eliciunt plures actus pertinentes ad ſpei habitum, & provenientes ex ejus objecto formali, nimirum ex bonitate beatitudinis ut ad ſe ipſos relatâ; ergo Beati in patriâ retinent ſpei habitum, cum enim ſint in ſtatu valdè perfecto debent perfecto & connaturali modo operari, adeóque dependenter à principio intrinſeco & habituali, non extrinſeco & actuali; antecedens probatur, enimvero ut omittam actus ſpei ſecundarios & circà ſecundaria objecta, de quibus infrà eliciunt beati circà ipſummet objectum principale actus gaudij, 36. *In Beatis datur ſpei habitus propter actus amoris, & gaudij, de beatitudine ut ipſis bonâ.*

dij & amoris de beatitudine eſſentiali præſente ut ſibi boná & conueniente; hujuſmodi autem actus pertinent ad ſpei habitum *ex praced num. 3.*

Dices primò hos actus, quamvis pertineant ad habitum ſpei, non eſſe actus ipſius præcipuos, ſed talem eſſe cum ſolum actum, qui propriè & ſpecialiter ſpes denominatur, ab hoc ſolo ſpecificari ſpei habitum, eoque ſolo ſubtracto debere hunc ceſſare juxtà doctrinam D. Thomæ *hic quaſt.* 18 *art.* 2. *in c.* dicentis *ſubtracto eo, quod dat ſpeciem, reſolvitur ſpecies,* &c. atque idem habet *pracit. art. 4. in c.* Neque ceſſante habitu ſpei deerit in patriâ pro prædictis actibus eliciendis principium habituale & intrinſecum, elicientur enim dependenter ab habitu charitatis, quia ut nos quoque docuimus *in tract. de Beatit. cap. 2. §. 5. & 6.* amor amicitiæ circà Deum ut in ſe, & amor concupiſcentiæ circa Deum ut bonum nobis, ac proportionaliter utrumque gaudium ſunt in patriâ unus & idem actus, imo in calce *pracit. §. 6.* expreſsè inſinuavimus amorem concupiſcentialem, qui in via ſolet eſſe ab habitu ſpei, in patriâ eſſe ab habitu charitatis; ergo inefficaciter, imo difformiter ac inconſequenter ad alibi dicta ex actibus amoris, & gaudij, concupiſcentialis de beatitudine, inferimus permanentiá habitus ſpei in patriâ. Sed cótra: Spei habitus ſumi poteſt vel quoad ſubſtantiam vel quoad denominationem ſpei; hoc

37\. Spei actus quomodo ſit ſub ſpei habitu actus præcipuus & primus.

tantū ſecundo modo reſpicit actum ſpei tanquàm præcipuū, & ſpecificativum; & quamvis in communi locutione, quam nos etiam ſuprà *num. 2.* ſecuti ſumus, ſine ullâ reſtrictione dicatur à ſpei habitu provenire primò & principaliter ſpei actus, id fit ex eo, quod nos viatores conſideremus habitum ſpei ſecundum quod ſubeſt denominationi ſpei potius, quàm ſecundùm propriam ſubſtantiam, quia ſecundùm illam denominationem potiſſimum nobis innoteſcit, & à nobis exercetur ſpei habitus in viâ: Breviter inter actus hic controverſos ſpei actus eſt præcipuus, vel quatenus magis notus, vel quatenus magis exercitus, vel quatenus comparatus ad habitum ſecundum ſpei denominationem, non ſecundum totam ſuam rationem formalem, acceptam; cæterùm ſimpliciter prior eſt & potior actus gaudij ſeu tentionis, quia beatitudo præſens æſtimabilior eſt & excellentior, quam abſens: Hinc ſi ex D. Thomâ aut aliundè afferantur auctoritates pro excludendo à beatis ſpei habitu, intelligantur de tali habitu ſecundum ſpei denominationem, non ſecundum ſubſtantiam.

38\. Amor & gaudium concupiſcētiæ in patria nequeunt eſſe ab habitu charitatis, niſi concomitanter, & identicè.

Ad poſteriorem alteram inſtantiæ partem nego actus concupiſcentiales amoris, & gaudij, ut tales, elici poſſe in patriâ ab habitu charitatis, iſte enim idem prorsùs eſt in patriâ qui in via, nec poteſt excedere ſuum objectum formale, quod non complectitur divinam bonitatem, ut ad nos relatam: Nec obſtat quod amor coucupiſcentiæ (idem procedit de gaudio) & amor amicitiæ in patriâ eſſe poſſint unus idemque actus; hoc enim ſolum arguit beatos propter ſuum perfectiorem operandi modū poſſe facilius, quam viatores erūpere in unum eundemq; actū ex duplici motivo & dependenter à dupliei habitu: & dum inſinuavimus actus cócupiſcētiales in patria eſſe ab habitu charitatis locuti ſumus in ſenſu concomitanti & identico, nec aliud ſignificavimus, quàm illos actus in patriâ poſſe eſſe unum & idem cum actibus amicabilibus à charitatis habitu provenientibus.

Dices ſecundò: Apoſtolus 1. Cor. 13. de ſola charitate ait, quod *Nunquam excidat* & dum addit *Nunc autem manent fides ſpes, charitas, tria hac; major autem horum eſt charitas;* inſinuat fidem & ſpem manere ſolum in viâ; charitatem verò eſſe utráque majorem eo, quod perſeveret in patriâ; ergo. Sed contrà: Apoſtolus ſpecialiter tribuit charitati, quod nunquam excidat; quod in permanendo ſit major fide & ſpe; quia charitas ſola perſeverat in patriâ ſub eadem denominatione, quam habet in viâ, & ſecundum actus ejuſdem pariter denominationis cum actibus viæ: Undè habitus ſpei perſeverat in patriâ quoad ſubſtantiam, non quoad denominationem; quoad aliquos, non quoad omnes actus: Habitus charitatis quoad utramque rationem & quoad omnes actus: Habitus fidei quoad neutram rationem, & quoad nullos actus. 39.

39\. Cur charitas maneat in patria, magis quam ſpes?

Dices tertiò, & ſimul urgebis contrà mox dicta: Non poteſt in patriâ manere ſpes magis, quàm fides, ſed hæc nullatenus remanet; ergo: Major probatur, quia ſpes habet pro baſi & fundameuto fidem, & in via amiſſa fide amittitur, & nec quoad denominationem ſolum, ſed ſimul quoad ſubſtantiam; ergo non eſt cur non eodem modo amittatur amiſſa fide in patria: Accedit quod ſicuti fides ratione obſcuritatis, & captivitatis intellectus, ità ſpes ratione arduitatis & anxietatis voluntatis incongruit perfectiſſimo, feliciſſimoque ſtatui beatorum, atque ambæ ſunt virtutes hominis non ſimpliciter ſed ſecundum quid, ideſt ſecundum quod eſt imperfectus ac miſere, qualis eſt duntaxat in via. Sed contrà: nego majorem, ad cujus probationem dico ſpem ſecundum denominationem ſpei, & ſecundum præcipuum actum viæ habere pro baſi fidem, & hac amiſſa illa quidem etiam quoad ſubſtantiam in via amittitur, ne remaneat otioſa & impedita à ſuo primario ac ferè unico actu; at in patria habet alios actus excellentiores illius ſtatus proprios, & à quibus non redditur per fidei amiſſionem impedita; ideo amiſſa fide debet perſeverare quoad ſubſtantiam in patria, quamvis non ſic perſeveret in via: Illud, quod additur, procedit de ſpe ſub denominatione ſpei, & in ordine ad ſpei actum; non de eadem quoad ſubſtantiam, & quoad actum amoris ac gaudij beatifici; in cujus tamen objecto, ſi vis, potes etiam arduitatem aliquam excogitare, præſertim connotativè ad media antecedenter applicata, actus ſcilicet laborioſos, quibus beatitudo promerita & obtenta eſt.

40\. Cur ſpes magis, quam fides?

Ex his habetur independenter ab eo, quod beati eliciant ullum ſpei actum optimè ſuſtineri quod retineant illum habitum, qui in via denominatur ſpes: Supereſt modo ſtatuendum, utrum verè nullum prorſus ſpei actum eliciant? Non ſolum circa objectum primarium

Digitized by Google

matium & principale, ſed nec circa aliquod objectum ſecundarium, ut circa gloriam proprij corporis, circà gloriam accidentalem animæ, circa beatitudinem alienam, circà quæ negant beatis ſpem nonnulli, ut Joannes à S. Thoma *diſp.* 11. *art.* 2 & Eſparza *quæſt.* 36. *art.* 3. defectu boni ardui; nonnulli ut Arriaga
41. *diſp.* 28 *ſect.* 3. *num.* 39. defectu boni incerti; Nonnulli ut Cajetanus 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 4. & Madernus *hic quæſt.* 6. *art.* 4. *num.* 14. defectu proprij commodi, quatenus beatus perficit in patria ſuum amorem, omneſque actus ſuos elicit ex motivo charitatis, nec gloriam ſui corporis, aut aliud quidpiam appetit ex motivo proprij commodi; ſed ex motivo placendi & conformandi ſe Deo: nonnulli ut Maſtrius *diſp.* 6. *num.* 471. defectu boni increati & divini, & quidem tribus prioribus modis excluditur à beatis ſpes non ſolùm Theologica, verùm etiam communiter dicta ſeu moralis, aut Philoſophica; de qua ſingillatim & in propriis terminis agit Joannes à S. Thoma *præcit. art.* 2 Econtrà circa prædicta objecta ſecundaria admittunt actus ſpei Theologicæ Vaſquez 3. *part. diſp.* 43. *cap.* 2. Suarez *diſp.* 1. *ſect.* 8. *num.* 6. Amicus *diſp.* 22. *num.* 19. Vulpius, Caſpenſis, Morandus & plures alij, qui Vaſquio excepto ex hujuſmodi actibus confirmant aut etiam ſimpliciter probant permanentiam habitus ſpei in patria Vaſquio inquam excepto, quia iſte Auctor vult prædictos actus in patria provenire ab auxiliis actualibus, nec pro illis permanere ſpei habitum, eo quod eliciantur à beatis quaſi in tranſitu, & ceſſaturi omninò ſint poſt univerſalem corporum reſurrectionem, poſtquam propterea habitus ſpei, ſi in patriâ perſeveraſſet, aut eſſet deſtruendus, aut remaneret tota æternitate otioſus.

42. In tanta opinandi varietate multum involvitur quæſtionis de nomine, qua aliqui ſtrictiùs, aliqui laxiùs explicant ſpem; aliqui unam, aliqui aliam rem intelligunt nomine boni ardui, aut divini: Crediderim actus ſecundarios ſpei Theologicæ poſſe eſſe contentos aliqua minùs rigoroſa ratione boni divini, quod ſcilicet divinum ſit participativè & connotativè, ut explicat Amicus, *numero vigeſimo*, poſſe item eſſe contentos connotativa & minùs rigoroſa ratione boni ardui, quam inſinuavimus *præcedenti numero quadrageſimo*, Incertitudinis neceſſitas in objecto ſpei poteſt omninò negari, ſicut & negandum eſt, quod beati eliciant omnes ſuos actus ex motivo charitatis; ideo propendeo ad concedendos beatis in patria actus ſecundarios ſpei, & cum aliundè permaneat ſpei habitus, iſtum utique habebunt pro principio, nec propterea contrà ſuperiùs poſita dicendus eſt permanere prædictus habitus in patria etiam quoad ſpei denominationem. Enimverò denominatio hæc ſimpliciter & abſolutè accepta deſumitur à potiori, ideſt ab actu ſpei præcipuo & primario, non ab actibus ſecundariis, qui etiam omnes ceſſabunt poſt univerſalem corporum reſurrectionem, & tunc nulla prorſùs erit in beatis neque primaria neque ſecundaria, neque quoad actus

Datur in beatis aliqui ſecundarij actus ſpei.

neque quoad habitum, denominatio ſpei.

Quod mox dictum eſt de Beatis extendendum eſt ad Chriſtum Dominum, qui in viâ beatus & comprehenſor fuit; imò proprij corporis gloria & proprij nominis exaltatio in ipſo magis, quàm in cæteris beatis habet rationem ardui, cum ipſe ad utramque tendat per arduam, & difficilem, viam meritorum operumque pœnalium, quæ non conveniunt beatis in patriâ; undè Coninchus *diſputatio. decima ſeptima*, *dubio undecimo*, negat in cæteris beatis, admittit verò in Chriſto mortalem vitam agente veram ſpem gloriæ corporis. 43.

Et à fortiori in Chriſto.

---

§. IV.

Spei certitudo: neceſſitas ſeu obligatio: definitio aliaque nonnulla.

ASSERT. 1. Spes eſt certa non ſolum ex parte actus intellectus, quem præſupponit: ſed etiam ſuo modo ex parte actus voluntatis, in quo conſiſtit, & talis certitudo in ordine ad rei ſperatæ poſſibilitatem eſt abſoluta, in ordine ad ejuſdem futuritionem eſt regulariter loquendo conditionata. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *hic q.* 18. *art* 4. Sylvio & Maldero *eod. art.* Joanne à S. Thoma *diſp.* 11. *art.* 3. Gabriele à S. Vincentio *diſp.* 11. *dub.* 7. Valentia *diſp* 2. *q.* 1. *punct.* 4. cæteriſque Theologis communiter.

Probatur prima pars ex Scripturâ Rom. 5. *Spes autem non confundit* Hebr. 6. *fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam habemus tanquam anchoram animæ tutam, & firmam.* 2. ad Tim. 1. *Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor, ſcio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare.* Quæ & aliæ ſimiles auctoritates non viderentur intelligi ſecundum totam ſuam energiam ac vim, ſi ſpei tribuatur firmitas, & certitudo, ſolùm extrinſeca ac præſuppoſitiva ex parte actus intellectus: Nec refert quod certitudo ſe tenens ex parte potentiæ (ut pro nunc abſtraham à certitudine objecti) ſoleat tribui cognoſcitivæ, non appetitivæ facultati: Enimverò hoc procedit de certitudine eſſentiali & primaria, non de participata, & ſecundaria, ad quod innuendum poſitæ ſunt in aſſerto particulæ illæ *ſuo modo*: Spes igitur, prout in voluntatis actu conſiſtit, habet certitudinem aliquam ſibi intrinſecam participatam tamen ab intellectu, quatenùs omne, quod à facultate cognoſcitiva movetur infallibiliter in finem ſuum, induit certitudinem quandam tendendi in talem finem; ſic natura dicitur operari, & in finem ſuum ferri cum magna certitudine, quia opus naturæ eſt opus intelligentiæ, & natura operatur ut mota ab intellectu divino, cujus directio ac motio maximè certa, maximéque infallibilis eſt; ſic & ſpes certitudinem participat à fide, quâ dirigitur & tendendo in beatitudinem ſub ea 44.

Spei actus quomodo ſit certus.

 ratione,

Digitized by Google

tatione, quæ per fidem proponitur, certitudinaliter ac infallibiliter tendit.

45. Certitudo ſpei alia abſoluta, alia conditionata.

Probatur & explicatur ſecunda pars, & quidem, quod ſpei certitudo in ordine ad rei ſperatæ poſſibilitatem ſit abſoluta, patet ex eo, quia abſoluta eſt certitudo fidei, ex quâ derivatur, & qua credimus Deum eſſe omnipotentem ad conferendum, & nos eſſe capaces ad ſuſcipiendam beatitudinem. In ordine ad ejuſdem futuritionem aliqua ſe tenent ex parte Dei, & ſunt divina auxilia, ac media à Deo proviſa; aliqua ſe tenent ex parte noſtrâ, & ſunt noſtra opera, noſtraque merita; de prioribus ſumus omnino certi ex promiſſione & veracitate divinâ, de poſterioribus ſumus incerti ex noſtri arbitrij libertate & vertibilitate ad oppoſita, ideò horum defectu habemus certitudinem duntaxat conditionatam de futuritione, ſeu conſecutione beatitudinis, & loquendo regulariter ideſt independenter à ſpeciali & extraordinaria revelatione, nemo poteſt cum certitudine abſolutâ dicere *ſalvabor* ſed ſolum cum conditione & reſtrictione, *ſalvabor ſi per me non ſteterit, ſi finaliter perſeveravero: Salvabor quantum eſt ex parte Dei ſeu divini auxilij*. Habetur utrumque ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 13.* dicente *De Perſeverantia munere, de quo ſcriptum eſt, qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit,* &c. *nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent, Deus enim, niſi ipſi illius gratia defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet*, &c.

46. Ex his habes ſpei certitudinem participari, & derivari, partim à judicio fidei de poſſibilitate ſalutis & de Dei potentiâ ad ſalvandum, partim ex judicio probabili de futuritione ſalutis attenta infirmitate noſtræ libertatis & virtute divini auxilij, adeóque inter hoc utrumque judicium ſpem mediare & primi quidem judicij certitudinem non aſſequi, at nec deijci ad incertitudinem ſecundi, cum præſertim illud, quod primò & principaliter ſpes in ſecundo judicio reſpicit, ſit divinum auxilium, vi cujus ſperans optimè poteſt ultrà infirmitatem propriarum virium confidere, & hac confidentia ſeu fiducia creſcente pervenire ad aliquam etiam abſolutam certitudinem de futuritione propriæ ſalutis, ut magis expendit Malderus *præcit. art. 4 memb. 2.*

47. Aſſert. 2. De ſpe datur neceſſitas tum medij, tum præcepti, & quidem non ſolum negativi, verum etiam poſitivi ſeu affirmativi. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *hic quæſt. 20. 21. & 22.* cæteriſque Theologis communiter.

Aliquis ſpei actus eſt neceſſarius neceſſitate medij.

Probatur, & explicatur, recolendo in primis pro neceſſitate medij, quæ de actu fidei dicebantur *præced. cap 5. §. 6 & 7.* eodem enim proportionaliter modo ponitur hic neceſſarius neceſſitate medij actus aliquis ſpei, & quidem duntaxat reſpectu adultorum, qui nequeunt iuſtificari & ſalvari, niſi prævio actu contritionis aut attritionis, neuter autem elici poteſt ſine intentione beatitudinis, & ſpe veniæ obtinendæ à Deo ut remuneratore: & cum ſpecialiter ex ibi dictis *num. 103.* ſit neceſſaria neceſſitate medij fides Dei remuneratoris, omninò infertur, quod ſit eodem modo neceſſaria tendentia voluntatis in Deum remuneratorem & remuneratione ſua nobis bonum; quæ tendentia habetur per ſpei actum. Ex neceſſitate medij infertur neceſſitas præcepti, ut attigimus *præcit. cap. 5. num 77.*

48. Item neceſſitate præcepti.

& hæc inſuper probatur; neceſſitas ſcilicet præcepti negativi, & obligatio nunquam ponendi actum ſpei contrarium, habetur ex eo, quod actus quilibet ſpei contrarius eſt intrinſecè malus, ut patebit *ex cap. ſeq.* Neceſſitas præcepti affirmativi habetur ex variis ſcripturæ locis Pſalm. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino.* Pſalm. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Hebr. 10. *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem* 1. Tim. 6. *Præcipe non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* Datur igitur de ſpe præceptum affirmativum, non ſolum quodammodo connaturale conſequens ad neceſſitatem medij, ſed ut ità dicam ſupperadditum & conſequens ad divinæ voluntatis imperium nobis in ſcripturâ expreſſum, & ex hoc præcepto poteſt eſſe obligatio ſperandi explicitè, & in particulari, aliqua, ad quæ non ſit obligatio ex neceſſitate medij; ſicuti pariter in fide oſtenſum eſt plura neceſſitate præcepti eſſe credenda, quàm ex neceſſitate medij. Neque dicas præallata Scripturæ loca, & id genus alia, continere potius admonitionem aut adhortationem, quàm præceptum, & ratio talis intelligentiæ eſſe poteſt, quia de ſpei actu non datur præceptum ullum in decalogo, in quo tamen tale præceptum, ſi daretur, non fuiſſet congruè omiſſum: Contrà enim; quæ ſunt præambula ad legem, ut actus fidei & ſpei, rectè potuerunt in decalogo omitti, & tradi etiam per modum, aut adhortationis, aut denunciationis, ut egregie explicat S. Doctor *quæſt. 22. artic. 1. in c.*

49. Præceptum actus ſpei, quando obliget.

Quoad tempus obligationis præcepti ſpei vix poteſt aliquid ſtatui, aliqui illud omnino relinquunt iudicio prudentis loquendo de obligatione intrinſeca præcepto ſpei & directè ab ipſo proveniente: verum ſicut magis communiter, ita magis rationabiliter & magis conformiter ad ſupradicta de tempore obligationis præcepti fidei *præcit. cap. 5. n. 115.* aſſignatur determinatè tum initium uſus rationis pro quo obligat præceptum fidei & charitatis, tum finis vitæ in quo ſicuti eſt major propinquitas ſalutis, ita eſt major neceſſitas eam à Deo ſperandi & expectandi; Inſuper obligat aliquando indeterminatè in vitæ decurſu, ità tamen ut huic obligationi regulariter ſatisfiat per actus, qui ſolent à ſpei habitu elici, tanquam prærequiſiti, aut ad victoriam tentationum, aut ad exercitium aliarum virtutum, pœnitentiæ præſertim, & charitatis; quâ ratione etiam regulariter ſatisfit obligationi eliciendi alios actus à ſpe ad ſpei tamen habitum pertinentes, inter quos potiſſimum habet locum timor. De his & ſimilibus plura videri poſſunt apud D. Thomam *præcitat. quæſtion. 22. articul. 1. & 2.* & ex Recentioribus Suarium *diſputat. 1. ſec. 1.* Arriagam *diſp. 23. ſec. 1.* Gabrielem à S. Vincentio

centio *diſp.*14.*dub.* 1.Herinex *diſp.*10.*q.*3.&c.

50. Quid ſit actus, quid habitus ſpei, tum in ſtrictâ, tum in adæquata ſignificatione?

Aſſert.4.Actus ſpei ſtrictè ſumptus pro eo, qui verè & propriè denominatur ſpes, eſt deſiderium ſeu intentio efficax beatitudinis præſertim objectivæ propter bonitatem intrinſecam ipſius ut revelatam ad ſperantem. Actus ſpei latius ſumptus pro eo omni, qui à ſpei habitu elicitur, eſt actus voluntatis proſequens beatitudinē præſertim objectivam, aut vitans impedimentum, propter bonitatem intrinſecam ejuſdem ut relatam ad ſperantem. Habitus ſpei reduplicativè, & ut ſubeſt tali denominationi, eſt ſimplex qualitas voluntati per ſe infuſa, qua inchoatur in nobis divina dilectio, & efficitur deſiderium, ſeu intentio efficax, &c. Habitus ſpei adæquatè, & ut refertur ad omnes actus quos elicit, eſt ſimplex, qualitas voluntati per ſe infuſa, qua inchoatur &c.& efficitur actus proſequens beatitudinē, &c. Hoc aſſertum, ut pote quoddam corollarium præcedentium, habet eoſdem Adverſarios & Patronos, quos plura ex præcedentibus ſic in primis qui ſpem partialiter tribuunt intellectui, ponunt in definitione actus ſpei probabilem beatitudinis obtinendæ: qui cenſent objectum formale ſpei eſſe Deum auxiliantem & promittentem pro ly *propter bonitatem intrinſecam*, &c. ponunt *ex divino auxilio*, aut *propter divinam omnipotentiam auxiliantem & promittentem*, ut ſingillatim videre eſt apud Arriagam *diſp.*26.*n.*5. Valentiam *diſp.*2. *qu.*1. *punc.*1. Eſparzam *quæſt.*34.*art.*4.&c.

51. Probantur & explicantur aſſertæ definitiones recolendo ſupradicta tum *lib.præced.cap.*5. *&* 7.§.1. dum definiremus actum & habitum fidei, tum *hoc lib.cap* 1.§.2. & *cap.*2. §. 3. dum aſſignavimus objectum formale *Quo*, & ſubjectum proximum ſpei. Porrò ſicuti definiendo habitum fidei ad doctrinæ, abundantiam potius, quam ex definitionis neceſſitate, poſuimus quod ea inchoetur in nobis vita æterna, ita modo definiendo habitum ſpei non ſine aliqua abundantia ponimus, quod ea inchoetur in nobis divina dilectio; optimè enim verificatur quod ſicuti fides eſt primum initium totius ſalutis, ita ſpes ſit ſpeciale initium divinæ, dilectionis, illa univerſaliter ad ſalutem, iſta ſpecialiter ad charitatem diſponit, quemadmodum oſtendit Eſparza *hic quæſt.*37. & colligitur ex D.Thoma *quæſt.*17.*art.*8.*in c.* dicente *Spes introducit ad charitatem in quantum aliquis ſperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum.*

Spes inhoat in nobis dilectionem.

Quænam ſint ipſius cauſæ?

Ex his habes omnes cauſas habitus ſpei eodem proportionaliter modo, quo tales cauſas reſpectu habitus fidei enumeravimus *præcit. cap.*7.*n.*8.

52. Habes inſuper habitum ſpei eſſe eſſentialiter, & in ſua ſpecie unicum, idque non ſolum, ſi ſumatur reduplicativè & ſub ratione ſpei, quâ ratione etiam actus, quos elicit omnes ejuſdem ſpeciei ſunt propter objectum formale in ſpecie unicum, & eodem modo ſe habens reſpectu omnium; ſed inſuper habitus ſpei eſt in ſpecie unicus, ſi ſumatur adæquatè & relatè ad omnes actus, quos ſub ſe continet; inter hos enim licet ſint aliqui ſpecie diverſi, omnes tamen ſicuti proveniunt ex eodem objecto formali, ità poſſunt elici ab eodem principio; & ex alia parte habitus ſpei, ut potè per ſe infuſus & mutans potentiam vitalem, poteſt ex genere ſuo eſſe principium effectuum ſeu actuum ſpecie diverſorum, quemadmodum ſæpius attigimus. Nec propterea in ipſo habitu concipienda eſt etherogeneitas, adeò ut ſecundum unam ſui partem ſit principium actus ſpei, ſecundum alteram actus gaudij, ſecundum alteram amoris, ſecundùm alteram timoris, &c. Non, inquam, ità eſt; ſed quælibet pars habitus poteſt quantum eſt de ſe concurrere ad omnes, & ſingulos enumeratos actus; quamvis igitur terminativè, & ex parte actuum, major detur diverſitas ſub ſpe, quam ſub fide; non ſic tamen activè & ex parte habituum; ſed ſpei habitus eſt omnino in ſpecie unicus, & tum intenſivè, tum extenſivè homogeneus, non minus quam habitus fidei, de quo ſuprà *cap.*7.*n.*5. *&* 9.

Quomodo ſit unica in ſpecie?

CAPVT III.

De oppoſitis Spei.

Spei opponuntur minus propriè omnia peccata contrà ſpem, etiamſi non repugnent cum actu, nec expellant habitum ſpei; ut ſunt omittere ſpei actum, quando urget ipſius obligatio, exponere ſe periculo deſperandi, habere ſimplicem diſplicentiam medij ad ſalutem neceſſarij: Propriè verò opponuntur illi ſoli actus peccaminoſi, cum quibus eſt directè incompoſſibilis actus, & per quos directè ac immediatè expellitur habitus ſpei: De his actibus ſtatuendum quinam ſint, utrum omnes & ſoli actus deſperationis, an etiam aliqui ſaltem actus præſumptionis? ſunt enim deſperatio & præſumptio vitia, inter quæ ſpes mediat, & à medio, in quo ſpes eſt, deſperatio per defectum, præſumptio per exceſſum recedit: At neceſſe eſt prænoſcere de utroque vitio in quonam eſſentialiter conſiſtat, ſeu quid ſit? & quidem quoad quid nominis. 1.

Adverto præſumptionem ſumi poſſe, tum pro vitio intellectus, tum pro vitio voluntatis: Præſumptio ſumpta pro vitio intellectus aliquando ſignificat nimiam æſtimationem propriæ excellentiæ, & eſt ſpecies ſuperbiæ; aliquando pravum judicium de alieno facto occulto ex conjecturis formatum, & juxtà talium conjecturarum conditionem dividitur præſumptio in levem, probabilem, & vehementem ſeu violentam, eſtque hæc præſumptionis acceptio atque diviſio familiaris apud Juriſtas. Præſumptio ſumpta pro vitio voluntatis ſignificat actum, quo voluntas fertur in aliquid excedens executivam poteſtatem; & quidem ſi excedat poteſtatem moralem ſeu juris & debiti, quatenus quis tendat in rem, quam de facto, non de jure; phyſicè, non licitè, exequi poteſt præſumptio eſt circumſtantia cujuſvis peccati, quo quis cognita lege Superioris ſciens & prudens eam tranſgreditur, ſic cenſuræ & pœnæ canonicæ ferè 2.

Præſumptionis acceptiones variæ.

omnes ſunt contra præſumentes, unde frequẽtes ſunt in Canonibus particulæ illæ *ſi quis præſumpſerit*. Si verò excedat poteſtatem phyſicam, vires ſcilicet, quas quis vel in ſe vel in aliis habet paratas, poteſt præſumptio vagari per materias diverſarum virtutum, quia tamen circa omnes materias virtutum moralium verſatur ſub una ratione oppoſita magnanimitati, eſt ſpeciale vitium huic virtuti contrarium, & in hoc ſenſu agit de præſumptione S. Doctor infrà *quæſt*.130. Eſt præterea alia præſumptio ſpecialior attingens materiam virtutis Theologicæ, ideſt ſpei, & hæc eſt præſumptio, de qua in præſenti, quæ licèt aliquando benè ſonet, & nihil aliud ſignificet quam vehementem, robuſtam, magnamque ſpem, in quo ſenſu habetur Judith. c. 6. *Oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te* & cap. 9. *Exaudi me miſeram deprecantem, & de tua venia præſumentem*; ut plurimum tamen malè ſonat & ſumitur pro vitio; ſicut è contrà licet ſpes aliquando malè ſonet, & cum vitioſa præſumptione coincidat, in quo ſenſu Auguſtinus *in Pſal*.144. ait *& ſpes, & deſperatio, timenda eſt in peccatis. Deſperat ut peccet, ſperat ut peccet. Utrumque metuendum eſt*; ut plurimum tamen ſonat benè, & ſumitur pro virtute: De præſumptione igitur hoc poſtremo modo accepta, & vitioſa, ſit

Præſumptio in bonam partem, & ſpes in malam partem ſumpta, quid?

§. I.

Quale peccatum, & quid ſit præſumptio, & an ea ſola, quæ infidelitati conjungitur, deſtruat ſpem?

4. ASSERT. 1. Præſumptio ſpei Theologicæ oppoſita eſt peccatum ex genere ſuo lethale; & dici poteſt præfidentia, ſeu nimia confidentia aquirendæ beatitudinis modo, ſecundùm legem ſaltem ordinariam, impoſſibili. Ità Theologi communiter cum D. Thoma *hic q*.21. *art*. 1. & 2.

Præſumptio ſpei Theologicæ oppoſita eſt peccatum ex genere ſuo lethale.

Probatur prima pars; in qua dixi *ex genere ſuo*, nam per accidens & ex imperfectione deliberationis, non inficior dari poſſe præſumptionem ſolum venialiter malam; cæterum ex natura rei, & ex genere ſuo, eſt mala lethaliter, quia eſt contrà perfectiſſimam virtutem, & contrà gravem obligationem procurandi propriam ſalutem modo proportionato & ordinario: Item, quia graviter à Deo punitur, ut inferri poteſt ex Judith *cap*.6. Præſumentes de ſe & de ſua virtute gloriantes humilias: Tandem; quia immediatè lædit aliquod divinum attributum, quatenus tendit in beatitudinem modo difformi divinæ juſtitiæ, unde communiter cum D. Thoma *præcit. art*. 2. dici ſolet præſumptionem eſſe contra Dei juſtitiam & providentiam, ſicuti deſperatio eſt contra Dei miſericordiam & bonitatem: Et
5. hinc obiter infert ipſe S. Doctor quod licèt præſumptio ſit peccatum valdè grave, adhuc ſit peccatum gravius deſperatio: Improbat hãc illationem Arriaga *diſp*. 30. *num*.45. eò quòd ex parte Dei æqualia ſint ea duo attributa juſtitia, & miſericordia; Nihilominùs quidquid ſit de attributis ipſis ſecundùm ſe, ſaltem ſecundùm effectum miſericordia eſt Deo magis propria, quoniam ut ſubdit *ibid*. S. Doctor *magis proprium eſt Deo miſereri, & parcere, quàm punire*; Deinde ſaltem ſecundùm nos æſtimabilior, ac amabilior eſt miſericordia, quod ſufficeret ad refundendam gravitatem majorem in peccatum deſperationis, quod contra ipſam eſt, quàm in peccatum præſumptionis, quod eſt contrà juſtitiam. Quod ait Arriaga deſperationem eſſe graviorem, quia periculoſior eſt & infidelitati propinquior, à nobis libenter admittitur; confirmat enim dumtaxat majorem deſperationis gravitatem, & nullatenus infirmat præallatam ex Angelico illationem.

Minùs tamen grave quàm deſperatio.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Præſumptio ſpei Theologicæ oppoſita debet verſari circà ſpei Theologicæ materiam, ideſt conſequenter ad ſupradicta circa beatitudinem, aut media ad beatitudinem conducentia, quod pluribus modis fieri poteſt, & in his omnibus (ut facilè apparebit conſideranti) involvitur aliquid ſecundum legem ſaltem ordinariam impoſſibile; ergo præſumptio ſpei Theologicæ oppoſita rectè definitur, aut deſcribitur, præfidentia, ſeu nimia confidentia aquirendæ beatitudinis, &c. Porrò inter varios præſumptionis modos primus ſit, quo ſperetur gloria independenter à gratia per ſola merita liberi arbitrij, & dici poteſt præſumptio Pelagiana, ideſt involvẽs pelagianiſmum. Secundus ſit, ſi ſperetur aut peccatorum remiſſio ſine pœnitentia, aut gloria ſine meritis, aut magna gloria ſine magnis meritis, aut etiam gloria major, quàm poſſit ſub ordinarijs meritis cadere; puta ſi quis expectet gloriam tantam, quantam aſſecuta eſt, Virgo Deipara; & dici poteſt præſumptio Lutherana, ideſt involuens Lutheraniſmum. Tertius ſit, ſi ſperetur ſpeciale Dei auxiliũ ad opus aliquod peccaminoſum, & dici poteſt præſumptio Calviniana, ideſt involuens Calviniſmum, quo Deo tribuitur eadem cauſalitas in peccatum, quæ in opus bonum, puta in proditionem Judæ, quæ in vocationem Pauli. Quartus ſit, ſi peccando uſque ad finem vitæ certò ſperetur antè mortem auxilium efficax ad pœnitendum, & ad obtinendum ſalutem; atque hinc oriatur propoſitum differendi pœnitentiam laxandique habenas peccatis, & dici poteſt præſumptio, catholica, ideſt catholichiſmum, ſeu catholicam fidẽ à ſubjecto non excludens; videtur hæc eſſe communior præſumptionis acceptio, quæ etiam appellari ſolet peccatum in Spiritum Sanctum, eo quod ſit cum nimiâ confidentia & abuſu miſericordiæ bonitatiſvè divinæ, quæ ſpecialiter ſpiritui sãcto tribuitur.

6. Quid in genere præſumptio ſpei Theologicæ oppoſita?

Præſumptio Pelagiana.

Præſumptio Lutherana.

Præſumptio Calviniana.

Præſumptio Catholica.

In hiſce præſumptionis modis Thomiſtæ cum S. Doctore *præcit. art*. 1. *in c*. conſiderant duplicem immoderantiam, alteram quâ nimis inhæretur potentiæ virtutique propriæ, alteram qua nimis inhæretur potentiæ ſeu miſericordiæ bonitatique divinæ; volunt deindè poſteriorum dumtaxat immoderantiam opponi ſpei Theologicæ, priorem verò ſpecialiter repertã in præſũptione pelagiana opponi magnanimitati. Nihilominus quod S. Doctor 7.

ait

ait præſumptionem, qua quis de virtute propriâ confidit, opponi magnanimitati, intelligendum eſt procedere in materiâ virtutum moralium, & cum per nos divinæ virtutis auxilium, ſeu Deus ut auxilians, non ſit formalis ratio ſpei Theologicæ, optimè poteſt huic opponi & etiam immoderantia, qua quis virtuti propriæ, nimis inhæret, quoties id præſtat in materiâ ſpei Theologicæ, & in ordine ad beatitudinem ut ſibi bonam: Confirmatur hoc ex eo, quia præceptum ſpei obligat ad ſperanda à Deo omnia ſupernaturalia & ſalutaria, cui præcepto opponitur ſperare talia bona à ſe ipſo, & ex virtute propriâ, non ex divinâ.

8. Aſſert. 2. Præſumptio infidelitati non conjuncta ſpem non deſtruit; quæ verò infidelitati conjuncta eſt ſpem deſtruit indirectè duntaxat, & ratione infidelitatis, non directè & ratione ſui. Prima pars eſt communis licet Bannez *hic quaſt.* 21. *art.* 2. §. *Quæritur quartò*, cenſeat oppoſitum eſſe probabile. Secundam partem tradunt Amicus *diſput.* 21. *ſec.* 2. Arriaga *diſp.* 30. *ſec.* 4. Turrianus *quaſt.* 21. *art.* 2. Herincx *diſp.* 10. *quaſt.* 6. *num.* 64. alijque nonnulli contrà Joannem à S. Thoma *diſp.* 13. *art. un. in fine*, Suarezium *diſp.* 2. *ſec.* 3. *num.* 4. Granadum *contrau.* 2. *tract.* 4. *diſput.* 3. *n.* 4. &c.

Præſumptio non conjuncta infidelitati non deſtruit ſpem.

Probatur & explicatur prima pars: Ex variis præſumptionis modis enumeratis *praced. num.* 6. ea ſola, quæ quarto loco poſita eſt infidelitati non conjungitur, nec videtur aſſignabilis alius modus præſumptionis, quæ opponatur ſpei Theologicæ & non conjungatur infidelitati; atqui præſumptio quarto loco poſita ſpem non deſtruit, non eſt ſcilicet incompoſſibilis cum actu, ac conſequenter non expellit habitum ſpei; ergo præſumptio infidelitati non conjuncta, &c. probatur minor, præſumptio quarto loco poſita conſiſtit in eo, quod peccando uſque ad finem vitæ ſeu tempus morti propinquum, adhuc certo ſperetur pœnitentia & ſalus, hincque ſumatur occaſio differendi pœnitentiam & multiplicandi peccata; atqui ſic præſumens, & ſumens ex divina miſericordia occaſionem peccandi quamvis reddat ſe ſpecialiter indignum divinâ miſericordiâ qua abutitur, vult tamen differre, non omnino tollere pœnitentiam; vult igitur ſalvari modo minus ordinatio, quia pœnitentia ſera rarò vera; at non vult aliquid quod reddat impoſſibilem ſalutem, & excludat actum ſpei; ergo præſumptio quarto loco poſita ſpem non deſtruit. Neque dicas, ergo ſuprà malè definita eſt præſumptio, præſumptio enim à nobis modo explicata non tendit in ſalutem, ſeu beatitudinem, modo impoſſibili, quod ſuprà in præſumptionis definitione poſitum eſt. Contrà enim; ly *modo impoſſibili* debet latius ſumi pro modo minus conformi divinæ providentiæ, eo planè ſenſu, quo peccata in Spiritum ſanctum dicuntur irremiſſibilia ſeu impoſſibilia remitti, quatenus raro & difficile remittuntur.

9. Probatur & explicatur ſecunda pars, & quidem quod præſumptio infidelitati conjuncta ſpem deſtruat ratione infidelitatis patet ex eo, quod infidelitas ipſa ſpem deſtruit auferendo aliquid ſpectans ad ejus objectum formale, ut attigimus *cap. præced. nu.* 32. Quod talis deſtructio ſit indirecta deducitur ex eo, quod infidelitas ſit actus directè contrarius ſoli fidei, & motivo formali ipſius; directè igitur deſtruit ſolam fidem, cũ enim deſtructio de qua in præſenti, habeatur ratione cõtrarietatis, haberi nequit deſtructio directa, niſi ubi invenitur directa contrarietas: Impeditur inſuper inter infidelitatem & ſpem directa tum cõtrarietas tum deſtructio ex diverſitate ſubjecti proximi, quod reſpectu infidelitatis eſt intellectus reſpectu ſpei voluntas. Remanet probandum præſumptionem infidelitati conjunctam non deſtruere ſpẽ directè ratione ſui, & hoc probatur primò ex eo, quia præſumptio infidelitati conjuncta ab infidelitate præceditur ſicuti ſpes præceditur à fide, talis igitur præſumptio invenit ſemper ſpem in aliquo ſigno antecedente deſtructam vi infidelitatis, nec unquam illam deſtruit directè & ratione ſui: Secundò quia præſumptio ex ſe præcisè ſe habet ad ſpem, ſicut credulitas ad fidem; illa nimis ſperat, iſta nimis credit; illa per exceſſum à ſpe, iſta per exceſſum à fide recedit; atqui *ex præcedent. cap.* 8. *num* 9. nimia credulitas fidem non deſtruit, & fidei opponitur impropriè, quatenus eſt peccatum contrà fidem, non propriè quatenus habeat incompoſſibilitatem cum fide; ergo ſimiliter præſumptio ex ſe præcisè non

Conjuncta infidelitati deſtruit ſpẽ præcisè ratione infidelitatis.

10. deſtruit ſpem, & ſpei opponitur duntaxat impropriè, &c. Tertio quia hoc quod eſt ſperare gloriam independenter à gratia, & aut ex meritis naturalibus, aut ſine meritis, non repugnat cum ſperare dependenter à gratia & ex meritis ſupernaturalibus loquendo ex terminis & præcisâ fide; præciſa enim prærogativa fidei, quæ non poteſt in uno deficere, quin deficiat in omnibus, cur nam is, qui exiſtimat gloriam dari ex meritis naturalibus, aut ſine meritis, nõ poterit ſibi certò perſuadere merita ſupernaturalia, quãvis non neceſſaria eſſe tamen infallibiliter ad gloriam conducentia; & hanc illis eſſe à Deo promiſſam, ſicque cum præſumptione ſecundum ſe præcisè acceptâ elicere ſpem omnino ſimilem ſpei noſtræ?

Dices: Qui fidit propriis viribus, nihil cogitat de viribus gratiæ; & qui non requirit merita ad gloriam, non vult gloriam conſequi ſecundum divinas promiſſiones, & per media à Deo ordinata; ergo ponit obicem certitudini ſpei, nec poteſt velle gloriam eo modo, quo datur certitudo de ipſius poſſibilitate; ergo

11. præſumptio ex ſe præcisè deſtruit ſpem: Sed contrà; antecedens verum eſt in ſenſu reduplicativo, non in ſenſu ſpecificativo & concomitanti, qui ſcilicet fidit propriis viribus, ut fidit propriis viribus, non cogitat de viribus gratiæ, nec poteſt ex hac cogitatione moveri ad fidẽdum propriis viribus; at nil prohibet quin concomitanter & in ordine ad alium actum de viribus gratiæ cogitet: Item qui non requirit merita, quatenus non requirit merita, non vult, &c. at nil prohibet, quin concomitanter & aliundè exiſtimet gloriam, quæ haberi poteſt ſine meritis, haberi infallibiliter per ſupernaturalia merita, niſi igitur quælibet

infidelitas tolleret omnem fidei certitudinem, non requirens merita ad gloriam poſſet retinere certitudinem de conducentiâ meritorum ad ipſam; adeóque præſumptio ponit obicem certitudini ſpei ratione infidelitatis, non ratione ſui: Inſtantia verò ſi benè percipiatur, probat quidem præſumentem non ſperare eo actu, quo præſumit, & præſumptionem ex ſe non eſſe ſpem; at cum hoc ſtat præſumentem poſſe ſperare actu diverſo ab eo, quo præſumit; & actum præſumptionis ex ſe præcisè eſſe compoſſibilem cum actu ſpei à ſe diſtincto, quod ſolùm nos intendimus.

---

§. II.

Quale peccatum, & quid ſit deſperatio, & an poſſit eſſe ſine infidelitate?

12. ASSERT. 1. Deſperatio oppoſita ſpei Theologicæ eſt peccatum ex genere ſuo lethale, & dici poteſt, nolitio beatitudinis orta ex moleſtiâ, difficultate aut quaſi impoſſibilitate aquiſitionis. Prima pars eſt communiſſima: Secunda eſt contra Almainum *tract. 1. Moral. cap. de ſpe.* Turrianum *hic diſp. 64. dub. 10.* alioſque nonnullos collocantes deſperationem in judicio erroneo & actu intellectus, cui opinioni aliqualiter favet Arriaga *diſp. 30 ſec. 1. ſub ſec. 2.*

Deſperatio ſpei Theologicæ oppoſita eſt peccatum ex genere ſuo lethale.

Probatur prima pars, imò patet ex dictis partim de obligatione & præcepto ſpei, partim de lethali malitiâ præſumptionis, quâ tamen inſinuatum eſt graviorem eſſe deſperationem; quæ etiam quàm gravis ſit, maximè evincitur à poſteriori ex eo, quod deſperantes nec præmijs ampliùs, nec ſupplicijs avertuntur à malo, & omnia facilè ruunt in ſcelera; undè ex eorum perſonâ dicitur Ierem. 18. *Deſperavimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus:* & de iiſdem habetur Epheſ. 4. *ſe met ipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.*

13. Eſt nolitio beatitudinis orta ex moleſtia &c.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Deſperatio ex vi ipſa nominis importat quandam depoſitionem, ſeu objectionem ſpei, debet igitur exerceri in eadem potentia, in quâ Spes, & collocari in actu maximè incompoſſibili cum actu ſpei; pro huiuſmodi autem actu non poteſt aliquid melius aſſignari, quam nolitio & fuga efficax illius objecti, cujus ſpes eſt nolitio & efficax perſecutio; conſequens eſt igitur, quod deſperatio ſit quædam beatitudinis nolitio; quia verò beatitudo ſecundum ſe eſt ſummè bona, & bonum ſub ratione boni voluntas non refugit, ſicuti nec malum ſub ratione mali proſequitur, ultrà beatitudinem ſecundùm ſe conſideranda eſt aquiſitio ipſius ut facienda per media divinitus ordinata, quæ ſæpè opponuntur bono delectabili & utili, ſæpe apprehenduntur ut nimis difficilia & impoſſibilia moraliter, ſæpè etiam erroneè iudicantur impoſſibilia ſimpliciter, & quocumque ex his modis acquiſitio beatitudinis poteſt eſſe objectum nolitionis & fugæ, & ideò poſitæ ſunt particulæ illæ *orta ex moleſtia, difficultate &c.* continentes modum, quo dari poteſt de beatitudine nolitio, & magis explicantes eſſentiam deſperationis, oppoſitionémque eius ad ſpem.

Dices: Si quis judicet ſe aut non poſſe ſalvari, aut non eſſe ſalvandum, etiamſi nullum actum voluntatis eliciat, deſperat, & è contra, ſi quis nolit beatitudinem, iudicet tamen ſe eam habiturum, non deſperat, ergo deſperatio conſiſtit in judicio & actu intellectus, non in nolitione & actu voluntatis, antecedens probatur quoad primam partem, quia iudicium illud ſecundum ſe precisè eſt incompoſſibile cum actu ſpei; quoad ſecundam, quia volens beatitudinem, judicans tamen ſe eam non habiturum non ſperat; ergo: Sed contra; nego primam partem antecedentis, ad cujus probationem dico iudicium illud, ſi non ſit planè abſolutum & omninò firmum, eſſe compoſſibile cum actu ſpei quo quis in beatitudinem tendat, & impendat omnia media ſi fortè ſit locus divinæ miſericordiæ, ſi verò ſit omnino firmum, erit incompoſſibile cum actu ſpei indirectè & mediatè, eo modo, quo infidelitas, & ad deſperationem inducet, at non erit deſperatio, cujus incompoſſibilitas cum ſpe eſt directa & immediata. Ad ſecundam antecedentis partem dico nolitionem beatitudinis conſtitutivam deſperationis debere eſſe efficacem, qualis eſſe non poteſt in iudicante ſe beatitudinem habiturum; at hinc nihil amplius infertur, quàm carentiam talis judicij, aut iudicium oppoſitum de beatitudine non habenda prærequiri ad deſperationem, ſicuti ad ſpem requiritur, at ipſius conſtitutionem non ingreditur judicium de beatitudine conſequibili aut conſequenda *ex præced. num. 24. & 26.* 14

Aſſert. 2. Deſperatio poteſt eſſe ſine infidelitate. Ita Theologi communiter cum D. Thomâ *quæſt. 20 art. 2.* 15

Probatur & explicatur: Tripliciter potiſſimum deſperare quis poteſt; primò ſcilicet ex eo, quod iudicet v. g. beatitudinem ſupernaturalem eſſe impoſſibilem, Deum non poſſe conferre ſalutem, non dari in Eccleſia remiſſionem peccatorum: Secundò ex eo quod credendo prædicta in univerſali diſcredat ea in particulari reſpectu ſui ipſius, judicans beatitudinem eſſe ſingillatim impoſſibilem ſibi, ſuam obdurationem divinâ gratiâ vinci non poſſe, aut ſe eſſe deſertum & deſtitutum omnibus auxiliis ſufficientibus ad obtinendam ſuorum peccatorum veniam & remiſſionem: Tertiò ex eo quod credendo omnia prædicta, tum in univerſali, tum in particulari reſpectu ſui ipſius, firmiter tamen & abſolutè iudicet ſe non eſſe ſalvandum, ſe non eſſe convertendum, quamuis ex gratiâ & miſericordia Dei converti poſſit & ſaluari. Deſperans primo modo deſperat cum infidelitate, quamvis deinde hæc infidelitas in aliquo poſſit eſſe materialis, quod nil refert ad rem præſentem; Deſperans ſecundo modo non adeò certum eſt quod deſperet cum infidelitate, quia non deſunt Auctores Catholici admitten

Modus deſperandi cum infidelitate.

admittẽtes non eſſe de fide propoſitiones particulares cõtentasquidẽ ſub univerſalibus revelatis, at non revelatas in ſe, itẽ agnoſcẽtes in aliquibus peccatoribus obduratis carentiã cuiuſcumque auxilij ſufficiẽtis ad pœnitendum; nos tamen conſequenter ad ea quæ dicebamus partim *lib præced. cap. 3. §. 3.* partim *in tract. de Gratiâ lib. 1. cap. 3. §. 12.* tenemur admittere in tali deſperante infidelitatem: Deſperans tertio modo optimè poteſt eſſe ab omni infidelitate immunis, quia cum regulariter de nullo in particulari fides doceat, quod ſalvabitur, poteſt quilibet ſine infidelitate dicere, quod non ſalvabitur; imò omnis reprobus id dicet ſine falſitate, & id diceret cum certitudine is, cui propria reprobatio & futura damnatio revelaretur. Ecce igitur modum, quo haberi poteſt ſine infidelitate deſperatio: Nec obſtat D. Chriſoſtomus *homil. de fide, ſpe, & charit.* dicens *fides, & ſpes, ſibi mutuâ vice ita connexa ſunt, ut altera ſine altera ſtare non poſſit*: Non obſtat, inquam, quia ly *ſtare* poteſt intelligi de diuturnâ perſeverantia adeò ut dumtaxat inferat diu permanentem in deſperatione prolapſurum in infidelitatem, ad quam deſperatio valdè diſponit.

16. Modus deſperandi ſine infidelitate.

Dices; Quamvis hoc iudicium *Non ſalvabor* non ſit in ſe ipſo infidelitas, neceſſariò tamen ſupponit infidelitatem; ergo deſperatio tertio modo proveniens ex iudicio illo *non ſalvabor*, aut alio ſimili, non eſt ſine infidelitate; antecedens probatur, nemo poteſt firmiter & abſolutè iudicare ſe non ſalvandum, niſi exiſtimet Deum aut non poſſe, aut efficaciter nolle ipſum ſalvare; hoc ſecundum cum pendeat in libera voluntate Dei, eàque arcana & occulta, nemo poteſt firmiter exiſtimare de ſe ipſo potius, quàm de aliis; ſi primum exiſtimetur, eſt aperta infidelitas: Confirmatur hoc ex D. Thomâ qui *præcit. quæſt. 20. art. 1.* probat deſperationem eſſe malam, quia eſt conformis intellectui falſo, ſeu exiſtimationi falſæ de Deo, ſupponit igitur deſperatio falſam exiſtimationem, nec aliam, quàm quod Deus in talibus circumſtantiis ſalvare non poſſit; nam exiſtimatio præcisè quod ſalvaturus non ſit, aut quod efficaciter nolit ſalvare, ſæpè, in omnibus ſcilicet reprobis, eſt vera, & aliquando etiam poteſt eſſe certa ex fide, ut nos ipſi mox inſinuavimus. Sed contra: quælibet libera Dei voluntas ipſo revelante poteſt certò innoteſcere, ne tamen hinc inferas poſſe ſine infidelitate deſperare eum ſolùm cui Deus revelaret ſe nolle ipſum ſalvare, quod eſt idem ac dicere, cui Deus revelaret propriam damnationem; dico ulterius Deum liberè velle aliqua ex ſe præcisè, & hæc libera Dei voluntas ſolet eſſe arcana & occulta, niſi à Deo ipſo reveletur; aliqua alia liberè velle occaſione, & quaſi motione acceptâ ex nobis, hæc voluntas non eſt adeò arcana ex occulta, quin poſſimus ex nobis ipſis, ſeu & occaſionibus & conjecturis ex parte noſtrâ ſe tenentibus, formare prudenter firmum aliquod judicium: Porrò efficax nolitio ſalvandi, ſeu volitio damnandi eſt in Deo libera voluntas ſecundi generis, ad quam Deus non ex ſe præcisè, ſed

17. Quomodo deſperans iudicet Deũ nolle ipſum ſalvare.

prævisis noſtris operibus ſe determinat; ſi quis igitur vel ob inveteratam peccandi conſuetudinem, vel ob benè operandi difficultatem, vel ob perverſitatem ac objectionem animi, efficaciter proponat ſe velle finaliter perſeverare in peccato, & negligere media ad ſalutem neceſſaria; iſte utique abſque ullâ infidelitate eadem ratione, quâ poteſt certò judicare ſe moriturum finaliter impœnitentem poteſt ſimiliter judicare ſe non ſalvandum & Deum nolle ipſum ſalvare: Ad confirmationem dico deſperationem eſſe conformem falſæ exiſtimationi, non quia ſemper actu procedat, ſed quia poteſt ſuapte ratione procedere ex falſâ exiſtimatione, & deſperans eodem planè modo ſe habet, ac ſi falſâ judicaret de beatitudine, aut medijs ad ipſam conducentibus, ità D. Thomæ mentem explicat Valentia *diſp. 2. quæſt. 3. pun. 1.* 18.

---

§. II.

Vtrùm is, cui revelaretur propria damnatio, adhuc teneretur ad ſperandum aut ſaltem ad non deſperandum?

ASSERT. 1. Is, cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè futura propria damnatio, non teneretur ſperare propriam beatitudinem. Ita Sylvius *hic quæſt. 20. art. 1.* Ioannes à S. Thomâ *diſp. 13. art. un.* Gonetus *diſp 9. art. 5.* Maſtrius *diſp. 6. quæſt. 19. art. 2.* Suarez *diſp. 2. ſec. 2.* Amicus *diſp. 23. ſec. 2.* Arriaga *diſp. 30 ſec. 1. ſubſec. 2.* Madernus *quæſt. 6. art. 7.* cæterique Theologi communiter contra Granadum *hic controv. 2. tract. 2. diſp. 4.* Vulpium *diſp. 55. art. 4.* & ex parte Lorcam *quæſt. 22. art. 2. diſp. 18.* docentem in dato caſu eſſe obligationem ſperandi beatitudinem ut poſſibilem, quamvis non ut futuram: Invenio etiam communiter inter Adverſarios recenſeri ex antiquioribus Victoriam & Ariminenſem, de quorum mente mihi ſatis non conſtat. 19.

Dixi *cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè* Vbi per ly *revelaretur* inſinuatur nos loqui de revelatione, non quæ de facto ſit, ſed quæ eſſet, aut eſſe ſupponeretur, præſcindendo pro nunc à ſuppoſitionis poſſibilitate & impoſſibilitate, de quâ *ſeq. 5.* ly *ſimpliciter & abſolutè* ponitur ad differentiã revelationis, quæ comminatoriè & conditionatè fiat, qua ſcilicet damnatio reveletur per modum comminationis, & non abſolutè, ſed ſub conditione implicita neglectæ pœnitentiæ, & niſi is, cui revelatio fit reſipiſcat; talem autem monent Theologi cum D. Thomâ *de verit. quæſt. 23. art. 8 ad 2.* cenſendam regulariter eſſe omnem propriæ damnationis revelationem, quam quis à Deo accipiat; de hac enim conſtat, quod de potentiâ etiam ordinariâ poſſibilis ſit, de revelatione abſolutâ non item.

Revelatio damnationis regulariter cenſenda eſt comminatoria conditionata.

20. Probatur: Is, cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè futura propria damnatio, non poſſet ſperare propriam beatitudinem; ergo ad id non teneretur; conſequentia patet ex eo, quod nemo tenetur ad impoſſibile; antecedens

Si ſit abſoluta, is, cui fit, non tenetur ſperare.

tecedens probatur, non poteſt ſperare is, qui non poteſt habere actum intellectus eſſentialiter præréquiſitum ad ſperandum; poſſe enim aliquid importat poſſe habere, imò ſi ſermo ſit de poſſe proximo & expedito, actu habere omnia eſſentialiter prærequiſita ad illud, atqui is, cui revelaretur &c. non poſſet habere actum intellectus eſſentialiter prærequiſitum ad ſperandum; ſperare enim quatenus eſt actus voluntatis, prærequirit eſſentialiter aliquem actum intellectus, idest aliquam cognitionem regulantem, quatenus eſt talis actus in ſpecie contradiſtinctus à reliquis, præſertim verò à ſimplici deſiderio, prærequirit actum, quo beatitudo iudicetur probabiliter futura, & practicè ac relatè ad ſperantem, non ſpeculativè dumtaxat ac ſecundùm ſe poſſibilis, hunc porrò actum habere non poſſet is, cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè futura propria damnatio; alioqui cum judicio certo de non conſecutione beatitudinis, & non evaſione damnationis, conjungeretur judicium probabile de illius conſecutione & iſtius evaſione.

Dices is, cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè futura propria damnatio, poſſet diſſentiri tali revelationi, aut ſuſpenſivè circà ipſam ſe habere, ergo poteſt non elicere judicium certum de non conſecutione beatitudinis, & hoc iudicium non eliciendo habere judicium probabile de beatitudinis conſecutione. Confirmatur: magis eſt aſſequi, quàm ſperare beatitudinem; atqui habens revelationem ſuæ damnationis futuræ retinet potentiam conſequendi; ergo à fortiori retinet potentiam ſperandi beatitudinem. Sed contrà: tranſeat antecedens diſtinguo 21. conſequens; ergo poteſt cum infidelitate aut ſaltem cum imprudentiâ non elicere iudicium certum &c. concedo; retenta fide & ea dictamine prudentiæ nego; nec aliter poteſt habere iudicium probabile de beatitudinis conſecutione: Non ſufficit autem ad ſpem Theologicam quodcumque iudicium probabile de beatitudinis conſecutione, ſed debet eſſe prudens & proveniens ex prævio fidei actu, ideò &c. Ratio diſtinctionis eſt, quia is, cui revelaretur &c. ſupponitur habere talem revelationem ſufficienter propoſitam, circà quam qui diſſentit eſt infidelis, qui ſuſpenſivè ſe habet eſt ſaltem imprudens. Ad confirmationem data maiore, & minore; nego conſequentiam; potentia enim ſperandi prærequirit aliquem actum incompoſſibilem cum revelatione damnationis, idest iudicium probabile de damnationis evaſione, quem actum non requirit potentia conſequendi beatitudinem, ſeu quod in idem recidit, potentia conſequendi contenta eſt poſſibilitate quacumque, potentia ſperandi poſtulat poſſibilitatem practicam, & probabilem futuritionem beatitudinis; quamvis igitur conſequi æquè ac ſperare beatitudinem repugnet cum revelatione damnationis, cum hac eadem potentia conſequendi non æquè repugnat, ac potentia ſperandi.

Potentia cõſequẽdi beatitudinem poteſt eſſe ſine potentia eamdem ſperandi.

Hinc habes eum, cui fieret revelatio propriæ damnationis, quamvis non poſſit ſperare, poſſe tamen deſiderare beatitudinem; quia ut res deſideretur ſufficit quod ſit poſſibilis phyſicè & ſpeculativè, nec requiritur, ſicut ad ſperari, quòd ſit poſſibilis moraliter & practicè, quod eſt idem ac dicere probabiliter futura; undè diſplicet in modo loquendi potiùs, quàm in re ipſa, Lorca ſuprà relatus docens in hypotheſi, de qua agitur, eſſe obligationem ſperandi beatitudinem ut poſſibilem, quamvis non ut futuram.

Aſſert. 2. Is, cui revelaretur & abſolutè futura propria damnatio adhuc teneretur ad non deſperandum deſperatione poſitivâ, & propriâ. Ita Bannez *hic quæſt.* 22. *art.* 1. Ioannes à S. Thomâ *diſp.* 13 *art. un. num.* 17. Gabriel à S. Vincentio *diſſ.* 14. *dub.* 2. §. 5. Suarez *præcit. ſec.* 2. *num.* 8. Amicus *præcit. ſec.* 2. *n.* 57. Arriaga *præcit. ſubſec.* 2. *num.* 33. Madernus *præcit. art.* 7. *num.* 5. cæterique Theologi communiter contrà Iſambertum *hic diſp.* 2. *art.* 7. Azorium *lib.* 2. *cap. ult.* alioſque nonnullos. 22.

Cum revelatione propriæ damnationis adhuc ſtat obligatio non deſperandi poſitivè, & propriè.

Dixi *deſperatione poſitiva & propria* cujus nomine *ex præced. num.* 12. eam intelligo quæ oritur ex moleſtiâ & difficultate acquiſitionis, qua ſcilicet quis non vult beatitudinem eò quod nolit exequi media ad ipſam conducentia ut potè moleſta, eſt oppoſita bono delectabili; aut etiam eò quod judicet beatitudinem eſſe ſimpliciter impoſſibilem, nec Deum poſſe remittere peccata, & providere auxilia ad illam conſequendam neceſſaria: Huiuſmodi deſperatio dicitur poſitiva, & propria, ad differentiam deſperationis negativæ & minus propriæ conſiſtentis præcise in negatione & nolitione ſpei aut etiam in nolitione beatitudinis, tanquàm ex defectu proprio divinitus revelato non conſequendæ, licèt aliundè iudicetur conſequibilis ex divina miſericordia, & adſit animi præparatio ad obſervantiam præceptorum & executionem mediorum beatitudini inſervientium: Quam quidem deſperationem negativam non eſſe illicitam habenti damnationis ſuæ revelationem patet ex eo, quod iſte juxtà ſuprà dicta non tenetur ſperare, ergo neque tenetur velle ſperare; & ſicuti licitè non ſperat, ita licitè vult non ſperare, ſeu non vult ſperare: licitè etiam non vult beatitudinem tamquàm ex defectu proprio divinitùs revelato non conſequendam; quia in hoc ſe conformat tum voluntati & revelationi divinæ, tum prudenti & rationabili judicio, quod habet de beatitudine non conſequendâ. Aſſertum ſic explicatum.

Deſperatio alia poſitiva, alia negativa.

Probatur, quia cum revelatio de futura damnatione non auferat potentiam exequendi bona opera, nec impediat judicium, quo beatitudo cenſeatur abſolutè poſſibilis, & tum culpa quælibet, tum damnatio vitabilis ex divinâ miſericordiâ, is, cui revelaretur futura propria damnatio, adhuc poſſet non deſperare deſperatione poſitivâ & propria; ergo adhuc teneretur ad taliter non deſperandum; probatur hæc conſequentia, deſperatio poſitiva & propria ex genere ſuo eſt intrinſecè mala; ergo quoties datur potentia, datur obligatio eam vitandi, & quicumque poteſt poſitivè non deſperare, ad id tenetur. 23.

Ex

Digitized by Google

24. *Cum revelatione dãnationis ſtat obligatio ſervãdi præcepta.*

Ex his habes habentem revelationem propriæ damnationis eximi duntaxat ab obligatione ſpei & fidei de propria beatitudine practicè poſſibili; at non ab obligatione ſervandi alia præcepta: Enimverò prædicta revelatio reddit eum, cui fit, impotentem ad ſperandum & credendum propriam beatitudinem practicè poſſibilem, mutando quodammodo beatitudinem ipſam eamque reddendo de practicè poſſibili non practicè poſſibilem, non ſic reddit impotentem ad obſervanda alia præcepta, nec mutat aliorum præceptorum materiam.

Dices: Is, qui non tenetur ad ſalutem conſequendam, neque etiam tenetur adhibere media ad eandem; cum enim media non ſint, niſi propter finem, ceſſante obligatione finis, ceſſare debet obligatio mediorum; atqui in ordine ad ſalutem præcepta ſe habent ut media, præceptorúmque obſervantia ut mediorum executio; ergo is, qui non tenetur ſperare ſalutem, neque tenetur obſervare præcepta; & hoc quidem videtur maximè militare in præceptis obligantibus ad auferendum obicem ſalutis, cujuſmodi eſt præceptum confeſſionis, & contritionis in mortis articulo; qui enim morti proximus ſcit ſe damnandum, & moriturum cum obice ſalutis, impertinenter confitebitur aut conteretur, ut vitet damnationem & tollat obicem ſalutis.

25. Sed contrà; ſalutis conſecutio non eſt unicus & adæquatus finis obſervantiæ præceptorum, ideò ceſſante obligatione conſequendi ſalutem non eſt neceſſe, quod ceſſet obligatio ſervandi præcepta, quorum finis intrinſecus eſt conformitas ad naturam rationalem, & hujus conformitatis obligatio numquàm ceſſat: Nec verum eſt eum, qui ſcit ſe damnandum, impertinenter aut inutiliter præcepta ſervaturum; utiliſſimum enim eſt damnando pauciora peccata committere, ut minorem habeat tota æternitate torturam,

Vrgebis: Chriſtus *Matth.* 19. ait *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; obligatio igitur obſervandi mandata afficit eos ſolùm, qui volunt ad vitam ingredi ſeu ſalvari; atqui habens revelationem propriæ damnationis non poteſt efficaciter velle ſalvari, & ad vitam ingredi; ergo non tenetur ſervare mandata. Sed contrà: ex Chriſti verbis infertur; quod obligatio ſervandi mandata afficiat illos omnes, at non quod afficiat illos ſolos, qui volunt &c. ideò &c.

---

§. IV.

An, & cui poſſit à Deo revelari ſimpliciter & abſolutè propria damnatio?

26. *Revelatio propriæ dãnationis ſimpliciter, & abſolutè, nulli viatori fieri poteſt de potentia ordinaria.*

ASSERT. 1. Secundùm ordinem præſentis providentiæ, ſeu de lege ordinariâ nulli viatori poteſt à Deo revelari ſimpliciter & abſolutè propria damnatio. Ità D. Thomas *in* 1. *diſt.* 48 *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 2. item *quæſt.* 23. *de verit. art.* 8. *ad* 2. cæterique Theologi communiter.

Probatur ex eo, quia ſecundùm ordinem præſentis providentiæ quilibet viator tenetur beatitudinem ſalutémque propriam ſperare & procurare, ad quod teneri non poteſt is, cui revelaretur ſimpliciter & abſolutè propria damnatio: Deindè, cum ſpes gloriæ & præmij ſit vehemens motivum generosè virtuoséque operandi, & exercendi vires in ſuperandis difficultatibus, ac tentationibus, occurrentibus contra proſecutionem boni honeſti, non decet ſuavitatem præſentis providentiæ, quod aliquis in via tali motivo careat, ut careret is, cui revelaretur &c. Confirmatur ex eo, quod non eſt facilè concedendum poſſibile de lege ordinaria aliquid, quod numquàm adhuc de facto evenerit; at numquam adhuc de facto evenit; quod Deus alicui viatori revelaverit ſimpliciter & abſolutè propriam damnationem ergo,

Dices; nonne de facto Chriſtus ſimpliciter & abſolutè revelavit Iudæ propriam damnationem? dum dixit Matth. 26. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille?* & dum *Ioan.* 17. eumdem appellavit filium perditionis: Nonne item revelatio damnationis Antichriſti, ut potè facta toti Eccleſiæ, ipſi etiam Antichriſto innoteſcet; Sed contrà: *Matth.* 26. continetur magnitudo malitiæ & gravitas culpæ, quæ proditioni inerat, non verò exprimitur damnationis revelatio *Ioan.* 17. ad ea verba Judas non amplius aderat, ut potè qui ex *Ioan.* 13. poſt acceptam buccellam ſtatim exijt, revelatio igitur illis verbis contenta cæteris Apoſtolis, nõn ipſi Iudæ facta eſt.

27. *Nec Iudas habuit, nec Antichriſtus habebit, revelationem & fidẽ propriæ damnationis.*

Revelatio damnationis Antichriſti Eccleſiæ facta non obtinebit ab Antichriſto aſſenſum; ille enim erit chriſtianæ Religionis hoſtis acerrimus, & conabitur impedire omnem prædicationem, & ſufficientem myſteriorum noſtræ fidei propoſitionem, ſibi præſertim faciendam: Præter quod quando ipſe fide divina crederet Antichriſtum eſſe damnandum, non propterea credet fide divina damnationem propriam, quia non credet fide divina ſe Antichriſtum; imò hoc apertè inficiabitur.

28. *Revelatio propriæ dãnationis cuilibet reprobo fieri poteſt de potentia abſoluta.*

Aſſert. 2. Secundũ ordinẽ alterius providentiæ, ſeu de lege extraordinaria poteſt à Deo revelari ſimpliciter & abſolutè propria dãnatio cuilibet reprobo, nõ ſolũ exiſtenti in peccato verùm etiam exiſtenti in gratiâ. Ita cũ D. Thomâ locis præcitatis Bannez *hic quæſt.* 22. *art.* 1. *dub.* 3. Ioannes à S. Thom. *diſp.* 12. *art. un.* Gonetus *diſp.* 9. *art.* 5. Suarez *diſp.* 2 *ſec.* 2. *n.* 6. Amicus *diſp.* 23. *ſec.* 2. Arriaga *diſp.* 30. *ſec.* 2. *ſubſec.* 1. Maderonus *quæſt* 6. *art.* 6. cæterique Theologi magis communiter contra Altiſiodorenſem *lib.* 3. *tr.* 5. *cap.* 6 *quæſt.* 5. Bonaventurã *in* 1. *diſt.* 48. Argentinam *ead. diſt. art.* 4. & quoad illas vltimas particulas *verũ etiam exiſtenti in gratia* contrà Coninchũ *diſp.* 20. *dub.* 12. Eſparzam *q.* 35. *art.* 11. alioſq; nonnullos.

Probatur. Deum revelare reprobo ſimpliciter & abſolutè propriam damnationem neque repugnat ex parte reprobi, neque repu-

gna ex parte Dei; ergo ſecundum ordinem alterius providentiæ poteſt à Deo revelari ſimpliciter &c. probatur antecedens quoad primam partem, ſi repugnat ex parte reprobi maximè quia huic repugnat certa notitia propriæ damnationis ad revelationem illam conſequens; atqui hæc certa notitia non repugnat, cum damnati de facto certi ſint non ſolùm de propria damnatione præſenti, quam ſuſtinent, verùm de duratione & futuritione ipſius per totam æternitatem: Probatur antecedens quoad ſecundam partem, cujuſlibet reprobi damnatio eſt veritas à Deo revelabilis cum ſit veritas, quam Deus ab æterno in proprijs decretis certò & abſolutè præcognoſcit; nec ex ullo capite cogitur ad differendam manifeſtationem ipſius uſque ad terminum viæ & vitæ præſentis, præter quod futuram unius damnationem aliquando Deus revelat alijs, eſt igitur futura damnatio veritas revelabilis, & quidem etiam ipſi reprobo, ſi hoc ſpecialiter non repugnet ex parte ipſius. Confirmatur:

29. Potuiſſet Deus ſecundùm ordinem alterius providentiæ nec velle redimere homines à peccato lethali, nec velle acceptare ullam pro peccatis ſatisfactionem non condignam; aut etiam poſt redemptionem potuiſſet ſtatuere aliquod ſpeciale peccatum ex gravioribus, aut aliquem determinatum peccatorum numerum, cui nollet remiſſionem impertiri; in primo caſu quiſquis peccaſſet lethaliter, in ſecundo quiſquis, aut in illud ſpeciale peccatum incidiſſet, aut determinatum illum peccatorum numerum explevisſet, illicò eſſet certus de propria damnatione; cur ergo non poteſt quis eſſe de hac eadem certus ex divinâ revelatione præcisè? etiam ſuppoſito quod facta ſit copioſa omnium peccatorum redemptio, nec ulla ſit peccatorum aut gravitas, aut multitudo irremiſſibilis.

Dices primo pro repugnantia ex parte reprobi: In præſenti ſermo eſt de reprobo viatore, ſeu exiſtente in ſtatu viæ; ex parte autem reprobi non quidem præcisè ut reprobi, ſed ut ſimul viatoris, repugnat revelatio & certitudo propriæ damnationis primò, quia eſt de ratione viatoris quod teneatur tendere in ſuum ultimum finem, & in æternam beatitudinem; ad hoc autem ex ſupradictis non teneretur is, cui revelaretur propria damnatio: Secundò quia eſt de ratione viatoris, quod non ſit in termino, & in ſtatu damnationis, habens autem revelationem, & certitudinem propriæ damnationis eſt jam in ipſo ſtatu damnationis, quia talis revelatio & certitudo eſt incompoſſibilis cum beatitudine, adeóque dicit eſſentialiter æternam beatitudinis privationem, quæ æterna privatio eſt ratio formalis primariò conſtitutiva ſtatus damnationis: Tertiò, quia ſtatus viæ eſt ſtatus meriti, & de ratione viatoris eſt quod, quolibet actu virtutis infuſæ præſertim Theologicæ cujuſmodi eſt fides, mereatur æternam beatitudinem, aut de condigno ſi ſit in gratia, aut de congruo ſi ſit in peccato; credens autem revelationem propriæ damnationis non poſſet per talem actum ullo modo mereri beatitudinem, quia hanc merendo mereretur falſificationem ipſius revelationis, & proprij actus fidei. Sed contra: inſtantia procedit ad ſummum de ſtatu viæ, ut ſe habet de facto & ſecundùm præſentem providentiam; 30.

Status viæ de potentiâ abſolutâ poteſt eſſe diverſus ab eo, qui nunc eſt.

at hinc infertur dumtaxat, quod ſecundùm ordinem præſentis providentiæ non poſſit viatori revelari propria dãnatio; cũ quo ſtat revelari eandẽ poſſe in alterius providẽtiæ ordine, in quo ſtatus viæ eſſet aliqualiter diverſus ab eo, qui nunc eſt: Hinc ad primam inſtantiæ probationem dico eſſe de ratione viatoris ſecundum præſentem, non ſecundum omnem providentiam, quod teneatur tendere in æternam beatitudinem, in hanc quippè (ſubintellige ut aquirendam) non tenebatur tendere Chriſtus Dominus; qui tamen erat Viator, ſed extraordinario modo; ideſt conjungendo cum ratione viatoris rationem Comprehenſionis.

Ad ſecundam dico eſſe de ratione viatoris, 31.

Viator poteſt eſſe in termino inchoativè.

quod non ſit in termino ultimatè, poſſe tamen eſſe ſecundum aliam ſaltem providentiam in termino inchoativè, quâ ſolum ratione eſſet in termino damnationis is, qui haberet ejus revelationem; quia licèt haberet carentiam beatitudinis futuram æternam, & cognitam ut talem, nondum ea cruciaretur propter conformitatem, quam adhuc haberet, aut ſaltem habere poſſet ad divinam voluntatem; nondum haberet obſtinationem in malo, & cujuſcumque boni operis ac cujuſcumque meriti impotentiam; quæ omnia requiruntur, ut quis ſit ſimpliciter in termino damnationis, & extra omnem ſtatum viæ.

Ad tertiam dico ſtatum viæ eſſe ſtatum 32.

Non eſt de eſſentia viæ quod ſit ſtatus merendi gloriam.

meriti, poſſe tamen in aliâ providentia hujuſmodi meritum limitari ad aliquid diverſum à gloria, puta ad conſecutionem bonorum temporalium ad diminutionem pœnæ propriis peccatis debitæ, ad obtinendũ aliquid alijs, & aliquo ex ijs modis poſſet eſſe meritorius actus fidei de quo in inſtantia Cæterùm ſicuti is, cui Deus revelaret ſe nolle tribuere argumentum ullum gratiæ & gloriæ, non per hoc præcisè poneretur extra ſtatum viæ; & tamen actus fidei, quo talis revelatio crederetur, falſificaret ſe ipſum, ſi eſſet meritorius gratiæ aut gloriæ; ita ſimiliter &c.

Dices ſecundò pro eadem repugnantia ex parte reprobi exiſtentis in gratia Pœna non poteſt præcedere culpam, culpa enim futura non facit nunc demerentem & pœna dignum, adeóque pœna præcedens culpam eſt pœna injuſtè & crudeliter inflicta, atqui revelatio dãnationis facta reprobo exiſtenti in gratia eſſet pœna præcedens culpam; eſſet pœna, quia eſſet inchoatio æternæ pœnæ damni; eſſet præcedens culpam, quia eſſet pro culpa futurâ, cum exiſtens in gratia nullam habeat culpam præſentem, nec reatum pœnæ æternæ ex ulla culpa præterita. Confirmatur exiſtens in gratia non poteſt à Deo odio haberi, atqui is, cui fit à Deo revelatio propriæ damnationis à Deo odio habetur; hæc enim revelatio eſt intimatio æternæ ab amicitia divina ſeparationis, vix autem poteſt excogitari majus ſignum divini odij, quàm talis intimatio Sed contra: revelatio damnationis eſt revelatio pœnæ futuræ at non eſt in ſe pœna

de

33. Revelatio propriæ dãnationis non eſt pœna de præſenti.

de præſenti, quia non privat de præſenti hominem gratiâ aut ullo, ſive naturali, ſive ſupernaturali bono, nec ei affert aliquid actu torquens & affligens; porrò quamvis non pœna ipſa, benè tamen pœnæ intimatio ſeu revelatio poteſt culpam præcedere, quia ſicuti culpa futura ſufficit ad ſententiam pœnæ decretoriam, ità ſufficere æquè poteſt ad ſententiam pœnæ declaratoriam. Ad Confirmationem dico exiſtentem in gratiâ non poſſe à Deo odio haberi de præſenti, & ſecundum præſentem iuſtitiam, benè tamen de futuro & ſecundùm finalem impœnitentiam; is verò, cui exiſtenti in gratiâ fit à Deo revelatio propriæ damnationis, ſolum de futuro odio habetur, & talis revelatio eſt intimatio æternæ ab amicitiâ divina ſeparationis futuræ, non præſentis; eodemque modo eſt divini odij futuri, non præſentis ſignum.

Dices tertiò pro repugnantia ex parte Dei: Aſſerta revelatio repugnat divinæ bonitati, quia impedit multa bona opera quibus homo ſalutem ſuam procuraret, ſperaret, pœniteret; ſi careret illa revelatione: Repugnat divinæ ſapientiæ, quia non eſſet utilis ad aliquem finem ſapientiæ divinæ conformem, nec ullam in ſe haberet boneſtatem: Repugnat divinæ miſericordiæ, quia ſi eſſet revelatio damnationis incurrendæ propter peccatum jam commiſſum induceret hominem ad non pœnitendum, ſi propter peccatum committendum induceret hominem ad peccandum; ergo à primo ad ultimum aſſerta revelatio repugnat pluribus divinis attributis, adeóque repugnat ſimpliciter ex parte Dei. Sed contrà:

34. Non repugnat divinæ bonitati.

Ad repugnantiam cum divina bonitate dico non repugnare Deo impedire bona opera, quoties talia opera ſine peccato omittuntur, alioqui repugnaret Deo immittere ſtultitiam, aut mortem anticipatam, quia etiam per hanc impediuntur multa bona opera, & certè multo plura, quam impedirentur per illam revelationem, quæ exceptis actibus ſpei vix aliquem alium bonum actum per ſe impedit; & facit hic ad rem quod refert Arriaga *præcit. ſubſec. 1. num. 22.* de Eremitâ quodam, cui cum dæmon in ſpecie Angeli boni dixiſſet. Tu es reprobus; reſpondit, volo ergo quod poſteà non potero, nunc antequam damner Deum laudare, eique diligentiſſimè ſervire.

35. Non divinæ ſapientiæ.

Ad repugnantiam cum divina ſapientia dico revelationem illam eſſe poſſe utilem ad oſtenſionem divinæ juſtitiæ, ad humiliationem ejus qui damnandus eſt, & ad terrorem aliorum; qui ſunt fines maximè conformes divinæ ſapientiæ, & ex quibus reſultat honeſtas in ipſamet revelatione; quæ tamen quando etiam ad nullum ex hujuſmodi finibus ordinaretur, omnique careret honeſtate, poſſet adhuc à Deo fieri per hoc, quod ſit bona phyſicè, ſicuti produntur à Deo lapides, plantæ, bruta, quæ tamen ſunt entia ſolum phyſicè bona, & omni honeſtate, ac bonitate morali in ſe carentia.

36. Non divinæ Miſericordiæ.

Ad repugnantiam cum divina miſericordia dico revelationem damnationis incurrendæ ſi ſit propter peccatum aliquod commiſſum inferre carentiam efficacium, non ſufficientium auxiliorum ad pœnitendum; ſi ſit propter peccatum committendum inferre efficacium, non ſufficientium auxiliorum carentiam ad peccatum illud vitandum; ideo qui priorem revelationem haberet poſſet adhuc pœnitere, qui poſteriorem poſſet adhuc peccatum vitare; & nec ille ad non pœnitendum, nec iſte ad peccandum ex vi revelationis induceretur.

37. Duo ſpeciales caſus, in quibus nequit alicui revelari propria damnatio.

Dubitabis: utrum poſſit revelari damnatio ei qui damnandus eſt, aut propter omiſſionem ſpei, aut propter poſitivam deſperationem. Reſpondetur ad primum ei, qui damnandus eſt propter omiſſionem ſpei, non poſſe revelari damnationem, niſi ſecutâ jam omiſſione ſpei; repugnet verò quod fiat talis revelatio propter omiſſionem ſpei futuram, quia omiſſio ſpei futura poſt revelationem damnationis, & perſeverante ut ſupponitur revelationis memoria, nequit eſſe peccaminoſa, propter omiſſionem autem non peccaminoſam nequit eſſe iuſta damnatio: Reſpondetur ad ſecundum ei, qui damnandus eſt propter poſitivam deſperationem, poſſe revelari damnationem, dummodò poſitiva deſperatio non oriatur occaſione revelatæ damnationis; hoc enim involuit repugnantiam & mutuam prioritatem, infert ſcilicet quod in divina præſcientia poſitiva deſperatio eſſet prior revelatione damnationis, quia eſſet prius ipſa damnationis futuritione & ratio ipſius; è contra damnationis revelatio eſſet prior ea poſitiva deſperatione, quia præſupponeretur tanquam ejus occaſio; cæterum poſitiva deſperatio, cui occaſionem non præbeat ipſa damnationis revelatio; cum tali revelatione non magis repugnat, quam aliud quodcumque peccatum ob quod quis damnandus ſit. Videantur Amicus *præcit. ſec. 2. num.* 48. & 49. Arriaga *præcit. ſubſec. 1. num.* 29. Coninch *diſput. 20. dub. 13. &c.*

CAPUT IV.

De Objecto materiali, & formali Charitatis.

1. Charitas relata ad fidem & ſpem eſt poſterior productione, prior perfectione.

NOn perfectionis, ſed productionis ordinem ſecuti, in hocce Theologicarum virtutum tractatu poſtremum locum tribuimus Charitati, quam etiam Apoſtolus 1. *Cor.* 13. poſtremo loco recenſet, licèt illico cæteris majorem eſſe pronunciet: Eſt porrò Charitas productione poſterior, quia in parvulis ratione & natura, in adultis etiam tempore infunduntur fides prius quam ſpes, fides & ſpes prius quam Charitas; & ſicut ad ſubſtantialem generationem præit ac diſponit alteratio, ita ad charitatis productionem præit ac diſponit fidei ſpeique infuſio; ut attigimus *lib. præced. cap.* 7. § 6. Eſt perfectione potior & major, quia ſpecialiter Deo tribuitur *Charitas* quippe *Deus eſt* ex 1. Joan. 4. cæteras virtutes perficit reddendo ipſas formatas, & pluribus ſuprà eaſdem prærogativis

Digitized by Google

inſignitur, quibos omiſſis aggredimur charitatem explicare eadem proportionaliter ratione, qua explicuimus fidem & ſpem, initium ſcilicet ſumimus ab objecto: Ideo ſit

§. I.

Quodnam ſit objectum materiale Charitatis, tum adæquatum, tum primarium, quod etiam vocant attributionis & formale Quod?

2. Objectum materiale adæquatum charitatis eſt natura intellectualis, & ſupernaturalis beatitudo.

ASSERT. I. Objectum materiale adæquatum Charitatis Theologicæ, eſt natura intellectualis capax ſupernaturalis beatitudiois; & aliquo modo minus proprio ipſa etiam ſupernaturalis beatitudo, & quodlibet aliud bonum ad eam conducens. Ità omoes Theologi cum Magiſtro *in 3. diſt.* 27. & D. Thoma *hic quæſt.* 25. *art.* 1.

Probatur & explicatur prima pars: Charitas, licet latè ac impropriè ſumpta extendatur ad ſignificandum amorem quemcumque etiam concupiſcentiæ, ſumpta tamen ſtrictè & propriè ſupponit pro ſolo amore benevolentiæ, eoque mutuo & amicabili; quapropter non verſatur niſi circa ſubjectum potens reclamare, quale eſt dumtaxat ſubjectum habens naturam intellectualem. Porrò amor mutuus fundatur in communicatione bonorum, undè D. Thomas *hic quæſt.* 23. *art.* 5. *in c.* diverſificat amicitias penes diverſitatem communicationum, & aliam eſſe ait amicitiam Conſanguineorum, aliam Concivium aut peregrinantium; quarum una fundatur ſuper communicatione naturali, alia ſuper communicatione civili, alia igitur proportionaliter eſt amicitia; quæ fundatur in communicatione ſupernaturali, præſertim verò in communicatione ſupernaturalis beatitudinis, quæ eſt bonum inter ſupernaturalia ſummum, & quæ inſuper, cum ſit vita perfectiſſima, facit eos, quibus communicatur convivere in genere vitæ perfectiſſimæ, & convivendo autem maxime elucet ratio amicitiæ dicente Philoſopho lib. 8. ethic. cap. 5. *Nihil eſt ità proprium amicitiæ, ſicut convivere amico:* Iſta amicitia fundata in communicatione ſupernaturali modo mox explicato eſt illa, quam vocamus charitatem ſupernaturalem ac Theologicam, nec aliud objectum habere poteſt, quam quod aſſignatum eſt, quia omnis & ſola natura intellectualis capax beatitudinis poteſt redamare, in vita ſupernaturali convivere, in bonis ſupernaturalibus perfectè communicare.

3. Natura intellectualis eſt objectum *cui* & magis proprium; beatitudo eſt objectum *quod* & minus propriè.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Amare ex genere ſuo eſt velle alicui bonum, ſicque reſpicit bonum, quod volumus, & ſubjectum cui bonum volumus; reſpicit objectum *Quod*, & objectum *cui*, iſtud reſpectu amoris mutui, & amicabilis, eſt objectum magis proprium, in quo relucet capacitas redamandi, & habendi vitæ communicationem; nihilominus etiam bonum, quod amico volumus, attingitur ab amore amicabili, & eſt, licet non adeò propriè, objectum ipſius: Charitas igitur habet pro objecto materiali magis proprio, ſeu pro objecto *cui*, omnem naturam intellectualem prout Deum, Angelum, Hominem complectitur, ut jam traditum eſt, habet verò ſimul pro objecto minus proprio ſeu pro objecto *Quod*, bona, in quibus intellectualis natura ex vi charitatis communicat, & hæc reſpectu charitatis ſupernaturalis ac Theologicæ, ſunt in primis beatitudo, ſeu vita beata ſupernaturalis, deindè quæcumque ad hanc conducunt, ergo aliquo modo minus proprio objectum materiale charitatis eſt ipſa etiam ſupernaturalis beatitudo, &c.

4. Deus eſt objectum *cui* materiale primarium.

Aſſert. 2. Objectum materiale primarium charitatis Theologicæ, quod etiam vocant attributionis & formale *Quod*, eſt Deus; materiale ſecundarium eſt omnis creatura intellectualis. Ita Theologi communiſſime.

Probatur prima pars ex Scriptura Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris* 1. Jo. 2. *Qui ſervat verbum eius, in hoc Charitas Dei perfecta eſt:* quibus & ſimilibus locis ex unanimi interpretum conſenſu Charitas Dei denominatur, non ſolum tanquam principalis efficientis, & quia à Deo principaliter infunditur, ſed etiam tanquam primarij objecti, & quia ad Deum primario terminatur. Confirmatur ratione multipliciter. Primò, quia Deus eſt objectum materiale primarium cæterarum virtutum Theologicarum, ut ſuo loco ſupradictum eſt; ergo etiam Theologicæ charitatis: Secondò, quia charitas Theologica eſt dilectio perfectiſſima; ergo ejus objectum materiale primarium debet eſſe diligibile perfectiſſimum, cujuſmodi eſt ſolus Deus: Tertiò, quia objectum materiale primarium ſeu formale *Quod* eſt illud, quod proximius eſt objecto formali *Quo*, & in quo iſtud magis relucet; ſed bonitati divinæ, quam charitas ex infra dicendis habet pro objecto formali *Quo*, nihil proximius eſt, quàm Deus ipſe nec in alio magis illa relucet, ergo.

5. Creatura intellectualis eſt objectum *cui* materiale ſecundarium.

Probatur ſecunda pars, quia ad charitatem ex genere ſuo ſpectat diligere non ſolum eum cum quo primario amicitia verſatur; ſed etiam ſecundario, & tanquam ſecundarium objectum, alios qui cum eo habent ſpecialem conjunctionem & ſunt quodammodo aliquid ejus; atqui omnis creatura intellectualis capax beatitudinis eſt ſpecialiter conjuncta cum Deo, & eſt quodammodo aliquid Dei, quatenus cum Deo participat in bonis ſupernaturalibus, elevatur ad conſortium naturæ divinæ, aſſumitur ad filiationem adoptivam, ad jus hæreditarium, &c. ergo ad charitatem, qua primario diligitur Deus, ſpectat diligere ſecundario, & tanquam objectum ſecundarium, omnem creaturam intellectualem capacem beatitudinis; & hæc omnis venit nomine proximi, dum obligatio charitatis collocatur in eo, quod diligatur Deus, & proximus propter Deum; verum de hoc latius infra cum de ordine ſervando in charitate.

6. Beatitudo eſt objectum *quod* materiale primarium.

Si placeat hic etiam objectum materiale minus proprium, dictum id *quod*, in primarium & ſecundarium partiri; dicito hoc modo ſupernaturalem ipſam beatitudinem ſecundum

rium; cætera bona objectum quod materiale ſecundarium.

cundum ſe eſſe objectum primarium, objectum vero ſecundarium eſſe omne aliud bonum ad beatitudinem, aut ſpectans, aut conducens; ſivè ſupernaturale, ſivè naturale ſit illud tamen principalius iſto, quia proxime & poſitivè ad beatitudinem conducens iſtud valdè remotè, & removendo prohibens.

---

§. II.

In quonam conſiſtat ratio formalis, ſub qua, ſeu objectum formale Quo *& motiuum Charitatis?*

ASSERT. 1. Objectum formale *Quo*, & motiuum, Charitatis Theologicæ, eſt bonitas Dei auctoris ſupernaturalis, ut in ſe, abſolutè, & ipſi Deo bona. Ita D. Thomas *hic quæſt.23 art.4 in c. & art. 5. ad 1.* Scotus *in 3. diſt.27. quæſt un. 9. Quantum ad iſtum articulum*, cæterique Theologi communiter, quamvis non ſine aliquo inter ſe diſſidio in determinando & explicandu magis in particulari, quid pro re præſenti intelligant nomine bonitatis Dei, de quo infrà, interim aſſerta veritas in univerſali.

7. Bonitas abſoluta Dei Auctoris ſupernaturalis eſt objectum formale *Quo* ſeu motiuū.

Probatur. Charitas eſt virtus voluntatis Theologica per ſe infuſa contra diſtincta à ſpe; quatenus virtus voluntatis debet habere pro motivo aliquam bonitatē, quatenus Theologica per ſe infuſa, debet habere pro objecto aliquid divinum ſpectans ad Deum, ut Auctorem ſupernaturalem; quatenus contra diſtincta à ſpe debet reſpicere bonitatem non ad nos relatam, ſed conſideratam abſolutè, & ut in ſe; ergo à primo ad ultimum objectum formale *Quo* & motivum charitatis Theologicæ eſt bonitas Dei Auctoris ſupernaturalis, &c.

Porrò ad determinandum in particulari, quid ſignificet ly *Bonitas Dei ſupernaturalis Auctoris*, duo occurrunt obſervanda.

Primum eſt, quod licet nulla bonitas, nullaque perfectio ſit ſupernaturalis Deo, & ſuprà naturam ipſius, vere tamen aliqua bonitas Dei ſeu in Deo exiſtens ſupernaturalis eſt nobis & relatè ad nos, à nobis ſcilicet nequit, ut eſt in ſe, participari, niſi per dona ac bona ſupernaturalia, nobis indebita & conſtituta ſuprà omnem naturam creatam: Bonitas hæc licet à bonitate naturali, qua Deus participari poteſt per bona ac dona naturalia, diſtinguatur ſola diſtinctione virtuali & eminenti, movet tamen ad actum realiter diſtinctum, & eſſentialiter diverſum, illa ſcilicet ad ſupernaturalem, iſta ad naturalem amorem amicitiæ, quod totum ſuppono *ex tract. de Gratia lib.2. cap.2. §.3.* ubi docebamus dari in Deo duplicem rationem finis naturalis, & ſupernaturalis, & rationem finis naturalis movere poſſe ad naturalem amorem amicitiæ; quorum primum erat contrà Bajum, ſecundum contrà Vaſquium alioſque nonnullos; ex hac veritate inde ſuppoſitâ patet, quid ſignificet in propoſito, & cur poſitum ſit ly *ſupernaturalis Auctoris.*

8. Bonitas divina ſumitur multipliciter.

Secundum eſt, quod bonitas Dei, ſeu bonitas divina, ſumi poteſt tum pro ea, quæ eſt analogicè communis bonitati divinæ per ſe, & bonitati divinæ per participationem, qua bonitate per participationem divina gaudent omnes perfectiones ſupernaturales ad extrà productæ; tum pro ea determinatè, quæ eſt divina per ſe, increata, & intra Deum: Hæc verò bonitas per ſe divina ſumi adhuc poteſt, vel pro bonitate divina tranſcendentali, quæ ſcilicet tranſcendit quidquid eſt in Deo, & eſt ens divinum ſaltem abſolutum; vel pro bonitate divinâ attributali, quæ ſcilicet conſtituit in Deo ſpeciale attributum; vel pro bonitate divinâ eſſentiali, quæ ſcilicet convenit divinæ eſſentiæ, ut ſuo modo diſtinctæ ab attributis, & reliquis prædicatis divinis. Juxtà diverſitatem hanc divinæ bonitatis eſt etiam ſententiarum diverſitas in aſſignando, quid veniat nomine bonitatis Dei ſuprà aſſertæ pro objecto formali charitatis; ut ſenſum meum proferam ſit

9. Non eſt objectum formale *Quo* charitatis, ut abſtrahens à divina per ſe & divina per participationem.

Aſſert. 2. Bonitas Dei, quæ eſt objectum formale *Quo* charitatis, debet eſſe divina per ſe & increata; nec ſufficit bonitas analogicè communis bonitati divinæ per ſe, & divinæ per participationem; divinæ increatæ, & divinæ creatæ. Ità Gonetus *hic diſp 10. art.3. n.37.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.17 dub. 1. num.19.* Amicus *diſp.24. ſec.3. num* 51. Arriaga *diſp* 31. *ſec.4. ſubſec.2.* Herincx *diſp. 11. nu.44.* Madernus *quæſt.7. art.3. n.4.* & plurimi alij contrà Suarium *diſp 1. ſec. 4. n.8.* Tannerum *diſp.2. quæſt. 2.* Lorcam *diſp.24* alioſque nonnullos.

Probatur primò auctoritate D. Thomæ *hic quæſt.23. art.4. in c.* ubi pro objecto ſpecificativo charitatis aſſignat bonum divinum, quod eſt objectum beatitudinis, & *eod. art. ad* 2. docet charitatem habere pro objecto ultimum finem ſcilicet beatitudinem æternam ſubintellige objectivam, ut in ſe bonam; atqui bonum divinum, quod eſt objectum beatitudinis & beatitudo objectiva æterna, eſt bonum divinum per ſe, & increatum; non vero bonum analogicè commune bono divino per ſe, & divino per participationem; ergo ſimiliter bonum divinum, quod eſt objectum formale *quo* charitatis debet eſſe, &c.

Probatur ſecundò ratione: Bonitas divina per participationem ſeu divina creata, qualis eſt bonitas gratiæ ſanctificantis cæterorumq; donorum ſupernaturalium, nequit eſſe ratio formalis movens ad actum provenientem ab habitu charitatis Theologicæ; ergo bonitas Dei, quæ eſt objectum formale *Quo* charitatis, debet eſſe, &c. conſequentia patet, antecedens probatur, Bonitas divina per participationem poteſt eſſe ratio formalis movens ad actum moralem non ad actum Theologicum charitatis: atqui charitatis actus moralis, non Theologicus, nequit provenire ab habitu charitatis Theologicæ, de qua hic loquimur, ergo bonitas divina per participationē, &c. Probatur major, actus Theologicus ex genere ſuo debet habere pro objecto formali ſaltē partiali, aliquid divinum per ſe, ſeu aliquid quod ſit propriè Deus, ut patet inducendo per actus Theologicos fidei & ſpei, multóque magis per actum Theologicū beatæ viſionis provenientem ab habitu luminis

10. Bonitas divina per participationem nequit eſſe objectum formale *Quo* actus Theologici.

in patria, & cum denominatio Theologici deſumpta ſit à Deo actum ſpecificāte, non niſi abuſivè & cum nimia ampliatione dicetur Theologicus actus, cujus ſpecificativum ſit aliquid extrà Deum, & metaphoricè duntaxat ac per participationem Deus; ergo bonitas divina per participationem ea ratione qua apta eſt movere ad actum charitatis, ad actum moralem, non ad Theologicum movebit. Probatur item minor, licèt de potentia

11. Habitus charitatis, de quo in præſenti, nequit eſſe principium amoris non Theologici.

abſoluta ſit dabilis habitus aliquis, à quo poſſint provenire actus, tùm morales, tùm Theologici, ut attigimus *lib. præced. cap. 5. num. 71.* habitus tamen charitatis Theologicæ, de qua hic loquimur, talis non eſt primò, quia de facto nulla alia virtus Theologica talis eſt, ut ſe extendat ad actum aliquem moralem: Secundò, quia colere excellentiam divinam increatam ac per ſe talem, & colere excellentiam divinam creatam ac talem per participationem ſpectant ad habitus religionis ſpecie diverſos, non ad unum & eundem, prioris ſcilicet excellentiæ cultus ad latriam, poſterioris ad duliam aut hyperduliam pertinet; ergo ſimiliter in ratione movendi ad amorem bonitas divina increata, & bonitas divina creata pertinent ad habitus charitatis ſpecie diverſos, non ad unum & eundem habitum charitatis Theologicæ.

Dices primò pro impugnatione majoris propoſitionis: Ad rationem formalem actus Theologici ſufficit, quod ſit increata vel in recto & ſimpliciter, vel in obliquo & per reductionem ad ſuam originem; atqui hoc ſecundo, quamvis non primo, modo ratio increati convenit gratiæ habituali & cæteris donis ſupernaturalibus, utpotè quæ ſunt ſpecialiter participationes Dei, & ex propria natura nos Deo conjungunt; ergo bonitas gratiæ habitualis, cæterorumque ſupernaturalium donorum, eſt ratio formalis ſufficiens ad actum Theologicum, & amor propter talem bonitatem elicitus eſt charitatis Theologicæ. Sed contrà: ratio increati in obliquo,

12. & per reductionem ad ſuam originem eſt quid increatum & divinum, metaphoricè duntaxat, & valdè impropriè; ideò non ſufficit ad actum propriè Theologicum, & ejuſdem ſpeciei cum eo, cujus ratio objectiva ſit divina ſimpliciter & in recto; alioqui etiam excellentia divina creata, cum poſſit eodem modo dici increata in obliquo & per reductionem ad ſuam originem, movere poterit ad actum religionis ejuſdem ſpeciei cum eo, ad quem movet excellentia increata ſimpliciter & in recto, adeóque ad actum latriæ. Deinde gratia habitualis, & cætera ſupernaturalia dona, ſecundum ſuum rectum, & per ſeipſa, habent bonitatem ſupernaturalem & divinam; vel ergo ſecundùm hanc bonitatem poſſunt eſſe ratio motiva actus Theologici; vel non: Si non poſſunt, habemus intentum; ſi poſſunt, ergo bonitas divina creata etiam independenter ab aliquo, & à reductione ad ſuam originem, poteſt ad actum Theologicum movere.

13. Difficilis

Vrgebis ex Divo Thoma *hic quæſtione vigeſima quinta, articulo primo ad ſecundum.* Cultus Dei, & cultus creaturæ, ſpectant ad diverſam religionis virtutem, quia cultus ſeu honor reſpicit propriam cujuſque excellentiam, quæ diverſificatur in ſingulis: Amor verò Dei & amor creaturæ ſpectant ad unam eandemque virtutem charitatis, quia amor reſpicit bonum in communi, & bonitates diverſorum prout referuntur ad aliquod unum bonum commune: ex hac doctrina infertur primò paritatem religionis fuiſſe à nobis malè uſurpatam, nec conformiter ad mentem Sancti Doctoris: Infertur ſecundò objectum formale charitatis non eſſe bonitatem divinam per ſe & increatam, quia hæc eſt bonum in particulari, non bonum in communi; ut ſit igitur bonum in communi debet eſſe bonitas analogicè communis bonitati divinæ per ſe & bonitati divinæ per participationem: Infertur tertiò bonitates creatas, prout continentur ſub hoc bono communi, quod eſt idem ac dicere per reductionem ad bonitatem increatam, ſeu ad aliquid bonitatem increatam continens, eſſe ſufficiens objectum charitatis Theologicæ. Sed contrà: Arriaga

quædam auctoritas D. Thomæ.

14. *præcit. diſp. 31. n. 53.* hæret in relata Divi Thomæ doctrina & mavult fateri ſe illum non intelligere, quàm fictiones aliquas, ut ipſe ait, pro ſolutione tradere; nihilominus exiſtimo ſine fictione dici poſſe quod S. Doctor dicens amorem Dei & amorem creaturæ ſpectare ad eandem virtutem, loquatur de amore creaturæ præſtito, non propter bonitatem creatam ei inexiſtentem, ſed propter bonitatem increatam Dei & hanc bonitatem Dei appellat bonum in communi, vel quia eſt bonum ſummum continens omnia alia bona, vel quia eſt objectum formale commune pluribus objectis materialibus, addit verò bonitates diverſorum referri ad unum bonum commune, quatenus diverſorum bonitates ſubſternuntur uni bonitati Dei, tanquam plura ſubjecta eidem formæ, aut tanquā plura objecta materialia eidem objecto formali. Sic intellecta D. Thomæ doctrina corruunt omnes illationes in inſtantia poſitæ, ut facilè patet conſideranti.

Dices ſecundò pro impugnatione minoris propoſitionis: Actus quo amatur Proximus propter bonitatem ſupernaturalem creatæ ſanctitatis in eo exiſtentis, ſivè ſit Theologicus, ſivè non, eſt amor ſupernaturalis; ergo eſt ab habitu per ſe infuſo; ergo ab illo charitatis Theologicæ; neque enim eſt aſſignabilis alius, à quo ſit, & ab illo rectè eſſe poteſt, quia ex una parte habitus per ſe infuſus ex genere ſuo poteſt influere in actus diverſos, etiam ſpecie; & ex alia parte bonitas divina creata, & bonitas divina increata, propter convenientiam in ratione analogica divini, habent ſufficientem unitatem ad ſpecificandum unum habitum; nam etiam ratio entis non habet unitatem majorem analogica, & tamen ſpecificat 15.
unum habitum metaphyſicæ. Sed contrà: concedo antecedens; prima conſequentia quoad de facto negari poſſet dicendo actum illum eliciendum fore medio auxilio actuali, non medio habitu, eo quod non videatur aſtruendus

Amor proximi non Theologicus an, & à quo habitu proveniat?

Digitized by Google

dus habitus pro actibus, qui neque ex præcepto, neque frequenter, eliciuntur, ut eveniret in actu illo; do tamen primam conſequentiam, nego ſecundam propter rationem allatam *præced. num.* 11. ad rationem in oppoſitum dico habitum per ſe infuſum poſſe influere in actus ſpecie diverſos, non quoſcumque, ſed eos ſolùm qui cadunt ſub ratione formali talis habitus cujuſmodi ſunt reſpectu habitus charitatis amor & gaudium ex motivo increatæ bonitatis: Quod additur de unitate analogicâ ſuadet ad ſummum poſſe dari, at non probat dari de facto habitum unum reſpondentem illi rationi analogicæ bonitatis, multo minus probat talem eſſe habitum charitatis Theologicæ, de quo in præſenti. Supereſt aſſignandus habitus, à quo ſit actus ille, quem dedimus ab aliquo habitu eſſe: Aliqui tali actui tribuunt habitum innominatum: Tannerus ei tribuit miſericordiam ſupernaturalem: Potiùs tribuerem proprium habitum, qui ſit charitas moralis per ſe infuſa. Nec refert, quod hujus charitatis non habeatur expreſſa mentio in Sanctis Patribus, aut in Concilijs, aut in Catechiſmis romanis. Non refert, inquam, quia hinc ad ſummum infertur non eſſe certum, quod talis habitus detur, eo quod ipſius actus rariſſimi ſint, & non præcepti: Deindè, dum ſit mentio habitus charitatis ſine expreſſa reſtrictione ad charitatem Theologicam, cur non poſſunt ſub eo nomine intelligi duo habitus, unus Theologicus, alter moralis.

56. Bonitas, quæ eſt objectum formale *Quo* Charitatis, eſt bonitas complectens omnes divinas bonitates.

Aſſert. 5. Bonitas increata Dei, quæ eſt objectum formale *Quo* charitatis, eſt bonitas tranſcendens aut potius complectens omnes bonitates divinas, ſeu bonitates & perfectiones omnium prædicatorum Dei. Ita ſuarez *hic diſp.* 1. *ſect.* 2. *n.* 2. Amicus *diſp.* 24. *ſec.* 3. *n.* 31. Ioannes à S. Thomâ *diſp.* 14. *art.* 3. Madernus *quæſt.* 7. *art.* 2. *n.* 19. Herincx *diſp.* 11. *n.* 36. & alij Theologi magis communiter contra Gonetum *diſp.* 10. *art* 5. *n.* 43. ſtatuentem pro objecto formali charitatis bonitatem eſſentiæ ſumptæ ſecundum ſe præcisè, & ut contradiſtinctæ à reliquis prædicatis divinis; Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 17 *dub.* 1. *n.* 7. ſtatuentem pro tali objecto ſolam bonitatem attributalem, quæ ſcilicet habet in Deo rationem ſpecialis attributi, ly *tranſcendens aut potius complectens* inſinuat objectũ formale charitatis cõſiſtere in omni bonitate collectivè, magis propriè & magis perfectè, quam in qualibet ſeorſim imò ſeorſim bonitates alias à bonitate eſſẽtiæ fortè moveri vix poſſe ad verum charitatis actũ, quod eſt ſpecialiter contrà Arriagã *diſp.* 51. *ſec* 3. *n.* 30 Oviedũ *contr.* 4. *punc.* 1. &c.

57. Probatur; bonitas increata Dei, quæ eſt objectum formale *Quo* charitatis, eſt bonitas Dei, ut eſt in ſe; eſt enim bonitas Dei, ut objecti beantis & communicantis ſe ipſum in eſſe ſupernaturali; atqui bonitas Dei, ut eſt in ſe, eſt bonitas tranſcendens ſeu potius complectens omnes divinas bonitates, Deus enim, ut eſt in ſe, eſt adæquato & perfectiſſimo modo bonus adeoque eſt habens bonitatem perfectionémque omnem, ergo bonitas increata Dei quæ eſt objectum &c. Confirmatur: Charitas noſtra eſt formalis participatio charitatis, qua Deus ſe ipſum diligit; atqui charitas qua Deus ſe ipſum diligit, habet pro objecto formali & motivo bonitatem omnium prædicatorum divinorum, ſicuti cognitio, quâ ſe ipſum intelligit, habet pro objecto formali & motivo eorumdem omnium prædicatorum veritatem, ut ſuppono *ex tr.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. & *l.* 4. *c.* 2. §. 4. ergo ſimiliter charitas noſtra habet pro objecto formali &c. Confirmatur inſuper: ſicuti ex alibi dictis non poteſt dari habitus gratiæ in linea gratiæ eſſentialiter perfectior eo, qui de facto datur; ita idem proportionaliter ſentiendum de habitu charitatis, adeò ut non poſſit dari habitus charitatis in linea charitatis eſſentialiter perfectior ea, quæ de facto datur; ſi autem habitus qui de facto datur haberet pro ſuo objecto formali aliquam ſpecialem bonitatem increatam, non omnem, eſſet dabilis habitus in linea charitatis eſſentialiter perfectior, & eſſet is, cujus objectum formale omnem bonitatem increatam complecteretur; ergo. 58.

Charitate infusâ, quæ de facto datur, non eſt dabilis alia perfectior in linea charitatis.

Dices: Quælibet bonitas Dei ad intrà etiam præcisè, & ſeorſim accepta, eſt bonitas increata & per ſe divina; ergo eſt apta ſpecificare aliquem amorem Theologicum, omnis autem amor Theologicus eſt ab habitu charitatis. Deindè Deus, non ſolum conſideratus ſecundùm ſe totum & ſecundum omnes ſuas bonitates collectivè, verùm etiam ſecundum ſingulas ſeorſim eſt amabilis ſuper omnia, quia bonitates divinæ, etiam ſingulæ ſeorſim, ſunt quid dignius ac melius rebus omnibus creatis; & experientia conſtat peccatorem ſæpè moveri ad amorem ſuper omnia ex conſideratione miſericordiæ, beneficentiæ, aut alterius attributi præcisè, non attendendo ad bonitatem eſſentiæ, aliorumque Dei prædicatorum atqui amor Dei ſuper omnia eſt amor proveniens ab habitu charitatis; ergo. Tandem Deus eſt amabilis amore amicabili & charitatis, quatenus nobis communicat ſua ſupernaturalia bona; atqui talis communicatio eſt propria bonitatis attributalis, per hanc quippè Deus eſt communicativus ſui ad extrà, cum per eſſentialem ſit ſolum bonus abſolutè & in ſe, ac communicativus ad intrà; ergo bonitas attributalis aut ex ſe præcisè, aut adjuncta ſola bonitate omnipotentiæ, quâ mediante communicatio ad extrà executioni mandatur: eſt ratio ſpecificativa & objectum formale *Quo* charitatis. Sed contra ad primum inſtantiæ membrum concedo antecedens, & conſequentiam; at nego quod omnis amor Theologicus ſit ab habitu charitatis, à quo dico eſſe ſolum amorem Theologicum amicabilem, ſicut ab habitu ſpei eſt ſolus amor Theologicus concupiſcentialis. alius amor Theologicus, ſi excogitetur, ut potè rariſſimus & non præceptus, poterit commodè poni eliciendus dependenter ab actuali auxilio, ne cogamur inducere quartum habitum virtutis Theologicæ. 59.

Non omnis amor Theologicus eſt à charitate.

Ad ſecundum inſtantiæ membrum dico Deum ſecundùm ſingulas bonitates ſeorſim eſſe

eſſe amabilem ſuper omnia in genere amoris
Theologici quomodocunque, at non in ge-
nere amoris Theologici amicabilis; provenit
autem ab habitu charitatis amor ſuper omnia
non quicumque, ſed amicabilis, quo Deus
amatur in ratione ultimi finis, & ut potens
redamare; quæ duæ rationes Deo non con-
veniunt ſecundùm quamlibet booitatem præ-
cisè ſed ſolùm aut ſecundum bonitatem ſuam
totalem, aot ſaltem ſecundùm bonitatem
eſſentiæ, quæ etiam ex ſe præcisè eſt com-
parativè ſumma, & totalis radicaliter, quam-
20. vis noo formaliter. Porrò quod amor Dei
propter quamlibet ipſius booitatem, puta
propter bonitatem omnipotentiæ, aut juſti-
tiæ præcisè, non ſit amicabilis probo aliter

Deus non amat amicabiliter per quamcumque communicationem donorum ſupernaturaliũ.

ſic: Deus non amat amicabiliter, & ex cha-
ritate, creatoram per hoc quod ei communi-
cet aliquod particulare bonum ſupernaturale,
puta habitum fidei ſpei, aut alterius deter-
minatæ virtutis; ſed ſolum per hoc, quod com-
municet donorum omnium ſupernaturalium
collectionem, aut ſaltem habitualem gratiam,
quæ ſe habet ut eſſentia in ordine ſupernatu-
rali, & eſt cæterorum omnium donorum ra-
dix; ergo ſimiliter creatura non amat amica-
biliter, & ex charitate Deum, per hoc,
quod eum amet ſecuodum aliquam particula-
rem bonitatem, quia hoc non eſt amare
Deum, ut in ſe habentem & nobis commu-
nicantem ea bona, per quæ nobis unitur ami-
cabiliter, & amicus noſter ſit; antecedens
probatur ex eo, quia Deus oon amat amica-
biliter peccatorem, cui tamen ſæpè commu-
nicat habitum fidei, habitum ſpei, plura ſu-
pernaturalia auxilia &c.

Communicatio quomodò ſpectet in Deo ad ſpeciale attributum.

21. Ad tertium dico omne bonum divinum ex
genere ſuo eſſe valdè communicativum &
diffuſivum ſui, nec communicatio Dei ad
extra eſt propria bonitatis attributalis, niſi
fortè tanquam principij *Quo* proximi, cæte-
rum tanquam principio *Quo* principali & ra-
dicali tribuenda eſt divinæ naturæ, tanquam
principio *Quod* cuilibet divino ſuppoſito.
Quod dicebatur Deum per bonitatem
eſſentialem eſſe ſolum bonum abſolutè &
in ſe, verum eſt de bonitate eſſentiali con-
ſiderata ſecundum munus formale, falſum
de eadem conſiderata ſecundum munus quaſi
effectiuum.

Urgebis: Nonne peccator amans ſuper
omnia Deum ex motivo bonitatis attributa-
lis, aut bonitatis relucentis in omnipotentia;
aliovè attributo præcisè, eſſet ſufficienter
diſpoſitus ad juſtificationem extra ſacramen-
tum? eſt igitur talis amor verus actus chari-
tatis non minùs, quamuis, quo quis Deum
22. amat propter bonitatem eſſentiæ, omniumque
attributorum ſimul. Sed contrà: quamois ad
Deum amandum ſæpè aliquis excitetur à bo-
nitate omnipotentiæ, miſericordiæ aut alte-
rius particularis attributi, in re tamen dein-
dè, & in praxi Deum amat ex motivo totius
divinæ bonitatis, licèt in hac tota ea, quæ
primò & magis explicitè proponitur, ſpectet
ad vnum particulare attributum, ideò admitto
in praxi cenſendũ eſſe ſufficientem pro juſtifi-
catione diſpoſitionem, & ab habitu charita-
tis elicitum, eum amorem, in quem quis
erumpit ex motivo bonitatis in omnipotentiâ,
aliovè attributo relucentis: Quod ſi caſu qua-
ſi metaphyſico ſupponas taleo amorem ne-
que pro motivo implicito habere totam Dei
bonitatem, facilè concedam ipſum, utporè
ex dictis non amicabilem, nec ab habituali
charitate procedere, nec ad juſtificationem
ſufficienter diſponere.

Ex his habes triplicem amorem Theolo-
gicum aſſignari poſſe; unum concupiſcen- 23.
tialem provenientem ab habitu ſpei, de quo
alibi; alterum amicabilem provenientem ab
habitu charitatis, de quo in præſenti, ter-
tium benevolum, ſeu ſimplicis benevolentiæ,
qui inter duos priores mediat & fortè non ha-
bet habitum proprium: Hujus tertij amoris
meminit Ioannes à S. Thomâ *præcit. diſp.* 14.
art. 1. *ad* 2.

Amor Theologicus triplex.

---

§. III.

Vtrùm idem ſit obiectum formale charitatis Proximum, ac charitatis in Deum: Vbi ad quot ſe extendat in Proximi nomen?

ASSERT. 1. Idem omninò eſt objectum
formale charitatis in Proximum, ac
charitatis in Deum. Hoc aſſertum eoſdem
Patronos habet eoſdemque Adverſarios quos
aſſertum poſitum *præc. n.* 9.

Probatur primò auctoritate Sanctorũ Patrũ:
D. Auguſtinus ſerm. de dominica poſt Aſcenſ. 24.
*Non alia charitas diligit proximum, quam illa,
qua diligit Deum, quâ charitate proximum, ipſâ
charitate diligimus & Deũ* D. Bernardus ſerm.
5. de cœna Domini *Charitas eſt dilectio Dei &
Proximi.* Beda in illud Rom. 5. Charitas Dei
diffuſa eſt &c. ait *Duo ſunt præcepta charitatis,
& una charitas; quia non alia charitas diligit
Proximum, quam illa, quæ diligit Deum.* Qui-
bus, & ſimilibus auctoritatibus, dum tradi-
tur charitatem in Proximum & charitatem in
Deum eſſe unam & eamdem virtutem, om-
ninò infertur utriuſque charitatis eſſe unum,
idemque motivum, ſeu objectum formale;
neque enim poteſt eſſe duplex & diverſum
ſpecificativum, ubi unicum eſt & idem ſpeci-
ficatum.

Charitas in Deum, & charitas in proximum, habent unũ idémque formale objectum.

Probatur ſecundò ratione: Objectum
formale charitatis in Proximum non poteſt
eſſe aliud, quàm bonitas Dei increata, &
per ſe divina; atqui hæc eadem eſt objectum
formale charitatis in Deum; ergo idem om-
ninò eſt objectum &c. Major, in quâ ſolâ
poteſt eſſe difficultas, habetur ex doctrina
poſitâ à *præced. num.* 10. ad 16. ubi attenditur
bonitatem divinam ſolùm per participatio-
nem non ſufficere ad charitatem Theologi-
cam, neque ex hac diligi proximum, qui
unicè diligatur propter ſanctitatem ſuperna-
turalem creatam ſibi inhærentem.

Dices: Actus charitatis in Proximum ſpe-
cie differt ab actu charitatis in Deum; ergo
non eſt idem objectum formale utriuſque
charitatis

charitatis; probatur antecedens, actus charitatis in Deum eſt eſſentialiter perfectior actu charitatis in Proximum, ille enim, non iſte, eſt amor ſuper omnia; ille, non iſte, eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem & gratiam: ergo unus ſpecie differt ab alio.

25. Sed contra Div. Thomas *hic quæſtion. vigeſima quinta. articulo primo*, Gonetus *diſputation. decima, articulo quarto*. Gabriel à S. Vincentio *diſputat. decima nona, dubio tertio*. aliique nonnulli negant diverſitatem ſpecificam inter charitatem in proximum, & charitatem in Deum; ſicque negando antecedens, ad probationem dici poſſet ex ea inferri magnam etherogeneitatem individualem, at non diverſitatem ſpecificam, & ſubſtantialem, at non eſſentialem differentiam: Cæterùm ad hoc dicendum non cogimur ex unitate objecti formalis, nam ad diverſitatem ſpecificam actuum ſufficit ejuſdem objecti formalis diverſa applicatio præſertim juxta noſtra principia, juxta quæ diverſificavimus ſpecie actum charitatis in via ab actu charitatis in patria propter diverſitatem cognitionis, quâ eadem bonitas in viâ, & in patriâ, applicatur: Porrò in re noſtrâ facilè apparet objecti formalis applicatio diverſa; eadem enim increata bonitas ad amandum Deum movet, ut applicata intrinſecè & per identitatem; ad amandum Proximum, ut applicata extrinſecè & per effectivam unionem; hac ratione optime poterit conſequentia negari etiam conceſſo antecedente, ut concedunt Amicus *diſputat. 26 ſect. 1.* Suarez *diſputat. 2. ſectio. 1.* Madernus *quæſtio. 7. articul 3. numer. 6.* Arriaga *diſputat. 45. ſect. 3.* qui tamen ex diverſo procedit fundamento nimirùm ex eo, quod diverſificet ſpecie actus etiam ex diverſitate objectorum materialium.

Amor in Deũ & amor in Proximũ ex eo quod habeant idẽ objectum formale non ſequitur quod ſint ejuſdẽ ſpeciei.

26. Quantùm igitur pertinet ad præſentem controverſiam de unitate objecti formalis, non cogit hæc ad negandam unitatem ſpecificam inter actum charitatis in proximum, & actum charitatis in Deum, quamvis ad hujuſmodi negationem cum mox relatis Auctoribus aliunde propendeam, nimirùm ex modo valdè diverſo, quo idem objectum formale utrique actui applicatur, & ex eo quod unus, non alter actus, eſt amor ſuper omnia & ſufficiens ad gratiam diſpoſitio. In oppoſitum ſolùm urget auctoritas S. Doctoris, quæ certè eſt ſatis clara ex terminis: Nihilominùs dici poteſt S. Thomam loqui de ſpecie deſumpta ex objecto formali præcisè, dum ait amorem Dei & proximi eſſe unum ſpecie actum.

Imò probabilius eſt eſſe ſpeciei diverſæ.

27. Circà ſecundam tituli partem certum eſt primò nomen Proximi, quatenus diligibilis aut diligendi ex charitate, ſe extendere non ſolùm ad homines, verùm etiam ad Angelos, cum etiam ipſi ſint capaces ejuſdem, cujus nos beatitudinis & poſſint nobiſcum convincere ſecundùm mentem vitâ ſpirituali, quamvis non ſecundùm corpus vitâ ſenſitivâ, & fortè ſecundùm vitæ ſenſitivæ communicationem locutus eſt Iuſtinus *in ſuo dialogo cum Tryphone* dicens, *Proximus hominis aliud nihil eſt, niſi ſimilis conditionis, atque rationis particeps animans; ideſt homo.* Certum eſt ſecundò ſe extendere ad Chriſtum Dominum, utpotè qui ea ratione, quâ eſt verè ac propriè homo, eſt nobiſcum particeps ejuſdem naturæ ejuſdemque beatitudinis, adeóque diligendus ex charitate, tanquam proximus. Certum eſt tertiò non ſe extendere ad creaturas irrationales; hic enim loquimur de eo, quod diligendum eſt, tanquam objectum dilectionis magis proprium, & cui bonum volumus; creaturis autem irrationalibus non ſolùm non poſſumus velle bona ſupernaturalia, in quibus nequeunt nobiſcum participare, ſed nec propriè poſſumus ullum bonum velle; quia ſolius creaturæ rationalis, non irrationalis eſt propriè habere bonum, cum illa ſola, non iſta, ſit domina utendi bono, ut egregiè obſervat S. Doctor *hic q. 25. art. 3. in c.* Creatura igitur irrationalis nõ venit in præſenti nomine Proximi, utpote non diligibilis tanquam Proximus, cui bonum ex charitate velimus, licèt deinde, quando eſt in ſe bona, poſſit ex communi ratione boni diligi tanquã bonum, quod Proximo ex charitate volumus. Poſitis his tribus tanquam certis tria alia occurrunt non adeò certa. Nimirum utrùm nomen Proximi extendatur ad diligentem comparatum ad ſeipſum? Utrum ad peccatorem præſertim inimicum? Utrùm ad damnatum?

Nомen Proximi ex charitate diligendi extenditur ad Angelos.

Ad Chriſtũ.

Nõ ad creaturas irrationales.

Ad primum dico eſſe quæſtionem de nomine; ſi enim minùs attendatur ad propriam vocis ſignificationem, & ſumendo tanquam adæquatam diviſionem charitatis in eam, quâ Deus, & in eam quâ Proximus diligitur, omne aliud ſubjectum à Deo, quod ſit propter Deum ex charitate diligibile, cenſeatur venire nomine Proximi, erit hoc nomen extendendum ad ipſum diligentem; poteſt enim unuſquiſque ſeipſum ex charitate diligere propter Deum, & quidem primo loco poſt Deum, ut infrà. Si verò magis attendatur ad vim proprietatemque vocabuli, nemo poteſt eſſe reſpectu ſui Proximus, ſicuti nec diſtans, ſimilis, aut diſſimilis, quia hæc omnia vocabula ex vi & proprietate ſua habent ſignificationem relatam ad aliud ſeù ad diſtinctum; unuſquiſque autem eſt idem ſibi, non à ſe alius ſeù diſtinctus; hâc ratione amor Dei & amor Proximi non dividunt adæquatè charitatem, ſed addendus inſuper eſt amor ſui. Poſterior dicendi modus magis placet, utpotè conformior, tùm vocum proprietati, tùm auctoritati D. Thomæ *q. 25. art. 12.* in quo enumerat quatuor ex charitate diligenda nimirum Deum, Proximum, Corpus noſtrum, nos ipſos; tùm denique communi locutioni, quâ dici ſolet unumquemque debere diligere Proximum ſicut ſeipſum. 28.

Non ad ipſum diligentem.

Ad ſecundum dico nomen Proximi ad peccatorem etiam inimicum extendi; probatur primò ex Matthæi 18. *Si peccaverit in te Frater tuus*, ubi qui in alium peccat ac per conſequens peccator & inimicus ejus eſt, adhuc retinet nomen Fratris, adeóque Proximi. Chriſtus etiam *Matthæi 9.* dicens *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores* omninò indicat ſe habere peccatores pro proximis; unde nonnulli reprehendunt legis peritum *Lucæ 10.* dicentem *Et quis eſt meus proximus?* quaſi putaverit ſe juſtum, & neminem niſi pariter 29.

Extenditur item ad peccatores, etiã inimicos.

Digitized by Google

juſtum eſſe ejus proximum, ſic Euthymius inquit *lex proximum nominavit eum, qui alterius egeret auxilio, ipſe verò eum dici opinabatur. qui virtute æqualis eſſet* ubi obiter advertere ex hoc capite peccatorem magis, quàm juſtum venire nomine Proximi, cum peccator magis, quam juſtus noſtro egeat auxilio. Sunt igitur peccatores etiam inimici ex charitate diligibiles ſubintellige ſecundum naturam non ſecundum culpam; & ratio fundamentalis eſt quia remanent ſecundum naturam capaces ſupernaturalium bonorum, æternæque beatitudinis; & ex alia parte optime haberi poteſt odium peccati, quod eſt odium abominationis ſine odio peccatoris, quod eſſet odium inimicitiæ; undè eſt illud D. Proſperi ſent. 2. *aliud eſt amare quod facti ſunt aliud odiſſe quod faciunt*, & Divus Auguſtin. lib. 14. de Civit. cap 6. *Oderit vitium, amet hominem.*

Dices Peccatores ſunt Deo odibiles, & quidem odio non ſolum abominationis, verum etiam inimicitiæ, ut attigimus *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. §. 1. ergo ſimiliter ſunt dabiles à nobis, non diligibiles ex charitate; charitas enim noſtra debet conformari charitati Dei, nec ferri in id, in quod illa non fertur; certè autem Deus non diligit ex charitate peccatores: Deinde ſicuti gratia reddit amabilem juſtum quem ornat, cur culpa non reddit odibilem peccatorem, quem deturpat, & ſicut illa ex eo quod eſt amabilis ut *quo* reddit ſubjectum amabile ut *quod*, cur iſta ex eo quod ſit ut *quo* odibilis non reddet ſubjectum

30. ut *quod* odibile. Sed contrà: ſuppono, & adverto odium inimicitiæ ultrà diſplicentiam Perſonæ importare voluntatem, qua quis tali Perſonæ malum ut ipſi malum vult, præſertim ad ulciſcendam injuriam ab eadem Perſona ſibi illatam; Porrò Deus utpotè ſupremus Judex ac Dominus habet legitimum jus ſumendi vindictam ob injurias ſibi illatas, & volendi ac inferendi eis, qui injurias irrogant malum ut ipſis malum: Nos verò non poſſumus jure proprio, & privata auctoritate, ulciſci irrogatas nobis injurias, tituloque ultionis malum inferre aut velle ei, qui injuriam irrogat, & cui cur odio inimicitiæ peccatores ſint odibiles Deo, non nobis; imò à nobis ſint ex charitate diligendi propter præceptum, quod nos habemus benefaciendi omnibus etiam iis, quos inimicos & injurios patimur; Neque hinc læditur charitatis noſtræ cum divina conformitas, quia hæc ſervari debet ſolùm ubi ſunt cætera paria: Sicut inſuper, quia non ſunt cætera paria, ideſt quia non datur in ſubjecto ad nos relato par odibilitatis, quæ amabilitatis capacitas, non læditur proportio inter amabilitatem gratiæ & odibilitatem culpæ, etiamſi illa reddat juſtum amore amicitiæ amabilem, iſta verò non reddat odio inimicitiæ odibilem peccatorem, quem tamen non negaverim reddi ex culpa odibilem odio abominationis & diſplicentiæ, de quo Arriaga *hic diſputatione trigeſima nona, ſectione ſecunda, numero decimoquinto, & diſputat. trigeſima ſeptima, ſect. tertia, numero vigeſimo octavo.*

Cur Deo, non nobis, liceat odium inimicitiæ in peccatores & inimicos?

In iſtos licet etiam nobis aliquod odii abominationis.

Urgebis, quamvis nos non habeamus jus ſumendi vindictam de offenſis, eaſque puniendi, poſſumus tamen licitè velle talem vindictam & punitionem ut faciendam à Deo (cur enim non poſſumus licitè velle, ut à Deo faciendum id, quod licitè poteſt à Deo fieri?) ergo ſi Deus habet odium inimicitiæ per hoc, quod jure punitionis & vindictæ velit peccatoribus malum, puta æternam torturam & privationem beatitudinis, nos quoque dicemur habere inimicitiæ odium per hoc, quod velimus eadem, aut alia mala, ut inferenda à Deo; cumque hoc modo peccatoribus mala velle ſit nobis licitum, erit nobis licitum in peccatores inimicitiæ odium.
31. Sed contrà, quamvis fortè ex natura rei non ſit nobis illicitum velle vindictam illam, & punitionem ut à Deo faciendam, illicitum tamen id cenſendum eſt ex præcepto poſitivo benefaciendi omnibus, & procurandi omnium ſalutem, quouſque eſt talis ſalutis ſpes: eſt inſuper id illicitum ex iis, quæ ſolent in nobis odium inimicitiæ comitari, nimirum quod velimus inimicis majora mala, quàm mereantur, quod velimus talia mala, ut redundantia in noſtram gloriam ex inimici depreſſione quodammodo magis relucentem; quod in hujuſmodi malis, ut inimico noxiis delectemur, &c. de quibus Arriaga *præcitato num.* 28.

Odium inimicitiæ in nobis habere comites plures malitias quas nō importat ex genere ſuo.

32. Ad tertium dico ad damnatos, ſive dæmones, ſive homines, non extendi Proximi nomen; ratio eſt quia Proximi nomen in præſenti ſignificat eum omnem, & ſolum, cui poſſumus ſimpliciter abſolutéque velle æternam beatitudinem, & cætera ſupernaturalia bona; atqui non poſſumus hæc velle damnatis, cum iſti ratione ſtatus incapaces ſint æternæ beatitudinis, & omnium ſupern aturalium bonorum; necnon ut tales nobi s proponantur, in quo eſt diverſa ratio de reprobis pro ſtatu viæ, pro quo ſcimus q uidem aliquos eſſe reprobos, at ignoramus de terminate quinam ſint? ideò ne nobis co ntingat charitatem noſtram ſubſtrahere alicui prædeſtinato debemus indiſcriminatim v iatores omnes ex charitate diligere, niſi m odo extraordinario, & ex ſpeciali revelatione habeatur de aliquo certa notitia reprobati onis & damnationis futuræ; circa hunc tamen quamvis non poſſemus elicere actum chari tatis potiſſimum volendo ei æternam beatit udinem, adhuc poſſemus exercere aliquem act um charitatis, quem circà damnatos non p oſſumus; poſſemus ſcilicet illi ex charitate ve lle plura ſupernaturalia bona, quorum eſt capax etiam ſuppoſita prædicta revelatio ne reprobus in via, non ſic in ſtatu damnati onis; in iſto igitur miſerrimo ſtatu conſtitu ti, ſivè homines, ſivè Angeli, non ſunt à nobis diligibiles, niſi aut modo communi cre atoris irrationalibus, quas volumus in ſuo eſſe permanere ad gloriam Dei, aut actibus charitatis valdè imperfectis quibus ſuperoatur alia bona inefficaciter, & conditionaliè velimus; cæterùm charitas perfecta, qua talia bona ſint damnatis efficaciter & abſolutè volita, repugnat charitati Dei, quatenus per hanc appro

Nomen Proximi ex charitate diligendi non extenditur ad damnatos.

Et aliquo modo nec ad reprobum cujus futura damnatio ſit abſolutè revelata.

approbamus divinam juſtitiam damnaros punientem privatione æternà omnium ſupernaturalium bonorum ; ut ratiocinatur D. Thomas *hic quæſt.25.art.11.*

33. Aſſert.2. Proximi nomen, prout ſignificat objectum ſeu ſubjectum, in quod poſt Deum charitas fertur, extenditur ad Chriſtum Dominum, & ad omnes viatores ſive Angelos ſivè homines alios ab ipſo diligente : Non extenditur verò ad ipſum diligentem, nec ad exiſtentes in ſtatu damnationis, nec ad creaturas irrationales : eſt aſſertum commune, explicatumque jam & probatum in præcedentibus à *num.27.* Prætermiſi homines, & Angelos, beatos; quia ipſorum ex charitate diligibilitas extrà controverſiam eſt, ſi quæ verò talis diligibilitatis ſunt propria tradi ſolent *in tract. de Beatitud.*

§. IV.

Vtrum aliquis ſit & quis ſit ordo in objectis, quæ ex Charitate diliguntur?

34. Datur ordo in objectis, quæ ex charitate diliguntur.

ASSERT. 1. Verè admittendus eſt aliquis ordo in objectis, quæ ex charitate diliguntur, ſeu in charitate prout ad ſua objecta fertur. Ità D. Thomas *hic quæſt.26. art 1. & in 3. diſt.29. quæſt. 1. art.1.* Magiſter *ead. diſt.* cæterique Theologi, quibus familiare eſt hic primo loco afferre illud, quod dicit ſponſa Cantic.2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.*

Probatur ratione D. Thomæ : ubi eſt aſſignare principium, & ea quæ ſunt à principio, verè admittendus eſt aliquis ordo ; atqui in objectis, quæ ex charitate diliguntur eſt aſſignare principium, & ea quæ ſunt à principio ; ergo verè admittendus eſt, &c. major patet, quia ordo nihil eſt aliud, quàm modus prioris & poſterioris, non poteſt eſſe modus aliquis prioris & poſterioris, ubi eſt aſſignare principium & ea, quæ ſunt à principio : Minor probatur, in objectis, quæ ex charitate diliguntur, reperitur Deus qui diligitur tanquam ultimus finis, & propter quem tanquam propter ultimum finem reliqua diliguntur ; finis autem in practicis ſeu agibilibus ſe habet ut principium in ſpeculabilibus, & ea, quæ ſunt propter finem ſe habent ut ea, quæ ſunt à principio ; ergo in objectis, quæ ex charitate diliguntur eſt aſſignare principium, &c.

Dices : hoc totum argumentum poſſet proportionaliter transferri ad fidem, ejuſque objecta ; nam etiam in iis, quæ ex fide creduntur, dantur Deus & res creatæ, adeóque principium & ea quæ ſunt à principio ; atqui in iis quæ ex fide creduntur non admittitur ullus ordo *ex lib. præcedent. capit.4. §.6.* ergo allata probatio aut eſt ineſſicax & non probat præſens intentum, aut eſt inconſequens ad ſupradicta de fide, & infert ordinem etiam in objectis fidei, quæ certè aliundè videntur ſe habere ad credibilitatem eodem prorſus modo, quo objecta charitatis ad amabilitatem ; ſicuti enim omnia iſta habent unam eandemque rationem formalem amabilitatis ſitam in ſumma Dei bonitate ; ità omnia illa habent unam eandemque rationem credibilitatis ſitam in ſumma Dei veracitate. Sed contrà : datur quidem ordo prioris, & poſterioris, etiam in objectis fidei ; at non eodem modo, quo in objectis charitatis, in illis quippe datur ordo materialis, & in ratione entis duntaxat; in iſtis datur ordo formalis & in ratione objecti, quia ratio ultimi finis in ordine ad fidem materialiter ſe habet, non ut ratio motiva, ſe habet verò formaliter & ut ratio motiva in ordine ad charitatem, ratio enim ſummi boni, quæ eſt ratio motiva charitatis, & ratio ultimi finis, coincidunt & ſunt ſynonyma inter ſe : Argumentum igitur à nobis factum pro ordine in objectis charitatis non probat eodem modo ordinem in objectis fidei, nec inconſequenter loquimur illum, non iſtum, ordinem admittendo. Ad illud quod additur de ſummâ Dei bonitate ad ſummam Dei veracitatem comparatâ repeto *ex præcitat. §.6. numer.67.* ſummam Dei veracitatem, ſeu veritatem divinam revelantem, ità eſſe unam eandemque rationem formalem reſpectu objectorum fidei, ut ſit etiam omnibus æquè applicata ; ſumma verò Dei bonitas ità eſt una eademque ratio formalis reſpectu omnium objectorum charitatis ut non ſit omnibus æquè applicata, ſed uni per identitatem, aliis per affectivam unionem ; & ex his ſit aliquibus magis, aliquibus minus affectivè unita, prout eſt ab aliquibus magis, ab aliquibus minus participata : Ecce cur objecta charitatis in amabilitate, non objecta fidei in credibilitate; ordinem admittunt ? licet tum credibilitatis, tum etiam amabilitatis, ratio formalis motiva unica ſit.

35. Cur non detur eodem modo ordo in objectis, quæ ex fide creduntur?

36. Ordo objectorum redundat in actus & habitus.

Porrò ordo in charitatis objectis aſſertus ex objectis quodammodo redundat in charitatis actus & habitum ; cum enim actus & habitus dentur propter objecta, debent illi iſtis proportionari, adeò ut non ſolum inclinent ad objecta attingenda, ſed etiam ad ea attingenda cum ordine, quem inter ſe ſervant ſeu ad attingendum eorum ordinem ; proptereà poſitæ ſunt in aſſerto particulæ illæ *ſeu in charitate prout ad ſua objecta fertur.* Explicandum jam eſt, quis ſit iſte ordo ? & quidem in primis loquendo, ut loquimur de objectis materialibus inter ſe comparatis, certum eſt non eſſe ordinem executionis, & prioritatis aut temporis aut naturæ, quatenus unum objectum debeat diligi prius tempore, aut naturâ, quam aliud, & actus dilectionis circà unum objectum in ſui productione dependeat ab actu dilectionis circa aliud ; hic enim ordo in charitate nullus eſt, ut patet conſideranti, nec quoad hunc ordinem à fide charitas diſcrepat ; eſt igitur attendendus ordo perfectionis, & ſecundum dignitatis, non durationis prioritatem ; adeò ut illud objectum cenſeatur in ordine prius, quod eſt magis dignum dilectione ſeu dignum majore dilectione ; uno

Ordo charitatis eſt ſecundum perfectionem, non ſecundum executionem.

37. verbo quod eſt magis diligibile: Tripliciter autem aliquod objectum poteſt eſſe magis diligibile magiſvè dilectum: Primò objectivè, quatenus petat terminare, aut terminet actum, quo ei quis velit plura majoravè bona, quàm alteri: Secundò intenſivè quatenus petat terminare, vel terminet, actum magis intenſum, & conſtantem pluribus gradibus; hocque dignoſcitur potiſſimum ex eo, quod quis in amando magis conetur, vel majorem quandam ſuavitatem ac dulcedinem experiatur: Tertiò appretiativè, quatenus petat terminare, vel terminet, actum cum prælatione ſeu majori appretiatione elicitum, & elucet amoris prælatio ſeu appretiatio in duobus præſertim, nimirùm in eo, quod amans aliquem prælativè, malit aliorum, quàm illius amorem omittere, & nolit quidquam committere ei diſplicens, paratuſque ſit à re qualibet abſtinere potiùs, quàm ei diſplicere.

38. Iſti tres modi diligibilitatis ità ſe habent, ut quamvis ſæpe omnes ſimul eundem ordinem ſervent, objectum ſcilicet quod eſt magis diligibile uno modo, ſoleat pariter eſſe magis diligibile aliis duobus; quandoque tamen aliter eveniat, & idem objectum uno modo magis, alio minùs diligatur, & præſertim diligatur magis intenſivè, quod diligitur minus appretiativè aut econtrà. Remanet igitur hic ſtatuendum, utrùm in iis, quæ ex charitate diliguntur, attendendus ſit ordo ſecundum appretiationem dumtaxat, an etiam ſecundum intenſionem? ſeu utrùm in objecto ex charitate magis diligibili ly *magis* ad majorem dumtaxat appretiationem, an ad intenſionem quoque referatur? ſicque ſatisfiet ſecundo tituli membro, quo inquiritur *Quis ſit ordo*, &c.

39.
Debet eſſe appretiativus, non intenſivus.

Aſſert. 2. Simpliciter, & per ſe loquendo, ordo admittendus in objectis, quæ ex charitate diliguntur, debet eſſe appretiativus, non intenſivus, ſeu debet attendi ſecundùm appretiationem, non ſecundum intenſionem. Ita Eſtius *in 4. diſt. 26. §. 7. & 8.* Sylvius *hic qu. 26. art. 2. concl. 1. & 2.* Malderus *eod. art.* Suarez *diſp. 1. ſect. 4.* Valentia *diſp. 3. quaſt. 4 punct. 1.* Amicus *diſp. 29 ſect. 2.* Gabriel a S. Vincentio *diſp. 18. dub 1.* cæterique Theologi magis communiter contrà Adrianum *in 4. quaſt. 1. de Pœnit. & quodlib. 5 art. 3.* Scotum *in 3. diſt. 27. q. un. §. dico igitur* alioſque nonnullos volentes ordinem charitatis attendendum eſſe ſecundùm intentionem non minùs, quàm ſecundùm appretiationem: Item contrà Petrum Soto *de inſtitut. Sacerdotum lect.* 15. non agnoſcentem diſtinctionem amoris appretiativè ab intenſivo, & admittentem duos dumtaxat modos amandi, objectivè nimirùm, & intenſivè.

40.
Appretiatio in amore verè differt ab intenſione.

Probatur: verè in amore diſtinguitur appretiatio ab intenſione, major appretiatio à majori intenſione, & in objectis quæ ex charitate diliguntur ordo ſecundùm appretiationem, non ordo ſecundum intenſionem cadit ſub obligatione; ergo ſimpliciter & per ſe loquendo ordo admittendus in objectis, &c.

Probatur antecedens quoad primam partem tùm experientia, quâ conſtat Parentes, v. g. magis affici & majorem amorem intenſivum habere erga filium juniorem, cum tamen appretiativè, ſicut & objectivè, magis ament majorem natu, utpotè qui mallent juniorem, quam iſtum amittere, & huic etiam volunt majora bona, partemque hæreditatis pinguiorem: tùm ratione, quia intenſio in amore, ſicut & in qualibet qualitate, eſt perfectio accidentalis, qua amor intenſivè major redditur perfectior ſolùm accidentaliter, & ſecundum majorem pluralitatem graduum ſimilium ejuſdemque rationis, eſt item perfectio abſoluta & nulla indigens comparatione: appretiatio eſt perfectio eſſentialis, aut quaſi eſſentialis; eſt item perfectio comparativa, ſeu relata, qua amor appretiativè major redditur perfectior perfectione diverſæ rationis, & per comparationem, prælationemque ad diverſa objecta: Probatur antecedens quoad ſecundam partem primò, quia ſi in objectis, quæ ex charitate diliguntur, aliquis ordo ſub obligatione cadit is debet eſſe ordo principalior, ordo autem amoris ſecundum appretiationem eſt principalior, utpotè ordo amoris perfectioris: Secundò quia in objectis, quæ ex charitate diliguntur is ordo ſtatuendus eſt ſub obligatione, qui eſt conformior tùm inclinationi charitatis, cujus actus ſunt proxima talis obligationis materia; tùm conditioni ſubjectorum, quibus obligatio ipſa imponitur; atqui ordo appretiativus eſt intenſivo conformior tùm inclinationi charitatis, tùm conditioni ſubjectorum: Eſt conformior inclinationi charitatis, quia charitatis habitus inclinat quidem ad amandum principaliùs, & cum quadam excellentia ſeu præeminentia, objecta principaliora & amabiliora; at non inclinat ad amandum intenſiùs, cùm in ordine ad diverſa objecta ſe habeat quidem diverſimodè prout talia objecta diverſimodè afficiuntur à ratione formali diligibilitatis, at non habeat diverſam ſeu inæqualem intenſionem; alioqui ſi habitus charitatis eſſet intenſior ergà Deum quàm ergà proximum, daretur in tali habitu aliquis gradus inclinans tantùm ad amandum Deum, non ad amandum Proximum, quod dici nequit: Eſt item ordo appretiativus conformior conditioni ſubjectorum, quibus obligatio imponitur; quia nihil rationali creaturæ eſt minus perſpectum, quam quanam graduum intenſione eliciat internum actum, ſi igitur haberet rationalis creatura obligationem eliciendi actum magis intenſum circa objectum magis diligendum, nunquam poſſet ſatis probabiliter ſcire, utrùm tali obligationi ſatisfecerit, necne? adeóque ſemper implicaretur anxietatibus & ſcrupulis inevitabilibus: econtrà facilè cuique innoteſcit, quamnam habeat amoris appretiationem? cum iſta pendeat à comparatione, & ſita ſit in prælatione unius objecti ad alia, quam quidem facilè quiſque in ſeipſo diſcernit, ut patet conſideranti ordo igitur appretiativus ſeu obligatio majoris appretiationis eſt conformior conditioni hominum, quia eſt de re nobis facili & ſufficienter innoteſcente, non ſic obligatio majoris intenſionis.

41.
Ordo appretiativus eſt principalior intenſivo.

Illius, quia iſtius obligatio eſt conformior inclinationi Charitatis.

42.
Et conditioni ſubjectorum, quibus imponitur.

Dices primò impugnando primam partem antecedentis. Tunc aliquid magis diligitur

appre-

appretiativè, quando voluntas ei magis, firmiuſque adhæret; nam ex majori firmiorique adhæſione fit, quod facilius ſit ceſſandum ab aliorum, quàm ab illius objecti amore, quod eſt habere majorem talis objecti appretiationem; atqui voluntas magis firmiuſque adhæret objecto per hoc, quod circa ipſum magis conetur, & actum intenſiorem eliciat; ergo voluntas magis amat appretiativè per hoc, quod magis amet intenſivè, nec diſtinguitur in amore appretiatio ab intenſione: Undè etiam Scriptura, & Patres, nunquàm ſingillatim meminerunt amoris appretiativi ſupponentes non eſſe ab intenſivo diverſum, & quoties docent rem unam eſſe plus alia diligendam, non intelligunt per ly *magis*, niſi majorem amoris intenſionem; ipſemet D. Thomas *hic quæſt. 26. art. 6. ad 1. art. 7. & ſeqq.* magis diligere, & majorem dilectionem, non aliter explicat, quàm per diligere intenſius, & intenſiorem actum dilectionis.

43. *Non omnis firmior voluntatis adhæſio fit per actum intenſiorem.*

Sed contrà diſtinguo majorem, quando voluntas ei magis firmiuſque adhæret comparativè, & relatè ad alia, concedo; abſolutè & quomodocumque, nego majorem; nec ex majori firmiorique adhæſione quacumque, ſed comparativâ, fit quod facilius ſit ceſſandum, &c. eadem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam. Ad confirmationem ex Scripturâ & Patribus dico non meminiſſe quidem amoris appretiativi quoad vocem ipſam, benè tamen quoad rem ea voce ſignificatam; dum enim Scriptura & Patres dicunt Deum diligendum eſſe ex tota anima ex toto corde, cum non rectè id procedat de tota & ſumma intenſione, intelligendum eſt de alia diversâ totalitate, quam nos dicimus totalitatem appretiationis, ſeu amorem appretiativum ſuper omnia.

44. Quod addebatur per magis diligi ſemper intelligi majorem amoris intenſionem, gratis ſupponitur; & id ad ſummum verificatur, quando ly *magis* ſumitur abſolutè, nec certè ad intenſionem refertur ſi dicatur Parentes ſolere magis diligere filios Majores natu, cum tamen ſoleant amare intenſius filios juniores.

D. Thomas aliquando ſumit intenſionem amoris pro quacumque eius perfectione.

Ad D. Thomam dico eum in præſenti uti vocabulo intenſionis latius, prout ſignificat omnem amoris perfectionem, etiam nō gradualem, quam nos ut à perfectione graduali contra diſtinguamus, appretiationem nominamus.

Dices ſecundo impugnando ſecundam antecedentis partem: Non poteſt ex charitate diligi Proximus intenſius, quam Deus; ergo in objectis, quæ ex charitate diliguntur, ordo etiam intenſivus cadit ſub obligatione; antecedens probatur primo, quia ex charitate haberi non poteſt vitioſa dilectio; eſſet autem vitioſa dilectio intenſior in Proximum, quam in Deum, qui tamen eſt Próximo infinite dignior dilectione etiam intenſivè majore: Secundò non poteſt ex charitate diligi Proximus niſi propter Deum; repugnat autem quod eo actu, quo Proximus diligitur propter Deum, diligatur intenſius, quàm Deus, quia ſecus in tali actu daretur aliquis gradus, qui eſſet & non eſſet propter Deum; eſſet ut ſupponitur; non eſſet quia actus intenſior erga Proximum, quam erga Deum, debet ſecundum aliquem ſuæ intenſionis gradum non attingere Deum, adeoque propter Deum non eſſe.

45. *Amor Proximi propter Deum quomodo poſſit eſſe intenſior in Proximum, quā in Deum?*

Sed contrà: Deus ex charitate diligi poteſt vel præciſè ut *Quo* & ut purum objectum formale; vel ſimul ut *quod* & ut objectum etiam materiale: Deo accepto hoc ſecundo modo aſſerimus poſſe ex charitate diligi intenſius Proximum; volumus ſcilicet ex duobus actibus charitatis, quorum unus feratur in Proximum propter Deum, alter in Deum, propter ſe, illum actum poſſe eſſe iſto intenſiorem, non verò contendimus unum eundemque actum, qui feratur in Proximum propter Deum eſſe intenſiorem, quatenus fertur in Proximum ut *quod*, quam quatenus fertur in Deum ut *quo*: ad inſtantiam igitur diſtinguo antecedens non poteſt ex charitate diligi Proximus intenſius, quam Deus dilectus ut *quo* & eodem actu quo diligitur Proximus, concedo; quàm Deus dilectus ut *quod* & diverſo actu, nego antecedens & conſequentiam: eadem diſtinctio directè ſolvit ſecundam antecedentis probationem, ad probationem primam nego dilectionem modo explicato intenſiorem in Proximum, quàm in Deum eſſe vitioſam, nec vitium rectè infertur ex eo, quod Deus ſit Proximo dignior dilectione etiam intenſivè majore, ſicuti enim non tenemur, imo nec poſſumus Deum intenſivè diligere, quantum dignus eſt; ita nec tenemur Deum magis intenſivè diligere ex eo quod majori dilectionis intenſione dignus ſit, eſt hoc quidem laudabile & ſub conſilio, at non ſub præcepto, ut potè quod nec alicubi expreſsè traditur, nec debet facilè & ſine neceſſitate ſupponi cum non ſit conforme inclinationi charitatis, nec conditioni humanæ, cui tamen in ferendis præceptis accommodare ſe ſolet ſuavis providentia Dei.

46. *Quomodò amor ſit intenſior non ſit vitioſus?*

Ex his habes, cur in aſſerto poſitæ ſint particulæ illæ *ſimpliciter & per ſe loquendo*, poſitæ ſcilicet ſunt ad innuendum poſſe quidem in charitate laudabiliter, & congruenter, attendi ordinem etiam intenſivum, adeo ut ſi objectum ſimpliciter magis diligibile, magis ametur etiam intenſivè, congruum id ſit & laudabile; quia tamen de hoc nulla eſt obligatio non dicitur ſpectare ad ordinem charitatis ſimpliciter & per ſe.

Intenſior vero in Deū quam in Proximum ſit laudabilior & ex conſilio?

Neque dicas quomodo poteſt eſſe laudabile & congruum magis intenſivè diligere quod eſt ſimpliciter magis diligibile, ſi per nos charitatis habitus, ut potè æquè intenſus in ordine ad omnia diligibilia, inclinat ad omnia diligenda cum æquali intenſione, nunquid poterit eſſe laudabile & congruum contrariari inclinationi habitus infuſi?

47. Contrà enim: habitus charitatis ex eo quod ſit æquè intenſus circa omnia diligibilia, non inclinat quidem poſitivè ad intenſiorem dilectionem unius, quam alterius; at non propterea poſitivè inclinat ad dilectionem æquè intenſam, ſaltem loquendo in via, ubi ſicuti habitibus utimur cum volumus, ità utimur tanta eorum intenſione quanta volumus, abſque eo quod contrariemur eorum inclinationi: Dixi *ſaltem loquendo in via*, nam in patriâ, ubi habitus

charitatis determinat ac neceſſitat potentiam, ex eo quod ipſe ſit æquè intenſus in ordine ad diverſa diligibilia facilè concedi poteſt quod cauſet æquè intenſam diverſorum dilectionē, undè Suarez hic *diſp.*1 *ſec.*4.*n.*10. putat beatos habere æqualē amoris intenſionem ergà Deum, ergà ſe, erga Proximum.

Cætera ſpectantia ad ordinem Charitatis, præſertim ut talis ordo cadit ſub obligatione, diſcutientur opportunius infrà agendo de præcepto & neceſſitate actus charitatis præſertim circa Proximum, quâ de re *c.ſeq.*3.*&* 4.

CAPVT V.

De actu, & habitu Charitatis.

Actus charitatis dupliciter hic ſumi poteſt, vel pro eo omni qui à charitatis habitu elicitur, vel pro eo ſolo qui elicitus charitatis habitu retinet propriam denominationē charitatis ſeu dilectionis, quemadmodū *praced.cap.*2. §.1. proportionaliter dicebamus de actu ſpei, quo ex loco etiam facilè conſtat eos actus, qui ſpecialiter denominantur Charitas eſſe actus primarios & principales primario ſcilicet & principalius à Charitatis
1. habitu elici, reliquos eſſe ſecundarios & minus principales: Vtrumque actuum genus prolixam amplamque tractationem poſtularet; at ea, quæ ſpectant ad actus ſecundarios ferè omnia ſunt aut levia aut moralia; ea quæ ad actus primarios ferè omnia aliis in locis tradita; ideò quoad priores contenti erimus enumeratione ipſorum, & explicatione terminorum; quoad poſteriores indicabimus quibus ex locis repetenda ſint, quæ alibi tradidimus; deindè reliqua, quæ pauca ſuperſunt, ex profeſſo diſcutiemus, ſicut & de habitu pauciora, quæ occurrent hujus loci propria, attingemus:

2. Actus ſecundarij ſeu effectus charitatis tres ſunt interni, ideſt. Actus igitur ſecundariò, & minùs principaliter, provenientes ab habitu charitatis, quos nonnulli malunt appellare charitatis effectus, quàm actus, ſunt alij quicumque actus conſequentes ad dilectionem Theologicam, & habentes idem cum ipſâ motivum formale; ſ(ed) ideſt tres internos, & tres externos enumerat latéque explicat S. Doctor *hic à quæſt.*28. ad 34. & tres quidem interni ſunt Gaudium, Pax, Miſericordia; tres verò externi Beneficentia, Eleemoſyna, Correptio fraterna.

Gaudium. Gaudium ſpectat ad charitatem, quatenus poteſt elici amicabiliter & ex motivo charitatis, bonitas enim inducens ad amorem, ut inducat ad gaudium, non indiget ex parte objecti novâ ratione formali, ſed ſolâ conditione præſentiæ, undè etiam ſicuti amor ex charitate alius ergà Deum, alius ergà Proximū eſſe poteſt ità & gaudium.

Pax. Pax ſpectat ad charitatem, quatenus homo per charitatem diligendo Deum ex toto corde ſubjicit ei utrumque appetitum rationalem, & ſenſitivum, tamquàm bono ſummo, ac appetitus utriuſque perfectè impletivo, & completivo; diligendo Proximum vult Proximis idem ſummum bonum, ut implens ac quietans appetitus ipſorum; hinc neque ceſſat pugna & ponitur conſenſio appetitionum, tum propriarū inter ſe, tum propriarū cum appetitionibus aliorum; ſi enim ſit propriarum cum illis aliorum tantùm, non inter ſe habetur concordia tantùm, non pax ex D. Thomâ *quæſt.*29. *art.*1.

Miſericordia ſpectat ad charitatem reductivè, quatenus charitas verſari poteſt, & frequenter verſatur, circà totam miſericordiæ materiam, efficiendo ex proprio motivo omnem actum externum, quem efficere ſolet ex ſuo, eoque diverſo, motivo miſericordia: aut etiam miſericordiæ actus reducitur ad charitatem mediatè ideſt mediante miſericordiâ ipſâ, ſpecialiori tamen ratione, quàm ad eamdem charitatem reducantur, pertineántque medijs alijs virtutibus actus aliarum virtutum; enimverò per actus miſericordiæ à charitate imperatos ſatisfit obligationi charitatis ergà Proximum, non ſic per actus aliarum virtutum: His & ſimilibus de cauſis ponitur miſericordia ſub charitate, tamquàm effectus ſeu actus ejus, cæterum ſimpliciter & abſolutè eſt virtus ſpecialis, moralis non Theologica, diverſa à charitate, & habens proprium motivum formale, quod eſt ſublevatio miſeriæ, & remotio mali ut reddentis miſerum eum, in quo eſt, de quâ utriuſque virtutis diſtinctione & diverſitate latius Sylvius *hic quæſt.*30. *art.*1. Malderus *eod.art.* Gabriel à S.Vincentio *diſp.*20. *dub.*3. Valentia *diſp.*3.*quæſt.*7. *punc.*2. Suarez *diſp.*4.*ſec.* 2. Amicus *diſp.*30.*ſec.*1. cæterique communiter contra Coninchum *diſp.*26. *dub.*4.*concl.*4. & paucos alios. 3. Miſericordia.

4. Tres alij ſunt externi, ideſt. Beneficentia trium externorum charitatis actuum primus, & potiſſimus, non debet ſumi prout importat bonum facere ex quocumque peculiari motivo, quâ ratione eſſe poteſt actus cujuſcumque virtutis ad alterum, puta gratitudinis, ſi fiat alteri bonum ut compenſativum beneficiorum; juſtitiæ, ſi ut adæquativum juris; miſericordiæ, ſi ut ſublevativum miſeriæ: ſed pro ut importat bonum facere propter communem & univerſalem, imò ſummâ rationem boni: hoc modo beneficentia nihil eſt aliud, quam executio voluntatis, quâ quis alteri bonum ex charitate vult adeóque ſe habet ad principalem charitatis actum, ut actus externus ad internum, ut executio ad intentionem; actus autem internus & externus, intentio & executio tribuuntur eidem virtuti; quoties ſub eodem motivo procedunt. Beneficentia.

5. Eleemoſyna. Eleemoſyna idem eſt Græcis, quod latinis miſericordia & quamvis aliquando ſumatur pro re, quâ ſubvenitur alienæ neceſſitati, puta pecuniâ, cibo &c. in quo ſenſu dicitur Act.3. *Rogabat autem, ut eleemoſynam acciperet*, magis propriè ſumitur pro actione, per quam res illa ad ſubveniendum neceſſitati datur, quâ ratione eleemoſyna nihil eſt aliud, quàm executio, ſeu actus externus Miſericordiæ; propterea ſicuti miſericordia ipſa ex jam dictis ſpectat ad charitatem tamquàm

actu-

actus intetnus, licè t reductivè duntaxar & mediatè, ita reductivè & mediatè ſpectar ad charitatem eleemoſyna, tamquàm actus exterior & executio.

6. *Correptio, ſeu correctio fraterna.* Cotteptio, ſeu correctio fraterna ſpecies eſt eleemoſynæ, eſt ſcilicer eleemoſyna ſpiritualis, quâ ſubvenitut ſpirituali miſeriæ, & animi defectibus, qui poriſſimum ſunt peccata; ſicuti eleemoſyna commuoiter dicta eſt, quâ ſubvenitur miſeriæ corporali & defectibus corporis; ſpectat igitut correprio ſeu correctio fraterna ad charitatem mediatè & reductivè eadem prorſus tatione, quâ mox de eleemoſyna dictum eſt; dummodò talis correptio ſeu correctio non procedat ex alio motivo, quàm miſericordiæ; non fiat ſcilicèt niſi ad amovendum malum peccati, quatenus reddit Proximum miſerum, & eſt contrarium bono particulari ipſius; nam ſi fiat ad amovendum peccatum, quatenns eſt malum contrarium boniıati divinæ & Dei offenſa, ſpectat ad charitatem immediarè & elicitivè ex regula generali, quâ proſecutio boni, & fuga mali contratij, eliciuntur immediatè ab eadem virture; ſi inſuper fiat ad admovendum peccatum, quarenus vergit in detrimentum Reipublicæ, eſt actus juſtitiæ, nec amplins fraterna ſed juridica correptio ſeu correctio denominatur. Dixi hucuſque *correptio ſeu correctio* quia uſus obtinuit, ut prô eodem ſumantur, quamvis ex primâ ſuâ origine, & ui verborum, non ſint prorſus idem, ſed correprio ſignificet increpationem reprehenſionémque factam in ordine ad emendationem, correctio denotet emendationem ipſam & effectum emendæ, cujus correptio eſt quodammodò principium; corripimns quos emendare contendimus corrigimus quos in re emendamus; undè eſt illud Augoſtini lib.1.de Civit. cap.9. *Nolunt plerumque corripere, cum fortaſſe poſſint aliques corripiendo corrigere.*

7. *Addi poſſunt actibus ſecundarijs internis.* Iſta enumeratio effectonm actuumvè ſecundariorū Charitatis ex D. Thoma deſumpta eſt opportuna tradendæ doctrinæ, potiùs, quam accommodara rigori ſcholaſtico; nam aliquos actus continet, qui minus propriè charitari tribuuntur, hujuſmodi ſunt actus miſericordiæ inter internos, actus eleemoſynæ & fraternæ corteptionis inter externos; aliquos alios præterit, qui proprie charitati debentur, præterit ſcilicet in primis *Deſiderium.* deſiderium amicabile, quo quis velit Amico aliquod bonum repræſentatum ut abſcens, licèt iſtius actus verè non ſoleat ſub charitate mentio fieri, fortè quia reſpectu Dei, qui eſt præcipuum chatiratis objectum exerceri vix poteſt: *Et aliqui actus fugæ.* Præterit inſuper omnes actus fugæ, quibus chariras ex motivo divinæ bonitatis refugit tanquam bono divino contrarium malum culpæ, & quidquid ad ipſum conducit; unde datur ex charitate fuga, odium, triſtitia, timor, ſubintellige filialis ſub ſe continens teverentialem & initialem juxtà ſuprà dicta *cap.1.num.*10.*&* 13. Sic recenſitis, & quoad terminorum notitiam expeditis effectibus, actibuſvè ſecundariis charitatis.

8. *Actus primarius, & principalior, charitatis eſt dilectio.* Supereſt actus primariò & principaliter à charitatis habitu provenlens, qui actualis Charitas denominator, & conſiſtit in dilectione ſupernaturali elicita propter diuinam bonitatem increatam ut in ſe, abſolutè, & ipſi Deo bonam; de quo quidem actu præſertim, ut in Deum fertur plura, ut jam monui, ſunt aliunde repetenda ſicuti & de habitu, quæ à pluribus hic tractantur; & in primis *ex tract. de Beatitud. lib.3 cap.2. num* 1. ſuppono actum charitatis, ſeu amorem etiam beatificum, diſtingui à gaudio; *ex eod. cap.* §.4. ſuppono actum charitatis in patria, & in via, differre ſpecie, quamvis habitus ſit utrobique idem: Deinde recolendo tractatum de Gratia ſuppono *ex lib.2.cap.2.* §.3. dabilem eſſe reſpectu Dei amorem amicitiæ etiam naturalem *ex lib.5. cap* 1. §.5: habitum charitatis diſtingui realiter ab habitu gratiæ: *ex eod lib. c.2.*§.7. actum charitatis, quando ultimò diſponit ad habitū charitatis & gratiæ, à neutro habitu effectivè procedere: *ex lib.4.c.2.*§.3. & *cap.4.*§.2. *&* 3. nec actum nec habitum charitatis eſſe de facto, aut eſſe poſſe, formam perfecte juſtificantem, imò nec peccatum per ſe expellentem: *ex eod. lib. cap.*8. §.6. actum charitatis nun eſſe neceſſarium ad merendum condignè apud Deum; *ex cap.7.* §.3. non requiri ullam determinatam intenſionem in actu charitatis, ut ſit meritorius; *ex cap.*8.§.1. quocumque actu meritorio ſive charitatis ſive alterius virtutis, licet remiſſo, augeri in juſto habitum charitatis. Taodem recurrendo tractatum præſentem ſuppono *ex lib.1 cap.*5.§.8. actum charitatis eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia: *ex cap.7.* §.2. habitum charitatis habere pro cauſa phyſica principali ſolum Deum; *ex eod. cap.* §.6. plura communia habitui charitatis cum cæteris habitibus Theologicis *ex cap. præced.* §.3. actum charitatis in Deum ptobabiliter differre ſpecie ab actu charitatis in Proximum. Quibus omnibus ſuppoſitis illud, quod primo loco ſupereſt ttactandum videtur eſſe neceſſitas actus charitatis ad ſalutem, & quidem quoad actum chariratis erga Deum explicanda eſt neceſſitas, tum medij, tum præcepti; quoad actum charitatis erga Proximum ſola neceſſitas præcepti. Sit igitur.

---

§. I.

An & quomodo actus Charitatis erga Deum ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate tum medij, tum præcepti.

9. *Actus charitatis in Deū eſt neceſſitate medij neceſſarius ad juſtificationem extra Sacramentū.* ASSERT. 1. Ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem Adultorum extra ſacramentum conſequendam eſt neceſſitate medij neceſſarius actus charitatis erga Deum aut elicitus in ſe ipſo formaliter, aut contentus in actu contritionis. Supponunt hanc veritatem Theologi omnes, quamvis eam in terminis pauci tradant.

Probatur: Illud eſt neceſſariom neceſſitate medij ad ſalutem, quod per ſe ac poſitivè cauſat primam gratiam *ex præced. lib. cap.* 5. §.6. atqui in Adultis (ſubintellige in peccato exiſtentibus

exiſtentibus) actus charitatis, aut elicitus in ſe ipſo &c. cauſat per ſe & poſitive primam gratiam extra ſacramentum; per ſe quidem quia ex natura rei, & abſque eo, quod poſſit talis cauſalitas per aliquid aliud ſuppleri; poſitivè quia per modum diſpoſitionis moralis & meriti congrui; ergo ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem, Adultorum extra ſacramentum &c. minor habetur ex dictis ſparſim in tractatu de Gratia, præſertim *lib.4.cap.2.* & *lib.5.cap.4.* Confirmatur ex eo quia *præcit.* § 6. & *praced. cap.2.* §.4. aſſerta eſt neceſſitas medij in aliquo actu fidei & ſpei ad juſtificationem, idque potiſſimum ex eo, quod tales actus omninò prærequirantur ad eliciendum actum dilectionis, & contritionis, quo extra ſacramentum, aut attritionis, quo in ſacramento juſtificamur; ergo à fortiori aſſerenda eſſe neceſſitas medij in ipſo actu dilectionis & contritionis, ut extra Sacramentum juſtificemur.

10\. *Antè legem gratiæ verò ad omnem adultorum juſtificationem.* Hinc habetur ex natura rei, & antè legem gratiæ, antè quam nullum fuit Sacramentum aptum conferre adultis dumtaxat attritis primam gratiam juſtificantem, ſicuti apta nunc ſunt Baptiſmus & Pœnitentia; & fortè per accidens etiam aliquod aliud Sacramentum, præſertim Euchariſtia; habetur, inquam ſupernaturalem Dei dilectionem, aut in ſe ipſa exiſtentem aut in contritionis actu incluſam, fuiſſe tunc neceſſitate medij neceſſariam ad omnem prorſus juſtificationem adultorum; & quod nunc ſit ad omnem hujuſmodi juſtificationem neceſſarius aliquis actus fidei & ſpei, non aliquis actus charitatis, provenit ex lege Dei extrinſeca, & ex virtute liberaliter ſacramentis noſtris conceſſa, vi cujus attritio in ſacramento quoad effectum juſtificandi æquivalet contritioni extra Sacramentum; Nec debet hoc videri mirum, cum ex alia extrinſeca, & extraordinaria lege poſſit Deus ſive in ſacramento, ſive extrà à peccato juſtificare etiam ſine actibus fidei & ſpei, quemadmodum attigimus, *præcit.*§.6. *num.*88.

11\. *Neceſſitate præcepti eſt neceſſarius ſimpliciter omnibus adultis.* Aſſert.2. Actus charitatis ergà Deum eſt omnibus adultis ſimpliciter & abſolutè ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti non ſolùm negativi, verùm etiam affirmativi. Ita Magiſter, & Scotus *in 3. diſt.*17. D.Thomas *hic quaſt.* 44 & 3. *cont. Gent. cap.* 116. ceterique Theologi communiter; & quamvis nonnulli olim docuerint non dari de diligendo Deo ſpeciale præceptum obligans ad eliciendum internum dilectionis actum, ſed tantùm præceptum quaſi tranſcendens reliqua, & quod ſufficienter impleatur per reliquorum obſervantiam. Hæc tamen doctrina modò Cenſores habet, non Patronos; eamque Lorca laudatus & relatus à Gabriele à S.Vincentio *diſp.*25 *dub.*1. vocat impiam, & errorem *Cenſura doctrinæ appoſitæ.* maximum, inſolentem, & Chriſtianis moribus valdè perniciosum.

Dixi *omnibus adultis ſimpliciter & abſolutè* ut innuerem charitatis actum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, non præcisè in ordine ad juſtificationem, tunc ſolùm quando eſt neceſſarius neceſſitate medij; undè etiam quamvis ex neceſſitate medij rectè inferatur neceſſitas præcepti, hujuſmodi tamen illatio non eſſet ſufficiens in præſenti, ubi neceſſitas præcepti amplior eſt & extenſior, quàm medij; ideò illa independenter ab iſta probari debet, & quidem quoad præceptum negativum obligans ad Deum non odio habendum, res eſt clarior, quàm ut probatione indigeat, præter quod abunde conſtabit ex infrà dicendis de tali odio: Supereſt igitur probanda neceſſitas præcepti affirmativi, quæ

Probatur primò ex Deuter.6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Deuter.10.*Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas &c. & diligas eum*, Matth.22.poſt relata verba Deuter.6. ſubditur à Chriſto, *Hoc eſt maximum & primum mandatum.*1.Io.3. *Qui non diligit manet in morte.* Omitto auctoritates Sanctorum Patrum, quia non poſſunt eſſe clariores auctoritatibus mox adductis ex Scriptura, tum novi tum veteris teſtamenti. 12.

Dices allatis auctoritatibus alijſque ſimilibus, evinci quidem obligationem & præceptum alicujus dilectionis Dei; at ſufficere, quod ſit dilectio in effectu ſita in eo, quod obſerventur præcepta omnia, adeóque nihil fiat contra Dei amicitiam; Suadetur hæc intelligentia ſcripturæ & Patrum teſtimonijs, nam *Io.*14. ipſemet Chriſtus dilectionem explicat per mandatorum obſervantiam dicens, *Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt, qui diligit me*: Vnde Chriſoſtomus *homil.*74. ait *Hæc eſt dilectio credere & parere dilecto:* & D.Bernard. *ſerm.*50.*in Cant.* ita ſcribit, *eſt charitas in actu, eſt & in affectu: & de illa quidem, quæ operis eſt puto datam eſſe legem hominibus mandatumque formatum: nam in affectu quis ita habeat ut mandatur?* qui ſcilicet amet ex toto corde, ex tota anima, quoad perfectionem intenſionémque actus interni; cum tamen rectè poſſimus, ſic Deum amare in effectu & actu externo, quatenus obſervando omnia mandata nulla cogitatione, nulla operatione, nulla animæ potentia, amicitiam Dei violamus; quod eſt implicitè & in effectu Deum amare ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota fortitudine &c. Sed contra: dilectio in 13.
effectu, quam etiam aliqui vocant dilectionem implicitam, eſt valdè impropriè & abuſivè dilectio, nec debent adducta Scripturæ loca, quæ de dilectione ſimpliciter, & abſolutè loquuntur, deprimi ad intelligentiam impropriam ſine neceſſitate, imò contra rationem, ut patebit ex ſequenti probatione. Ad illius intelligentiæ confirmationem ex Chriſto Domino dico verba illa *Io.*14. indicare connexionem maximam inter mandatorum obſervantiam, & amorem Dei propter efficax propoſitum obſervandi mandata in amoris actu incluſum; at non ſuadere, quod in ipſa mandatorum obſervantia conſiſtat dilectio. D.Chryſoſt. *hom.*74. vel ſolum intendit innuere connexionem inter dilectionem & credere ac parere dilecto; vel dilectionem ſumit pro oſtenſione & probatione ipſius juxtà illud probatio dilectionis exhibitio eſt operis. D.Bernardus difficilior eſt, nihilominus ſi bene expendatur *Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.*

ſermonis

Digitized by Google

ſermonis contextus, diſtingueoda eſt (ut obſervat Amicus *diſp* 27.*n*.24.) ex mente Doctoris melliflui duplex dilectio in affectu, altera in qua animus ita quieſcit, ut nullatenus feratur in opera externa, hujuſmodi eſt dilectio beatorum in Patriâ; altera, quæ conſiſtit quidem in actu interno, at ſimul ſinit animum ſe extendere ad externa opera, & ita eſt in affectu ut ſit ſimul concomitanter in effectu; hanc vocat Bernardus dilectionem operis, de hac admittit præceptum, quod nobis ſufficit; quamvis deinde præceptum neget de illa priore, de quâ *ibid*. concludit, quod detur in præmium, & de qua pariter intelligi poſſunt verba illa *nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur*? ideſt ut in lege exprimitur, ſumendo verba illa legis *ex toto corde, ex tota mente*,

14.
Quid ſit diligere ex toto corde, ex tota anima?

prout importaot diligere ſumma intenſione ex continuatione poſſibili, ſeu applicare ſemper omnes animi vires & potentias ad diligendum, quod ob corporis, & Proximi neceſſitates, nequit in hac vita fieri; Quamvis deinde iſte non ſit unicus ſenſus illorum verborum, imò magis communiter per ly *ex toto corde*, &c intelligatur, quod amor Dei ſit appretiativus ſuper omnia alia, nec proveniat à corde quodammodo diviſo, & partim ad Deum partim ad creaturam converſo; qua ratione etiam io via internus amor Dei ex toto corde poſſibilis eſt, & ſub præcepto cadit.

Probatur ſecundò ratione: Summæ bonitati, & amicabilitati Dei, eſt debitus ex parte noſtra internus actus amoris? ergo datur de tali actu præceptum, & quidem affirmativum, utpote terminatum ad *fac* & ad eliciendum actum poſitivum ergo actus charitatis erga Deum eſt neceſſarius neceſſitate præcepti &c. conſequentia patet, quia ut ait Divus Thomas *pracit.quaſt*.44 *art*.1. *in c*. in tantum aliquid cadit ſub præcepto, in quantum habet rationem debiti; antecedens probatur, ſummæ Dei veracitati beneficentiæ, excellentiæ ſunt debiti ex parte noſtra interni actua fidei, gratitudinis, religionis, qui ad ſummam veracitatem, beneficentiam, excellentiam ſe habent eo modo, quo actus amoris ad ſummam bonitatem; ergo ſummæ bonitati &c. Neque dicas eſſe quidem debitum aliquem amorem; at ſufficere concupiſcentialem, nec eſſe neceſſarium amicabilem & actum charitatis. Contrà enim, datur in Deo ſumma bonitas non ſolum relata ad nos & bona nobis, quâ ratione ei correſpondet amor concupiſceorialis; verùm etiam abſoluta & bona Deo, quâ ratione ei correſpondet amor amicabilis, ergo iſte etiam amor eſt Dei bonitati debitus, imò primariò & principalius, quàm concupiſcentialis, tum quia iſte eſt perfectior & magis proportionatus Deo, tum quia bonitas ipſa Dei eſt quodammodo major ut bona in ſe, quàm ut bona nobis, à quibus non eſt participabilis ſecundùm totum, quod

Charitatis habitus datur propter charitatis actum, ut ex præcepto neceſſarium.

habet in ſe. Cõfirmatur, charitatis habitus datur propter internum charitatis actũ, & quidẽ ut aliquo modo neceſſariũ, ſi enim iſte nullatenus eſſet neceſſarius, nõ eſſet, cur propter actũ daretur habitus, atqui habitus non datur propter internum charitatis actum ut neceſſarium neceſſitate medij, quia hanc neceſſitatẽ habet charitatis actus ſolũ in peccatore in quo charitatis habitus non perſonanet, ergo datur ad charitatis actum ut neceſſarium neceſſitate præcepti; ergo vere habet hanc neceſſitatem charitatis actus, nec ſolùm ea ratione, quâ habet neceſſitatem medij, ſed ſimpliciter & abſolutè.

15.
Præceptum charitatis, ut in lege traditur, ſit nè pro ſtatu viæ perfectè implebile? poteſt eſſe problema.

Ex his habetur, quomodò conciliari poſſint ſententiæ prima facie oppoſitæ, quarum una affirmat præceptum charitatis, ut in lege traditur, poſſe in hac vita perfectè impleri; altera negat & docet perfectè impleri dumtaxat in patria: Pro prima, referuntur Richardus *in* 3.*diſt* 27.*art*.8.*quaſt*.2. Sylvius *hic quaſt*. 44.*art*.6. Coninchos *diſp*.14. *dub* 2. Amicus *diſp*.17. *num* 27. &c. Pro ſecuoda Magiſter *in* 3. *diſt*.27. Bonaventura & Scotus *ead. diſt*. D.Auguſtinus *lib. de ſpiritu & litera cap*.36. D.Thomas *hic quaſt*.44. *art*.6 Valentia *diſp*. 3. *quaſt*. 19. *punc* 1. &c. Poſſunt ſcilicet conciliari, & ambæ verificari, ſi prima referatur ad poſteriorem ſecunda ad priorem ſenſum *praced. num*.14. inſinuatum pro illis verbis *ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus &c.* Simpliciter verò & abſolutè loquendo affirmandum ne potius, an negandum ſit quod præceptum charitatis poſſit in via perfectè

Simpliciter tamen & abſolutè melius eſt affirmare.

impleri? Crediderim eſſe potiùs affirmandum primò, quia poſterior illorum verborum ſenſus, ſecundum quem affirmativa ſententia verificatur communior eſt ac receptior, ſicut & conformior ſupradictis §.4. de ordine attendendu in objectis, quæ ex charitate diliguntur: Secundò, quia ſimpliciter negare præceptum charitatis poſſe in via perfectè impleri eſt ſaltem in modo loquendi accedere ad hæreticos noſtri temporis putantes præcepta Dei eſſe impoſſibilia contra quos Tridentinum *ſeſſ*.6. *cap*.11. ſtatuit Deum impoſſibilia non jubere: Tertiò, quia ex varijs Scripturæ locis relatis à Sylvio *pracit.art*.6 infertur aliquos de facto in via dilexiſſe Deum ex toto corde, ex tota anima; cur ergo iſti non impleverunt perfectè præceptum amandi Deum, ut in lege traditur? Quartò, quia propriè & rigoroſè loquendo, per charitatem Patriæ non poteſt impleri præceptum in lege traditum; ergo, ne tale præceptum nullibi poſſit perfectè impleri, ſentiendum eſt poſſe perfectè impleri per charitatem viæ & in via; antecedens probatur, tum quia materia præcepti debet eſſe actio libera, qualis non eſt charitas Patriæ, tum quia charitas patriæ datur ut præmium, divina autem præcepta ſunt de actibus meritorijs, & in ordine ad merendum. Quintò tandem, quia ut perfectè impleatur præceptum, non eſt neceſſe, quod obtineatur finis præcepti; alioqui miles, quoties non vincit, non impleret perfectè præceptum pugnandi, & fidelis quoties non ſalvatur, non impleret perfectè præcepta impoſita in ordine ad ſalutem; atqui charitas Patriæ, ideſt ſumma, totalis, indefectibilis unio cum Deo eſt finis præcepti in lege traditi; ergo poteſt hoc præceptum perfectè impleri in via, & antequam obtineatur, imò abſque eo, quod obtineatur, charitas Patriæ.

§. II.

Quale ſit, & pro quo tempore obliget præceptum charitatis erga Deum?

18. ASSERT. I. Præceptum charitatis erga Deum eſt ſub diverſâ ratione, tum naturale, tum ſupernaturale, tum poſitivum.

Præceptum charitatis erga Deum quomodo dici poſſit naturale?

Probatur & explicatur. Præceptum charitatis erga Deum eſt naturale tum ratione materiæ, quæ ex parte eſt naturalis; tum ratione obligationis, quæ ſaltem ex parte eſt de jure naturæ: Materia eſt ex parte naturalis, quia tenemur ex charitate diligere Deum, non ſupernaturali tantum amore ut auctorem gratiæ & finem ſupernaturalem, verum etiam amore naturali ut auctorem naturæ & finem naturalem, cum per nos ex alibi dictis ſit dabilis erga Deum amor amicitiæ etiam naturalis, & Deo etiam ut Auctori naturæ & fini naturali inſit bonitas & amabilitas ſumma; obligatio ſaltem ex parte eſt de jure naturæ, nimirum ſaltem quatenus verſatur in materia naturali, certè enim lumen naturæ dictat Deum eſſe ſummum naturæ bonum & ut tale ſuper omnia diligendum; undè etiam daretur hæc obligatio in ſtatu puræ naturæ, in quo homo careret omni ſupernaturali notitia, omnique ſupernaturali lumine; dixi autem *ſaltem ex parte*, quia obligatio præcepti charitatis etiam quatenus ſupponit fidem, & verſatur circa Deum ut finem ſupernaturalem, materiamque ſupernaturalem reſpicit, poteſt in aliquo ſenſu cenſeri de jure naturæ proportionaliter ad ſupradicta de obligatione fidei *lib. præced. cap. 5. num.* 110. idque in præſenti tradit Arriaga *diſputation. 36. ſec. 3. num.* 23.

19. Quomodo ſupernaturale?

Idem præceptum eſt ſupernaturale, quia verſatur potiſſimum in ſupernaturali materiâ, & circa Deum ut finem ſupernaturalem: Conſequitur ad ſupernaturale fidei lumen, non poteſt ſine ſupernaturali auxilio impleri, nec datur de facto niſi in ſtatu elevationis. Utrum vero præceptum charitatis naturale & præceptum charitatis ſupernaturale, unicum ſit, an duplex? Problema eſſe poteſt; dici poteſt eſſe unicum, quatenus præceptum naturale continetur quodammodo eminenter in ſupernaturali, hocque ex ſe præcisè, & quatenus regulatur lumine fidei, obligat ad amorem Dei ſuper omnia etiam naturalis, & ut Auctoris etiam naturæ, ſicuti fides ipſa inducit nos ad credendum Deum etiam ut Auctorem naturæ exiſtere *ex præcit. cap. 5. num.* 108. Dici poteſt eſſe duplex quatenus præter obligationem naturalē contentam in ſupernaturali, datur de naturali dilectione Dei alia obligatio couſequens ad rationem, & notitiam purè naturalem, ab illa priore obligatione ſeparabilis, & de facto ſeparanda, ac ponenda ſine illâ priore obligatione in homine, qui produceretur in ſtatu puræ naturæ.

20. Quomodo poſitivum?

Idem pariter præceptum eſt poſitivum, non ſolum prout præceptum poſitivum à negativo condiſtinguitur, & cum affirmativo coincidit; verum etiam prout condiſtinguitur à præcepto juris naturalis, & coincidit cum præcepto impoſito, ſeu poſito ex lege extrinſecâ; eſt, inquam, hoc modo præceptum poſitivum, non quidem purè & excludendo obligationem juris naturæ, ſed conjunctim, conjungendo ſcilicet cum obligatione juris naturæ obligationem juris poſitivi divini; cum traditum ſit tale præceptum in lege divina tum antiqua tum novâ, ut liquidò conſtat *ex præced. num.* 12. Neque dicas ſi præceptum charitatis erga Deum obligat per ſe, & ab intrinſeco ſeu de jure naturæ, fruſtra fuiſſet præſcriptum jure poſitivo, & lege extrinſeca; & quando debuiſſet ſic præſcribi fuiſſet poſitum, & quidem primo loco, in decalogo,
in quo tamen fuit omiſſum. Contrà enim ad- 21.
huc convenienter fuit poſitivo jure præſcriptum ut ejus obligatio certior fieret ac notior idiotis præſertim ac rudibus habentibus obnubilatum quodammodo naturæ lumen, ſicut eadem de causâ præcepta decalogi, quamvis alioqui de jure naturæ, fuerunt convenienter poſitivo jure præſcripta, inter hæc vero non fuit expreſsè traditum præceptum charitatis, quia eſt præceptum ad totam legem præambulum, ut cum D. Thomâ dicebamus de præcepto ſpei *præced. cap. 2. num.* 48. præter quod, ut ait idem S. Doctor *hic quæſt. 44. art. 1. ad* 3. præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta decalogi, quia in omnibus includuntur, cum omnia decalogi præcepta ordinentur ad dilectionem Dei & Proximi juxta illud Matth. 22. *In his duobus mandatis universa lex pendet.*

Cur non expreſſum inter præcepta decalogi?

Aſſert. 2. Præceptum charitatis erga Deum 22.
per ſe & directè obligat circa initium uſus rationis, circa finem vitæ & aliquando in ſucceſſivo vitæ decurſu. Ita Sylvius *hic quæſt. 44. art. 6. quæſit.* 3. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 25. *dub.* 2. Suarez *diſp. 5. ſec.* 3. Amicos *diſp. 27. ſec.* 3. Arriaga *diſp. 36 ſec.* 2. Herincx *diſp. 11. qu.* 5. cæterique Scholaſtici magis communiter contrà alios non paucos, inter ſe tamen diviſos, & aut mitius aut rigidius quam par eſt ſentientes. Sentiunt mitius nonnulli docentes ad præceptum charitatis ſufficere, quod impleatur ſemel in vita ſive id fiat in vitæ initio, ſive in decurſu, ſive in fine; ſentit item mitius Lorca *diſp. 58. num.* 3. à talis præcepti obligatione excludens finem vitæ. Sentiunt vero rigidius aliqui docentes præceptum charitatis obligare quoties aut divina bonitas proponitur ſufficienter amanda, aut occurrit obligatio implendi aliquod præceptum: Sentiunt item rigidius Scotus *in 3. diſt. 27. §. Quantum ad ſecundum* (ubi tamen dubitativè loquitur) Almainus & Gabriel *ead. diſt.* nec non Poncius *in comment. num.* 64. exiſtimantes præceptum charitatis obligare pro ſingulis diebus dominicis, aut etiam pro ſingulis feſtis: Sentiunt tandem rigidius plures Thomiſtæ cum D. Thomâ 1. 2. *quæſt. 89. art.* 6. nullam admittentes latitudinem in prima obligatione amandi Deum, ſed volentes eam urgere pro primo prorſus inſtanti uſus rationis.

Dixi *per ſe & directè* ideſt obligatione præ- 23.
cisè

Quandonam præceptum charitatis obliget indirectè, & per accidens.

ciſè pertinente ad lineam, & virtutem charitatis; nam per accidens, indirectè, & ex vi alterius virtutis à charitate poteſt pluribus alijs temporibus, præterquam tribus aſſignatis, occurrere obligatio eliciendi charitatis actum; puta quando occurrit gravis tentatio, ad quam vincendam cenſetur actus ille neceſſarius, quando peccatori non habenti copiam Confeſſarij adminiſtrãdom eſt aut ſuſcipiendum ſacramentum, cuios digna ſuſceptio aut adminiſtrario requirat ſtatum gratiæ. &c. Ad obligationem ind tectam reducenda eſt, ſi quæ datur obligatio diligendi Decem, quando aot ſuſcipiendus eſt baptiſmus, aut tolerandum Martyrium, aut aggrediendum opus hæroicum, aut defendendus Dei honor contra blaſphemãtes, in quibus caſibus videntur ſimpliciter obligationem charitatis aſtruere Sotus *lib. 1. de nat. & gra. cap.* 22. *lib.* 1. *de inſt. & iu. quaſt.* 3. *art.* 10. Valenria *hic diſput.* 3. *quaſtio* 19. *punc.* 1. & quidam alij. Quin & indirecta cenſeti poſſet ſi daretur, obligatio à Thomiſtis aſſeita pro ptimo ſtatim inſtanti uſus tationis, eam enim D. Thomas *pracit. art.* 6. probat ex eo, quod attingens uſum rationis, pro primo ſtatim inſtanti teneatur deliberare de ſe, at hæc obligatio deliberandi de ſe ipſo, ſi datur, videtur ad prudentiam pertinete potius, quàm ad charitatem; aut certè ad charitatem erga ſe ipſum potius, quàm ad charitatem erga Deum. Aſſertum ſic explicatum,

Probatur primò in univerſum, quia obligatio charitatis pro triplici tempore aſſignato eſt cooformis obligationi actuum fidei, & ſpei, de quâ *lib. praced. cap.* 5. *num.* 115. & *prapraced. cap.* 2. *num.* 49. eſt item media inter alias, aut nimis laxas & ratas, aut nimis arctas & frequentes obligationes mox relatas.

Per ſe, & directè, obligat circà initium uſus rationis.

Probatur ſecundò & explicatur quoad ſingula tempora in particulari, Præceptum charitatis obligat circa initium uſus rationis cujus nomine in præſenti venit tempus, quo quis comparata fide ac notitia Dei ut Auctoris & finis ſupernaturalis percipit & expendit rationes divinæ diligibilitatis, ly *circa initium* denotat aliquam talis temporis latitudinem, adeò ot obligatio non urgeat, cum primum rationes illæ occurrunt, ſed intra aliquod intervallum judicio prudentis determinaudum, hocque Arriaga *pracit. ſec.* 2. *num.* 19. nimia liberalitate extendit ad primum aut ſecundum annum: obligat, inquam, circa hujuſmodi initium, quia actus amoris eſt maximè neceſſarius ad ſtabiliendum hominem in via ſalutis & dirigendum in ultimum finem totum curſum vitæ rationalis, non debet igitur circa talis viæ & vitæ initiom deſiderari: Accedit qoòd eſſet in ſummam Dei bonitatem irreverens, qui ei cognitæ diutius differret impendere ſummum voluntatis cultum; hic autem conſiſtit potiſſimum io amore ſuper omnia: Neque dicas ſi quid probaret vitaudæ irreverentiæ titulus, inferret obligationem amoris eliciendi toties, quoties ſumma Dei bonitas ſufficienter proponitur. Contrà enim, irreverentiæ titulus magis militar pro prima vice quam impoſterum, quia poſtquam jam ſemel, exhibitus eſt Divinæ bonitati cultus voluntatis & amor, iſte habitualiter perſeverat, ſuaque habituali perſeverantia impedit, ne ad divinæ bonitatis injuriam imputetur, ſi circa ipſam ſecundò aut tertiò ſufficienter propoſitam ômittatur aut ſerius eliciatur novus amor actualis: Eadem de cauſa major eſt obligatio actu credendi Myſteria fidei, quando primâ vice ſufficienter proponuntur, quam quando proponuntur ſecundo, aut tertiò.

26. Circa finem vitæ.

Idem præceptum obligat circa finem vitæ, cujus nomine venit articulus, aut probabile periculum mortis: ly *circa* denotat aliquam latitudinem, adeò ut non ſit obligatio erumpendi io amoris actum ſtatim ac occurrit articulus aut periculum mortis, ſed intra aliquod intervallum, intrà quod in periculo conſtitutus probabiliter putat ſe victurum, & futurum moraliter expeditum ad amandum: Obligat., inquam, circa hujuſmodi finem; pro quo maximè urget neceſſitas habendi gratiam, & conjungendi ſe Deo omni majore ſecuritate; nullo autem ſecuriore modo id fit, quam dilectione aut contritione: Præter quod ratio amicitiæ poſtulat, ut tunc potiſſimum exerceatur; quando impoſterum non erit amplius liberum eam exercere; unde & Chriſtus Io. 13. *Quum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.*

27. Et aliquando in ſucceſſivo vitæ decurſu.

Idem præceptum obligat aliquandò in ſucceſſivo vitæ decurſu, datur enim ad totum vitæ curſum benè inſtituendum, nec poteſt ſufficienter ad id conducere, ſi impleatur tantùm circa initium & finem vitæ: Præter quod titulus irreverentiæ erga divinam bonitatem, licèt juxta mox dicta *num.* 25. magis militet pro amore in vitæ initio, quam in ſucceſſivo decurſu qui tamen in hoc decurſu diutiſſimè omitteret amare ſummam Dei bonitatem ſæpius propoſitam, non videretur ab omni irreverentia immunis, præſertim ſi eſſet in peccato & neque habitualiter Deum amaret. Quam verò latitudinem importet ly *aliquando* relinquitur prudentis judicio. Lorca limitat ad annum, adeò ut qui integro anno omiſerit actum amoris Dei ſit tranſgreſſor præcepti charitatis erga Deum: Arriaga *pracit. num.* 19 extendit ad duos, treſvè annos: Gabriel à S. Vincentio *pracit. dub.* 2. *num.* 58. producit ad quatuor Cavendum omninò à majori extenſione, cum inter propoſitiones nuper ſub Innocentio XI. damnatas ſexta ſic habeat: *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Ne tamen conſcientiæ torqueantur advertendum eſt in praxi frequenter excitari & elici actus amoris Dei occaſione ſuccipiendi ſacramenta, exercendi externa charitatis opera, recitandi devotè orationes, audiendi conciones &c. Eſt inſuper ut tradunt Sylvius & Valentia locis citatis ſanum ac ſalutare conſilium idemtidem ſub dubio ſubijcere ſacramentali confeſſioni tranſgreſſionem præcepti charitatis erga Deum, eamque recenſere inter peccata de quibus *Pſal.* 18. habetur: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

Dubitatur hic, utrùm explicatæ hucuſque

Actus charitatis nequit ſuppleri aliter, quàm actu contritionis.

obligationi charitatis erga Deum poſſit ſaeisfieti actu alicujus alteeius virtutis, aut ſuſceptione alicujus Sacramenti. Reſpondetur nullius prorſus Sacramenti ſuſeeptione, & non alio actu, quam coutritionis poſſe ſatiſfieri. Ratio primi eſt qnia nullum Sacramentum eſt inſtitutum ad ſuppleudam eharitatem. Ratio ſecundi quia ſolus actus contritionis continet actum eharitatis, nec à charitate differe, niſi aliquid ei addendo, ideſt fugam & deteſtationem peccati, quilibet alius actus eujuſeunque virtutis ſit, eſt imperfectior eharitatis actu, ideò non poteſt eharitatis actum eontinere aut ſupplere modo eminenti, & ſufficienti ad ſatisfaciendum obligationi ipſius.

---

§. III.

An & quis actus charitatis erga Proximum ſit ad ſalutem neceſſarius neceſſitate, aut medij aut præcepti?

ASSERT. 1. Nullus actus charitatis ergà Proximum eſt ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij: eſt verò aliquis hujuſmodi actus neceſſarius neceſſitate præcepti, non ſolùm negativi, verùm etiam affirmativi.

Actus charitatis ergà Proximum non eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij.

29. Probatur prima pars: Per actum charitatis ergà Deum præcisè peccator eſt ultimò diſpoſitus ad juſtificationem & gratiam abſque eo, quod præcedat aut commitetur ullus actus chatitatis ergà Proximum; ergo nullus actus charitatis ergà Proximum eſt ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij; conſequentia patet, quia ad ultimam diſpoſitionem immediatè conſequitur juſtificatio & gratia; illud igitur, ſine quo, aut præcedente, aut comitante, habetur ultima diſpoſitio ad juſtificationem & gratiam, nequit per ſe & poſitivè cauſare juſtificationem & gratiam ut tamen requiritur ad id, quod eſt neceſſitate medij neceſſarium: antecedens probatur tùm ex communi Theologorum conſenſu, tùm ex Tridentino quod *ſeſſ. 6. cap. 6.* deſcribens progreſſum & diſpoſitionem peccatoris ad juſtificationem poſt actum fidei & ſpei ſtatim recenſet actum dilectionis Dei, nec meminit ullius dilectionis erga Proximum.

Dices: Actus charitatis ergà Proximum includitur in actu charitatis erga Deum, nec iſte poteſt ſine illo elici; ergo neceſſitas medij nequit admitti in actu charitatis ergà Deum, quin ſimul admittatur in actu charitatis ergà Proximum; antecedens probatur primò, quia qui ex charitate amat Deum, amat Deum ſuper omnia, ac per conſequens ſuper Proximum; ergo magis quàm Proximum, ergo amat & Proximum; ſecundò, quia implicat quod quis verè diligat Deum, & ſit ſine omni affectu ad Proximum; tertiò, quia ob-

30. An & quomodo, contineatur in actu charitatis ergà Deum?

jectum formale charitatis in Deum extenditur ad charitatem in Proximum, ergo iſta charitas in illa includitur. Sed contrà; nego antecedens loquendo, ut nunc loquimur, de actu charitatis ergà Proximum accepto formaliter & in re; *formaliter* inquam *& in re*, nam in preparatione animi charitas ergà Proximum, quatenus poteſt ſub præceptum cadere includitur quidem in actu charitatis ergà Deum; at ea ratione in eodem actu continentur actus cæterarum omnium virtutum, qui ſub præceptum cadunt aut poſſùnt cadere; quatenùs qui verè diligit Deum, habet præparationem animi & propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta, ex hoc igitur capite ſicuti non cæteris omnibus virtutum actibus, ità nec actui charitatis ergà Proximum tribuenda eſt neceſſitas medij ad ſalutem: Ad primam antecedentis probationem, ſi amare Deum ſuprà Proximum eſſet amare Deum & Proximum, amare Deum ſuprà peccatum, eſſet amare Deum & peccatum, ly igitur *ſuprà* ſumendum eſt adverſativè potiùs, quàm comparativè, & quando comparativè ſumatur, ſufficiet comparatio implicita, & in actu ſignato, ex qua non infertur proximi amor formalis & in re: Ad ſecundam, implicat quod quis verè diligat Deum, ſi ſit ſine omni affectu ad Proximum etiam in præparatione animi; Ad tertiam, extenſio ejuſdem objecti formalis probat continentiam valde implicitam, imò inadæquatam duntaxat & ex parte objecti *quo*, non ex parte objecti *cui* aut *quod*.

Probatur ſecunda pars & quidem quoad præceptum negativum de Proximo non odio habendo vix eſt aliqua ratio dubitandi, niſi circa inimicos, quorum tamen odium illicitum eſſe ſemper, & pro ſemper adeóque ex præcepto negativo oſtendetur *cap. ſequen. §. 2.* Quoad præceptum affirmativum præſto ſunt plura Scripturæ loca, nam *Matth. 22.* poſt verba illa. *Hoc eſt maximum & primum mandatum*, ſtatim ſubditur, *ſecundum autem ſimile eſt huic, diliges Proximum tuum ſicut te ipſum: In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ.* Ioan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut ego dilexi vos.* 1. Ioan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*, unde etiam de fratris ſeu Proximi, non de Dei ſolùm dilectione dictum erat c. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Nec deeſt pro hac veritate valida ratio; nam quod quis teneatur ſeipſum diligere, & ſibi bona velle etiam ſupernaturalia, ſi ſit in ſtatu ad ſupernaturalem finem elevato; eſt adeò conforme inclinationi & lumini naturæ, ut cenſeri poſſit per ſe notum: ex eo deinde, quod quis ita teneatur ſeu obligetur ergà ſeipſum, infertur cujuſque obligatio ergà Proximum ex unitate, tùm naturæ intellectualis, tùm capacitatis eorumdem bonorum, quam quiſque habet cum Proximo; nec non ex univerſalibus illis principiis *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quæ tibi vis fieri, alteri facias*; quæ juris naturalis axiomata confirmavit Chriſtus Matth. 7. *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et ex his manet inſuper probatum præceptum affirmativum charitatis ergà Proximum eſſe non ſolùm de jure poſitivo divino propter Scripturæ auctoritates, verùm etiam de jure naturæ propter rationem naturalem,

31. Eſt neceſſarius neceſſitate præcepti.

ralem, & juris naturalis axiomata; undè dici poteſt naturale, ſupernaturale, & poſitivum eo ferè modo, quo præceptum charitatis ergà Deum *ex præced. n.* 18.

32. Poſito quod aliquis actus charitatis Proximi cadat ſub præcepto, ſtatuendum jam eſt pro ſecunda tituli parte, quinam ſit talis actus; utrùm ſcilicet ſit amor, quem vocant in affectu ſeù affectualem, & conſiſtit in verâ dilectione internâ; an verò ſolùm ſit amor in effectu ſeù effectualis conſiſtens in externa executione, aut omiſſione eorum, ad quæ exequenda aut omittenda obligamur ex charitate ergà Proximum?

Nec ſufficit, quod talis actus charitatis ſit in effectu, debet eſſe etiam in affectu.

Aſſert. 2. Actus charitatis ergà Proximum ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti affirmativi non eſt præcisè beneficentia externa, & amor in effectu; ſed etiam benevolentia interna, & amor in affectu. Ità (quamvis ſupponendo magis, quàm proprijs & formalibus terminis rem definiendo D. Thomas *quodlib.* 4. *art.* 2. *ad* 1. *hic quæſt.* 44. *art.* 2. & 7. aliiſque pluribus in locis memoratis à Sylvio *eod. art.* 7. *quæſit.* 2. ubi ipſe cum S. Doctore ſentit, ſicut ſentiunt quoque Bannes *eod. art.* 2. *dub.* 2. Gabriel à S Vincentio *diſp.* 25. *dub.* 3. Malderus *quæſt.* 44. Turrianus *diſp.* 98. *dub.* 2. Vega *lib.* 11. *in Trident. cap.* 16. & apud iſtos alij contrà Suarium *diſp.* 5. *ſect.* 4. Coninchum *diſp.* 24. *dub.* 4. Amicum *diſp.* 28. *ſect.* 1. Herinx *diſp.* 21. *quæſt.* 6. alioſque nonnullos partim ex Recentioribus, partim ex Scotiſtis pro ſe afferentibus Subtilem Doctorem *in* 3. *diſt.* 30. verùm nec Scotus ibi ſatis id tradit, nec reliquis integrum eſt id tradere, poſtquam inter ſexaginta quinque propoſitiones ſub Innocentio XI. mox damnatas atque prohibitas ut minimùm tanquàm ſcandaloſas, & in praxi perniciuſas, decima & undecima ità jacent *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali: Præcepto diligendi proximum ſatiſfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

33. Probatur primò ex Scriptura, nam *Matthæi.* 22. & *Marc.* 12. uni ex Scribis & Pharisæis interroganti, *Quodnam eſſet, magnum & primum omnium mandatum?* reſpondit Jeſus *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Hoc eſt magnum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; ubi cum ex una parte præceptum charitatis ergà Deum obliget ad benevolentiam internam, amoremque in affectu, & ex alia parte tàm abſolutè aſſimiletur huic ac comparetur præceptum charitatis ergà proximum, conſequens eſt iſtud quoque ad benevolentiam internam, amoremque in affectu, obligare, quod deducitur pariter ex ly *ſicut te ipſum*, quibus verbis D. Thomas *præcitat. art.* 7. *in cap.* ait importari, quod quis velit proximo ſuo bonum, ſicut vult bonum ſibi ipſi, velle autem bonum eſt benevolentia interna. Magnam etiam habet vim teſtimonium aliud ejuſdem Chriſti *Ioan.* 15. dicentis, *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, certè autem ille nos dilexit interno affectu, non ſola externa beneficentia. Verbis Chriſti Domini conſonant verba Apoſtolorum Petri & Pauli, nam 1. *Pet.* 1. habetur, *In fraternitatis amore ſimplici ex corde invicem diligite attentius*, ubi ly *ex corde* & *attentius* ad internum affectum, non ad effectum externum refertur, *Rom.* 1. inter magnos peccatores recenſentur qui *ſine affectione*, ideſt qui ſine charitatis affectu ſunt ergà alios; ſignum eſt igitur talem affectum ſub præcepto cadere, & ejus omiſſionem eſſe peccaminoſam. His textibus Sanctorum Patrum Auguſtini *lib.* 1. *de doctr. Chriſtian. cap.* 28. Gregorij *homil.* 17. *in Evang.* Thomæ *locis præcitatis* & aliorum declaratione ad intentum noſtrum accommodata corroboratis jure acceſſit emanata nuper duarum propoſitionum de quibus ſupra prohibitio, & hac intercluditur Adverſariis omnis aditus prædictos textus interpretandi de amore in effectu. Nec contrarius eſt D. Bernardus in eo quod *ſerm.* 50. *in Cantica* ait: *Eſt charitas in actu, eſt & in affectu, & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus mandatumque formatum; nam in affectu quis ità habeat, ut mandatur? ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur.* Contrarius, inquam, non eſt, quia ut obſervat Sylvius *præcitat. quæſt.* 2. & nos ipſi jam attigimus *præcedent. num.* 14. ex mente Bernardi duplex eſt charitas in affectu, alia ad quam ſequuntur opera externa, alia quæ tota quodammodo conſummatur interius, & (ut ipſe loquitur) ſale ſapientiæ condita magnam menti importat dulcedinem; de hac ait non mandari, ſed in præmium dari; eſſe ſcilicet charitatem conſummatam patriæ, ex quo nihil emergit contrà veritatem nunc agitatam: Aliam eorundem verborum intelligentiam affert Malderus *præcitat. quæſt.* 44. *ad* 2. At jam adducta eſt expeditior.

Probatur ſecundò ratione: Externa beneficentia, & amor in effectu, prout cadit ſub præcepto charitatis debet procedere ab actu interno alicujus virtutis, non alterius quàm ipſiuſmet charitatis ergà Proximum; ergo ab iſtius actu interno, ſeu ab amore in affectu, debet procedere externa beneficentia & amor in effectu prout cadit, &c. ac per conſequens actus charitatis ergà Proximum ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti affirmativè non eſt præcisè, &c. Antecedens quoad primam partem evincitur, tùm ex communi lege naturæ rationalis, qua tenemur ſemper habere actum internum correſpondentem externo, & conformantem ipſum rationi; Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur primò, quia beneficentia eſt actus externus charitatis, ſi igitur eſt ab alicujus virtutis actu interno, non ab alterius, quàm charitatis; nec certè benè alicui facere ab ullo alio interno actu meliùs eſt, quàm à benè velle; at benè velle eſt actus benevolentiæ & amor internus; ergo. Secundò, quia in præſenti eſt maximè ſermo de præcepto charitatis per ſe infuſæ, ac per conſequens de ea beneficentia externa, quæ verſatur circà ſupernaturalia bona condocentia proximum ad ſpiritualem ſalutem, æternamque beatitudinem; at non apparet ex quonam alio motivo poſſimus hujuſmodi bona proximo velle meliùs ac connaturaliùs, quàm ex illo charitatis, & propter increatam 34.

Externa beneficentia, ut cadit ſub præcepto charitatis, debet procedere à benevolentia interna.

Dei bonitatem, cujus talia bona ſunt ſpecialis participatio, & propter quam in ijſdem cum proximo communicamos. Tertiò, quia ex charitate, de quâ agitur, tenemur pro ſalute & vita ſpirituali proximi exponere omnia noſtra bona temporalia, ipſammet vitam corporalem; at cum temporalia bona, maximè verò vitam ipſam tanto affectu diligamus, nullum aliud præter charitatis, & bonitatis divinæ motivum, videtur eſſe poſſe ſufficiens & efficax ad hoc, ut illo affectu ſuperato parati ſimus exponere ipſammet noſtram vitam, hancque quaſi contemnere ad conſulendum bono ſpirituali proximi.

Dices primò ex his probari obligationem dilectionis internæ erga proximum ad ſummum indirectè & ratione alterius, ſcilicet ratione beneficentiæ externæ, non directè & ratione ſui: Imò in rigore neque illud ſufficienter probari, cum rationes adductæ pro ſecunda parte antecedentis deſumptæ ſint ex congruentijs, non ex indubitatis principijs.

35. Sed contrà: noſtra probatio eſt à poſteriori potiùs, quàm indirecta, & quando indirecta ſit, non idcircò erit indirecta obligatio dilectionis internæ; aliud enim eſt, quod indirectè nobis innoteſcat, aliud quod ſit indirecta in ſe. Illud quod additur, dabo ultrò ſi per ly *ſufficienter* intelligatur demonſtrativè, secùs ſi intelligatur nō probare validius, quàm probent Adverſarij oppoſitum, & non evincere iſtos ſine ulla neceſſitate, imò cum maxima incongruitate deprimere ad intelligentiam impropriam, & limitare ad amorem in effectu præceptum charitatis proximi in Evãgelio ipſo aſſimilatum præcepto charitatis Dei, cui ſine dilectione interna non ſatisfieri extra controverſiam eſt.

Urgebis aſſerendo diverſitatem dilectionis internæ reſpectu Dei, & proximi, deſumptam ex eo, quòd illa Deo patet & ſpectat ad gloriam Dei extrinſecam æquè, ac externa charitatis opera facta in ejus obſequium; at reſpectu proximi occulta eſt ac inutilis, manifeſta verò ac proficua ſola dilectio externa & in effectu; rationabiliter igitur ſolùm de hac poſteriore intelligitur præceptum charitatis proximi, quamvis etiam ad priorem extendatur præceptum charitatis Dei: Ratio à priori eſſe poteſt, quia præceptum dilectionis proximi fundatur in illis naturalibus principijs, *Quod tibi non vis fieri*, &c. fieri autem, & non fieri, propriè dicuntur ſolùm de externis operibus, & de his ſolis unuſquiſque curat, ut ſibi ab alijs fiant ſi utilia, non fiant ſi noxia ſint; nec quiſquam ſolet eſſe ſollicitus de actu alienæ dilectionis internæ, utpotè quæ nec ſui elicitione commodum, nec ſui omiſſione incommodum alijs affert, quin ipſimet ergà nos ipſos non attendimus ad eliciendum internum amoris actum, ſed dumtaxat ad procuranda bona quibus indigemus, & propellenda mala quibus lædimur.

56. Occurritur evaſioni Adverſariorum petitæ ex diverſitate dilectionis internæ reſpectu Dei, & proximi.

Sed contrà: noſtram dilectionem internam proximo non patere probat ad ſummum eam non poſſe à proximo aut ab hominibus præcipi ut verò poſſit præcipi à Deo ſatis eſt, quòd Deo pateat, & quod Deus, ut ita dicam, curet de ejus elicitione, quamvis non curet proximus; alioqui eadem ratione ruerent duo ultima decalogi præcepta, quæ & ipſa ſunt de actibus internis ergà proximum. Ad rationem à priori in primis jam dictum eſt ipſamet externam beneficentiam præſertim in ſpiritualibus, ac ſupernaturalibus, inferre internam dilectionem: Deinde præceptum de quo agitur non eſt præcisè de jure naturæ, ſed de jure divino poſitivo, quo propterea benè potuit Deus velle inducere obligationem aliquam majorem eâ, quæ ſequitur ex illis principijs. *Quod tibi non vis fieri*, &c. Nos ipſos non attendere ad eliciendum ergà nos internum amoris actum non tam probat hujuſmodi actum non elici, quàm elici ita facilè & ita frequenter, ut ſpeciali attentione non indigeat, nec excitet mentis reflexionem; certè illa præparatio animi & habitualis diſpoſitio, quam in nobis, niſi perditiſſimi ſimus, experimur circà ſalutem æternam conſequendam, & vitandam damnationem, ortum habuit ab aliquo motu actuali interno, nec ab alio, quàm amoris ſupernaturalis erga nos ipſos.

Dices ſecundò: Dilectio interna erga proximum neque cadit ſub præcepto in ordine ad omnem proximum confusè & in communi; neque in ordine ad quemlibet diſtinctè & in particulari; neque ad aliquem præ aliis: Non primo modo, quia talis dilectio eſſet contrà ſenſum & exiſtimationem communem; non enim conſuevimus cogitare de omnibus hominibus, multoque minus de omnibus creaturis rationalibus confusè amandis; eſt item præter finem amoris, qui eſt benefacere, non poteſt autem bonum ullum conferri creaturis rationalibus confusè & in communi: Non ſecundo modo, quia eſſet obligatio ad impoſſibile, & omnes creaturæ rationales diſtinctè & in particulari, ſicuti non ſunt à nobis ſimul cognoſcibiles; ità nec ſimul diligibiles: Non tertio modo, quia obligatio diligendi aliquem præ aliis ſpectat ad ordinem, non ad ſubſtantiam charitatis; nequit autem dari obligatio quoad ordinem, niſi ſupponatur obligatio quoad ſubſtantiam; ergo à primo ad ultimum dilectio interna ergà proximum nullo modo cadit ſub præcepto.

Sed contrà: Qui putant, ut cenſet probabile & Bernardo tribuit Malderus *præcit. reſp. ad* 2. qui inquam, putant præcepto dilectionis internæ ſatisfieri hanc eliciendo, quoties eſt neceſſaria aut ad ſubveniendum alienæ indigentiæ aut ad deponendum odium contrà alios, facilè ſe expedient dicendo talem dilectionem cadere ſub præcepto in ordine ad proximum ſumptum non aliquo ex tribus modis enumeratis, ſed pro eo determinatè, qui nobis occurrit ut indigens, aut ut inimicus: Nihilominùs melius ſalvatur propria ratio præcepti charitatis internæ, ſi dicatur eſſe per ſe & directè obligationem aliquando eam eliciendi independenter ab eo, quod actu occurrat aut alterius indigentia, aut odium deponendum, aut quid ſimile: Et ita ſentiendum eſſe ſuadetur non ex ſola congruentia magis fa- 57.

vendi

vendi legi charitatis; ſed inſuper primò ex paritate præcepti charitatis internæ ergà Deum, ad quam obligamur per ſe & ex ſe præciſè independenter ab eo, quod ſit neceſſaria, aut ad obſervandum aliquod præceptum, aut ad vincendam aliquam tentationem, aut ad conſequendam juſtificationem, a... ad quid ſimile: Secundò quia ſi obligatio ch...itatis internæ erga proximum urgeret ſolùm, q...ndo eam poſtulat aut alterius ſubventio, aut ...ij depoſitio, non omnes obligaret; Sylvicolis ...im, & ſolitarijs v. g. facilè evenire poteſt, u... nec incidant in odium quod debeant depon... nec in aliquem cui debeant ſubvenire iſti ...itur numquam obligarentur ad actum dilectio...nis internæ erga proximum, quod falſiſſimum eſt.

38\. Quando, & quoties, teneamur ad actum dilectionis internæ erga proximum?

Si quæras hic obiter quandonam determinatè & quoties in vita teneamur per ſe & directè ex præcepto charitatis proximum diligere actu formali dilectionis internæ, dicam certum mihi eſſe nos teneri aliquoties & aliquando, incertum quoties & quando: Bannez *præcit. dub.* 2. *conc.* 4. propendet ad ſemel in anno: Multi aſſignant majus temporis ſpatium; & in univerſum eadem ſitè eſt quoad hoc veritas reſpectu obligationis diligendi proximum, quæ reſpectu obligationis diligendi Deum, undè etiam ad omiſſiones dilectionis proximè extendit Bannes mox citatus ſanum illud & ſalutare conſilium, quod ex Valentia & Sylvio retulimus *præced. num* 27.

39\. Quomodo potiſſimum ſumatur proximus prout tenemur ipſum diligere dilectione interna?

Interim redeo ad inſtantiam, & ſentiendo (ut jam dixi) proximum ex obligatione charitatis interius diligendum non eſſe eum ſolum, qui occurrit ut indigens aut ut inimicus, amplector primum ex tribus modis in inſtantia enumeratis, exiſtimo ſcilicet in propoſito proximum rectè ſumi confusè ac in communi, neque hoc eſt præter communem ſenſum, quin potius unuſquiſque experitur ſe, quoties cogitat de lege charitatis proximi, illicò pro proximo concipere confusè & indiſtinctè illos omnes, cum quibus communicat in ſupernaturalibus bonis: Non eſt item propter finem amoris, quia benevolentia interna circa proximum confusè & in communi conceptum optimè conducit, & animum præparat, ad benefaciendum cuilibet proximo, prout in particulari occurrit & indiget: Cæterum dilectionem internam proximi debere præcipuè verſari circa ipſum indiſtinctè & in univerſali acceptum, probatur etiam poſitivè ex eo, quod tali dilectione tenemur diligere omnes juxta Auguſtinum *præcit. cap.* 28. *de Doct. Chriſt.* dicentem *Omnes homines affectu diligi debere*, impoſſibile autem nobis eſt omnes diligere aliter, quam indiſtinctè & in univerſali, ut bene quoque obſervavit D. Thomas *quæſt.* 25. *art.* 8. *in c.* dicens *Nec moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſigulariter eſt de neceſſitate charitatis, quia hoc eſſet impoſſibile*, ideò *ibid.* jure præmiſerat *dilectionem inimicorum* (idem à fortiori dicturus de dilectione aliorum omnium venientium nomine proximi) *quantum ad naturam, ſcilicet in univerſali, eſſe de charitatis neceſſitate*, quibus utriſque verbis clarè evincitur doctrinam à nobis mox traditam omninò eſſe ad S. Doctoris mentem.

Ex quo inimici occurrerunt, eos aliquantulùm proſequamur attingendo obiter obligationem, & præceptum, ipſos diligendi: & quidem inimicos poſſe ex charitate diligi tradidimus jam *cap. præced. num.* 19. diligi verò etiam debere ex obligatione ex præcepto tradendum eſt breviter in præſenti propter nonnullos, qui ut refert Magiſter *in* 3. *diſt.* 30. auſi ſunt id negare aut ſimpliciter, aut ſaltem reſpectu imperfectorum, docendo dilectionem inimicorum eſſe ſub conſilio, non ſub præcepto; aut ſaltem eſſe ſub præcepto viris perfectis tantùm, ſub conſilio reliquis; quin & turpius errarunt quidam alij, quorum meminit Arriaga *diſp.* 39. *n.* 11. arbitrati dilectionem inimicorum eſſe rem humanis viribus impoſſibilem, & incongruam conſilij materiam. Verùm hiſce erroribus oppoſita aſtruitur à Magiſtro *præcit. diſt.* 30 Scoto *ead. diſt. quæſt. un.* D. Thoma *præcit. art.* 8. cæteriſque Catholicis omnibus, adeò ut de fide cenſeatur ab Amico *hic diſp.* 18. *num.* 49. eo quod verba tum antiqui tum novi teſtamenti pro inimicorum dilectione militantia intelligantur modo præceptum à Scholaſticis & Patribus unanimiter, idemque habeatur ex doctrina Conciliorum Carthaginen & Agathen. apud Suarium *diſp.* 5. *ſec.* 5. *n.* 3. Non ſolum auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum & Patrum evincitur obligatio diligendi inimicum, ſed ſuadetur quoque naturali ratione deſumpta tum ex eo, quod etiam inimicus veniat nomine proximi juxta ſupradicta *præcit. n.* 29. tum multo magis in univerſalibus illis principijs *Quod tibi non vis fieri &c.* unuſquiſque enim vult ab omnibus, etiam ab inimicis amari, & in neceſſitatibus præſertim adjuvari, non lædi: Propterea talis obligatio non eſt propria novæ legis, ſed communis antiquæ; & ut dicebamus de dilectione proximi in univerſum, eſt de jure non ſupernaturali, aut poſitivo dumtaxat, ſed etiam naturali; undè & ſolo naturæ lumine ac dictamine eam noverunt & commendarunt Philoſophi Gentiles inſigniores apud Amicum *diſp.* 28. *num.* 47. 40.

Errores circa dilectionem inimicorum.

Talem dilectionem eſſe ſub præcepto certum eſt de fide.

Ex vi hujus obligationis, & præcepti, tenemur regulariter præſtare inimicis ea, quæ cæteris hominibus, cum & ipſi eodem modo, quo cæteri homines contineantur ſub communi ratione proximi, & D. Thomas *præcit. art.* 8. optimè dicat eſſe de neceſſitate charitatis *ut aliquis diligẽs Deum & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat*, Cum igitur ex dictis erga cæteros homines primo loco teneamur ad proprium & formalem actum amoris interni, conſequens eſt ad hunc quoque nos teneri erga inimicos, quemadmodum expreſsè & in terminis tradidit D. Thomas *quæſt.* 25. *art.* 9. dicens *Dilectio interior ad inimicum in communi eſt de neceſſitate præcepti abſolutè*: Secundo loco tenemur ad externam beneficentiam ideſt ad effectus & ſigna interni amoris, ex quibus aliqua ſunt generalia, ut in 41.

Ex hoc præcepto tenemur in primis ad actũ amoris interni erga inimicos.

civilibus

ciuilibus publicæ ſalutationes ac communes collocutiones; in ſpiritualibus orationes, quæ fiunt pro ſalute omnium fidelium, aut pro converſione omnium peccatorum: Aliqua ſunt ſpecialia, ut admittere ad peculiarem familiaritatem, proſequi honore extraordinario, liberale donum elargiri: Aliqua ſunt ſpecialia quidem & particularia, debita tamen proximo ſuppoſita ejus neceſſitate & indigentia. Signa hujus tertij generis tenemur præſtare inimicis indigentibus, quia ſunt potiſſimi effectus charitatis internæ, ad quos primò & per ſe habet animum præparatum quiſquis diligit: Signa ſecundi generis, ſicuti, non tenemur præſtare cæteris hominibus, ita nec inimicis, qui ratione inimicitiæ non debent eſſe melioris conditionis, nec habere quodammodò majus jus ad gaudendum noſtra beneficentia; quod ſi hæc ſigna inimicis præſtentur, erit de charitatis perfectione, non de neceſſitate, de conſilio, non de præcepto; & erit illa inimicorum dilectio quam Auguſtinus *in Enchir. cap. 73.* docet eſſe tantùm perfectorum filiorum Dei, non multitudinis imperfectorum: Signa primi generis tenemur inimicis præſtare, non excludendo eos à communibus beneficiis, maximè à publicis orationibus, quæ pro omnium ſalute offeruntur, & licet Amicus *præcit. diſp. 28. n. 50.* Turrianus, & aliqui alij, velint id licere, ſi fiat in orationibus, quæ ſine obligatione offeruntur, & interno dumtaxat affectu ut vitetur ſcandalū; Nihilominus talis excluſio interno dumtaxat affectu cum nullum ex ſe bonum afferat, ratione cujus ſit honeſtè appetibilis, non videtur poſſe aliundè provenire, quam ex odio & appetitu vindictæ, erit igitur illicita, & cōtra obligationē charitatis.

Deinde ad ejuſdē amoris ſigna externa & quęnam?

42. Dubitatur hic. Quænam cæteris paribus dilectio ſit perfectior, melior, & magis meritoria; illane quâ inimicus, an illa, quâ amicus diligitur? Scholaſticos hoc in dubio diſſidentes, & ferè ex æquo diviſos, refert Amicus *diſp. 26 ſec. 3.* Ratio dubij & diſſidij eſt quia in amore ſunt diverſæ habitudines, & ſecundum unam unus, ſecundùm aliam alius amor majorem habet perfectionem; unde ad diſſidium conſiliandum dici poſſet utrumque amorem ſe habere ut excedens & exceſſum, & quemlibet eſſe tum perfectiorem tum imperfectiorem alio ſub diverſa ratione: Omnibus tamen penſatis perfectior & magis meritorius cenſendus eſt amor inimici, nam ſi conſideretur ex parte principij requirit majorem voluntatis conatum, & majus Dei auxilium, quàm amor Amici: Si ex parte objecti eſt quidem amor Amici perfectior ex objecto materiali & perſona dilecta, utpotè magis digna amore, & magis conjuncta, magiſque bona amanti; at amor inimici eſt perfectior ex objecto formali, eſt enim ex fortiori Dei dilectione, & magis propter Deum; perfectio autem cujuslibet actus ex genere ſuo magis attenditur penes formale, quam penes materiale objectum; maximè verò in propoſito, ubi objectum formale eſt bonum ſummum, finis ultimus, & infinito exceſſu ſuperans objectum materiale, favet majori perfectioni amoris inimici communis exiſtimatio hominum commendantium illum magis, quàm amorem Amici, favet Chriſtus Dominus innuens amorem amici præ amore inimici exiguam mercedem habiturum, ait enim Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros &c. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis?* Neque ſibi Chriſtus contrarius eſt in eo, quod ait Io. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; nam hic comparatur mors tolerata pro amicis ad alia opera pro iiſdem facta, non ad mortem toleratam pro inimicis, pro quibus ſi toleretur, dilectio adhuc major eſt juxta Bernardum *ſerm. 4. de Paſſ.* qui explicans verba illa *majorem hac dilectionem* ſic Chriſtum alloquitur *Tu majorem habuiſti Domine ponens eam pro inimicis*, favent tandem prædictæ majori perfectioni præter D. Bernardum mox relatum alij plures SS. PP. & ſignanter D. Auguſtinus *in Enchir. cap. 73.* D. Chriſoſtomus *homil. 18. in cap. 5. Matth.* D. Gregorius *lib. 9. Moral. cap. 13.* D. Thomas *hic quæſt. 27. art. 7. & in 3. diſt. 30. quæſt. 1. art. 3.*

Dilectio inimici videtur ſimpliciter perfectior dilectione amici.

---

§. IV.

An & quis ordo charitatis cadat ſub præcepto? Ubi quiſnam Proximus in tali ordine cenſendus ſit conjunctior & quid de eo ordine in Patria?

Assert. 1. Etiam ordo Charitatis cadit ſub præcepto, adeò ut in iis, quæ ſunt de neceſſitate charitatis, unuſquiſque teneatur appretiativè diligere Deum magis quam cætera omnia; ſe magis, quàm Proximum, Proximum ſibi conjunctiorem magis, quàm alium quemlibet, regulariter loquendo. 43.

Dixi *in iis quæ ſunt de neceſſitate charitatis*, ad quæ ſcilicet charitas obligat, & ſunt relatè ad Deum omnia, ſine quibus nequit charitas ipſa conſervari, & permanere cum Deo amicitia; relatè ad nos & Proximum, ſunt in primis bona ſpiritualia neceſſaria ad ſalutem ac beatitudinem æternam; deinde ex bonis temporalibus ea, quorum occurrit indigentia & neceſſitas.

Quænam bona ſint de neceſſitate charitatis

Dixi *appretiativè diligere*, quia conſequenter ad ſupradicta *cap. præced. §. 4.* diſtinguenda quidem eſt in actibus charitatis intenſio, & appretiatio; ſeu ordo intenſivus, & ordo appretiativus; reſpectu tamen obligationis haberi debet ratio ſolius appretiationis, ſeu ſolius ordinis appretiativè, quid deinde veniat nomine dilectionis appretiativæ, vel ut alij loquuntur prælativæ *ex eod. §. 4.* recolendum eſt.

Dixi *regulariter loquendo*, aſſertum enim univerſaliter poſitum in ſecunda, & tertia ſui parte, aliquam patitur exceptionem; in ſecunda ſcilicet parte facienda eſt exceptio Chriſti Domini, quem etſi contentum ſub Proximi nomine unuſquiſque tenetur appretiative diligere magis, quàm ſe ipſum; etiam conſiderando illum ut hominem; nam etiam 44.

ut

Tenemur diligere Chriſtum, & ejus matrē, magis, quàm nos ipſos.

ut homo, præter quod ſubſiſtit ſubſiſtentiâ Verbi humanitatem infinitè dignificante, habet rationem univerſalis boni, quatenus eſt nobis principium morale gratiæ, gloriæ, omniumque ſpiritualium bonorum; & quia hanc principij prærogativam participat ratione maternitatis Beatiſſima Virgo, inſinuatam Chriſti exceptionem extendunt quoque ad ipſius Matrem Io. à S. Thoma *hic in comment. quæſt.* 23. Amicus *diſp.* 29. *num.* 55. Coninchus *diſp.* 25. *num.* 43. & 61. In tertia aſſerti parte facienda præcipuè eſt exceptio Proximi, qui ſit Perſona publica, neceſſaria ſcilicet, aut valdè utilis, bono multorum; hujuſmodi Proximum in pertinentibus ad ipſius conſervationem unuſquiſque tenetur præferre & diligere magis, quàm alium Proximum, quamvis ſibi conjunctiorem, & in univerſum obligatio magis diligendi coniunctiorem procedit cæteris paribus, aut non multum diſparibus, ut magis mox conſtabit, Interim aſſert ſic explicatum.

45. Tenemur diligere Deū ſuper omnia alia etiam magis quàm nos.

Probatur primò quoad primam partem ex eo, quod *Deuter.* 6. ad amorem Dei requiratur quod ſit *ex tota corde, ex tota anima* &c. *Matth.* 22. mandatum dilectionis Dei dicatur *primum & maximum.* Luc. 14. Chriſti diſcipulus jubeatur *odio habere* (minore ſcilicet dilectionis affectu proſequi, ſeu in dilectione poſtponere) *Patrem, Matrem, uxorem, filios, Fratres, Sorores, adhuc autem & animam ſuam*, quod eſt dicere Proximum quemcunque coniunctiorem, quin & ſe ipſum idemque traditur *Marc.* 8. *Luc.* 9. *Matth.* 16. Accedunt auctoritatibus rationes validiſſimæ deſumptæ ex eo, quod Deus ſolus amādus eſt ut finis, reliqua omnia ut media; Deus ſolus amandus eſt ut bonum univerſale, ut fons & principium omnium bonorum, in quibus amicitia fundatur; reliqua omnia, ut bona particularia, & habentia bonitatem per participationem: Quæ quidem rationes aliæ-
46.
que ſimiles, ſicuti ex naturalibus principiis & naturæ lumine deducuntur, ita ſuadent obligationem diligendi Deum, Magis, quam cætera; magis, quàm ſe ipſum, eſſe juxtà ordinem non ſolum ſupernaturalis charitatis, verùm etiam naturalis inclinationis; adeò ut ſub præcepto naturali cadat non ſolùm Deum diligere, verum etiam Deum diligere magis, quàm cætera, magis, quàm ſe ipſum: & confirmatur ex eo, quia inclinatio charitatis non poteſt eſſe contraria inclinationi naturæ, nam ordo ſupernaturalis perficit, non deſtruit ordinem naturalem, & ut ait D. Thomas in 3. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. *Inclinatio natura hominis, in quantum, eſt homo, nunquam contradicit inclinationi virtutis, ſed eſt ei conformis.* Propterea cum D. Thoma tum mox *cit. art.* tum 1. *p. queſt.* 60 *art. ult.* & 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 3. Scoto *in* 3. *diſt.* 27. *quæſt. un.* §. *Illi igitur* Durando *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *num.* 12. cæteri Theologi communiter aſtruunt in quolibet inclinationem naturalem ad diligendum ſimpliciter & appretiativè Deum magis, quàm ſe ipſum, quidquid olim contra ſenſerint Altiſſiodorenſis *lib.* 3. *ſum. tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Albertus *in* 3. *diſt.* 29. *art* 1. Gabriel *eau. diſt. quæſt. un. art.* 1. alijque nonnulli, quorum rationes leviuris momenti; ſunt, & ut obſervat Arriaga *diſput.* 36. *ſec.* 3. *num.* 23. ſuadent ad ſummum inclinationem naturalem eſſe majorem, vehementiorem, intenſiorem ad diligendum ſe, quàm ad diligendum Deum; at non talem inclinationem eſſe ad diligendum ſe magis appretiativè, quàm Deum: Porrò rationes illæ omnes in terminis propoſitæ & ſolutæ videri poſſunt præcipuè apud Durandum *precit. quæſt.* 2. & ex Recentioribus Sylvium *hic quæſt.* 26. *art.* 3. Amicum *diſp.* 19. *ſec.* 3.

Idque eſſe conforme noſtræ inclinationi naturali.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem ex modo, quo *Levit.* 19. & *Matth.* 22. præcipitur dilectio Proximi habenda ad inſtar dilectionis ſui *Diliges Proximum tuum ſicut te ipſum*; dilectio igitur ſui eſt regula & exemplar dilectionis Proximi, undè etiam Auguſtinus *lib.* 1. *de Civit. cap.* 20. ait *Regulam diligendi Proximum à ſemetipſo dilector accepit*; atqui regula ſemper prior eſt & potior regulato; ergo. Neque dicas particulam *Sicut* levit. 19. & Matth. 22. ſupponere pro *æque ac* non pro *ad inſtar*, ſignificare æqualitatem, non ſimilitudinem; quia ſi ſimilitudinem tantum ſignificaret, poſſet quoque dici diliges te ipſum & Proximum tuum, ſicut Deum & Auguſtinus *lib.* 1. *ſoliloq. cap.* 3. malè ſcripſiſſet, ſe juſtiſſimum arbitrari, ut ſicut non minus, ita nec plus quiſquam amicum quàm
48.
ſe ipſum diligat. Contra enim, quidquid ſit an ly *ſicut* ſignificet aliquando æqualitatem, in ſcriptura tamen ſignificat ut plurimum ſimilitudinem, ut adductis pluribus ſacris textibus oſtendit Sylvius *quæſt.* 26. *art.* 4. *ad* 1. Nec ut in propoſito intelligatur ſignificare æqualitatem cogit aut paritas, aut auctoritas allata: Non cogit paritas, quia modus diligendi Deum eſt longè excellentior modo diligendi nos aut Proximum, cum debeamus Deo velle bona infinitè maiora, & ipſum ſolum diligere ex tota anima, ex toto corde; inter dilectionem igitur noſtram aut Proximi, & dilectionem Dei, non ſolum non datur æqualitas, ſed nec ſimilitudo, niſi imperfectiſſima; ideò &c. Non cogit auctoritas, quia Auguſtinus mentem ſuam pro intento noſtro ſatis expreſſit *præcit. cap.* 20. *de Civit.* & clarius adhuc *lib.* 1. *de diligendo Deo cap.* 1. ubi notat nos juberi diligere Proximum, *non quantum nos, ſed ſicut nos*; ne igitur Auguſtinus, inconſequenter loquatur, in eo loco ſoliloquiorum intelligendus eſt nihil aliud commendare, quam quod Proximus nec plus, nec minùs diligatur objectivè; quatenus ei debemus eadem mala nolle, eadem bona velle quæ nobis, juxta illud *Quod tibi non vis fieri* &c. aut etiam juxta regulam dilectionis quam tradit idem Auguſtinus *lib. de vera Religione cap.* 46. dicens *Vt quæ ſibi vult bona provenire & illi velit; & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit.* Favet his omnibus axioma deſumptum ex Ariſtotele 9. *Ethic.* dicente *amicabilia, quæ ſunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſe ipſum.* Neque dicas hoc axioma non eſſe transferen-

47. Tenemur diligere nos ipſos magis, quàm Proximum.

49. Amicabilia ad alterum veniunt ex amicabilibus ad ſe.

Z dum

dum ad charitatem ſupernaturalem, quia contrariatur Apoſtolo dicenti 1. Cor. 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*, & ſi quid probat, probat unumquemque debere diligere ſe ipſum magis, quam Deum, quod eſt valde nimis probare. Contra enim; Charitas non quærit quæ ſua ſunt quatenus ly *ſua* importat bonum proprium comparatum ad bonum univerſale, & commune; ſecus quatenus importat bonum proprium ſui ipſius ad bonum proprium, & particulare alterius: Ad illud de nimia probatione dico amicabilia, quæ ſunt ad alterum veniunt &c. procedere de tali altero, in quo bonitas reperiatur per participationem, & tanquam in parte, at in Deo bonitas eſt imparticipata, & tamquam in toto ac fonte; ideò &c.

50\. Probatur tertiò quoad tertiam partem, quia Proximus conjunctior diligenti eſt magis Proximus, magiſque ſpectat ad diligentem; ergo eadem ratione, quâ quiſque tenetur magis diligere ſe, quàm Proximum, tenetur magis diligere magis Proximum, & magis ſpectantem ad ſe; in hoc enim ipſemet diligens quodammodò magis exiſtit; præter quod regula generalis eſt, ut ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita magis ad magis. Hocque totum procedit non de ſolo amore in effectu, ſed de amore etiam in affectu, & cum ex una parte etiam ad hunc detur in quolibet erga Proximum per ſe & propriè ex charitate obligatio ut ſtabilivimus eſt §. *præced.* & ex alia parte amor in affectu ſit regula & quaſi ratio amoris in effectu; non poteſt igitur unius amoris ordo eſſe diverſus ab ordine alterius; quidquid contrà ſenſerint aliqui quibus favere videtur Auguſtinus *lib. 1. de doctr. chriſtiana cap. 28.* dicens *omnes homines æque diligendi ſunt. Sed cum omnibus prodeſſe non poſſis his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum, opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur*, Cui auctoritati alias non diſſimiles tum ex eodem Auguſtino, tum ex aliis SS. PP. recenſet
51\. Eſtius *in 3. diſt. 30.* §. 5. Verum miſſis aliis interpretationibus, quas videre eſt apud Magiſtrum *diſt. 29.* & Eſtium § *præcit.* ſufficiat pro nunc intelligentia jam poſita *præced. num. 48.* & quoties homines æquè diligendi perhibentur, intelligatur id objectivè, non appretiativè; de amore quoad objectum, non quoad affectum.

Tenemur diligere, Proximum conjunctiorem magis, quàm reliquos.

Idque amore etiam interno.

Dices impugnando tertiam aſſerti partem mox probatam: Conjunctio Proximi cum Deo per gratiam & ſanctitatem magis ſpectat ad ordinem charitatis, quam coniunctio Proximi cum ipſomet diligente? ergo ex obligatione derivata ab ordine charitatis unuſquiſque tenetur ad magis diligendum coniunctiorem Deo potius, quàm conjunctiorem ſibi: Antecedens probatur primò, quia conjunctio Proximi cum Deo attenditur penes rationem formalē charitatis, & participationē bonitatis increatæ Dei; conjunctio vero Proximi cum diligente attenditur penes charitatis ſubjectum ſeu objectum materiale: Secundò, quia major conjunctio Proximi cum Deo facit meliorem & ſanctiorem non ſic major coniunctio Proximi cum diligente; atqui ordo charitatis poſtulat ut ſanctior, & melior, ſimpliciter magis ametur; tum quia obiectum melius eſt genere ſuo magis amabile, tum quia charitas Dei & Beatorum, quam debemus ut charitatis noſtræ normam ſuſpicere, erga ſanctiorem maior eſt & plures Sancti Patres damnant ut vitioſum amorem, quo quis præferat quodammodo naturam gratiæ, carnem ſpiritui; carnaliter coniunctum, licet alioqui pravum, magis amet quàm extraneum virtute & ſanctitate præditum: pro quo inter multas auctoritates relatas ab Eſtio *præcit.* §. 5. inſignis eſt illa D. Proſperi *lib. 3. de vita contemplativa cap. 15.* dicentis *Si propinquos noſtros quamvis incompoſitos, turpes ac malè moratos, pluſquam quoſlibet ſanctos, quos à nobis ſecundùm ſanguinem vocamus extraneos, diligamus, non ſolum carnaliter diligimus, ſed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus.* Sed contrà: 52.
coniunctio Proximi cum Deo magis ſpectat ad ordinem charitatis obiectivum, concedo; magis ſpectat ad ordinem charitatis appretiativum, de quo in præſenti agitur, nego antecedens; & ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam; ut enim docet D. Thomas *hic quæſt. 26. art. 7. in c.* actus quilibet proportionatur obiecto & agenti, ſed ex obiecto habet ſpeciem, ex agente intentionem, cuius nomine S. Doctor in ſubiecta materia etiam appretiationem intelligit, ut attigimus *cap. præced. num. 44.* Penes coniunctionem igitur cum Deo; cuius bonitas eſt formale charitatis obiectum deſumenda quibus eſt ſpecies, ſeu ratio ſpecificativa, & obiectiva perfectio noſtri amoris, at appretiatio ſicut & intenſio eiuſdem attendenda eſt penes coniunctionem cum agente ſeu homine diligente, & certè quod quis ſit paratus ab uno potius, quàm ab alio amore ceſſare ex parte agentis, non ex parte obiecti ſe tenet. Hinc patet reſponſio ad primam antecedentis probationem.

Proximus conjunctior Deo eſt magis diligendus objectivè.

Ad ſecundam concedo maiorem, nego mi- 53.
norem, vel charitatis gratia diſtinguo, ordo charitatis poſtulat ut ſanctior & melior ſimpliciter magis ametur objectivè permitto, appretiativè nego; & obiectivè dumtaxat, non appretiativè eſt ex genere ſuo magis amabile obiectum melius. Quod additur de charitate Dei, & Beatorum, facilem habet diſparitatem, quoad Beatos quidem ex infra dicendis *num. 70.* quoad Deum ex eo, quod in primis Deus magis amando meliores ſanctioreſque eo ipſo magis amat ſibi propinquiores: Deindè amor Dei ex parte agentis, ſeu ex parte ipſius Dei, in indiviſibili conſiſtit, nec admittit inæqualitatem; ideò non poteſt eſſe maior niſi obiectivè, attingendo ſcilicet, imò faciendo meliores. Ad verba D. Proſperi dico ipſum damnare, quod propinquos noſtros, turpes, ac malè moratos magis amemus, quā ſanctos nobis extraneos, quando maior amor aut habet ſolum pro motivo utilitatem aliquam temporalem, quæ ex ſanguinis coniunctione ſperetur, aut ſecum affert converſationem, familiaritatemque

peculiarem

peculiarem, & quâ timeri facilè poſſit alienum ſcandalum propriumvè periculum. Vniverſaliter verò quoties Sancti Patres videntur abſolutè commendare amorem majorem in ſanctiores, quam in proquinquiores, intelligendi ſunt de amore objectivè, non appretiativè majore.

Urgebis, quando Sancti Patres docent unumquemque debere amare æqualiter tum ſe & Proximum, tum Proximum quemcumque, diximus mox *n.*48. & 50. eſſe intelligendos objectivè; ergo inconſequenter nunc tradidimus ſanctiores, melloréſque, eſſe magis objectivè amandos, & de amore objective majore loqui Sanctos Patres commendanses amorem majorem in ſanctiores, quàm in pravos aut minus ſanctos, licet diligenti conjunctiores. Sed contrà: Sancti Patres ſive doceant omnes amandos æqualiter, ſive doceant magis amandos ſanctiores, poſſunt abſque ulla inconſequentia intelligi de amore objectivo, diverſimodè tamen accepto; ſi ſcilicet amor objectivus ſumatur relatè ad objectum primarium, quod tenemur ex charitate velle, ideſt ad beatitudinem ipſam objectivam aut etiam ad beatitudinem formalem ſumptam eſſentialiter & ſecundùm ſpeciem, tenemur omnes amare æquali amore objectivo; inæquali verò & majore ſanctiores (ſubintellige quatenùs tales, & in ſenſu formali, ut monet Malderus *quæſt.*16. *art.*7.) ſi amor objectivus ſumatur relatè ad beatitudinem formalem ſumptam gradualiter & ſecundùm intenſionem. Vel aliter, ſi amor objectivus ſumatur per modum deſiderij relatè ad bona futura, quorum occurat indigentia tenemur amare omnes amore objectivo æquali, ideſt tenemur velle procurare, quantum poſſumus omnibus omnia bona quorum indigeant: tenemur verò amare amore objectivo inæquali & majore ſanctiores, ſi amor objectivus ſumatur per modum complacentiæ relatè ad bona præſentia, & actualiter exiſtentia in Proximo.

54\. Amor objectiuus poteſt ſub diverſa ratione eſſe tum in omnes æqualis, tum in ſanctiores major.

55\. Suppoſito, quod appretiativus amor erga Proximum debeat eſſe major, aut minor juxtà majorem, minoremvè conjunctionem ejuſdem Proximi, non cum Deo, ſed cum diligente, ſtatuendum ſupereſt ex vario genere conjunctionum inter Proximum, & diligentem, occurrentium quænam ſit cæteris præferenda; ſignanter verò utrum carnis ſanguiniſque conjunctio præferenda ſit non ſolùm cuilibet alij conjunctioni temporali ac naturali fundatæ, aut in unitate Patriæ, & dicitur conjunctio civilis; aut in conſortio officij ſeu muneris, & dicitur conjunctio ſocialis; aut in vinculo mutuæ amicitiæ, & dicitur conjunctio amicabilis; verum etiam coniunctioni ſpirituali ſive latius dictæ fundatæ in unitate fidei: aut gratiæ, ſive ſtrictiori fundatæ in ſpeciali communicatione ſpiritualium bonorum, & quaſi generatione ſpirituali, qualis eſt inter Confeſſarium & Pœnitentem Patrinum & baptiſmi & Baptizatum, Catechiſtam & Catechumenum, inter Paſtorem Superioremvè Eccleſiaſticum & ſubditum; hæc tamen poſtrema conjunctio habet aliquid peculiare, quatenus ultrà obligationem charitatis fundat obligationem juſtitiæ non communem reliquis coniunctionibus enumeratis.

Coniunctio Proximi cū diligente multiplex & varia.

Aſſert. 2. In ijs, quæ ſunt de neceſſitate charitatis, nec ſunt propria alicuius certæ conjunctionis, coniunctio carnis & ſanguinis potior eſt alia qualibet, etiam ſpirituali; & Pater aut filius carnalis cenſendus eſt ſimpliciter coniunctior, & magis appretiativè diligendus, quàm alius quilibet, etiam quàm Pater aut filius ſpiritualis, regulariter loquendo. Ita Sylvius *hic quæſt.*26. *art.*8. *quæſt.*2. Malderus *eod. art.* Suarez *diſp.*9. *ſec.*4. *num.*11. Amicus *diſp.* 29. *ſec.*6. *num.*97. Richardus *in* 3. *diſt.* 19. *art.*1. *quæſt.*9. & alij magis communiter contra Caietanum *quæſt.*26. *art.*8. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.*18. *dub.*3. §. 2. Valentiam *diſp.*3. *quæſt.*4. *punc.*5. §. *Tertio ſequitur* alioſque nonnullos docentes quoad ſpiritualia coniunctionem ſpiritualem cenſendam eſſe potiorem. 56.

Coniunctio carnis & ſanguinis præferenda eſt coniunctioni ſpirituali etiam quoad ſpiritualia.

Dixi *nec ſunt propria alicuius certæ coniunctionis*, quæ ſcilicet quilibet cuilibet tenetur ex charitate velle & procurare, cujuſmodi ſunt præcipuè in ſpiritualibus vita æterna, in temporalibus vita corporalis, & conſequenter omnia ad alterutram vitam neceſſaria; præter hæc dantur alia quædam, quæ quis tenetur ex charitate velle non cuilibet, ſed habenti ſecum certam coniunctionem, & in his præferendus eſt Proximus tali certa coniunctione coniunctior, ſic in bellicis præferendi ſunt commilitones cum quibus habemus coniunctionem ſocialem; in converſatione civili Concives cum quibus habemus coniunctionem civilem, ut exemplificat S. Doctor *quæſt.*25. *art.*8. *in c.* 57.

Probatur. Coniunctio carnis & ſanguinis intimior eſt & firmior ſeu ſtabilior alia qualibet, etiam ſpirituali; ergo eſt potior alia qualibet & reddens ſimpliciter coniunctionem in ordine ad amorem appretiativum, qui habet pro norma ſimilitudinem aut quaſi unitatem Proximi cum diligente, & maximè petit firmitatem ſeu ſtabilitatem; cum appretiatio in amando aliquem reluceat penes firmitatem, qua diligens in tali amore hæret paratus ceſſare ab amore aliorum potius, quàm illius: Antecedens probatur: Coniunctio carnis & ſanguinis fundatur in generatione facta ab intrinſeco per communicationem phyſicam ejuſdem ſubſtantiæ, conjunctiones aliæ fundantur in aliquo accidentali & morali, quod ſæpè etiam ab extrinſeco provenit: Rurſus illa fundatur in natura, quæ numquam mutatur adeóque firma eſt & ſtabilis, iſtæ aliæ fundantur in actione aliqua libera, aut poſſunt ex noſtra libertate diſſolui; ergo ex primo capite coniunctio carnis & ſanguinis eſt intimior, ex ſecundo eſt firmior ſu ſtabilior alia qualibet etiam ſpirituali. 58.

Eſt intimior, & firmior alia qualibet coniunctione.

Dices: Diuus Ambroſius *libro* 1. *de officiis capite* 7. filios ſpirituales ita alloquitur *Non minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam ſi conjugio ſuſcepiſſem. Non enim vehementior eſt natura ad diligendum, quàm*

gratia. Plùs certe diligere debemus, quos perpetuo nobiſcum putamus futuros, quàm quos in hoc tantum ſæculo: Quibus verbis non ſolum commendatur conjunctio ſpiritualis ſupra carnalem, verùm etiam inſinuatur ratio ſita in eo, quòd conjunctio ſpiritualis duret diutiùs, adeóque ſit firmior ac ſtabilior; fundetur in gratiâ, adeóque ſit notabilior carnali fundata in naturâ, ſicuti gratia ipſa eſt nobilior naturâ. Quod totum ſi minus ſimpliciter quoad omnia, ſaltem quoad ſpiritualia probat conjunctionem ſpiritualem eſſe carnali potiorem & filios ſpirituales magis diligendos eſſe, quàm carnales, & favet expreſsè D. Thomas *præcit. art. 8. ad* 2. docens Ambroſium in relatis verbis locutum eſſe quoad beneficia ſpiritualia, & addens in iſtis hominem magis debere ſubvenire filijs ſpiritualibus, quam corporalibus, quibus tenetur magis providere in corpora-
59. libus ſubſidijs. Sed contra: verba D. Ambroſij continent exaggerationem aliquam & encomium ſui amoris in filios ſpirituales, rigoremque ſcholaſticum non ſervant; ratio, quæ ex talibus verbis eruitur, non concludit intentum, nam modo agitur de ordine charitatis in viâ, ad quem ordinem parùm refert, quod conjunctio ſpiritualis durare poſſit in patriâ, quoties pro ſtatu viæ amiſſibilis & defectibilis eſt, ſicut gratia, in qua fundatur: Deinde etiam paternitas & filiatio carnalis ſeù naturalis in patriâ perſeverat, numquid enim Chriſtus in Cœlo deſiit eſſe filius Bea-
Conjunctio ſpiritualis eſt carnali nobilior. tæ Virginis. Conjunctionem ſpiritualem eſſe nobiliorem admitto; at hinc ad ſummum infertur major amor objectivus, non appretiativus; cujus menſura eſt bonitas non major, ſed magis ſpectans ad diligentem, ac per conſequens conjunctio cum diligente non nobilior, ſed intimior. Quod ſuper verba Ambroſij affert Angelicus intelligi ſolet extrà caſum neceſſitatis aut gravis indigentiæ, extrà quem ratione officij & ſpiritualis curæ ſuſceptæ poteſt quoad ſpiritualia eſſe major ergà ſpirituales, quàm ergà carnales filios obligatio, juſtitiæ tamen potiùs, quàm charitatis.

60. Facta mox mentio juſtitiæ, & charitatis, præbet occaſionem attingendi obiter, utrùm conjunctio naturalis prævaleat ſpirituali, etiã quando iſta ſecum fert obligationem juſtitiæ? prævaleat, inquam, non ſolùm extrà caſum neceſſitatis, extrà quem obligatio charitatis ceſſat; ſed in caſu quoque neceſſitatis, in quo ex parte conjunctionis naturalis urgeat obligatio charitatis, ex parte conjunctionis ſpiritualis ſimul cũ obligatione charitatis obligatio juſtitiæ. Sentiendum cum Amico *præcit. ſect. 6. num.* 101. aliiſque apud ipſum in eo quoque caſu conjunctionem naturalem, carnalemvè, ſpirituali prævalere, adeò ut ſicuti quis in caſu neceſſitatis tenetur ſuccurrere ſibi potiùs, quàm creditori, cui ex juſtitia obligatur; ità potiùs, quàm creditori teneatur ſuccurrere Parenti aut filio; eodemque modo teneatur ſuccurrere Parenti aut filio carnali potiùs, quàm ſpirituali, cujus quis ſit Paſtor aut Parochus, adeóque ex juſtitia obligatus. Nec refert quod obligatio juſtitiæ ſit ex genere ſuo fortior obligatione charitatis; eſt enim fortior cæteris paribus, & relata ad Perſonas ejuſdem rationis; at non diſparibus cæteris, & quando obligatio charitatis refertur ad Perſonam conjunctiorem: vel eſt fortior præciſè, quatenùs urget etiam extrà caſum neceſſitatis, extrà quem non urget obligatio charitatis, ſaltem quoad actum externum.

Libenter hic deſcenderem ad percurren- 61.
dam ſingillatim totam ſeriem conjunctionis naturalis, diſtinguendo in tali ſerie gradus, ſecundùm quos ordinari debent Perſonæ naturaliter conjunctæ, & una alteri præferri, quâ in re plura eſſent ad particulare examen revocanda, puta utrùm Pater Matri, an Mater Patri præferri debeat? Utrùm Conjux Cõjugem præferre debeat Fratri Sororivè, aut etiam Matri & Patri; an è contrà? Utrùm Parentes Proli, an Prolem Parentibus præferre quis debeat? Verùm in his & ſimilibus nec poteſt aliquid certi ſtatui, cum Auctores ſint inter ſe valdè diviſi, & rationes admodùm variæ; nec multùm intereſt quidquam ſtatuere, cum inter Perſonas mox ad invicem comparatas exceſſus conjunctionis unius Perſonæ ſuprà aliam levis ſit, & incertus, ac probabilis ex utraque parte; unde quomodocunque quis in praxi opinetur de tali præferentia aut propter probabilitatem opinionis nullatenus peccabit, aut ſaltem propter levitatem materiæ peccabit tantùm venialiter. Imò Sylvius, Malderus, Amicus, & alij communiter docent quoque non peccaturum plùs, quàm venialiter eum, qui aut conjuncto carnaliter præferret conjunctum ſpiritualiter, aut conjunctiori ſibi præferret ſanctiorem conjunctioremque Deo, quia etiam in iſtis non eſt omninò certum quænam conjunctio prævaleat, & quacunque tandem ex parte prævalentia ſe teneat non eſt admodum magna nec tanta, ut contrà ipſam operari imputandum ſit ad culpam lethalem.

Inter carnaliter conjunctos non poteſt certò ſtatui quinã ſint cæteris præferendæ

Libenter item deſcenderem ad varia bono- 62.
rum genera, comparando bona tum ejuſdem, tùm diverſi generis inter ſe, & in ſingulis examinando quænam, & quo ordine, ſint de neceſſitate charitatis: Sed quia hæc dearticulatè proſequi res eſt nec brevitatis patiens, nec noſtri inſtituti Scholaſtici propria, cohibeo calamum & ſubjicio duntaxat nonnullas regulas generales. Ideò

Prima regula generalis ſit: Bona ſpiritualia neceſſaria ad ſalutem tenent inter omnia alia primum locum in ordine charitatis, ſeu primò cadunt ſub charitatis obligatione, adeò ut unuſquiſque debeat bonum ſpirituale ſivè proprium, ſivè alienum, cuicunque bono temporali ſivè proprio, ſivè alieno præferre, & inſuper bonum ſpirituale proprium cuicunque bono alieno etiam ſpirituali: ratio univerſalis eſt, quia charitas theologica fundatur in communicatione ſpiritualium ſeu ſupernaturalium bonorum, & primum quod tenemur nobis ipſis, deinde Proximo ex charitate velle, eſt ſupernaturalis beatitudo ſeu æterna ſalùs, & quidquid ad talem ſalutem neceſſarium eſt: Ex prima parte hujus regulæ fit, quod te- 63.
neamur periculo exponere bona fortunæ & Bona ſpiritualia aliena
corporis, non ſolùm pro ſalute propriâ, verùm

etiam

ſunt præferenda bonis temporalibus propriis.

etiam pro ſalute Proximi conſtituti in neceſſitate extrema, in qua non aliter, quam media noſtra morte temporali ſalvari poſſit, ut eſſet puer ſine baptiſmo moriturus, niſi quis ad ipſum baptizandum ſe exponat mortis periculo; in quo tamen caſo & aliis ſimilibus ceſſat obligatio, ſi oon ſit certa ſpes in re ſubveniendi ſaluti periclitaotis, quia bonum certum, non bonum dubium ſalutis alienæ prævalet cuilibet bono temporali: Ceſſar item, ſi coolervatio Perſonæ expoſitivæ ſe mortis periculo ſit neceſſaria pro aliorum plurium ſalute, unuſquiſque enim tenetur ſubvenire ſaluti multorum potiùs, quàm ſaluti vnius.

Dixi *Proximi conſtituti in neceſſitate extrema*, quia communior ſententia docet pro Proximo conſtituto in neceſſitate gravi eſſe quidem obligationem ſuſtinendi aliquod damnum etiam notabile in bonis fortunæ, at non in bonis corporis; Porò cenſetur Proximus conſtitutus io gravi, non extrema neceſſitate ſalutis. quando independenter à noſtro damno in bonis fortunæ & corporis habet aliud, quamvis valdè difficile medium, quo ſalvari poteſt; bic nuoquam tenemur cum magno noſtro detrimento ſuccurrere ijs, qui ſe voluntariè exponunt periculo æternæ damnationis; iſti enim nunquam ſunt in extrema, imò nec in gravi oeceſſitate ſalutis; eum poſſint ſibi voluntate propria conſulere. Ex ſecunda

64. *Spiritualia propria omnibus alienis etiam ſpiritualibus.*

parte ejuſdem regulæ ſit, quod teneamur permittere temporalem, imò & ſpiritualem totius mundi perniciem potiùs quàm proferre mendacium officioſum, aut exercere aliquod opus ab intrinſeco & ex natura ſua malum, quamvis tale leviter tantùm & venialiter. Nec refert, quod charitas præcipuè reſpiciat Dei gloriam & magis gloriam Dei majorem; major aotem Dei gloria ſit, quod plures, quàm quod unus ſalvetur; minus item ſit contrà Dei gloriam, quod ego venialiter peccem, quàm quòd plures peccent lethaliter. Non refert inquam, quia Charitas ſicut & Gratia datur in bonum ſubjecti, cui inhæret & reſpicit gloriam Dei ut ad tale bonum relatam, magiſque gloriam Dei majorem, non reſpectu cujuſcunque ſubjecti, ſed reſpectu ſubjecti, cui charitas ipſa inhæret.

65. Solent hic afferri duo difficilia ſcripturæ loca, in qoibus Moyſes, & Paulus, videntur optaſſe propriam damnationem pro ſalute aliorum, adeóque prætuliſſe bonum ſpirituale alienum bono ſpirituali proprio; nam *Exod.* 35. Moyſes ita pro populo Deum precatur *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo*, & *Rom.* 9. Paulus ait *optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Horum locorum multiplex expoſitio videri poteſt apud Sylvium *hic q.* 26. *art.* 4. *ad* 2. Arriagam *diſp.* 40. *ſect.* 1. *ſubſect.* 2. Valde probabilis eſt & expeditiſſima reſponſio ſi dicatur eſſe locutionem hyperbolicam, qua Moyſes ergà populum, Paulus ergà fratres amoris ſui magnitudinem ſignificare voluit.

Occurritur auctoritatibus ſcripturæ.

66. *Bona ſpiritualia non neceſſaria ad ſalutem habent ordinē ex perfectione, non ex obligatione charitatis.*

Secuoda regula generalis ſit: Inter bona ſpiritualia non neceſſaria ad ſalutem, cujuſmodi præcipuè ſunt gratiæ gratis datæ, nullus eſt ex charitate ordo obligatorius; ſpectat tamen ad charitatis perfectiooem, quòd bonis temporalibus præferantur, item quod ea quis velit ſibi potiùs, quàm alijs. Ratio univerſalis eſt, quia bona ſpiritualia ad ſalutem non neceſſaria, ſicuti non tenemur aut nobis aut alijs velle, ita nec tenemur velle cum ordine aliquo; ſicuti tamen eſt charitatis perfectio, ſi ea velimus; ita eſt charitatis perfectio ſi ea velimus eodem ordine, quo cætera ſpiritualia bona ad ſalutem neceſſaria, & ſi quis ea aliter velit non peccabit quidem, nec faciet contrà charitatis obligationem; minùs tamen perfectè ſe geret, & faciet contrà charitatis perfectionem ſeu contrà charitatem ut non obligatoriam; eo planè modo, quo contrà virginitatis perfectionem, ſeu contra virginitatem ut non obligatoriam, facit qui matrimonialem copulam conſummat.

67. Tertia regula generalis ſit. Bona temporalia communitatis; ſeu Perſooæ publicæ, potiorem locum tenent in ordine charitatis, quàm bona temporalia Perſonæ privatæ, etiā ſui ipſius, & illa ſunt iſtis præferenda. Ratio univerſalis eſt, quia bonum publicum eſt ex genere ſuo majus ac eminentius privato, & pars ſicuti naturali inclinatione fertur, ità naturali jure tenetur ad exponendum ſe, bonaque ſua ad ſubveniendum toti, boniſvè totiùs: Hinc ne Reſpublica, aut Perſona Reipublicæ neceſſaria pereat, tenetur Perſona privata pati propriæ vitæ, ne dum fortunarum, jacturam; Cujus obligatioois ratio ulterior eſt, quod exponeos propriam vitam pro Republica præfert bono corporis bonum animæ, ideſt bonum virtutis & honeſtatis relucentis in hoc, quod eſt booo publico conſulere.

Bona temporalia publica & communia ſunt præferenda privatis, etiā proprijs.

68. Quarta regula generalis ſit: Ioter bona temporalia privata prævalent reliquis bona vitæ & corporis, utpotè magis neceſſaria, quàm reliqua, & qoaſi ſiois ac baſis reliquorum: Inter propria verò, & aliena, ſi ſpectentur præcisè bona ipſa privata temporalia, & vita vitæ, fama famæ, fortunæ fortuois comparentur; præferenda ſunt in pari neceſſitate propria alienis, quia in quolibet bonorum genere unuſquiſque cæteris paribus teoetur ſibi potiùs, quam Proximo conſolere; dixi *ſi ſpectentur præcisè bona ipſa privata temporalia*, nam ſi ſpectetur ſimul bonum virtutis, valdè probabile eſt; quod liceat præferre bona aliena proprijs, puta ex motivo pietatis mortem appetere ad conſervandam vitam Patris, ex motivo gratitudinis periculo expouere ſuas fortunas, ne periclitentur fortunæ Beoefactoris, in his enim & ſimilibus bonum virtutis & animæ præfertur bono temporali potiùs, quàm bonum temporale alienum præferatur booo temporali proprio.

Inter bona temporalia privata præcipè ſpectata præferenda ſunt propria.

Si ſimul ſpectetur bonum virtutis, poſſunt quoque præferri aliena.

69. Aſſert. 3. Ordo charitatis in Patria non eſt quoad omnia idem, qoi in via, variatur ſcilicet relatè ad Proximum, quatenùs unuſquiſque beatus ſimpliciter magis diliget conjunctiorem Deo, noo conjunctiorem ſibi. Ità Theologi communiter cum D. Thomâ *hic quæſt.* 26. *art.* 13. contrà Durandum *in* 3. *diſt.* 31. *quæſt.* 6. *ad* 3.

Ordo charitatis in patria relatè ad Deum, & ad diligentem, eſt idem, ac in via.

Probatur & explicatur aſſertum, quod in primis ſupponit eſſe ordinem charitatis in Patriâ, & certè, cum ibi *ex 1. Cor. 13.* Charitas non excidat, neque debet ejus ordo prorſùs excidere; remanet propterea idem relatè ad præcipua objecta Deum nimirum & ipſum diligentem; quatenùs beatus quilibet non minùs, quàm Viator, diligit appretiativè Deum magis, quàm cætera omnia, etiam quàm ſeipſum; ſeipſum verò magis, quàm Proximum: Deum magis, quàm cætera omnia, quia ergà Deum amor patriæ eſt perfectior amore viæ; ſi igitur amor viæ eſt in Deum appretiativè major, quàm in cætera omnia, à fortiori erit ſimiliter in Deum major amor patriæ; ſeipſum verò magis, quàm Proximum, non ſolùm propter communem regulam, quâ amicabilia ad alterum ſunt ex amicabilibus ad ſeipſum; ſed ſpecialiter, quia Charitas primò & per ſe datur in bonum ſubjecti, cui inhæret & ad conjungendum cum Deo ſubjectum proprium; petit igitur etiam in Patriâ, ut beatus amet ſeipſum conjunctionemque ſui cum Deo magis, quàm conjunctionem cujuſcunque alterius, etſi alioqui

70. Eſt verò diverſus relatè ad Proximum.

majorem. Supereſt probandum, quòd ordo charitatis in Patriâ varietur relatè ad Proximum, & attendatur non penes majorem conjunctionem cum diligente, ut in via, ſed penes majorem conjunctionem cum Deo; probatur id autem, quia ex una parte conjunctio cum Deo in patriâ eſt longè perfectior, quàm in viâ, cum ſit ibi certa & invariabilis; cum actus viſionis & amoris per quos ibi habetur ſint præſtantiores quibuſlibet actibus viæ; cùm ſit propria Patriæ, & conſtitutiva ſtatus beatitudinis: ex alia parte conjunctio Proximi cum diligente orta ex unitate carnis & ſanguinis, licèt in patriâ perſeveret quoad ſubſtantiam, ceſſat tamen quoad neceſſitates & indigentias, pro quibus ſolet in viâ urgere charitatis obligatio; ceſſat ſcilicèt periculum excidendi à ſalute & bonis ſalutaribus; ceſſat ſpes comparandi & augendi ſanctitatem, gratiam & gloriam; ceſſat omnis occaſio ſubventionis in temporalibus vitæ, famæ & fortunæ bonis, utpotè quæ in ſtatu beatitudinis aut inutilia ſunt, aut inamiſſibilia: Pro amore igitur Proximi in Patria deficiunt rationes præponderantiæ ex parte conjunctionis cum diligente, eædemque rationes creſcunt ex parte conjunctionis cum Deo; ergo conjunctio cum Deo in Patriâ eſt ſimpliciter præferenda, & prout iſta major eſt, aut minor, major aut minor erit amor appretiativus unius beati ergà alium.

Non diſplicet hîc, quod exiſtimat Herinex *diſp. 11. q. 8. n. 108.* ordinem ſcilicet charitatis viæ ergà Proximum, quamvis non maneat in Patria in ſe formaliter & in actu exercito, remanere tamen in radice & in actu ſignato, quatenus ſi per impoſſibile occurrerent in Patriâ eædem neceſſitates, quæ occurrunt in viâ beatus ex charitate ſubveniret potiùs conjunctiori ſibi quàm conjunctiori Deo; hincque dici poteſt variari ergà Proximum in Patria ordinem charitatis formalem tantùm, non radicalem.

§. V.

Subjectum, [illegible]itas, Definitio actus & habitus Charitatis.

Aſſert. 1. Actus & habitus charitatis habent pro ſubjecto immediato & proximo voluntatem, ſeu naturam intellectualem ut ſubeuntem rationem voluntatis: Pro ſubjecto mediato & remoto naturam intellectualem ſecundum ſe, ſuppoſita ipſius ordinatione ad finem ſupernaturalem. Eſt veritas communiſſimè recepta, etiam apud non diſtinguentes habitum charitatis ab habitu gratiæ, & licèt Magiſter *in 1. diſt. 17.* ſicut non admittit charitatem, ſaltem habitualem, quæ ſit de genere qualitatis, ità reſpectu charitatis, quam nos dicimus habitum, non agnoſcat ſubjectū nullum propriè tale; nihilominùs falſum Magiſtri ſuppoſitum ſufficienter impugnatum eſt in Tract. de Gratiâ *lib. 3. cap. 1. §. 1.* Si verò in præſenti quis quærat, utrùm Magiſter etiam de charitatis actu loquatur, dum ibi ait charitatem eſſe ipſammet Perſonam Spiritus Sancti, non aliquid nobis inhærens, affirmat Arriaga *hic diſp. 30. num. 3.* negant D. Thomas *quæſt. 23. art. 2. in cor.* & alij plures, quorum exiſtimatio magis placet, utpotè quæ communior eſt, & leviorem facit errorem Magiſtri, cujus verba licèt ſub litt. E. faveant exiſtimationi Arriagæ, poſteà tamen ſub litt. S, clarius favent exiſtimationi cæterorum. Supponendo jam, quod actus & habitus charitatis ſit virtus inhærens. 71. Charitatis actus, & habitus, ſunt immediatè in voluntate.

Probatur aſſertum facilè ex eo, quòd tum actus, tum habitus voluntatis habent pro objecto formali bonum divinum, quod quatenùs bonum ſpectat ad appetitum quatenus divinum ſpectat ad appetitum rationalem, qui eſt voluntas; debent igitur actus & habitus voluntatis eſſe immediatè & proximè in voluntate; actus quidem, quia actus vitalis debet inhærere principio, à quo elicitur; habitus verò, quia debet ineſſe comprincipio, quod elevat: Cur deindè addita ſit illa verborum quaſi circuitio *voluntatem ſeu naturam intellectualem*, &c. habetur ex dictis proportionaliter de ſubjecto fidei *lib præced. c. 7. §. 4.* 72.

Deſcendendum hic eſſet ad ſubjecta particularia, & Perſonas, in quibus de facto charitatis habitus reperiatur: at in hoc, licèt fuerit difficultas aliqua & controverſia quoad habitus fidei & ſpei, facilis & incontroverſa res eſt quoad habitum charitatis, de quo, utpotè ſemper comitante habitum gratiæ, unico verbo dicitur reperiri de facto in illis omnibus & ſolis Perſonis, in quibus reperitur habitus gratiæ, ideſt in omnibus & ſolis juſtis, ſive deinde iſti in via ſint ſive in termino, ſive in ſtatu medio Purgatorij. Ex eadem conjunctione, & mutua concomitantia utriuſque habitus, fit ut ea, quæ deſiderari hic poſſent de amiſſione, augmento, & termino vel intrinſeco vel extrinſeco magnitudinis reſpectu habitus charitatis, ſupplenda ſint & repetenda

Charitatis habitus reperitur in omnibus & ſolis juſtis.

tenda ex dictis de amiſſione, augmento, & termino habitus gratiæ *tract. præced. lib. 3. c. 3. & lib. 4 c. 7. & 8.*

Aſſert. 2. Licèt dentur actus charitatis ſpecie diverſi, charitatis tamen habitus unicus eſt & unus in ſpecie athoma. Hoc aſſertum conſequitur ad dicta alibi ſparſim, quamvis non omnes in eo conveniant, ut conſtabit ex locis, quæ mox inſinuo eſſe repetenda ad ejuſdem probationem & explicationem.

Charitatis actus etiam primarij admittunt diverſitatem ſpecificam.

Probatur & explicatur, & quidem dari charitatis actus ſpecie diverſos, ſi hujuſmodi actus ſumantur pro illis omnibus, qui eliciuntur à charitatis habitu, ſive primarij ſint ſive ſecundarij, ſive proſecutionis ſive fugæ, perſpicuum eſt ex talium actuum enumeratione facta in hujus capitis limine: Si verò ſumantur pro ſolis actibus primarijs retinentibus propriam denominationem actuum charitatis, adhuc per nos admittunt ſpecificam diverſitatem, quia tum amor Dei in patria differt ſpecie ab amore Dei in viâ *ex tract. de Beatitud. lib. 3. c. 2. §. 4.* tum amor Dei propter ſe probabiliter differt ſpecie ab amore Proximi propter Deũ *ex cap. præced. num. 26.*

74\. Charitatis habitus eſt unus in ſpecie athoma.

Non obſtante diverſitate ſpecifica actuum etiam primariorum habitus ipſe unicus eſt in ſpecie athoma, quia habitus per ſe infuſus poteſt ex genere ſuo reſpicere actus ſpecie diverſos, & ad ſpecificam illius unitatem ſufficit unitas objecti formalis, quod ex diverſa ſui applicatione poteſt quidem inducere diverſitatem ſpecificam actuum, dum tamen in re & in ſubſtantia unum eſt, tribuit unicam ſpeciem habitui. Porrò objectum formale totius charitatis unũ & idem eſt in toto rigore juxtà noſtra principia, quibus *c. præced. §. 2. & 3.* docuimus Deum, & Proximum, amari ex eodem prorsùs motivo bonitatis divinæ increatæ, & hujus nomine non venire bonitates diverſas diverſorum Prædicatorum Dei, ſed totam bonitatem tranſcendentem quodammodò & complectentem quidquid boni in Deo eſt. Confirmatur unitas ſpecifica athoma habitus charitatis ex ſimili unitate ſpecifica aliorum habituum Theologicorum fidei & ſpei; item ex regula generali non multiplicandi nec diverſificandi ſine neceſſitate entitates.

75\. Ex his probatum manet charitatem habitualem eſſe unam in ſpecie athoma virtutem non ſolùm, quatenus non contineat ſub ſe duos habitus ſpecie diverſos in lineâ charitatis, ut videntur ſentire qui pro objecto formali charitatis in Deum aſſignant bonitatem divinam increatam, pro objecto formali charitatis in Proximum bonitatem divinam creatam ſitam in donis ordinis ſupernaturalis & divini; ſed eſſe inſuper unam in ſpecie athoma, quatenus ſit virtus ſpecialis à virtutibus cæteris contradiſtincta, non verò aut collectio cæterarum virtutum, aut ratio quædam communis ipſas tranſcendens. Nec refert, quod charitas dicatur omnium virtutum forma: ita enim dicitur, non quia virtutes omnes includat, aut in omnibus includatur; ſed quia conſortio, imperiove ſuo virtutum omnium actus moraliter perficit, ut in fide ſingillatim attigimus *lib. præcedent. cap. 7. num. 12.*

Eſt virtus ſpecialis cõtradiſtincta à reliquis.

eſt forma moralis & extrinſeca, non phyſica & intrinſeca, nec exemplaris aut eſſentialis ut loquitur D. Thomas *hic quæſtio. 23. articul. 8. ad 2.*

Aſſert. 3. Actus charitatis ſtrictè ſumptus pro eo, qui denominatur actualis charitas, eſt dilectio ſupernaturalis elicita propter bonitatem divinam increatam ut in ſe, abſolutè, & ipſi Deo bonam. Actus charitatis latius ſumptus pro eo omni, qui elicitur à charitatis habitu, eſt quicunque ſupernaturalis actus voluntatis proſequentis bonum, aut vitantis malum, propter bonitatem divinam increatam ut in ſe, abſolutè, & ipſi Deo bonam. Habitus charitatis reduplicativè, & ut ſubeſt tali denominationi, eſt ſimplex qualitas voluntati per ſe infuſa, qua efficitur in nobis dilectio ſupernaturalis elicita propter bonitatem divinam, &c. Habitus charitatis ſumptus adæquatè, & relatè ad omnes ſuos actus, eſt ſimplex qualitas voluntati per ſe infuſa, qua efficitur in nobis quicunque ſupernaturalis actus voluntatis proſequentis, &c. 76.

Quid ſit actus, quid habitus charitatis, tum in ſtricta, tũ in lata & adæquata ſignificatione.

Harum omnium definitionum bonitas & intelligentia habetur partim ex hucuſque traditis de objecto, actu, & habitu charitatis; partim ex ſimilibus definitionibus fidei & ſpei poſitis *lib. præced cap. 5. & 7. §. 1.* necnon *præced cap. 2. num. 50.* Quod ſi quis brevitate magis, quam claritate gaudeat definire poterit actum charitatis ſtrictè ſumptum, quod ſit dilectio ſupernaturalis amicabilis: actum charitatis late ſumptum, quod ſit quicunque ſupernaturalis actus voluntatis amicabiliter proſequentis bonum, aut vitantis malum; eodemque proportionaliter modo poterit ad pauciores terminos, formamque breviorem, reducere utramque definitionem habitus.

CAPUT VI.

De oppoſitis Charitati.

Opposita fidei (ſicut & proportionaliter oppoſita ſpei) dictum eſt eſſe propriè ea ſola peccata, quæ ſunt incompoſſibilia cum actu & expulſiva habitus fidei, nec talia ſunt omnia peccata exiſtentia ſpecialiter contrà fidem; hæc propterea latiùs patent, quàm peccata incompoſſibilia cum fide: Diverſimodè res ſe habet in charitate, & peccatum cum charitate incompoſſibile latiùs patet, quàm peccatum exiſtens ſpecialiter contrà charitatem omne quippè peccatum lethale eſt incompoſſibile cum actu, & expulſivum habitus charitatis, propter virtuale quoddam & indirectũ odium Dei, quod eſt circumſtantia generalis reperta in quolibet lethali, & conſequens ad averſionem à Deo, qua partialiter conſtituitur quælibet lethalis malitia. Peccata igitur propriè, & ſpecialiter, oppoſita charitati non ſunt, ut oppoſita fidei & ſpei, explicanda per incompoſſibilitatem cum virtute, cui dicuntur oppoſita; ſed per 1.

Oppoſita charitati propriè dicta quænã ſint?

per hoc quod habeant ſpecialem malitiam in linea charitatis, & directam contrarietatem cum aliquo charitatis actu: Hac ratione quot ſuperiùs aſſignati fuerunt actus provenientes à charitatis habitu, totidem nunc aſſignari poterunt oppoſita, & cum pro actu primario, ac præcipuo, poſita ſit dilectio amicabilis tum Dei tum Proximi, occurrit illicò pro primario ac præcipuo charitatis oppoſito tum Dei tum Proximi odium, & quidem inimicitiæ, quod ſolum directam ſpecialemque habet cum dilectione amicabili contrarietatem. Pro quo

2\. *Odium quid & quotuplex?* Suppono cum D. Thoma 1.2. *quæſt.* 29. *art.* 1. *in cap.* ſicut bonum eſt objectum amoris, ità malum eſſe objectum odij, & ſicut amor eſt conſonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut bonum; ità odium eſt, diſſonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut malum: Sicuti inſuper amor alius eſt concupiſcentiæ, alius amicitiæ; ita odium aliud eſt abominationis directè contrarium amori concupiſcentiæ, aliud inimicitiæ directè contrarium amori amicitiæ, ut explicui *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. quo ex loco obiter recolendum utrumque odium reperiri in Deo, contrà quamplures Deo concedentes odium abominationis dumtaxat, non odium inimicitiæ; obiter, inquam, id recolendum, quia odium inimicitiæ in Deo repertum non opponitur charitati, ideò non continetur ſub præfixo titulo, ſub quo agendum dumtaxat eſt de odio charitati oppoſito & peccaminoſo, & de hoc ſit

§. I.

An & Quomodò eſſe poſſit odium Dei in nobis, & quàm grave peccatum ſit?

3\. *In nobis dari poteſt verû, & proprium, odium Dei.* ASSERT. 1. Verè eſſe poteſt aliquod formale, & proprium odium Dei in nobis. Dixi *formale & proprium* ad differentiam odij virtualis, & interpretativi, per omnia peccata lethalia vagantis, ut ſuprà inſinuatum eſt.

Probatur aſſertum, quod ad fidem pertinet, ex Scriptura: Num. 10. *Surge Domine & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te.* Deuteron. 32. *His, qui oderunt me, retribuam.* Pſalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper* Pſalm. 138. *Nonne qui oderunt, te Domine, oderam?* Ioan. 15. *oderunt me & Patrem meum.* Non poſſunt autem hujuſmodi loca intelligi de odio virtuali, & interpretativo, cum nulla neceſſitas cogat ea dejicere ad ſignificationem impropriam, nec deſit modus conciliandi in Deo ſummã & puram bonitatem cum formali & propria odibilitate habente pro objecto rationem aliquam mali; pro quo nudo ſit

4\. Aſſert. 2. Deus eſſe poteſt objectum odij formalis, & proprij, quatenus apprehenditur ut principium effectuum diſplicentium & repugnantium noſtræ inordinatæ voluntati: Ità D. Thomas *hic quæſt.* 34. *art.* 1. cæterique Theologi omnes.

Probatur & explicatur: Deus duplicìter à nobis apprehendi poteſt, primò ut eſt in ſe ad intrà, & ſecundùm prædicata ſibi intrinſeca præcisè; hac ratione in Deo apprehenditur pura ac ſola ratio boni, & quoties ſupponeretur apprehendi aliqua ratio mali, jam non apprehenderetur Deus ut eſt in ſe, & ſecundum aliquid verè intrinſecum; hac igitur ratione Deus, utpotè qui nec malus, nec malo ſubſtans apprehenditur, nequit eſſe odij objectum, quod ſivè motivum, ſivè terminativum ſit, debet apprehendi eſſe malum, aut ſaltem ſubeſſe malo. Poteſt ſecundò apprehendi à nobis Deus, ut relatus ad extrà, & ut principium creatorum effectuum, ex quibus aliqui ſunt voluntati noſtræ conſonantes & placentes, ut eſſe, vivere, & hac ratione Deus, ſicuti nec dum apprehenditur ut malus, aut malo ſubſtans, ita nec dum eſt propriè odibilis, aliqui alij ſunt voluntati noſtræ inordinatæ & propenſæ ad bona ſenſibilia repugnantes & diſplicentes, tales ſunt leges, quibus prohibentur, & pœnæ, quibus puniuntur peccata, hac ratione Deus eſt propriè odibilis, quia effectus voluntati repugnantes & diſplicentes reddunt repugnans & diſplicens etiam ſuum principium, quatenùs mediis illis effectibus innoteſcens, & iiſdem quaſi ſubſtans; non ſecùs ac injuria illata non ſolùm in ſeipſa diſplicet, ſed ſimul reddit diſplicens principium, à quo infertur. Ecce quomodò Deus repræſentari poteſt, ut apparenter malus, ut malo ſubſtans, adeóque ut objectum formalis & proprij odij, tum abominationis quo Deum ipſum & effectus ejus ut nobis moleſtos deteſtemur, tum inimicitiæ, quo Deo ut nobis diſplicenti velimus malum, puta quod non exiſtat, quod careat poteſtate præcipiendi, vel puniendi &c. *Conſiderati non præcisè ſecundum intrinſeca, ſed ſecundũ aliquos effectus ad extrà.*

Dices hinc ſequeretur Deum apparere poſſe odibilem etiam beatis, nam etiam à beatis Deus cognoſci poteſt, ut principium effectuum ipſis diſplicentium, puta ut puniens & damnans carnaliter ipſis conjunctos, aut ut in aliqua extraordinaria hypotheſi privans beatos ipſos viſione, & torquens acerbiſſimis doloribus. Sed contrà: conſultò dictum eſt Deum 5. poſſe eſſe principium effectuum repugnantiũ, & diſplicentium, voluntati inordinatæ; ex quo indicatur non eandem eſſe rationem de voluntate ordinata, qualis eſt voluntas beatorum, quæ utpotè maximè recta, & maximè conformis voluntati divinæ, de nullo divino volito poteſt ſibi diſplicere, aut ſaltem poteſt dumtaxat diſplicere leviſſimè, ac per conſequens in Deo, Deique effectibus, nulla poteſt apparere beatis ratio mali aut dumtaxat leviſſima, & inſufficiens ad odium, ut attigimus in tractat. de Beatitudin. *libro* 3. *capite* 2 *num.* 55.

Aſſert. 3. Odium Dei eſt ex genere ſuo peccatum lethale, & valdè grave, imò peccatorum omnium graviſſimum. Ità Theologi omnes cum D. Thoma *hic q.* 34. *art.* 2. 6. *Odium Dei eſt ex genere ſuo peccatũ lethale.*

Probatur; & quidem quod odium Dei ſit ex genere ſuo peccatum lethale evincitur primò ex eo, quod *Num.* 10. & *Deuter.* 32. odio habentes Deum appellentur inimici ac hoſtes Dei,

Dei, quos Deus perhibetur diſſipaturus, eiſque ultionem redditurus: Secundò ex præcepto affirmativo amandi Deum, quod ſecum affert præceptum negativum Deum non odio habendi: Tertiò à paritate cæterarum virtutum Theologicarum, quarum præcipua oppoſita

Et omnium lethalium graviſſimū.

ſunt lethaliter mala. Quod deinde odium Dei ſit inter lethalia valdè grave, imò peccatorum omnium graviſſimum, probat optimè S. Doctor *præcit. art.* a. ex eo, quòd gravitas peccati maximè attenditur penes averſionem à Deo, unde ratione iſtius averſionis in lethalibus, nō in venialibus repertæ, lethalia ſunt incomparabiliter graviora venialibus; averſio autem à Deo magis reperitur in odio Dei, quàm in reliquis peccatis, nam reperitur in odio Dei formaliter & per ſe, cum odium ex genere ſuo ſit formaliter & per ſe averſio, ſicut amor converſio; in reliquis peccatis virtualiter, & per aliud, ſeu ratione alterius, virtualiter, quia reliqua peccata includunt ſolùm virtualiter odiū Dei, per aliud ſeu ratione alterius, quia in reliquis peccatis peccator à Deo avertitur ratione converſionis ad creaturam: In hanc D. Thomæ probationem recidit ratiocinium, quo *Eſparza lib. 6. q.* 51. probat odium Dei eſſe reliquis peccatis gravius, quia opponitur fini, ut finis eſt, reliqua opponuntur alicui medio ad finem neceſſario: odium enim Dei opponi fini, ut finis eſt, nihil eſt aliud, quàm eſſe per ſe & formaliter averſionem à Deo ultimo fine.

7.

Neque eſſe veniale ex parvitate materiæ.

Hinc fit odium Dei non admittere levitatem materiæ, nec poſſe eſſe tantum venialiter malum, niſi ex ſurreptione & deliberatione imperfecta; averſio enim à Deo, in qua conſiſtit formalis ratio odij cum ſit præcipuum diſtinctivum peccati mortalis à veniali, utique non poteſt in peccato veniali reperiri, & diſplicentia etiam leviſſima boni infiniti, & digni complacentia dilectioneque infinita, gravis eſt moraliter, & pejor, quàm diſplicentia magna boni finiti; cum major ſit diſtantia ac diſſonantia inter diſplicentiam levem & bonum infinitum, quàm inter diſplicentiam magnam, & bonum finitum.

Dices pro levitate materiæ in odio Dei: Poteſt quis Deum odio habere optando ipſi malum leve; atqui hujuſmodi odium eſſet veniale ex levitate materiæ, ſicuti eſt veniale ex levitate materiæ odium, quo quis malum leve optat Proximo; ergo. Major probatur, reſpectu Dei, licèt non ſit dabile malum leve intrinſecum, eò quia omne malum quod excogitetur intrinſecum Deo eſt deſtructivum Dei adeóque graviſſimum, rectè dabile eſt malum leve extrinſecum; cum enim quodlibet noſtrum peccatum ſit malum extrinſecum Deo, cur peccatum leve non erit malum Deo extrinſecum leve? cur item non erit Deo malum extrinſecum leve carentia alicujus boni extrinſeci levis? ergo qui hæc aut ſimilia optat poteſt Deum odio habere optando ipſi

8. malum leve. Sed contrà: odio habere eſt optare malum ex diſplicentia Perſonæ; reſpectu autem Dei, quamvis aliquod malum ſecundum ſe poſſit eſſe leve; hoc ipſum tamen, ut ſubeſt diſplicentiæ Dei, ſeu ut eſſe poteſt materia odij Dei, evadit malum grave propter annexam malitiam diſplicentiæ Dei, quæ ex mox dictis ſemper eſt gravis: Diverſa eſt ratio de malo levi, quod quis optat Proximo, cum poſſit eſſe levis, & venialiter mala, ipſa quoque diſplicentia Proximi.

Dices inſuper impugnando maximam gravitatem odij Dei. Odium Dei oritur ex inordinato amore ſui; ergo inordinatus amor ſui eſt peccatum majus & gravius odio Dei, nec iſtud eſt peccatorum omnium maximum & graviſſimum; probatur antecedens, quia odium Dei oritur ex aliquo amore, cum ex D. Thoma 1. cont. Gent. cap. 91. *omnis affectionis principium ſit amor*; nec poteſt oriri ex alio amore, quàm ſui, nam Deum odio habens apprehendit ipſum ut malum ac noxium ſibi ſeu bono ſuo; non ex alio igitur amore, quàm ſui, movetur ad Dei odium: Probatur quoque prima conſequentia, quia omnis cauſa eſt potior ſuo effectu, & ipſemet S. Doctor *præcit. art.* a. *ad* a. ex eo, quod cauſa ſit potior ſuo effectu,

9.

In moralibus effectus poteſt eſſe aut melior, aut peior, ſua cauſa.

infert odium Dei eſſe majus peccatum, quam ſit infidelitas, in qua ratio peccati oritur ex odio Dei, ſeu divinæ veritatis. Sed contrà: univerſaliter loquendo falſum eſt in moralibus cauſam eſſe potiorem effectu, nec poſſe eſſe majorem in iſto, quam in illa, peccati gravitatem; ſæpè enim oritur ex furto homicidium, ex homicidio ſacrilegium, & tamen ſacrilegium homicidio, homicidium furto gravius eſt; ratio eſſe poteſt, quia ad cauſandum moraliter non requiritur in cauſa continentia effectus, ſed ſufficit quæcunque connexio prioritatis & conducentia ad effectum: Dato igitur inſtantiæ antecedente, nego conſequentiam; ad auctoritatem D. Thomæ dico ex Sylvio *ibid.* cauſam, ex qua peccatum aliquod oritur participativè & in ratione voluntarij, eſſe potiorem & peiorem effectu; non ſic cauſam ex, qua peccatum oritur quomodocunque; oritur autem infidelitas ex odio Dei participativè & in ratione voluntarij, quia infidelitas eſt receſſus à Deo conſiderato quodammodo ſecundum partem, ideſt ſecundum veracitatem, odium eſt receſſus ab eodem conſiderato quodammodò ſecundum ſe totum; item in infidelitate ratio voluntarij & culpabilis oritur ex actu voluntatis averſantis, & quaſi odio habentis Deum ut verum: Non ſic participativè, & in ratione voluntarij, oritur odium Dei ex amore ſui, ideò &c.

Vrgebis, nonne ſaltem inordinatus amor ſui, aut aliud lethale, poteſt ex circunſtantijs aggravantibus adeò creſcere, ut excedat gravitatem odij, ſi præſertim iſta ſupponatur ex circunſtantijs alleviantibus valdè diminuta? Sed contrà: libenter aſſentior ita interroganti; at peccatum odij Dei optimè poteſt eſſe graviſſimum ex genere ſuo, quamvis aliquando detur peccatum gravius ex circunſtantijs, ut *lib. præced. c.* 8. *num* a. proportionaliter explicatum eſt in peccato infidelitatis comparato ad peccata oppoſita virtutibus moralibus.

10.

Ex circunſtātijs poteſt peccatum aliquod eſſe gravius odio Dei.

§. II.

An, & quodnam odium Proximi licitum, vel illicitum ſit? Vbi de odio inimicorum, An licuerit in lege veteri?

ASSERT. 1. Odium Proximi, ſive ſit odium abominationis, ſive etiam inimicitiæ ex propria ratione formali precisè non eſt intrinſecè malum & peccatum. Aſſertum eſt communiter receptum quoad odium abominationis; quoad odium inimicitiæ tradunt illud in primis quicumque ex alibi dictis admittunt tale odium in Deo, & deinde in præſenti expreſſis terminis Arriaga *diſp.* 37. *ſec.* 3. *ſubſec.* 2. & *diſp.* 47. *ſec.* 1. contra majorem partem cæterorum Theologorum voce tamen potius, quàm re, adverſantium, nam illud, quod illi in odio proximi volunt eſſe intrinſece malum, nos quoque tale eſſe fatemur *ex ſeq. num.* 17. diſcrepamus verò in eo, quod ipſi contendant eam malitiam pertinere ad rationem formalem odij inimicitiæ ut ſic, nos ſolum refundamus in conditionem aliquam ſpecialiter convenientem odio inimicitiæ, ut de facto à nobis in Proximum exercetur.

11\. Probatur primò, & explicatur, quoad odium abominationis: Iſtud nibil eſt aliud, quàm diſplicentia mali; & oriri ſolet ex amore ſubjecti, cui tale malum nocet; ſic dupliciter poteſt verſari odium abominationis circa Proximum, vel quatenus diſpliceant Proximi peccata & defectus, ut ipſimet Proximo nocent, vel quatenus diſpliceant, tum eadem peccata, tum perſona peccatoris, ut nocent nobis; Primo modo certum eſt licere odium abominationis, utpote quod provenit ex amore Proximi, & *hoc ipſum* ſunt verba D. Thomæ quæſt. 33. art. . in c.) *quod in fratre odimus culpam, & defectum boni, pertinet ad Fratris amorem, Eiuſdem enim rationis eſt, quod velimus bonum alicuius & quod odiamus malum ipſius* Secundo modo negant aliqui odium abominationis eſſe licitum, aut potius negant eſſe odium abominationis illud, quod peccatoris perſonam attingit, arbitrati omne odium Perſonæ eſſe odium inimicitiæ, falluntur tamen, quia odium Perſonæ eſt inimicitiæ, quando attingit Perſonam ut ſubjectum cui malum volumus, non

Odium abominationis Proximi non eſt intrinſecè malum.

12\. eamdem attingit ut objectum diſplicens & malum nolitum præcisè; circa perſonam igitur peccatoris, aut aliunde nobis noxiam, dabile eſt odium etiam abominationis, & hoc odium aliquando licere ſuadetur ex eo quod forma qualibet communicat ſe ipſam & ſuas affectiones ſubjecto; peccatum igitur, ſeu defectus per ſe terminans licitum odium abominationis reddet pariter talis liciti odij terminatiuum ſubjectum ſuum, quod eſt perſona peccatoris: Deinde commendabile eſt ne dum licitum, fugere perverſos viros, eo quod ipſorum converſatio nobis noceat, hoc autem eſt illos facto quodammodò abominari. Nec refert, quod communiter dici ſolet in homine vitioſo odio habendum eſſe vitium, non hominem: Non refert, inquam, quia debet id intelligi, vel de homine ut homo eſt & capax beatitudinis, non de eodem ut vitioſo & peccatore, vel ſenſus eſt hominem non eſſe odio habendum odio inimicitiæ quod (ut in nobis exercetur) eſt etiam erga peſſimos viros illicitum *ex ſeq. num.* 16.

Quomodo poſſit verſari circa Perſonam.

Probatur ſecundò quoad odium inimicitiæ, & quidem ſuppoſito, quod iſtud detur in Deo, ex hoc ipſo ſufficientiſſimè infertur non eſſe intrinſecè malum; unde poſſunt ad rem præſentem revocari omnes auctoritates pro odio inimicitiæ in Deo militantes; quia tamen noſtri Adverſarij non admittunt in Deo hoc odium propriè & formaliter acceptum, aliter & a priori contra ipſos procedendum ſic. Odium inimicitiæ ut ſuppono *ex tractat.* 1. *libro* 4. *cap.* 4. §. 1. nihil aliud importat ex ſua ratione formali, quàm diſplicentiam Perſonæ ob injuriam illatam; & voluntatem, quâ quis Perſonæ diſplicenti vult malum ut ipſi malum, atqui neutrum ex his eſt intrinſecè malum; non primum, quia diſplicentia Perſonæ reperiri poteſt in odio abominationis, quod ab Adverſarijs conceditur non eſſe intrinſecè malum; nec refert, quod ſit ob injuriam illatam, quia hæc ipſa, præſertim quando injuſtè infertur, eſt licitè abominabilis: Non ſecundum, quia Perſona diſplicens ob injuriam illatam ſæpè eſt digna malo ut ſibi malo, puta pœnâ æternâ; quæ eo ipſo, quod eſt æterna; non infligitur in ullum bonum patientis, ſed præcisè ut ipſi mala; atqui velle alicui Perſonæ malum, quo digna eſt, non eſt ex ſe præciſe moraliter malum, eſt enim voluntas habens pro objecto aliquod moraliter debitum adeoque moraliter bonum; ergo. 13.

Neque item eſt intrinſecè malum ex propria ratione formali præcisè odium inimicitiæ.

Dices: odium inimicitiæ ex propria ratione formali præcisè eſt oppoſitum charitati; ergo ex propria ratione formali præcisè eſt malum intrinſecè, utpotè oppoſitum actui bono intrinſecè. Sed contra: odium inimicitiæ ex propria ratione formali præcisè abſtrahit ab eo, quod malum volitum, debitum vel indebitum ſit; quatenus proſequitur malum indebitum, opponitur charitati, quatenus proſequitur malum debitum, non item. Neque dicas, nolle alicui malum, etiam debitum, eſt actus charitatis; ergo velle alicui malum etiam debitum, eſt odium oppoſitum charitati. Contra enim nolle alicui malum, etiam debitum, ſi eſſe poteſt actus charitatis, eſt actus charitatis non obligatoriæ; oppoſitio autem ad virtutem non obligatoriam non eſt oppoſitio propria, nec reddit actum intrinſecè malum ideò &c. Neque dicas inſuper æterna damnatio eſt debita peccatori, & tamen tenemur ex charitate eam, peccatori nolle, cum teneamur ex charitate peccatori velle æternam beatitudinem: Contrà enim; peccatori dumtaxat, ut homo eſt, tenemur nolle æternam damnationem, quam ſecundum præſentem 14.

juſtitiam licitè poſſumus eidem velle ot peccatori, dunmodo hoc velle reſolvatur præciſè in damnationem ut debitam.

35\. Ex his habetur odium Dei, ſive abominationis, ſit, ſive inimicitiæ, non eſſe inttinſecè malum ex ratione genetica odij, quamvis tale ſit ex ratione ſpecifica odij Dei: Cur verò odium Dei potius, quàm Proximi, ex ſua tatione ſpecifica ſit inttinſecè malum? facilè eruitur ex dictis, nimitum ex eo, quod Proximo, non Deo, poteſt tum aliquod verum malom ineſſe, tum aliquod verum malum deberi. Non valet propterea arguere à malitia odij Dei ad malitiam odij Proximi, & quoties Adverſarij ex eo quod ſit inttinſecè malum odium inimicitiæ Dei infereot tale pariter eſſe odium inimicitiæ Proximi poterunt ad hominem impugnari retorquēdo illationem in odio abominationis, quod ipſimet fatentur eſſe reſpectu Dei, non teſpectu Proximi intrinſecè malum.

Cur ſit intrinſecè malum odium Dei, non odium Proximi?

36\. Aſſert. 2. Odium inimicitiæ Proximi, prout de facto in nobis teperitur, dici poteſt intrinſecè malum ex conditione ſubjecti; nec eſt aut fuit onquàm licitum. Prima pars ponitur ad majorem conciliationem doctrinæ a nobis præaſſertæ cum doctrina Adverſariorum. Secunda pars eſt contra nonnullos opinatos odium inimicorum fuiſſe olim licitum, & permiſſum Iudæis in lege antiqua, pro quâ opinione Arriaga *diſp.* 36. *ſec.* 3. *num.* 27. refert Salmeronem, Maldonatum, & Origenem.

17\. Probatur & explicatur prima pars: odium inimicitiæ Proximi prout de facto in nobis teperitur, non reſolvitur præciſè malum ut malum Perſonæ diſplicenti; ipſi tamen debitum, quod eſt idem ac dicere habens moralem honeſtatem iuſtæ punitionis aut condignæ ſatisfactionis; ſed ulterius odio noſtro tendimus, & volumus tale malum addito aliquo pravo fine, puta ob gloriam, quam apprehendimus in nos derivari ex malo illo inimicum humiliante, ob vindictam, quam optamus propria auctoritate ſumere de inimico: ſæpè etiam odio noſtro excedimus in malis volitis optando inimico mala, aut graviora debitis, aut ſimpliciter indebita, puta anihilationem quodammodo ipſius, aut damnationem æternam ejuſdem ſimpliciter & abſolutè, ot homo eſt præſcindendo ab eo quod exiſtat in peccato, necne? unde dici ſolet inimicitiæ odium non facere finem in malis optatis Proximo: ſæpè inſuper inimicis, quos odio habemus, nolumus præſtare ea, ad quæ præſtanda ex charitate aut aliundè tenemur; quæ omnia, & id genus alia, ſunt intrinſecè malum ex conditione ſubjecti: & de hoc odio habente ex alieno adjuncto moralem malitiā intelligendus eſt S. Doctor 1. *cont. Gent. cap.* 96. ubi ſtatoit alicujus rei odium Deo coovenire non poſſe, niſi magis placeat dicere fuiſſe id à S. Doctore retractatum 1. *p. quæſt.* 20. *art.* 2. *ad* 4. ubi expreſſe habetur peccatores; in quantum oon ſunt, odio haberi à Deo: Certè aotem prior auctoritas Adverſarij non admodum favet ſaltem ex eo, quod nimis probet negando univerſaliter omne odium, nec diſtinguendo inter odium abominationis & odium inimicitiæ.

Odium inimicitiæ Proximi in nobis dici poteſt intrinſecè malum ex conditione ſubjecti.

18\. Probatur, & explicatur, ſecunda pars occurrendo ratiooi dubitandi deſumptæ ex Matth. 5. *Auditis, quia dictum eſt, diliges Proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*; quibus verbis Christus videtur inſinuare fuiſſe antea præceptum, aut permiſſum odium inimicorum; ſe verò mutare id & corrigere præcipiendo inimicorum dilectionem. Hujus textus variæ ſunt interpretationes, quas referuot ex Scholaſticis Maldetus *quæſt.* 25. *art.* 9. & Arriaga *diſp.* 39 *ſec.* 3. communior, ſicut ex intento noſtro accommodatior ea eſt, quâ dicitur ly *Auditis quia dictum eſt odio habebis inimicum tuum*, non poni tamquàm vere contentum in lege antiquâ, ſed tamquàm pronunciatum à Scribis & Phariſæis malè interpretātibus legem, & ex eo quod *Lev.* 19. haberetur *diliges amicum tuum*: per locum dialecticum a contrario inferentibus *Odio habebis inimicum tuum*: At erat perverſa illatio primò, quia non conformis alijs textibus antiquæ legis, quibus inſinuatur inimicorum dilectio ut Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc eum.* Prov. 24. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas* &c. Secundò, quia amici nomen *Lev.* 19. ſumitur pro omni Proximo, ot oſtendit Sylvius *quæſt.* 25. *art* 8. *ad* 1. eſt autem Proximus etiam inimicus. Tertio, quia illatio à contrario valet ſolum, quando militat contraria ratio; in re autem noſtra militat pro inimico eadem ratio quæ pro amico amando ex charitate; uterque ſcilicet eſt ordinatus ad eundem ſupernaturalem finem, vterque in iiſdem ſpiritualibus boois participat. Non fuit igitur olim in antiqua lege licitum, aut præceptum odium inimicorum, quod nunc eſt illicitum & prohibitum, ſed hoc fuit tunc quoque illicitum ac prohibitum, quamvis non præcepto adeò expreſſo, ut in lege nova.

Fuit ſemper illicitum, etiam in lege antiqua.

§. III.

Odium Proximi quam grave peccatum ſit, & utrùm unius ſpeciei athoma tum in ſe tum relatè ad odium Dei?

19\. Assert. 1. Odium Proximi ea ratione, quâ illicitum & contrà obligationem charitatis eſt ex genere ſuo peccatom lethale, & valdè grave; imò graviſſimum peccatorum, quæ committuntur contra Proximum Ita Theologi communiter cum D. Thoma *hic quæſt.* 34 *art.* 4.

Odium Proximi eſt ex genere ſuo peccatum lethale.

Dixi *ea ratione, qua eſt illicitum & contra obligationem charitatis*; quibus particolis excipitur in primis odium abominationis, quod ut plurimum moraliter booum eſt, aut ſaltem non graviter malom; cum ex genere ſuo non verſetur circa Perſonam, & non opponator amicitiæ; quin potiùs ſoleat ab amore amicitiæ provenire: Excipitur inſoper odium inimicitiæ, provt poteſt erga Proxi-

Google

mum verſari optando illi mala debita ex motivo juſtæ punitionis, aut condignæ ſatisfactionis; Procedit igitur aſſertum de odio ea ratione, qua explicatum eſt *præced. num.* 17.

Probatur: Charitas ex genere ſuo graviter obligat, cum ipſius actus ſint maximè neceſſarij ad ſalutem; præceptum dilectionis Proximi in ſcriptura exprimitur tamquam ſimile, & quodammodò affine, præcepto dilectionis Dei; ergo non ſolum odium Dei, verum etiam odium Proximi, ea ratione, quâ eſt illicitum & contrà obligationem charitatis,

20. eſt peccatum lethale & valde grave imò graviſſimum omnium peccatorum contra Proximum, quia importat formalem & directam diſplicentiam averſionémque à Proximo, ſicut autem odium Dei, propter formalem & directam averſionem à Deo, eſt peccatum graviſſimum omnium ſimpliciter, quæ committuntur contrà Deum; ita odium Proximi, propter formalem & directam averſionem à Proximo erit graviſſimum omnium, quæ committuntur contrà Proximum.

Et omnium, quæ in Proximum ſunt, graviſſimũ.

Dices ex D. Thoma infra quæſt. 73. art. 3. in c. *Peccata, quæ committuntur in Proximum, ſunt per ſe penſanda ſecundum nocumenta, quæ Proximo inferuntur*; atqui peccata exteriora in Proximum, puta furtum, homicidium, inferunt Proximo majus nocumentum, quàm inferat odium, quod ex genere ſuo conſummatur interius, & quatenus interius conſummatur non nocet Proximo, niſi affectivè; Hinc S. Doctor *eo art.* expreſſè ait *Inter cætera peccata quæ committuntur in Proximum homicidium gravius eſt, & quæſt.* 39. *art.* 2. *ad* 3. dixerat, *inter peccata, quæ ſunt in Proximum, peccatum ſchiſmatis videtur eſſe maximum*; quæ duo licet non videantur inter ſe admodum cohærere, ambo tamen ſuadent ex peccatis in Proximum peccata exteriora, homicidij præſertim & ſchiſmatis, eſſe graviora peccato

21. odij. Sed contra: gravitas, & malitia peccatorum, eſt quodammodò multiplex quatenus ex multiplici capite habetur ut attingit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 50. *art.* 4. & *quæſtio.* 2. *de malo art.* 3. facilè propterea evenit unum peccatum eſſe alio gravius ſecundùm unam rationem, minus grave ſecundùm aliam, gravius ſimpliciter, minus grave ſecundùm quid. In propoſito dico, inter peccata, quæ ſunt in proximum, ſi attendatur malitia quodammodo materialis & phyſica, peccata exteriora eſſe graviora odio, verè enim cauſant in re majus malum phyſicum, & in hoc ſenſu loquitur Angelicus contra nos adductus; ſi attendatur malitia formalis & moralis quæ eſt malitia ſimpliciter reſpectu peccati, utpotè conſtitutiva ipſius in ratione culpabilis, odium proximi eſt gravius, conſiſtit enim in actu voluntatis, adeóque eſt per ſe voluntarium & culpabile, cum reliqua peccata in Proximum talia ſint ratione alterius, præſertim ratione odij juxta eundem Angelicum *præc. quæſt.* 34. *art.* 4. dicentem *Si quid culpæ eſt in exterioribus peccatis, quæ contra Proximum committuntur, totum eſt ex interiori odio*: Subintellige autem hoc obiter de exterioribus peccatis habentibus aliquam malitiam oppoſitam charitati non de quibuſcumque ſimpliciter in Proximum commiſſis, qui enim committit ſtuprum in Virginem, in ipſam peccat exterius, & tamen hujuſmodi peccatum ut plurimùm non provenit ex interiore odio ejuſdem Virginis, ſed potius ex ejus interiore amore inordinato: qui item furatur Amico non peccat in Proximum ex diſplicentia perſonæ, nec furtum vult, quia alteri malum, ſed quia ſibi utile: eadem eſt ratio de mandatario, qui accepto ſui criminis pretio patrat homicidium.

Quamvis peccata exteriora ſint graviora ſecundũ quid, & in ratione mali phyſici.

Ubi adverte obiter in iſtis, & ſimilibus 22.
peccatis, quæ ita contra Proximum ſunt, ut non procedant ex odio, nec habeant malitiam ſpecialiter oppoſitam charitati, maximè verificari quod odium ſit gravius; nam quando eadem peccata aut alia quæcumque in Proximũ commiſſa, ex odio interiore proveniunt contrahunt, ſeu includunt malitiam odij, nec videtur odium poſſe eſſe gravius peccato, in quo includitur: Nihilominus adhuc in rigore gravius eſt, quia malitia odij in peccato exteriore commiſſo ex odio excluditur participativè, & ratione alterius; in odio ipſo reperitur formaliter & ratione ſui, eadem autem malitia reddit prius & gravius peccatum, cui applicatur formaliter & ratione ſui, quam cui applicatur participativè ex ratione alterius. Deindè in præſenti ſermo eſt de 23.
gravitate odij ex genere ſuo, ideſt de ſumma gravitate dabili intra genus odij, hæc autem non includitur in ullo peccato externo adæquatè & ſecundùm ſe totam; nam quodlibet externum peccatum fertur in malum Proximi determinatum & limitatum, furtum v. g. nocet in bonis fortunæ, non in fama aut vitâ; homicidium in bonis vitæ, non in fortuna aut fama &c. at odium habens gravitatem ſummam in ſuo genere non facit finem in malis optatis Proximo, & in iſto vult omne malum ponere nullum bonum relinquere. Et hinc mihi videtur efficaciſſimè inferri, quod peccatum graviſſimum in genere odij ſit gravius omnibus aliis peccatis, quæ in Proximum ſunt, quod ſufficit pro aſſerti intento; cum hoc deinde ſtat plura peccata externa ex circumſtantia majoris nocumenti, aut aliundè, poſſe eſſe graviora aliquo interno odio non graviſſimo; & certè cum odium internum Proximi poſſit ex levitate materiæ eſſe veniale, omnia lethalia externa ſunt tali odio graviora, & hinc etiam occurri facilè poteſt inſtantiæ factæ *præcedenti numero* 20. undè doctrina hujus *numeri* 23. breviter profert tum efficacem probationem veritatis à nobis aſſertæ, tum expeditam ſolutionem contrariæ rationis dubitandi.

Gravitas ſumma in genere odij non poteſt tota includi in ullo peccato externo.

Aſſert. 2. Odium Proximi poteſt quidem 24.
in aliquo ſenſu eſſe unius ſpeciei athomæ, melius tamen dicitur in ſpecie multiplex, adeò ut odium Proximi ponatur tum ſpecie differre ab odio Dei, tum plures ſub ſe

ſe ſpecies continere. Procedit aſſertum de odio inimicitiæ, & colligitur ex Cajetano *hic quæſtion. trigeſima quarta, articulo ſexto*, Bannezio & Sylvio *eodem articulo*, Valeoria *diſputatione tertia, quæſtione undecima, puncto ſecundo*, Suarexio *diſputatione ſexta, ſectione ſecunda.*

Olium omne, ſivè Proximi, ſivè Dei, in aliquo ſenſu eſt ejuſdem ſpeciei athomæ.

Probatur & explicatur: Odium Proximi conſiderari poteſt primò negativè ſecundum ſpeciem, quam habet ex oppoſitione ad charitatem, cujus perfectione ſeu rectitudine privat. Hac ratione odium Proximi dici poteſt unius ſpeciei athomæ, ſicuti eſt unius ſpeciei athomæ virtus charitatis, qua privat, & cui formaliter opponitur. Porrò quia per nos virtus charitatis ergà Deum, & Proximum, eſt una in ſpecie athoma quoad habitum tantum, non quoad actum; ergà Proximum verò quoad utrumque, fit quod odium Dei, & odium Proximi, ſint unum in ſpecie athoma ſolùm habitualiter, ſeu relatè ad charitatem habitualem; odium verò Proximi fit in ſpecie athoma unum etiam relatè ad charitatem actualem. Undè tandem in hoc ſenſu odium univerſaliter ſumptum eſt unius ſpeciei in ratione vitij potiùs, quàm in ratione peccati; in ratione habitus, non in ratione actus, ut loquitur Suarez *præcitat. ſect. 2. num. 5.*

25\.
Melius tamē ponitur, quod odium Proximi ſpecie differat ab odio Dei.

Secundò odium Proximi conſiderari poteſt poſitivè ſecundùm ſpeciem moralem, quam habet ex objecto, & à qua contrahit malitiam ſpecialiter aperiendam in Sacramentali confeſſione. Hac ratione, quæ eſt præcipuè attendenda, utpotè diſtinguens in praxi peccatorum ſpecies; hac, inquam, ratione odium Proximi eſt ſpecie multiplex, & in primis ſpecie differt ab odio Dei, quia malum Dei & malum creaturæ toto genere, ne dum ſpecie, differunt; nam malum Dei qualecunque eſt malum ſummum, eſt deſtructivum ſummi boni, & cogitatione apprehendi, non in re poni poteſt, unde odium illius proſecutivum eſt intrinſecè malum malitia non admittente materiæ parvitatem: Secùs ſe res habet in malo creaturæ, quod ut creaturæ noxium lædit, aut deſtruit, bonum dumtaxat finitum; eſt dabile in re, non eſt ſub omni ratione illicitum, & ea ratione, qua illicitum eſt, admittit materiæ parvitatem: Ecce igitur ex parte objecti, quod eſt malum volitum, in odio Dei & odio Proximi diverſitatem in genere moris notabilem, maximam, & pro multiplicanda ſpecie morali ſufficientiſſimam.

26\.
Item quod odium Proximi ſit in ſe ſpecie multiplex.

Eſt inſuper ſub eadem conſideratione odium Proximi ſpecie multiplex in ſeipſo, & continet plures peccatorum ſpecies; quatenùs poſſumus Proximo velle mala valdè diverſa; puta æterna vel temporalia, & inter temporalia mortem, infamiam, paupertatem; ſicuti autem qui ex odio occidit, infamat, expoliat, committit peccata ſpecie diverſa, ità qui vult occidere, infamare, expoliare, habet diverſa ſpecie odia, undè habens ex odio deſiderium occidendi, verbi gratia, non ſufficienter aperit conſcientiam in confeſſione dicendo ſe habuiſſe odium grave contrà Proximum; ità enim dicendo aperit tantum genus proximum, ſeu ſpeciem ſubalternam, non ſpeciem athomam peccati à ſe commiſſi. Nec refert, quod mala enumerata licèt diverſa, ſpectant omnia ad objectum materiale odij. Non refert, inquam, quia certum eſt non eſſe neceſſariam diverſitatem formalis objecti ad diverſificandam ſpeciem moralem in ratione peccati; cum de actu humano in univerſum dici ſolent,

Uno namque modo bonus eſt, multiſque nefandus.

Non deeſt tamen in odio Proximi aliqua diverſitas ſpecifica etiam ex objecto formali, quatenùs quis poteſt velle malum Proximo, vel ut aliquid Dei eſt, nobiſcum participans in bonis ſupernaturalibus, vel ut eſt præcisè creatura rationalis, communicans in bonis naturalibus; at hoc poſterius odium, utpotè Theologicum, id eſt non directè oppoſitum charitati Theologicæ non eſt proprium hujus loci.

---

§. IV.

Reliqua oppoſita Charitati enumerantur.

27\.
Oppoſita charitati ſecundaria novem enumerantur.

ASSERT. Reliqua oppoſita charitati dici poſſunt ſecundaria & rectè enumerantur ſic, Acedia, Invidia, Diſcordia, Contentio, Schiſma, Bellum, Rixa, Seditio, Scandalum. Ita Theologi communiter cum D. Thoma hic à *quæſt. 35.* ad *quæſt. 44.* Ubi per novem quæſtiones novem enumerata vitia explicantur, & id quoque in præſenti latè præſtatur à Sylvio, Maldero, Suario, Valentia, Arriaga, Gabriele à S. Vincentio, & aliis pluribus, quos conſulere poterit lector moralium curioſus, nos cum, nec poſſimus obiter ſatisfacere materiæ adeò amplæ, nec debeamus inter ſcholaſtica ex profeſſo tractare rem moralem, contenti erimus notione terminorum, ideò aſſertum breviter.

Probatur, & explicatur: Oppoſita charitati aſſignanda ſunt, & diſtinguenda relatè ad charitatis actus, cum quibus habent repugnantiam; ſicuti igitur præter actum amoris, ſeu dilectionis, reliqui charitatis actus ſunt ſecundarij, ità præter odium, quod charitati opponitur relatè ad actum amoris, reliqua charitati oppoſita dici poſſunt ſecundaria, utpotè quæ charitati opponuntur relatè ad actus ſecundarios, ſic

28\.
Relatè ad gaudium charitati opponuntur Acedia & Invidia.

Primò relatè ad gaudium charitati opponuntur Acedia & invidia. Acedia quidem relatè ad gaudium charitatis ergà Deum, & eſt triſtitia de bono aliqualiter divino exiſtimato ut malo proprio, propter adjunctam difficultatem illud obtinendi, afferens proindè incuriā, & negligentiam actionum ſalutarium. Invidia relatè ad gaudium charitatis ergà Proximū, & eſt triſtitia de bono Proximi exiſtimato ut proprio malo, & diminutivo proprij boni.

Relatè ad pacem Diſcordia.

Secundò relatè ad pacem charitati opponuntur Diſcordia, Cootentio, Schiſma, Bellum, Rixa, Seditio. Diſcordia quidem relatè ad pacem internam cordis, & eſt interna diſſenſio voluntatum circà bonum divinum, aut Proximi, cadens ſub obligatione charitatis.

Contentio.

Contentio relatè ad pacem externam oris, & eſt altercatio verborum cum Proximo ad impugnandam veritatem & contrà bonum veritatis, quod tenemur Proximo ex charitate velle.

Schiſma.

Schiſma, ſicut & bellum, rixa, ſeditio, relatè ad pacem externam operis, & Schiſma eſt disjunctio, qua quis ſe ſeparat ab Eccleſia, ut eſt unum quoddam corpus myſticum conſurgens ex membris mutuâ charitate connexis.

Bellum.

Bellum hic ſumitur eo, quod illicitum eſt defectu alicujus conditionis ex charitate requiſitæ, & dici poteſt conflictus armorum, aut permanens eorundem apparatus ad nocendum adverſariæ parti in iis, quæ tenemur ei ex charitate velle.

Rixa.

Rixa eſt quaſi bellum, ſeu pugna, inter privatas perſonas, & has quidem paucas vel etiam duas tantùm, præſertim ſi talis pugna, aut etiam conatus ad pugnam, ex ſubita animi concitatione & excandeſcentia fiat, nam ſi ex condicto deliberetur appellatur ſpeciali nomine duellum, quaſi duorum bellum, & græcè Monomachia, ideſt unius cum uno pugna.

Seditio.

Seditio dicitur, quaſi ſeorſum itio, & eſt tumultus Civium ſe dividentium ad invicem pugnandum, opponitur paci & unitati temporali alicujus corporis ſæcularis, ſicut ſchiſma opponitur paci & unitati ſpirituali corporis Eccleſiaſtici.

29\.

Relatè ad beneficentiã ſpiritualem Scandalum.

Tertiò relatè ad beneficeotiam charitati opponitur Scandalum, quod cum D. Hieronymo definit D. Thomas *q. 43. art. 1.* Dictum, vel factum, minùs rectum præbens alteri occaſionem ruinæ, ſubintellige, ſpiritualis, quæ ſola venit ſub nomine ruinæ ſimpliciter prolato; idcircò ſcandalum contrà ponitur beneficentiæ non cuicunque ſed ſpirituali, præſertim ut exercetur media correctione fraterna; hæc enim morali quadam vi, & per modum occaſionis potiùs, quàm cauſæ à ſpirituali peccati ruina retrahit, ſicut illud morali pariter vi, & per modum occaſionis in ſpiritualem peccati ruinam inducit.

Relatè ad beneficent ã corporalem cur nullum ſpeciale oppoſitum aſſignetur.

Relatè ad beneficentiam corporalem, prout in bonis temporalibus exercetur, nullum ſpeciale charitati oppoſitum aſſignari conſuevit, fortè quia beneficentia corporalis nimis latè patet, ejuſque oppoſitum eadem latitudine acceptum dici univerſaliter poteſt maleficentia, & complectetur omnia peccata externa contrà Proximum commiſſa cum læſione charitatis.

Et ecce brevem notionem oppoſitorum charitati, ut ſolent communiter enumerari. 30.

Cur item nullum relatè ad miſericordiam, cui tamen pro oppoſito aſſignari poteſt Invidia.

Si quæras, cur enumerando talia oppoſita relatè ad actus charitatis ſecundarios non fiat ex profeſſo mentio ullius oppoſiti relatè ad miſericordiam? quæ tamen ſuperiùs poſita eſt unus ex actibus charitatis ſecundarijs: Aſſignari pro ratione poterit, quod miſericordia ad charitatem pertineat reductivè, & minus propriè, quàm cæteri actus ſecundarij. Si deindè relatè ad miſericordiam eâ minus propria ratione, quâ ad charitatem pertinet, oppoſitum quæras: Aſſignari pro tali oppoſito poteſt invidia, quæ licèt ſit affectus triſtitiæ, ſicut eſt miſericordia; eſt tamen de contrario objecto, nam invidus triſtatur de Proximi bono, Miſericors de Proximi malo, ſicque invidia opponitur gaudio, de quo ſuprà contrarietate affectus, opponitur miſericordiæ contrarie●e objecti, ut attingit D. Thomas *q. 36. art. 3. ad 3.*

Item Nemeſis.

Si tandem relatè ad miſericordiam quæras oppoſitum contrarietate affectus; certè hoc nihil eſt aliud, quàm gaudium de Proximi miſeria ſecum afferens voluntatem eam non ſublevandi; vitium ſeu habitus actale gaudium inclinans ab aliquibus appellatur Nemeſis, quæ licèt ut plurimum in bonam partem ſumatur pro virtute inclinante ad gaudendum de malis, in quantum ea Proximus dignè patitur, poſſit tamen etiam in malam partem ſumi pro vitio inclinante ad gaudendum de malis, quamvis ea Proximus patiatur indignè. Et hæc, quæ de Theologicarum virtutum ternario dixiſſe ſufficiat Divinarum Perſonarum Triadi devoveo, & ſaniorum Theologorum, ac Eccleſiæ judicio, cenſuræque ſubjicio.

PROLVSIO

PROLVSIO SCHOLASTICA, IN TRACTATVM DE INCARNATIONE.

TERRENVS homo terreſtri in Paradiſo collocatus cœleſtis Patris in ſe, cœleſtiſque Patriæ præ ſe ferebat imaginem; Toto ſcilicet relucebat Deus in homine, in quo intelligendi facultas ſcientiarum infuſione ſpectabilis, arbitrij libertas, ad honeſtatem ſponte proclivis, rationis lumen purioribus radijs eximiè coruſcans, erant omniſciæ mentis, increatæ voluntatis, æternæ lucis lineamenta: Immortalis animus imitationem quamdam æternitatis, corporis robur incommodis nullis obnoxium aliquale beatitatis initium exhibebant, originalis juſtitia præbebat ſimilitudinem Divinæ Sanctitatis, habitualis gratia conſortium Divinæ Naturæ, adoptiva filiatio participationem Divini Patrimonij. Relucebat cœleſtis Patria, ac ſumma felicitas terreſtri in Paradiſo, in quo perpetui veris deliciæ, perennis Autumni divitiæ, ſerena ſemper & ridens cœli facies, læta ſemper & ſalubris aëris temperies, jucunda ſemper & florens terræ ſuperficies, ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum æmulabantur. Utramque hanc, imaginem originis culpa vitiavit, quæ terreſtrem Paradiſum ſuis ſpoliando incolis in tellurem deſertam, regionemque barbaram tranſtulit, & hominem donis exuendo gratuitis reddidit mutilum ac informe naturæ lapſæ ſimulachrum. Homine innocente imago nulla venuſtior, eodem peccatore imago nulla deformior: cœcutit hebetata mentis acies, declinat deteriorem in partem arbitrium, pars inferior ſuperioris evertit imperium; aggravatur anima corpore, fatigatur corpus labore, labor diuturnitate exaſperatur. Primi Parentis lapſu nutat tota proſapia, morbo capitis cuncta laborant membra, vitium radicis per ramos omnes ſerpit: transfert Adam ad Poſteros ærumnarum ſupellectilem, infirmitatis peculium, ignorantiæ patrimonium, concupiſcentiæ principatum: Transfert præjudicium innocentiæ, obicem gratiæ, jacturam gloriæ, reatum pœnæ: transfert præteritorum luctuoſam reminiſcentiam, triſtem præſentium experientiam, terrificam præſenſionem futurorum, vitæ mille crimina, mortis mille diſcrimina. Sicque ærumnoſa nimis malorum ſibi invicem ſuccedentium viciſſitudine totum humanum genus inter mala verſatur; mala perpetrat, mala tolerat; mala infert, mala refert; mala docet, mala diſcit, à malis in mala ruit, à culpis, in pœnas, à pœnis in culpas relabitur; iſtis impellitur juſtitia ad ultionem, illis Miſericordia flectitur ad commiſerationem: addit juſtitiæ ſtimulos humanæ vilitas conditionis, ex quâ & dignitati ſatisfactionis ingens detrimentum & gravitati offenſæ maximum incrementum accedit: auget illicia Miſericordiæ humanæ magnitudo miſeriæ, cui ſublevandæ impar eſt virtus quælibet non divina. Hæc ultionis & commiſerationis incitamenta redderent miſericordiam juſtitiamque diſcordes, ſi aut poſſet non eſſe inviolabile divinas inter perfectiones concordiæ Sacramentum, aut non ſuppeteret increatæ ſapientiæ modus exigendi integram reſtaurationem injuriæ, & exercendi ſimul benignam Miſeriæ ſublevationem. Præſtat utrumque mirificè Divini verbi Incarnatio, in quâ Miſericordia

æquè

æquè, ac juſtitia plaudentes non ſolùm inter ſe geſtiunt, verum etiam Omnipotentiam ad plauſuum communionem inviiant. Miſericordiæ, Juſtitiæ, & Omnipotentiæ in Incarnationis Myſterio geſtientium plauſus de Incarnato verbo proluſurus, aut potius eidem plauſurus, conſiderationi veſtræ ſubijcio; & quia omnipotentia in Incarnationis opere prima exercetur, ipſa etiam in Incarnationis præludio prima glorietur, plauſuſque ſuos prima producat.

Proferat illicò ſibi vni competere, quod unionis hypoſtaticæ, cauſa ſit, & alterius cujuſlibet comprincipij ſubſidium dedignata, nec extraneum inſtrumentum admittat, nec meritum in talis unionis modo efformando; gaudeat conatus ſuos exercere adeò, ut in ſe prope modum exhauſta non ſolùm perfectius, ſed nec æquale quidquam valeat ulterius elaborare; non enim patitur Chriſtus alterius Chriſti conſortium, Monarchicum ſibi vendicat Principatum; monſtroſum eſſet corpus Eccleſiæ, ſi in multiplici Chriſto multiplex Caput ſortiretur, & quæ unicum Cor habet immultiplicabile in unico & immultiplicabili Spiritu Sancto, nequit non habere unicum & immultiplicabile Caput in unico & immultiplicabili Chriſto: Hoc unum Caput corpori ſufficit pluſquam giganteo; hoc unum membris omnibus vitæ, vigoriſque, ſatis impertit; hoc unum omnes movet, omnes perfectè regit facultates. Proferat rerum maximè diſcrepantium intimam conjunctionem, factam compoſitionem in Perſona ſimplici: derivatam opulentiſſimam redemptionem ab egeno Redemptore; poſitam in impeccabili arbitrio libertatem ac omni merentiam. Chriſtus quippe præcepta etiam, quæ violare non poteſt, libere obſervat, & omnimode benè meretur in illâ obſervantia, in qua nullo modo poteſt male mereri. Proferat ſupremorum depreſſionem ad infima, infimorumque elevationem ad ſuprema: Dominus Dominantium ſervi formam indutus humillimæ Ancillæ ſubeſt imperijs, & alienis legibus placidiſſimè ſubditur qui tonitrua inter & fulgura legem aliquando Moſaycam promulgavit: ultionum Dominus factus Deus unionum, hominem ſibi novo æternoque fœdere copulat, nec ultricem ampliùs dexteram ad fulmina, ſed puerilia brachia ad amplexus extendit: Rex exercituum, Pacifici Principis aſſumens inſignia, naſcitur toto orbe in pace compoſito, ac facit Angelos Nuntios pacis, qui eoſdem creaverat bellatores: Ignis conſumens paleis ſtipuliſque inſidet, ac blanditur innoxius, & qui in ſole poſuit tabernaculum, ſua ponit in nocte cunabula: Cœli gaudium madet lachrymis ſudori aliquando ſanguineo commiſcendis: vagit, gemitque empyrei riſus paſſurus aliàs graviſſimam etiam ad mortem uſque triſtitiam; vindex libertatis faſciolis ſtringitur, mox etiam funibus vinciendus: Germinat vitis ex palmite, oritur ſol ex Sydere, gignitur Deus ex Virgine & Cœlo terrâque decantatur.

Virginitas felix, quæ partu eſt digna Tonantis.
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.

Ponuntur tres ſubſtantiæ in virtute ſuppoſiti æmulantes tria ſuppoſita in unitate eſſentiæ: uniuntur in Divina Perſona Naturæ non inter ſe imitantes in Divina Natura, non inter ſe, identificatas Perſonas: Communicantur humana Deo, divina homini, idiomata; homo divina agit, Deus humana patitur, & ea quæ vel Deo vel homini identitate ſunt propria, fiunt utrique, mutuâ prædicatione, communia. Falſis olim commentis, tranſlatos in Numina homines, ſuperſtitioſa antiquitas tradidit, aureis vinculis ſuos conſtrinxit Deos, malè teformidans illorum fugam, quorum præſentiæ malè fidebat; at omnipotentia, hominem Deum factum, Deum pluſquàm aureis unionis hypoſtaticæ vinculis alligatum, non falſo commento; ſed vero, profert miraculo: Luſit homines verſutia proditoris, dum ipſos futuros ſicut Deos dictitavit: Luſit proditorem omnipotentia Conditoris, dum præſtitit ad prodigium, quod ille protulit ad ludibrium; & cogitur malus Angelus invidere in homine Deitatem quam auſus erat irridere: Hercules in cunis geminos illidens colubros, fabuloſis Poëtarum paginis deſcribitur; jam homo melius Hercule, omnes Averni colubros elidit, & pede conterit triumphali; nec ex Draconis cauda noxium quidquam expaveſcit, quia jam dudum exiſtente ſole in virgine, noxij quicumque malignique influxus evanuere. Habet omnipotentia in Deo

exinanito

exinanito, & homine exaltato majora adhuc prodigia, ac mirabiliora paradoxa, quæ proferat, ne tamen juſtitiam proſiliendi ad ſuos promendos plauſus impatientem, diutiùs remoretur, ſilentio cætera præterit, plaudentemque auſcultat juſtitiam.

Hæc poſt inebriatas ſagittas ſanguine, ac devoratas gladio carnes, poſt plurimo accenſum aerem fulgure, poſt funeſtis atrata luminibus Aſtra, poſt fractas Cœli cataractas ad univerſi ſubmerſionem, & parata in gehennæ latebris incendia ad reproborum lanienam, ac combuſtionem, puniebat adhuc citra condignum lethalis culpæ demerita, cogebatur adhuc vel imparem ſatiſpaſſionem inferendo, vel diminutam ſatisfactionem repetendo, carere æqualitate illa, quæ potiſſima veræ juſtitiæ prærogativa eſt. Fluant licet abundè triſtibus ex oculis lachrymæ, erumpant licet continuo dolentibus ex præcordijs ſuſpiria, totus licet in cinere, & cilicio Populus offerat læſo Numini fructus pœnitentiæ, & contriti ſpiritus ſacrificia devoveat excedit longè hanc pœnalem ſatisfactionem originalis offenſa. Reſonent undique elogia & obſequia Deitatis, quælibet mens in Dei contemplationem exardeat, quodlibet opus in Dei gloriam cedat: familiare ſit exercitium virtutum, floreat obſervantia legum, vigeat etiam praxis Conciliorum: Non ſatis æquat horum omnium rectè factorum meritum unius gravis malefacti reatum, & quidquid poſſit aut à Creatura Creator exigere, aut Creatori Creatura exhibere, minus eſt eo, quod vindicativa juſtitia in irrogatæ injuriæ expiationem efflagitat. At quando homo unionis hypoſtaticæ privilegio ad Dei æqualitatem evectus potuit ſatisfactionem offenſæ æqualem impendere, & ſuperabundante gratia, ubi abundavit delictum copioſo pretio ſuam redimere captivitatem, confeſtim ſibi ipſi plaudit gloriabunda juſtitia, & officioſa gratulatur humanitati: Subſiſtit, hæc divino in ſuppoſito, & quia actiones eſſe ſuppoſitorum tota naturalis Philoſophia teſtatur, Divinæ Perſonæ operatio eſt quidquid in humanitate peragitur; Divinus eſt amor, quem humana voluntas elicit; divina eſt cognitio, quam mens humana producit, divinum eſt obſequium, divinum eſt pretium, divinum eſt meritum, quo humana Natura ſua reparat demerita, ſua extinguit debita, ſua delet læſæ Majeſtatis crimina: in vaſe fictili theſaurus reconditur, quo facile poteſt paupertas quælibet etiam extrema diteſcere, conditio quælibet etiam miſerrima ſublevari, damnum quodlibet etiam ſummum compenſari: Quamvis totus mundus in maligno poſitus graviſſima ruat frequens in ſcelera, ad Deum undique de terrâ clamet fuſus injuſtè Sanguis innocentum, fodiantur ubique ciſternæ diſſipatæ non valentes aquam gratiæ continere, pratum omne luxuria pertranſeat, caput omne roſæ coronent, os omne eructet blaſphemias, cor omne nefarijs ſordeſcat cogitationibus; manus omnis idolis immolet, pes omnis excurrat præceps ſemitas iniquitatis. Huic tanto divinæ indignationis irritamento eludendo, his totis ruinis cum fœnore reſarciendis, Incarnati verbi dignitas, Sanctitas, Meritum plenè abundequé ſufficiunt: una lacrymula ex Chriſti oculis defluens omni par eſt inquinamento diluendo, leviuſculum ſuſpirium emiſſum de Chriſti pectore, toti ſat eſt mundano pulveri diſpergendo, unica ſanguinis guttula ſcatens ex Chriſti Corpore, toti apta eſt univerſo dealbando. Quidni igitur Divina juſtitia in plauſus exiliat? dum in ſatisfactionem tribuitur non guttula, ſed totins profuſio ſanguinis; non leve ſuſpirium ſed emiſſus magno clamore Spiritus; non lacrymula una, ſed ingens lachrymarum effluvium, adeò ut non videatur ampliùs fidem omnem ſuperare quod narratur in fabulis, unam Saturni lacrymam in mare ampliſſimum excreviſſe. Quidni in plauſus exiliat? Dum ſuas pro homine divitias Deus oppignerat, dum anticiparâ ſolutione debita etiam

nondum orta extinguuntur, & damna necdum intentata reparantur dum pretium offertur, quo non ſolùm in remiſſione pœnarum, verùm etiam in largitione præmiorum poſſit juſtitiæ ſplendor inclareſcere. Enimverò Chriſti merita æternam etiam nobis comparaut gloriam; hæc, ex qua Redemptoris ſigna ſequimur, nobis debetur ut corona juſtitiæ, & noſtra ad viſionem beatam electio, ita eſt nobis opus liberalitatis, ut ſit Redemptori noſtro opus remunerationis: Gratia unionis alterius cujuſcumque gratiæ fulgorem perſtringit, ipſius meritum omnem aliam gratiam eſſe facit ex debito, & præcipuam beneficentiæ partem in materiam juſtitiæ convertit. Non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam libentiſſimè fateor cum Apoſtolo, ſi ſolitariæ prodeant; & ſi in ipſarum conſortium vocetur aliquid paſſionum Chriſti, omnem non tantùm attingunt, ſed excedunt etiam condignitatem: lex Evangelica, lex eſt gratiæ, prout à Chriſto in homines fertur, at prout inter Chriſtum quodammodo, Deumque verſatur, lex eſt juſtitiæ, & ſummo jure debet Chriſto quidquid gratuitò nobis diſponit. Quis jam non lætus judicem ſuſtineat? quando qui Reus eſt mutuare poteſt à Redemptore obſequia, quibus reatu quolibet expiato, ſententiam juſtæ abſolutionis extorqueat: quando qui inſons eſt, mutuare poteſt ab eodem merita, quibus addat operibus ſuis valorem, & jus exigendi copioſam retributionem; quando ille præſto habet unde placet Judicem indignatum, iſte undè ſe reddat acceptiorem Judici benevolo, uterque unde ſuppeditet Judici exercitium inſigne juſtitiæ, Juſtitiæ præclaram plauſuum, lætitiæque materiem.

Hunc in modum plaudens & læta juſtitia Miſericordiæ occurrit, quam dum ſuſpicatur triſtes ad ſe querimonias delaturam, geſtientem excipit, vultuque ſereno ſic placidiſſimè alloquentem. Olim primi Adæ peccatum dum hominem diviſit à Deo, nos quoque propemodùm ſeiunxit ab invicem; & quaſi à Te diſcors, ac aliena, tota incumbebam homini ſublevando, cui Tu proſternendo tota deſudabas: Tibi clamanti, *ego occidam*; & ego, *vivere faciam*, reclamabam: Tibi arrepto fulmine minitanti, *Ego percutiam*; & *ego Sanabo*, blandiebar: Quoties indignato Numini clypeum obtendebam? Quoties jacta retundebam ſpicula? Quoties parata avertebam ſupplicia? Eripiebam è manibus fulmina, extinguebam in oculis fulgura, ſedabam in ore tonitrua; inducias implorabam & fœdera, deferebam antiquorum ſuſpiria Patrum, & ardentiora vota Prophetarum, ut temperarem vindictam rigidiorem; dum Tu ſceleſtum Ninive faſtum, luxuriantem Pentapolis libidinem, induratam Ægyptiaci Principis infractamque pervicaciam, ſacrilegam Populi etiam electi ad idola defectionem, aliaque graviora flagitia exagerabas, ut in furores acerbiſſimos læſam provocares Majeſtatem, & iras diraſque commoveres ſeveriores. Jam verò ſecundi Adæ Myſterium conjungendo hominem Deo, nos etiam conſociavit ad invicem, eadémque hypoſtatica unione ſublata eſt & Creaturæ à Creatore diviſio, & juſtitiæ diſſenſio à Miſericordia, quæ propterea juſtitiam amica complectitur, ejúſque commendatis plauſibus, dum ſuos & ipſa promit, brevis attentionis beneficium flagitat, & hæc ferè erumpit in verba: Jacebat (inquit) ut noſti, malis innumeris obrutus, & propriarum mole miſeriarum conſepultus ſublunaris orbis, latè patebant erebi fauces humano generi degluciendo, imò avernali Principe ubique jam tyrannicè debacchante totus ipſe mundus erebi faciem præferebat: Notus dumtaxat in Judæa Deus; minimus dumtaxat Sanctorum Patrum Cœtus, fovebat deſiderium ſalutis, ac ſalvatoris, & ſpe, quæ differebatur animum affligente clamabat anxius *Mitte quem miſſurus es, Vtinam dirumperes Cælos, & deſcenderes*

deres, veni Domine, & noli tardare. Fulſit tandem ſerenum cœlum poſt nubila, & novi ſolis ortus clariſſimum diem nullius ſucceſſione noctis obtenebrandum invexit: *Apparuit* ſcilicet *benignitas Salvatoris Dei* ex Te ò Juſtitia de cœlo proſpiciente, *veritas de terra orta eſt*, propriòque Deus verbo enunciavit felicitatem, quâ præteritæ, præſenti, & futuræ miſeriæ providentiſſimè conſultum eſt. Teſtatur præteritæ miſeriæ reparationem rediviva cadavera, & à cimmerijs limbi tenebris ad beatam empyrei lucem ducta captivitas; teſtatur duriſſima, & quia lapideis exarata tabulis, lapidea penè dixerim lex, in benigniſſimam gratiæ legem humanis cordibus ſuaviſſimè inſculptam, commutata: Teſtatur circumciſionis pœnale remedium, Agni Paſchalis feſtinanter facienda comeſtio, victimarum cruenta ſacrificia, vacua figurarum & cæremoniarum cænotaphia: quæ in ſuave baptiſmi lavacrum, in perenne Euchariſtiæ convivium, in incruentum holocauſtum, in pleniſſima ſanitatis & gratiæ monumenta tranſierunt. Teſtantur impleta Prophetarum vaticinia, expleta Patriarcharum vota, compos facta totius Gentis expectatio. Præſentis verò miſeriæ ceſſationem, ó quæ pariter & quanta teſtantur? reſerata empyrei atria; occluſa gehennæ antra, tartareis coarctata confinijs tyrannica Dæmonis poteſtas, ut ex Apollinis oraculo ipſomet tartareo Principe loquente didicimus.

Me Puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum

Teſtantur reſtituta orbi templa, templis religio, religioni ſanctitas; inducta præceptis obſervantia, obſervantiæ meritum, merito gloria; reddita Myſterijs fides, fidei opera, operibus merces. Teſtatur exiguus olim gratiæ fons, qui uberrimum ſe effudit in fluvium; puſillus fidelium grex, qui copioſo fœtu ovile ampliſſimum occupat; Divini verbi modicum ſemen, quod proceram germinavit in arborem; triſtis & ſqualida mundi facies, quæ refloreſcit, & revireſcit tota exultantibus lignis Sylvarum à facie Domini quoniam venit; quæ & id genus alia præſcia, ni fallor, evoluebat mente vates regius, dum lætus concinebat, *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur laudabit Dominum.* Verùm quia minus eſt præſentibus mederi miſerijs, niſi etiam præcaveantur futuræ; quàm benè Miſericordiæ gaudia, & plauſus Incarnatio perficit, dum futuras miſerias tutis remedijs, futuramque felicitatem opportunis medijs præoccupat? enim verò quid homo trepidet Sacramentorum munitus præſidijs, inſignioribus gratiæ cumulatus auxilijs, ſupernaturalium virtutum inſtructus habitibus, ſpiritualium chariſmatum vallatus propugnaculis? Chriſto Duce, Chriſto Magiſtro, Chriſto Capite, Chriſto Paſtore; quid miles, quid Diſcipulus, quid membrum, quid ovis expaveſcat? Minutiſſima etiam volatilia, voraci coram accipitre, à metu immunia conquieſcent, quoties Aquilæ ſub alis foveantur; deſinent pavidi eſſe teneriores etiam lepuſculi, quoties Leonis jubâ tegantur, & protegantur: habemus in Chriſto magnarum alarum Aquilam Leonemque invictiſſimum, quiſnam poſſit locus eſſe formidini ſi vita hominis militia eſt, fidei clypeus ictus omnes retundit: ſi navigatio eſt ſpei anchora procellas omnes eludit: ſi peregrinatio eſt, charitas, quæ benigna, ubique parat hoſpitium; & Deus homo factus, ne anguſtum quidem locum habuit in diverſorio, ut homo in Dei filium adoptatus manſionem haberet auguſtiſſimam in Empyreo. Contrà dæmonis aſtus bonus Angelus vigilat ad cuſtodiam: contra mundi inſidias Beati ipſius Triumphatores ſe totos nobis præbent ad tutelam: contrà carnis illecebras præit candidiſſimus virginum Chorus ad exemplum, præit Deipara ad patrocinium. Ubi eſt ſtimulus mortis, ſi dulciſſimum mors ſomnum imitatur? ubi detrimenta tentationum, ſi Deus facit ex tentatione proventum? ubi terror Carnificum,

ſi pariunt pœnæ palmas, paſſiones gloriam, vincula libertatem? ſæviat furor tyrannicus & barbaræ immanitatis oceanus lacrymarum ſanguiniſque fluentis exuberet, jam ſanguis tingit purpuram, qua Chriſti ſervus inſignitur in Regem; jam lacrymæ coaleſcunt in margaritas, quibus æternus riſus redimitur, beataque capita coronantur. O vere divitem in Miſericordia Deum, qui miſeriam omnem feliciter adeò ſublevat? O ditiſſimam ſuis in plauſibus Miſericordiam, cujus in conſortium ſi Omnipotentia, & Juſtitia, certatim plaudentes revocentur, ſuave adeò, adeóque ſonorum excitabitur plauſuum melos, ut raptus in extaſim animus, ſolo poſſit venerari ſilentio, omnipotentiæ, Juſtitiæ, & Miſericordiæ præconia, quæ in Incarnati verbi obſequium, & plauſum proludebam.

TRACTA

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE INCARNATIONE.

LIBER PRIMVS.

De Exiſtentia, Modo, & Cauſis Incarnationis.

DESINANT generoſi hominum animi ſortem propriam dedignari, altiora petere, ſuperiora anhelare; & dum in Incarnationis opere ac munere divinitatem aſſecuti evehuntur ad ſublimitatem dignitatemque propria ipſorum vota, imò & cogitata ſuperantem, ſe totos effundant in commendationem beneficij, in admirationem Myſterij: Prædicent cum Apoſtolo *magnum eſſe pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*: Celebrent cum magno Leone Sacramentum ab initio promiſſum, in fine redditum, ſine fine manſurum; Myſterium redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ, Sacrificium reconciliationis & hoſtiam noſtri generis ſociam, noſtræ contaminationis alienam: Demirentur ſuſceptam à majeſtate humilitatem, à virtute infirmitatem, ab æternitate mortalitatem; naturam inviolabilem naturæ unitam paſſibili, & tanto fœdere utramque conſertam, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio: Et quicumque Chriſtiano gaudet nomine agnoſcat nos in Verbo Incarnato, & in Chriſto Deo homine, aggredi materiam Humanitate quidem jucundam & familiarem, & divinitate reconditam & inſcrutabilem; omni voluntatis affectu, omni mentis cogitatu digniſſimam; at una ſimul omni utriuſque facultatis contentione majorem, nec pro conditionis ſuæ merito, ſed pro puſillitatis noſtræ modulo pertractandam, & dividendam in quatuor libros, quorum primum inſcribimus. De exiſtentia modo & cauſis Incarnationis: Secundum inſcribemus. De Perſona Chriſti, ejuſque intellectu, voluntate, & Sanctitate: Tertium de Chriſti ſatisfactione, & merito: Quartum De defectibus & alijs pertinentibus ad Chriſti humanitatem. Liber primus expendit Incarnationem ſecundùm ſe & quaſi in fieri: Reliqui tres expendunt eamdem in facto eſſe & ſecundùm ſuum terminum, qui eſt Perſona Chriſti: liber ſcilicet ſecundus expendit Chriſtum in eſſendo, ſeu ſecundùm perfectionem ſui eſſe: Liber tertius eumdem expendit in operando, ſeu ſecundùm perfectionem, valoremque ſuarum operationum: Liber quartus in Chriſto expendit ſpecialiter humanitatem, præſertim ſecundùm imperfectiones, quas in ea permittit, vel excludit, Divinitatis conſortium.

1. Tim. 3. | De Nativ. Dom. Serm. 1. | Serm. 3. | Serm. 1. | Diviſio Operis.

Hæc porrò omnia agitat S. Doctor 3. *par.* à *quæſt.* 1. uſque ad *quæſt.* 26. à quâ uſque ad *quæſt.* 60. de Sacramentis proſequitur reliqua Myſteria vitæ Chriſti, ejuſque beatiſſimæ Genitricis; à quibus proſequendis nos removet tùm mos & exemplum aliorum plurium Theologorum, tùm natura ipſa Myſteriorum pertinentium ad eruditionem moralem aut hiſtoricam magis, quàm ad ſpeculationem ſcholaſticam.

CAPUT I.

De Poſſibilitate, Actualitate, & Cognoſcibilitate Incarnationis.

1. EXISTANTIA conſiderari poteſt, vel io ſtatu poſſibilitatis, vel in ſtatu actualitatis; item vel in ſtatu reali, vel in ſtatu intentionali: Sub prima igitur parte tituli huic libro præfici jute ponitur primo loco agendum de Incarnationis poſſibilitate, actualitate, cognoſcibilitate, quod eſt idem ac dicere de Iocarnationis exiſtentia ſecundùm varios, quos habere poteſt, ſtatus. Quia vero quæſitum *An eſt* juxta rectum doctrinæ ordinem ita procedit quæſitum *Quid eſt* rei, ut tamen ſupponat *Quid eſt* nominis, & ſimplicem quandam notionem ejus, cujus exiſtentia quæritur: Ex alia parte Incarnationis nomen nou eſt ſatis per ſe notum, quin nec ab omnibus admiſſum, expedit propterea aliquid de nomine ipſo præmittere, nonnihil ſimul attingendo de nomine Chriſti, qui eſt Incarnatioois terminus.

2. *Chriſtus ex vi nominis quid?* Præmitto igitur primò Chriſtum græcè idem eſſe, quod hebraicè Meſſias, latinè unctus; ita dictus, quia in ipſo natura humana uogitur & perfuoditur quodammodò oleo divinitatis, du.o ex unione ad ipſam ſanctificatur; unde Petrus *act.* 10. ait de Ieſu à Nazaret *unxit eum Deus ſpiritu ſancto & virtute.* & ad Chriſtum referri ſolet illud Pſalm. 44. *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, Athanaſius item Oratione contra Arrianos poſt quartum ſermonem in illa verba *Ex Deo Deus eſt verbum* ita loquitur in Perſona Chriſti *Ego enim ſum chriſma ſive unctio, Chriſtuſque ſive unctus homo eſt, qui à me aſſumptus eſt.* Huic ſignificationi nominis Chriſti conſonat hebraicum nomen Meſſias, quo verum Deum & verum hominem ſigoificari ex utriuſque teſtamenti paginis oſtendere ſolent Cootroverſiſtæ: Eſt itaque Chriſtus Deus & homo in divini Verbi perſona ſubſiſtens, ſeu eſt *Verbum Caro factum* ut habetur *Io.* 1. ſumpta per figuram ſynecdochem carne pro tota natura humana ex anima & corpore conſtitutâ, cujus modi loquendi nec exempla, nec rationes, deeſſe oſtendit Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 1.

3. *Incarnationis nomen defenditur & expenditur.* Præmitto ſecundò diſplicuiſſe olim aliquibus Incarnationis nomen, aut ut novum, aut ut parum latinum; ſed immeritò, quia vocabuli novitas congruebat novitati Myſterij, cum juxtà Cicerooem *lib.* 1. *academic. quæſt.* novis rebus nova liceat imponere nomina; hunc deindè non poteſt amplius novum videri cum inductum ſit à tempore Niceni Concilij, & fuerit poſtea ab Auguſtino, Hieronymo, Cyrillo, Leone, alijſque antiquis Patribus uſitatum; unde nec videri debet parum latinum, cum Patribus benè latinis arriſerit, neque parum latina ſunt verba illa Io. 1. *Verbum caro factum eſt*, ex quibus derivatum fuit Incarnationis vocabulum ad ſignificandam eam actionem, quâ Verbum Caro factum ſeu incarnatum eſt; & quia Verbum poteſt pariter dici inhumanatum, ſeu corporatum, invenitor pro Incarnatione Inhumanatio apud Damaſcenum *lib.* 4. *fid. cap.* 6. & Corporatio apud Hilarium *in Prologo ſuper Pſalm.*

Præmitto tertiò præter vocabula Incarnationis, Inhumanationis, Corporationis, habentia non ſolum eandem ſignificatioɩem, ſed etiam eumdem ſignificandi modum, circumferri alia vocabula idem quidem myſterium ſignificantia, ſed ſub reſpectu ſeu modo diverſo. Dicitur ſcilicet deificatio, quatenus deitas mediatè unitur humanitati & eam aliqualiter deificat: Dicitur Imperſonatio, quatenus Perſonalitas Verbi immediata ſui unione humaoitatem perſonat: Dicitur aſſumptio, quatenus eſt humanitatis à Verbo & ad Verbum ſeu ad ſe ſumptio: Dicitur Unio hypoſtatica, quatenos natura creata hominis & hypoſtaſis divioa Verbi inter ſe uniuntur. Ex his omnibus vocabulis duo ſunt uſitatiora, ac celebriora, nimirum Incarnatio & Unio hypoſtatica; unde etiam Incarnatio, quamvis in rigore ſignificet actionem unitivam ſeu unitionem potius, quàm formalem unionem hypoſtaſis divinæ cum carne, ſolet tamen ut plurimum pro unione ipſa ſumi, adeò ut à D. Thoma in 2. *Scripto ſuper* 3. *ſent. art.* 1. definiatur Incarnatio *Divinæ Perſonæ ad humanam naturam unio.* 4. *Alia nomina Incarnationem ſignificantia.*

Poſita hac vocum prænotione procedendum eſt ad rem ipſam, & ad Myſterium, quod quacumque ſub voce proponatur; certum eſt importare totum quoddam coaleſcens ex naturâ humanâ, naturâ divinâ, & ſubſiſtentia Verbi utramque naturam terminante. Et ecce id, cujus poſſibilitas ſub Incaroationis nomine primo loco in præſenti quæritur. Ideò ſit.

---

§. I.

An, & Quomodo certum ſit Incarnationem eſſe poſſibilem?

ASSERT. 1. Incarnatiooem eſſe poſſibilem eſt certum certitudine ſupernaturali fidei. Ita omnes Catholici cum Theologis *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. item 3. *par.* initio, & quamvis S. Doctor hoc 3. *par.* initio amiſſa Incarnationis poſſibilitate ſtatim exordiatur ab Incarnationis convenientia; dubium tamen non eſt, quin aptiſſimè præponatur convenientiæ poſſibilitas, ſicoti præſtitit ipſemet S. Doctor *in* 3. cur verò id *hic* quoque non præſtiterit? varias afferant rationes Caietanus, Sylvius, Vaſquez, Suarez & alij, quibus tamen omnibus rationibus aliquid deeſſe contendit Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 2. ſed parum hoc intereſt; facilè enim potuit Angelicus moveri ratione aliqua, quæ non lateat, non tanti momenti res eſt, ut ſit in ea immorandum. Ideo, 5. *Poſſibilitas Incarnationis conſtat certitudine fidei.*

Probatur aſſertum omnibus illis auctoritatibus

tibus

tibus quibus infrà oſtendetur Incarnationis actualitas, ſeu Incarnationem eſſe de facto peractam, poſſibilitas quippe ſeu non repugnantia eſt prædicatum univerſale eſſentialiter tranſcendens omne ens actuale ad extra peractum, ac per conſequens revelatio & fides Incarnationis ad extra peractæ eſt ſimul revelatio & fides poſſibilitatis ipſius, ſicuti revelatio, quod aliquis ſit homo, eſt ſimul revelatio quod ſit animal, quod ſit vivens, quod ſit ſubſtantia &c.

6\. Certitudine naturali cõſtat negativè non poſitivè.

Aſſert. 2. Incarnationem eſſe poſſibilem non eſt certum certitudine ſeu evidentia naturali poſitiva; benè tamen negativâ. Hæc ſecunda pars eſt contra Gentiles, contra quos D. Thomas agit ex profeſſo *lib. 4 cont. Gent. cap. 40. & 49.* Eſt item contra nonnullos hæreticos gentilizantes in docendo lumine naturæ apparere evidenter repugnantem Incarnationem.

Dixi *certitudine ſeu evidentia naturali*, quia licet certitudo ſupernaturalis poſſit eſſe ſine evidentia, non ſic ſine evidentia eſſe poteſt certitudo naturalis, non enim poteſt naturaliter intellectus certificari & immobilitari in aſſenſu aliundè, quam ex veritate objecti clarè & evidenter innoteſcente; nequit igitur

Certitudo naturalis nõ poteſt eſſe ſine evidentia.

eſſe naturalis certitudo ſine naturali evidentia; & probatum erit in præſenti de certitudine, quidquid probabitur de evidentia; hæc portò circa alicujus rei poſſibilitatem negativa dicitur, quando præcisè ſolvit omnes rationes contrarias; poſitiva quando aut rem poſſibilem in ſe immediate attingit, aut poſitivis rationibus evincit ejus non repugnantiã.

7\. Probatur aſſertum primò in univerſum ex eo, quod Incarnatio eſt objectum in ſubſtantiâ ſupernaturale, ſæpius autem dictum eſt objecta ſupernaturalia in ſubſtantiâ, utpotè quæ ſunt ſuprà, non contrà naturæ lumen, ex eo, quod ſint ſuprà non poſſe quoad ſuam poſſibilitatem naturaliter demonſtrari, aut evidenter innoteſcere ulli intellectui creato; ex eo, quod non ſint contrà non poſſe afferri ullam ejoſdem poſſibilitatis repugnantiam evidentem, ſed ſolubilia eſſe naturæ lumine omnia argumenta repugnantiam aliquam præſeferentia; pro qua univerſali & communi doctrinâ recolenda ſunt quæ dicebamus *tract. 1. lib. 2. cap. 1. §. 3. tract. 2. lib. 3. cap. 4. §. 1. & 2. tractat. 3. lib. 1. cap. 2. §. 14.* & alibi.

Probatur ſecundò ſpecialiter quoad primam partem ex eo, quod Incarnationis poſſibilitas non habet connexionem neceſſariam cum ullâ re naturali & naturaliter cognoſcibili; nec poteſt, ut infrà tradetur, occurrere intrà ordinem naturæ aliquid aptum excitare vehementem ſuſpicionem, ne dum convictionem ipſius; ergo Incarnationis poſſibilitas non eſt evidens evidentiâ naturali poſitivâ.

8\. Confirmatur auctoritatibus Scripturæ & Patrum, quibus Myſterium Incarnationis commendatur ut admirabile, ut abſconditum ut novum; ſic *Epheſ. 3.* Incarnatio appellatur *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo* 1. Cor. 2. appellatur *ſapientia in Myſterio abſcondita, quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit.* In Concilio Epheſino *par. 3. cap. 13.* Incarnatio dicitur *indeprehenſibilis & inenarrabilis.* Cyrillus *in epiſt. ad reginas* vocat Incarnationem *ænigma Sacratiſſimum; quod nulla mens creata poteſt intelligere.* Dionyſius *cap. 2. de div. nom. par. 2.* in fine de eadem ait *Ineffabilis eſt ſermone omni & omni ignota intelligentiæ; ipſi quoque antiquiſſimo ordini Angelorum primati non cognita.* Plures his non diſſimiles auctoritates videri poſſunt apud Valentiam *præcitat. punc. 2.* interim mox relatæ ſatis ſuperque excludunt à creato intellectu naturalem evidentiam Incarnationis quoad poſſibilitatem, quod eſt idem ac dicere quoad quiditatem & prædicata eſſentialia; in quibus magis, quam in actuali exiſtentia relucet magnitudo, & altitudo Myſterij.

Probatur tertio ſpecialiter quoad ſecundam partem ex eo, quod repugnantiæ, quæ 9.
urgeri poſſunt contrà Incarnationis poſſibilitatem vel ſe tenent ex parte naturæ humanæ, vel ex parte Perſonæ divinæ, vel ex parte modi unionis, hæc enim ſunt adæquata Incarnationis conſtitutiva; at quacunque ex parte ſe teneant ſunt naturæ lumine ſolubiles, ut conſtabit ex infra dicendis de convenientia Incarnationis relatè ad Perſonam aſſumentem, & naturam aſſumptam; item de modo unionis inter utramque; convenientia enim à fortiori evincit non repugnantiam; modus item, quo unio facta eſt oſtendit utique potuiſſe ſine repugnãtia fieri, & licet in his omnibus plura miſcenda ſint ex fide miſcebuntur tamen tanquam efficacia ad poſitivè probandum, quod docebitur; non tanquam neceſſaria ad negativè eludendum, quod opponetur; expendenti igitur progreſſum dicendorum perſpicuum erit eſſe naturæ lumine ſolubilia omnia argumenta repugnantiæ Incarnationis, quod eſt dari de Incarnationis poſſibilitate certitudinem, ſeu evidentiam naturalem negativam.

Dices: ex eo quod ſint evidenter ſolubilia argumenta repugnantiæ Incarnationis poteſt evidenter inferri Incarnationis poſſibilitas; ergo noſtrum aſſertum conſtat ex partibus ſe deſtruentibus; probatur antecedens formando hunc diſcurſum: Deus poteſt facere quidquid non repugnat, ſed Incarnatio non repugnat, ergo Deus poteſt Incarnationem facere, quod eſt Incarnationem eſſe poſſibilem; in tali autem diſcurſu major eſt nota lumine naturæ, ſicuti notum eſt naturæ lumine Deum eſſe omnipotentem; minor evidenter deducitur ex eo, quod naturæ lumine ſolubilia ſint contraria repugnantiæ argumenta; neque enim aliter non repugnantia oſtenditur quàm ſolutione contrariorum argumentorum pro repugnantia militantium; ergo Sed contrà: Valentia *præcitat. punc. 2.*

§. ſecunda aſſertio hac ratione ductus admittit poſſibilitatem Incarnationis naturæ lumine poſitivè innoteſcere evidentia conditionali & imperfectâ, & quamvis impugnari vix poſſit ſine quæſtione de nomine, placet tamen (ut in quæſtionibus de nomine maximè expedit) ſequi communiorem loquendi modum, & negare in propoſito omnem poſitivam evidentiam etiam imperfectam dicendo ex ſolutione 10.

Ex ſolutione argumentorum militãtium pro repugnantia habetur evidentia ſolum negativa poſſibilitatis.

lutione contrariorum argumentorum negativè duntaxat, non poſitive oſtendi non repugnantiam, præſertim in noſtris principiis, in quibus ſæpius diximus in pari, aut non multum impari causâ, ſtandum eſſe pro repugnantiâ potius, quam pro non repugnantiâ; pro impoſſibilitate potius, quam pro poſſibilitate, nec eſſe cenſendum non repugnans quidquid non apparet repugnans, quando tum non repugnantiæ, tum repugnantiæ argumenta, ſolubilia ſunt, & roboris utraque non multum imparis; ut evenit in argumentis, quæ poteſt naturæ lumen ſuppeditare tum pro non repugnantia, tum pro repugnantia Incarnationis. Accedit quod poſt ſolutas objectiones, quæ fieri conſuevere contra Incarnationis poſſibilitatem, ſuſpicari poſſumus, utrùm detur aliqua alia objectio difficilior & naturaliter inſolubilis, ignota nobis hucuſque & inaudita, & tamen ex ſolutione objectionum tunc ad ſummum ſufficienter infertur poſſibilitas, quando conſtat talem ſolutionem extendi ad omnes prorſus objectiones excogitabiles.

---

§. II.

An, & Quomodo certum ſit Incarnationem eſſe actualem, & iam peractam?

11\. Actualitas Incarnationis conſtat certitudine fidei.

11\. ASSERT. 1. Incarnationem eſſe actualem ſeu jam peractam eſt certum certitudine ſupernaturali fidei. Hæc veritas, utpotè quæ Iudæos præcipuè habet Adverſarios, probanda præcipuè eſt auctoritatibus veteris Teſtamenti, & Scripturis Propheticis, quas illi recipiunt. Ideò

Probatur primò: Tam certum eſt Incarnationem eſſe actualem & jam peractam, quàm certum eſt veniſſe Meſſiam in lege promiſſum; atqui hujuſmodi Meſſiam veniſſe eſt certum certitudine ſupernaturali fidei; ergo eadem certitudine certum eſt Incarnationem eſſe actualem & jam peractam: Major patet quia Meſſias idem eſt quod Chriſtus, veniſſe Meſſiam eſt veniſſe Chriſtum, Chriſtus autem venit per Incarnationem, probatur minor contrà Iudæos pertinaciter eam negantes: Geneſ.49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda & dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*; atqui ſceptrum de Iuda ablatum eſt, ceſſavit ſcilicet in Iudæis regia poteſtas, quando in Iudæa regnare cœpit Herodes, circa quod tempus fuit adventus Chriſti; ergo jam venit qui mittendus eſt, ſeu Meſſias Daniel.9. *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam ut conſummetur prævaricatio &c. & ungatur Sanctus Sanctorum* &c. *& poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus*, atqui hujuſmodi hebdomadæ, ſive lunarium ſive ſolarium annorum ſint, ſive aliter quomodocumque explicentur, jam dudum pertranſierunt; ergo jam unctus eſt Sanctus Sanctorum, jam occiſus eſt Chriſtus, adeòque iam Meſſias venit. Aggei 2. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cælum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes, & veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo domum iſtam gloria*; atqui unum modicum, præſertim proportionatum ad conſolandos & erigendos Iudæos, quod ibi intendebatur non poteſt non cenſeri pertranſiiſſe, cum à tẽpore illius prædictionis ab Aggeo factæ pertranſierint ultra duo annorum millia; ergo jam venit deſideratus cunctis gentibus ſeu Meſſias. Confirmatur ex 12.
eo, quia conditiones & prærogativæ, quas Antiqui Prophetæ tribuerunt Meſſiæ, nimirum quod futurus eſſet ex familia David: quod naſciturus ex Virgine, & in Bethleem; quod tradendus in mortem pro triginta argenteis; quod affigendus cruci, & aliæ quas ex libris Propheticis enumerat Valentia *diſp.1.quæſt.1. punc.3.* conditiones, inquam, hujuſmodi & prærogativas conſtat non ſolum ex evangeliis, verùm etiam ex pluribus hiſtoriis Romanis apud Iudæos receptis, quadrare in Perſonam illam, quam Chriſtiani verum Meſſiam, verumque hominem Deum fuiſſe profitentur; ergo verè Chriſtus ſeu Meſſias jam venit; nec poteſt id à Iudæis negari, niſi propriis etiam Hiſtoricis fidem negent.

Mitto hic varia Iudæorum effugia, quæ ut plurimum ſacrorum verborum contextui conformia non ſunt: Mitto item nonnulla argumenta, quæ pro ſe formant ex ſcripturis malè intellectis, dum aut carnaliter intelligunt, quæ ſunt intelligenda ſpiritualiter; aut ad primum Meſſiæ adventum transferunt, quæ dicta ſunt de ſecundo adventu ejuſdem ad judicium: Hæc enim latius proſequi, aut Controverſiſtarum, aut Expoſitorum ſacræ ſcripturæ munus eſt; licet in præſenti id ex Theologis præſtent Valentia, Suarez, Gabriel à S. Vincentio, aliique nonnulli.

Probatur ſecundò contra plures Hæreticos 13.
Ex teſtamento, tum veteri, tum novo contra hæreticos.
indirectè adverſantes aſſertæ veritati, quatenus admittendo factam eſſe Incarnationem, & veniſſe Chriſtum, negant in Chriſto aut veram divinitatem, ut negarunt Carpocrates, Cherintus, Ebion, Baſilides, &c, aut veram humanitatem, ut negarunt Manichæi, Valentinus, Arrius, Appollinaris &c. qui omnes voce tantum, non re, fatentur Incarnationem, & Meſſiæ adventum: Et priores quidem negantes veram divinitatem impugnandi in primis ſunt omnibus illis veteris Teſtamenti auctoritatibus, quibus probari ſolet Meſſiam in lege promiſſum eſſe verum Deum ut Iſa.8. *parvulus natus eſt nobis* &c. *& vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus* &c. Iſa.35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos* Baruch.3. *Hic eſt Deus noſter* &c. *& cum hominibus converſatus eſt*: Deinde addenda ex teſtamento novo teſtimonium Petri *Matt.* 16. & Marthæ *Io.*11. dicentium *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, aliaque plura: Poſterio- 14.
res negantes veram humanitatem ex antiquo teſtamento impugnantur omnibus illis prophetiis, quibus Meſſias dicitur naſciturus de familia David, de ſemine Abrahæ, & fœmore

mote Jacob, futurus filius Vitginis, &c. ex teſtamento urget in primis teſtimonium Chtiſti ſæpè ſe nominantis Jo.8. *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum*, vrget inſuper teſtimonium cæci dicenteis Jo.9. *Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit*: Apoſtoli Rom.5. *Sicut per unum hominem*, &c. *Multo magis gratia Dei in gratia unius hominis Ieſu Chriſti.* Verum de verâ Meſſiæ, ſeu Chriſti Domini, divinitate & humanitate agendum erit plu̇ries infrà explicando modum, quo eadem Perſona eſſe poſſit ſimul verus Deus & verus Homo abſque eo, quod negetur aut vera divinitas pro ſuſtinenda humanitate, aut vera humanitas pro ſuſtinenda divinitate, ut præſtant hæretici arbitrari repugnare in eadem Perſona verum Deum, & verum Hominem.

15. Actualitas Incarnationis nō cōſtat ulla naturali certitudine, ſeu evidentia.

Aſſert. 1. Incarnationem eſſe actualem, & jam peractam, non eſt certum certitudine ſeu evidentia naturali, neque reſpectu intellectus humani & alligati ſenſibus, neque reſpectu intellectus angelici. Ita Theologi communiter quoad intellectum humanum quoad intellectum verò Angelicum habemus Adverſarios Fabrum *in 2. diſt. 36. cap. 2. num. 5.* Herincx *hic diſp. 1. quæſt. 1. n. 9.* alioſque nonnullos, præſertim ex ſcholâ Scoti, opinatos entia quoad ſubſtantiam ſupernaturalia dummodo à parte rei producta ſeu creata ſint, videri naturaliter ab Angelo, & inter hæc enumerantes unionem hypoſtaticam, cujus propretreà tribuunt Angelo evidentiam naturalem intuitivam; aliqui alij tamen ex ipsâmet Scoti Scholâ propter connexionem unionis hypoſtaticæ cum verbo increato talem evidentiam negant, & aut nullam, aut abſtractivam tantū, concedunt ut Rada *par. 2. contr. 8. art. 4. cōc. 5.*

Nec intuitiva,

Probatur: Nullus intellectus creatus, etiam angelicus & à materiâ ſeparatus, poteſt per ſua naturalia habere evidentiam aut intuitivam aut abſtractivam exiſtentiæ Incarnationis, ſeu unionis hypoſtaticæ jam peractæ; ergo Incarnationem eſſe actualem, & jam peractam, non eſt certum, &c. conſequentia patet: antecedens probatur primo quoad evidentiam intuitivam, quia Incarnatio ſeu unio hypoſtatica actualis etiam peracta adhuc eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, dictum autem eſt *in tract. de Angelis lib. 2. cap. 2. §. 14.* intellectum angelicum non poſſe per ſua naturalia cognoſcere intuitivè, & ut eſt in ſe ullam rem in ſubſtantia ſupernaturalem; & hoc maximè verum eſt de unione hypoſtatica, quam cognoſcere clarè & intuitivè, aut nullatenus aut ſolum abſtractivè & confuſe cognito verbo eam terminante, eſt admodum difficile in quacumque ſententia, & prorſus impoſſibile in ſententia noſtra collocante formaliter unionem illam in complexo humanitatis & Verbi; quid enim clarius, quam non poſſe videri conſtitutum non viſis formalibus & intrinſecis conſtitutivis ipſius. Idem antecedens probatur

16. Nec abſtractivâ.

ſecundo quoad evidentiam abſtractivam: Si datur aliquid, ex quo intellectus angelicus poſſit evidenter inferre exiſtentiam Incarnationis poſtquam facta eſt, potius, quam poſſibilitatem, antequam fiat, id maximè erit carentia ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate Chriſti quatenus Angelus ex unâ parte comprehendens humanitatem Chriſti, nec in ea videns propriam aut aliam creatam ſubſiſtentiam, ſcit omnem hujuſmodi ſubſiſtentiam deeſſe, non enim poſſet ejus notitiam ſubterfugere, ſi aliqua adeſſet; ex alia parte videns humanitatem Chriſti operari, quod proprium eſt ſuppoſitorum, convincitur eam non carere omni prorsùs ſuppoſito, & talem quodammodo diſcurſum format. Humanitas in Chriſto ſubſiſtit aliquâ ſubſiſtentiâ; ſed non ſubſiſtit ſubſiſtentiâ humanâ aut creatâ, ergo ſubſiſtit ſubſiſtentiâ divinâ & increatâ: Ecce ſuppoſitâ Incarnatione peractâ & Chriſti humanitate ſpoliata ſubſiſtentiâ propriâ; Ecce inquam ex duabus præmiſſis Angelo evidentibus evidenter deductam Incarnationem ſeu unionem hypoſtaticam, qua natura humana ſubſiſtit ſubſiſtentia divina: Atqui hæc non probant intentum, neque eſt Angelo evidens illatio non formata, ergo nihil eſt, per quod intellectus quamvis angelicus, duci poſſit in evidentiam abſtractivam Incarnationis actualis, & jam peractæ.

17. Quomodo Angelus non videndo ſubſiſtentiam creatam in humanitate Chriſti non evidenter inferat eam ſubſiſtere ſubſiſtentia divina?

Minor à nobis ſubſumpta probatur ex eo, quia in diſcurſu illo neutra præmiſſa eſt Angelo ſimpliciter evidens; non eſt ſimpliciter evidens prima præmiſſa ſeu major, quia ſolum de lege ordinaria operationes ſunt ſuppoſitorum, cæterum modo extraordinario poſſunt eſſe etiam naturæ non ſubſiſtentis, adeo ut ſicuti poteſt accidens extrà omne ſubjectum conſervari & operari, ità & natura extrà omne ſuppoſitum: Nec item eſt ſimpliciter evidens ſecunda præmiſſa ſeu minor, quia poteſt Angelus ſuſpicari adeſſe ibi creatam ſubſiſtentiam, ſed occultatam ſibi a Deo: Ad ſummum diſcurſus ſubſiſteret, ſi Angelo naturaliter aliundè conſtaret de poſſibilitate unionis inter naturam creatam, & ſubſiſtentiam divinam; at dum de hac non conſtat, & ex ſubſiſtentia humanitatis ſibi non innoteſcente debet inferre aliquid ſibi aliundè ignotum & præter communem ac ordinarium rerum modum, non eſt major ratio, quod inferat ſubſiſtentiæ divinæ terminationem potius, quam ſubſiſtentiæ creatæ occultationem, aut omnis ſubſiſtentiæ defectum & quidquid ex his inferatur, divinando, non demonſtrando inferetur.

Adverte hic obiter, quod quando permitteretur duas præmiſſas ſuperioris ratiocinij eſſe Angelo evidentes, non deduceretur adhuc naturæ lumine Incarnatio ſub conceptu proprio Incarnationis verbi, qualis de facto peracta eſt per unionem humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi propriam, & relativam; ſed ſub conceptu communi Incarnationis divinæ per unionem humanitatis ad ſubſiſtentiam divinam, præſcindendo ab eo quod hæc ſubſiſtentia abſoluta ſit vel relativa, una vel multiplex, nam naturæ lumine deduci poteſt unio cum eâ ſolum ſubſiſtentia divina, quæ eodem naturæ lumine innoteſcit; innoteſcit autem naturæ lumine ſubſiſtentia aliqua in Deo, 18.

Si quæ Incarnatio naturæ lumine conſtaret, ea

effet Incarnatio divina in communi potius, quam Incarnatio Verbi in particulari.

quem eſſe Perſonam ſeu ens completum & ſubſiſtens etiam Gentiles Philoſophi cognoverunt; at non innoteſcit, quod talis ſubſiſtentia ſit relativa ſit multiplex, & una ſit propria Verbi, alioqui innoteſcerat naturæ lumine ſecunda Perſona & Myſterium ipſum Trinitatis.

---

§. III.

An, & quæ probabilitas naturæ lumine haberi poſſit de Myſterio Incarnationis?

19. ASSERT. 1. Secluſâ omni divina revelatione, nec ab homine, nec ab Angelo, haberi poteſt naturæ lumine aliqua probabilitas de Myſterio Incarnationis in particulari & relatè ad ſubſiſtentiam Verbi; imò neque in communi & relatè ad ſubſiſtentiam divinam præcisè. Ita Sylvius *hic quæſt.1.quæſt.3.conc.2.* Gabriel à S.Vincentio *diſp.1. dub.3.* Arriaga *diſputat. 3. ſec.3.ſubſec. 2.* Lugus *diſputat.1. ſec. 1.* hic tamen poſtremus Auctor quoad ultimas aſſerti particulas eſt aliqualiter anceps, & quoad eaſdem ultimas particulas habemus Adverſarium Maderuum *hic quæſt.1. art.1.num.5.* pro ſe referentem Medinam, Fabrum, Radam, & alios plures Scotiſtas.

Dixi *nec ab homine nec ab Angelo*, quod tamen fuerit de Angelo probatum procedet à fortiori de homine, de quo propterea neceſſe ultrà non erit ſpecialem mentionem facere.

Probatur aſſertum primò quoad Myſte-
20. rium Incarnationis in particulari, & relatè ad ſubſiſtentiam Verbi, ut de facto peractum eſt. Incarnationis Myſterium hoc modo acceptum ſupponit Perſonam Verbi & Myſterium Trinitatis, nec illius probabilitas ſine iſtius probabilitate haberi poteſt; atqui ſecluſâ omni divinâ revelatione nequit haberi naturæ lumine aliqua probabilitas Perſonæ Verbi & Myſterij Trinitatis, ut ſuo loco oſtendimus *tractat.2.libr.3.capite 4.§.3.* ergo. Confirmatur ex eo, quod auctoritatibus *præcedent.nu.8.* relatis conſtat Myſterium Incarnationis eſſe ignotum & abſconditum, hocque debet maximè intelligi de Myſterio Incarnationis in particulari, & ut de facto peractum eſt; atqui eſſe ſimpliciter ignotum & abſconditum excludit omnem cognoſcibilitatem naturalem, quæ ſecluſa omni divina revelatione non ſolum evidenter, ſed etiam probabiliter habeatur; ergo.

Incarnatio Verbi in particulari non poteſt naturæ lumine cognoſci probabiliter ſecluſa omni revelatione.

Probatur aſſertum ſecundo quoad ultimas
21. particulas, ideſt quoad Myſterium Incarnationis in communi & relatè ad ſubſiſtentiam divinam præcisè: De Incarnatione etiam hoc modo accepta Angelus, & à fortiori homo, ſecluſâ omni divina revelatione vix poſſet naturæ lumine habere cogitationem aliquam; & quando cogitationem ſuſpicionemvè aliquam haberet, aut judicium omne ſuſpenderet, aut judicaret negandam eſſe potius, quàm affirmandam ejus poſſibilitatem; ergo de Myſterio Incarnationis neque in communi haberi poteſt aliqua probabilitas naturæ lumine ſecluſâ omni divina revelatione. Probatur & explicatur antecedens ex eo, quia certum eſt plures eſſe ſupernaturales effectus, plura fidei Myſteria, de quibus ſecluſâ omni divina revelatione nulla Angelo occurreret naturæ lumine cogitatio, & ſicuti cognitio, aut potentiæ, obedientialis creaturarum, aut virtutis divinæ ſe extendentis ad quidquid non implicat, non excitat in Angelo cogitationem cæterorum omnium affectuum ſupernaturalium, & Myſteriorum fidei; ita ſingillatim non excitaret cogitationem Incarnationis, quæ etiam relatè ad ſubſiſtentiam divinam præcisè eſſet inter Myſteria ad extrà maximum, ac altiſſimum, nec habet in rebus naturalibus ullam ſui ſimilitudinem, aut effectum aliquem phyſicum ſibi ſpecialiter connexum. Quidquid deindè de his ſit,
permittamus Angelum naturæ ſuæ relictum 22.
incidere in cogitationẽ ſuſpicionemvè Incarnationis, plures ei intrà puros naturæ limites occurrent in Incarnatione attentius perpenſa difficultates & rationes repugnantiæ, quam congruentiæ, & rationes poſſibilitatis; certè enim de Incarnatione diſputando per media purè naturalia pluribus & validioribus argomentis agunt Ethnici contrà nos, quam poſſimus nos agere contrà Ethnicos; ergo Angelus naturæ ſuæ relictus, aut ab omni judicio abſtinebit ne ſe exponat periculo errandi, aut judicabit impoſſibilem potius, quàm poſſibilem Incarnationem, cum motiva pro impoſſibilitate ſint numero & pondere majora, quàm pro poſſibilitate; & quando etiam forent æqualia aut pauliſper minora adhuc pro illa eſſet ſtandum juxtà generalem regulam majoris numeri impoſſibilium, quam poſſibilium de quâ *tractat.1.lib.2.cap.3.§.6.* & alibi ſæpè.

Imo nec poteſt ſic cognoſci Incarnatio divina in communi.

Dices: Angelus naturæ lumine cognoſcit ex una parte Deum eſſe ens ſubſtantialiter completum & perfecte exiſtens adeóque ſubſiſtens, & quidem ſubſiſtentia infinita, adeóque continente omnem rationem & perfectionem ſubſiſtendi; comprehendit ex alia parte omnia inferiora ſe ipſo, & inter cætera naturam humanam & ſubſiſtentiam ejus, quã utramque comprehendendo videt naturam, utpotè à ſubſiſtentia diſtinctam realiter eâq; priorem, poſſe à ſubſiſtentia ſeparari; videt item ſubſiſtentiam reſpectu naturæ exercere puram rationem termini, quæ eſt ratio ſecundum ſe immunis ab omni imperfectione; cur ergo non poterit Angelus ex his omnibus habere probabilitatem aliquam de poſſibilitate Incarnationis? & cognoſcere quod Incarnatio ſeu terminatio naturæ humanæ, per ſubſiſtentiam divinam nec repugnet ex parte naturæ humanæ, eo quod hæc poſſit à ſubſiſtentia propria ſeparari; nec ex parte ſubſiſtentiæ divinæ, eo quod hæc contineat omnem ſubſiſtendi perfectionem, & munus ſubſiſtendi quod præſtat ſubſiſtentia creata ſit ex ſua ratione formali perfectio ſiue imperfectione. Urget magis inſtantia in hypotheſi Incarnationis jam peractæ, in quâ Angelus ſi non habet per ſua naturalia evidentiam, habet ſaltem

probabilitatem non de ſeparabilitate tantùm, ſed de actuali ſeparatione naturæ humanæ à propria ſubſiſtentia; & huic revocando diſcurſum formatum *præced.num.*16. illatio, quæ ibi contendebatur eſſe evidens, erit ſaltem probabilis, & in hypotheſi Incarnationis jam peractæ probabiliter ſuadens actualitatem, & à fortiori poſſibilitatem ejus. Sed

23. Probabilitas alia poſitiva, alia negativa.

contrà: adverto ſicut evidentiam, ita & probabilitatem aliam poſitivam eſſe, aliam negativam: Adverto inſuper ad inducendam probabilitatem aſſenſus, ſeu judicij, non ſufficere motivum probabile abſolutè & ſecundùm ſe, ſed debere eſſe tale etiam comparativè & relatè ad motiva oppoſita, adeò ut illa iſtis præponderent.

Hinc ad inſtantiam dico probabilitatem poſſibilitatis Incarnationis deductam præciſè ex eo, quod probabiliter non repugnet ex parte, aut humanæ naturæ, aut divinæ ſubſiſtentiæ eſſe probabilitatem negativam; quatenus deinde pro tali non repugnantia afferuntur poſitivè rationes deſumptæ ex infinitate ſubſiſtentiæ divinæ, ex ſeparabilitate naturæ humanæ à ſubſiſtentia propria, & ex iſtius munere per puram terminationem præſtito, dico has rationes, quamvis ſecundùm ſe aliqualiter probabiles, non præponderare tamen rationibus oppoſitis deſumptis ex eo,

24. Rationes naturales ſunt validiores pro repugnantia, quam pro poſſibilitate Incarnationis:

quod non poteſt negari in ſubſiſtentia aliquod munus cauſæ formalis ſeu formæ reddit quippè naturam formaliter ſubſiſtentem & ei per ſe unitur tamquam actus, unio autem per modum formæ ad conſtituendum unum per ſe cum naturâ humanâ repugnat ſubſiſtentiæ divinæ, quæ ex eo, quod ſit puriſſimus ac ſimpliciſſimus actus, nequit venire in realem compoſitionem cum alio per modum formæ, & ex eo, quod infinite diſtet à naturâ creatâ nequit habere cum ea proportionem requiſitam ad conſtituendum unum per ſe: Deindè quæ uniuntur conſtituendo unum per ſe uniuntur intrinſecè, quæ autem uniuntur intrinſece videntur intrinſecè mutari; & tamen repugnat Deo, divinæque ſubſiſtentiæ, omnis intrinſeca mutatio. Hæ & aliæ plures rationes dubitandi pro repugnantia unionis inter humanam naturam, & divinam ſubſiſtentiam, quamvis in re ſolubiles, ſunt tamen majoris ponderis & difficilioris ſolutionis, quàm rationes ex naturæ lumine ſuppeditatæ pro ejuſdem unionis poſſibilitate; intellectus igitur propriæ naturæ relictus, aut hæſitabit inter utraſque rationes anceps, aut priores rationes judicabit præponderantes, eiſque hærens tamquam probabilioribus habebit probabilitatem aliquam de repugnantiâ potiùs, quàm de poſſibilitate Incarnationis. Nec refert, quod repugnantia Incarnationis falſa ſit, vera autem poſſibilitas; non refert inquam, quia evidentia, non probabilitas aſſenſus, pugnat cum falſitate; & novum non eſt plura falſa eſſe probabilia, & veris probabiliora.

25. Etiam in hypotheſi ejuſdem jam peractæ.

Ad illud, quod urgetur in hypotheſi Incarnationis jam peractæ, dico intellectum angelicum per ſua naturalia habere probabilitatem ſeparationis actualis naturæ humanæ à propria ſubſiſtentia, ſi præciſè attendat ad talem ſubſiſtentiam ſibi non innoteſcentem; at ſi aliundè ſupponat naturam illam, utpote operantem, ſubſiſtere; & ſimul reflectat ad rationes militantes pro repugnantia ſubſiſtendi ſubſiſtētiâ divinâ; habebit probabilitatem occultationis ſubſiſtētiæ propriæ potius, quàm ſeparationis ejus à natura, in qua deinde ſubſiſtentiæ propriæ munus ſuppleat ſubſiſtētia divina; contra poſſibilitatē enim illius occultationis vix militat ratio dubitandi, contra poſſibilitatem verò hujus ſupplementi militant difficultates valde graves; ob quas etiam quando Angelus certificaretur de ſeparatione, & carentia ſubſiſtentiæ creatæ in humanitate, facilius & probabilius opinaretur ipſam aut apparenter tantùm non realiter operari; aut operari ſine omni ſubſiſtentia potiùs, quàm per divinam ſubſiſtere.

Ex his habes intellectum angelicum ex propriis naturalibus ex eo, quod intuitivè & comprehenſivè attingat naturam creatam ejuſque ſubſiſtentiam, evidenter cognoſcere realem diſtinctionem unius ab alia, item Utrùm ſubſiſtentia ſit modus an res? quorum neutrum eſt ex propriis naturalibus evidens intellectui ſenſibus alligato non intuenti, nec comprehendenti quidquam ſubſtantiale; propterea ſi de Incarnatione eſſet dabile aliquod veſtigium naturalis probabilitatis daretur potiùs in intellectu angelico, quàm in humano, & in illo facilius poſt, quàm ante peccatum ipſam Incarnationem; quia Incarnatione peracta habet Angelus aliquod majus argumentum ſeparabilitatis omnis ſubſiſtentiæ creatæ à naturâ, dum in hac nullam ſubſiſtentiam creatam videt. 26.

Suppoſita revelatione Trinitatis adhuc non habetur ulla naturalis probabilitas Incarnationis Verbi.

Habes inſuper ſuppoſita revelatione Trinitatis adhuc non fore habendam naturæ lumine probabilitatem ullam de poſſibilitate Incarnationis relatè ad Verbum, aliamve Perſonam divinam in particulari: Enimverò ſuppoſita revelatione Trinitatis non appareret ulla maior proportio, aut connexio naturæ humanæ cum ſubſiſtentia particulari alicujus divinæ Perſonæ, quàm appareat cum ſubſiſtentia divina in communi abſtrahendo ab una vel multiplici; ergo ſicuti non ſuppoſita revelatione Trinitatis certitudo, quæ habetur de ſubſiſtentia divina in communi, non inducit probabilitatem naturalem de poſſibilitate Incarnationis in communi, ita Trinitatis revelatione ſuppoſita certitudo, quæ habetur de ſubſiſtentia Verbi & utriuſque alterius divinæ Perſonæ in particulari, nequit inducere naturalem probabilitatem de poſſibilitate Incarnationis in particulari.

Aſſert. 1. Suppoſita revelatione Incarnationis poteſt ab homine, multoque magis ab Angelo, haberi naturæ lumine probabilitas aliqua de poſſibilitate ejus, etiam in particulari, & relatè ad ſubſiſtentiam Verbi. Ità Theologi communiter, nec omninò Adverſarius eſt Gabriel à S Vincentio *præcit.dub.*3. licet enim etiam cognitâ aliundè Incarnatione videatur abſolutè negare omnem naturalem ejus probabilitatem, in re tamen negat duntaxat probabilitatem quandam intrinſecā. 27.

Haberi vero poteſt aliqua talis probabilitas ſuppoſita revelatione Incarnationis.

Probatur,& explicatur. Suppoſitâ revelatione Incarnationis creatus intellectus, ſive angelicus, ſive humanus,manet (ut per ſe paret) excitatus ad cogitandum de Incarnatione etiam in particulari, cum de Incarnatione in particulari ſupponatur eſſe revelatio; manet item expeditus ad eidem aſſentiendum, quia ſuppoſitâ revelatione intellectus eſt certus, quod in ſubjecta materia non militet generalis regula majoris numeri impoſſibilium, & non ſubſiſtant motiva repugnantiæ, nec præponderent motivis poſſibilitatis, unde non amplius à motivis illis valdè retrahitur: Cum igitur ex mox præmiſſis rationes naturales militantes pro Incarnationis poſſibilitate in tantum nequeant inducere aſſenſum probabilem antè revelationem,in quantum vincuntur a motivis oppoſitis validius trahentibus intellectum, eo ipſo quod ſuppoſita revelatione motiva oppoſita non amplius vincant, nec amplius intellectum valdè trahant, conſequens eſt quod rationes illæ naturales valeant
28. probabilem aſſenſum inducere. Ecce quomodo etiamſi ex vi revelationis, & luminis fidei non emergant novæ rationes naturales inducentes probabilitatem (quod ſolum videtur intendere præmemoratus Gabriel à S. Vincentio) poſſit haberi ex ſuppoſitione revelationis nova probabilitas naturalis; hæcque ex vi earundem rationum naturalium, quæ antè revelationem propoſitæ non ſufficiebant probabilitati inducendæ. Præter hunc modum probabilitatis, quæ intrinſeca rectè dicitur, dabilis eſt ex ſuppoſitione revelationis alia Incarnationis probabilitas extrinſeca, & ex fide humana; quæ quidem extrinſeca probabilitas reperiri poteſt etiam in infidelibus Incarnationem, revelationemque ejus diſcredentibus; ut conſtabit recolenti & huc proportionaliter transferenti, quæ de naturali probabilitate Myſterij Trinitatis dicebamus *trac.2. libro 3. capite 4.n.56.& 28.*

Idque etiam in Infidelibus.

29. Ex his habetur primò creatum intellectum, ut comparet probabilitatem aliquam de Incarnationis myſterio, non eſſe neceſſe quod adjuvetur, ſed ſufficere quod excitetur à lumine fidei; hoc ſcilicet ſuppoſito poſſe probabilitatem illam deducere utendo ſolis principijs naturalibus, nec aſſumendo principia ſupernaturalia ac revelata in conſortium naturalium: Quod tamen ſi præſtet, aſſequi de Incarnatione poterit non ſolum probabilitatem majorem,verum etiam aliquam ſcientificam certitudinem: aſſequetur probabilitatem majorem, ſi Incarnationem deducat aſſumendo principium revelatum in conſortium principij probabilis; perſpicuum quippè eſt concluſionem ex hoc duplici principio deductam eſſe probabiliorem ac certitudini quodammodò propinquiorem, quam deductam ex duplici principio probabili, aut uno probabili, altero naturaliter evidente: Aſſequetur ſcientificam certitudinem, ſi Incarnationem deducat aſſumendo principium revelatum in conſortium principij naturalis evidentis, concluſio enim Theologica ſic deducta certa eſt & ſcientifica ea ratione, qua in Prolegomenis dictum eſt Theologiam eſſe ſcientiam. Portò circa intellectum luminè fidei excitatum, vel adjutum,aliqnid amplius repeti poteſt *ex tractat.2. libro 2. capite primo, num.30.*

Habetur ſecundo in ingerendâ, ac ſuggerenda infidelibus, Incarnationis notitia eſſe diverſimodè agendum cum Hæreticis, cum Judæis, cum Ethnicis; nec æque efficaciter poſſe nos contrà omnes procedere, ſed efficacius contrà hæreticos, minus efficaciter contra Judæos, minus adhuc contrà Ethnicos; nam contrà iſtos vix aliter rectè procedimus, quam via negativâ, ſolvendo quæcumque afferre poſſunt argumenta repugnantiæ Incarnationis, non deeſt tamen etiam via aliqua poſitivæ probabilitatis deſumptæ, tum ex teſtimonio omnium fidelium, inter quos plures maximæ auctoritaris adeóque facientes vehementem humanæ fidei probabilitatem; tum ex rationibus & congruentiis, quæ licet ex ſolo naturæ lumine non ſint ſufficientes ad inducendum aſſenſum probabilem, quatenus tamen à fidelibus,in quibus ſupponunt mentem excitatam ac illuſtratam lumine fidei, proponuntur vividius atque robuſtius adductis quoque in ipſarum confirmationem prodigiis, miraculis, cæteriſque argumentis credibilitatis Incarnationem peractam comirantibus, videntur omnino exigere probabilem aliquem aſſenſum naturalem, etiam ab Ethnicis. Contrà Judæos habemus efficacius, & certiſſimum medium ex fide divinâ, ex auctoritatibus ſcilicet veteris teſtamenti, quas recipiunt, & quarum nonnullas attigimus *praced. n.11.* ex quibus formari quoque poſſunt varia argumenta Theologica. Contrà hæreticos habemus inſuper auctoritates teſtamenti novi, traditiones apoſtolicas, & multo plura, quàm contrà Judæos argumenta Theologica. 30.

Quomodo Incarnationis notitia, ſit diverſimodè ingerenda Hæreticis, Iudæis, & Ethnicis?

CAPVT II.

De Convenientia Incarnationis.

CONVENIENTIA minus latè patet, quam bonitas iſta ſecundum ſe ab abſoluto & relativo præſcindit; illa relativa eſt, & aut in relatione conſiſtit, aut nequit ſine relatione explicari; omne enim conveniens eſt alicui conveniens, & ad id, cui conveniens, relatum: Plura autem ſunt, ad quæ Incarnatio referri & comparari poteſt, inquirendo ejus convenientiam; comparari ſcilicet poteſt ad Perſonam aſſumentem, & Deum ſeu totam Trinitatem; ad naturam aſſumptam, & alias creaturas, ſeu totum univerſum; ad circumſtantias aſſumptionis, præſertim finem, & tempus, quo aſſumptio facta eſt: Et quidem reſpectu Dei ipſa Incarnationis poſſibilitas videtur evincere ejus convenientiam, nam licet reſpectu creaturarum poſſibile latius pateat, quam conveniens, & plura nobis ſint poſſibilia, quæ non ſunt convenientia, ut patet in peccatis alijſque malis ſive moralibus ſive etiam phyſicis; non ità ſe res habet reſpectu Dei, reſpectu cujus poſſibile 1.

1\. Convenientia minus latè patet quam bonitas; relativa eſt & ad aliquid.

Minus item latè patet, quam poſſibilitas; ſaltem reſpectu creaturarum.

2.

ſibile & conveoiens dicuntur coovertibiliter; cum nihil poſſit à Deo per ſe fieri, quod Deum non deceat; nihil Deum deceat, quod non poſſit à Deo per ſe fieri. Nihilominus, quia in propoſito non ſolent Theologi pro eodem ſumere etiam reſpectu Dei poſſibilitatem & convenientiam, & juxtà communem ſeoſum aliquid amplius inouitur per hoc, quod Incarnatio dicatur Deo conveniens, quam per hoc quod dicatur Deo poſſibilis.

Conveniens alia negativa, alia poſitiva: Illa reſpectu Dei convertitur cum poſſibilitate; iſta non item.

2. Obſervandum cum Arriaga *hic diſput*, 1. *ſec.4.num.4.* & Eſparza *quæſt.1. art.* 1. conveniens, quantum attinet ad rem præſentem, ſumi poſſe duplicitet, negativè, & poſitivè: Conveniens negativè eſt illud, quod nihil affert inconveoiens & repugnans, hac ratione conveniens reſpectu Dei convertitur cum poſſibili, commune eſt cuicumque rei creatæ & rectè ,dicitur convenire Deo creare muſcam, movere feſtucam, &c. Conveniens poſitivè prætet oon inconvenientiam, ſeu non repugoantiam, importat ſingularem quandam decentiam, & addit aut arguit ſpecialem honeſtatem, digoitatemque laudis; Hac ratione conveniens reſpectu Dei minus latè patet, quàm poſſibile, neque enim ſingularitet Deum decet creare muſcam, movere feſtucam, ſicuti nec Principem ſingulariter decet ſedere, ambulare, decent verò ſingulariter Principem exercere liberalitatem, juſtitiam, & ſimilia, quæ reddunt ipſum ſpeciali commendatione dignum; ità & decent ſingulatiter Deum ea opera quæ eum reddunt ſpecialiter commendabilem ac laudabilem, non quidem augendo cum talis augmenti capax ipſe non ſit ſed manifeſtando commendationis ac laudis dignitatem. Et ecce ſenſum, quo potiſſimum agitari poteſt Incarnationis convenientia relatè ad Deum.

3. Facilior deindè, & latior, erit via proſequendi ejuſdem Incarnationis convenientiam relatè ad humanitatem, cæteraſque creaturas, io quibus perſpicuom eſt conveniens minus latè patere, quam poſſibile, nec conſiſtit ſolum in eo, quod manifeſtet laudabilitatem & perfectionem aliquam laude dignam; ſed præcipuè in eo, quod afferat novam perfectiooem ſivè ad laudabilitatem, ſive etiam ad utilitatem, aot delectabilitatem pertineat, juxtà triplex genus boni honeſti, utilis, & delectabilis, in quo triplici boni genere poteſt creatura creſcere & aliquid de novo aquirere; cum tamen Deus ſit ſolum capax novæ laudabilitatis, aut potius laudabilitatis de novo manifeſtatæ; non vero novæ utilitatis, quia bonorum noſtrorum non eger, nec eſt finis utilitatis paſſivæ ut alibi explicuimus; noo item novæ delectabilitatis ſeu voluptatis, quia nihil poteſt de novo formaliter Deum delectare, & licet videatur percipere novam voluptatem ex nova poſitione alicujus creaturæ, te verâ tamen ponitur duntaxat novum objectum voluptatis; non nova voluptas, hæc quippe conſiſtit formaliter in actu voluntatis; qui nullus de novo advenit Deo imo cum ab æterno actus divinus libet entitative & in eſſendo non differat à neceſſario, non percipit Deus in rigore voluptatem ullam creatura exiſtente, quam non perciperet, aut ab æterno non percepiſſet, creatura non exiſtente. Hinc relatè ad creaturam diſtingui poteſt triplex poſitiva convenientia laudabilitatis, utilitatis, voluptatis; relatè ad Deum datur in rebus creatis ſola convenientia laudabilitatis.

Convenientia poſitiva reſpectu creaturæ triplex; reſpectu Dei unica.

4. Quod præmiſſum eſt de convenientia negativâ, & poſitivâ, reſpectu Dei ſub aliis terminis tradunt Valentia *diſp.1.quæſt.1.punc.4.* & Gabriel à S. Vincentio *diſput.1.num.133.* Quod ſcilicet nos appellamus conveniens negativè, ipſi appellant conveniens ex parte divinæ voluntatis & ab extrinſeco, quatenus quidquid à Deo fit, procedit à voluntate habente decentiſſimos ac honeſtiſſimos fines, hincque præcisè habetur in omni re creatâ convenientia ab extrinſeco & ex parte divinæ voluntatis, quæ quidem convenientia cum poſſibilitate convertitur non minus, quam coovenieotia oegativa. Quod vero nos appellamus conveniens poſitivè, appellant conveniens ab intrinſeco & ex naturâ rei; quatenus eſt tale, ut ex prædicatis intrinſecis, & naturis rerum, habeantur rationes convenientiæ & deceotiæ reſpectu Dei, quæ quidem rationes nequeunt à oobis reperiri in quolibet Dei opere, adeoque in hoc ſenſu coovcniens reſpectu Dei non convertitur cum poſſibili, ſicut nec cum poſſibili convertitur conveoiens poſitivè. Hac coovenientiæ ootione ſuppoſitâ ſit

Convenientia negativâ reſpectu Dei eſt convenientia ab extrinſeco, & ex parte divinæ voluntatis. Poſitiva eſt ab intrinſeco, & ex natura rei.

---

§. I.

An, & quomodo Incarnatio fuerit conveniens Deo, & Perſonæ Divinæ aſſumenti?

5. ASSERT. 1. Incarnatio fuit conveniens Deo poſitivè, & ab intrinſeco ſeu ex natura rei. Eſt veritas ad fidem pertinens, & apud Theologos omnes receptiſſima contrà quoſdam hæreticos damnatos in Concilio Chalcedonenſi eo, quod contenderent Incarnationem, etſi poſſibilem, fore Deo inconvenientem, & indignam, quaſi per eam ſuprema Dei Majeſtas in carne ſordeſceret; qui error eo craſſiot eſt, quo oequidem admittit convenientiam negativam, quam dictum eſt cum poſſibilitate converti; undè ex hoc capite involuit contradictionem io terminis, & impugnatur à fortiori probando convenientiam poſitivam directè in aſſerto poſitam, & diluendo inſinuatam rationem dubitandi, quam deriſit olim Tertullianus *lib. de carne Chriſti* dicens *Apud Sapientiam ſæcularem citius creditur Jupiter taurus, quam Chriſtus factus homo.*

Incarnatio eſt convenies Deo poſitivè, & ab intrinſeco.

6. Probatur aſſertum duplici ratione deſumpta ex D.Thomâ *quæſt.* 1. *art.*1. in argumento *Sed contra* & *in c.* Prima ratio ſic poteſt formari, Illud eſt conveniens Deo (Dei oomine in præſenti non intelligo determinatè Perſonam Verbi, ſed aut omnes tres divinas Perſonas ſimul, aut unam ex tribus indeterminatè, aut etiam unam Perſonam abſolutam juxtà Ethnicos Trinitatis ootitiam non aſſecutos)

Ex propriis prædicatis manifeſtat præcipua Dei attributa.

Illud inquam eſt conveniens Deo poſitivè & ab intrinſeco, quod ex natura ſua & prædicatis propriis nobis valde manifeſtat Dei perfectiones & attributa; ſed hujuſmodi eſt Incarnatio utpotè quæ ex prædicatis propriis valde nobis facit relucere Dei bonitatem, ſapientiam, omnipotentiam, juſtitiam & miſericordiam, quæ ſunt attributa Dei præcipua, & ad quæ cætera fere omnia reducuntur; ergo Incarnatio eſt, ac fuit conveniens Deo poſitivè, &c. Major patet, quia manifeſtare Dei perfectiones & attributa eſt manifeſtare in Deo dignitatem laudis, eſt ipſum reddere laudabilem, & ei convenire convenientia laudabilitatis, quæ ſola convenientia propriè datur in rebus creatis reſpectu Dei, ut præmiſſum eſt: Minor probatur, inducendo & comparando ſingula prædicta attributa ad Incarnationem, ut poſt D. Thomam cum Damaſceno in cit. argumento *Sed contra*, nec non *opuſc. 60. art. 1.* erudirè latéque præſtat Goncius *hic diſp. 3. art. 1.* quem poterit Lector conſulere, aut etiam propriâ conſideratione ſupplere. Interim

7. Secunda ratio ſic poteſt formari: Illud poſitive & ab intrinſeco eſt Deo conveniens, & quidem inſigni maximáque convenientia dabili in creatis, quod ab intrinſeco & ex natura ſua eſt maxima communicatio Dei ad creaturam; atqui hujuſmodi eſt Incarnatio; ergo Incarnatio eſt ac fuit conveniens Deo poſitive, &c. Minor ſupponenda eſt ex ſequentibus, præſertim ex eo quod *cap. 6. § 3.* dicetur unionem hypoſtaticam eſſe omnium maximam, & pro nunc conſtare poteſt expendenti obiter alias communicationes, in quibus Deus ad extrà aut communicatur non ut eſt in ſe, talis eſt communicatio per dona naturæ; aut communicatur accidentaliter, talis eſt communicatio per dona gratiæ & gloriæ; cum tamen Incarnatio ſit ab intrinſeco communicatio, qua Deus ut eſt in ſe, & ſubſtantialiter communicatur, nimirum ſecundum proprium eſſe perſonale, quod ſubſtantiale eſt: Nec excogitabilis eſt communicatio major, niſi fortè illa, qua Deus ſe creaturæ communicaret in unitate naturæ, aut aliam naturam divinam ad extrà produceret, quod prorſus chymericum eſt. Major probatur, illud poſitivè & ab intrinſeco eſt Deo conveniens, quod eſt conveniens rationi boni præſertim ſummi, cum natura Dei ſit bonitas & Deus ſit per eſſentiam ſummè bonus; atqui rationi boni convenit communicatio, & rationi boni ſummi communicatio maxima & ſumma juxtà Dionyſium *cap. 4. de div. nom.* docentem bonum eſſe per ſe diffuſivum, ſeu communicativum ſui; ergo.

Eſt maxima communicatio Dei ad extrà.

Dices primò communicationem, quæ in Incarnatione à Deo fit, nec eſſe ſummam, nec eſſe eam quæ per ſe ſpectat ad rationem boni; Probatur primum ex eo, quod eſſet major communicatio, ſi fieret hypoſtatica aſſumptio naturæ perfectioris humanâ, aut creaturarum omnium, item ſi à duabus, vel tribus Perſonis divinis, non à ſolâ Perſona verbi: Probatur ſecundum ex eo, quod in Incarnatione habetur communicatio in genere efficientis reſpectu totius Trinitatis, in genere hypoſtatico reſpectu Verbi; communicatio autem per ſe ſpectās ad rationem boni eſt in genere finis, quia finis & bonū convertuntur, eſt proprium boni finalizare, & bonum quatenus appetitum movet ſeu trahit, rectè dicitur ad illum ſe diffundere, illi ſe communicare; ex alia parte communicatio in genere efficientis convenit etiam malo ex regula generali, qua unumquodque intendit efficere ſibi ſimile; & quia perſona mala, ſi daretur, poſſet ipſa quoque naturam alienam terminare dici pariter poteſt malo convenire communicationem in genere hypoſtatico. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ partem dico, quod ſi ſimul aut plures naturæ creatæ aſſumerentur, aut plures Perſonæ divinæ aſſumerent, communicatio eſſet major extenſive, non intenſivè: ſi aſſumeretur natura perfectior communicatio eſſet major ex parte ſubjecti, cui fit & perfectione ſe habente materialiter; non ex parte principij, à quo fit & perfectione ſe habente formaliter. Quidquid deindè de his ſit, communicatio hypoſtatica facta in Incarnatione eſt in genere ſummæ communicationis, quamvis fortè non ſit ſumma in tali genere, quod ſecundum neceſſarium non eſt pro noſtro intento; imo nec neceſſarium eſt primum quia ut aliquid ſit conveniens Deo, non eſt neceſſe quod ſit conveniens ſummè. Ad ſecundam partem permitto libenter communicationem per ſe ſpectantem ad rationem boni, tanquam eſſentialem & maxime propriam ipſius, eſſe duntaxat in genere finis, at dico hinc inferri, quod ad rationem boni ſpectet quæcunque alia communicatio, non tanquam eſſentialis aut propria quarto modo, ſed tanquam conſequens, decens, & quaſi inſerviens illi communicationi eſſentiali, cum enim unuſquiſque magis appetat bonum, à quo perficitur fit ut bonum, quod alia perficit communicando ſe illis effectivè, aut hypoſtaticè; ex hoc ipſo reddatur magis appetibile, & magis communicativum ſui in genere finis.

8. Aut ſaltem eſt in genere communicationis maximæ, quamvis fortè non ſit maxima in tali genere.

9. Bonum eſſe communicativum, & diffuſivum ſui, quomodo intelligatur?

Urgebis: dato quod ex natura boni inferatur ei convenire ſui communicationem etiam effectivam & hypoſtaticam, ſaltem hinc non infertur convenire bono ſummo communicationem ſummam; alioqui eodem modo inferretur convenire cuicumque bono majori communicationem majorem, quod falſum apparet in Angelo, qui eſt bonum homine majus, & tamen non convenit ei major communicatio effectiva, ſed minor; cum non poſſit Angelus Angelum, ſicut poteſt homo hominem efficere. Sed contrà ex eo quod bono univerſaliſſimè ſumpto conveniat communicatio, rectè infertur quod conveniat bono ſummo ſumma, bono majori major communicatio, de qua aliundè conſtet poſſibilitas, aut ſaltem non repugnantia, unde ſicuti ex ſpeciali repugnantia efficiendi alium Deum ſumma communicatio in Deo non attenditur penes efficientiam alterius Dei, ità nec major communicatio in Angelo debet attendi penes efficientiam alterius Angeli, quia naturalis efficientia Angeli, utpote ex conceptu ſuo creativa, repugnat cuilibet creaturæ ſaltem de facto

10. Quomodo item majus bonum magis, ſummum ſummè ſit communicativum?

cto

cto exiſtenti; ex repugnantia igitur termini provenit, quod non poſſit Angelus, ſicut homo; communicare ſe efficiendo alium ſibi ſimilem in propria ſpecie.

11. Afferuntur rationes inconvenientiæ, ſeu repugnantiæ Incarnationis.

Dices ſecundò rationibus convenientiæ hucuſque pro Incarnatione poſitis præponderare plures, eaſque graviſſimas inconvenientiæ rationes. Prima ſit, quam jam in aſſerto attigimus, quod Majeſtas divina ſordeſcat per hypoſtaticam Dei unionem cum carne, in qua illa redditur mortalis, paſſibilis, contemptibilis, & *ex Philipp.* 2. exinanitur, humiliatur. Secunda, quod Deus mutetur & quidem intrinſecè, quia dum Incarnatur, fit de novo intrinſecè homo, & de non unito intrinſecè unitus humanitati. Tertia, quod ens ſimpliciſſimum ac completiſſimum veniat in compoſitionem, & quidem per modum formæ, quia actuat naturam eamque reddit formaliter ſubſiſtentem. Quarta, quod Deus ſine Incarnatione ſit in ſtatu ſibi inconvenienti, nam convenientia in ſui abſentia inconvenientiam, ſicut perfectio imperfectionem, connotat. Quinta, quod extrema maximè diſtantia, & maximè improportionata, uniantur ac conjungantur ſimul & quidem unione ſubſtantiali, ac per ſe, quæ eſt propria extremorum habentium ad invicem habitudinem & proportionem.

12. Reſpondetur.

Sed contrà ut ſatisfiat his inconvenientiæ, & ſimul repugnantiæ, rationibus (reſpectu Dei enim ſicuti quod eſt poſitivè conveniens eſt à fortiori poſſibile, ità quod eſt poſitivè inconveniens eſt à fortiori impoſſibile & repugnans) plura ſunt ſupponenda ex infrà dicendis de modo unionis, de Perſonâ Chriſti, de communicatione idiomatum, &c. nihilominus pro nunc breviter, & inſinuando magis, quam ex profeſſo tradendo reſponſiones.

Ad primam petitam ex ratione vilificationis & contemptus.

Ad primam dico non ſordeſcere divinam majeſtatem in carne quia ita carni unitur, ut nihil à carne recipiat, & ipſa conferr carni dignificationem, non caro ipſi vilificationem: denominationes motalis, paſſibilis, & hujuſmodi aliæ, eam non reddunt contemptibilem, quia ſe tenent ex parte humanitatis, & divinitati unitæ tribuuntur ſolum per communicationem idiomatum. Exinanitio & humiliatio *Philip.* 2. non dicitur de Deo, aut de verbo ſecundum ſe, ſed de Chriſto ratione naturæ humanæ juxtà D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 1. *ad* 4. dicentem *Deo ſecundum naturam divinam non convenit humilitas, ſed ſolum ſecundum naturam aſſumptam*, quæ licet per aſſumptionem exaltetur & magnificetur, ſimul tamen deindè exinanitur & humiliatur, dum in ipſo aſſumptionis ſtatu habet apparentiam, & ſuſtinet pœnalitates peccati, alioſque plures defectus. Quod dicebatur de contemptibilitate, nequidem naturæ aſſumptæ jure competit, quia humilia ipſius apparentia etiam quoad nos abundè compenſabatur gloria miraculorum, & eximiorum operum, quæ verbum in ea præſtabat.

13. Ad ſecundam petitam ex ratione innovationis & mutationis.

Ad ſecundum dico Deum fieri intrinſecè hominem, intrinſecè uniri per hoc præcisè, quod ſit terminus intrinſecus humanitatis & unionis abſque eo, quod novum aliquid in ſe recipiat, adeóque abſque eo quod intrinſecè mutetur aut innovetur; & malè Martinon. *diſputat.* 1. *ſec.* 4. admittit Verbum in Incarnatione verè fuiſſe innovatum, quamvis non mutatum; malè inquam, quia mutari & innovari pro ſynonymis habentur; nec quidquam alicujus ponderis militat pro admittenda in divinis innovatione potius, quam mutatione, ut oſtendit Gonetus *diſputat.* 2. *art.* 1. § . 4. & 5.

14. Ad tertiam petitam ex ratione compoſitionis, & formæ.

Ad tertiam dico venire in compoſitionem nihil recipiendo, & purè perficiendo, non obeſſe enti ſimpliciſſimo ac completiſſimo: Quod additur *per modum formæ*, multum habet quæſtionis de nomine, negatur magis communiter, eo quod formæ, nomen tribui ſoleat ſoli formæ phyſicæ, & juxtà hanc formæ acceptionem reddere aliquid formaliter tale, non ſoli formæ ſeu cauſæ formali, ſed etiam termino formali competit; & in Incarnatione per modum termini formalis non per modum formæ divina ſubſiſtentia reddit humanitatem formaliter ſubſiſtentem. Alij magis extendunt formæ vocabulum, & formam dividentes in phyſicam, metaphyſicam quam etiam conſtitutivam ſeu terminativam vocant, & intentionalem quam etiam vocant objectivam, concedunt Deum venire poſſe in compoſitionem per modum formæ metaphyſicæ aut intentionalis, quamvis non phyſicæ; & nos quidem ſicuti *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. § . n. conceſſimus divinam eſſentiam per modum formæ intentionalis & objectivæ uniri intellectui beato, ita rectè in præſenti concedemus divinam ſubſiſtentiam per modum formæ metaphyſicæ & terminativæ uniri naturæ aſſumptæ, ut docet ex Thomiſtis Gonetus *præcit. art.* 1. § . 2.

15. Ad quartam petitam ex abſentia & carentia rei convenientis.

Ad quartam dico illud, quod eſt conveniens neceſſariò, non illud quod eſt conveniens liberè; item illud, quod eſt conveniens afferendo non illud quod eſt conveniens præcisè manifeſtando perfectionem, connotare in ſui abſentia Inconvenientiam. Neque dicas Incarnatio ex dictis eſt conveniens ex naturâ rei & poſitivè; ergo ut conveniens ex natura rei eſt conveniens neceſſario, ut conveniens poſitivè eſt conveniens afferendo perfectionem. Contrà enim: Convenire ex natura rei in propoſito nihil eſt aliud, quam rationes convenientiæ haberi ex prædicatis intrinſecis rei, hoc autem abſtrahit à neceſſario & libero; undè & voluntati creatæ conveniunt ex naturâ rei actus liberi: Convenire poſitivè eſt convenire afferendo perfectionem, ſi ſit convenientia utilitatis aut voluptatis, ſecus ſi laudabilitatis & decentiæ, ut explicatum eſt *n.* 3.

16. Ad quintam petitam ex diſtantia extremorum.

Ad quintam dico unionem per ſe aliam eſſe inter extrema mutuò perfectibilia, & huic obeſſe poteſt magna diſtantia, & magnus exceſſus perfectionis unius ſuprà aliud: aliam eſſe inter extrema, quorum unum tantum eſt perfectibile, aliud purè perfectivum, & huic unioni diſtantia extremorum non officit, nec impedit ipſorum extremorum proportionem habitualem; quamvis ſi infinita ſit, excludat proportionem entitativam. Potiò Incarnatio importat unionem inter extrema poſteriore, non priore modo ſe habentia, idtò, &c.

Aſſert. 2.

Digitized by Google

Aſſert.2.Incarnatio fuit conveniens poſitivè, & ab intrinſeco, Perſonæ divinæ aſſumenti,etiam ut talis Perſona divina, ſeu ut Verbum & filius eſt. Ità Theologi communiſſimè cum D.Thomâ *quæſt.3.art.8.* & *opuſc. 60.art.1.* Dixi *etiam ut talis Perſona divina*,&c. quia quod Incarnatio conveniat Perſonæ divinæ aſſumenti præcisè ut Perſona divina eſt, conſequitur in terminis ad id, quod jam dictum eſt,loquendo igitur de Perſona aſſumente,ut tali.

17\. Probatur, & explicatur aſſertum, afferendo varias congruentias & convenientias militantes pro Perſonâ Verbi & filij, non pro Perſonâ Patris,aut Spiritus ſancti, & deſumptas ex prædicatis intrinſecis propriis aut appropriatis Verbo & filio,ſicque inferentes Incarnationem tali Perſonæ, ut tali, convenire ab intrinſeco & ex natura rei. Prima ratio congruentiæ ſit, ut Perſona quæ eſt formaliter ex vi ſuæ proceſſionis ſimilitudo, & imago Dei, ſatisfaceret pro peccato, quo homo ſimilitudinem Dei ſuperbè appetierat, Deique in ſe imaginem obliteraverat. Secunda, ut Perſona, quæ ab æterno filius Dei, fieret in tempore filius hominis,& quæ erat filius Dei naturalis, faceret homines filios adoptivos. Tertia ut Perſona, cui appropriatur intellectualis operatio & ſapientia, naturam intellectualem aſſumeret, & hominem ad veram ſapientiam erudiret; divinæ item ſapientiæ ſpecialiter tribueretur opus recreationis,ſicuti potentiæ ſpecialiter tribuitur opus creationis, bonitati opus retributionis. Quarta, ut Perſona, quæ tanquam rerum omnium Verbum, & exemplar, ſpecialiter exprimit cujuſlibet naturæ creatæ ſimilitudinem, cum naturâ creatâ uniretur; & extrema magis ſimilia in unum convenirent. Quinta, ut Perſona media inter Patrem, & Spiritum ſanctum, fieret Mediator inter Deum & hominem. Has & alias hujuſmodi convenientiæ rationes tradunt D.Thomas præcitatus, item Anſelmus, Damaſcenus, Bernardus, & aliqui alij Sancti Patres relati à Valentia *diſp.1. quæſt.1.punc.4.*

Speciales rationes convenientiæ pro Incarnatione verbi potius,quam Patris, aut Spiritus ſancti.

---

§. II.

An, & Quomodo Incarnatio fuerit conveniens naturæ humanæ aſſumptæ & toti univerſo?

18\. Assert. 1. Incarnatio fuit conveniens poſitivè,& ab intrinſeco, naturæ humanæ,etiam ut tali,non ſolum convenientia laudabilitatis; ſed utilitatis quoque & voluptatis. Eſt veritas ab omnibus recepta,& certior quam ut probatione indigeat, ſolum indiget aliqua explicatione;ideò

Incarnatio fuit conveniens convenientiâ laudabilitatis, utilitatis, & voluptatis,

Probatur, & explicatur, in primis quidem quoad naturam humanam ſpecificativè acceptam ex eo,quod ei addit plures perfectiones maximè conſentaneas naturæ intellectuali abſtrahenti ab angelica & humanâ, ſumptæ tamen ſecundum obedientialem, non ſecundum naturalem potentiam; eam reddit ſanctam impeccabilem, beatam; ei tribuit gratiam unionis,& elevationis,ad perſonale conſortium divinitatis; dignitatem infinitam ad ſatisfaciendum,& merendum; infuſionem virtutum ſivè intellectualium ſivè moralium, aliaque plura inſignia chariſmata, de quibus toto *lib.2.* & 4. Quæ certè, ſicuti non ſolum manifeſtant, ſed augent quoque intrinſecè perfectionem dignitatemque naturæ humanæ ſpecificativè acceptæ ſecundum communem gradum intellectualis, ita ei ſpecificativè acceptæ conveniunt, non ſolum convenientia laudabilitatis,ſed utilitatis quoque & voluptatis. Quod deinde Incarnatio conveniat pariter eidem,ut tali, & ut contradiſtinctæ à natura angelicâ, adeo ut naturam humanam convenientius, quam angelicam Verbum aſſumpſerit,deducitur primo ex eo, quod in natura humanâ melius, quã in angelica,aut alia quacumque continentur rerum omnium gradus,ut magis mox attingetur *num.24.* ſicque per aſſumptionem ſolius naturæ humanæ Verbum magis ſe communicat creaturis omnibus: Secundo ex eo, quod (& eſt ratio S.Doctoris *quæſt.4.art.1.*) in ordine ad aſſumptionem ſpecialis congruentia dignitatis, qua carent naturæ irrationales, datur quidem in angelica æquè ac in humanâ natura; at congruentia neceſſitatis datur ſolum in natura humana,quæ ſola ſubjacebat originali peccato, & indigebat remedio: Tertio (& eſt ratio ejuſdam S. Doctoris *opuſc. 60. art.1.*) natura humana in operibus ſex dierum fuit ultima omnium creaturarum, divino igitur Verbo quod eſt omnium principium, eam aſſumente fit conjunctio primi & ultimi; in qua conjunctione naturæ humanæ, propria ſpecialiter relucet ſapientia Dei, completio univerſi, & quædam ſingularis habitudo humanitatis ad aſſumptionem ſui à Verbo.

Tum naturæ humanæ acceptæ ſpecificative.

19\. *Tum eidem acceptæ reduplicative & ut tali.*

Dices probando in univerſum convenientem non eſſe naturæ creatæ unionem hypoſtaticam, ac per conſequens nec naturæ humanæ Incarnationem, quod tollit perfectionem alicui naturalem & debitam non eſt ipſi conveniens,unio hypoſtatica tollit ſubſiſtentiam propriam, quæ eſt perfectio naturalis & debita naturæ creatæ; ergo unio hypoſtatica non eſt naturæ creatæ conveniens. Sed contrà vera eſt major de eo, quod tollit perfectionem per aliquid imperfectum,vel oppoſitum,vel ſaltem non præſtans idem munus, quod præſtabat perfectio naturalis & debita;falſa eſt de eo, quod perfectionem tollit per aliquid perfectius, eminentius, & habens vim præſtandi illud ipſum munus, quod præſtabat,&c. hoc ſecundo modo perfectionem naturalem, & debitam naturæ creatæ, tollit unio hypoſtatica;ideò non eſt naturæ creatæ inconveniens,aut violenta. 20.

In Incarnatione carentia ſubſiſtentiæ propriæ non eſt inconveniens, & violenta naturæ.

Urgebis: Unio hypoſtatica ſi non eſt poſitivè inconveniens ex eo, quod loco ſubſiſtentiæ creatæ non ponat aliquid imperfectum & oppoſitum ſaltem neque erit poſitivè conveniens,quia loco ſubſiſtentiæ propriæ, quæ eſt juxtà appetitum naturæ ponit ſubſiſtentiam divinam, quæ eſt ſuprà, non juxta talem appetitum. Sed contrà: juxtà doctrinam cujus 21.
ex

ex Scoto meminimus *tr.1.lib.5. cap.1.§.6.* negandum foret abſulutè ſubſiſtentiam divinam, & ſupernaturalem, non eſſe juxta appetitum innatum, & inclinationem poſitivam naturæ; nihilominus quia Scoticam doctrinam de potentiâ paſſiva habeote inclinationem ad quamlibet perfectionem ſibi poſſibilem, eo loco, & alibi improbavimus, dicendum eſt in præſenti ſubſiſtentiam divioam, quamvis non ſit juxtà appetitum naturalem, bene eſſe juxta appetitum obedientialem naturæ, quod optimè ſufficit, ot dicatur eidem poſitive conveniens; imò etiam ut dicatur explere naturalem ipſius appetitum, utpotè qui ab obedientiali non diſtinguitur, & in obedientiali eminenter cootinetur. Vnde in rigore magis explet appetitum oatoræ ſubſiſtentia divina, quam creata, quia iſta explet præcisè appetitum naturalem, illa tum naturalem; tum obedientialem; naturalem ſecundariò, obedientialem primariò.

Subſiſtentia divina in naturâ explet primariò appetitum obedientialem, ſecundariò etiam naturalem.

21\. Incarnatio fuit, quamvis non convenientia ejuſdem protſus rationis, cõveniens omnibus vniverſi creaturis.

Aſſert.2. Incarnatio fuit conveniens toti Vniverſo eadem ferè convenientia, quâ naturæ humanæ. Dixi (*eadem ferè*) quia ſicuti Incarnatio plura bona pluteſque perfectiones affert naturæ humanæ in individuo aſſomptæ, quàm cæteris homioibus, plura hominibus, quàm Aogelis; plura hominibus & Angelis, quàm creaturis irrationalibus; ita Incarnationis convenientia major eſt reſpectu naturæ in individuu aſſumptæ, quàm reſpectu cæterorũ hominum, major reſpectu hominum, quàm reſpectu Aogelorum &c. non par & omninò eadem reſpectu omnium creaturarum univerſum conſtituentium; apparet verò maximè hæc conveoientiæ imparitas, atque diverſitas reſpectu creaturarum irrationalium, quibus nec Incarnatio, nec aliud quidquam, convenit convenientia laudabilitatis & delectabilitatis, cum irrationalia ſint honeſtatis & voluptatis iocapacia. Aſſertum ſic explicatum.

Probatur facilè afferendo varia capita convenientiæ Incarnationis reſpectu totius univerſi. Primum ſit, quia ex perfectione partis, & contenti redundat perfectio in totum & continens, cum igitur natura humana in Incarnatione aſſumpta ad univerſum ſe habeat ut pars ad totũ, ut contentũ ad continens, conſequens eſt, quod ex perfectione & cõvenientia Incaruationis reſpectu naturæ aſsũptæ redundet perfectio & cõveniẽtia reſpectu totius univerſi.

23\. Secundũ, quia in homine ſpecialiter relucent omnes gradus rerum univerſum conſtituentium; ergo Incarnatio perficiendo hominem, eique conveniendo, perficit hoc ipſo omnium rerum grados, totique univerſo convenit; antecedens probatur ex celebri ſententia D. Gregorij *homil.29. in Evang.* docentis hominem eſſe quodammodò omnem creaturam, quia habet *eſſe cum lapidius, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis*; cui ſententiæ favat Apoſtolus *Epheſ.1.* dicens *omnia in Chriſto inſtaurari*, & quadrat quod communiter dici ſolet hominem eſſe microcoſmum, ſeu parvum mundum & epilogum vniverſi ot loquuntur Ariſtoteles *lib.8.phyſic.cap.1.* & Philo *lib.de mundi fabrica*

Homo quomodo ſit omnis creatura, & contineat omnes gradus rerum?

Nec refert quod objicit Arriaga *diſp.1. ſec.4. n.47.* juxta ſenſum, & ſententiam Gregorij omnium rerum gradus etiam in Angelo reperiti, utpotè qui, licet non habeat commune cũ aoimalibus ſentire, habet commune cum iiſdem moveri. Non refert, inquam, quia ex hoc ad ſummum deduceretur aſſumptionem naturæ Angelicæ fore univerſo convenientem æquè ac fuerit aſſumptio naturæ humanæ, quod noo eſt cootià rem præſentem, quamvis ſit aliqualiter contra id quod attigimus *præc. n.19.* Vnde ad Arriagæ inſtantiam dico hominem habere cum arboribus & animalibus communem gradum formaliter corporeum, vitam ſcilicet vegetativam & ſenſitivam (expreſsá per ly *vivere cũ arboribus ſentire cũ animalibus*) quæ ottaque vita aliquid formaliter corporeum includit; Angelus autem continet gradum corporeum ſolùm eminenter, ideò non babet in ſe relucentes omoes gradus rerum eadem proprietate qua homo, nec convenit cum arburibus & animalibus, oiſi in cooceptu valdè analogo, & nimis univerſali: qualis eſt in particulari conceptus ſe movendi; quia in Angelis motus purè ſpiritualis eſt & ſimplex; non progreſſivus & factus per organa corporea, ut in animalibus.

24\. Idque magis propriè, quã Angelus.

Tertium aſſertæ convenientiæ caput haberi poteſt inducendo per omnes creaturas, quarum aliquæ ſunt ſuperiores homine aliquæ inferiores. Superiores ſunt Angeli; qui licet per Incaroationem videantur pati detrimentum, decidere ſcilicet à ſua connaturali in homines præeminentia, & evadere homine inferiores; hoc tamen detrimentum non eſt Angelo inconveniens, ſuppoſito quod naturæ humanæ aliundè addatur perfectio excedens totam naturam Aogelicam, ut fit per Incarnationem, quæ ioſuper compenſat abundè illud apparens detrimentum, afferendo Angelis ipſis plura ſupernaturalia dona gratiæ & gloriæ, & ob hæc dona eſt illis poſitivè conveniens. Inferiores homine ſunt creaturæ irrationales, in quibus maximè attenditur, quod inſerviant creaturis rationalibus, tamquàm media illis utilia ad proprium finem, & ad bonum vniverſi; illud igitur, per quod perficiuntur creaturæ rationales, & augetur bonum univerſi, convenit creaturis irrationalibus, quia maximè convenit medio inſervire perfectiori principio, & eſſe utile ad excellentiorem finem.

§. III.

An, & Quomodo Incarnatio fuerit conveniens ratione finis, temporis, aliarumque circumſtantiarum?

ASSERT. I. Iocarnatio fuit poſitivè, & ab intrinſeco conveniens, ratione finis, propter quem facta eſt.

25\. Incarnatio fuit poſitivè, & ab intrinſeco, conveniens ratione finis, tum univerſalis, tum particularis.

Probatur & explicatur: finis Incarnationis, ſicut & cujuſlibet alterius rei creatæ, alius eſt uoiverſalis & ſimpliciter ultimus, qui eſt reſpectu rerũ omniũ unus & idem, nimirũ Deus ipſe: Alius eſt particularis & non ſimpliciter

ultimus, qui eſt reſpectu diverſarum rerum di-
verſus, & reſpectu Incarnationis eſt ex infrà
dicendis redemptio, ſeu ſalus humani generis;
atqui ratione utriuſque finis fuit poſitivè, &
ab intrinſeco conveniens Incarnatio; nam
convenientia ratione finis eſt conducentia &
utilitas ad talem finem, ad gloriam autem &
manifeſtationem Dei, ſecundum quam Deus
ipſe ultimò finalizat, eſſe poſitivè ac ab in-
trinſeco conducentem & utilem Incarnatio-
nem; hancque uno verbo eſſe poſitivè, ac ab
26. intrinſeco, convenientem Deo jam ſupra o-
ſtenſum eſt: eamdem porrò eſſe ſimiliter, con-
ducentem, ac utilem ad redemptionem, ſeu ſa-
lutem humani generis, perſpicuum redditur ex
infinitate meritorum & ſatisfactionis, qui-
bus Chriſtus nobis redemptionem, ſeu ſalu-
tem obtinuit; ex conciliatione juſtitiæ, & mi-
ſericordiæ, quæ ratione peccati videbantur
eſſe diſcordes, dum una vindictam, altera ve-
niam exigebat; ratione verò Incarnationis
ſunt factæ concordes, dum juſtitia habuit
abundantem debiti ſolutionem, miſericordia
præbuit pretij abundantiam ad ſolvendum;
ex proportione ſervata inter offendentem &
ſatisfacientem, inter Adamum & Chriſtum;
quatenus per eamdem naturam fuit expia-
tum, per quam fuit admiſſum peccatum; &
ſicut Adam appetijt Dei æqualitatem, ita
Chriſtus in forma Dei exiſtens ſuſcepit for-
mam ſervi, ſicut ille in ligno peccavit, ita iſte
in ligno ſatisfecit; nec deſunt plures aliæ ſi-
miles proportiones à Sanctis Patribus exco-
gitatæ, & inſinuatæ à Lugo *diſp.1.ſec.1.*

Dices: fine particulari mox aſſignato eſt
quid valdè perfectius, & ſuperius, Incarnatio;
at non eſt conveniens ratione finis illud, quod
eſt perfectius & ſuperius ipſo fine, neque enim
convenit rei perfectiori & ſuperiori ordinari
ad imperfectiorem & inferiorem, imò etiam
huic ſubordinari, ſicuti tamen medium ordi-
natur ad finem, imò etiam fini ſubordinatur;
27. Quomodo poſſit res ſuperior habere pro fine rem inferiorem? ergo. Sed contra: non convenit rei perfectiori
& ſuperiori ordinari ad imperfectiorem & in-
feriorem, tamquam ad finem univerſalem ſim-
pliciter ultimum, & *cuius gratiâ*, vel tam-
quam ad finem perfectivum, vel ordinatione
quæ ſit ex neceſſitate & exiſtentia naturali ip-
ſius rei inferioris; ſecus tamquàm ad finem
particularem, non ſimpliciter ultimum &
cui, vel tamquàm ad finem perfectibilem &
perficiendum, vel ordinatione quæ ſit ex li-
bertate, liberalitate, & dignatione rei ſupe-
rioris, his poſterioribus modis ordinatio eſt
ſine ſubordinatione, ijſdemque, non priori-
bus, ordinatur Incarnatio ad genus humanum
redimendum & ſalvandum; ideo &c. Nec de-
ſunt exempla ſimilis ordinationis aliarum re-
rum ſuperiorum ad inferiores; ſic rectè ordi-
natur ſacrificium miſſæ ad obtinendum bo-
num aliquod temporale, rectè exponitur vita
periculo ad conſervanda famæ vel fortunæ
bona: Verum de ijs plura cum de cauſa finali
Incarnationis, de qua infrà.

28. Aſſert. 2. Incarnatio fuit poſitivè, & ab in-
trinſeco conveniens ratione temporis, quo fa-
cta eſt; facta eſt autem nec in initio, nec in fine,
ſed circa medium durationis mundi quamvis
eo ad ſenectam declinante: Ita Theologi com-
muniſſimè cum D. Thomâ *quæſt.1.art.5.& 6.*
alijſque Sanctis Patribus contra Gentiles, qui
Evangelium prædicantibus ſolent objicere,
quod ſi Incarnatio eſſet poſſibilis, non con-
venienter Deus tantum beneficium poſt tot a
mundi initio ſæcula diſtuliſſet; Item contra
Iudæos expectantes Meſſiam, tamquàm in fi-
ne mundi venturum, adeòque habentes pro
inconvenienti, quod aſſeratur veniſſe circa
mundi medium.

Probatur & explicatur. Incarnatio facta Incarnatio fuit facta anno à creatione 5199.
eſt ſexta mundi ætate anno à creatione 5199.
iuxta ſupputationem communiter jam recep-
tam, Romanoque in martyrologio poſitam;
& quàmvis olim de tali annorum numero tot
fuerint ſententiæ quot Scriptores, ut obſervat
Suarez *diſp.6 ſec.1.* ubi ipſemet poſt nume-
ratas quinque primas mundi ætates, & aſſi-
gnatam ſingularum durationem, cenſuit In-
carnationem factam circa 4000. nō poſt 5000.
annum ab orbe condito; quamvis, inquam,
olim in determinando adamuſſim anno-
rum numero fuerit diſſidium, fuit tamen ſem-
per communis conſenſus de Incarnatione fa-
cta poſt plura decurſa ab orbe condito ſæcu-
la, & cum ex alia parte poſt eamdem Incarna-
tionem decurrat jam ſæculum decimumſepti-
mum, liquido conſtat eam fuiſſe peractam, nec
in initio nec in fine, ſed circa medium dura-
tionis mundi; eo ſcilicet tempore, quo mundus
per multa jam ſæcula duraverat, & per multa
erat ulterius ſæcula duraturus. Porrò ſæcula
Incarnationem antecedētia in quinque diſtri- 29. Enumerantur ſex mundi ætates.
buuntur ætates, quarum prima eſt ab Adam
uſque ad Noe, ſeu ad diluvium: ſecunda à fini-
to diluvio ſeu à Noe ab arca egreſſo uſque ad
Abraham. Tertia ab Abraham uſque ad Davi-
dem, hanc nonnulli ſex ante Chriſtum ætates
enumerantes dividunt in duas, quarum altera
ſit ab Abraham uſque ad Moyſen educentem
Iſraelitas de Ægipto, altera à Moyſe uſque
ad Davidem ſeu templi ædificationem: Quar-
ta à Davide uſque ad captivitatem Babyloni-
cam ſub Sedecia: Quinta à captivitate Babylo-
nica uſque ad Chriſtum ſeu Incarnationem.
Sæcula ſubſequentia inchoant & conſtituunt
ſextam ætatem ab Incarnatione ſeu nativitate
Chriſti uſque ad mundi interitum. Hæc ſexta
ætas eo, quod ſit ultima omnium (duæ enim 30. Auguſtinus addit ſeptimam, & octavam, ſed in alia vita.
poſteriores aſſignatæ ab Auguſtino *lib. de
Gen.* & collocatæ, una in requie animarum poſt
ſeparationem à corpore uſque ad diem judicij;
altera poſt diem judicij in requie corporum ſi-
mul & animarum, non ſunt ætates hujus vitæ
nec ad hunc mundum pertinent) & ſe habeat
velut ſenecta in homine, appellatur mundi ſe-
necta, mundi veſpera, finis tēporum; propterea
Chriſtus dicitur veniſſe ad vitæ ſeu ad mundi
veſperá, nec non in fine temporum, propterea
quoque nos in aſſerto poſuimus ly *mundo ad
ſenectam declinante*, propterea tandem tempus
Incarnationis dicitur tempus noviſſimū juxtà
illud 1. Io. 2. *filioli, iā noviſſima hora eſt*, & Iſa. 2.
*erit in noviſſimis diebus preparatus mons do-
mus Domini in vertice montium*: Ex quibus
& ſimilibus loquendi modis non ſolum ma-
lè Iudæi inferunt Incarnationem eſſe in fi-
ne

ne mundi expectandam, verùm etiam alij nonnulli inſufficienter conjectant eam eſſe factam circà finem, eoque tempore quo mundus minus à fine diſtabat, quàm à principio quod eſt proſſus incertò & fortè ſexta ac ultima mundi ætas, quæ ſola illis loquendi modis inſinuatur, diuturnior futura eſt, quam fuerint quinque priores ætates ſimul ſumptæ. Unde etiam in aſſerto dixi *circa medium durationis*, inſinuarem ly *medium* non debere mathematicè ac indiviſibiliter ſumi, pro eo quod æqualiter diſtat ab utroque extremo, à principio & fine; qua ratione inferretur ſextam mundi ætatem fore æqualem quinque prioribus ſimul ſumptis, & haberetur certitudo de ultimo mundi fine, ac die judicij: ly igitur *circa medium* denotat latitudinem, & nihil aliud ſignificat niſi notabilem multamque diſtantiam tum à principio tum à fine: Nec alius eſt ſenſus illorum verborum Habacuc 3. *In medio annorum notum facies*, in quibus ſermonem eſſe de opere Incarnationis docent plures SS. PP. relati a Sylvio *quæſt.* 1 *art.* 6.

Incarnatio fuit facta ſexta ætate, & circa medium durationis mundi.

31\. Sic ſtabilito & explicito tempore Incarnationis ſubjicio ejuſdem temporis convenientiam deſumptam ex eo, quod tale tempus medium fuit accommodatiſſimum utilitati & dignitati Incarnationis; utilitati, quia remedium eo tempore eſt magis utile, quo minùs ab omnibus indigentibus diſtat ut facilius poſſit prodeſſe & applicari omnibus; tale autem eſt reſpectu omnium hominum tempus medium durationis mundi; dignitati, quia eo tempore medio fuerat jam diu creditum, præfiguratum, expectatum Incarnationis beneficium, adeòque adeſſent diſpoſitiones fidei præſertim, & ſpei, congruentes dignitati myſterij, quæ quidem diſpoſitiones circà mundi initium, & paulò poſt peccatum debiliores fuiſſent ac imperfectiores; ſicut & circà extremum; nam circà initium vix agnoſcebat homo imbecillitatem ſuam, quid natura, quid lex poſſet, & quantùm indigeret Incarnationis remedio ac lege gratiæ, circà extremum abijſſent mores in nimiam corruptionem, ferè defeciſſent fides & ſpes, fuiſſétque ferè abolita naturæ lex.

Idque convenientiſſimè.

Aſſert. 3. Incarnatio fuit conveniens ratione Maternitatis Virginis Deiparæ, aliarumque circumſtantiarum.

32\. Probatur quoad Maternitatem Virginis deiparæ ex eo quod Beatiſſima Virgo tantæ fuerit gratiæ & ſanctitatis, ut congruè potuerit eſſe Dei Mater; & certè ad hanc congruentiam & dignitatem valdè contulit Virginitas utpotè quæ eſt prærogativa ex genere ſuo valdè eximia, & quateoùs deindè cum Maternitate cõjungitur, ſicuti eſt ſuprà omnes naturæ vires, ità eſt ſpecialiter accommodata generationi inenarrabili, quâ Divinum Verbum incarnatur. Aliæ circũſtantiæ eſſe poſſunt primò quod Virgo deipara fuerit ex ſtirpe Adæ & pro hac circumſtantia militant eædem ferè circumſtantiæ quæ afferuntur pro aſſumptione naturæ humanæ potiùs, quàm Angelicæ; & quamvis aliundè, quàm ex Adam potuerit Deus naturam humanam aſſumere, tamen hoc ipſum fuiſſe convenientius tradit in terminis D. Thomas *quæſt.* 4. *art.* 6. Secundò, quod Chriſtus natus ſit ex Deſponſatâ ut expendit D. Hieronymus *lib.* 1. *Com. in cap* 1. *Matth.* Tertiò quod Incarnatio facta ſit die dominico, ut profitentur Græci *in* 6. *Synodo c* 8. teſte Gabriele à S. Vincentio *diſp.* 2. *dub.* 2 1 & hujus circumſtantiæ congruentia eſſe poteſt dominicæ diei præ diebus alijs ſolemnitas nonnihil cõferens ad præclariora prodigia; unde ea die manna in eremo pluit, ſtella magis refulſit; eadem Chriſtus turbas in deſerto pavit, baptiſmum in Iordane ſuſcepit, à mortuis reſurrexit &c. Mitto reliquas circumſtantias, quæ aut cum ſuis congruentijs occurrunt in ſucceſſivo materiæ decurſo, aut præſto eſſe poſſunt apud S. Doctorem Myſteria vitæ Chriſti, & deiparæ, expendentem à *quæſt.* 26. ad *quæſt.* 60.

Incarnatio fuit conveniens ratione maternitatis.

Item ratione aliarum circumſtantiarum.

33\. Ex hucuſque dictis habetur, quocũmque ex capite Incarnatio attendatur eſſe magnã ejus convenientiam, non tamen eſſe ex quocũque capite æqualem, & quamvis in aliquo ſenſu, de quo ſuprà *n.* 15. fere omnis hujuſmodi convenientia dici poſſit ab intrinſeco, & ex natura rei; adhuc convenientia ſic accepta aliqua eſt major, alia minor; prout ex prædicatis intrinſecis rei pro aliqua plures, pro aliqua pauciores rationes eruuntur. Si deindè quæras ſimpliciter & abſolutè, reſpectu cujus Incarnatio habeat convenientiam omninò maximam? facilè excitabis quæſtionem de nomine: Enimverò nomine convenientiæ maximæ venire poteſt ea, in quâ res quæ convenit, eam cui convenit maximè perficit, & in hoc ſenſu Incarnatio habet convenientiam omninò maximam reſpectu naturæ aſſumptæ: Venire item poteſt ea, in quâ res quæ convenit cum ea, cui convenit, habet maximam naturalem proportionem, & in hoc ſenſu convenientia Incarnationis maxima eſt reſpectu Dei, Perſonæque aſſumentis.

Incarnationis convenientia eſt reſpectu diverſarum rerum inæqualis.

CAPUT III.

De Neceſſitate Incarnationis.

1\. Convenientia minùs latè patet, quàm poſſibilitas, neceſſitas minus adhuc, quam convenientia; ideò præmiſimus poſſibilitatem convenientiæ, convenientiam neceſſitati: Hujus ſupponenda eſt communis diviſio in abſolutam; & ex ſuppoſitione: Neceſſitas abſoluta alia phyſica, alia moralis; phyſica eſt quæ provenit ex phyſicis rei prædicatis & nõ admittit potentiam phyſicam ad oppoſitum; moralis eſt, quæ provenit ex moralitate aliqua, & ita admittit phyſicam, ut non admittat moralem potentiam ad oppoſitum; undè in exercitio & in praxi numquam oppoſitum evenit, quamvis poſſit phyſicè evenire: Neceſſitas ex ſuppoſitione varia eſt juxtà ſuppoſitionum varietatem, & pro re præſenti quinque ſuppoſitiones conſiderandæ occurrunt; Prima eſt ſuppoſitio creationis univerſi; ſecunda elevationis hominum ad finem ſupernaturalem; Tertia peccati commiſſi; Quarta peccati reparandi; Quinta peccati reparandi

Neceſſitas quotuplex.

per condignam ſatisfactionem. Relatè ad ſingulas haſce ſuppoſitiones, ſeu hypotheſes, examinanda eſt neceſſitas Incarnationis, aut potius unionis hypoſtaticæ, quæ tum ex parte naturæ, tum ex parte Perſonæ, aliquantulo latius patet, quam Incarnatio, hæc quippe, ut de facto peracta eſt, reſpicit ſolum naturam humanam & Perſonam Verbi, illa extenditur ad quamlibet naturam intellectualem, & ad quamlibet Perſonam divinam. Verum antequam Incarnationem, unionemvè hypoſtaticam, expendamus in ordine ad neceſſitatem ex ſuppoſitione & hypotheticam, aliquid dicendum eſt de neceſſitate abſoluta, ſivè phyſicâ, ſivè morali; licet facile ſit utramque in præſenti excludere poſtquam *tractat.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. §. 2. neutram Deo conceſſimus in ordine ad id, quod melius eſt, aut optimum ex parte objecti.

---

§. I.

Utrum Incarnatio fuerit neceſſaria neceſſitate abſoluta, phyſica; aut moralı?

2\. *Incarnatio non eſt neceſſaria neceſſitate phyſicâ abſoluta.*

ASSERT. 1. Incarnatio non fuit neceſſaria neceſſitate phyſica omnino abſoluta; omnino, inquam, abſolutâ, ut excludam etiam ſuppoſitionem creationis univerſi, in qua ſuppoſitione loquitur Raymundus Lullus, quamvis ab aliquibus in præſenti referatur pro neceſſitate Incarnationis abſolutâ, fortè quia creatio univerſi non videtur eſſe ſuppoſitio Incarnationi extrinſeca; cum enim Incarnatio ſupponat naturam creatam, neceſſitas Incarnationis ex terminis & abſolutè accepta videtur ſupponere creationem univerſi, Nihilominus neceſſitas Incarnationis omnino abſoluta in rigore differt à neceſſitate ejuſdem ex ſuppoſitione creationis univerſi, quia primo modo inferret creationem univerſi, ſecundo modo ex tali creatione inferretur. In hoc igitur ſenſu loquendo de neceſſitate omnino abſoluta aſſertum certum eſt, & oppoſitum cadit à fortiori ſub eadem cenſura, ſub qua ſententia Lulli de quâ infrà *n.* 4.

Probatur Deus non habuit neceſſitatem phyſicam omnino abſolutam ſe Incarnandi; ergo Incarnatio non fuit neceſſaria, &c. conſequentia patet; antecedens probatur primo, quia ſi Deus habuiſſet neceſſitatem phyſicam ſe incarnandi, fuiſſet incarnatus ab æterno; certè enim Deus ab æterno habuit quidquid ſibi phyſice neceſſarium eſt: Secundò, quia ſi habuiſſet neceſſitatem phyſicam omnino abſolutam ſe Incarnandi habuiſſet neceſſitatem phyſicam producendi aliquam naturam creatam, adeóque non eſſet phyſice liber in omni opere ad extrà: Tertio quia divina voluntas non poteſt neceſſitari phyſice niſi ab objecto ſibi adæquato cujuſmodi eſt ſolum bonum ſimpliciter infinitum & divina eſſentia, ut exiſtit ad intrà.

Dices Incarnationem eſſe opus divinæ ſubſiſtentiæ non divinæ voluntatis; eſſe terminationem, non actionem ad extrà; adeóque poſſe eſſe opus neceſſarium abſque eo, quod inferatur ulla neceſſitas divinæ voluntati, aut Deo ut agenti ad extrà. Sed contrà: Incarnatio 3. *ex præced. cap.* 1. *num.* 4. ità ſignificat formalem unionem ſeu terminationem, ut ſimul ſignificet actionem unitivam, ſeu unionis ac terminationis effectivam; ac per conſequens ità eſt opus ſubſiſtentiæ & Perſonæ divinæ terminantis, ut ſimul ſit opus divinæ voluntatis & Dei agentis: Præter quod etiamſi ſumatur, ut eſt præcisè opus ſubſiſtentiæ & terminatio, nequit habere neceſſitatem abſolutam, eſt enim Deo ſimpliciter libera non ſolum omnis actio, ſed etiam omnis alia habitudo ad aliquid creatum, Incarnatio autem, etiam ut præcisè terminatio, eſt habitudo ad naturam creatam. Nec refert, quod ſubſiſtentia divina terminans non ſit in ſe formaliter libera. Non refert, inquam, quia ut dicatur ad extrà liberè terminare ſufficit quod ſit libera concomitanter, & per identitatem cum principio formaliter libero, ſcilicet cum voluntate.

Etiamſi ſumatur ut pura terminatio.

Ex his habes dari in Deo libertatem phyſicam abſolutam relatè ad Incarnationem, tum ſumptam præſuppoſitive ratione naturæ creatæ quam prærequirit, tum ſumptam entitativè ratione ſui quatenus importat vel effectivam unitionem, vel formalem unionem.

4\. *Non eſt item neceſſaria abſoluta neceſſitate morali.*

Aſſert. 2. Incarnatio non fuit neceſſaria neceſſitate morali omnino abſolutâ. Ita hoc loco Theologi communiter contrà Granadum, Ruizium, alioſque nonnullos univerſaliter ponentes in Deo moralem neceſſitatem ad illud quod optimum eſt, ſeu melius ex parte objecti, adeóque ad creationem mundi, quæ melior eſt non creatione; ad Incarnationem, quæ melior eſt non Incarnatione. Hâc doctrinam Arriaga *diſp* 1 *ſec.* 3. *n.* 48. notat, ut ſimpliciter rigidiore doctrinâ Lulli, quia licet faciat Deum moraliter, non phyſicè, neceſſitatũ; facit tamen eum neceſſitatum tum ad Incarnationem tũ ad mundi creationem, cũ Lullus faceret omnino liberam Deo mundi creationem qua ſuppoſita exiſtimabat deindè phyſice neceſſariam Incarnationem, ex quo capite, utrum præmemorata doctrina noſtro aſſerto oppoſita obnoxia ſit cenſuræ? ſicut eſt doctrina Lulli, quam Lugus *diſp.* 2. *num.* 1. ait damnari, tanquam ad minimum temerariam: aliorum eſto judicium: Mihi ſufficiat pro indubitato habere doctrinam mox aſſertam eſſe magis conſonam Scripturis & Patribus ſæpè commendantibus in Incarnatione Dei beneficentiam, miſericordiam, & gratiam, quæ minus propriè dicerentur de opere ad quod Deus fuiſſet moraliter neceſſitatus, adeo ut etiam (quemadmodum vult Granadus) non fuiſſet Deus niſi tale opus feciſſet, qua ratione non multas Deo deberemus gratias pro Incarnatione, ut enim arguit Arriaga *præcit. num.* 48. Deus magis ſibi, quam nobis conſuluiſſet, quia de malo graviore ipſe periclitabatur, quam nos.

Oppoſitum fortè non eſt immune à cenſura.

5\. Probatur aſſertum tum ex obſervatione mox facta conformiter ad auctoritates Scripturæ & Patrum; tum ex doctrina univerſali *tract.* 1. tradita contrà moralem neceſſitatem

Dei

Dei ad optimum, aut melius ex parte objecti. Nec refert, quod Incarnatio non ſolum ſit quid melius quomodocumque; ſed inſuper ſit bonum infinitum, adeóque habens infinitam vim alliciendi divinam voluntatem, quod eſt ipſam ſaltem moraliter neceſſitare. Non refert, inquam, quia bonum ad extrà, quamvis infinitum, non eſt ſpecificativum divinæ volnotatis, nec objectum ejus inclinationi adæquatum, aut perfectioni neceſſarium; ideò nullam propriè in ſe habet vim alliciendi divinam voluntatem, quæ dum vult aliquid ad extrà à propriâ perfectione, & divina bonitate movetur, non ab allicientia objecti extrinſeci.

Dices: Divina voluntas undécumque moveatur ad volendum bonum infinitum, licet creatum & ad extrà, movetur & fertur in ipſum inclinatione infinitâ; ergo movetur inclinatione auferente indifferentiam, & inducente neceſſitatem ſaltem moralem; nam quo major eſt inclinatio ad unum, eo minor eſt indifferentia & potentia, ſaltem moralis, ad oppoſitum; inclinatio igitur infinita talem indifferentiam & potentiam infinitè minuit, adeóque omnino tollit. Eadem ferè inſtantia ſic aliter formari poteſt, Convenit Deo ex natura rei inclinatio ſe communicandi, ergo infinita inclinatio ſe infinitè communicandi; atqui inclinationi infinitæ reſiſti non poteſt; ergo Deus non poteſt non ſe infinitè communicare adeóque non poteſt non ſe communicare per Incarnationem, quæ eſt ipſius communicatio infinita utpotè non admittens ad extrà aliam majorem *ex cap praced. num.* 7.

6. Sed contra: Eſparza *lib.9.quaſt.4.ad* 1. occurrit dicendo inclinationem, quamvis infinitam, non neceſſitare quoties eſt purè approbativa & tendens ad perficiendum aliud, non lucrativa & impellens ad aliquid perfectivum ſui: verum hæc ſolutio rectè quidem ſalvat, quod non ſit violentum & inconveniens inclinationem non impleri, ſi aliundè ſit potentia eam impediendi; at meo videri non explicat, cur ex ſuppoſitione, quod infinita ſit non excludat ratione infinitatis omnem vim reſiſtitivam, omnemque potentiam impeditivam; ideo, ut ſingillatim occurram difficultati ex infinitate deſumptæ, adverto inclinationem divinæ voluntatis conſiderari poſſe, vel ex parte principij & entitativè, vel ex parte objecti & terminativè. Primo modo eſt infinita non ſolum circa objectum melius, optimum, aut infinitum, ſed circa quodcumque bonum; undè ſi ex hac infinitate inferretur neceſſitas, circà quodcumque prorſus bonum Deus neceſſitaretur; inclinatio igitur iſta entitativa nihil eſt aliud, quam infinita potentia, vel etiam indifferentia voluntatis, quæ certè ex ſe voluntatem non neceſſitat, imo nec ullatenus formaliter determinat: Secundo modo inclinatio divinæ voluntatis dici poteſt finita circà bonum finitum, infinita ſecundum quid, aut ſimpliciter, circa bonum ſecundum quid, aut ſimpliciter infinitum; ut tamen Deum neceſſitet, debet eſſe infinita ſimpliciter, & circa ſimpliciter infinitum bonum; debet enim, ut non admittat in Deo inclinationem ad oppoſitum, adæquare divinæ luntatis indifferentiam & inclinationem entitativam ſimpliciter infinitam. Porrò Incarnatio non eſt bonum ſimpliciter infinitum, cum non ſit bonum ſummum in omni genere; ideo inclinatio, qua Deus fertur in Incarnationem & in infinitam ſui communicationem ad extrà, non eſt ſimpliciter infinita objectivè, qualis tamen eſſe deberet, ut induceret neceſſitatem & excluderet omnem indifferentiam, inclinationemque oppoſitam: ſolum igitur circa ſe ipſum & ad intra habet Deus inclinationem neceſſitantem, & ſimpliciter infinitam, tum entitativè, tum objectivè.

Quomodo divina voluntas abſque eo, quod neceſſitetur habeat inclinationem infinitam ad bonum.

Cætera, quæ poſſent urgeri pro morali Dei 7.
neceſſitate, procedunt non tam in particulari relatè ad Incarnationem, quam in univerſum relatè ad quidquid eſt melius; ideo facilem habent ſolutionem *ex præcit.* §. 2. ex quo ſingillatim recolendum non dari in rigore reſpectu Dei potentiam & libertatem phyſicam ſine potentia & libertate morali, nec è contrà neceſſitatem moralem ſine phyſica; proptereà licet doctrinæ gratia ſub præfixo titulo de neceſſitate abſolutâ egerimus de neceſſitate phyſica & morali ſeorſim; in ſequentibus de neceſſitate ex ſuppoſitione agemus indefinitè abſtrahendo à morali & phyſicâ; imò complectendo utramque, & quoties Incarnationem neceſſariam eſſe aut negabimus, aut affirmabimus, erit id, tùm phiſicè tùm moraliter, intelligendum.

---

§. II.

Utrùm Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione creationis univerſi, aut elevationis hominum ad finem ſupernaturalem.

8.

Incarnatio non eſt neceſſaria ex ſuppoſitioné creationis univerſi.

ASSERT. 1. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione creationis univerſi, nec Deus eo ipſo, quod decreverit creare univerſum fuit neceſſitatus, ad ſe incarnandum. Ità Theologi communiter contrà Raymundum Lullum *in explicat. art. fidei cap.* 18. cujus opinio non ſine gravi cenſurâ reijcitur ut jam monuimus *præced. num.* 4.

Probatur: Decretum creationis, aut creatio ipſa univerſi, non habet neceſſariam connexionem cum Incarnatione; ergo Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione creationis univerſi; conſequentia patet, quia neceſſitas ſuppoſitionis propriè eſt neceſſitas illationis, quâ uno poſito per neceſſariam conſequentiam infertur aliud, neceſſitas autem illationis eſſe nequit ſine neceſſitate connexionis, ſeu ſine neceſſaria connexione: Antecedens probatur; ordo naturalis non habet neceſſariam connexionem cum ordine ſupernaturali, præſertim hypoſtatico; atqui Incarnatio eſt ordinis ſupernaturalis hypoſtatici; decretum creationis ſpectat ad Deum ut Auctorem ordinis naturalis, creatio ipſa univerſi ſecundum ſe præcisè, & ut adhuc non complectitur hominum elevationem, eſt opus purè naturale;

9. Ordo naturalis nequit habere neceſſariam connexioné cum ordine ſupernaturali.

ergo decretum creationis, aut creatio, &c. Probatur major ex eo, quia ordo naturalis eſt ſupernaturali inferior, & propria ſupernaturalia perfectionis conditio eſt, quod non debeatur ulli rei naturali, nec cadat ſub exigentia activâ, aut paſſivâ, alicujus naturæ creatæ. Deindè ſi ordo naturalis haberet neceſſariam connexionem cum ordine ſupernaturali præſertim hypoſtatico, natura haberet neceſſariam connexionem cum gratiâ unionis, adeóque à fortiori cum gratiâ habituali, nec dabilis eſſet ſtatus naturæ puræ, quod tanquam omnino falſum, imò & gravi cenſuræ obnoxium, rejecimus *in tract. de Gratia lib. 1. cap. 2. §. 1.* Confirmatur: Incarnatio neque eſt neceſſaria, ut primo producatur, neque ut conſervetur univerſum; non ut primo producatur, quia Incarnatio præſupponit univerſi productionem & eſt tali productione poſterior, cum ſupponat productionem naturæ humanæ ſeu hominis, qui de facto fuit ultimum creationis opus: Non eſt item neceſſaria Incarnatio, ut univerſum conſervetur, quia conſervatio eſt continuata productio, ad quam regulariter nihil amplius requiritur, quam ad productionem primam; ergo ex nullo capite ſuppoſitio univerſi, & mundi conditi, inferre poteſt neceſſitatem Incarnationis.

Dices: univerſum conſiderari poteſt, vel ſecundum ſubſtantiam præcisè, vel ſecundum perfectionem & complementum; ad productionem conſervationemque univerſi hoc ſecundo modo conſiderati neceſſaria eſt Incarnatio, ſine qua univerſo deeſſet gradus omnium perfectiſſimus, ideſt unionis hypoſtaticæ; & quia Deus, utpotè optimus ac perfectiſſimus Artifex, ex ſuppoſitione quod velit univerſum producere, tenetur ipſum velle etiam ſecundum perfectionem & complementum, conſequens eſt, quod ex ſuppoſitione creationis univerſi rectè inferatur reſpectu Dei neceſſitas ſe incarnandi, quæ tamen neceſſitas, utpotè conſequens ad ſuppoſitionem Deo liberam, non lædit abſolutam ipſius Dei libertatem, nec magis Deo repugnat, quam eidem repugnet neceſſitas providendi media ad gloriam ex ſuppoſitione electionis efficacis ad ipſam. Sed contrà, eadem ratione

10. inferretur in univerſo neceſſitas gratiæ habitualis, ne deeſſet gradus hujuſmodi valdè perfectus, & quodammodo medius inter naturam unionemque hypoſtaticam: Ad inſtantiam igitur dico Deum ex eo, quod ſit perfectiſſimus & optimus Artifex, poſſe producere omnem poſſibilem perfectionis gradum; at ex eo quod non teneatur ad id, quod optimum eſt ex parte objecti, non teneri velle producere; niſi perfectionem connaturalem, debitam, & neceſſario connexam cum rei ſubſtantia; talis autem non eſt Incarnatio, ſeu unio hypoſtatica reſpectu ſubſtantiæ univerſi, ideò, &c.

11. Incarnatio non eſt neceſſaria ex ſuppoſitione elevationis hominum ad finem ſupernaturalem.

Aſſert. 2. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione elevationis hominum ad finem ſupernaturalem; & poſt talem elevationem Deus adhuc optimè potuit non incarnari. Ità ſupponunt magis, quam in terminis tradant, Theologi magis communiter contra Eſparzam *lib. 9. quæſt. 6.* aliosque nonnullos.

Probatur: Elevatio hominum ad finem ſupernaturalem non habet neceſſariam connexionem cum Incarnatione; ergo Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione elevationis, &c. conſequentia patet *ex præced. num. 8.* antecedens probatur, elevatio hominum ad finem ſupernaturalem habetur formaliter per dona ſupernaturalia purè creata, nimirum per habitus gratiæ & virtutum infuſarum; hæc autem non habent neceſſariam connexionem cum Incarnatione primo, quia magis ipſa diſtant ab excellentiâ Incarnationis, quam ab ipſorum excellentiâ diſtent dona naturæ, ſicuti igitur ex dictis dona naturæ non habent neceſſariam connexionem cum donis ſupernaturalibus creatis, ita nec iſta cum Incarnatione, quæ involuit aliquid ſubſtantialiter increatum & intrinſecè divinum, non quoad ordinem tantum, ſed quoad entitatem: Secundò, quia poſita hominum elevatione adhuc Incarnatio eſt donum valdè gratioſum, & opus eximiæ beneficentiæ ac miſericordiæ; nam ut tale de facto commendatur à Sanctis Patribus, undè & nominari ſolet gratia unionis; ſi autem haberet cum elevatione neceſſariam connexionem, ea poſita non eſſet novum beneficium, ſicut nec dona naturalia neceſſario connexa cum creatione habentur pro novo beneficio diſtincto à creatione: Tertio, quia ſi elevatio hominum haberet neceſſariam connexionem cum Incarnatione, fuiſſet hæc facienda poſitâ illa elevatione, etiam non ſubſecuto originali peccato, quod certè non eſt neceſſario ad elevationem ſubſecutum; atqui ex infrà dicendis *cap. 7. §. 4.* Incarnatio ità de facto peracta eſt occaſione originalis peccati, ut originali non exiſtente peragenda non fuiſſet; ergo.

12. Ordo gratiæ habitualis non habet neceſſariam connexionem cum ordine gratiæ unionis.

Dices infirmari facile poſſe ſingula allatæ probationis membra: Infirmatur primum quia diſtantia habitudinis & proportionis, non diſtantia entitatis & perfectionis, impedit connexionem poſteriore autẽ non priore diſtantia, magis diſtant ab excellẽtia Incarnationis dona ſupernaturalia purè creata, quam ab iſtorum excellentia dona naturæ, ut patet ex eo, quod infrà dicetur poſſe nos mereri de congruo Incarnationem per dona ſupernaturalia purè creata, non ſic iſta dona ſupernaturalia per dona naturæ: Infirmatur ſecundum, quia ipſa hominum elevatio, & dona ſupernaturalia purè creata, connectuntur cum Incarnatione tanquam cum eo, quod primum eſt & principium cæterorum in ordine gratiæ; unde ex connexione Incarnationis cum elevatione hominum minuitur ratio gratiæ & beneficij in elevatione ipsâ potius, quam in Incarnatione: Infirmatur tertium, quia ſi verum eſt non ſubſecuto originali peccato peragendam non fuiſſe Incarnationem, verum id eſt non de Incarnatione quomodocunque ſub purâ ratione unionis hypoſtaticæ, ſed de Incarnatione ut peracta ex vi præſentis decreti in carne paſſibili; adeóque hinc ſolum excluditur neceſſaria connexio elevationis hominum cum Incarnatione poſteriore, non priore modo acceptâ. Sed contrà: Impugnatur prima ratio ex eo, quod non omnis proportio & 13. Impugnantur rationes contrariæ.

habitudo

habitudo ſufficit ad neceſſariam connexionem, & in propoſito meritum congruum ſicuti non infert infallibiliter præmium, ità non habet cum ſuo præmio neceſſariam connexionem, ideo habitudo meriti congrui reperta in donis gratiæ reſpectu Incarnationis potius, quam in donis naturæ reſpectu gratiæ, non infert inter illa potius, quam inter iſta, neceſſariam connexionem: Impugnatur ſecunda, quia dicere, quod dona creata formaliter elevantia hominem, præſertim gratia habitualis, petant ex natura ſua habere Incarnationem pro principio morali & meritorio, eſt tribuere ſoli gratiæ unionis puram rationem gratiæ, cum illa ſola ratio gratiæ pura ſit, quæ ex natura ſua non petit ab ullo merito pẽdere; eſt itẽ multum detrahere communi conceptui, quem ſolemus de habituali gratia formare, eã appellando primam formam in ordine ſupernaturali, primum principium meriti, gratiam ſimpliciter & abſolutè. Impugnatur tertia, quia utrùm non exiſtente originali fuiſſet ex vi alterius decreti & aliter, quam in carne paſſibili peragenda Incarnatio aut ſaltem unio hypoſtatica? res eſt valdè perplexa; quæ ſi affirmetur, affirmanda eſt tanquam congrua duntaxat, non tanquam neceſſaria ut magis conſtabit *ex ſeq. cap. 7.*

Dices inſuper: Homines ex vi elevationis,
14. ſeu gratiæ habitualis formaliter elevantis, habent connaturalem neceſſariamque connexionem cum hæreditate, & filiatione adoptiva Dei, ut ſuppono *ex Tract. de Gratia lib. 3. cap. 1. §. 3.* atqui non minorem habent connexionem cum exiſtentia Chriſti; nam Chriſti cohæreditas ſupponit Chriſti exiſtentiam, gratia autem habitualis facit cohæredes Chriſti eodem modo, quo facit hæredes & filios Dei, juxtà illud Rom. 8. *Sumus filij Dei ſi autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; ergo homines ex vi gratiæ habitualis ipſos elevantis habent connaturalem neceſſariamque connexionem cum exiſtentia Chriſti, ſeu Incarnatione. Confirmatur, habitus virtutum infuſarum elevantes ad ſupernaturaliter operandum inſtruunt ad mores planè divinos, adeò ut hominibus ſic elevatis jure dicatur Matth. 5. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; atqui ut homo percurrat tam ſublimem perfectionis viam, & in moribus planè divinis ſe exerceat, neceſſe eſt, quod habeat pro Duce & exemplari hominem Deum; ergo habet homo ex vi elevationis connexionem
15. neceſſariam cum Deo homine, ſeu cum Incarnatione. Sed contrà: hæ & ſimiles rationes ſuadent ex vi elevationis hominum magnam accedere Incarnationi convenientiam, at non evincunt neceſſitatem; gratia enim Dei, qualem per nos habuerunt Angeli & homines antè lapſum, præſtare poterat ea omnia, quæ modo poſt lapſum præſtat gratia Chriſti, nec iſta addit operibus niſi facilitatem aliquam & perfectionem accidentalem: Hinc ad inſtantiam conceſſâ majore, nego minorem & dico connexionem gratiæ cum hæreditate Dei eſſe ab intrinſeco & connaturalem; cum cohæreditate Chriſti eſſe ab extrinſeco & accidentalem; & aliud eſt gratiam facere, tum hæredes Dei, tum cohæredes Chriſti; aliud eſt ipſam facere utrumque eodem modo; primum duntaxat, non ſecundum infertur *ex 8. Rom.* niſi velis Apoſtolum loqui de gratiâ, quam de facto habemus, non ſpecificativè, ſed reduplicativè ut eſt gratia Chriſti, ſub qua reduplicatione utique habet neceſſariam connexionem cum Chriſto; at hic non eſt ſenſus præſentis controverſiæ, nec intendimus negare neceſſitatem Incarnationis ex ſuppoſitione elevationis factæ per gratiam Chriſti reduplicativè. Ad confirmationem quæ nimis probat, probat enim antè explicitam Chriſti fidem, ſine qua Chriſtus non apparet ut Dux & Exemplar, neminem potuiſſe ſublimem perfectionis viam attingere; ad confirmationem, inquam, dico non ad neceſſitatem & ex omnimoda indigentia, ſed ad facilitatem & ex magna convenientia nobis dari hominem Deum pro Duce & exemplari ad imitandam perfectionem Patris cœleſtis, & ad mores planè divinos; ad quos abſolute loquendo ſufficienter, & connaturaliter, poſſemus induci per actualia auxilia, internas illuſtrationes, ſupernaturales legis divinæ ſanctiones, &c.

Gratia facit nos hæredes Dei, & cohæredes Chriſti at non præſtat utrumque eodẽ modo.

Ex his habetur connexionem ordinis ſupernaturalis cum ordine hypoſtatico, & gratiæ habitualis cum gratiâ unionis, ab Adverſarijs excogitatam inducere varias opiniones malè cohærentes noſtris principijs infra ponendis, aut jam alibi poſitis: Ex tali quippe connexione fit primò omnem gratiam, ſivè in Angelis, ſivè in hominibus, ſivè antè ſivè poſt lapſum eſſe gratiam Chriſti; imò non eſſe dabilem, connaturaliter loquendo, gratiam, quæ ſit præcisè gratia Dei. Fit ſecundò non poſſe de lege ordinariâ haberi juſtificationem ullam, niſi ex Chriſti meritis, cum ab iſtis proveniat omnis gratia; non habeatur autem de lege ordinariâ juſtificatio, niſi per infuſionem gratiæ. Fit tertiò Incarnationem ſaltem præſcindendo à carne paſſibili, & ſub communi ratione unionis hypoſtaticæ, fuiſſe à Deo volitam non occaſione originalis ſed antè prævisionem ipſius; cum fuerit volita aut antecedenter, aut ſimul cum elevatione hominum; cujus certè elevationis decretum fuit antè prævisionem originalis. 16.

Variæ opiniones noſtris principiis malè cohærentes, & conſequẽtes ad connexionem gratiæ habitualis cum gratia unionis.

§. III.

Utrùm Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati aut commiſſi, aut reparandi?

ASSERT. I. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati commiſſi. 17.
Sermo eſt de peccato originali, & aſſerta veritas eſt communiſſimè recepta æquè; ac certiſſima adeo, ut ab ea nequeat ſine gravi cenſurâ recedi, ut patebit à fortiori ex dogmaticâ qualificatione aſſerti ſequentis; undè etiam cum excuſatione, aut benignâ interpretatione, ſolent excipi Anſelmus *lib. 1. cur Deus homo. cap. 16,*

Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati originalis commiſſi.

cap 16. *&* 17. Richardus à S. Victore *lib. de Incarnatione Verbi cap.* 8. & nonnulli alij qui videntur olim oppoſitum docuiſſe; ſed quidquid ſit de iſtorum mente, aſſeram veritatem certiſſimam, ut jam dixi, tradunt nunc omnes Theologi ſecuti D. Thomam *hic quæſt. 1. art. 2.* item Magiſtrum & Scotum *in 3. diſt.* 20.

Probatur. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati commiſſi, neque ut relinquendi & duraturi in humanâ naturâ; Neque ut auferendi & reparandi; ergo Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia peccatum ut relinquendum, & duraturum, habet maximam indignitatem, & improportionem, cum Incarnatione, nequit igitur eſſe ſuppoſitio Incarnationem inferens, quæ certe ſi occaſione peccati facta eſt, nullum alium potiorem finem habuit, quam ipſius peccati deſtructionem; nam quod Abailardus docuit Verbum fuiſſe incarnatum non ut homines tanquam Redemptor à peccato liberaret, ſed ut eoſdem tanquam Doctor ad ſalutem inſtrueret, error eſt alio ex errore deductus, quo idem Abailardus exiſtimavit homines ex vi peccati primorum Parentum non remanſiſſe captivus ſub poteſtate diaboli, & valdè ad Pelagium acceſſit, quamvis cum ipſo non negaverit ſimpliciter originale peccatum, ut notat Vaſquez *hic diſp. 1. cap* 1. *n.* 1.

Probatur antecedens quoad ſecundam par-
18. tem, quia ut omittam pro nunc, quod in ſequenti aſſerto ſtatuetur, reparationem peccati non habere neceſſariam cum Incarnatione connexionem, certe peccatum auferendum & reparandum non habet connexionem majorem cum Incarnatione, quam habeat cum reparatione ipsâ; atqui cum hæc non habet connexionem neceſſariam, nec ullam habuit Deus neceſſitatem reparandi & liberandi humanum genus ab originali peccato, ut evincitur primò à priori ex ſuprema Dei poteſtate dominativa & judiciaria, ratione cujus ſuppoſito peccato poteſt pro libito uti creaturis vel ad miſericordiæ, vel ad juſtitiæ, oſtenſionem, nec quidquam ei poteſt imputari, ſi humanum genus in peccato ſuo relinquat æternitate totâ puniendum cum habeatur Sap. 12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? non enim eſt alius Deus, quam tu.* Secundò à poſteriori, quia de facto Deus non li-
19. berat efficaciter omnes homines à peccato; ergo potuit nullum liberare, & nullum remedium providere, ſicuti nullum providit remedium Angelis prævaricatoribus, qui ex eo, quod ſint omnes in æternum damnati, nihil infertur Deo dedecens aut divinæ miſericordiæ repugnans; ergo ſimiliter, &c.

Deus nullam habuit neceſſitatem liberandi hominem ab originali commiſſo.

Dices diverſam eſſe rationem de Angelis, tum quia in ipſis non eſt lapſa tota natura ſicut in hominibus, tum quia Angeli ſunt ab intrinſeco inflexibiles, adeóque incapaces reſipiſcentiæ & reconverſionis in Deum, à quo ſemel per actum peccaminoſum plenè deliberatum deflexerint: Imò ex ipsâ Angelorum impœnitentiâ, & damnatione, Anſelmus *præcit. cap.* 16. *&* 17. colligit Deum habuiſſe neceſſitatem ſalvandi homines, ſic enim ratiocinatur, neceſſe fuit ſuppleri & inſtaurari numerum Angelorum qui ceciderunt, ne perfectiſſimarum creaturarum numerus remaneret perpetuò imperfectus & diminutus; non potuit autem illa inſtauratio fieri aut per Angelus ipſos qui ceciderunt, quia Angelus ſemel lapſus ad pœnitentiam revocari non poteſt ratione ſuæ inflexibilitatis; aut per alios Angelos, qui de novo crearentur, quia iſti non poſſent eſſe æquales prioribus ſi non peccaſſent, ſiquidem qui de novo crearentur perſeverarent viſâ vindictâ peccati à prioribus Angelis commiſſi; Angeli vero priores, ſi non peccaſſent, perſeveraſſent nullâ viſâ peccati vindictâ, quod melius ac perfectius eſt; neceſſe igitur fuit inſtaurationem Angelorum fieri per aliquam aliam rationalem naturam ab Angelicâ, nec ulla ſupererat præter humanam, quam propterea neceſſe fuit impedire ne tota periret eique remedium providere, quo poſſet reſurgere, poſtquam per originalem
lapſum tota ceciderat. Sed contrà: Quamvis 20.
non omnes Angeli ceciderint, fortè tamen ceciderunt omnia individua alicujus angelicæ ſpeciei, quod eſt aliquam totam naturam angelicam cecidiſſe ac periiſſe; certè autem in ſententia diverſificante ſpecie ſingulos Angelos, perierunt in ſingulis malis Angelis integræ ſpecies angelicæ; cur ergo non potuit ſimul perire tota natura, ſeu integra ſpecies humana? Quod dicebatur de inflexibilitate, & impœnitentia Angelorum falſum ſuppono ex proprio *tractat. lib. 2. cap.* 4. § 3. & quando permitteretur, inferret in hominibus potius, quam in Angelis capacitatem, at non neceſſitatem reparationis peccati, & reconverſionis ad Deum, cui ſicuti indecorum non fuit permittere in Angelis peccatum, quod reparare non poſſet; ità nec permittere in hominibus peccatum, quod reparare nollet quamvis poſſet; aut è converſo ſi indecorum Deo eſt permittere in hominibus peccatum non reparandum, cur a fortiori indecorum ei non fuit permittere in Angelis peccatum non reparabile?

Ratiocinium Anſelmi habet in quolibet 21.
membro congruentiam, in nullo neceſſitatem: Primò enim neceſſe non fuit Angelorum numerum inſtaurari, cum Deus non indigeat Angelis, tanquam ſocijs beatitudinis; & ſicuti potuit Angelorum omnium ſocietate carere, nullos Angelos creando, ità & aliquorum, prævaricatores Angelos non reſtaurando; ſicuti item perfectiſſimarum creaturarum numerus potuit totus non eſſe, ità à fortiori potuit eſſe quoad partem imperfectus & diminutus. Secundo neceſſe non fuit Angelorum numerum ex ſuppoſitione, quod eſſet inſtaurandus, inſtaurari per homines; ſed potuit inſtaurari tum per Angelos qui ceciderunt de quibus malè ſupponitur quod ſint pœnitentiæ incapaces, & quando hoc daretur, adhuc poſſent ad priſtinum gratiæ ſtatum revocari ſine pœnitentiâ, & ſine ullo actu proprio juxtà doctrinam traditam *in tract. de Gratiâ lib.* 4. *cap.* 4. § 8. tum etiam per Angelos qui de novo crearentur, quos nec pro ſupplendo prævaricatorum numero neceſſe foret eſſe æquè bonos

Deus non habuit neceſſitatem inſtaurandi numerum Angelorum lapſorum.

Multo minus habuit neceſſitatem eum inſtaurandi per homines.

bonos, ſicuti de facto non conſtat eſſe æquè bonos homines ad tale ſupplementum ſuffectos, nec ex eo, quod perſeverarent viſâ vindictâ conſequẽs eſt æquè bonos non fore; poſſet enim Deus aliunde uberiorioribus gratiæ donis augere ipſorũ bonitatẽ & perfectionẽ.

Mens D. Anſelmi videtur cõtraria.

Tuta hæc doctrina, & explicatio, deducens Anſelmi ratiocinium ad inferendam convenientiam, non neceſſitatem reparationis hominum ab originali, videri poteſt parum conſona menti ex intento ipſiuſmet Anſelmi, utpotè qui fere toto *lib* 1. & 2. *Cur Deus homo* nihil magis conatur ſuadere, quàm neceſſitatem Dei ad reparandum originale, & ex indè ſe incarnandi, adeo ut propterea *lib*.1. *capite* 12. & *lib*.2. *cap*.4. doceat eſſe Deo indecens ejuſque honeſtati repugnans naturam humanam lapſam perpetuo relinquere in ſtatu peccati, & hoc tam putet Deo impoſſibile quam impoſſibile eidem eſt mentiri; ex quibus Vaſquez *diſp*.1. *cap*.2. & 4. ita evincitur, ut ſimpliciter admittat Anſelmum nobis eſſe contrarium, quamvis deindè ſit ipſe excuſandus, non propter ipſius auctoritatem deſerenda doctrina cæterorum Patrum ſuffragio firmata & validiſſimis fulta rationibus:

Explicatur tamen.

Nihilominus magis placet cum majori Theologorum parte Anſelmum benignè interpretari dicendo ipſum fuiſſe locutum ex ſuppoſitione decreti de peccato reparando non ex ſuppoſitione peccati præcisè, & ideò fortaſsè, ut obſervat Arriaga *diſputat*.2. *numer*.62.

23. uſum fuiſſe exemplo neceſſitatis Dei ad non mentiendum, quia quoddam genus mendacij eſt non explere, quod ſemel decretum ac promiſſum eſt. Præterea ubi Anſelmus præcisè ait fuiſſe indecens & indignum Deo non reparare peccatum, intelligi quoque poteſt de indecentia & indignitate negativa, quæ dici ſolet de eo omni, quod non eſt ita decens & ita dignum; more enim humano illud, cujus oppoſitum maximè decens & maximè dignum eſt, indecens & indignum apparet, quamvis re vera tale ſæpè non ſit; & in hoc ſenſu procul dubio intelligendi ſunt Richardus à S. Victore, Athanaſius, Cyrilus, & quidam alij Sancti Patres mitius, quàm Anſelmus locuti, licet viſi eſſe in eadem cum Anſelmo ſententia; & quoad hanc cæterorum Patrum interpretationem conſentit Vaſquez *præc.cap*.4.*num*.31.

Et multo magis explicantur aliqui alij Sancti Patres.

24. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati reparandi.

Aſſert.2. Incarnatio non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati reparandi. Hæc veritas poſita abſolutè, de re relatè ad potentiam etiam extraordinariam, poteſt haberi pro dogmate, unde oppoſitum non ſolum notatur communiter temeritatis, verum etiam à Suarezio *diſp*.4 *ſec*.2. §.*Dico ſecundò* cenſetur ſuſtineri non poſſe ſine fidei incommodo. Lugo *diſp*.2.*ſec*.1.*n*.6. videtur ſatis ad errorem accedere, & ab aliquibus exiſtimatur ſimpliciter error in fide, cui exiſtimationi favet Hugo de S.Victore *lib* 1.*de Sacr.par*.8.*cap*.10. dicens *Veraciter confitemur* (quod non ſolet, niſi de veritatibus fidei dici) *quod redemptionem generis humani alio modo Deus perficere potuiſſet, ſi voluiſſet*: favet item Auguſtinus *lib. de Agone Chriſtiano cap*.11. dicens *Sunt autem ſtulti qui dicunt, Non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem*: & licet, ut refert Vaſquez *diſp*.1.*cap*.2.*n*.16. non deſint, tum ejuſdem Auguſtini, tum Vigilij, Ambroſij, Leonis, Fulgentij, Chriſoſtomi, & Procli teſtimonia, ex quibus videtur colligi non aliter, quàm per Verbum Incarnatum potuiſſe hominem lapſum reparari, nihilominus prædictis contraria non ſunt, quia procedunt de homine lapſo reparando, non quomodocumque, ſed per condignam ſatisfactionem; Quod ſi iterum proferas Anſelmum *præc.c*.12. exiſtimantem indecens eſſe, ac repugnans Deo, reparare hominem lapſum ſine debita & condigna ſatisfactione: Iterum reccurrent quæ circa Anſelmum, aut excuſandum, aut benignè interpretandum, dicta ſunt *præc.n* 22. & 23.

Eſt veritas dogmatica, loquendo ſimpliciter & de potentia etiam abſoluta.

Dixi *abſolutè & relatè ad potentiam etiam extraordinariam*, quia loquendo de ſola potentia ordinariâ aſſerta veritas ad dogma nõ pertinet, poteſt ſine cenſura negari ab aſtruentibus hominum elevationem & gratiam ex natura rei connexam cum Incarnatione, ex hoc enim, & ex eo, quod de eadem potentia ordinaria peccatum non auferatur ſine infuſione gratiæ, conſequens eſt fuiſſe ex natura rei, & de potentia ordinaria neceſſariam Incarnationem ad peccatum tollendum, ut cohærenter ad ſua principia tradit in terminis Eſparza *lib*.9. *quæſt*.7. cujus hac in re opinio manet ſufficienter impugnata ex principij, in quo fundatur, impugnatione ſupra poſitâ *num*.12. Aſſertum igitur, quamvis per nos procedat de potentia etiam ordinaria & ex natura rei, probandum præcipuè remanet ſecundum potentiam extraordinariam, ſecundum quam pariter habet multò majoris quàm ſecundùm potentiam ordinariam, certitudinis gradum. 25.

Eſt verò in minore certitudinis gradu loquendo ex natura rei & de potẽtia ordinaria.

Probatur primò ex ſcriptura: Io.3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in illum non pereat*. Rom.5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Epheſ.2. *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos convivificavit nos Chriſto cujus gratia eſtis ſalvati*. Ad Titum 3. *Quum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*. Qui, & alij ſimiles textus, dum commendant & extollunt in noſtra liberatione per Incarnationem facta abundantiam charitatis & miſericordiæ Dei, utique indicant Incarnationem non eſſe unicum modum, quo Deus poterat nos liberare, ſed non defuiſſe alios, quibus eadem liberatio cum minore miſericordiæ & charitatis offenſione fieret; quod eſt Incarnationem non fuiſſe neceſſariam ex ſuppoſitione peccati reparandi. Confirmatur ex Sanctis Patribus inter quos Auguſtinus, & Hugo de S. Victore iam *præc.n*.24. ſenſum ſuum protulerunt aliqui alij videri poſſunt apud Valentiam *diſputation*.1.*quæſtio* 1. *punc*.5. 26.

Probatur ſecundò ratione: Peccati reparatio non habet neceſſariam connexionem cum Incarnatione & abſque iſta potuit Deus illam ponere; ergo Incarnatio non fuit neceſſaria &c. probatur antecedens, & quidem non ſolùm loquendo de reparatione peccati aut purè negativa, quæ ex dictis *in tractat. de Gratiâ lib.4. cap.4. §.6.* fieri poteſt per condonationem purè extrinſecam, aut poſitivâ imperfectâ, quæ *ex eod. cap.§.5.* fieri poteſt non infundendo gratiam, ſed juxta proprium hujus controverſiæ ſenſum loquendo de reparatione peccati poſitivâ & perfectâ; per quam maculâ culpæ deletâ recuperetur ſtatus habitualis gratiæ: Probatur, inquam, in hoc ſenſu antecedens; Peccati reparatio dicit infuſionem gratiæ & remiſſionem culpæ; atqui ex neutro capite habet neceſſariam connexionem cum Incarnatione; non ex primo capite, quia jam oſtenſum eſt gratiam & reliqua ſupernaturalia dona purè creata ſecundùm ſe præcisè non connecti ex natura rei cum Incarnatione; Neque ex ſecundo, quia ſi remiſſio culpæ ſeu offenſæ habet neceſſariam connexionem cum Incarnatione, maximè quia nec poteſt remitti culpa ſine omni ſatisfactione, nec poni aliqua ſatisfactio ſine Incarnatione; atqui poteſt Deus remittere culpam omninò gratis & ſine omni ſatisfactione, cum ſit ipſe ſupremus Iudex, Dominus, legiſlator & Perſona offenſa;

Nec infuſio gratiæ, nec remiſſio culpæ, habet neceſſariam connexioné cum Incarnatione.

28. poteſt item ſine Incarnatione poni aliqua ſatisfactio, quatenus vel quilibet peccator poteſt ſua bona opera & obſequia Deo exhibere in ſatisfactionem propriæ offenſæ, vel aliquis juſtus ſive Angelus ſive homo poteſt à Deo creari cum inſigni plenitudine gratiæ, & ſanctitatis, ad merendum, & ſatisfaciendum pro omnibus peccatoribus; quo alterutro ſatisfactionis modo licèt imperfecto, & non condigno poſſet Deus eſſe contentus; & quod condignitati deeſt ſupplendo per favorem extrinſecum ſuæ benignitatis eum acceptare ſufficientem, ſicque culpam ex aliquâ prævia ſatisfactione remittere abſque Incarnatione, item abſque unione hypoſtaticâ, de quâ quoad rem præſentem, imò quoad omnia hucuſque dicta contra neceſſitatem, eadem eſt ratio ac de Incarnatione, iſtius quippè neceſſitas hucuſque negata eſt non ex aliquo prædicato proprio ipſius, ſed ex prædicatis ipſi communibus cum qualibet unione hypoſtatica, ut facilè perſpicuum fiet conſideranti.

Negata hucuſque Incarnationis neceſſitas procedit de qualibet unione hypoſtatica.

---

§. IV.

Vtrum Incarnatio fuerit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati reparandi per condignam ſatiſfactionem? Vbi nonnulla de talis ſatisfactionis incapacitate in purâ creaturâ.

29. ASSERT. 1. Incarnatio, aut potius Vnio hypoſtatica, fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati reparandi per condignam ſatisfactionem. Hoc aſſertum eoſdem habet Patronos eoſdemque Adverſarios quos incapacitas ejuſdem condignæ ſatisfactionis in purâ creaturâ, & referemus utroſque infrà *numer. 36. & 37.*

Dixi *Incarnatio, aut potiùs Vnio hypoſtatica*, ad innuendum Incarnationem ſtrictè ſumptam, prout minùs latè patet, quàm hypoſtatica unio, non habere aſſertam neceſſitatem, & potuiſſe Verbum, aliamvè Trinitatis Perſonam, aſſumendo hypoſtaticè naturam Angelicam, aut animam ſeparatam, elicere abſque corpore & carne actus habentes valorem ad condignè ſatisfaciendum pro quolibet peccato; & licèt D. Anſelm. relatus à Vaſquio *diſp. 1.c.2.n.* 13. videatur exiſtimaſſe, quòd non potuerit homo Deo reconciliari niſi per hominem, nec ſatisfactio condigna pro lethali exhiberi, niſi in humana natura mortem ſubeundo; adeò ut in naturâ angelicâ, aut anima ſeparata, ſicuti ſubiri mors nequit, ita nequeat condignè ſatisfieri; hincque ulterius inferat Anſelmus, nec per humanæ nec per angelicæ naturæ aſſumptionem eſſe reparabile peccatum angelicum; non per humanæ, quia Angelus non poteſt Deo reconciliari niſi per Angelum; non per Angelicæ, quia condigna ſatisfactio ad reconciliationem neceſſaria non poteſt fieri in natura immortali: Licet, inquam, hæc omnia videatur Anſelmus docuiſſe, quemadmodùm tamen attigi ſimul & iterum, excuſandus eſt aut benignè interpretandus; tamquàm locutus ex ſuppoſitione præſentis decreti; & quidquid ſit de Anſelmi mente non eſt recedendum à doctrina apud alios receptiſſima, & dilucidè conſequente ad ea, quæ de ſatisfactione & merito Chriſti latè traduntur *ſeq. lib 3.* Stet igitur quamlibet Perſonam divinam in qualibet natura intellectuali creata non minus, quàm Verbum in Carne, poſſe condignè ſatisfacere pro quocumque lethali, adeòque de unione hypoſtatica potius, quàm de Incarnatione, aut (ut quidam loquuntur) de Incarnatione latè, non ſtrictè ſumpta, debere aſſertum procedere; & in hoc ſenſu.

Quælibet Perſona divina in quâlibet natura intellectuali creata poteſt condignè ſatisfacere pro lethali.

Probatur. Perſona divina unita humanitati, aut alteri naturæ intellectuali creatæ, poteſt & ipſa ſola exhibere Deo condignam ſatisfactionem pro lethali; ergo Incarnatio, aut potius unio hypoſtatica, fuit neceſſaria &c. conſequentia patet, quia illud eſt neceſſarium ex ſuppoſitione alterius, quod per neceſſariam conſequentiam infertur poſito altero; poſita autem condigna ſatisfactione per neceſſariam conſequentiam infertur Incarnatio aut unio hypoſtatica, ſi per hanc ſolam poteſt illa exhiberi, maximâ quippè conſequentiæ neceſſitate infertur altero poſito illud, per quod ſolum poteſt alterum poni: Antecedens quoad primam partem inſinuatum jam eſt *numer. præced.* & magis ſupponitur ex infrà dicendis *lib.3.* quoad ſecundam partem probatur ex eo, quod nulla pura creatura puritate excludente gratiam unionis hypoſtaticæ, etiamſi aliundè pura non ſit puritate excludente gratiam habitualem, aliaque dona 30.

Ex ſuppoſitione peccati per condignam ſatisfactionem reparandi neceſſaria eſt Incarnatio, aut potius Vnio hypoſtatica.

dona ſupernaturalia purè creata; nulla inquam, pura creatura poteſt exhibere Deo condignam ſatisfactionem pro lethali ut mox oſtendetur; condignam pariter ſatisfactionem exhibere non poteſt Perſona divina naturæ creatæ non unita, cum Deus ſecundùm ſe nec merendi nec ſatisfaciendi capax ſit; ergo à primò ad ultimum relinquitur, quod ſola Perſona divina unita &c. poſſit exhibere &c. Confirmatur ex Sanctis Patribus; nam Auguſtinus *in Enchir. cap 108.* ait *Neque per ipſum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, niſi eſſet & Deus*, Leo *ſerm. 1. de Nativ.* ait *Niſi eſſet Deus non afferret remedium.* Baſilius *in Pſal. 48.* ait *Neque hominem nudum, ſed hominem Deum Ieſum Chriſtum, qui etiam ſolus placationem dare poteſt pro omnibus nobis* Ecce hi Sancti Patres, & alij plures, quos videre eſt apud Valentiam *diſputation. 1. quæſt. 1. punc. 5.* luculenter affirmant non potuiſſe peccatum humani generis à Chriſto Mediatore reparari, niſi eſſet Deus, atqui ex jam dictis conſtat eos non eſſe intelligendos de reparatione quacumque, conſequens eſt igitur, quod loquantur de reparatione facienda per ſatisfactionem condignam, & quod ex hujus ſuppoſitione ſit juxta doctrinam, & mentem Sanctorum Patrum, neceſſaria Perſona divina in natura creata exiſtens.

32. Præmemoratæ auctoritates ſunt ſimul efficaces ad ſuadendam ejuſdem condignæ ſatisfactionis incapacitatem in creatura pura, & donis purè creatis, quamvis ſupernaturalibus utcumque perfectiſſimis, instructâ; ſi enim aliqua hujuſmodi creatura eſſet potens ad condignè ſatisfaciendum Deo, malè diceretur quod Chriſtus, niſi eſſet Deus, condigna ſatisfactione peccatum non repararet, & quod ſolus homo Deus poterat ſatisfactione condigna dare pro nobis placationem: deindè non deſunt pro incapacitate illa auctoritates aliquæ magis formales, ut eſt illa Theoditi *in orat. de Nativ. Salv.* dicentis *Omnis creatura deficiebat ad ſalutem noſtram* & Fulgentij *lib. de Incarnat. & Gratia Chriſti cap. 4.* dicentis *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens, atque idonea, fieret niſi unione Verbi Dei:* Nihilominus cum auctoritates iſtæ poſſint utcumque limitari, aut ad ſuppoſitionem ordinationis & decreti præſentis, aut ad condignam ſatisfactionem provenientem ex intrinſeca & perſonali dignitate operantis, non remanet res præſens ſine controverſia; idcircò operæ pretium eſt nónnulla hic ſubjicere pro apparatu ad ſtabiliendam ex profeſſu incapacitatem prædictam, & aſſignandam ejus rationem, in quâ valdè diſſident illi etiam, qui in incapacitate ipsâ admittenda conſentiunt.

Auctoritates pro incapacitate puræ creaturæ ad condignè ſatisfaciendum.

33. Adverto igitur primò ſatisfactionem in genere, & in totâ ſua latitudine, eſſe compenſationem ſeu redditionem debiti, vel ex vi nominis eſſe actionem, quâ quis facit quantum ſat eſt ad debitum compenſandum: Hinc valdè multiplex eſt ſatisfactio, prout poteſt eſſe multiplex debitum; quod quidem quando eſt in rebus, ejus compenſatio & ſatisfactio habet ſpeciale nomen reſtitutionis; quando in actionibus, ejus compenſatio retinet commune nomen ſatisfactionis, & definiri poteſt, compenſatio actionis injurioſæ ſeu injuriæ & offenſæ alteri illatæ; ſicuti autem ratio injuriæ & offenſæ maximè reperitur in peccato reſpectu Dei, ita ſatisfactio maximè dicitur in ordine ad debitum ergà Deum in nobis & peccato relictum, & hoc duplex aliud pœnæ, aliud culpæ: Satisfactio pro debito pœnæ (ſubintellige temporalis, nam debitum pœnæ æternæ de lege ſaltem ordinaria nequit ſeparari, & ſecundùm aliquos nec diſtinguitur a debito culpæ) explicatur in tractatu de Pœnitentia occaſione ſatisfactionis ſacramentalis, quæ pro debito pœnæ temporalis imponitur. Satisfactio pro debito culpæ propria eſt hujus inſtituti, definiri poteſt compenſatio injuriæ ſeu offenſæ illatæ Deo per actionem peccaminoſam, & quatenus ſpectat ad præſentem difficultatem dividitur in adæquatam, perfectam condignam; & inadæquatam, imperfectam, non condignam, quam etiam potes congruam dicere. Satisfactio perfecta, & condigna, eſt compenſatio ex ſe adæquans injuriam illatam, & actio tantumdem reparativa honoris & obſequij, quantùm fuit ejuſdem læſiva actio peccaminoſa: Satisfactio imperfecta, & non condigna ſeu congrua, eſt compenſatio ex ſe non adæquans & indigens favore extrinſeco Dei læſi, ut deleatur injuria, & offenſa remittatur.

Satisfactio in genere quid?

Maximè & quaſi antonomasticè dicitur in ordine ad peccatum.

34.

Alia eſt cōdigna alia non condigna ſeu congrua.

35. Adverto ſecundò ſatisfactionem quæ fit Deo, & meritum apud Deum in aliquibus quidem differre, puta in eo, quod ſatisfactio ſupponat offenſam, non ſic meritum, ſatisfactio attendatur penes operis pœnalitatem magis, quàm penes honeſtatem, meritum magis penes honeſtatem; ſatisfaciens videatur operari in bonum Dei cui ſatiſfacit magis, quàm in bonum proprium, merens in bonum proprium magis, quàm Dei apud quem meretur: At plura ſunt, in quibus conveniunt: requirunt enim eaſdem conditiones, & præallata ſatisfactionis diviſio in condignam, & non condignam omninò affinis eſt celebri diviſioni meriti in condignum, & congruum: Vndè ſicuti in merito condigno apud Deum diſcimus nòn eſſe requirendum, quod ex juſtitia ſit, dummodo ſit ad perfectam æqualitatem; ità idem proportionaliter ſentimus de condigna ſatisfactione, ad quam volumus ſufficere, quod ſervetur materiæ æqualitas, etiamſi non intercedat juſtitiæ forma: Sicuti item merito congruo plurimum indulſimus, illud collocando etiam in peccatore in ordine ad bonum quodcumque purè creatum, ità proportionaliter cenſemus eſſe liberaliter ſentiendum de ſatisfactione imperfecta & non condignâ, nec approbamus rigorem nonnullorum negantium puræ creaturæ potentiam ſatisfaciendi etiam imperfectè & non condignè pro lethali; non expedit tamen eos in diſputationem vocare, quia hæc cum ipſis eſſet de voce, & de modo loquendi magis, quàm de re; inviſum enim eſt hujuſmodi Theologis nomen ſatisfactionis pro peccato, ut ait Vaſquez

Differt in aliquibus à merito, cum quo in pluribus convenit.

Non eſt puræ creaturæ neganda ſatisfactio imperfecta pro lethali.

diſp.2.cap.6. ubi in terminis probat communem ſententiam illis contrariam ut præſtant quoque Ioannes à S. Thomâ *diſp.1. art.3.* Madernus *quæſt.2.art.3.* aliique nonnulli.

36. Satisfactio perfecta, & condigna, à quibus affirmetur in purâ creaturâ? Adverto tertiò concedi puræ creaturæ capacitatem ſatiſfaciendi condignè pro lethali ab Alenſi *3. par. quæſt.1. memb.5. art.2.* Paludano *in 3. diſt.20. quæſt.2. art.2.* Richardo *in 4. diſt.17.art.1.quæſt.7.* Aureolo *in 4.diſt.15. art.2.* Scoto *in 3.diſt.20. quæſt.un.§.Contrà ea.* & *in 4. diſt.15.quæſt.1. § de ſecundo.* Herincx *diſp.1. quæſt.9.* & tum alij plures Antiqui, tum Scotiſtæ paſſim; Qui omnes Auctores ſolent potiſſimum loqui de ſatisfactione, quàm quis pro peccato proprio exhibet per actum contritionis, aut dilectionis Dei ſupra omnia, præſertim ſi hujuſmodi actus eliciatur dependenter ab habitu charitatis & gratiæ juxtà Thomiſticam doctrinam ponentem ultimam diſpoſitionem ad gratiam procedere ab eadem gratia, ad quam diſponit: Porrò in prædicto contritionis, aut dilectionis actu, ſuſtinent aliqui condignitatem dependenter à divina ordinatione; & permittendo majorem in peccato malitiam, quam in contritione bonitatem dicunt illius valorem ab ordinatione divina augeri & condignificari ad compenſandam illius malitiam eo proportionaliter modo, quo in ſchola Scoti eadem divina ordinatio ſeu promiſſio auget & condignificat valorem noſtrorum operum ad merendum apud Deum, attigimus *in tract. de Gratia lib.4. cap.6. §.3.* Ita Herincx *pracit. quæſt.9. num 90.* At reliqui magis communiter ſuſtinent eamdem condignitatem aſſerendo contritionem habere ab intrinſeco æqualem, aut fortè etiam majorem bonitatem quàm habeat peccatum malitiam; & ex his Aureolus contritioni tribuit vim ſatisfactivam non ſolùm ex condigno, ſed etiam ex juſtitia.

37. A quibus negetur? Negant ſimpliciter & abſolutè puræ creaturæ omnem capacitatem condignè ſatisfaciendi pro lethali D.Thomas *hic quæſt 1. art. 2. ad 2.* & infrà *quæſt 85. in c.* & *in 4. diſt.15. quæſt.3.art.2.* Capreolus & Durandus *ead.diſt. 15. quæſt.1.* Ferrarienſis *4. cont. Gen. cap.54.* Ioannes à S.Thoma *hic diſp.1.art.2.* Gonetus *diſp.4.art.1.* Gabriel à S.Vincentio *diſp.1.dub. 12.* Suarez *diſp.4. ſec.8. & 9.* Vaſquez *diſp.2. cap.2. & 5.* Lugus *diſp.5.ſec.4.* Arriaga *diſp.4. ſec.4.* Eſparza *lib.9. quæſt 9.* Madernus *quæſt.2. art.2.* & reliqui tum Thomiſtæ tum Recentiores ferè omnes: & Thomiſtæ quidem conveniunt non ſolum in neganda prædicta capacitate, verùm etiam in ratione negandi, quam ſolent deſumere ex infinitate offenſæ illatæ Deo per peccatum; Recentiores verò in tali ratione & à Thomiſtis, & ab invicem, diſſidendo varij varias aſſignant, quarum præcipuos recenſebimus *§.ſeq.* Interim ſit.

38. Negando verè eſt etiã relatè ad potentiam abſolutam. Aſſert.2. Quælibet creatura pura, ſeu non unita hypoſtaticè Deo; eſt etiam de potentia abſoluta incapax exhibendi condignam perfectamque ſatisfactionem pro lethali ſive proprio, ſive alieno. Hoc aſſertum eſt receptum magis communiter, quamvis non careat Adverſarijs, ut patet ex Auctoribus pro, & contra iam relatis.

Probatur ex eo, quod auctoritates Sanctorum Patrum, de quibus ſuprà *num.31. & 32.* non ſunt ſine neceſſitate limitandæ, aut ad ſuppoſitionem præſentis decreti, aut ad condignitatem provenientem ex intrinſeca & perſonali dignitate operantis; nullam autem eſſe ad eas ſic limitandas neceſſitatem perſpicuum fiet occurrendo Adverſariorum rationibus, quod præſtabitur infrà *à num.46. ad 50.* Confirmatur: Quælibet pura creatura eſt incapax habendi etiam de potentia abſoluta condignum meritum pro remiſſione lethalis, ſive proprij, ſive alieni; ergo ſimiliter eſt incapax exhibendi condignam ſatisfactionem &c. conſequentia patet ex maxima affinitate; ac proportione ſatisfactionis cum merito, cujus utriuſque cõdignitas conſiſtit in æqualitate, operis ſatisfactorij cum offensâ, operis meritorij cum præmio, quod ſi fortè ad ſatisfactionem condignam præter æqualitatem operis ſatisfactorij cum offensâ requiritur perſonalis æqualitas ſatisfacientis cum Perſona, cui offenſa illata eſt, non requiritur autem ad condignum meritum perſonalis æqualitas merentis cum Perſona, à quâ præmium dandum eſt, hoc nullatenus infirmat, imò potius corroborat conſequentiam argumenti, facit quippè eam eſſe non à pari tantum, ſed à minori ad majus:

39. Negandum item eſt in pura creaturâ ordine ad remiſſionem peccati, aut proprij, aut alieni, meritum condignum. Probatur igitur antecedens, & primò quoad peccatum proprium ex eo quod, nec quando eſt in peccato, nec antequam peccet, poteſt quis mereri condignè proprij peccati remiſſionem; non quando eſt in peccato, quia meritum condignum apud Deum requirit ex genere ſuo ſtatum gratiæ, etiam loquendo de potentia abſoluta ut ſuppono *tract. de Gratia lib.4.cap.6.§.2.* Non antequam peccet, quia nec de potentia abſoluta poteſt juſtus ſibi condignè mereri reparationem lapſus futuri *ex eod. lib.4. cap 8. §.4.* Probatur idem antecedens ſecundò quoad peccatum alienum, quia *ex eod.cap.8.§.6.* propriè & rigorosè loquendo nulla pura creatura poteſt mereri aliquid alteri de condigno, & quando poſſet aliquid ſic mereri, ſummum quod poſſet eſſet augmentum gratiæ habitualis, hoc quippè ſicuti adæquat omne meritum reſpectu ipſius merentis, ita & reſpectu alterius; atqui infuſio primæ gratiæ requiſita ad remiſſionem lethalis eſt majus præmium, quàm gratiæ augmentum; illa enim eſt beneficium collatum indigno iſtud non item; ergo: Verùm hæc ſint obiter dicta, nam aſſertæ veritatis potiſſima probatio ex principijs magis firmis, & magis hujus loci proprijs eruenda eſt. Ideo ſit.

---

§. V.

Undenam proveniat in purâ creatura incapacitas exhibendi Deo ſatisfactionem condignam pro lethali?

40. Aſſignatur ratio potiſſima incapacitatis crea- ASSERT. 1. Puræ creaturæ incapacitas ad exhibendam Deo ſatisfactionem condignam pro lethali provenit potiſſimum ex eo, quod peccatum lethale ſit in ſupremo genere

offenſæ,

turæ ad ſatisfaciendum condignè Deo pro lethali.

offenſæ, & ratio potiſſima illius incapacitatis eſt diverſitas ſeu inæqualitas generis & ordinis inter offenſam lethalem terminatam ad Deum, & ſatisfactionem quamcunque oblatam à purâ creaturâ. Ita quamvis non iiſdem proſſus terminis Suarez, Arriaga, Madernus locis præcitatis aliique plures; in terminis verò magis formalibus Amicus *diſput. 5. ſec. 3.* contrà eos in primis, qui prædictam incapacitatem negant ut retulimus *num* 36. & magis directè contrà Thomiſtas & ex Recentioribus Vaſquium, Eſparzam, alioſque nonnullos aſſignantes alias, quas unicè efficaces exiſtimant, illius incapacitatis rationes.

41. Inſinuantur aliæ rationes, & de nonnullis allatum fertur judiciū.

Dixi *Provenit potiſſimum* & *Ratio potiſſima* ad innuendum me non omnino improbare cæteras quaſcumque cæterorum rationes, ſtat illarum nonnullis ſua vis: & ſignanter non omnino improbo illam Durandi *præcit. qu. 1. num. 6.* dicentis hominem non minus effici debitorem Deo ratione peccati commiſſi, quam ratione beneficij accepti, ideo ſicuti nihil poteſt reddere æquale & condignum pro beneficijs à Deo acceptis, ita nec pro peccatis contrà Deum commiſſis. Olim item non omnino diſplicuit illa Lugi *præcit. ſec. 4. num. 55.* quam tradidit quoque Salas *t. 2. tractat. 13. diſput. 5. ſec. 6.* deſumpta ex periculo nimis frequenter peccandi, cui homines attentâ propriâ ad malum proclivitate exponerentur, ſi ſcirent ſe poſſe Deum condignè placare. Ratio Vaſquij *præcit. cap. 5. num. 52* volentis noſtros actus contritionis, & dilectionis, nunquam eſſe ſatisfactorios condignè & totaliter pro debito peccati, eo quod ſemper ſupponant condonatam aliquam talis debiti partem, quatenos ſupponunt collatum auxilium gratiæ actualis, quo carendi debitum inducitur ex vi cujuſlibet lethalis; hæc inquã ratio probat impotentiã ſatisfaciendi pro debito pœnæ potius, quã debito culpæ, etenim pars pœnæ, non culpæ, debitum carendi actualibus gratiæ auxilijs. Ratio Thomiſtica derivata ex infinitate peccati diſplicet in ſuppoſito, de quo alibi. De reliquis rationibus judicium non fero, valeant quantum valere poſſunt; amplum ſingularũ examen obvium eſt apud plures Auctores & in particulari apud Vaſquium, Amicum, Arriagam, & Madernum locis præcitatis. Mihi ſufficiat oſtendere vim, & veritatem rationis aſſertæ, non tanquam omnino unicæ, quod non contendo, ſed tanquam inter cæteras potiſſimæ, & optimæ, quod

42. Peccatum lethale eſt in genere ſeu ordine ſupremo offenſæ.

Probatur, & explicatur: Illud eſt in aliquo ſupremo genere & ordine, ſupra quod nihil eſt, & quod ſuper omnia alia eſt in tali ordine; atqui nihil eſt ſuprà peccatum lethale, & ipſum ſuper omnia alia eſt in ordine offenſæ; ergo peccatum lethale eſt in ſupremo genere & ordine offenſæ; Major patet tum ex terminis, tum inductione, Deus enim ideo eſt in ſupremo genere & ordine cujuſcumque perfectionis & entis, quia ſupra Deum nihil eſt, & Deus ſuper omnia alia eſt in quocumq; genere perfectionis & entis; ultimus finis eſt in ſupremo ordine finis, quia ipſe propter nihil aliud eſt & propter ipſum omnia alia ſunt: Primum efficiens eſt in ſupremo genere efficientis, quia ipſum à nullo fit, & ab ipſo omnia fiunt, &c. Minor probatur, quia cæteræ offenſæ vel ſunt offenſæ veniales, vel ſunt offenſæ illatæ creaturis; offenſæ veniales ſũt valdè impropriè offenſæ, offenſæ illatæ creaturis ut tales ſunt in ordine pure creato; peccatum autem lethale eſt offenſa propriiſſimè dicta, & eſt in ordine attingente aliquid increati; ergo nihil eſt ſuprà peccatum lethale, &c. Confirmatur hoc, tum à poſteriori, tum à priori: à poſteriori quidem quia omnes aliæ offenſæ, ſive veniales, ſive creaturis inferibiles, ſimul ſumptæ ſunt aliquid minus in genere offenſæ, quam peccatum lethale; nec aut venialia etiam infinita, aut infinitæ offenſæ creaturarum adæquant offenſam lethalem Dei: A priori verò, quia offenſa læſiva honoris, & contemptiva dignitatis, tanta eſt quoad ordinem, quanta eſt dignitas perſonæ læſæ, ut videtur conſtare ex ipſo communi hominum ſenſu, & magis ex infrà dicendis *num* 49. at dignitas Dei læſi eſt in ſupremo genere & ordine dignitatis, imò eſt unicè ſuprema dignitas; & quodlibet lethale reſpectu Dei eſt offenſa læſiva honoris & contemptiva dignitatis, quia eſt tranſgreſſio divini mandati ipſo Deo præſente, & quantum in ſe eſt, ſemper actualiter præcipiente; item quia eſt depreſſiva Dei infrà creaturam cui peccans in affectu ſuo Deum poſtponit, ſicut & interpretativè à Deo adimit rationem ultimi finis, in qua maximè relucet ſuprema dignitas divina, ergo. 43.

Eſt ſemper offenſa læſiva honoris & contemptiva dignitatis Dei.

44. Satisfactio puræ creaturæ eſt eſſentialiter in genere non ſupremo ſatisfactionis.

Ex alia parte ſatisfactio quæcumque dabilis in purà creatura reſpectu Dei eſt in ordine ſeu genere non ſupremo, admittit enim ſuprà ſe ſatisfactionem aliam dabilem in creatura non purâ, ſed perſonaliter Deo unitâ: & ratio à priori eſt, quia ſatisfactio ſicut opponitur offenſæ, ità creſcit modo oppoſito quo offenſa; creſcit iſta ex dignitate ejus cui fit, & vilitate ejus à quo fit; creſcit illa ex dignitate ejus à quo fit, & vilitate ejus cui fit, cum igitur à Deo abſit omnis vilitas, & puræ creaturæ inſit exigua dignitas, non habet undè ad ordinem ſupremum perveniat, aut admodum creſcat ſatisfactio exhibita à purâ creaturâ; imo ex vilitate ipſius creaturæ ſatisfacientis, & dignitate Dei ſatisfactionem terminantis, plurimum habet undè decreſcat: & certè ſatisfactio Deo exhibenda pro offenſâ contemptivâ, & inhonorativâ ipſius, debet eſſe actio honorifica & obſequioſa, honor autem & obſequium, utpotè quæ ſunt in honorante, habent pro morali menſurâ conditionem honorantis, quæ ſi relatè ad honoratum tenuis ſeu vilis ſit, & parum æſtimabilis reddit quoque parum æſtimabilem honorem, ut ſatis patet in communi exiſtimatione, quà parui pendimus honorem delatum Principi à ruſticis, Domino à ſervis, Perſonæ præcellenti ab infimæ notæ viris, & è contrà magnam cenſemus inhonorationem, quam patiatur ab iiſdem ruſticis Princeps, à ſervis Dominus, &c. pro quo etiam videri poteſt Ariſtoteles *lib. 5. Ethic. cap. 5.*

Porrò æqualitas ad ſatisfactionem condignam requiſita non debet eſſe tantum intenſiva quodammodo, aut entitativa; ſed præci- 45.

puè ordinis; debet enim eſſe æqualitas moralis & proportionis, quæ præcipuè penes ordinem attenditur, ut confirmari poteſt ex condignitate meriti, ad quam pariter æqualitas ſeu unitas ordinis maximè requiritur; unde actus naturalis, quomodocumque intenſus & entitative perfectus, nequit eſſe de condigno meritorius munini præmij ſupernaturalis; actus item ſupernaturalis à principio purè creato procedens defectu æqualitatis ordinis nequit condignè mereri aliquid pertinens ad ordinem hypoſtaticum.

Ex his eruo firmum in formâ argumentum pro toto noſtro aſſerto ſic: Nullum opus exiſtens infra ſupremum ordinem ſatisfactionis poteſt eſſe ſatisfactio condigna pro peccato exiſtente in ſupremo ordine offenſæ, ſed quodlibet opus puræ creaturæ eſt eſſentialiter infrà ſupremum ordinem ſatisfactionis, & quodlibet peccatum lethale eſt eſſentialiter in ſupremo ordine offenſæ; ergo nullum opus puræ creaturæ poteſt eſſe condigna ſatisfactio pro lethali; ac per conſequens puræ creaturæ incapacitas ad exhibendam Deo ſatisfactionem condignam pro lethali provenit potiſſimum, &c.

Dices primò non quodlibet peccatum lethale eſſe in ſupremo genere offenſæ, cum unum poſſit eſſe gravius, adeóque ſuperius alio in ratione offenſæ: imò nullum in eo ſupremo genere eſt, quia diſcurſus id probans probat pariter peccatum eſſe offenſam infinitam quod non admittimus; probat, inquam, eſſe offenſam infinitam, quia non ſolùm in ſupremo ordine, verum etiam infinitum eſt illud, ſuprà quod nihil & quod ſuper omnia alia eſt: Item quia non ſolùm in ſupremo ordine, verum etiam infinita eſt dignitas Dei læſi; cur ergo ex dignitate ſupremi ordinis infertur in offenſâ ſupremus ordo, & ex dignitate infinitâ non infertur in offenſâ infi-

46. Vnum lethale non eſt majus alio quoad ordinem.

nitas? Sed contrà: unum peccatum lethale poteſt eſſe gravius alio in ratione offenſæ ſumptæ quoad entitatem aut intenſionem, non ſumptæ quoad ordinem; ratio eſt quia ordo offenſæ in omnibus lethalibus ſumitur à ſupremâ Dei dignitate, quæ reſpectu omnium eadem eſt, gravitas entitativa aut intenſiva pendet plurimum a cognitione, affectu, & voluntarietate peccantis, quæ ſicuti in ſe poſſunt eſſe inæqualia, ità & poſſunt inæqualitatem refundere in gravitatem entitativam, aut intenſivam peccatorum. Ad id, quod addebatur de offenſæ infinitate dico hanc non probari, quia peccatum lethale eſt ſuper omnia alia quoad ordinem tantùm, non quoad entitatem aut intenſionem, ideò quoad entitatem aut intenſionem infinitum non eſt, ac per conſequēs nec quoad offenſam entitativè aut intenſivè acceptam; utrùm verò ſaltem dici poſſit offēſa infinita quoad ordinem, multum habet quæſtionis de nomine; affirmat Amicus *præcitat. diſp.5. ſec.1. num.* 14. Nihilominus ſicuti actus ſupernaturales, quamvis ſint ordinis divini, valde impropriè dicerentur divini quoad ordinem, ita de offenſâ lethali dicerem eſſe ordinis infiniti potius, quam eſſe infinitam quoad ordinem. Ad id, quod poſtremo loco dicebatur dico ex dignitate infinitâ læſâ non inferri infinitatem in offenſâ, quia hæc limitatur à cognitione, affectu, & voluntarietate peccantis, quæ finita ſunt, nec dignitas læſa eſt arithmetica ſed geometrica tantum menſura offenſæ: de ordine diverſa eſt ratio, quia conſiſtit quodammodo in indiviſibili, attenditur penes proportionem habitudinis, non æqualitatis; & finitum optimè eſſe poteſt ejuſdem ordinis cum infinito.

Dices ſecundò ſatisfactionem deſumere ſuum valorem, & ordinem, non præcisè à Perſona ſatisfaciente, ſed multo magis ab actu ſeu opere ſatisfactorio; qui enim ſatisfacit non præcisè propriam Perſonam, ſed multo magis actum ſeu opus proprium ſubjicit ac ſubmittit ei, cui ſatisfacit, atqui actus ſatisfactorius puræ creaturæ poteſt eſſe in ordine ſupremo & æquali cum peccato, actus enim dilectionis Dei ſuper omnia, quamvis à Deo non accipiat infinitatem, accipit tamen ſuperioritatem ordinis, ſicut & peccatum per nos ſuperioritatem ordinis non infinitatem ab eodem Deo accipit; actus igitur dilectionis eſt in ſupremo ordine ſatisfactionis non minùs, quàm peccatum in ſupremo ordine offenſæ. Confirmatur ex eo, quòd aliundè per actum dilectionis tantum honoris Deo redditur, quantum per lethalem offenſam aufertur; per illum ſcilicet præfertur Deus creaturis quibus per peccatum poſtponitur; ſecundùm affectum peccantis reponitur in ratione ultimi finis, quâ eum peccans in affectu ſuo ſpoliat: Habet inſuper actus dilectionis tantam aut majorem rationem boni, quàm habeat rationem mali peccatum, quia ille habet puram rationem boni, non iſtud puram rationem mali; ille magis Deo placet, quàm iſtud diſ-

47. Dei dilectio non eſt in ordine ſupremo æquè, ac Dei offenſa, nec illa eſt tam bona, quam iſta mala quoad ordinem.

pliceat. Sed contrà: tranſeat major, nego minorem, actus enim ſatisfactorius puræ creaturæ eſt ordinis inferioris ad actum creaturæ perſonaliter unitæ Deo, ille igitur prior nō eſt in ordine ſupremo ſatisfactionis. Quod dicitur actum dilectionis accipere ſuperioritatem ordinis ab eodem Deo, à quo ſuperioritatem ſuam accipit lethalis offenſa verum eſt, at non propterea talis ſuperioritas eſt utrobique ſuprema, quia in dilectione decreſcit & deprimitur ex parte principij, ex parte cujus non ſimiliter decreſcit, imò creſcit & augetur in offenſa; nam vilitas creaturæ, & obligatio ipſius ad Deum amandum, minuit æſtimabilitatem dilectionis, auget verò æſtimabilitatem ſeu gravitatem offenſæ, quæ etiamſi ferretur in Deum, non eſſet in ordine ſupremo, ſi non eſſet à creatura, ſed per impoſſibile ſupponeretur eſſe ab alio Deo. Ad Confirmationem permitto tantum reddi quoad æqualitatem rei ad rem, at nego tantum reddi quoad æqualitatem ordinis inter redditionem & ablationem: vel tantum redditur phyſicè quodammodo & in entitate, non moraliter & in exiſtimatione; ſecundùm quam præter habitudinem ad objectum attenditur habitudo ad principium, cujus vilitas ex mox dictis minuit valorem dilectionis per quam fit Deo redditio, auget, verò gravitatem offenſæ per quam fit à Deo ablatio.

Dices

Dices tertiò: etiam inter res inferioris & ſuperioris ordinis, quando utraque finita eſt, poteſt haberi æqualitas & condigna compenſatio; ergo noſtra ratio deſumpta ex inæqualitate, ac diverſitate, ordinis non ſubſiſtit; nec ex eo, quod offenſa ſit in ordine ſuperiore ad dilectionem, & alium quemcunque actū bonum puræ creaturæ, rectè infertur, non poſſe ab iſta exhiberi ſatisfactionem æqualem offenſæ, dum hæc aliundè finita conceditur; antecedens probatur, quia unum finitum, qualecumque ſit, poteſt adæquari & excedi per finitum inferius, quoties iſtud ſæpiùs multiplicetur & ſucceſſivè in infinitum augeatur; quamvis igitur unus actus dilectionis Dei non habeat æqualitatem cum offenſâ Dei ad ipſam compenſandam, habebunt tamen talem æqualitatem plures & plures actus dilectionis ſimul, aut unus actus dilectionis cum pluribus actibus aliarum virtutum, ſicut & ſubditus offenſam Principi illatam, quam adæquare nequit unico obſequio, adæquabit tandem, ſi plura & plura obſequia reperat, ſicut item unciam auri, cujus valorem & pretium nulla alterius metalli uncia adæquare poteſt, plures unciæ ſimul adæquabunt facilè, imò excedent, & licèt ex oppoſito afferri poſſint exempla innumera rerum inferiorum, quæ nullâ ſui multiplicatione pervenire poſſunt ad æqualitatem cum re ſuperiore, ſic cognitiones naturales, homines, lapides, nulla ſui multiplicatione perveniunt ad æqualitatem cum viſione beatâ, Angelo, formicâ; hæc tamen exempla utpotè in rebus phyſicis pro quæſtione præſenti, quæ de æqualitate morali procedit, minùs urgent, quàm exempla præcedentia, quæ moralia ſunt. Sed contrà: exempla phyſica mox prællata, quamvis non quadrent adamuſſim in re morali, evincunt tamen limitationem rei in ſuperiori ordine exiſtentis ex vi formæ, ex genere ſuo, non ſufficere ad inferendum, quod poſſit à re inferioris ordinis multiplicatâ & repetitâ adæquari; In ſubjectâ verò materiâ dico, quod ſi aliquando in moralibus contingit talis adæquatio, contingit ſolùm, quando ordo ſuperior non excedit notabiliter inferiorem, contingere verò nec in moralibus poteſt, quando exceſſus eſt notabilis, ut patet ex eo, quod opus naturale valorem moralem operis ſupernaturalis, opus ſupernaturale purè creatum valorem moralem operis theandrici, nulla ſua multiplicatione adæquat; peccata item venialia infinities multiplicata nunquā attingunt moralem gravitatem unius lethalis: Cum igitur ex alia parte ordo, in quo exiſtit offenſa lethalis notabiliter imò incompatabiliter diſtet ab ordine, in quo exiſtit actus quilibet puræ creaturæ, conſequens eſt Adverſariorum inſtantiam non concludere intentum, & actus ſeu opera puræ creaturæ nulla ſui multiplicatione compenſare poſſe lethalem offenſam, aut pervenire ad ſatisfactionem æqualem tali offenſæ, ut magis expendit Arriaga *diſp. 4. ſect. 5. ſubſect. 2. & 3.*

48. Res inferior quandonam ſui multiplicatione poſſit adæquare rem ſuperiorem, quando nō?

Dices quartò: Non omnis offenſa creſcit ex dignitate Perſonæ, cui infertur, ergo non omnis offenſa Dei eſt in ſupremo genere offenſæ ex eo, quod feratur in Perſonam conſtitutam in ſupremo genere dignitatis; ergo ſaltem pro aliqua Dei offenſa, & pro aliquo lethali, poterit pura creatura condignè ſatisfacere; antecedens probatur, tum quia offenſa, quam infert Princeps Principi non cenſetur major eâ, quam plebeo infert plebeus; tum quia in bonis fortunæ dignitas Perſonæ minuit potiùs, quàm augeat offenſam, & nemo non cenſet minus gravè furtum decem aureorum factum Regi aut Dynaſtæ prædiviti, quàm factum vili pauperi; in bonis famæ dignitas Perſonæ ſi non minuit offenſam, ſaltem non auget, & qui falſo teſtimonio famam abſtulit, dicendo ſe fuiſſe mentitum compenſat de condigno injuriam ſivè vili, ſivè illuſtri Perſonæ famam abſtulerit. Sed contrà: tranſeat antecedens de offenſa ſumpta univerſaliſſimè, prout offenſa eſſe poteſt ſine contemptu, nego idem antecedens de offenſa ſumpta minùs univerſaliter prout eſſe nequit ſine contemptu, & quia ſine contemptu eſſe nequit reſpectu Dei, nego etiam conſequentiam: ratio autem, cur reſpectu perſonæ creatæ, non reſpectu Dei poſſit eſſe offenſa ſine contemptu? multiplex occurrit, prima ſit quia Perſona creata poteſt pati detrimentum, adeóque offendi in aliis bonis ab honore & fama, Deus non item: Secunda, quia Perſona creata poteſt offendi abſens, Deus autem ſemper offenditur præſens, & offenſa facta præſenti non videtur eſſe ſine contemptu: Tertia, quia Perſona creata poteſt offendi, abſque eo quod offendens de ipſa habeat vilem exiſtimationem, ipſamque poſtponat rebus inferioribus; peccans verò lethaliter neceſſariò poſtponit Deum creaturæ, & in affectu ſuo habet vilem de Deo exiſtimationem, quem affectivè & practicè judicat minùs, quàm creaturam, amore dignum. Hinc ad primam antecedentis probationem permitto quod aſſumitur, ſi utraque offenſa ſit ſine contemptu: Præterea dici poteſt offenſam creſcere ex dignitate Perſonæ, cui infertur ſumpta non abſolutè, ſed comparativè ad inferentem, & ſecundum exceſſum quo dignitas Perſonæ offenſæ ſuperat conditionem Perſonæ offendentis, qui exceſſus ſæpè major non eſt in Principe reſpectu Principis, quàm in plebeo reſpectu plebei, ideò &c. Ad ſecundam probationem dico eam rectè procedere in bonis fortunæ, in quibus furtum ex unâ parte ſolet eſſe ſine contemptu, & ex alia affert majus detrimentum vili pauperi, quàm Principi diviti: in bonis famæ, cujus detractio ut plurimùm eſt cum contemptu dico infamiam illatam Principi eſſe graviorem offenſam, quàm illatam inferioris notæ viro, & detractor dicens ſe eſſe mentitum compenſat utrique de condigno famæ detrimentum; at aliquid ampliùs debet Principi pro contemptu, ut plurimùm detractioni mixto.

49. In creatis aliquæ offenſæ non creſcunt ex dignitate ejus, qui offenditur, & quænam illæ ſint.

Dices quintò: Qui ita ſatisfacit, ut ad nihil ampliùs teneatur, nihil ampliùs debet, adeóque ſatisfacit pro toto debito, & adæqualitatem ſeu de condigno; atqui pura creatura pro ſuo lethali ita poteſt Deo ſatisfacere, ut ad nihil ampliùs teneatur, poteſt enim ſatisfacere quantum poteſt, & eo ipſo quod ſatisf-

50. Pura creatura nec poteſt pro lethali ità ſatisfacere, ut ad nihil ultrà teneatur, nec quando hoc poſſet, ſatisfaceret de condigno.

ſatisfacit quantum poteſt ad nihil amplius teneretur, cum nemo teneatur ultrà id quod poteſt, nec detur obligatio ad impoſſibile; ergo pura creatura pro ſuo lethali poteſt Deo ſatisfacere ad æqualitatem & de condigno. Sed contra primò datâ majore, falſa eſt minor, & ſatisfaciens quantum poteſt, ſi non tenetur ad aliquid amplius faciendum, teneri adhuc poteſt ad aliquid patiendum, & ſicut apud nos debitor pecuniarius non habens in ære unde ſolvat, tenetur luere in corpore patiendo carcerem & alia incommoda corporalia, juxtà illam Juris regulam *Qui non habet in ære, luat in corpore*, ita apud Deum peccator non habens amplius unde ſatisfaciat pro offensâ, tenetur pro ea ſatispati. Contra ſecundò falſum eſt in majore ſatisfacere pro toto debito, & ad æqualitatem eum, qui ità ſatisfacit ut ad nihil amplius teneatur, nihilque amplius debeat; nam etiam qui pro una parte debiti ſatisfaciens obtinet pro aliâ a Creditore liberalem, & gratioſam condonationem, ad nihil amplius tenetur, nihilque amplius debet: & in propoſito ad nihil amplius tenetur peccator, cujus ſatisfactio utcumque imperfecta & inæqualis ex favore Dei extrinſeco acceptetur ut ſufficiens; & tamen hæc ſatisfactio nunquam dicenda erit de condigno, præſertim in noſtris principijs, in quibus acceptatio Dei extrinſeca non ſolum non requiritur, ſed nec poteſt quidquam conferre ad condignitatem meriti; & eadem eſt quoad hoc ratio de condignitate ſatisfactionis. Contrà tertio: & eſt magis ſolida, magiſque directa inſtantiæ ſolutio, in ſatisfactione, ſeu opere ſatisfactorio, duplex æqualitas attendi poteſt, alia operis ad debitum, ſeu offenſam; alia operis ad principium ſeu virtutem ſatisfacientis; illam D. Thomas *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. in c.* vocat æqualitatem quantitatis; iſtam, æqualitatem proportionis: Sola prior æqualitas eſt perfecta, abſoluta, & ad ſatisfactionis condignitatem ſufficiens; non ſic poſterior æqualitas quæ imperfecta eſt, & provenit ex ſuppoſitione principij in capacitate deficientis; Porrò inſtantia in ſatisfactione puræ creaturæ pro peccato probat ſolùm poſteriorem æqualitatem; ideò, &c.

51. Ratio impotentiæ ad ſatisfaciendum condignè eſt eadē pro peccato proprio alieno, originali perſonali.

Ex his habetur aſſertam, & hucuſque propugnatam rationem incapacitatis condignè ſatisfaciendi militare in ordine ad quodcunque prorsùs lethale, ſivè alienum ſivè proprium, ſive originale ſivè perſonale; lethale enim quodcunque, ſicuti lædit contemnitque eandem ſupremam Dei dignitatem, ità eſt in eodem ſupremo ordine offenſæ notabiliter, imò incomparabiliter, excedente ordinem cujuſvis operis ſatisfactorij non theandrici, & à creaturâ, quæ pura ſit, non ſimul Deus, procedentis.

Habetur inſuper non eſſe neceſſarium pro re præſenti recurrere ad infinitam lethalis peccati gravitatem, & quando aliundè talis infinita gravitas permitteretur, imo & ſufficeret ad probandam impotentiam condignæ ſatisfactionis, adhuc placeret magis talis impotentiæ rationem deſumere ex ſuperioritate ordinis modo hucuſque tradito, quam ex infinitate gravitatis: eſt enim prior ratio univerſalior, & militat in omni ſententiâ, non in eâ duntaxat, quâ aſtruitur infinita peccati gravitas, undè etiam ex eo quod talis ratio à finitate vel infinitate peccati abſtrahat, conſultò omiſimus urgere aut ſolvere argumenta, quæ poterant occaſione illius infinitatis proferri; quamvis eâ de re ex profeſſo potius, quam occaſionaliter, in præſenti agant Arriaga, Eſparza, Joannes à S. Thoma, Gabriel à S. Vincentio, alijque nonnulli.

---

§. VI.

Quid de condignâ ſatisfactione pro peccato aut commiſſo in purâ naturâ, aut præcisè philoſophico, aut veniali?

ASSERT. 1. Pura creatura eſt de potentia etiam abſoluta incapax exhibendi Deo ſatisfactionem pro lethali, quod committeretur in purâ naturâ. Hujus aſſerti materies à Theologis vix attingitur, eo quod ſtatus puræ naturæ nunquam de facto datus fuerit, imo ſecundùm plures nec dabilis ſit; cenſeri tamen poteſt habere pro & contrà eoſdem Auctores, quos aſſertum ſuprà poſitum *num.* 38. ut ex probatione mox ſubjiciendâ conſtabit; interim *ex tract. de Gratia lib. 1. cap. 2. §. 1.* poterit Lector, quantum pro re præſenti neceſſe eſt, recolere notionem ſtatus puræ naturæ. 52. Eſt item eadem pro peccato, quod committeretur in pura naturâ.

Probatur: Peccatum lethale, quod committeretur in purâ naturâ, eſſet in ſupremo genere offenſæ; ergo quoad ſatisfactionem eſſet de tali peccato eadem ratio, ac de eo, quod committitur in præſenti ſtatu naturæ elevatæ; ergo ſicut pro iſto, ità & pro illo, eſt pura creatura de potentiâ etiam abſoluta incapax, &c. antecedens probatur; peccatum lethale, quod cōmitteretur in pura natura, eſſet offenſa contemptiva dignitatis increatæ & ſummæ, & excederet omnes alias offenſas aut veniales contrà Deum, aut inferibiles creaturis; atqui hinc potiſſimum *præced. num.* 43. probavimus ſupremum genus offenſæ in lethali, quod committitur pro præſenti ſtatu naturæ elevatæ; ergo ex paritate rationis eſſet in ſupremo genere offenſæ lethale, quod committeretur pro ſtatu naturæ puræ.

Dices: lethale, quod committeretur in pura natura, eſſet contrà Deum ut naturæ Auctorem; atqui dignitas Dei ut naturæ Auctoris non eſt dignitas ſuprema, admittit enim dignitatem aliam ſuperiorem, ideſt dignitatem ejuſdem Dei ut Auctoris ſupernaturalis, ergo lethale, quod committeretur in pura natura, non eſſet offenſa contemptiva dignitatis ſupremæ, ac per conſequens non eſſet in ſupremo offenſæ genere. Sed contrà: Deus ut finis ſeu Auctor ſupernaturalis non eſt ſuperior ſe ipſo fine ſeu auctore naturali, & ſupernaturalitas dicitur relatè ad Deum ipſum, cujus natura quomodocumque conſideratâ nihil eſt ſuperius: Dei propterea dignitas perſonalis & intrinſeca ſive ſit ipſius ut ſupernaturalis, ſivè ſit ejuſdem ut naturalis Auctoris ſemper ſumma, ſemper ſuprema eſt, ſemper 53. Dignitas Dei auctoris ſupernaturalis non eſt ſuperior dignitate ejuſdem auctoris naturalis.

nullam

nullam ſuperiorem admittit. Neque dicas hoc modo confundi in Deo rationem finis naturalis, & rationem finis ſupernaturalis, quod eſt accedere ad Bajum negantem in Deo ſuplicem rationem finis, & in creaturâ duplicem rationem amoris duplici rationi finis reſpondentem, ut retulimus *in tract. de Gratia lib. 2. cap. 2. num. 20.* Contra enim: ſicuti attigimus *eod. cap. 2. num. 24.* Duplex ratio finis in Deo non importat duplicem bonitatem; non eſt igitur mirum, quod nec importet duplicem dignitatem; eſt verò in Deo duplex ratio finis, quatenus eſt finis cognoſcibilis ſub duplici lumine, & relatè ad duplicem bonorum donorúmve communicationem, quod optimè ſufficit ad diſtinguendam in creaturâ duplicem rationem amoris: Cæterum redeundo ad rem noſtram ſolum in eodem ordine offenſa Dei auctoris ſupernaturalis poteſt dici gravior, quàm offenſa Dei auctoris naturalis; quatenus illa licet non ſit contemptiva dignitatis ſuperioris & diverſæ, eſt contemptiva dignitatis majori perfectiorique lumine, & ut ita dicam explicatius cognitæ.

54. Ex his habes pro peccato commiſſo in purâ naturâ nec etiam hominem per dona gratiæ elevatum poſſe condignè ſatisfacere, ac per conſequens multo minus id poſſe hominem, qui in ipsâ purâ naturâ permaneret, & licèt olim nonnulli, quorum meminit Amicus *diſp. 5. ſec. 2. num. 96.* abſolutè ſenſerint contritionem naturalem poſſe eſſe condignè ſatisfactoriam pro quocunque lethali; nihilominus hæc ſententia, quatenus procederet de peccato commiſſo in natura elevata, non eſt immunis à gravi cenſurâ, Pelagianiſmum ſapit, & videtur obnoxia anathemati, quo Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 3.* ferit dicentes hominem ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, præmittere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: Quatenus verò eadem ſententia limitaretur ad peccatum commiſſum in naturâ purâ, impugnatur ex præjacto aſſerti fundamento, & ex eo quod contritio naturalis non eſt magis ſatisfactoria pro peccato commiſſo contrà Deum ut finem naturalem in pura creatura, quàm contritio ſupernaturalis ſit ſatisfactoria pro peccato commiſſo contra Deum ut finem ſupernaturalem in naturâ elevatâ; atqui pro hoc non eſt condignè ſatisfactoria contritio ſupernaturalis, ergo nec pro illo contritio naturalis.

Céſura opinionis docentis contritionem naturalem eſſe poſſe condignè ſatisfactoriã pro lethali.

55. Aſſert. 2. Pro peccato præcisè philoſophico ſi detur, poteſt pura creatura condignam ſatisfactionem exhibere. Ita *Lugus diſp. 5. ſec. 5.* Amicus *diſp. 5. ſec. 5.* Madernus *quæſt. 2. art. 4.* & plures alij Recentiores docentes peccatum præcisè philoſophicum, ſi detur, lethale non eſſe contra Salas 1. 2. *tom. 2. tract. 13. diſp. 16. ſec. 22.* Azorium *tom. 1. Inſtit. Moral. lib. 4 cap. 1. quæſt. 4.* Vegam *in Trid lib. cap. 15.* alioſque nonnullos, & Salas quidem loco præcitato, licet in ſententiam excludentem à peccato philoſophico lethalem malitiam acriter invehatur, eamque appellet parum tutam, periculoſam in fide, ac perniciofam; tamen in re potius neget dabile eſſe peccatum purè philoſophicum, quàm neget tale peccatum, ſi detur, fore ſine lethali malitia; nam poſtea *diſp. 10. de legibus ſec. 8. num. 42* apertè docuit in omni peccato lethali dari contemptum Dei: Verùm quidquid ſit de mente hujus Auctoris, ejus cenſura, prout ad noſtrum referri poteſt, omninò irrationabilis eſt, & meritò Amicus *præcit. ſec. 5. n. 17.* valdè miratur ipſum in tam probabili ſententia ſe geſſiſſe ut tam ſeverum Cenſorem.

Dixi; *Pro peccato præcisè philoſophico, ſi detur*; Non enim mihi mens eſt in præſenti ſtatuere peccatum purè philoſophicum, cui parum favet quod *tract. 1. lib. 2. cap. 1. §. 5.* dicebamus neminem habentem uſum rationis poſſe invincibiliter ignorare exiſtentiam Dei, intendo ſolum doctrinæ gratia loqui in hypotheſi, quod peccatum illud detur, non curando pro nunc de hypotheſis poſſibilitate, vel impoſſibilitate. Potiò nomine peccati philoſophici venit illud, quod nullum habet culpabilem reſpectum ad Deum, eo quod committatur ab habente invincibilem ignorantiam Dei divinæque legis; ſit contra naturam rationalem ipſius hominis, non contra Deum; & philoſophicum denominetur eo quia ſit quodammodò contrà philoſophiam moralem, non contra notitiam ullam Theologicam: Vnde eſſet pariter philoſophicum peccatum, quod committi ſupponeretur cum invincibili ignorantia, ſi non Dei, ſaltem offenſionis ipſius, quatenus quis non ignorans Deum exiſtere exerceret operationem, quam judicaret quidem moraliter malam & difformem propriè naturæ rationali, at non contrariam legi divinæ nec offenſivam Dei; qua ratione Dei cognitio, utpotè materialiter omnino & impertinenter ſe habens ad actionem malam & peccaminoſam, relinquit illam in eſſe peccati purè philoſophici ſimilis illi, quod ſine ulla Dei cognitione committitur. 56.

Peccatum philoſophicum quid?

Probatur Peccatum purè phyloſophicum, ſi detur, non eſt offenſa Dei; ergo pro peccato purè philoſophico, ſi detur, poteſt pura creatura &c. Conſequentia patet, quia peccatum eo ipſo, quod non eſt offenſa Dei, non eſt in ſupremo offenſæ genere, & aut nullam habet rationem offenſæ aut eſt offenſa puræ creaturæ, ſui ipſius ſcilicet vel Proximi; non apppatet autem ex quo capite offenſa puræ creaturæ non poſſit à puræ creaturæ ſatisfactione adæquari, cum utraque ſit in eodem genere, & ceſſet hic tota ratio, ob quam ex ſupradictis eſt per ſatisfactionem puræ creaturæ incompenſabilis offenſa Dei. Antecedens probatur, offenſa Dei (ſubintellige formalis & culpabilis, quæ ſola ingreditur formalem rationem peccati) non poteſt eſſe niſi ſit voluntaria, nec poteſt eſſe voluntaria niſi ſit cum cognitione; atqui peccatum purè philoſophicum non eſt cum cognitione Dei, aut ſaltem non eſt cum cognitione offenſionis ipſius; ergo peccatum purè philoſophicum, ſi detur, non eſt offenſa Dei: Minor ſupponitur *ex præced. n. 56.* Major probatur tùm ex duobus illis 57.

Si detur, poteſt pro eo pura creatura condignè ſatisfacere.

Ff commu

communibus principijs, *Non eſt peccatum, niſi voluntarium Nihil volitum, quin præcognitum*, tum exemplis humanis, ubi occidens v.g. Regem, aut Clericum, ignorans invincibiliter Perſonæ conditionem, vel ſaltem putans occiſivam & læſivam non eſſe actionem, quam exercet; neutrũ formaliter offendit, nec eſt formaliter reus læſæ Majeſtatis, aut Clericidij.

Dices primò ad contrahendam malitiam offenſæ Dei ſufficere, quod cognoſcatur malitia objectiva actionis peccaminoſæ ſita in oppoſitione ipſius ad legem naturalem, cum ab illâ malitiâ non ſit diſtincta & diverſa malitia offenſæ Dei, ut probatur tum à priori ex eo, quod malitia illa objectiva ex ſe præcisè diſplicet Deo, ergo ex ſe præcisè eſt Dei offenſiva tum à poſteriori ex eo, quod in confeſſione ſacramentali non eſt neceſſe ſingillatim exprimere malitiam offenſæ Dei, nec ullus Confeſſarius ſolicitus eſt interrogandi pœnitentem, utrùm peccando adverterit ad Dei offenſionem:

58\. Sed contrà: malitia offenſæ Dei eſt quidem valdè connexa, & in praxi vix umquàm ſejuncta a malitiâ objectivâ actionis peccaminoſæ; eſt tamen in rigore diſtincta realiter & diverſa; ideò in rigore, & quodammodò metaphyſicè loquendo, ad contrahendam malitiam offenſæ Dei non ſufficit, quod cognoſcatur malitia objectiva, & quoties hæc ſupponatur cognoſci illa proſus ignorata formalis malitia offenſæ divinæ non contrahetur. Ad probationem à priori concedo antecedens, nego conſequentiam: Non enim quidquid diſplicet, offendit, ſed illud ſolùm, quod diſplicet, quia eſt contemptivum & læſivum ejus cui diſplicet; malitia autem objectiva ex ſe præcise non eſt læſiva & contemptiva Dei, ideò nec offenſiva. Ad probationem à poſteriori dico accedentem ad confeſſionem ſacramentalem non poſſe habere ignorantiam Dei aut offenſionis ejus in peccato repertæ; ideò reſpectu talis accidentis utramque malitiam in quolibet peccato regulariter ſupponi abſque eo, quod ultra malitiam objectivam debeat aut pœnitens ſingillatim exprimere, aut Confeſſarius ſingillatim inquirere malitiam divinæ offenſæ.

Malitia objectiva, & malitia offẽſæ Dei, in peccato diſtinguuntur realiter.

Vrgebis: Quamvis antecedens ad confeſſionem dum peccavit non ignoraverit Deum exiſtere, & per peccatum offendi; ſæpè tamen ad id non advertit; inadvertentia autem ignorantiæ æquivalet in ordine ad reddendam malitiam involuntariam; deberet igitur ſaltem interrogari, utrùm attenderit ad Deum & adverterit ad offenſam ejus? quando actionem peccaminoſam commiſit, ſi enim talem attentionem & advertentiam non habuerit, ut ſæpè ſe non habuiſſe peccatores ipſi teſtabuntur, non contrahetur formalis malitia offenſæ, quoties hæc ſit diverſa a malitiâ objectivâ actionis peccaminoſæ; & tamen nec de tali advertentia ſolent Confeſſarij interrogare, ſignum eſt igitur non diſtingui in peccato malitiam offenſæ Dei à malitia objectiva.

59\. Sed contrà: Inadvertentiam æquivalere ignorantiæ in ordine ad reddendam malitiam involuntariam non caret difficultate, & controverſia; detur id tamen dico ad voluntatem malitiæ ſufficere advertentiam implicitam, quæ adeſt, quoties advertitur ad aliquid, in quo ſæpè cognitum & cogitatum eſt malitiam illam imbibi & reperiri, ut patet in religioſo, qui peccando interius contrà caſtitatem, etiamſi non advertat explicitè, nec percipiat ſe attendere ad circumſtantiam voti, contrahit malitiam ſacrilegij contra votum propter advertentiam implicitam quam habet per hoc, quod advertat ſe elicere actum, cum quo ſæpiùs cogitavit & conſideravit ratione proprij ſtatus conjungi malitiam ſacrilegij contrà votum: ſidelis igitur ex eo, quod ſæpius conſideraverit cum malitiâ objectivâ actionis peccaminoſæ ſemper conjungi offenſam Dei dicitur ad hanc implicitè advertere per hoc præcisè, quod ad illam advertat; ideò non eſt, cur Confeſſarius ipſum ſingillatim interroget, Vtrùm adverterit ad malitiam offenſæ; ſicuti nec religioſum confitentem peccatum contra caſtitatem interrogat, Vtrum adverterit ad circumſtantiam voti?

Advertentia implicita quid? & quomodò ſufficiat ad contrahendam malitiam.

Dices ſecundò: Peccatum commiſſum cum ignorantia invincibili Dei, aut offenſionis ipſius, adhùc Deo diſpliceret, nec poſſet creatura talem diſplicentiam auferre & compenſare, ergo ſive tale peccatum diceretur offenſa Dei, ſive non, adhùc non poſſet pro eo pura creatura condignè ſatisfacere; antecedens quoad primam partem patet, quia peccatum illud adhùc eſſet malum morale, habet autem Deus de omni morali malo diſplicentiam, ſicut complacentiam de omni bono, quoad ſecundam partem probatur, quia diſplicentia Dei eſt in altiori ordine, quàm eſſe poſſit quodlibet bonum opus puræ creaturæ, creſcit enim illa dignitate ſeu conditione perſonæ, in quâ recipitur, ergo non poteſt diſplicentia Dei per ullum bonum opus puræ creaturæ compenſari, &

60\. auferri ex condigo. Sed contra: tranſeat prima pars antecedentis, de quâ infrà *n.61.* nego ſecundam, & dico diſplicentiam illam Dei eſſe in altiori ordine ſubjectivè tantùm, non objectivè, & creaturam ponendo opus bonum morale compenſativum objecti illius diſplicentiæ compenſare diſplicentiam ipſam, formaliter quidem & directè quoad objectivum, conſequenter verò & indirectè etiam quoad eſſe ſubjectivum: Cæterùm non creſcit Dei diſplicentia eo modo, quo Dei offenſa quæ eſt quid extra Deum, ſed eo modo, quo cæteri actus Deo intrinſeci, loquendo de diſplicentia ſubjectivè acceptâ, ideò &c. Deinde quidquid ſit de compenſabilitate iſtius divinæ diſplicẽtiæ, ad ſatisfaciendum condignè pro peccato philoſophico non eſſet neceſſarium ipſam compenſare & auferre, quia ſatisfactio reſpicit offenſam, & diſplicentiam Perſonæ offenſæ, non diſplicentiam quamcumque.

Ad ſatisfactionem cõdignam non eſt neceſſe tollere quãcumque diſplicentiam

Dices tertiò: Peccatum cum invincibili Dei ignorantiâ commiſſum in materiâ gravi adhùc eſſet peccatum lethale; ergo adhùc pro eo non poſſet condignè ſatisfacere pura creatura; conſequentia patet, quia peccatum ex eo præcise, quod ſit lethale, etiam abſtrahendo à ratione

eatiooe offenſæ Dei, adhuc eſt malum præpondetans cuilibet alij malo; ergo adhuc eſt malum incompenſabile quolibet alio puræ creaturæ bono; deindè adhuc eſt dignum pœnâ æternâ, nullum autem puræ creaturæ opus videtur poſſe eſſe compenſativum pœnæ æternæ: Antecedens peobatut, peccatum cum invincibili Dei ignorantiâ commiſſum in materiâ gravi adhuc eſt malum morale grave & Deo gravitet diſplicens; nec videtur ſioe piarum aurium uffenſione dici poſſe, quod homicidium, adulterium, & ſimilia crimina patrata cum invincibili ignorantiâ Dei gtaviora non ſint, quàm mendacium officioſum, aut verbum otioſum; ſic enim in maximum emolumentum

61. eedundaree ignorare Deum. Sed contrà: nego antecedens, vel majoris claritatis gratiâ diſtinguo, adhuc eſſet peccatum lethale fundamentaliter & materialiter quatenus poſſet ſubeſſe tum gtavi prohibitioni Dei, tum cognitioni de tali prohibitione, & de Dei offenſa concedo; formaliter & quatenus ſubſtans invincibili ignorantiæ Dei, nego: ad probaeionem antecedentis diſtinguo eodem modo adhuc eſt malum motale grave materialiter concedo, formaliter nego; vel gtavitate philoſophicâ & ordinis non ſupremi, concedo; gravitate Theologica & ordinis ſupremi, nego: eſt ſimilitet Deo gtavitet diſplicens diſplicentiâ Philoſophicâ, qua Deo diſplicet etiã malum quo non offenditur, ut eſt peccatum ſolum fundamentaliter lethale: Secus diſplicentiâ Theologicâ, qua Deo diſplicet ſolum malum quo offenditur. Tandem Philoſophicè & materialiter, non Theologicè & formaliter major eſt gravitas in homicidio, adulterio, & ſimilibus; quam io mendacio officioſo aut verbo otioſo ſi hæc cum Dei notitiâ proferantut, illa verò perpetreotur cũ omnimodâ Dei ootitiâ; neq; ex hoc apud doctos timenda eſt ulla piarum aurium offeoſio, ſicuti nec timetur ex eo, quod dicatur in homicidio, adulterio, & ſimilibus, cum nulla, aut valdè impeefecta libertate patratis, eſſe minorem gravitatem formalem & Theologicam, quam in mendacio officioſo, aut verbo otioſo, prolatis cum deliberatione perfectâ: Undè etiam ex hoc capite, ſicutrin emolumentum non redundat imperfectio, aut catentia libertatis, ità nec ignorantia Dei. Cæterum in oniverſum cum nos aſſeramus poſſibile peccatum purè Philoſophicum, nulla eſt ex ipſo timenda in ptaxi pernicies, aot piarum autium offenſio; & cum loquamut ſolũ factâ, ſivè per poſſibile ſivè pee impoſſibile, ſuppoſitione quod peccatum illud daretur, non eſt moraodũ in argumentis, quæ probant ipſũ non eſſe dabile potius, quam oon eſſe dabilem condignã ipſius ſatisfactionẽ, licet in præſenti ſatis accuratè ea expendat *præc. ſec.* 5. & 6. Lugus, quẽ poterit pro pleniori peccati Philoſophici notitiâ Lector conſulete.

Turpia crimina patrata cum invincibili ignorantia Dei in quo ſenſu ſint graviora, in quo leviora peccatis venialibus?

62. Aſſert. 3. Poteſt pura creatura exhibere Deo condignam ſatisfactionem pro peccato veniali. Ita Joannes à S. Thomâ *hic diſp.* 1. *art.* 4. Gonetus *diſp.* 4. *art.* 1. *n.* 15. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 1. *dub.* 13. Suaeez *diſput.* 4. *ſec.* 9. Vaſquez *diſp.* 3. *cap.* 3. Lugus *diſp.* 5. *ſec.* 7. Amicus *diſp.* 5. *ſec.* 6. Arriaga *diſp.* 6. *ſec.* 3. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 5. & à fortiori Theologi illi quos *præced. num.* 56. tetulimus pro potentiâ ſatisfaciendi condignè pro lethali: undè in præſenti aſſerto univerſaliter poſito conveniunt Antiqui cum Neotericis, Thomiſtæ cum Scotiſtis, & Theologi ferè omoes; quamvis non ſine vario inter ſe diſſidio circà majorem, minoremvè aſſerti extenſionem, de qua attingemus nonnihil infrà *n.* 69. Interim ſub ea univerſalitate, ſub qoa aſſertum jacet, & ſub quâ adeò communiter receptum eſt adhuc habemos aliquos Adverſarios, nimirum Petrum Soto *in inſtitut. Sacerd. lect.* 18. *de Pœnit.* Zumel 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 3 *diſp.* 2. Cipullum *hic quæſt.* 1. *art.* 2. *dub.* 3. *n.* 55. alioſque nonnullos.

Pro veniali poteſt pura creatura ſatisfacere cõdigne.

Probatur: Peccatum veniale oon eſt in ſupremo ordine offenſæ, nec tantum eſt quoad ordinem, quants eſt dignitas Perſuoæ divinæ; ergo ſatisfactio condigna pro peccato veniali non eſt neceſſe, quod ſit ſupremi ordinis, cujus exhibendæ eſt capax ſola creatuea ſubſtantialiter unita Deo; ſed poterit eſſe ordinis inferioris, cujus exhibeodæ ſit capax creatura pura, ergo verè poteſt puta creatura exhibere Deo, &c. Conſequeotia non videtur poſſe negati in noſtris principiis, quibus rationem impotentiæ ſatisfaciendi pro lethali deſumpſimus ex ſupremo ordine, in quo eſt offenſa lethalis; ſi igitur hæc ratio impotentiæ pro veniali ceſſet, ceſſabit & impotentia ipſa: Antecedens probatur, peccatum veniale non eſt offenſa læſiva Dei in ſo immediatè, & depreſſiva ipſius iofrà creaturam, oon tollit à Deo ex affectu peccantis eationem ultimi finis, nec poſtponit amicitiam Dei amicitiæ creaturæ, ſed ſolum contemnit & creaturæ poſtponit fervorem charitatis, qui eſt aliquid creatum; peccatum igitur veniale quoad ordinem duntaxat tantum eſt, quanta eſt dignitas fervoris charitatis, non quants eſt dignitas ipſius Dei; nec illud eſt ordinis ſupremi, ſicut nec eſt ordinis ſupremi fervor charitatis; ergo.

63. Peccatum veniale non eſt offenſa ordinis ſupremi.

64. Nec læſiva Dei in ſe immediatè.

Dices primo: Peccatom veniale eſt propriè & ſimpliciter offenſa Dei, tum qnia eſt peccatum propriè & ſimpliciter Theologicum, non philoſophicum præciſè; tum quia de venialibus communiter intelligitue illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*; ergo quoad ordinem offenſæ eſt ejuſdem eationis cum offenſâ lethali, quamvis quoad malitiam objectivam ſit rationis valdè diverſæ & diſtet incomparabiliter: Nec ſufficientet probat diverſitatem ordinis ratio à nobis mox adducta, & deſumpta ex eo, quod peccatum veoiale ſit immediate contrà fervorem charitatis, non cootrà Deum ipſum, adeóqoe ordioem ſuum ſumat à fervore charitatis, quæ eſt aliquid creatum, oon à Perſonâ increata Dei; nam eodem modo dici poteſt peccatum lethale eſſe immediatè contrà amicitiam & gratiam Dei, non contrà Deum ipſum; amicitia autem & gratia Dei eſt áliquid creatũ non minus, quàm fervor charitatis. Sed contrà: ly *propriè & ſimpliciter* ſolet accipi multifariè, & facilè eſſe poteſt occaſio altercandi; & quamvis latius accepto offenſæ oomine poſſet concedi antecedens, negandum tamen eſt in ſubjectâ materia, in qua nomen offenſæ Dei

65. Nec propriè & ſimpliciter offenſa Dei ſtricte accepto offenſæ nomine.

ſumitur ſtrictè & ſub ea proprietate ; quâ reperitur in peccato lethali : Latius pariter, non ſtrictè accepto nomine peccati Theologici, dici poteſt peccatum veniale eſſe propriè & ſimpliciter Theologicum, cæterùm ut non ſit præcisè philoſophicum, ſufficit ſi ſit Theologicum latius & minus propriè. Illud *Iacobi* 3. non eſt, cur non poſſit admittere aliquam latitudinem in ly *offendimus* quoties ad venialia extendatur. Ad impugnationem rationis à nobis allatæ falſum eſt peccatum lethale eſſe immediatè contra amicitiam & gratiam Dei duntaxat, eſt etiam immediatè contra ipſam Dei Majeſtatem, utpote quam in ſe ipsâ contemnit, deſerit, & creaturæ poſtponit.

Dices ſecundò : Peccatum lethale *ex præced. num.* 43. eſt offenſa læſiva honoris & contemptiva dignitatis divinæ, quia eſt tranſgreſſio divini mandati ipſo Deo præſente, & quantum in ſe eſt, ſemper actualiter oppoſitum præcipiente ; atqui etiam peccatum veniale eſt transgreſſio divini mandati ipſo Deo præſente &c. cum etiam peccatum veniale verè ſit contra legem, præceptum, & prohibitionem Dei : Ex quo ulterius fit peccatum veniale eſſe immediatè contra Dei voluntatem, ac per conſequens eſſe læſivum, & offenſivũ Dei immediate in ſe ipſo ; ipſamque divinam vo-
66. luntatem poſtponere creaturæ. Sed contrà: Peccatum lethale eſt tranſgreſſio divini mandati facti ſub comminatione divinæ deſertionis, & poſtpoſitionis divinæ majeſtatis ad creaturam, ſeu eſt tranſgreſſio divini mandati, quo Deus exercitè prohibet propriam deſertionem & poſtpoſitionem ad creaturam; non hoc modo eſt transgreſſio divini mandati peccatum veniale, ideò &c. Ad illud, quod ulterius inferebatur, dico non omne illud, quod eſt contra præceptum & prohibitionem Dei, eſſe immediatè contra Dei voluntatem; nam præceptum & prohibitio ex ſe formaliter eſt voluntas ſigni, non beneplaciti ; eſt ſignum divinæ voluntatis, non formalis Dei voluntas ; ſolum igitur eſt immediatè contra divinam voluntatem illud, quod eſt contra præceptum ; quo Deus exercitè prohibet deſertionem & poſtpoſitionem ſuæ divinæ voluntatis ad creaturam ; at hac ratione ſolum peccatum lethale, non peccatum veniale, eſt contra præceptum Dei, ideò &c.

Nec item eſt propriè contra divinam voluntatem.

Dices tertiò: Dantur aliqua peccata venialia quæ immediatè verſantur circa Deum ; ergo de iſtis ſaltem negari nequit, quin ſint offenſa Dei immediatè in ſe ipſo, adeòque quin ſint in ſupremo genere offenſæ, nec agnoſcant in purâ creaturâ ullam ſatisfactionem in æquali genere, & ſibi condignam ; probatur antecedens in veniali blaſphemia, veniali in-
67. fidelitate, veniali odio Dei, & ſimilibus. Sed contrà : concedo antecedens de venialibus ex indeliberatione, nego de venialibus ex objecto ; nec aliter, quàm ex indeliberatione, poſſunt eſſe venialia, infidelitas ; odium Dei, & ſimilia immediatè verſantia circà Deum, in quibus propterea communiter non admittitur materiæ parvitas. Porrò quod eſt ex indeliberatione, ſicuti non eſt ſimpliciter voluntarium, ita non eſt ſimpliciter offenſa, nequit autem eſſe ſimpliciter in ſupremo genere offenſæ quod non eſt ſimpliciter offenſa, ideo &c.

Dices quartò : Pro nullo bono creato licitum eſt committere peccatum veniale ; ergo quia eſt in ſupremo genere mali, nec adæquari poteſt & condignè compenſari per ullum
creatum bonum. Sed contra : eodem modo 68.
probaretur peccatum veniale eſſe in genere ſuperiore ad unionem hypoſtaticam, nec poſſe per opera ab hypoſtatica unione procedentia condignè compenſari, quia neque pro unione hypoſtatica obtinenda licitum eſt ipſum committere ; concedo igitur antecedens nego conſequentiam, & ratio, ob quam pro nullo bono licitum eſt peccare venialiter, non eſt quia peccatum veniale ſit in ſupremo genere mali & majus in ſua linea, quàm quodlibet bonum in ſua ; ſed quia nec peccatum veniale, nec ullum aliud malum morale, eſt medium proportionatum pro aliquo obtinendo.

Sic univerſaliter ſtabilitâ puræ creaturæ potentiâ ad exhibendam condignam venialis ſatisfactionem deſcendendum, curſim eſt ad nonnulla particularia dubia, quæ ſub univerſali doctrina præaſſerta continentur ; & pleniori ejus notitiæ deſerviunt : Primum ſit, Vtrum condigna ſatisfactio pro veniali haberi poſſit etiam per actus, & opera naturalis ordinis ? Secundum, Vtrum per actus & opera ordinis quidem ſupernaturalis, ſed non elicita in ſtatu gratiæ ? Tertium, Vtrum condigna ſatisfactio pro veniali haberi poſſet etiam in ſtatu puræ naturæ, ſi daretur ? Quartum, Vtrùm potentia ſatisfaciendi condignè pro veniali extendatur etiam ad veniale alienum ? Quintum, Utrùm de facto homo condignè ſatisfaciat pro aliquo veniali aut proprio, alieno ?

Ad primum dico per actus, & opera na- 69.
turalis ordinis, non exhiberi in præſenti ſtatu elevationis condignam ſatisfactionem pro veniali : Eſt reſponſio communis adeò ut à Suario *præcit. ſec.* 9. cenſeatur valde falſa, & errorem ſapiens Pelagianum ſententia oppoſita, quamvis ſoleat tribui Scoto *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. §. *In iſta quæſtione verſic. de ſecunda dubitatione*, Gabrieli *diſt.* 16. *quæſt.* 5. *art.* 1. & nonnullis alijs Antiquis docentibus debitum, ſeu reatum venialis peccati eſſe debitum pœnæ temporalis, cui ipſius temporalis pœnæ ſolutione ſatisfiat : Madernus tamen *præcit. art.* 5. *num.* 1. monet ex hoc non ſufficienter adduci, quòd præmemorati Auctores ſcoſerint per actus merè naturales, & ſine gratiæ auxilio, poſſe pro veniali ſatisfieri ; potuerunt enim gratiam requirere pro condigna temporalis pœnæ ſolutione : Verum quidquid de his ſit, probatur reſponſio in noſtris principijs ex eo quod peccatum veniale in præſenti ſtatu elevationis eſt contemptus favoris charitatis ergà Deum ut finem ſupernaturalem, adeòque eſt ſuo modo in ordine ſupernaturali offenſæ, requirit igitur pro ſatisfactione condigna opus ſupernaturalis ordinis, ſicuti peccatum lethale, quia eſt in ſupremo ordine

Satisfactio condigna pro veniali nequit haberi per opera naturalia.

dine offenſæ requirit ſupremi ordinis ſatisfactionem.

70. *Nec per opera ſupernaturalia elicita ab exiſtente in peccato lethali.* Ad ſecundum dico ſatisfactionem condignam pro veniali requirere ſtatum gratiæ, nec poſſe haberi per opera ordinis ſupernaturalis elicita ab exiſtente in peccato lethali. Ratio eſt, quia in univerſum ſatisfactio & meritum apud Deum eaſdem poſtulant conditiones, ſicuti igitur extra ſtatum gratiæ non poteſt haberi apud Deum ullum condignum meritum, ita nec ulla condigna ſatisfactio. Ratio ſpecialior eſt, quia de lege ſaltem ordinariâ nullum veniale remittitur exiſtenti in lethali, non poteſt reſarcire contemptum fervoris charitatis qui charitate totâ caret, nec dignus eſt ut acceptetur ad exigui debiti ſolutionem qui aliundè plura & graviſſima debet. Hinc obiter habetur Incarnationem fuiſſe de facto neceſſariam, etiam pro condigna ſatisfactione venialium, omnes enim homines naſcuntur de facto filij iræ, & in peccato lethali originali adeóque impotentes ad omnem ſatisfactionem condignam etiam pro veniali.

71. Ad tertium valde perplexus eſt Arriaga *præcit. diſp.6. num.*22. aſſirmant Lugus *præcit. ſect.7. num.*132. Amicus *ſect 6. num.*249. & alij, cum quibus ſentio in ſtatu puræ naturæ hominem juſtum juſtitiâ naturali illi ſtatui conſentanea poſſe exhibere condignam ſatisfactionem pro veniali; ratio eſt quia veniale in *Etiam in pura natura haberi potuiſſet condigna pro veniali ſatisfactio.* ſtatu puræ naturæ eſſet contemptus fervoris charitatis ergà Deum ut finem naturalem, eſſet igitur offenſa ordinis naturalis & per opera naturalia, præſertim per naturalem actum ferventis charitatis, condigne compenſaretur, eſſet autem hujuſmodi actus naturalis poſſibilis homini retinenti naturæ puritatem, & fortè quidem requireret auxilium gratioſum, at non auxilium ſupernaturale. Neque dicas *ex præced. num.* 52. lethale quod committeretur in pura natura, & illud quod committitur in ſtatu elevationis, ſunt ejuſdem ordinis, ergo ſimiliter veniale in utroque ſtatu eſt ejuſdem ordinis, & ſicuti pro ſtatu elevationis eſt ſuo modo ordinis ſupernaturalis, adeò ut nullo actu naturali poſſit condigne compenſari, ita & pro ſtatu puritatis naturæ. Contrà enim: Peccatum lethale eſt immediatè contrà Deum, in quo ratio finis naturalis non diſtinguitur à ratione finis ſupernaturalis, veniale eſt contrà fervorem charitatis, charitas autem naturalis & charitas ſupernaturalis diſtinguuntur realiter, ordineſque realiter diverſus conſtituunt; ideò relatè ad naturalem & ſupernaturalem fervorem charitatis ſumunt diverſum ordinem venialia; non ſic ſumunt diverſum ordinem lethalia relatè ad Deum naturalem & ſupernaturalem Auctorem.

72. *Pro veniali alieno nulla ſatisfactio poteſt eſſe propriè condigna.* Ad quartum illi, qui admittunt poſſe de lege extraordinaria unum hominem pro alio apud Deum condignè mereri, facilè de eadem lege ſuſtinent in pura creatura potentiam condignè ſatisfaciendi pro veniali alterius; at nos qui *in tract. de Gratiâ lib.4. cap.*8. §. 6. docuimus nihil poſſe unum pro alio rigoroſâ condignitate apud Deum mereri, poſſumus conſequenter nullam unius pro alio ſatisfactionem apud Deum rigoroſè condignam agnoſcere; ideò juxta illum rigorem, quo ibi loquebamur de merito, ſentiendum in præſenti nec de potentia abſoluta poſſe puram creaturam condignè ſatisfacere pro veniali alterius, quamvis poſſit ex divina ordinatione in alterum transferre ſatiſfactionem, quæ eſſet condigna pro veniali proprio, ut patere poteſt repetenti doctrinam traditam *præcit.* § 6.

Ad quintum dico de facto hominem juſtum per actus contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, condignè ſatisfacere pro venialibus propriis, ſubintellige ſumptis quoad rationem culpæ ſeu offenſæ, de ſatisfactione enim pro peccatis ſumptis quoad debitum pœnæ nunc non loquimur. Eſt communis reſponſio, quamvis contrarius ſit Lugus *præcit. ſect.7. num.*130. ductus ex verbis illis 1. Io. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat*: Ecce, inquit, ad pœnitentiam de venialibus conſequitur remiſſio, non remittitur autem debitum, pro quo eſt oblata condigna ſatisfactio, remiſſio enim eſt ex gratia creditoris, quam non admittit ſatisfactionis condignitas. Nihilominùs gratia creditoris dupliciter poteſt ſe habere ad ſolutionem debiti, vel prævіè & antè ipſum actum ſolutionis, vel ſimultaneè & ſimul cum actu ſolutionis; hoc ſecundo modo duntaxat, non primo, gratia creditoris obeſt condignitati ſatisfactionis: Porrò ad omnem venialium remiſſionem requiritur quidem gratia Dei creditoris, at quando venialia remittuntur ex vi contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, talis gratia eſt ſolùm prævia, & data ad eliciendam contritionem, non ad remittendam culpam ſuppoſita contritione: Quando verò venialia remittuntur ex vi attritionis gratia Dei creditoris eſt tum prævia tum ſimultanea: Quod igitur ſemper de facto venialia dicantur remitti non facit, quod de facto ſemper pro ipſis deſit condigna ſatisfactio, quia aliquando remittuntur ſolùm æquivalenter, & ex gratia prævia, qui modus remiſſionis & gratiæ cohæret optime cum condignitate ſatisfactionis; hincque manet tum ſoluta ratio dubitandi, tum ſufficienter probata & explicata noſtra reſponſio. *Gratia creditoris quando obſit condignitati ſatisfactionis, quando non?*

CAPVT IV.

De modo Incarnationis ex parte Verbi Incarnati.

INCARNATIO, ut initio monuimus *num.*4. ex vi vocabuli ſignificat actionem effectivam unionis inter Verbum & Carnem potiùs, quàm formalem unionem, ex uſu tamen Theologorum ſolet ut plurimùm pro formali unione ſumi. & ita Incarnationem ſumimus in 1. præſenti, ejuſdem verò pro actione effectiva ſumptæ modum attingemus infrà, cum de ipſius cauſa efficiente. Porrò modus Incarnatio-

 nis

nis pro formali unione acceptæ attendi poteſt, vel ex parte extremorum unitorum, vel ex parte medij ſeu rationis formalis uniendi: Incipimus eam conſiderare ex parte extremorum, & primò quidem ex parte extremi nobilioris ac potioris, quod eſt Verbum; in hoc, ſicut & in qualibet Perſona divina, datur tum natura abſoluta tribus Perſonis communis & in omnibus eadem, tum ſubſiſtentia relativa ſeu perſonalitas ipſius propria & in ſingulis Perſonis diverſa; ideò illicò occurrit determinandum, utrùm Incarnatio ex parte Verbi facta ſit in natura, an in Perſonalitate ſeu Perſona? & circa utramque controverſiæ partem afferuntur errores celeberrimi, pro quorum brevi notitia, & pro aliquali ad ulteriora apparatu.

2. Error Neſtorij de duplici Perſona in Chriſto.

Præmitto primò Neſtorium ex Presbytero Antiocheno Patriarcham Conſtantinopolitanum circa annum Domini 428. docuiſſe Chriſtum ex B. Virgine natum fuiſſe hominem purum, & tum naturam, tum etiam Perſonam humanam habuiſſe, cui poſteà Perſona Verbi ſe accidentaliter univerit ſpecialiore modo, quam cæteris juſtis, inhabitando hominem illum tanquam proprium ſui templum, eodem utendo tanquam inſtrumento operum mirabilium, eique impertiendo ſui nominis ſuæque dignitatis honores & prærogativas; adeò ut propterea B. Virgo Chriſtipara, non Deipara deberet appellari, & Chriſtus ipſe Deifer eſſet, non Deus, & ex duabus perſonis humana divináque accidentaliter & ſecundum affectum conjunctis conſtaret. Hic error appropriatur Neſtorio, eò quod fuerit inſignis ejus promulgator & propagator; cæterum habuit Auctores multo antiquiores, tribui quippe poteſt illis omnibus, qui abſolutè dixerunt Chriſtum eſſe purum hominem eximiè ſanctum, quod tradiderunt non pauci ipſomet Apoſtolorum tempore: Habuit inſuper idem error alios plures Sectatores Neſtorio tum coætaneos, tum poſteriores, ut accuratè & eruditè referunt inter Scholaſticos Vaſquez *diſp.* 15. Valentia *diſp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 2. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 2. aliique nonnulli.

3. Error Eutycheris de unica natura in Chriſto.

Præmitto ſecundò Eutychetem ex Monacho Conſtantinopolitano Archimandritam, ſeu Abbatem, dum circà annum Domini 448. acrius ageret contrà Neſtorium, in aliud extremum infæliciter abiiſſe, & duas in Chriſto perſonas impugnando duas in eodem naturas negaſſe, docendo Chriſtum ex duabus, non in duabus naturis eſſe, & habuiſſe quidem duas naturas antè unionem, at per unionem ſeu poſt unionem ambas in unam tranſiiſſe: Quia verò multipliciter duo poſſunt in unum tranſire ſeu unum fieri, nimirum vel per compoſitionem, quo modo fit unum ex materia & forma remanentibus in ſuo eſſe ſubſtantiali; vel per mixtionem ſeu confuſionem, in qua miſcibilia aliquando retinent ſuum eſſe ſubſtantiale, ut evenit in liquoribus, aliquando retinent ſolum proprias virtutes & qualitates ut cum ex elementis fit mixtum, vel per converſionem utriuſque in tertium, ut formæ ſubſtantiales elementorum tranſeunt in formam mixti; vel per converſionem unius in aliud, ut ex ligno fit ignis: Quia, inquam, variis his modis duo poſſunt unum fieri, & ex alia parte mos hæreticorum eſt ſubdolè, lubricè, & inconſtanter loqui, non ſatis conſtat cui dicendi modo Eutyches adhæſerit, & nec Eutychetis Sectatores unum omnes modum amplexi ſunt, nec Scholaſtici eundem erroris modum Eutycheti tribuerunt; veriſimile eſt ipſum pro diverſitate occaſionum, & temporum, aliquando unum, aliquando alium modum docuiſſe, & aliquandò Apollinariſtarum aliorumque antiquiorum errorem excitaſſe, aliquando novum induxiſſe; hinc eſt quòd Eutyches ab aliquibus hæreſis Auctor, ab aliquibus dumtaxat inſtaurator reputatur; ut videre eſt apud Scholaſticos, de quibus ſuprà, & ex Controverſiſtis apud Bellarminum *to.* 1. *lib.* 3. *de Chriſto*, ex Hiſtoricis apud Baronium ad annum 448.

4. Vterque error oritur fortè ex eodem principio.

Præmitto tertiò duos prææallatos errores, quamvis inter ſe oppoſitos originem fortè duxiſſe ex eodem principio, nimirùm ex eo, quòd talium errorum Auctores non diſtinxerint inter Perſonam & naturam, illamque exiſtimaverint eſſe præciſè naturam individuam ſeu ſingularem; adeò ut hinc Neſtorius duas in Chriſto Perſonas aſſeruerit, ut duas naturas ſuſtineret; Eutyches aſſeruerit unam naturam, ut ſuſtineret unam Perſonam: Pro deſtruendo igitur utriuſque erroris principio ſupponenda eſt in creatis realis diſtinctio ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitatis à naturâ ſingulari, hinc enim illicò fit naturam creatam eſſe poſſe ſine propria perſonalitate, nec inferri quod ſint duæ perſonalitates ex eo quod ſint duæ naturæ, ſivè iſtæ ſint ambæ creatæ, ſivè altera creata, altera increata ſit.

5. Præmitto quartò, & repeto *ex tract. de Deo Trino lib.* 1. *c.* 1. *§.* 8. *&* 9. dari quidem in divinis ſubſtantiam abſolutam & eſſentialem, at dari inſuper ſubſiſtentias relativas & perſonales, quæ ſint tres poſitivæ rationes ſubſiſtendi, nõ præciſè tres incommunicabilitates, aut modificationes illius ſubſiſtentiæ abſolutæ. Porrò ſubſiſtentia relativa, quamvis non diſtinguatur à natura divina realiter, ut diſtinguitur ſubſiſtentia à natura in creatis, diſtinctio tamen, quam habet, quæ per Scotiſtas eſt ex natura rei, per nos virtualis, per aliquos alios ſolius rationis; diſtinctio, inquam, quam habet, ſicuti ſufficit ut poſſit ipſa produci non producta natura, & in noſtris principiis etiam videri non viſa natura; ita ſufficiet ut poſſit ipſa alteri immediatè uniri, non unita immediatè naturâ. His præmiſſis ſit.

§. I.

Vtrùm Incarnatio ex parte Verbi facta ſit in natura ſeu eſſentia; aut in ſubſiſtentia eſſentiali?

6. Incarnatio non eſt facta immediatè in natura divina.

ASSERT. 1. Incarnatio ex parte Verbi non eſt facta immediatè in naturâ, ſeu eſſentiâ. Eſt veritas fidei contrà Eutychetem & fautores Eutychiani erroris relati *præced. n.* 3.

Probatur

Probatur primò ex Conciliis Chalcedonenſi, Hiſpalenſi II. Lateranenſi, Synodo generali Conſtantinopolitana V. & VI. Jtem ex Patribus Dionyſio, Jrenæo, Cyrillo, Athanaſio, Baſilio, quorum & aliorum ſive Conciliorum ſive Patrum verba videre eſt apud Valentiam *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. Nec ſibi ipſis contrarij ſunt Sancti Patres, dum tùm aliqui ex mox relatis, tum D. Thomas *quæſt.* 3. *art.* 2. *in cap* D. Damaſcenus *lib.* 3. *fidei cap.* 6. aliique nonnulli dicunt Naturam Dei fuiſſe incarnatam: Senſus enim eſt fuiſſe incatnatam perſonaliter & mediatè in Verbo, non eſſentialiter & immediatè in ſe ipſa; ex quo conſequenter infertur ejuſdem naturæ cum carne ſeu humanitate unio, non eſſentialis, ſed perſonalis, non immediata ſed mediata, quæ à nobis non negatur.

In quo ſenſu iſta ab aliquibus S.S.P.P. dicatur incarnata.

7. Probatur ſecundò: Si Incarnatio ex parte Verbi eſſet facta immediatè in natura, adeò ut ex natura divina, & humana, in Chriſto unum immediatè conſurgeret, vel id eſſet factum per compoſitionem ex utraque, vel per converſionem unius in alteram, aut utriuſque in tertiam: Non per compoſitionem ex utráque quia utraque eſſet in ratione naturæ componens completum, & ſic fieret compoſitio accidentális & unum per accidens: Non per converſionem unius in alteram, aut utriuſque in tertiam, quia natura divina, utpotè quæ nec poteſt de novo produci nec deſtrui, non poteſt eſſe terminus aut ad quem aut à quo converſionis, adeóque nec poteſt eſſe id in quod convertatur humanitas, nec poteſt ipſa converti in humanitatem, aut ſimul cum humanitate in tertiam naturam, & quando iſtæ converſiones aliundè non repugnarent, adhuc nulla poſſet admitti in præſenti, ubi Chriſtus debet ſuſtineri verus Deus conſubſtantialis Patti, & verus homo conſubſtantialis Matri; non eſſet autem verus Deus, ſi facta fuiſſet converſio naturæ divinæ in humanam; non eſſet verus homo ſi facta fuiſſet converſio naturæ humanæ in divinam; nec eſſet verus Deus nec verus homo ſi facta fuiſſet conver-
8. ſio utriuſque naturæ in tertiam. Supereſſet hic impugnanda utriuſque naturæ unio per confuſionem, attemperationem, mixtionem unius cum alia; at omnes hujuſmodi termini in ſubjecta materia ſunt apud Catholicos ſuſpecti, & parum conſentanei ſimplicitati ac dignitati naturæ divinæ. Deinde quocunque terminorum involucro res obtegatur, vel poſt confuſionem, attemperationem, &c. utraque natura remanet in ſuo eſſe ſubſtantiali, & ſic non poſſunt immediatè uniri, niſi per accidens; cum natura divina ex conceptu ſuo, imò & humana in eſſe naturæ, ſit ſubſtantialiter completa; vel alterutra ſaltem deficit à ſuo eſſe ſubſtantiali, & ſic Chriſtus aut non erit formaliter Deus, aut non erit formaliter homo, prout ſupponetur, aut divina, aut humana natura à ſuo eſſe ſubſtantiali deficere.

Dices: Quidquid ſit de modo, quo divinitas & humanitas in unam naturam coaleſcant, ſuſtinendum omninò eſt fieri in Chriſto ex utraque unam naturam cum hæc unitas, tum ratione, tum auctoritate ſuadeatur: Suadetur ratione, quia natura nihil eſt aliud, quàm principium primarium operandi, divinitas autem & humanitas in Chriſto ſunt unum principium operandi; operationes enim ſupernaturales infiniti valoris non ſunt à ſola humanitate, ſunt igitur ab humanitate & divinitate ſimul tanquam ab uno principio, unde & theandricæ id eſt Deiviriles nuncupantur. Suadetur auctoritate, nam Divus Damaſcenus *in ſua dialectica capit.* 65. ait *Illud ſcire attinet hypoſtaticam unionem unam rerum conjunctarum compoſitam naturam efficere.* D. Cyrillus Alexandrinus *libr.* 1. *de fide ad Reginas* ait *non eſſe in Chriſto duas naturas, unam quæ adoratur, & alteram quæ non adoratur, ſed unam naturam Dei Verbo incarnatam, & adorabilem cum carne ſua, una adoratione.* Jdem Cyrillus *epiſtol.* 2. *ad Succeſſum* refert ex Divo Athanaſio hæc verba *Confitemur Chriſtum eſſe Filium Dei & Deum ſecundum ſpiritum, & filium hominis ſecundum carnem, non duas naturas, unum filium*: Jpſe Athanaſius in ſuo ſymbolo ait *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*, anima autem rationalis & caro
in homine ſunt una natura. Sed contrà: Ad 9.
primam inſtantiæ partem nego humanitatem, & divinitatem, in Chriſto eſſe unum principium operandi, quomodò autem operationes humanitatis poſſint eſſe infiniti valoris abſque eo quod ſimul habeant pro principio divinam naturam tradetur infra *libro tertio, capite primo, Paragrapho primo.* Ad ſecundam inſtantiæ partem ab auctoritatibus petitam occurro ſingulis. D. Damaſcenus (ut monet Vaſquez *diſputatio decima quarta, numero quinquageſimo octavo,*) pro ly *naturam* habet in Græco *hypoſtaſim*, quod vocabulum licèt apud Græcos indifferens ad ſignificandam, aut naturam, aut ſubſiſtentiam, ex contextu tamen verborum Damaſceni non ſtat ibi pro natura, ut malè aliqui vertunt, ſed pro ſubſiſtentia ſeu Perſona; veriſſimum autem eſt dari in Chriſto compoſitam perſonam. D. Cyrillus affirmat in Chriſto unam naturam incarnatam, & negat duas, quarum una adoratione latriæ, altera adoratione duliæ, non ambæ eadem latriæ adoratione adorandæ ſint; verba, quæ ex Athanaſio refert, intelligit de duabus naturis incarnatis, aut non adorandis eadem adoratione, Cyrillus igitur rectè loquitur, rectè Athanaſium intelligit, & ut obſervat Vaſquez *præcit. diſp.* 14. *n.* 47. ſubdolè hæretici referunt, quod affirmaverit in Chriſto unam naturam, negaverit duas, cum neutrum ſine addito Cyrillus protulerit, & tamen hæretici additum reticeant, ut faciant Cyrillum pro ſe loquentem. D. Athanaſius in ſymbolo per ly *ſicut* denotat ſimilitudinem quoad aliqua, non quoad omnia, quoad ſubſtantialitatem unionis, non quoad unitatem naturæ.

Divinitas & humanitas, in Chriſto non ſunt unũ principium operandi.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Aſſert. 2. Incarnatio ſeu humanitatis & ver- 10.
bi non eſt facta immediatè, & primario, in ſubſiſtentia eſſentiali, neque ſumptâ præcisè, neque ut appropriatâ verbo & modificata proprietate perſonali ipſius. Ita in primis quicumque negaot divinæ eſſentiæ ſubſiſtentiam abſolutam

abſolutam ut Henricus, Richardus, Valentia, Vaſquez, &c. ex admittentibus verò talem ſubſiſtentiam D. Thomas *hic quæſt. 3. art. 1. & 2. & in 3. diſt. 5 quæſt. 2. art. 1. & 2.* Joannes à S. Thoma *diſp. 6. art. 2.* Gonetus *diſp. 8. art. 1.* Suarez *diſput. 12. ſec. 2.* cæteríque Theologi communiter contrà Durandum *in 3. diſt. 1. quæſt. 2.* aſtruentem unionem immediatam & primariam in ſubſiſtentia eſſentiali præcisè ſumptâ, aliam deinde mediatam & ſecundariam in perſonali verbi proprietate, quem dicendi modum ut nullo pacto probabilem notat Suarez, ut ad minus improbabilem Joannes à S. Thoma, ut propemodum erroneum Valentia *diſp. 1. quæſt 3. punc. 1.* Item contrà Capreolum *in 3. diſt. 1. quæſt. un. art 1.* Sorum, Victoriam, alioſque nonnullos ponentes unionem immediatam in ſubſiſtentia eſſentiali ut appropriata verbo, abſque alia diſtincta unione in perſonali verbi proprietate, ex quo capite hi Auctores valde diſtant à Durando, & ab ejus cenſurâ.

Cenſura Durandi.

11. Probatur prima pars, quæ procedit de ſubſiſtentiâ eſſentiali ſumpta præcisè juxtà ſenſum Durandi. Ex Concilio Toletano VI. & XI. in confeſſione fidei. *Solus filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ, in eo quod proprium eſt filij, non quod commune eſt Trinitati* ex VI Synodo generali act 8. *Pater & Spiritus nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem*; atqui, ſi unio humanitatis facta fuiſſet immediatè & primariò in ſubſiſtentiâ eſſentiali præcisè ſumpta, filius ſuſcepiſſet humanitatem in eo, quod commune eſt Trinitati, ut verè communis eſt ſubſiſtentia eſſentialis: Pater item & Spiritus præter benigniſſimam voluntatem haberent in Incarnatione commune aliquid aliud, ipſam ſcilicet eſſentialem ſubſiſtentiam; ergo unio humanitatis non eſt facta immediatè & primariò, &c.

Terminus immediatus, & primarius, Incarnationis ſeu unionis, non eſt ſubſiſtentia eſſentialis præcisè ſumpta.

Reſpondebis ex doctrina Durandi allatas, aliaſque ſimiles auctoritates, utpotè quæ potiſſimum intendunt ſtatuere, quod ſola Perſona Verbi ſit incarnata, procedere de unione perſonali, & ſecundum hanc filius verè ſuſcepit humanitatem in eo quod eſt ſibi proprium, nec in ea Pater & Spiritus ſanctus quidquam habent commune præter benigniſſimam voluntatem qua ad eandem efficiendam concurrunt: At ad unionem perſonalem humanæ naturæ cum Perſona Verbi præexigitur unio ejuſdem naturæ, cum ſubſiſtentia eſſentiali, quia præexigitur unio ejuſdem naturæ cum eo, quod in ipſa natura ſuppleat ſubſiſtentiam propriam creatam, eamque hypoſtaticè terminet & ſubſiſtentem reddat; quod non poteſt eſſe aliud, quam ſubſiſtentia eſſentialis, per quam ſolam ſubſiſtit ipſa Perſona Verbi; neceſſe eſt igitur admittere unionem immediatè, & primariò, in ſubſiſtentia eſſentiali factam. Sed impugnatur reſponſio primò, quia falſo nititur ſuppoſito; Secundò, quia perperam diſtinguit unionem eſſentialem & perſonalem; Tertiò, quia non ſalvat illud, quod maximè ſalvare intendit, ſolam ſcilicet Perſonam Verbi eſſe incarnatam.

12. Ratio primi eſt, quia malè ſupponitur non dari in divinis aliam ſubſiſtentiam præter eſſentialem, & hac ſola Perſonas ſubſiſtere, cum ex dictis in proprio tractatu dentur inſuper tres ſubſiſtentiæ relativæ, & per ſubſiſtentiam eſſentialem conſtituatur hic Deus, per ſingulas ſubſiſtentias relativas ſingulæ Perſonæ. Neque dicas ſubſiſtentias relativas divinas non continere eminenter ſubſiſtentiam creatam, adeóque non poſſe hanc in humanitate ſupplere; non continent autem ſubſiſtentiam creatam, quia hæc eſt perfectio abſoluta & nec poteſt abſolutum contineri in relativo, nec perfectio in eo, quod nullam dicit perfectionem ut nullam dicunt perfectionem relationes, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ in divinis. Contrà enim; per nos ſubſiſtentiæ relativæ in divinis dicunt perfectionem extenſivam, extendunt ſcilicet perfectionem eſſentiæ & ſubſiſtentiæ eſſentialis, & ratione hujus extenſionis eminenter continent, & ſupplere poſſunt, perfectionem abſolutam cujuſlibet ſubſiſtentiæ creatæ.

Subſiſtentiæ relativæ divinæ quomodo contineant ſubſiſtentiâ creatam, quæ eſt perfectio abſoluta?

13. Ratio ſecundi eſt, quia unio perſonalis ab eſſentiali diſtincta non explicatur à Durando, qualis ſit, nec explicari poteſt; nã nec dici poteſt accidentalis, & conſtituens unum per accidens, nec ſubſtantialis, & conſtituens unũ per ſe: Non primum, quia unione illa juxtà Durandum redditur verbum incarnatum, verbum autem incarnatum non eſt unum per accidens: Non ſecundum, quia proprietas perſonalis invenit naturam jam ſubſtantialiter completam & terminatam unione ſubſiſtentiæ eſſentialis, nequit igitur illam ampliùs ſubſtantialiter perficere, ac per conſequens nec ei ſubſtantialiter & per ſe uniri; præter quod proprietas perſonalis juxtà Durandum nullam habet rationem ſubſiſtentiæ, non poteſt igitur conſtituere cum humanitate unum per ſe ſubſiſtens; nec apparet, in quo alio genere unionis per ſe poſſit humanitati conjungi.

14. Ratio tertij eſt, quia per unionem ſubſiſtentiæ eſſentialis cum natura humana omnes tres divinæ perſonæ, non ſolum verbum, ſunt ſubſtantialiter unitæ carni; hoc autem eſt eſſe omnes incarnatas: Nec ſufficienter occurrit Durandus dicendo eſſe ſubſtantialiter unitas eſſentialiter, non perſonaliter; nam præter quod impugnata mox fuit duplex hæc unio eſſentialis & perſonalis ſequetur ſaltem tres divinas Perſonas eſſe incarnatas eſſentialiter, & ut ſunt hic Deus; quod tamen temerè dici monet Gonetus *præcit. diſp. 8. num. 12.* Adde quod cætera omnia, quæ conveniunt eſſentiæ ſecundum ſe, & ratione ſui, dicuntur ſimpliciter de omnibus Perſonis abſque ullo ſpecialiore vinculo perſonali, ut patet in omnibus prædicatis attributalibus & operationibus ad extrà; ſi igitur terminare humanitatem, & incarnari, divinæ eſſentiæ convenit ſecundum ſe, & ratione ſui, cur abſque alia ſpecialiore unione perſonali non dicetur ſimpliciter de omnibus Perſonis, quod humanitatem terminent, & incarnatæ ſint?

Pater, & Spiritus Sanctus neque eſſentialiter & ut ſunt hic Deus, dici poſſunt incarnati.

Dices; ex eo quod divina eſſentia ſit de facto unita humanitati mediatè, & mediatè incarnata, non ſequitur, quod de facto dicendi ſint mediatè incarnati Pater & Spiritus; ergo

neque

neque ex eo, quod eadem eſſentia eſſet unita humanitati ioimediatè ſequeretur quod Pater & Spiritus ſanctus dicendi eſſent immediatè incarnati, hocque defectu unionis perſonalis, ſine quâ eſſe poſſe unionem cum eſſentiâ, ſeu unionem eſſentialem etiam immediatam, probatur ex eo, quod identitas eſt quid majus & intimius unione immediatâ; atqui abſque identitate perſonali poteſt eſſe identitas eſſentialis, & filiatio v.g. eſt identificata eſſentialiter cum divinâ naturâ, non perſonaliter cum Patre & Spiritu ſancto; ergo ſimiliter abſqoe unione perſonali poteſt dari immediata unio eſſentialis, & humanitas poteſt eſſe eſſeotialiter immediatè uoita divinæ naturæ, abſque eo, quod ſit unita perſonaliter Patri & Spiritui ſancto. Sed contrà: Quod

15\. *Non poſſunt item de facto dici incarnati mediatè.* divina eſſentia ſit de facto mediatè unita humanitati, & mediatè incarnata, convenit ei non ſecundùm ſe, & ratione ſui, ſed ratione perſonalitatis Verbi, non dicuntur autem de omnibus Perſonis ea, quæ conveniunt eſſeotiæ ratione alicujus perſonalitatis; & ad hoc ut Pater & Spiritos ſanctus dicereotur de facto mediatè incarnati, deberent & ipſi identificari cum perſonalitate Verbi, cum qoâ identificatur eſſentia: At ſi eadem eſſentia uoiretur humanitati immediatè, hoc ei conveniret ſecundùm ſe & ratiooe ſui, ideò deberet de omnibus Perſonis dici abſque aliâ unione perſonali; ſine quâ eſſe quidem poteſt unio & identitas eſſeotialis cum relativè oppoſitis, ut ſunt filiatio & paternitas; at non cum aliquo abſoluto, ut eſt humanitas; & in divinis ſicuti relativè oppoſita poſſunt eſſe identificata cum eſſentiâ, non inter ſe; ità pariter relativè oppoſita, non abſoluta, poſſent eſſe cum eſſeotia, non inter ſe unita.

16\. Probatur ſecuoda pars, & ſimol confirmatur à fortiori prima: Subſiſtentia eſſentialis, ut appropriata Verbo & modificata proprietate perſonali ipſius, adhuc non poteſt dici quid proprium Verbi, oeque enim appropria-

Terminus immediatus & primarius Incarnationis non eſt ſubſiſtentia eſſentialis, quamvis ſúpta ut appropriata Verbo. tum & proprium poſſunt eſſe idem, atqui ex relatis verbis Concilij Toletani VI. & XI. incarnatio facta eſt io eo, quod eſt filij ſeu Verbi proprium; ergo non eſt facta in ſubſiſtentiâ eſſentiali ut appropriatâ, &c. & cum per nos Verbum habeat ſuam ſubſiſtentiam relativam in toto rigore propriam, vi cujus poſſit ipſum ſolom abſque vllâ tergiverſatione dici incarnatum, & Concilij auctoritas intelligi ut verba ſonant; nulla eſt neceſſitas, nullaque ratio recurrendi ad ſubſiſtentiam appropriatam, ad quam Adverſarij pro re præſenti ducuntur ex eo, quod nullam aliam ſubſiſtentiam io divinis agooſcant, & divinas perſonalitates arbitrentur eſſe puras rationes incommunicabilitatis advenientes ſubſiſtentiæ communi, ipſamque modificantes, non veras in ſe ipſis ſubſiſtentias.

§. II.

An & Quomodo Incarnatio ex parte Verbi facta ſit in Perſonâ?

Assert. 1. Incarnatio ex parte Verbi facta eſt in Perſooâ, adeò ut natura humana fuerit immediatè & primario unita ſoli Perſonæ Verbi. Eſt veritas fidei, & quoad ly *natura humana* eſt contrà Neſtorium, qui voloit hominis Perſonam non ſolam naturam fuiſſe Perſonæ Verbi uoitam; ut retulimus *præced. num. 2.* Eſt item contrà alios quoſdam incerti nominis hæreticos ponentes in Chriſto unicam Perſonam, eo quod hæc nomen ſit dignitatis; at duo ſuppoſita, vel onam Perſooam, & unam hypoſtaſim; illam ex parte divinæ, iſtam ex parte humanæ oaturæ, ac per conſequens aſſerentes fuiſſe unitam Perſonæ Verbi naturam humanam cum ſuo ſuppoſito, ſeu cum ſua hypoſtaſi. Quoad ly *immediatè & primario* eſt contrà Durandum relatum jam & impugnatum §. *præced.* eſt item aliqualiter cootrà Ochamum *in 3. quæſt. 1. art. 2.* Gabrielem, Gregorium, & quoſdam alios nullatenus diſtinguentes in divinis perſooalitatem ab eſſentia, & idcircò aſtruentes unionem factam in eſſentia æquè immediatè, & æquè primario, ac in perſoualitate. Quoad ly *ſoli Perſonæ Verbi* eſt cootrà Cataphrygas, qui negarunt Patrem in divinis eſſe Perſonam diſtinctam à filio, ſeu à Verbo; item contrà Sabellianos & Patripaſſianos, qui tres divinas Perſooas nomine duntaxat, noo re diſtinxerunt, ut retulimus *in tract. de Deo Trino lib. 1. cap. 1. §. 1.* Eſt inſuper contrà quemdam Clericum Gallum damnatum in Concilio Remenſi, eo quod docuiſſet totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, ut refert D. Anſelmus *lib. de Incarnat. Verbi cap. 1.* 17.

18\. Probatur. Uoio, de qua in præſenti, neque eſt facta cum alia Perſona à Verbo; neque eſt facta immediatè & primario cum aliquo Verbi prædicato diverſo à perſonalitate; neqoe eſt facta inter Perſonalitatem Verbi & Perſonam, ſuppoſitum ſeu hypoſtaſim, hominis; ergo Iocarnatio ex parte Verbi facta eſt in Perſooa, adeò ut natura humana fuerit immediatè, &c. conſequentia patet ex ſufficienti partium enumeratione in antecedente facta; probatur antecedens quoad primam partem ex eo, quod de facto nulla alia Perſona à Verbo eſt iocarnata, ut habetur ex ſymbolis, & ex pluribus Conciliis, apud quemlibet ferè Theologũ obviis: probatur idem antecedens quoad ſecundam parteio ex eo, qood tale prædicatum Verbi diverſum à perſonalitate, vel eſſet cæteris Perſonis commune, vel ipſius Verbi proprium; ſi commune aut eſſet oatura, aut ſubſiſtentia naturæ, & hoc foret relabi aon in hæreſim Eutychetis, aut in improbabiliſſimam opinioοem Durandi, de qua ſuprà; ſivè deiodè ſit oatura, ſive ſubſiſtentia naturæ, ſivè quidquam aliud, eo ipſo quod eſt aliquid commune, recurrunt ſemel & iterum relata verba Concilij Toletani, & ea

 omnia,

omnia, quæ probant non eſſe iocarnatam totam Trinitatem: Si eſſet proprium, & non eſſet perſonalitas, non poſſet uniri humanitati ad faciendum uoum per ſe; & deberet ſupponere humanitatem aliundè ſubſiſtentem, aut ſubſiſtentia eſſentiali diviuâ, aut ſubſiſtentiâ propriâ creatâ quod utrumque falſum eſt.

19. In Chriſto datur unica Perſona ſecundùm quã verificatur quod Deus ſit homo.

Probatur jam antecedens quoad tertiam partem, quæ ad hunc locum maximè pertinet: Chriſtus habet uoicam perſonalitatem, & ſecundùm eamdémque Perſonam eſt Deus & homo; atqui eſſent duæ perſonalitates, & perſona hominis non eſſet perſona divina, ſi in Chriſto unio eſſet facta inter perſoualitatem Verbi, & perſonam, ſuppoſitum ſeu hypoſtaſim hominis; ergo unio non eſt facta inter perſonalitatem Verbi &c. Minor patet expendenti terminos, & ſolum moneo inani effugio uſurpari, tamquàm diverſa, nomina Perſonæ, Suppoſiti, Hypoſtaſis cum tamen reſpectu naturæ intellectualis & humanæ ſint verè ſynonyma, præter quod rationes à Chriſto excludentes Perſonam & Perſonam, excludunt pariter perſonam & ſuppoſitom, perſonam & hypoſtaſim: Probatur major in Chriſto homo eſt Deus, ſeu ille homo qui eſt Chriſtus eſt Deus, ut habetur ex Matth. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*, ecce Chriſtum hominem *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, ecce eumdem Chriſtum Deum; & ex alijs pluribus Scripturæ locis, quæ videre eſt apud Valeotiam *hic diſp. 1. queſt. 2. punc. 2.* & Bellarmioum *lib. 3. de Chriſto cap. 6.* atqui ut verificetur in Chriſto homo eſt Deus, neceſſaria eſt aliqua ſubſtantialis identitas inter hominem & Deum; hæc identitas non eſt ſecundum naturam, ut jam ſtabilivimus; ergo eſt ſecundùm perſonam, ac per conſequens Chriſtus habet unicam perſonalitatem, & ſecundùm unam eamdémque perſonam &c.

Dices ad ſalvandas has auctoritates ſufficere, quod in Chriſto Deus & homo ſint unum unitate inhabitationis, operationis, & participationis, ut attigimus *præc. n. 2.* referẽdo mentẽ Neſtorij. Sed contra: in primis aliud eſt eſſe 20.
unum, aut unitum, aliud eſſe idem; cum igitur in Chriſto Deus & homo ſiot idem & mutuo affirmativè enuncieotur, fruſtra recurritur ad eſſe unum unitate iobabitationis, certè anima & corpus in homines ſunt unum unitate majore, quàm inhabitationis, operationis &c. & tamen dici nequit anima eſt corpus. Deindè unitas inhabitationis, operationis, participationis non eſt propria Verbi reſpectu Chriſti, ſed communis toti Trioitati reſpectu cujuſlibet juſti, ut expendit Bellarminus *præc. c. 6.* Tandem talis unitas eſt accidentalis, & inter extrema ſecundùm omnem ſubſtantialem rationem completa; unio autem perſonæ Verbi cum humaoitate eſt ſubſtantialis & Chriſtus eſt perſona ſubſtantialiter compoſita, ut ex profeſſo tradetur infrà *l. 2. c. 1. §. 1.*

Dices inſuper occurrere aliquas auctoritates Sanctorum Patrum contrarias ſenſui à nobis intento in auctoritatibus præmemoratis, nam D. Baſilius *in Pſal. 59* appellat Chriſtum *hominem Deiferum*, qui modus loquendi denotat homioem & Deum in Chriſto eſſe diſtincta ſuppoſita, & ſolùm accidentaliter unita: D. Ambroſius & D. Auguſtinus in hymno, quem alternatim cecinerunt, habent *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*, Deique filium aſſumpſiſſe hominem repetit Auguſtinus *in Ench. c. 36. in lib. de Prædeſt. Sanct. c. 15.* & alibi non rarò; homo autem importat ſuppoſitum, non præciſè naturam. Sed contrà: iſti, & ſi 21.
qui alij Sancti Patres ioveniuotur ita locuti, ſunt benignè piéque interpretandi, dicendo ipſos uſurpaſſe concretum pro abſtracto, hominem pro humaoitate; & ratio benignæ interpretatioois habetur ex alijs eorundem Sanctorum Patrum ſententijs, quibus disertè tradiderunt non eſſe in Chriſto duas perſooas, ut videre eſt apud Valentiam & Bellarminum *locis præc.* Accedit quod verba Baſilij fuerunt male ex græco tranſlata, & græca ipſius verba carnem Dei geſtatricem; ſeu Deiferam, non hominem Deiferum ſignificant, ut monet ibid. Bellarminus *c. 7. ad 8.*

Occurritur Adverſariorum auctoritatibus.

Ex dictis habetur unioném in Chriſto factã neque eſſe inter naturã, & naturã, neque inter 22.
perſonam, & perſonam; ſed inter naturam & perſonam naturam quidem humanam & perſonam divinam; fas quippè non eſt talem uoiooem excogitare inter naturam divinam & perſonam humanam, qoomodo homo non Deus eſſet aſſumens, & divinitas ſubſiſteret perſonalitate creatâ, qood eſt contra omnem modum loquendi Conciliorum & Patrum; item contra omnem rationem; ſimpliciter enim id repugnat ex eo, quod natora divina ſepararetur à proprio ſuppoſito, perficeretur ſubſtaotialiter intrinſecè ab aliquo creato, & humana ſubſiſtentia divinæ æquivaleret, divioámque ſuppleret.

Repugnat unio divinitatis cum perſonalitate creatâ.

§. III.

An aliæ divinæ Perſonæ, aut ſeorſim à Verbo, aut ſimul cum Verbo potuiſſent naturam humanam aſſumere.

ASSERT. 1. Aliæ divinæ Perſonæ potuiſſent ſingulæ ſeorſim à Verbo naturam humanam aſſumere. Ita D. Thomas *hic queſt. 3. art. 5.* nullo Theologico, nulloque Catholico contradicente: Eſt enim veritas conſequens ad fidem Incarnationis, nec alios habet Adverſarios, quàm damnatos Auctores relatos *præc. n. 17.* pro errore ponente fuiſſe incarnatam de facto totam Trinitatem, nec potuiſſe incarnari Verbum ſolum ſine alijs Perſonis.

Probatur: Verbum de facto naturam humanam aſſumpſit ſeorſim ab alijs divinis Perſonis; ergo aliæ divinæ Perſooæ potuiſſent ſingulæ ſeorſim à Verbo &c. antecedens eſt de 23.
fide, conſequentia facilè deducitur ex eo, quia id ratione cujus Verbum naturam humanam aſſumpſit, nimirùm virtus eſſentialis infinita ad efficiendam, & infinita perfectio perſonalis ad terminandam aſſumptionem, & in alijs ſingulis divinis Perſonis æquè ac in Verbo, licèt divinæ perſonalitates ſiot diverſæ, ut ſuot proprietates perſonales, non ſic ut ſuot rationes terminandi

Singulæ Perſonæ divinæ potuerunt aſſumere humanitatẽ ſeorſim à Verbo.

terminandi; ergo poſſe eſſumere naturam humanam convenit ſingulis alijs divinis Perſonis æquè, ac verbo, & ex eo, quod Verbum ſeorſim ab elijs aſſumpſerit, rectè infertur potuiſſe alias ſeorſim à Verbo aſſumere.

Dices: Verbum aſſumendo humanam naturam temporaliter mittitur, ex Virgine naſcitur, & nobis tribuit filiationem adoptivam, tanquam participationem ſuæ filiationis naturalis; Pater autem non poteſt temporaliter mitti, quia miſſio temporalis ſupponit æternam proceſſionem ab alio, non poteſt ex Virgine naſci, cum habeat pro ſuâ ſpeciali notione innaſcibilitatem; non poteſt nobis tribuere filiationem adoptivam, cum in ſe careat filiatione naturali, cujus debet eſſe participatio filiatio adoptiva: & hæ duæ poſteriores rationes militant etiam pro Spiritu ſancto; ergo Pater & Spiritus ſanctus nequeunt aſſumere naturam humanam, ſicut aſſumpſit Verbum;
24. nec valet in hoc à Perſonâ Verbi ad alias divinas Perſonas arguere. Sed contrà: hæc improbant poſſibilem aſſumptionem in Patre & Spiritu ſancto, non tam ſeorſim à Verbo, quam ſimul cum Verbo; in re tamen neutrum concludunt; undè ad primam inſtantiæ partem dico temporalem miſſionem non eſſe neceſſariam ad aſſumptionem naturæ creatæ: & Perſona Patris ſi incarnaretur, temporaliter veniret à ſe, non ab alia Perſona mitteretur; quamvis Perſona verbi; cui aliundè convenit mitti, dum incarnetur, temporaliter mittatur. Ad ſecundam partem dico ratione innaſcibilitatis repugnare Patri filiationem, ſeu naſcentiam æternam & ad intrà, non temporalem & ad extrà; nec filiatio temporalis in Patre perſonas confunderet, enim verò Perſona filij conſtituitur filiatione æterna, non filiatione temporali; poſſet igitur æternus Pater temporaliter naſci, quamvis aliundè neque hoc ſit neceſſarium ad naturæ creatæ aſſumptionem, fieret enim aſſumptio ſine omni naſcentiâ, quoties aſſumeretur aut natura angelica, aut natura humana immediatè à Deo producta. Ad tertiam partem dico ex D. Thoma *præcit. art. 5. ad* 2. quod ſicut filio incarnato adoptivam filiationem accepimus ad ſimilitudinem filiationis naturalis ejus, ità Patre incarnato adoptivam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu ſancto, tanquam à nexu communi Patris & filij.

Ex his habetur ſingulas divinas Perſonas poſſe quidem ſeorſim naturam creatam aſſumere, at cum aliqua diverſitate accidentali; undè ratione accidentalium circumſtantiarum Incarnationem de facto comitantium diximus ſuperius fuiſſe convenientius, quam quod Pater, aut Spiritus ſanctus, incarnaretur.

25. Perſonæ divinæ potuerunt omnes per proprias ſubſiſtentias relativas humanitatem aſſumere ſimul cum Verbo.

Aſſert. 2. Aliæ divinæ Perſonæ potuiſſent ſimul cum Verbo naturam humanam aſſumere, eam terminando ſimul per duas, aut tres, ſubſiſtentias relativas. Ita D. Thomas *hic quæſt. 3. art. 6. & in 3. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 4.* Cajetanus Medina Sylvius *eod. artic. 6.* Joannes à S. Thomâ *diſputat. 6. artic. 3.* Gonetus *diſputat. 8. artic. 4.* Henricus *quodlib. 6. quæſt. 7.* Durandus *in 3. diſt. 1. quæſt. 3.* Marſilius *quæſt. 2. art. 3.* Suarez *diſp. 12. ſec. 2.* Vaſquez *diſp. 29. cap. 2.* Valentia *diſput. 1. quæſt. 1. punc. 3.* Madernus *quæſt. 4. art. 12.* cæterique Theologi, Thomiſtæ præſertim & Recentiores magis communiter contrà Scotum *in 3. diſt. 1. quæſt. 2.* Richardum *art. 1 quæſt. 3.* Paludanum *quæſt. 3. artic. 2.* Lugum *diſput. 12. num.* 80. Amicum *diſputation. 14. ſec. 6.* alioſque nonnullos.

Dixi *eam terminando ſimul per duas, aut tres, ſubſiſtentias relativas*, nam quod tres divinæ Perſonæ poſſint ſimul eandem naturam aſſumere terminatione factâ per ſubſiſtentiam eſſentialem abſolutam inſinuatum eſt *præceden.* §. 1. & magis tradetur *ſeq.* §. 6. ſicuti quod poſſint, imò debeant ſimul eſſumere aſſumptionem efficiendo, patebit cum de Incarnationis causâ efficiente.

Probatur: Aliæ divinæ Perſonæ de facto ſimul cum verbo terminant per ſuas ſubſiſtentias relativas naturam divinam; ergo poſſunt ſimul cum Verbo per eaſdem ſubſiſtentias naturam humanam terminare, ſeu aſſumere eam terminando, &c. antecedens non poteſt poni in controverſiâ ſuppoſito, quod divinæ, Perſonæ habeant ſuas ſubſiſtentias relativas; conſequentia probatur, quia ex unâ parte, ut evincit antecedens mox præmiſſum, ſubſiſtentiæ divinæ non ſe excludunt à conſortio terminandi eandem naturam; ex alia parte eædem ſubſiſtentiæ, ut ſtatuit primum aſſertum, poſſunt ſingulæ naturam creatam terminare; ergo poſſunt etiam ſingulæ naturam creatam terminare cum conſortio inter ſe, vel ſaltem nulla eſt ex parte ipſarum ſubſiſtentiarum ratio repugnantiæ in oppoſitum: At neque ulla 26.
eſt ratio repugnantiæ ex parte naturæ creatæ primò, quia hæc eſt participatio naturæ divinæ & in divinâ continetur, debet igitur divinam imitari in eo, quod poſſit pluribus ſubſiſtentiis terminari obedientialiter, ſicut poteſt divina naturaliter: Secundò quia naturæ, creatæ neque repugnant plures ſubſiſtentiæ divinæ ex eo quod ſint divinæ & alienæ, quia ex hoc capite eidem naturæ æquè repugnaret quælibet ſubſiſtentia divina ſeorſim; quod eſt ex dictis manifeſtè falſum; Neque ex eo, quod ſint plures, quia iſta pluralitas eſt ſub eadem ratione, & reddit terminationem ſolum magis extenſam ſeu extenſivè majorem, non repugnat autem naturæ creatæ terminatio extenſivè major propria terminatione naturali, cum de facto humanitas terminetur in Verbo ſubſiſtentiâ infinitâ, adeóque terminatione intenſivè majore, quam ſit propria terminatio naturalis; cur igitur non poterit quoque terminari terminatione majore extenſivè? ergo à primo ad ultimum tum ex parte ſubſiſtentiarum divinarum, tum ex parte naturæ creatæ conſtat poſſe naturam creatam pluribus ſubſiſtentiis divinis ſimul terminari, quod eſt alias divinas Perſonas poſſe ſimul cum Verbo naturam humanam aſſumere eam terminando, &c. & conſtabit etiam id magis occurrendo præcipuis rationibus, quas Adverſarij pro ſuadendâ repugnantiâ excogitarunt, ideò

Dices primò: Repugnat naturam totaliter unâ ſubſiſtentiâ terminatam aliâ ſubſiſtentiâ terminari; ſed natura humana totaliter de facto terminatur ſubſiſtentiâ Verbi, & in univerſum quælibet natura creata totaliter terminaretur qualibet ſubſiſtentia divina; ergo repugnat tum ab alijs divinis Perſonis ſimul cum Verbo aſſumi naturam humanam, tum quamlibet naturam creatam pluribus ſubſiſtentijs divinis terminari; minor patet, quia quælibet natura creata totaliter terminatur ſubſiſtentia propria, certum eſt autem ſubſiſtentiam quamlibet divinam abundè præſtare in natura creata quidquid præſtare in iſta poteſt ſubſiſtentiâ propriâ: Major probatur primò, quia natura per unam ſubſiſtentiam totaliter terminata nihil ampliùs habet terminabile, alioqui eſſet & non eſſet totaliter terminata; repugnat autem novâ ſubſiſtentia terminari quod nihil amplius habet terminabile; ſecundò, quia talis natura habet ſuum terminum totalem ultimum, non poteſt autem advenire terminus ulterior ultimo; tertiò, quia talis natura habet totalem dependentiam ab unâ ſubſiſtentia, non poteſt autem unum & idem habere dependentiam totalem à pluribus, alioqui poſſent plures cauſæ totales in eundem effectum ſimul influere; plures formæ totales eamdem materiam ſimul informare. Sed contrà:

27. Reſponderi communiter ſolet naturam terminatam totaliter, tum intenſivè, tum extenſivè, non poſſe ampliùs terminari; ſecus ſi ſit terminata totaliter intenſivè, at non extenſivè, quâ ſolum ratione totaliter terminatur natura quælibet ab una ſubſiſtentia ſive divina ſive creata; quatenus naturæ unâ ſubſiſtentiâ terminatæ non poteſt quidem alia ſubſiſtentia advenire, quæ faciat unum cum ſubſiſtentia priore, hancque quodammodò intendat, benè tamen quæ ad priorem ſubſiſtentiam extrinſecè ſe habens, & extra eam quodammodò manens, naturam intrinſecè terminet: Verùm quia in hoc contineri videtur aliqua petitio principij, nam in ſenſu mox explicato dicere, quod natura per unam ſubſiſtentiam terminetur totaliter extenſivè eſt dicere quod non ita totaliter terminetur, quin relinquatur locus alteri ſubſiſtentiæ,

Naturam creatam unâ ſubſiſtentiâ terminari totaliter intenſivè, non extenſivè, explicatur duobus modis.

28. quod certè eſt ipſiſſima quæſtio; ideò ad vitandam ſuſpicionem petitionis principij & reſponſionem inſtaurandam adverto in natura creata conſiderari poſſe potentiam naturalem & potentiam obedientialem, ſeu exigentiam & obedientiam, & in quolibet quidem potentia obedientialis ſeu obedientia major eſt & magis extenditur, quàm potentia naturalis ſeu exigentia; ut facilè conſtare poteſt inducenti; poteſt autem totalitas reſpondens potentiæ naturali dici intenſiva, quia hæc potentia eſt maximè intrinſeca; totalitas reſpondens potentiæ obedientiali dici poteſt extenſiva, quia talis potentia eſt magis extenſa, & reſpicit principium extrinſecum; quo in ſenſu adhibendo terminos illos *intenſivè* & *extenſivè*, remotior eſt ſuſpicio petitionis principij, vel etiam terminis illis omiſſis, clariùs & expeditius.

Ad inſtantiam nego majorem; ad probationem diſtinguo, nihil amplius habet terminabile quoad exigentiam, concedo; quoad obedientiam ſeu potentiam obedientialem, nego, nec ulla eſt contradictio in eo, quod eadem natura ſit & non ſit totaliter terminata relatè ad diverſa; ſit relatè ad exigentiam, non ſit relatè ad obedientiam. Ad ſecundam probationem dico talem naturam habere terminum totalem ultimum exigentiæ, non obedientiæ; & licet neque obedientialiter termino ultimo advenire poſſit terminus ulterior, qui exerceat ſuam terminationem in ipſum terminum ultimum, benè tamen, qui exerceat ſuam terminationem in naturam termino ultimo ſubſtantem. Ad tertiam probationem dico talem naturam habere dependentiam totalem correſpondentem exigentiæ, non correſpondentem obedientiæ; & benè poſſe unum & idem habere dependentiam totalem à pluribus, quando dependentia à ſingulis eſt totalis ſolùm relatè ad exigentiam; ex quo capite per nos non repugnat, aut unam materiam informari à pluribus totalibus formis, aut unum effectum produci à pluribus totalibus cauſis, undè non eſt, cur quæramus in præſenti diſparitatem, ut quoad formas præſtat Vaſquez *præcit. diſp.* 19. *cap.* 4. impugnatus ab Arriaga *diſp.* 27. *n.* 28. quoad efficientia verò tum *ibid.* Vaſquez tum alij multi; & certè facilior eſt, quamvis in noſtris principijs non neceſſaria pro cauſis efficientibus diſparitas ſita præſertim in eo, quod effectus plurium efficientium totalium eſſet omninò unus & idem, nimirum eadem prorſus exiſtentia; effectus autem plurium totalium ſubſiſtentiarum eſſet partialiter multiplex & diverſus, multiplicatis enim & diverſificatis totalibus ſubſiſtentijs, multiplicantur & diverſificantur partialiter ſuppoſita, quamvis natura ſit eadem. 29.

Addo pro majore inſtantiæ ſolutione retorqueri ipſam poſſe in natura divina, quæ totaliter terminatur una ſubſiſtentia relativa, nec propterea ei repugnat alijs duabus terminari: Quod ſi dicas id naturæ divinæ competere ratione infinitatis, dicam ego dari ſuo modo infinitatem etiam in natura creata conſiderata ſecundùm potentiam obedientialem, ſecundùm quam ſubeſt infinito agenti; ſicut igitur natura divina ratione infinitatis connaturalis connaturaliter & ex propria exigentia terminatur pluribus totalibus ſubſiſtentijs; ita natura creata ratione infinitatis obedientialis ijſdem terminabitur obedientialiter. Si verò cum Amico *præcit ſec.* 6. *n.* 76. neges naturam divinam terminari totaliter unâ ſubſiſtentiâ relativâ: Impugnaberis ex eo, quia quælibet ſubſiſtentia relativa in divinis conſtituit totaliter, & adæquatè Perſonam, alioqui Pater æternus v. g. non eſſet perſona totalis & completa. Si ex eodem Amico addas ſubſiſtentias relativas reſpectu naturæ divinæ ſe habere, non ſolùm ut perſonalitates & terminos exiſtentiæ, ſed etiam ut principia fœcunditatis, & ex hoc capite unam relativam ſubſiſtentiam non eſſe naturæ divinæ adæquatam, ſicuti tamen eſt adæquata naturæ crea 30.

Inſtauratur paritas inter naturam divinam & creatam, quoad plures ſubſiſtentias.

tæ creatæ, reſpectu cujus ſe habet ſolum ut
31. perſonalitas & terminus exiſtentiæ. Impu-
gnaberis adhuc, quia ut ſuppono *ex tractat.
de Deo Trino libr.* 1. *capit.* 3. §. 6. falſum eſt
ſubſiſtentias relativas in divinis eſſe principia
fœcunditatis, & quando hoc detur, nobis in
præſenti non officit, & eo ipſo, quòd conce-
ditur tres ſubſiſtentias relativas in divina eſ-
ſe adæquatas & totales in ratione perſonali-
tatis & termini, habemus id totum, quod fa-
cit ad rem pro præſenti intento. Non eſſe
deinde tales ſubſiſtentias neceſſarias, naturæ
creatæ ad ipſam fœcundandam, eſſe verò ne-
ceſſarias naturæ divinæ, ſuadet dumtaxat
pluralitatem ſubſiſtentiarum totalium eſſe di-
vinæ, non creatæ naturæ, connaturalem & de-
bitam, quod ultrò concedimus.

Dices ſecundò: Natura creata terminata
per ſubſiſtentiam Verbi non poteſt conſti-
tuere unum per ſe cum alia divina Perſona; er-
go eadem natura creata non poteſt ſimul cum
verbo aſſumi ab alia divina Perſona, & plu-
ribus divinis ſubſiſtentiis relativis terminari;
conſequentia patet, quia ſermo eſt in præſen-
ti de aſſumptione, & terminatione ejuſdem
rationis cum ea, quam exercet verbum, quæ
certe eſt ſubſtantialis & per ſe; Antecedens
probatur, non poteſt conſtitui unum ſubſtan-
tiale & per ſe, niſi unum ſaltem extremorum
conſtituentium ſit incompletum & ſubſtan-
tialiter perfectibile; atqui Perſona divina ne-
quit eſſe quid incompletum & ſubſtantialiter
perfectibile, neque item incompleta eſt & ſub-
ſtantialiter perfectibilis natura creata, ſi ſup-
ponitur terminata per ſubſiſtentiam verbi, per
quam ultimo completur, & recipit omnem
ſubſtantialem perfectionem, ergo natura crea-

32. Quomodo natura per unam ſubſiſtentiam ſubſtantialiter cōpleta poſſit cum alia conſtituere unum per ſe.

ta terminata, &c. Sed contrà: retorqueo in
primis inſtantiam in natura divina, quæ ter-
minata per ſubſiſtentiam verbi conſtituit eo-
dem modo, quo cum verbo, unum per ſe cum
alijs divinis Perſonis: Deinde repetendo
quidquid reſponſum eſt ad inſtantiam præce-
dentem dico naturam, quæ ſit ſubſtantialiter
completa tum intenſivè tum extenſive, vel tum
quoad exigentiam tum quoad obedientiam
non poſſe conſtituere unum per ſe cum alia
divina Perſona; ſecùs ſi natura ſit completa
ſolum intenſivè, & quoad intenſivam ut ita di-
cam exigentiam, quâ ſolum ratione eſt ſub-
ſtantialiter completa per ſubſiſtentiam verbi
33. natura creata. Tandem ſolutione hujus in-
ſtantiæ magis propriâ nego antecedens, & di-
co naturam creatam terminatam ſubſiſtentia
verbi non eſſe quidem perfectibilem redu-
plicativè, & ab aliquo perficiente ſubſtan-
tialiter ſimul cum naturâ ipſam ſubſiſten-
tiam Verbi; bene tamen ſpecificativè, & ab
aliquo perficiente ſubſtantialiter naturam ſe-
cundùm ſe; nec ſubſiſtentia Patris verbi gratia,
adveniens naturæ ſic terminatæ advenit en-
ti completo, quia non advenit toti conſtato
ex natura & ſubſiſtentia verbi; ſed naturæ
præcisè & ſecundum ſe.

Dices tertiò: Si natura creata poſſet ter-
minari tribus ſubſiſtentijs divinis poſſet ter-
minari non tot, quin pluribus; imò infinitis
ſimul ſubſiſtentijs creatis, quod non videtur
admittendum. Rursùs poſſet terminari ſimul
pluribus ſubſiſtentijs etiam proprijs, aut unâ
propriâ, aliâ alienâ; primum autem eſt falſum,
quia reſpectu cujuſlibet naturæ creatæ unica
ſubſiſtentia propria eſt poſſibilis ex Vaſquio
diſp. 33. *num.* 7. falſum item eſt ſecundum, quia
ſecùs humanitas aſſumpta à verbo debuiſſet
propriam ſubſiſtentiam retinere, nec Sancti
Patres ex eo, quod ſubſiſtat alienâ ſubſiſten-
tia verbi, bene inferrent eam carere ſubſiſten-
tiâ propria. Tandem ſi tres divinæ Perſonæ
potuiſſent ſimul humanitatem aſſumere eam
per proprias ſubſiſtentias terminando, non
fuiſſet neceſſarium Incarnationem fieri in uni-
ca Perſona, & tamen D. Anſelmus *lib.* 2. *Cur
Deus homo cap.* 9. ait *Plures Perſonæ nequeunt
unum eundemque hominem aſſumere in unitate
perſonæ, quare in una tantum perſona hoc fieri
neceſſe eſt.* Sed contrà: Qui admiſſo poſſibili
in natura creata conſortio plurium ſubſiſten- 34. Natura creata poteſt obedientialiter terminari, tū ſubſiſtentiis infinitis, tum pluribus propriis.
tiarum divinarum, vellet talis conſortij poſſi-
bilitatem negare pluribus ſubſiſtentijs creatis,
poſſet pro diſparitate confugere ad infinita-
tem, aut etherogeneitatem & diverſitatem,
quaſi ſpecificam, propriam ſubſiſtentiarum
divinarum; meliùs tamen conceditur poſſe na-
turam creatam obedientialiter terminari non
tot, quin pluribus ſubſiſtentijs creatis, etiam
infinitis, quoties iſtæ aliunde non repugnent.
Ad illud quod additur, quoad ſubſiſtentias
unam propriam, aliam alienam, ſatisfiet *c. ſe-
quent.* §. 2. Quoad plures ſubſiſtentias pro-
prias; ſicut plures ſubſiſtentiæ, quibus divi-
na natura ſubſiſtit, ſunt ipſius propriæ, ità
non eſt, cur ſubſiſtentijs pluribus etiam pro-
prijs nequeat natura creata ſubſiſtere? & Vaſ-
quez ad aſtruendam eſſe dabilem unicam
ſubſiſtentiam propriam ducitur inſufficienti
argumento, quo probaretur reſpectu nullius
eſſentiæ eſſe dabiles paſſiones ſolo numero di-
verſas, ut Vaſquio objicit Arriaga *præcitat.
diſp.* 27. *num.* 18. Ad poſtremum dico Anſel-
mum in omnibus verbis relatis loqui de aſ-
ſumptione, ut nunc facta eſt in unitate per-
ſonæ, & Incarnationem fieri in una tantum
perſona non fuit quidem neceſſe ſimpliciter,
fuit tamen neceſſe ex ſuppoſitione, quod eſſet
facienda in Perſonæ unitate.

---

§. IV.

*An poſſit eadem divina Perſona dupli-
cem, aut una Perſona unam, alia
aliam naturam creatam ſimul aſſu-
mere?*

ASSERT. 1. Poteſt una, eademque, Perſo- 35. Eadem Perſona divina poteſt ſimul aſſumere plures naturas creatas.
na divina ſimul aſſumere duplicem na-
turam creatam, puta duas, vel etiam plures hu-
manitates, numero diverſas. Ita Theologi
communiſſimè cum D. Thoma *hic q.* 3. *art.* 7. &
in 3. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 5.

Probatur. Non eſt contrà rationem divinæ
Perſonæ ſimul ſubſiſtere in pluribus naturis
creatis, nec quâ pluribus, nec quâ creatis;
non qua pluribus, quia de facto Perſona ver-

bi in pluribus, nimirum in divina & humana naturis ſubſiſtit; non quâ creatis, quia una natura creata non exhaurit totam vim terminativam ſeu aſſumptivam perſonæ divinæ, neque enim infinitum finito exhauritur; ergo poteſt una eademque Perſona divina ſimul aſſumere, &c. Confirmatur: una, eademque Perſona divina ſimul de facto terminat plures naturas creatas eminenter, ergo poteſt plures naturas creatas ſimul terminare formaliter; antecedens patet, quia in natura divina continentur eminenter plures imò omnes naturæ creatæ, adeóque quælibet divina Perſona terminando naturam divinam terminat eminenter plures naturas creatas; conſequentia probatur, quia ſi terminatio eminens non poſſet tranſire in formalem, id maximè eſſet propter ipſas naturas creatas, quibus repugnaret ſecundum proprium eſſe formale ſimul eſſe in eadem perſona, atqui hoc non repugnat, nam quælibet natura creata magis diſtat à natura divina, quàm ab alijs naturis creatis, & tamen poteſt natura creata ſecundum propriũ eſſe formale ſimul eſſe in eadem perſona cum natura divina, ergo à fortiori poteſt ſimul eſſe cum alijs naturis creatis; nec refert, quod iſtæ naturæ ſuppoſiti poſſint habere formas contrarias; non refert, inquam, quia tales formæ adhuc retinerent ſuas diſtinctas materias, nec eſſent in eodem ſubjecto ex eo, quod eſſent in eadem perſona; præterquod non repugnat divinitus contrarias formas in eodem ſubjectu collocari.

36\. Hinc habetur unam, eandemque, divinam Perſonam poſſe ſimul aſſumere non ſolùm duas, ſed plures quoque & plures in infinitum, imò infinitas, naturas creatas; haſque ſive ab invicem diſtinctas ſolo numero, ſive etiam diverſas ſpecie, loquendo ſemper de naturis, quibus aliunde non repugnet divinæ Perſonæ uniri. Habetur inſuper quamlibet divinam Perſonam in terminatione propriæ naturæ habere actum ſuæ virtuti terminativæ adæquatum ad intrà, & in lineâ terminationis per identitatem, eademque ratione (ut ita dicam) exhauriri; ſecùs ad extrà, & in lineâ terminationis per aſſumptionem, ideò non poſſe quidem ulteriùs exercere ſuam virtutem terminativam circà alias naturas per identitatem ad intrà, benè verò per aſſumptionem ad extrà: eo ferè modo, quo ipſa natura divina veluti exhauritur quoad fœcunditatem ad intrà per productionem Filij, & Spiritus Sancti, manet verò ſemper fœcunditatis inexhauſtæ ad extra in ordine ad productionem creaturarum.

Etiam infinitas, etiã ſpecie diverſas.

37\. Aſſert. 1. Poſſunt ſingulæ perſonæ divinæ ſingulas naturas creatas eodem tempore terminare, & una Perſona unam, alia aliam naturam creatam ſimul aſſumere. Hujus aſſerti materiem vix apud Auctores invenio in proprijs terminis traditam, & quamvis fortè eam ſupponere videantur quicunque tradunt aſſertum præcedens; habemus tamen in aſſerto præſenti ſpecialiter Adverſarios tum eos hæreticos in primis, qui *ex præced. num.* 17. univerſaliter putant nullam naturam creatam poſſe aſſumi ab unâ ſolâ Perſonâ divina, tum inſuper Sfortiam Pallavicinum *hic lib. 5. c. 6. n. 107.* alioſque nonnullos Recentiores, arbitratos eſſe contrà perfectionem unius Chriſti admittere alterius Chriſti conſortium, quam cogitationem valdè probabilem cenſet Eſparza *lib. 9. q. 11. art. 3. ad 9.*

Tres Perſonæ divinæ poſſunt ſimul aſſumere tres naturas creatas, ſingulæ ſingulas.

Probatur: Poſſunt ſingulæ Perſonæ divinæ terminare ſeu aſſumere ſingulas, eaſque diſtinctas naturas creatas, ſucceſſivè & diverſo tempore; ergo id quoque poſſunt ſimul, & eodem tempore; neque enim ex eo quod una Perſona aſſumat unam naturam minuitur pro tempore talis aſſumptionis, aut in totâ Trinitate virtus effectiva, aut in alijs duabus Perſonis virtus terminativa unionis cum aliâ naturâ, & cum aliunde tres naturæ creatæ ſint ſimul aſſumptibiles ab unâ divinâ Perſonâ, non eſt cur non ſint ſimul aſſumptibiles à tribus Perſonis, ſingulæ à ſingulis? imò hoc ſecundum videtur facilius, & aliquo modo connaturalius.

Dices repugnare, quod ſimul, eodemque tempore, exiſtant duo vel tres Chriſti, ut exiſterent quoties duæ vel tres divinæ Perſonæ duas vel tres diſtinctas naturas, ſingulæ ſingulas, ſimul aſſumerent; quod non evenit in aſſumptione duarum aut trium naturarum ab unâ perſona, aut unius naturæ à tribus perſonis; in neutro quippè caſu eſſent ſimpliciter tres Chriſti, quia ut multiplicetur ſimpliciter Chriſtus debet multiplicari, tùm naturâ, tùm perſona; quod in neutro caſu fieret. Porrò repugnare, quòd ſimul eodemque tempore exiſtant duo vel tres Chriſti, probatur primò ex eo, quod neuter Chriſtus eſſet perfectus, neuter quippe eſſet Caput unicum & Monarcha univerſi, hocque in datâ hypotheſi ſe haberet, tanquam Reſpublica ſub triumviratu (ut ita dicam) Chriſtorum, non tanquam Regnum ſub uno Monarcha, & uno Chriſto: Secundò neuter Chriſtus eſſet ſummè deſiderabilis & æſtimabilis; ſumma quippè deſiderabilitas, & æſtimabilitas oritur ex neceſſitate magis, quam ex bonitate; in neutro autem Chriſto eſſet ſumma neceſſitas, & facile quis poſſet cum cujuſlibet Chriſti contemptu dicere, non curo hunc Chriſtum, alius Chriſtus mihi ſufficit: Tertiò nullius Chriſti opera haberent vim meritoriam infinitam, haberent quippè talem vim impedibilem ab alio Chriſto, qui poſſet proprijs operibus eventum oppoſitum poſtulare. Sed contrà: licet hæc & 38.
ſimilia præſeferant ſpeciem aliquam probabilitatis, ſuadent tamen dumtaxat majorem convenientiam unius Chriſti, at non repugnantiam plurium; Chriſto enim non repugnat carentia alicujus perfectionis ipſi poſſibilis, aut convenientis, cum ratione naturæ creatæ ſit capax habendi aliquem defectum, ne dum carendi aliquâ perfectione, & nec Chriſtus de facto exiſtens habet omnem perfectionem cuilibet Chriſto poſſibilem, eſt quippè quoad gratiam eſſentialem Caput hominum dumtaxat, non Angelorum, & tamen eſt dabilis Chriſtus, qui ſit Caput utrorumque. Do igitur tres divinas Perſonas, quæ ſingulæ aſſumerent diſtinctas humanitates verbi gratia, fore tres Chriſtos; quod propter unitatem di-

vinæ

Et tunc permitti poſſet, quod eſſent tres Christi, neque in hoc eſt alla repugnantia.

vinæ naturæ negari poſſet dicendo Chriſtum, qui eſt Deus homo, & in hypotheſi eſſet unus Deus tres homines, debere ſimpliciter denominari à potiori unum, non tres; do tamen fore tres, &

39. Ad primam rationem repugnantiæ fateor regimen unius eſſe perfectius, at non propterea regimen plurium eſt adeò imperfectum, ut Chriſto repugnet non eſſe Caput univerſale & unicum; cum præſertim ſi imperiu quodammodò divideret cum alio Chriſto, abeſſet inter ipſos omne periculum diſſidij, & diſcordiæ, quia plures Chriſti, ſi darentur, eſſent ratione unius divinæ naturæ, tum in deliberando, tum in operando, quoad omnia unanimes, & conformes.

Ad ſecundam dico, quod datis pluribus Chriſtis unus non eſſet deſiderabilior altero, & ſummè deſiderabilis comparativè, quilibet tamen eſſet ſummè deſiderabilis abſolutè, quia haberet opera ſummæ honeſtatis in ſe, & ſummæ utilitatis reſpectu aliorum; unde non niſi irrationabiliter poſſet quis dicere, non curo hunc Chriſtum; præter quod dicendo ſic, contemneret implicitè naturam divinam, quæ foret eadem & eodem modo in quolibet Chriſto.

Ad tertiam dico, quod ſicuti non eſt contrà rationem infinitatis unum infinitum ab alio adæquari, ità contrà eandem non eſt unam virtutem infinitam ab alia virtute infinitâ impediri: Verum nec eſſet timendum tale impedimentum in noſtra hypotheſi, quia ut jam monui plures Chriſti eſſent omnino unanimes, nec poſſet unus unum eventum, alius eventum oppoſitum pro eodem tempore poſtulare, & ex ſola noſtræ mentis imbecillitate provenit excogitare naturas deificatas rixari quodammodo, & contendere inter ſe.

---

§. V.

Utrùm in aſſumptione unius humanitatis à pluribus divinis Perſonis, aut plurium humanitatum ab unâ divinâ Perſonâ, eſſent plures homines, an unus?

40. Aſſero. In utraque præfixi tituli hypotheſi meliùs dicitur eſſe unus homo, quàm tres homines. Ita D. Thomas *hic qu* 3. *art.6.ad* 1.& *art.7.ad* 2.necnon *in* 3.*diſt.*1.*q.*2. *art.*4.*ad* 6. Joannes à S.Thoma *hic diſp.6.art.*3. Gonetus *diſp.*8.*art.*5.§.1. Gabriel à S.Vincent. *diſp.*3.*dub.*5.§.1.& 2. Valentia *diſp.* 1. *quæſt* 3. *punc.*3.& 4.Suar.*diſp.*13.*ſect.*2 & 3.Lugus *diſput.*13.*ſect.*3.& alij Theologi præſertim Thomiſtæ & Recentiores magis communiter cōtrà Richardum *in* 3.*diſt* 1.*art.*1. *q.*4.*ad* 1.Durand *q.*3.*ad* 3.& Madernum *q.*4. *art.*52. *n* 12. docentes in datis caſibus, nec dici debere ſimpliciter unum hominem, nec ſimpliciter tres, ſed ſecundùm quid unum, ſecundum quid tres: At hoc eſt declinare, non explicare difficultatem. Eſt inſuper aſſertum quoad primam hypotheſim contrà Marſilium *in* 3.*quæſt.*2.*art.*3. *dub.*2.Gabriel.*diſt.* 2.*q.*1.*art.*3.*dub.*3. Arriagam. *diſp.*17.*ſect.*3.*n.*12.&c. Quoad ſecundam verò contrà Scotum *in* 3.*diſt.*1. *q.*1. Capreolum *in* 3 *diſt.*4.*quæſt.*1.*art.*1.*ad* 1. Vaſquium 1 *part. diſp.*155. *cap.*4. Amicum *hic diſput.* 14. *ſect.*7. *num.*135.

41. Probatur primo in univerſum ex eo, quod utriuſque hypotheſis controverſia magis eſt de modo loquendi quàm de re, & facilè poteſt deſinere in quæſtionem de nomine; in ijs autem, quæ ſpectant ad modum loquendi, nominumque ſignificationem, plurimum jure tribuitur auctoritati, & meliùs ſentit qui cum pluribus loquitur; cum igitur modus loquendi à nobis aſſertus ſit majori auctoritate ſuffultus & à pluribus receptus, quàm modus oppoſitus, conſequens eſt, quod ſit ſimpliciter melior atque probatior. Confirmatur: Ad multiplicanda concreta ſubſtantialia ſubſtantivè accepta eſt neceſſaria at non ſufficiens multiplicatio formæ; atqui homo eſt concretum ſubſtantiale quod ſolet ſubſtantivè accipi, quodque importat humanitatem per modum formæ; ergo ut tale concretum multiplicetur & dicantur plures homines, eſt neceſſaria at non ſufficiens multiplicatio humanitatis; ergo quia talis multiplicatio eſt neceſſaria non eſſent plures homines in prima hypotheſi, in qua eſſet unica humanitas; quia eadem multiplicatio non eſt ſufficiens, non eſſent plures homines in ſecunda hypotheſi, in quà eſſent quidem plures humanitates, at non eſſent plures ſubſiſtentiæ: probatur major, in concretis ſubſtantialibus ex natura & ſuppoſito, (hæc enim ſunt concreta ſubſtantialia ſubſtantivè accepta, de quibus in præſenti) forma ſeu natura eſt præcipua & potior pars, ergo cum denominatio in toto deſumatur à potiori, aut ſaltem non poſſit eſſe potiori parti oppoſita, nequit ſubſtantiale concretum multiplicari, niſi multiplicetur forma ſeu natura, adeóque ad multiplicanda concreta ſubſtantialia eſt neceſſaria multiplicatio formæ; non eſt autem ſufficiens, quia hujuſmodi concreta non important formam ſeu naturam in recto, ſed ſuppoſitum ut ſuppono *ex tract. de Deo Trino lib.*2.*c.*1.*n.*74.& concreta non multiplicantur non multiplicato eo, quod important in recto; ergo, &c.

42. Ad multiplicanda concreta ſubſtãtialia requiritur, at non ſufficit, multiplicatio formæ ſeu naturæ.

43. Probatur ſecundò in particulari quoad primam hypotheſim, quod ſcilicet in aſſumptione unius humanitatis à pluribus, ſeu tribus divinis Perſonis dici deberet unus homo, non plures ſeu tres homines. Tres divinæ Perſonæ terminantes unam divinitatem ſunt unus, non tres Dij, ergo eædem tres Perſonæ aſſumentes unam humanitatem eſſent unus, non tres homines; ac per conſequēs in aſſumptione unius humanitatis, &c. antecedens eſt de fide & traditur expreſsè in ſymbolo Athanaſij, conſequentia procedit à pari.

Tres divinæ Perſonæ aſſumentes unam humanitatem eſſēt unus homo.

Reſpondebis diſparem eſſe rationem, tres enim Perſonæ divinæ dicuntur unus Deus, nō quia præcisè ſit una numero divinitas, ſed quia ſimul eſt una numero ſubſiſtentia abſoluta, quà hic Deus conſtituitur; at ex parte humanitatis à tribus Perſonis aſſumptæ nulla daretur ſubſiſtentia abſoluta, quà conſtitueretur hic

hic homo. Alia diſparitas deſumi poteſt ab
idemtitate, ratione cujus ſicut eadem numero
Deitas poteſt prædicari in abſtracto de tribus
Perſonis, ita nil mirum quud prædicetne pa-
citer in concreto, & tres Perſonæ dicantur
unus numero Deus; at non eſt hoc transfe-
rendum ad humanitatem, quæ à Perſonis di-
vinis realiter diſtinguitur nec poteſt de illis
44. in abſtracto prædicari. Sed impugnatur pri-
ma diſparitas, quia tres divinas perſunas eſſe
unum Deum eſt certum de fide, convenire
naturæ divinæ ſubſiſtentiam abſolutam eſt
dumtaxat probabile, illud igitur non debet
ab iſtu dependere; nec per iſtud explicari,
& meritò Divous Thomas *1.p.quæſt.39.art.3*
probans illud primum recurrit præcisè ad di-
vinæ eſſentiæ unitatem, nec meminit ſubſi-
ſtentiæ abſolutæ. Impugnatur ſecunda diſpa-
ritas, quia ut natura prædicetur de aliquo
ſumpta in concreto non eſt neceſſe, quod
poſſit de eadem prædicari ſumpta in abſtra-
cto; alioqui neque de facto rectè diceretur
Chriſtus eſt homo, quia non poteſt rectè di-
ci Chriſtus eſt humanitas; & quoad noſtram
hypotheſim diſparitas ſuaderet tres Perſonas
aſſumentes unam humanitatem neque unum
neque tres homines rectè dici; adeóque con-
tra Adverſarios militat æquè, ac contra nos.

Dices plura ſequi abſurda ex eo, quod
tres divinæ Perſonæ eamdem humanitatem
aſſumentes dicantur unus homo. Sequitur
primò non ſolùm cum tertio infinito, cujuſ-
modi eſt natura divina; verùm etiam cum ter-
tio finito, cujuſmodi eſt humanitas, poſſe
plures perſunas idemtificari abſque eo, quod
idemtificentur inter ſe adeò ut Perſona Patris
eſſet hic homo, Perſona filij eſſet hic idem
homo, & tamen Perſona Patris non eſſet
Perſona filij. Sequitur ſecundò, quod idem
homo eſſet Pater, filius, & Spiritus Sanctus;
ergo per communicationem idiomatum quæ
ſunt propria Patris filij, & Spiritus Sancti, di-
cerentur de eodem homine, ergo per eamdem
communicationem dicerentur de ipſis divinis
Perſonis ad invicem & Pater diceretur geni-
tus, filius ingenitus &c. Sequitur tertiò, quod
ille homo, qui eſt Deus eſſet idem homo qui
eſt Angelus, qui eſt Creator eſſet idem qui
eſt creatura, ſi una Perſona divina & una Per-
ſona angelica aſſumerent eamdem humanita-
45. tem. Sed contrà: Ad primum, nego ſeque-
lam, nam ex eo quod Pater ſit hic homo, &
filius ſit hic idem homo, non ſequitur quod
Pater & filius idemtificentur cum eadem hu-
manitate, ſed ſolùm quud ſint ſuppoſitum
ejuſdem humanitatis. Ad ſecundum, conce-
do antecedens cum primâ conſequentia, ne-
go ſecundam; communicatio enim idioma-
tum datur inter concreta extremorum unione
hypoſtaticâ conjunctorum, unio autem hy-
poſtatica conjungeret humanitatem & tres
divinas Perſonas; non tres divinas Perſonas
inter ſe, ideò inter iſtas nulla fieret idioma-
tum communicatio, nullaque confuſio ſeque-
retur. Ad tertium, admitto quod de eodem
homine in eo caſu dicerentur eſt Deus, eſt
Angelus; eſt Creator, eſt creatura; dicere
tamen ille homo qui eſt Deus eſt ille idem
qui eſt Angelus non caret aliquo ſcrupulo,
quia pronomina *hic*, *ille*, *qui*, referri ſolent
ad ſuppoſitum, ut obſervat Atticus *præc. ſec.
7.num.125.*

Probatur tertiò in particulari quoad ſe- 46.
cundam hypotheſim, quod ſcilicet in aſſum-
ptione plurium humanitatum ab unâ divinâ
Perſona dici pariter deberet unus homo, non
plures. Pater æternus habens plures proprie-
tates, quarum unâ producit filium, aliâ Spi-
ritum Sanctum, debet dici unum principium,
quia ſi plura principia diceretur implicaretur
pluralitas ſuppoſitorum, ut cum D. Thomâ
1.p.quæſt.36.art.4. ad 2. docuimus nos ipſi *in
tract. de Deo Trino lib.2. cap.4. num.55.* ergo
una divina Perſona aſſumens plures humani-
tates non deberet dici plures homines, ne im-
plicaretur ſuppoſitorum pluralitas, ſed
deberet dici unus homo propter unitatem ſup-
poſiti, ut tradit in terminis idem D. Tho-
mas *hic præcit. art.7.ad* 2. ubi Thomiſtæ com-
muniter notant S. Doctorem retractare oppo-
ſitum, quod docuerat *in 3. diſt. 1. quæſt.2. art.
5. ad 2. & 3.* adeóque immeritò propter hunc
locum poſteriorem ab Adverſarijs afferri pro
ipſorum ſententiâ. Confirmatur: de facto in
Chriſto ſunt duæ naturæ viventes, divina
una, humana altera; & tamen non rectè di-
citur in concreto Chriſtum eſſe duos viven-
tes, aut duo viventia, in eodem Chriſto ſunt
duæ filiationes, æterna una, temporalis al-
tera, & tamen non rectè & contra Nazian-
zenum *orat.51.* diceretur Chriſtum eſſe duos
filios; idque ratione unitatis ſuppoſiti; ergo
ubicumque reperitur unitas ſuppoſiti, non
plurificantur homines ex eo, quud plurificen-
tur humanitates, & in univerſum non plu-
rificantur concreta ex eo quod plurificentur
naturæ ſeu formæ, hocque confirmari poteſt
ex Auguſtino *7. de Civit. cap. 20.* dicente *Num-
quid ſi unus homo in diverſis rebus duas habet
poteſtates, aut duas artes, quia ſingularum di-
verſa vis eſt; ideò duo Iudices, aut duo dicun-
tur Artifices.*

Reſpondebis hæc nomina Artifex, Iudex, 47.
Dominus, & ſimilia, quamvis ſubſtantiva
adjectivè ſumi, eo quod artes, poteſtates, do-
minationes ſint formæ accidentales ſuppoſi-
tis adjacentes, humanitas autem eſt forma
per ſe ſtans, non adjacens; ideò ex eo quod
habens plures artes ſit unus Artifex, non be-
nè infertur habentem plures humanitates eſſe
unum hominem, niſi impropriè loquendo
& ſumendo humanitatem per modum formæ
adjacentis, hominem per modum adjectivi,
ut videtur ſumere D. Thomas *præcit. art.7.ad
2.* & deducitur ex eo, quod ibi S. Doctor ait
Perſonam aſſumentem duas humanitates eſſe
unum hominem, ſicut homo habens duo ve-
ſtimenta eſt unus veſtitus. Ratio fundamen-
talis à priori eſt, quia in nominibus adjecti-
vis, & concretis accidentalibus, forma ſe
accómmodat ſubjecto, cui accidit & adjacet,
ideò non ex ipsâ, ſed ex ſubjecto præcisè, at-
tenditur ſingularitas vel pluralitas; at in no-
minibus ſubſtantivis, & concretis ſubſtantia-
libus, cum forma per ſe ſtet, debet pluralitas
& ſingularitas ex formâ attendi & hæc do-
ctrina

Una divinâ Perſonâ aſſumente plu-res humanitates eſſet unus homo.

ctina eſt juxtà mentem D. Thomæ 1. *p. quæſt.* 36. *art.* 4. & *quæſt.* 39. *art.* 3. eſt item juxta noſtra principia iuſinuata *in tract. de Deo Trino lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. & 33.

48. Sed impugnatur reſponſio, quia Adverſarij gratis, & ſolum ut propriæ faveant ſeotentiæ, excogitarunt adjectivè ſumi nomina illa Artifex, Index, Dominus, nec refert quod artes, poteſtates, domioationes ſint formæ accidentales, non forma accidentalis ſubſtantlvo nomine ſignificata imitatur formam per ſe ſtantem; neo item refert quod D. Thomas utatur exemplo nominis adjectivi, nam exempla non debent eſſe in omnibus ſimilia; & ex tali exemplo non eſt ioferendum ibi adjectivè ſumi hominis nomen, ſed meorem S. Doctoris eſſe, quod ſicut in adjectivis, ita quoque in ſubſtantivis, non ſufficiat ad concreta plurificanda pluralitas formæ.

Ad multiplicanda cõcreta ſubſtãtialia multiplicatio formæ non ſufficit, ſed requiritur: ad accidentalia; nec ſufficit nec etiam requiritur.

Ad rationem fundamentalem dico diſcrimen nominum ſobſtantivorumſ & concretorum ſubſtantialium, à nomioibus adjectivis & concretis accidentalibus, non eſſe io eo, quod illa, non iſta plurificentur ad pluralitatem formarum; ſed in eo, quod illa, non iſta, ut plurificentur, pluralitatem formarum requirant; pro plurificandis igitur ſubſtaotivis, & concretis ſubſtantialibus, debet attendi ad formam, tamquàm neceſſariam, non tamquàm ſufficientem ipſorom plotalitati; cum pro plurificandis adjectivis, & concretis accidentalibus, forma plurificata non ſolùm ſit ſufficiens, ſed neque ſit neceſſaria nec quidquam ampliùs habetur ex mente D. Thomæ *præc. quæſt.* 36. & 39. aut ex noſtris priocipijs poſitis *in tr de Deo Trino.*

Dices: Ad unitatem concreti ſubſtantialis ſufficit formæ unitas, ut patet ex eo, quod aſſeroimus tria ſuppoſita terminantia unam divinitatem, unamuè humanitatem, eſſe Deum hominemvè unum; ergo ad pluralitatẽ ejuſdem concreti ſufficit formæ pluralitas, ac per conſequeos onum ſoppoſitum terminans plures humanitates eſſet plores homines.

49. Sed contrà: concedo antecedens, oego conſequentiam, diſparitas eſt, quia pluralitas ſignificat diviſionem & explicatur per negationem unionis ſeo uoitatis: Vnitas ſignificat indiviſionem & explicatur per affirmationem ſeu per aliquid poſitivum: Ea autem eſt natura negationis, ot totum neget, ea natura affirmationis, ut cootenta ſit verificari ſecundùm unam partem; ideò ut verificetur aliqua eſſe plura, debent eſſe plura in omnibus, ut verificetur aliqua eſſe unum, ſufficit eſſe unum in aliquo: Ecce igitur formæ, puta humanitatis, unitas ſofficit ut Perſonæ ſint in concreto unus homo, quia ad hoc verificandum ſufficit concretom eſſe unum in aliquo, ideſt in ipſâ humanitate: formarum verò, puta humanitatum, ploralitas non ſufficit, ut una Perſona ſit in concreto plures homines, quia ad hoc verificandum, concretum deberet eſſe in omnibus plura, non eſt aotem io omnibus plura, ſi continet unam tantum perſonam.

Vnitas aliquam pluralitatem pluralitas nullam unitatẽ admittit.

50. Ex dictis habes primò hominem, & Perſonam humanam, eſſe idem quoad rem, non quoad modum ſignificandi; ſunt idem quoad rem, quia oterque terminus ſignificat humanitatem & ſuppoſitum; non ſunt idem quoad modum ſignificandi, quia homo ſignificat humanitatem explicitè & tamqoàm præcipuam ſui partem; Perſona humana ſignificat humanitatem valdè coofuſè & implicitè, imò per ly *humana* ſignificat humanitatem adjectivè & per modom formæ adjacentis, ſuppoſitum verò per modum humanitatem ipſam habentis: & hæc diverſitas in modo ſignificandi condocit ad hoc, ut verificari poſſit plures Perſonas eſſe tom unum Deum tum unum hominem.

Homo & Perſona humana ſūt idem quoad rem, non quoad modū ſignificandi.

Habes ſecundò nonnulla corollaria conſequentia ad otramque hypotheſim hucuſque agitatam. Primum ſit, quod ſi tres Perſonæ divinæ aſſumerent tres humanitates, adeò ut omnes tres Perſonæ qoamlibet ex tribus humanitatibus terminarent, io tali caſu tres Perſooæ divinæ eſſent ſub diverſâ comparatione, tum unus homo, tum tres homines; eſſet unus homo comparando tres perſonas ad eamdem humanitatem, vel tres humanitates ad eandem perſonam; eſſent tres homines comparando tres perſonas ad tres humanitates, ſingulas ad ſingulas ſigillatim. Secundum ſit, quod ſi Verbum humanitatem dimitteret, hancque aſſumeret Pater, vel Verbum humanitate dimiſſâ aſſumeret aliã humanitatem, in urtoque caſo eſſet unus & idem homo; in primo ſcilicèt caſu eſſent ſucceſſivè idẽ homo Pater & Verbum; in ſecundo Verbum cum humanitate de novo aſſumptâ eſſet idem homo ac fuiſſet cũ humanitate antiquâ, antequàm eam dimiſiſſet. Tertium ſit, quod ſi eadem Perſona divina ſimul aſſumeret naturam hominis & naturã leonis, eſſet onũ animal; non enim eſt ulla major ratio, ob quam humanitates in eadem perſonâ ſint unus homo, quàm duæ animalitates unum animal: Neque dicas unum animal non poſſe ad duas ſpecies pertinere; verum enim id eſt de animali, cujus unitas proveniat à naturâ, quodque ſit unum ex unitate naturæ; falſum de animali, cujus unitas proveniat à ſuppoſito, quodque ſit unum ex unitate ſuppoſiti, ot in noſtro caſu.

51. Corollaria doctrinæ præcedentis.

§. VI.

An & Quomodò Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poſſit naturam creatam aſſumere?

Assert. 1. Deus abſtrahens à tribus Perſonis pòſſet naturam crearam aſſumere in hypotheſi impoſſibili, ſecundùm quam remaneret ſeu eſſet uoa Perſona abſoluta. Ità ſupponunt Theologi cõmouiter cum D. Thomâ *hic. q.* 3. *art.* 3. & *in* 3. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 3. 52.

Si Deus eſſet unica Perſona, poſſet naturam creatam hypoſtaticè aſſumere.

Probatur: ſi Deus eſſet onica Perſona, ut eũ eſſe cenſent, qoi non habẽs fidẽ Trinitatis, adhuc haberet infinitã virtutem tũ efficiendi tũ terminandi unionem hypoſtaticam cum naturâ creatâ; haberet quippè infinitam tum omnipotentiam tum perſonalitatem; ergo ſi Deus eſſet unica Perſona adhuc poſſet naturam creatam hypoſtaticè aſſumere, quod eſt idem

Google

ac dicere, Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poſſet &c. & aliud eſt, quod Deus ita abſtrahens & non in eſſentiâ tantùm ſed in perſonâ quoque unus, ſit impoſſibilis; aliud eſt, quod ſit falſa enunciatio conditionalis ex tali conditione ſeù ſuppoſitione impoſſibili procedens; antecedens patet, quia Deus ut unus eſt infinitus in omni genere, nec aut potentiam aut ſubſiſtentiam infinitam habet ex eo quod Trinus ſit, cõſequẽtia deducitur ex eo quod, ut attigimus *præc.n.23.* non aliunde de facto Perſonæ divinæ poſſunt ſingulæ naturã creatam aſſumere, quã ex eo quòd habẽt infinitã virtutem tum efficiendi tum terminandi aſſumptionem. Neque in hypotheſi unicæ Perſonæ aliquid obeſſet ratio ſubſiſtentiæ abſolutæ, quin potius videretur prodeſſe, quia ratio abſoluta explicat ex genere ſuo majorem perfectionem quàm ratio relativa; & in propoſito cum propria quælibet naturæ creatæ ſubſiſtentia abſoluta ſit; apparet ex terminis ad hanc continendam, & ſupplendam, aptior ſubſiſtentia divina abſoluta, quàm ſubſiſtentia divina relativa.

53. Præter hunc modum procedentem ex ſuppoſitione impoſſibili & ex falsâ abſtractione trium Perſonarum; alius eſt modus hujus loci magis proprius quo nulla impoſſibilitate, nullaque falſitate ſuppoſita controvertitur præfixus titulus admittendo, ut fides docet, Perſonarum Trinitatem, ſed quia in tali Perſonarum Trinitate ultra prædicata cujuſlibet Perſonæ propria datur eſſentia ſeu natura cõmunis, quæ dicitur à tribus Perſonis abſtrahere, non quia ipſis careat, ſed quia nulli ipſarum eſt determinate alligata, inquirendo Utrùm talis natura præſertim ſumpta in concreto; prout eſt hic Deus, poſſit immediatè & primariò ratione ſui præcisè aſſumere naturam creatam ſivè ly *ratione ſui præcisè* excludat omnem prorſus ſubſiſtentiam etiam abſolutam, ſivè excludat ſolas ſubſiſtentias relativas & perſonales non verò ſubſiſtentiam abſolutam, quam divinæ naturæ, ut à Perſonis abſtrahenti, competere ſuppono *ex tr. de Deo Trino l.2.c.1.§.9.*

54. Si Deus careret ſubſiſtentiâ abſolutâ, nõ poſſet, ut abſtrahens à tribus Perſonis, naturam creatã aſſumere.

Aſſert. 2. Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis non poteſt ratione ſui præcisè naturam creatam aſſumere, ſi ly *ratione ſui præcisè* excludat ſubſiſtentiam etiam abſolutam & eſſentialem. Ita in primis Auctores referendi *ſeq. n.* 58. dum ex eo, quod non agnoſcant in divinis ſubſiſtentiam abſolutam, exiſtimant repugnare ſimpliciter, quòd Deus ut à Perſonis abſtrahens naturam creatam aſſumat; ita inſuper magis in terminis Suarez *d.13. ſec.2.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.3 n.59.* Arriaga *diſp.16.n.16.* &c. contra Valentiam *diſp.1.qu.3 p.5.* Amicum *diſp 14 ſec.5.* alioſque nonnullos.

Probatur; Deus ut abſtrahens ſeu præſcindens ab omni ſubſiſtentiâ etiam abſolutâ & eſſentiali non poteſt terminare unionem ſubſtantialem cum naturâ creatâ; ergo Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis non poteſt ratione ſui præcisè &c. conſequentia patet, quia aſſumptio naturæ creatæ, de quâ in præſenti debet eſſe ſubſtantialis, ex quâ conſurgat unum per ſe; antecedens probatur, Deus ut abſtrahens ſeu præſcindens &c. non poteſt terminare unionem ſubſtantialem cum naturâ creatâ, niſi per propriam naturam præcisè ut natura eſt & tamquàm forma naturalis; atqui hoc ſimpliciter repugnat, quia nec apparet quid ſubſtantiale poſſit naturæ creatæ communicare natura divina ut natura eſt præcisè, nec natura creata poteſt à naturâ divinâ in ratione naturæ ſubſtantialiter perfici, cum illa ſupponatur eſſe in ſe natura completa in ratione naturæ, cum igitur in unione ſubſtantiali debeat unum ſaltem externum ſubſtantialiter perfici, & aliud ſubſtantialiter perfectionem communicare, conſequens eſt, quod Deus per propriam naturam præcisè, ut natura eſt; nequeat terminare ſubſtantialem unionem cum naturâ creatâ. 55.
Hinque obiter inferes Incarnationem Verbi per unionem immediatam naturæ cum naturâ ab Eutychete excogitatam non ſolùm non dari de facto, ſed nec ullâ potentiâ eſſe dabilẽ, undè aſſertum mox poſitum placere debet etiã ex eo capite quod ab errore Eutychiano maximè diſtet, neque aditum omnem intercludat.

Dices: natura divina, ut præciſa ab omni ſubſiſtentiâ etiam abſolutâ, per ſe completè exiſtit; ergo ut ſic præciſa poteſt aſſumere naturam creatam ad per ſe completè exiſtendũ, hincque ex unâ parte poteſt natura divina ſubſtãtialiter uniri naturæ creatæ cõſtituẽdo unã ſubſtantiam per ſe complete exiſtentem, non unam naturam ut volebat Eutyches; ex alia parte eadem natura divina ſupplebit à naturâ creatâ propriam ſubſiſtentiam, cujus poſitivus effectus nihil aliud eſt, quàm dare complementum & perſeitatem exiſtendi. Confirmatur: natura divina ut præcisa &c. adhuc eſt ſimpliciter infinita; ergo adhuc continet creatæ ſubſiſtentiæ perfectionem, eamque ſupplere poteſt; cum præſertim natura creata à propriâ creatâ ſubſiſtentia non pendeat intrinſecè tanquàm à forma ſeu formali conſtitutivo ſed extrinſecè tamquàm à termino, vis autem infinita poteſt eminentiâ ſuâ ſupplere omnem dependentiam extrinſecam rei creatæ.

56. Completè exiſtere & ſubſiſtere in aliquo ſenſu differunt, in aliquo non.

Sed contrà: diſtinguo antecedens, natura divina ut præciſa &c. per ſe completè exiſtit perſeitate exiſtentiæ ſtrictè dictæ, & ſumptæ pro actualitate; concedo; perſeitate exiſtentiæ, latiùs acceptæ pro complemento ultimo rei exiſtentis, nego antecedens & conſequentiam; ad exiſtendum enim exiſtentiâ ſtrictè dictâ nulla res poteſt ab alio aſſumi, quia nulla res poteſt exiſtere exiſtentiâ à ſe diſtinctâ & alienâ: Quod ſi ex Amico *præc ſec.5.n.57.* dicas non poſſe quidem eſſe alienam exiſtentiam, quæ dat exiſtere ſimpliciter, benè verò eam, quæ dat complementum & perſeitatem in exiſtendo ſupponendo exiſtere ſimpliciter, & hujus ſecundi generis eſſe exiſtentiam, qua natura divina poteſt creatam aſſumere: Si inquam, hoc dicas, & in divina natura à Perſonis præciſa admittas complementum aliquod exiſtentiæ ab ipſa exiſtentia ſuo modo diſtinctum, fateris in re ſubſiſtentiam abſolutam, quam verbis negas. Ad confirmationem dico naturam divinam, ut præciſam &c. adhuc eſſe ſimpliciter infinitam in linea naturæ, at non in omni linea & ſignanter non

in

in lineâ ſubſiſtentiæ; ideò non continere creatæ ſubſiſtentiæ perfectionem, adeò ut poſſit eã in propriâ linea ſupplere: Nec verum eſt naturam creatam à propria ſubſiſtentia pendere ſolum extrinſecè, pendet enim tanquam à termino intrinſeco, & tanquam à conſtitutivo naturæ in eſſe ſuppoſiti, aut unius per ſe ſubſiſtentis; quamvis non tanquam à formâ, & tanquam à conſtitutivo naturæ in eſſe naturæ.

Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poteſt per ſubſiſtẽtiam abſolutam aſſumere creatã naturam.

Aſſert. 3. Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poteſt ratione ſui præcisè naturam creatam immediatè & primario aſſumere, ſi ly *ratione ſui præcisè* denotet ſubſiſtentiam eſſentialem & abſolutam, quâ divina natura circumſcriptis perſonalitatibus & ſubſiſtentiis relativis ſubſiſtit. Ita Cajetanus *hic quæſt.* 3. *art.* 3. Medina, Cabrera *eod. art.* Gonetus *diſp.* 8. *art.* 3. Gabriel a S. Vincentio *diſp.* 3. *dub.* 3. Scotus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad quæſtionem.* Ocham *quæſt.* 1. *art.* 3 Durandus *quæſt.* 4 Suarez *diſp.* 13. *ſec.* 1. Madernus *quæſt.* 4 *art.* 12. & alij plurimi contrà Alenſem 3 *par. quæſt.* 7. *memb.* 1. *artic.* 2.
58. *&* 3. Vaſquium *diſp.* 27. *cap.* 2. Loream *diſp.* 24. *num.* 16. & reliquos abſolutam ſubſiſtentiam in divinis negantes, apud quos per conſequens noſtrum aſſertum eſt de ſubjecto non ſupponente & procedit ex falſo ſuppoſito: Item magis directè contrà Capreolum *in* 3. *diſt.* 1. *art.* 1. Orlandum *hic diſp.* 6. *q.* 3. aliosque nonnullos concedentes quidem divinæ naturæ ſubſiſtentiam abſolutam: at negantes ſubſiſtentiæ abſolutæ vim aſſumptivam, ſeu terminativam naturæ creatæ.

Probatur. Subſiſtentia divina eſſentialis & abſoluta poteſt immediatè, & primario; terminare naturam creatam; ergo Deus ut abſtrahens à tribus Perſonis poteſt, &c. conſequentia patet; antecedens probatur; Subſiſtentia divina eſſentialis & abſoluta de facto terminat immediatè & primario naturam divinam, & quidem ſubſtantialiter conſtituendo cum ea unum per ſe ſubſiſtens, quãvis nec ſuppoſitũ nec perſonam, ut ſuppono *ex præc.* §. 9. quem locum neceſſe prorſus eſt recolere pro majori præſentis & præcedentis aſſerti intelligentia; ergo eadem ſubſiſtentia poteſt immediatè, & primariò terminare naturam creatam, idque ſubſtantialiter, &c. primo; quia
59. terminando naturam divinam, jam terminat aliqualiter omnem naturam creatam, tanquam contentam in divina; ſecundo, quia quod cõvenit virtuti infinitæ reſpectu naturæ infinitæ, tertio, quia ſubſiſtentia divina abſoluta nec ut divina nec ut abſoluta repugnat naturæ creatæ, non ut divina, quia ex hoc capite repugnarent naturæ creatæ etiam ſubſiſtentiæ divinæ relativæ; non ut abſoluta, quia naturæ creatæ habent pro ſubſiſtentiis propriis perfectiones abſolutas; ergo.

Dices primo ſubſiſtentiam divinam abſolutam, nec ut eſt divina, nec ut eſt abſoluta, ſed ut eſt communicabilis repugnare naturæ creatæ, idque primò, quia omnis ſubſiſtentia propria naturæ creatæ eſt incommunicabilis, ſignum eſt igitur repugnare naturæ creatæ ſubſiſtentiam communicabilem, & per hanc ſuppleri in ea non poſſe ſubſiſtentiam propriam: Secundò, quia ſubſiſtentia divina communicabilis non eſt terminus, cum ſit ipſa terminabilis imo terminata per ſubſiſtentias ulteriores; ergo naturæ creatæ repugnat, nec ei poteſt ſubſtantialiter uniri; alioqui poſſet Deus venire in compoſitionem ſubſtantialem cum creaturâ aliter, quam per modum termini, & naturam creatam aliter, quam terminando aſſumere; Tertiò, quia repugnat hic homo à parte rei, qui non ſit perſona; atqui humanitas ſubſiſtens ſubſiſtentia communicabili eſſet hic homo & non eſſet perſona; ergo repugnat humanitati ſic ſubſiſtere. Sed contrà: Ad primam repugnantiæ rationem concedo antecedens, diſtinguo conſequens, ſignum eſt repugnare naturæ creatæ ſubſiſten- 60.

Quomodò ſubſiſtentia divina abſoluta ex eo, quod ſit cõmunicabilis, non repugnet naturæ creatæ?

tiam communicabilem, quæ ſit ſubſiſtentia propria concedo, quæ ſit ſubſiſtentia aliena nego; & licet ſubſiſtentia divina communicabilis nequeat ex ſe præcisè, ſupplere ſubſiſtentiam incommunicabilem quoad ipſam formalem rationem incommunicabilitatis, poteſt tamen eam ſupplere quoad rationem poſitivam complementi ſubſtantialis, quæ eſt ratio primaria ipſiuſmet ſubſiſtentiæ incommunicabilis, poteſt item formalem quoque incommunicabilitatem ſupplere concomitanter, & identicè, per perſonalitates ſibi identificatas, quamvis non ex ſe formaliter & præcisè. Ad ſecundam dico ſubſiſtentiam divinam communicabilem eſſe terminum in ſua linea, ideſt in linea entis abſoluti, cum quo ſtat eſſe ulterius terminabilem in linea entis relativi; item eſſe terminum ſecundùm illud, quod terminus dicit de poſitivo & de ſubſtantiali complemento, quamvis non ſecundum illud quod terminus dicit de negativo; ſicque Deus per ſubſiſtentiam communicabilem poteſt adhuc uniri naturæ creatæ, ut terminus, & naturam ipſam terminando. Ad tertiam dico repugnare hunc hominem à parte rei, qui 61.
non ſit perſona ſaltem realiter & concomitanter, ſecus qui non ſit perſona formaliter & præcisè ex vi illius prædicati, vi cujus eſt hic homo, humanitas autem ſubſiſtens ſubſiſtentia communicabili eſſet perſona realiter & concomitanter ex vi perſonalitatum, quas ſibi identificat ſubſiſtentia communicabilis, quamvis non formaliter & præcisè ex vi ſubſiſtentiæ communicabilis.

Dices ſecundò: quamvis fortè non poſſit ex ratione haberi ſufficiens repugnãtia aſſumptionis naturæ creatæ à ſubſiſtentia abſolutâ, ſupponenda omnino eſt talis repugnantia ſaltem ex auctoritate Conciliorum & Patrum, quibus contrà Neſtorium & Euthychetem de Incarnationis Myſterio agentibus non venit in mentem aliud genus unionis inter creaturã & Deum, quam unionis in natura, & unionis in perſonâ, iiſdemque familiare fuit inferre unionem humanitatis cum verbo factam fuiſſe in perſona ex eo, quod facta non fuerit in naturâ, imò admittere poſſibilem ſolam unionem in perſona ex eo, quod exiſtimarent impoſſibilem unionẽ in naturâ; pro quibus videatur Vaſq. *diſp.* 27. *c.* 2. & nobis interim ſufficiat referre conſequentiam D. Thomæ *hic q.* 2. *art.* 3. *in c.* ſic habentis *ſi ergo humana natura verbo Dei non unitur in perſona, nullo modo ei unitur,*

& ſic totaliter tollitur incarnationis fides: Atqui ſi natura divina poſſet creatam aſſumere per ſubſiſtentiam abſolutam eſſet dabilis humanitatis cum Deo unio, quæ nec eſſet in naturâ nec in perſonâ quæque inefficacem redderet illationem unionis factæ in perſonâ ex eo, quod non ſit facta in natura: ergo verè ex mente Conciliorum & Patrum impoſſibilis eſt, & repugnans unio naturæ creatæ cum ſubſiſtentiâ abſolutâ & communicabili divinæ naturæ: Accedit quod, ſi hæc unio eſſet poſſibilis nulla eſſet ratio eam negandi de facto, imò eſſet magna ratio ipſam aſtruendi, cum enim in divinis eſſentialia abſoluta ſint priora perſonalibus & relativis debuiſſet naturæ creatæ unio prius & immediatiùs fieri ſubſiſtentiâ eſſentiali & abſolutâ, quàm in perſonali & relativâ.

62. Occurritur Adverſariorum auctoritatibus.

Sed contrà: argumentum partim ducitur ab auctoritate negativâ quæ eſt ex genere ſuo infirma, partim malè infert cum enim Sancti Patres & Concilia meminerint unionis in naturâ, quæ impoſſibilis eſt & repugnans, malè prorſus infertur unionem in ſubſiſtentiâ abſolutâ eſſe impoſſibilem ex eo, quod ejus Sancti Patres & Concilia non meminerint, imò ſi hanc impoſſibilem reputaſſent debuiſſet ipſam & impoſſibilem excludere, ſicuti ut impoſſibilem, excluſerunt unionem in naturâ: Verùm his omiſſis.

Ad inſtantiam directè dico, licet fortè Sanctis Patribus & Concilijs in mentem venerit unio in ſubſiſtentiâ abſolutâ, non meminiſſe talis tertiæ unionis, quia Neſtoriani & Eutychiani, contrà quos diſputabant, contendebant ſolùm de unione in naturâ & de unione in perſonâ non de illâ tertiâ: licet item ab unione non factâ in naturâ ad unionem factam in perſonâ nō eſſet valida illatio ex terminis, erat tamen valida ex conceſſis, & ad hominem, contrà prædictos hæreticos admittentes dilemma unionis factæ vel in naturâ vel in perſonâ: Ad verba D. Thomæ dico ipſum loqui ſuppoſita fidei veritate, quod ſolum Verbum ſit incarnatum; vel intelligendum eſſe de unione in perſona ſaltem concomitanter & ſecundario facta, adeò ut ſenſus ſit; *Si humana natura Verbo Dei non unitur in Perſona ſaltem concomitanter & ſecundariò, nullo modo unitur*, quod veriſſimum eſt, quia unio quæ primariò & formaliter fieret in ſubſiſtentiâ abſolutâ, non poſſet non fieri ſecundariò & concomitanter in perſona Verbi, ſicut & in alijs duabus perſonis divinis Illud quod ultimo loco affertur plenam habet ſolutionem *ex præc.* §. 1. *aſſert.* 2. & ad ſummum bene procederet, quoties de facto fuiſſet incarnata tota Trinitas, at cum fides doceat eſſe incarnatum ſolum Verbum, non eſt quærenda unio facta in aliquo eſſentiali; & licet eſſentialia ſint priora perſonalibus ad intrà, neceſſe tamen non eſt eſſe priora in ſui communicatione, & unione ad extrà.

63. Toti ferè præcedenti inſtantiæ occurrit Cajetanus admittendo ſimpliciter omnem unionē ſubſtantialem naturæ creatæ cum Deo eſse vel in naturâ vel in perſonâ; diſtinguit verò perſonā in completā, & in incōpletam, unionémque quæ fieret in ſubſiſtentiâ abſolutâ vocat unionem in perſonâ incompletâ. At hæc reſponſio malè cohæret ijs, quæ dicebamus *in tract. de Deo Trino lib.* 2. *cap.* 1. §. 9. à Divinis excludentes omnem perſonam incompletam ſeu ſemi-perſonam abſolutam.

Non datur in Deo perſona incompleta, aut ſemi-perſona abſoluta.

Cætera, quæ in præſenti poſsunt ab Adverſarijs urgeri, aut probant repugnantiam ſubſiſtentiæ divinæ communicabilis magis, quàm unionis ejus cum naturâ creatâ, & horum ſolutio repetenda eſt *ex præc.* §. 9. aut levia ſunt & facilè ſolvuntur partim ex dictis, tum mox ad ſuperiores inſtantias, tum *præc.* §. 1 ubi improbata eſt de facto unio in ſubſiſtentia eſsentiali non quia repugnet ſimpliciter, ſed quia repugnat cum incarnatione ſolius Verbi, non totius Trinitatis; partim ex ſequentibus dubijs, quæ majoris doctrinæ gratia ſubjicio, & breviter expedio, ideò.

64. Per unionem humanitatis factam primariò in ſubſiſtentiâ eſsēntiali Perſonæ incarnarentur mediatè.

Dubitatur primò: Utrum per unionem humanitatis factam primariò, & formaliter, in ſubſiſtentiâ eſsentiali ſingulæ divinæ Perſonæ dicendæ eſsent incarnatæ immediatè & formaliter. Reſpondetur dicendas fore incarnatas ſolùm mediatè, & conſequenter, ſeu concomitanter; ratio eſt quia ex unâ parte propter identitatem ſubſiſtentiæ Verbi cum ſubſiſtentiâ eſſentiali, unio quæ de facto habetur primariò & formaliter in ſubſiſtentiâ Verbi, habetur ſolum mediatè & conſequenter in ſubſiſtentiâ eſsentiali; ergo pariter unio quæ haberetur primario & formaliter in ſubſiſtentia eſsentiali, non haberetur plus, quàm mediatè & conſequenter in ſubſiſtentia Verbi, aut alterius cujuſlibet divinæ Perſonæ, ex alia parte, cum ſingulæ Perſonæ, gaudeant ſubſiſtentiâ propriâ, non deeſt illis præter unionem in ſubſiſtentia eſsentiali alius unionis ſubſtantialis modus, quo aut ſeorſim aut ſimul immediatè & formaliter incarnentur; undè quod ſuprà *num.* 13. dicebamus non eſse dabilem unionem perſonalem ab eſsentiali diſtinctam non procedebat ex terminis, ſed ad hominem contrà Durandum non admittentem in divinis perſonales ſubſiſtentias diſtinctas à ſubſiſtentiâ eſsentiali.

Dubitatur ſecundò. Utrùm unio naturæ creatæ immediatè & primariò facta in ſubſiſtentiâ eſsentiali dicenda eſset unio hypoſtatica? Non eſt dubium quin dicenda eſset hypoſtatica mediatè & conſequenter, prout eſset mediatè & conſequenter facta in ſubſiſtentijs perſonalibus: ſed difficultas eſt, utrùm eſset dicenda hypoſtatica immediatè & primariò ſeu relatè ad ſubſiſtentiam eſsentialem præcisè? Reſpondetur; quod potuiſset quidem 65. dici hypoſtatica ſecundùm antiquam ſignificationem, ſecundùm quam hypoſtaſis, cum ſumeretur pro ſubſtantia, utique extendebatur ad ſignificandum ſubſiſtentiam etiam abſolutam & communicabilem; at ſecundùm ſignificationem præſentem hypoſtatica dicenda non eſt, quia hypoſtaſis nomen reſtrictum eſt ad ſignificandum perſonalitatem & ſubſiſtentiam incommunicabilem; ſicuti igitur ex dictis unio illa non eſset in perſona, ita nec eſset hypoſtatica, nec aliter eſset apppellanda, quàm unio in ſubſiſtentia eſsentiali.

Vnio naturæ creatæ cum ſubſiſtentiâ abſolutâ non eſſet immediatè & formaliter hypoſtatica.

Dubitatur

66. *Subſiſtentia abſoluta ex ſe formaliter excluderet à natura creata perſonalitatem propriam.* Dubitatur tertiò: Utrùm ſubſiſtentia eſſentialis ex ſe formaliter excluderet à naturâ ſibi unitâ perſonalitatem ipſius propriam. Reſpondetur affirmativè; ratio eſt quia illud, quod eſt potiſſimum in perſonalitate naturæ creatæ propriâ, eſt afferre complementum ſubſtantiale naturæ, ipſamque conſtituere id quod, & unum per ſe ſubſiſtens; tribuere deinde incómunicabilitatem eſt quid minus principale; cum igitur ſubſiſtentia eſſentialis illud primum ex ſe formaliter præſtet in naturea creata ſibi unita ab iſta ex ſe formaliter excludit illud, quod potiſſimum importatur à perſonalitate ipſius propria; excludit igitur talem perſonalitatem quæ certè remanere non debet, ubi non manet id, quod potiſſimum in ipſa eſt.

Dubitatur quartò: Utrum per ſubſiſtentiam eſſentialem poſſint immediatè, & primario, aſſumi plures naturæ creatæ ſimul? Reſpondetur affirmativè ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſſentialis non eſt minus infinita, quam ſubſiſtentia perſonalis, imò hæc infinita non eſt niſi extendendo infinitatem illius, ſi igitur *ex præced.* §. 4. plures naturæ creatæ poſſunt ſimul primario aſſumi per ſubſiſtentiam divinam perſonalem, cur non etiam per ſubſiſtentiam divinam eſſentialem, cui ex jam dictis aliundè non repugnat primaria, & immediata naturæ creatæ aſſumptio.

CAPUT V.

De modo Incarnationis ex parte Naturæ aſſumptæ.

1\. Cum oſtenſum Superius fuerit contrà Neſtorium eſſe unicam perſonam in Chriſto, eamque divinam, conſequens eſt deeſſe humanitati aſſumptæ perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam propriam, & hanc diſtingui à natura realiter; quia tamen hujuſmodi realis diſtinctio apud Antiquos fuit valdè controverſa, ſicut & valdè ambigua propria ſubſiſtentiæ ratio, adeò ut apud nonnullos Scholaſticos vigeant adhuc aliqua talis controverſiæ & ambiguitatis ſemina, expedit referre in primis quid olim Doctores ſenſerint, & poſtmodum ſtatuere quid nunc ſentiendum ſit tanquam magis conforme veritati & magis conducens ad explicandum Incarnationis Myſterium, cujus fides maximè nobis inſtruit ad explicationem ſubſiſtentiæ creatæ notitiam, & ad multa diſcernenda, quæ ſoli cognitioni naturali remanerent obſcura aut occulta:

2\. *Sententiæ variæ circa diſtinctionem ſubſiſtentiæ ſeu ſuppoſiti à natura in creatis.* De diſtinctione igitur ſubſiſtentiæ à natura creata ſequentes præcipuè invenio ſententias: Prima ſola ratione ratiocinante ſeu diſtinctione rationis impropriè dicta diſtinguit ſuppoſitum à natura, & vult differre ſolum quoad modum ſignificandi & concipiendi, ſicut differunt ens & entitas, adeò ut eadem prorſus realitas ſignificata, atque concepta, nomine concreto tanquàm *quod* & tanquam *habens* ſit ſuppoſitum; ſignificata, atque concepta, nomine abſtracto, tanquam *quo* ut tanquam *habitum* ſit natura. Ita Henricus *Quodlib.* 4. *quæſt.* 4. Durandus *in* 1. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *n.* 15. Richardus *in* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæ.* 1. Ocham *quodlib.* 4 *quæſt.* 11.

Secunda diſtinguit ratione ratiocinata, ſeu diſtinctione rationis propriè dictâ & vult ſuppoſitum ſuperaddere naturæ modum aliquem à natura ratione diſtinctum, quem modum Hervæus *quodlib.* 3. *quæſt.* 6. collocat in ordine & habitudine naturæ ad accidentia ſibi propria, ſeu ad ſuas characteriſticas proprietates; Capreolus *in* 3. *diſt* 5. *quæſt.* 4. in ordine ſeu habitudine ejuſdem naturæ ad propriam exiſtentiam, quam hic Auctor putat realiter à naturâ diſtingui. Aliqui alij in exiſtentia per ſe, quam ſolâ ratione à natura diſtinguunt. 3.

Tertia diſtinguit à parte rei diſtinctione reali, adeò ut ſuppoſitum realitatem ſuperaddat naturæ, ſintque ſubſiſtentia & natura duæ diſtinctæ realitates; quia verò realitas ſumi poteſt vel ſtrictè prout importat ſolam rem poſitivam, vel latè prout extendi poteſt ad negationem, complector ſub hac ſententia eos etiam, qui ſubſiſtentiam collocant in negatione, quamvis iſtos aliqui malint pertinere ad primam ſecundamve ſententiam, eo quod ſuppoſitum diſtinguere à natura non aliter, quam per negationem, ſit propriè aut nullatenus diſtinguere, aut diſtinguere ſolum per rationem, quâ aliquid de naturâ negetur: Verum quidquid de hoc ſit 4.

Subſiſtentiam creatam eſſe negationem, ſeu aliquid negativum valde probabile exiſtimat Scotus *in* 3. *diſt.* 1. §. *Non afferendo*, & *quodlib.* 19. §. *de tertio articulo*, quibus in locis Doctor ſubtilis, quia non admodum determinate loquitur, videtur reliquiſſe occaſionem rationabiliter dubitandi de ipſius mente, circà quam propterea Scotiſtæ ipſi diviſi ſunt licet major pars verè ſtatuat ſubſiſtentiam creatam in negatione, ità Baſſolis *in* 3 *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Maironis *quæſt.* 11. Herincx *diſputat.* 1. *num* 31. & inſuper Gabriel *quæſt.* 1. *art.* 1. Joannes de Neapoli *quodlib.* 9. & alij nonnulli extrà ſcholam Scoti. 5.

Subſiſtentiam eſſe aliquid poſitivum realiter à naturâ diſtinctum docent D. Thomas *hic quæſt.* 4. *art.* 2. Cajetanus & Medina *eod. artic.* Ferrarienſis 4. *contrà Gentes cap.* 43. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 2. *dub.* 3. Vaſquez *diſput.* 31. *cap.* 6. Valentia *diſputat.* 1. *quæſt.* 4. *punc.* 2. Lugus *diſputat.* 12. *ſec.* 2. Arriaga *diſpu.* 25. *ſec* 9. alijque ferè omnes tum Thomiſtæ tum Recentiores, quamvis deindè inter ſe diſcrepent in qualificandâ reali diſtinctione, quam aliqui aſtruunt realem ſimpliciter tanquam rei à re, aliqui realem modalem tanquam modi à re: Sicut & diſcrepant circà rationem poſitivam, in qua formaliter ſubſiſtentia conſiſtit; eam nonnulli videntur collocaſſe in collectione accidentium, penes quæ ſolemus diſtinguere ſeu diſcernere unum individuũ ab alio: Quidã alij arbitrati in univerſum exiſtentiam diſtingui realiter à re, cujus eſt exiſtentia, docuerunt ſubſiſtentiam nihil eſſe aliud, quam exiſtentiam ſubſtantialem, ſeu per ſe: Cæteri magis 6.

communiter poſitivam ſubſiſtentiæ rationem ſtatuunt in termino, ſeu complemento ſubſtantiali ab eſſentiâ & exiſtentiâ realiter diſtincto, cujus effectus formalis ſit reddere naturam ultimò completam, nec ulteriùs unibilem alteri tanquam perfectivo ſeu completivo.

7. Sententiæ variæ circà propriam & formalem ſubſiſtentiæ rationem.

De propria & formali ſubſiſtentiæ ratione eadem eſt in primis ſententiarum varietas, quæ de ejus diſtinctione, & inſuper ſub eadem circa diſtinctionem ſententia ſunt ſententiæ variæ circà rationem formalem. Qui enim diſtinctionem omnem negant, rationem ſubſiſtentiæ volunt in re eſſe ipſammet rationem naturæ. Qui ponunt ſubſiſtentiam diſtingui à naturâ negativè ſeu tanquam quid negativum, pro formali ſubſiſtentiæ ratione aſſignant negationem, & hanc ponit duplicem Scotus, quadruplicem Gabriel; Scotus ſcilicet ſubſiſtentiam explicat per negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis ab alio ſuppoſito; Gabriel per negationem exiſtentiæ in alio, aut tanquam in conſtituto, aut tanquam in toto, aut tanquam in ſubjecto, aut tanquam in ſuſtentante. Qui denique conſentiunt in eo quod ſubſiſtentia ſit quid poſitivum à naturâ diſtinctum ſive diſtinguant re ſivè ratione, varie ſentiunt in aſſignando & determinando tali poſitivo, ut jam attigimus atque retulimus *præcedent. numer.* 3. & 6. His prælibatis ſit.

§. I.

Statuitur propria ratio Subſiſtentiæ, & diſtinctio ejus à naturâ aſſumptâ, aliâvè qualibet naturâ creatâ?

8. ASSERT. I. Propria ratio ſubſiſtentiæ, non conſiſtit in negativo, ſeo in aliqua negatione. Eſt contrà Auctores ſententiæ poſitæ ſub *præced. n.* 5.

Probatur: collocare propriam rationem ſubſiſtentiæ in negativo male cohæret tum cum recepta communiter definitione perſonæ, tum cum Myſterio Trinitatis, tum cum Myſterio Incarnationis; ergo propria ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit in negativo: Conſequentia patet; ut probem antecedens adverto ex Valentia *præcit. punct.* 2. opinionem Gabrielis differre ab opinione Scoti præcipuè in eo, quod Gabriel ad rationem perſonæ ſeu naturæ ſubſiſtentis requirat negationem exiſtentiæ in alio tanquam partis integralis in toto, quod eſt omninò falſum, ex hoc quippè ſequeretur Petrum v.g. per ſucceſſivam acceſſionem novarum partium integrantium in nutritione advenientium, ſucceſſivè mutare rationem perſonæ; Gabriel igitur ſecundùm illud, quo maximè differt à Scoto, maximè convincitur falſitatis, nec neceſſe eſt ipſum ex profeſſo improbare; niſi ſecundùm quod cum Scoto convenit: Porrò Scotus triplicem diſtinguit negationem dependentiæ ſeu communicabilitatis ad hypoſtaſim extrinſecam, ait enim præcit. quodlib. 19. *Sicut poſſumus intelligere dependentiam actualem, potentialem, & aptitudinalem; ſic poſſumus intelligere negationem actus dependendi, & negationem poſſibilitatis dependendi, & negationem aptitudinis ad dependendum: Prima eſt negatio ſola, ſecunda eſt cum repugnantia ad actum, tertia eſt cum inclinatione oppoſitâ ſeu aptitudine contrariâ.*

Expenditur mens Scoti circà ſubſiſtentiam ſitâ in negatione.

9. Subdit deinde ſecundam negationem non inveniri in naturâ creatâ relatè ad divinam perſonam, quia nulli naturæ creatæ repugnat à divinâ perſonâ dependere; primam verò & tertiam ſeorſim non eſſe ſufficientem ad hoc ut aliquid dicatur perſonatum ſeu perſona; non eſt ſufficiens prima, quia anima Petri v.g. habet de facto negationem actualis dependentiæ à perſonâ extrinſecâ, & tamen in ſe perſona non eſt; non eſt item ſufficiens tertia, quia natura aſſumpta à Verbo, utpotè quæ per potentiam obedientialem, non ex propria inclinatione & aptitudine naturali, à Verbo dependet, retinet negationem aptitudinis ad dependendum ab extrinſecâ Perſonâ & tamen non retinet propriam perſonalitatem: Concludit itaque ſubtilis Doctor primam, & tertiam, negationem debere ſimul concurrere, ut habeatur propria ſubſtantia creata, & tertiam quidem quaſi habitualiter convenire naturæ, cui convenit, ſive propriâ ſive alienâ perſonalitate ſubſiſtat; primam verò negationem ſupervenientem tertiæ complete perſonalitatem propriam. Breviter juxtà hanc doctrinam natura creata in ſe ſubſiſtit perſonalitate propriâ, quando habet negationem tum aptitudinis dependendi, tum actualis dependentiæ à perſonâ alienâ, quando ab iſta nec petit dependere, nec dependet. Contra Scoti ſententiam ſic germanè expoſitam, & contra ſubſiſteotiam in negativo ſitam.

10. Subſiſtentia ſita in negativo malè cohæret cum communi definitione perſonæ.

Probatur primum antecedens quoad primam partem. Perſona communiter definitur rationalis naturæ individua, ſeu incommunicabilis, ſubſtantia, ergo ex vi communis definitionis addit naturæ ſimul cum incommunicabilitate, & negatione, rationem poſitivam ſubſtantialem: Deinde juxtà doctrinam Scoti deberet dici incommunicata, non incommunicabilis ſubſtantis cum ex Scoto negatio cõmunicationis actualis, non negatio communicabilitatis, ſeu communicationis aptitudinalis ultimò compleat perſonalitatem propriam; ergo definitioni communiter receptæ tum quoad ly *ſubſtantia*, tum quoad ly *incommunicabilis*, malè cohæret propria ſubſiſtentiæ ratio in negativo collocata.

11. Cum Myſterio Trinitatis.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem: Tres perſonalitates divinæ non ſunt aliquid negativum, atqui nec cohærenter dicuntur eſſe quid poſitivum, ſi in negativo collocatur propria ratio ſubſiſtentiæ creatæ; ergo collocare propriam rationem ſubſiſtentiæ in negativo malè cohærer cum Myſterio Trinitatis: Minor probatur ex proportione ſervanda inter rationem perſonæ in divinis, & rationem perſonæ in creatis, & ex eo quod illam in poſitivo, iſtam in negativo collocare eſt tollere omnem utriuſque convenientiam, & facere nomen perſonæ ad creatam, & ad divinam æquivocum, quod videtur eſſe contra

Digitized by Google

tra communem ſenſum Theologorum & Patrum: Major habetur *ex tract. de Deo Trino lib.2.cap.1.§.8.* Ex quo ſpecialiter tecolendum ſine cenſuræ ſuſpicione non poſſe in divinis perſonis omnem poſitivam ſubſiſtentiæ, etiam abſolutæ, rationem negari, & inſuper in noſtris principijs præter poſitivam rationem ſubſiſtendi abſolutè & eſſentialiter admittendas omninò eſſe tres poſitivas rationes ſubſiſtendi relativè & perſonaliter, quas admittunt aliqui etiam ex Adverſarijs arbitrati non eſſe in hoc efficax argumentum à divinis ad creata primò ex eo, quod natura divina habet ab intrinſeco communicabilitatem, quam non habet natura creata, ideò nil mirum, quòd illa, non iſta, indigeat poſitivo ſuperaddito, ut reddatur incommunicabilis; Secundò, quia perſonalitates divinæ ſunt comprincipia operandi, non puri termini; perſonalitates autem creatæ ſunt puri termini, & ad operandum ſe habent ad ſummum, ut conditiones, non ut principia. Sed impugnantur Adverſarij, quia malè ſupponunt perſonalitates divinas eſſe comprincipia operandi, adeoque ſecundum ipſorum diſcrimen nititur falſo ſuppoſito; primum verò diſcrimen, licèt arguat majorem aliquam neceſſitatem poſitivæ ſubſiſtentiæ in divinis quàm in creatis, non tamen talem neceſſitatem in creatis omninò excludit, quia intrinſeca naturæ communicabilitas non eſt in divinis tota, & unica, ratio poſitivæ ſubſiſtentiæ.

13. *Cum Myſterio Incarnationis.* Probatur idem antecedens quoad tertiam partem: ex Myſterio Incarnationis edocemur Verbum Divinum ſupplere in humanitate propriam perſonalitatem creatam, & præſtare munus ipſius, necnon naturam humanam exaltaſſe eam aſſumendo; negatio autem, utpotè quæ aliquid non eſt incongruè dicitur ſuppleri, & munus aliquod habere; natura item humana, quæ in ſe per negationem ſubſiſtens à nullo poſitivo dependeret, incongruè diceretur exaltata per aſſumptionem, quâ poſitivè dependet à Verbo; quod enim natura, futura alioqui independens, dependens fiat, depreſſio non exaltatio eſt; ergo collocare propriam rationem ſubſiſtentiæ in negativo malè cohæret cum Myſterio Incarnationis. Confirmatur: Sancti Patres & Concilia poſt definitam phyſicam, realemque, unionem humanitatis Chriſti cum verbo definierunt manſiſſe in Chriſto ſolam perſonam divinam, non humanam ſimul, & error Neſtorij negantis unionem illam phyſicam habitus eſt in Eccleſia gravior errore negante in Chriſto unicitatem perſonæ admiſſa unione illa phyſica, ut latè oſtendit Arriaga *diſp. 25. ſect.4.5.& 6.* atqui ſi ſubſiſtentia creata conſiſtit in negatione unionis, ſeu communicationis ad ſuppoſitum extrinſecum, eſt ex terminis evidens humanitatem per ſui unionem ad Verbum remanſiſſe ſine propria perſonalitate, eſt item ex terminis innegabilis unicitas perſonæ in Chriſto admiſſa unione phyſica humanitatis Chriſti cum Perſona Verbi; ergo Concilia & Patres ridiculè, & nugatoriè, laboraſſent multiplicando definitiones & diſtinguendo errores, adeoque ex hoc etiam capite ſubſiſtentia in negativo ſita malè cohæret Myſterio Incarnationis, ſeu definitionibus, quibus Concilia & Patres ipſum nobis explicarunt; Nec Adverſariorum opinio eſt commendanda ex eo, quod prædictis definitionibus faveat; ſed improbanda ex eo, quod dum illis in ſpeciem nimis favet, eaſdem in re reddit inanes, ridiculas, & nugatorias.

Reſpondebis fortè Concilia, & Patres, aliquando eandem veritatem definire diverſis definitionibus idem per diverſas phraſes continentibus, ut veritatem catholicam ſtabiliant eodem modo, quo illam conantur evertere hæretici eundem aliquando errorem diverſis phraſibus obtegentes & involuentes. Fateor id aliquando evenire; at in propoſito nimis mirum foret Sanctos Patres, & Concilia, in ſecundis definitionibus, de quibus ſuprà, ſi exiſtimaſſent ſubſiſtentiam in negatione conſiſtere, hoc ſemper diſſimulaſſe, quando hoc unum proferendo ex terminis evidentiſſimè deducebant intentum, ideſt carentiam perſonæ humanæ in Chriſto. 14.

Aſſeit. 2. Propria ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit in poſitivo à natura diſtincto ſola diſtinctione rationis, aut ratiocinantis aut ratiocinatæ. Eſt contrà Auctores ſententiæ poſitæ ſub *præced. n. 2. & 3.* 15.

Subſiſtentia creata non conſiſtit in poſitivo à natura diſtincto ſola ratione. Probatur ex verbis Juſtiniani in edicto Fidei approbato à Summo Pontifice Vigilio, ubi ſic habetur. *Omnes Sancti Patres conſonanter nos docent, aliud eſſe naturam ſive ſubſtantiam, & aliud ſubſiſtentiam ſive perſonam;* atqui aliud & aliud ſimpliciter abſolutéque prolata ſupponunt pro alietate ſeu diſtinctione majore, quàm rationis aut ratiocinantis, aut ratiocinatæ; ergo propria ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit, &c. Confirmatur. Cum ſola diſtinctione rationis ſubſiſtentiæ à natura non poteſt ſalvari, quod humanitas ſit Verbo ſubſtantialiter unita, & quod in Chriſto reperiatur ſine propria perſonalitate; atqui hoc utrumque eſt ex unanimi Sanctorum Patrum conſenſu certum, & tanquam fidei dogma definitum; ergo ſubſiſtentia non conſiſtit in aliquo à natura diſtincto ſola ratione: probatur major quoad primam partem, non poteſt ſalvari ſubſtantialis unio humanitatis cum Verbo, & cõſtitutio unius per ſe, niſi humanitas præſupponatur ſubſtantialiter incompleta ad hoc, ut poſſit à Verbo ſubſtantialiter compleri; non poteſt autem præſupponi ſubſtantialiter incompleta, niſi poſſit realiter ſeparari, adeóque niſi ſit realiter diſtincta à ſubſtantiali complemento propriæ ſubſiſtentiæ: Probatur eadem major quoad ſecundam partem, humanitas reperitur in Chriſto cum omni ſua entitate, ſi igitur propria perſonalitas eſt ipſamet humanitatis entitas admittens ſolam diſtinctionem rationis, conſequens eſt quòd reperiatur cum propria perſonalitate, & reperiretur in Chriſto dumtaxat ſecundum rationem, & modo metaphyſico, quoties in ipſo reperiretur ſine aliquo ſola ratione à ſe diſtincto; ergo. 16.

Reſpondet Durandus *præcitat. diſt. 34. numer. 26.* humanitatem in Chriſto, utpotè quæ innititur Verbo, conſiderari ut habitam à Verbo;

bò,non ut habentem, propterea non dici hominem,& conſiderari ut carentem perſonalitate propriâ. Sed impugnatur,quia humanitas in Chriſto, licet ſit habita ut comparata ad Verbum ſpecificative tamen & materialiter eſt habens,cum ſit illud totum quod humanitas extrà Verbum, reſponſio igitur Durandi non explicat; quomodo non remaneat in Chriſto homo, ſeu perſona humana, ſaltem ſpecificative & materialiter; præter quod malè ſupponit humanitatem inniti Verbo, quomodo enim verbo innititur: ſi eſt per ſe ipſam propria ſuſtentatio, & propria ſubſiſtentia,dicenda utique eſſet Verbo inniti ipſa quoque creata ſubſiſtentia, quod repugnat in terminis. Neque dicas:divina natura eſt idem cum perſonalitate Verbi, & tamen de facto perſonalitas Verbi aſſumit & ſuſtentat humanitatem abſque eo, quod hanc aſſumat & ſuſtentet divina natura; ergo licet humanitas eſſet idem cum perſonalitate propriâ, adhuc poſſet ipſa Verbo inniti, ſeu à Verbo ſuſtentari, abſque eo quod à verbo ſuſtentetur,verboque innitatur propria ipſius perſonalitas.

17. Contrà enim divina natura ità eſt idem cum perſonalitate verbi, ut ab eadem realiter virtualiter diſtinguatur; humanitas verò ità eſt idem cum perſonalitate propria, ut ab iſtâ diſtinguatur aut ſolâ ratione ratiocinante & ex modo ſignificandi juxtà Durandum, aut ſolâ ratione ratiocinata juxtà alios, quos impugnamus,ideò inſtantia non eſt pro Adverſarius efficax,imo in ipſos eam retorqueo,nam divina natura ratione identitatis cum perſonalitate verbi eſt ſpeciali modo in Chriſto,in quo eſt perſonalitas verbi, etiamſi cum iſtâ non aſſumat Chriſti humanitatem; ergo ſubſiſtentia creata ratione identitatis cum humanitate eſt ſpeciali modo in Chriſto,in quo eſt humanitas, ſivè deindè ſimul cum iſta aſſumatur, ſivè non,& tamen de ſubſiſtentiâ creata ſuſtinendum eſt, quod non reperiatur in Chriſto ullo modo,non verò ſolum,quod non ſit à verbo aſſumpta.

18. Aſſert.3. Propria ratio ſubſiſtentiæ conſiſtit in aliquo poſitivo diſtincto realiter à natura: Et hoc poſitivum neque eſt exiſtentia ſubſtantialis ſeu per ſe; neque collectio accidentium. Prima hujus aſſerti pars eoſdem habet Adverſarios, quos duo aſſerta præcedentia,ad quæ conſequitur. Secunda pars eſt contrà Zumellum 1 *p.quæſt.3.art.3.& quæſt.50. art.2.* Blaſium à Conceptione *diſput.8. Metaph.quæſt.3.* alioſque nonnullos Thomiſtas. Tertia pars eſt contrà Javellum *7.Metaph. quæſt.17.* & ab aliquibus exiſtimatur eſſe contrà plures Antiquos non ſolum Scholaſticos, verum etiam Sanctos Patres, quatenus iſti appellando ſuppoſita ea, quæ Peripathetici appellarunt individua,non videntur illa ab iſtis diſtinxiſſe, & ex alia parte individuum ſolet cum Porphirio deſcribi per collectionem, ſicut & individuatio ſecundum Thomiſtas deſumitur per ordinem ad materiam ſignatam quantitate, cæteriſque accidentibus,quantitatem comitantibus.

19. *Subſiſtentia creata conſiſtit in poſitivo à natura diſtincto realiter.*

Probatur prima pars: ex hucuſque dictis propria ratio ſubſiſtentiæ nec conſiſtit in negativo,nec in poſitivo diſtincto ſolâ ratione à naturâ; ergo conſiſtit in poſitivo diſtincto à natura realiter: Confirmatur ex eo quod talis ratio ſubſiſtentiæ optimè ſalvat quomodo Verbum in Chriſto non ſolum non aſſumpſerit, ſed conſumpſerit perſonam creatam, ut loquuntur plures Sancti Patres? Quomodo ſuppleat propriam humanitatis ſubſiſtentiam, & humanitati ſubſtantialiter ac per ſe unitatur? Quomodo ratio perſonæ ſit, ſi minus univoca, ſaltem analoga perſonis divinis & creatis? Quomodo ratio perſonæ ſit, ſi minus univoca, ſaltem analoga perſonis divinis & creatis? Quomodo quælibet creata natura ex eo,quod eſſentialiter finita, aut ſaltem non ſimpliciter infinita,ſit eſſentialiter capax complementi ſubſtantialis, ut docebamus *tract.1. lib.1.cap.6 §.3.* Quæ & ſimilia æquè, & impropriè,verificantur, ſi creata ſubſiſtentia vel ſit negatio, vel ſit identificata cum naturâ.

Tale poſitivum non eſt exiſtentia per ſe.

Probatur ſecunda pars: Exiſtentia nullam habet diſtinctionem realem, à re cujus eſt exiſtentia,& exiſtentia ſubſtantialis, ſeu per ſe, eſt idem prorſus cum eſſentia ſubſtantiæ;atqui poſitivum,in quo conſiſtit ratio ſubſiſtentiæ, diſtinguitur realiter à naturâ ſeu ſubſtantia, ergo tale poſitivum non eſt exiſtentia ſubſtantialis ſeu per ſe; Major aliundè ſupponitur, minor continetur in prima aſſerti parte, conſequentia currit.

20. *Neque collectio accidentium.*

Probatur tertia pars: Collectio accidentium non conſtituit cum natura unum per ſe, nec eam complet ſubſtantialiter: Non amittitur ab humanitate Verbo unita,nec in eadem humanitate à Verbo ſuppletur; ergo tum ex natura rei, tum ex Myſterio Incarnationis, conſtat poſitivum illud,in quo conſiſtit propria ſubſiſtentiæ ratio, non eſſe accidentium collectionem: Reſpondebis fortè ex accidentium collectione provenire modum quendam ſubſtantialem, & hunc complere naturam ſubſtantialiter,amitti ab humanitate Chriſti, ſuppleri à Verbo, &c. Impugnaberis tamen, quia accidentia non ſunt principium proportionatum, undè poſſit provenire modus ſubſtantialis & cum ex alia parte natura debeat eſſe ſubſtantialiter completa, antequam accidentaliter perficiatur, modus ille ſubſtantialis deberet in natura prævenire accidentia, non ab accidentibus provenire. Confirmatur evertendo Adverſariorum fundamentum ſitum in eo,quod putent ſuppoſitum non diſtingui ab individuo, & iſtud conſtitui ex collectione accidentium,aut ſaltem individuationem deſumi à materia ſignata accidentibus:

Neque modus ſubſtantialis ex tali collectione proveniens.

21. *Individuum & ſuppoſitum differunt.*

At hæc omnia falſa ſunt in noſtris principiis, in quibus individuatio deſumitur à propria cujuſque rei entitate,non à materia,collectio accidentium materialium inſeruit ad diſcernenda, non ad conſtituenda individua,quæ per talem collectionem deſcribuntur accidentaliter, non eſſentialiter definiuntur, differt individuum à ſuppoſito,quia remanet in Chriſto humanitas cum propria individuatione, non cum propria ſubſiſtentia,& individuum naturæ non addit aliquid realiter diſtinctum, ſicut addit ſuppoſitum. Deindè,ſi prædicta vera eſſent, naturæ ſeu ſubſtantiæ ſpirituales, ſicuti carent habitudine

tudine ad materiam & diverſâ accidentium collectione ità aut carerent ſubſiſtentiâ, aut haberent omnes ſubſiſtentiam non diverſam ſed unam & eamdem.

Dices nun eſſe novum, quòd naturæ purè ſpirituales ſubſiſtentiâ realiter diſtinctâ careant, & ſint per ſeipſas ſua ſuppoſita, cum de naturâ angelicâ expreſsè id tradiderit D. Thomas *qu. 7. de potentia art.* 4. dicens *In Angelis quodlibet ſuppoſitum eſt ſua natura* & 4. contrà Gent. cap. 55. ad 4. *In homine aliud eſt natura, aliud perſona, cum ſit ex materiâ & forma compoſitus; non autem in Angelo, qui immaterialis.* Multo minus novum eſt, quod individuum & ſuppoſitum ſint indiſtincta & pro eodem ſumantur, id enim non ſolum protulit in terminis idem D. Thomas 1. *p. quæſt. 29. art. 2. ad* 1. illis verbis *Hypoſtaſis* (ſeu ſuppoſitum) *ex propriâ ſignificatione nominis habet quod ſignificet quodcumque individuum ſubſtantiæ*, ſed & docuit Nicetas *lib. 2. cap.* 10. dicens *quæ individua Peripathetici vocare ſolent, ea Doctoribus Scholaſticis placuit appellare hypoſtaſes*; colligitur id quoque ex edicto fidei relato *præced. n* 15. in quo poſt verba ibi recitata additur *& naturam quidem hoc, quod eſt commune ſignificare, perſonam verò hoc, quod eſt ſpeciale* & ferè eadem verba habentur ex Damaſceno *in lib. primarum inſtit. cap.* 1. & *in dialectica c* 30. ut meminit Vaſquez *diſp.* 31. *cap.* 3. ubi pariter refert alias pro eodem intento auctoritates. Sed con-
22. Occuritur autoritatibus faventibus indiſtinctioni ſuppoſiti à naturâ ſpirituali. tra: naturas etiam purè ſpirituales, ſignanter verò naturam angelicam, diſtingui realiter à ſuo ſuppoſito evincitur maximè ex eo, quod *Heb.* 2. dicitur de Christo Jeſu *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; conſequens eſt igitur, quod ſicuti ſemen Abrahæ apprehendit aſſumendo naturam humanam in unitate perſonæ, ità & potuiſſet apprehendere Angelos aſſumendo in unitate perſonæ naturam angelicam; quod tamen eſſet prorſus repugnans, ſi natura angelica ſuum ſibi ſuppoſitum identificaret; & D. Thomas quoad loca memorata, in quibus videtur contrarius, vel intelligendus eſt de ſuppoſito originativè & radicaliter ut explicabamus *in tr. de Deo Uno lib.* 1. *cap.* 6. §. 5. vel ſibi contrarius eſt, ſe retractavit in ſummâ, ut videre eſt apud Arriagam *præcit. diſp.* 25. *ſec.* 8.

Ad aliam inſtantiæ partem de diſtinctione
23. Aut etiam à quocumque individuo ſubſtantiali. individui à ſuppoſito dico S. Thomam in verbis adductis intendere ſolùm aſſignare diſcrimen ſuppoſiti à perſonâ, nec aliud docere, quã hypoſtaſim ſumptam pro ſuppoſito poſſe dici de quolibet individuo ſubſtantiæ ſumptam pro perſonâ ſolum de individuo ſubſtantiæ rationalis; ex quo non ſequitur hypoſtaſim nihil eſſe aliud, quam individuum ſubſtantiæ, ut malè contendunt Adverſarij. Et licet idem S. Doctor *q. 9. de potentia art.* 1. 2. & 4. videatur claros non diſtinguere ab individuo ſubſtantiæ ſuppoſitum, & ab individuo ſubſtantiæ rationalis perſonam, nihilominus etiam in his locis intendit ſolũ afferre diſcrimen ſuppoſiti à perſonâ; niſi velis dicere ipſum per individuum ſubſtantiæ intelligere non præciſè ſubſtantiam ſingularem, ſed ſubſtantiam individuam ſumptam pro incommunicabili. Ad verba Nicetæ dico ea nobis non adverſari, cum eo enim, quod appellemus hypoſtaſes, ea quæ Peripathetici appellabant individua, benè ſtat quod adhuc velimus hypoſtaſes aliquid addere individuis, licet id fortè Peripathetici non agnoverint. Ad id, quod urgetur ex edicto Juſtiniani dico naturam ſignificare id, quod eſt commune; quatenus ſignificat eſſentiam abſtractam, ſeu in abſtracto; perſonam ſignificare, quod eſt ſpeciale, quatenus ſignificat illud ſpeciale, quod concretum addit abſtracto; at neque hoc ſpeciale eſt ratio individualis, neque illud commune eſt præciſè ratio ſpecifica; alioqui eſſentia in abſtracto non eſſet individua & ſingularis; præter quod verba recitata deſtruerent intentum præcedentium, quibus Juſtinianus maximè voluit oſtendere diſtinctionem realem ſubſiſtentiæ à naturâ, non reperitur autem talis diſtinctio inter rationem individualem; & ſpecificam.

Aſſert. 4. Poſitivum realiter à natura diſtin- 24.
ctum, in quo conſiſtit propria ratio cujuſlibet Quidnam ſit
ſubſiſtentiæ creatæ eſt ſubſtantialis terminus, illud poſitivum in quo
ſeu ſubſtantiale complementum, quo natura conſiſtit
redditur ſubſtantialiter completa *ut quod*, & propriè
incommunicabilis alteri ut ſubſtantialiter creata ſubſiſtentia?
perfectivo. Ità major pars Thomiſtarum, & Recentiorum, contrà Auctores memoratos in aſſertis præcedentibus.

Probatur, quia ex unâ parte oſtensâ jam neceſſitate collocandi ſubſiſtentiam quamlibet creatam in aliquo poſitivo diſtincto realiter à natura, & deindè impugnatis cæteris modis aſſignandi tale poſitivum, nihil remanet ultrà aſſignabile præter rationem ſubſtantialis termini ſeu ſubſtantialis complementi, quo natura, &c. ex alia parte cum hujuſmodi termino ſeu complemento ſubſtantiali optimè conſonant omnia, quæ pertinent ad Myſteriũ Incarnationis, & ad humanitatem à verbo aſſumptã in unitate perſonæ, nimirum quod careat perſonalitate propriâ, quod hanc ſuppleat perſonalitas Verbi, quod humanitas verbo uniatur per ſe & à verbo ſubſtantialiter perficiatur; conſonant item quæcunq; pertinent ad perſonam, ſeu ſuppoſitum in communi, nimirũ quod ſit ens per ſe, quod aliquid ſuperaddat individuo, &c. ergo rectè omnino aſſeritur, quod poſitivum, in quo conſiſtit propria ratio ſubſiſtentiæ, ſit ſubſtantialis terminus, &c.

Dices primò: Nihil eſt ſubſtantiale poſitivũ, quod non poſſit à Deo aſſumi, atqui ſubſiſtentia creata non poteſt à Deo aſſumi, cum habeat pro effectu formali inaſſumptibilitatẽ ſeu incommunicabilitatẽ, ergo ſubſiſtẽtia creata nõ conſiſtit in aliquo ſubſtantiali poſitivo, ſeu in aliquo poſitivo, quod ſit ſubſtantiale complementum, &c. Major probatur, quia nihil eſt
ſubſtantiale poſitivum, quod non ſubſit obedientialiter Deo. Sed contrà: etiam accidentia 25.
ſubſunt obedientialiter Deo, & tamen nequeunt ex infrà dicendis divinitus aſſumi ad ſubſiſtendum, nego igitur abſolutè majorem, quia potentia obedientialis non ſubjicit Deo quidlibet ad quodlibet indefinitè, ſed ad quodlibet ſpecialiter non repugnans, ſpecialiter autem ex terminis repugnat communicari & aſſumi id quod eſt formalis ratio incommuni-

cabilitatis & inaſſumptibilitatis,ſicut eſt complementum ſubſtantiale poſitivum, in quo creata ſubſiſtentia conſiſtit.

Dices ſecundò: Chriſtus habet omnem perfectionem,& proprietatem naturæ humanæ,& Verbum integram humanitatem aſſumpſit, alioqui non eſſet Chriſtus homo contrà ſymbolum Athanaſij.nec per omnia nobis ſimilis contrà illud Heb.2.*Debuit per omnia fratribus aſſimilari*; atqui ſi propria creata ſubſiſtentia eſſet complementum ſubſtantiale naturæ humanæ,Chriſtus utpotè qui illam non haberet, non haberet omnem perfectionem, &c. Sed
26. contrà: Subſiſtentia propria eſt complementum ſubſtantiale naturæ humanæ in eſſe perſonæ, non in eſſe naturæ; Chriſtus autem in eſſe naturæ,non in eſſe perſonæ,habet omnem perfectionem humanitatis, hancque pariter in eſſe naturæ,non in eſſe perſonæ aſſumpſit integram Verbum, contrà quam veritatem, & contrà memoratas auctoritates Apoſtoli, Athanaſij,aliaſque ſimiles errarunt hæretici,qui dixerunt Verbum aſſumpſiſſe aut corpus phantaſticum, aut corpus ſine animâ,aut animam ſine voluntate, &c. Hinc patet obiter non eſſe nobis contraria verba S. Doctoris *quæſt.4 art.2.ad 2.*dicentis *naturæ aſſumptæ non deeſſe propriam perſonalitatem propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat*, verè enim fatemur propriam perſonalitatem ad perfectionem humanæ naturæ in eſſe naturæ non pertinere,ut omittam eo loco S. Doctorem loqui non tam de defectu formali perſonalitatis propriæ; quam de defectu aliquo diſtincto, ad quem conſequatur perſonalitatis propriæ carentia.

Chriſtus habet omnem perfectioně hominis in eſſe humanæ naturæ,non in eſſe humanæ perſonæ.

27. Supereſſet hic inquirendum, utrum complementum ſubſtantiale aſſignatum pro formali ſubſiſtentiæ ratione ſit modus, an res? ſeu utrum realis diſtinctio ſubſiſtentiæ à natura ſit realis ſimpliciter, an realis modalis? Quidquid dicatur, dicetur probabiliter, & in ordine ad Myſterium Incarnationis, ex quo maximè ducimur in ſubſiſtentiæ creatæ notitiam,parum refert,quod res ſit vel modus;undè facilè poteſt locus eſſe problemati.Propendeo tamen magis ad rem,quam ad modum,ad diſtinctionem realem ſimpliciter, quam ad realem modalem, quia modi ſunt ex genere ſuo entitates valdè diminutæ, & affixæ ſeu alligatæ determinato ſubjecto, extrà quod nequeunt conſervari;adeoque ſubſiſtentia ex primo capite videretur eſſe complementum admodum tenue & diminutum;ex ſecundo capite videretur minus apta ad reddendam ſubſtantiam ultimo per ſe ſtantem,ſi ipſa nullatenus poſſet per ſe ſtare, ſeu per ſe conſervari; minus etiam hoc faveret omnipotentiæ Dei, quæ è contrà relucet eximiè in eo,quod poſſit ſubſiſtentiam tum conſervare ſeparatam ab omni naturâ, tum applicare alteri naturæ à propriâ. Deindè modi ſolent à ſuis Auctoribus poni ad determinandam indifferentiam unius extremi in ordine ad aliud, imo in ordine ad plura,ſubſiſtentia autem hunc effectum non præſtat, ſeu ad hunc finem non datur, ideò,&c. Scio non deeſſe Adverſariis ſuas hiſce rationibus reſponſiones, ut videre eſt in præſenti apud Lugum *diſp.12. ſec.7.*at in controverſiâ ad Incarnationis myſterium impertinenter ſe habente, & in qua vix à problemate recedimus,non eſt agendum acrius, nec attentius hærendum.

Verum ſubſiſtentia ſit res,an modus?

---

§. II.

Utrum potuerit à Verbo aſſumi humanitas antecedenter,aut etiam concomitanter ſubſiſtens in propria perſona?

ASSERT. 1. Potuit à verbo aſſumi humanitas antecedenter ſubſiſtens in propria perſona, hanc vero per aſſumptionem amittens. Supponitur hoc aſſertum à Theologis communiter quamvis videatur contrarius D. Thomas 4. *contra Gent.cap.*43. docens hominem aſſumptioni præexiſtentem non poſſe amittere propriam ſubſiſtentiam,quin ipſemet ac per conſequens humana natura in ipſo exiſtens, corrumpatur. Verum minus loquitur idem S.Doctor *hic qu.4 art.2.*& *quæſt.6. art.3.* quibus in locis cenſendus eſt retractaſſe,quod tradiderat *pracit.cap.*43. 28.

Humanitas antecedenter ſubſiſtens potuit aſſumi amittendo antecedentem ſubſiſtentiam.

Probatur,quia ex una parte poteſt humanitas à propria perſonalitate ſeparari,& cum ſine ea produci, tum cum ea producta ſine eadem conſervari; ex alia parte ſubſiſtentia divina, ſicuti poteſt in natura perſonalitatem propriam impedire ne producatur, ità poteſt eandem præexiſtentem expellere ne conſervetur,eo modo quo Deus eodem potentiore concurſu,quo poteſt accidens extrà ſubjectum producere poteſt pariter ipſum in ſubjecto productum extrà ſubjectum conſervare; & in univerſum quælibet res cum aliâ incompoſſibilis æquè poteſt aliam præexiſtentem expellere, ac nondum exiſtentem impedire. Certum igitur ſit potuiſſe aſſumi humanitatem antecedenter ſubſiſtentem; ſit tamen æquè certum humanitatem de facto aſſumptam antecedenter ſubſiſtentem non fuiſſe, ut enim inſinuat D.Thomas *pracit.art.*2.fruſtrà humanitas habuiſſet antecedenter ad aſſumptionem 29. propriam ſubſiſtentiam,quam debuiſſet in aſſumptione dimittere, & clarius Summus Pontifex Leo *epiſt.11.ad Iulianum* ait de Verbo,*Nec animam enim,quæ anterior extitiſſet, nec carnē, quæ non materni corporis,eſſet accepit, Natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt,ut prius creata poſt aſſumeretur,ſed ut ipsâ aſſumptione crearetur*:ſicut & D.Anſelmus *lib.3 fidei cap.* 11. ait Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, *Non quæ ſeorſim in ſe,atq;individuum prius fuerit,poſteaque ab eo aſſumpta ſit,ſed quæ in ipſius hypoſtaſi extiterit, ipſa enim verbi hypoſtaſis carni hypoſtaſis extitit.*Neq,hic obſtat,quod ab Innocentio III.in quadam Decretali, & à nonnullis S.Patribus dictum eſt,*in Chriſto perſonam Dei conſumpſiſſe perſonam hominis*, alicujus autem conſumptio videtur exiſtentiam ejuſdem præſupponere;Non obſtat, inquam, quia ut rectè ait S.Doctor *q.4.art.2.ad 3.Conſumptio ibi non importat deſtructionem alicujus, quod prius fuerat ſed impeditionem ejus quod aliter eſſe poſſet.*

De facto tamen antecedenter ſubſiſtens non fuit.

Aſſert.2. Potuit à Verbo aſſumi humanitas 30.
etiam

Humanitas concomitanter ſubſiſtens poteſt aſſumi retinendo materialiter propriam ſubſiſtentiam.

etiam concomitanter ſubſiſtens in propriâ perſonâ, hanc ſcilicet in ipsâ aſſumptione retinens, materialiter tamen & ſpecificativè. Ita Bacconius *in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2.* Gabriël à S. Vincentio *diſp. 4. dub. 4.* cæterique Carmelitæ; extra Bacconianam verò Carmelitarum ſcholam Oviedus *in metaph. controv. 6. punc 5.* Hurtadus *in metaphyſ. diſputation. 11. ſec. 8.* Arriaga *hic diſp. 17. ſec. 1.* Perez *diſput 9. ſec. 9.* Madernus *quæſt. 4. art. 15.* & quidam alij Recentiores contrà Thomiſtarum & Scotiſtarum ſcholam, majoremque partem reliquorum Theologorum, ſivè veterum ſivè recentium quos refert & ſequitur Amicus *hic diſp. 15. ſec. 2. n. 37.* quique ſicuti ex ſupradictis plurimum diſſentiunt in ſtabiliendo proprio ſubſiſtentiæ creatæ conceptu, ita in præſenti non minus diſcrepant in aſſignandâ ratione implicantiæ, imò Suarez *hic diſp. 14. ſec. 1.* ait nos re verâ vix poſſe ratione convinci, & Lugus *diſp. 12. ſec. 6. n. 68.* fatetur vix poſſe afferri rationem efficacem.

Dixi *materialiter tamen & ſpecificativè*, adeò ut aſſumatur quidem humanitas ſubſiſtens, at non ut ſubſiſtens; aſſumatur illa retinens ſubſiſtentiam; at non aſſumatur ipſa ſubſiſtentia, quod eſſet aſſumi formaliter & reduplicativè humanitatem in propria perſona ſubſiſtentem id autem facilè evincitur repugnans ex eo, quia terminus ultimus ulterius terminaretur ipſa formalis ratio incommunicabilitatis; perſona humana & perſona divina in unum confluerent, ſeu conjungerentur in unitate perſonæ; aliaque id genus aut contradictoria, aut abſurda reſultarent, ſi humanitas ut ſubſiſtens, & ſubſiſtentia ipſa aſſumeretur, ſolum igitur aſſumi poteſt humanitas ſubſiſtens ſpecificativè ſubſiſtentiâque retenta, non tamen aſſumpta: Et in hoc ſenſu,

31. Probatur aſſertum primò: Poteſt humanitas ſimul ſubſiſtere duplici ſubſiſtentiâ, unâ propriâ, altera aliena præſertim divinâ; ergo potuit à Verbo aſſumi humanitas etiam concomitanter ſubſiſtens, &c. patet conſequentia, probatur antecedens in quo poſui ly *præſertim divina*, ut abſtraham pro nunc ab eò, quod perſona etiam creata poſſit alienam naturam terminare, quod negatur quidē à pluribus, at ſine præjudicio rei præſentis, pro qua ſufficit naturam creatā terminari poſſe perſonalitate alienâ divinâ, quod innegabile redditur ex Myſterio Incarnationis; probatur, inquam antecedēs tum à priori, tum à pari: A priori ex eo, quia humanitas ſimul habet potentiam naturalem ad ſubſiſtentiam propriam, & potentiam obedientialem ad ſubſiſtentiam divinam; ergo poteſt ſimul habere utriuſq; potentiæ actus, & ſimul ſubſiſtere duplici ſubſiſtētia unâ propriâ, alia divinâ: A pari ex eo, quia juxtà ſupradicta *præc. cap. 6. 1.* humanitas poteſt ſimul ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia divinâ, ergo etiā unâ propriâ, alia divinâ; eſtq; hæc illatio, ſi benè expendatur, non à pari ſolùm, ſed à fortiori, quia ſubſiſtentia propria, & ſubſiſtentia divina, ſunt diverſi ordinis & reſpiciunt in natura diverſam potentiam, duæ ſubſiſtentiæ divinæ ſunt ejuſdem rationis, & reſpiciunt eandem potentiam obedientialem; faciliùs igitur poſſunt in natura creata ſe compati duæ priores, quam duæ poſteriores.

Reſpondebis ad utramque antecedentis probationem; ad rationem ſcilicet à priori dicas potentiam naturalem, & obedientialem, non eſſe duas potentias diſtinctas realiter, & divinam ſubſiſtentiam terminando naturam ſecundum potentiam obedientialem, terminare eam pariter ſecundum potentiam naturalem, nec relinquere locum ſubſiſtentiæ propriæ quamvis naturalem potentiam reſpicienti. Ad paritatem dices eam deficere in eo, quod duæ ſubſiſtentiæ divinæ, utpotè ambæ alienæ faciunt ambæ ſubſiſtere humanitatem in alio; ſubſiſtentiæ autem una propria, alia divina, facerent ſubſiſtere naturam in ſe & in alio; in ſe & non in ſe; in alio & non in alio; hincque non currit paritas ab illis ad iſtas ſubſiſtentias, & habent iſtæ ſpecialem repugnantiam ad ſimul terminandam eandem naturam. Sed

32. Impugnaberis quoad primam reſponſionem, quia potentia naturalis & obedientialis diſtinguuntur ab invicem formaliter & terminative, quamvis non entitativè & realiter; & illud ſufficit, ut poſſint ſingulæ habere ſimul effectus diverſos ſibi adæquatos, ut exemplificari poteſt tum in intellectu & voluntate quæ pariter non ſunt per nos potentiæ realiter diſtinctæ, & tamen dum intellectus elicit actum ſibi adæquatum, poteſt ſimul elicere actum ſibi adæquatum voluntas, tum magis ad rem præſentem in actibus ſupernaturalibus, quæ non impediunt in propriis potentiis actus naturales. Quod addebatur ſubſiſtentiam divinam terminare humanitatem etiam ſecundùm potentiam naturalem, verum eſt eminenter, nō formaliter, ideò relinquit ſubſiſtentiæ propriæ ſpecialem locum terminandi formaliter: Et hæc quidem dicta ſint ad ſuſtinendam rationem illam à priori habentem vim etiam, quando non poſſet eadem natura creata aut duabus ſubſiſtentiis propriis, aut duabus alienis ſimul terminari.

Occurritur reſponſionibus Adverſariorum.

33. Impugnaberis quoad ſecundam reſponſionem dum enim dicis, ſubſiſtentia aliena facit ſiſtere naturam in alio, ſubſiſtentia propria facit naturam ſiſtere in ſe; vel ly *in alio* & *in ſe* ſumitur ut verba ſonant, adeò ut ſubſiſtentia aliena naturam quodammodò alio transferat extrà ipſammet naturam; ſubſiſtentia propria relinquat naturam quodammodo ſolùm ac in ſe ipsâ præcise, & hoc utrumque apertam cōtinet falſitatem; vel ſignificatur, quod ſubſiſtētia aliena facit naturam ſiſtere in aliquo, quod eſt debitum alij, ſubſiſtentia propria facit naturam ſiſtere in aliquo quod eſt debitum ſibi, ipſi ſcilicet naturæ, & hic ſenſus veriſſimus quidē eſt, & vix alium legitimum ſenſum habere illa verba poſſunt, at hac ratione difficilius eſt ſiſtere pluries in alio, quod eſt habere plura debita alij, non ſibi, quam ſiſtere in ſe & in alio, quod eſt habere aliquid debitum ſibi, aliquid debitum alij. Intelligant tamen quomodocúque velint Adverſarij ly *in alio* & *in ſe*, erunt ad ſummum modi oppoſiti & repugnantes reſpectu ejuſdem tum ſubſiſtentiæ, tum naturæ, at non reſpectu diverſarum aut ſubſiſtentiarum aut naturarum; & ſicuti poteſt eadem

Digitized by Google

ſubſiſtentia reddere unam naturam ſubſiſtentem in ſe, aliam in alio, ut de facto eadem ſubſiſtentia Verbi reddit ſubſiſtentem in ſe divinitatem, in alio humanitatem, cur non poterit eadem natura reddi per unam ſubſiſtentiam in ſe, per aliam in alio ſubſiſtens? aut cur magis hoc repugnat, quàm repugnet Principem exiſtere per unam præſentiam in proprio, per aliam in alieno ſolo.

34. Probatur ſecundò: Præcipuæ quas Adverſarij proferunt rationes repugnantiæ aut procedunt ex falſo ſuppoſito, aut militant contra duas ſubſiſtentias ſive proprias ſive alienas, æquè ac contra unam propriam, alteram alienam; ergo nulla eſt aſſignabilis legitima & ſpecialis ratio repugnantiæ, & cum aliundè ex dictis ſit admodum efficax ratio non repugnantiæ, pro hac omninò ſtandum eſt & ſentiendum naturam creatam eſſe ſimul terminabilem unâ ſubſiſtentiâ propriâ, alterâ alienâ, quod eſt potuiſſe à Verbo aſſumi humanitatem etiam concomitantee ſubſiſtentem &c. Probatur antecedens, præcipuæ rationes repugnantiæ eſſe poſſunt, quod eadem res nequeat ſimul exiſtere per exiſtentiam propriam, & per exiſtentiam alienam: quòd natura ſubſiſtens ſubſiſtentiâ alienâ nequeat retinere negationem communicationis ad ſuppoſitum extraneum; quod per ſubſiſtentiam propriam natura totaliter terminetur; quod per eamdem ultimò compleatur in ſuo eſſe ſubſtantiali, adeóque nequeat ulterius terminari & ſubſtantialiter de novo perfici;

35. at ex bis rationibus duæ priores procedunt ex falſo ſuppoſito, & ex eo quod una ſubſiſtentiam ab exiſtentiâ non diſtinguat, altera ſubſiſtentiam propriam in negatione collocet; duæ poſteriores æquè militant contrà plures ſubſiſtentias aut omnes proprias, aut omnes alienas, ſubſiſtentia enim aliena æquè, ac propria, totaliter terminat, & ultimò complet naturam; ergo præcipuæ, quas Adverſarij proferunt rationes repugnantiæ aut procedunt ex falſo ſuppoſito, aut militant &c. & priores quidem negato ſuppoſito confeſtim corruunt, pro poſterioribus verò repetenda eſt ſolutio *ex cap. præced.* §.3. Additâ deinde ex ſuperiore *num.* 33. explicatione & legitimâ intelligentiâ illorum terminorum *in ſe* & *in alio*, ex quibus Suarez, Vaſquez, Lugus & plures alij Recentiores exiſtimant evinci ſpecialem repugnantiam ſubſiſtentiæ propriæ, & ſubſiſtentiæ alienæ, in eadem naturâ, non ſupereſt ulla ratio alicujus momenti pro repugnantiâ ab Adverſarijs intenta.

Dices: Talis repugnantia quamvis fortè ratione & ex naturâ rei, non appareat ſufficienter, ſupponenda, tamen omninò eſt propter doctrinam & auctoritatem Sanctorum Patrum & Conciliorum ſtatuentium non eſſe in Chriſto perſonam humanam idque inferentium ex eo, quod Chriſti humanitas ſubſiſtat perſonalitate divinâ, eſſet autẽ hæc illatio prorſus inefficax, & inanis, ſi poſſet humanitas ſimul ſubſiſtere perſonalitate humanâ & divinâ; propriâ & alienâ. Sed contra: triplex

36. Quomodò adhibetur reſponſio: Prima negat illationem, quam Adverſarij ſupponunt, & docet Sanctos Patres & Concilia inferre in Chriſto carentiam perſonæ humanæ non præcisè ex eo quod humanitas ejus ſubſiſtat perſonalitate divinâ; ſed ex eo, quod tali perſonalitate ſubſiſtat in unitate perſonæ; quam quidem perſonæ unitatem, ſeu eſſe unicam perſonam in Chriſto, collegerunt ex ſacrâ Scripturâ loquente de Chriſto, tanquàm de unâ perſonâ ut attigimus *cap. præced. num.* 19. favet huic reſponſioni S. Doctor *hic quæſt.* 4. *art.* 3. *in c.* docens non rectè dici, quod filius Dei aſſumpſerit hominem (cujus nomine venit humanitas habens propriam perſonalitatẽ) ſupponendo, quod in Chriſto ſit tantùm unum ſuppoſitum & una hypoſtaſis, rectè verò id poſſe dici ſecundùm eos, qui ponunt in Chriſto duas hypoſtaſes vel duo ſuppoſita; ecce indicat S. Thomas poſſe aſſumi humanitatem retinentem propriam ſubſiſtentiam, & quod de facto non retineat inferri non præcisè ex eo, quod ſit aſſumpta à filio Dei, ſed ex eo quod ſit aſſumpta in unitate perſonæ, ſeu ſupponendo in Chriſto unam tantùm perſonam.

Sancti Patres inferant in Chriſto carentiam perſonæ humanæ?

37. Secunda reſponſio admittit illationem illam à Sanctis Patribus fieri, at negat eſſe efficacem; exiſtimat enim non eſſe inconveniens, quod Sancti Patres & Concilia deducant veritates fidei ex rationibus naturalibus incertis imò falſis, Deo quidem verum revelante ſed ſimul permittente ex falſo verum deduci, ſicque in propoſito veritatem unius Perſonæ in Chriſto potuiſſe Patres & Concilia deducere ex eo, quod humanitas ſubſiſtat ſubſiſtentiâ Verbi, nec poſſit ſimul ſubſiſtere ſubſiſtentia propriâ, quamvis hoc poſterius in re falſum ſit. Inſinuat nec improbat hanc reſponſionem Arriaga *præcedenti diſp.* 27. *num.* 16. At meo videri eſt parum plauſibilis, nec in medium proferenda; nam ex una parte nimis favet Adverſarijs, quorum opinioni magnum pondus, magnaque auctoritas accedit ex eo, quod concedatur eſſe juxta mentem Patrum & Conciliorum, ex aliâ parte nonnihil detrahit ipſis Patribus & Concilijs, quibus indecorum eſt in re graviſſimâ aſſumpſiſſe principium falſum pro vero; quod licèt ſimpliciter non repugnet, & de facto fortè evenerit in uno aut altero Sancto Patre non eſt concedendum de integris Concilijs, & de pluribus Patribus ſimul.

38. Tertia reſponſio admittit illationem, & ſuſtinet ſimul ejus efficaciam dicendo ex naturali repugnantiâ, quam habet in eadem naturâ ſubſiſtentia propria cum alienâ rectè & efficaciter potuiſſe inferri carentiam ſubſiſtentiæ propriæ ex præſentiâ ſubſiſtentiæ alienæ; nec illationem infirmari ex eo, quod utraque ſubſiſtentia poſſit ſimul reperiri ſecundùm potentiam abſolutam, & interveniente ſpeciali miraculo; ex hoc, inquam, non infirmari, quia uſus potentiæ abſolutæ & ſpeciale miraculum præſumi non debet ſine neceſſitate. Contrà hanc tertiam reſponſionem cæteris plauſibiliorem ac receptiorem, licet prima, quæ expeditior eſt, ſuâ quoque probabilitate non careat; contra hanc tertiam, inquam, reſponſionem,

Urgebis

Digitized by Google

Urgebis ex Lugo *præcit. ſec.6 n.69.* Si ſubſiſtentia propria humanitatis eſt ſimpliciter compoſſibilis cum ſubſiſtentia Verbi, & habet ſolùm naturalem ſeu connaturalem repugnantiam, æquale aut fortè majus miraculum eſt, quod humanitas ſpolietur ſubſiſtentiâ propriâ, quàm quod iſta in humanitate permaneat ſimul cum ſubſiſtentiâ Verbi; ergo dicendo manere in Chriſti humanitate ſubſiſtentiam propriam ſimul cum ſubſiſtentiâ Verbi non multiplicarentur, nec augerentur miracula magis, quàm dicendo humanitatem ipſam ſubſiſtentiâ propriâ ſpoliari, & incongruè Sancti Patres hoc ſecundum potiùs, quàm illud primum intuliſſent titulo non inducendi, ſeu non præſumendi ſine neceſſitate ſpeciale miraculum: Antecedens probatur, quia utrobique eſt ejuſdem rationis, ſcilicet connaturalitatis repugnantia ſuperanda, cum habeat humanitatis naturalem ſeu connaturalem repugnantiam ad ſpoliari propriâ ſubſiſtentiâ, utpotè quæ eſt paſſio neceſſario ab ipsâ fluens ac inſeparabilis naturaliter; & ex alia parte videbatur convenientiſſimum aſſumi à Verbo humanitatem perfectam & cum omni proprio complemento, quamvis ad hoc præſtandum deberent in humanitate conjungi ſubſiſtendi modi connaturaliter repugnantes; quod Gonetus *diſp.9. n.96.* confirmat ex eo, quod Corpus Chriſti acquirendo præſentiam ſacramentalem in Euchariſtiâ non amittit extenſionem naturalem in Cœlo, quia extenſio ad locum eſt tamquàm naturalis corporis paſſio & cenſetur minus miraculum cõjungere duos modos præſentiæ connaturaliter repugnantes, quàm auferre à corpore propriam præſentiam naturalem; ergo ſimiliter humanitas aquirendo ſubſiſtentiam Verbi non deberet amittere ſubſiſtentiam propriam, & minus miraculum cenſendum eſſet conjungere duos ſubſiſtendi modos connaturaliter repugnantes, quàm auferre à naturâ propriam ſubſiſtentiam naturalem. Sed contrà: In primis Arriaga *præcit.*

39. *diſp.27. ſec.2.* vehementer arguit conſequentiæ, & inconſtantiæ in doctrinâ, eo quod in materiâ de Euchariſtiâ docuerit Tridentinum, & alia Concilia, collegiſſe non manere in rerum naturâ ſubſtantiam panis poſt conſecrationem, ne inducatur novum miraculum conſervativum ſubſtantiæ ſine ſuis accidentibus, at undénam Concilia habuerunt eſſe majus miraculum conſervari ſubſtantiam panis ſine ſuis accidentibus, quàm illam etiam quoad materiam primam deſtrui? undénam didicerunt hoc potiùs, quàm illud miraculum fuiſſe de facto patrandum? Ecce Lugus inconſequenter hic urget difficultatem, quâ ipſemet alibi premitur: Verùm quidquid ſit de hujus Auctoris inconſequentiâ.

Arriaga Lugum arguit inconſequentiæ & inconſtantiæ in doctrinâ.

40. Ad inſtantiam dico humanitatem ſpoliari, ſeu carere ſubſiſtentiâ propriâ purè privativè eſſe ſpeciale miraculum, & fortè majus, quàm habere duplicem ſubſiſtentiam; at carere ſubſiſtentiâ propriâ ad præſentiam divinæ non eſt ſpeciale miraculum diverſum ab eo, quod ipſam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ divinâ; undè & infrà traditur humanitatem ſic ſubſiſtentem non pati ex propriæ ſubſiſtentiæ carentiâ violentiam, nec habere ejus appetitum; non fit igitur aliquid contra naturæ exigentiam, non ſuperatur ulla naturalis repugnantia, non patratur ſpeciale miraculum in eo, quod humanitati Chriſti ad præſentiam ſubſiſtentiæ divinæ deſit ſubſiſtentia propria; ideò titulo non inducendi novum miraculum rectè infertur in Chriſto carentia ſubſiſtentiæ humanæ potiùs, quàm permanentia ejuſdem cum divinâ, quæ permanentia, licet ſimpliciter poſſibilis, eſſet tamen ſpecialiter miraculoſa & indebita tum naturæ eam non amplius appetenti, tum ſubſiſtentiæ divinæ eam ſupplenti, & petenti ejus abſentiam. Ad illud, quod additur de convenientiâ aſſumendi naturam cum omni ſuo complemento, & ad confirmationem deſumptam ex Euchariſtiæ Myſterio, dico fuiſſe convenientiſſimam aſſumptionem naturæ cum omni eo complemento, quod ſpectabat ad naturam in eſſe naturæ, & poterat cum perſonæ unitate componi, vel quod non erat per ſubſiſtentiam perſonæ aſſumentis eminentiore modo ſupplendum: Unde etiam quia reſpectu corporis Chriſti præſentia ſacramentalis in Euchariſtiâ non ſupplet extenſionem naturalem, nec idem, quod iſta, munus præſtat, corpori aquirenti præſentiam ſacramentalem, adhuc eſt debita extenſio naturalis, nec, permanentiâ extenſionis naturalis cum præſentiâ ſacramentali in Chriſti corpore ad permanentiam perſonalitatis propriæ cum perſonalitate divinâ in Chriſti humanitate rectè arguitur.

Dicés aliter: Si poſſet aſſumi à divino ſuppoſito natura retinens propriam ſubſiſtentiam nulla eſſet ratio, cur aſſumi quoque non poſſet natura ſuam ſibi ſubſiſtentiam identificans? & tamen hoc non eſt admittendum, quia ſecus ex myſterio Incarnationis, & aſſumptione humanitatis, malè inferretur realis diſtinctio ſubſiſtentiæ à naturâ in creatis; & D. Thomas *hic quæſt.4. art.2. ad 3.* incongruè ſupponeret Angelum à principio ſuæ creationis in ſua perſonalitate perfectum non poſſe aſſumi, niſi ejus perſonalitas deſtrueretur. Sed contrà: repugnat ſimpliciter natu- 41.
ra creata ſuam ſibi ſubſiſtentiam identificans, ut arrigi *tract.1. lib.1. cap.6. §.3.* loquendo verò in hypotheſi, etiamſi impoſſibile, dico quod vel talis natura ſupponeretur habere diſtinctionem aliquam realem virtualem à ſubſiſtentiâ ſibi identificatâ, ratione cujus diſtinctionis poſſit natura aſſumi non aſſumptâ ſubſiſtentiâ, & in hoc caſu concederem cum Vaſquio *diſp.31. c.1. n.4.* naturam illam fore aſſumptibilé coherenter ad ſuprà dicta *n.27.* Vel talis natura non admitteret diſtinctionem virtualem, ac per conſequens non poſſet aſſumi niſi ſimul aſſumpta ſubſiſtentia, & in hoc caſu verè eſſet aſſumptibilis, ut nos ſuppoſuimus *præc. §.3.* & in præſenti tradit Arriaga *præc. ſec.2. n.17.* at præſtò eſt ſpecialis ratio repugnantiæ non militans pro natura ſubſiſtentiam ſuam retinente, in aſſumptione enim hujus naturæ ſubſiſtentia ipſa non aſſumeretur & retineretur dumtaxat materialiter & ſpecificativè ut in terminis monui *præced. num.30.* in aſſumptione verò illius alterius naturæ de-

Quomodo eſſet aſſumptibilis natura creata, quæ ſupponeretur ſuam ſibi ſubſiſtentiam identificare.

berct ſimul aſſumi ipſa ſubſiſtentia, quæ neceſſario ſe haberet formaliter & reduplicativè ad aſſumptionem; & in hoc conſiſtit ſpecialis & omnimoda repugnantia. Ad probationes vero, quatenus militare poſſunt contrà primam hujus noſtræ doctrinæ partem dico non ex aſſumptione humanitatis quacumque, ſed ex aſſumptione facta in unitate perſonæ inferre Theologos & rectè diſtinctionem realem ſubſiſtentiæ à naturâ in creatis, & natura quæ cum identitate ſupponeretur habere diſtinctionem virtualem à propriâ ſubſiſtentiâ permittitur quidem aſſumptibilis, at non in unitate perſonæ; undè & D. Thomas in textu præmemorato (præter quod loquitur in aliorum ſententia magis, quàm in propria) expreſsè apponit *in unitatem divinæ perſonæ*; in hac autem unitate, nec incongrue, nec inconſequenter ad noſtram doctrinam, ſupponitur Angelum antecedenter ſubſiſtentem non poſſe aſſumi; quin ejus perſonalitas deſtruatur, aut ſaltem ab ipſo penitus ſeparetur.

43. *Vndè colligatur in humanitate Chriſti carétia propriæ ſubſiſtentiæ:*

43. Ex dictis habes duplici potiſſimum ex capite colligi, quod humanitas Chriſti propriam perſonalitatem non retinuerit, etiamſi potuerit retinere. Colligitur id primò ex eo, quòd connaturalius erat quòd non retineret nec retinere poterat ſine ſpeciali miraculo diverſo à miraculo aſſumptionis: Secundò ex eo, quod aliundè conſtat humanitatem fuiſſe de facto aſſumptam in unitate perſonæ, in quo aſſumptionis modo neceſſe eſt naturam aſſumi non retentâ propriâ perſonalitate; & ex hoc poſteriore capite fides Incarnationis nos duxit ad penetrandam realem diſtinctionem perſonalitatis creatæ à ſuâ naturâ.

---

§. III.

Quanam alia natura præter humanam fuerit à Verbo aſſumptibilis? Vbi an accidens elevari poſſit ad ſubſiſtendum.

44. ASSERT. 1. Certum eſt fuiſſe à Verbo aſſumptibilem aliquam aliam naturam præter humanam de facto aſſumptam, & quidem non ſolum aliam numero verùm etiam ſpecie; & in particulari fuit aſſumptibilis natura Angelica. Prima pars eſt contrà Ioannem Uvicleffum, qui erroneè abſurdéque ſenſit non potuiſſe Verbum aſſumere aliam humanitatem præter eam ſingularem & individuam, quam de facto aſſumpſit: Secunda pars eſt contrà Albertum *in 3. diſt. 2. art. 2.* alioſque nonnullos, arbitratos non diſtingui in Angelis naturam à ſuppoſito. Totum aſſertum recipitur communiſſimè, & de prima ejus parte nullus Catholicus dubitare poteſt.

Verbum potuit aſſumere aliam humanitatem ab eâ, quam aſſumpſit.

Probatur quoad naturam aliam numero ex eo, quia diverſitas numerica eſt valdè materialis; & naturæ ejuſdem ſpeciei ſicut habent eadem prædicata eſſentialia, ità habent eamdem capacitatem, eamdémque aſſumptibilitatem, nec aliundè divina virtus alligatur alicui determinato individuo, ſed ſicut determinat cauſas ſecundas ad hunc potiùs, quàm ad illum numero effectum, ità poteſt ipſa circa unum æquè, ac circa alium ſe exercere; undè in propoſito Auguſtinus *lib. 13. de Trin. cap.* 18. rectè ſupponit tamquàm per ſe notum potuiſſe Verbum aſſumere humanitatem aliundè quàm ex ſtirpe Adæ & *lib. de prædeſtin. Sanctor. cap.* 15. jure ait ex ſola Dei gratuitâ electione factum eſſe ut illa potius humanitas, quàm alia Verbo jungeretur.

45. *Potuit item aſſumere naturam angelicam.*

45. Quoad naturam aliam ſpecie, & in particulari quoad Angelicam, cum hæc ex unâ parte ſupponatur non identificare ſibi ſuam ſubſiſtentiam, & ex aliâ parte ſuperet in perfectione naturam humanam, ab iſtâ ad illam procedit argumentum à fortiori, & confirmatur ex vulgatis illis Apoſtoli verbis *Nuſquàm Angelos apprehendit*, quæ habent ſpecialem vim in noſtris principijs, in quibus cum nequeat natura creata exiſtere exiſtentiâ divinâ, non apparet de quanam alia apprehenſione, ſeu aſſumptione, poſſint intelligi, quàm de aſſumptione ad ſubſiſtendum. Confirmatur ulterius ex Divo Thomâ *præcit. articul. 1. ad 3.* ubi non ſupponit Angelum poſſe aſſumi in unitatem divinæ perſonæ ſi ejus perſonalitas deſtruatur; ſed inſuper expreſsè ſubdit *Poteſt Deus producendo novam angelicam naturam, copulare eam ſibi in unitate perſona.* Nec obſtat quod S. Doctor corpus ejuſdem articuli concludat his verbis *Vnde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.* Non obſtat, inquam, quia hæc verba debent intelligi cohærenter ad præcedentia in eod. corp. articuli, ubi agitur de aſſumptibilitate ſecundùm congruentiam, tum dignitatis, tum neceſſitatis, & ſecundùm hanc utramque congruentiam verè aſſumptibilis eſt ſola natura humana; cum quo ſtat eſſe aſſumptibilem naturam angelicam ſecundùm potentiam obedientialem; imò & ſecundùm unam ex prædictis congruentijs, nimirum ſecundùm congruentiam dignitatis; hocque quiſquis textum conſulet facilè conijciet eſſe juxtà mentem ipſius Doctoris.

46. Aſſert. 2. Præter naturam humanam fuit à Verbo ſecundùm puram potentiam obedientialem aſſumptibilis quælibet natura ſubſtantialis completa: quamvis inferior humanâ & irrationalis. Ita D. Thomas *in 3. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1.* Scotus *quæſt. 1. §. contra iſtud* Major *quæſt. 1.* Ochamus *quæſt. 1. art. 3.* Marſilius *quæſt. 3. art. 2.* Aureolus *quæſt. 2. art. 3.* Durandus *quæſt. 1.* Suarez *hic diſp. 14. ſec. 2.* Vaſquez *diſp. 30. cap. 2.* Valentia *diſp. 1. quæſt. 4. punc. 1.* Maderuus *quæſt. 4. art. 14.* cæterique Recentiores communiter ſecuti Thomiſtas, Scotiſtas, & Nominales, contra Bonaventuram *in 3. diſt 2. art. 1. quæſt. 1.* Alenſem *3. par. quæſt. memb. 7. & quæſt. 11. memb. 1.* Henricum *quodlib. 13. quæſt. 5.* Mirandulanum, alioſque nonnullos, inter quos & cæterorum Theologorum torrentem medij ſunt ac problematici Richardus *in 3. diſt. 2. art. 1. quæſt. 4. &* Gabriel *diſt. 1. quæſt. 2. art. 1. & 2.*

Dixi *ſecundùm puram potentiam obedientia-*

lem

lem, aſſumptibilitatis enim nomine in præſenti venit potentia paſſiva, non quidem naturalis, quia hæc debet habere correſpondentem potentiam naturalem activam, quæ nulla eſt in ordine ad aſſumptionem, ut patebit cum de cauſa efficiente unionis hypoſtaticæ; relinquitur ergo, quod ſit potentia paſſiva obedientialis; potentia autem paſſiva obedientialis alia eſt pura, importans præcisè non repugnantiam ſeu potentiam logicam, & habet ſibi correſpondentem potentiam activam Dei abſolutam; alia eſt potentia obedientialis non pura, habens adjunctam obedientialitati congruitatem, & recipiens potentiam Dei activam ordinariam in genere ſupernaturali: Porrò congruitas ad aſſumptionem maxima eſt in naturâ humanâ, aliqualis etiam in naturâ angelicâ, nulla prorſus in naturâ irrationali, ut facilè conſtare poteſt tum recolendo ſupradicta de convenientia Incarnationis *cap.* 2. §. 2. tum conſulendo textum S. Doctoris in utroque *art* 1. *præcit.* ideò &c. Aſſertum ſic explicatum.

Potentia paſſiva obedientialis alia pura, alia nō pura.

47. Quælibet natura ſubſtantialis completa fuit aſſumptibilis à Verbo.

Probatur, Quælibet natura ſubſtantialis completa, quamvis inferior humana & irrationalis non habet quidem dignitatem ullam, aut neceſſitatem, ut aſſumatur; at neque habet ullam repugnantiam relatè ad potentiam abſolutam Dei, ergo præter naturam humanam fuit à Verbo ſecundùm puram potentiam obedientialem aſſumptibilis &c. conſequentia patet: Probatur antecedens primò poſitivè, quia quælibet natura ſubſtantialis completa habet ſubſiſtentiam propriam à ſe realiter diſtinctam, habet igitur non repugnantiam ad ſeparari à ſubſiſtentia propriâ & ad uniri ſubſiſtentiæ divinæ, quæ ratione ſuæ infinitatis ſicuti continet ſubſiſtentiam quamcumque creatam ſive rationalis, ſive irrationalis naturæ, ita poteſt quamcumque ſupplere, imò ſicut de facto terminat omnem naturam creatam ut contentam in divinâ, ità non eſt cur nequeat eamdem omnem terminare ut exiſtentem in ſe ipſa? Confirmatur ex, eo quod natura rationalis, & natura irrationalis, ut aſſumptibiles ſecundùm puram potentiam obedientialem vix ab invicē differūt, nec habent inæqualitatē, nam ſecundum potentiā obedientialē cōparantur ad abſolutū Dei dominium, cui ſūt omnia æquè ſubjecta; & ea in quibus natura rationalis ab irrationali differt, eique inæqualis eſt, ſpectant ad connaturalem, non ad obediētialē perfectionē; ad congruitatem, non ad obedientialitatem aſſumptionis: favet huic doctrinæ quod *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. dicebamus intellectus creatos eſſe inæquales in virtute naturali, non in virtute obedientiali: favet item eximiè Gregorius Nyſſenus *in oratione catechetica c.* 27. ubi exiſtimantes indecoram eſſe Deo aſſumptionem terreſtris, ſecus verò cœleſtis corporis, impugnat ex eo, quod omnis creatura à Dei altitudine æquè diſtet, & Dei potentiæ æquè ſubjiciatur: Nyſſeni verba refert Vaſquez *præc. c.* 2. in quo ſimul profert pro præſenti intento auctoritates Tertulliani, & Auguſtini.

Natura rationalis, & natura irrationalis, ut obedientialiter aſſumptibiles, non differunt.

48. Rationes

Probatur idem primum antecedens ſecundò negativè ſolvendo rationes repugnantiæ ab Adverſarijs excogitatas; quarum prima ſit. Naturæ irrationali etiam relatè ad potentiam abſolutam Dei repugnat ſanctitas; non poteſt autem natura ulla aſſumi à Verbo niſi ſanctificetur, tum antecedenter per gratiam habitualem quæ eſt diſpoſitio eſſentialiter prærequiſita ad gratiam unionis, tum formaliter per ipſam perſonam Verbi, quæ cum ſit in ſe ſumma ſanctitas non poteſt uniri alicui naturæ, quin eam ſanctificet: Secunda, Naturæ irrationali repugnat elevari ad ſupernaturaliter operandum; ergo etiam ad ſupernaturaliter ſubſiſtendum; ſupernaturaliter enim ſubſiſtere ſpectat ad ſupernaturale eſſe, eſſe autem ſupernaturale non datur niſi ad ſupernaturaliter operari; cum omne eſſe ſit propter operari, eſſe naturale propter operari naturaliter, eſſe ſupernaturale propter operari ſupernaturaliter: Tertia: Naturæ irrationali repugnat unio intentionalis cum Deo, repugnat ſcilicet quod elevetur ad Deum videndum; ergo à fortiori repugnat unio hypoſtatica, cum hæc ſubſtantialis ſit & major, illa accidentalis & minor: Quarta, Aſſumptio, de quâ in præſenti, eſt aſſumptio ad unionem perſonalem; iſta autem repugnat naturæ irrationali, utpote quæ non eſt capax perſonalitatis, nec poteſt ingredi conſtitutionem perſonæ, quæ eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia: Quinta, Aſſumptio infert communicationem idiomatum inter perſonam aſſumentem & naturam aſſumptam; perſonæ autem divinæ repugnant idiomata naturarum irrationalium præſertim viliorum, quarum prædicata maximè dedecent divinam Majeſtatem, nec poteſt ſine aurium offenſione dici, Deus eſt hinnibilis Deus eſt lapis, Deus eſt muſca &c. Verum iſtæ omnes rationes retorquentur in primis, & infringuntur in corpore Chriſti, quod pro triduo mortis manſit hypoſtaticè unitum Verbo, & tamen pro tali triduo non fuit capax, aut ſanctificationis, aut ſupernaturalis operationis, aut unionis intentionalis cum Deo &c. magis, quàm alia quælibet natura irrationalis. Nec ſufficienter occurrunt Adverſarij dicendo Chriſti corpus pro illo triduo non fuiſſe quidem talium chariſmatum capax actu & proximè, bene tamen potentia & remotè, quatenus dicebat ordinem ad animam & eſſe poterit pars naturæ rationalis habentis ad prædicta omnia capacitatem; undè oppoſitæ ſententiæ Auctores à naturis irrationalibus, quibus aſſumptibilitatem negant, excipiunt eam, quæ dicit ordinem ad rationalem. Non ſufficienter, inquam, occurrunt, quia cum corpus ſemel ab animâ ſeparatum nequeat ei naturaliter reuniri, non apparet quemnam ſpecialem ordinem ad rationalem animam habeat; præſertim ſi tale corpus ſupponatur informatum formâ cadavericâ incompoſſibili cum animâ, qua ratione cum non ſit animæ capax, niſi tali forma denudetur, eodem modo ſe habet ac materia equi, lapidis, & cujuſlibet alterius compoſiti irrationalis, quæ ſi ſuâ formâ denudetur, poteſt ab anima informari, & eſſe pars naturæ rationalis: Quidquid deindè ſit de diſparitate ab Adverſarijs prætensâ in-

Adverſariorum pro repugnantiâ aſſumptionis in naturâ irrationali.

49. Retorquentur omnes, & infringuntur in corpore Chriſti mortuo:

Et inſuper afferuntur di-

ter

Recta ſolutio ad ſingulas ſeorſim.

ter corpus Chriſti mortuum & naturas alias irrationales, directè eludo omnes præallatas repugnantiæ rationes, &

50. *Ad primam deſumptam ex ſanctificatione.*

Ad primam: falſum eſt naturam, quæ aſſumitur, debere ſanctificari antecedenter per gratiam habitualem, cum hæc de facto in humanitate Chriſti ſubſequatur, non antecedat gratiam unionis & aſſumptionem; falſum item eſt debere neceſſariò ſanctificari formaliter per perſonam aſſumentem; unio enim perſonæ, quantumvis infinitè ſanctæ, habet pro effectu primario terminare naturam, ſanctificare deinde eſt effectus ſecundarius, & divinitus ſeparabilis. Addo tamen ſanctitatem, & ſanctificationem aliam eſſe moralem reſpicientem actus liberos, ſtudioſos, & meritorios, aliam phyſicam reſultantem præcisè ex phyſica unione ad aliquod ſanctum, & ſitam in ſpeciali dignitate alicujus honoris ſeu cultus, natura irrationalis eſt incapax prioris, non poſterioris ſanctitatis, & hanc poſteriorem maximè tribuit Perſona divina naturæ aſſumptæ, cui, quæcumque ſit, debetur ex vi unionis hypoſtaticæ ſpecialis cultus, & adoratio latriæ.

51. *Ad ſecundam deſumptam ex operatione ſupernaturali.*

Ad ſecundam: Solùm de lege ordinaria eſſe datur ad operari, cæterùm optime poteſt de lege abſoluta dari eſſe naturale ſine ordine ad naturalem, eſſe ſupernaturale ſine ordine ad ſupernaturalem operationem. Addo ad ſummum eſſe eſſentiæ, ſeu naturæ, dari ad operari; non eſſe ſubſiſtentiæ ſeu ſuppoſiti, quod per nos non eſt comprincipium operandi; natura autem irrationalis, quæ à Verbo aſſumeretur haberet eſſe ſupernaturale ſubſiſtentiæ ſeu ſuppoſiti, ideò non eſt quærendum in tali natura ſupernaturaliter operari.

52. *Ad tertiam deſumptam ex unione intentionali.*

Ad tertiam: Valet illatio negativa à minori ad majus, quando utrumque eſt ejuſdem rationis, & in eadem linea; at unio hypoſtatica, & unio intentionalis, ſeu viſio, ſunt diverſæ rationis, & in diverſâ lineâ; ideò, &c. & conſideranti rationem, ob quam naturæ irrationali repugnat Dei viſio facilè patebit illam non militare ad probandum, quod eidem naturæ repugnet unio hypoſtatica, in ordine ad quam natura paſſivè ſe habet, nec debet exercere cauſalitatem ullam vitalem, & principalem.

53. *Ad quartam deſumptam ex prærogativa perſonæ.*

Ad quartam: Unio, de quâ in præſenti, eſt unio hypoſtatica abſtrahens ab eo, quod fiat in perſona vel in ſuppoſito, & ſubſiſtentia divina æquè poteſt conſtituere cum natura irrationali ſuppoſitum, ac cum natura rationali perſonam; quamvis igitur natura irrationalis non ſit capax divinæ perſonalitatis reduplicativè, eſt capax ipſius ſpecificativè, eſt ſcilicet capax ſubſiſtentiæ, quæ reſpectu naturæ rationalis eſt perſonalitas.

54. *Ad quintam deſumptam ex communicatione idiomatum.*

Ad quintam Tertullianus *lib. de carne Chriſti cap.* 4. poſtquam ſibi objecit ex Marcione ſtultum videri ac Deo indignum, quod Verbum aſſumpſerit corpus terreſtre, multoque magis ſi feræ aut pecoris corpore indutum prædicaretur, rectè ait *ſit planè ſtultum, ſi de noſtro ſenſu judicemus Deum, ſed circumſpicè Marcion (ſi tamen non deleſti) ſtulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes:* Si igitur de ſuo, non de noſtro, ſenſu Deum judicemus abſurdæ, & turpes, non erunt propoſitiones illæ, Deus eſt hinnibilis, Deus eſt lapis, ſicut nec iſtæ de facto Deus eſt mortuus, Deus eſt crucifixus; pro quo recolenda ſunt quæ ſuprà dicebamus *cap.* 2. *num.* 12. Interim quia propoſitiones ſæpè à rudioribus accipiuntur ſecundum ſenſum magis obvium, & magis humanæ infirmitati accommodatum, prudenter monet Cajetanus, Gonetus, & Valentia non eſſe facilè ad viliores creaturas deſcendendum, in ipſis formando propoſitiones ad communicationem idiomatum pertinentes, idque ut vitetur periculum offendendi infirmas, aures puſillorum; Unde imprudentiæ imò & alicujus inverecundiæ notatur Gabriel qui *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. liberiùs in eo genere loquitur, imò & erumpit in propoſitiones illas, Deus eſt diabolus, Deus eſt homo damnatus, quas Valentia *præcit. punct.* 1. jure redarguit non ſolùm ut malè ſonantes & piarum aurium offenſivas, ſed & ut ſimpliciter falſas; nam abſtrahendo pro nunc ab eo, quod Deus poſſit aſſumere naturam, quæ aliquando peccaverit, certè non poterit eam aſſumere retento peccato; dæmon autem & homo damnatus ſignificant naturas peccatum retinentes, & actu exiſtentes ſub culpæ perverſitate; utriuſque igitur natura ſi à Deo aſſumeretur ſtatum mutaret, fieret natura boni Angeli, hominiſque beati, & Deus per communicationem idiomatum dicendus eſſet Angelus bonus, non diabolus; homo ſanctus & beatus, non damnatus.

55. *Monitum prudentiale ſpectans ad modum loquendi in hac materia.*

Dices: in aſſumptione creaturarum irrationalium ſi non eſt turpitudo & poſitiva indecentia, ſaltem neque eſt convenientia & decentia ulla, nulluſque honeſtus finis in ea apparere poteſt, & tamen Deus, qui eſt eſſentialiter agens prudentiſſimum ac ſapientiſſimum, nequit operari niſi ex fine honeſtiſſimo, & ex maxima convenientia; caret poſſibilitate reſpectu Dei quod caret honeſtate; non eſt Deo poſſibile, quod non eſt Deo conveniens; ergo. Sed contrà: Honeſtus prædictæ aſſumptionis finis eſſe poteſt ipſamet oſtenſio divinæ potentiæ, aut confuſio humanæ ſuperbiæ, aut alius eò dignior, atque ſublimior, quò occultior & à cognitione noſtra remotior: Convenientia & decentia, ſi nulla eſt poſitiva & intrinſeca correſpondens congruitati, non deeſt negativa & extrinſeca correſpondens puræ obedientialitati, ſolùm autem de convenientiâ negativâ verificatur non eſſe Deo poſſibile, quod non eſt Deo conveniens ut ſuprà explicabamus *c.* 2. *n.* 2. *&* 4.

56. *Ex quonam honeſto fine poſſit à Deo aſſumi natura irrationalis.*

Aſſert. 3. Fuit à Verbo ſecundum puram potentiam obedientialem aſſumptibilis quælibet natura incompleta, nimirum tum materia prima, tum præter animam rationalem cæteræ formæ ſubſtantiales ſeorſim; tum pariter ſeorſim pars integrans aliquod totum ſubſtantiale. Ita cum pluribus Antiquis Suarez *hic diſp.* 14. *ſect.* 3. Amicus *diſp.* 15. *num.* 17. *&* 18. Arriaga *diſp.* 14. *num.* 41. Madernus *q.* 4. *art.* 14. *num.* 11. & alij Recentiores magis communiter contrà Thomiſtas ferè omnes negan-

tes

Digitized by Google

tes poſſe aſſumi materiam ſeorſim à formâ, imò nec formam ſeorſim à materiâ quamdiu eſt materiæ unita, item nec partes integrales ſeorſim à toto, quamdiu ſunt toti & inter ſe unitæ: Habemus inſuper Adverſarium Vaſquium *diſp.30.cap.5.* aliquos alios Recentiores & à fortiori Alenſem, Henricum, cæteroſque univerſaliter negantes aſſumptibilitatem cujuſlibet naturæ irrationalis.

57. De fide eſt eſſe aſſumptibilem animam rationalem ſeparatam.

Dixi *præter animam rationalem*, hanc enim nullus Catholicus negare poteſt eſſe ſecundùm ſe & ſeorſim aſſumptibilem, cum certum ex fide ſit manſiſſe de facto in triduo terminatam ſubſiſtentiâ Verbi, ſeu à Verbo aſſumptam; non valet tamen in hoc puncto arguere ab animâ ad cæteras formas, quia iſtæ non habent cum illâ commune connaturaliter exiſtere independenter à ſubjecto & produci per creationem, quod eſt proprium rerum per ſe ſubſiſtentium, ſeu habentium ſubſiſtentiam propriam.

Probatur & explicatur: Dupliciter intelligi poteſt materiam, formam aut partem aliquam integrantem aſſumi ſeorſim: Primò, quatenus materia in ſe exiſtat ſeparata à formâ, forma ſeparata à materiâ, pars integrãs ſeparata à toto, & taliter exiſtens aſſumatur: Secundo, quatenus materia exiſtat quidem unita formæ, forma unita materiæ, pars integrãs unita toti; aſſumptio tam terminetur non ad totum, nec ad unionem, ſed præcisè aut ad materiam, aut ad formam, aut ad partem integrantem; ſicque in primo ſensu ly *ſeorſim* cadit ſuprà partes non ſolùm, ut terminant aſſumptionem, verùm etiam ut in ſe exiſtunt; in ſecundo ſenſu cadit ſupra eaſdem duntaxat, ut aſſumptionem terminant: Porrò nos particulam illam in aſſerto indefinitè poſuimus, quia intendimus eam pro re præſenti indefinitè ac in utroque ſenſu procedere; & ratio eſt, quia ex unâ parte per nos verè poteſt materia realiter exiſtere ſine omni formâ, forma etiam materialis conſervari extrà omne ſubjectum, pars integrans ſeparari à toto; ex aliâ parte ut unum poſſit aſſumi ſeorſim ab alio, non eſt neceſſe, quod ſit ab eo actu ſeparatum, dummodò ſit realiter diſtinctum. Formo jam pro toto aſſerto ſic explicato probationem univerſalem ſic: Quidquid ſubſiſtit, aut ſubſiſtere poteſt ſubſiſtentiâ creatâ, eſt obedientialiter aſſumptibile ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ divinâ; atqui quælibet natura incompleta ſivè ſit pars eſſentialis nimirum materia, aut forma; ſivè ſit pars integralis ut caput, brachium pes; exiſtens in toto ſubſiſtit de facto, ſeparata à toto poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentiâ creatâ; ergo quælibet natura incompleta eſt obedientialiter à Verbo aſſumptibilis ſeorſim, quocumque modo ex mox explicatis ſumatur ly *ſeorſim.* Major patet, quia ſubſiſtentia divina continet quamlibet prorſus ſubſiſtentiam creatam, adeóque poteſt hanc quamlibet ſupplere, & ipſa ſubrogari ubicumque reperitur aut reperiri poteſt ſubſiſtentia creata: Minor conſequitur ad principia quæ aliundè ſupponimus, quæque mox contrà Thomiſtas inſinuabimus.

Eſt item aſſumptibilis ſeorſim quælibet pars ſubſtantialis ſive ſit in ſe unita toti, ſivè non.

58.

Dices igitur primo cum Thomiſtis, materia prima, utpotè quæ ex ſe eſt pura potentia carens omni actu, habet actum tum exiſtendi tum ſubſiſtendi à formâ, implicat conſequenter quod exiſtat ſeparata à formâ, & eſt de ſubjecto non ſupponente dicere, quod ità exiſtens ſit aſſumptibilis: Implicat item quod exiſtens unita formæ aſſumatur ipſa non aſſumpta formâ, quia partes eſſentiales in toto ſubſiſtunt unâ indiviſibili ſubſiſtentiâ totius, quæ primariò communicatur formæ & mediante formâ communicatur materiæ; ideò nequit Deus ſupplere ſubſiſtentiam terminantem materiam unitam formæ, quin ſimul ſuppleat ſubſiſtentiam tum totius tum formæ, & ſimul cum materia aſſumat formam: Hæc ratio probat pariter formam unitam materiæ non poſſe aſſumi ſeorſim à materiâ, ſeu non aſſumptâ materiâ; probat item de partibus integrantibus, ſubintellige etherogeneis corporum viventium, quæ quidem partes ſicut omnes informantur unâ indiviſibili formâ, ità omnes quoque terminantur unâ indiviſibili ſubſiſtentiâ, non poteſt igitur talis ſubſiſtentia ſuppleri reſpectu unius partis, quin ſuppleatur reſpectu omnium, nec poteſt aſſumi una pars, quin aſſumantur omnes: Quod ſi dicas, poterit ſaltem aſſumi una pars non aſſumptis aliis, quatenus retentâ ſimul cum aliis ſubſiſtentiâ totius ipſa ſola fiat ulterius ſubſiſtens ſubſiſtentiâ divinâ: Impugnaberis, quia talis pars ſubſiſteret ſimul ſubſiſtentia propriâ & ſubſiſtentia alienâ, quod repugnat. Sed contrà: Hæc omnia, quamvis valida ſint in ſcholâ Thomiſtica & oſtendant Thomiſtas loqui cohærenter ad ſua principia, ſunt tamen infirma, & nituntur falſo ſuppoſito in noſtris principiis, in quibus.

59. Principia ex quibus Thomiſtæ deducunt propriam ſententiam noſtræ oppoſitam.

Suppono primò materiam non eſſe ità puram potentiam, quin habeat ſuum actum entitativum, propriamque exiſtentiam, qua poſſit ſine omni forma permanere. Suppono ſecundo in compoſito ſubſtantiali aut dari duplicem ſubſiſtentiam unam propriam materiæ, aliam propriam formæ etiam materialis, aut ſi unica eſt; primariò convenire materiæ, & mediante materia communicari formæ, non è contrà. Suppono tertiò totum corporeum habere ſubſiſtentiam diviſibilem, juxtà diviſibilitatem materiæ, & partes integrales etiam homogeneas habere ſuas partiales ſubſiſtentias juxtà partes materiæ, ex quibus componuntur; præter quod falſum quoque eſt hujuſmodi partes integrantes informari una indiviſibili forma, volumus enim omnem formam materialem animam etiam, tum vegetativam, tum ſenſitivam, eſſe diviſibilem. Suppono quartò naturam creatam, ſivè completam, ſivè incompletam, poſſe ſimul terminari duplici ſubſiſtentia una propria, altera aliena, præſertim divina; hincque intercedente hujuſmodi terminatione duplicis ſubſiſtentiæ ſit quamlibet compoſiti ſubſtantialis partem, ſivè eſſentialem, ſivè integralem, etiam quando unita cæteris ſubſiſteret indiviſibili cum cæteris ſubſi-

60. Principia noſtra oppoſita Thomiſticis.

ſtentia, adhuc fore aſſumptibilem ſeorſim, & abſque eo quod aſſumantur cæteræ, cum quibus retineret, tum unionem tum ejuſdem creatæ ſubſiſtentiæ terminationem.

61. Rationes à principiis Thomiſticis independentes pro eadem ſententia noſtræ oppoſitâ.

Dices ſecundò: Quidquid ſit de prædictis principiis Thomiſticis occurrunt aliundè circa aſſumptionem naturæ incompletæ ſeorſim ſpeciales repugnantiæ rationes: Prima ſit, quia repugnat Deum per ſubſiſtentiam propriam ſupplere ſubſiſtentiam incompletam & partialem, cum ſubſiſtentia divina ſit eſſentialiter completa, & Deus ſicuti non poteſt venire in compoſitionem per modum partis, ità nec per modum ſubſiſtentiæ partialis. Secunda quia ſubſiſtentia divina non poteſt aſſumere naturam, niſi conſtituendo perſonam, aut ſuppoſitum; neutrum autem conſtitueret cum natura incompletâ, & parte ſubſtantiali ſeorſim; hæc quippè ſicuti ut ſeorſim ſubſiſtens propria ſubſiſtentiâ partiali nec perſona nec ſuppoſitum eſt, ità pariter neutrum eſſet ut ſeorſim aſſumpta à ſubſiſtentiâ divinâ partialem ipſius ſubſiſtentiam ſupplente. Tertia, quia ad aſſumptionem naturæ neceſſario conſequitur mutua prædicatio, & communicatio idiomatum; hæc autem repugnat inter Deum & naturam incompletam; neque enim poteſt rectè dici Deus eſt materia, eſt forma materialis, eſt brachium, eſt pes, &c. Quarta ſit in particulari circà formam materialem, quæ ſi aſſumatur unita & inhærens materiæ, erit ſimul in ſe & in ſubjecto, independens, & dependens; ſi aſſumatur ſeparata, perſona aſſumens ſupplebit materiam, adeóq; habebit formam materialem ſibi inhærentem, quod repugnat perſonæ divinæ; quomodocumque deinde conſideretur ſivè unita, ſivè ſeparata, ſicuti in neutro ſtatu habet ſubſiſtentiam propriam, ut tradit expreſsè D. Thomas 1. *par. quæſt.* 75. *art.* 3. ità in neutro poteſt ei advenire ſubſiſtentia divina, quæ non advenit niſi ſe ſubrogando ſubſiſtentiæ propriæ. Sed contrà: tres priores repugnantiæ rationes retorquentur in anima Chriſti, prout in triduo ſeparationis à corpore manſit Verbo hypoſtaticè unita: Deindè reſpondeo directè ad ſingulas, &

62. Retorquentur in anima Chriſti pro triduo & inſuper directè reſpondetur.

Ad primam. Ad primam dico ſubſiſtentiam partialem & incompletam ſumi poſſe vel pro ſubſiſtentiâ partis & entitatis incompletæ, vel pro ſubſiſtentiâ quæ ſit in ſe pars & aliquid incompletum; ſubſiſtentiam partialem & incompletam hoc ſecundo modo tranſeat quod ſupplere Deus non poſſit, ſupplere tamen poteſt ſubſiſtentiam partialem & incompletam primo modo, quo ſolum modo partialis eſt & incompleta ſubſiſtentia materiæ, formæ, aut partis integralis ſeorſim acceptæ; neque enim ſubſiſtentia formæ, ſi ſit diverſa à ſubſiſtentiâ materiæ, ſimul cum iſtâ componit tanquam actus cum potentiâ, ſicut componit forma cum materiâ. Aliter dicito Deum ſupplere poſſe ſubſiſtentiam partialem & incompletam præciſis imperfectionibus, id eſt quoad puram rationem ſubſiſtentiæ, non quoad rationem partialitatis & incompletionis.

63. Ad ſecundam.

Ad ſecundam dico ſubſiſtentiam divinam aſſumentem naturam incompletam conſtituere incompletam perſonam, vel incompletum ſuppoſitum prout natura incompleta quæ aſſumitur rationalis eſt vel irrationalis. Nec refert, quod ſubſiſtentia divina ſit eſſentialiter completiſſima; nam ſicut ſimpliciſſima eſt, & tamen compoſitione ſe tenente ex parte naturæ poteſt conſtituere perſonam compoſitam; ità licet completiſſima, poterit incompletione ſe tenente ex parte naturæ conſtituere perſonam incompletam: Non refert item, quod *cap. præced. num.* 63. improbata fuerit diſtinctio perſonæ in completam, & incompletam; ſermo enim ibi erat de perſonâ incompletâ incompletione derivata à ſubſiſtentiâ, non incompletione derivatâ à naturâ.

64. Ad tertiam.

Ad tertiam dico cum Suario, Maderno, Gabriele à Sancto Vincentio, cæteriſque Auctoribus pro noſtrâ ſententiâ præcitatis communicationem idiomatum conſequi ſolum ad aſſumptionem naturæ completæ & totius; non ad aſſumptionem naturæ incompletæ & partis: Nec refert quod non afferant rationem diverſitatis, in re enim ſpectante ad modum loquendi ſufficit uſus & auctoritas.

65. Ad quartam

Ad quartam eſſe in ſe importat ad ſummum independentiam ab alio, tanquam à ſuppoſito (quam tamen etiam *ex præced n.* 50. importat formaliter duntaxat non concomitanter) ideo admittit dependentiâ à ſubjecto, nec unio, & inhærentia formę materialis ad materiam, impedit ejus aſſumptionem ad ſubſiſtendum; poteſt igitur aſſumi talis forma in ſtatu unionis; poteſt item aſſumi in ſtatu ſeparationis, nec propterea inhæreret perſonæ aſſumenti, quia munus ſubjecti ſuppleret Deus præſtando potentiorem concurſum in genere efficientis, non præſtando ſuſtentationem in genere cauſæ materialis. Ad illud, quod ultimo loco additur dico ſubſiſtentiam divinam ſubrogari poſſe cuilibet ſubſiſtentiæ creatæ, ſive propriæ, ſive alienæ; ideò ſive forma unita ſubſiſtat ſubſiſtentiâ propriâ, ſivè ſubſiſtentiâ materiæ, quomodocumque item ſubſiſtat forma ſeparata, ſufficit quod ſubſiſtat entitate creatâ ad hoc, ut poſſit ſubrogari & ſuccedere ſubſiſtentia divina.

66. Accidens non eſt elevabile ad ſubſiſtendum.

Aſſert. 4. Accidens elevari non poteſt ad ſubſiſtendum, & forma accidentalis, neque ut ſubjecto unita, neque ut ſeparata, eſt immediatè & proximè aſſumptibilis à Verbo ſecundum hypoſtaſim. Ita Maytonus *in* 3. *diſt.* 5. *quæſt.* 1. Baſſulius *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 2. Alvarez *diſp.* 22. *conc.* 5. Joannes à S. Thoma *diſputat.* 7. *art.* 3. *num.* 12. Gonetus *diſp.* 8. *art.* 1. §. 1. Suarez *diſp.* 14. *ſec.* 4. Vaſquez *diſp.* 30. *cap.* 5. Madernus *quæſt.* 4. *art.* 14. *num.* 16. &c. contrà Majorem *in* 3. *diſt.* 2. *quæſt.* 3. Marſilium *quæſt.* 3. *art.* 1. Almaynum *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Medinam *hic qu.* 4. *art.* 1. Nazarium *contrau.* 1. *quæſt.* 6. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 4. *dub* 3. Herincx *diſput.* 1. *num.* 5. Valentiam *diſp.* 1. *quæſt.* 4. *punc.* 1. Amicum *diſput.* 15. *num* 26. & 28. &c. Undè patet tum Recentiores, tum Thomiſtas, tum cæteros Scholaſticos eſſe in hujus aſſerti materie ferè ex æquo diviſos.

Dixi

Nec aſſumptibile à Verbo immediatè, & proximè.

Dixi *immediatè & proxime*, quatenus ſcilicet accidens aſſumatur per ſe & ratione ſui, nulloque alio intercedente uniatur ipſummet divinæ ſubſiſtentiæ; nam poſſe aſſumi mediatè & remote, ratione alterius, cui inſit quod nihil aliud ſonat, quam ipſum ineſſe naturæ aſſumptibili, omni eater difficultate, cum de facto poſſint hoc modo dici à verbo aſſumpta accidentia humanitatis.

Secundum hypoſtaſim.

Dixi *ſecundum hypoſtaſim*, nam qui diſtinguunt realiter exiſtentiam ab eſſentiâ, præter aſſumptibilitatem ſecundum hypoſtaſim agnoſcunt aliam ſecundum exiſtentiam, & hanc accidenti concedunt Thomiſtæ communiter, illi etiam qui eidem negant aſſumptibilitatem ſecundum ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſim: Nihilominus quia in noſtris principiis identificantibus exiſtentiam cum eſſentiâ, ſicut nulla prorſus entitas exiſtere poteſt exiſtentiâ alienâ, ità nulla prorſus natura aſſumi poteſt ſecundum exiſtentiam, ſupponendum hic eſt magis, quàm definiendum quòd repugnet accidenti aſſumptibilitas ad exiſtendum exiſtentiâ Verbi; imo etiam quando permitteretur diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentiâ, ægrè adhuc concederem aſſumptibilitatem illam propter improportionem & ferè oppoſitionem, quam habet exiſtentia ſubſtantialis cum accidente, & ſaltem crediderim negatâ accidenti aſſumptibilitate ad ſubſiſtentiam inconſequenter eidem tribui aſſumptibilitatem ad ſubſtantialem exiſtentiam; cum ſubſiſtentia nihil aliud ſit, quàm ſubſtantialis exiſtentiæ, terminus ac complementum; & aliundè accidens eo ipſo, quod exiſtat exiſtentiâ ſubſtantiali, videatur poſſe facere unum per ſe, ut requiritur ad eſſe ſubſiſtens. Sed quidquid ſit de hoc.

67. Imo neque ſecundum exiſtentiam.

68. Probatur aſſertum: Accidens in nullo ſtatu eſt capax effectus formalis ſubſiſtentiæ ſivè propriæ, ſivè alienæ, ſivè creatæ, ſivè divinæ; ergo elevari non poteſt ad ſubſiſtendum, & forma accidentalis neque ut ſubjecto unita, &c. conſequentia patet; antecedens probatur, effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt complere naturam in genere ſubſtantiæ, & cum ea conſtituere unum per ſe nimirum ſuppoſitum aut perſonam ſaltem incompletam; atqui accidens non eſt capax hujus effectus formalis, & cum in nullo ſtatu poſſit eſſe ſubſtantia, in nullo ſtatu poteſt aut compleri in genere ſubſtantiæ, aut ingredi conſtitutionem unius per ſe, quod debet eſſe unum ſubſtantiale, & ex conſtituentibus ſubſtantialibus conſurgens.

Dices Accidens eſt capax modi eſſendi in ſe & per ſe; ergo eſt capax ſubſiſtendi, & poteſt Verbo uniri ſecundum hypoſtaſim; antecedens probatur, accidens poteſt conſervari ſeparatum ab omni ſubjecto; atqui accidens ſic conſervatum eſſet in ſe & per ſe; neque enim exiſteret in alio, aut ab alio dependeret; ergo. Nec ſufficienter occurritur dicendo accidens ſeparatum conſervari per concurſum potentiorem in genere efficientis, & ex vi talis concurſus exiſtere in ſe & per ſe negativè, quatenus neque eſt in alio, neque ab alio tanquam à ſuſtentante dependet; cæterum non habere modum ullum poſitivum in ſe & per ſe eſſendi. Non ſufficienter, inquam, occurritur, quia quod non eſt poſitivè in alio neceſſe eſt quod ſit poſitivè in ſe, adeóque quod habeat poſitivum modum in ſe & per ſe eſſendi. Deindè etiamſi accidens eſſet in ſe & per ſe negativè, dum conſervaretur potentiore concurſu; cur non poterit divina ſubſiſtentia talem potentiorem concurſum per ſe ipſam supplere, ſicque accidens ſibi unire ſuſtentando ipſum & terminando poſitivè? Sed contrà: amplector reſponſionem inter arguendum indicatam ad ejus impugnationem nego eſſe poſitivè in ſe quidquid non eſt poſitivè in alio, poteſt enim aliquid eſſe neque in ſe, neque in alio per aliquid poſitivum, ſaltem in genere cauſæ intrinſecæ, ſeu modi intrinſeci; nam cum concurſus potentior ſit quid poſitivum, accidens dum eſt in ſe per talem concurſum eſt in ſe per aliquid poſitivum, at in genere cauſæ extrinſecæ & efficientis: Ad id, quod dicebatur de potentiore concurſu per ſubſiſtentiam divinam ſupplebili, vel ſenſus eſt, quòd ſubſiſtentia divina ſuppleat concurſum illum formaliter præſtando accidenti proprium effectum formalem, & hoc oſtenſum eſt repugnare, vel ſenſus eſt, quod ſuppleat effective præſtando per ſe ipſam ſuſtentationem effectivam, quam præſtare deberet omnipotentia, & hoc neque eſt ad rem, quia non propterea accidens aſſumeretur hypoſtatice, neque eſt poſſibile, quia ſubſiſtentia divina activa non eſt.

69. Accidens ſeparatum à ſubjecto quomodo ſit in ſe & per ſe.

Urgebis: Non poteſt explicari, quem terminum habeat concurſus ille potentior, niſi producat modum aliquem ſubſtantialem in accidente. Sed contrà: concurſus ille potentior in noſtris principijs habebit pro termino ſpeciale complexum divinæ omnipotentiæ, cum accidente; & quando tandem produceret modum aliquem ſubſtantialem; iſte modus præſtaret accidenti ſuſtentationem, non terminationem; quod præſtat ſubjectum, non quod præſtat ſubſiſtentia, ideò hujuſmodi modus non eſſet ſupplebilis à ſubſiſtentia divinâ ſaltem ut exercente ſubſiſtentiæ munus, propriumque effectum formalem.

Dices alıter pro accidente unito: forma materialis ſubſtantialis unita ſubjecto inhæret non minus, quam accidens, & tamen per nos poteſt ſic unita à Verbo aſſumi immediatè & proximè; ergo poteſt pariter aſſumi accidens; cui unito, ne aſſumatur, videtur obſtare ſola inhærentia. Sed contrà: forma ſubſtantialis materialis inhæret conſtituendo unum per ſe, non ſic accidens; inhærentia igitur, aut aptitudo ad inhærendum, ex genere ſuo non obſtat aſſumptibilitati, ſicut nec obſtat rationi entis per ſe; obſtat vero inhærentia accidentis ex propriâ iſtius conditione, qua nequit unius per ſe conſtitutionem ingredi.

70. Inhærentia formæ ſubſtantialis materialis in quo differat ab inhærentia formæ accidentalis

§. IV

An, & quo ordine, Verbum de facto aſſumpſerit veras partes eſſentiales Humanitatis.

71. Assert. 1. Certum eſt Verbum de facto aſſumpſiſſe veras partes eſſentiales humanitatis, nimirùm verum corpus & veram animam ejuſdem rationis cum corporibus & animabus cæterorum hominum. Eſt veritas fidei definita in pluribus Concilijs contrà varios Hæreticorum errores, & primò quidem.

Errores contrà verùm in Chriſto corpus.

Quoad corpus eſt contrà Marcionem, Cerdonem, Lucanum, Manichæos, Prodianitas ſeu Hermiatitas, & Priſcillianiſtas, qui omnes tribuerunt Chriſto corpus phantaſticum & apparens eo quod corpus verum (ſicut & omnem corpoream creaturam) inter mala computarent, exiſtimarent opus diaboli ſeu mali Dei, ac propterea non tribuendum Chriſto boni Dei filio Eſt item contra Apollinatem, Valentinum ſeu Valentinianum, & Apellem, qui conceſſerunt quidem Chriſto corpus verum, at diverſæ rationis à noſtro; Apollinatis quippè dixit eſſe corpus divinum, conſubſtantiale divinitati, aut certè ex divinitate formatum. Valentinus eſſe corpus cœleſte, de Cœlo allatum, quod per Virginem nihil ex ipsâ accipiendo tranſierit, ut tranſit aqua per fiſtulam. Apelles eſſe corpus terreſtre quidem, at immediatè compactum ex elementis, in quæ fuerit Chriſto moriente reſolutum; & ejuſdem rationis cum ijs, quæ aſſumi ſolent & fieri ab Angelis potiùs, quàm cum humanis.

72. *Errores contra veram in Chriſto animam.*

Quoad animam eſt contrà Arrianos arbitratos in Chriſto Verbum (quod ipſi naturam creatam, non Patri conſubſtantialem habere blaſphemant) fuiſſe pro animâ, & ſolam carnem aſſumpſiſſe. Eſt item contra Apollinarem, Timotheum, & Dimeritas arbitratos in Chriſto Verbum fuiſſe pro mente & animam ſine mente aſſumpſiſſe, quâ loquendi formulâ utrum ſignificare voluerint Verbum aſſumpſiſſe animam ſenſitivam, non animam rationalem, an aſſumpſiſſe quidem ſubſtantiam animæ rationalis, at ſine potentiâ intellectivâ? non ſatis conſtat; fortè aliquandò in uno, aliquandò in alio ſenſu locuti ſunt; & in ſenſu poſteriore error fuiſſet affinis errori Monothelitarum negantium Chriſto humanam voluntatem, & conſequenter animam ejuſdem rationis cum noſtrâ, quæ numquàm eſt ſine ſuâ potentiâ volitiva, ſicut nec ſine intellectivâ. Contrà hos errores, quorum damnatos Auctores & abſurda fundamenta, ſicut & impugnationes ex Concilijs, & Patribus, eruditè proferunt Suarez *hic diſp.* 15. *ſec.* 2. *&* 3. Vaſquez *diſp.* 26. *&* 37. *cap.* 1. *&* 2. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 2. & aliqui alij Scholaſtici: Contra hos, inquam errores.

73. Probatur aſſertum univerſaliter ex eo, quod conformiter ad plura Scripturæ loca in varijs Concilijs definitum eſt Verbum aſſumpſiſſe veram humanitatem & Chriſtum eſſe verum hominem ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ atque naturæ, quod certè non verificaretur ſi deeſſet Chriſto aliqua vera pars eſſentialis humanitatis, Confirmatur primò quoad corpus, quod ſi negetur eſſe verum neganda ſimul eſt veritas omnibus operationibus & myſterijs à Chriſto peractis dependenter à corpore; ſi aſtruatur divinum, neceſſe eſt fateri aut divinitatem eſſe corpoream aut Chriſti corpus eſſe ſpiritale, ſi cœleſte, aut terreſtre quidem ſed immediatè compactum ex elementis, malè Chriſtus diceretur *Rom.* 1. factus ex ſemine David & *Gal.* 4. factus ex muliere. Confirmatur ſecundò quoad animam, quia niſi Chriſtus habuiſſet veram animam intellectu & voluntate præditam, non fuiſſet capax ſatisfaciendi & merendi, nec potuiſſet obire munus Redemptoris; Si Verbum fuiſſet loco animæ, non verificaretur illud Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*, cum nequeat Verbum triſtitiâ affici; ſi aſſumpſiſſet ſolam animam ſenſitivam, malè Chriſtus *Io.* 10. inſinuaſſet ſe habere animam liberam & immortalem dicendo *Ego pono animam meam ut iterùm ſumam eam: Poteſtatem habeo ponendi animam meam & iterùm ſumendi, eam*

Oſtenditur in Chriſto ambas partes eſſe veras, & ejuſdem rationis cum noſtris.

Confirmatur tertiò quoad utramque partem ex inſufficientia, & vel abſurditate vel levitate principiorum, quibus Adverſarij in errores ſuos ducuntur; negant enim veram animam rationalem, humanamque mentem, quia cenſent hanc eſſe non poſſe ſine potentia & capacitate peccandi, quod abſurdum; negant verum corpus, quia omne corpus putant eſſe malum & opus mali Dei, quod eſt blaſphemum; aſtruunt corpus cœleſte, quia Chriſtus ſæpè dicitur de Cœlo deſcendiſſe & 1. *Cor.* 15. nominatur *homo de Cœlo cæleſtis*, quæ eſt illatio leviſſima deducta ex interpretatione omninò voluntariá; habent autem memorata loca plures alios legitimos ſenſus, inter quos magis obvius eſt, quod verificentur ratione divini ſuppoſiti in Chriſto exiſtentis, non ratione corporis à Verbo aſſumpti. Nec gravioris eſt ponderis illatio quâ ex eo quod Chriſtus *Philipp.* 2. dicatur *in ſimilitudinem hominum factus* inferunt ipſum eſſe ſimilitudinariè non verè hominem, & habere corpus noſtro ſimile ſecundùm apparentiam, at non ejuſdem rationis ſecundum rem; Gravioris inquam, non eſt ponderis, quia ly *in ſimilitudinem* vel non excludit veritatem, & eodem modo ſumitur, quo in definitione generationis viventium, dum hæc dicitur eſſe origo &c. *in ſimilitudinem naturæ*; vel ſi excludit veritatem refertur ad homines ut peccatores, non ut homines; conſideratos ſecundùm culpam, non ſecundùm ſubſtantiam; & ſumitur eodem modo, quo *Rom.* 8. dum idem Chriſtus dicitur miſſus *in ſimilitudinem carnis peccati.*

74. *Occurritur Adverſariorum fundamentis, quæ aut abſurda ſunt, aut levia.*

75. Intolerabilior eſt, & omninò impia, alia quædam illatio Fauſti Manichæi, qui ut confirmet ly *in ſimilitudinem hominum* excludere veritatem humanitatis affert illud 2. Cor 5. *& ſi cognovimus Chriſtum ſecundùm carnem: ſed iam non novimus*; & ex his poſterioribus verbis

bis infert Apoſtolum retractaſſe ſententiam, quam in principio habuerat de verâ Chriſti carne: Cum tamen ly *ſecundum carnem* vel non referatur ad humanitatem aſſumptam, ſed ad modum cognoſcendi carnalem, quo Paulus antequam ad fidem converteretur minùs dignè de Chriſto ſenſit, vel ſi ad humanitatem refertur, denotet carnem paſſibilem, quam habuit Chriſtus in hac vitâ, & quam Apoſtolus, dum loquitur de Chriſto prout mortuus eſt & reſurrexit, ſe non amplius in eo agnoſcere ibi profitetur.

76\.
Corpus & anima in Chriſto habent unionem immediatã & fuerunt aſſumpta ac unita inter ſe.

Ex his habetur in Chriſto eſſe animam, & corpus, cum vera inter ſe unione & ea Verbum inter ſe unita aſſumpſiſſe; ratio eſt, quia anima & corpus ſine unione non ſunt humanitas, nec Chriſtus eſſet verus homo ejuſdem rationis cum cæteris, quoties non haberet corpus animæ unitum, & quidem immediate, ut habent cæteri: Hocque eſt directè contra quoſdam, qui olim opinati ſunt animam & Corpus in Chriſto non componere unam naturam, & uniri inter ſe ſolum mediate, quatenus uniuntur uni & eidem divinæ hypoſtaſi, quam opinionem refert Magiſter *in 3. diſt.* 6. §. *Tertia aliorum ſententia*, nec eam rejicit, imò poſtea ei favet dum *diſt.* 22. docet Chriſtum in triduo mortis manſiſſe verum hominem, eo quod pro tali triduo corpus & anima Chriſti manſerint unita eidem divinæ hypoſtaſi. Nihilominus prædicta opinio non ſolum improbatur à D. Thoma *hic quæſt.* 2. *art.* 5. & 4. *contra Gent. cap.* 27. aliiſque Theologis, verum etiam notatur gravi cenſurâ, & vel eſt ſimpliciter hæretica, ut videtur velle Suarez *diſput.* 14. *ſec.* 4. vel ſaltem eſt erronea ut indicat D. Thomas *quæſt.* 50. *art.* 4. cui ſubſcribit Lugus *diſp* 13. *ſec.* 1. *num.* 7. nam licèt ratione unionis mediatæ poſſit aliquo modo ſalvari, quod Chriſtus ſit homo, nunquàm tamen ſalvabitur, quod ſit homo univoce cum cæteris, in quibus unio partium eſt immediata.

77\.
Verùm fuerit aſſumpta ipſamet unio? pendet ex alio principio.

Porrò ex eo, quod partes eſſentiales humanitatis Chriſti habeãt immediatam inter ſe unionem, eaſque inter ſe unitas Verbum aſſumpſerit, non illicò ſequitur quod immediatè fuerit à Verbo aſſumpta ſimul cum partibus ipſamet unio, ſed pendet ex alio principio, nimirum ex eo, quod in nobis unio inter corpus & animam immediatè terminetur ſubſiſtentia creata & naturali, ut ſupponit Lugus *hic diſp.* 12. *ſec.* 5. & videtur etiam ſupponere Suarez *diſp.* 7. *ſec.* 5. §. *ſecundo modo*, qui propterea cum aliis nonnullis ſentiunt Verbum ita aſſumpſiſſe partes humanitatis unitas, ut immediatè & per ſe aſſumpſerit ipſammet unionem.

78\.
Et nobis placet ſentẽtia negans.

Verùm cum juxta noſtra principia philoſophica uniantur materia & forma per hoc præcisè, quod ſimul ſint ſecundùm eſſe complexum, nec admittant pro unione intermedia ullam ſimplicem entitatem, male ſupponitur unio, tanquàm entitas in ſe ſubſiſtens, & rectè intelligitur Verbum aſſumpſiſſe partes humanitatis inter ſe unitas abſque eo, quod ſupponatur immediatè & per ſe aſſumere unionem, quæ cum non ſit tertia entitas diſtincta à partibus ſimul ſumptis, non eſt immediatè & per ſe aſſumptibilis ſpeciali aſſumptione; Imò etiamſi foret tertia entitas, & modus ſubſtantialis, adhuc crediderim non eſſe per ſe aſſumptibilem & ſubſiſtentiæ capacem, quia formalis effectus ſubſiſtentiæ eſt conſtituere id *Quod* & terminare naturam ſaltem partialem, modus autem ille ſubſtantialis non poſſet non eſſe purum *Quo* & nullatenus eſſet natura, nequidem partialis.

Ex eo, quòd corpus & anima Chriſti habuerint inter ſe immediatam unionem, conſequens eſt melius dici, quod Chriſtus conſtet ex duabus naturis, nimirùm divinitate & humanitate, quam ex tribus nimirùm divinitate, animâ, & carne ſeu corpore, hoc enim poſteriore loquendi modo videretur indicari animam, & carnem non magis uniri inter ſe, quàm cum divinitate, adeóque uniri inter ſe ſolùm mediante ſubſiſtentia Verbi, ſicuti ſolùm hac mediante uniuntur divinitati: Vnde & ſolet in hanc rem afferri argumentum Damaſceni 3. *de fide cap* 16. deſumptum ex eo, quòd in aliquo toto recenſenda ſint ſolùm componentia immediata & proxima, non verò computanda & confundenda remota cum proximis: ſi igitur in Chriſto corpus & anima ſunt componentia remota immediatà ſui unione conſtituentia humanitatem, ex qua & divinitate in eadem hypoſtaſi unitis proximè Chriſtus conſurgit, recenſenda ſunt in Chriſto divinitas & humanitas potius, quàm divinitas, anima, & corpus; duæ naturæ potius, quàm tres; & ratio ulterior eſſe poteſt, quia naturæ nomen abſolutè prolatum ſupponit pro naturâ completâ, ſunt autem in Chriſto duæ tantùm, non tres naturæ completæ; & eſſet quædam æquivocationis ſpecies in eadem enumeratione naturæ vocem ſupponere ad ſignificandam unam naturam completam, duplicem incompletam. 79. Chriſtus melius dicitur habere duas naturas, quam tres.

Porrò quamvis hæc ita ſe habeant, non eſt tamen ſimpliciter rejiciendus, nec erroris aut falſitatis inſimulandus poſterior loquendi modus hucuſque improbatus: Enimverò ex una parte ipſimet Dialectici in ſervandis diviſionum legibus ſcrupuloſiores, clarioris aut commodioris doctrinæ gratiâ aliquando diſpenſant legem diviſionis faciendæ in membra immediata, & cum immediatis mediata confundunt, cujus rei ſolemne exemplum eſt diviſio entis non in ſubſtantiam & accidens, quæ eſſent membra immediata, ſed in ſubſtantiam, quantitatem qualitatem, & alia decem prædicamenta: Ex alia parte modus ille loquendi eſt valde opportunus & accommodatus ad profitendum in Chriſto veram animam rationalem contra Arrianos & Appollinariſtas; item verum corpus humanum contra Manichæos, Prodianitas &c. undè etiam fuit viſitatus ab aliquibus antiquis Eccleſiæ Doctoribus, maximéque placuit Patribus congregatis in Concilio Toletano XI. XIV. & XV. & licet hac occaſione inter hos Patres & Benedictum. II. fuerit oborta controverſia; nihilominus res benè ceſſit pro Patribus Concilii Toletani, & ſedes Apoſtolica admiſit illorum locutionem de tribus naturis ſeu tribus ſubſtantiis in Chriſto, ut 80. Poteſt tamẽ etiam rectè dici quod tres naturas, ſeu tres ſubſtantias, habeat.

 fuse

fuſè & acurratè refert Vaſquez *diſput.* 37. *cap.* 2. & 3.

81. Aſſerit. 2. Verbum noo aſſumpſit de facto partes eſſentiales humanitatis cum aliquo ordine temporis, ut priùs tempore aſſumpſerit unam partem, quàm alteram. Imò tales partes non habuerunt etiam ullum ordinem temporis in exiſtendo, nec una extitit prius tempore, quam altera. Eſt veritas dogmatica, & quamvis quoad poſteriores particulas Iſamberto *quaſt* 6 *diſp* 1. *art.* 2. non videatur eſſe de fide, eo quod nullibi expreſsè definitum ſit corpus Chriſti fuiſſe animatum & à Verbo aſſumptum eodem inſtanti temporis quo fuit conceptum & formatum in utero; eſt tamen id ſaltem fidei proximum, certè autem ſimpliciter de fide eſt animam Chriſti non fuiſſe ſimul cum reliquis animabus creatam ab initio mundi, & vel ſtatim initio aſſumptam, vel non multò poſt ex meritis ſuæ erga Deum dilectionis, fuiſſe verò deindè animam illam unitam carni, & carnem Verbo, decurſis aliquot annorum millibus tempore divinitus ordinato, ut tradidit Origenes *lib.* 2. *Periarchon cap.* 6. eujus error expeditur à Vaſquio *pracit. diſp.* 37. *cap.* 4. & prout extenditur ad productionem omnium animarum ab initio mundi, non eſt in præſenti impugnandus, ſed præcisè prout ponit Chriſti animam tempore præexiſtentem, & præaſſumptam ad corpus, in quo impugnatur Origenes, & una ſimul,

Error Origenis circa animã Chriſti.

82. Probatur totum aſſertum Vno eodémque inſtanti temporis fuit formatum ſeu conceptum corpus in vtero Virginis, creata anima rationalis, factaque utriuſque unio tum inter ſe, tum cum divinâ hypoſtaſi; ergo Verbum non aſsũpſit de facto partes eſſentiales humanitatis cum aliquo ordine &c. conſequentia patet, antecedens probatur ex epiſtolâ Sophronij approbata in VI. Synodo generali dicente ſic *Incarnatur Verbum Deus, non præfacta carni copulatus, vel anima praexiſtenti coninnctus; ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus; quando eis ipſum Verbum & Deus naturaliter copulatus eſt* (& nonnullis interpoſitis) *Simul quippè caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei caro animata rationalis,* Confirmatur primò ſingillatim quoad animam ex V. Synodo generali *cantic.* 2. in quo habetur *Si quis dicit, aut ſentit animam Domini praextitiſſe, unitamque eſſe Dei Verbo ante Incarnationem & nativitatem* (per nativitatem intelligit conceptionem, non autem editionem partus, ſicut Matth. 1. *Quod in ea natum eſt*, eſt idem ac conceptum, quando enim ea verba Angelus protulit, noodum partus Virginis erat editus in lucem) *ex Virgine: anathema ſit.* Confirmatur ſecundò ſingillatim quoad corpus ex epiſtolâ Cyrilli approbata in Concilio Calcedonenſi *act.* 1. dicente

Corpus, & anima Chriſti fuerunt ſimul tempore formata, nec non inter ſe, & Verbo unita.

83. *Ideò Deum natum eſſe ex Virgine. & conceptum, quia in utero Virginis, & in ipſa conceptione hominis, Deus carni unitus eſt.* Confirmatur tertiò univerſim quoad utrumque: Si corpus fuiſſet aſſumptum prius tempore, quàm anima, fuiſſet aſſumptum corpus nondum humanum; ſi anima prius tempore, quàm corpus, Beatiſſima Virgo nullatenus concurriſſet ad unionem ſubſiſtentiæ divinæ cum anima, nec eſſet propriè Dei mater: Si corpus extitiſſet antè animam, ſed in propriâ ſubſiſtentiâ; aut è contra anima in propriâ pariter ſubſiſtentiâ antè corpus; minùs rectè ſalvaretur quod Verbum de facto non aſſumpſerit naturam antecedenter ſubſiſtentem, ut tamen tradidimos *præc. n.* 29. ergo à primo ad ultimum neque quoad unionem hypoſtaticam, neque quoad exiſteotiam, fuit ullus ordo temporis inter animam, & corpus ſeu carnem Chriſti: Corpus, inquam, ſeu carnem, & quidem formaliter ſub propriâ ratione corporis ſeu carnis; nam materia ex quâ Chriſti corpus formatum eſt, ut rectè monet Suarez *diſp.* 16. *ſec.* 3. certè præceſſit tempore tum exiſtentiam aoimæ, tum unionem ad Verbi, fuit quippè talis materia priùs ſub formâ ſanguinis exiſtens & ſubſiſtens in Virgine; quia tamen Verbum non aſſumpſit illam, aut tanquàm materiam nudam, aut tanquàm materiam ſanguinis, non aſſumpſit illam eâ ratione, quâ fuit antecedenter ſubſiſtens; ideò in toto rigore ſalvatur, quod non aſſumpſerit naturam antecedenter ſubſiſtentem; neque ad hoc ſalvandum neceſſe eſt excogitare novæ materiæ creationem, ut videntur excogitaſſe nonnulli apud Arriagam *diſp.* 24. *ſec.* 2. *num.* 6. quæ tamen cogitatio malè cohæret cum perfectâ & propriâ maternitate Virginis, cui debet correſpondere propria generatio requirens principium conjunctum, & aliquid generantis remanens in genito.

84. Ex his fit Chriſti animam, non ſicut animæ noſtræ per ſeptem menſes circiter, ſed per novem menſes integros manſiſſe in utero materno, & Chriſti corpus ſicuti fuit in primo conceptionis inſtanti aoimatum, ita eo primo inſtanti habuiſſe organizationem & magnitudinem, quam noſtra corpora acquirunt ſpatio duorum circiter menſium intercedentium inter fætus conceptionem & animationem, ſicque Beatiſſima Virgo veriſimiliter ſuppeditavit in eo primo inſtanti majorem proprij ſanguinis quantitatem, quàm ſuppeditent aliæ matres, dum fœtum concipiunt; nam quod nonnulli malunt dicere Spiritum Sanctum addidiſſe aliundè aliquam partem materiæ malè conſonum perfectioni maternitatis ejuſdem Virginis reputat Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 6. *dub.* 2. *num.* 12. ubi *eod. dub.* 2. & *ſeq.* expendit quodnam fuerit determinatum inſtans temporis, quo formatum ſeu conceptum fuit Chriſti corpus? Quomodò, inſtantaneè ne, an ſucceſſivè, facta fuerit in Virgine Deiparâ delatio ſanguinis à corde ad locum generationis? & id genus alia.

Curioſa nõnulla circa formationem corporis Chriſti, & informationem eius ab anima.

85. Procedendum jam ab ordine temporis ad ordinem naturæ, ſeo depeodentiæ & cauſalitatis, qui quidem alius eſt intentionis, correſpondens cauſalitati finis; alius executionis, correſpoodens cauſalitati efficientis; ille ſe tenet ex parte operantis, iſte ex parte operis; eſt enim in intentione prius id, quod primariò operans intendit; eſt verò prius in executione id, à quo opus incipit. Aliquem naturæ

Ordo intentionis, & ordo executionis, quid?

Digitized by Google

naturæ ordinem inter aſſumptionem humanitatis, & partium ejus eſſentialium, agnoſcunt Theologi communiter excepto Durando *in 3. diſt. 2. quaſt. 2. num* 12. iidemque Theologi ſolent convenire in aſſignando ordine intentionis, non ſic in aſſignando ordine executionis, in hoc aliqui volunt priorem fuiſſe aſſumptionem totius humanitatis, quam partium; adeò ut corpus & anima, Chriſti fuerint unita inter ſe, quàm cum Verbo, Ita Scotus *in 3. diſt. 2. §. Ideo quantum* Bonaventura *ead. diſt. art. 2.* Paludanus *ibid. quaſt. 2.* Alenſis 3. *par. quaſt. 4 memb. 5.* Vaſquez *diſp. 37. cap. 7.* Econtra priorem fuiſſe in executione aſſumptionem partium, quàm totius humanitatis, adeò ut corpus & anima Chriſti prius fuerint unita Verbo, quàm inter ſe tradunt D. Thomas *hic quaſt. 6. art. 5. ad 1.* Caietanus *ibid.* Capreolus *in 2. diſt. 15. art. 3.* Gonetus *hic diſp. 10. art. 1. §. 1.* Ioannes à S. Thomâ *diſp 7. art. 4.* Suarez *diſp. 17. ſec. 1. 2. & 3.* Valentia *diſp. 1. quaſt. 6 punc. 2.* Arriaga *diſp. 24. ſec. 2.* Madernus *quaſt 4. art. 17.* cæterique tum Thomiſtæ, tum Recentiores magis communiter, cum diſſidio inter ſe circa ordinem unius partis collatæ cum altera, nam Thomiſtæ, & Valentia volunt in executione aſſumptam fuiſſe prius animam, quàm corpus, Suarez, Arriaga, Madernus prius corpus, quàm animam. Scotus & reliqui Auctores relati pro aſſumptione totius humanitatis prius, quam partium, in hoc puncto quæſtionem non habent & nullum agnoſcunt in executione ordinem unius partis ad alteram.

86. Aſſert. 3. Verbum aſſumpſit de facto humanitatem, & partes eſſentiales ejus cum aliquo ordine naturæ, adeò ut in intentione prius naturâ aſſumpſerit totam humanitatem, quàm partes; & ex partibus prius animam, quàm corpus: in executione ex oppoſito prius naturâ partes, quàm totam humanitatem; & ex partibus prius corpus, quàm animam. In hoc aſſerto habemus quoad omnia Adverſarium Durandum: quoad ordinem executionis inter humanitatem & partes ejus Scotum Bonaventuram, Paludanum, Alenſem Vaſquium; quoad ordinem executionis inter ipſas humanitatis partes Thomiſtas, & aliquos recentiores; quorum tamen major pars ſtat quoad omnia pro nobis ut patet *ex prac. num.* 85.

Aſſumptio humanitatis à Verbo facta eſt cum aliquo ordine naturæ.

Probatur aſſertum primò quoad ordinem naturæ in univerſum, quia ex unâ parte ordo naturæ eſſe poteſt ſine ordine temporis, & naturæ prioritas ac poſterioritas cum temporis ſimultate; ex alia parte licet aſſumptio à Verbo facta ſit una, non eſt tamen indiviſibilis, nec ad terminum indiviſibilem; & licèt, totum per nos non diſtinguatur à ſuis partibus acceptis ſimul, diſtinguitur tamen ab iiſdem acceptis ſeorſim, nihil eſt igitur, quòd excludat ordinem naturæ, aut ab ipsâ aſſumptione in intentione, aut à partibus aſſumptis in executione; aliundè autem ut ex ſequẽtibus mox conſtabit ſunt optimæ rationes pro tali ordine ſtatuendo, ergo verè Verbum aſſumpſit de facto humanitatem, & partes eſſentiales ejus, cum aliquo ordine naturæ.

Probatur ſecundò quoad ordinem intentionis prius attingentem humanitatem quàm partes; priùs animam quàm corpus. Illud ordine intentionis prius attingitur quod prius per ſe intenditur, & illud prius per ſe intenditur quod eſt ſuo modo ratio attingendi aliud; atqui in aſſumptione à Verbo facta primarium intentum fuit quod Verbum fieret homo, fit autem homo per aſſumptionem totius humanitatis, & inter partes magis per aſſumptionem animæ, quam per aſſumptionem corporis; anima item fuit Verbo ratio aſſumẽdi corpus, & tota humanitas ratio aſſumendi partes; ergo in aſſumptione à Verbo facta quoad ordinem intentionis prius naturâ attingitur humanitas, quàm partes; prius anima, quàm Corpus. Confirmatur ex eo quod ordo intentionis ſolet coincidere cum ordine perfectionis ſeu dignitatis, ordo enim intentionis eſt ordo finis, regulariter autem prius finalizant quæ digniora & perfectiora ſunt; undè & D. Thomas *prac. art. 5. in c.* ait *manifeſtum eſt quod ſecundùm intentionem facientis prius eſt completum, quàm incompletum*; atqui ordine perfectionis, & dignitatis, tota humanitas eſt prior partibus, anima eſt prior corpore; ergo. 87.

In tali ordine quoad intentionem prior fuit humanitas, quam partes; prior anima, quàm corpus.

Probatur tertiò quoad ordinem executionis prius attingentem partes, quam humanitatem, prius corpus, quàm animam: & ratio univerſalis eſt, quia ordo executionis opponitur ex genere ſuo ordini intentionis, & ubi iſte deſinit, ille incipit, juxta illud vulgatum, quæ ſunt poſteriora in intentione ſunt priora in executione; cum igitur ordine intentionis poſuerimus partes poſteriores humanitate, corpus poſterius anima, rectè nunc ponimus ordine executionis partes priores humanitate; corpus prius anima. Ratio verò ſpecialis eſt, quia quoad executionem ſubſiſtentia divina per unionem hypoſtaticam advenit naturæ creatæ eodem ordine, quo ei adveniret ſubſiſtentia propria; cum illa iſtam ſuppleat, & iſtius reſultantiam impediat; atqui juxta noſtra principia partes humanitatis ſubſiſtunt prius naturâ, quàm humanitas ipſa, quia habent ſingulæ humanitatis partes propriam ſubſiſtentiam, qua perfectè exiſtunt ſecundùm eſſe ſimplex prius, quàm ſecundùm eſſe complexum; corpus item ſubſiſtit prius naturâ, quàm anima, quia ad exigentiam corporis organici perfectè exiſtentis Deus creat animam; ergo ſubſiſtentia divina per unionem hypoſtaticam prius naturâ advenit partibus quàm humanitati, corpori quàm animæ: In maiore conveniunt nobiſcũ Adverſarij, in minore conſultò poſui ly *juxta noſtra principia*, ut innuerem eam à nobis hic ſupponi ex principijs philoſophicis, & quamvis Adverſarij diverſimodè in philoſophiâ ſentientes, & vel ponentes in toto unicam ſubſiſtentiam, quæ prius toti, quàm partibus tribuat ſuum effectum formalem; vel ponentes materiam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ formæ, adeóque poſteriùs formâ, loquantur conſequenter, dum in præſenti ponunt divinam ſubſiſtentiam prius advenire toti humanitati, quam partibus; aut prius animæ, quam corpori, quam- 88.

Quoad executionem priores partes, quàm humanitas, prius corpus, quam anima.

89.

Adverſarij quomodo loquantur conformiter ad ſua principia: at per nos falſa.

vis

vis inquam loquantur conſequenter, procedunt tamen ex falſo ſuppoſito; & nos debemus noſtris non ipſorum principijs cohærere. Ex noſtris autem obiter moneo, quod cum in philoſophiâ ſuppenderimus ad ſuſtinendas formas materiales ſubſiſtentes ſubſiſtentiâ materiæ; conſequens eſt, quod Verbum aſſumendo naturam purè materialem priùs naturâ aſſumeret materiam, quàm formam; idque ſpeciali ratione, quàm de facto aſſumpſerit corpus prius, quàm animam.

Dices; *ex prac num.76.* Verbum aſſumpſit partes unitas, atqui humanitas nihil aliud eſt, quam partes unitæ: ergo non aſſumpſit partes prius, quàm humanitatem. Item aſſumpſit corpus vere humanum; atqui corpus prius animâ, & ſine anima, non eſt humanum; ergo non aſſumpſit corpus prius, quam animam. Accedit quod Sancti Patres, quorum meminit Vaſquez *diſp.*17. *c.*5. ſæpè pronunciant Verbum aſſumpſiſſe carnem, ſeu corpus mediâ animâ, ad hoc autem ſalvandum neceſſe eſt, aut fuiſſe aſſumptam animam prius quam corpus, aut ſaltem corpus non fuiſſe aſſumptum niſi ut antecedenter redditum ab anima & mediante animâ humanum, ac ad

90\. aſſumptionem idoneum. Sed contrà: Verbum aſſumpſit partes unitas, quatenus inter aſſumptionem ſeu unionem partium cum Verbo, & unionem partium inter ſe, nulla interceſſit prioritas temporis; cum quo ſtat potuiſſe intercedere & interceſſiſſe de facto

Corpus humanū quid? prioritatem naturæ. Aſſumpſit item corpus humanum, quatenus eodem inſtanti temporis quo fuit aſſumptum fuit animatum; & corpus prius animâ ſolùm naturâ verè humanum eſt, non ſolùm quatenus eodem inſtanti temporis ab anima informatur, ſed etiam quatenus eſt organizatum, & cum potentiâ omninò proximâ ad animam, quod eſt proprium corporis humani. Ad illud, quod additur ex Sanctis Patribus, dico ab ipſis corpus pronunciari aſſumptum mediante animâ, quate-

Corpus quomodò dicatur aſſumptum mediâ animâ? nus anima fuit ratio aſſumendi corpus, & aſſumpta prius, quàm corpus ordine intentionis, qui ex D. Thomâ *q.* 6. *art.*1 *in c.* eſt ordo primarius, & potior ordine executionis; ideò licèt in executione anima fuerit aſſumpta medio corpore, in verbis tamen ſimpliciter, & abſolutè, prolatis attenditur ordo intentionis, utpotè primarius & potior, ſicque ſimpliciter & abſolutè loquendo rectè dicitur corpus aſſumptū mediante animâ, non è contrà: Nec quidquam amplius infertur ex eo, quod idem S. Doctor *ead. quæſt.*6. *art.*4. *ad* 3. ait *Unione perſonali prius ſecundùm intellectum oportet, quod caro uniatur animæ, quàm Verbo, quia ex unione ad animam habet, quod ſit unibilis Verbo in perſona* quo teſtimonio Vaſquez *præcit. diſp.*37. *n.*50. exiſtimat nos opprimi; in re tamen nihil aliud inſinuatur, quam animam eſſe rationem aſſumendi carnem, & ordine intentionis aſſumi carnem unitam animæ, ſeu totam humanitatem prius quàm partes; certè enim ly *ſecundùm intellectum* ad ordinem intentionalem, non ad executivum refertur.

91\. Quomodò anima mediâ mente? Eodem ferè modo, quo mox intelleximus Sanctos Patres dicentes Verbum aſſumpſiſſe carnem mediâ animâ, intelligendum eſt, quod aliquando ijdem Sancti Patres dicunt Verbum aſſumpſiſſe animam mediâ mente; ſignificatur ſcilicet mentem fuiſſe rationem aſſumendi animam, & hanc ex eo quod mente polleat & rationalis ſit eſſe unibilem Verbo in perſonâ, & aſſumptibilem ob eum finem, ob quem de facto aſſumptio facta eſt. Dixi *eodem ferè modo*; neque enim, ſicut datur per nos prioritas naturæ & poſterioritas in diverſo ordine inter aſſumptionem animæ & aſſumptionem corporis, aſtruenda pariter eſt eadem prioritas & poſterioritas inter aſſumptionem mentis & aſſumptionem animæ, & diſparitas habetur ex reali indiſtinctione mentis ab anima, diſtinctione vero animæ a corpore; ex quo fit ut naturæ prioritas & poſterioritas, quæ eſt phyſica & realis in aſſumptione animæ & corporis, eſſe poſſit dumtaxat metaphyſica & rationis in aſſumptione mentis & animæ.

Porrò eo ſenſu, quo dicitur corpus aſſum- 92.
Quomodò anima fuerit mediū aſſumendi corpus, & mens aſſumendi animam? ptum mediâ animâ, & anima mediâ mente, illa dici poteſt medium aſſumendi corpus, iſta medium aſſumendi animam; medium, ſubintellige, non colligationis, quatenus anima ſe habuerit, ut gluten & nexus inter corpus & Verbum, pariterque mens inter animam & Verbum; ſed medium intentionis, ſeu intentionalis motionis: & de hoc quærunt hic aliqui, utrùm anima reſpectu aſſumptionis corporis mens reſpectu aſſumptionis animæ fuerit medium neceſſitatis, an congruitatis? Qui ponunt ſolam naturam intellectualem eſſe divinæ perſonæ unibilem, conſequenter ſuſtinent eſſe medium neceſſitatis; reliqui, cum quibus nos ſuprà ſenſimus, docent & rectè eſſe dumtaxat medium congruitatis; loquendo ſimpliciter, nam ex ſuppoſitione aſſumptionis faciendæ in ordine ad redemptionem humani generis, & ſatisfactionis peccatorum eſt medium neceſſitatis etiam in noſtris principijs, quia natura irrationalis, licet aliundè unibilis ſecundùm ſe divinæ Perſonæ in ordine ad aliquem alium finem eumque honeſtiſſimum, certè unibilis non eſt ratione ſui præcisè in ordine ad ſatisfaciendum, & merendum, ideò &c.

---

§. V

Quaſnam alias humanitatis partes, præter eſſentiales, Verbum de facto aſſumpſerit? Ubi potiſſimùm de aſſumptione Sanguinis.

ASSERT. 1. Verbum de facto aſſumpſit 93.
partes integrales primarias humani corporis, ut ſunt caro, oſſa, nervi. Eſt aſſertum indubitatum & communiſſimè receptum nec negabile, niſi ab ijs, qui negant Chriſto verum corpus humanum.

Verbum de facto aſſumpſit partes integrales primarias humani corporis. Probatur. Verbum de facto aſſumpſit verum corpus humanum; atqui corpus humanum, utpotè quod ſecundùm ſe eſt totum integrale, nihil aliud eſt quàm ſuæ partes integrales,

grales, ſaltem primariæ; ergo Verbũ de facto aſſumpſit partes integrales, ſaltem primarias. Confirmatur ex eo, quod hujuſmodi partes primariæ, caro ſcilicet, oſſa, nervi informantur ab animâ, cum igitur anima ex dictis fuerit ratio aſſumendi corpus, fuit utique ratio aſſumendi eas ſaltem corporis partes, quas ipſa informat & animat. Eadem eſt ratio de partibus integralibus organicis, ut ſunt manus, pedes organa potentiarum vitalium, caput &c. quæ omnes & animâ informantur, & ſpectant ad veritatem, aut ſaltem ad ſubſtantialem perfectionem humani corporis, quod Chriſtus non ſolum verum, ſed quoque perfectum aſſumpſit, ſicuti eſt non ſolum verus homo, ſed perfectus quoque; non mancus, non mutilus, non monſtroſus. Præter prædictas partes integrantes primarias dantur in humano corpore partes integrantes ſecundariæ, ſeu ſubintegrantes, quæ integrantes primarias fovent quodammodò aut ornant, ut ſunt ſanguis quatuor humores, ungues, dentes, capilli, &c. De hiſce partibus non adeò certum eſt fuiſſe aſſumptas immediatè & proximè, quatenus terminaverint per ſe ipſas hypoſtaticam unionem, nam quod fuerint aſſumptæ mediatè & remotè, mediante ſcilicet corpore, in quo continentur, quâ ratione dicuntur aſſumpta etiam humanitatis accidentia nullus inficiatur: eſt verò quoad hujuſmodi immeditatam, proximamque aſſumptionem, potiſſima controverſia de ſanguine.

94. De aſſumptione ſanguinis opinionum varietas.

De quo quatuor invenio opiniones, duas extremas, duas medias. Ex opinionibus extremis altera ſimpliciter negat quidquam ſanguinis fuiſſe unquàm immediatè & proximè verbo unitum; altera id affirmat de toto ſanguine etiam pro triduo mortis; de toto, inquam ſaltē moraliter, modo inferiùs explicando *n.* 108. *&* 110 Pro priore opinione ſtant Durandus *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *n.* 19. Gabriel *in can. Miſſæ lec.* 53. & ſecundum aliquos Abulenſis *paradoxo* 2. *cap.* 40. *&* 43. Pro poſteriore ſtant Capreolus *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 3. Major *in* 3. *diſt.* 37. *quæſt.* 25. Albertus *tract. de ſacrif. Miſſæ* Suarez *hic diſp.* 15. *ſec.* 6. Vaſquez *diſp.* 36. *c.* 4. 5. *&* 6. Lugus *diſputat.* 14. *ſec.* 2. 3. *&* 5. Amicus *diſp.* 15. *ſec.* 7. Arriaga *diſputat.* 22. *ſec.* 3. *&* 4. *&* *diſp.* 23 *ſec.* 1. &c.

Ex opinionibus mediis altera admittit ſanguinem fuiſſe immediatè aſſumptum antè triduum mortis, & non remanſiſſe unitum in triduo: Altera diſtinguit ſanguinem nutrimentalem à vitali, & docet iſtum fuiſſe immediatè aſſumptum, non illum. Pro priore opinione ſtant Richardus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. Mayronus *in* 4. *diſt.* 43 *q.* 1. Abulenſis *præcit cap.* 43. Franciſcus de Ruvere Cardinalis S. Petri ad vincula *tr. de ſanguine Chriſti verit.* 6. Franciſcus Collius *tr. de ſanguine Chriſti lib.* 2. *cap.* 2. Pro poſteriore ſtant Cajetanus infrà *quæſt.* 54. *art.* 2. *ad* 3. Gonetus *diſp.* 9. *art.* 2. §. 2. Alvarez *diſp.* 28. Gabriel à S. Vincent. *diſp.* 5. *dub.* 2. & plures alij Thomiſtæ, ad quos accedit noſter Maderuus *quæſt.* 4. *art.* 16. *num.* 12. ubi tamen controverſiam de ſanguine nutrimentali reducit ad quæſtionem de nomine.

95. Inter has quatuor opiniones quæ, tum ex duabus extremis, tum ex duabus mediis, primo loco relata eſt non caret hiſce temporibus cenſurâ, aut ſaltem cenſuræ ſuſpicione. Prior enim opinio ex duabus extremis à Capreolo notatur, ut erronea & hæretica, à Cabrerâ, ut digna erroris & hæreſis cenſurâ; à Medinâ, ut intolerabilis error, à Suario, ut indefendibilis ſine errore, à Vaſquio, Amico, Maderno, ut ad minus temeraria, ſolus quem viderim, Arriaga *præcit. diſp.* 22. totâ *ſec.* 2. nititur eam ab omni cenſurâ liberare; at dum tandem *ſec.* 3. *n.* 33. fatetur opinioni Durando oppoſitæ favere præmemoratas auctoritates, & pro eadem ſtare communem Scolaſticorum conſenſum, tacitè Durandum relinquit ſub notâ temeritatis, à quâ anteà, ſicut & ab alia quacumque graviore, videbatur eum voluiſſe abſolvere. Prior opinio ex duabus mediis, pro qua acriter olim pugnavit præcitatus Franciſcus à Ruvere, tunc ſui Ordinis Franciſcani Vicarius ſeu Commiſſarius Generalis, dein Cardinalis, poſtremò ſummus Pontifex Sixtus IV. Prior, inquam, opinio ex duabus medijs à Vaſquio *præcitat. cap.* 4. *n.* 13. eadem cenſuræ notâ excipitur, quâ præcedens opinio Durandi; à Suario *præcitat. ſec.* 6. §. *dico ergo ſecundò* minore quidem cenſurâ notatur, at cenſetur neque pia neque ſecura, huic Suarezij judicio ſubſcribit Gonetus *præcitat. artic.* 2. *num.* 163. Mitius adhuc ſuſcipitur ab Amico *præcitat. ſec.* 7. *num.* 108. ait ſe non audere eam damnare, & ſententiam de ſanguine in triduo mortis ab unione non dimiſſo vocat tantum Theologicam concluſionem ex certis fidei principijs probabiliſſimè deductam. Certè præcipuum fundamentum rigidioris cenſuræ proſcribentis opinionem illam, ut hæreticam aut erroneam, eſt inſufficiens & ſuſpectum: eſt enim decretum quoddam, quo Clemens VI. Nicolao Roſelli Ordinis Prædicatorum tunc in Cataloniâ Inquiſitori ſupponitur demandaſſe, quod faceret publicè damnari, & ſolemniter revocari, tanquam hæreticale & erroneum dictum cujuſdam Concionatoris, qui Barcinonæ prædicaverat ſanguinem Chriſti in paſſione fuſum non fuiſſe hypoſtaticè unitum Verbo in triduo mortis; at de talis decreti emanatione ſatis non conſtat, & licet fuerit poſteà juſſu Pij II. diligenter conquiſitum inveniri non potuit; fortè Clemens VI. nihil tunc determinavit, ſed ſolùm delegavit Inquiſitorem ad examinandum & procedendum de jure, ſicut nec poſt centum & ultrà à Clemente VI. annos quidquam ſtatuit Pius II. circà eandem controverſiam inter Dominicanos & Franciſcanos excitatam; ſed ſolum ſuper eam excepit Theologorum & Cardinalium vota, & tandem voluit rem indeciſam relinquere, imò Conſtitutione editâ anno 1464. Kal. Auguſti prohibere, ne quis damnet alterutram controverſiæ partem, donec à ſede Apoſtolicâ res definiatur, undè Arriaga *præcitat. ſec.* 2. *numero vigeſimo tertio* ait Vaſquium in præſenti non fuiſſe uſum ſibi conſuetâ diligentiâ, dum talem Conſtitutionem ignoravit & putavit cum Sylveſtro prætenſam Clementis VI. determinationem fuiſſe approbatam ab ipſo Pio. II. Cujus rei majorem eruditionem tradunt

Earumdem opinionum cenſura & judicium.

ex Scholaſticis Arriaga mox citatus, & Gonetus *præcit.art.*1. §.6.

96. Aſſert.2. Verbum immediatè aſſumpſit ſanguinem propriè talem in Chriſti corpore exiſtentem, non ſolùm aliquem, ſed totum; ſanguinemq; in paſſione effuſum, & à corpore ſeparatum, ſibi hypoſtaticè unitum retinuit in triduo mortis. Hujus aſſerti quoad omnia ſua membra tum Patronos, tum Adverſarios, tum etiam qualificationem, & gradum certitudinis habes *ex præced n.*94 *&* 95.

Sanguis propriè talis quid?

Dixi *ſanguinem propriè talem* informatum ſcilicet ea ſpeciali formâ, quam vocant formam ſanguinis aut etiam animâ rationali in ſententia aſtruente ſanguinem eſſe animatum; nam ſi deindè materia chyli, antequam illi ſpeciali formæ, aut animæ uniatur, aquirendo aliqua accidentia ſimilia accidentibus ſanguinis induat quandam ſanguinis apparentiam, erit ſanguis apparens & impropriùs inſerviens præcisè, ut materia proxima, ex qua verus propriuſque ſanguis formetur; nec ad eum apparentem, impropriumque ſanguinem, aſſertum noſtrum extendimus, nec item habe-

97. Expenditur diviſio ſanguinis in nutrimentalem & vitalem ſeu naturalem.

bemus cum Thomiſtis diſſidium niſi vocale, ut monebat Madernus, ſi eum ſolum intelligerent nomine ſanguinis nutrimentalis; at fortè aliquid diverſum aliqui Thomiſtæ intelligunt, denominatio enim nutrimentalis videtur ſanguini convenire ex eo, quod inſerviat ad nutriendas & alendas cæteras corporis partes, quod ſanguini illi apparenti & improprio immediatè proximéque non convenit, ſed ſoli ſanguini verè & propriè tali: Quod ſi ſanguinem nutrimentalem ità vocent, non quia ſit immediatum & proximum nutrimentum animalis, ſed quia immediatè & proximè fiat ex cibo propter nutritionem ſumpto, & in chylum virtute nutritiva converſo, erit æquivocè ſanguis, & impropriè etiam nutrimentalis, unde diviſio ſanguinis in nutrimentalem, & vitalem ſeu naturalem vitioſa erit, & æquivoca; adeóque rejicienda à præſenti controverſiâ, in quâ utpotè gravi, & dogmaticâ, non eſt contrà ſenſum cæterorum æquivocè impropriéque loquendum: Qualecumque igi-

98. Totus ſanguis per nos eſt inanimatus, totus non vitalis formaliter.

tur ſit noſtrum diſſidium cum Thomiſtis, diſplicent iſti vel quoad rem, vel quoad modum loquendi: Diſplicent inſuper in eo, quod ſanguinem, quem à nutrimentali contra diſtinguunt, velint eſſe animatum ſeu informatum formâ totius viventis, quapropter eum vitalem vocant, ſicut & naturalem ex eo quod ſpectet ad veritatem, integritatemque naturæ animalis; per noſtra autem principia Philoſophica nullus ſanguis animatur; nec eſſe animatum requiritur ad hoc, ut aliquid ſit pars animalis; & de veritate integritateque naturæ ejus; ſed ſufficit ad rationem veræ partis, quod ſit aliquid intrà animal exiſtens, neceſſarium ad conſtitutionem & vitam ejus, ut oſtendit

Aſſumptio totius ſanguinis à Verbo non eſt alligata animationi, aut non animationi ejus.

Vaſquez *præcis diſp.*36.*cap.*5. ubi ſolvit etiam reliqua tum Philoſophica tum Theologica pro ſanguinis animatione militantia: Mihi in re ad hunc locum impertinente ſufficiat indicaſſe quid ſuo loco ſenſerim, & interim te monere quod admittendo ſanguinis animationem non ideò à præfixo aſſerto reſilirem, quia ponerem animatum totum ſanguinem propriè talem, & quando hunc permitterem eſſe partim animatum, partim inanimatum, adhuc aſſererem totum aſſumptum, exiſtimo enim animatum, & inanimatum, indifferenter ſe habere ad aſſumptionem.

Probatur jam aſſertum ſic explicatum, & primò quoad primam partem. Verbum immediatè aſſumpſit aliquem ſanguinem exiſtentem in Chriſti corpore; atqui quoad ſanguinem propriè talem non eſt major ratio de aliquo quàm de toto; ergo Verbũ immediatè aſſumpſit ſanguinem propriè talẽ in Chriſti corpore exiſtentem; non ſolùm aliquem, ſed totũ. 99.

Suſtinenda eſt de facto immediata aſſumptio totius ſanguinis propriè talis exiſtentis in Chriſti corpore.

Major probari in primis ſolet varijs auctoritatibus, quibus aut tribuitur ſanguini Chriſti Domini noſtra redemptio, aut expreſsè traditur facta à Verbo ſanguinis aſſumptio, ſanguiniſque ad Verbum unio, ut videre eſt apud Scholaſticos paſſim, ſignanter verò apud Vaſquium *præcit.diſp.*36.*cap.*6.& Lugum *diſp.*14. *n.*9.*&* 10. Nihilominus, quia hujuſmodi auctoritates nudè ſumptæ explicari utcumque poſſunt, priores quidem de valore ſanguinis proveniente non ex ipſius hypoſtaticâ unione ad Verbum, ſed ex infinitate perſonæ offerentis; poſteriores de aſſumptione mediatâ & unione in hypoſtaſi, non ſecundum hypoſtaſim, neceſſe eſt addere rationes, quibus & talis prædictatum auctoritatum intelligentia oſtendatur incongrua, & ſimul major illa propoſitio directè probetur, probatur autem ſic. Aliquis ſanguis eſt pars neceſſariò requiſita ad veritatem & integritatem corporis humani; cum ergo Verbum immediatè aſſumpſerit corpus humanum verum & integrum, conſequens eſt, quod immediatè aſſumpſerit aliquẽ ſanguinem, antecedens probatur primò auctoritate tum Philoſophi *lib.*3.*de hiſt.animal. cap.*2.& *lib.*2.*de partibus c.*2. inter animalium partes ſanguinem numerantis; tum S.Doctoris infrà *q.*54.*art.*2.*in c.* & *ad* 3. item *quodlib.* 5. *art.*5.*in c.* docentis ſanguinem pertinere ad veritatem humanæ naturæ, & ideò reſumptum fuiſſe a Chriſto in reſurrectione, pariterque reſumendum ab aliis corporibus reſurgentibus: Secundo auctoritate Tridentini *ſeſſ.*13.*c.*3. definientis ſub ſpeciebus conſecratis poni corpus ſanguinem & animam vi naturalis connexionis & concomitantiæ *quæ partes Chriſti Domini*, &c. appellat igitur ſanguinem partem Chriſti Domini; certè non ratione divinitatis, aut animę; ergo ratione humani corporis. Tertiò argumento Theologico, quia ſi ſanguis nõ eſſet pars corporis in quo exiſtit, in Chriſto, cujus corpus non ex alio, quam ex puriſſimo B.Virginis ſanguine formatũ eſt, non daretur pars ulla B.Virginis, nec eſſet à B.Virgine ut à principio conjuncto, quemadmodum ad filiationem requiritur. Quartò experientiâ quâ cõſtat effuſione, & ſeparatione ſanguinis, humanum corpus interire, nec eſſe amplius aptũ ad animæ informationẽ, undè & communi hominũ ſenſu corpus exãgue non venit nomine corporis humani ſimpliciter, & abſolutè prolati.

100. Sanguis eſt pars neceſſaria ad veritatem, & integritatem, humani corporis.

Minor primi argumenti probari & ipſa ſolet auctoritatibus pro majori propoſitione militantibus, quæ cum de Chriſti ſanguine 101.

univer

universaliter & indefinitè loquantur, non ſunt ſine neceſſitate limitandæ ad partem ſanguinis; augebitur tamen plurimum talium auctoritatum robur, ſi aliundè excludatur neceſſitas imo oſtendatur incongruitas illius limitationis, & ſimul directè probetur minor illa propoſitio; probatur autem ſic: ſanguis propriè talis eſt totus ejuſdem rationis; ergo quoad ſanguinem propriè talem non eſt major aſſumptionis ratio de aliquo quam de toto; antecedens probatur, quia per nos eſt totus inanimatus, & totus inſerviens tum ut cæterarum partium nutrimentum, tum ut inſtrumentum animæ ad plura vitæ opera exercenda; undè eſt ſimpliciter falſa, & perperam excogitata diviſio ſanguinis in nutrimentalem, qui nõ vitalis; & naturalem, qui vitalis ſit: Nec huic diviſioni favet D. Thomas *præc. art. 5.* ubi præter ſanguinem pertinentem ad veritatem naturæ aſſignat ſanguinem nutrimentalem de veritate naturæ non exiſtentem; Non favet, inquam, quia nihil ibi inſinuatur de ſanguine vitali aut non vitali, animato aut inanimato. Quod ſi urgeas, quidquid ſit de vitalitate & animatione ſanguinis naturalis; certè S. Doctor præter ſanguinem pertinentem ad veritatem naturæ, qui jure poteſt naturalis vocari, aſſignat alium ſanguinem diſtinctum & diverſum, qui ſpecialiter denominandus ſit nutrimentalis, & utpotè non exiſtens de veritate humanæ naturæ non ſit hominis pars, undè etiam infra *quæſt. 31. art. 5. ad* 1. docet Chriſti corpus debuiſſe formari de ſanguine, qui non erat actu pars Virginis. Ariſtoteles etiam 2. *de part. animal. cap.* 10. expreſſe habet ſanguinem non eſſe partem animalium, quamvis alibi partem eſſe affirmaverit *ex præced. n.* 100. eſt

Impugnatur diviſio ſanguinis in nutrimentalem & vitalem.

102. igitur juxtà mentem S. Doctoris & Philoſophi diſtinguere duplicem ſanguinem, quorum unus ad naturæ humanæ veritatem pertineat & ſit pars ejus; alter non item & ſit purum nutrimentum. Impugnaberis, quia benè ſtat unum, eumdemque ſanguinem eſſe & non eſſe partem; vel eſſe partem actu, & eſſe partem in potentiâ ſub diverſa ratione & acceptione partis, ſi nimirum pars viventis accipiatur pro ea ſolâ, quæ animata eſt, & perfecta, habens formam ſtabilem, ac ultimò intentam, ſanguis non eſt pars animalis niſi in potentiâ, eſt verò pars actu, ſi pars accipitur pro eo, quod animali inexiſtit tanquàm neceſſarium ad eius conſtitutionem, & vitam: Nec D. Thomas aliter, quàm in priore ſenſu aſſeruit corpus Chriſti formatum ex ſanguine, qui nondum erat Virginis pars: erat verò utique pars in ſenſu poſteriore, quia ſecus non ſalvaretur Chriſtum eſſe à Virgine ut Matre & principio conjuncto; nec video quomodò ſalvare hoc poſſit Cajetanus, qui *præcit. art.* 2. ex unâ parte vult fuiſſe ſanguinem nutrimentalem illum, ex quo Chriſti corpus formatum eſt, & ex aliâ abſolutè negat ſanguinem nutrimentalem eſſe partem actualem humanæ naturæ. Supereſt explicandus textus præmemoratus *ex quodlib. 5.* qui videtur pro Adverſariorum intento expreſſior; nihilominus ibi ponitur ſanguis nutrimentalis ad veritatem naturæ non pertinens, non quia ſit diverſus ſubſtantialiter à reliquo ſanguine, ſed quia ſit ſuperabundans in quantitate, & major, quam requiratur ad naturæ humanæ veritatem; quamvis alioqui providè præparatus, & quodammodò aſſervatus, ne deſit corpori copia nutrimenti pro ſtatu, quo nutriri indiget; undè etiam pro tali ſtatu ſanguis ille poteſt dici pars corporis, & animatus eſt ſi reliquus ſanguis animatur, aſſumptus item fuit à Verbo ſi aliquid hujuſmodi ſanguinis extitit in Corpore Chriſti mortali, de quo dubitanter loquitur S. Doctor in textu præmemorato, ſicut & Arriaga *præcit. diſp.* 22. *num.* 42. nec non Lugus *diſput.* 14. *n.* 38.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Probatur aſſertum ſecundò quoad ſecundam partem. Verbum in triduo mortis retinuit hypoſtaticam unionem cum anima & corpore ſeparatis, ergo etiam cum ſanguine ſeparato & effuſo; antecedens certum eſt ex ſymbolo, quo Verbum in triduo dicitur ſepultum ratione corporis, & deſcendiſſe ad inferos ratione animæ, ea autem, quæ ſunt propria corporis vel animæ, non tribuuntur Verbo, niſi ex vi unionis hypoſtaticæ; retinuit igitur Verbum in triduo unionem hypoſtaticam cum corpore & anima ſeparatis, ut ex profeſſo oſtendit D. Thomas infrà *qu.* 50 *art.* 2. & 3. ubi validam affert talis veritatis congruentiam deſumptam ex verbis illis Rom. 11. *ſine pœnitentiâ ſunt dona Dei*, ex quibus ſicuti inferri ſolet gratiam adoptionis ſemel alicui conceſſam nunquam à Deo ſine ejus culpâ revocari, ità idem à fortiori infertur de gratiâ unionis; perſpicuum autem eſt in Chriſto nullam fuiſſe culpam, quâ Deus moveri potuerit ad revocandam ab ejus corpore, vel animâ, gratiam unionis in triduo. Prima conſequentia probatur ex eo, quod ſanguis eſt ex præcipuis Chriſti Domini partibus, ſicut corpus & anima; undè etiam à Tridentino ſuprà memorato ſub partium nomine recenſetur ſimul cum corpore & animâ; erat item ſanguis elapſo triduo reuniendus corpori, ut corpus erat reuniendum animæ; nec ulla ſpecialis ratio occurrit, ob quam ſanguis potius, quam corpus, debuerit brevi illo tridui intervallo ab unione dimitti. Quod enim Adverſarij aiunt denominationes ſanguinis proprias pro illo triduo non conveniſſe Verbo, ſicut convenerunt denominationes corporis, ratione cujus dicitur Verbum fuiſſe ſepultum & in ſepulcro jacuiſſe, non ſic ratione ſanguinis fuiſſe effuſum & terræ commixtum. Hoc inquam ſufficientem rationem non continet, quia jam 104.
præced. num. 64. attigimus communicationem idiomatum haberi ſolum à naturâ completâ, nec tranſire ad perſonam aſſumentem denominationes proprias naturæ incompletæ & partis, ut ſunt illæ, eſſe effuſum & terræ commixtum; dixi *proprias* nam denominationes provenientes quidem à parte, ſed communes etiam toti, & tùm parti, tum toti convenientes ex eo, quod toti conveniant tranſeunt ad perſonam aſſumentem, hujuſmodi eſt denominatio ſepulti, ſeu jacentis in ſepulcro, quod non de corpore tantum, ſed & de homine dicitur.

103.

Corpus & anima in triduo mortis manſerunt unita Verbo.

Eidem in triduo manſit unitus ſanguis effuſus & ſeparatus à corpore.

Occurritur rationi dubitandi Adverſariorum.

Eadem ſecunda aſſerti pars ſolet confirmari duplici argumento: Primum ducitur ex Myſterio Euchariſtiæ, quatenus ſi in triduo

Quid de cõſecratione calicis in triduo mortis?

fuiſſet facta conſecratio calicis, aut fuiſſent conſervatæ aliquæ ſpecies vini conſecrati à Chriſto in cœnâ; tum ſpecies iſtæ conſervatæ, tum ſpecies illæ de novo conſecratæ, fuiſſent in triduo adorandæ cultu latriæ; continuiſſent igitur cum ſanguine divinitatem, quod non verificaretur, niſi ſanguis effuſus manſiſſet in triduo unitus Verbo. Secundum

105. nititur auctoritate Damaſceni *lib.3.fidei c.27.* dicentis de Verbo *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* At primum argumentum infirmum cenſetur ab Arriaga *diſp.23.n.2.* eo quod dubium ſit, an potuerit in triduo fieri conſecratio? & veriſimile, quod Chriſtus diſpoſuerit nullas remanere reliquias vini à ſe conſecrati; & dato quod fuiſſent, aut aſſervatæ aliquæ hujuſmodi reliquiæ, aut conſecratæ novæ ſpecies, nullâ revelatione conſtat, quod tales ſpecies in triduo divinitatem continuiſſent, & latria ſaltem reſpectiva poterat illis eſſe debita ex continentia ſanguinis, qui paulò antè fuerat divinitati unitus: Secundum argumentum videri pariter poteſt infirmum ex eo, quod Sylvius *quæſt. 5. artic. 2. ad* 2. monet relata verba apud Damaſceni Scholiaſten, non apud Damaſcenum ipſum reperiri; & aliundè certum eſt ea eſſe limitanda quoad ſanguinem effuſum, & præputium abſciſſum in circumciſione; item quoad ſanguinem in horto ſudatum, cur ergo non etiam quoad ſanguinem in paſſione fuſum, & à corpore ſeparatum in triduo? Nihilominus ſtat primo argumento ſua firmitas, quia licet non omnino certum ſit, eſt multò probabilius & communi ſenſui conformius, quod in duobus prædictis caſibus extitiſſet ſub ſpeciebus vini cum Chriſti ſanguine divinitas. Stat quoque ſua, & fortè major firmitas ſecundo argumento; verba enim, quibus nititur, reperiuntur in Damaſceno æquivalenter, ſi non formaliter; & cum jam tranſierint in axioma Theo-

106. Verbum quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit; an & quomodo verificetur?

logicum magnam vim habent ex unanimi Theologorum conſenſu, ſi non ex auctoritate Damaſceni. Ad illud, quod additur de limitatione fateor Verbum dimiſiſſe aliquas particulas ſemel aſſumptas, ut certum eſt de illis materiæ particulis, quæ prius exiſtentes ſub forma ſanguinis, aut carnis, fuerunt deindè continuâ actione & reactione caloris naturalis reſolutæ in ſudorem, lacrymas, aliaquo hujuſmodi non amplius ad humani corporis integritatem pertinentia, nec reſumenda in reſurrectione; at talis dimiſſio concedenda non eſt, niſi in ordine ad partes non amplius corpori reuniendas, & quæ non ſint ex ſe partes præcipuæ, ſed particulæ ſeu partes partium; cum igitur ſanguis in paſſione fuſus fuerit ex ſe pars notabilis, & præcipua humanitatis Chriſti, & corpori poſt triduum reuniendus, non eſt ad ipſum extendenda dimiſſio; nec arguendum ab exemplis adductis, quæ aut ſunt de partibus non præcipuis, nec corpori reuniendis, aut ſunt falſa; quod addo propter exemplum ſanguinis in horto ſudati, de quo, utpotè exiſtente in magnâ quantitate, probabilius eſt, quod fuerit corpori reſurgenti reunitus, & nunquam ab hypoſtaſi Verbi dimiſſus, ſeu ſeparatus.

107. Dubia varia circa ſanguinẽ Chriſti Domini.

Occaſione ſanguinis à Chriſto fuſi, & poſteà reſumpti plura dubia excitantur: Dubitatur primò; Utrùm Chriſtus reaſſumpſerit totum prorſus ſanguinem, quem fudit, ſaltem à ſudore in horto uſque ad lateris aperitionem in Cruce? Secundò, utrum talem ſanguinem reſumpſerit totum phyſicè, an totum ſolùm moraliter? Tertiò, Utrùm habeat plus ſanguinis in corpore glorioſo, quam habuerit in corpore mortali? Quartò, utrum ſi aliquæ ſanguinis guttæ remanſerunt affixæ clavis, ſpinis, lanceæ, fuerint hujuſmodi guttæ dimiſſæ à Verbo ſtatim ac fuerunt ſeparatæ à corpore, an ſolùm in reſurrectione corporis? Quintò, utrum perſeveret adhuc in terris aliquis Chriſti ſanguis ſub vera, & propriâ formâ ſanguinis? Hæc & id genus alia latè tractant Lugo *diſputat. 14. ſec. 5. & 6.* Arriaga *diſp.23.ſec.3.* & alij nonnulli Scholaſtici; at quia ſunt valdè ambigua, nec diſcuſſione ullâ poſſunt certò definiri, ſatius eſt ea breviter expedire, & inſinuare duntaxat, quid in ſingulis veriſimilius ſit. Ideò

108. Sanguis in paſſione fuſus, fuit in reſurrectione reſumptus totus moraliter, non totus phyſice.

Ad primum, & ſecundum, dico ſanguinem, quem Chriſtus fudit in horto, & in reliquo paſſionis progreſſu, fuiſſe reaſſumptum corporique glorioſo reunitum totum moraliter, non totum phyſicè; quod eſt idem ac dicere non fuiſſe in terris relictam partem ullam notabilem, benè tamen guttulas aliquas & minimas particulas; enimverò ex eo quod fuerit aſſumptus totus moraliter, nec relicta pars ulla notabilis, ſalvatur in Chriſto glorioſo integritas humani corporis, cui in communi exiſtimatione non obeſt habere pauciores aliquas ſanguinis guttas; ex eo verò, quod non fuerit reunitus totus phyſicè, ſed remanſerit quoad minimas particulas, favetur pietati populi fidelis colentis in ſpinis, in lancea, in ſcalâ ſanctâ, reliquias aliquas ſanguinis Chriſti Domini; favetur etiam cuidam hac de re revelationi factæ S. Birgittæ, quæ in ejus revelationibus habetur *lib.6.* & refertur ab Arriaga *præcit.ſec.3.num.19.* Accedit congruentia non inducendi ſpeciale miraculum quo rubor in ſpinis lanceâ, &c. apparens fuerit productus, aut immediatè à Deo, aut efficienter à ſanguine, qui naturali ſua vi non rubefacit, niſi formaliter ſe ipſum communicando, non verò novum ruborem efficiendo.

109. Ratio dubitandi pro majore ſanguinis copiâ in corpore glorioſo, quam in corpore mortali.

Ad tertium ratio dubitandi communis eſt omnibus corporibus beatorum, & deſumitur ex eo, quod corpus mortale habet multas cavitates (ſtomachum præſertim, & inteſtina) repletas cibo, fæcibus, & excrementis; has cavitates habet quoq, corpus glorioſũ, at non eadem materiâ repletas, ne igitur habeat vacuas, debet aliqua alia materia ſubrogari: Admitto hoc totum nec aſſentior Arriagæ *n.28.* propèdenti ad admittendum vacuũ in Cœlo Empyreo, quamvis non in mundo ſublunari; Admitto inquam, id totum at quod materia ſubroganda debeat eſſe defæcatiſſimus ſanguis, aut de novo productus, aut reſtitutus ex ſanguine qui vi caloris naturalis ſucceſſivo vitæ decurſu fuerat reſolutus in partes excremẽtitias, potius quam puriſſimus aër, aut aliquis nobilis humor diverſos à ſanguine, ſatis non conſtat; &

Digitized by Google

D. Thomas *in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2.* ponit quidem inteſtina reſurgere plena nobilibus humiditatibus, nos etiam de Beatitud. *lib. 3. cap. 4. num. 43.* inſinuavimus ea replenda humoribus ſuaviter olentibus, at undénam divinari poteſt, Vtrùm hujuſmodi humiditates, ſeu humores, ſint ſanguis, necne. In tantâ rationis dubitandi perplexitate ſufficiat ad propoſitum; dubium modalis reſponſio, quâ dicatur Chriſtum habere plus ſanguinis in corpore glorioſo, quàm habuerit unquàm (ſubintellige totum ſimul) in corpore mortali, ſi materia ſubrogata cibo, & fæcibus; ſanguis eſt; ſecus ſi illa materia eſt alius humor à ſanguine: dixi (ſubintellige totum ſimul) nam ſi ſanguis corporis Chriſti glorioſi comparetur ad eum, quem Chriſtus toto ſuæ vitæ decurſu habuit in corpore mortali, & aut deperdidit, aut in alias partes corporis convertit, iſte utique maior eſt & excedens omnem capacitatem corporis glorioſi, etiam ſumpti ſecundùm cavitates eſculentâ, aut fœculentâ, materiâ repletas.

Quid ſentiendum ſtante tali ratione dubitandi?

110. Sanguis in paſſione fuſus, & deindè in terris relictus, quãdonam fuerit dimiſſus à Verbo?

Ad quartum dico ſanguinis guttas in paſſione fuſas, & deindè in terris relictas, vel fuiſſe in ſui effuſione conjunctas cum alio ſanguine reſumendo in reſurrectione, vel fuiſſe ſolas & ſeorſim ab omni ſanguine reſumendo; quæ primo modo ſe habuerunt non fuerunt ſtatim à Verbo dimiſſæ, quia unum quid conſtituebant cum ſanguine reſumendo, & non dimiſſo à Verbo, conveniebat igitur ipſas quoque ſubſiſtere eadem ſubſiſtentiâ Verbi, & ratione conjunctionis cum ſanguine non dimiſſo habebant & ipſæ jus, ne pro tunc dimitterentur. Quæ verò ſe habuerunt ſecundo modo, fuerunt dimiſſæ ſtatim poſt effuſionem, quia cum eſſent dimittendæ, non apparet cur debuerit differri dimiſſio? alioqui nec debuiſſet ſtatim fieri, ſed uſque ad corpus reſurrectionem differre, dimiſſio præputij abſciſſi, ſanguiniſque fuſi in circumciſione, nec non partium, quæ toto vitæ decurſu amittebantur vi caloris naturalis. Videntur ſe habuiſſe hoc ſecundo modo guttæ, quæ ſpinis adhæſerunt item quæ vi flagellorum in terram ſparſim deciderunt.

111. Et ſanguine, quem in terris veneramur quinam verè fuerit ſanguis effuſus à Chriſto in paſſione?

Ad quintum, veriſimile in primis non eſt eſſe verum Chriſti ſanguinem, qui aliquando fuerit Verbo unitus, omnem illum quem in terris veneramur tum inſtrumentis paſſionis adhærentem, tùm in ampullis aſſervatum; eſſet enim in majori quantitate, quàm ut eo relicto poſſit verificari ſanguinem fuiſſe reſumptum totum moraliter, & corpus glorioſum Chriſti recuperaſſe quidquid ſpectat ad ſui integritatem; potiſſimum igitur de ſanguine, quem in ampullis variæ Eccleſiæ ſervant, rationabiliter S. Thomas infra *quæſt. 54. art. 1. ad 3.* tradit effluxiſſe miraculosè ab aliqua Chriſti imagine, numquàm verò extitiſſe in verò Chriſti corpore. Propterea dubium maximè procedit de ſanguine, qui inſtrumentis paſſionis adhæſit; aut pulveri immixtus remanſit ad modum cujuſdam terræ rubeæ, & in hoc utroque, cum vix aliud veri ſanguinis accidens remaneat præter colorem rubrum, habemus tenue fundamentum argumen-

112. Vtrum talis ſanguis retineat etiam modò ſubſtantialem formã ſanguinis.

di permanentiam propriæ & ſubſtantialis formæ ſanguinis; quia tamen color eſt ex ſecundis qualitatibus, quæ difficilius permanent non permanente ſubſtantiâ Gonetus *præcit. art. 2. §. 4.* vult rubori illi, qui adhuc cernitur in inſtrumentis paſſionis, multoque magis in ſindone Taurinenſi, & Romano Sudario Veronicæ, ſubeſſe veram formam ſubſtantialem ſanguinis. Hæc exiſtimatio, quamvis alioqui contrà Vaſquium *diſp. 36. num. 43.* Lugum *diſp. 14. n. 81.* & alios magis communiter ſua probabilitate non caret, & placet ſaltem ex eo, quod faveat pietati ac ſolatio fidelium: Hic deindè ſi ſanguis in aliquâ ampullâ ſervatus verè fuit à Chriſto in paſſione effuſus; de hoc majori probabilitate dicetur retinere ſuam formam ſubſtantialem, cum præter ruborem retineat fluiditatem, efferveſcentiam, & aliqua alia illius formæ accidentia.

113. Verbum immediatè aſſumpſit omnes minus præcipuas corporis partes præter excrementitias?

Aſſert. 3. Verbum ultrà ſanguinem immediatè aſſumpſit reliquas partes ſecundariò integrantes, vel ornantes humanum corpus, nimirùm reliquos humores, ſpiritus vitales, ſpiritus animales, dentes, ungues; capillos; uno verbo partes omnes, præter purè excrementitias, ut ſunt lacrymæ, ſudores, ſputa, fœces &c. Ità quantùm potui curſim obſervare omnes Auctores relati pro immediatâ aſſumptione ſanguinis, excepto Vaſquio contrarium ſentiente de unguibus, & capillis, *præc. diſp. 36. num. 34.* de quibus tamen moneo cæteros quoque Auctores loqui cum minori certitudine, quàm de alijs partibus mox enumeratis, ſicut & de iſtis cum minori certitudine, quàm ſanguine.

Probatur in univerſum ex eo, quia omnes præmemoratæ partes præter purè excrementitias (de quibus non procedere rationes mox attingendas facilè patebit conſideranti) pertinent, licèt minus principaliter ad integritatem, veritatemque humani corporis; undè omnes reſurgunt in corporibus glorioſis, omnes ſignificantur nomine corporis, & ponuntur in Euchariſtiâ ſub ſpeciebus panis ex vi illorum verborum *hoc eſt corpus*; omnes inſunt homini permanenter, eique ad aliquod ſpeciale munus inſerviunt; ergo Verbum aſſumendo immediatè humanum corpus debuit omnes hujuſmodi partes immediatè aſſumere.

114. Nimirũ alios humores ultra ſanguinem.

Confirmatur ſpecialiter quoad ſingulas partes: Quoad reliquos humores, quia iſti permiſcentur ſanguini, & unam cum ſanguine maſſam conſtituendo veniunt nomine ſanguinis humano modo accepti; Quoad ſpiritus vitales & animales, quia non ſunt niſi quædam ſubtiliſſimæ particulæ ſanguinis purioris, & defecatioris: Quoad dentes, quia eadem eſt de ipſis ratio, quæ de cæteris oſſibus: Quoad ungues & capillos, quia ungues in aliquibus animalibus ſunt magna pars & potiſſima corporis inſtrumenta, capilli ſunt inſigne ornamentum, maximè autem convenit corpori humano ornamentum aliquod non deeſſe: de utriſque deindè probabile eſt vivere; quod ſi non vivant, non ideò excludendi ſunt ab immediatâ aſſumptione; nam neque ſanguis per nos vivit, & tamen immediatè

Spiritus vitales, & animales.

Dentes, Vngues & Capillos.

aſſumptus eſt: & hic obiter moneo ex Philoſophorum & Medicorum ſententiâ ſanguinem, antequam convertatur in carnem & vivat vita animali, tranſmutari primò in
Rorem, & Cambium. rorem deindè, in cambium, & hæc utraque ſubſtantia fuit immediate unita Verbo, quia non differt niſi accidentaliter à ſanguine, nec eſt aliud, quàm ſanguis magis concoctus.

Dices: D. Auguſtinus *Epiſt.* 146. interroganti, ao Corpus Chriſti nunc oſſa, & ſanguinem habeat? reſpondit habere carnem & oſſa, & ſubdidit *Niſi fortè de ſanguine requirendum eſt, quia cum dixiſſet* (ſubintellige Chriſtus Luc. 24.) *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, non addidit ſanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere*, fuit igitur Auguſtinus perplexus, & anceps circa immediatam aſſumptioné ſanguinis; ergo cum de partibus, in aſſerto præmemoratis non ſit tanta ratio, quanta de ſanguine, pro illarum aſſumptione fuiſſet non ſolum perplexus, ſed omninò contrarius; cum præſertim eo loco ſubdat *fortaſſis enim accepta occaſione ſanguinis, urgebit nos moleſtior perſcrutator, & dicet; ſi ſanguis cur non & pituita? cur non & fel flavum & fel nigrum?* quibus verbis oſtendit ſe manſiſſe perplexum de ſanguine, ne cogeretur idem dicere de reliquis humoribus, ſignum eſt igitur quoad iſtos oppoſitum determinatè ſenſiſſe.

115. Occurritur auctoritati Auguſtini. Sed contra: Verba Auguſtini, ut jacent, procedunt non tam de aſſumptione immediatâ, ſeu de unione hipoſtaticâ ſanguinis cum Verbo, quàm de ſanguinis reunione ad corpus glorioſum, de quâ tamen minor, imò nulla eſt inter Catholicos diſſenſio, præſertim poſtquàm Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. definiit poni de facto ſub ſpeciebus Euchariſticis ſanguinem, tanquàm partem Chriſti, qui ex mortuis reſurrexit; non dubitavit igitur ibi Auguſtinus de ſanguinis, aut unione ad Verbum, aut reunione ad corpus; timuit tamen (ut ait Atriaga *diſp.* 23. *num.* 4.) tractare quæſtionem, quia non videbatur apud ſe ſtatuiſſe quid eſſet dicendum de pituita & felle tum flavo tum nigro; at nihil ſtatuiſſe, non eſt determinatè ſenſiſſe contrarium ei, quod nos tradidimus.

Quærunt hic aliqui pro complemento, Verùm Verbum immediatè aſſumpſerit etiam partes accidentales, ſeu accidentia humani corporis? At poſtquàm *præced.* §. 3. *num.* 66. aſſeruimus repugnare accidenti omnem immediatam aſſumptionem ad ſubſiſtendum, nullus ſupereſt quæſito locus; perperam enim quæritur, an actu ſit id quod nec eſſe poteſt, ſeu quod repugnat eſſe.

---

§. VI.

Vtrùm humanitas à Verbo aſſumpta appetat ſubſiſtentiam propriam? Vbi alia nonnulla de naturâ ad ſubſiſtentiam creatam comparata?

116. Humanitas Chriſti innatè appetit propriã ſubſiſtentiam. ASSERT. Humanitas à Verbo aſſumpta non appetit per modum deſiderij innati ſubſiſtentiam propriam. Ita Cajetanus *hic quæſt.* 4. *art.* 2. Medina *eod. art.* Ioannes à S. Thomâ *diſp* 7. *art.* 2. Gonetus *diſp.* 9. *art.* 6. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 4. *dub.* 5. Suarez *diſp.* 8. *ſec.* 3. §. *& placet mihi* Amicus *diſp.* 1. *ſec.* 2. *n.* 86. Madernus *quæſt.* 4. *art.* 7. & cum Thomiſtis communiter major pars Recentiorum contrà Vaſquium *diſp.* 34. Cabreram *diſp.* 8. alioſque nonnullos, quibus aliqui annumerant Scotum & Scotiſtas; at melius Vaſquez ipſe fatetur hanc controverſiam non habere locum in principijs Scoti, appetitus enim propriè non eſt, niſi ad perfectionem poſitivam; ſubſiſtentia autem creata & humanitatis propria à Scoto collocatur in negatione; aut ſaltem collocari præſumitur *ex præc. n.* 5.

Dixi *per modum deſiderij innati* propter tritam diviſionem appetitus in innatum & elicitum, nec non utriuſque ſubdiviſionem in gaudium, amorem, & deſiderium: Certum eſt autem humanitatem à Verbo aſſumptam nõ appetere ſubſiſtentiam propriam deſiderio elicito, deſiderium enim elicitum benè inſtitutum, quale eſſentialiter eſt omne deſiderium naturæ Verbo unitæ, nequit ferri in bonum minus relicto majore, creatum relicto divino præſertim jam poſſeſſo: Certum eſt item neque elicitè, neque innatè, eam appetere per modum gaudij, quia hoc non datur de re abſente & non exiſtente, ſicuti à naturâ aſſumptâ abeſt, imò ſimpliciter non
exiſtit ſubſiſtentia propria: Appetitus per modum amoris non eſt, cur negetur; cum amor Per modum amoris.
ſive elicitus, ſive innatus, feratur præcisè in rei bonitatem abſtrahendo à poſſeſſione & conſecutione, præſentiâ & abſentiâ: Relinquitur igitur difficultati locus ſulum circà appetitum per modum deſiderij, de quo aſſertum negativum.

Probatur à poſteriori, & à priori: A po- 117.
ſteriori quidem quia humanitas Verbo unita Non per modum deſiderij.
pateretur violentiam, ſi propriam ſubſiſtentiam innatè deſideraret, eſſet enim contra innatam inclinationem ab extrinſeco impedita nec haberet ſubſiſtentiam propriam, ad quam habendam naturali deſiderio eniteretur; violentum autem eſt quod ab extrinſeco provenit paſſo contranitente, & habente inclinationem
contrariam. A priori deindè; quia nulla po- 118.
tentia appetit per modum innati deſiderij aliquid in eo genere, in quo eſt perfectè ſatiata & completa; ſatietas enim parit gaudium, non deſiderium, nec iſtud natura indidit niſi in ordine ad perfectivum & completivum; perfectivum autem & completivum dicitur relatè ad inexpletum & incompletum; atqui humanitas à Verbo aſſumpta eſt in genere ſubſiſtendi perfectè ſatiata & completa; cum ſubſiſtentia Verbi contineat omnem prorſus ſubſiſtendi perfectionem, & omne ſubſiſtendi munus exerceat; ergo humanitas à Verbo aſſumpta non appetit per modum innati deſiderij aliquid in genere ſubſiſtendi, ac per conſequens non taliter appetit ſubſiſtentiam propriam.

Dices primò; pro impugnatione rationis à poſteriori: Illud, quod ab intrinſeco provenit contrà alicujus inclinationem, ut ſit violentum,

lentum, debere eſſe contra inclinationem alicujus, tanquàm principij activi; paſſum enim contra niti eſt activè in contrarium ſe habere, & cum materia ex ſe natura non ſit, id quod eſt præcisè contra inclinationem materiæ ſeu ſubjecti purè paſſivè ſe habentis, nequit eſſe contra naturam, adeóque nec violentum; atqui humanitas ad propriam ſubſiſtentiam ſe habet purè paſſivè, & ut ſubjectum præcisè recipiens, nullatenus ut principium producens, in univerſum enim ſubſiſtentia creata producitur ab agente, à quo producitur natura; ergo humanitas in Christo nullam patitur violentiam ex eo, quod contra ſuam innatam inclinationem propriâ careat ſubſiſtentiâ, nec ad vitandam violentiam negandus ei eſt in ordine ad talem ſubſiſtentiam appetitus per modum deſiderij. Accedit quod carentia propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti inducta eſt à Deo, non ab agente creato; Deus autem nullam umquam creaturæ infert violentiam, etiamſi faciat contra ejus inclinationem. Sed contrà:

119. Violentia inferri poteſt etiam rei ſe habenti purè paſſivè.

falſa ſunt omnia ſuppoſita, quæ in inſtantiâ proferuntur. Falſum eſt primò principium purè paſſivum non poſſe pati violentiam; & contra niti eſt habere contrariam inclinationem, non ſemper contrariam actionem: falſum eſt ſecundò materiam non eſſe naturam; & omni formâ denudari eſſet contra inclinationem naturæ & ipſi materiæ primæ violentum: falſum eſt tertiò humanitatem, & naturam quamlibet in univerſum, ſe habere purè paſſivè ad propriam ſubſiſtentiam; ſe habet enim ut principium emanativum: falſum eſt quartò creaturam non poſſe à Deo violentiam pati; & quando hanc verè pati non poſſet, eſſet ex eo quod fortior & principalior ejus inclinatio numquàm poſſet eſſe contraria divinæ operationi, ut ſuo loco explicant Auctores nullam agnoſcentes violentiam in creaturâ à Deo. Sicque à primo ad ultimum inſtantia eſt de ſubjecto non ſupponente, & ex nullo capite concludit intentum.

Dices ſecundò pro impugnatione rationis à priori. Subſiſtentia Verbi, quamvis in ratione ſubſiſtendi perfectiſſima & infinita, refertur tamen ſolùm ad obedientialem, non ad naturalem appetitum humanitatis; ergo illum ſolùm, non iſtum complet ſatiatque; ergo non impedit, quin humanitas deſiderio innato, quod eſt idem ac dicere deſiderio naturali, feratur in ſubſiſtentiam propriam, cum præcipuè hæc tribuat naturæ eſſe in ſe, quod nec tribuit nec tribuere poteſt ſubſiſtentia Verbi, quæ cum reſpectu naturæ creatæ ſit eſſentialiter aliena non poteſt ei tribuere, niſi eſſe in alio. Sed contrà: ut ab hoc poſtremo

120. Subſiſtentia Verbi ſatiat formaliter obedientialem, eminenter etiam naturalem appetitum, humanitatis.

incipiam recolendum eſt *ex præc. n.* 33. quamlibet ſubſiſtentiam tribuere naturæ eſſe in ſe, eam perficiendo per modum termini intrinſeci, & ſubſiſtentia aliena dicitur, quia alij naturæ debetur, non quia in alio & extra ſe naturam conſtituat; Subſiſtentia igitur Verbi optimè poteſt humanitati tribuere eſſe in ſe. Ad priorem inſtantiæ partem dico ſubſiſtentiam Verbi formaliter quidem referri ſolùm ad obedientialem, ut eminenter referri etiam ad naturalem humanitatis appetitum, hincque eminenter ſatiare & complere.

Vrgebis: Satietas, ſeu completio eminens, non impedit deſiderium ſeu appetitum innatum complementi formalis; ergo humanitas ex eo, quòd per ſubſiſtentiam Verbi habet ſatietatem completionémque eminentem, non impeditur à deſiderio & appetitu innato complementi formalis habendi per ſubſiſtentiam propriam; antecedens probatur primò, quia ſatietas ſeu completio eminens non tollit capacitatem, proportionémque naturæ cum ſuo complemento formali, undè humanitas à Verbo aſſumpta adhuc eſt terminabilis ſubſiſtentiâ propriâ, & quoties à Verbo dimitteretur non indigeret ullâ additione virtutis ad ſuam ſubſiſtentiam emanandam; atqui appetitus innatus nihil eſt aliud niſi capacitas ſeu potentia habendi perfectionem ſibi connaturalem & proportionatam; ergo: Secundò, quia concurſus effectivus, aut quidam ſubſiſtentiæ modus ſupplens ſuſtentationem ſubjecti, dici poteſt reſpectu accidentis completio eminens; & tamen iſtud adhue appetit ſuam completionem formalem, & inhærentiam in ſubjecto materialiter ſuſtentante. Item materia informata animâ rationali dici poteſt informata eminenter per omnes formas inferiores in anima rationali eminenter contentas; & tamen illa adhuc iſtas appetit; ergo in univerſum completio eminens non impedit appetitum, ſeu deſiderium, complementi formalis. Sed contrà: nego antecedens loquendo, ut in præſenti loquimur de completione eminenti, quæ ſit in eadem lineâ, eadémque ratione ſpecifica cum complemento formali: Ad primam probationem, diſtinguo majorem non tollit capacitatem, proportionémque naturæ per ſubtractionem alicujus in naturâ præexiſtentis, concedo; per additionem alicujus connaturaliter impedientis ipſum complementum formale, nego majorem; vel hac datâ, diſtinguo minorem, appetitus innatus nihil eſt aliud, quàm capacitas ſeu potentia habendi, ſi ſermo ſit de appetitu in actu primo, concedo; ſi de appetitu in actu ſecundò, nego, & ad hunc dico requiri ulterius, quod perfectio connaturalis, cujus ſupponitur capacitas & potentia, neque in ſe neque in alio, neque formaliter neque eminenter præhabeatur, ſicuti tamen humanitas Verbo unita in alio & eminenter præhabet formale complementum ſubſiſtentiæ propriæ. Ad ſecundam probationem omitto antecedens; diſtinguo conſequens ergo completio eminens, quando non eſt in eadem lineâ cum complemento formali nec continet rationem ſpecificam ipſius, non impedit appetitum complementi formalis concedo; quando eſt in eadem linea, & continet eandem rationem ſpecificam, nego; hoc ſecundo modo ſe habet completio eminens, quam humanitati præbet ſubſiſtentia Verbi; non ſic illud, quod ſupplet ſuſtentationem reſpectu accidentis ſeparati, per hoc enim accidens non completur in lineâ inhærentiæ; non ſic item anima rationalis, utpotè continet formas inferiores ſecundùm rationes genericas

121. Non omnis innata capacitas perfectionis abſentis eſt innatum tali perfectionis deſiderium.

neticas & gradus valdè communes ; non ſecundùm rationes ſpecificas ; & differencialea ipſarum.

Ergebis adhuc: Si humanitas terminaretur per ſubſiſtentiam alienam creatam appeteretpte modum innati deſideeij in actu ſecũdo ſubſiſtentiam propriam, & tamen illa iſtam ſuppleret in eadem linea, eadémque ratione formali; ergo quod ſubſiſtentia Verbi ſuppleat ſubſiſtentiam humanitatis in eadem linea &c. non facit, quod humanitas non debeat ſubſiſtentiam propriam in actu ſecundo

122. appetere. Sed contrà: locuti hucuſque ſumus de ſupplemento in eadem lineâ, at eminentiore & perfectiore; ideò omitto antecedens, nego conſequentiam: ratio eſt, quia ſubſiſtentia alicoa creata ſuppleret in humanitate ſubſiſtentiam propriam in eadem quidem lineâ, at inferiore & imperfectiore modo; enim verò ſubſiſtentia illa aliena eſſet naturaliter amiſſibilis, cum propria naturaliter inamiſſibilis ſit; illa provenieet ab extrinſeco, cum propria ab intrinſeco emanet; cæteris autem paribus habere aliquid ab extrinſeco minor perfectio eſt, quam habere ab intrinſeco; humanitas igitur cum ſubſiſtentiâ alienâ creatâ imperfectiore modo ſe haberet, quàm cum ſubſiſtentiâ propriâ, cum ſubſiſtentiâ divinâ ſe habet modo perfectiore, ideò ex eo quod ſub priore in actu ſecundo appetat ſubſiſtentiam propriam, non rectè infertur, quod ſimiliter appetat ſubſiſtentiam propriam ſub poſteriore.

Subſiſtentia aliena creata terminat naturâ imperfectius, divina perfectius quàm ſubſiſtentia propria.

123. Ex quo meminimus humanitatis in comparacione ad ſubſiſtentiam creatam tum propriam tum alienam, expedienda occurrunt duo dubia ad talem comparationem pertinentia. Primum eſt, Vtrùm humanitas, & alia quælibet natura creata, conſervari poſſit ſine omni protſus ſubſiſtentiâ ſive propriâ, ſive alienâ: Secundum, an & per quamnam potentiam poſſit ee verâ terminari ſubſiſtentiâ alienâ creatâ?

124. Primum dubium facilem habet ſolutionem in noſtris principijs ſtatuentibus ſubſiſtentiam in aliquo poſitivo, quod diſtinguatur à naturâ creatâ realiter, tamquàm res à re; hujuſmodi enim diſtinctio eſt ſolemne ſeparabilitatis argumentum; nec aliundè eſt aſſignabilis connexio, aut dependentia neceſſaria, ob quam nequeat natura creata ſine omni ſubſiſtentiâ permanere. Ad dubium igitur abſolutè reſpondeo cum affirmatione, & licet negativè ſentiant Henricus & Durandus ex eo, quòd ſubſiſtentiam cum naturâ creatâ realiter identificent. Scotus ex eo, quòd ſubſiſtentiam creatam collocet in negatione communicationis ad alienum ſuppoſitum, adeóque neceſſe ſit naturam ſubſiſtere in proprio vel in alieno ſuppoſito, cum ſubſiſtat in proprio ex eo præcisè, quod non ſubſiſtat in alieno, ſeu non ſit alieno communicata. Aliqui item modaliſtæ, inter quos Suarez *in metaph. diſp.* 34. *ſec.* 6. *n.* 25. ex eo, quòd velint ſubſiſtentiam creatam eſſe modum ejuſdem rationis cum figurâ, ubicatione, duratione, & alijs quibuſdam ſimilibus modis, qui non ſolùm non poſſunt exiſtere ipſi ſine rebus, ſed neque res ſine ipſis. Tamen iſti omnes Auctores, utpotè loquentes ex principijs per nos falſis, & jam impugnatis, ulteriori impugnatione non indigent. Solùm moneo me, etiamſi admitterem ſubſiſtentiam eſſe modalem entitatem non acceſſiturum in præſenti ad præmemoratos Modaliſtas; cum enim major pars modorum juxta ſuos Auctores ſiot talis conditionis, ut eſſe poſſint res ſine ipſis, quamvis non ipſi ſine rebus; rationabilius eſſet hujus conditionis facere ſubſiſtentiæ modum, & de iſto ſentire id, quod de majori cæterorum modorum parte, non id quod de nonnullis paucioribus; pro quibus inſuper militant ſpeciales rationes pro modo ſubſiſtentiæ non militantes.

Natura creata poteſt divinitus conſervari ſine omni prorſus ſubſiſtentiâ.

Etiamſi iſta eſſet modus illius.

Secundum dubium, quatenus procedere poteſt de potentiâ naturali, & ordinariâ, negativè omninò ſolvendum eſt, & licet ex Hieronymo *in prologo Malach.* & *in cap.* 3. *Aggæi* Origenes putaverit de facto Malachiam & Ioannem Baptiſtam fuiſſe Angelos hypoſtaticè unitos naturæ humanæ, idemque alij quidam ſenſerint de Aggæo; Tertullianus item *lib. de carne Chriſti cap.* 4. & 6. necnon *lib.* 3. *contrà Marcionem cap* 9. Exiſtimaverit Angelos aſſumpſiſſe hypoſtaticè corpora, in quibus ſæpius hominibus apparuerunt, & Major *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 2. referat Sanctos aliquos arbitraeus Antichriſtum fore dæmonem incarnatum, ſeo in carne hypoſtaticè aſſumptâ: Nihiluminus hæc omnia reijciuntur communiter tamquàm improbabiliora, iiſdémque non obſtantibus Suarez *diſp.* 13. *ſec.* 4. § *Illa verò*, ait eſſe certiſſimom, quod de facto nulla alia unio hypoſtatica facta fuerit præter Verbi Incarnationem; perperam autem & gratis dicitur naturaliter fieri poſſe, quod numquàm hucuſque factum eſt, nec congruè conceditur potentiæ ordinariæ quod difficilè & à paucioribus, ut ex mox dicendis conſtabit, ſuſtinetur in potentiâ abſolutâ. Porrò quod aliqui inſigniores viri fuerint aliquando inſigniti nomine Angelorum fuit propter imitationem officij, aut puritatis vitæ, non proptee onitatem perſonæ: & quod de Ioanne Baptiſtâ Malachia, & Aggæo, relatum eſt Molina 1. *p. quæſt.* 51. *art.* 2. *diſp.* 1. in fine vult erroneum abſque dubio cenſendum eſſe. Aſſumptio corporum, in quibus Angeli apparuerunt, fuit accidentalis, non ſubſtantialis & hypoſtatica; nec per eam Angeli ſe univere corporibus, tamquàm ſuppoſita naturis, ſed tamquàm motores mobilibus, ut explicabimus ſuo loco *in tract. de Angelis.* Antichriſtum fore dæmonem incarnatum in nullo Sancto ſe vidiſſe ait Suarez *loco præc.* dictus quidem eſt Antichriſtus dæmonis inſtrumentum ab Ambroſio 2. *ad Theſſalon.* 2 & ab aliquo alio appellatus eſt titolis aliquam dæmonis notam præſeferentibus; at hæc nullatenus inferunt in Antichriſto perſonam dæmonis carni, ſeu naturæ humanæ unitam, & incarnatam. 125.

Nulla natura fuit de facto unita aut unibi naturaliter poteſt, alienæ ſubſiſtentiæ creatæ.

126. Idem ſecundum dubium quatenus procedit de potentiâ obedientiali, abſolutâ, & extraordinariâ, habet pro reſponſione negativâ Henricum *quodl.* 11. *quæſt.* 10. Durandum *in* 3. *diſt.* 1.

diſt. 1. *quæſt.* 5. Paludanum *q.* 1. *art.* 2. Aureolum *quæſt.* 3. *art.* 3. Cajetanum *hic quæ.* 3. *art.* 1. §. *Præterea* Medinam *eod. artic.* Joannem à S. Thoma *diſp* 6. *art.* 1. Gonetum *diſp.* 8. *art.* 6. Suarium *diſp.* 13. *ſec.* 4. Vaſquium *diſp.* 25. *cap.* 2. Lugum *diſp.* 12. *ſec.* 7. Amicum *diſputat.* 14. *ſec.* 7. *num.* 160. & tum Thomiſtas omnes, tum etiam ferè omnes Recentiores. Habet pro reſponſione affirmativâ Ochamum *in* 3. *quæſt.* 1. *ad* 13. Baſſolium *diſt.* 1. *quæſt.* 6. Majorem *quæſt.* 5. *concl.* 1. Almaynum *quæſt.* 2. *dub. ultim.* Bacconium *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 1. Molinam *præcit. diſp.* 1. Yſambertum *hic qu.* 3. *diſp.* 1. *art.* 1. Madernum *qu.* 4. *art.* 10. Habet inſuper pro reſponſione quadam mediâ Valentiam *diſputat.* 1. *quæſt.* 3. *punc.* 6. adhærentem parti negativæ quoad perſonas de facto creatas, affirmativæ quoad perſonas de potentiâ abſolutâ creabiles. Habet tandem pro reſponſione problematicâ Scotum *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. Gabrielem *quæſt.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. Marſilium *quæſt.* 1. *art.* 3. qui tamen & præſertim Scotus cum ſuis, magis propendent in reſponſionem affirmativam, pro quâ idcircò à pluribus abſolutè citantur.

127. **Quælibet creata natura poteſt divinitus, & obedientialiter, terminari alienâ ſubſiſtentiâ creatâ.**

Inter has Auctorum ferè ex æquo diviſorum reſponſiones ſentio cum affirmantibus, & dico humanitatem, aliaſque creatas naturas poſſe divinitus, & obedientialiter terminari alienâ ſubſiſtentiâ creatâ: Probatur ex eo, quod humanitati (eadem eſt ratio de naturis alijs) non repugnat aliena ſubſiſtentia creata, nec ut aliena, nec ut creata eſt; non ut aliena, quia ſecus repugnaret pariter humanitati ſubſiſtentia increata; quæ certè reſpectu humanitatis eſt aliena, imo ſicut ab ea eſt magis diſtans, ità dici poteſt magis aliena, quam ſubſiſtentiæ cæteræ: Non ut creata, ac per conſequens finita primò, quia terminatio humanitatis non exigit infinitatem, cum ſit finita capacitas, in quâ talis terminatio exercetur, finitus item effectus qui ex tali terminatione reſultat: & quando aliqua infinitas requireretur, parum intereſſet; quia ſubſiſtentia creata, licet finita entitativè & ſecundum ſuam virtutem naturalem, obedientialiter tamen & quatenus ſubeſt principio elevanti infinito participat & induit infinitatem: Secundò, quia ſpeciales repugnantiæ ab Adverſariis excogitatæ in ſubſiſtentia alienâ ut creatâ, aut procedunt ex falſo ſuppoſito; aut ſunt aliundè inſufficientes.

128. Primò enim ex falſo procedunt ſuppoſito Suarez, Lugus, Amicus, & plures alij Recentiores repugnantiam refundentes in id, quod omnis ſubſiſtentia creata ſit modus, modus autem ex genere ſuo ſit eſſentialiter affixus rei, cujus eſt modus; nec poſſit à tali re ſeparari, & uniri alteri, aut ſaltem non poſſit præſtare alteri proprium effectum formalem: Ex falſo, inquam, procedunt ſuppoſito, quia ſubſiſtentia creata res eſt, & non modus; & quando eſſet modus, nimis faciIè ſupponeretur modum, etiam abſque ſeparatione à re, cujus eſt modus, non poſſe uniri alteri rei, aut modificare rem aliam mediâ unione ſuperadditâ, cum de iſtis, & ſimilibus, inter ipſos Modaliſtas valdè controvertatur.

129. **Afferuntur varia capita repugnantiæ contrà terminabilitatem naturæ creatæ à ſubſiſtentia creatâ aliena.**

Secundò inſufficientes ſunt variæ, quæ à diverſis alijs Auctoribus afferuntur repugnantiæ rationes; ut primo, quod nulla ſubſiſtentia creata contineat alias eminenter, repugnet autem unam ſubſiſtentiam præſtare effectum formalem alterius, niſi alteram eminenter contineat. Secundò; quod repugnet ſubſiſtentia creata potens terminare naturas non tot, quin plures, etiam infinitas; eo ipſo autem, quod poteſt terminare naturas alienas, non eſt, cur non poſſit terminare duas, aut tres, & plures in infinitum, imò infinitas? Tertiò, quod repugnet ſubſiſtentia creata apta terminare dependentiam ſeu terminabilitatem ſupernaturalem, eſſet enim talis ſubſiſtentia ſupernaturalis; & tamen ex alia parte dependentia, ſeu terminabilitas naturæ à ſuppoſito alieno, ſupernaturalis eſt. Quartò, quod ſubſiſtentia naturam terminet in genere cauſæ formalis, cauſa autem formalis habet hoc, ut non poſſit præſtare effectum, niſi ab intrinſeco & ex propriâ virtute; undè ipſa, ſicut & cauſa materialis, nequit eſſe inſtrumentalis; nec elevata obedientialiter; ſi igitur ſubſiſtentia aliena naturam aliquam terminaret, hanc terminaret connaturaliter, ex propriâ virtute, & ab intrinſeco, at hoc fieri non poſſe docuimus nos ipſi *præced. n.* 15.

130. **Occurritur ad primum.**

Inſufficiens eſt primum, quia ut una ſubſiſtentia præſtet effectum formalem alterius obedientialiter, & ex divinâ elevatione, ſufficit quod habeat convenientiam cum alterâ in genericâ ratione terminandi; continentia verò eminentialis requiritur ſolùm, ut una aliam ſuppleat, ejuſque effectum formalem præſtet, connaturaliter & ex propriâ virtute, ut præſtat ſubſiſtentia Verbi reſpectu naturæ humanæ.

Ad ſecundum.

Inſufficiens eſt ſecundum, quia ſi diceretur ſubſiſtentiam creatam poſſe quidem terminare naturam alienam, at non niſi dimittendo naturam propriam, dici poſſet conſequenter ſubſiſtentiam creatam poſſe ſolum terminare unicam naturam, hanc, vel illam; ſivè propriã, ſivè alienam; hoc tamen omiſſo melius dicitur nullam eſſe repugnantiam in eo, quod ſubſiſtentia creata obedientialiter, & ex infinitâ virtute principij elevantis, terminare poſſit naturas, non tot, quin plures in infinitum, imò infinitas; ſicut & obedientialiter poteſt tum forma informare infinita ſubjecta, tum ſubjectum materialiter ſuſtentare infinitas formas.

131. **Ad tertium.**

Inſufficiens eſt tertium quia ſubſiſtentia apta terminare dependentiam, & terminabilitatem ſupernaturalem, deberet eſſe ſupernaturalis ad ſummum ſi eſſet ad id apta ab intrinſeco & ex propriâ virtute; & à nobis aſſeritur apta ſolùm obedientialiter & ex virtute extraordinaria Dei, quâ ratione naturalis ſubſtantia animæ terminat ſuo modo ſupernaturalem dependentiam gratiæ aliorumque accidentium divini ordinis.

Ad quartum.

Inſufficiens eſt quartum, quia licet cauſa formalis, utpotè quæ cauſat communicando ſe ipſam ſubjecto, non poſſit præſtare effectum formalẽ in ſubſtantiâ & ſimpliciter ſupernaturalẽ niſi ipſa ſupernaturalis ſit; poteſt tamẽ præ-

ſtare effectum ſupernaturalem in modo, quatenus communicetur ſubjecto modo excedente propriam formæ exigentiam & activitatem naturalis agentis: Hac ratione eſſet effectus formalis ſupernaturalis in modo informatio, quâ forma naturalis ſe communicaret pluribus ſubjectis, vel quâ contrariæ qualitates in gradu ſummo eidem ſubjecto ineſſent.

Cauſa formalis poteſt eſſe obedientialis, quamvis fortè nõ inſtrumentalis.

Ad hos, & ſimiles effectus formales cauſa formalis poteſt eſſe elevata obedientialiter, utrum verò poſſit etiam dici cauſa inſtrumentalis multum habet quæſtionis de nomine, ut in ſimili diximus de causâ materiali *præced. tract. v lib.3.cap.2.num.*12. Pro re præſenti ſat ſit ſupponere, quod elevatio obedientialis etiam in genere efficientis poteſt eſſe ſine cauſalitate inſtrumentali, cum *tract.* 1. *libr.* 2. *cap.*3 §.4. docuerimus creatum intellectum ad beatam viſionem concurrere ut elevatum, & tamen concurrere principaliter.

131. Directè igitur ad rationem repugnantiæ permitto ſubſiſtentiam non poſſe præſtare ſuam terminationem inſtrumentaliter, nego non poſſe eam præſtare obedientialiter; admitto talem terminationem debere eſſe aliqualiter ab intrinſeco & ex propria virtute; at dico propriam virtutem debere eſſe elevatam & cum ly *ab intrinſeco*, conjungi debere principium extrinſecum & indebitum, quando terminatio eſt ſupernaturalis in modo, ſicut eſt illa omnis, quam ſubſiſtentia creata præſtare poteſt alij naturæ à propriâ.

Terminatio naturæ à ſubſiſtentiâ creata aliena eſt ſupernaturalis in modo.

Neque dicas effectus ſupernaturales in modo aliquando fiunt virtute purè naturali, terminatio autem naturæ à ſubſiſtentiâ aliena nunquam virtute naturali haberi poteſt, ſignum eſt igitur, quod talis terminatio non eſt ſupernaturalis in modo, ac per conſequens quod repugnat ſimpliciter, cum aliundè nec naturalis eſſe poſſit, nec ſupernaturalis in ſubſtantiâ. Contrà enim effectus ſupernaturales in modo aliqui ſunt ſeparabiles, aliqui inſeparabiles à modo; priores fiunt aliquando virtute naturali, poſteriores non item; Priores exemplificantur in viſu, qui aliquando, imo ut plurimum,

133. habetur naturali virtute animæ, & eſt quoad modum ſupernaturalis in cæco, vinum item fuit quoad modum ſupernaturale in nuptiis Galileæ, & tamen ut plurimum producitur virtute naturali; Poſteriores exemplificantur in præſentia ſacramentali corporis Chriſti, in accidentibus ſine ſubjecto conſervatis, & ſimilibus, quæ nunquam ſunt ſine modo naturæ vires excedente, hujuſmodi eſt pariter terminatio naturæ à ſubſiſtentia aliena, quæ terminatio fieri nequit niſi ſubſiſtentia, aut propriam naturam dimittat, aut duplicem naturam ſimul afficiat, uterque autem modus excedit naturalem creatæ ſubſiſtentiæ virtutem.

Effectus ſupernaturales in modo ſunt in duplici differentia.

Occurritur auctoritati D.Thomæ.

Ex his habetur primo D. Thomam *quæſt.*3. *art.*1.*ad* 2 dicentem: *eſt proprium divinæ perſonæ propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concurſus naturarum non quidem accidentaliter ſed ſecundum ſubſiſtentiam*, rectè intelligi, ſi dicatur S.Doctorem loqui de perſonâ conſiderata ſecundum virtutem, & terminationem ſibi connaturalem, nullaque elevatione indigentem; quâ ratione nos quoque fatemur terminationem plurium naturarum eſſe propriam divinæ perſonæ, & ſubſiſtentiæ infinitæ. Præter quod quia eo articulo agitur de divinâ Perſonâ, non ſolum ut eſt terminus formalis, verum etiam ut eſt principium efficiens aſſumptionis ad ſubſiſtendum, dici poteſt verba præallata referri ad perſonam ut efficit, non præcisè ut terminat aſſumptionem alienæ naturæ, vel plurium naturarum; quomodo autem talis efficientia divinæ perſonæ ſit propria? traditur *ſeq.cap.*8.§.1.

Habetur ſecundò à fortiori poſſe naturam creatam terminari ſubſiſtentiâ alienâ creabili, 134.

Subſiſtentia creabilis quomodo poſſet differre à creatis de facto.

quia etiamſi ſubſiſtentiæ de facto creatæ eſſent, non res ſed modi eſſentialiter & unicè affixi propriæ naturæ; non apparet, cur non ſit de potentiâ abſolutâ creabilis aliqua ſubſiſtentia, quæ ſit non modus, ſed res indifferenter unibilis pluribus naturis? Etiamſi item nulla ſubſiſtentia de facto creata contineat cæteras eminenter, cum tamen continentia eminentialis ex genere ſuo poſſit rebus finitis competere, ut patet in ſole, anima rationali, & ſimilibus; non apparet, cur non ſit dabilis ſubſiſtentia etiam non infinita, longè tamen perfectior cæteris, quæque aut nullius, aut alicujus naturæ omnibus de facto exiſtentibus præſtantioris propria, contineat eminenter cæteras ſubſiſtentias, aut omnes, aut aliquas, & has poſſit ſupplere terminando naturas, quarum non eſt ſubſiſtentia propria?

Potuiſſent hic alia nonnulla dubitari; Puta, utrùm hucuſque dicta procedant de naturâ creatâ etiam retinente ſubſiſtẽtiam propriam? Utrùm ſubſiſtentia danda ſit ad terminandam omnem naturam etiam accidentalem, quoties exiſtit per ſe & independenter à ſubjecto? Utrùm ſubſiſtentia ſit naturæ tum complementum exiſtendi, tum etiam comprincipium operandi? Verum hæc & ſimilia ſpectantia præcisè ad ſubſiſtentiam creatam, utpotè quæ Philoſophica magis, quàm Theologica ſunt, non habent in præſenti opportunum amplioris tractationis locum; quatenus verò poſſunt breviter & obiter expediri indicando, quid ſentiendum ſit, ſufficit recolere alibi dicta; ad primum enim colligi facile poteſt reſponſio affirmativa *ex præced.*§.2. *num.*30. Ad ſecundum reſponſio negativa *ex præced.*§.3. *nu.*66. Ad tertium reſponſio pariter negativa *extra. de Deo Trino lib.*1.*cap.*3.§.6.

CAPUT VI.

De modo Incarnationis ex parte unionis humanitatis cum Verbo, ſeu naturæ creatæ cum Perſonâ divinâ.

UNio humanitatis cum Verbo conſiderata hucuſque fuit in ſuis extremis, quæ 1.
ſunt ipſa humanitas, & verbum; proponitur modo conſideranda in ſe ipſa formaliter, ut eſt formalis nexus, ſeu conjunctio extremorum & quærendum illico in quonam formaliter

conſiſtat

conſiſtat, utrum in aliquâ ſimplici entitate diſtinctâ realiter ab extremis; an in ſolâ ſimultate & complexione extremorum.

Sententia diſtinguens unionem hypoſtaticam ab extremis, & variis modis ipſius.

Pro ſimplici entitate ſtant tum Gabriel cum nonnullis Nominalibus, tum Scotus cum ſuis, tum major pars Recentiorum cum aliquibus Thomiſtis. Tres tamen iſtæ Auctorum claſſes diſſident deindè in determinando, utrum illa ſimplex entitas abſoluta ſit, an relativa? ſubſtantialis, an accidentalis? Gabriel *in 1. diſt.* 30. *quæſt.* 4. *art* 2. & *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1, *art.* 1. ponit eſſe abſolutam & accidentalem, vult enim eſſe qualitatem humanitati ſuperadditam. Scotus *in* 3. *diſtinct.* 1. *queſtion.* 1 §. *Ad primum dico* eam ponit relativam, & vocat relationem diſquiparantiæ, realem in humanitate, rationis in Verbo; ſubſtantialis ne, an accidentalis ſit non invenio expreſſum in ſubtili Doctore, ejus diſcipuli paſſim appellant accidens potius, quàm ſubſtantiam, Herinex tamen *diſp.* 1. *quæſt.* 5 *num.* 84. propendet ad reſpectum ſubſtantialem. Recentiores id eſt Suarez, Vaſquez, Lugus, Amicus, Arriaga, Eſparza, & ex Thomiſtis Herrera, Araujo, Godoy eam ponunt abſolutam & ſubſtantialem, & modum vocant; quem etiam, eo quod ſit fundamentum relationis aliqui nuncupant non omnino abſolutum.

2. Sententia non diſtinguens unionem hypoſtaticam ab extremis.

Pro ſola complexione & ſimultate ſtant Bonaventura *in* 3. *diſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. Richardus *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 4. Rubion *diſt.* 1. *qu.* 1. Bachonius *qu.* 1. *art.* 1. §. 2. Capreolus *diſt.* 5 *qu.* 1. Gregorius *in* 1. *diſt.* 28. *qu.* 2. Cajetanus *hic qu.* 2 *art.* 7. & 10. Medina *eod. art.* 7. Joannes à S. Thoma *diſput.* 4. *art.* 3 Gonetus *diſputat.* 6. *art.* 3. Valentia *diſp.* 1. *qu.* 1. *punc.* 2. *ad* 4. & *qu.* 1. *punc.* 5. Madetnus *qu.* 4. *art.* 4. alijque plures & licet nonnulli ex Auctoribus relatis mentionem faciant relationis non propterea malè à nobis referuntur pro ſolâ complexione & ſimultate; ponunt enim relationem naturæ ad Verbum non tanquam nexum & vinculum, ſed tanquam proprietatem conſequentem, ità Bonaventura Richardus, Capreolus, Joannes à S. Thomâ, &c.

3. De his antequam aliquid proferam, duo moneo unum pro primo, alterum pro ſecundo dicendi modo: Pro primo moneo opinionem Gabrielis (idemque eſt judicium de opinione Scotica, ſi relatio à Scoto aſſerta exiſtimetur eſſe prædicamentalis, & accidens) cenſeri à nonnullis, quos Suarez *diſputat.* 8. *ſec.* 2. §. *Tertia ſententia,* ait non immerito loqui, cenſeri, inquam, pertinentem ad errorem Neſtorij, melius tamen cæteri communiter ab ea removerent omnem ſuſpicionem Neſtorianiſmi, nam error Neſtorij (ut retulimus *præced. cap.* 4. *num.* 2.) ponebat Chriſtum eſſe unum per accidens, & continere duas perſonas per affectum & relationem mutui amoris conjunctas; perſonam ſcilicet divinam unitam perſonæ humanæ eo accidentali modo, licet ſpecialiori, quo unitur Deus juſtis per gratiam & charitatem opinio verò, de quâ agimus, ità ponit unionem hypoſtaticam formaliter acceptam eſſe accidens, ut tamen velit unire ſubſtantialiter Verbum humanitati in unitate perſonæ & Chriſtum eſſe unum quid ſub-

Sententia collocans unionem hypoſtaticam in aliquo accidente vindicatur à ſuſpicione Neſtorianiſmi.

ſtantiale, ac per ſe; & licet Suarez *præcit.* §. ſupponat nullam unionem eſſe magis accidentalem eâ; quæ formaliter per aliquod accidens fit; nihilominus Auctores, cum quibus eſt quæſtio, aliter explicant unionem accidentalem ſicut & ſubſtantialem; volunt ſcilicet accidentalem vel ſubſtantialem dici, non quia in ſe formaliter ſit accidens vel ſubſtantia, ſed quia accidentaliter vel ſubſtantialiter uniat, & totum reſultans ſit unum per ſe, vel unum per accidens; hancque explicationem approbat etiam ex Recentioribus Vaſquez *diſputat.* 18 *cap.* 3. *num.* 19. ubi ait etiamſi modus, de quo in præſenti, eſſet accidens de prædicamento accidentis, nihilominus fore ut rectè poſſemus defendere unionem naturæ humanæ cum Verbo eſſe ſubſtantialē. 4.

Pro ſecundo dicendi modo moneo plura eſſe ſupponenda ex iis, quæ de complexis diximus alibi, præſertim *in tract. de Angelis lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. ſi autem complexa alicubi ſuſtinenda ſunt non videntur alibi melius ſuſtineri, quam in præſenti controverſiâ, in quâ plures, quàm in vllâ alia, habent Patronos & Sectatores. Ideo ſit

§. I.

Utrum unio humanitatis cum verbo ſit in ſe formaliter quid ſimplex, an complexum? & utrum diſtinguatur realiter adæquatè ab utroque extremo, an ſolum realiter inadæquatè à quolibet ſeorſim?

ASSERT. Unio humanitatis cum Verbo eſt quid complexum? non quid ſimplex; diſtinguitur realiter inadæquatè ab humanitate & Verbo ſeorſim, non adæquatè ab utroque. Ità, licet non in terminis prorſus iiſdem, Major pars Thomiſtarum & Nominalium, nonnullique Recentiores contrà Scotiſtas, aliquos item tum Thomiſtas tum Nominales, & Recentiores plurimos, ut retulimus *præced. num.* 1. & 2. 5.

Probatur. Unio humanitatis cum verbo in ſe formaliter non eſt tertia entitas medians, aut ut *quod*, aut ut *quo*, inter humanitatem & Verbum; ergo eſt quid complexum, non quid ſimplex; eſt pura utriuſque ſimultas atque complexio, non res aut modus ſuperveniens; hincque conſequenter cum utroque extremo ſimul habet omnimodam identitatem ſeu indiſtinctionem; ad quodlibet ſeorſim ſe habet ut includens ad incluſum, diſtinctio autem includentis ab incluſo eſt diſtinctio inadæquata; adeóque unio prædicta ex eo, quod ſit quid complexum diſtinguitur realiter inadæquatè ab humanitate & verbo ſeorſim; non adæquatè, imo nullatenus ab utroque ſimul. Scio Adverſarios contendere diſtinctionem includentis ab incluſo non poſſe eſſe, niſi penes aliquod ſimplex, proptereáque nos redarguere inconſequentiæ & contradictionis, dum dicimus unionem hypoſtaticam non addere extremis unitis aliquid ſimplex, & tamen à ſingulis diſtingui,

Diſtinctio includentis ab incluſo non eſt neceſſe quod ſit per aliquod ſimplex.

tanquàm includens ab incluſo. Verùm pro hac Adverſariorum difficultate ſufficit recolere, quæ dicebamus *præcit.* §.4.*n.*28. Nos interim rem noſtram proſequimur urgendo probationem inceptam, cujus antecedens duas habet partes, unam de entitate mediante ſeu de medio ut *Quod*, alteram de medio ut *quo*. Ideò

6\. Vnio humanitatis cũ Verbo non eſt formaliter aliquid ſimplex ſe habens, ut mediũ *quod*.

Primum antecedens probatur quoad primam partem ex eo, quia humanitas immediatè unitur ſubſiſtentiæ Verbi, non uniretur autem immediatè ſi admitteret medium *quod*; aliquid ſcilicet, quod prius ipſum humanitati unitum cauſaret ejuſdem unionem cum Verbo, quapropter D. Thomas *in* 3. *diſt.*2. *q.*2. *art.*1. *in c.* rectè ait *in unione humanæ naturæ ad divinam nihil poſſe cadere medium formaliter unionem cauſans, cui per prius humana natura coniungatur; quàm divina Perſona*: Vbi obiter obſervo hanc auctoritatẽ afferri à multis contra Modaliſtas, tamquàm procedentem etiam de medio *quo*, immeritò tamen, quia medio *quo* non prius, quàm alteri extremo natura conjungitur, deindè quia S. Doctor toto eo articulo loquitur de medio accidentali, quod ſit ſimul extremum afferens eſſe accidentale naturæ, & intendit probare unionem hipoſtaticam non eſſe factam mediante gratia habituali; gratia autem habitualis, & medium afferens eſſe accidentale naturæ, ſi mediaret inter humanitatem & Verbum, utique non mediaret præcisè ut *quo*: Hinc Gonetus *præc. art.*3. *n* 46. fatetur Angelicum in rei veritate, nec textu præallato, nec alibi, formaliter excludere inter humanitatem & Verbum unionem; quæ ſit modus ſubſtantialis ſe habens ut *quo*; quamvis deindè velit talis modi excluſionem ab eodem inſinuari implicitè, & indirectè in doctrina univerſali, quâ tradit unionem eſſe factam formaliter in Perſona, & humanitatem eſſe aſſumptam primo & per ſe ad ſubſiſtentiam Verbi: Ex mente D. Thomæ non admodum in hoc puncto expreſsâ relictus eſt locus collocandi unionem hypoſtaticam in entitate modali ijs etiam, qui doctrinam Thomiſticam profitẽtur ut præſtiterunt præter Thomiſtas præmemoratus Sylvius *hic quæſt* 2. *art.*7. & Gabriel à S. Vincentio *diſp.*2. *dub.*8. §.3.

7\. Non eſt itẽ aliquid ſimplex ſe habens, ut medium *quo*.

Idem primum antecedens probatur quoad ſecundam partem, & in primis impugnando medium *quo* ſitum in entitate modali: Vnio humanitatis ad ſubſiſtentiam propriam naturalem & creatam non eſt in ſe formaliter entitas modalis, quamvis ſe habens præcisè ut *quo*; ergo idem ſentiendum de unione humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi ſupernaturalem & increatam; antecedens conceditur ab Adverſarijs, utpotè qui ferè omnes ponunt ſubſiſtentiam ipſam creatam eſſe modum, uni autem modo alius modus non advenit, alioqui nullus eſſe modorum terminus, & in infinitum procederetur; ſecundum illos deindè, ſecundùm quos propria ſubſiſtentia creata non eſt modus, ſe habet ſaltem ut paſſio ſeu proprietas neceſſaria, ad quam natura; ſicut non eſt indifferens, ita non indiget modo ſuperaddito determinante: conſequentia probatur, quia ſubſiſtentia Verbi continet omnem prorſus perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, continet igitur perfectionem terminandi naturam creatam ſe ipsâ præcisè & immediatè immediatione excludente etiam medium *quo*, ſi talem perfectionem habet, quocumque deindè titulo eam habeat, ſubſiſtentia creata; imò quando hæc uniretur propriæ naturæ intercedente aliquo modo, ſeu medio *quo*, ſubſiſtentia Verbi ratione ſuæ infinitatis, & ſimplicitatis, deberet continere perfectionem tum creatæ ſubſiſtentiæ tum modi eam unientis, & utriuſque munus per ſe ipſam præſtando terminare omninò immediatè creatam naturam.

Dices ex his rectè probari; quod in unione humanitatis ad Ve[rbu]m non ſit admittendus ullus modus ſe tenens ex parte ſubſiſtentiæ Verbi, at cum hoc ſtat eſſe neceſſarium modum ſe tenentem ex parte humanitatis, quæ utpotè ex ſe indifferens, & indeterminata, imò improportionata ad ſubſiſtẽdum ſubſiſtentiâ divinâ, indiget modo ſupperaddito, quoad totaliter ſubſiſtendum determinetur, imò proportionetur; quamvis tali modo non indigeat ad ſubſiſtendum propriâ ſubſiſtentiâ creata, ad quam ut quælibet eſſentia ad ſuas paſſiones & proprietates eſt ex ſe proportionata & determinata. Sed contrà; 8.
eo ipſo, quod ſubſiſtentia Verbi per ſe formaliter unitur humanitati ſine aliquo modo ſeu medio ex parte ſui, neceſſe eſt quod etiam humanitas ſine modo & medio uniatur Verbo; neque enim poteſt intelligi Verbum unitum humanitati, quin intelligatur humanitas unita Verbo; non poteſt intelligi Verbum terminans humanitatem, quin intelligatur humanitas à Verbo terminata; neceſſe eſt igitur, quod uniatur humanitas Verbo, ſine illo, ſine quo unitur Verbum humanitati. Illud, quod additur de indeterminatione, imò improportione humanitatis, quoad improportionem non eſt ad rem, quia improportio eſt ſecundùm potentiam naturalem, nõ ſecundũ potentiam obedientialem; & quando ad improportionẽ tollendam requireretur aliquid ſuperadditũ, id deberet eſſe diſpoſitio, aut forma elevans, ſe habens ut *quod*; non entitas modalis ſe habens ut *quo*: Quoad indeterminationem dico hanc ſufficienter auferri per ſubſiſtentiam Verbi, quæ determinando ſe ipſam ſine ſuperaddito ad unionem cum humanitate, determinat unâ ſimul humanitatem ſine ſuperaddito ad unionem cum ſe ipſa. Deindè humanitas ſolùm conſiderata ſeorſim, & ſecundùm eſſe ſimplex, habet indeterminationem illam, ut igitur determinetur ſufficit, quòd tranſeat ad eſſe complexum cum Verbo; neque enim humanitas, ut faciens complexum cum ſubſiſtentiâ Verbi, eſt adhuc ad talem ſubſiſtentiam indifferens, pro quo transferri huc poſſunt, quæ attigimus *præc.* §.4. *n.*26.

Indifferentia humanitatis ad unionem cum Verbo, qualis ſit, & undè determinet ur

9\. Idem primum antecedens quoad eamdem ſecundam partem probatur ulteriùs impugnando medium *quo* ſitum in qualitate, aut relatione, probatur, inquam, ex eo quia, tum qualitas tum relatio ſunt ex genere ſuo formæ perficientes ſubjectum ſe ipſis, afferentes

Google

rentea naturæ proprium eſſe accidentale, & ſe habentes ut *quod*, non ut *quo*; ut extremum, non ut purum medium, unde contrà unionem humanitatis ad Verbum factam mediante qualitate, aut relatione recurrit auctoritas & ratio *præc. n.6.* relata ex D. Thomâ arguente contra eamdem unionem factam mediante habituali gratiâ. Impugnatur deindè ſpecialiter qualitas quia hæc ſupponit ſubjectum ſubſtantialiter completum, adeóque ſubſiſtens; & in propoſito ſpectare non poſſet, niſi ad genus innominatum ad inexplicabile; nam non eſſet virtus, cum non detur ad operandum, non eſſet gratia habitualis, cum hæc ex dicendis gratiam unionis in Chriſto ſubſequatur, non antecedat, nec congruè appellaretur gratia unionis quia hujus nomine ex communi Patrum & Scholaſticorum ſenſu venit aliquid amplius, quàm ſimplex & pura qualitas. Impugnatur item ſpecialiter relatio, quia hæc in præſenti à ſuis Auctoribus dicitur extrinſecus adveniens; ad uniendam autem ſubſiſtentiam per modum termini intrinſeci malè congruit medium adveniens extrinſecùs: Accedit quod in noſtris principijs relatio non eſt ſimplex entitas, ſed ſimultas & complexio fundamenti & termini ſuppoſitâ ratione fundandi; male igitur recurritur ad relationem, ſi mens eſt ſtatuere unionem hypoſtaticam in ſimplici entitate diſtincta realiter adæquatè ab extremis.

10. Probatur inſuper univerſaliter totum prædictum antecedens, & unâ ſimul aſſertum, argumento negativo deſumpto ex generali regula non multiplicandi ſine neceſſitate entitates, nullam autem eſſe neceſſitatem aſtruendi in præſenti ſimplicem entitatem mediam, ſive dicatur modus ſubſtantialis, ſive qualitas, ſive relatio, ſive aliter utcumque nominetur, mox conſtabit ſolvendo potiora, quæ ſolent ab Adverſarijs urgeri; talis neceſſitatis argumenta.

Adverſariorum argumenta pro neceſſitate ſimplicis entitatis in unione hypoſtaticâ.

Dices igitur triplici potiſſimum ex capite argui prædicatam neceſſitatem. Primum habetur ex parte humanitatis, quæ ſi eſſet hypoſtaticè unita per ſolam ſui complexionem & ſimultatem cum Verbo, nihil haberet amplius unita, quàm non unita, nam complexionem ſimultatémque cũ Verbo habet per hoc præciſè, quod exiſtat ipſa & exiſtat Verbum, poteſt autem humanitas exiſtere ipſa, & exiſtere Verbum, & non eſſe unita Verbo, ut igitur humanitas unita habeat aliquid amplius, quàm non unita, neceſſaria eſt aliqua ſimplex entitas ei ſuperveniens. Secundum habetur ex parte actionis, quâ unio fit, ex vi enim talis actionis debet produci aliquis terminus de novo, at nec producitur humanitas, nec Verbum, producitur igitur aliquid diſtinctum ab humanitate, & Verbo; producitur igitur aliqua tertia entitas ſimplex; neque dici poteſt produci complexionem ſeu ſimultatem, cum hæc ab humanitate & Verbo non diſtinguatur, & quatenus includit Verbum ſit ad extra improducibilis, ſicuti eſt ad extra improducibile Verbum. Tertium habetur ex parte relationis, quæ in humanitate ad Verbum reſultat ex unione, cui quidem relationi neceſſe eſt aſſignare de novo aliquod fundamentum proximum, rationemvè fundandi in humanitate receptam; ac per conſequens aliquam ſimplicem entitatem, quæ humanitati ſupervenerit. Sed contrà.

Ad primum dico complexionem, ſimultatémque humanitatis cum Verbo; multiplicem eſſe poſſe; aliam quoad locum, aliam quoad tempus, aliam quoad ſuppoſitum; non quælibet ex his, ſed ſolùm tertia, ſufficit ut humanitas ſit hypoſtaticè unita; ex eo autem præciſè, quod exiſtat humanitas & exiſtat Verbum, datur quidem ſimultas & complexio utriuſque quoad locum & tempus, quamvis in eodem loco penetrantur, eodémque tempore durant; at non quoad ſuppoſitum, quatenus humanitas ſubſiſtat eodẽ ſuppoſito quo ſubſiſtit Verbum; humanitas igitur unita hypoſtaticè per ſolam ſui complexionem ſimultatémque cum Verbo in eſſe ſuppoſiti habet aliquid ampliùs, quàm non unita; & hujuſmodi complexionem in eſſe ſuppoſiti numquàm poteſt non hypoſtaticè unita habere, licet poſſit ſic non unita habere aliquam aliam complexionem. Hic confeſtim inſurgunt Adverſarij quærendo à nobis, utrùm complexum in eſſe ſuppoſiti ſuprà complexum ſimultatémque humanitatis & ſuppoſiti quoad locum & tempus addat aliquid ſimplex, an aliquid complexum, an nihil. Non poſſumus dicere, quod addat nihil quia ſecus malè diſtingueremus unum complexum ab alio; nec poſſumus dicere, quod addat aliquid ſimplex, quia à nobis tandem extorſiſſent Adverſarij quod intendunt, unionem ſcilicet hypoſtaticam non haberi ſine ſimplici entitate humanitati ſuperaddita: Si dicamus, ut re verâ dicendum eſt, addere aliquid complexum, complexionem ſcilicet majorem ea, quæ eſt præciſè quoad locum & tempus, videmur dumtaxat afferre nova verba, ſupereſt enim ſemper explicandum, per quid formaliter unum complexum ſit majus alio; per quid complexum hypoſtaticum, quod dicimus majus, differat à complexo locali, quod dicimus minus. Sed contrà: ad poſtremam hanc inſtantiæ partem dico unum complexum eſſe majus alio per ſe ipſum formaliter, & per complexionem, ſeu quaſi formam complexam præſtantem majorem effectum; complexio enim hypoſtatica tribuit unitatem perſonalem & dependentiam in ratione terminati & terminantis, quod non tribuit complexio localis; complexio igitur iſta eſt minor, quia minorem; illa eſt major, quia majorem effectum formalem præſtat, & hoc utraque habet formaliter per ſe ipſam; univerſaliter enim forma per ſe ipſam, non per aliquid ſuperadditum habet, quod præſtet proprium effectum formalem. 12.

11. Reſpondetur ad primum petitum ex parte humanitatis, quæ unitur.

Ad ſecundum dico ex vi actionis unitivæ produci, ſeu de novo fieri, complexionem humanitatis & Verbi; quæ complexio licèt non diſtinguatur ab humanitate & Verbo ſumptis ſimul & ſecundùm eſſe complexum; diſtinguitur tamen ab iiſdem ſumptis ſeorſim & ſecundùm eſſe ſimplex, ſolùm autem ſeorſim & ſecundùm eſſe ſimplex eſt ad extrà im- 13.

13. Ad ſecundũ petitum ex parte actionis, quâ unio fit.

producibile Verbum; ſicuti pariter ſeorſim ſolum & ſecundum eſſe ſimplex humanitas præſuppoìitur producta independenter ab actione unitivâ. Neque dicas: Complexio, ſeo complexum humanitatis & Verbi, eſt terminus totalis productus ex vi actionis unitivæ; remanet igitur aſſignandus ejuſdem actionis terminus formalis, & hic non poterit eſſe aliud, quàm aliqua ſimplex entitas. Coottà enim: humanitatis & Verbi complexum in concreto, & per modum totius, eſt terminus totalis, complexio tamen in abſtracto; & ſumpta per modum formæ, dici poteſt terminus formalis: Vel dicito actionem unitivam, utpotè quæ ex propria ratione reſpicit totum, non habere terminum formalem à totali diverſum, licèt talem terminnm diverſum habeat actio productive præcisè, non unitiva.

14. Ad tertium petitum ex parte relationis ad unionem cōſequentis.

Ad tertium dico relationem, quæ in humanitate ad Verbum reſultat ex unione, habere pro fundamento & ratione fundandi non entitatem aliquam ſimplicem, ſed complexionem ipſam ſeu complexum humanitatis & Verbi. Nec refert, qnod ipſa quoque relatio formaliter in complexo ſita ſit. Non refert, inquam, quia ſicuti ex jam dictis unum complexum poteſt eſſe majus aut minus alio, ita poteſt in alia fundari & ad aliud conſequi; ſic ad complexum dependentiæ humanitatis à Verbo conſequi poteſt complexum ſpecialis habitudinis, ſeu reſpectus humanitatis ad Verbum.

15. Hucuſque dicta de unione humanitatis & Verbi ſita in ſolâ ſimultate, ſeu complexione extremorum, potuiſſent aptè corroborari ex eo, quòd in philoſophia docuimus unionem materiæ & formæ, corporis præſertim & animæ rationalis in ſolâ pariter complexione ſeu ſimultate conſiſtere; & paritas quidem multum urgeret ex eo, quod utraque unio ſubſtantialis eſt; at aſſumptum ſeu antecedens paritatis, quamvis alioqui apud nos verum, negatur omninò & falſum ſupponitur ab Adverſarijs, & meo videri eſt magis incertum, qnàm conſequens, quod inferretur & de quo agitur in præſenti; ideò ſatius duxi à tali veritate abſtinere; ſi quis tamen ea uti velit, utatur, & valeat quantùm valere poteſt.

---

§. II.

Vtrùm unio humanitatis cum Verbo in ſe formaliter ſit naturalis, eſſentialis, ſubſtantialis?

ASSERT. 1. De Unione humanitatis cum Verbo in aliquo bono ſenſu affirmatur, quod naturalis & eſſentialis ſit; poteſt tamen id quoque in aliquo alio ſenſu benè negari. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thomâ *hic quæſt. 2. art. 12.* & ex vario modo loquendi Scholaſticorum, & Patrum.

16. Probatur & explicatur, facilè quidem juxtà doctrinam poſitivam *præced. §.* juxtà quam unio humanitatis & Verbi ſita eſt in utruſque complexo; iſtud autem complexum, ſi ſumatur quatenus dicit humanitatem, quæ natura & eſſentia eſt, verè eſt aliquid naturale & eſſentiale; ſi ſumatur quatenus dicit Verbum, refertur ad ſubſiſtentiam divinam & incarnatam, quæ nec eſſentia eſt nec natura, oec item eſſentialiter aut oaturaliter ſe habet ad humanitatem; ideò ex hac parte complexum unionis, nec eſſentiale, oec naturale eſt. Abſtrahendo deindè à Complexiſtarum doctrinâ, prædicta unio, in quocumque conſiſtat poteſt affirmari naturalis & eſſentialis, ſi naturaliter & eſſentialiter tale nihil aliud ſignificet, quàm tale verè & realiter, qui fuit ſenſus Conciliorum & Patrum ſæpè appellantium unionem hypoſtaticam naturalem & eſſentialiter factam, ut videre eſt apud Vaſquium *diſp. 17. cap. 3.* & Lugum *diſp. 11. ſec. 4. num. 45.* qui poſterior Auctor obſervat non in ſolo myſterio Incarnatioois, ſed in myſterio quoque Euchariſtiæ conſueviſſe Sanctos Patres uſurpare naturale & eſſentiale, ad ſignificandum verum & reale: Poteſt inſuper prædicta unio dici naturalis, quatenus humanitati Chriſti coæva, eique à nativitate ſeu conceptione conveniens; rectè enim naturale dicitur, quod ab ipsâ nativitate habetur juxta illud Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ* & Sap. 12. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum.* E contra prædicta unio nec naturalis, nec eſſentialis eſt, ſi naturale & eſſentiale ſumatur prout contradiſtinguitur aut à ſupernaturali aut à libero & gratioſo: Idem ſi nomine unionis naturalis & eſſentialis ea veniat, quæ ſit in naturæ & eſſentiæ unitatem, adeò ut una natura & una eſſentia reſultet. Simpliciter verò & abſolutè affirmari ne potius debeat, an negari? quod humanitatis ad Verbum unio naturalis & eſſentialis ſit; definiri non poteſt ſine quæſtione de oomine; ſanum tamen coòſilium erit loqui ſemper cum addito indicante ſenſum, in quo ſumatur naturale & eſſentiale: Certè autem poteſt talis unio ſimpliciter & abſolutè dici tum ſupernaturalis tum gratioſa, quia iſtorum terminorum ſignificatio non opponitur ei ſignificationi ſecundùm quam explicuimus de eadem unione affirmari poſſe, quod naturalis eſſentialiſque ſit.

De unione hypoſtaticâ in quo ſenſu affirmari poſſit, quod naturalis, & eſſentialis ſit.

17. In quo item ſenſu poſſit id negari.

Aſſert. 2. Unio humanitatis cum Verbo ſimpliciter & abſolutè dicenda eſt ſubſtantialis; non denomioatiuè tantùm & ratione extremorum unum per ſe conſtituentium, ſed intrinſecè & ratione ſui formaliter; idque etiamſi eſſet ſimplex entitas adæquatè diſtincta ab humanitate & Verbo. Prima pars aſſerens unionem ſubſtantialem ſaltem denominativè, & ratione extremorum unum per ſe conſtituentium; communiſſima eſt & certa, utpotè ſpectans ad dogma contra Neſtorium, de quo jam ſemel & iterum diximus poſuiſſe inter humanitatem & Verbum unionem ſolàm affectivam & prorſus accidentalem, adeò ut voluerit Chriſtum, quatenus eſt Deus homo, non eſſe unum per ſe, & contra hunc errorem præcipuè loquuntur Sancti Patres, & Concilia, dum ex mox dictis unionem in 18. Affirmandū omninò eſt quod ſit ſubſtantialis.

Verbo

Verbo factam naturalem, eſſentialémque appellant; neque quoad hoc punctum majori probatione opus eſt. Secunda pars aſſerens unionem ſubſtantialem intrinſecè & ratione ſui formaliter; adeò ut in ſe & quatenus diſtincta ab extremis, ſit ſubſtantia, non accidens, & contra Auctores præmemoratos *præced. num.* 1. unionem de quâ agimus, collocantes in qualitate aut relatione de prædicamento accidentis: eſt inſuper contra Durandum *in* 3. non ſolùm quatenus & ipſe *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 8. unionem in relatione collocat, ſed multò magis, quatenus *diſt.* 6. *quæſt.* 4. *n.* 7. ſimpliciter docet humanitatem advenire accidentaliter filio Dei, quia advenit enti in actu completo, & quamvis Hurtadus, Lorca, aliique nonnulli exiſtiment ſenſum Durandi eſſe, quod humanitas ſit accidens logicum filij Dei, eique adveniat accidentaliter logicè, fortè tamen hæc exiſtimatio, & hic ſenſus, malè cohæret principijs Durandi identificantis humanitatem cum propriâ ſubſiſtentiâ; hinc quippè ſequitur humanitatem, dum advenit filio Dei enti completo, eſſe jam ipſam quoque in ſe ens completum, quod autem ſic advenit, advenit accidentaliter phyſicè, & facit unum per accidens.

Eſt intrinſecè, & in ſe formaliter.

19\. *Item etiamſi eſſet ſimplex entitas.*

Dixi, *idque etiamſi eſſet ſimplex entitas adæquatè diſtincta* &c. quia loquendo de unione prout à nobis ſuperius aſſerta eſt & ſita in ſolo complexo humanitatis & Verbi, videtur æquè certum, quod talis unio ſubſtantialis ſeu ſubſtantia in ſe ipſa ſit, quàm certum eſt tum humanitatem, tum Verbum ſubſtantiam eſſe; nihilominus quia ex unâ parte poſſet eodem modo inferri præſentiam localem Angeli eſſe quid ſubſtantiale, utpotè quæ per nos conſiſtit in complexo, cujus extrema, Angelus nimirum & locus, ſubſtantialia ſunt; & ex alia parte expedit ſtatuere, quoniam ex Adverſarijs entitatem ſimplicem ſuſtinentibus loquantur probabilius, placuit aſſertum extendere ad ſubſtantialitatem unionis abſtrahendo ab eo, quod ſit complexum vel ſimplex entitas; & in hac abſtractione ſeu univerſalitate probando eam eſſe in ſe formaliter ſubſtantialem, inferretur primò non eſſe in ſe formaliter ſubſtantiale complexum præſentiæ localis angelicæ eodem modo, quo complexum unionis hypoſtaticæ, quamvis utrumque extremis ſubſtantialibus conſtet; inferretur ſecundò unionem hypoſtaticam, ſi in entitate ſimplici collocaretur, fore collocandam in modo ſubſtantiali potius, quàm in qualitate aut relatione prædicamentali; adeóque inter noſtros in hoc puncto Adverſarios, Modaliſtas probabilius loqui, quàm cæteros. Aſſertum ſic

10\. explicatum

Probatur. Humanitas hypoſtaticè unita Verbo eſt totum ſubſtantiale, & unum per ſe, ergo unio humanitatis cum Verbo in quocumque collocetur, ſive in ſimplici ſive in complexo, eſt intrinſecè & ratione ſui formaliter ſubſtantialis ſeu ſubſtantia; antecedens conceditur ab Auctoribus, cum quibus modo agimus utpotè qui Catholici ſunt, non Neſtoriani, & facilè evincitur ex eo, quod unio humanitatis cum Verbo eſt unio naturæ cum ſuppoſito; totum autem reſultans ex naturâ & ſuppoſitu eſt ex genere ſuo ſubſtantiale, & unum per ſe: Conſequentia probatur, Unio ingreditur intrinſecè conſtitutionem totius; ea enim ſolâ ſublatâ, etiamſi alia omnia remaneant, totum diſſolvitur; atqui illud quod ingreditur conſtitutionem totius ſubſtantialis neceſſe eſt, quod ſit intrinſecè & in ſe formaliter ſubſtantiale ſeu ſubſtantia, ergo ſi totum conſurgens ex humanitate & Verbo eſt ſubſtantiale & unum per ſe, neceſſe eſt, quod unio ſit intrinſecè & in ſe formaliter ſubſtantialis ſeu ſubſtantia: Minor probatur, quia conſtitutum eſt tale, qualia ſunt ejus intrinſeca conſtituentia, imo nihil aliud eſt, quàm ſua conſtituentia; non poteſt igitur totum eſſe ſubſtantiale, niſi ſint ſubſtantialia omnia intrinſeca conſtituentia, ſeu omnia intrinſecè ingredientia ejus conſtitutionem. Confirmatur ut conſur- 21.
gat unum per accidens, non requiritur quod ſit in ſe accidentale utrumque extremum, ſed ſufficit quod alterutrum tale ſit, aut etiam quod ſit accidentalis ordo unius extremi ad aliud; ergo pariter ſufficit, quod ſit in ſe accidentalis unio unius extremi cum alio, ergo homo Deus in Chriſto eſſet unum per accidens, ſi unio humanitatis cum Verbo eſſet in ſe accidentalis, vel quod idem eſt, ergo unum per ſe requirit, quod omnia & ſingula ipſum conſtituentia ſint intrinſecè ſubſtantialia.

Dices: Sufficit actio denominativè ſubſtantialis ad producendam ſubſtantiam, ergo pariter unio denominativè ſubſtantialis ſufficiet ad conjungendam unam ſubſtantiam cum alia, & conſtituendum unum per ſe, ſeu ſubſtantiale; ſi autem ad aliquod totum ſubſtantiale talis unio ſufficit, aſtruenda maximè eſt inter humanitatem & Verbum, inter quæ extrema unio eſt ſupernaturalis; ſi igitur eſſet in ſe ſubſtantia, admitteretur ſubſtantia creata ſupernaturalis, quæ tamen magis communiter cenſetur repugnare: eſt item ea unio non per ſe intenta à naturâ & per ipſam unum extremum advenit alteri in actu completo, quæ ſunt argumenta unionis intrinſecè accidentalis; ergo. Sed contrà: fateor actionem, 22.
utpotè quæ eſt ſub prædicamento accidentis, ſive entitas ſimplex ſit ſive complexa, dicendam eſſe formaliter & intrinſecè accidentalem ſeu accidens, concedo propterea antecedens, nego conſequentiam, diſparitas eſt quia unio eſt intrinſeca ſubſtantijs, quas conjungit & toti ſubſtantiali ex talibus ſubſtantijs conſurgenti ut mox probatum eſt; actio verò, utpotè quæ ſe tenet ex parte efficientis & cauſæ extrinſecæ, eſt extrinſeca ſubſtantiæ quam producit, ideò &c. Ad illud quod, intrinſecè ſubſtantiali inter humanitatem & Verbum unioni opponebatur ex repugnantiâ ſubſtantiæ creatæ ſupernaturalis, facilè occurrunt Modaliſtæ dicendo talem repugnantiam procedere de ſubſtantiâ ſe habente ut *Quod*, non de ſubſtantiâ ſe habente purè ut *quo*; ſe haberet autem purè ut *quo* ſubſtantia, in quâ conſiſteret modus unionis. Re- 23.

Actio productiva ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis ſolùm denominativè.

liqua

liqua non tam probant unionem inter humanitatem & Verbum eſſe intrinſecè accidentalem, quàm eſſe unum per accidens totum inde reſultans; eſſe enim per ſe à naturâ intentum, & quod extrema non præſupponantur in actu completo, neceſſarium eſt ad unum per ſe, æque ac ad unionem intrinſecè ſubſtantialem: Dico igitur Chriſtum, & unionem hypoſtaticam per ſe intendi à naturâ intentione obedientiali, quamvis non intentione naturali: Deindè unum per ſe debet eſſe à natura per ſe intentum, nimirum non contemptuo, nec infra naturæ intentionem, cum quo ſtat poſſe eſſe ſuprà intentionem. Ad poſtremum dico ſufficere quod alterutrum extremum præſupponatur incompletum, & ſubſtantialiter perfectibile, ſicuti verè præſupponitur humanitas utpotè carens propriâ ſubſiſtentiâ, quæ eſt per nos ſubſtantiale complementum.

Vnum per ſe quomodò debeat eſſe à naturâ per intentum.

24\. Ex his habes, quod jam attigimus *c. præc. num.*15. & hoc eod. §. *n.*18. habes, inquam, Auctores non diſtinguentes realiter ſubſiſtentiam à naturâ non poſſe explicare, quomodò humanitas præintellecta unione ad Verbum ſit incompleta ac perfectibilis ſubſtantialiter, & in tali unione ſubſtantialiter perficiatur: Ægrè etiam id explicant Scotiſtæ, & quicumque creatam ſubſiſtentiam in negatione, non in poſitivo complemento collocant. Undè utriuſque claſſis Auctores, dum humanitatis ad Verbum unionem ponunt in ſe formaliter accidentalem, videtur ſentire conformiter ad ſua principia; falſa tamen, & ex quibus ſequitur eſſe accidentale, & unum per accidens, ipſummet totum ex humanitate & Verbo conſurgens; negant quidem hanc ſequelam prædicti Auctores, ut negare tenentur omnes Catholici; at numquàm ſatis explicabunt, quomodò conſtituatur totum ſubſtantiale, & unum per ſe, ex duobus quorum neutrum ſit ſubſtantialiter incompletum, adeóque neutrum ſit ab alio ſubſtantialiter perfectibile.

Corollarium valdè favens ſubſiſtentiæ ſitæ in poſitivo diſtincto realiter à naturâ.

25\. Habes inſuper ad unionem ſubſtantialem non ſufficere, quod verſetur inter duas ſubſtantias, ſed ulterius requiri, quod tales ſubſtantiæ dicant inter ſe ſubſtantialem ordinem ſitum in eo, quod aut utraque, aut alterutra, ſit ab aliâ ſubſtantialiter perfectibilis & ſubſtantialiter perficiatur dum unitur; ut patet inducendo per omnem ſubſtantialem unionem, ac per omne totum ſubſtantiale, & ratio à priori eſt, quia omnis perfectio, quamvis in ſe ſubſtantialis, ſi non perficit intra ſuum genus id cui advenit, advenit accidentaliter. Hincque unio v.g. locati cum loco, ſeu complexum præſentiæ localis, non eſt in ſe formaliter quid ſubſtantiale, quamvis ſæpè conſtet extremis ſubſtãtialibus, quia neutrum ab altero, ideſt nec locatum à loco, nec locus à locato ſubſtantialiter perficitur, ſicuti tamen in unione hipoſtatica perficitur ſubſtantialiter humanitas à Verbo; & ecce diſcrimen *præc. num.*19. promiſſum, ratione cujus non eſt in ſe formaliter ſubſtantiale complexum præſentiæ locali angelicæ eodem modo, quo complexum unionis hypoſtaticæ, licet ſubſtantialia ſint utrinſque complexi extrema.

Complexum ſubſtantiale non eſt illud omne, quod extremis ſubſtantialibus conſtat.

Habes tandem medium, quod in ſe ſubſtantia non ſit, non poſſe ſubſtantialiter unire, nec poſſe eſſe ſubſtantiale denominativè, niſi ſit ſecundum ſe ſubſtantiale formaliter: Unde Vaſquez *præc. num.*3. relatus, & alij nonnulli acriter alioqui ſtantes pro ſubſtantialitate modi unionis nimia liberaliter ſe gerunt erga Adverſarios, & malè concedunt humanitatem quæ Verbo uniretur medio accidẽte, poſſe adhuc ſuſtineri unitam ſubſtantialiter, quâ in re Vaſquium & Lugum cum admiratione excipit Arriaga *diſp.*21. *ſec.*4. *num.*41. Fortè tamen prædicti Auctores inſinuare ſolum voluerunt non tam certum eſſe, quod unio humanitatis cum Verbo ſit in ſe formaliter ſubſtantia, quàm certum eſt, quod humanitas ſit unita Verbo ſubſtantialiter, & conſtituendo totum ſubſtantiale; quâ ratione nulla foret admirationis occaſio aut inconſequentiæ ſuſpicio. 26.

§. III.

An, & quomodo, unio humanitatis cum Verbo ſit omnium unionum maxima?

ASSERT. 1. Unio humanitatis cum Verbo ſimpliciter, & abſolutè, eſt omnium maxima in ratione unionis; poteſt tamen etiam ſecundùm quid dici non maxima: Ita D. Thomas *hic quæſt.*2. *art.*9. & *in* 3. *diſt.*5. *quæſt.*1. *art.*1. Bonaventura *in* 3. *diſt.*6. *art.*2. *quæſt.*3. Alenſis 3. *par. quæſt.*7. *memb.*2. *art.*3. Suarez *hic diſp.*9. *ſec.*1. Vaſquez *diſp.*10. *cap.*2. Amicus *diſp.*8. *ſec.*5. Gonetus *diſp.*6. *art.*6. Herincx *diſp.*1. *quæſt.*5. *num.*50. Maſtrius *in* 3. *diſp.*1. *quæſt.*2. *art.*1. Madernus *quæſt.*4. *art.*8. cæterique Theologi communiter contra Durandum *in* 3. *diſt.*5. *quæſt.*3. *numer.*7. & paucos alios. 27.

Dixi *in ratione unionis*, nam de magnitudine unionis hypoſtaticæ ſumptæ in ratione doni & beneficij, ſeu excellentiæ & dignitatis ſtatuetur ſingillatim *ſeq. n.*33. Interim loquendo de ea ratione unionis, ſeu ut exercet munus uniendi, adverto conſiderari poſſe vel prout unit humanitatem ſubſiſtentiæ Verbi vel prout unit humanitatem divinitati mediante eadem ſubſiſtentiâ; primo modo eſt unio immediata uniens extrema inter ſe, ſecundo modo eſt unio mediata uniens extrema in tertio: Utroque modo perfectio & magnitudo unionis attendenda eſt potiſſimum ex toto, quod extrema accedente unione conſtituunt & hoc eſſe poteſt, aut magis unum ſeu majus magnitudine unitatis, aut magis perfectum & ut ita dicam magis totum, ſeu majus magnitudine perfectionis, & ut ita dicam totalitatis.

Probatur jam aſſertum. Unio humanitatis cum Verbo, ſive ſumatur ut mediata ſive ut immediata, conſtituit totum majus omni alio magnitudine perfectionis ſeu totalitatis; & aliquâ etiam, quãvis non omni, magnitudine unitatis; ergo eſt pluribus titulis unio major omni 28.

aliâ

aliâ in ratione unionis, quamvis ſit etiam aliquo titulo non major; ac per conſequens in ratione unionis dicenda eſt ſimpliciter & abſolutè omnium maxima, poteſt tamen etiam ſecundùm quid dici non maxima: conſequentia patet ex prænotatis;

Vnio humanitatis cum Verbo eſt omnium maxima quoad perfectionem, & totalitatem.

Probatur antecedens quoad primam partem ideſt quoad magnitudinem perfectionis ſeu totalitatis: In toto, quod conſtituit unio humanitatis cum Verbo includitur tota perfectio Verbi divini, ideſt tum perſonalitas tum divinitas; perſonalitas tanquam extremum unitum immediate, divinitas tanquam extremum unitum mediatè; atqui nullum totum eſſe poteſt magnitudine perfectionis majus eo, in quo includitur tota perfectio Verbi divini, ergo. Neque dicas; non ne eſſet dabile totum perfectius ex parte naturæ creatæ? in quo ſcilicet uniretur Verbo natura perfectior quam humana puta natura angelica: Contrà enim natura creata non eſt unibilis Verbo niſi obedientialiter, in eſſe autem obedientiali natura angelica non eſt perfectior humanâ, quamvis ſit perfectior in eſſe entitativo ac naturali; totum igitur, quod conſurgeret ex naturâ angelica unitâ Verbo, valdè materialiter, & perfectione ad unionem impertinente, eſſet perfectius eo, quod nunc ex humanitate conſurgit. Neque dicas inſuper; non ne eſſet, etiam formaliter, perfectius illud totum, quod fieret immediatè, ut fieri per nos poteſt, in ſubſiſtentia abſolutâ divinæ naturæ? cum hæc ſit ex ſuâ formali ratione perfectior perſonalitate Verbi, & abſoluta in univerſum ſint perfectiora relativis: Contrà enim: Subſiſtentia divina abſoluta, quando immediatè unitetur naturæ creatæ, unitetur ut terminus cum ſolùm per modum termini & terminabilis poſſint ſubſtantialiter immediatè uniti Deus & creatura; in ratione autem termini ſubſiſtentia relativa & perſonalitas Verbi, utpotè quæ eſt terminus magis ultimus, eſt perfectior ſubſiſtentia abſolutâ, quamvis hæc ſimpliciter perfectior ſit in aliis rationibus; formaliter igitur, & perfectione pertinente ad immediatam unionem perſonalitas Verbi conſtituit perfectius totum cum humanitate, quam cum eadem, aliâve naturâ creatâ, conſtitueret ſubſiſtentia abſoluta divinæ naturæ.

29. Nec eſſet formaliter major ea, qua Verbo uniretur natura angelica.

Aut qua naturæ creatæ unitetur ſubſiſtentia divina abſoluta.

30. Vnio humanitatis cum Verbo quoad aliquam unitatem conſurgens ex ipſâ reſultantis eſt pariter omnium maxima.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, ideſt quoad magnitudinem unitatis: Illud tonim eſt majus in ratione unitatis, in quo eſt major extremorum acceſſus ad identitatem, identitas autem elucet in affirmatione unius de alio; at in nullo alio toto, præterquam in eo, quod extremis hypoſtaticè unitis conſurgit, poſſunt extrema unita de ſe invicem ſubſtantivè affirmari in concreto; neque enim v.g. rectè dicitur in homine corpus eſt anima, ſicut rectè dicitur in Christo, homo eſt Verbum, homo eſt Deus: & licet duo accidentia in eodem ſubiecto poſita poſſint ad invicem in concreto affirmari, rectè v.g. dicatur, in lacte album eſt dulce; hæc tamen affirmatio eſt penes extrema adjectivè, non ſubſtantivè ſignificata, ideo nnn eſt argumentum tanti ad identitatem acceſſus; cum adjectivum ex genere ſuo ſignificet pluralitatem magis, quam ſubſtantivum; ergo. Confirmatur ſpecialiter quoad unionem humanitatis cum Verbo ſumptam, ut eſt mediata & ut conſtituit totum conſurgens ex duabus naturis unitis in tertio. Tuuc totum conſurgens ex duobus unitis in tertio eſt majus in ratione unitatis, quando tertium eſt magis unum & magis ſimplex; unio enim in tertio ſpecificationem conditionemque ſuam maximè deſumit à qualitate tertij; atqui nullum tertium eſt magis ſimplex, magis unum, magiſque indiviſum, quàm perſonalitas Verbi, in quâ uniuntur Christi humanitas & divinitas; ergo toto ex his conſurgente nullum aliud totum duorum in tertio majus eſt in ratione unitatis.

31. Eſt tamen etiam quoad aliquam unitatem non maxima.

Probandum ſupereſt, quod totum conſurgens ex humanitate & Verbo non ſit majus omni alio quoad omnem unitatis magnitudinem, ac per conſequens quod detur aliud totum aliqua unitate majus, & hoc maximè eſt totum conſurgens ex naturâ creata & ſubſiſtentia propria; iſtud enim totum ex una parte eſt in eodem genere unitatis cum eo, quod conſurgit ex humanitate & ſubſiſtentia Verbi, ex alia parte cum ſit inter extrema minus diſtantia ac minus diviſa, magis verò ad invicem proportionata & connaturalia, quam ſint humanitas & ſubſiſtentia Verbi, eſt magis unum unitate ut ità dicam habitudinis, inclinationis, & proportionis extremorum, undè etiam D. Thomas *præcit. art. 9.* ait unionem hypoſtaticam ex parte extremorum, ſeu eorum quæ conjunguntur, non habere præeminentiam ad cæteras uniones, & ex hoc capite diei poteſt non maxima non ſolum relatè ad unionem naturæ creatæ & ſubſiſtentiæ propriæ, verum etiam relatè ad unionem materiæ & formæ ſubſtantialis; quamvis hæc unio aliundè ſit ex genere ſuo minor quacumque unione naturæ, & ſubſiſtentiæ, unit enim extrema magis incompleta & magis remota à ſimplicitate; ut patet in Angelo, à quo ſimplicitas removet & excludit compoſitionem ex materia & forma, non ex natura & ſuppoſito.

32. Vnio naturæ cum ſubſiſtentia eſt ex genere ſuo major cæteris unionibus.

Ex his habes unionem naturæ cum ſubſiſtentia eſſe ex genere ſuo majorem omni alia unione, eſt enim ex mox dictis major unione materiæ cum formâ ſubſtantiali, & à fortiori tum unione ſubſtantiæ, cum accidente, tum unione partium integralium, quæ utraque eſt minor unione materiæ cum forma ſubſtantiali, & totum minus perfectum ac minus unum conſtituit; nam totum reſultans ex ſubſtantia & accidente eſt unum per accidens, totum verò integrale eſt unum conſtans infinita partium multitudine. Eſt tandem unio naturæ cum ſubſiſtentia major unione duorum in tertio, ideſt duarum naturarum in eodem ſuppoſito, quia illa immediata eſt, iſta mediata; illa paucioribus ideſt duobus, iſta pluribus ideſt tribus componentibus coaleſcit, quod eſt illam magis, quam iſtam accedere ad unitatem. Hinc eruitur efficax argumentum pro aſſerti confirmatione ſic. Unio naturæ cum ſubſiſtentia eſt ex genere ſuo ma-

jor omni aliâ unione ; atqui inter omnes ex-
cogitabiles oniones naturæ cum ſubſiſtentiâ
eſt ſimpliciter, & abſolotè, maxima unio
humanitatis cum ſubſiſtentiâ Verbi ; ergo
unio hæc eſt ſimpliciter & abſolutè maxima
omnium unionum cujuſcumque generis.

Aſſert. 1. Unio humanitatis cum Verbo eſt
33. ſimpliciter, & abſolutè, omnium maxima in
ratione doni & beneficij, ſeu excellentiæ &
dignitatis; poteſt tamen etiam ſecundum quid
dici non maxima. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 2.
art. 10 *ad* 1. & *art.* 11 *in c.* item *quæſt.* 4. *art.* 1
ad 2. Cajetanus *eod. artic.* 1. Alenſis 3. *part.*
quæſt. 12. *memb.* 1. *art.* 1. Henricus *quodlib.* 6.
quæſt. 6. & quodlib. 13. *quæſtion.* 5. Scotus *in* 4.
diſt 49. *quæſt.* 2. (& licet anteà *in* 3. *diſt.* 2. *quæ.* 1.
§. *Ad argumenta principalia* viſus ſit præferre
unionem beatificam, tamen hanc præfert
duntaxat ſecundum quid) Maſtrius *diſput.* 1.
quæſt. 2. *num* 43. Suarez *diſp.* 9. *ſec.* 2. Vaſquez
diſp. 10. *cap.* 4. Amicus *diſp.* 8 *ſec* 6. cæterique
Thomiſtæ, Scotiſtæ & Recentiores commû-
niter contrà Durandum *in* 3. *diſt.* 2. *quæſt.* 1.
num. 10. Richardum *artic.* 1. *quæſt* 4. Argenti-
nam *quæſt.* 1 *art.* 1. *ad* 1. Marſilium *quæſtion.* 3.
art. 2 alioſque nonnullos arbitratos donum
& beneficium abſolutè omnium maximum,
ipſâque unione hypoſtaticâ majus, eſſe viſio-
nem beatam.

Probatur : Humanitas ex unione cum
Verbu ſimpliciter, & abſolutè, magis perfici-
tur & magis dignificatur, quam perfici & di-
gnificari poſſit ex ullâ aliâ unione ; ergo unio
humanitatis cum Verbo eſt ſimpliciter, & ab-
ſolutè omnium maxima in ratione doni, &c.

Unio humanitatis cum Verbo eſt in ratione doni maxima ſimpliciter.

conſeqoentia patet antecedens probatur pri-
mò, quia humanitas ex unione ad Verbum
34. habet ſibi communicatam ſubſtantialiter &
intrinſecè totam perfectionem & dignitatem
divinæ perſonæ, hac autem perfectione & di-
gnitate ſic communicatâ non poteſt reſpectu
creaturæ excogitari ulla alia, aut ſecundum ſe,
aut ſecundū modum communicationis major,
ut jam attigimus *præc. cap.* 1. *n* 7. Secundò, quia
humanitas ex unione illâ elevatur ad ordinem
omni alio ordine ſuperiorem, elevatur enim
ad participationem ſubſtantialem Dei & ad
ordinem ſubſtantialiter divinum; cum cæteræ
uniones ſint Dei, ut eſt in ſe, ſolum accidenta-
les participationes, & ad ordinem ſolum ac-
cidentaliter divinum elevent. Tertiò, quia ve-
neratio & cultus eſt ſignum proteſtativum
excellentis perfectionis & dignitatis ; atqui
humanitati ex unione cum verbo debetur ve-
neratio & cultus latriæ, eadem ſcilicet ado-
ratio quæ debetur Deo, & quæ ex nulla alia
unione ex nullo alio dono, poteſt creaturæ
deberi ; ergo.

Dices primo pro majori ratione beneficij
& excellentiæ in viſione beatâ, ſeu in unione
intentionali cum Deo, ut eſt in ſe. Bonum
quod in viſione, ſeu unione beatâ communi-
catur eſt majus, & modus communicationis
eſt perfectior, quàm ſit in unione hypoſtati-
câ humanitatis cum Verbo ; ergo illa eſt ma-
jor iſtâ in ratione doni, &c. Probatur antece-
dens. In viſione bonum, quod communicatur
eſt tota Trinitas, prout eſſentiam, Perſonas
omnes, imo & attributa complectitur; bonum
vero, quod communicatur in unione hypo-
ſtaticâ, eſt unica Perſona & hæc ne quidem
communicatur ſecundum ſe totam immedia-
tè, ſed præcisè ſecundum ſubſiſtentiam rela-
tivam, quæ vix eſt in divinis perfectio: Modus
communicationis in viſione eſt vitalis & pro-
prius nobilioris, ideſt intellectualis creaturæ;
in unione hypoſtatica eſt non vitalis, & com-
munis cuicumque ignobili, ac irrationali crea-
turæ; ergo. Confirmatur, illud eſt homini ma-
jus in ratione doni & beneficij, quod appeti-
bilius ac eligibilius ei eſt, & cujus conſecutio-
ne homo melius ſe habet; atqui homo melius
ſe habet conſecutione ejus qoo formaliter
beator ut eſt viſio, quàm alio quocumque;
tenetur viſionem eligere & appetere potius,
quam unionem hypoſtaticam aut aliud quod-
cumque, & cum viſio ſit ultimus finis forma-
lis hominis, non unio hypoſtatica, conſequens
eſt propriam viſionis eſſe ſummam appetibi-
litatem, cum ratio finis & ratio appetibilis,
ratio ultimi finis & ratio ſummi appetibilis
convertantur; ergo. Sed contrà : ex his rectè
quidem ſuadetur ſecundum quid, præſertim in 35.
ratione operationis & actus ſecundi vitalis,
unionem beatificam eſſe beneficium & donum
majus unione hypoſtaticâ; hancque propterea
in aſſerto expreſſimus poſſe ſecundum quid
dici non maximam. At quatenos inſtantia
aliquid amplius intendit, & ſimpliciter abſo-
lutéque procedit, non obtinet intentum, &
aſſumit falſum antecedens, quod propterea
negato.

Eſt tamen in eadem ratione non maxima ſecundum quid.

Ad probationem diſtinguo eſt tota Trini-
tas in eſſe intelligibili & intentionali conce-
do; in eſſe entitativo & phyſico nego, quàm-
vis autem cæteris paribus & ſub eadem con-
ſideratione tota Trinitas ſit majus bonum,
quàm unica Perſona, præſertim ſumpta ſe-
cundum ſolam ſubſiſtentiam ; ſecùs tamen
quando cætera diſparia ſunt, & diverſa eſt
conſideratio, ut in præſenti ; ubi Trinitas
conſideratur in eſſe intelligibili & intentio-
nali, unica Perſona in eſſe entitativo & phy-
ſico, illa in eſſe participato accidentaliter,
iſta in eſſe participato ſubſtantialiter, illa ut
tracta à creatura, eique ſe accommodans,
intellectus enim trahit ad ſe objectum, ip-
ſumque accommodat ſuo modo eſſendi &
cognoſcendi, iſta ut trahens creaturam ad
ſe, hancque accommodans ſibi & ſuo modo
ſubſiſtendi, aſſumit enim humanitatem ad ſuū
eſſe perſonale. Neque dicas, ſaltem unio hy-
poſtatica cum tota Trinitate eſſet major eâ,
quæ de facto cū ſolâ Perſonâ Verbi quod ſuf-
ficit, ut hæc non ſit omnium maxima. Contrà
enim: Unio humanitatis cum Verbo aſſerta eſt
omnium maxima relatè ad uniones dabiles in 36.
diverſo genere, & non hypoſtaticas, cæterùm
in proprio genere & relatè ad uniones alias
hypoſtaticas eſt omnium maxima intenſivè tā-
tum & negativè, quatenus non admittit aliam
intenſivè majorem non quatenus non admit-
tat aliam aut intenſivè æqualem, qualis eſſet
quæ fieret cum alia Perſonâ à Verbo, aut etiam
extenſivè

Comparatio unionis beatificæ cum unione hypoſtaticâ.

extenſivè majorem, quâ ratione & non aliter in ratione perfectionis & doni eſſet major ea, quæ fieret cum totâ Trinitate. Ad illud, quod additur de modo communicationis dico quod ſicuti accidens vitale eſt ſolum ſecundũ quid, non ſimpliciter perfectus ſubſtantia non vitali, ità modus communicationis per viſionem ex eo, quod vitalis ſit, non plus quàm ſecundùm quid excedit modum communicationis hypoſtaticæ, quæ ſubſtantialis eſt, licèt non vitalis: Quod deindè illa prior, non iſta poſterior communicatio ſit propria creaturæ intellectualis provenit à talenate vitalitatis, & infert majorem perfectionem ad ſummum ſecundum quid & in ratione actus ſecundi; non ſimpliciter & in ratione doni ex genere ſuo abſtrahentis ab actu primo & ſecundo. Præter quod inſtantia ex hoc capite militaret contrà unionem hypoſtaticam ſumptam in ratione unionis potiùs, quam in ratione doni; ſub illâ enim, non ſub iſta ratione, communicari poteſt creaturæ irrationali, cum hæc ſit incapax donationis, nec poſſit eſſe donataria, ut obſervat Vaſquez *pracit cap.4.n.41.*

37. Ad confirmationẽ dico ſimpliciter & abſolutè unionem hypoſtaticam eſſe eligibiliorem & appetibiliorem, quàm ſit viſio, aut gratia habitualis, aut aliud quodcunque; & ſimul habens gratiam unionis, viſionem, & gratiam habitualem, rectè præferet illam cæteris, & jure mallet illam conſervare amittendo cætera, quàm è contrà, & licèt cum viſione melius quis ſe habeat accidentaliter, in operari, & in actu ſecundo; gratia tamen unionis dat meliùs ſe habere ſubſtantialiter, in eſſe, & in actu primo: ratio ultimi finis, quæ cum ſummâ appetibilitate convertitur, eſt ratio ultimi finis objectivi potius, quàm ultimi finis formalis, ultimus autem finis objectivus continetur in unione hypoſtaticâ, & ad hanc quoque conſequitur ultimus finis formalis ſitus in viſione; ideò ex omni capite major eſt in unione hypoſtatica quam in viſione appetibilitas ſimpliciter & abſolutè; licet ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione præſentis ordinationis; qua tenemur tendere ad Dei viſionem, non ad hypoſtaticam unionem, illa ſit huic præferenda, ab extrinſeco tamen & ex obligatione apparentis non ab intrinſeco & ex merito boni appetibilis: ex hoc ipſo autem infertur in unione hypoſtatica beneficium & donum ſimpliciter majus, quia ratio minus debiti & minus aſſequibilis auget ſimpliciter rationem doni & beneficij.

Dices ſecundo nos hucuſque probaſſe & ſuſtinuiſſe duntaxat in unione humanitatis cum verbo maximam rationem beneficij, & excellentiæ, ex communicatione perſonæ Verbi, adeóque ſumendo unionem ut includit ſua extrema & ſignanter Verbum: At quid de unione ipſâ formaliter ſumpta ut *quo*, & ut eſt, aut eſſe poteſt ſimplex entitas diſtincta ab extremis? nunquid ſub hac etiam conſideratione cætera omnia ſuperat in ratione beneficij & excellentiæ? adeò ut modus unionis hypoſtaticæ, qui vel per poſſibile vel per impoſſibile ſepararetur à divina perſona, adhuc eſſet ſimpliciter optabilior, quam viſio beata, gratia habitualis, &c. Sed 38. contrà: Cum per nos unio humanitatis ad Verbum non ſit niſi humanitas & verbum ſimul, non eſt cur in ea unione rationem beneficij & excellentiæ expendamus aliter, quàm penes extrema ſimul, ſignanter penes extremum dignius, ut in actu exercito ſe alteri extremo communicans, & hoc eſt in noſtris principijs prædictam unionem conſiderari ut *quo*. Dubium igitur quod inſtantia objicit habet locum duntaxat in Adverſariorum ſententia, quæ diſplicet vel ex hoc ipſo, quod plures ſecum ferat conſequentes difficultates, & dubitationes, à quibus immunes ſunt Complexiſtæ; ſi nihilominus aliquid ex Modaliſtis mutuandum, & inſinuandum ſit, pro ejus ſolutione, rectè monet Arriaga *diſputat 21. ſec. 3. numer. 48.* quod cum modi inducti ſint duntaxat propter argumentum Philoſophicum de ſeparabilitate extremorum, & neceſſitate determinationis difficile eſt aſſignare, quanta perfectio in modum redundet ex ipſa actuali determinatione, ut ſtatim liceat eam præferre rebus abſolutis habentibus proprio merito effectus formales eximios, & valdè notos, ut habent gratia & viſio; aut nobiliſſimis ſubſtantiis aptis Deum amare & videre aliaſque perfectiſſimas operationes efficere, ut efficiunt animæ rationales & Angeli, & ipſe Arriaga non ſolum ab omni improbabilitatis nota liberat ſententiam præferentem modo unionis præciſè accepto viſionem, & habitualem gratiam; verùm etiam *num. 47.* eidem abſolutè præfert ſubſtantiam animæ rationalis & Angelorum; fortè ta- 39. men ratio vitæ & virtus effectiva perfectiſſimarum operationum in anima rationali, & Angelo, reperta non niſi ſecundum quid ſuperat perfectionem modi unionis, qui præciſe acceptus eſt quidem entitas mortua; at trahit ſecum inimpedibiliter Verbum divinum, dat proximum jus ad ſubſtantiale & perſonale cum Deo conſortium, & eſt in ſe quoad entitatem quid ſubſtantiale, quoad ordinem quid altius omni alio ordine creato ſivè gratiæ: His & ſimilibus titulis magis arrident Modaliſtæ illi, qui entitatem modalem unionis hypoſtaticæ ſub quacunque præciſione acceptam cenſent eſſe ſimpliciter & abſolutè beneficium & donum majus quolibet alio dono & bono creato, ſivè naturæ ſivè gratiæ.

Quid de excellentia unionis hypoſtaticæ, ſi ſit entitas modalis?

Dices tertiò: Non quidquid ſpectat ad ordinem hypoſtaticum eſt in ratione doni & excellentiæ majus omnibus iis; quæ ſpectant ad ordinem gratiæ vel naturæ; nam ad ordinem illum ſpectat Virginis Maternitas, & tamen Auguſtinus *tract. 10. in Ioannem & epiſt. 38.* docet eſſe aliquid majus concipere Deum mente, quam ventre, & Matrem Dei feliciorem fuiſſe mente quàm ventre concipiendo; ſi igitur Auguſtinus actum cognitionis & fidei præfert Maternitati in hypoſtatico ordine exiſtenti, utique titulo ordinis hypoſtatici non eſt neceſſe præferre unionem ipſam alijs omnibus bonis naturæ, vel gratiæ. Sed contrà: Maternitas pertinet miniſterialiter tantùm, & extrinſecè ad ordinem hypoſtaticum; unio ve-

rò ad talem ordinem pertinet intrinſecè & ſubſtantialiter, cum intrinſecè & ſubſtantialiter ingrediatur conſtitutionem totius conſurgentis ex naturâ creatâ, & hypoſtaſi divina; quidquid igitur in hoc puncto ſentiatur de Maternitate, non valet paritas ab iſtâ ad unionem; neque circà maximam hujus perfectionem ſuſpicandum eſt de mente Auguſtini, utpotè qui *lib. de prædeſtinat. Sanct. ca. 15.* gratiam unionis vocat *excellentiſſimam, tantamque naturæ humanæ ſubvectionem, ut quo altius attolleretur non haberet* & tract. 2. in Joannem explicans *illud Verbum caro factum eſt* ait *hoc eſſe majorem gratiam, quam homines fieri filios Dei*. Porrò prior auctoritas, quatenus videtur in Virgine maternitati præferre omnem Dei cognitionem indiget ſanâ ac limitatâ intelligentiâ; & forte Auguſtinus non aliud voluit indicare, quàm quod cognitio ſit actus ex genere ſuo nobilior generatione; aut quod Deiparæ bonitate meritoriâ melior fuerit Dei cognitio & conceptio facta mente, quàm Dei maternitas & conceptio facta ventre, quod iterùm attingetur infra *capite 9. num. 72. & 73.*

40. Quid de excellentia maternitatis Dei relatè ad unionem, aliaque dona.

§. IV.

Utrùm unio humanitatis cum Verbo ſit perpetua & indiſſolubilis? Utrùm unica & indiviſibilis?

41. Assert. 1. Unio humanitatis cum Verbo, ſimpliciter, & abſolutè, ſumpta præſertim in ſpecie, perpetua eſt ac indiſſolubilis. Ità Theologi communiſſimè, quamvis cum aliquo inter ſe diſſidio circà perpetuitatis ac indiſſolubilitatis modum; nam Vaſquez *diſput. 20. cap. 3. num. 29.* vult eſſe talem ſolùm ex decreto extrinſeco & voluntate Dei: Lugus *diſput. 11. ſec. 4. num. 49.* Amicus *diſput. 8. ſec. 5. num. 126.* Arriaga *diſput. 21. ſec. 3.* volunt eſſe perpetuam ac indiſſolubilem ex naturâ rei, relatè tamen ad potentiam Dei ordinariam: Eſparza *quæſt. 43. ad 1.* propendet ad affirmandum id etiam de potentiâ abſolutâ.

Dixi *ſimpliciter & abſolutè ſumpta præſertim in ſpecie*, nam ſi ſumatur unio ſecundum quid & reſpectu ſingularum partium corporis, etiam non præcipuarum, cum ſicut attigimus *cap. præced. num. 105. & 106.* aliquæ partes humanitatis à Verbo aſſumptæ fuerint deperditæ & ſolutæ ab unione, conſequens eſt hanc partialiter & ſecundum quid deſiiſſe, imo ſi ſit totitas indiviſibilis deſtructam fuiſſe, ac ſæpè variatam totaliter in individuo, nec manſiſſe eandem, niſi in ſpecie; loquendo rigorosè & phyſice; moraliter enim & eo ſenſu, quo humanitas dicitur manere eadem numero in ætate puerili, virili, & ſenili; dici pariter poteſt ſemper manſiſſe in Chriſto ſimpliciter & abſolutè eandem numero unionem hypoſtaticam: a fortiori verò permanebit in toto rigore ſemper eadem numero unio hypoſtatica, poſtquam Chriſti humanitas reddita eſt immortalis, impaſſibilis, & nullius partis deperditioni obnoxia; ſicut & ab initio in toto rigore talis permanſiſſet, ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam aut Angelicam aut humanam ſed incorruptibilem, incapacemque mutandi augmentatione & nutritione partes corporis: At aſſertum procedit de unione humanitatis cum Verbo etiam ut primo peracta eſt in humanitate mortali & corruptibili, non verò ſolum ut nunc perſeverat in Cœlo in humanitate redditâ incorruptibili & immortali: In quo ſenſu

Vnio humanitatis cum Verbo fuit ſecundum quid deſtructa, & diſſoluta.

Probatur, & tum ex illo Theologico axiomate cujus meminimus *præcit. num. 105.* Verbum quod ſemel aſſumpſit, nunquàm dimiſit ſignum eſt igitur de lege ſaltem ordinariâ humanitatem aſſumptam dimitti non potuiſſe, quod eſt ejus unionem ſimpliciter & abſolutè acceptam perpetuam eſſe, ac indiſſolubilem; tum ratione, quæ ex multiplici capite petitur; primo ſcilicet ex unione naturæ creatæ cum ſubſiſtentia propriâ quæ permanente naturâ à nullo creato agente diſſolvi poteſt, cum igitur ſubſiſtentia Verbi uniatur humanitati ſupplendo ſubſiſtentiam propriam debet uniri ſicut uniretur propria, adeóque indiſſolubiliter: Secundò ex perfectiſſimâ conditione unionis hypoſtaticæ, præcipuè in ratione doni, nam & indiſſolubilitas ſpectat ad illius perfectionē in ratione unionis ſeu nexus ac vinculi, & multo magis perpetuitas ſpectat ad ejuſdem perfectionem in ratione doni; donum quippe eſt ex genere ſuo datio irredimibilis, ſeu irrevocabilis præſertim quando provenit ex verâ propriâque amicitia, de cujus ratione eſt voluntas nunquam recedendi ab amico, niſi ex ipſius culpâ, culpa autem in Chriſto eſſe non poteſt, ideò, &c. Tertiò ex defectu agentis, à quo diſſolvi ſeu corrumpi poſſit, non enim corrumpi poteſt ex defectu principij effectivè conſervantis, quia hoc eſt ſolus Deus nunquam ex ſe impotens ad unionem hypoſtaticam conſervandam, non ex deſtructione ſubjecti quia hoc in caſu noſtro eſt præcipue anima rationalis immortalis & indeſtruibilis. Non ex ſubjecti indiſpoſitione, quia hæc indiſpoſitio deberet eſſe aliqua culpa, at Chriſtus eſt culpæ incapax & impeccabilis, Non denique ex introductione formæ 43.
ſeu termini incompoſſibilis, quia hæc eſſe deberet propria ſubſiſtentia, at humanitas Verbo unita ſicuti *ex cap. præced. §. 6.* non appetit ſubſiſtentiam propriam, ità non poteſt eſſe naturaliter emanativa, aut receptiva ipſius. Quartò ex paritate luminis gloriæ & viſionis beatæ ſeu unionis intentionalis cum Deo, quæ ſunt imperfectiores cum Deo conjunctiones & minora dona, quàm unio hypoſtatica, quin etiam in unione hypoſtaticâ radicaliter continentur & ad ipſam conſequuntur; atqui lumen gloriæ & viſio beata, ut aliundè ſuppono, perpetua ſunt & indeſtruibilia; ergo à pari, imò à fortiori talis quoque eſt unio hypoſtatica.

42. At ſimpliciter ſumpta eſt perpetua, & indiſſolubilis.

Mitto alias minoris momenti rationes pro eadem perpetuitate, ſeu indiſſolubilitate militantis, & quatuor mox inſinuatas ſatis ſuperque eſſe cenſeo ad eam evincendam, imò etiam ad ſuadendum, quod ea unioni hypoſtaticæ 44.

Et talis eſt ab intrinſeco ſeu ex naturâ rei, non tamen relatè ad potentiã Dei abſolutam.

ſtaticæ conveniat ab intrinſeco & ex naturâ rei; ſunt quippè prædictæ rationes deſumptæ ex principijs in rerum naturâ fundatis, ut facilè poteſt innoteſcere conſideranti. At non propterea crediderim hujuſmodi perpetuitatem ſuſtineri poſſe etiam relatè ad potentiam abſolutam nam ex unâ parte benè ſtat aliquid eſſe ab intrinſeco, ſeu ex naturâ rei, perpetuum ac indeſtruibile abſque eo, quod ſit tale relatè ad potentiam abſolutam Dei, ut explicabamus agentes de immortalitate Angelorum, necnon de perpetuitate viſionis beatæ ſeu formalis beatitudinis: Ex alia parte perpetuitas ſeu indeſtruibilitas unionis hypoſtaticæ etiam relatè ad potentiam Dei abſolutam malè cohæret ijs, quæ dicebamus *tract. 5. lib.* 1. *cap.* 7. § 2. & *cap* 9. § 3. aſſerentes repugnare creaturam, quæ careat potentiâ logicâ ad non eſſe, aut cui ſit eſſentialis æternitas à parte poſt: Præter quod unio hypoſtatica non poteſt eſſe magis indeſtruibilis, quàm ſit indeſtruibilis natura, quæ hypoſtaticè unitur, cum per nos ex tali naturâ inadæquatè conſtituatur, & per Adverſarios ei eſſentialiter alligetur, atqui nulla natura creata, etiamſi ſit anima rationalis aut Angelus in ſtatu beatitudinis, indeſtruibilis eſt relatè ad potentiam Dei abſolutam; ergo: Ne-

45. que exiſtimes naturam creatam ex eo, quod hypoſtaticè Deo uniatur reddi ex hoc ipſo de potentiâ abſolutâ indeſtruibilem. Talis enim exiſtimationis falſitas patet in Chriſti corpore, quod ex vi unionis hypoſtaticæ ne quidem relatè ad potentiam naturalem fuit impaſſibile & immortale; quod adeò verum eſt, ut Arriaga *diſp.* 20. *ſec.* 4. *n.* 21. obſervet juxta plures Sanctos Patres Chriſtum, quamvis hypoſtaticè Deo unitum, debuiſſe adhuc ſpeciali & miraculosâ providentiâ conſervari circà tẽpus paſſionis, ne doloribus illis tam internis quam externis omninò extingueretur: Hinc ſi divina Perſona aſſumeret naturam omninò corruptibilem, ut equi aut leonis, hujuſmodi unio hypoſtatica eſſet ipſa quoque ſimpliciter deſtruibilis ex deſtructione ſubjecti; & certè contrà communem ſenſum eſt, quod equus v. g. ex eo præcisè, quod eſſet divinæ hypoſtaſi unitus nec ferro nec igne nec aliter occidi poſſet; aut quod in occiſione deberet ejus anima materialis & corruptibilis miraculosè conſervari ſeparata à corpore, & induere, ut ita dicam, conditionem propriam animæ rationalis.

46. Aſſert. 2. Unio humanitatis cum Verbo eſt ſimpliciter, & abſolutè unica ac Indiviſibilis; poteſt tamen etiam dici diviſibilis, & multiplex ſecundùm quid, ex parte humanitatis. Hoc aſſertum in noſtris principijs non diſtinguentibus unionem ab extremis ſimul ſumptis indiget dumtaxat explicatione terminorum & vix habet difficultatem, unde & de eo Antiquiores Theologi parum attigerunt, quamvis deinde Recentiores volentes unionem eſſe entitatem ſimplicem ab extremis adæquatè diſtinctam de talis entitatis unitate, aut multiplicitate liberaliore calamo, & majore inter ſe diſſidio egerint; in primis enim omittendo eos qui (ut refert Lugus *diſp.* 11. *n.* 64.) præter unionem creatam ex parte humanitatis excogitarunt unionem aliam increatam ex parte Verbi; hos inquam, omittendo, inter cæteros admittentes entitatem unionis, dumtaxat ex parte humanitatis, & in humanitate ſubjectatam, aliqui eam poſuerunt unicam aut receptam immediatè in tota humanitate, ita Vaſquez *diſp.* 39. *cap.* 3. & Lugus *diſp.* 12. *ſec.* 3. & 4. aut receptam in ſolâ animâ, ratione cujus etiam corpus & reliqua Verbo ſuppoſitaliter uniantur, ita Gabriel *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 2. *conc.* 2. Aliqui alij eam poſuerunt duplicem, aut alteram ſubjectatam in anima alteram in corpore, ita Altiſiodorenſis *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1 *quæſt.* 2. Amicus *diſp* 8. *ſec.* 7. aut alteram afficientem totam humanitatem unionemvè naturalem inter corpus & animam; alteram afficientem indiviſim animam, corpus, ſanguinem & reliquas partes, ita Eſparza *quæſt.* 20. *ad* 7. Aliqui tandem eam poſuerunt triplicem unam receptam in totâ humanitate, unam in animâ, unam in corpore, ita Suarez *diſp.* 17. *ſec.* 5. Iſambertus *quæſt.* 1. *diſp.* 1. *art.* 12. In hoc Adverſariorum diſſidio quodnam judicium ferendum ſit, inſinuabo infra *n.* 49. Interim aſſertum præfixum conformiter ad noſtra principia.

Probatur & explicatur. Unio humanitatis cum Verbo per nos eſt purum complexum utriuſque; complexum autem cum non poſſit verſari minus, quam inter duo extrema, ſi præcisè in duobus extremis conſiſtat, unicum eſt; dicendum eſt inſuper ſimpliciter indiviſibile, quando in ipſo eſt indiviſibile extremum nobilius & ſe habens per modum actus ſeu formæ, à quo conſequenter tamquàm à potiori ſumenda eſt denominatio, in propoſito autem extremum nobilius & tribuens denominationem unioni hypoſtaticæ eſt hypoſtaſis divina indiviſibilis: imò & humanitas, licet in ſe diviſibilis, aſſumpta tamen eſt (ordine præſertim intentionis) tota ſimul & indiviſibiliter *ex cap. præced.* § 4. Neque dicas eſſe de ratione complexi quod poſſet dividi in ſuas partes ſeu in ſua componentia, adeóque quod ſit diviſibile. Contra enim, eſt de ratione complexi poſſe dividi in ſua componentia tamquàm in extrema ſimplicia, non tamquam in duo alia complexa, licet partialia: Ecce quomodò unio hypoſtatica in complexo ſita melius dicitur unica & indiviſibilis, quàm diviſibilis & multiplex; poteſt tamen etiam ſecundùm quid, & ex parte extremi minùs nobilis ac minus principalis, quod eſt humanitas denominari diviſibilis & multiplex, id eſt duplex; quia humanitas ipſa diviſibilis eſt, & poteſt dici duæ naturæ, conformiter ad modum illum loquendi, quo dicuntur eſſe tres naturæ in Chriſto, ut attigimus §. *præcit. numer.* 80. idque potiſſimum verificabatur in triduo mortis ſeu ſeparationis animæ à corpore & ſanguinis ab utroque; in quo propterea majori jure dici poterat unionem hypoſtaticam ex parte humanitatis eſſe diviſibilem, imò diviſam, & duplicem, aut etiam triplicem.

47. Unio humanitatis cum Verbo ſimpliciter eſt unica & indiviſibilis.

48. Secundum quid eſt diviſibilis & duplex.

Reliquum eſt, ut ex quadam liberalitate feramus aliquale judicium de præmemorato 49. Qualis in

hoc puncto debetet poni eadem unio, ſi eſſet entitas modalis & ſimplex?

Modaliſtarum diſſidio, & ſtatuamus breviter, quod eſſet in puncto præfixi aſſerti ſentiendum ex ſuppoſitione quod unio hypoſtatica eſſet modalis ac ſimplex entitas? quia verò diſſidium illud maximè provenit ex diverſitate opinandi circa propriam, & creatam, humanæ naturæ ſubſiſtentiam, adeò ut ponant in Chriſto unicum modum unionis hypoſtaticæ, qui ponunt in homine unicam ſubſiſtentiam propriam, quâ indiviſibiliter ſubſiſtant corpus & anima; ponant duplicem partialem in Chriſto modum, qui ponunt in homine duplicem ſubſiſtentiam partialem, unam propriam corporis, alteram propriam animæ, ponant tandem triplicem in Chriſto modum, qui in homine ultra duplicem prædictam ſubſiſtentiam partialem aſtruunt tertiam ſubſiſtentiam totalem, quâ ſubſiſtat unio corporis & animæ; aut tota humanitas: Quia, inquam, ex hac diverſitate opinandi provenit præfatum diſſidium, iſtud à nobis cohærenter ad noſtra principia philoſophica decideretur, ſi ſicut in philoſophiâ diximus deberi homini, nec omninò unicam, nec triplicem; ſed duplicem ſubſiſtentiam, utramque partialem; unam pro corpore, alteram pro animâ: ita in propoſito dicamus unionem hypoſtaticam in Chriſto, quoties eſſet modalis entitas, fore duplicem partialem modum, unum materialem ac diviſibilem receptum in corpore, alterum ſpiritualem & indiviſibilem receptum in animâ, hocque præſertim ordine executionis, ſecundùm quem *ex præcitat.* §. 4. fuit aſſumptum corpus prius natura, quàm anima; tiam ordine intentionis, ſecundùm quem fuit prius natura aſſumpta tota humanitas, uterque ille unionis hypoſtaticæ modus ſe habuit per modum unius, & hac ratione etiam juxta Modaliſtas eſſet ponenda in Chriſto unica unio hypoſtatica, diviſibilis tamen & ex duabus partialibus conſurgens.

50. Porrò quod dictum mox eſt de duplici partiali unionis modo placet non ſolùm eo quod principijs ex philoſophia ſuppoſitis cohæreat; ſed inſuper eò quod valde faveat præaſſertæ incorruptibilitati unionis, nam qui ponunt unicum, aut tertium modum unionis afficientem totam humanitatem, unionemvè naturalem animæ cum corpore tenentur fateri hujuſmodi unionis hypoſtaticæ modum fuiſſe deſtructum in Chriſti morte & iterum productum poſt triduum. Qui deindè ponunt eundem modum indiviſibilem afficientem indiviſibiliter omnes partes aſſumpti corporis, tenentur ulterius fateri, quod continuè variaretur, & uno deſtructu alius produceretur hypoſtaticæ unionis modus in Chriſto, dum ejus corpus in hac vita mortali continuâ innati caloris actione aliquas partes deperdebat, & aliquas alias aquirebat.

51. Quid de unionis hypoſtaticæ ſubjecto?

Ex his habetur, quid ſentiendum de unionis hypoſtaticæ ſubjecto? In noſtris ſcilicet principijs nullum ejus ſubjectum quærendum eſt: cum non ſit aut accidens, aut ſubſtantialis modus ſubjecto indigens, ſed quid complexum indiſtinctum ab humanitate & Verbo; tum humanitas autem, tum Verbum, ſubjecto carent. In principijs verò Modaliſtarum conſequenter ad mox dicta de duplici partiali unionis modo, aſſignandum ei eſſet duplex ſubjectum partiale, quorum unum eſſet ſubſtantia animæ, alterum ſubſtantia corporis.

CAPUT VII.

De Cauſis extrinſecis Incarnationis: Et primò de fine ſeu motivo.

CAUSAS intrinſecas propriè pro materiali & formali non eſt cur in Incarnatione inquiramus? quia Verbum Incarnatum non ex materiâ, & formâ, ſed ex naturâ & ſuppoſito conſurgit: Cauſas verò intrinſecas latius acceptas pro principijs, ſeu extremis quibuſcumque intrinſecè conſtituentibus, habet quidem Incarnatio, at eas jam expendimus agentes ſingillarim, tum de naturâ humanâ aſſumptâ, tum de perſonâ divinâ aſſumente, quæ unione accedente ſunt in actu exercito intrinſeca conſtitutiva Myſterij Incarnationis: Hujus propterea cauſas explicaturi jure titulum limitamus ad cauſas extrinſecas; quæ ſunt finis & agens, ſeu finalis & efficiens, finalem verò efficienti præponimus, 1.
tum quia eſt ex genere ſuo nobilior, ſicut ordo intentionis qui eſt ordo finis, eſt nobilior ordine executionis, qui eſt ordo efficientis; tum quia controverſia de fine Incarnationis longè ſolemnior eſt, quàm controverſia de efficiente; imò ea vix agnoſcit aliam in toto hoc tractatu æquè ſolemnem, & tanto hinc indè apparatu, conatu tanto noſtris temporibus agitatam; idque eo quod dignitati materiæ acceſſerit inſigne diſſidium, quo Scholæ illuſtriores, Thomiſtica ſcilicet & Scotiſtica, in ſententias extremè oppoſitas dividuntur, & ſecum ferè ex æquo dividunt Scholaſticos cæteros, ex quibus aliqui licet ſententias medias excogitare ſtuduerint, ſemper tamen vel ad Thomiſtatum, vel ad Scotiſtarum ſenſum magis accedunt, ut ex ſequentibus perſpicuum fiet: Interim antequam attingamus potiſſimum controverſiæ ſcopum, & diſſidij apicem ſolitum proponi his ſimilibus conditionalibus terminis, Utrùm Deus eſſet homo, ſi non peccaſſet homo? Utrum Verbum incarnatum fuiſſet & Chriſtus veniſſet, ſi Adam non defeciſſet? Vel aliter terminis abſolutis, Utrum peccatum fuerit unica occaſio, & peccati remedium unicum motivum incarnationis? Utrùm Chriſtus fuerit præordinatus & volitus antè omnem creaturam? Antequàm, inquam, apicem hunc attingamus expedit præjacere ac prædefinire faciliora nonnulla, atque utiliora obtinentia communem utriuſque diſſidentis ſcholæ conſenſum, & pertinentia aut ad id, quod fieri abſolutè potuit, aut ad ſubſtantiam ejus, quod factum eſt. Ideò ſit.

Cauſæ finalis eſt ex genere ſuo nobilior efficiente.

2. Apex diſſidij circa motivum Incarnationis.

§. I.

§. I.

Ex quonam fine Verbum abſolutè potuerit incarnari? Vbi alia nonnulla ad ſequentes difficultates præambula.

3. ASSERT. Verbum abſolutè potuit incarnari ex alio fine, quàm remedij peccati & redemptionis hominum. Ita ſupponunt Theologi communiſſimè contra Raguſam *diſp.*28. §.16. relatum ab Arriaga *diſp.*14. *num.*1. & poſteà *num.*2. ab eodem notatum quod malè profiteatur ſe totum eſſe ex parte Divi Thomæ, cum tamen S. Doctor numquam peccato alligaverit abſolutam Incarnationis poſſibilitatem, imò oppoſitum expreſſe tradiderit, & veritatem mox aſſertam ſuppoſuerit *quæſt.*1. *art.*3. *in c.* ubi poſtquàm convenientius cenſuit *quòd peccato non exiſtente Incarnatio non fuiſſet*, ſubdit, *Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuiſſet enim etiam peccato non exiſtente Deus incarnari.*

Incarnatio potuit abſolutè fieri ex fine, ſeu motivo, alio à remedio peccati.

Probatur, quia ex unâ parte licèt Deus, utpotè perfectiſſimum agens intellectuale, ex fine ad extra operetur, non eſt tamen neceſſe, quod operetur ex fine diſtincto à ſe ipſo ſeu à bonitate & gloriâ propria, adeóque Incarnatio ex ratione genericâ operis ad extra potuit fieri ex alio fine, quàm remedij peccati; potuit ſcilicet unicè fieri ex fine bonitatis & gloriæ Dei, nulloque fine creato vocato, ut ita dicam, in conſortium finis ſimpliciter ultimi, ac increati: Ex aliâ parte Incarnatio ut eſt opus ad extra tale nullam habet in ſuâ poſſibilitate connexionem neceſſariam cum peccato; neque enim non ſuppoſito peccato opus Incarnationis eſſet moraliter malum, ut propterea deberet Deo repugnare: Nec refert, quod non eſſet adeò bonum nec adeò manifeſtativum bonitatis, gloriæ, & attributorum Dei: Enimverò ſicut ex alibi dictis quod
4. eſt ad extra optimum, Deum non neceſſitat; ita quod eſt ad extra non optimum ſeu minus bonum, Deo non repugnat; & quidquid eſt intra latitudinem boni, ſive deindè ſit magis, ſive minus tale, eſt intra latitudinem abſolutæ potentiæ Dei, quæ non debet ad hoc vel illud determinatum bonum limitari, ut inſinuabat S. Doctor prælaudatus.

Dices hoc argumentum nimis probare, probare ſcilicet quod Verbum potuerit abſolutè incarnari nullâ aliâ creaturâ exiſtente, quod tamen apparet aliundè inconveniens & repugnans; enimverò in tali incarnatione Chriſtus careret prærogativâ non ſolum Redemptoris hominum & reparatoris peccatorum; verùm etiam Legiſlatoris, Ducis, Capitis, Primogeniti creaturarum, Sponſi Eccleſiæ, Auctoris gratiæ, Inſtitutoris Sacramentorum, & Myſterium alioqui excellentiſſimum nullum inſignem effectum ſortiretur; imò nec ad Dei nec ad ipſiuſmet Chriſti gloriam conferret, dum nulla eſſet creatura potens aut Myſterium ipſum collaudare, aut ex eo in Dei laudem & glorificationem aſſurgere. Sed contra: quandò ex his probaretur non potuiſſe Verbum incarnari non exiſtente ullâ creaturâ ſaltem rationali, non eſſet eadem ratio de impoſſibilitate Incarnationis non exiſtente peccato, quia contrà hanc hypotheſim non militarent enumerata inconvenientia, quæ ſupponuntur contrà primam hyppotheſim militare: Nihilominus neque contrà primam hypotheſim militat ullum verum inconveniens & exiſtimo Verbum abſolutè potuiſſe aſſumere humanitatem etiam non exiſtente ullâ aliâ creaturâ, & quamvis Chriſtus non fuiſſet tunc in actu ſecundo & exercito Legiſlator, Dux, Caput &c. fuiſſet tamen in actu primo, quod ſufficit ad ejus excellentiam, ſicuti Deo antè mundi creationem ſufficiebat habere actum primum, ſine actu ſecundo, omnipotentiæ, providentiæ, dominij &c. Eadem ratione Excellentiſſimo Myſterio ſuffeciſſet conferre in actu primo ad Dei laudem, quamvis nec deeſſet aliqua Dei laus in actu ſecundo quatenus humanitas ipſa à Verbo aſſumpta ob dona ſibi collata gratias laudem, & glorificationem Deo rependeret, ſicut & econtrà Deus collaudaret quodammodò & glorificaret Myſterium peractum, contemplando ipſum ac intuendo, & percipiendo de eodem complacentiam. 5.

Potuit item abſolutè fieri non exiſtente creaturâ aliâ ab humanitate.

Stet igitur ac certum ſit potuiſſe Incarnationem fieri ex alio fine, ſeu motivo, quàm redemptionis hominum & remedij peccati; imò abſque omni fine creato ipſi Incarnationi extrinſeco. Sit tamen æquè certum potuiſſe quoque fieri ex motivo illius redemptionis & remedij, quod ſatis conſtat recolendo ſupradicta de Incarnationis convenientiâ relatè ad finem & circumſtantias: Inquirendum jam peracta ne ſit de facto ex tali motivo, & quomodò? Utrum ſcilicet ex eo tamquàm totali aut ſaltem primario; an tanquàm partiali, aut etiam ſecundario? Verum antequàm ulterius procedamus expedit elucidare breviter nonnulla admodùm quidem trita in hac materiâ, at unâ ſimul valdè implexa, præſertim eo quòd diverſam apud diverſos ſortiantur intelligentiam; qualia mihi videntur eſſe potiſſimum tria: 6.

Primum ſit comparatio Incarnationis ad carnem aut paſſibilem, aut impaſſibilem; licet enim facilè conſtet Verbum abſolutè loquendo potuiſſe pro libito impaſſibilem æquè ac paſſibilem carnem aſſumere; nihilominus quatenus Aſſertores Incarnationis ex vi præſentis decreti futuræ originali non exiſtente docent Verbum de facto incarnatum in carne paſſibili, incarnandum fuiſſe in carne impaſſibili, ſi originale non extitiſſet, difficilis eſt & apud proprios etiam Auctores diverſa explicatio modi quo id fieri potuerit: & hic quidem modus triplex ab ipſis aſſignari ſolet. Primus eſt, quòd Incarnationis præordinatio perfecta fuerit duplici decreto, uno abſoluto de Incarnatione quoad ſubſtantiam, ſeu præcisè de carne aſſumendâ, altero conditionato decernente modum, paſſibilitatem ſcilicet carnis ſi Adam peccaſſet, impaſſibilitatem ſi non peccaſſet; ſicque ſuppoſito hoc duplici decreto ſolùm ex diverſa purificatione conditionis extrinſecæ Chriſtum, qui 7.

Varij modi explicandi decretum Chriſti venturi in carne paſſibili, vel impaſſibili.

nunc

nunc venit in carne paſſibili, venturum fuiſſe in carne impaſſibili. Secundus eſt, quod decretum abſolutum Incarnationis fuerit de carne aſſumendâ non hoc, vel illo modo determinato, ſed illo indeterminate, qui melior fuerit juxta circumſtantias in poſterioribus ſignis occurrentes, & quia occurrente peccato melior fuit aſſumptio carnis paſſibilis, Chriſtus de facto venit in carne paſſibili, venturus ex vi ejuſdem decreti in carne impaſſibili ſi peccatum non occurriſſet, quia peccato non occurrente & perſeverante innocentia melior ac convenientior Incarnationis modus fuiſſet aſſumptio carnis impaſſibilis. Tertius eſt, quod Incarnatio in primo ſigno
8. decreta fuerit in carne impaſſibili, virtualiter tamen dumtaxat & in causâ, quatenus abſolutè prædeſtinatus eſt Chriſtus venturus cum ſumma gratia & gloria; ex gloria autem & beatitudine animæ redundat impaſſibilitas in carnem ſeu in corpus; peccato deindè prævifo acceſſerit decretum de impedienda redundantia gloriæ animæ in corpus ac per conſequens de impedienda impaſſibilitatis cauſa & impaſſibilitate ipſa, quod quidem poſterius decretum non opponitur priori; hoc quippè non decreverat in ſe formaliter illam redundantiam, & naturali conſecutione, non ex vi alicujus ſpecialis decreti talis redundantia obveniſſet non oppoſito impedimento: Ex vi igitur prioris decreti, & connaturali rerum conditione, veniſſet Chriſtus impaſſibilis; qui modò ex vi ejuſdem prioris decreti, & alterius in poſteriore ſigno formati, venit paſſibilis.

Secundum ſit diſtinctio quædam ſeu diſtri-
9. butio diverſorum ſignorum cum ordine prioris & poſterioris in divinis actibus intellectus & voluntatis, quæ quidem diſtinctio & diſtributio opportuna prorſus eſt in præſenti materiâ ob multitudinem rerum ad decretum Incarnationis pertinentium, ut ſunt excellentia Myſterij, gloria & exaltatio humanitatis aſſumptæ, peccati permiſſio & prævifio, ejuſdem remedium, redemptio humani generis, prædeſtinatio & glorificatio electorum &c. relatè igitur ad hæc omnia opportunum eſt aſſignare in divinis actibus aliquem ordinē, ac per conſequens aliqualem ipſorum diſtinctionem ac multiplicitatem; quæ quidem ab aliquibus ponitur rationis pure extrinſecè, proveniens à puro noſtro modo concipiendi; ab aliquibus ponitur rationis cum fundamento, & media inter realem & rationis purè extrinſecam, quod conformius eſt diſtinctioni virtuali à nobis alibi in divinis aſſertæ & explicatæ per æquivalentiam ad entitates diſtinctas realiter in creatis: Unde & in præſenti ſicut in nobis circa idē objectū cognitio præcedit volitionē, & inter cognitiones aut volitiones ea regulariter eſt prior, cujus objectū eſt prius objecto alterius; ità eadem regula diſtinguendo ſeu diſtribuendo ſigna rationis (aut ſi vis, ſigna virtualia) concipiatur Deus circà idem objectum elicere in priore ſigno cognitionem, in poſteriore volitionem & circa objecta diverſa concipiatur ea in priore ſigno cognoſcere aut velle, quæ nobis aliundè conſtat eſſe priora in ſe ipſis: & quoad hanc univerſalem doctrinam facilè
conveniunt Scholaſtici in præſenti; at non 10.
ita conveniunt in univerſalis doctrinæ applicatione, & deſignatione prioritatis ac poſterioritatis objectorum, juxta quam deindè ſtatuenda eſt prioritas ſignorum ſeu inſtantium in divinis actibus; licet enim quoad ordinem executionis, actualémque exiſtentiam, ſatis conſtet inter prædicta objecta quodnam fuerit prius, quodnam poſterius; tamen penes iſtum ordinem non dantur in diuinâ voluntate ſpeciales actus ex dictis *tract. 1. lib. 5. cap. 3. num. 16.* ideò pro re noſtrâ attendendus eſt in objectis dumtaxat ordo intentionis, qui & eſt ex genere ſuo nobilior, & habet in divina voluntate ſpeciales actus ſibi correſpondentes: Porrò ordo intentionis eſt ordo cauſæ finalis, & illud eſt in intentione prius, quod magis habet rationem finis, illud eſt poſterius quod habet rationem medij aut finis mi-
nus præcipui. Hinc qui pro fine primario In- 11.
carnationis ſtatuunt remedium peccati præmemorata objecta uno modo ordinant; qui verò pro fine primario ſtatuunt excellentiam Myſterij, & remedium peccati conſiderant aut ut medium conducens ad majorem talis excellentiæ oſtenſionem, aut ut finem ſecundarium ob quem volita in Incarnatione fuerit circumſtantia paſſibilitatis, eadem objecta alio modo ordinant, eoque valdè diverſo. Qui poſteriore incedunt via hunc circiter ſignorum ordinem ſtatuunt: Collocant in primo ſigno Chriſtum quoad ſubſtantiam non determinatā formaliter & abſolutè paſſibilitate vel impaſſibilitate carnis; in ſecundo prædeſtinationē aliquorum tum Angelorum tum hominū; in tertio promiſſionem & prævifionem peccati Adæ; in quarto paſſibilitatem carnis Chriſti ad originalis remedium; in quinto juſtificationem & glorificationem ex meritis paſſionis Chriſti: Qui priore via incedunt collocant in primo ſigno primos Parentes juſtos innocentes ex Dei gratiâ, in ſecundo prævaricationem Adæ & transfuſionē culpæ in Poſteros, in tertio Chriſtum venturum paſſibilem in remediū peccati, in quarto ſatisfactionem & merita Chriſti; in quinto prædeſtinationem hominū ex meritis Chriſti.
Scio ex his ſignis aliquos plura, aliquos pan- 12.
ciora diſtinguere, ſed parum intereſt; illud enim quod verè facit ad rem noſtram eſt ſignorum ordo, non numerus. Scio inſuper aliquos ponere in utraque ſerie ante omnia ſigna peccatum originale conditionatè futurum, cui correſpondeat ex parte Dei actus ſcientiæ mediæ; at nobis ſcientiam mediam non admittentibus neceſſe non fuit talis ſigni meminiſſe. Scio tandem aliquos, quomodocumque ſigna ordinentur, ponere Chriſtum & peccatum Adæ cum naturâ ad invicem prioritate & poſterioritate in diverſo genere cauſæ adeò ut Chriſtus ſit prior peccato in genere cauſæ finalis; peccatum, aut potius peccati remedium ſit prius Chriſto in genere cauſæ materialis; Chriſtus ſit prior in ratione finis *cujus gratia*, remedium peccati ſit prius in ratione finis *cui*, quod eſt idem

ac

Diſtributio ſignorum cum ordine prioris, & poſterioris inter divinos actus circa Incarnationem.

ac dicere in ratione ſubjecti ſeu cauſæ materialis; cum finis *cui* nihil aliud ſit, quàm ſubjectum, cui aliquid appetitur. Verùm mens noſtra fuit aſſignare diſtinctionem & ordinem ſignorum juxtà ſententias præcipuas duntaxat & extremè oppoſitas;, non juxta ſententiam quamlibet mediam, qualis eſt mox inſinuata.

13. *Cur quærendo, utrum originali nō exiſtente Verbum eſſet Incarnandum, addi ſoleat ex vi præſentis decreti: & quid hæc reſtrictio ſignificet?*

Tertium ſit reſtrictio illa *ex vi præſentis decreti* à Scholaſticis, præſertim Recentioribus, ſolita apponi communi illi quæſito, utrum Deus eſſet homo, ſi non peccaſſet homo? vel utrum originali non exiſtente Verbum fuiſſet incarnandum? Quæ quidem reſtrictio videtur omnino convenienter appoſita, quia quærere indefinitè. quid ex vi alterius cujuſcumque decreti fuiſſet de Chriſto ſtatuendum, ſi originale non extitiſſet? eſt quæſtio inutilis, in cujus ſolutionem nec ex his quæ facta ſunt, nec aliundè, poſſumus aliter, quam divinando devenire; & de quæſtione in hoc ſenſu S. Doctor 1. *ad Tim.* 1. *lec.* 4. ait *Neſcimus quid Deus ordinaſſet, ſi non præſciviſſet peccatum*, quod eſt idem ac dicere ſi peccatum non extitiſſet: Et certè *Quis conſiliarius eius fuit?* ut habetur Iſa. 40. aut *Quis cognovit ſenſum Domini?* ut habetur Rom. 11. Quis ſcilicet omnia Dei conſilia, quis omnia ejus decreta præſertim conditionata, & in aliâ rerū ſerie extitura penetravit? Porrò ly *ex vi præſentis decreti* ſumi poteſt vel formaliter & cauſativè, vel conſequenter

14. & arguitivè. Sumitur formaliter & cauſativè, ſi hoc unum & idē decretum quod fuit efficax & influens in ordine ad Incarnationem de facto peractam, futurum pariter fuiſſet ſe ipſo efficax & influens in ordine ad Incarnationem peragendam originali non exiſtente; ſicut dici ſolet de peccatis actualibus quibus remedium attulit Incarnatio, illis tamen non exiſtentibus non propterea iſta fuiſſet aut nō volita, aut volita decreto alio ab eo, quo nunc volita eſt. Sumitur ly *ex vi præſentis decreti* conſequenter & arguitive, ſi originali non exiſtēte Incarnatio fuiſſet peragenda ex influxu & cauſalitate alterius decreti tunc extituri, quodque ſit quidem à præſenti decreto totaliter aut partialiter diverſum ac diſtinctum, at ad ipſum ſit conſequens, adeò ut ex eo quod iſtud nunc exiſtat rectè inferatur illud tunc extiturum, idque vel ex eo quod decretum præſens ſit per abſolutam ſui exiſtentiam futuritio conditionata alterius ſimilis in alia ſerie, ut eſſe poſſe docet in terminis Eſparza *hic qu.* 16. vel ex eo quod fundamenta & motiva militantia pro præſenti decreto, aut omnia, aut principaliora, militent pro decreto ſimili in aliâ rerum ſerie extituro.

Hæc tria ad ſequentes difficultates præambula ſic breviter attigiſſe ſufficiat; quodnam verò judicium ferendum de ſingulis ſit? ex infrà aſſerendis ſucceſſivè innoteſcet, ſi quis interim de eis; de primo præſertim & ſecundo, pleniorem in terminis diſcuſſionem expetit, conſulat pro primo Maſtrium *in* 3 *diſp.* 4. *q.* 1. *art.* 2. *&* 5. Suarium *hic diſp.* 5. *ſec.* 4. & Gonetum *diſp.* 5. *art.* 1. §. 2. Pro ſecundo Joannē à S. Thomà *diſp.* 3. *art.* 1. Gabrielem à S Vincent. *diſp.* 1. *dub.* 19. Amicum *diſp.* 7. *ſec.* 1. *à n.* 18. Arriagam *diſp.* 15. Eſparzam *q.* 15. Madern. *q.* 3 *art.* 2. &c.

§. II.

An & Quomodò peccati remedium, hominumque redemptio fuerit motivum & finis Incarnationis de facto peractæ?

Assert. 1. Peccati remedium, & hominum redemptio verè fuit motivum & finis Incarnationis de facto peractæ. Conveniunt in hac veritate Scholaſtiei communiter licet aliqui, quibus favet Arriaga *diſp.* 15 *ſec.* 4. docentes Chriſtum fuiſſe volitum, etiam ut Redemptorem, antè abſolutam peccati originalis prævisionem, videantur conſequenter debere ponere remedium peccati ut purum finem effectum, & medium ſubſecutum ad Incarnationem volitam, nullatenus ut finem cauſam & motivum incarnationis volendæ; ſicut intentio daodi gloriam antè abſolutè præviſa merita facit, quod merita ſint purus effectus talis intentionis & pura media ad gloriam, nullatenus motivum & finis cauſa. Clarius poſuit remedium peccati cum Incarnatione connecti ut medium, non ut finem, Vincentius Aſturicenſis apud Joannem à S. Thomà *diſp.* 3. *art.* 2. *n.* 10. — 15. *Peccati remedium fuit motivum, & finis Incarnationis de facto peractæ.*

Probatur primò ex Scripturâ. Joan. 3. *Non miſit Deus filium ſuum in mundum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem*, &c. *propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum*, &c. *ut eos qui ſub lege erant, redimeret.* 1. ad Tim. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* 1. Jo. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Confirmatur tum ex Nycenâ Synodo, quæ inſeruit fidei ſymbolo verba illa *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis & incarnatus eſt*: tum ex Sanctis Patribus, nam Gregorius Nazianzenus *orat. de Chriſti nativitat.* 16.
ità loquitur de Dei filio *Carnem accepit ut & imagini ſalutem & carni immortalitatem adferat.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 5. *theſauri cap. ult.* ait de Deo *Sciebat enim mortales nos futuros propter peccata, ac ideo ex miſericordiâ ſua antè ſæcula conſtituit, ut Verbum ſuum homo, & initium viarum, & fundamentum fieret.* Theodotus *hom. de Nat.* ait *Ipſe creator advenit, ut naturam victam erigeret.* Ambroſius *in pſal.* 118. ſic in perſona Chriſti refert cauſam adventus ejus: *Ego eorum redemptor adveneram ut omnium peccata mundarem* Auguſtinus *tractat.* 36. *in Ioan.* habet *Creator hominis homo eſſe dignatus eſt. factus eſt quod fecerat; ne periret quem fecerat.* Gregorius *lib* 5. *epiſt cap.* 112. ait *Redemptor noſter totius creaturæ conditor ad hoc propitiatus humanam voluit carnem aſſumere, ut divinitatis ſuæ gratiâ dirupto, quo tenebamur capti vinculo ſervitutis, priſtinæ nos reſtitueret libertati.* Alias ejuſdem rationis auctoritates congerunt Theologi paſſim, & ſignanter Amicus *præcitat. ſec.* 1. *à num.* 21. Aliquas inſuper pro præſenti intento à fortiori militantes nos ipſi proferemus infrà *num.* 24. Interim obſervandum eſt in omnibus ferè præmemoratis

auctoritatibus exprimi connexionem Incarnationis cum redemptione, & peccati remedio, per particulas *ut*, aut *Propter*, quarum proprium eſt indicare cauſalitatem finalem, ergo peccati remedium, & hominum redemptio, verè fuit motivum, &c.

17. Probatur ſecundò ratione: Peccati remedium & hominum redemptio verè connectitur cum Incarnatione de facto peractâ; atqui non connectitur ut medium; ergo connectitur ut finis; ergo peccati remedium & hominum redemptio verè fuit motivum, &c. Majorem evincunt ad minus præallatæ auctoritates, & admittunt Catholici omnes profitentes ſe eſſe per Chriſtum redemptos, & liberatos à peccato: Prima conſequentia deducitur ex eo, quod peccati remedium & redemptio non connectitur cum Incarnatione, aut tanquam pars cum toto, aut tanquam paſſio cum ſuâ eſſentiâ, aut tanquam effectus neceſſarius cum ſua cauſa, aut aliter ex naturâ rei; ſupereſt igitur quod connectatur ex intentione & ordinatione divinâ, adeóque vel ut finis vel ut medium, quia ordo intentionis eſt ordo finis: Minor probatur primò, quia ſi peccati remedium ad Incarnationem ſe haberet ut medium, fuiſſet volitum ex intentione ac dilectione Chriſti, & deberet verificari, quod Deus ità dilexerit Chriſtum, ſeu filium ſuum incarnandum, ut propter ipſum voluerit redimere homines, & afferre remedium peccato; atqui nullibi in Scriptura habetur aliquid huic locutioni ſimile, imò habetur modus loquendi oppoſitus Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat.* Rom. 5. *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Epheſ. 2. *Propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos convivificavit nos in Chriſto.*

18. Minor eadem probatur ſecundo, ſi Deus ex intentione Chriſti ut finis elegit remedium peccati ut medium, vel inter intentionem illius finis, & electionem iſtius medij, præviſum & abſolutè peccatum futurum; vel non: ſi hoc ſecundum dicatur, ex vi electionis remedij teneretur Deus permittere peccatum, ut poneret remedium ejus, & vellet morbum propter medicinam potiùs, quàm medicinam propter morbum; quod loquendo ſaltem de remedio & medicina ſub ſuâ propria ratione eſt male conſonum ſuavitati divinæ providentiæ, ut conſtare poteſt recolenti quæ dicebamus *tractat.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5. §. 8. Si dicatur primum, conſequens eſt antè electionem talis medij fuiſſe præviſos Angelos & homines in ſtatu ſupernaturali innocentiæ & gratiæ, à quâ homo per peccatum decideret, vel ergo talis innocentia & gratia referebatur ad Chriſtum, & ſic Chriſtus erat venturus & primò volitus ut Auctor gratiæ in ſtatu innocentiæ; non igitur fuit primo volitus etiam ut redemptor; quemadmodum ſentiunt Auctores, cum quibus modo agimus; vel innocentia illa & gratia non referebatur ad Chriſtum, & ſic Chriſtus non eſt finis gratiæ ſtatus innocentiæ, malè igitur ponitur volitus ante præviſam deperditam per originale peccatum innocentiam, quod eſt idem ac dicere ante præviſum peccatum.

Aſſert. 2. Peccati remedium, hominumque redemptio, fuit motivum & finis Incarnationis de facto peractæ, non ſolum conſideratæ ſecundum quid ſeu ſecundum circumſtantiam paſſibilitatis; verùm etiam conſideratæ ſimpliciter, & ſecundum ſubſtantiam. Hoc aſſerto incipimus attingere ſummam controverſiæ, & in eo habemus eoſdem pro, & contrà Auctores, quos in aſſerto ponendo inferius *num.* 54. 19. Etiam conſideratæ ſimpliciter & ſecundum ſubſtantiam.

Probatur. Incarnatio de facto peracta fuit primo efficaciter volita in carne paſſibili, nec in aliquo priori ſecundum ſubſtantiam, deindè ſecundùm paſſibilitatem, ſed æquè primò ſecundum utramque; ergo peccati remedium, hominumque redemptio, fuit motivum & finis Incarnationis non ſolum conſideratæ, &c. imò ex eo, quod fuerit motivum ejus conſideratæ ſecundum carnis paſſibilitatem, infertur fuiſſe quoque motivum ejus conſideratæ ſimpliciter, & ſecundum ſubſtantiam. Probatur antecedens in quo dixi *efficaciter*, in præſenti enim ſermo eſt de volitione ſeu decreto, vi cujus incarnatio peracta eſt & executioni mandata, quod decretum non poteſt eſſe niſi efficax; probatur, inquam, antecedens; Incarnatio de facto peracta non fuit primo efficaciter volita abſtrahendo à carne paſſibili & impaſſibili, quod foret ipſam fuiſſe volitam præcisè quoad ſubſtantiam; multo minus fuit primo efficaciter volita in carne impaſſibili; atqui non ſupereſt alius modus, quo potuerit eſſe primò volita præterquam in carne paſſibili; ergo verè fuit primo efficaciter volita in carne paſſibili: Major quoad ſecundam partem, ſi intelligatur de carne formaliter impaſſibili probatione non indiget, enimverò tale decretum fruſtratum fuiſſet, aut retractatum propter Incarnationem re ipsâ peractam in carne paſſibili, repugnat autem decreto divino efficaci fruſtrari aut retractari; ſi intelligatur de carne impaſſibili virtualiter, & in causâ, juxtà modum dicendi Inſinuatum *præced. n.* 8. probatur ex eo, quia vel tale decretum attingebat redundantiam gloriæ in corpus tanquàm cauſam impaſſibilitatis, & hoc non quia ſecus fuiſſet fruſtratum & recurreret argumentum mox factum; vel talem redundantiam non attingebat, & ſic cum non attingeret impaſſibilitatis cauſam, malè dicebatur eſſe de carne impaſſibili in causâ; 20.

Probatur jam major quoad primam partem, volitio ſeu decretum attingens Incarnationem abſtrahendo à carne paſſibili, & impaſſibili, ex ſe præcisè non poteſt eſſe efficax, cum Incarnatio ſub tali abſtractione poni nequeat à parte rei. Neque redditur efficax ex eo, quod ſupponatur habere adjunctum decretum conditionatum de carne paſſibili, ſi Adam peccet; impaſſibili ſi non peccet: aut decretum ſub disjuncto de carne paſſibili, vel impaſſibili, prout pro illâ, vel pro iſtâ, meliores conditiones ac circumſtantiæ occurrent, juxtà modum dicendi inſinuatum *præced. numero ſeptimo.* Hinc, inquam, non redditur efficax, quia decretum 21.

decretum conditionatum aut ſub diſiuncto, neque ipſum habet ex ſe efficaciam, quâ poſſit determinare potentiam executivam, niſi ſuperveniat aliud decretum attingens hanc potius, quàm illam conditionem, hanc potius, quam illam diſiuncti partem, aut fortè etiam niſi superveniat novum decretum abſolutum & determinatum circà ipſam rem, ſub conditione, aut ſub diſiuncto volitam; qui enim diceret verbi gratia volo ambulare ſi Petrus dormiat, dormiente Petro adhuc non ambulabit, niſi eliciat alium actum, quo dicat abſolutè, volo ambulare.

Dices totum hoc ratiocinium nimis probare, & quando tandem aliquid probaret, non concludere intentum: Nimis probat, quia probat decretum quodlibet efficax Dei debere attingere rem in particulari cum omnibus circumſtantiis, accidentibus, & modis, cum quibus executioni mandanda eſt; ſi enim nequit circà Chriſtum abſtrahere à paſſibilitate & impaſſibilitate carnis, neque poterit circà eundem abſtrahere à circumſtantiâ ſtirpis, Matris, loci, temporis, &c. Neque item circà Petrum v.g. poterit abſtrahere ab eo producendo albo, vel nigro, &c. Non concludit intentum, quia concedendo tandem Incarnationem fuiſſe primò volitam tum ſecundum ſubſtantiam, tum ſecundum paſſibilitatem carnis, non idcircò conſequens eſt, quod fuerit ſecundum utramque rationem volita propter remedium peccati; ex duobus enim ſimul volitis optimè poteſt eſſe volitum unum ex uno, aliud ex alio fine, ſicuti potuit eſſe ſimul volita eadem ſubſtantia incarnationis, & circumſtantia ſtirpis v.g. iſta tamen ex Sanctorum Patrum meritis, non illa. Sed contrà: 22.

Decretum efficax Dei poteſt abſtrahere ad ſummum à circumſtantiis, & modis extrinſecis; non ab intrinſecis.

Ad primam inſtantiæ partem, plures Thomiſtæ totum abſolutè concedunt, & exiſtimant id nimium non eſſe, imo deberi perfectioni decretorum Dei: Tranſeat tamen divina decreta etiam efficacia abſtrahere poſſe à circumſtantiis, ſeu modis extrinſecis, ſine quibus res abſolutè poteſt executioni mandari; non ſic à circumſtantiis & modis intrinſecis, ſine quibus aut ſine eorum altero res eſſe non poteſt, quin paſſibilis ſit, aut impaſſibilis, imò quin ſit paſſibilis, niſi ex aliquo dono ſuperaddito impaſſibilis reddatur. Ad ſecundam inſtantiæ partem dico intentum concludi non quidem ex terminis, benè tamen ad hominem contrà Adverſarios, quatenus ferè omnes docent peccatum fuiſſe prævisum antè volitam paſſibilitatem carnis, non antè volitam incarnationis ſubſtantiam; proptereáque potuiſſe eſſe finem Incarnationis in carne paſſibili, non Incarnationis ſimpliciter: Si autem æquè primò volita eſt carnis paſſibilitas & Incarnationis ſubſtantia, peccatum prævisum ante volitam paſſibilitatem debuit quoque eſſe prævisum ante volitam ſubſtantiam, & potuit eſſe ratio motiva ad utramque volendam; nec ſupereſt Adverſariis fundamentum ullum limitandi ad circumſtantiam paſſibilitatis auctoritates ſuadentes peccati remedium fuiſſe finem, & motivum Incarnationis.

Aſſert. 3. Peccati remedium, hominumque redemptio, reſpectu Incarnationis etiam ſimpliciter conſideratæ fuit motivum & finis 23.

Peccati remedium fuit de facto finis Incarnationis unicus non admittens conſortium alterius finis totalis.

non quomodocumque, ſed totaliter & unicè in ratione finis totalis, adeò ut non habeat nullum alium finem totalem in ſui conſortio. Traditur, aut ſupponitur, hoc aſſertum ab Auctoribus afferendis *ſequent. num.* 34. & eſt ſignanter contrà Suarezium *diſputat.* 5. *ſec.* 4. Jſambertum Martinonum, aliosque nonnullos volentes Incarnationem fuiſſe de facto volitam propter excellentiam Myſterij, & propter remedium peccati tanquam propter duos fines totales, adeo ut excellentia Myſterij moverit priùs, remedium peccati moverit poſterius, moverit tamen & iſtud totaliter, nec ad carnem paſſibilem duntaxat, ſed ſimul ad Incarnationis ſubſtantiam.

Probatur primo ex eo, quod ſcriptura, ut conſtat ex auctoritatibus præmemoratis frequenter, & aliquando cum energiâ & emphaſi, aſſignat pro fine Incarnationis redemptionem & remedium peccati, locutio autem frequens & emphatica malè adhiberetur ad ſignificandum finem non unicum, non totalem, aut etiam non primarium: Idem evenit in auctoritatibus Sanctorum Patrum, ex quibus præterea habent ſpecialem pro præſenti intento efficaciam auctoritates quædam negativæ, & excluſivæ, ita aſſignantes pro fine Incarnationis remedium peccati, ut ſimul apponant particulas excludentes & negantes omnem alium finem; ſic Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Apoſtuli *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere* Ambroſius in cap. 2. ad Heb. *Non alia fuit cauſa illi per omnia fratribus aſſimilari, niſi ut fidelis Pontifex eſſet in nobis noſtriſque propitiaret peccatis.* Athanaſius ſerm. 3. contrà Arrianos *Cum Verbum homo efficitur tum cauſa ſubſtituatur, cur eum oporteat carnem geſtare: Neceſſitas quippè indigentiaque hominum anterior eſt quam illius nativitas quâ ſublatâ carnem non induiſſet.* Nazianzenus orat. 4. de Theologiâ. *Quæ humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? Profecto ut nobis ſalus pararetur. Quid enim aliud cauſæ afferri poſſit?* 24.

Dices has & ſimiles auctoritates, quamvis ex terminis univerſales, eſſe tamen ex propriorum Auctorum mente limitandas ad Incarnationem in carne paſſibili & mortali; quia de hac ſolâ Sancti Patres loqui conſueverunt, ut colligitur ex reliquo ſermonum contextu, & ex ſcopo excitandi fideles ad affectum amoris & gratitudinis ergà Dei miſericordiam & Chriſti paſſionem. Ratio 25.

ulterior, & neceſſitas ejuſdem limitationis, habetur ex aliis auctoritatibus Scripturæ & Patrum, quæ nequeunt cum præcedentibus illimitate intellectis conciliari; enim vero Scriptura & Patres, ut videre eſt apud Amicum *diſputat.* 7. *ſec.* 1. *num* 59. tradunt Chriſtum Dominum fuiſſe caput & exemplar omnium prædeſtinatorum, primogenitum omnis creaturæ, initium viarum Dei, electum antè mundi conſtitutionem; quæ & ſimiles locutiones, omnino inferunt Chriſtum volitum antè peccati præviſionē, & ex alio motivo à peccati

remedio; ne igitur prioribus directè opponantur, debent mox inſinuatæ auctoritates referri ad Chriſtum ſecundum ſubſtantiam, aliæ verò antecedenter adductæ ad Chriſtum quatenus paſſibilem; debet ſcilicet poni Chriſtus primò volitus quoad ſubſtantiam ante præviſum originale ex motivo excellentiæ Myſterij, adeò ut ſic volitus ſit initium viarum Dei, primogenitus omnis creaturæ, &c. poſteà debet poni ſecundò volitus paſſibilis & mortalis poſt præviſum originale ex motivo remedij peccati, adeò ut ſic volitus habeat pro fine totali remedium, ſivè deindè iſtud ſit finis totalis ſolius paſſibilitatis, ut docent plures Scotiſtæ; ſivè ſit finis totalis, imò unicus paſſibilitatis, & ſimul etiam finis totalis at non unicus ſubſtantiæ Incarnationis, prius propter unum, poſteà propter duplex motivum totale volitæ ut docent Suarez *præc. ſec.*4. & ex Scotiſtis Maſtrius *præcit. art.*2. *n.*33. Sed contrà:

26. Suſtinetur robur auctoritatum pro nobis militantium.

fateor Sanctos Patres, dum aſſignarunt peccati remedium pro fine totali, & unico Incarnationis, conſueviſſe explicitè loqui de Incarnatione in carne paſſibili, at implicitè loquebantur etiam de Incarnatione quoad ſubſtantiam, quam ipſi ſecundum præſentem providentiam ab Incarnatione in carne paſſibili non diſtinxerunt, nec diſtinguere debuerunt cum *ex præced. nu.*19. unum fuerit de facto utriuſque decretum, unum utriuſque motivum: limitatio igitur ab Adverſarijs inventa non benè colligitur ex contextu ſermonum Sanctorum Patrum; at nec colligitur ex ſcopo excitandi fideles, &c. quia certè magis elucet Dei miſericordia, & beneficium paſſionis Chriſti, adeóque magis excitatur affectus amoris & gratitudinis, ſi Incarnatio etiam quoad ſubſtantiam prædicetur primo & unicè volita propter peccati remedium, quam ſi dicatur aliundè jam primò volita, propter peccati autem remedium volita tantum ſecundò; aut tantùm quoad circumſtantiam paſſibilitatis, non quoad ſubſtantiam Myſterij; contrà quem poſteriorem modum videntur efficaciores auctoritates à nobis præallatæ *n.* 16. *&* 23. utpotè quæ ſuadent Chriſtum veniſſe in peccati remedium, non præciſè hoc vel illo modo ſed ſimpliciter.

27. Occurritur auctoritatibus militantibus contrà nos.

Ad alteram inſtantiæ, partem dico auctoritates ibi inſinuatas in eo ſenſu, in quo ab Adverſarijs adhibentur ex majori parte nimis probare, probare ſcilicet Chriſtum volitum non ſolum antè permiſſionem & præviſionem peccati originalis, verum etiam antè volitionem alterius cujuſlibet creaturæ, & antequàm fuerint voliti aut præviſi creandi Angeli & homines; ex quo ulteriùs urgendo ad hominem Adverſarios, inferetur non ſolùm, ſi Adam non peccaſſet, verum etiam ſi mundus conditus non fuiſſet, nullaque extitiſſet creatura, adhuc futurum fuiſſe, ut incarnaretur Verbum, & veniret Chriſtus ex vi præſentis decreti. Tribuendus eſt igitur inſinuatis auctoritatibus ſenſus alius ab eo, quem Adverſarij intendunt. & dicendum ex illis aliquas procedere de Chriſto non ut homine, ſed ſecundum quod eſt Verbum increatum, ſeu increata ſapientia; aliquas tribuere Chriſto primatum ſeu principatum dignitatis, non cauſalitatis; aliquas comparare Chriſtum non ad omnes prorsùs prædeſtinatos, ſed ad ſolos homines, & hi omnes, utpotè non prædeſtinati, niſi poſt peccati remedium, agnoſcunt in toto rigore Chriſtum tanquam caput & exemplar prædeſtinationis: Quas omnes explicationes latius expendit, & ab Adverſariorum difficultatibus expedit Vaſquez *diſp.*10. *cap.*10. eum lector conſulat, interim moneo difficiliorem eſſe, at non meliorem explicationem reſponſionemque eorum, qui *ex præced. num.* 12. ordine intentionis & in genere cauſæ finalis faciunt Chriſtum priorem præviſione peccati & volitione remedij, ordine verò executionis & in genere cauſæ materialis faciunt præviſionem peccati & volitionem remedij priorem Chriſto, ſicque utramque prædictarum auctoritatum claſſem conciliant dicendo auctoritates relatas *num.* 24. procedere de ordine executionis, & in genere cauſæ materialis, ſeu finis *cui*; inſinuatas autem *num.*25. procedere de ordine intentionis, & in genere cauſæ finalis, ſeu finis *cujus gratia.*

28. Inter Chriſtum, & remedium peccati, non eſt ponéda mutua prioritas in diverſo genere cauſæ.

Hanc, inquam, reſponſionem difficiliorem cenſeo, imo improbabiliorem, & omnino rejiciendam primo, quia ſupponit in divinis decretis, & in ipsâ divina voluntate, ordinem executionis diverſum ab ordine intentionis, quod eſt contrà doctrinam à nobis traditam *tract.*1. *lib.*5. *ca.*3. *num.* 16. Secundò quia finem *cui* reducit ad cauſam materialem, cum tamen re verâ finis *cui* & finis *cujus gratiâ* ſimul conſtituant unam completam rationem finis, ſeu cauſæ finalis, ex dictis *tract.*4. *lib.* 5. *cap.*2. *num.*8. Nec refert quod finis *cui* habeat rationem ſubjecti; non refert, inquam, quia ſubjectum exercet cauſalitatem materialem, quando eſt id cui aliquid inhæret, non quando eſt id cui aliquid intenditur. Tertio quia ratio finis *cui* ſecundum ſe eſt ratio finis minus propria; ſententiæ igitur Sanctorum Patrum aſſignantium pro Incarnationis fine remedium peccati deprimuntur ad ſenſum improprium, dum intelliguntur de fine *cui* præciſè, præſertim ſi talis finis dicitur ſe habere in genere cauſæ materialis, ut dicunt Auctores, cum quibus modo agimus & quos retulimus §. *præced.* in fine.

29. Incarnatio non fuit de facto volita ex duplici fine totali.

Probatur aſſertum ſecundo impugnando ratione Incarnationem volitam propter excellentiam Myſterij, & propter remedium peccati tanquam propter duos fines totales. Dato quod poſſit res eadem habere duplicem finem totalem, id tamen eſt minus connaturale, & ut in actu exercito eveniat debent duo fines totales ſimul æquè primo movere; atqui in caſu noſtro neque admittendum eſt aliquid ſuinus connaturale, neque excellentia Myſterij & remedium peccati juxtà Auctores, cum quibus agimus, ſunt duo fines æquè primò moventes ad volendam Incarnationem; ergo verè Incarnatio de facto non eſt volita propter excellentiam Myſterij & remedium peccati, tanquam propter duos fines totales. Major ſuadetur paritate duorum totalium efficientium, à quibus non niſi minus connaturaliter poteſt idem effectus ſimul dependere neque in actu exercito id evenit, niſi utrumque totale

totale efficiens ſit ſimul æquè primò applicatum ad eumdem effectum producendum: Minor probatur quoad primam partem ex eo, quod Deus etiam ut Auctor ſupernaturalis operatur ſemper modo connaturaliore, & magis conſentaneo naturis rerum; nec in ordine etiam hypoſtatico multiplicanda ſunt miracula & inducenda opera minus connaturalia ſine neceſſitate, & revelatione ſpeciali, quæ nulla eſt pro Incarnatione volita ex duplici fine totali. Minor eadem probatur quoad ſecundam partem, quia Auctores, cum quibus agimus, volunt inter motionem provenientem ab excellentiâ Myſterij, & motionem provenientem à remedio peccati mediare permiſſionem & prævifionem abſolutam ipſius peccati; cum quo ſalvari non poteſt motionem eſſe æquè primò ab utroque fine, ſed neceſſe eſt eſſe prius ab excellentiâ
50. Myſterij poſterius a remedio peccati: Hincque ulterius fit remedium peccati invenire divinam voluntatem jam totaliter motam, & poſſe quidem illam magis impellere, at non primò movere, quod eſt poſſe eſſe finé impulſivum & ſecundarium; non motivum, non primarium, & multò minus totalem. Neque hic locus eſt recurrendi ad motionem totalem reſpectu carnis paſſibilis, ad quam remedium peccati non invenit voluntatem antecedenter motam ab excellentiâ Myſterij, cum hæc ad ſolam Incarnationis ſubſtantiam moveat. Locus inquam, eo recurrendi non eſt, quia non defenderetur amplius ſententia, quam impugnamus, de duplici fine totali movente etiam ad Incarnationis ſubſtantiam, ſed in medium vocaretur ſententia alia aſtruens excellentiam Myſterij pro fine movente ad Incarnationis ſubſtantiam, remedium peccati pro fine movente ad carnem paſſibilem ſeu ad Incarnationis circumſtantiam, quæ quidem ſententia à nobis non impetitur argumento mox formato, quamvis exiſtimetur falſa, & improbetur aliundè, nimirum tum ratione poſtea *præced. num.* 20. tum auctoritatibus expoſitis *num.* 24. & 26. imò etiam *num.* 15. & 16. quæ omnes eſſent parùm legitimæ, & parùm ſinceræ locutiones, ſi verificarentur ſolùm de Incarnationis circumſtantiâ, undè obiter obſervaverim contra priorem dicendi modum plures, quàm contra poſteriorem rationes militare; contrà poſteriorem verò validius, quàm contra priorem, auctoritates urgere.

51. Aſferuntur argumenta varia contrà proprium & primarium Incarnationis finem collocatum in peccati remedio.

Dices ex hucuſque dictis ſequi Incarnationē, etiam acceptam ſecundùm ſubſtantiā, eſſe volitam tamquàm purum medium propter hominum redemptionem, & peccati remedium; tamquàm propter finem ſimpliciter talem, & *cujus gratia*, quod tamen falſum eſt ex multiplici capite: Primò ſcilicet, quia finis, utpotè qui eſt ratio diligendi medium, magis diligitur, quàm medium; atqui Deus non diligit redemptionem & peccati remedium magis, quàm Incarnationem; alioqui magis quod eſt minus bonum, minus quod melius eſt diligeret, & imperfectam ac inordinatam dilectionem haberet. Secundò, quia illud, quod eſt propinquius fini ſimpliciter ultimo, habet rationem finis, non medij reſpectu ejus, quod eſt remotius; atqui oſtenſioni gloriæ Dei, quæ eſt finis ſimpliciter ultimus omnium divinorum operum, propinquior eſt Incarnatio, remotior redemptio hominum & ſalus; per Incarnationem enim poſitam ſine redemptione, & ſalute hominum, major haberetur oſtenſio gloriæ Dei, major manifeſtatio divinorum attributorum, quàm per redemptionem, & ſalutem hominum, poſitam ſine Incarnatione; ergo. Tertiò, quia nobilius non niſi inconvenienter & abſurdè eſſe poteſt propter vilius ſe, tamquàm propter finem ſimpliciter & *cujus gratia*, ut expreſsè fatetur D. Thomas *in* 2. *diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 6. ubi propterea addit, inconvenienter dici, quod *luna & ſtella ſint propter noctuas & veſpertiliones, cum finis potior ſit his, quæ ſunt ad finem*; atqui Incarnatio eſt quid potius; & nobilius hominum ſalute ac redemptione, & longè magis illa iſtam nobilitate ſuâ ſuperat, quàm luna & ſtellæ ſuperent veſpertiliones & noctuas. Quartò, quia Incarnationem eſſe volitam, ut medium propter hominum redemptionem & ſalutem, eſt ipſam eſſe volitam ex prævîâ intentione redemptionis & ſalutis; adeóque eſt Deum voluiſſe humanam ſalutem prius, quàm Incarnationem & Chriſti exiſtentiam; & à fortiori prius, quàm Chriſti gloriam & prædeſtinationem; at hoc eſt falſum, nam quoad Chriſti gloriam eſt contrà Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. pro cauſâ finali noſtræ juſtificationis, ac per conſequens etiam noſtræ ſalutis, aſſignat gloriam Dei & Chriſti; quoad prædeſtinationem eſt contra illud Apoſtoli Rom. 8. *Qui prædeſtinavit nos conformes fieri imagini filij ſui*, eſt item contra id quod nos ipſi ſuprà attigimus, Chriſtum ſcilicet eſſe caput & exemplar prædeſtinationis hominum ſaltem, ſi minus Angelorum. Quintò, quia eſſe bonum occaſionatum, præſertim occaſione alicujus mali, non eſt bonum ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundùm quid & ex ſuppoſitione, ut exemplum eſſe poteſt ſciſſio venæ in phyſicis, pœnitentia in moralibus; atqui Incarnatio eſt bonum ſimpliciter & abſolutè, non eſſet autem talis, vel ſaltem ut talis non eſſet volita, ſi eſſet volita propter peccati remedium & occaſione peccati; ergo. Sed con- 52.
trà Incarnatio ſumi poteſt, vel ſecundùm id, quod ei convenit ab intrinſeco, & ex naturâ rei; vel ſecundùm id quod ei convenit ex ordinatione extrinſecâ & intentione Dei; & hoc poſteriore modo adhuc dupliciter, vel ſcilicet ex intentione primariâ, vel ex intentione ſecundariâ: Purum medium abſolutè prolatum debet eſſe omnibus his modis tale, juxta noſtram verò doctrinam Incarnatio de facto habet quidem rationem medij attenta intentione Dei primariâ, at non ex naturâ rei, aut attentâ intentione Dei etiam ſecundariâ, ideo non eſt ſimpliciter & abſolutè dicenda purum medium, ſolvenda nihilominus ſunt inſtantiæ argumenta, quatenus vim aliquam habent contra rationem medij etiam ex ſolâ intentione primaria Dei; propterea

Quomodò Incarnatio de facto ſit volita ut medium.

Ad primum dico finem magis diligi quàm 53.

 medium

Solvitur primum argumentum improbans in Incarnatione rationem medij.

medium purè tale; at non magis quàm medium quodcumque: Item magis diligi, ſi tam finis, quàm medium accipiantur reduplicativè & formaliter; ſecus ſi ſpecificativè & materialiter; nec eſſe inconveniens, quod Deus Incarnationem ſpecificativè & materialiter magis diligat quàm redemptionem; eamdémque reduplicatâ ratione medij diligat minus; ſicuti nos ſpecificativè & materialiter magis diligimus bona corporis quàm bona fortunæ; & tamen illa ut aliquando ſunt media neceſſaria ad conſervationem bonorum fortunæ, minus diligimus, illiſque utimur ut iſta ſervemus. Vel aliter datâ abſolutè majore, nego minorem; & quamvis Deus ex ijs, quæ amat amore neceſſario, non poſſit magis diligere quod minus bonum eſt, nec poſſit v. g. ſibi magis complacere de redemptione, quàm de Incarnatione conſideratis in ſtatu poſſibilitatis; ex ijs tamen, quæ diligit amore libero, & in ordine ad exiſtentiam ſicut non neceſſitatur ad melius & poteſt quod melius eſt non diligere, ita à fortiori poteſt quod melius eſt minus diligere.

34. Solvitur ſecundum.

Ad ſecundum concedo majorem de eo, quod eſt propinquius fini ſimpliciter ultimo ordine intentionis & cauſalitatis; nego de eo, quod eſt propinquius ordine dumtaxat intrinſecæ perfectionis & dignitatis, quâ ſolum ratione de facto gloriæ Dei propinquior eſt Incarnatio, quam redemptio. Et licet Incarnatio intenta propter propriam excellentiam præcisè ſit propter motivum intrinſecè & entitativè quodammodò dignius quam eadem intenta propter redemptionem & remedium peccati; hoc tamen poſteriore modo cauſat majorem oſtenſionem gloriæ Dei, manifeſtat ſcilicet plura Dei attributa, miſericordiam in ſublevandâ peccati miſeriâ, juſtitiam in exhibendâ condignâ ſatisfactione & ſimilia quæ Incarnatio propter excellentiã propriam volita non manifeſtaret ideò &c.

35. Solvitur tertium.

Ad tertium dico nobilius inconvenienter & abſurdè eſſe propter vilius, ſi propter vilius ſit ut purum medium; & in hoc ipſo, quod eſt eſſe propter vilius non habeatur major oſtenſio gloriæ & attributorum Dei: Incarnatio autem non eſt propter redemptionem ut purum medium, & in eo quod propter redemptionem ſit, habetur major oſtenſio attributorum Dei, ideò &c.

36. Solvitur quartum.

Ad quartum dico Incarnationem eſſe quidem volitam ut medium propter hominum redemptionem & ſalutem; at non propter utramque eodem modo intentam; ſed propter redemptionem quidem intentam efficaciter, ſalutem verò intentam inefficaciter, & voluntate antecedente, quæ voluntas ſalutis antecedens & inefficax ad prædeſtinationem non ſufficit; ideò licet ad decretum Incarnationis præceſſerit aliqua volitio ſalutis hominum, non præceſſit tamen ea volitio, quæ hominum prædeſtinatio eſt, ſed hæc ad decretum illud eſt ſubſecuta, ſicque cum Incarnatione volita propter hominum redemptionem & ſalutem optimè cohæret, tum quod Chriſtus ſit caput & exemplar prædeſtinationis hominum, tum quod juxta Apoſtolum Deus nos prædeſtinaverit conformes fieri imagini filij ſui: Cohæret etiam auctoritas Tridentini, quia eo loco gloria Chriſti non excellentiam Myſterij, ſed gloriam accidentalem ſignificat; ſicut ibidem gloria Dei ſupponit pro gloriâ extrinſecâ, non pro intrinſecâ & eſſentiali; optimè autem ſtat, quod in divina intentione juſtificatio noſtra fuerit ex una parte prior Chriſto, & gloriâ ipſius eſſentiali; & ex aliâ deindè parte gloria accidentalis in Chriſto reſultans ex ipſa noſtra juſtificatione fuerit eadem juſtificatione prior & finis ejus ut magis explicat Lugus *diſp.7. num.14.*

37. Solvitur quintum.

Ad quintum dico bonum occaſionatum aliud eſſe tale purè & ex naturâ rei, hujuſmodi ſunt ſciſſio venæ & pœnitentia, aliud eſſe non purè tale & ex ordinatione dumtaxat extrinſecâ; bonum occaſionatum primo modo tranſeat, quod ſit bonum ſecundùm quid & ex ſuppoſitione, bonum occaſionatum ſecundo modo optimè poteſt eſſe bonum ſimpliciter & abſolutè; Incarnatio autem eſt bonum occaſionatum ſecundo, non primo modo, ideò &c. Neque dicas hinc ſalvari quod Incarnatio ſit bonum ſimpliciter & abſolutè in ſe, at non quod ſit à Deo volita ut talis & tamen hoc poſterius videtur inconveniens, tum dignitati Incarnationis, tum perfectioni divinæ voluntatis. Contra enim concedo illationem prout ly *volita* refertur ad intentionem Dei primariam; nec iſtud officit dignitati Incarnationis, hæc quippè ſicut Deum non neceſſitat ad eam volendam, ita nec ad eam volendam hoc potius, quàm illo modo; non item officit perfectioni divinæ voluntatis, quia hæc maximè reſpicit manifeſtationem gloriæ & attributorum Dei, quæ ex jam dictis magis habetur per Incarnationem volitam occaſione peccati, & propter peccati remedium; quàm per eamdem volitam ſimpliciter, & abſolutè propter ſe.

38. Afferuntur duo argumenta contra Incarnationẽ.

Dices aliter in univerſum contra doctrinam in præcedentibus aſſertis poſitam: Incarnatio de facto fuit à Deo volita antè præviſionem originalis peccati, ergo non fuit volita occaſione peccati, nec habuit pro fine peccati remedium: Antecedens probatur primò, quia Deus in ſtatu innocentiæ revelavit Adamo futuram Incarnationem non revelata futuritione peccati originalis, ergo ſignum eſt, quod voluit Incarnationem antè præviſionem originalis, nec iſtud habuit pro illius motivo; alioqui revelando Incarnationem, & non revelando originale, revelaſſet effectum non revelatâ cauſâ, & reliquiſſet Adamum anxium propter connaturale deſiderium cognoſcendi cauſam cognito effectu. Secundò, quia ex Auguſtino *tom.7. lib.1. de nuptijs cap.21.* Matrimonium etiam in ſtatu innocentiæ, & antè originale peccatum fuiſſet ſacramentum, & ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ, ergo ante originale peccatum Chriſtus erat iam venturus, & antè ejus præviſionem à Deo volitus. Sed contrà: nego antecedens, ad cujus primam probationem concedo, idque nos ipſi docuimus *præced. tract.6. cap.7. num.59.* concedo, inquam,

39. Solvitur primum.

quam, fuiſſe Adamo in ſtatu innocentiæ revelatam Incarnationem futuram non revelatâ futuritione originalis peccati, quod eſt dicere fuiſſe revelatum effectum non revelato fine præcipuo, & motivo primario; nec propterea Adamus torquebatur ob deſiderium cognoſcendi cauſam cognito effectu, enim verò tale deſiderium non admodum urget in ordine ad cauſas à quibus effectus dependet ex voluntate Dei extrinſecâ, non ex naturâ rei, ut pendet de facto à peccati remedio Incarnatio.

40. Solvitur ſecundum. Ad ſecundam probationem dico ex eo quod Matrimonium in ſtatu innocentiæ & ante commiſſum originale ſignificaret Chriſtum venturum inferri, quod Chriſtus ſit volitus venturus antè commiſſum, at non antè prævíſum originale; & ſicuti Adamus in ſtatu innocentiæ potuit habere fidem, ità potuit habere ſignum aliquod Chriſti venturi abſque eo, quod inferatur Chriſtus volitus venturus viſo ſolo ſtatu innocentiæ, nondum viſo originali. Interim moneo obiter cum Arriagâ *diſp.*14. *num.*46. Auguſtinum eo loco ſumere ſacramentum pro Myſterio habente ſignificationem arcanam ut ſumit Apoſtolus *Epheſ.*5. dicens *Sacramentum hoc magnum eſt*, cæterùm conſtat Matrimonium cæpiſſe eſſe verum & proprium ſacramentum ſolum in lege gratiæ, adeóque tale non fuiſſe in lege ſcripta, aut in lege naturæ, nedum in ſtatu innocentiæ.

---

§. III.

Cuiuſnam peccati remedium fuerit de facto motivum, & finis Incarnationis?

41. ASSERT. Tum remedium peccati originalis, tum etiam remedium peccatorum actualium; fuit de facto motivum & finis Incarnationis, non tamen utrumque eodem modo; ſed remedium originalis fuit motivum primarium & finis verè motivus; remedium actualium fuit motivum ſecundarium, & finis, impulſivus potius, quam motivus. Ita Theologi communiter, quamvis cum aliquo inter ſe diſſidio quoad ſecundam partem, ideſt quoad utriuſque remedij in movendo ſeu finalizando diverſitatem, ut enim conſtabit ex ſequentibus, aliqui volunt præſens decretum Incarnationis habere pro motivo utrumque remedium indiviſibiliter, & ferè æquè primò, & Verbum non incarnandum ſi aut ſolum originale aut ſola actualia extitiſſent; aliqui habere pro motivo utrumque remedium, ſeu alterutrum, independenter ab alio, & Verbum fore incarnandum ſive ſolum originale, ſive ſola actualia extitiſſent; aliqui hique multo plures habere pro motivo originale independenter ab actualibus, at non actualia independenter ab originali, & Verbum fore quidem incarnandum exiſtente ſolo originali, non tamen exiſtentibus ſolis actualibus; & hi poſtremi Auctores maximè ſtant pro aſſerto mox præfixo, quod

42. Probatur primò quoad primam partem, nimirum quoad illas particulas, *Tum remedium peccatorum actualium, fuit de facto motivum & finis Incarnationis.* Verbum de facto fuit incarnatum ut nos redimeret ab omni peccato etiam actuali, ſicut verè ab omni etiam actuali redemit; ergo tum remedium peccati originalis, tum etiam remedium peccatorum actualium fuit &c. conſequentia patet, antecedens probatur ex eo quod Chriſtus *Heb.*1. dicitur indefinitè, *purgationem peccatorum faciens:* ad Titum 2. dicitur *veniſſe ut nos redimeret ab omni iniquitate & faceret ſibi populum acceptabilem non habentem maculam, neque rugam.* 1. Ioan. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato*, & cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* His & ſimilibus ſcripturæ ſacræ auctoritatibus conſonant plures Sanctorum Patrum ſententiæ & ſignanter verba Concilij Toletani VI. *cap.*1. dicentis *ſolum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſolvenda, à Secreto Patris arcano prodyſſe.* Confirmatur ratione, quia ex una parte valor meritorum & operum Chriſti fuit ſufficiens, imò indè ſuperabundans ad exhibendam perfectam ſatisfactionem & obtinendam integram remiſſionem peccatorum omnium, etiam actualium; ex alia parte ad prærogativam Redemptionis ac ſalvatoris perfecti, qualis extitit Chriſtus, ſpectat ſolvere omne culpæ debitum, & auferre omne ſalutis impedimentum, peccata autem etiam actualia ſunt debita culpæ, & impedimenta ſalutis; ergo &c.

Remedium peccatorum etiam actualium fuit motivum, & finis Incarnationis;

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem 43.
nimirum quoad illas particulas *Non tamen* At non eo-
utrumque eodem modo, ſed remedium originalis dem modo,
fuit motivum primarium &c. Scriptura & Pa- quo reme-
tres loquentes de Incarnatione, & ſatisfa- dium, pecca-
ctione Chriſti, ſæpè eam referunt ad ſolum ti originalis,
originale, & ad peccatum in ſingulari, ergo quia remedium originalis fuit ejus motivum ſpecialiore & principaliore modo, quàm fuerit remedium actualium, non verò utrumque remedium eodem modo: probatur antecedens ex Daniel. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Vrbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Iſa. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eũ,* velut ex Hebræo aliqui legunt *propter ulcus, quod erat in eis*, ulcus autem, utpotè importans vulnus antiquum, egregiè ſignificat peccatum originale. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccatum mundi* additâ gloſsâ ordinariâ deſumpta ex Beda dicente, peccatum mundi dicitur peccatum originale, quod eſt commune totius mundi: Nec refert,
quod aliqui in eo textu legant *peccata mundi*. 44.
Non refert, inquam, quia peccatum origi- Peccatorum
nale, utpotè radix peccatorum actualium originale
poteſt dici radicaliter plura peccata, & plura- aliquando
liter exprimi; unde etiam de eo ait David dicitur pec-
pſal. 5. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus* cata in plu-
ſum, & in peccatis concepit me mater mea. rali.
Confirmatur tum ex eo, quod canit Eccleſia

in

in benedictione Cerei paſchalis *ò certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt*, tum ex eo, quod habetur 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, ubi vivificatio à Chriſto inducta contraponitur morti ex Adamo derivatæ, talis autem mors eſt mors originalis. Confirmatur inſuper ratione Ubi motivum & finis eſt remedium mali, motivum principalius & finis ſpecialior eſt remedium mali majoris, atqui in propoſito motivum finis eſt remedium mali culpæ; & remedium originalis eſt remedium majoris mali culpæ quam remedium actualium, ſicut originale eſt malum culpæ majus quàm actualia; ergo remedium originalis eſt motivum principalius & finis ſpecialior: ſola minor; imò ſolum illud membrum minoris *originale eſt malum*

45.

culpæ majus, quam actualia indiget probatione, probatur autem ex eo, quod licèt peccatum actuale in nobis ſit majus malum intenſivè & in ratione malitiæ formalis, quatenus magis habet de voluntario, & propriâ actione non origine contrahitur; hoc tamen facit ipſum eſſe majus malum dumtaxat ſecundùm quid, originale verò remaneat malum majus ſimpliciter & abſolutè, idque ex multiplici capite; primò ſcilicet ex ſubjecto quod afficit, quod eſt majus ſeu plura ſubjecta, afficit enim totam naturam humanam & omnia hominum individua, cum actuale afficiat ſingularem perſonam & unicum individuum: Secundò ex bono quod impedit, impedit enim bonum gentis, cum actuale impediat bonum unius; illud autem eſt iſto divinius & eminentius *ex lib. 1. Ethic. cap. 2.* Tertio ex miſeria, quam inducit, nam præter damnationem æternam ſecum affert plores hujus vitæ pœnalitates, ægritudines, ignorantiam, concupiſcentiam &c. Quartò ex malitia radicali quam continet, continet enim malitiam omnium peccatorum actualium, cum ſit omnium cauſa, fons, & radix: Quinto ex principio à quo procedit, quod fuit eximijs ac peculiaribus gratiæ donis inſignitum, & propriâ voluntate peccando contraxit formalem & intenſivam malitiam actionis, peccatum enim quod in nobis originale ſeu originis eſt, fuit actuale ſeu actionis in Adamo; unde dici poteſt originale ſimul & actuale reſpectu diverſorum, at noſtra peccata actualia ſunt purè talia, nec habent reſpectu alicujus malitiam originis.

Eſt ſimpliciter malum majus, quam peccata actualia.

Dubitatur hic Utrùm peccata actualia; li-

46.

cèt ad decernendam Incarnationem moverint minus principaliter, quàm originale, fuerint tamen ipſa quoque antè Incarnationis decretum prævisa, & quidem non ſolùm radicaliter, & ut contenta in originali tamquàm in radice, verum etiam formaliter futura in ſe ipſis; ſicut fuit per nos prævisum originale: Negant Vaſquez *diſp. 13. num. 11. & 24.* Lugus *diſp. 7. num. 52.* alijque non pauci ex ijs, qui decretum Incarnationis ſtatuunt poſt originalis prævisionem, nam apud ſuſtinentes Incarnationem volitam antè originale prævisum, nullus eſt præſenti dubitationi locus; & ex volitione Incarnationis priore ad prævisionem originalis ſequitur à fortiori prioritas ejuſdem ad prævisionem actualium: Cæterum loquendo in noſtris principijs aſtruentibus originale prævisum antè Incarnationis decretum, adhuc talem prævisionem ad actualia non extendo, & cum præcitatis Auctoribus ſentio ea non fuiſſe abſolutè, & in ſe ipſis formaliter prævisa antè Incarnationis decretum, ſicque dubitationem ſolvo negativa reſponſione & probatur primò: Peccata

Peccata actualia Poſteriorum Adæ nō fuerunt à Deo prævisa ante decretū Incarnationis.

actualia poſterorum Adæ non potuerunt 47.

prævideri, abſolutè, & formaliter futura in ſe ipſis, niſi poſt prævisa gratiæ auxilia poſteris Adæ conferenda ex Chriſti meritis; atqui gratiæ auxilia conferenda ex Chriſti meritis non potuerunt prævideri antè decretum Incarnationis ergo; pariter antè hoc decretum non fuerunt prævisa, nec potuerunt prævideri peccata actualia poſterorum Adæ abſolutè & formaliter futura in ſe ipſis; Minor patet, quia gratia conferenda ex Chriſti meritis non poteſt non ſupponere id, quod ſupponunt Chriſti merita; hæc autem ſupponunt Chriſtum, tamquàm effectus ſuam cauſam, nec poſſunt eſſe aut volita aut prævisa, quin ſi minus antecedenter, ſaltem ſimul omninò ſit volitus & prævisus Chriſtus. Major probatur, quia in quolibet ſtatu ad peccandum requiritur libertas & potentia vitandi peccatum, quæ in ſtatu præſertim elevationis & obligationis ad ſupernaturales actus, non datur niſi præſto ſint actualia gratiæ ſufficientis auxilia; peccata igitur futura ſicuti prævideri non poſſunt, niſi poſt prævisam potentiam peccandi; ita etiam non niſi poſt prævisa gratiæ ſufficientis auxilia; hæc autem, ut Poſteris Adæ conferenda; erant ex Chriſti meritis, quia omnis gratia Poſterorum Adæ, utpotè quæ eſt gratia collata naturæ lapſæ & poſt amiſſum ſtatum innocentiæ, eſt gratia Chriſti; & cum Adam per peccatum originale tum in ſe contraxerit tum ad Poſteros tranſmiſerit debitum carendi omni gratiâ Dei, ſive habituali, ſive actuali; Deus independenter à Chriſto inchoaſſet quodammodò condonationem peccati, ſi independenter ab illo aliqua gratiæ auxilia Adæ Poſteris præparaſſet. Probatur ſecundo

negativa ad dubitationem reſponſio ex eo, 48.

quod ſi peccata actualia fuiſſent in Poſteris Adæ prævisa antè decretum Incarnationis, originalis remedium non fuiſſet ex ſe ipſo ſufficiens motivum talis decreti, dum viſo originali expectaſſet adhuc Deus aliquid aliud, tamquam occaſionem & motivum Incarnationis decernendæ, expectaſſet ſcilicet actualia peccata, eorumque remedium, illud autem eſt parum conforme auctoritatibus præmemoratis *n. 43.* quibus propter originale etiam ſolum & ſecundùm ſe præcisè inſinuatur facta Incarnatio.

Hinc remanet directè, & in toto rigore, probatum quod poſtremis præcedentis aſſerti particulis dictum eſt remedium peccatorum actualium non eſſe motivum ſecundarium quomodocumque, ſed inſuper eſſe finem impulſivum potius, quàm motivum; finis enim 49.

propriè impulſivus non motivus eſt, qui in- Eorum rei

venit

venit voluntatem jam ea alio fine determinatam, motam, aut etiam aggredientem opus, ideò non ſimpliciter eam movet, impellit tamen, quatenus facit eamdem majori quodam modo promptitudine, majorique inclinatione opus illud aggredi aut perficere. Sic Medicus, qui Romam iturus, aut in itinere jam conſtitutus ad inviſendum templum D. Petri, audiat Amicum in Vrbe ægrotare, & iter ſuum ordinet etiam ad ipſum curandum, dicitur habere viſitationem templi D. Petri pro fine motivo, curationem Amici pro fine impulſivo, cum igitur eodem ferè modo in re noſtra Deus jam miſſurus filium ſuum in carne ad remedium originalis, in poſteriore ſigno prævideat actualia, & in iſtorum quoque remedium eundem adventum ordinet; propriè & in toto rigore dicetur habere remedium originalis pro fine motivo, remedium actualium pro fine impulſivo potius, quàm motivo.

medium fuit finis Incarnationis impulſivus potius, quam motiuus.

Dices primò doctrinam hanc malè cohærere cum eo, quod ait Apoſtolus ad Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, cui ſententiæ conſonat quod *Luc.* 15. habetur de unâ ove perditâ, & de gaudio in Cœlis futuro ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Conſonat etiam quod *Heb.* 6. dicitur peccatores rurſum crucifigere filium Dei, præferre ſcilicet ſufficientem occaſionem ut crucifigatur: Conſonat tandem quod D. Chyſoſtomus *homil.* 3. *in acta Apoſtol.* explicans verba illa *& dederunt ſortes eis* ait *Vnius animæ perditio tantam habet jacturam, uti nulla ratio poſſit æſtimare. Etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur*, &c. Quibus & ſimilibus auctoritatibus inſinuatur Chriſtum veniſſe propter remedium cujuſlibet actualis peccati, & uno ſolum actuali exiſtente adhuc venturum fuiſſe, ſignum eſt remedium actualium fuiſſe finem Incarnationis pluſquam impulſivum, eorumque in Deo ſcientiam non fuiſſe poſteriorem Incarnationis decreto. Sed contrà: prædictæ auctoritates, quatenus ſpectare poſſunt ad rem præſentem, nihil aliud inſinuant, quam Chriſtum profuiſſe cuilibet æquè, ac ſi pro illo ſolo veniſſet, & quantum eſt de ſe tantam habere ergà ſingulos dilectionem & miſerationem, ut paratus ſit tum mori pro ſingulis aut etiam pro unius actualis peccati remedio, tum mori iterum ſi Deus ita decernat, ex quo quoad de facto nihil infertur de prævisione actualium ante Incarnationis decretum, vel de ratione finis motivi potiùs, quàm impulſivi in iiſdem. Majoris claritatis gratia attingo breviter ſingulas auctoritates; & primâ quidem auctoritate *ex* 2. *ad Galat.* Apoſtolus nihil aliud intendit, quam ergà ſe ipſum commendare dilectionem Chriſti, & ſufficientiam, imò abundantiam redemptionis ejus: Parabola de unâ ove perdita per unam ovem ſignificat totá naturam humanam unam in ſpecie potius, quàm unum aliquod individuum; ſi tamen ad aliquod individuum referatur, habet eumdem ſenſum, quem mox diximus tribuendum verbis Apoſtoli, eademque eſt ratio de gaudio, quod in Cœlis fit ſuper uno peccatore: Secunda auctoritas *ex* 6. *Heb.* non ſignificat id, quod in inſtantiâ ſup-

50. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

ponitur, nec aliud quidquam pertinens ad rem noſtram, ut patet ex triplici ejus expoſitione, quam ex Sanctis Patribus affert Lugux *diſp.* 7. *num.* 62. Verba Chryſoſtomi commendant ſolum dilectionem Chriſti erga nos, & affectum ejus erga cujuſlibet animæ ſalutem, ut dictum eſt de verbis Pauli, & magis explicat Vaſquez *diſp.* 13. *cap.* 3. ubi etiam expendit aliquas alias auctoritates, quas Adverſarij afferunt ex Dionyſio, Cyrillo, & Irenæo.

Dices ſecundo: Neceſſe fuit aliqua peccata actualia in poſteris Adæ prævideri ante diſtributionem & præparationem gratiæ Chriſti; ergo ſuperior doctrina univerſaliter non ſubſiſtit, nec eſt univerſaliter verum in Poſteris Adæ omnia gratiæ auxilia fuiſſe ex Chriſti meritis, omniaque peccata actualia fuiſſe præviſa duntaxat poſt merita Chriſti, & decretum Incarnationis Antecedens probatur, diſtributio & præparatio gratiæ Chriſti non potuit eſſe volita, aut præviſa, antè præviſam ejus paſſionem & mortem cum per hanc ſolam ex divinâ ordinatione Chriſtus omne ſuum meritum conſummaverit & compleverit; atqui neceſſe fuit aliqua peccata actualia in Poſteris Adæ prævideri ante præviſam paſſionem & mortem Chriſti, neque enim potuit hæc prævideri non præviſis prius peccatis crucifigentium Chriſtum eique inferentium paſſionem, & mortem, ergo. Sed contrà: dici in primis poteſt omne Chriſti meritum fuiſſe paſſione & morte conſummatum in ordine ad præmium potiſſimum & beneficium completæ redemptionis; cæterum in ordine ad aliquod minus præmium, & ſpeciale beneficium, quale eſt auxilium gratiæ actualis ad credendum, & obediendum Chriſto, datum iis, qui tali gratiæ reſiſtentes paſſionem ei mortemq; intulerunt, nihil prohibet concedere aliquod aliud opus præcedens fuiſſe acceptatum ut meritorium independenter à paſſione & morte futurâ. Quidquid deindè de hoc ſit, ſi admittatur omne meritum in Chriſto fuiſſe morte conſummatum, verum id erit non de ſola morte ſumptâ phyſice & in re, ſed etiam de eadem ſumptâ moraliter, & in præparatione animi, ſitá in eo, quod Chriſtus venturus præviſus fuerit libenti animo præparatus pati & mori, & paſſionem mortemque quomodocumque inferretur acceptans, morte hac Chriſtus omne ſuum meritum ſufficienter conſummavit, & ex præviſo hujus mortis merito Deus præparavit omnem gratiam Poſteris Adæ, ſignanter verò auxilia ſufficientia, quibus Judæi poſſent Chriſtum ſequi, negando efficacia quibus ad ſequelam infallibiliter inducerentur, & ab eo crucifigendo atque occidendo abſtinerent; quod fuit velle mortem Chriſti tali modo inferendam, & permittere peccata Judæorum eam inferentium.

51. Quomodo omne Chriſti meritum fuerit paſſione, & morte conſummatum.

Urgebis: Apoſtolus *Coloſſ.* 2. loquens de modo, quo Chriſtus nobis obtinuit ſeu meruit remiſſionem peccatorum, ità habet *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci*: & Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. loquens de Chriſto ſanctificationem noſtram conſummante & ad perfectū adducente

ait, *Is igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel ſe ipſum in arâ Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur.* Quæ & ſimilia teſtimonia morti actuali, phyſicè, & re ipsâ in Cruce illatæ, tribuunt redemptionem noſtram, & conſummationem meriti Chriſti; ergo hanc nos malè tribuimus morti ſumptæ moraliter, & in præparatione animi: Accedit quod hinc ſequeretur non fuiſſe nobis neceſſariã, imo nec utilẽ Chriſti paſſionem & mortem exercitè & phyſicè toleratã. Sed contrà; dico meritum Chriſti

52\. Quomodo mors Chriſti phyſica fuerit neceſſaria ad redemptionem & nobis utilis, licet totum Chriſti meritum præceſſerit in morte morali?

prædictis teſtimonijs tribui morti actuali, non ſumendo meritum formaliter, & quoad valorem moralem; ſed ſumendo ipſum materialiter, & quoad complementum divini decreti, quod erat de humano genere redimendo intercedente morte actuali; ideò redemptio noſtra tribuitur morti Chriſti actuali & phyſicæ; licèt redemptionis meritum non in ea ſolà, ſed in morte etiam morali & acceptatâ fuerit prævisum. Ratio à priori deſumenda eſt ex generali doctrinâ, quâ opus externum, cujuſmodi eſt mors actualis & phyſica, quamvis ſit actus interni complementum, non importat ratione ſui præcisè meritum contradiſtinctum à merito actus interni, ſed illud ipſum in ſe ab actu interno derivatum ut explicuimus *in tract. de gratia lib. 4 cap. 7. §. 6.* & tum ratione iſtius meriti ab actu interno derivati, tum ad complementum divini decreti, fuit nobis neceſſaria & utilis paſſio & mors exercitè & phyſicè à Chriſto tolerata; præter quod fuit hæc alijs titulis æſtimabilis; nimirum ad obſervantiam præcepti à Patre impoſiti, ad præbendum ſenſibile exemplum patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum, ad perſpicuam oſtenſionem veræ carnis paſſibilis atque mortalis, & tandem ad formalem rationem ſatisfactionis quæ *ex præcit. § .6. n.58.* non ſicut meritum in actu interno, ſed potiſſimum in externo agere aut pati perficitur.

53\. Ex dictis habetur hunc veriſimiliter ordinem ſtatuendum eſſe inter divinos actus intellectus & voluntatis attingentes ex parte noſtrâ peccatum originale & peccatum actuale, utriuſque remedium, & æternam ſalutem: ex parte Chriſti incarnationem, meritum paſſionem, & mortem. Volito ſcilicet & viſo Adamo creando in ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis cum prærogativâ Capitis moralis quoad transfundendam in cæteros homines originalem, vel gratiam, vel culpam; nulloque adhuc divino actu abſoluto & efficaci elicito, aut circà Chriſti exiſtentiam, aut circà alicujus hominis ſalutem, imò nec circà deſignationem particularem horum potius, quàm illorum Poſterorum ex Adamo deſcendentium.

Quinam ſit ordo divinorum actuum circa nos & Chriſtum?

Permiſit primo Deus & prævidit futurum in primis Parentibus originale peccatum, & in Poſteris, quicumque iſti forent, debitum illud contrahendi. Secundò voluit efficaciter afferre remedium peccato præviſo, & ex motivo talis remedij decrevit faciendam à Verbo aſſumptionem carnis paſſibilis atque mortalis; & hucuſque nihil de hominum prædeſtinatione, undè remedium peccati effectus fuit voluntatis antecedentis, & providentiæ generalis reſpicientis ordinem omnium hominum ad beatitudinem & ſalutem; non voluntatis conſequentis, & providentiæ particularis reſpicientis talis ordinis exitum vel eventum juxtà egregiã doctrinam D. Thomæ *q.6 de Verit. art. 1.* Tertiò prævidit in Chriſto venturo plures actus meritorios, & inter cæteros voluntatem acceptandi paſſionem & mortem, quomodocumque inferretur; voluntatem, inquam, eam potiſſimum quâ paſſioni proximus oblatum ſibi à Patre calicem, ſenſitivo licet appetitu reluctante, acceptavit dicens *Verum tamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Quartò ex Chriſti meritis, & ad accidentalem ejus exaltationem, præparavit gratiam tum habitualem tum actualem Poſteris Adæ conferẽdam, & ut talem gratiam diſtribueret deſignavit hos potius, quam illos Adæ Poſteros futuros. Quinto voluit efficaciter aliquos gloriam conſequi; omnibus verò præſto eſſe auxilia ſufficientia ad non peccandum & ſpecialiter Judæis ad non interficiendum Chriſtum Dominum. Sexto prævidit in pluribus tum prædeſtinatis, tum reprobis, & ſpecialiter in interfectoribus Chriſti actualia peccata formaliter & abſolutè futura. Septimò Incarnationem jam volitam propter remedium originalis, tanquam propter finem motivum, voluit iterum propter remedium actualium tanquam propter finem impulſivum; Octavò prævidit cum omnibus circumſtantijs quibus peracta eſt actualem & phyſicam Chriſti mortem, tanquam complementum, tum proprij decreti, tum etiam voluntatis quâ eam Chriſtus acceptaverat, & ratione cujus fuit meritoria, imò conſummatio externa totius meriti operum omnium, & actuum Chriſti Domini.

---

§. IV.

An, & quonam peccato non exiſtente Verbum ex vi præſentis decreti incarnatum non fuiſſet?

ASSERT. 1. Non exiſtente originali Verbum nullatenus incarnatum fuiſſet, & nullo modo veniſſet Chriſtus ſi Adam non defeciſſet; idque loquendo ex vi præſentis decreti, non ſolum accepti formaliter & cauſativè, verum etiã accepti conſequenter & arguitivè. Ità D. Thomas *hic quæſt. 1. art. 3. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3.* D. Bonaventura *ead. diſt. art. 2. qu. 2.* Ægidius *in 2. diſt. 36. quæſt. 2. art. 2.* Henricus *in ſum. art. 19. quæſt. 2.* Arboreus *lib. 3. Theoſophiæ cap. 8.* Abulenſis *in cap. 4. Matth. quæſtion 44.* Cajetanus, Medina, Ferrarienſis, cæterique Thomiſtæ & ex Recentioribus Vaſquez *diſput. 10. cap. 4.* Valent. *diſp. 1. q. 1.* Lugus *diſput. 7 ſec. 1.* Amicus *diſp. 7. ſect. 1. & 2.* Vvadingus *diſputat. 3. dub. 2.* Arriaga *diſput. 14. ſec. 2.* Madernus *quæſt. 3. art. 1.* & alij magis communiter contrà Alenſem *3 par. q. 2. memb. ult.* Albertum *in 3. diſt 20. art. 4.* Catharinum *de eximia prædeſt. Chriſti lib. 1.* Rupertum *de gloria filij hominis lib. ult.* Galatinum *li. 7. de arcanis c. 2.* Scotum *in 3. diſt. 7. qu. 3. § ſed hic ſunt &: diſt. 19. q. un. §. in iſta quæſtion.* Mayron. *in 3. q. 4.*

54\. Non exiſtente originali Verbum nullatenus fuiſſet Incarnatum.

Faventi

Digitized by Google

Faventinum *diſt.7. diſp.* 20. Maſtrium *diſp.4. quæſt.1.art.3.* cæteroſque Scotiſtas, & ex Recentioribus Suarium *diſp.5.* Petrum Hortado *diſp.13.* ac nonnullos alios. Inter hos diviſos utrimq; Auctores problematici ſunt, & utramque ſententiam, tanquam probabilem ſuſtinent Gabriel *in 3. diſt. quæſt. unicâ art.3.* Major *diſt 7. quæſt. ult.* & ex Recentioribus Eſparza *lib.9.q.17.* imò etiam D. Bonaventura loco præcit. quamvis ſententiam à nobis aſſertam verè teneat, vocat tamen oppoſitam rationabilem & ſubtiliorem, & ipſemet D. Thomas loco præcit. *in 3.* ait probabiliter ſuſtineri poſſe, quod Chriſtus veniret non exiſtente peccato, & *ibid. ad ult.* auctoritates pro nobis militantes explicat de adventu in carnem paſſibilem ad redimendum, non de adventu in carnem ſimpliciter. Hoc Seraphici & Angelici de Adverſariorum opinione judicium libenter protuli, ne quis de eâ rigidius ſentiat, aut noſtræ tanquam certæ adhæreat nimis tenaciter.

Iudicium de opinione oppoſita.

55. Dixi *nullatenus & nullo modo* ad excludendam Incarnationem etiam in carne impaſſibili, quocumque ex modis *præced. num.7.* relatis explicetur decretum Incarnationis in carne impaſſibili futuræ. Dixi *ex vi præſentis decreti non ſolum accepti formaliter, & cauſativè, verum etiam*, &c. quia ut *num.13.* præmiſſum eſt, loqui abſque ullo reſpectu ad præſens decretum, eſt quæſtioni tribuere nimiam latitudinem, eamque inutilem & inſolubilem reddere; loqui verò ex vi præſentis decreti ſolum accepti formaliter & cauſativè, præſertim ſi præſens decretum accipiatur etiam adæquatè & ſecundum ſe totum, eſt nimiam adhibere reſtrictionem, & vix relinquere quæſtioni locum pro adverſarijs, utpotè qui communiter fatentur præſens decretum Incarnationis ſaltem ex ea parte, quâ attingit paſſibilitatem carnis, non habiturum vim ſuam originali non exiſtente, & per conſequens tunc futurum partialiter, non totaliter; aut aliquod, non omne decretum præſens. Aſſertum ſic explicatum

56. Probatur ex Sanctis Patribus, illis præcipuè, qui terminis magis formalibus, & expreſſis, noſtro favent intento, ut ſunt Auguſtinus *ſerm.8. de verbis Apoſtoli* dicens. *Si homo non perijſſet, filius hominis non veniſſet* Gregorius Magnus *in librum 1. Regum libro quarto, capite primo*, ubi ait, *Niſi Adam peccaret, Redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtram non oporteret.* Leo *ſerm. 3. de Pentecoſte* dicens *Si homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolicâ fraude deceptus à lege ſibi poſitâ per concupiſcentiam deviaſſet, Creator mundi creatura non fieret.* Irenæus *libro quinto, adverſus hæreſes capite decimo quarto* ubi de humana naturâ ſub nomine carnis ità loquitur. *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Quæ, & ſimilia teſtimonia, adeò formalia & abſoluta ſunt, ut parum conſentaneè patiantur limitari ad modum adventus in carne paſſibili, dum iſte modus nullâ aliundè ſufficienter neceſſitate ſuadetur, & quantum ad Sanctos Patres attinet efficaciter refellitur dilemmate, quod Vaſquez *præcitat. capite 4. numero 51.* ſic format, vel talis modus & limitatio carnis paſſibilis venit in mentem Sanctis Patribus, dum de hac re diſputarent, vel non: ſi venit in mentem, & adhuc abſolutè, univerſéque dixerunt Chriſtum non venturum, ſi originale peccatum non extitiſſet; utique Sanctis Patribus adverſatur quiſquis illorum verba limitat ad modum adventus in carne paſſibili; cur enim talem modum, quem in mente habebant, reſciviſſent? Si non venit in mentem, nec cogitarunt ipſi de Chriſto venturo in carne impaſſibili originali non exiſtente; ut quid Adverſarij conantur plus ſapere? & divinare in re graviſſima id, quod Sanctis Patribus de tali re diſputantibus ne quidem in mentem venit. His robur addunt auctoritates aliæ *præcedent. num.* 15. adductæ pro motivo Incarnationis collocando in originalis remedio, & multo magis quæ *ex num* 24. negativæ & alterius motivi excluſivæ habentur. Ex quibus omnibus, & ex fundamentis, quibus tradita hucuſque aſſertâ ſtabilivimus eruitur valida ratio inſinuata etiam à S. Doctore *hic præcitat. art.3.* & ad ſequentem formam reducitur.

57. Non exiſtente originali nullatenus exiſteret præſens decretum Incarnationis, nec aliud ei affine, quod ex decreto præſenti arguatur tunc extiturum; ergo non exiſtente originali Verbum nullatenus incarnatum fuiſſet, & nullo modo veniſſet Chriſtus, &c. idque loquendo ex vi præſentis decreti non ſolum accepti formaliter & cauſativè, verùm etiam, &c. conſequentia patet quia ſecus Incarnatio ſupponeretur futura, & Chriſtus venturus, ex vi decreti, quod non exiſteret; antecedens probatur, nullatenus exiſteret præſens decretum Incarnationis, nec aliud ei affine, quod, &c. quoties non exiſteret præſentis decreti motivum nec ſecundum ſe totum; nec ſecundum primariam præcipuamque ſui rationem, nec item ſecundum aliquid aliud ſibi æquivalens & affine; atqui non exiſtente originali non exiſteret motivum præſentis decreti Incarnationis, nec ſecundum ſe totum, nec ſecundum primariam, &c. ergo non exiſtente originali nullatenus exiſteret præſens decretum Incarnationis, nec aliud ei affine, &c.

Præcipuum aſſerti fundamentum ex præcedentibus erutum, & ad validam formam reductum.

58 Sola minor indiget probatione, probatur autem ſic, Non exiſtente originali non exiſteret originalis remedium, neque ab originali liberatio, ut per ſe patet; at nihil aliud præter hujuſmodi remedium & liberationem eſt motivum, aut totale aut primarium, præſentis decreti Incarnationis, nam ex unâ parte motivum talis decreti, utpotè verſantis circà aliquid ex ſola Dei voluntate proveniens ſuprà omne debitum creaturæ non poteſt nobis innoteſcere aliter, quàm per divinam revelationem, & Scripturas, Concilia, & Patres juxtà illud 1. Corinth.2. *Quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei, nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum*; ex aliâ parte Incarnatio, prout nobis innoteſcit ex Scripturâ, Conciliis, & Patribus non innoteſcit volita aut totaliter, aut primario, propter aliud

motivum, quàm propter liberationem ab originali, hoc quippè motivum ſemper aut ferè ſemper unicè aſſignant, & aliqui etiam Sancti Patres in terminis tradunt Incarnationem non futuram originali non exiſtente, ut conſtat ex auctoritatibus præallatis *n.15.24. & 56.* ergo non exiſtente originali non exiſteret motivum præſentis decreti Incarnationis, nec ſecundùm ſe totum, nec ſecundum
59. primariam præcipuámque ſui rationem: Nec item (quæ erat altera pars primæ minoris propoſitionis) exiſteret ſecundùm aliquid aliud ſibi æquivalens & affine, quia hoc maximè eſſet remedium actualium, quæ fuiſſent in ipſo ſtatu innocentiæ, & originali non exiſtente; & remedium actualium non eſſe pro re præſenti quid æquivalens & affine remedio originalis, nec ex Incarnationis decreto, quod de præſenti extitit in originalis remedium, argui extiturum aliud decretum in remedium actualium originali non exiſtente, ſtatuetur ex profeſſo *ſeq. num.68.* ergo à primo ad ultimum originali non exiſtente Verbum nullatenus fuiſſet incarnatum ex vi præſentis decreti, non ſolum accepti formaliter; verum etiam accepti conſequenter, & arguitivè.

Dices primò: Scriptura & Patres quamvis explicitè, & formaliter, non aſſignent aliud Incarnationis motivum præter originalis remedium, id tamen præſtant implicitè & arguitivè, quatenus tradunt Chriſtum fuiſſe à Deo volitum antè volitam noſtram ſalutem, ante permiſſum peccatum; imò ante omnem creaturam; pro quo recurrunt hic auctoritates inſinuatæ *præc.n.25.* & ſpecialem vim habent verba Irenæi *l.3.c.3 dicentis Cum præexiſteret ſalvans oportebat quod & ſalvaretur fieri, ut non vacuum ſit ſalvans*: Item Cyrilli *l.5. Theſauri cap.8.* ubi ait *Præfundatur ante nos Chriſtus, & in ipſo nos omnes ſuperædificamur, idque ante initium mundi in præſcientia Dei, ut cum ordine divino benedictio maledictionem anteceſſerit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio & ſervitutem diaboli adoptionis libertas, poſſit natura humana ſuperatis malis, quæ interim acciderunt, in priſtinam per gratiam Chriſti (qui fundavit eam in bonis) dignitatem recurrere.* Confirmatur ex eo, quod rationabiliter Scriptura, & Patres, loquentes de Incarnationis motivo non meminerunt excellentiæ Myſterij, ſed potius remedij peccati; quia licet excellentia Myſterij verè fuerit motivum, fuit tamen motivum intrinſecum neceſſario connexum cum volitione Myſterij, ideò ex naturâ rei ſupponebatur eſſe motivum; ſicut pariter ſupponebatur eſſe motivum gloria Dei, cujus tamen non major mentio facta eſt, quam excellentiæ Myſterij, remedium verò peccati præter quod fuit motivum extrinſecum, fuit etiam motivum proximum in executione, ejuſque cognitio utilior nobis & accommodatior; & Scripturæ mos eſt aſſignare rationes proximas & nobis accommodatiores, & utiliores potius, quam rationes primas, altiores, & notitiæ noſtræ minus utiles, minúſque accommodatas, ut monet Suarez *diſp.5. ſect.4. §. ex his*
ergo. Sed contrà: Pro auctoritatibus, quas Adverſarij hinc revocant *ex præc. n.25.* repetenda eſt ſolutio & explicatio ex ibid. poſitis 60.
n.27. Ad verba in præſenti relata ex Irenæo dico eſſe intelligenda de Verbo divino ſecundùm ſe, quatenus eſt potens ſalvare adeóque ſalvator & ſalvans in actu primo, & hac ratione veriſſimum eſt quod ſalvans præexiſtebat, antequàm factum eſſet, quod ſalvaretur. Ad verba Cyrilli Vaſquez *diſp.10.n.123.* ait ex contextu ſermonis colligi; quod comparent Chriſtum præfundatum in præſcientiâ ad nos exiſtentes in tempore; benedictionem pariter in præſcientia ad maledictionem in tempore ſeu in executione, quæ benedictionis ad maledictionem, Chriſti præfundati ad nos ſuperædificatos anteceſſio non officit præſenti intento, cui certè adverſari non poſ-

Occurritur auctoritatibus, præſertim Sanctorum Irenæi, & Cyrilli.

ſunt prædicti Patres Irenæus & Cyrillus, cum 61.
ex utroque ſuprà *num.16. & 56.* relata ſint clariora pro eodem intento verba. Ad confirmationem dico motivum neceſſario connexum cum volitione alicujus rei, & arguitivè ſupponendum etiamſi formaliter non exprimatur, eſſe illud ſolum quo non movente non poteſt eſſe volita res, ut ſe habet reſpectu Dei propria gloria, propter quam, ideſt propter ſe ipſum Deus ita omnia vult, ut non poſſit velle aliquid, & non velle illud propter ſe; non ita ſe habet reſpectu volitionis Incarnationis propria ipſius excellentia, alioqui nec de potentiâ abſolutâ fuiſſet à Deo volibilis Incarnatio independenter à propriæ excellentiæ motivo, quod Adverſarij ipſi non docent; eſt igitur Incarnationis excellentia neceſſariò connexa cum Incarnatione ipſa, non cum Incarnationis volitione; & reſpectu actus, quo eſt volita Incarnatio, eſt neceſſariò finis effectus, ſeu finis ſumptus pro motivo. Illud, quod additur ex Suarezio, continet præcisè congruentiam, quâ ſi aliundè conſtaret Incarnationis excellentiam fuiſſe de facto primarium Incarnationis motivum ſuaderetur potuiſſe ad Scripturam rationabiliter reticere; at illud ſufficienter aliundè non conſtat, ut evincunt ea, quæ ſuperius dicta ſunt præſertim à *n.23.ad 38.*

Dices ſecundò: Poſito præſenti decreto 62.
Incarnationis peractæ exiſtente originali eſſet inconveniens non dari aliud decretum Incarnationis peragendæ originali non exiſtente; ergo ex vi præſentis decreti arguitivè & conſequenter Verbum fuiſſet incarnandum non exiſtente originali; antecedens probatur primò, quia eſt inconveniens Deum concedere peccatori & negare innocenti beneficium ac donum omnium maximum, cujuſmodi eſt Incarnatio; ergo ex ſuppoſitione, quod Verbum eſſet incarnandum exiſtente originali & Adamo peccatore, inconveniens eſt, quod non eſſet incarnandum, & quod non daretur aliud Incarnationis decretum, originali non exiſtente & Adamo perſeverante in innocentia: Secundo, quia ſi non daretur aliud decretum Incarnationis peragendæ non exiſtente originali Chriſtus non poſſet gaudere de ſua Incarnatione peracta, niſi gaudendo de originali, nemo enim poteſt gaudere de

Argumenta pro Incarnatione originali non exiſtente futura ex vi præſentis decreti accepti arguitivè, & conſequenter.

de aliquo objecto, niſi gaudendo de eo, ſine quo tale objectum non extitiſſet; eſt autem inconveniens Chriſtum gaudere de peccato originali; ergo: Tertiò, quia non exiſtente originali permanſiſſet adhuc primaria & potiſſima ratio, ob quam de facto Incarnatio facta eſt; atqui permanente eadem ratione primaria, ſi non exiſtit idem decretum, infertur ſaltem extiturum aliud ei affine; ergo &c. probatur major remedium peccati importat excluſionem mali, & inductionem boni; illam tamquam minus principalem, iſtam tamquàm principaliorem potioremque rationem, cum in univerſum illa propter iſtam intendatur; atqui non exiſtente originali adhuc permanſiſſet in homine indigentia boni per Incarnationem inducendi, gratiæ ſcilicet, & donorum ſupernaturalium, ergo, Sed contra nego antecedens;

63. Quomodò non ſit inconveniens concedere peccatori bonum aliquod negandum innocenti.

Ad primam probationem dico quoad ea, quæ conferuntur ex aliquo debito eſſe fortè inconveniens negari aliquid innocenti & concedi peccatori, ſecus quoad ea, quæ dantur ex mera gratia & liberalitate, nec propterea peccator reportat quodammodò ex ſua culpa commodum; enimverò ipſius culpa eſt occaſio accepta, non data, majoris boni ex concedentis gratiâ & liberalitate profecti; præter quod in noſtrâ hypotheſi homo perſeverans innocens caruiſſet quidem extrinſeco Incarnationis beneficio, at habuiſſet uberiora dona interna gratiæ, gloriæ, & naturæ, quibus aliqualiter compenſaſſet carentiam illius extrinſeci beneficij.

64. Quomodò de Incarnatione, quæ ſine peccato non extitiſſet, poſſit Chriſtus gaudere non gaudendo de peccato.

Ad ſecundam nego ſequelam, cujus probatio, aut ſimpliciter falſa eſt, aut ſaltem multiplici limitatione indiget; alioqui non poſſet haberi gaudium de actu pœnitentiæ, de remedio peccati, de Chriſto ut redemptore, niſi gaudendo de peccato ipſo, cum ſine peccato nequeant iſta exiſtere: Qui igitur gaudet de uno debet etiam gaudere de eo ſine quo illud eſſe non poteſt, ſi utrumque ſit ex propriâ ratione bonum & objectum proportionatum gaudij; vel debet gaudere de eo, ſine quo illud eſſe non poteſt, tamquàm ſine causâ proximâ & neceſſario requiſitâ; ſecus de eo, ſine quo illud eſſe non poteſt, tamquam ſine conditione remotè ſe habente; imò tamquàm conditione acceptâ præcisè, non datâ, idest impediente potius, quàm inferente effectum, quâ ſolum ratione potuiſſet exiſtere, aut potius non extitiſſet de facto Incarnatio ſine originali peccato.

Ad tertiam nego majorem, & ad majoris probationem nego minorem, non exiſtente

65. originali peccato fuiſſet tranſmiſſa ab Adamo in Poſteros gratia originaliſque juſtitia; ideò non fuiſſet in naturâ humanâ innocente eadem, quæ in lapsâ gratiæ, & donorum ſupernaturalium, indigentia. Præter quod bonum per Incarnationem inducendam non eſt gratia quomodocumque, ſed gratia ut in actu exercito reparativa peccati, hujus autem boni certè non habuiſſet indigentiam, imò nec capacitatem natura innocens; ideò &c.

Urgebis: Saltem fuiſſet in naturâ innocente eadem indigentia gratiæ etiam reparativæ peccati, ſi non exiſtente originali futura fuiſſent actualia in omnibus Adæ Poſteris; ergo ſaltem in hac hypotheſi Verbum ex vi præſentis decreti arguitivè, & conſequenter accepti, incarnandum fuiſſet originali non exiſtente. Sed contrà: perſeverante ſtatu innocentiæ, & non exiſtente originali ſecundùm aliquos nulla futura fuiſſent actualia; ſecundùm alios fuiſſent aliqua actualia, in reprobis tantum, non in prædeſtinatis, ſecundùm omnes fuiſſent in paucioribus non in pluribus multò minus in omnibus, ut videre eſt apud Vaſquium *diſp.*13. *cap.*1. & Amicus *diſp.*7. *numer.*162. caſum ſeu hypotheſim actualium in omnibus Adæ poſteris originali non exiſtente futurorum ait eſſe moraliter impoſſibilem ob integritatem naturæ & perfectionem illius ſtatus: Certè eſt caſus novus & hypotheſis, quam originalis non exiſtentia impedit potius, quàm infert; ideò illud, quod ex tali hypotheſi ſequitur, non ſequitur ex non exiſtentiâ originalis, & bene ſtat, quod originali non exiſtente Verbum non fuiſſet incarnandum, etiamſi deinde incarnandum fuiſſet additâ novâ hypotheſi actualium in omnibus naturæ humanæ individuis futurorum, in quâ quidem novâ hypotheſi cum Valentia *diſp.*1.*quæſt.*1. *punct.*6. in fine, Amico *præc. num.*162. Lugo *diſp.* 7. *num.*63. Gabriele a S. Vincentio *diſp.*1.*num.*602 aliiſque magis communiter admitto verè incarnandum fuiſſe ex vi præſentis decreti arguitivè accepti; eſſet enim tunc motivum ſimillimum motivo decreti præſentis & par indigentia gratiæ peccati reparativæ, quatenus etiam tunc daretur culpa naturam totam inficiens, eamque in omnibus ſuis individuis ſpolians originali gratiâ, & avertens à ſupernaturali fine, & licèt proveniret id tunc à culpâ actionis, nunc verò a culpâ originis, hoc tamen videtur per accidens ſe habere, aut ſaltem non variare notabiliter motivum, dum utrobique idem eſſet effectus, eademque mali latitudo.

66.

Non exiſtente originali, ſi omnes Adæ Poſteri peccaſſent actualiter, Verbū fuiſſet incarnatum.

Si quæras hic obiter quid in re verâ ſentiendum ſit quoad actualia futura vel non futura, & in pluribus an in paucioribus; perſeverante innocentiæ ſtatu. Dico quæſiti ſolutionem ad locum hunc non pertinere: Supponi tamen poteſt futura fuiſſe aliqua actualia eaque in paucioribus; ſuadetur utrumque tum communiori Scholaſticorum auctoritate, tum paritate Angelorum, ex quibus omnibus in gratiâ, & innocentiâ, conſtitutis peccarunt actualiter aliqui, pauciores tamen: Deindè confirmatur ſpecialiter primum, quia ſicuti Adam in ſtatu innocentiæ conſtitutus peccavit violando præceptū, cui erat alligatū pactum juſtitiæ aut culpæ in Poſteros transfundendæ, ita tali præcepto non violato aliquis Poſterorum, & fortè ipſemet Adam aliquod aliud præceptum veriſimiliter violaſſet: Confirmatur etiam ſpecialiter ſecundum ex integritate naturæ, ex copiâ auxiliorum, donorumque ſupernaturalium, ex minori proclivitate ad malum, ex paucioribus tentationibus, majorique facilitate eas vincendi, &

67. In re tamen peccaſſent actualiter pauciores tantum, non omnes.

alijs hujuſmodi conditionibus, quibus innocentiæ ſtatus perfectione ſuâ ſtatum naturæ lapſæ ſuperaſſet.

68. *Ideŭ de facto Verbum propter actualia ſine originali extitura nullatenus fuiſſet incarnatum.*

Hinc conſequens eſt nullâ aliâ facta nova ſuppoſitione Verbum propter actualia veriſimiliter &c arguitivè futura non exiſtente originali non fuiſſe (ex vi alterius decreti ad decretum præſens conſequentis incarnandum, quia nullatenus permanſiſſet motivum ejuſdem rationis cum motivo decreti præſentis, ideſt remedium afferendum toti naturæ à ſupernaturali fine deficienti: Præterea quadrat hic maximè congruentia, quæ deſumi ſolet ex Angelis, pro quibus in remedium peccati non eſt facta unio hypoſtatica; quia in ipſis pauciores fuerunt, qui peccarunt quàm qui perſtiterunt in gratiâ, nec tota angelica natura defecit; non fuiſſet igitur pariter facienda unio hypoſtatica pro hominibus, ex quibus in ſtatu innocentiæ perſeverantibus pauciores peccaſſent, nec tota natura humana defeciſſet; imò quia remedium afferre toti naturæ pereunti fuit omninò principalius motivum præſentis decreti Incarnationis, etiam ſupponendo majorem Poſterorum Adæ partem originali non exiſtente peccaturam & perituram naturam ferè totam, adhuc crediderim non haberi ex præſenti decreto ſufficiens argumentum alterius Incarnationis decreti pro ea hypotheſi extituri, & tradunt hoc quoque Amicus *diſput.*7. *numer.*164. Arriaga *diſput.*14. *num.*67. &c. contra Valentiam & Gabrielem à S. Vincentio locis præcitatis.

69. *Multo minus fuiſſet incarnatum propter actualia extitura in purâ naturâ, etiamſi infeciſſent naturam totâ.*

Si quæras inſuper, quid ſentiendum de Incarnatione ex vi præſentis decreti futurâ, ſi homines fuiſſent à Deo conditi in ſtatu puræ naturæ & prævisi ferè omnes, aut etiam omnes obſtringendi actualibus peccatis. Attingunt hoc quæſitum Lugus *diſp.*7. *num.*64. & Gabriel à S. Vincentio *diſp.*1. *num.*604. eique rectè occurrunt reſponſione negativâ; ex vi enim præſentis decreti non habetur ullum ſufficiens, imò nec apparens argumentum pro decreto altero de Incarnatione peragenda in purâ naturâ; motivum quippè præſentis decreti eſt afferre remedium naturæ deficienti à fine ſupernaturali, natura autem pura per nullum peccatum defeciſſet à fine ſupernaturali, quia non eſſet ad finem ſupernaturalem ordinata. Deinde ſicuti ab ordine ſupernaturali præſupponitur ordo naturalis, ita ab ordine hypoſtatico videtur præſupponi ordo ſupernaturalis; ergo in ſtatu puræ naturæ, in quo non datur ordo ſupernaturalis, nullum eſt fundamentum excogitandi Incarnationem, quâ conſtituitur ordo hypoſtaticus.

70. *Incarnatio in nullo ſtatu fuiſſet peragenda occaſione venialium præcisè.*

Abſtineo hic à ſpeciali mentione venialium quæ & ipſa actualia ſunt, & nobis de facto remittuntur ex gratia & merito Chriſti; certum tamen eſt, quod Chriſtus non veniret propter ipſa ſola, quocumque in ſtatu reperirentur & etiamſi per naturam totam vagarentur, ex iſtis enim, utpotè quæ non deordinant poſitivè nec removent naturam ab ultimo fine, nequit accipi motivum ſimile ei propter quod Incarnatio de facto peracta eſt. Accedit quod pro venialibus eſt aliundè minor, quàm pro lethalibus neceſſitas gratiæ unionis, cum *ex præced. cap.*3.§.6. homo juſtus poſſit pro venialibus condignè ſatisfacere dependenter à gratiâ habituali, nec indigeant venialia ad condignam ſui ſatisfactionem beneficio gratiæ unionis & valore operum Chriſti ut indigent lethalia.

Aſſert.2. Nullo exiſtente in Adæ Poſteris peccato actuali formaliter & in ſe exiſtente tamen originali adhuc Verbum incarnatum fuiſſet, idque ex vi præſentis decreti etiam ſumpti formaliter, quamvis non omninò adæquatè. Ita Suarez *diſp.*5. *ſec.*6. Vaſquez *diſputation.*13. *cap.*2. Amicus *diſputation.*7. *num.*551. Arriaga *diſp.*14. *num.*56. Gonetus *diſp.*5. *art.*1.§.1. Gabriel à S. Vincentio *diſp.*1. *dub.*20. Madernus *quæſt.*3. *art.*3. cæterique communiter contra Nazarium *quæſt.*1. *art.*4. Cabteram *eod. art.* alioſque nonnullos. 71.

Dixi *nullo exiſtente in Adæ Poſteris peccato actuali formaliter & in ſe:* Ubi ly *nullo exiſtente peccato actuali* ponitur non aſſertivè ſed permiſſivè & abſtrahendo à ſuppoſitionis poſſibilitate vel impoſſibilitate; in re autem licet abſolutè non repugnet Deum ſuppeditare tot, & tam efficacia auxilia, ut omnia prorſus actualia à nobis vitentur, hoc tamen non eſt ſecundùm leges præſentis providentiæ, ſecundùm quam Deus plura in pluribus peccata permittit, & cum auxilijs ordinarijs eſt moraliter impoſſibile omnia ab omnibus diu vitari, ut ſuppono ex tractatu de Gratiâ ly *formaliter & in ſe* ponitur ad contradiſtinctionem à peccato actuali, ut contento radicaliter in originali; quâ ratione eo ipſo quod originale exiſtit, aut exiſtere prævidetur, exiſtere aut prævideri actualia neceſſe eſt, nec poteſt excogitari originale, in quo non contineatur radicaliter, & ad quod non ſubſequantur connaturaliter actualia, niſi excogitetur originale diverſum ab eo, quod nunc exiſtit, & de quo nunc agitur.

72. *Exiſtente originali ſine actualibus adhuc Verbŭ fuiſſet incarnatum ex vi præſentis decreti, etiă formaliter accepti.*

Probatur: Nullo exiſtente in Adæ Poſteris peccato actuali formaliter, & in ſe; exiſtente tamen originali, remaneret motivum primarium & finis verè motivus præſentis decreti Incarnationis, ſolum verò deeſſet finis impulſivus & aliquid pertinens ad præſens decretum Incarnationis omninò adæquatè & diviſibiliter acceptum, pro ut extenditur ad plura ſigna & complectitur duplex quodammodò decretum partiale; unum ſubſequens permiſſionem prævisionémque originalis, non actualium, & ſtatuens Incarnationem futuram ſimpliciter in originalis remedium; alterum ſubſequens permiſſionem etiam, prævisionémque actualium in ſe ipſis formaliter & Incarnationem jam volitam in remedium originalis majori quadam inclinatione attingens, & extendens ad remedium actualium in ſe formaliter futurorum: Ecce quomodò præſens decretum Incarnationis exiſtente originali ſine actualibus perſiſteret in ſe formaliter, quamvis non omninò adæquatè, ideſt non ſecundùm illam ſui partem, ſecundùm quam propter finem impulſivum vult Incarnationem non primariò & ſimpliciter, ſed ſecundario & majori inclinatione; ergo à primo

mo ad ultimum nullo exiſtente in Adæ Poſteris peccato actuali formaliter & in ſe, exiſtente tamen originali, adhuc Verbum incarnatum fuiſſet, idque ex vi præſentis decreti &c. conſequentia patet conſideranti antecedens; iſtud verò continetur in doctrinâ præcedentis §. per totum & præcipuè *numero* 45.47.49.53.

Dices: exiſtente originali ſine ullo actuali in ſe formaliter non fuiſſent iidem Adæ Poſteri, qui nunc fuerunt, nec fuiſſet originale transfuſum in ea individua, in quæ nunc transfuſum eſt; ergo non fuiſſet idem formaliter & entitativè decretum Incarnationis volitæ propter remedium originalis in Adæ Poſteros transfundendi; ergo exiſtente originali ſine ullo actuali, ſi Verbum fuiſſet incarnatum, id fuiſſet ex vi præſentis decreti conſequenter & arguitivè, non formaliter & entitativè: antecedens probatur, ex Adæ Poſteris, qui nunc fuerunt, plures nati ſunt ex copulâ illicita, & habitâ cum peccato actuali; atqui nullo actuali exiſtente non fuiſſet talis copula, nec Poſteri ex ea nati; ergo non fuiſſent
73. ijdem Adæ Poſteri, qui nunc fuerunt. Sed contra; Quænam repugnantia in eo, quod idem numero individuum vel ex copulâ illicitâ, & dependenter à peccato, vel aliter & nullo peccato præcedente propagari poſſit? Nihilominus permiſſo libenter antecedens, nego conſequentiam; & dico: Deum pro eo ſigno, quo permiſit & prævidit in primis Parentibus originale peccatum, non prævidiſſe ejus transfuſionem faciendam in aliqua determinata individua, hæc potius, quàm illa; ſed in Poſteros indeterminatè, quicumque illi futuri eſſent ex vi alterius ſubſequentis decreti; ideò decretum Incarnationis acceptum non omninò adæquatè, & ut immediatum primæ originalis prævisioni optimè potuit eſſe idem entitativè, & formaliter, etiamſi non ijdem fuiſſent Adæ Poſteri, qui nunc fuerunt. Neq; illa indeterminatio in divino decreto videri debet Deo inconveniens; ceſſat enim omnis inconvenientiæ ſuſpicio ex eo, quod ſit determinatio pro ſigno rationis nõ pro ſigno reali; item ex eo quod ſermo ſit de decreto non omninò adæquatè accepto, & nondùm prorſus ultimato, ſed inferente quodammodo in ſua linea decretum aliud, ex quo indeterminatio illa auferenda ſit.

Exiſtente originali ſine actualibus non fuiſſent ijdem, qui nunc Adæ Poſteri.

74. Dices aliter: ſi non exiſterent actualia exiſtente originali, quod eſt idem ac dicere, ſi omnes Adæ Poſteri in naturâ lapsâ haberent ſemper efficax gratiæ auxilium ad omnia actualia vitanda, gratia hæc, quâ actualia omnia vitarentur, vel eſſet gratia Christi, vel eſſet gratia Dei: Si eſſet gratia Chriſti, ergo dicere, Chriſtus veniret non exiſtentibus actualibus, eſt dicere, Chriſtus veniret ſi per gratiam Chriſti non exiſterent actualia, quod identicum & ridiculum eſt: Si eſſet gratia Dei, ergo non eſſet tunc idem, quod nunc decretum Incarnationis; nam ex vi decreti Incarnationis, quod nunc eſt omnis gratia, quæ datur Poſteris Adæ eſt gratia Chriſti, tunc verò daretur iiſdem etiam aliqua gratia Dei: ergo nullo modo poteſt rectè ſuſtineri, quod actualibus non exiſtentibus Chriſtus veniret ex vi
præſentis decreti formaliter accepti. Sed con- 75.
tra: ſive uno, ſive altero modo, ſuppoſitio fiat, inſtantia nihil obtinet; ſi ſupponatur actualia omnia fore vitanda ex gratia Chriſti, non ſequitur aliquid ridiculum aut identicum, quia in tali hypotheſi nos non dicimus utcumque Chriſtus veniret, ſed veniret ex vi decreti ſubſequentis immediatè prævisionem originalis, & nondum attingentis futuritionem, aut non futuritionem actualium, ſeu dicimus Chriſtum eſſe de facto venturum ad liberandum nos ab originali, etiamſi poſtea eſſet nos præſervaturus, non liberaturus ab actualibus: Si ſupponatur actualia omnia fore vitanda ex gratia Dei, adhuc ſubſiſteret præſens decretum formaliter, quamvis, ut dictum eſt, non omninò adæquatè, quia quod de facto omnis gratia collata Poſteris Adæ ſit gratia Chriſti, non eſt ex vi decreti habiti immediatè poſt prævisionem originalis, ſed ex vi alterius ſubſequentis prævisionem meritorum Chriſti, & pertinentis ad præſens decretum Incarnationis omnino adæquatè acceptum; at non ad ipſum ſumptum ſecundùm primariam præcipuámque, ut ita dicam, ſui portionem.

Ex dictis infertur Verbum de facto fuiſſe incarnatum propter remedium originalis, propter remedium actualium, propter excellentiam Myſterij, aliaque plura motiva ſecundaria; puta conſummationem perfectionis univerſi, prærogativam Capitis hominum prædeſtinatorum, Sponſi Eccleſiæ, Legiſlatoris, Inſtitutoris Sacramentorum &c. fuiſſe, inquam, propter hæc omnia incarnatum, ita tamen ut primum inter omnia locum teneat originalis remedium; & fuiſſet Verbum incarnandum ſolo originali non exiſtente, non incarnandum verò ſolo originali non exiſtente: & hæc illatio continet epilogum eorum omnium, quæ toto hoc capite diſcuſſa ſunt, ſummámque reſponſionum, quibus occurri poteſt varijs quæſtiunculis, aut ſupra attactis aut attingi ſolitis in hac materia.

Epilogus, & ſumma, totius Capitis

CAPUT VIII.

De Causâ Incarnationis efficiente phyſica.

1. CAUSA efficiens phyſica in principalem & inſtrumentalem dividitur: Quid utriuſque nomine veniat, ſuppono notum aliundè; impræſentiarum duntaxat aſſignandum in quonam utraque ſita ſit reſpectu Incarnationis, idque non ſolum ſecundùm cauſalitatem quâ de facto Incarnatio peracta eſt, verum etiam ſecundùm eam, quâ utcumque Incarnatio ſeu Unio hypoſtatica peragi poteſt. Ideo ſit

§. I.

§. I.

Quænam ſit & quænam eſſe poſſit cauſa Incarnationis efficiens phyſica principalis?

1. ASSERT. 1. Cauſa Incarnationis efficiens phyſica principalis eſt ſola & tota divina Trinitas; ſeu eſt Deus quatenus pro ſolâ & totâ Trinitate ſupponit: Eſt veritas fidei, quam cum Scholaſticis & ſanctis Patribus ſupponunt Catholici omnes.

Probatur. Nec ulli creaturæ concedenda, nec ulli divinæ Perſonæ neganda de facto eſt efficientia phyſica principalis in Incarnationis Myſterium; ergo cauſa Incarnationis efficiens phyſica principalis eſt &c. Conſequentia patet, quia quod nulli creaturæ conceditur, Trinitati ſoli, quod nulli divinæ Perſonæ negatur, Trinitati toti tribuendum eſt.

2. *Cauſa Incarnationis efficiens phyſica principalis eſt Trinitas ſola.*

Probatur antecedens quoad primam partem ex Habacuc 3. *Domine opus tuum*, ubi opus, quod ſpecialiter Deo tribuitur, à Sanctis Patribus communiter intelligitur eſſe opus Incarnationis, hocque inſuper eſſe ſolius Dei proprium definitur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I.] & ſub Innocentio III. necnon in Concilio Toletano VI.& XI. Confirmatur à fortiori rationibus quibus mox infra ſtatuetur efficientiam phyſicam principalem Incarnationis repugnare cuilibet creaturæ etiam de potentiâ abſolutâ.

Item Trinitas tota.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem ex eo quod in ſcripturâ? opus Incarnationis modo tribuitur Patri, modò filio, modò Spiritui Sancto. Tribuitur Patri ad Galat.4. *Miſit filium ſuum factum ex muliere.* Filio de quo dicitur ab Philip.2. *Formam ſervi accipiens.* Spiritui Sancto Matth.1. *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt:* Hinc in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap.1.* expreſsè dicitur *Vnigenitus Dei filius Ieſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Confirmatur ex regula generali & axiomate Theologico, quo opera ad extra dicuntur eſſe indiviſa à totâ Trinitate, ſeu hanc totam indiviſibiliter operari, quoties ad extra operatur; cum igitur certum ſit Incarnationem eſſe opus ad extra, conſequens eſt &c.

3. Dubitatur hic: Utrùm filius, ſeu Verbum, quamvis non efficiat phyſicè ſe ſolo Incarnationem unionemvè hypoſtaticam (in quocumque iſta conſiſtat, ſive in relatione, ſive in modo ſubſtantiali, ſive in complexo) ratione tamen ipſius unionis exerceat circa humanitatem aliquam efficientiam phyſicam ſibi propriam, non cæteris Perſonis communem, quâ vel ſpecialiter humanitati illabatur, ut refertur. ſenſiſſe Henricus *quodlib.13. quæſt 5.* vel humanitatem effectivè ſuſtentet ſupplendo in genere efficientis dependentiam ipſius à proprio ſuppoſito ut nonnullos Modernos docuiſſe meminit Gabriel à S. Vincentio *diſput.2. dub.12. num.212.* Reſpondeo ad dubium negativè cum Magiſtro *in 3. diſt.1.* cæteriſque Theologis communiter. Probatur ex eo, quia nulla eſt neceſſitas, plurima verò eſt difficultas, ſuſtinendi aliquam phyſicam efficientiam Verbi propriam. Nulla eſt neceſſitas, quia hæc neque habetur titulo illapſus, neque titulo ſuſtentationis: Non titulo illapſus, quia Verbum exiſtit quidem in humanitate ſpeciali modo Perſonis cæteris non communi, at vel modus iſte ſpecialiter exiſtendi non eſt dicendus illapſus, vel ad illapſum non eſt requirenda ſpecialis efficientia, quod ſpectat ad quæſtionem de nomine: Non item habetur neceſſitas titulo ſuſtentationis, quia hæc, ſi quæ ſpecialiter præſtatur à Verbo, præſtatur terminando ſubſtantialiter, non influendo phyſicè; in genere cauſæ quaſi formalis, non in genere efficientis. Plurima eſt ejuſdem efficientiæ ſuſtinendæ difficultas propter prælaudatum axioma toti Trinitati indiviſibiliter tribuens omnem actionem, omnemque efficientiam ad extra, cui axiomati *tract.1. lib.2. cap.2. num.35.* adeò favendum eſſe duximus, ut nec actionem intentionalem toti Trinitati non communem admittere voluerimus: In propoſito verò multo major eſt ratio; tum quia agitur de actione, ſeu efficientiâ phyſicâ, tum quia ipſummet Verbum videtur ſignanter inſinuaſſe oppoſitum dum *Ioan.5.* ait *Amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc & ſimiliter filius facit* & cap.14. *A me ipſo non loquor, ſed Pater in me manens ipſe facit opera*; utrobique autem ſermo eſt de operibus humanitatis Chriſti, in cujus opera ſi Verbum non habet ſe ſolo ullam ſpecialem efficientiam phyſicam, neque habebit in humanitatem ipſam. Confirmatur ex eo, 4.
quod ſubſiſtentia creata nullam exercet efficientiam in naturam, quam reddit ſubſiſtentem, imò nec in ejus operationes, & ad operandum ex parte naturæ prærequiritur ut conditio, non ut comprincipium: Subſiſtentia divina in relatione conſiſtit, quæ ex genere ſuo ſterilis eſt, & cum per nos *ex tract.2. lib.1. cap.3. §.6.* non ſit activa ad intra, neque debet poni activa ad extra; ergo ſubſiſtentiæ Verbi neque ut ſubſiſtentiam creatam ſupplet, neque ut in ſe divina eſt, rectè tribuitur efficientia ulla ſeu activitas phyſica; atqui Verbum non poteſt exercere in humanitatem efficientiam ſpecialem & ſibi propriam; niſi hanc exerceat ratione ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitatis, quam ſolam habet propriam & perſonis cæteris non communem? ergo. Confirmatur inſuper; Verbum unitur humanitati ſubſtantialiter, & conſtituendo unum per ſe; at ſi uniretur per efficientiam, & ſuppoſitum Verbi diceretur ſupplere ſuppoſitum humanitatis per hoc quod conferret peculiarem influxum phyſicum ad humanitatem ſine proprio ſuppoſito conſervandam, non uniretur ſubſtantialiter nec conſtitueret unum per ſe nam cauſa & cauſatum, in genere efficientis, non conſtituunt unum per ſe, nec uniuntur ſubſtantialiter; imò nec intrinſecè, etiamſi

Verbum non ſolum in unionem, ſed neque in humanitatem habet ſpecialem efficientiâ phyſicam.

etiamſi ſit efficientia ſuſtentativa, & potentiore concurſu conſervativa; ut patet in accidentibus Euchariſticis, quæ à Deo potentiore concurſu effectivo conſervantur ac ſuſtentantur, nec tamen Deo intrinſecè uniuntur; ergo Verbum non unitur humanitati per efficientiam, nec ullum ſpecialem concurſum effectivum phyſicum in eam exercet.

Aſſert. 2. Nec de potentiâ abſolutâ eſt dabilis creatura, quæ poſſit eſſe Incarnationis
5. causa efficiens phyſica principalis. Hoc aſſertum non habet eandem fidei certitudinem, quam aſſertum præcedens, eſt tamen communiſſime receptum, nec quemquam vidi contrariè opinantem.

Nec de potentia abſolutâ poteſt creatura eſſe Incarnationis cauſa efficiens phyſica principalis.

Probatur afferendo triplicem tepugnantiæ rationem: Prima ſit, quia non eſt dabilis creatura continens perſonalitatem divinam, cauſa autem Incarnationis efficiens phyſica principalis, quàmvis non producat, communicat divinam perſonalitatem, & vis principalis phyſica communicativa alicujus non eſt, niſi aut in eo ipſo quod ſe communicat aut in alio ipſum continente, nec poteſt res inferior habere vim communicandi principaliter phyſicè rem ſuperiorem, ut exemplificari poteſt in animâ rationali, quam nullum principium generativum homine inferius communicare poteſt, ejus unionem ad corpus producendo. Confirmatur hæc ratio ex eo, quod cauſa principalis phyſica uniens, & communicans unum extremum alteri, debet id præſtare ex naturali efficaciâ & determinatione propriæ virtutis, quod importat in re communicatâ ſubjectionem aliquam & ſubordinationem ad virtutem communicativam; repugnat autem quæcumque ſubjectio & ſubordinatio in re ſuperiore ad virtutem cauſæ inferioris, in divinâ Perſonâ ad virtutem creaturæ. Neque dicas: Perſona Verbi nequidem virtuti divinæ ſubijcitur & ſubordinatur; ergo vel ratiocinium non formatum non ſubſiſtit, vel nequidem Deus ipſe poſſet eſſe cauſa principalis phyſi-
6. ca communicativa perſonalitatis Verbi, & effectiva Incarnationis. Contrà enim: Virtus divina eſt virtus Verbi æquè ac Patris & Spiritus Sancti, & dum virtute divinâ Verbum communicatur non communicatur ex determinatione & efficaciâ extrinſecâ, ſed ex voluntate, poteſtate, & determinatione propriâ ac intrinſeca, ſubjectio autem & ſubordinatio dicitur duntaxat relatè ad extrinſecum, ideò requiri & reperiri poteſt in communicatione ab extrinſeco, non in communicatione ab intrinſeco faciendâ.

Secunda ratio tepugnantiæ ſit. Non eſt dabilis creatura, quæ ſit cauſa efficiens phyſica principalis gratiæ habitualis; ergo nec gratiæ unionis Incarnationis; conſequentia procedit à fortiori, antecedens ſupponitur ex proprio tractatu *lib. 3. cap. 2.* § 1. ex quo loco ſpecialiter recolendum non ſolum connaturaliter & præcisè ab intrinſeco, ſed nec obedientialiter & per virtutem elevatam poſſe eam principalem efficientiam creaturæ competere, idque huc transferendum ad efficientiam Incarnationis.

Idque loquendo de creatura etiam ſecundum virtutem elevatam.

7. Tertia ratio repugnantiæ ſit quia aliquid ampliùs eſt humanitatem uniri Verbo in unitate Perſonæ, quàm aut ſubſiſtentiam creatam uniri naturæ alienæ, aut naturam creatam ſeparari à ſubſiſtentia propria, imo ab ea emananda impediri; atqui non eſt dabilis creatura, quæ poſſit propriâ principalique virtute iſta præſtare, alioqui eſſet eodem modo dabilis creatura potens effectivè conſervare accidens extrà ſubjectum, & id genus alia præſtare, totumque naturæ ordinem efficientiâ ſua invertere; ergo neque eſt dabilis creatura, quæ ut cauſa efficiens phyſica principalis unire poſſit humanitatem Verbo in unitate Perſonæ. Mitto, quod talis creatura ſi daretur, utpotè quæ unionem ſubſtantialem ſupernaturalem produceret deberet eſſe in ſe ſupernaturalis ſubſtantia, hæc autem ex alibi dictis repugnat in creatis: Mitto hoc, inquam, quia repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis in creatis minus certa eſt & minus extrà controverſiam, quàm repugnantia creaturæ, cui conveniat efficientia principalis phyſica Incarnationis. 8.

Ex his habes debere ad potentiam abſolutam extendi quod in primo aſſerto dictum eſt ſolam & totam Trinitatem efficere principaliter phyſicè Incarnationem; enim verò effectus de potentiâ etiam abſolutâ repugnans creaturæ ſoli Deo, ſecundum quamcumque potentiam tribuendus eſt & ex aliâ parte nequit Deo tribui, quin toti Trinitati tribuatur, illud quod ei tribuitur ratione prædicatorum eſſentialium & toti Trinitati communium, cujuſmodi ſunt natura, intellectus, voluntas, omnipotentia, bonitas, & ſimilia; ratione quorum Deo convenit omnis efficientia phyſica ad extrà, propterea axioma Theologicum refundens opera ad extrà in totam indiviſim Trinitatem refertur ad opera quæcumque univerſaliſſimè, non præcisè ad opera potentiæ ordinariæ.

Opera ad extrà eſſe à tota Trinitate procedit etiam de potentia abſoluta.

---

§. II.

An dabilis ſit aut etiam de facto detur cauſa Incarnationis efficiens phyſica inſtrumentalis?

Assert. 1. Dabilis eſt cauſa Incarnationis efficiens phyſica inſtrumentalis; poteſt ſcilicet divinitus elevari creatura aliqua ad efficiendam inſtrumentaliter phyſicè Incarnationem, unionemve aliam hypoſtaticam. Ità Suarez *diſp.* 10. *ſec.* 1. Amicus *diſp.* 12. *nu.* 3. Madernus *quaſt.* 3. *art.* 4. Gonetus *diſp.* 7. *art.* 1. Cabrera *quaſt.* 2. *art.* 10. & multi alii præſertim Recentiores contrà Alvarez *diſput.* 2. Medinam *quaſt.* 31. *art.* 4. Cipullum *qua.* 2. *art.* 8. Joannem à S. Thomâ *diſp* 5. *art.* 3. Gabrielem à S. Vincent. *diſp.* 2. *dub.* 11. Vaſquium *diſp.* 25. *c.* 1. *n.* 7. Molinam 1. *p.* *q.* 45. *art.* 5. *diſp.* 2. *ad* 1. aliosq; non paucos præſertim ex ſcholâ Thomiſticâ. 9.

Non repugnat creaturam eſſe cauſam Incarnationis efficientem inſtrumentalem phyſicam.

Probatur primo argumento negativo, oſtendendo ſcilicet rationes repugnantiæ ab Adverſariis excogitatas aut falſo prorſus, aut infirmo niti ſuppoſito.

Prima deſumitur ex conditione genericâ inſtrumenti phyſice requirentis virtutem naturalem inchoatam & inclinationem aliquam ad effectum, adeo ut proptereà nequeat creatura quælibet ad quemlibet creatum effectum inſtrumentaliter elevari, non eſt autem dabilis creatura habens inchoatam virtutem, & aliquam ſuapte natura inclinationem ad efficiendam unionem hypoſtaticam; utitur hac ratione Vaſquez *precit. n.* 7. eandemque ſupponit

10. Improbatur prima ratio repugnantiæ.
Herincx *diſp.* 1 *n.* 40. Sed malè, quia virtus intrinſeca inchoata requiritur ſolum in inſtrumento connaturali, non in inſtrumento obedientiali; imò quidquid operatur obedientialiter ex virtute intrinſeca inchoata, operatur ut cauſa principalis, non ut cauſa inſtrumentalis; & actus vitales eſſentialiter requirentes in ſuo principio virtutem intrinſecam inchoatam nequeunt inſtrumentaliter produci; quæ omnia recolenda ſunt *ex tractat.* 1. *libr.* 2. *cap.* 3. §. 4 & *cap.* 8 §. 2. Item *tractat.* 3. *libr.* 3. *cap.* 5. §. 6. Nec non infrà *ex tractat. de Sacram.*

Secunda deſumitur à paritate creationis, ad quam nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum phyſicum, eo quod per ipſam communicetur effectui eſſe exiſtentiæ & attingatur terminus ſuo modo infinitus; transferatur ſcilicet res à non eſſe ſimpliciter ad eſſe, qui tranſitus ſicuti eſt inter extrema infinitè diſtantia, ità eſt ſuo modo infinitus, & non niſi ab infinitâ virtute attingibilis. At pariter per Incarnationem communicatur humanitati eſſe exiſtentiæ, cum humanitas fiat exiſtens exiſtentiâ Verbi; attingitur inſuper alio titulo terminus infinitus, ideſt Verbi divini ſubſiſtentia quæ humanitati unitur: ergo. Utuntur hac ratione Jo. à

11. Improbatur ſecunda.
S. Thomâ & Molina locis præcitatis. Sed malè; ſuppono enim ex phyſicis creaturam quamlibet eſſe elevabilem ut inſtrumentum phyſicum creationis imò & dabilem eſſe creaturam aliquam, cui competat creare in genere cauſæ principalis; nec diſtantia inter non eſſe ſimpliciter & eſſe, inter nihilum & ens, eſt infinita quoties non agitur de eſſe & ente infinito; Suppono item exiſtentiam ab eſſentia non diſtingui, nec poſſe rem ullam exiſtere exiſtentiâ alienâ, adeoque nec humanitatem exiſtentiâ Verbi: Quando verò ſic exiſteret, nec poſſet fieri ſic exiſtens efficientiâ inſtrumentali phyſicâ creaturæ, adhuc nihil referret, quia actio effectiva Incarnationis terminatur formaliter ad communicandam humanitati ſubſiſtentiam Verbi, non exiſtentiam; & licet hæc eſſet communicanda à ſolo Deo per hoc quod illa communicaretur inſtrumentaliter phyſicè à creaturâ, ſalvaretur

12. in iſta ratio inſtrumenti phyſici. Nihil item refert, quod addebatur de Infinitate divinæ ſubſiſtentiæ, nam & creatura poteſt attingere obedientialiter terminum infinitum, & divina ſubſiſtentia utpotè quæ finito modo humanitati communicatur, eſt infinita materialiter duntaxat & ſecundum ſe, non formaliter & ſecundum quod eſt terminus virtutis inſtrumentaliter efficientis Incarnationem, ut magis explicat Gonetus *præcitat. artic.* 1. *num.* 18.

Tertia deſumitur ex dictis *præcedent. nu.* 5. contrà efficientiam phyſicam principalem, eadem enim repugnantiæ ratio videtur transferri poſſe in propoſito ad impugnandam efficientiam phyſicam inſtrumentalem; eo quod cauſa etiam inſtrumentalis debet ſuo modo, ideſt inſtrumentaliter, continere ſuæque virtuti inſtrumentali ſubjicere id, quod phyſicè attingit quodque vel phyſicè producit vel phyſicè communicat: & hoc quidem peculiarem vim habet in noſtris principiis quibus volumus humanitatem & Verbum uniri ſe ipſis abſque ullâ diſtincta entitate intermedia, quæ poſſit in præſenti aſſignari pro termino proprio inſtrumentaliter attacto; & conſequenter tenemur fateri Verbum ipſum divinum ſeu ſuppoſitum ejus immediatè attingi à cauſa quæ inſtrumentaliter Incarnationem efficeret; repugnat autem Verbo attingi immediatè effectivè à cauſa creata, in inſtrumentali creaturæ virtute contineri, creaturæ inſtrumentaliter ſubjici: Utuntur hac ratione Medina, & Gabriel à S Vincentio, locis 53. Improbatur tertia.
præcitatis. Sed malè: proportio enim quæ prætenditur inter cauſam principalem, & inſtrumentalem, procedit ad ſummum de inſtrumento connaturali, non de inſtrumento obedientiali, hoc quippe operatur ſolum in virtute principalis agentis cui obedit, ideò ſatis eſt, quod in hujus virtute effectus, ſeu terminus contineatur; & virtus inſtrumentaria obedientialis eſt virtus ipſius principalis agentis, ut aſſumentis in ſuæ operationis conſortium rem inferiorem, & per hanc quodammodo ſe exercentis: Unde Verbum non ex naturali efficacia & determinatione inſtrumenti, ſed poteſtate propria & determinatione intrinſeca humanitati uniretur medio inſtrumento, quod Incarnationem obedientialiter efficeret. Quod urgebatur ex noſtris principiis non majorem habet difficultatem relatè ad efficientiam inſtrumentalem creaturæ, quàm relatè ad efficientiam principalem Dei, Verbo enim ſecundum ſe repugnat immediatè effici non ſolum inſtrumentaliter à creatura, ſed etiam principaliter à Deo: dicito igitur Verbum, ſicuti ſecundum eſſe complexum quamvis non ſecundum eſſe ſimplex, eſt immediatè attingibile, imo de facto attingitur ab efficientia principali Dei unionem hypoſtaticam producentis; ità abſque ullo inconvenienti ſecundum idem eſſe complexum attingeretur immediatè ab efficientia inſtrumentali creaturæ, quæ ad unionem hypoſtaticam producendam elevaretur.

Probatur aſſertum ſecundo argumento poſitivo deſumpto ex eo, quod activitas inſtru- 54. Oſtenditur argumento poſitivo non repugnantia inſtrumenti cauſantis Incarnationem phyſicè.
menti obedientialis attenditur penes virtutem cauſæ principalis; adeóque inſtrumentum obedientiale, quod ſubeſt Deo ut cauſæ principali, habet ſuo modo infinitam & illimitatam activitatem, qua extendi poteſt ad quodlibet niſi ſit ſpecialis repugnantia ex parte termini, ut eſt in actibus vitalibus; atqui opus Incarnationis non eſt actus vitalis, nec habet ex mox præmiſſis ullam aliam ſufficientē rationem repugnantiæ; ergo creatura ut inſtrumen-

tum

tum obedientiale Dei poteſt omnino efficientiâ & activitate ſuâ Incarnationem attingere. Confirmatur: Verba conſecratoria poſſunt efficientiâ phyſicâ inſtrumentali producere de novo, ſeu reproducere, & in multorum ſententiâ reproducunt de facto corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis; ergo poteſt divinitùs elevari creatura ad efficiendam inſtrumentaliter phyſicè Incarnationem unionemvè hypoſtaticam; antecedens ſupponitur ex materiâ de Sacramentis, in quâ nos ipſi ſuſtinebimus tum univerſim Sacramenta efficere inſtrumentaliter phyſicè, quod ſignificant; tum ſingillatim verba Conſecrationis reproducere

15. inſtrumentaliter phyſicè corpus Chriſti; & certè ſaltem quoad de poſſibili communior eſt ſententia, quæ id utrumque affirmat: Conſequentia probatur, Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ponitur unitum Verbo, adeóque ſi phyſicè reproducitur, phyſicè reproducitur ipſius unio ad Verbum, quod eſt idem ac dicere ſecundò fit Incarnatio ſeu unio hypoſtatica; ergo hæc habere poteſt cauſam inſtrumentalem phyſicam in ſui reproductione ſeu ſecundâ effectione, cur non igitur etiam in productione ſimpliciter, ſeu effectione primâ; ergo abſolutè poteſt elevari creatura ad efficiendam inſtrumentaliter phyſicè Incarnationem.

Dices: D. Thomas *in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3.* poſtquam *in c.* docuit virtute activâ verborum conſecrationis fieri tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti, reſpondendo *ad 3.* ait, in conceptione ſeu formatione corporis Chriſti ex Virgine prout includit unionem ad Verbum, nullam fuiſſe virtutem creatam activè cooperantem, & habet hæc verba *ſi in conceptione unio includatur, quæ ſimul cum ipſa facta eſt, major difficultas fuit in conceptione, quam in tranſubſtantiatione; quia illa unio eſt terminata ad eſſe divinæ Perſonæ, hæc autem tranſubſtantiatio ad corpus Chriſti*; ergo ex mente D. Thomæ ab efficientiâ inſtrumentali tranſubſtantiationis, ſeu converſionis ſubſtantiæ, panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non rectè arguitur ad efficientiam Incarnationis; & inſuper efficientia cauſans tranſubſtantiationem terminatur præcisè ad corpus Chriſti, non ad unionem ejus cum Verbo; quod utrumque directè deſtruit

16. *Occurritur auctoritati D. Thomæ.* doctrinam noſtræ præcedentis confirmationis. Sed contrà: Sanctus Doctor eo ipſo, quod ait *Major difficultas fuit in conceptione*, &c. implicitè inſinuat eſſe poſſibilem eam virtutem activam, quam magis difficilem aſtruit; incongruè enim dicitur magis difficile, quod exiſtimatur impoſſibile. Porrò virtutem activam conceptionis Corporis Chriſti, ut includentis unionem cum Verbo rectè appellat magis difficilem, quam virtutem activam tranſubſtantiationis; quia reſpectu illius reduplicatur, reſpectu iſtius non exprimitur unio cum Verbo; in Conceptione unio cum Verbo primo producitur, in tranſubſtantiatione reproducitur; in Myſterio autem Incarnationis minus, ſeu difficilius conſtat, de poſſibilitate primæ productionis, quàm de poſſibilitate reproductionis primâ productione ſuppoſitâ: Quomodo deindè in re efficientia verborum cauſans tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti terminetur ad unionem ejus cum Verbo, explicabitur ſuo loco *in tract. de Euchar.*

Aſſert. 2. Non datur de facto reſpectu Incarnationis ſimpliciter dictæ ulla cauſa efficiens phyſica inſtrumentalis; nec B. Virgo, dum Chriſtum concepit, attigit inſtrumentaliter phyſicè unionem hypoſtaticam humanitatis ad Verbum. Habemus in præſenti ſolum quoad B. Virginem Adverſarios Auctores neſcio quos ſolitos referri ſuppreſſo nomine: At iſtorum opinionem, licet piam & probabilem cenſeat Suarez *præcit. ſec. 1.* cæteri durius excipiunt; Gonetus *præcit. art. 1. num. 6.* ait eſſe pietatem non laudandam, Medina *præcit. art. 4.* vocat dogma non ſanum, Vaſquez *præcitat. cap. 1. num. 8.* profitetur ſe neſcire quo fundamento dicatur. 17. *Non datur de facto ulla cauſa efficiens inſtrumentalis phyſica Incarnationis ſimpliciter dictæ.*

Dixi *reſpectu Incarnationis ſimpliciter dictæ* ſumptæ ſcilicet quoad primum ſui eſſe propter ejuſdem Incarnationis unioniſve hypoſtaticæ in Euchariſtiâ reproductionem, de quâ *præced. n. 15.* Suarez addit quoque & probabilem putat aliam limitationis appoſitæ rationem, docet ſcilicet uniones hypoſtaticas partiales poſt naturam primò aſſumptam ſucceſſivè factas ad partes ſubſtantiales ſucceſſivâ nutritione additas corpori Chriſti; docet, inquam, hujuſmodi uniones probabiliter fuiſſe productas inſtrumentaliter phyſicè à Chriſti humanitate, non à ſolo Deo immedia-

rè. Verùm in hoc Suarez diſplicet, ſicut & illatio, quâ id deducit ex eo, quod humanitas Chriſti habuerit ſummam quandam participationem divinæ omnipotentiæ, nam data hac participatione in actu primo ſeu ſignato; quod eam exercuerit in actu ſecundo circà prædictas uniones partiales non eſt dicendum ſine neceſſitate & fundamento ſpeciali, propter regulam generalem non multiplicandi facilè & abſque neceſſitate miracula; nec neceſſitatem autem ullam eſſe, nec ſpeciale alicujus momenti fundamentum, oſtendam infrà *n. 23.* & deducam ex doctrinâ quâ aſſertum mox explicatum, 18.

Probatur: Nec creatura alia à B. Virgine, nec B. Virgo fuit de facto elevata ad phyſicam efficientiam Incarnationis ſimpliciter dictæ ergo non datur de facto reſpectu Incarnationis ſimpliciter dictæ ulla cauſa efficiens, &c. antecedentis prima pars manebit à fortiori probata ex probatione ſecundæ, & teſte Suario *præcitat. ſec. 1. §. Quo circa* temerarium ac erroneum foret alij à B. Virgine efficientiam illam tribuere: Probatur igitur antecedens quoad ſecundam partem; talis efficientia, quamvis poſſit ad majorem utcumque Virginis dignitatem pertinere, tamen utpotè res facti affirmanda in Virgine non eſt ſine poſitivo gravis auctoritatis aut ſufficientis rationis fundamento; atqui nec gravis auctoritas, nec ſufficiens ratio, illam in Virgine efficientiam poſitivè ſuadet, ergo affirmanda non eſt, nec B. Virgo fuit de facto elevata, &c. Major patet, quia in purâ quidem poſſibilitate fortè permittitur procedere negativè, *Certum id prorſus eſt de aliis creaturis à B. Virgine, verum tamen etiam de ipſâ B. Virgine.*

& pee non tepugnantiam; at in eebus facti poſitivè procedendum eſt, nec affirmandum de facto in Vitgine quidquid ad ejus dignitatem poteſt pettinere, alioqui liberum eſſet affirmaee, quod fuerit quoque elevata, ut inſtrumentum phyſicum creationis animæ Chriſti aliaque hujuſmodi, quæ tamen affirmarentut temere, nec meretentut commendationem ullam pietatis erga Deiparam enimverò ut ait D. Bernardus epiſt. ad Lugdunenſes, *Honor Reginæ judicium diligit, Virgo Regia falſo non eget honore.*

19. Minor quoad primam partē probatur ex eo, quia licet Iſichius *hom.* 2. *de* Deipara ipſam appellet *Inſtrumentum Incarnationis* Ambroſius *epiſt.* 82. dicat quod caro *per Virginem juncta eſt Deo*, & nonnulli alij Patres inſinuent aliquam Virginis efficientiam reſpectu conjunctionis humanitatis ad Verbum, nihilominus poſſunt commode intelligi de efficientiâ aut remot & diſpoſitivâ quâ præparavit materiam humanitatis Verbo uniendæ, aut mediatâ, quâ efficiendo unionem animæ ad corpus, mediante tali unione fecit humanitatem, ſeu animam & corpus conjunctim uniri Verbo, cui in priori naturæ fuerant unita eadem anima & corpus ſeorſim. Vox inſtrumenti ab Iſichio potuit latius uſurpari prout ſignificat quidquid ad productionem alterius quocumque modo requiritur, Neque hæc Patrum intelligentia voluntaria eſt, imò eſt valde neceſſaria, cum ad eam cogat communis Scholaſticorum conſenſus, & multiplex ratio mox ſubijcienda.

20. Minor eadem probatue quoad ſecundam partem: Sufficiens prædictæ efficientiæ ratio neque ſe tenet ex parte Virginis, quatenus conferat ad veram propriamque ejus maternitatem; neque ſe tenet ex parte Dei, quatenus ſpectet ad connaturaliorem modum divinæ operationis, neque apparet ex quo alio capite peti poſſit; ergo ex nullo capite habetur ſufficiens prædictæ efficientiæ ratio: Prima pars antecedentis probatue ex eo, quia cæteræ matres ſunt verè & propriè tales, vel miniſtrando præcisè materiam & ſe habendo purè paſſivè, juxta quem dicendi modum S. Doctor *quæſt.* 32. *art.* 4 *in c.* ait *In ipſa conceptione B. Virgo nihil activè operata eſt, ſed ſolam materiam miniſtravit*: vel ſi præbent concurſum activum, hunc præbent principaliter, non inſtrumentaliter; in ordine ad unionem animæ cum corpore, non in ordine ad unionem aut animæ, aut corporis, aut utriuſque, cum ſubſiſtentiâ; ergo ex parte Virginis nihil confert ad veram propriamque ejus maternitatem concurſus activus & efficientia phyſica inſtrumentalis in Incarnationem, quod eſt idem ac dicere in unionem humanitatis cum ſubſiſtentiâ; & confirmatur hoc ex eo, quia ad talem concurſum activum & efficientiam inſtrumentalem elevari poteſt creatura quælibet etiam irrationalis, & non vivens adeóque incapax Maternitatis Chriſti; ergo ſignum eſt talem inſtrumentalem efficientiam nihil Virgini ad maternitatem conferre imò potius obeſſe formaliter loquendo, quia maternitas fundatur in generatione vitali, per nos autem ut ſæpius attigimus actioni vitali ex genere ſuo repugnat eſſe ab inſtrumentali principio.

Efficientia inſtrumentalis phyſica Incarnationis nec confert Virgini ad maternitatem.

21. Secunda pars ejuſdem primi antecedentis probatur ex eo, quia ſi ad connaturaliorem modum divinæ operationis ſpectaret Incarnationem peragi media efficientiâ phyſicâ inſtrumenti creati, id maximè eſſet, quia Deus connaturalius operatur mediâ causâ ſecundâ, quàm immediatè ſe ſolo; at hoc verum eſt dumtaxat, ubi datur cauſa ſecunda, quæ poſſit eſſe concauſa principalis, aut inſtrumentum connaturale; non ubi cauſa ſecunda & inſtrumentum operari poteſt purè obedientialiter, alioqui ad creationem, ad ſui viſionem, & ad opus quodcumque deberet Deus uti creaturâ, tamquam inſtrumento; atqui efficientia phyſica Incarnationis nequit eſſe à B. Virgine, aliavè creaturâ, niſi tanquam ab inſtrumento purè obediētialiter operante, ergo talis efficientia non ſpectat ad connaturaliorem divinæ operationis modum, & confirmatue hoc ex eo, quia connaturalis modus divinæ operationis eſt, quod corpus & anima prius uniantur cum ſubſiſtentia ſive propriâ ſive Verbi, quam inter ſe ut ſuppono *ex præced. cap.* 5. *num.* 88. atqui Beatæ Virginis concurſus & maternitas connaturaliter loquendo incipit exerceri circa informationem corporis ab anima, & hujus utriuſque unionem inter ſe; ergo ſupponit corporis & animæ unionem cum Verbo; ergo non operaretur Deus connaturaliter utendo Beata Virgine, tamquam inſtrumento phyſico ad efficiendam corporis & animæ unionem cum Verbo: Neque ex eo, quod B. Virgo effectivè uniat Chriſti animam & corpus inter ſe, exercet efficientiam aliquam præcedentem unionem Verbi ad corpus & animam ut inter ſe unita: Contra enim eſt quia unio, quâ Verbum unitur corpori & animæ, unitis inter ſe non eſt ex parte ſui diverſa ab eâ, qua unitur corpori & animæ ſeorſim, nec datur ſpecialis unio hypoſtatica terminata ad unionem inter corpus & animam, ut ſuprà attigimus *c.* 5. *n.* 78.

Nec confert Deo ad connaturaliorem modum operandi.

22.

23. Ex his habes primò à fortiori nullam eſſe neceſſitatem, nullum fundamentum aſtruendi de facto in humanitate Chriſti efficientiam phyſicam in ordine ad partiales uniones hypoſtaticas, de quibus ſuprà *num.* 18. Enimverò ex unâ parte auctoritates Patrum nullæ, quas viderim afferuntur pro efficientiâ illarum unionum partialium ab humanitate, ſicuti tamen *ex præcedenti num.* 19. non deſunt aliquæ pro primâ efficientiâ Incarnationis à Virgine; ex alia parte ea ratione, quâ oſtenſum eſt primam Incarnationis efficientiam non conferre, aut in Virgine ad Maternitatem & vitalem generationem Chriſti, aut in Deo ad connaturaliorem modum operandi; oſtendi proportionaliter poteſt prædictarum partialium unionum efficientiam nec eſſe connaturaliorem modo operandi Dei; nec item humanitati quidquam conferre ad hoc, ut ſe augeat nutritione vitali per converſionem partium alimenti in ſubſtantiam propriam; hujuſmodi enim converſioni ſufficit

Efficientia phyſica inſtrumentalis neganda eſt de facto etiam in ordine ad uniones hypoſtaticas partiales.

Digitized by Google

ſufficit, quod humaoitas activè præpatet materiam alimenti, & efficiat ejus unionem cum cæteris partibus corporis animati, animáque ipsâ; nec debet talem materiam unire cum ſubſiſtentiâ Verbi, ſed potius prius naturâ unitam ſupponere, ſicuti totum corpus io primâ Incarnationis effectione eidem ſubſiſtentiæ Verbi unitur prius naturâ quam animæ.

24\. Habes ſecundo quod dictum eſt de poſſibilitate instrumenti obedientialis in ordine ad Incarnationem efficiendam extendi noo debere ad iuſtrumentum connaturale; imò de hoc affirmandum eſſe, quod ſimpliciter repugnet propter ſuprà dicta *num.* 13. & 21. quibus Amicus *diſp.* 12.*n.*8. aliam addit rationem deſumptam ex eo, quod connaturale alicujus formæ inſtrumentum plerumque eſt connaturalis ad eandem diſpoſitio; ad unionem autem hypoſtaticam non eſt dabilis ulla connaturalis diſpoſitio phyſica *ex cap. ſeq. n.*79. neque igitor ad eandem eſt dabile ullum connaturale inſtrumentum phyſicum.

Repugnat reſpectu Incarnationis inſtrumentum phyſicum connaturale.

25\. Habes tertiò B. Virginem genuiſſe Chriſtum (ſuppono pro nunc fœminam etiam id ipsâ conceptione, ſeu generatione fœtus, non in ſolâ præparatione materiæ activè ſe habere) efficiendo humanitatem, non efficiendo unionem humanitatis cum Verbo; ſufficit id tamen, & nihil amplius requiritur imo nec requiri poteſt, ut ſalvetur in Virgine reſpectu Chriſti ſeu Verbi incarnati, vera ratio tum generationis tum Maternitatis, quæ in generatione fundatur, generationemque conſequitur; nam & in naturali hominum procreatione fœmina verè generat, & ad Perſonam filij tanquam Mater refertur, per hoc, quod efficiat naturam ejus & humanitatem duntaxat non perſonalitatem nec perſonalitatis cum humanitate unionem. Undè craſſo errore deciperetur quiſquis exiſtimaret Dei ſeu Perſonæ divinæ Genitricem, ac Matrem, debere efficere aliquid immediatè circà ipſam Perſonam divinam, unionemvè ejus cum natura creatâ: deciperetor, inquam, & pro certo habendum eſt ſufficere omnino, quod totam ſuam immediatam operationem exerceat circà creatam naturam, iſtam generando in eo temporis inſtanti, in quo unitur divinæ perſonalitati, & fit ac eſt Deus.

Vndenam B. Virgo ſit propriè Mater Chriſti & Dei.

CAPVT IX.

De causâ Incarnationis efficiente morali, ſeu meritoria: Item de Cauſa diſpoſitivâ.

1\. CAusa diſpoſitiva ſe tenet ex parte cauſæ materialis potiùs, quam ex parte efficientis, nihilominus quia ex unâ parte non habet alibi opportuniorem tractationis locum, & ex aliâ reſpectu Incarnationis tantum moralis eſſe poteſt, non incongruè addita præfixo titulo, breviter expedienda poſt cauſam meritoriam, quæ primum tenet locum in genere cauſæ moralis, & eſt io tali genere propriè efficiens. Expendendum igitur in primis eſt, utrum detur aut dari poſſit cauſa meritoria ſeu meritum Incarnationis? idque conſiderando opera tum Chriſti & humanitatis ejus, tum cujuſlibet puræ creaturæ, maximè verò Sanctorum Patrum & juſtorum hominum, qui in lege vel naturæ vel ſcriptâ præceſſerunt adventum Chriſti, & in eum venturum crediderunt, tum ſingillatim Deiparæ Virginis: Conſiderando inſuper meritum tum condignum, tum congruum, & Incarnationem tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circumſtantias: Pro quibus omnibus *ex tract. de Gratia lib.* 4. cujus
major pars in meriti explicatione verſatur, 2.
tria potiſſimum ſupponenda occurrunt; Primò ſcilicet *ex cap.* 6. §. 3. ſuppono meritum condignum eſſe tale ab intrinſeco, non ex promiſſione aut ordinatione Dei extrinſecâ; Secundò *ex cap.* 8. §. 2. principium meriti neque de potentia abſolutâ cadere poſſe ſub meritum, cujus eſt principium; & meritum, ut cauſalitatem ſuam moralem exerceat, non requirere quidem exiſtentiam actualem, at nec contentum eſſe exiſtentiâ purè intentionali aut duntaxat conditionatè futurâ: Tertiò *ex cap.* 9. §. 1. diſcrimen meriti congrui à condigno.

Præter hæc tria, quæ mox ſuppoſui recolenda *ex tract. de gratiâ*. expedit duo adhuc
ſupponere recolenda aliundè: Alterum quidem 3.
ex præced. cap. 5. *num.* 28. 29. & 81. ubi traditum eſt tanquam certum, quod humanitas aut anima Chriſti potuerit exiſtere & ſubſiſtere in ſe ipsâ prius tempore, quàm à Verbo aſſumeretur, ità tamen ut certius ſit & ſaltem fidei proximum, quod id de facto noo evenerit; & humanitas aut anima antecedenter tempore ad aſſumptionem nec ſubſiſtentiam nec exiſtentiam habuerit, antecedenter verò naturâ habuerit quidem exiſtentiam, at non ſubſiſtentiam. Alterum recolendum eſt ex principiis Philoſophicis, quibus communi-
ter tradi ſoler naturam, antequam operetur, 4.
debere eſſe ſubſiſtentem, ut ſit completa ſubſtantialiter & in ordine ad ſe, quod habetur per ſubſiſtentiam, priuſquàm perficiatur accidentaliter & in ordine ad aliud, quemadmodum perficitur per operationem; quia tamen hoc ſpectat ſolùm ad connaturaliorem eſſendi ac operandi modum, & ex aliâ parte ſubſiſtentia ad operandum præequiritur ut pura conditio; & quando etiam prærequireretur ut comprincipium efficiens, non apparet, cur non poſſet ejus efficientia ſuppleri per potentiorem Dei concurſum; fit quod de potentiâ abſolutâ non repugnet humanitatem, aliamvè naturam creatam operari abſque eo, quod ſubſiſtat & antequàm ſubſiſtat: His ſuppoſitis, & quaſi fundamentis, innitentur plura ex mox dicendis, quæ proptereà citius expedientur & probabuntur facilius; Initio autem facto ab operibus meritorijs tum humanitatis, tum Chriſti, utpotè Incarnationi magis proximis, magiſque proportionatis, nomine operum humanitatis intelligimus ea, quæ proceſſerunt à naturâ humanâ, ſeu anima

Chriſti, ſecundùm ſe & nondum unita Verbo, ſi quæ hujus generis opera fuerunt aut eſſe potuerunt meritoria; nomine operum Chriſti intelligimus opera procedentia à naturâ humanâ jam Verbo unita, ſeu ab homine Deo, quæ quidem opera certum eſt fuiſſe plurima & plurimum meritoria; at incertum utrum fuerint aut eſſe potuerint meritoria Incarnationis? Sit igitur

---

§. I.

Vtrum in Humanitate Chriſti aliquod opus Incarnationem præcedens fuerit, aut eſſe potuerit Incarnationis meritorium.

5\. ASSERT. 1. De facto in Humanitate, & animâ Chriſti, non præceſſit aut tempore aut naturâ Incarnationem opus ullum, quod fuerit aliquo modo Incarnationis meritorium. Ita cum Magiſtro *in 3. diſt.* 18. & D. Thoma *hic quæſt.* 2. *art.* 11. Scholaſtici omnes, adeò ut teſte Vaſquio *hic diſp.* 21. *cap.* 1. *num.* 1. Nullus adhuc Catholicus Auctor oppoſitum dixerit & quidem quod nullum opus præceſſerit tempore eſt de fide aut ſaltem fidei proximum, ſicuti *ex præced. num.* 3. eſt ſaltem fidei proximum, quod nec humanitas ipſa Chriſti, nec anima Incarnationem tempore præceſſerit: Quod nullum præceſſerit natura eſt ferè in eodem certitudinis gradu, adeò ut oppoſitum Vaſquez cenſeat eſſe errorem, ad minus autem cenſendum ſit temerarium cum Amico *diſp.* 26. *n.* 107.

Probatur primò: Nullum de facto opus à Chriſti humanitate (eadem eſt ratio de Chriſti animâ) proceſſit, antequam humanitas exiſteret & ſubſiſteret; atqui opus, quod Incarnationem præceſſiſſet tempore, fuiſſet antequàm Chriſti humanitas exiſteret; quod præceſſiſſet naturâ fuiſſet, antequàm humanitas ſubſiſteret; ergo de facto in humanitate non præceſſit, aut tempore, aut naturâ, Incarnationem opus ullum: Minor ſupponitur *ex præced. n.* 3. ſi enim humanitas non fuit exiſtens prius tempore, nec ſubſiſtens prius naturâ, quàm fuerit facta Incarnatio, conſequens utique eſt opus præcedens tempore Incarnationem eſſe antequam exiſtat humanitas; & opus præcedens Incarnationem naturâ eſſe, antequàm humanitas ſubſiſtat;

6\. Humanitas Chriſti nullum habuit opus prius tempore, quàm fuerit unita Verbo.

Major quoad ly *exiſteret* probatione non indiget, nemini enim in mentem venit, quod cauſa phyſica operetur antequàm exiſtat, at quod actualis exiſtentia non ſit conditio ſaltem ſecundum legem ordinariam neceſſaria ad phyſicè agendum: Eadem major quoad ly *ſubſiſteret* infertur ex eo, quod *num.* 4. præmiſſum eſt ſecundùm potentiam ordinariam, & connaturalem rerum modum, naturam quamlibet ſubſtantialem debere ſubſiſtere, antequam operetur; & hoc maximè verùm eſt de opere libero ac meritorio; nam etiamſi ſubſiſtentia non eſſet conditio ex parte principij neceſſaria ad operandum, adhuc ex alio

Neque item prius naturâ,

capite deberet præcedere omnem operationem liberam, nimirum ex eo quod conveniat naturæ per neceſſariam emanationem; neceſſaria autem ex genere ſuo ſunt priora liberis; & quæ per ſimplicem emanationem ſunt priora ijs, quæ per phyſicam productionem; undè etiam in ſententiâ diſtinguente realiter potentias ab anima, prius iſta potentiam volitivam emanat, quàm actualem intellectionem eliciat; & tamen potentia volitiva ſeu voluntas non eſt ex parte principij neceſſaria ad actualem intellectionem.

Probatur ſecundò ſpecialiter quod opus, 7.
quod fuerit aliquo modo Incarnationis meritorium: Incarnatio ſeu unio hypoſtatica quoad ſubſtantiam accepta (ut accipitur in præſenti) fuit de facto ex pura gratia, miſericordia, & liberalitate, non ſolùm reſpectu noſtri ſeu eorum quæ extra Chriſtum ſunt, quâ ratione id eſſe fide certum oſtendetur *ſeq. num.* 48. verum etiam reſpectu Chriſti, & naturæ intra Chriſtum exiſtentis atqui non eſſet reſpectu Chriſti ex pura gratia, miſericordia, & liberalitate, ſi ſupponeret in Chriſti humanitate præcedere opus ullum aliquo modo meritorium ſui; ergo de facto in Chriſti humanitate non præceſſit Incarnationem opus ullum, quod fuerit aliquo modo meritorium Incarnationis; minor patet, quia meritum, qualecumque ſit liberalitatem & gratiam minuit, ejuſque puritatem impedit: Major probatur ex illo pſal. 8. *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus à Angelis* &c. additis verbis Apoſtoli Heb. 2. *Eum autem, qui modico, quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum:* Ubi in pſalmo agitur de exaltatione humanitatis à Verbo aſſumptæ, & per ly *Quid eſt homo quod* &c. indicatur talem exaltationem factam eſſe ſine ullo prævio merito hominis exaltati; idque confirmat Apoſtolus, dum exaltationem humanitatis ſuprà Angelos nulli Chriſti merito tribuit, aliam verò exaltationem gloriæ & honoris paſſionem ſubſequentis tribuit merito ipſius paſſionis: Verum clarius pro re præſenti loquitur Auguſtinus ſerm. 9. in Matth. 8.
Quantùm autem pertinet ad ipſius hominis ſuſceptionem? tota gratia ſingularis gratia, perfecta gratia: Quid meruit homo ille, qui Chriſtus eſt? ſi tollas gratiam & tantam gratiam. In Ench. c. 36. *Quidnam natura humana in homine Chriſto meruit, ut in unitatem Perſonæ unici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Qua bona voluntas? Cuius boni propoſiti ſtudium? Quæ bona opera præceſſerunt quibus mereretur iſte homo ut una fieret perſona cum Deo:* Hæc, aliaque valdè capreſſa, Auguſtini teſtimonia latius refert Vaſquez *præc. cap.* 1. item *cap.* 6.

Specialiter verò nullum habuit opus meritorium ipſius unionis ſeu Incarnationis.

Dices Auguſtini mentem eſſe excludere in humanitate reſpectu Incarnationis merita non quæcumque, ſed procedentia ea ſolo arbitrio & viribus naturæ, aut etiam præcedentia tempore Incarnationem: eadémque ratione illud pſalmi *Quid eſt homo* &c. intelligi debere de homine ſecundùm pura naturalia conſiderato; cæterum Chriſti humanitatem,

tem ex merito actuum ſupernaturalium accepiſſe unctionem divinitatis unionémque cum divinâ Perſonâ colligitur ex Pſalm. 33. *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* & ex Apocal. 5. *dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & honorem*,

9\. Sed contrà: licèt Auguſtinus præcipue intenderit excludere merita procedentia ex ſolo arbitrio aut præcedentia tempore, hac tamen occaſione uſus eſt verbis adeò abſolutis, & indefinitis, ut non poſſit non intelligi locutus de omni prorſus merito, etiam procedente ex gratiæ auxilio, & præcedente ſolum natura; quod quidem meritum peculiari obiter ratione impugnatur, nam de facto omnis alia gratia a gratiâ unionis, ſive habitualis, ſive actualis, collata humanitati Chriſti fuit intuitu gratiæ unionis & effectus ejus, nulla igitur talis gratia potuit unionem ipſam naturâ præcedere, & eſſe principium eam merendi.

Nulla gratia in Chriſto præceſſit naturâ gratiâ unionis.

10\. Auctoritates in contrarium adductas conformiter ad plurium Sanctorum Patrum mentem examinat latè Vaſquez *præc. diſp.* 21. *c.* 7. ex quo dico ad primam aut ly *unxit te Deus* non referri ad unctionem divinitatis, unionemvè hypoſtaticam, ſed vel ad declarationem filij Dei factam in Iordane, vel ad gloriam corporis in reſurrectione & aſcenſione, aliudvè ſimile præmium; aut ly *propterea* denotare cauſam non meritoriam, ſed finalem, adeò ut ſenſus ſit. Propterea unxit te Deus unctione ſeu unione ineffabili divinitatis, ut diligeres juſtitiam, & odio haberes iniquitatem. Ad ſecundam aut ly *dignus eſt agnus* ſignificat dignitatem convenientis capacitatis, non meriti, aut ly *accipere divinitatem* refertur ad divinitatis non unionem, ſed manifeſtationem; adeò ut ſenſus ſit quod Chriſtus occiſione & paſſione ſua meruerit manifeſtari ut Deus; coli ut Deus &c. Iuxta priorem interpretationem accipi quoque debet ly *digna* in verbis Baſilij *homil.* 25. ubi de Chriſti humanitate ait *Digna Vnigeniti divinitati coniungi fuit*.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

11\. Ex his habes Ansbertum *in cap.* 5. *Apoc.* malè ex mox adductis illius capitis verbis deduxiſſe in Chriſti humanitate meritum ſuæ unionis hypoſtaticæ, & turpiter Origenem *lib* 2. *Periarchon. cap.* 6. prælallatum Pſalmi teſtimonium adduxiſſe in confirmationem erroris, quo exiſtimavit animam Chriſti ab initio mundi creatam fuiſſe, deindè poſt aliquot annorum millia ex ſuæ erga Deum dilectionis merito hypoſtaticè aſſumptam: Hincque veritas dogmatica præaſſerta Ansberto & Origeni directè opponitur; aliqualiter verò, at non ita directè etiam Neſtorio & Photino, qui ut meminimus *præced. c.* 4. *n.* 2. eam qualemcumque unionem hominis cum Deo, quam in Chriſto admiſerunt, voluerunt Chriſtum purum hominem præceſſiſſe ac promeruiſſe, quia tamen non agnoverunt verum Incarnationis Myſterium, nec ſubſtantialem unionem humanitatis cum Verbo, non poſuerunt ullum humanitati tribuere meritum Incarnationis, ſeu unionis hypoſtaticæ propriè acceptæ, & ex hoc capite non eſt ſimpliciter Neſtorianæ hæreſis inſimulandus is, qui admiſſa unione hypoſtatica ſubſtantiali, talis unionis meritum humanitati tribuit.

Veritatis præaſſertæ Adverſarij.

12\. Aſſert. 2. De potentia abſoluta in humanitate & anima Chriſti potuiſſet tempore, aut etiam ſolum naturâ præcedere Incarnationem opus aliquod, quod eſſet Incarnationis aliquo modo meritorium. Quoad præcedentiam temporis aſſertum eſt communiſſimè receptum loquendo de humanitate & anima Chriſti, quæ pro tempore Incarnationem præcedente exiſteret ſuppoſito proprio terminata, & quod Maſtrius *diſp.* 3. *num.* 417. ait humanitatem non eſſe pro tunc dicendam humanitatem Chriſti, ſpectat ad quæſtionem de nomine, & poſſet dici Chriſti per denominationem à ſuppoſito quo eſſet terminanda, quamvis non per denominationem à ſuppoſito quo terminaretur actu. Quoad præcedentiam ſolius naturæ aſſertum tradunt Cajetanus *hic quæſt.* 2. *art.* 11. §. *ad hoc dubium* Lugus *diſp.* 8. *ſect.* 2. *n.* 9. Amicus *diſp.* 26. *ſec.* 7. *num.* 110. Arriaga *diſp.* 17. *ſect.* 1. *num.* 2. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 5. *num* 9. Herincx *diſp* 1. *quæſt.* 8. *num* 82. & plures alij præſertim ex Recentioribus contra Ioannem à S. Thoma *diſp.* 5 *art.* 2. *n.* 16. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 2. *dub.* 12. §. 4. Gonetum *diſp* 7. *art.* 2. *num.* 23. Suarium *diſp.* 10. *ſec.* 3. §. *ex quibus tandem* Vaſquium *diſp.* 2. *cap.* 6. Maſtrium *in* 3. *diſputat.* 3. *quæſt.* 12. *art.* 1. &c.

13\. Dixi *aliquo modo meritorium*, quia utrum talis operis meritum foret dumtaxat congruum, an etiam poſſit eſſe condignum? pendet ab eo, quod in univerſum pura creatura actibus ſuis ſupernaturalibus congruè dumtaxat, aut etiam condignè poſſit unionem hypoſtaticam promereri, quod *ſeq.* §. 3. decidemus, & pro ſolo merito congruo ſtabimus pro nunc abſtrahimus & contenti ſumus probare in humanitate non repugnantiam operis ſupernaturalis antecedentis unionem hypoſtaticam, hoc deindè opus poſſe eſſe aliquo modo unionis hypoſtaticæ meritorium ſupponimus ex dicendis §. 3. dum talis meriti modum definiemus: Aſſertum ſic explicatum

14\. Probatur primò quoad præcedentiam temporis. Humanitas Chriſti (eadem eſt ratio de Chriſti anima) de potentiâ abſolutâ potuit tempore præcedere Incarnationem unionemvè hypoſtaticam, & pro hac priore temporis duratione vel ſubſiſtere in proprio ſuppoſito ſibi connaturali, vel manere ſeparata ab omni ſuppoſito; atqui utroque modo ſe habens potuit elicere opus aliquod ſupernaturale, quod per conſequens eſſe poſſet aliquo modo Incarnationis meritorium, ergo de potentia abſoluta potuit in humanitate Chriſti tempore præcedere Incarnationem opus aliquod, quod eſſet &c. Major ſupponitur ex eo quod *præced. cap.* 5. §. 1. & 2. traditum eſt, tum potuiſſe à Verbo aſſumi humanitatem antecedenter ſubſiſtentem in propriâ perſonâ, tum ſubſiſtentiam in creatis eſſe aliquod poſitivum diſtinctum realiter à naturâ, adeò ut natura quælibet creata poſſit divinitus conſervari ſeparata ab omni ſuppoſito, ſive

De potentiâ abſolutâ non repugnat in humanitate Chriſti opus aliquod præcedens Incarnationem tempore.

proprio,

proprio, ſive alieno. Minor quoad humanitatem, quæ ſubſiſteret in proprio ſuppoſito (ſive etiam, ut per nos poteſt, in ſuppoſito alieno creato) nullo titulo negabilis eſt, & ſolum faciendo, ut jam monui, quæſtionem de nomine dubitari poteſt, utrùm ei conveniret denominatio humanitatis Chriſti? at non utrùm poſſet operari? Quoad humanitatem, quæ maneret ſeparata ab omni ſuppoſito, infertur ex eo, quod *num.*4. præmiſſum eſt naturam debere eſſe ſubſiſtentem, ut operetur connaturaliter & ſecundùm potentiam ordinariam, non ut operetur utcumque, & ſecundùm potentiam abſolutam? habemus quidem in hoc puncto Adverſarios tum Thomiſtas, tum Scotiſtas, at nobis ſufficit noſtris inhærere principijs, & contra proprium fundamentum, tum Thomiſtarum, tum Scotiſtarum, proferemus aliquid infrà *n.*16. Neque ſuſpiceris Chriſti humanitatem in datâ hypotheſi elicere tantùm poſſe opera naturalia, at non ſupernaturalia: Contra enim, in datâ hypotheſi non repugnaret humanitati ſupernaturale alicujus gratiæ comprincipium, ubi autem dantur opera naturalia, dari poſſunt ſupernaturalia per hoc præcisè, quod poſſit ſupernaturale comprincipium advenire, quæ omnia conſtabunt à fortiori ex ſequenti probatione: Ideò aſſertum

15\. *Non item in eadem humanitate repugnat opus præcedens Incarnationē ſolū naturâ.*

Probatur ſecundò quoad præcedentiam ſolius naturæ: Humanitas Chriſti in illo priori naturæ, in quo de facto præceſſit unionem hypoſtaticam, potuit de potentiâ abſolutâ elicere aliquod opus ſupernaturale; ergo de potentiâ abſolutâ in humanitate Chriſti potuiſſet etiam ſolum naturâ præcedere Incarnationem opus aliquod, quod eſſet &c. conſequentia patet; antecedens probatur, Humanitas Chriſti in illo priori naturæ potuit habere omnia neceſſariò ſeu eſſentialiter requiſita, tum ad operandum ſimpliciter, tum ad operandum ſupernaturaliter; ergo in illo priori naturæ potuit elicere &c.

Probatur antecedens quoad primam partem, nimirum quoad operari ſimpliciter; Si in illo priori deeſt humanitati aliquid neceſſarium ad operandum ſimpliciter maximè ſubſiſtentia, aut propria, aut aliena; atqui hæc non eſt neceſſaria ad operandum ſimpliciter; & ſicuti quando deeſſet per aliquam temporis durationem, adhuc de potentiâ abſolutâ poſſet humanitas in tali duratione ſimpliciter operari, ita quando deeſt per inſtans naturæ, adhuc poteſt humanitas ſimpliciter operari in tali inſtanti: Deinde ſi ſubſiſtentia, aut propria, aut aliena, eſt neceſſaria ad operandum ſimpliciter vel eſt ex eo, quod ſubſiſtentia præcedat exiſtentiam, & neque propriâ neque alienâ exiſtentiâ exiſtat natura ſubſtantialis neque propriâ neque alienâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtens; hocque eſt fundamentum Thomiſticum: Vel eſt ex eo, quod ſubſiſtentia propria conſiſtat in negativo, & natura ſubſtantialis ſit in ſe ſubſiſtens per negationem ſubſiſtendi in alio, habeat ſubſiſtentiam propriam per negationem ſubſiſtentiæ alienæ, nec ullâ potentiâ poſſit carere ſubſiſtentiâ, tum propriâ, tum alienâ; hocque eſt fundamentum Scotiſticum; at utrumque fundamentum nititur falſo ſuppoſito; falſum enim eſt ſubſiſtentiam eſſe priorem exiſtentia, imò res è contra ſe habet; exiſtentia ſcilicet ſubſiſtentiam præcedit, & per ſubſiſtentiam completur; illa convenit naturæ per identitatem, iſta per realem emanationem; & quando (ut volunt Thomiſtæ) exiſtentia æque ac ſubſiſtentia diſtingueretur à natura realiter, cum etiam realiter diſtinguantur exiſtentia & ſubſiſtentia ab invicem, non apparet, cur non poſſet divinitus poni in natura exiſtentia ſine ſubſiſtentia, & antecedenter ad ſubſiſtentiam; falſum item eſt, quod Scotiſtæ ſupponunt propriam ſubſiſtentiam creatam in negativo conſiſtere, hocque ex profeſſo improbavimus *præc. c.*5. §. 1. Deinde non obſtante, quod ſubſiſtentia creata in negativo conſiſtat; nec poſſit natura ulla per aliquam temporis moram carere ſubſiſtentia, tum propria, tum aliena; nihilominus per ipſoſmet Scotiſtas humanitas in eo priori naturæ, in quo unionem hypoſtaticam præcedit, omni ſubſiſtentia caret, & in univerſum natura quælibet exiſtit priùs naturâ, quàm ſubſiſtat cur igitur in tali priori naturæ, in quo intelligitur ſine ſubſiſtentiâ exiſtens, intelligi divinitus non poterit ſine ſubſiſtentia operans? 16.

Dices hinc ad ſummum probari, quod poſſit humanitas in priori naturæ ad Incarnationem operari, at non quod opus ejus poſſit habere prioritatem naturæ ad eamdem Incarnationem; jam enim in humanitate duplex naturæ inſtans Incarnationem ſubſiſtentiamque præcederet, alterum quo humanitas eſſet prior ſuâ operatione, alterum quo operatio eſſet prior Incarnatione; ſicuti certè eſſe Incarnatione priorem neceſſe eſt operationem Incarnationis meritoriam, ut eſt illa, de quâ in

præſenti agitur. Sed contrà: in eodem inſtanti temporis dari poſſunt plura inſtantia naturæ, ſeu poteſt naturæ prioritas plura inſtantia includere abſque eo, quod ad temporis prioritatem perveniat; ut exemplificari poteſt in prioritate naturæ, quam habet Angelus ad propriam voluntatem, ad quam in eodem ſupponitur prioritas naturæ ad intellectum; moltoque magis in prioritate naturæ, quam ad propriæ voluntatis actum haberet Angelus aliquid volens in primo ſuæ creationis inſtanti, quo caſo eodem inſtanti temporis daretur in Angelo prioritas naturæ propriæ ſubſtantiæ ad intellectum, intellectus ad voluntatem, & actus intellectus ad actum voluntatis: Dum ergo dicitur humanitatem eſſe ſolùm naturâ priorem Incarnatione ſeu ſubſiſtentia, non ſequitur eſſe priorem unico naturæ inſtanti, ſed ſignificatur non eſſe priorem tempore, ſeu eſſe in eodem inſtanti temporis, cum quo benè ſtat poſſe eſſe priorem per plura inſtantia naturæ, ſeu per prioritatem naturæ pluribus inſtantibus conſummatam. 17.

Idem inſtans temporis continere poteſt plura inſtantia naturæ.

Probatur jam illud idem antecedens quoad ſecundam partem, nimirum quoad operari ſupernaturaliter; Si in illo priori deeſt humanitati aliquid neceſſarium ad operandum ſupernaturaliter, maximè gratia tum habitualis

tum

Digitized by Google

tum actualis; atqui præter quod gratia habitualis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad operandum ſupernaturaliter, præter hoc, inquam, tum ipſa, tum multo magis gratia actualis potuit in illo priori humanitati non deeſſe; in tantum enim de facto defuit, in quantum omnis alia gratia à gratiâ unionis collata eſt Chriſto dependenter à gratia unionis, adeóque poſterius naturâ ad ipſam; atqui de potentiâ abſolutâ non repugnabat conferri humanitati Chriſti gratiam aliquam, ſivè actualem, ſivè etiam habitualem, quæ à gratiâ unionis independeret, & eſſet pura gratia Dei; ergo.

Dices ex Vaſquio *diſput.* 21. *cap.* 6. *num.* 51. & 52. in illo priori naturæ independenter à gratiâ unionis nec habitualem, nec actualem gratiam, potuiſſe conferri humanitati Chriſti: Non habitualem, quia hæc eo ipſo, quod non conferretur intuitu gratiæ unionis, conferretur ex affectu adoptionis; adeóque tribueret filiationem adoptivam, & Chriſtus pro eodem inſtanti temporis fuiſſet ſimul filius Dei adoptivus, & filius naturalis; quod repugnat. Non actualem, quia omne opus procedens ab humanitate Chriſti eſt neceſſario infinitè dignum & infiniti valoris, ad opus autem infinitè dignum poteſt ſolum concurrere gratia actualis, quæ ab Incarnatione dependeat & detur intuitu gratiæ unionis. Sed contrà: in hac Vaſquij doctrinâ inconſequentiam, & multa alia vitia notat Arriaga *præcit. ſec.* 1. *num.* 5. Ad primam ejus partem dico breviter gratiam habitualem, ut conferat filiationem adoptivam requirere carentiam filiationis naturalis pro inſtanti temporis, nec ſufficere carentiam pro inſtanti naturæ, quæ præciſio dicenda eſt, non carentia; undè etiam in illo priori gratia habitualis daretur nec poſitivè ex affectu adoptionis nec poſitivè intuitu unionis, ſed medio modo & præcisè. Accedit quod filiatio adoptiva non minus, quàm naturalis, eſt proprietas Perſonæ; ideò non eſt quærenda in naturâ pro ſigno, pro quo nondum intelligitur perſonata. Ad ſecundam partem dico de facto omne opus procedens ab humanitate Chriſti eſſe infiniti valoris, quia omne opus eſt naturâ poſterius Incarnatione & gratiâ unionis; non ſic eſſet ſentiendum de opere, quod eſſet naturâ prius; hoc quippe non dignificaretur à gratiâ unionis, ſicuti per non non dignificatur à gratiâ habituali actus contritionis illam naturâ præcedens; ad tale igitur opus benè poſſet concurrere gratia actualis independens ab Incarnatione, & non data intuitu gratiæ unionis.

19. Gratia habitualis non conferret humanitati Chriſti filiationem adoptivam, etiamſi naturâ præcederet filiationem naturalem.

Dices aliter ex Scoto *in* 3. *diſt.* 5. *quæſt.* 1. §. *Quantum ad ſecundum*: Non poteſt in humanitate Incarnationem præcedere illud, quod non poſſet in eadem præcedere ſubſiſtentiam propriam; per Incarnationem enim humanitas fit ſubſiſtens ſubſiſtentiâ Verbi in eo prorſus ſigno, in quo fieret ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, niſi hæc per ſubſiſtentiam Verbi impediretur; atqui nec gratia, ſivè habitualis, ſivè actualis, nec operatio ulla poteſt etiam de potentia abſolutâ in humanitate præcedere ſubſiſtentiam propriam; ergo pariter, nec gratia; nec operatio ulla, poteſt in humanitate præcedere etiam de potentia abſolutâ Incarnationem; Minor probatur, quod convenit alicui ab extrinſeco & per accidens nec de potentia abſolutâ poteſt præcedere quod eidem convenit ab intrinſeco & per ſe; alioqui poſſet Deus variare eſſentialem rerum ordinem & facere, quod homo v.g. eſſet albus priuſquam riſibilis aut riſibilis prius quàm rationalis; atqui gratia & quælibet operatio convenit humanitati ab extrinſeco & per accidens; propria ſubſiſtentia eidem convenit ab intrinſeco & per ſe; ergo. Confirmatur: humanitas pro illo priori naturæ, pro quo ſubſiſtentiam propriam præcedit ſe habet præcisè ut *quo*; ſed quatenus ſe habet præcisè ut *quo* nequit eſſe aut ſubjectum gratiæ, aut principium alicujus operationis, nam actiones ſicut & paſſiones ſunt ſuppoſitorum; adeóque omne principium operans, ſicut & omne ſubjectum recipiens, debet eſſe ſuppoſitum, & ſe habere ut *quod*; ergo. Sed contrà tota hæc inſtantia, utpotè quæ probat univerſaliter naturam non poſſe operari, niſi prius ſubſiſtat, hæc revocat quæſtionem philoſophicam cui nos *præced. n.* 4. ſupponimus in philoſophia ſatisfactum, ne tamen videamur difficultatem omnino declinare, nego abſolutè minorem ad cujus probationem dico ly *ab intrinſeco & per ſe* poſſe importare tum identitatem, tum connaturalem duntaxat connexionem; ſeu poſſe ſumi vel metaphyſicè & eſſentialiter, vel phyſicè & connaturaliter; quod convenit ab intrinſeco & per accidens non poteſt quidem nec de potentia abſoluta præcedere quod convenit ab intrinſeco & per ſe identitatem, eſſentialiter, & metaphyſicè, ut convenit riſibilitas homini; benè tamen poteſt præcedere quod convenit ab intrinſeco & per ſe per connaturalem duntaxat connexionem, & phyſicè, ut convenit calor igni, & per nos ſubſiſtentia naturæ creatæ. Ad confirmationem dico minorem veram eſſe loquendo connaturaliter & de potentia ordinaria, non eſſentialiter & de potentiâ abſolutâ; nec magis quàm connaturaliter & de potentia ordinaria verificatur actiones eſſe ſuppoſitorum & ſimiliter paſſiones; alioqui ſi hoc univerſaliter & metaphyſicè procederet, quælibet forma accidentalis ſicut eſt incapax ſuppoſiti, ità eſſet incapax actionis. 20.

Quomodo quod convenit per accidens poſſit præcedere quod convenit per ſe.

Dices tandem: Meritum non poteſt præcedere præmium ſolum naturâ; ergo etiamſi in humanitate poſſet aliquod opus præcedere Incarnationem ſolum naturâ, tale tamen opus non poterit eſſe Incarnationis meritorium, & ad ipſam ſe habere, tanquam meritum ad præmium; antecedens probatur ex eo quod nos ipſi *in tractat. de Angelis libro tertio, capite tertio*, §. 3. docuimus repugnare ſimpliciter meritum beatitudinis naturâ tantum præcedens beatitudinem: ergo. Sed contrà: nego antecedens, neque enim cauſa moralis, ut eſt meritum reſpectu præmij, requirit majorem prioritatem, quàm requirat cauſa phyſica, hæc autem prioritate naturæ contenta eſt, ad probationem dico meritum beatitudinis non poſſe præcedere tantum naturâ beatitudinem, &

21. Cur meritum non poſſit præcedere beatitudinem tantum naturâ, benè verò Incarnationem?

Digitized by Google

eſſe cum ea ſimul tempore, quia meritum & beatitudo important conditiones incompoſſibiles, nec ſimul reperibiles in eodem inſtanti temporis; tales autem conditiones non important meritum & Incarnatio ideò &c. pro quo ſufficit recolere doctrinam poſitam *præcitat.* §. 3.

22\. Si quæras hic, quid ſentiendum de operibus Incarnationem concomitantibus, pro primo ſcilicet temporis inſtanti ſimul & concomitanter cum Incarnatione exiſtentibus? Reſponderem hujuſmodi opera poſſe eſſe aut priora naturâ reſpectu ejuſdem Incarnationis ut fuiſſent opera de quibus mox actum eſt; aut naturâ poſteriora, ut fuerunt actus à Chriſto eliciti in primo Conceptionis inſtanti: Sicque opera Incarnationem ordine temporis comitantia, alia ſunt præcedentia, alia ſubſequentia ordine naturæ: Quoad opera comitantia primi generis affirmandum eſt potuiſſe Incarnationem ſub ipſorum merito cadere juxta ſecundam partem ſuperioris aſſerti; quoad opera comitantia ſecundi generis negandum propter doctrinam ponendam §. *ſeq.* Quia verò in rigore opera primi generis ſunt opera humanitatis, non Chriſti, naturæ, non Perſonæ & è contra opera ſecundis generis ſunt Chriſti, non humanitatis; crediderim rectè dici opera humanitatis Incarnationem comitantia poſſe eſſe Incarnationis meritoria, non ſic opera Chriſti.

Quid de merito Incarnationis ex parte operũ ipſam comitantium?

---

§. II.

Utrum in Chriſto aliquod opus Incarnationem ſubſequens fuerit, aut eſſe potuerit Incarnationis meritorium?

23\. ASSERT. Nullum in Chriſto opus Incarnationem ſubſequens fuit, aut eſſe potuit meritorium Incarnationis unioniſvè hypoſtaticæ, quam ſubſequitur, quoad primum ejus eſſe. Ita Richard. *in* 3. *diſt. art.* 3. *qu.* 1. Marſilius *qu.* 5. *art.* 3. Goncius *hic diſp.* 7. *art.* 3. Ioannes à S Thoma *diſp.* 5. *art.* 2. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 2. *d.* 13. §. 5. Vaſquez *diſp.* 21. *c.* 5. & 6. Lugus *diſp.* 8 *ſec.* 1. Amicus *diſp.* 26. *ſec.* 6. Arriaga *diſp.* 17. *ſec.* 2. & 3. Maſtrius *diſp.* 3. *quaſt.* 12. *art.* 2. & in univerſum quicumque docent principium meriti non poſſe cadere ſub meritum contra Suarezium *diſput.* 10. *ſec.* 4. Ruizium *diſp.* 6. *de prædeſt. ſec.* 2. Coninchum *diſp.* 8. *de actib supernat. dub.* 7. & quoſdam alios.

Dixi *Incarnationis unioniſvè hypoſtaticæ, quam ſubſequitur*, quam ſcilicet habet pro principio, & à quâ dignificatur valorémque accipit; nam Utrum opus aliquod ſubſequens Incarnationem de facto in Chriſto peractam potuerit eſſe meritorium unionis, aut ejuſdem Verbi cum aliâ naturâ, aut alterius divinæ Perſonæ cum naturâ creatâ, ſive eadem ſive diverſa; res eſt ad locum hunc non pertinens & attingetur infra *lib.* 3. cùm De Chriſti merito in univerſum.

Dixi *quoad primum ejus eſſe*; ubi per ly *eſſe* intelligo Incarnationis ſubſtantiam, & abſtraho nunc ab ejus circumſtantijs, intelligo autem talem ſubſtantiam non in intentione tantùm, ſed ſimul in executione, in quâ maximè habemus cum Adverſarijs controverſiam. Per ly *primum eſſe* intelligo Incarnationis ſubſtantiam ſecundum quod fuit in primo inſtanti producta, ſeu poſita à parte rei, & abſtraho ab Incarnationis continuatione, à repetitione ejus in Euchariſtiæ Sacramento, à quodam ejuſdem quaſi reſtauratione facta in Chriſti reſurrectione, & alijs hujuſmodi de quibus infra. Interim aſſertum

Probatur primò quoad ly *fuit*, ſeu quoad de facto: Incarnatio fuit de facto primò peracta ex purâ gratiâ, & liberalitate, non ſolum reſpectu noſtri, verùm etiam reſpectu ipſius Chriſti, ut probatum eſt *præced. num.* 7. atqui nõ eſſet ex purâ gratiâ & liberalitate reſpectu Chriſti ſi daretur de facto in Chriſto aliquod opus, licet Incarnationem ſubſequens, quod Incarnationem promereretur quoad primum ejus eſſe; nam licet eſſe ex meritis gratiam ſubſequentibus, ſeu à gratia profectis, non deſtruat rationem gratiæ ſimpliciter, deſtruit tamen gratiæ primitatem ac puritatem, faciendo eam eſſe gratiam ſecundam, ſeu gratiam pro gratiâ, ut loquitur Auguſtinus; ergo ſi Incarnatio eſt de facto in Chriſto gratia pura & prima, neceſſe eſt, quod non ſit ex meritis, licet ipſam ſubſequentibus: Nec majori indiget probatione hæc prima aſſerti pars, tum quia eſt recepta communiſſimè, tum quia eam à fortiori evincit quidquid mox affertur pro ſecunda parte; à poſſibili enim ad de facto illatio negativa eſt omninò evidens; ideò aſſertum 24.

Nullũ Chriſti opus ſubſequens Incarnationem fuit de facto meritorium ipſius Incarnationis.

Probatur ſecundò quoad ly *eſſe potuit*, ſeu quoad de poſſibili, & quidem relatè ad potentiam abſolutam: Principium meriti nec de potentia abſolutâ poteſt cadere ſub meritum cujus eſt principium; atqui, ſi aliquod in Chriſto opus Incarnationem ſubſequens eſſe potuit meritorium Incarnationis quam ſubſequitur, quoad primum ejus eſſe, principium meriti potuit cadere ſub meritum cujus eſt principium; ergo nullum in Chriſto opus Incarnationem ſubſequens eſſe potuit, ne quidem de potentiâ abſolutâ, meritorium &c. Major ſupponitur ex profeſſo tradita *in tr. de Gratia l.* 4. *c.* 8. §. 2. Minor probatur quia opus Incarnationem ſubſequens in præſenti eſt: opus primo Incarnationis eſſe poſterius non tempore dumtaxat & duratione, ſed naturâ & cauſalitate in ratione meriti; Incarnatio igitur ſumpta quoad primum ſui eſſe eſt principium meriti operis cujuſcumque ipſam in Chriſto ſubſequentis, nec poteſt cadere ſub meritum alicujus talis operis, quod idem eſt ac dicere aliquod tale opus non potuit eſſe Incarnationis meritorium quoad primum ejus eſſe, quin principium meriti cadat ſub meritum, cujus eſt principium; ergo ſi aliquod in Chriſto opus Incarnationem ſubſequens eſſe potuit &c. 25.

Nec de potentiâ etiam abſolutâ eſſe potuit.

Dices primò principium meriti nec de potentia abſoluta poſſe cadere ſub meritum, cujus eſt principium in eo ordine, in quo eſt principium, benè tamen in ordine diverſo, & in 26.

Duplex Adverſariorum evaſio, ſeu limitatio ad

Digitized by Google

propoſitionem, illam univerſalem Principium meriti non poteſt cadere ſub meritum.

in propoſito Incarnationem, quæ eſt principium totius meriti Chriſti ordine executionis, non poſſe cadere ſub idem meritum conſideratum in executione, benè tamen ſub ipſum conſideratum in intentione; adeo ut Deus poſt decretum intentivum Chriſti, & meritorum ejus, potuerit ex hujuſmodi meritis in intentione prævisis moveri moraliter ad executionem Incarnationis. Vel aliter principium meriti nec de potentiâ abſolutâ poſſe cadere ſub meritum, quando hujuſmodi principium datur ſimpliciter & abſolutè, ſecus quando datur ſub conditione & ſpe meriti futuri, adeo ut tale meritum ad principium ſuum ſe habeat non tanquam meritum remunerandum, cui repugnat fieri retributionem præviam; benè verò tanquam recompenſativum ſolutionis anticipatæ, quod non repugnat, ſi igitur Incarnatio Chriſti fuiſſet volita, ut poterat, tanquam principium meriti in ſpe & recompenſativi, non repugnaret ipſam cadere ſub meritum, cujus principium eſſet. Sed contrà: In

27. voluntate divinâ efficaci non datur ordo intentionis diverſus & prior ordine executionis nec merita Chriſti, antequam ſint futura in executione, poſſunt à Deo prævideri in decreto intentivo efficaci, tanquam futura ordine intentionis; & quando poſſent ſic futura prævideri, ſub hac prævisione eſſent apta exercere motionem intentionalem, & cauſalitatem finalem; at non motionem moralem & cauſalitatem meritoriam. Quod additur de merito recompenſativo & in ſpe nimis diſtrahit nomen meriti, ipſum extendit ad ſignificandum aliquid quod meritum re verâ non eſt, quodque habet rationem cauſæ finalis, non meritoriæ, ut mox dicebamus de merito conſiderato præcisè in intentione, & magis explicabamus *præcit. §. a. de Gratia* ubi ex profeſſo tradidimus totam doctrinam mox inſinuatam.

Urgebis: de facto in prædeſtinatis gloria ordine intentionis eſt principiom meritorum; merita enim in tali ordine ſunt volita propter gloriam, & ex gloria gratis intenta Deus movetur ad volenda ſeu conferenda merita, ſub quibus deindè eadem gloria cadit ordine executionis, cum in executione detur ex meritis tanquam præmium & corona, ut nos ipſi ſuo loco docuimus; ergo verè quod eſt in intentione principium meriti poteſt in executione cadere ſub meritum, cujus eſt in intentione principium, adeóque doctrina mox tradita, nec ſubſiſtit, nec ſervat conſequentiam ad ea, quæ alibi diximus de gloria & ejus me-

28. ritis. Sed contrà: Gloria ordine intentionis eſt principium meritorum in genere cauſæ finalis, propter gloriam tanquàm propter finem merita ſunt volita; ex gloriâ gratis intentâ tanquam ex fine Deus movetur ad conferenda merita, nec aliam exercet gloria in merita cauſalitatem; ideò non eſt principium meritorum in ſenſu præſentis quæſtionis, in quâ agitur de principio efficiente, aut formaliter dignificante merita: Cur autem principium meritorum in genere cauſæ finalis potius, quàm principium eorumdem in genere cauſæ efficientis aut formalis poſſit cadere

Cur cauſa finalis, non aliqua alia, poſſit cadere ſub meritum cujus eſt cauſa?

ſub meritis quorum eſt principium, habetur ex propriâ ratione finis, qui cum cauſalitatem ſuam exerceat ſecundum exiſtentiam intentionalem, non ſecundum exiſtentiam phyſicam, optimè poteſt cauſare aliquid, à quo deinde ſecundum exiſtentiam phyſicam dependeat; at cætera omnia cauſarum genera cauſant ſecundum exiſtentiam phyſicam, ideò non poſſunt eſſe principium alicujus in phyſicam ipſorum exiſtentiam influxuri; hincque etiam de cæteris cauſis, non de cauſa finali, agitari ſolet controverſia de repugnantia mutuæ cauſalitatis in diverſo cauſarũ genere.

Dices ſecundò: Potuit Chriſtus mereri, imò de facto meruit Sanctis Patribus gratiam adoptionis per opera ſubſequentia talis gratiæ collationem, ergo potuit mereri ſibi gratiam unionis, ſeu Incarnationem, per opera ſubſequentia Incarnationis executionem; antecedens patet, quia ex unâ parte omnis gratia collata Poſteris Adæ fuit gratia Chriſti, & ex aliâ parte Sancti Patres præceſſerunt Chriſti adventum, conſequentia procedit à pari, & ex eo quod nos aliunde admittimus gratiam unionis, ſeu Incarnationem, poſſe cadere ſub aliquod meritum, & ſolum ei negamus poſſe cadere ſub meritum ſubſequens. Sed contrà: 19.
opera Chriſti ſubſecuta ſunt pure materialiter, & ſolo ordine temporis, gratiam collatam Sanctis Patribus, gratiam verò unionis & executionem Incarnationis ſunt ſubſecuta formaliter & ordine cauſalitatis; illam ſunt ſubſecuta, tanquam quid utcumque præcedens, iſtam tanquam principium meriti; illam ità ſubſecuta ſunt, ut tamen in præſcientiâ Dei prævisa fuerint tum in intentione tum in executione futura independenter ab ea & antecedenter ad volitionem ejus; iſtam ità ſubſecuta ſunt, ut ordine tum intentionis tum executionis prævisa fuerint futura dependenter ab ipsâ & poſt ipſius volitionem: Propter tot igitur diverſitatis rationes, ex quibus omnibus, imo & ſingulis, maximè conſtat reſpectu gratiæ Sanctorum Patrum in propoſito non ſequi, quod principium meriti cadat ſub meritum, ſicut ſequitur reſpectu gratiæ unionis; propter tot, inquam, diverſitatis rationes concedo inſtantiæ antecedens, nego conſequentiam.

Multiplex ratio diſcriminis in Chriſti operibus, ut gratiam adoptionis in SS. Patribus, & gratiam unionis in Chriſto ſubſecutis.

Urgebis; ergo ſaltem ſi aſſignetur, aut in Chriſto aliquod opus Incarnationem ſubſequens ſolùm materialiter & ordine temporis, aut aliundè aliquod opus quod Incarnationem ſubſequatur ordine cauſalitatis & tamen ſit Incarnationis aliquo modo meritorium, dicendum erit potuiſſe Chriſtum propriam Incarnationem promereri per opera ipſam ſubſequentia; atqui verè poteſt aſſignari utrumque prædictum opus; primum quidem, quia eſt dabile in Chriſto aliquod opus independens in ſuo valore ab Incarnatione, & procedens ab auxiliis actualibus collatis ex purâ liberalitate Dei, non conſequentibus ad gratiam unionis; ſecundum verò, quia de facto omnia opera meritoria Sanctorum Patrum ſubſecuta ſunt Incarnationem ordine cauſalitatis, omnia quippè proceſſerunt dependenter à gratiâ collatâ ex Chriſti meritis, & tamen per hujuſ-

modi opera Sancti Patres promeruerunt, aut promereri potuerunt Incarnationem; ergo ex utroque capite dicendum eſt potuiſſe Chriſtum propriam Incarnationem promereri per opera ſubſequentia. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ partem jure negabunt in Chriſto poſſibilitatem operis ab Incarnatione independentis Thomiſtæ & Scotiſtæ eſſentialiter 30. requirentes in naturâ ſubſiſtentiam ad operandum; data tamen juxtà noſtra contraria principia tali poſſibilitate dico opus illud fore opus humanitatis, non Chriſti; & quando utcumque opus Chriſti diceretur, nil inferretur contrà rem præſentem, in quâ præciſè ſermo eſt de operibus Incarnationem ſubſequentibus ordine cauſalitatis: Ad ſecundam inſtantiæ partem nonnulli Thomiſtæ, inter quos Gonetus *præcit. diſp. 7. n. 58.* docent Incarnationem fuiſſe principium purè effectivum meritorum in Antiquis Patribus, effectivum verò ſimul & formale meritorum Chriſti, ideò non rectè inferri quod Incarnatio ceciderit, aut cadere potuerit, ſub meritis ipſius Chriſti ex eo quod ceciderit, aut cadere potuerit ſub meritis Antiquorũ Patrum: Non diſplicet diſcrimen, at exiſtimo eſſe inſufficiẽs pro præſenti intento, & repugnantia cujuſlibet mutuæ cauſalitatis evincit principium, quamvis purè effectivum, nõ poſſe cadere ſub meritum, cujus eſt principium: Dico igitur Antiquos Patres per gratiam, quam de facto habuerunt dependenter à Chriſto, nec meruiſſe, nec potuiſſe ullo modo mereri ejus Incarnationem, & in tantum hanc promereri congruè potuiſſent de potentia abſolutâ, in quantum habuiſſent gratiam Dei, non Chriſti, ut ex profeſſo oſtendetur *ſeq.* §. 4. *n.* 44.

Dices tertio: Potuit Chriſtus primo decerni ac prævideri, futurus cum ſubſiſtentia aliqua vaga, ſeu indeterminatâ, & ex meritis prævifis futuris dependenter à Chriſto ſub hujuſmodi ſubſiſtentia vaga, ſeu indeterminata, conſtituto pôtuit Deus moveri ad determinatè tribuendam ſubſiſtentiam Verbi; ergo de potentia abſolutâ, qua dabilis eſt prædicta, aut alia ſimilis hypotheſis, potuit Chriſtus Incarnationem mereri per opera ſubſequentia. Sed
31. contrà: Hujus inſtantiæ hypotheſis deſtruit ſtatum noſtræ quæſtionis procedentis de meritis ſubſequentibus eam unionem, quæ de facto in Chriſto peracta eſt; non autem de facto peracta unio ulla in ſubſiſtentiâ indeterminata & vaga; ideo quando totum permitteretur nihil inferretur contrà rem præſentem. Cæterum aliundè tota inſtantia nutat, continet enim hypotheſim impoſſibilem & illationem inefficacem: hypotheſis eſt impoſſibilis, quia decretum, & præviſio Chriſti cum ſubſiſtentia indeterminatâ, ſeu vagâ, redolet imperfectionem repugnantem Deo, cujus actus licet poſſint pro aliquo ſigno abſtrahere à determinatione alicujus circumſtantiæ objectivæ, aut etiam alicujus objecti partialis, nequeunt tamen poſitivè intendere, ac quodammodo ſtabilire indeterminationem. Illatio eſt inefficax, quia merita, quæ prævidentur futura dependenter à ſubſiſtentia vagâ prævidentur futura ſolum conditionatè, ſub conditione ſcilicet, quod talis ſubſiſtentia vaga determinaretur ſeu in determinatam tranſiret; at merita ſolum conditionatè futura non poſſunt movere moraliter, nec cauſare ullo modo præmium, ut in præſenti attingit Amicus *diſp. 26. n. 102.* & nos ex profeſſo tradidimus *tract. 1. lib. 5. cap. 3. §. 4.*

Quid de hypotheſi Chriſti voliti, & prævifi cum ſubſiſtentia vaga?

Mitto alias Adverſariorum inſtantias, quia aut militant univerſaliter contrà repugnantiam principij meriti cadentis ſub meritum, aut confundunt Incarnationis circumſtantias cum Incarnationis ſubſtantia; utriſque autem quomodo ſatisfaciendum ſit, habetur partim ex dictis in tract. de Gratia, cum de merito in univerſum, partim ex dicendis in ſequentibus de cauſa morali & meritoria Incarnationis relatè ad ejus circumſtantias.

§. III.

An, & Quodnam Incarnationis meritum dari poſſit in purâ creatura?

ASSERT. I. In pura creatura nequidem de potentia abſoluta eſt dabile ullum meritum condignum Incarnationis. Supponitur communiter hoc aſſertum & jure quidem à Thomiſtis & Recentioribus; at Scotiſtæ & Nominales, quamvis ut plurimum controverſiam diſſimulent, cenſendi ſunt adverſari ex eo, quod meriti condignitatem deſumant ab acceptatione ſeu ordinatione Dei extrinſeca, adeo ut hac accedente opus alioqui inæquale præmio quoad valorem intrinſecum poſſit reddi ejus condignè meritorium, ut tetigimus *in tract. de Gratia lib. 4. cap. 6. §. 3.* ubi nos oppoſitum ſtabilivimus, & cohærenter ad ibi dicta ſtatuimus aſſertum præſens, in quo per puram creaturam intelligo creaturam non in puris naturalibus, ſed quæ non ſit ſubſtantialiter unita Deo, loquor ſcilicet de creatura pura puritate excludente gratiam unionis, etiamſi aliundè pura non ſit puritate excludente gratiam habitualem, aliaque dona ſupernaturalia accidentalia, eo prorſus modo, quo de purâ creatura loquebamur *præced. cap. 3. §. 4. & 5.* dum in ea examinaremus impotentiam ſatisfaciendi condignè Deo pro lethali.

32. Meritum condignum Incarnationis repugnat ſimpliciter in pura creatura.

Probatur. In pura creatura ne quidem de 33.
potentia abſoluta eſt dabile ullum opus valore ſuo morali adæquans Incarnationem; atqui meritum condignum eſt illud ſolum, quod valore ſuo morali adæquat præmium; ergo in pura creatura, &c. Minor ſupponitur ex propria notione meriti condigni ſuo loco traditâ: Major probatur primò à pari, imo à fortiori, ex eo quia nec de potentia abſolutâ eſt dabile in pura creatura opus ſuo valore morali compenſans offenſam lethalem, ſeu adæquans ſatisfactionem pro tali offenſa debitam, & tamen Incarnatio hujuſmodi compenſationem ſatisfactionemque excedit cum Chriſtus ſuperabundanter pro quolibet lethali ſatisfecerit: ſecundò à poſteriori ex eo, quia quodlibet opus puræ creaturæ adæquatur à gratia habituali & gloria; gratiæ enim habitualis augmentum & gloriæ corona eſt adæquatum & condignum præmium cujuſcumque meriti in

in purâ creaturâ reperibilis; cum igitur certum ſit Incarnationem eſſe bonum, & præmium valdè majus, quàm ſit gratia habitualis aut gloria; conſequens eſt quodlibet opus puræ creaturæ in valore morali ab Incarnatione valdè excedi, non Incarnationem adæquare:
34. Tertiò à priori, quia opus puræ creaturæ neque adæquat Incarnationem valore ſuo morali purè intrinſeco, neque eodem quaſi aucto per acceptationem ordinationémque Dei extrinſecam; Non primo modo, quia valor moralis intrinſecus attenditur vel penes perfectionem entitativam rei, vel penes formam aliquam moraliter dignificativam ejus; ex neutro autem capite opus ullum puræ creaturæ adæquat Incarnationem: Non ſecundo modo, quia ex *ex præcit.* §. 3. quia acceptatio & ordinatio extrinſeca non poteſt addere operi quidquam valoris moralis in ordine ad merendum, nec unquàm reddit meritum de non condigno condignum; ergo. Confirmatur aſſertum ex eo, quod maximè procedit de opere, quo pura creatura mereretur Incarnationem, unionemvè hypoſtaticam faciendam non in ſe ipsâ, ſed in alia natura à ſe diſtincta, quod eſſet mereri Incarnationem alteri, at per nos *ex præcit. lib.* 4. *cap.* 8. §. 6. nec de potentia abſoluta poteſt pura creatura mereri condignè aliquid alteri loquendo de merito condigno propriè ſtrictèque tali; ergo &c.

35. Non ſic repugnat meritum congruum.

Aſſert. 2. In purâ creaturâ eſt verè dabile aliquod meritum congruum Incarnationis; Eſt veritas recepta communiſſimè adeò ut Vaſquez *diſp.* 22. *cap.* 3. *num.* 28. teſtetur quod ad ea uſque tempora nullus contrarium docuerat, hoc tamen poſtea præſtiterunt pauci nonnulli Recentiores, quorum ſuppreſſo nomine meminerunt Lugus *diſp.* 8. *ſec.* 3. *n.* 24. & Arriaga *diſp.* 18. *ſec.* 1. *num.* 3. eorum etiam doctrinam *ſeq. num.* 36. afferendam commendans ut valdè probabilem.

Probatur: Sicut meritum condignum maximè attenditur penes æqualitatem valoris, ita meritum congruum penes proportionem cum præmio; atqui eſt dabile in pura creatura opus licet non habens æqualitatem valoris, habens tamen proportionem cum Incarnatione, exiſtens ſcilicet in eodem ordine cum Incarnatione, quantum eſſe poteſt accidens cum ſubſtantia, quatenus tale opus ſit ordinis divini accidentaliter, ſicut Incarnatio eſt ordinis divini ſubſtantialiter; ergo eſt dabile in pura creatura aliquod meritum congruum, licet non condignum Incarnationis: Minor patet intelligenti terminos, major ſupponitur *ex præc. l.* 4. *de Gratia c.* 9.

36. Dices: Minor eſt proportio inter opera ſupernaturalia puræ creaturæ & Incarnationem ſeu gratiam unionis, quam inter opera naturalia & gratiam adoptionis; atqui opera naturalia nullam habent proportionem cum gratiâ adoptionis, aut ſaltem non habent proportionem ſufficientem ad congruum ejus meritum; ergo à fortiori opera ſupernaturalia puræ creaturæ habent cum gratiâ unionis aut nullam aut non ſufficientem ad meritum congruum proportionem; Minor ſpectat ad dogma fidei contra Pelagium; major probatur, inter ea minor eſt proportio, inter quæ major eſt diſtantia, eſt autem major diſtantia inter opera ſupernaturalia & gratiam unionis, quam inter opera naturalia & gratiam adoptionis, quia duo priora infinitè diſtant, finitè verò duo poſteriora; ergo. Confirmatur hæc inſtantia & ſpecialem vim habet ex doctrinâ, quâ nos ipſi *præc. l.* 4. *c.* 6. §. 5. tradidimus actus naturales neque ex conſortio gratiæ, aut ex imperio virtutis ſupernaturalis, inducere poſſe ſpecialem & intrinſecam rationem meriti reſpectu gratiæ adoptionis, aut alterius ſupernaturalis præmij. Sed contra: 37.

37. Explicatur major proportio operũ ſupernaturalium ad gratiam unionis quàm naturalium ad gratiã adoptionis.

Communis & tuta ſolutio negat abſolutè majorem, ad cujus probationem diſtingui ſolet duplex diſtantia, altera in ratione Entis ſeu perfectionis entitativè, altera in ratione habitudinis ſeu perfectionis ut ita dicam relativæ; diſtantia primi generis conceditur eſſe major inter opera ſupernaturalia & gratiam unionis, quàm &c. ſecus diſtantia ſecundi generis; quæ tamen ſola officit proportioni, & infert proportionem minorem, ubi ipſa major eſt: Explicatur autem diſtantia ſecundi generis penes diverſitatem ordinis & relationis ad finem, ſicut è contra proportio penes ordinis unitatem, finiſque identitatem; & quia opera ſupernaturalia & gratia unionis ſunt in eodem ordine ſupernaturalitatis, & conducunt ad eumdem finem beatæ viſionis; opera verò naturalia & gratia adoptionis ſunt in diverſo ordine, & diverſum finem diverſamque beatitudinem reſpiciunt, conſequens eſt inter duo priora eſſe minorem diſtantiam ſecundi generis majorémque proportionem, quàm inter duo poſteriora.

Hanc doctrinam Lugus *præcit. ſec.* 3. *n.* 28. 38.
illuſtrat varijs comparationibus civilibus ac politicis, quibus tamen Arriaga *præc. ſec.* 1. *n.* 5. exiſtimat reddi plauſibilem at non ſolidum diſcurſum; & putat tum univerſim in taxatione ſeu diſtributione rerum ſub eodem aut ſub diverſo ordine ſupra modum divinari; tum ſingillatim gratiam unionis & gratiam adoptionis ſeu habitualem æquè facilè poni poſſe ſub ordine diverſo ac ſub eodem; imò ipſoſmet Auctores, qui modò utramque eodem in ordine collocant, utramque in diverſo collocare, quando ordinis diverſitas eſt eorum doctrinæ opportuna ut cum dicunt (& nos quoque *præcedenti cap.* 3. §. 5. diximus) opera procedentia à gratiâ unionis poſſe eſſe condignè ſatisfactoria pro lethali, non ſic procedentia à gratia habituali; quia illa ſunt in ſupremo ſatisfactionis genere ſeu ordine, non ſic iſta, & hac occaſione idem Arriaga *numer.* 6. eos ordines conſiderat tamquàm cereos naſos, qui formantur pro cujuſcumque libidine juxta faciem, cui debent applicari; deindè *ibid.* ſubijcit plures modos, quibus natura & gratia habitualis videntur eſſe ejuſdem ordinis, melius, quàm gratia habitualis & gratia unionis; Undè tandem *n.* 8. toti difficultati in inſtantia expoſitæ reſpondet dicendo auctoritate ſolùm, non ratione conſtare, quod opera ſupernaturalia puræ creaturæ poſſint congruè promereri gratiam unio-

nis, non ſic opera naturalia gratiam habitualem: fateor multum ab auctoritate præſidium accedere præſenti veritati, fateor item multum acuminis in Arriagæ ratiocinio contineri, nihilominus ex quo iſte Auctor ad auctoritatem recurrit, poſſet quoque auctoritate duci ad amplectendam aſſignatam à Lugo ordinum taxationem, quæ certè conformis eſt communiori Scholaſticorum ſenſui, & aliundè opportuna ad explicandam aliam majoris momenti veritatem de merito congruo gratiæ Unionis in operibus ſupernaturalibus, non gratiæ habitualis in operibus naturalibus. Ad id verò, quod quaſi ad hominem Arriaga ſubſumebat ex doctrinâ etiam à nobis ſupra tradita dico ibi aſtrui inter opera ſatisfactoria, quæ à gratia habituali, & ea quæ à gratia unionis, inæqualitatem potius, quàm diverſitatem ordinis, vel negari unitatem ordinis athomi, non ordinis ſubalterni; cum tamen ſecundùm præſentem rerum ſtatum, ideſt relatè ad finem ſupernaturalem, ad quem de facto omnis rationalis creatura elevata eſt, opera naturæ & gratiæ habitualis nequidem in uno ordine ſubalterno rectè collocentur; cum opera naturæ nullam prorſus conferant poſitivam utilitatem, adeòque nullum prorſus dicant ordinem ad finem ſupernaturalem.

40. Confirmatur tota doctrina hucuſque tradita tum à poſteriori, tum à priori: A poſteriori quidem ex eo, quia gratia unionis ſecum trahit gratiam habitualem per modum proprietatis & paſſionis, ſignum igitur eſt dari inter utramque gratiam ſpecialem proportionem & aliquam ordinis ſeu habitudinis unitatem: A priori verò, quia opera ordinis ſupernaturalis tendunt ad attingendum Deú, ut eſt in ſe, & habent cum Deo ut eſt in ſe, peculiarem proportionem, habent igitur etiam proportionem aliquam ad communicationem ſubſtantialem cum Deo, quod eſt idem ac dicere, ad communicationem divinæ ſubſiſtentiæ, ut eſt in ſe.

Dubitatur hic: Utrumque aſſertum mox traditum, procedens de puræ creaturæ merito reſpectu Incarnationis ſimpliciter & ſecundùm ſubſtantiam, extendendum ſit ad Incarnationis circumſtantias? Reſpondetur affirmativè, & quidem quoad poſſibilitatem meriti congrui traditam in ſecundo aſſerto nec aliquam video contrariè opinantem nec ulla occurrit peculiaris ratio dubitandi; cum enim circumſtantiæ Incarnationis ſint quid minus ipsâ Incarnationis ſubſtantia, ad quam ſe habent ut acceſſorium ad principale, non poſſunt circumſtantiæ excedere illam meriti congruitatem, quàm non excedit ſubſtantia: Quoad repugnantiam meriti condigni traditam in primo aſſerto reſponſio non eſt adeò indubitata, nec caret aut contrariè opinantibus, aut ratione dubitandi; nam pro opinione contrariâ poſſunt ex Suario *d.10.ſec.6.* afferri Gabriel *in 3. diſt.4.art.3.d.3.* Almainus *quæſt.1. dub.3.* Alenſis 3. *par. quæſt.8. memb.3. art.2.* & alij nonnulli arbitrati antiquos Patres de facto meruiſſe condignè Incarnationis circumſtantias, non ſubſtantiam, quam utrum condignè mereri potuerint? non ſatis exprimunt: Pro

41. Poſſibilitas meriti congrui, & repugnantia meriti condigni in purâ creaturâ reſpectu Incarnationis, extendenda eſt etiam ad circumſtantias.

ratione dubitandi expendi poteſt perfectio, æſtimabilitas, & valor, major utique in Incarnationis ſubſtantia, quàm in circumſtantijs; hinc enim videtur conjici, quod non excedatur à circumſtantijs omne illud meritum, quod exceditur à ſubſtantiâ, ſed poſſint illæ adæquari à valore alicujus operis, à quo iſta non adæquetur. Nihilominus oppoſita reſponſio probatur, ex eo quia, in moralibus præſertim acceſſorium induit quodammodò conditionem ſui principalis & Incarnationis circumſtantiæ, quamvis non formaliter & ex ſe, reductivè tamen & participativè ſunt ejuſdem perfectionis & æſtimabilitatis cum Incarnationis ſubſtantiâ, à quâ condignificantur, & trahuntur ut ita dicam ad ordinem hypoſtaticum, qui eſt reliquo ordine ſupernaturali ſuperior, tanquam ſummus talis ordinis gradus; ſi non tamquàm ordo ſimpliciter diverſus. Hincque manet ſatisfactum rationi dubitandi dicendo in Incarnationis ſubſtantiâ eſſe perfectionem & æſtimabilitatem majorem, quàm in circumſtantijs ſi iſtæ conſiderentur formaliter & ex ſe, ſecus ſi reductivè & participativè. Quidquid deindè de his ſit, ad impugnandum pro nunc condignum meritum circumſtantiarum Incarnationis ſufficeret univerſalis doctrina, quâ ut jam attigimus *præc. n.34.* repugnat cuilibet puræ creaturæ mereri aliquid alteri merito condigno proprio tali. 42.

Ex his habes nullum ſupereſſe locum inquirendi Utrum de facto in antiquis Patribus aut in B. Virgine, aut in alia purâ creaturâ fuerit meritum condignú Incarnationis vel circumſtantiarum ejus? quæſtio enim negativè ſoluta quoad de poſſibili, negativam neceſſariò habet ſolutionem quoad de facto; nec de impoſſibili quæritur, an actu ſit? Quæſtio igitur facti in præſenti ſolum verſari poteſt circa meritum congruum de quo ſit.

---

§. VI.

An fuerit de facto in Antiquis Patribus meritum congruum Incarnationis, aut quoad ſubſtantiam, aut quoad circumſtantias?

ASSERT. 1. Non fuit de facto in Antiquis Patribus ullum meritum congruum Incarnationis quoad ſubſtantiam. Ita Scotus *in 4. diſt.2. quæſt.1. ad 3.* Marſilius *in 3. q.5. art.1.* Vaſquez *hic diſp.22.c.4.* Amicus *diſp.26. ſec.8.* Lugus *diſp.8. ſec.4.* Arriaga *diſp.18. ſec.2.* Herincx *diſp.1.n.85.* Madernus *quæſt.3.art.8.* & alij Scotiſtæ ac Recentiores paſſim contra Suarium *diſp.10.ſec.6.§.Dico tertio* Valentiam *diſp.1.quæſt.2.punc.8. §. Porrò verò.* Ioannem à S. Thoma *diſp.5.art.1. n.10.* Gabrielem à S. Vincentio *diſp.2.d.14.* Gonetum *diſp.7. art.4. n.95.* & cum reliquos Thomiſtas communiter, cum pauciores ex Recentioribus. 43. Antiqui Patres non habuerunt de facto ullum meritú congruum ſubſtantiæ Incarnationis.

Probatur: Si fuiſſet de facto in Antiquis Patribus aliquod meritum cógruum Incarnationis quoad ſubſtantiam, principium meriti cecidiſſet de facto ſub meritum congruum,

cujus

cujus principium extitiſſet; atqui hoc non eſt dicendum; ergo neque dicendum eſt, quod fuerit de facto in antiquis Patribus &c. minor patet, quia principiũ meriti non poſſe ſub meritum, cujus eſt principium, cadere procedit univerſaliter reſpectu meriti cujuſcunque, etiam congrui, non reſpectu ſolius condigni: Major probatur, quia Incarnatio, & quidem ſumpta ſimpliciter ac quoad ſubſtantiam, fuit de facto principium cujuſcumque meriti, ſive condigni, ſive congrui, in antiquis Patribus, fuit enim principium omnis gratiæ ipſis collatæ, cum hæc omnis fuerit gratia Chriſti; meritum autem quodcumque, etſi dumtaxat congruum debuit eſſe opus ſupernaturale, adeoque profectum ex gratia ſaltem actuali; ergo:

Dices primò: Principium meriti nec de potentiâ abſolutâ ſub meritum, cujus eſt principium cadit; ergo noſtro argumento probaretur meritum, congruum ſubſtantiæ Incarnationis nec de potentiâ abſolutâ eſſe potuiſſe in antiquis Patribus; quod nimium eſt & in-

44\. conſequens ad ſupradicta de purâ creaturâ univerſim. Sed contra: Meritum Antiquorum Patrum conſiderari poteſt, vel ut ſubſtans præſenti decreto & ut dependens ab ea gratiâ, quâ nunc proceſſit; vel abſolutè & ut potens dependere à gratia diverſâ, à gratia ſcilicet, quæ eſſet Dei, non Chriſti; ſeu ex purâ Dei benignitate, non ex Chriſti meritis: Quoad meritum Antiquorum Patrum Primo dumtaxat, non ſecundo modo, conſideratum benè procedit inſtantia, ut verò ſit dabile ſimpliciter & abſolutè meritum congruum Incarnationis in purâ creaturâ, ſufficit quod ſit dabile ſecundo modo, quo quidẽ verè dabile fuit in ipſiſmet Antiquis Patribus, quibus conferri abſolutè potuit gratia, quæ aut tota, aut ex parte eſſet gratia Dei; licet gratia collata de facto & ex hypotheſi præſentis decreti fuerit tota gratia Chriſti.

Quomodò potuerint habere aliquod congruum Incarnationis meritum de potentiâ abſolutâ?

Dices ſecundò: Principium meriti intrinſecum & formale, cujuſmodi eſt gratia tum habitualis tum unionis reſpectu operationum, quas formaliter dignificat, non poteſt cadere ſub meritum, benè verò principium meriti purè extrinſecum, quâ ratione Incarnatio ſeu gratia unionis eſt principium meriti Antiquorum Patrum, cum ſit quid omninò extrinſe-

45\. cum eorum operibus nec ullam dignificationem formalem eis tribuens. Sed contrà: dum gratia Unionis, ſeu Incarnatio, dicitur principium purè extrinſecum meriti antiquorum Patrum, nomine principij purè extrinſeci vel cum Ioan. à S. Thoma *præcitat. articul.* 1. *numer.* 13. intelligis principium finale, vel cum Goneto *artic.* 4. *numer.* 111. intelligis principium efficiens: Si intelligis principium finale, non ſalvas ſufficienter Incarnationem eſſe principium meriti; ſermo enim eſt de principio morali & meritorio; principium autem finale non poteſt in ſuâ linea manens ingredi rationem principij moralis & meritorij; iſtud quippè cauſat in executione & quia eſt, illud in intentione & ut ſit: Deindè ſicuti gloria cujuſlibet prædeſtinati ex eo quod ſit, ut verè eſt, finis meritorum ejus, non dicitur ſimpliciter eorumdem meritorum principium, ità Incarnatio ſi eſſet præcisè finis meritorum in Antiquis Patribus non eſſet ſimpliciter dicenda talis meriti principium. Si intelligis principium efficiens, benè eſt, ut jam attigi *præc. n.* 30. at non ſalvas principium meriti poſſe cadere ſub meritum; quia non evitas mutuam cauſalitatem, imò incidis in mutuam cauſalitatem ejuſdem generis; facis ſcilicet Incarnationem eſſe principium efficiens morale gratiæ & meritorum in Antiquis Patribus, gratiam item & merita Antiquorum Patrum eſſe principium efficiens morale Incarnationis.

Neque dicas ex Goneto *num.* 111. meritum condignum eſſe quidem principium efficiens morale ejus, quod ſub ipſum cadit, & ideò Incarnationem verè eſſe principium efficiens morale gratiæ & meritorum in antiquis Patribus; at meritum congruum ſe habere diſpoſitivè & materialiter; & Antiquos Patres promerendo de congruo Incarnationem fuiſſe moralem ejus cauſam diſpoſitivam & materialem, non efficientem; ideò non ſequi mutuam cauſalitatem in eodem genere cauſæ efficientis. Contra enim meritum congruum 46. diſpoſitivè & materialiter ſe habere, non effectivè, eſt meritum congruum carere vera & propria ratione meriti, quod ex genere ſuo eſt principium morale efficiens; nec video ſufficientiam diſparitatis, quam Gonetus deſumit ex eo, quod meritum condignum, non congruum, inducat debitum juſtitiæ; quando enim in merito condigno debitum juſtitiæ (quamvis alioqui à nobis ſuo loco improbatum) permittatur, quid indè? quænam juſtitiæ major, quàm alterius virtutis, connexio cum cauſâ efficiente, ut ex juſtitiæ debito reperto in merito condigno, non in congruo; in illo, non in iſto inferatur effectiva cauſalitas. Accedit quod tribuere merito congruo rationem cauſæ diſpoſitivæ, & materialis, parum cohæret principijs Thomiſtarum, qui docere ſolent contritionem, ſeu ultimam diſpoſitionem moralem ad gratiam, non eſſe de congruo meritoriam gratiæ: & tandem ſi Goneto detur totum, quod intendit, evitabitur mutua cauſalitas in eodem non in diverſo genere cauſæ, nos autem hanc etiam repugnare cenſemus licet majoris doctrinæ gratiâ intulerimus, & Adverſarijs objecerimus, mutuam cauſalitatem etiam in eodem cauſæ genere.

Meritum congruum non benè ſalvatur in purâ cauſalitate diſpoſitivâ, & materiali.

47\. Dices tertiò: Meritum congruum ſubſtantiæ Incarnationis in Antiquis Patribus traditur expreſsè à D. Thoma, & colligitur non obſcurè ex Scripturâ ſacrâ; ergo omninò debet admitti, & excogitandus deindè eſt aliquis modus, quo mutua cauſalitas moralis, aut non ſequatur, aut non repugnet: Probatur antecedens quoad primam partem ex eo, quod S. Doctor *hic quæſt.* 2. *art.* 11. *in c.* ait *Ex congruo meruerunt Sancti Patres Incarnationem deſiderando & petendo; congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant:* eadem terminorum claritate loquitur *in* 3. *ad Annibaldum diſt.* 4. *quæſt. unicâ art.* 4. Nec poſſunt hæc loca intelligi de aliquâ circumſtantiâ; puta de acceleratione, non de ſubſtantiâ

Incar

Incarnationis ; nam Antiqui Patres ſubſtantiam ipſam Incarnationis deſiderabant ac petebant , & *prac. art.4.* habetur *Sancti Patres Incarnationem meruerunt merito congrui , ſcilicet ſe ad ſuſcipiendum tantum beneficium præparando, & non merito condigni , quia non eam per meritum hoc modo debitam ſibi fecerunt, quamvis ſic potuerint mereri eius accelerationem.* Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem ex eo quod Scriptura inſinuat tum orationes & deſideria Patrũ Incarnationem poſtulaotium Iſa.45. *Rorate Cœli deſuper & nubes pluant juſtũ Vtinam diſrumperes Cœlos & deſcenderes* Pſal.105. *Viſita nos Domine in ſalutari tuo:* tum Incarnationem propter tales orationes & deſideria faciendã Iſai.9. *Clamabunt ad Dominũ à facie tribulantis & mittet eis Salvatorem.* Pſal.11. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit*

48. *Dominus.* Sed contra : In primis iſtæ auctoritates juxta Adverſariorum mentem intellectæ malè cohærent auctoritatibus alijs , quibus Incarnatio ad homines comparata tribuitur ſimpliciter divinæ miſericordiæ , benignitati charitati , ut cum dicitur Io.3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Vnigenitum daret.* Luc.1. *Per viſcera miſericordiæ Dei viſitavit nos oriens ex alto.* Epheſ.2. *Deus qui dives eſt in miſericordia . propter nimiam charitatem ſuam , qua dilexit nos, convivificavit nos Chriſto.* Ad Tit.2. & 3. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei :* Quæ & ſimilia ſcripturæ teſtimonia, licet potiſſimũ ab hominibus excludant condignũ meritum ſubſtantiæ Incarnationis, propterea que cenſeri ſoleat de fide, quod eam condignè Antiqui Patres non promoverint , nihilominus etiam non leviter impugnant meritum congruum propriè acceptum, utpotè quod & ipſum aliquid detrahit de miſericordia , & benignitate. Auctoritates item relatæ ex D.Thoma ſi ſimpliciter de Incarnationis ſubſtantiâ procederent, parum cohærent tum cum præcedentibus Scripturæ teſtimonijs, tum cum eo quod ipſemet Angelicus *eod. art.11. ad 3.* tribuit B.Virgini meritum congruum propriæ maternitatis , at non ſubſtantiæ Incarnationis ; quomodò enim in ordine ad ſubſtantiam Incarnationis conceſſiſſet antiquis Patribus aliquod meritum; quod negaſſet Deiparæ Virgini , quæ tamen fuit & ſubſtantiæ Incarnationis proximior, & ad omne meritum inſtructior , quam ulla alia pura creatura. His poſitis,

Antiquos Patres non habuiſſe de facto meritum condignum ſubſtantiæ Incarnationis centetur de fide.

49. Ad inſtantiam directè nego antecedens, ad cujus primam probationem ex D.Thoma, vel amplector intelligentiam inter arguendum allatam , & ad verba quæ adducuntur *ex 3. ad Annibald.* dico ea fortè fuiſſe implicitè retractata in Summa *prac. art.11.* cum præcipuè in illis verbis difficillimum mihi ſit quod Incarnationis acceleratio ponatur cadere ſub merito condigni: Vel permittendo ſermonem eſſe de Incarnationis ſubſtantiâ intelligo S. Doctorem de merito congruo valdè improprio, & ſumpto in actu ſignato quodammodò, non in actu exercito; quatenus Antiqui Patres eliciuerint opera quoad valorem ſuum apta congruè mereri Incarnationis ſubſtantiam, quamvis deindè ; quia ſupponebant talem ſubſtantiam pro principio, non exercuerint, nec exercere potuerint vim ſui valoris , movendo divinam voluntatem & inducendo debitum aliquod ſubſtantiæ Incarnationis ; & fortaſſè ad differentiam hujus meriti congrui improprij S.Doctor *in 3. ad Annibald.* vocat meritum condigni illud omne, quod in actu ſecundo exercet vim motionemve meritoriam , & facit rem aliquo modo debitam, & in hoc ſenſu verum eſt Antiquos Patres merito condigni , quamvis non potuerint mereri Incarnationis ſubſtantiam , mereri tamen potuiſſe & meruiſſe Incarnationis accelerationem. Ad ſecundam eiuſdem antecedentis probationem ex Scripturâ dico loca præmemorata inſinuare orationes & deſideria Patrum poſtulantium Incarnationis non ſubſtantiam , ſed circumſtantiam aliquam, præſertim accelerationem, ut magis conſtabit *ex ſeq. aſſert.* Adde quod ſi ſubſtantiam ipſam poſtulabant, nil aliud erant huiuſmodi poſtulationes, quam manifeſtationes affectus & amoris erga Myſteriorum & Myſterij Auctorem ; & hi quidem actus promerebantur copioſiorem Incarnationis fructum, at non ſubſtantium, quam ipſimet Antiqui Patres ſciebant promereri ſe non poſſe, cum crederent eam certo futuram ex pura Dei miſericordiâ ; nec ignorarent ſe dependenter ab eadem accepiſſe gratiæ auxilia ad benè ac meritoriè operandum ; quod ſi iuſtus aliquis ad hæc non antecedens propria bona opera ad promerendam Incarnationis ſubſtantiam obtuliſſet, iſte ad ſummum habuiſſet aliquod talis ſubſtantiæ meritum in exiſtimatione ſuâ, at non in re.

Occurritur auctoritatibus D. Thomæ pro merito congruo Subſtantiæ Incarnationis in antiquis Patribus.

50. Occurritur auctoritatibus Scripturæ pro eodẽ merito.

51. Aſſert.2. fuit de facto in Antiquis Patribus meritum congruum Incarnationis quoad aliquam circumſtantiam, & ſignanter quoad accelerationem ſeu circumſtantiam temporis. Hoc aſſertum abſolutè poſitum obtinet unanimẽ Scholaſticorum conſenſum , ex ſuppoſitione tamen aſſerti præcedentis eſt contra Lugum *diſp.8. num.34.* Lorcam *diſp.22. circa finem* , Gabrielem à S.Vincentio *diſp.2. n.302.* alioſque nonnullos arbitratos accelerationem, & circumſtantiam temporis , non poſſe cadere ſub meritum , ſub quod non cadat Incarnationis executio , ſeu ſubſtantia Incarnationis in executione.

Antiqui Patres habuerunt de facto meritum cõgruum circumſtantiarum Incarnationis.

Probatur, quia ex una parte potiſſima, imò unica ratio , militans contra meritum congruum ſubſtantiæ Incarnationis non militat contra meritum congruum circumſtantiarũ, principium enim merendi in Chriſto Domino fuit Incarnationis ſubſtantia, non circumſtantia ulla ; adeóque principium meriti ſub meritum cadere ſequitur ſolùm ex eo , quod ſub meritum cadat Incarnationis ſubſtãtia, nõ ex eo quod ſub meritum cadant circũſtantiæ: ex alia parte inferretur nimia quædã violẽtia auctoritatibus *pr. n.47.* prææallatis, & alijs *n.56.* afferendis, ſi eis negetur omne Incarnationis meritum etiam quoad omnem circumſtantiam , ſignanter verò quoad circumſtantiam temporis & accelerationem executionis Myſterij, ad quam maximè refertur, cum vehementia

Et ſignanter temporis, ſeu accelerationis ejus.

mentia & quaſi impatientia deſideriorum expreſſa in ly *Utinam diſrumperes Cælos* Iſa. 45. tum tempus futurum quodammodo factum anticipatè præſens in ly *Nunc exurgam*. Pſal. 11.

Dices primò: Incarnationis acceleratio denotat anticipationem quandam ratione cujus Incarnatio peracta fuerit antè tempus à Deo prædefinitum & ab æterno deſignatum; ſicque infert aut mutatam in tempore prædefinitionem deſignationemvè Dei æternam, aut executionem Incarnationis non conformem decreto, quo Deus ejus tempus prædefinivit ac deſignavit; repugnat igitur ex ſua ſpeciali ratione acceleratio Incarnationis, ac per conſequens & meritum quodcumque talis accelerationis. Sed con-

52. Quid veniat nomine talis accelerationis?

tra: Acceleratio in præſenti ſumenda non eſt juxtà purum vocabuli ſonum, ac corticem nominis pro formali temporis anticipatione, ut ſumit inſtantia; ſed pro anticipatione virtuali, ſeu æquivalenti, ſità in eo quod Incarnatio, quæ ex ſe differri ulterius tardiuſque poterat, fuerit à Deo prædefinita peragenda eo tempore, quo peracta eſt omni ulteriore morâ ſublatâ, hocque dependenter ab Antiquorum Patrum meritis.

Dices ſecundo: Deus de facto Incarnationis peragendæ tempus prædefinivit antè præviſa Antiquorum Patrum merita, ergo independenter ab ipſis; ergo antiqui Patres nullatenus meruerunt reſpectu Incarnationis circumſtantiam temporis, ſeu accelerationem mox explicatam; antecedens probatur primò, quia Deus de facto antè Antiquorum Patrum merita prævidit merita Chriſti, utpotè quæ fuerunt principium merendi in antiquis Patribus; at prævidendo merita Chriſti prævidit tempus, quo talia merita erant futura, & à fortiori quo erat peragenda Incarnatio, ergo: Secundò, quia Deus de facto ſubſtantiam Incarnationis & executionem ejus prædefinivit antè præviſa Patrum merita; atqui ſimul omnino prædefinivit reſpectu Incarnationis circumſtantiam temporis & ulterioris moræ ſublationem; neque enim decretum divinum efficax, & attingens executionem, poteſt præſcindere à tempore, imo nec ab aliis circumſtantiis, ſine quibus executio haberi non poteſt; ergo.

53. Meritum circumſtantiarum Incarnationis reſpicit executionem earum, non prædefinitionem.

Sed contrà primò, permitto abſolutè antecedens diſtinguo conſequens; ergo independenter ab ipſis ex parte actus & quoad intentionem concedo; ex parte objecti & quoad executionem nego; benè enim ſtat dependere à meritis ſubſequentibus (ſubintellige ordine temporis, non cauſalitatis) objectum à Deo volitum antè præviſa merita, eo quod in prædefinitionibus divinis nulla ſupponat merita antecedentia; pro quâ doctrinâ ſufficit recolere & huc transferre quæcumque *tract. 1. lib. 5. cap. 2. §. 4.* dicebamus de electione prædeſtinatorum factâ antè præviſa merita ad gloriam conferendam ex meritis. Contrà ſecundò (& ferè in idem recidit) diſtinguo antecedens Deus de facto Incarnationis peragendæ tempus prædefinivit antè præviſa formaliter & in ſe ipſis antiquorum Patrum merita, concedo; antè præviſa virtualiter & æquivalenter talia merita, nego antecedens, & utramque conſequentiam: Utraque deindè antecedentis probatio militat, aut contrà dependentiam circumſtantiarum Incarnationis ab Antiquorum Patrum meritis ex parte actus, non ex parte objecti; aut contrà formalem, non contrà virtualem talium meritorum præviſionem, ut perſpicuum eſſe poteſt expendenti, tum quæ meminì recolenda *ex præc. §. 3.* tum quæ mox ſubjicio. Ideò

54. Modus, quo Deus ſimul & in eodem ſigno, voluit Incarnationis ſubſtantiam abſque meritis, circumſtantias ex meritis.

Adverto modum, quo Deus determinavit ſubſtantiam Incarnationis fuiſſe diverſum ab eo, quo determinavit circumſtantias; & illam determinaſſe abſque omni motivo meritorum, ſecus iſtas; non quia determinatâ Incarnationis ſubſtantiâ diſtulerit ſeu ſuſpenderit determinare circumſtantias, donec prædefiniret & prævideret merita, quod arguit in divinis actibus imperfectionem, quam ſæpè nobis objiciunt Adverſarii; ſed quia determinando ſimul, tum ſubſtantiam tum circumſtantias, decretum divinũ, quatenus fertur in ſubſtantiam, ſiſtat in ipſa præcisè & velit eam etiam in executione purè gratiosè & abſque ullo motivo morali; quatenus fertur in circumſtantias, feratur in iſtas ſimul & in aliqua merita, eaſque velit executioni mandandas ex meritis, non quidem anteà formaliter præviſis, ſed ſimul volitis, quæ ſimultanea meritorum volitio dici poteſt præviſio virtualis ſeu æquivalens tranſiens deindè in præviſionem formalẽ antè ipſarum circumſtantiarum executionem, & ideò ſufficiens, ut ſub meritis illis cadant circũſtantiæ in executione, quãvis non in intentione.

Neque dicas nos gratis, & divinando, aſtruere diverſam hanc attingentiam ſubſtantiæ & circumſtantiarum Incarnationis; eademque facilitate poſſe pro libito diverſitatem illam aliter diſponi, & excogitari decretum attingens Incarnationis circumſtantias abſque meritis, ſubſtan-

55. De potentiâ abſolutâ potuit res aliter ſe habere.

tiam ex meritis. Contra enim: loquendo de potentia abſolutâ, facilè permittam Adverſariis, quod inferunt, imo & omni attingendi diverſitate ſublatâ dabo potuiſſe Deum uniformiter Incarnationis ſubſtantiam & circumſtantias decernere, aut ſcilicet utraque ſine meritis, aut utraque ex meritis: Cæterum loquendo de facto non poſſumus aliter, quam cum explicatâ diverſitate diſcurrere, neque hoc gratis & divinando præſtamus, ſed cum magno auctoritatum & rationum fundamento; nam ex una parte ad ponẽdam ſubſtantiam Incarnationis independentem à meritis antiquorum Patrum inducũt nos, tum univerſaliter auctoritatea, quibus in Incarnatione eximie commendatur benignitas & miſericordia Dei; tum magis in particulari illæ, quibus meritis Chriſti tribuitur omnis gratia naturæ lapſæ addito principio Theologico, quod principium meriti nequeat cadere ſub meritum cujus eſt principium: Ex alia parte ad ponendas circumſtantias à meritis dependentes movemur in primis argumento negativo ex eo, quod non militet idem pro ipſis fundamentum, quod pro ſubſtantia; deinde multo magis poſitivis auctoritatibus partim inſinuatis *præced. n. 52.* partim mox ſuggerendis *num. & §. ſeq.* Ideò.

56. Quænam particulares Incarnationis circumſtantiæ ceciderint ſub meritis con-

Expedit in præſenti aſſignare, quænam aliæ circumſtantiæ Incarnationis in particulari prætertempus, ſeu accelerationem ejus, ceciderint de facto ſub aliquod meritum congruum. Probabile autem eſt primò ſub merito Abrahami cecidiſſe circumſtantiam ſtirpis, adeò ut Abraham inſigni propoſito immolandi proprium filium

grui s, antiquorum Patrum!

meruerit quod Chriſtus ex ſtirpe ſeu ſemine ipſius naſceretur, ut colligitur ex Gen.22. *Per memetipſum iuravi dicit Dominus quia feciſti rē hanc, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me &c. benedicentur in ſemine tuo omnes gentes* additis ad ly *in ſemine tuo* verbis Apoſtoli ad Gal.3. *Qui eſt Chriſtus*. Probabile eſt ſecundò ſub merito Simeonis cecidiſſe circumſtantiam loci; adeò ut Simeon vehementi expectatione redemptionis, & ingenti deſiderio videndi redemptoris, meruerit Chriſtum naſci eo loco, quo naturaliter poſſet ipſum videre, ut colligitur *ex Luc.* 2. ubi de Simeone dicitur, quod erat *expectans conſolationem Iſraël: Et reſponſum acceperat à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Idem meritum veriſimiliter tribuitur Annæ Prophetiſſæ, de quâ *eod. cap.* habetur *Quod non diſcedebat à templo ieiunijs, & obſecrationibus ſerviens nocte, ac die: & hac ipsâ hora ſuperveniens, confitebatur Domino & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Probabile eſt tertiò tum ſub merito mox præmemorato Simeonis & Annæ, tum ſub merito Danielis, ob cujus preces & deſideria Daniel.9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt* &c. *ut ungatur Sanctus Sanctorum*, probabile eſt, inquā, ſub particulari juſtorum merito cecidiſſe circunſtantiam accelerationis & temporis, quam jam ſuprà indefinitè collocavimus ſub merito antiquorum Patrum.

Neque dicas circumſtantiæ ſtirpis ex merito Abrahami adverſari expreſsè D. Thom. 1.2.q.98 *art.4. in c.* verbis illis *Nec etiam fuit propter meritum ipſius Abrahæ, ut talis promiſſio ei fieret, ut ſcilicet Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur,*
57. *ſed ex gratuita Dei electione & vocatione* Contra enim. S. Doctor loquitur vel de meritis ex ſolo libero arbitrio profectis, vel de circumſtantiâ ſtirpis quoad prædefinitionem ejus, & ordinem intentionis, non quoad ordinem executionis, & huic poſteriori intelligentiæ favet ly *ſed ex gratuita electione & vocatione*, electio enim & vocatio refertur ad ordinem intentionis.

Ex his habes ſub congruis Antiquorum Patrum meritis ſingillatim cecidiſſe circumſtantias Stirpis, Loci, Temporis. Si deindè meritis illis addas merita Chriſti Domini & Deiparæ, invenies tum meritis Chriſti, & quidem condignis ne dum congruis, tribuendas eſſe aliquas alias circumſtantias, de quibus infra *l.3.c.3.§.5.& c.4.* §.3. tum meritis Deiparæ deberi circumſtantiam Maternitatis, de quâ ſit.

---

§. V.

Quid de merito Beatæ Virginis in ordine ad circumſtantiam Maternitatis?

58.
B. Virgo habuit meritū congruum maternitatis quoad executionem.

ASsᴇʀᴛ. 1. Extitit in Beata Virgine meritum congruum Maternitatis quoad executionem. Ita D. Thomas *hic qu.2.art.11.ad 3.& in 3. diſt.4.quæſt.3.art.5.ad* 6. Gonetus *diſp* 8.*art.*4 §.1. Gabriel à S. Vincentio *diſp.2.d.16.* Suarez *diſp. 10.ſec.*8. Vaſquez *diſp.*53.*c.*2. Lugus *diſp.*8 *ſec.*5. Amicus *diſp.*26.*ſec.*11. Arriaga *diſp.*38.*ſec.*3.*ſubſec.*3. Madernus *qu.*3.*art,*9. cæterique Scholaſtici communiſſimè contra Lorcam *diſp.*22. & paucos alios, quorum ſententiam omne prorſus Maternitatis meritum Virgini negantem, ut ſingularem & à modo loquendi Patrum diſcedentem notat Lugus *n.*39. ſententiam verò oppoſitam à nobis aſſertam ut certiſſimam commendat Arriaga *n.*25.

Iudicium de ſententiâ oppoſitâ.

Probatur primò tum ex eo, quod canit Eccleſia *Regina Cœli lætare, quia quem meruiſti portare*; tum ex Sanctis Patribus, inter quos Auguſtinus *lib. de nat. & gra.c.*36. ait de Beatâ Virgine *Concipere meruit & parere*. Maxentius dial.1. c.14. in fine. *Fide plena Deum concipere meruit.* Hieronymus Epiſt.22. de cuſtodia Virginit. *Propone tibi Mariam, quæ tanta extitit puritatis ut Mater Domini eſſe mereretur.* His non diſſimilia paſſim obvia ſunt apud plures alios Patres relatos à Vaſquio & Suario, qui quidem poſterior Auctor pro præſenti intento expedit ſingulare dictum Bernardini Senenſis *ſerm.*51. dum ait *Virginem eo actu, quo conſenſit Angelo nuncianti, plus meruiſſe, quam omnes Angelos & homines omnibus ſuis actibus*, quod Suario non videtur alia ratione verum, niſi quia actus ille fuit in Virgine meritum congruum, & diſpoſitio ultima ad Maternitatem.

Reſpondebis ex Lorca præmemoratos Patres uſurpare meriti nomen in ſignificatione lata, & impropria, prout extenditur ad quamcumque congruitatem ac convenientiam; quæ uſurpatio in Sanctis Patribus nova non eſt; cum nequeat aliter intelligi, quod Cyprianus *l.3. Epiſt.* 8. ait infantes in ipſo ſtatim ortu gemitibus, ac fletibus, Dei miſericordiam promereri; in præſenti verò eſt talis uſurpatio neceſſaria tum propter rationes excludētes à Beata Virgine maternitatis meritum propriè tale, tum propter auctoritates alias eorumdem Sanctorum Patrum non rarò docentium Deiparam Virginem habuiſſe prærogativam Matris ex pura gratia, & benignitate
Dei. Sed impugnatur reſponſio, quia eſto à Sanctis Patribus meriti, & merendi, vocabula aliquando uſurpentur in ea impropriâ ſignificatione, non eſt tamen opportuna nec neceſſaria talis uſurpatio in propoſito; non eſt opportuna, quia minus favet pietati fidelium erga Deiparam, ipſiuſque Deiparæ perfectioni; item quia tunc maximè eſt opportuna quando meritum & mereri tribuitur, aut creaturæ irrationali, aut actioni nō bonæ moraliter; ſecus quando perſona rationalis dicitur aliquid mereri puritate vitæ & ſanctitate bonorum operum, ut in caſu noſtro: Non eſt talis uſurpatio neceſſaria, quiā rationes ad eam cogentes, quas inſtantia ſupponit ſolventur infra; auctoritates verò militantes pro Maternitate Virgini conceſſa ex Dei benignitate, & gratiâ, Vaſquez *n.*8. oſtendit excludere ſola merita profecta ex naturalibus arbitrij viribus. & à nobis inſuper poſſunt commode referri ad Maternitatem quoad electionem, ſeu prædefinitionem ejus non quoad executionem. 59.

Meritum quandonam poſſit impropriè ſumi pro quacunque cōgruitate, ſeu comparatione unius cum alio?

Probatur ſecundò: Beata Virgo merito ſuo ſuperavit meritum cujuſcumque alterius puræ creaturæ, & ſignanter Patrum antiquorum, ut habetur ex communi fidelium ſenſu, & magnificè traditur in prællata ſenteotiâ Bernardini Senenſis; atqui hoc non benè ſalvatur, ſi Maternitatē nō meruit. cum enim Patres Antiqui meruerint aliquas Incarnationis circumſtantias. & Abraham in particulari, quod Chriſtus ex ipſius 60.

ſtirpe

ſtirpe naſceretur, cæterorum merita Virgo non ſuperaſſet, niſi circumſtantiam aliquam excellentiorem & Incarnationi conjunctiorem meruiſſet; poſt circumſtantiam autem ſtirpis non apparet circumſtantia alia excellentior & Incarnationi conjunctior, quàm circumſtantia Maternitatis; ergo hanc verè promeruit Beata Virgo.

Dices primò de antiquis Patribus conſtare; quod deſideraverint & poſtulaverint Incarnationis circumſtantias, non ſic quod Beata Virgo deſideraverit & poſtulaverit Maternitatem; imò hoc videtur malè conſentaneum tum humilitati Deiparæ, quæ eam à tanta dignitate ſive expetenda ſive expoſcenda retrahebat; tum contextui Evangelij, in quo Beata Virgo inſinuatur nuncium Maternitatis excepiſſe, tamquam inopinatum & inſperatum; ergo à merito aliarum circumſtantiarum in Antiquis Patribus non rectè arguitur ad meritum Maternitatis in Virgine, &

61\. Virginei meriti præcellens magnitudo penes aliquod aliud præmium attendenda eſt. Sed contra: Neque de Abrahamo conſtat, quod poſtulaverit circumſtantiam ſtirpis, quam tamen promeruit, ex eo igitur quod Beata Virgo non poſtulaverit, ut fateor non poſtulaſſe, Maternitatem nihil infertur contra Maternitatis meritum; & Beata Virgo inſtanter orans ac poſtulans filij Dei adventum, iſtiſmet orationibus & poſtulationibus, utpote magis meritorijs quam eſſent illæ Antiquorum Patrum, congruè potuit obtinere ſpeciale præmium Maternitatis Filij Dei; multoque magis deindè humilitate & fide, quâ conſenſit Angelo eam ut Matrem conſalutanti.

62\. *Speciales repugnantiæ rationes contra meritum Virginis reſpectu Maternitatis Chriſti.*

Dices ſecundò merito Virginis reſpectu Maternitatis obſtare ſpeciales rationes repugnantiæ non obſtantes merito aliarum circumſtantiarum: Primò quia Maternitas ſaltem fundamentaliter ſumpta importat conceptionem, generationémque Chriſti Domini; hujuſmodi autem conceptio & generatio habet pro termino ſeu effectu ſubſtantiam Incarnationis; ſi igitur Virgo congruè promereretur Maternitatem, congruè promereretur ſubſtantiam Incarnationis, quod per nos repugnat in præſenti providentiâ: Secundò, quia opera Virginis in prævisione & prædefinitione divina ſunt poſteriora Maternitate; ergo non poſſunt exercere cauſalitatem meritoriam reſpectu Maternitatis, conſequentia patet, quia ſecus daretur mutua prioritas & poſterioritas in Virgine inter Maternitatem & opera meritoria Maternitatis, antecedens probatur, opera Virginis (ſubintellige ut meritoria) in prævisione & prædefinitione divinâ ſunt poſteriora operibus & meritis Chriſti cum illa ab iſtis habeant ſuum valorem moralem; ergo ſunt pariter poſteriora Chriſto, & à fortiori ſunt poſteriora Maternitate, qua poſterior eſt Chriſtus: Tertiò, quia Chriſtus meruit condignè Maternitatem Virgini, ergo nullatenus eam ſibi meruit Virgo; antecedens patet, quia omnia dona & privilegia Virgini conceſſa ſunt ex meritis Chriſti, qui ſicuti propter Maternitatem ei meruit exiſtentiam & præſervationem ab originali, ita multo magis eidem meruit ipſam Maternitatem; conſequentia probatur, quia meritum condignū eſt cauſa meritoria totalis, non admittit autem cauſam meritoriam ulteriorem, quod jam habet cauſat meritoriam totalem; ſicuti non admittit ulteriorem cauſam phyſicam, quod jam habet cauſam phyſicam totalem. Sed contrà:

Ad primam repugnantiæ rationem, in cujus (licet ſub terminis aliquantulū diverſis propoſitæ) ſolutione plurimus eſt Arriaga *præc. ſec. 3. ſubſec. 2. 3. & 4.* ad primam, inquam, repugnantiæ rationem fateor Maternitatem importare fundamentaliter conceptionem, generationemve Chriſti Domini, & hanc cecidiſſe ſub idem Virginis meritum, ſub quod cecidit Maternitas, unde Auguſtinus ſuprà relatus explicat meritum divinæ Maternitatis in Virgine dicendo, quod meruit Deum concipere & parere, & Venantius Fortunatus idem meritum aſtruens cecinit de Virgine — 63. Reſpondetur ad primam.

Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.

Fateor itaque beatam Virginem eo modo, quo meruit Maternitatem, meruiſſe conceptionem generationémque Chriſti Domini; at nego hinc inferri meritum ſubſtantiæ incarnationis, nec ſimpliciter verum eſt hanc eſſe terminum, ſeu effectum actionis generativæ, cum iſta per ſe ad humanitatem terminetur, non ad unionem humanitatis cum Verbo, in quam unionem, quod eſt idem ac dicere in Incarnationis ſubſtantiam, Deipara *ex c. præc. §. 2.* non exercet de facto ullam phyſicam cauſalitatem, ſed ſolùm in humanitatem, unde ad ſummum inferretur Beatam Virginem meruiſſe exiſtentiam talis humanitatis; Verum hoc ſicuti non poſſet concedi ſine mutua cauſalitate morali inter exiſtentiam Virginis, & exiſtentiam humanitatis Chriſti, ita in re non infertur ex eo, quod ejus generationem Virgo meruerit; & qui meretur actionem, meretur quoque terminum ſeu effectum actionis, ſi ſermo ſit de termino intrinſeco & neceſſariò connexo cum tali actione, ſecus ſi de termino extrinſeco & aliter, quàm per talem actionem, poſſibili, qua ratione humanitas Chriſti eſt terminus actionis generativæ; Vel qui meretur actionem, meretur terminum actionis, ſi termino non repugnet aliundè ſub meritum cadere ſecus ſi repugnet, ut repugnat humanitati Chriſti cadere ſub meritum Virginis ex eo, quod ſit talis meriti principium.

Ad ſecundam repugnantiæ rationem vel dato abſolutè antecedente diſtinguo conſequens ergo non poſſunt exercere cauſalitatem meritoriam reſpectu Maternitatis quoad ejus electionem & intentionem, concedo; quoad ejus executionem, nego conſequentiam: Vel diſtinguo etiam antecedens, opera Virginis in prævisione & prædefinitione divina ſunt poſteriora Maternitate ſi ſumantur talia opera, ut prævisa ac prædefinita formaliter & in ſe ipſis, concedo, ſi ſumantur, ut prævisa ac prædefinita virtualiter & æquivalenter, nego antecedens & conſequentiam intellectam de Maternitate in executione: Repetenda eſt autem ſolutionis utriuſque explicatio *ex præc. n. 53. & 54.* quibus cohærenter addo hunc ferè ordinem ſtatuendum eſſe inter Incarnationis ſubſtantiam, Maternitatem, cæteraſque circumſtantias & merita. Voluit Deus efficaciter ex pura ſua benignitate & miſericordia Verbum incarnari in peccati remediū, & hoc voluntatis actu determinavit Deus Incarnationis nō ſubſtantiā ſolum, ſed & circumſtantias, inter quas tempus, locum, ſtirpem, Maternitatem, ſubſtantiam quidem, ut meritorum omnium principiū ab omnibus meritis prorſus independens, circumſtantias — 64. Reſpondetur ad ſecundā.

 tempo

temporis,loci,ſtirpis,Maternitatis,ut executioni mandandas dependenter ab illis ipſis meriti, quorum ſubſtantia erat futura principium:Decrevit deinde Deus, ac vidit ſe formaliter dedeterminata merita Chriſti,& ex iſtis profectura talia ſingillatim opera meritoria in Virgine & antiquis Patribus; tuncque circumſtantias quas anteà determinaverat futuras ex meritis ſolum æquivalenter ac indefinitè volitis, vidit, executioni mandandas dependenter à talibus operibus meritoriis determinatis, & in ſe formaliter exiſtentibus; nimirum circumſtantiam Maternitatis dependenter ab humilitate,fide,& conſenſu Virginis; circumſtantiam ſtirpis dependenter à propoſito Abrahami de filio immolando; circumſtantiam loci dependenter à deſiderio & fide Simeonis de Chriſto Domino videndo,&c.

65. **Reſpondetur ad tertiam.** Ad tertiam repugnantiæ rationem, quæ pariter probaret neminem poſſe ſibi mereri gratiam aut gloriam,quia utramque Chriſtus nobis omnibus condignè promeruit; ad tertiam, inquam,dico merita Beatæ Virginis,ſicut & noſtra,ſubordinari meritis Chriſti, & ad iſta quodammodo ſe habere in genere morali, ſicut ſe habet cauſa ſecunda ad primam in genere phyſico,ſicuti igitur totalitas cauſæ primæ non impedit concurſum phyſicum cauſarum ſecundarum naturalium,ità condignitas meriti Chriſti non impedit cauſalitatem meritoriam noſtrorum operum ſupernaturalium. Accedit quod per nos neque inter ipſas cauſas ſecundas phyſicas totalitas unius excludit eſſentialiter concurſum, aut totalem,aut partialem alterius;multo minus igitur in moralibus,ideò,&c.

66. Aſſert.2. Non extitit in Beatâ Virgine ullum Maternitatis meritum majus merito præaſſerto, neque ſcilicet extitit meritum Maternitatis quoad intentionem & electionem; neque quod fuerit de condigno vel de digno; imo condignum Maternitatis meritum, nequidem de potentia abſolutâ,dabile fuit in Virgine. In toto aſſerto præſenti conveniunt Auctores relati pro aſſerto præcedenti excepto, quod meritum congruum Maternitatis etiam ad ejus electionem & intentionem extendunt Vaſquez *præcit. diſp.* 23. *cap.*4.& Amicus *diſp.*26. *n.* 278. nec non meritum condignum ejuſdem Maternitatis ut dabile de potentia abſoluta admittunt Suarez *diſp.*10. *ſec.*7.*in fine.* Arriaga *præcit. ſec.*3. *ſubſec.*1. Madernus *præcit.art* 9.*n.*10.Quatenus deindè aſſertum negat tale meritum condignum de facto eſt contrà Majorem *in* 3.*diſt.*4.*q.*4. Gabrielem *ead. diſt. quæſt.un. art.*3. Almaynum *quæſt.* 1. *dub.*3. Pontium *diſp.*38. *quæſt.*5.Cabreram *diſput.* 6. & alios:Quatenus tandem negat meritum de digno eſt contrà Bonaventuram *in* 3. *diſt.*4. *art.*2. *quæſt.*2.Richardum *quæſt.*3 *art.*1. Marſilium *q.* 5. *art.* 3. *dub.*1. cum quibus tamen diſſidium ferè totum eſt de modo loquendi, cum nequeat in re explicari meritum medium inter condignum & congruum,undè Richardus & Bonaventura videntur ſolo nomine ſecernere meritum dignū à congruo,& de Marſilio Vaſquez *diſp. præc.n.*6. notat nō ſatis cōſtare,quomodo poſſit in propriis principiis meritum dignum à condigno diſtinguere? propterea etiam operæ pretium non eſt ſpecialiter hic impugnare tale meritum, cum ex genere ſuo malè ſupponatur,& in rigore ſit purum nomen ſine re.

67. **Beata Virgo nullum prorſus habuit meritum Maternitatis quoad intentionem, ſeu electionem.** Probatur aſſertum primo quatenus negat meritum Maternitatis quoad intentionem:Nullum meritum Beatæ Virginis fuit præviſum antè electionem ejus in Matrem, quod eſt idem ac dicere antè maternitatem quoad intentionem, ergo nullum extitit in Beatâ Virgine meritum maternitatis quoad intentionem; probatur antecedens primò repetendo inſtantias ſolutas *præced num* 53.& 60.quibus pluriinum torquentur, nec ullam ſufficientem ſolutionem adhibent Auctores ponentes circumſtantias Incarnationis etiam quoad intentionem cadere ſub meritum antiquorum Patrum, & Beatæ Virginis:Probatur idem antecedens ſecundò; omne meritum Virginis fuit propter, adeóque poſt electionem ejus in Matrem, & prædeſtinata eſt Virgo ad tantam,tamque excellentem gratiam, ſeu ad tantum,tamque excellens merendi principium, quia erat antecedenter prædeſtinata ad Maternitatem, ad cujus executionem debebat ſe meritis & diſpoſitionibus ſuis congruè coaptare; ergo. Neque hic repetendum eſt Adverſariorum fundamentum deſumptum ex eo, quod Deus eundem ſervet modum in intentione quem in executione, nec poſſit ex meritis eſſe rei alicujus executio,quin ex meritis ſit rei ejuſdem intentio;cui fundamento pro re præſenti, ideſt pro intentione ſeu electione Maternitatis ex meritis Virginis jure addi poteſt auctoritas Ambroſij *epiſt* 82.dicentis *Quid loquar, quanta ſit Virginitatis gloria? quæ meruit a Chriſto eligi, ut eſſet etiam corporale Dei templum* Repetendum, inquam, id non eſt cum tali fundamento fuerit ex profeſſo ſatisfactum, dum *præcit.* §. 3. 68.
aſſerebamus gloriæ electionem ſine meritis,executionem ex meritis prædeſtinatorum:Ad auctoritatem ex Ambroſio additam dico neceſſe eſſe in ejus verbis impropriè latéque ſumi aut ly *meruit*, nomine meriti intelligendo omnem aptitudinem, aut ly *eligi* intelligendo electionis nomine electionis uſum.

69. **Maternitatis quoad executionē nullum habuit de facto meritum condignum.** Probatur aſſertum ſecundò quatenus negat meritum Maternitatis condignum quoad de facto:Merita Beatæ Virginis condignitatem ſuam quodammodò exhauſerunt de factò circa gratiā & gloriam, per hanc ſcilicet fuerunt condignè compenſata: & non niſi ex nimia licentia, nec ſine aliqua Maternitatis injuriâ, excogitaretur, quod Deus ad relinquendam meriti condignitatem pro maternitate ſubtraxerit aliquos gradus gratiæ & gloriæ virgineo merito debitos, & alioqui dandos, niſi eorum loco dediſſet Maternitatem, quâ ratione iſta videretur Virgini detrimentum attuliſſe,utpotè quæ fuiſſet ei occaſio habendi pauciores gratiæ gloriæque gradus. Confirmatur ex eo,quod *præc. n.*45.dicebamus in univerſum nullam Incarnationis circumſtantiam cadere de facto, aut cadere poſſe ſub meritum condignum puræ creaturæ; cum igitur Beata Virgo ſit pura creatura, & Maternitas,ſit una ex Incarnationis circumſtantijs eaque valde præcipua & Incarnationi proximè conjuncta, conſequens eſt &c.Imó etiam poſitâ ea univerſali doctrina ſuperfluum videbatur ad examen nunc vocare meritum condignum Maternitatis, fuit nihilominus id expediens,

propter

propter ſpecialia Adverſariorum argumenta quorum ſolutione firmius ac determinatius ſtabilietur, quod jam univerſaliter dictō eſt. Ideò

Dices Primò: Beatam Virginem fuiſſe dignam Dei Matrem eſt ipſam meruiſſe condignè Maternitatem; atqui verè fuit digna Dei mater; nam de ea ait Ambroſ. l.2. de Virginibus *Quæ digna fuit ex qua filius Dei naſceretur:* De eadem Petrus Damianus ſerm. 2. de aſſumptione ait *Quod ſuſceptione Dei ſingulariter judicata eſt digna* Epiphanius hæreſi 78. hæreticos ob urgat dicens *Quomodò audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta eſt habitaculum fieri filij Dei.* eamdemque Damaſcenus lib. 4. c. 15. appellat *Summo Deo dignum templum:* & tandē de ipſa canit Eccleſia in quadam oratione *Vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur* & alibi *Quæ ſola digna fuit portare Regem Cælorum & Dominum,* ergo. Sed contrà: nego majorem, dignitas enim in præallatis auctoritatibus

70. Quomodò fuerit digna Mater Dei.

non ſumitur pro merito, niſi fortè in ea impropria lataque ſignificatione, quam intendebat Lorca ſupra *n* 59. Sumitur igitur proprè pro convenienti diſpoſitione, cooperatione, ſeu aptitudine; quæ aliquandò dignum denominat, etiamſi ſit purè naturalis & innata; juxta quod de Cruce canit Eccleſia *electa digno ſtipite tam ſancta membra tangere*; melius tamen & uſitatius, ſi ſit acquiſita & comparata per actus honeſtos, virtutumque opera, qualis fuit aptitudo & conveniens diſpoſitio, per quam Beata Virgo reddita eſt digna Dei Mater, dignum templum, dignum habitaculum &c.

Dices ſecundò, & urgebis: Beata igitur Virgo digna Dei Mater, quatenus per proprios actus ſibi comparavit eam præſtantiam gratiæ & ſanctitatis, quæ fuit conveniens diſpoſitio ad Maternitatem; at ex hoc ipſo ſequitur, quod condignè maternitatē promeruerit, ergo: Minor probatur, qui cōdignè promeretur diſpoſitionē ad formam condignè promeretur ipſam formā, atqui Beata Virgo proprijs actibus ſibi condignè promeruit (ſubintellige in executione) præſtātiam gratiæ & ſanctitatis, & hæc fuit diſpoſitio ad Maternitatem, ergo pariter in executione condignè promeruit Maternitatem. Accedit quod diſpoſitio condigna, quando eſt per proprios actus conſtituta, non apparet in quo differat à merito condigno vel ſaltem tale meritū infert; at Beata Virgo ex eo, quod fuerit digna Dei Mater, fuit condignè diſpoſita; ſeu ſe condignè diſpoſuit ad Maternitatem, ergo & hanc condignè promeruit ſeu potuit promereri. Sed

71. Quandonā cōdignè merens diſpoſitionem ſimul cōdignè mereatur formam?

contra: Qui condignè promeretur diſpoſitionē condignè promeretur formam, quando diſpoſitio & forma ſunt ejuſdem omninò ordinis, & connectuntur neceſſariò ac ex naturâ rei; at non ita ſe habet gratia & ſanctitas ad Maternitatem, cum illa ſit ordinis ſupernaturalis præcisè iſta ſit ordinis hypoſtatici participativè ſeu reductive, illaque iſtam inſinuat ex quadam decentia & congruitate, non ex neceſſaria ac phyſica connexione, ideò &c. Ad illud, quod additur, Suarez *diſp.* 10. *ſec.* 7. *§. Dico ergo primo* & Madernus *præc art.* 9. *n.* 6. abſolutè aſtruunt in Virgine condignam pro Maternitate diſpoſitionē; Nihilominus vox condigni ex Scholaſticorum uſu videtur propria meriti, nec transferenda ad diſpoſitionem, & ſaltem in eo ſenſu, in quo dicitur de merito & prout importat æqualitatē, non benè applicatur diſpoſitioni in ordine ad Maternitatem, nec eſt dabilis diſpoſitio maternitati condigna, ideſt Maternitati æqualis: Intelligendo verò, ut intelligi communiter ſolet, diſpoſitionis condignæ nomine diſpoſitionem convenientem & proportionatam juxta rerum capacitatem & divinæ providentiæ ordinem, neganda quidem non eſt in præſenti diſpoſitio condigna, at nulla eſt paritas à condignitate diſpoſitionis ad condignitatem meriti, quia reſpectu meriti condignitas importat æqualitatē, reſpectu diſpoſitionis ſupponitur importare proportionem dumtaxat ac convenientiā; & ſicuti in hoc ſenſu contritio rectè dicitur diſpoſitio condigna ad juſtificationem & gratiam, ad quam nec eſt nec eſſe poteſt condignum meritum; ita ſimiliter &c.

In quo ſenſu detur in Virgine diſpoſitio condigna ad Maternitatem?

Probatur aſſertum tertiò, quatenus negat meritum Maternitatis condignum etiam de potentiâ abſolutâ. Non eſt dabile, nequidē de potentiâ abſolutâ, in Beata Virgine opus ullū dignitate ſua & valore morali adæquās Maternitatem; ergo nequidem de potentia abſolutâ eſt dabile in Beata Virgine meritum condignum Maternitatis; cōſequentia patet ex ratione formali meriti condigni alibi tradita; antecedens probatur, quia non eſt dabile in Beata Virgine opus ullum ſuperius ordine gratiæ & gloriæ, & quod ſpectet ad ordinem hypoſtaticum, ſicuti ſpectat Maternitas, cui propterea D. Thom. 1. *p. q.* 25. *art.* 6. *ad* 4. tribuit dignitatem quamdam infinitam, & ratione ejuſdem 2. 2. *qu.* 103. *art.* 4. *ad* 2. ait, B. Virgini deberi hyperduliam, & cultum excellentiorem, quàm debeatur ulli alij creaturæ propter excellentiam gratiæ & ſanctitatis; ergo &c.

72. Maternitatis nec de potētiâ abſolutâ fuit dabile in Virgine meritum cōdignum.

Dices Maternitatem ſpectare ad ordinem hypoſtaticum ſolùm per denominationem extrinſecam, ex quâ non poteſt hauriri æſtimabilitas major æſtimabilitate gratiæ & ſanctitatis; imò hanc eſſe Maternitate æſtimabiliorem colligitur, tum ex *Luc.* 11. ubi mulieri ad Chriſtum dicenti *Beatus venter, qui te portavit & ubera quæ ſuxiſti,* reſpondit Chriſtus Dominus *Quinimò Beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud,* quo reſponſo prætulit vitæ ſanctitatem propriæ Matris dignitati; tum ex celebri ſententia Auguſtini *tract.* 10. *in Ioannem* dicentis quod *Beata Virgo felicior fuit concipiendo Chriſtum mente, quam ventre* & lib. de Sancta Virginitate c. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti quam concipiendo carnem Chriſti*, nonnulliſque interpoſitis *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet*; ergo gratia & ſanctitas eſt æſtimationis valoriſque majoris, quam Maternitas, & opus valore ſuo morali illam adæquans poteſt à fortiori adæquare Maternitatem; hancque adæquaſſent opera Virginis ſi, ut poterant, non fuiſſent à Deo compenſata, & quodammodò conſumpta collatione augmenti gratiæ. Sed contra Denominatio etiam extrinſeca in moralibus plurimum confert ad æſtimabilitatem & valorem: deindè Maternitas magis, quàm per denominationem purè extrinſecam, ſpectat ad ordinem

73. Quomodò Maternitas Dei ſit quid majus, ſeu æſtimabilius gratia & gloria?

hypoſtaticum, fundatur enim in actione generativâ, quæ per nos eſt complexum Virginis & Chriſti Domini, adeòque ſuo modo includit intrinſece unionem hypoſtaticam. Ad auctoritates dico illas ex terminis ad ſummum inferre, quod gratia & ſanctitas cōferant ad majorē felicitatē ſeu beatitatē quàm Maternitas, at non ad majorē dignitatē ſeu nobilitatē, ut obſervat Gonetus *præc* §.3.*n*.118. Dici inſuper poteſt gratiâ, & ſanctitatem eſſe æſtimabiliorem Maternitate titulo perfectionis, ut ita dicam, lucrativæ & conferentis ad meritū; at non titulo perfectionis dignificativæ & ſpectantis ad ordinē, vel etiam æſtimabiliorem formaliter, & non radicaliter & cauſaliter, nam ipſamet præſtantia gratiæ & ſanctitatis in Virgine fuit propter Maternitatem, adeóque radicaliter & cauſaliter à Maternitate quoad ordinem intentionis & finis, penes quem maximè attenditur rerum dignitas, nobilitas, & excellentia.

---

§. VI.

De Cauſâ Incarnationis diſpoſitivâ: Vtrùm ſcilicet Vnionem ad Verbum præceſſeret, aut præcedere in Humanitate potuerit, aliqua diſpoſitio?

74. Incarnationem non præcedit de facto in humanitate ulla diſpoſitio.

ASSIRT 1. Unionem ad verbum non præceſſit de facto in humanitate ulla diſpoſitio, neque phyſica, neque moralis. Ita D. Thomas *hic qu* 2 *art*.10.*qu*.6.*art*.6. *&* *qu*.7. *art*.13. Scotus *in* 3.*diſt*.2 *qu*.2.§.*Contra hoc arguo*. Durandus *ead.diſt.quæſt*.3. Aureolus *art*.4. Gonetus *hic diſp* 10.*art*.2. Gabriel à S. Vincentio *diſp*.8. *dub*.13.§.6. Suarez *diſp*.20 *ſec*.2. Vaſquez *diſp*. 40.*cap*.2. Amicus *diſp*.13. & cum utraque Thomiſtarum & Scotiſtarum Scholâ cæteri Recentiores communiter contra Alenſem 3.*par.qu*.7. *memb* 2.*art*.8. & *quæſt*.12.*memb* 1 *art*.1. arbitratum gratiam habitualem in humanitate præceſſiſſe naturâ unionem ad Verbum, & phyſicè ad ipſam diſpoſuiſſe, quod etiam probabile cenſuit Gabriel *in* 3.*diſt*.1. *quæſt*.2.*art*.2. & *diſt*.2. *quæſt un art*.2. quem *ibid*. habemus magis ex profeſſo Adverſarium pro diſpoſitione morali, ſicut & Bonaventuram *ead.diſt*.2.*art*.3.*quæſt*.2. Carthuſianum *quæſt*.3. Marſilium *quæſt*.10.*art*.1. & nonnullos alios antiquos Scholaſticos.

75. Probatur aſſertum univerſim quoad utramque diſpoſitionem; ea enim quæ ſingillatim improbant diſpoſitionem phyſicam afferentur opportunius in ſequenti aſſerto, quo talis diſpoſitio phyſica, quamvis non diſpoſitio moralis, neganda eſt etiam relatè ad potentiam abſolutam; probatur, inquam, quoad utramque diſpoſitionem: Diſpoſitio ſive phyſica, ſive moralis, in humanitate præcedens unionem hypoſtaticam deberet eſſe aliquod ſupernaturale accidens, ſive deindè foret habitus ſive actus, ſive modus accidentalis &c. atqui unionem hypoſtaticam, ſeu unionem ad Verbum non præceſſit de facto in humanitate ullum ſupernaturale accidens; ergo non præceſſit de facto ulla diſpoſitio, neque phyſica, neque moralis. Major patet, quia niſi eſſet aliquod ſupernaturale nullam prorſus haberet proportionem cum unione ad Verbū, quæ eſt in ſupremo ſupernaturalitatis gradu eo ipſo deindè, quod eſſet aliquid ſupernaturale, deberet eſſe accidens, cum præter ipſam unionem hypoſtaticam non ſit dabile quidquam ſubſtantiale ſupernaturale in creatis: Minor deducitur *ex præc*.§.5. & cōfirmatur ulterius ex eo quod unionē cum ſubſiſtentiâ naturali non præcedit in naturâ ullum accidens naturale, ergo neque unionem cum ſubſiſtentia ſupernaturali, qualis eſt unio cum Verbo præcedit in humanitate ullum accidens ſupernaturale; commune enim eſt accidenti ſupernaturali æquè ac naturali advenire ſubjecto ſubſtantialiter completo.

Neque phyſica neque moralis.

Dices benè hoc procedere, quando complementum ſubſtantiale eſt naturale & proportionatum ſubjecto, non ſic quando eſt ſupernaturale, improportionatum, & excedens, ut eſt ſubſiſtentia Verbi reſpectu humanitatis, ad quam propterea oportet humanitatem diſponi medio aliquo ſupernaturali accidente juxta univerſalem doctrinam D. Thomæ 1.*p.q*.12. *art*. 5.*in c*. dicentis *Omne quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam*. Porrò talis diſpoſitio pro re præſenti, non poteſt in alio accidente ſupernaturali melius collocari, quàm in gratia habituali, cum hæc ſit quolibet alio accidente ſupernaturali perfectior, & gratiæ unionis propinquior, adeò ut ex D. Thoma quæſt. 8. art. 5. ad 3. *poſſit quodammodo dici gratia unionis, prout facit congruitatem quamdam ad unionem*. Accedit quod idem S. Doctor *in* 3.*diſt*.2.*quæſt*.2. *artic*.2 *ad* 1. *quæſt*. gratiam habitualem appellat expreſsè *medium congruitatis reſpectu gratiæ unionis*, *&* *ead.diſt*. *ad Annibal.quæſt un.art*.3. ait quod Verbum divinum *animam mediante gratia aſſumpſit*, *quia congruum erat animam ſua imagine inſignitam, & gratia repletam aſſumere*, & clarius adhuc loquitus *q*.29.*de Ver.art*.2.*in c*. ſtatuens gratiam habitualē requiri ad unionē *ut diſpoſitionem congruitatis, quāvis non neceſſitatis*; quod eſt idem ac dicere ut diſpoſitionem moralem, quamvis non phyſicam. Tandem *hic qu*.7.*art*.12.*in c*. *&* *ad* 2. docet gratiam habitualem ordinari ad gratiam unionis, tamquàm ad finem, ad iſtam
igitur illa ſe habet ut medium; at medium in 76.
executione præcedit finem, & finem cauſat, aut ſaltem ad ipſum diſponit; ergo. Sed contrà, cōplementum ſubſtantiale quamvis ſupernaturale & excedens ex eo, quod detur ad per ſe eſſe, non ad operari; in ordine ad ſe, non in ordine ad aliud; debet omne accidens præcedere & nullam diſpoſitionem præhabere, quod maximè verum eſt in caſu noſtro, in quo complementum ſupernaturale & excedens advenit loco complementi naturalis & debiti, eoque tempore & modo præciſis imperfectionibus quo iſtud adveniret. Ad probationem deſumptam ex doctrinâ D. Thomæ dico ibi Sanctum Doctorem agere de elevatione ad ſupernaturalem operationem; & libenter admitto omne, quod elevatur (ſubintelligendo in operari) ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportere, quod diſponatur &c. at dum humanitas elevatur ad unionem hypoſtaticam, elevatur in

eſſendo

eſſendo, non in operando; ad ſupernaturaliter eſſe, non ad ſupernaturaliter operari, ideò &c. Neque dicas non eſſe majorem rationem de neceſſitate diſpoſitionis pro elevatione, quæ fit ad operari; quam pro ea, quæ fit ad eſſe: Contra enim tradita jam eſt ſufficienter major ratio ex eo quod in elevatione, quæ fit ad eſſe ſubjectum nondum eſt capax diſpoſitionis & perfectionis accidentalis, cum nondum ſit completum ſubſtantialiter; ſupponitur verò ſic completum in elevatione, quæ fit ad operari? Præterea aliquis alius ejuſdẽ majoris rationis titulus habetur ex dicendis *ſeq.n.79.*

77. *Expenduntur variæ D. Thomæ auctoritates pro diſpoſitione morali.* Circa reliquas D. Thomæ auctoritates, ob quas non pauci putant ipſum ſtare cum Adverſarijs quoad diſpoſitionem moralem, dico in primis S. Doctorem nimis apertè protuliſſe ſenſum ſuum locis in aſſerto memoratis ex quæſtione præſertim 6. & 7. ubi ex profeſſo ſtatuit gratiam habitualem eſſe in Chriſto naturâ poſteriorem unione, tamquàm effectum conſequentem ad ipſam & conformiter ad hos textus D. Thomas, vel cum Cajetano *ead. qu. 6. art. 6.* præſumendus eſt retractaſſe in Summa, quod docuerat *in 3. & in quæſt. diſp. de Verit.* vel cum Goneto *præcit. art. 2. num. 28.* intelligendus de diſpoſitione morali, conſequente tamen, non antecedente unionem, adeò ut appellet gratiam habitualem, virtutes infuſas, medium ſeu diſpoſitionem congruitatis reſpectu unionis, quatenus congruum & decens fuit naturam Verbo unitam talibus donis ornari & inſigniri; eo ferè modò quo annuli, gemmæ, & hujuſmodi mulicbria ornamenta, quæ à Principe traduntur Virgini ſibi deſponſatæ dici poſſunt medium congruentiæ reſpectu deſponſationis, in quantum decent talem ſponſam, eamque reddunt Principi congruam. Supereſt auctoritas deſumpta *ex quæſt. 7. art. 12.* at hoc loco D. Thomas non dixit in terminis gratiam habitualem in Chriſto ordinari ad unionem hypoſtaticam, tanquàm ad finem; & quatenus ponit aliquid, ex quo poteſt id inferri, intelligendus eſt non de fine conſequendo per ipſam gratiam habitualem, ſed de fine, cui aliundè poſito gratia habitualis inſerviat ad manifeſtationem quodammodò, & majorem quamdam ejus perfectionem; at quod hoc modo ad finem ordinatur non eſt medium præcedens & cauſans in executione finem, ut patet in creaturis omnibus ad Deum, ut ad finem, eo modo ordinatis, nec proptetea ullam habentibus reſpectu Dei prioritatem, aut cauſalitatem.

78. Aſſert. 1. Unionem ad Verbum de potentiâ abſolutâ præcedere in humanitate potuit diſpoſitio moralis: at non diſpoſitio phyſica. Aſſertum recipitur, aut ſupponitur communiter, quámvis quoad impoſſibilitatem diſpoſitionis phyſicæ ſit à fortiori contrà Alenſem & Gabrielem relatos *præced. num. 74.* Quoad poſſibilitatem verò diſpoſitionis moralis ſit aliqualiter contrà Vaſquium *præcit. diſp. 40. cap. 3. num. 11.* quatenus de gratiâ habituali in particulari docet eam nec de potentia abſoluta potuiſſe moraliter ad unionem diſponere. Nihilominus

Diſpoſitio moralis ad Incarnationem non repugnat de potent â abſolutâ. Probatur prima pars imò probatione vix indiget, poſtquam ſuprà §. 1. ex profeſſo oſtenſum eſt potuiſſe humanitatem antecedenter ad unionem & independenter ab unione habere, tum gratiam ſivè habitualem ſivè actualem, tum ſupernaturalia virtutum opera; at tum gratia habitualis tum hæc opera reddidiſſent humanitatem magis congruam, magis coaptatam, & magis ut ità dicam propinquam unioni; ergo fuiſſent ad unionem diſpoſitio moralis, quæ nihil eſt aliud, quam diſpoſitio congrua & ex decentia quadam, ac congruitate, movens divinam voluntatem ſuppoſitâ ipſiuſmet divinæ voluntatis ordinatione de tali diſpoſitione præmittenda ſeu prærequirendâ. Accedit quod diſpoſitio moralis à merito congruo vix diſtinguitur; & quatenus diſtinguitur eſt aliquid merito cõgruo minus, cũ igitur ſuperius aſſerta ſit in humanitate Chriſti poſſibilitas meriti cõgrui reſpectu Incarnationis, à fortiori eſt modo proportionaliter aſſerẽda poſſibilitas diſpoſitionis moralis. Porrò illud quo Vaſquez probare contendit gratiam habitualem non potuiſſe moraliter diſponere ad unionem eo quod non potuerit non dari dependenter ab unione impugnatum jam eſt *præcit. §. 1.* Quod addit gratiam habitualem, ſi nunc non movit Deum ad uniendam ſibi humanitatem, neque unquam movere poſſe, eo quod aliquid novi deberet advenire gratiæ habituali ut moveret, non apparet autem quid novi ei advenire poſſit? Hoc, inquam, non obſtat, quia quod gratia habitualis de facto non moverit non eſt defectu virtutis motivæ in actu primo ſed defectu prioritatis, aut ſi vis etiam ordinationis divinæ requiſitæ ad movendum in actu ſecundo; ideò ut poſſit movere ſatis eſt, quod poſſit, ut poteſt præcedere unionem, & ordinari ad præparandum unioni ſubjectum, nec quærendum ulteriùs eſt quidquam novi gratiæ adveniens.

79. *Repugnat verò diſpoſitio phyſica* Probatur ſecunda pars: diſpoſitio phyſica debet eſſe ejuſdem ordinis, & connecti ex naturâ rei cum forma ad quam diſponit, adeò ut hanc trahat naturali quadam neceſſitate: debet item habilitare & complere capacitatem, virtutemque ſubjecti activam ſi diſponat ad agendum, paſſivam ſi ad recipiendum; atqui nec de potentiâ abſolutâ eſt dabilis in humanitate diſpoſitio ejuſdem omnino ordinis & connexa ex naturâ rei cum unione ad Verbum, aut quæ cõpleat & habilitet phyſicè unibilitatem humanitatis ad Verbum; ergo nec de potentiâ abſolutâ eſt dabilis diſpoſitio phyſica, quæ in humanitate præcedat unionem ejus ad Verbum: Minor probatur, quia antecedenter ad unionem non eſt dabile in humanitate aliquid, quod ſit ordinis hypoſtatici, & cogat quodammodo Deum ad uniendum ſe humanitati, reddatque unionem debitam humanitati ex naturâ rei, non gratioſam & profectam ex gratuitâ Dei voluntate; Non eſt item dabile aliquid complens & habilitans humanitatem in ratione unibilis ad Verbum, dupliciter enim poteſt hoc evenire vel tollendo impedimentum phyſicum unionis, & hoc ſi aliquod eſt in humanitate eſt ſubſiſtentia propria, quæ ſicuti cum nullo accidente ſupernaturali pugnat, ità à nullo ſupernaturali accidente expelli poteſt; vel conſtituendo cum humanitate unum receptivum connaturalius unionis, qua ratione lumen gloriæ diſponit intellectum ad viſionem efficiendam & recipiendam

dam

dam, quatenus eſt comprincipium & ſuo modo conſubjectum viſionis; at nullum accidens poteſt conſtituere cum humanitate receptivum connaturalius unionis, cum nullum accidens ſit immediate unibile Verbo ad ſubſiſtendum; ergo à primo ad ultimum nec de potentiâ abſoluta eſt dabilis in humanitate diſpoſitio ejuſdem omnino ordinis & connexa ex naturâ rei cum unione ad Verbum, aut quæ compleat & habilitet phyſicè unibilitatem humanitatis ad Verbum. Confirmatur primò: ex dictis *tract. 5.*
80. *lib.. cap.1.§.5.* Non eſt dabilis diſpoſitio phyſica ad gratiam habitualem; ergo multo minus ad gratiam unionis, quæ eſt in ordine ſupernaturali prior atque excellentior, & datur ad ſupernaturaliter eſſe magis, quam gratia habitualis; cum iſta detur ad eſſe ſupernaturale accidentale, illa ad eſſe ſupernaturale ſubſtantiale & perſonale. Confirmatur ſecundò: ſi eſt ad unionem dabilis aliqua diſpoſitio phyſica hæc maximè eſſet, aut habitus gratiæ, aut habitus luminis gloriæ; cum iſti duo habitus ſint qualitates omnium perfectiſſimæ, atqui neuter habitus eſſe poteſt diſpoſitio phyſica; non habitus luminis, quia ſecus omnes beati eſſent phyſicè diſpoſiti adeóque haberent connaturale jus ad unionem hypoſtaticam, multo minus habitus gratiæ, quia ſecus tale connaturale jus haberent omnes juſti; ergo, &c.

Dices primò impugnando poſtremam aſſerti confirmationem: Habitus gratiæ per nos eſſe poteſt diſpoſitio moralis ad unionem, nec proptereà ſequitur omnes juſtos eſſe ad talem unionem moraliter diſpoſitos aut habere ad ipſam morale jus, ergo ex eo, quod eſſe poſſet diſpoſitio phyſica, malè nos inferimus, quod omnes juſti eſſent phyſicè diſpoſiti & haberent connaturale jus ad eandem unionem. Confirmatur illationis inſufficientia ex poſſibilitate gratiæ ſpecie diverſæ ab ea, quâ de facto juſtificamur; quæ gratia ſpecie diverſa excogitabilis eſt, ut phyſica ad unionem diſpoſitio abſque eo, quod talis ſit gratia de facto reperta in omnibus ju-
81. ſtis. Sed contrà: Ratio diſpoſitionis moralis dependere poteſt ab ordinatione divinâ, nec convenit ſemper rei in actu ſecundo, ratio diſpoſitionis phyſicæ habetur ſimpliciter ex naturâ rei, & convenit rei ſemper ac neceſſariò, ideò gratia benè eſſe poteſt diſpoſitio moralis, quamvis defectu ordinationis divinæ talis non ſit de facto in omnibus juſtis, ſi verò eſſe poſſet diſpoſitio phyſica, quia hoc haberet neceſſario & ex naturâ rei, deberet de facto in omnibus juſtis talis eſſe connaturaliter loquendo. Ad confirmationem ſuppono in primis *ex tract. 5. lib. 3. cap. 1. §. 7. & cap 3. §. 1.* non eſſe poſſibilem gratiam ſpecie diverſam ab ea, quâ de facto juſtificamur, deindè quando eſſet poſſibilis, malè ei potius, quam gratiæ de facto exiſtenti, tribueretur aptitudo diſponendi phyſicè ad unionem, quia neque illa eſſet ejuſdē omnino ordinis & connexa ex natura rei cum unione, ideò, &c.

Dices ſecundò probando in univerſum habitum gratiæ poſſe eſſe diſpoſitionem phyſicam ad unionem: Quod eſt connaturalis proprietas alicujus formæ, ſi talem formam præcedat eſt phyſica ad ipſam diſpoſitio; atqui habitus gratiæ (eadem eſt ratio de cæteris habitibus infuſis) eſt connaturalis proprietas unionis hypoſtaticæ, & poteſt unionem hypoſtaticam præcedere; ergo poteſt eſſe phyſica ad unionem diſpoſitio: Minor quoad primam partem conſtabit ex eo, quod infra ſtatuetur ratione unionis hypoſtaticæ dari in Chriſto tamquam connaturaliter debitam gratiam habi-
tualem, quoad ſecundam tradita jam à nobis eſt ſuperius §. 1. ergo. Sed contra: diſtinguo majorem, quod eſt connaturalis proprietas alicujus formæ, tamquàm quid ejuſdem ordinis cum ipſa & perfectio ei commenſurata, ſi præcedat, eſt phyſica diſpoſitio, concedo; quod eſt connaturalis proprietas tamquàm quid inferius, & ſubſerviens, nego; gratia autem habitualis ſolù hoc ſecundo eſt modo connaturalis proprietas unionis hypoſtaticæ &c. ratio à priori eſt, quia ſuperius benè poteſt exigere connaturaliter aliquid inferius, abſque eo quod inferius poſſit viciſſim exigere ſuperius; ſic accidens ſupernaturale exigit naturalem ſubſtantiam pro ſubjecto, naturalis ſubſtantia non exigit ſupernaturale accidens pro forma: homo exigit & infert corporeitatem, non corporeitas hominem: Lumen gloriæ aut fidei exigit lumen naturæ, non è contra; ideò &c. 82.

Quomodò gratia habitualis ſit connaturalis proprietas gratiæ unionis

Dices tertiò: In materia præcedunt diſpoſitiones phyſicæ unionem ejus cum formâ ſubſtantiali; ergo etiam in humanitate præcedere poſſunt diſpoſitiones phyſicæ unionem ejus
cum ſubſiſtentiâ divinâ. Sed contra: diſparitas 83.
eſt, quia materia ſupponitur ſubſiſtens, adeóque in ratione materiæ ſubſtantialiter completa, & capax perfectionis accidentalis, antè unionem cum forma ſubſtantiali, non ſic humanitas ſupponitur ſubſiſtens antè unionem cum ſubſiſtentiâ divinâ; imò nec ſupponitur exiſtens, cum ſupra dixerimus corpus & animam uniri cum ſubſiſtentiâ divinâ prius naturâ quàm uniantur inter ſe, quod eſt idem ac dicere priùs naturâ, quàm conſtituant humanitatem. Neque dicas: ſaltem inſtantia vim habet in ſententia ponente materiam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ totius, vel in hypotheſi, qua humanitas, ut poteſt, antè unionem cum ſubſiſtentiâ divinâ ſubſiſteret ſubſiſtentiâ creatâ. Contra enim: utrobique militant rationes communes ſupra relatæ, quod ſcilicet non ſit dabile accidens ejuſdem ordinis & connexum ex naturâ cum ſubſiſtentiâ divina, cum tamen ſit dabile accidens taliter connexum & ejuſdem ordinis cum formâ ſubſtantiali: Præter quod Auctores ponentes materiam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ totius ponunt etiam non requiri in materiâ diſpoſitiones ad formam, niſi quando illa antecedenter eſt ſub aliâ formâ, adeóque in alio toto, & ſubſiſtens ſubſiſtentiâ totius.

LIBER SECVNDVS.

DE

PERSONA CHRISTI

EIVSQVE INTELLECTV, Voluntate, & Sanctitate.

ABSIT hinc perſonarum acceptor, & quiſquis extimâ rerum facie contentus negligit penitiora ſervari: Quotus quiſque hujuſmodi eſt illico ſub præfixo titulo inſipienter offendet, ſervilis ſcilicet formæ inſpectione detentus, & conditionis humanæ ſpecie deceptus, nobiliota quæ latent non exquiret, nimiumque abſurdâ perſonæ acceptione homines cæteros coæquabit Chriſto, nec perſonis præferet humanis divinam; quâ tamen ſecundum utramque naturam ſubſiſtit Chriſtus, dum eſt *idem* (cum Leone loquor) *& ſempiternus ex Patre, & temporalis ex Matre, in Deitate Trinitatis cum Patre, & cum Spiritu ſancto unius ejuſdemque naturæ; in ſuſceptione autem hominis non unius ſubſtantiæ, ſed unius eiuſdemque perſonæ*; adeò ut permutatis penè dixerim Myſteriorum vicibus, ſicut auguſtiſſima Trinitas numerum perſonarum exhibet in unitate naturæ, ità Incarnatio ineffabilis numerum proferat naturarum in unitate perſonæ: Hanc verò perſonæ unitatem, proh mirum: quanta in Chriſti mente ſcientia, quanta in voluntate rectitudo, quanta in tota humanitate Sanctitas conſequatur; inſignis prorsùs ternio, imo cumulus perfectionum ſuppeditans digniſſimam Theologicâ conſideratione materiem, quam pro modulo noſtro in præſentis libri progreſſu expendemus, poſtquam attigerimus nonnulla, quæ circa ipſam Chtiſti perſonam ſuperſunt ex pluribus circà eandem jam pertractatis *præced. cap.* 4. dum ageretur de modo unionis ex parte petſonæ aſſumentis ſeu Verbi. Sit igitur D.Leo ep.11.

CAPVT I.

Expenditur in Chriſti Perſonâ compoſitio & idiomatum communicatio.

1. SUB hoc titulo occurreret in primis ſtabilienda contrà Neſtorium unitas ſeu unicitas Perſonæ in Chriſto, niſi fuiſſet id jam peractum ſuperius *cap.* 4. §. 2. Suppoſitâ igitur unâ Chriſti Perſonâ, duo potiſſimum circà ipſam ſuperſunt examinanda: Primum utrum ſit ſimplex, an compoſita? Secundum quomodo ratione unitatis perſonæ, & compoſitionis duarum naturarum in unâ eademque perſonâ, detur inter utramque Chriſti naturam idiomatum communicatio, quæ quidem licet ut plurimum à Scholaſticis in totius tractatus calcem reſervetur, habet nihilominus locum valdè opportunum in præſenti, ubi eam libenter expono etiam, ne caput iſtud nimis tenue ſit ex parvitate materiæ ſub ipſo pertractandæ.

Porrò quantùm ad primum attinet, ſumimus perſonam Chriſti non præcisè ſecundum quod eſt perſona divina Verbi, multóque minus abſtractè pro perſonalitate; nam perſona Verbi, ſicut & alia quælibet perſona divina, licet importet perſonalitatem & divinitatem, importat tamen utramque cum identitate adeóque cum ſimplicitate, non cum compoſitione reali, quidquid deinde ſit de compoſitione virtuali, quæ impertinenter ſe habet ad rem præſentem: Perſonalitas à fortiori ſimpliciſſima eſt, non ſolum quia divina, ſed etiam quia forma abſtracta; Nec audiendi ſunt qui perſonalitatem Verbi in Chriſto excogitarunt compoſitam ex duplici habitudine, alterâ, quâ divinam; alterâ, quâ humanam naturam terminat: Audiendi, inquam, non ſunt, & valdè errarunt, quia ea duplex habitudo ex parte perſonalitatis nequit diſtingui plus, quam denominativè & ratione ratiocinante, adeóque eſt prorſus inſufficiens ad compoſitionem 2. Perſonalitas Verbi in Chriſto non componitur ex duplici habitudine ad duplicem naturam.

realem, de quâ nunc agitur: Præter quod Concilia, & Patres, dum perſonam Chriſti appellant compoſitam, loquuntur de compoſitione immediata ex Verbi perſonalitate & humanitate, ad quam conſequatur compoſitio mediata ex humanitate & divinitate, & hinc intendunt in Chriſto ſtatuere, tum duas naturas impermixtas & inconfuſas contra Eutychetem, tum unicam Perſonam tanquam utriuſque naturæ nexum contra Neſtorium, ad quod totum nihil, aut parum confert, compoſitio perſonalitatis ex duplici illâ habitudine, quamvis placuerit nonnullis Auctoribus tacito nomine memoratis à Suarezio *diſputat.7.ſec.4 ¶.Tertio intelligitur* & Lugo *diſputat.10. num.* 4. Sumimus igitur in præſenti perſonam Chriſti omnino adæquatè, & ſecundum quod per eam Chriſtus ſubſiſtit in duabus naturis: Sub quâ acceptione ſit

§. I.

Utrùm Chriſtus ſit perſona ſimplex, an compoſita: & Quomodo?

3. Perſona Chriſti eſt verè propriéque cōpoſita.

ASSERT. 1. Chriſtus eſt Perſona verè & propriè compoſita. Ita D.Thomas *hic quæſt 2.articul.4.* Medina *eod. artic* Joannes à S. Thomâ *diſputat 4 art.4.* Gonetus *diſp 6. artic.2.* Suarez *diſputat.7 ſec 4.* Vaſquez *diſputat.16.cap.2.* Valentia *diſputation.1.quæſt. 2. punc 4.* Amicus *diſput. ſec.2.* Arriaga *diſp.28. ſec.1.* Madernus *quæſt. 4. art. 3.* cæterique tum Thomiſtæ tum Recentiores communiter contrà Magiſtrum *in . diſt.6* Bonaventuram *ead. diſt. art.1. quæſt 2.* Scotum *quæſtion. 3.* Durandum *quæſt.3.* Marſilium *quæſt. artic. 1. dub.5.* Gabrielem *quæſtion.1 articul 3.* aliuſque plures antiquos Scholaſticos, ad quos ex Thomiſtis accedit Cajetanus *hic quæſtion. 2. art 4.* volens Perſonam Chriſti non poſſe dici compoſitam, niſi addendo *ineffabiliter*, aut aliquid ſimile. Hujuſmodi diſſidium Scholaſticorum vix eſt niſi de nomine, provenit enim ex diverſo modo explicandi compoſitionem veram & propriam, quam Antiquiores exiſtimarunt eſſe non poſſe ſine aliquâ utriuſque componentis imperfectione, ſecus Recentiores. ideò iſti vocant compoſitionem propriam & ſine addito id, quod illi aut prorſus compoſitionem eſſe negabant, aut non admittebant eſſe niſi impropriè, & cum addito, quo denotaretur imperfectionem excludi. Quia verò in iis, quæ pertinent ad modum loquendi & ad ſignificationem nominum magni ponderis eſt auctoritas & conſuetudo verborum, quæ apud Concilia, & Patres invaluit.

4. Probatur aſſertum ex Concilijs & Patribus ſimpliciter & ſine addito appellantibus Chriſtum perſonam compoſitam, unionemque Verbi cum carne compoſitionem: Sic ex V Synodo generali, Conſtantinopolitanâ II. *act.8.can* 4. anathematizatur *Qui non confitetur unitionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali ſecundum compoſitionem ſivè ſecundum ſubſiſtentiam, factam eſſe. ſicut ſancti Patres docuerunt; & ideò unam eius ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, nonnulliſque interpoſitis circà errorem Eutychetis & Neſtorij ſubditur *Sancta Dei Eccleſia utrinſque perfidiæ impietatem reijciens, unitionem Dei Verbi ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur.* Ex Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *can.* 8. condemnatur *qui non confitetur propriè & verè ſecundum compoſitionem, ideſt ſecundum ſubſiſtentiam naturarum unitionem, ex quibus unus & ſolus extitit Chriſtus.* Ex D. Damaſceno *libro 4. cap. 4.* habetur *In Domino noſtro Ieſu Chriſto duas quidem naturas, at unam dumtaxat perſonam ex utraque natura compoſitam agnoſcimus* Ex D. Dionyſio *de Eccleſiaſtica hierarchia cap.3.* circà finem *Unum illud & ſimplex Ieſu divini verbi noſtra humanitatis aſſumptione ad compoſitum, atque viſibile, ſine immutatione ſui per ſummam clementiam proceſſit.*

5. Confirmatur alijs auctoritatibus infrà afferendis ſejunctim pro compoſitione, tum mediatâ ex duabus naturis, tum immediatâ ex perſonâ Verbi & naturâ humanâ: Nec congruè dicitur omnes hujuſmodi auctoritates, aut indigere aliquo additamento, aut eſſe intelligendas in ſenſu improprio; enim verò ex unâ parte nulla ad hoc ſufficiens ratio, nulla neceſſitas cogit, ut conſtabit ex propugnatione ſequentis aſſerti ejuſque vindicatione ab Adverſariorum oppoſitionibus; ex aliâ parte Concilia, & Patres, tunc maximè debent intelligi in ſenſu abſoluto, proprio & rigoroſo, quando loquuntur in materiâ fidei explicando veritatem alicujus Myſterij contrà hæreticos; alioqui facile eſſet eludere omnes dogmaticas definitiones, eis apponendo aliquod additamentum, aut eas interpretando late & impropriè; cum igitur in propoſito (ut jam ſemel & iterum monui) Concilia, & Patres loquantur in materia fidei explicando veritatem Myſterij Incarnationis contrà Eutychetem & Neſtorium, conſequens eſt, &c.

6. Compoſitio Perſonæ Chriſti eſt, tum mediata ex duabus naturis, tum immediata ex perſonalitate & natura.

Aſſert. 2. Chriſtus eſt Perſona verè & propriè compoſita, tum mediatè, tum immediatè; mediatè quidem ex naturis humana & divina, immediatè verò ex natura humana, & perſonalitate Verbi. Hoc aſſertum eoſdem habet Patronos, eoſdemque Adverſarios, quos aſſertum præcedens, excepto quod Aſturicenſis *quæſt.7 de gratia Chriſti conclu.* 4. alijque nonnulli admittunt Chriſtum eſſe perſonam verè propriéque compoſitam, at duntaxat ex naturis humana & divina; non ex humanitate & perſonalitate Verbi.

Probatur primo auctoritate: nam compoſitio ex naturis humana & divina habetur ex VI. Synodo generali *act 4.* illis verbis *Item confitemur Chriſtum ex duabus naturis compoſitum*: ex D Gregorio homil. 38 in Evangelia, *Ex duabus quippè atque in duabus hunc* (ſubintellige Chriſtum) *naturis exiſtere dicimus*; ubi ly *ex* compoſitionem denotat, alioqui dicēdus eſſet Chriſtus in duabus ſolum non ſimul ex duabus naturis exiſtere, ſeu ſubſiſtere. Cōpoſitio deindè ex natura humana, & perſonalitate

litate Verbi, habetur ex ſimbolo Athanaſij, in quo de Chriſto Domino dicitur *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*: ex Auguſtino *lib.13. de Tr. cap.17.* dicente *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantijs fieret una perſona, ac per hoc iam ex tribus, ſcilicet ex Deo, animâ, & carne.* His & ſimilibus auctoritatibus explicantibus in Chriſto com-

7. Eſt verè *ex his*, non verò ſolùm aut *hujus ad hoc* *unum cum his*.

poſitionem per particulam *ex* directè oppugnatur, quod Durandus *præcit. quæſt.3.* ait admitti poſſe in Chriſto compoſitionem, at non *hujus ex his*, quæ ſola eſt compoſitio propria, ſed *huius ad hoc*, non quidem tamquam accidentis ad ſubjectum, benè verò tamquàm terminantis ad terminabile; quæ eſt compoſitio impropria. Oppugnatur pariter modus loquendi quorumdam aliorum agnoſcentium in Chriſto compoſitionem non *ex his* ſed *cum his*, nomine compoſitionis *cum his* nihil aliud intelligendo, niſi unionem ſeu medium *quo* unum conjungitur alteri & ponitur ſimul cum altero,

Probatur ſecundò ratione: Verè & propriè compoſitum eſt unum conſtans ex duobus aut pluribus realiter diſtinctis, veraque & propria compoſitio eſt realiter diſtinctorum unio; datur igitur in Chriſto vera & propria compoſitio eo modo, quo datur unio realiter diſtinctorum; atqui datur in Chriſto unio, tum mediata inter naturam humanam & divinam, tum immediata inter naturam humanam & perſonalitatem Verbi; realiter item diſtinguuntur ab invicem, tum natura humana & natura divina, tum natura humana & perſonalitas Verbi; ergo Chriſtus eſt perſona verè & propriè compoſita, tum mediatè, tum immediatè; mediatè quidem &c. Minor ſubſumpta partim ſupponitur *ex præs. cap.4. §.1. & 2.* partim per ſe innoteſcit; antecedens probatur; compoſitum ex vi nominis eſt aliud cum alio poſitum & compoſitio eſt alterius cum altero poſitio, quibus terminis ſynonymum eſt dicere unum conſtans ex duobus aut pluribus &c. ergo verè & propriè compoſitum eſt unum conſtans ex duobus aut pluribus &c.

8. Dices primò impugnando univerſim utramque compoſitionem: Neque natura divina, neque perſonalitas Verbi, habere poteſt veram & propriam rationem componentis; ergo Chriſtus verè & propriè non componitur aut mediatè ex naturis humanâ & divinâ, aut immediatè &c. conſequentia patet, quia compoſitum & compoſitio ſequuntur conditionem componentium, & ſicuti nequeunt illa ſine iſtis reperiri, ita ſine iſtis propriè talibus nequeunt illa eſſe propriè talia: Antecedens probatur, Neque natura divina neque perſonalitas Verbi; habere poteſt rationem partis & incompleti, & tamen in hoc conſiſtit vera & propria ratio componentis; nam ſicuti omne compoſitum verè & propriè eſt totum, ita omne componens verè & propriè eſt pars; præter quod omne componens ad compoſitum ſe habet ut incluſum ad includens, incluſum autem ſicuti diſtinguitur inadæquatè ab includente, ita ad includens ſe habet per modum inadæquati & partis: Compoſitum igitur verè & propriè importat aliquid amplius, quàm vox ipſa ſonet, præter hoc ſcilicet, quod eſt eſſe cum alio poſitum, importat rationem partis & incompleti ex parte eorum, quorum unum cum alio ponitur; & defectu iſtius conditionis perſona Chriſti non eſt dicenda verè & propriè compoſita; hæcque eſt ipſiſſima mens D. Thomæ *in 3. diſt.6. quæſt.2. art.3. in c. & in reſp. ad argum.* ubi ait ſalvari in perſona Chriſti aliquam conditionem, non veram rationem compoſitionis, & Damaſcenum à nobis ſupra relatum intelligit perſona compoſita ſecundùm quid; ſeu quantum ad aliquid; non ſimpliciter, & quantum ad perfectam rationem compoſitionis.

9. Pars ſecundùm aliquos abſtrahit ab imperfectione.

Sed contra: nego antecedens, in cujus probatione ecce iterum occaſionem quæſtionis de nomine, nam utrum hoc nomen *pars* ſit inſtitutum ad ſignificandum aliquid imperfectum atque incompletum, in quæſtione eſt, & negat Arriaga *præc. diſp.18. num.10.* afferens pro ſuæ negationis fundamento aliquas non levis ponderis auctoritates; demus id tamen conformiter ad communionem loquendi modum & conſequenter ad id quod alibi diximus non poſſe Deum venire cum creaturâ in compoſitionem per modum partis; demus id, inquam, & potius negemus in ratione partis conſiſtere veram & propriam rationem componentis; negemus item omne compoſitum eſſe verè, ac propriè totum, quatenus hoc ſtrictè ſumitur & per reſpectum ad partes; negemus tandem omne componens ad compoſitum ſe habere ut incluſum ad includens, verificatur id dumtaxat, quando componens eſt pars, aut ſaltem quid finitum, cæterùm reſpectu componentis ſimpliciter infiniti ſicuti compoſitum non eſt quid majus niſi extenſivè, ita non ſe habet ut includens, niſi extenſivè. Ad illud quod additur ex Divu Thomâ fateor S. Doctorem *in 3.* fuiſſe in ſententia oppoſitâ; at poſtea eam retractavit *in ſum. præc. art 4.*

Urgebis hoc ipſo *art.4. ad 2.* ita habetur, *Compoſitio perſonæ* (ſubintellige Chriſti, *ex naturis non dicitur eſſe ratione partium, ſed potius ratione numeri, ſicut omne illud, in quo duo conveniunt, poteſt dici ex eis compoſitum*: Ecce igitur S. Doctor eo *art.4.* non ſuſtinet in Perſona Chriſti compoſitionem, niſi impropriam & ratione numeri, qualis eſt compoſitio ſenarij ex duobus ternarijs, ternarij ex tribus unitatibus. quæ quidem compoſitio in ipſis divinis perſonis, quatenus unum ternarium conſtituunt, reperitur: Nec certè videtur excogitabilis alia compoſitio, quàm aut ratione partium aut ratione numeri, adeóque ſi perſona Chriſti compoſita eſt, & non ratione partium, ſupereſt quod talis ſit ratione numeri. Sed contra: S. Doctor per ly *potius ratione numeri* non dicit eſſe ratione numeri præcisè, ſed comparativè & contràpoſitè ad compoſitionem ratione partium, quam ſolam intendit excludere; & quamvis fortè compoſitio omnis in naturalibus reperta ſit aut ratione partium,

10. Quid ſit compoſitio ratione partium, quid compoſitio ratione numeri.

extremorum ſcilicet quæ imperfecta ſint & incompleta; aut præciſè ratione numeri, plurium ſcilicet rerum conſtantium unum numerum nec aliam inter ſe ſpecialem unionem habentium, communis & abſtractiſſima ratio compoſitionis prout dabilis eſt etiam divinitus, & de potentiâ abſolutâ, admittit tertiam ſpeciem quaſi mediam inter compoſi-
Quomodo dabilis compoſitio inter utramque prædictam media? tionem ſecundum partes, & compoſitionem ſecundum numerum, cum illa in compoſitionis proprietate, cum iſtâ in imperfectionis excluſione convenientem, & conſiſtentem in eo, quod extrema, ex quibus neutrum, aut ſaltem non utrumque, ſit pars ſimul ponantur non utcumque, ut evenit in compoſitione ſecundum numerum, ſed intercedente unione ſubſtantiali & faciendo unum per ſe; quomodo autem extrema, ex quibus neutrum aut non utrumque, ſit quid incompletum & pars poſſint ſubſtantialiter uniri, & facere unum per ſe attigimus jam ſuprà *cap.2. num.* 14. & *cap.6.§.1.*

11. Dices ſecundò impugnando ſingillatim compoſitionem mediatam ex naturis humanâ & divinâ: Ex his duabus naturis non fit aliquod unum, alioqui recideretur in errorem Eutychetis de unicâ naturâ in Chriſto poſt adunationem; ergo ex iiſdem non fit vera & propria compoſitio, utpotè quæ ex ſuo communiſſimo conceptu importat unionem componentium. Si reſpondeatur non fieri aliquod unum immediatè, & in ratione naturæ (in quo erravit Eutyches) benè verò mediatè & in ratione perſonæ, in quo nulla eſt ſuſpicio erroris Eutychiani, Inſtaurant inſtantiam Adverſarij & urgent primò: divinæ Perſonæ etiamſi realiter inter ſe diſtinguantur & realiter uniantur in divinâ naturâ, tamen neque mediatè, & in ratione naturæ, faciunt unum inter ſe per veram, ac propriam compoſitionem, ergo proportionaliter duæ naturæ etiamſi realiter inter ſe diſtinguantur, realiterque uniantur in divinâ Perſonâ, adhuc neque mediatè & in ratione perſonæ facient unum, &c. Secundò, ſicuti quæ, uniuntur & componunt immediatè inter ſe, debent diſtingui realiter ab invicem, itâ quæ componunt mediatè & in tertio debent diſtingui realiter à tertio; atqui natura divina non diſtinguitur realiter à Perſonâ Verbi, ergo natura divina & humana neque mediatè & in ratione perſonæ poſſunt facere aliquod unum propriéque componere. Tertiò: Compoſitum eſt ſua componentia, ſivè immediata, ſivè mediata; atqui Chriſtus non eſt natura divina & natura humana; ergo iſtæ duæ naturæ non ſunt Chriſtus componentia neque mediata, & ex ipſis neque mediatè fit aliquod unum per veram ac propriam compoſitionem, minor probatur ex eo, quod inter errores Joannis Hus damnatos in Concilio Conſtantienſi quartus itâ habebat *Duæ naturæ, divinitas & humanitas; ſunt unus Chriſtus.* Sed contrà: tatam habeo reſponſionem inter inſtandum traditam.

12. Ad primam impugnationem dico divinas Perſonas identificati, non uniri divinæ naturæ ideo non componere mediatè & in naturâ, nec ullatenus facere quid unum per propriam compoſitionem: Utrùm verò ex eo quod eidem naturæ identificentur poſſint dici inter ſe unum per identitatem mediatam ſeu inter ſe idem mediatè & ratione naturæ? dicerem eſſe modum loquendi fortè non uſitatum; at nec reijciendum terminis benè intellectis, & ſecluſo omni præjudicio diſtinctionis realis ſuſtinendæ inter tres divinas Perſonas ſimpliciter, & abſolutè prolatas.

Ad ſecundam omitto majorem, diſtinguo minorem; Natura divina non diſtinguitur realiter à perſonâ Verbi ſumpta præciſe & ſecundum ſe, concedo; ſumptâ ſecundum quod eſt in Chriſto perſona compoſita, nego majorem; hac enim ratione includit naturam humanam, à quâ natura divina realiter diſtinguitur; in perſonâ igitur Verbi, ut eſt perſona compoſita, rectè poteſt ipſamet natura divina realiter componere; quamvis in rigore compoſitio hæc mediata realis ſe teneat ex parte humanæ magis, quàm divinæ naturæ; quia à medio, in quo cópoſitio fit, magis diſtinguitur humanitas, quam divinitas; cum illa realiter diſtinguatur à tali medio etiam ut ſimplici & ratione ſui; iſta diſtinguatur realiter ab eodem ſolum ut compoſito, & ſolum relatè ad aliam naturam, cum quâ medium ipſum componit. 13. Natura divina quomodo diſtinguatur realiter à Perſonâ Verbi in Chriſto?

Ad tertiam dico compoſitum eſſe ſua componentia non ſeorſim & diviſivè, ſed ſimul & collectivè accepta, & benè Chriſtum eſſe naturam divinam & naturam humanam ſimul & collectivè. Propoſitio autem Joannis Hus damnata eſt in eo ſenſu, in quo ipſe Hus cum ſuo Magiſtro Vviclepho eam intelligebat & proferebat, intelligebat autem & proferebat eam de duabus naturis divinitate & humanitate ſivè ſimul ſivè ſeorſim, ſivè collectivè ſivè diviſivè acceptis, ut magis oſtendunt Vaſquez *præcit. diſput. 16. cap. 5.* & Lugus *diſp. 10. in appendice*, apud quos etiam reperies eandem propoſitionem legitimè uſurpatam & traditam à Sanctis Patribus Auguſtino, Leone, Damaſceno. Utrum deindè talis propoſitio vera ſit in ſenſu formali, an in identico? & quomodò ſeorſim rectè dicatur Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo; non Chriſtus eſt divinitas, Chriſtus eſt humanitas? aliaque hujuſmodi conſtabunt ex dicendis de communicatione idiomatum *ſeq. §. 3. num. 42.* 14. Chriſtus eſt divinitas & humanitas, quomodo verificetur, quomodo non?

Dices tertio impugnando ſingillatim compoſitionem immediatam ex naturâ humanâ, & perſonalitate Verbi. Perſonalitas, ſeu Perſona Verbi, non poteſt eſſe extremum verè propriéque componens cum humanitate; ergo non datur in Chriſto vera & propria compoſitio immediata ex naturâ humanâ & perſonalitate. Verbi Antecedens probatur primo; Medium, in quo uniuntur extrema componentia, non poteſt eſſe extremum componens, ut conſtat inductione & ex eo, quod ſecus idē ſe haberet ut *quo* & ut *quod*, ut mediū & ut extremum; at ex mox dictis perſona Verbi eſt medium in quo uniuntur humanitas & divinitas, tāquam extrema componentia; ergo. Secundò; Perſonalitas Verbi cum humanitate nec humanam nec divinam perſonam poteſt componere; non humanam, quia ſequeretur dari in Chriſto duplicem perſonam, unam divinam, alteram

Digitized by Google

alteram humanam, quod eſſet ſentire cum Neſtorio; non divinam quia perſona divina eſt ſimpliciſſima, & antecedens humanitatem, compoſitionemque cum ipſâ; ergo. Tertiò, Extremum componens, in facto eſſe eſt compoſitum, ſicuti quod unitur, in facto eſſe eſt unitum; at Perſona Verbi nunquam poteſt eſſe quid compoſitum, alioqui aut eadem Perſona Verbi eſſet ſimul quid ſimplex & quid compoſitum, aut daretur duplex perſona Verbi, altera ſimplex, altera compoſita; ergo. Sed contrà: nego antecedens, in quo advertenter vſus ſum voce *extremi* abſtrahente ab omni ratione imperfecti & incompleti, non voce partis imperfectionem imbibente & ſecum afferente in re præſenti ſuas difficultates, communes tamen compoſitioni mediatæ, & ſuperius jam attactas in primâ inſtantiâ.

15. Medium in quo extrema componunt quomodo poſſit ſimul eſſe extremum componens.

Ad primam antecedentis probationem dico medium, quod eſt purus nexus & purum *quo*, ut unio, non poſſe eſſe extremum componens, ſecus verò de medio, quod non eſt purus nexus, & eſt id *in quo* non id *quo* extrema uniuntur; ſic punctum eſt medium in quo componunt & uniuntur partes, ipſumque ſimul componit ac unitur partibus; quantitas eſt medium, in quo cætera accidentia uniuntur corpori, & ſimul ipſum tanquam extremum unitur, tum cæteris accidentibus, tum corpori; & in univerſum quando medium ità ſe habet, ut per ipſum extrema componant & uniantur mediatè inter ſe, habet ſimul rationem extremi, ſecus quando per ſe ipſum extrema uniuntur & componunt inter ſe immediatè; cum igitur in propoſito perſona Verbi non ſit purus nexus, ſit id *in quo*, non id *quo* ſit medium per quod mediatè non immediatè humanitas & divinitas componunt, optimè poteſt ipſa quoque tanquam extremum immediatè cum humanitate componere.

16. Perſonalitas Verbi cum humanitate melius dicitur componere perſonam divinā quam perſonam humanam.

Ad ſecundam dico perſonam divinam, quamvis ſimpliciſſima ſit ſecundum ſe & quatenus præcisè terminat naturam propriam poſſe ſimul eſſe compoſitam ſecundum quod eſt in Chriſto, & quatenus munus terminandi exercet in naturam alienam; hinc dicito perſonalitatem Verbi cum humanitate componere perſonam divinam non priore, ſed poſteriore modo acceptam. Præter quod denominativè quamvis non entitative & eſſentialiter dici quoque poteſt componere perſonam humanam; quia licet perſona humana entitativè & eſſentialiter ſumpta importet humanam creatamque ſubſiſtentiam, ſumpta tamen denominativè contenta eſt humana creatâque naturâ, nec quidquam prohibet admittere in Chriſto duplicem perſonam, quoties una diſtinguatur ab altera ſolum denominativè & ex parte naturæ, ſeu per denominationem deſumptam à natura, quidquid deindè de hoc ſit, ut etiam vocibus & modo loquendi magis recedatur à Neſtorianis tutior ac eligibilior videtur prima ſolutio.

17. Vna eademque divina perſona quomodo ſimul denominetur ſimplex & compoſita.

Ad tertiam dico perſonam Verbi ſumptam ſecundum ſe nunquam poſſe eſſe quid compoſitum, benè verò ſumptam ſimul cum humanitate, & ut terminat humanitatem: Nec proptereà eſt duplex perſona, niſi denominativè, imo tutius loquendo juxtà mox dicta eſt ſimpliciter una eademque perſona ſub duplici denominatione, ſicuti lac album & dulce eſt unum idemque ſub duplici denominatione ſubjectum. Neque dicas compoſitum & ſimplex eſſe denominationes oppoſitas, quæ non poſſunt uni eidemque convenire, nec poteſt retinere eſſe ſimplex, quod tranſit ad eſſe compoſitum: Contrà enim, denominationes oppoſitæ nequeunt convenire uni, eidemque reſpectu ejuſdem; benè tamen reſpectu diverſorum, ſicut in propoſito compoſitum & ſimplex conveniunt eidem perſonæ reſpectu diverſarum naturarum. Similiter quod tranſit ad eſſe compoſitum, non poteſt retinere eſſe ſimplex ſub ea ratione, ſub qua tranſit ad eſſe compoſitum & relatè ad eam naturam, cum qua componit; ſecus ſub diverſa ratione, & relatè ad naturam propriam, cum qua utpotè ſibi identificata non componit.

18. Nonnihil obiter de termino tum totali tum formali Incarnationis.

Ex dictis partim hocce §. partim ſuprà *cap.* 6. §.2. habetur terminum Incarnationis ſumptæ pro actione effectiva, ſeu productiva ad extrà; terminum, inquam, ſive formalem, ſive totalem, eſſe quid compoſitum; non quid ſimplex: Nam terminus totalis eſt Chriſtus Dominus, qui ex mox dictis eſt Perſona compoſita: Terminus formalis ab aliquibus collocatur in humanitate, ab aliis in unione hypoſtatica formalivè conjunctione humanitatis cum divina hypoſtaſi, utroque autem modo eſt quid compoſitum ſeu complexum, humanitas quippe componitur ex anima & corpore, ut per ſe patet, unio hypoſtatica, formaliſvè conjunctio, eſt complexio, non ſimplex entitas *ex præcit.* §.2. Nec de termino Incarnationis neceſſe eſt aliquid amplius, quam quod nunc obiter dictum eſt, attingere, nam licet juxtà diverſa, quæ Incarnationi tribuuntur, nomina, excogitabiles ſint diverſi termini formales, licet item plures diſſentiant in ſtatuendo communi termini formalis conceptu; licet tandem alij laborent in aſſignando tum formali tum totali termino non ſolum *ad quem*, verum etiam *à quo*; hæc tamen omnia levis momenti ſunt, & aut vix ullam, aut vix aliam, quam de nomine, habent difficultatem: Pro ea verò qualicumque difficultate, quam habere poſſunt, videantur Vaſquez *diſput.*19. Lugus *diſp.* 11. *ſec.*2. Gonetus *diſput.* 6. *art.*5. & apud iſtos alij.

---

§. II.

Vtrùm detur in Chriſto; undè habeatur, & utrum Perſonæ unitatem conſequatur communicatio idiomatum?

19. Idiomatum communicatio datur in Chriſto verè & propriè.

ASSERT. 1. Datur in Chriſto vera, & propria, communicatio idiomatum modo in ſequentibus explicando. Eſt dogma fidei contrà plures Sectarios, quorum errores ad rem hanc pertinentes mox ſingillatim attingemus latius verò habentur apud Bellarminum *lib.*3. *de Chriſto cap.*8 9 & 10. Gabrielem à S. Vincentio *hic diſputat.* 16. *dub.* 1. §. 1.

Suarium *diſp.35. ſec.*2. Valentiam *diſputat.*1. *quaſt.*2 *punc.*3.

Probatur & explicatur. Idioma ex græco idem eſt quod proprietas ſeu attribum, quod debet hic ſumi in tota ſua latitudine prout extenditur ad ſignificandum quodcumque alicujus naturæ prædicatum; ſicque ex vi nominis communicatio idiomatum eſt communicatio prædicatorum, ſeu mutua prædicatio attributorum inter duas res, duaſue naturas. Quæ quidem mutua prædicatio exercetur in Chriſto Domino, tum inter Deum & hominem, quatenus de Deo humana, de homine divina prædicata dicuntur; tum inter Deum & Chriſtum, hominem & Chriſtum; quatenus de Chriſto dicuntur prædicata divina ſicut & humana, ſive collectim, ſive ſeorſim: Omniſque hujuſmodi prædicatio exercetur verè & propriè, ut mox conſtabit aſſignando illius radicem, rationem, & modum; pro quo ut veritas falſitati juxta poſita magis eluceat expedit prælibare, in quonam Sectarij circa idiomatum communicationem erraverint? Ideò

Quid ſit ex vi nominis?

20\. Recolendum *ex præced. cap.*4. Neſtorium unitatem perſonæ, Eutychetem dualitatem naturarum in Chriſto negaſſe, erravit conſequenter uterque circa idiomatum communicationem, prædicationémque mutuam; unus quippè negatâ perſonæ unitate abſtulit radicem, ex quâ oritur; alter negata naturarum dualitate confudit extrema, inter quæ exercetur talis prædicatio & certè cum Neſtorius ſolum accidentalem & affectivam unionem inter Deum & hominem in Chriſto admiſerit, neceſſe eſt, quod aut omninò rejecerit idiomatum communicationem, aut hanc aſſeruerit valdè abuſivam, & prædicationi mutuæ inſufficientem. Eutyches verò, prout variè duas naturas in unam confudit, neceſſe eſt quod variè idiomatum communicationem adulteraverit; ſi enim utraque natura in tertiá tranſijt, utraque natura non ſibi invicem, ſed tertiæ idiomata ſua communicavit; ſi divina in humanam converſa eſt, aut humana in divinam, primo modo ad ſummum idiomata Dei communicata ſunt homini, non hominis Deo; ſecundo modo èconrra ad ſummum humana Deo, non divina homini communicata ſunt; & præterea omnibus his modis communicatio foret impropria & mutuæ prædicationi inſufficiens, cum non poſſit excogitari mutua prædicatio, ubi non dantur duo extrema, ſeu duo ſubjecta de quibus prædicata enuncientur, aut quæ de ſe invicem dicantur.

Sectariorum circa ipſam errores.

21\. Ex Hæreticis noſtrorum temporum Brentius & Smidelinus acceſſerunt ad Neſtorium, ſententiamque falſiſſimam, & ut loquitur Bellarminus *præcit.cap* 8. apertè Neſtorianam, aut Neſtorianâ priorem, amplexi collocarunt communicationem idiomatum in eo, quod divinitas in humanitate Chriſti, tamquàm in proprio corpore inhabitet atque reluceat omni ſuâ Majeſtate, potentiâ, ſapientiâ, juſtitiâ &c. necnon in ipſa, & per ipſam, omnia operetur, ſicque idiomatum communicationem, quam etiam à formali unione hypoſtaticâ non diſtinxerunt, voluerunt eſſe ipſammet ſpecialem divinitatis cum humanitate unionem, accidentalem tamen & ſimilem ei, quâ agens principale nititur inſtrumento, per quod & in quo operatur. Kemnitius verò,

22\. Uvadingus, Selneccerus, & ferè cæteri omnes Novatores præſertim ex Lutheranis errorem excogitarunt omninò diverſum à Neſtoriano, & Eutychiano, admittentes quippè verum duarum naturarum in eadem perſona unionem diſtinctam à communicatione idiomatum, docuerunt iſtam conſiſtere in reali communicatione divinorum attributorum in ſe formaliter acceptorum, adeo ut humanitas Chriſti non minus propriè, & realiter, ſit omnipotens divinâ omnipotentiâ, omnipræſens divinâ immenſitate, quam ſubſiſtens divinâ perſonalitate; & ſicut in hoc quod ſit divinâ perſonalitate ſubſiſtés habetur unio hypoſtatica, ità in eo quod ſit omnipotens omnipræſens, &c. habeatur idiomatum communicatio ad unionem hypoſtaticam côſequens; Utrum deindè hoc modo cômunicata ſint naturæ humanæ omnia divina attributa; utrùm item proportionaliter communicata ſint attributa humana naturæ divinæ? aliqui neutrum attingunt, aliqui quoad primum loquuntur cum limitatione excipiendo rationem actus puri, rationem æternitatis, rationem creatoris; videtur enim ex terminis falſum, quod humanitas ſit formaliter actus purus, formaliter ab æterno, item quod fuerit formaliter creatrix Cæli & terræ; hæc propterеà & ſimilia dicunt verbaliter ad ſummû humanitati Chriſti communicari; Quoad ſecundum negant cômunicationem mutuam proportionaliter, & eodem modo factam; aliquam tamen communicationem admittunt, ratione cujus Deus rectè dicatur natus, paſſus, mortuus &c. in quonam verò conſiſtat diverſa communicatio humanorum facta divinitati? ulterius non declarant, & interrogationem eludunt dicendo eſſe factam modo ineffabili. In tota hac enumeratione quædam ſunt apertè falſa, quædam jam in ſuperioribus improbata, ſolùmque videtur deſiderari poſſe ſpecialis impugnatio erroris poſtremo loco adducti & excogitati à Novatoribus præmemoratis, qui ex eo quod humanitati Chriſti inter cætera divina attributa maximè tribuant immenſitatem, ſeu ubiquitaté, ponunt Chriſtum etiam ut hominem verè & realiter exiſtere ubique, hincque Ubiquiſtæ, & Ubiquetarij dicti ſunt.

23\. Aſſert.2. Idiomatum communicatio in Chriſto non habetur per divina attributa in ſe ipſis formaliter ſecundùm proprium eſſe ſubſtantiale, & increatum, humanitati immediatè unita ſeu communicata: Eſt dogma fidei contra errorem expoſitum toto *numer. præcedent.*

Idiomatum communicatio non habetur per attributa divina in ſe ipſis formaliter unita humanitati immediatè.

Probatur primò. Impoſſibile eſt, & pluribus fidei veritatibus repugnans, quod divina attributa in ſe ipſis formaliter ſecundùm proprium eſſe ſubſtantiale & increatum humanitati immediatè uniantur; ergo idiomatum communicatio in Chriſto non habetur per divina attributa &c. Antecedens probatur primò, quia impoſſibile eſt aliquod attributum uniri

Digitized by Google

uniri humanitati per modùm formæ, Deo quippè, ſicut ſecundùm eſſentiam, ita & ſecundùm quodlibet ſui attributum, repugnat per modum formæ cum creaturâ componere; & tamen divina attributa, ſi in ſe ipſis formaliter humanitati immediatè unirentur, eam reddendo formaliter omnipotentem, immenſam &c. cum in ſe non habeant rationem termini, non poſſent aliter uniri, quàm per modum formæ: Secundò, quia ad fidem pertinet, quod unio humanitatis cum Verbo non ſit facta in aliquo eſſentiali immediatè; quod in Christo permánſerint impermixtæ & inconfusæ duæ naturæ non ſolum quoad proprias entitates, verùm etiá quoad ſuas ſingulæ proprietates; quod humanitas in Chriſto omnes ſuas proprietates retineat; atqui hæc omnia repugnant cum eo, quod attributa divina ſint in ſe ipſis formaliter ſecundùm proprium eſſe ſubſtantiale humanitati unita, jam enim unio immediata cum talibus attributis eſſet unio immediata cum aliquo eſſentiali, jam proprietates naturæ divinæ, dum humanitati unirentur, permiſcerentur & confunderentur cum humanitatis proprietatibus; nec ita omnes ſuas proprietates retineret, puta non retineret præſentiam circumſcriptivam in loco, eſſe finitum, eſſe defectibile hæc quippè repugnant cum ubiquitate, infinitate, immutabilitate, quæ eidem humanitati immediatè & formaliter unirentur; ergo à primo ad ultimum impoſſibile eſt, & pluribus fidei veritatibus repugnans, quod divina attributa in ſe ipſis formaliter &c.

Dices Chriſtus Matth. 11. ait *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & Coloſſ. 3. habetur *in Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quæ & ſimilia loca deberent ad ſenſum improprium deprimi, quoties non fuiſſent humanitati Chriſti communicata rea-
24. liter omnia divina attributa. Sed contrà: Non negatur à nobis, ut immeritò calumniantur hæretici, omnis realis communicatio divinorum attributorum reſpectu humanitatis, ſed tantùm communicatio immediata & formalis ab ipſis malè excogitata; admittitur verò communicatio mediata, & conſequens, per quam humanitas in Verbo, & ratione perſonalitatis ejus uniatur mediatè & conſequenter, ſicut divinæ naturæ ita & omnibus divinis attributis; hocque eſt omnia fuiſſe a Patre tradita, & in Chriſto inhabitare omnem plenitudinem divinitatis; neque ly *corporaliter* indicat aliquem ſpecialem modum communicationis immediatæ ad naturam corpoream; ſignificat enim ſolum perfectiones divinas eſſe in Chriſto non per participationem accidentalem, ut in reliquis juſtis, ſed verè & ſubſtantialiter, quamvis deindè abſque unione formali ac immediatâ.

25. Probatur ſecundò: Unio formalis & immediata humanitatis & divinorúm attributorum in ſe ipſis formaliter, quando aliundè non repugnaret, ut tamen verè repugnat, adhuc nec eſſet neceſſaria, nec ſufficiens ad mutuam prædicationem divinorum & humanorum in Chriſto; atqui idiomatum communicatio in Chriſto ponitur ad ſalvandá hujuſmodi mutuam prædicationem; ergo non habetur per unionem formalem & immediatam humanitatis &c. ſeu quod idem eſt, ergo non habetur per divina attributa in ſe ipſis formaliter &c. antecedens quoad primam partem, ſcilicet quoad ly *Nec eſſet neceſſaria* conſtabit ex ſequentibus, dum independenter ab unione formali & immediatâ humanitatis cum attributis explicabitur ſalvari verè, & propriè, illam mutuam prædicationem, quoad ſecundam partem, ſcilicet quoad ly *nec eſſet ſufficiens* probatur ex eo, quia unio hujuſmodi formalis & immediata daretur tantùm inter humanitatem & attributa divina, non ſimiliter inter divinitatem & attributa humana; ergo ratione talis unionis poſſent ad ſummum divina dici de humanitate ſive de homine, at non ſimiliter humana dici de divinitate ſeu de Deo, ut requiritur ad prædicationem mutuam, de qua in præſenti; ergo. 26.

Facile hic eſſet proferre alia plura improbantia ſingillatim unionem, communicationémque formalem & immediatam divinæ immenſitatis, ratione cujus humanitas à Verbo aſſumpta, ut Ubiquiſtæ comminiſcuntur, ubique exiſtat partim viſibili, partim inviſibili præſentiâ; viſibili quidem ubi dignatur Chriſtus ſe ipſum viſibiliter oſtendere, inviſibili verò in reliquo totius univerſi, ſive ſublunaris, ſive ſuperlunaris ſpatio: facile, inquam, eſſet plura proferre deſumpta præſertim ex eo, quod ubiquitatis inviſibilis in humanitate modus non poſſit explicari, undè à proprijs ſinet Auctoribus dicitur ineffabilis, arcanus, & ſoli Deo cognitus; non poſſit item conciliari cum reliquis veritatibus fidei pertinentibus ad Chriſti conceptionem, Nativitatem, mortem ſepulturam, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, aſcenſionem, quæ omnia important humanitatem Chriſti præeisè exiſtentem in illis determinatis locis, in quibus talia Myſteria peracta ſunt: Multo minus conciliari poteſt cum veritatibus fidei pertinentibus ad Eucharistiam, ſi enim corpus Dominicum habet ubique præſentiam inviſibilem, hanc utique habet in qualibet re, in quolibet cibo, in quolibet pane, ad quid igitur proferre verba conſecratoria ut ſpecialiter ponatur ſub ſpeciebus panis? ad quid ipſum ſub iiſdem ſpeciebus conſecratis ſpecialiter adorare? ad quid tanto apparatu buccellam conſecratam a non conſecratâ diſcernere? &c. Verùm hæc latius, atque ſtudioſius, contra Ubiquiſtas urgere, ſicut & eorum ſive reſponſionibus, ſive oppoſitionibus occurrere, munus eſt proprium Controverſiſtarum, inter quos videri poteſt Bellarminus *præcitat. libro* 3. à *capite* 11. ad 20. quamvis latè quoque id præſtet ex Scholaſticis Valentia *præc. punc.* 3. à §. 3. *ad* 11. 27.

Attinguntur nonnulla obiter contra Ubiquiſtas.

Aſſert. 3. Idiomatum communicatio in Chriſto habetur ex unione duarum naturarum in una eadémque perſona, unitatem perſonæ conſequitur; & ex eo præcisè, quod detur illa unio in perſonæ unitate, verificatur propriè in Chriſto mutua prædicatio divinorum de homine, humanorum de Deo. In hoc aſſerto tamquam ad fidem pertinente conſ. ntiunt

Communicatio idiomatum habetur præcisè ex unitate perſonæ, ſeu ex unione duarum naturarum in una perſona

Digitized by Google

ſentiunt omnes tum Scholaſtici tum Sancti Patres contra Neſtorianos, Eutychianos, Ubiquiſtas, alioſque Sectarios, de quibus ſupra.

Probatur primò auctoritate Concilij Francofordienſis in epiſt. Synodica, ubi habetur *Perſonæ unitas facit, ut quod homo pertulit, Deus pertuliſſe credatur.* Ecce in poſterioribus verbis exemplum communicationis idiomatum, & in verbis prioribus pro talis communicationis ratione aſſignatam ſolam unitatem perſonæ, ſeu quod idem eſt unionem duarum naturarum in una perſona. Eamdem communicationis rationem aſſignant paſſim Sancti Patres, & ſignanter Damaſcenus *lib. 3. fidei cap. 3.* illis verbis *Verbum & humanitati conveniunt ſibi vendicat, ac viciſſim carni, quæ ſua ſunt, impertit, communicationis videlicet ratione ob mutuam partium inter ſe communicationem ac perſonalem unionem.* Item Bernardus *de conſiderat* dicens *Tantum tamque expreſſam unionis vim in ſe præfert ea perſona, in qua Deus & homo unus eſt Chriſtus, ut ſi duo illa de ſe invicem prædices; non erraveris.*

28\. Probatur ſecundò ratione: Ex unione duarum naturarum in una, eademque perſonâ fit, quod utraque natura in concreto accepta habeat cum altera aliquam identitatem; ergo fit quod utraque natura in concreto accepta poſſit affirmativè dici de altera, ac per conſequens quod utriuſque prædicata poſſint pariter dici de altera aut de prædicatis alterius; de eo enim, de quo dicitur quod ſit homo, poteſt pariter dici quod ſit rationale, riſibile, bipes &c. ergo idiomatum communicatio in Chriſto habetur ex unione duarum naturarum &c. & ex eo præcisè, quod detur illa unio in perſonæ unitate, verificatur propriè &c. Prima conſequentia patet, quia ad affirmandum verè & propriè unum de altero non requiritur niſi aliqua identitas unius cum altero, copula enim affirmativa *eſt* verè & propriè nihil aliud denotat, niſi identitatem; antecedens facilè probatur, natura in concreto accepta includit perſonam, cui unitur & in qua ſubſiſtit; ergo ex unione duarum naturarum in una eadémque perſona fit, quod utraque in concreto accepta includat eamdem perſonam, & habeat in ſe aliquid, quod unum & idem habeat pariter in ſe altera; hoc autem eſt habere aliquam cum alterá

29\. identitatem; ergo. Confirmatur, duæ naturæ in eadem Perſona, eodémque ſuppoſito, imitantur duas formas in eodem ſubjecto & ſicut illæ in concreto includunt ſuppoſitum, ita iſtæ ſubjectum: ergo ſicuti duæ formæ in eodem ſubjecto exiſtentes poſſunt ad invicem in concreto prædicari propter identitatem ſubjecti, & ex eo præcisè quod detur utriuſque unio in ſubjecti unitate, ut patet in lacte, in quo verificatur album eſt dulce ex eo præcisè, quod albedo & dulcedo ſint in eadem ſubſtantia lactis, tamquàm in ſubjecto abſque eo, quod immediatè communicetur albedo dulcedini, aut è contra; ergo ſimiliter duæ naturæ in eodem ſuppoſito ſubſiſtentes verè ad invicem in concreto prædicantur propter identitatem ſuppoſiti, & ex eo præcisè, quod detur utriuſque unio in ſuppoſiti unitate, nec quærenda eſt identitas, aut unio major, ad illam mutuam prædicationem verificandam.

Dices: ad veritatem prædicationis quamvis ſufficiat aliqua identitas, nec requiratur identitas totalis, requiritur tamen identitas ejus, quod importatur in recto, adeò, ut rectum prædicati ſit idem cum recto ſubjecti; & verificatur in lacte v. g. album eſt dulce, quia concreta accidentalia, qualia ſunt *album* & *dulce* important in recto ſubjectum, adeóque in ea propoſitione prædicatum & ſubjectum habent identitatem ejus quod importatur in recto: Aliter res ſe habet in caſu noſtro, quia concreta ſubſtantialia qualia ſunt *homo* & *Deus* non important in recto ſuppoſitum. ideò in Chriſto ex identitate ſuppoſiti non habetur rectum prædicati idem cum recto ſubjecti in ea propoſitione, homo eſt Deus; adeóque ex identitate ſuppoſiti non aſſignatur ſufficiens ratio verificans illam prædicationem; Concreta, inquam, ſubſtantialia non important in recto ſuppoſitum, quia ſecus ſicut tria ſubjecta habentia eamdem albedinem ſunt tria illa, ita tria ſuppoſita aſſumentia eamdem humanitatem eſſent tres homines, cujus tamen oppoſitum docuimus ſupra *cap. 4. §. 5.* Deindè ſi Deus importaret in recto ſuppoſitum malè diceretur, Deus eſt unus, redderetur enim hic ſenſus ſuppoſitum habens Deitatem eſt unum, cum tamen re vera tale ſuppoſitum trinum, non unum ſit. 30. Sed contra: licet Vaſquez *diſp. 63. cap. 4.* admittendo concreta ſubſtantialia non importare in recto ſuppoſitum, adhuc putet independenter ab unitate perſonæ rectè ſuſtineri in Chriſto rigoroſam veritatem illius propoſitionis *Deus eſt homo*; nos nihilominus facilius & conformius ad alibi tradita talem veritatem ſuſtinemus dicendo concreta ſubſtantialia, quoties perſonalia ſunt, id eſt quoties perſonam ſignificant ipſam importare in recto: pro quo

Adverto concretum ſubſtantiale ſumi poſſe vel pro conflato ex naturâ & ſuppoſito, vel pro conflato ex materia & formâ in rebus compoſitis, ex prædicatis verò conſtituentibus naturam phyſicè & adæquatè acceptam in rebus ſimplicibus: Concretum ſubſtantiale hoc ſecundo modo eſt ſubſtantiale præcisè, nec importat ſicut concretum accidentale in recto ſolum extremum habens rationem ſubjecti, ſed utrumque, imò omnia ſua conſtituentia: Concretum ſubſtantiale primo modo eſt ſubſtantiale perſonale, & importat in recto ſolum extremum habens rationem ſuppoſiti, ſicut accidentale importat ſolum extremum habens rationem ſubjecti; & ſicuti iſtud explicatur ſubjectum habens formam; puta, album, ſubjectum habens albedinem; ita illud explicatur eſſe ſuppoſitum habens naturam; puta, homo, ſuppoſitum habens humanitatem. Porrò in Chriſto propoſitio illa, Deus eſt homo, ſicuti verificatur relatè ad unitatem perſonæ, ita ejus termini referuntur ad Perſonam, & ſumuntur tamquàm concreta ſubſtantialia perſonalia, important igitur

Concretum ſubſtantiale duplex: quoties perſonâ ſignificat, eam ſignificat in recto.

ſigitur ſuppoſitum in recto, & rectum prædicati idem cum recto ſubjecti, quo nihil amplius requirunt Adverſarij pro propoſitione in
31. toto rigore vera. Ad oppoſitionem ab Adverſarijs factam dico hominem in communi modo loquendi ſumi potius pro concreto ſubſtantiali præcisè quàm pro concreto ſubſtantiali perſonali, ideò tria ſuppoſita aſſumentia unam humanitatem non debere dici tres homines abſolutè, quamvis poſſint rectè dici tres homines perſonaliter. Quod additur de Deo faciliorem habet ſolutionem, quia Deus, non ſolùm ut ſignificat concretum ſubſtantiale præcisè, ſed etiam ut ſignificat concretum quaſi perſonale, ſeu ſubſiſtentiale, rectè dicitur unus, cum detur in divinis unum ſubſiſtens abſolutum, & habens Deitatem ut quod, præſcindendo à perſonis.

Dices aliter ex Durando *in 3. diſt 4. quæſt. 2. num. 9.* In Chriſto propoſitio illa, ſeu prædicatio, *Deus eſt homo*, licet ſit aliqualiter vera & propria; non eſt tamen tam vera & propria, quàm cæteræ propoſitiones, quæ fiunt de concretis ſubſtantialibus in creatis, quibus v. g. Dicitur Petrus eſt homo; equus eſt animal; &c. ergo illa prior propoſitio non eſt omninò vera & propria ſimpliciter & abſolutè; probatur antecedens quia in priore propoſitione eſt minor identitas prædicati cum ſubjecto, eſt enim identitas inadæquata, item eſt identitas accidentalis & contingens; cum in poſteriore propoſitione ſit identitas adæquata, eſſentialis, & neceſſaria. Rurſus in priore propoſitione prædicatio non eſt in quid, benè verò in poſteriore; in priore, inquam, non eſt in quid, tum quia interroganti *quid eſt Deus*, non benè reſponderetur, *eſt homo*, tum quia prædicatio in quid non poteſt propriè fieri denominativo ſeu adjectivo modo; undè quia hæc prædicatio *Petrus eſt homo* eſt in quid non propriè dicitur Petrus eſt humanus vel humanatus & tamen hoc propriè de Deo dicitur ex Damaſceno *lib. 3. fidei cap. 2.* ubi habetur *Non hominem Deificatum dicimus ſed Deum humanatum*: Hinc tandem Durandus *n. 15.* concludit hominem de Deo melius dici denominativè & adjectivè quam quiditativè
32. & ſubſtantivè. Sed contra: Iſte modus loquendi; quo Durandus utitur, periculoſus cenſetur à Medina *hic quæſt. 16. art. 1.* & Amico *diſp. 33. num. 16.* quin etiam abſolutè error appellatur à Vaſquio *diſp. 63. cap. 2.* certè magni ponderis eſt contra Durandum auctoritas Concilij Francofordienſis *in Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.* in qua habetur *Manſit perſona filij in Sancta Trinitate, cui perſona humana acceſſit natura, ut eſſet & una Perſona Deus & homo, nō homo Deificus, & humanatus Deus, ſed Deus homo & homo Deus:* Neque aut huic Concilio contrariatur, aut Durando ſuffragatur, Damaſcenus; contextus enim in verbis ex ipſo relatis evincit ly *humanatum* uſurpari non pro denominativo deſumpto ab humanitate, ſed pro participio derivato à verbo *humano* qua ratione Deus humanatus nihil aliud eſt, quam Deus homo factus; & quia non eadem proprietate dicitur Homo factus Deus, jure habet Damaſcenus *Non hominem Deificatum dicimus ſed Deum humanatum*; ubi ly *humanatū* incongrue correſponderet ad ly *Deificatum* ſi non ſumeretur principaliter, ſed denominativè ut ſumunt Durandus & Concilium Francofordienſe Porrò ly *humanatus*, dum participialiter ſumitur pro *homo factus*, licet quoad modum ſignificandi ſit nomen adjectivum, quoad rem ſignificatam ſubſtantivum eſt, ſicut ſubſtantivum eſt *homo factus*. Utrum 33.

In Chriſto Deus eſt humanatus verificatur participialiter, non denominativè; loquendo in rigore & propriè.

deinde in aliquo ſenſu minus proprio rectè dicatur, Deus humanatus denominativè & adjectivè, ſicut dicitur verbum Divinum, natura divina, perſona humana; problema ſit: Neque enim Durandus malè audit in eo, quod utcumque illam locutionem admittat, ſed in eo quod illam aſtruat propriam ac rigoroſam imò & præferat locutioni communiori, qua ſubſtantivè dicitur *Deus eſt homo*. His circa, & contra, Durandum obiter poſitis.

Ad inſtantiam directè, nego antecedens, ad 34.
cujus probationem omitto pro nunc, utrum propoſitio illa *Deus eſt homo*, ſit in materia neceſſaria, an contingenti? per ſe, an per accidens? quiditativa, an non? qua in controverſia Auctores ſunt valde diviſi, ut videre eſt apud Suarium *hic quæſt. 16 in comment art. 1.* Lugum *diſp. 23. ſec. 2.* Amicum *diſp. 25. n. 25.* & alios paſſim; omitto id, inquam, & dico hanc propoſitionem Petrus eſt albus, Petro verè exiſtente albo eſſe veram & propriam, etiamſi ſit in materia contingenti, æquè ac illa v. g. Homo eſt rationalis, Deus eſt à ſe, quæ eſt in materia maximè neceſſaria & eſſentiali; ratio eſt, quia veritas enunciationis conſiſtit in indiviſibili, nec una veritas poteſt eſſe major alia, quamvis poſſit eſſe magis neceſſaria, aut magis perfecta; in propoſito igitur illa enunciatio *Deus eſt homo* ſive ſit quiditativa & in materia neceſſaria, ſive non, eſt vera & propria æquè ac alia quælibet, & in alijs propoſitionibus inveniri poterit veritas, aut magis perfecta, aut magis neceſſaria; at non major, aut magis propria.

---

§. III.

Quænam potiſſimum regulæ aſſignari poſſint circa communicationem, ſeu prædicationem idiomatum in Perſona Chriſti?

ASSERT, Regulæ communicationis ſeu prædicationis idiomatum in Perſona 35.
Chriſti aſſignari potiſſimùm poſſunt, vel ex parte duarum naturarum ad invicem, vel ex parte Chriſti relatè ad duas naturas; & ſub utraque comparatione aliquæ regulæ ex pluribus mox ſingillatim aſſignabuntur.

Probatur & explicatur: Communicatio idiomatum, ut jam attigi *n. 19.* exercetur vel penes Deum & hominem, vel penes Deum & Chriſtum, hominem & Chriſtum; primo modo ſe tenet ex parte duarum naturarum ad invicem; ſecundo modo ex parte Chriſti relatè ad duas naturas; primo modo propoſitiones affirmantes alicujus prædicati, ſeu

idiomatis communicationem, formantur ſub nominibus exprimentibus naturas, aut aliquod naturis conveniens; ſecundo modo formantur de Chriſto ſub nomine proprio relatè ad nomina exprimentia naturas aut aliquid pertinens ad ipſas, ſive ſimul, ſive ſeorſim.

Circa communicationem idiomatum primo modo, ſeu circa propoſitiones, quæ formari poſſunt ſub nominibus exprimentibus naturas, aut aliquid &c.

36. Prima regula ſit: ſicut prædicantur ad invicem in concreto natura divina, & humana, ita poſſunt de naturâ divinâ in concreto dici omnia nomina concreta ſimpliciter convenientia naturæ humanæ; & de hac proportionaliter omnia concreta ſimpliciter convenientia naturæ divinæ: poſſunt item concreta hæc utique naturæ convenientia ad invicem prædicari; ſicut ſcilicet dicitur, Deus eſt homo, homo eſt Deus, ita dici poteſt, Deus eſt riſibilis & mortalis; homo eſt omnipotens & immortalis: Item immortale eſt mortale, riſibile eſt omnipotens &c. Ratio eſt quia ex una parte in propoſitione propriè, & ſimpliciter, vera eſt affirmabile de ſubjecto, quidquid eſt affirmabile de prædicato, cum igitur de homine poſſit ſimpliciter affirmari riſibile & mortale, neceſſe eſt quod poſſit utrumque affirmari de Deo, de quo homo dicitur tamquàm prædicatum in propoſitione illa propriè & ſimpliciter vera, Deus eſt homo: Item quia poſſunt dici ad invicem, quæ poſſunt dici de tertio, propter regulam generalem *Quæ ſunt eadem uni tertio* &c. conſequens eſt poſſe dici ad invicem mortale & immortale, riſibile & omnipotens, cum in Chriſto dicantur de uno tertio, de eodem ſcilicet Deo eodémve homine: Ex alia parte idem eſt omnium hujuſcemodi propoſitionum verificativum, rectum quippè in omnibus affirmatum eſt perſonæ identitas, & ſicuti propoſitio illa, Deus eſt homo, in hanc reſolvitur, habens naturam divinam eſt habens naturam humanam; ita iſta alia Deus eſt riſibilis reſolvitur in hanc, habens naturam divinam eſt habens riſibilitatem ſeu naturam riſibilem, ſubintellige ſpecificativè & concomitanter, eſt ſcilicet habens ſimul cum naturâ divina aliam naturam, quæ riſibilis eſt, & ſic proportionaliter de propoſitionibus reliquis.

Prima regula communicationis idiomatum inter Deum & hominem in Chriſto.

37. Secunda regula: Nec natura divina & humana ad invicem, nec unius proprietates aut de aliâ naturâ, aut de alterius naturæ proprietatibus, rectè prædicantur ſub nominibus abſtractis; adeò ut falſa ſit & non recta prædicatio, ſi utrumque extremum vel alterutrum exprimatur abſtractim; excepto quod abſtracta naturæ divinæ poſſunt in ſenſu identico verificari de concretis naturæ humanæ dicendo v. g. Homo eſt Deitas, ſicuti *ex ſeq. num.* 40. rectè enunciantur talia abſtracta de Chriſto; quidquid autem enunciatur de Chriſto ſub proprio nomine enunciabile eſt de eodem ſub nomine tum Dei, tum hominis: Ratio hujus regulæ eſt, quia cætera abſtracta exceptis illis naturæ divinæ nullo modo conſignificant, imò excludunt ſuppoſitum ſicut & ſubjectum; propoſitiones igitur, quæ ſolùm verificantur ex identitate ſuppoſiti aut ſubjecti carent verificativo, quoties conſtant utroque, vel alterutro extremo abſtracto identitatem illam non ſignificante, imo excludente; & ſicuti quia, album eſt dulce, verificatur ex identitate ſubjecti, falſò dicitur, albedo eſt dulcedo, vel album eſt dulcedo; ita quia in Chriſto Deus eſt homo, homo eſt Deus, riſibile eſt omnipotens &c. verificantur ex identitate ſuppoſiti conſequens eſt nullo modo verificari Deitas eſt humanitas, Deus eſt humanitas, riſibilitas eſt omnipotentia, & alias hujuſmodi propoſitiones, in quibus aut utrumque aut alterum extremum ponitur abſtractim, excepto quod in ſenſu
identico verificantur iſtæ, Homo (deſignato 38.
Chriſto) eſt Deitas, riſibile eſt omnipotentia, & ſimiles, in quibus hæc concreta homo, riſibile, important divinum ſuppoſitum formaliter & in recto; Deitas verò & omnipotentia propter realem, quam habent cum divino ſuppoſito identitatem, etiam abſtractim acceptæ important illud identicè; adhuc tamen hujuſmodi propoſitionibus utendum non eſt ſimpliciter & abſolutè, quia ſimpliciter & abſolutè prolatæ ſumuntur in ſenſu formali potius, quàm in identico; in ſenſu autem formali non verificantur. Regulæ univerſali mox præfixæ videtur contrarius D. Fulgentius *lib. ad Transſimundum* ubi approbat hanc propoſitionem *Deitas eſt paſſa*, cui affine eſt quod canit Eccleſia *Mors mortua tunc eſt, in ligno quando mortua vita fuit*, in qua utraque propoſitione concretum conveniens naturæ humanæ dicitur de abſtracto naturæ divinæ. Nihilominus fatendum eſt Fulgentium, & Eccleſiam, loqui juxta exceptionem mox poſitam in ſenſu identico & minus proprio ſumendo Deitatem pro Deo, vitam pro Verbo vivente; quæ licentia in metro tolerabilior eſt, ut in ſimili monuimus circa illud aliud, quod Eccleſia canit alibi *Te Trina Deitas* &c.

Tertia regula: De Verbo, aut de divinis 39.
concretis dici nequeunt ea concreta, quæ conveniunt humanitati ut carenti omni ſubſiſtentia, vel ut habenti ſubſiſtentiam propriam creatam: Ex primo capite non poteſt dici Verbum eſt aſſumptibile, eſt aſſumptum: Ex ſecundo non poteſt dici, eſt peccabile, eſt purus homo, quamvis hæc omnia rectè dicantur de humanitate. Ratio facilis eſt, quia verificativum communicationis idiomatum eſt unitas perſonalitatis divinæ, carent igitur verificativo, nec ex vi communicationis idiomatum rectè dicuntur de Deo illa quæ humanitati ut perſonalitatem divinam excludenti conveniunt, etiamſi aliundè ſint prædicata concreta.

Tertia regula.

Circa communicationem idiomatum ſecundo modo, ſeu circa propoſitiones quæ formantur de Chriſto ſub nomine proprio relatè ad nomina exprimentia naturas, aut aliquid &c.

Prima regula ſit De Chriſto (eadem eſt ratio 40.

Prima regula communicationis idiomatum inter Deum & Chriſtum, hominem & Chriſtum.

tio de aliis nominibus poſitis pro Chriſti perſonâ,ut ſunt nomina Salvatoris, Redemptoris,Mediatoris,item nomen Verbi divini, ſubintelligo, incarnati) rectè affirmantur omnia concreta convenientia naturæ humanæ & divinæ,ſive ſimul,ſivè ſeorſim:rectè ſcilicet dicitur Chriſtus eſt immenſus, æternus,omnipotens; eſt loco circumſcriptus, eſt in tempore, eſt mortalis,eſt paſſibilis.Item eſt ſubſtantialiter compoſitus,infinitè ſatisfecit,infinitè promeruit,&c. ratio eſt quia de Chriſto rectè affirmatur in concreto eſt Deus, eſt homo, eſt Deus & homo,ergo propter regulam generalem,quâ in propoſitione propriâ, & ſimpliciter vera,affirmabile eſt de ſubjecto quidquid eſt affirmabile de prædicato,conſequens eſt de eodem recte prædicari omnia concreta convenientia naturæ, &c. antecedens eſt de fide, & evincitur ex eo,quod Chriſti nomen maximè denotat perſonæ unitatem, quæ ſicuti eſt verificativa illius mutuæ prædicationis, Deus eſt homo,homo eſt Deus,ita multo magis iſtarum Chriſtus eſt Deus,eſt homo, eſt Deus & homo, imò ex iſtis poſterioribus propoſitionibus illa prior verificatur, ſeu ex iſtis illa infertur,hoc ſylogiſmo expoſitorio,Chriſtus eſt Deus,ſed Chriſtus eſt homo, ergo Deus eſt homo. Ad generalem hanc regulam pertinent plures egregiæ Sanctorum Patrum ſententiæ,ut Auguſtini *lib.1.de Trinit.c.11.*dicentis *cognitâ iſtâ regulâ intelligendarum ſcripturarum de filio Dei ut intelligamus quid in eis ſonet ſecundum formam Dei,in quâ æqualis eſt Patri, & quid ſecundum formam ſervi, in qua minor eſt Patre, non conturbabimur tanquam contrariis & repugnantibus ſanctorum librorum ſententiis.* Item Bedæ *in capite decimo quinto Epiſt.1.ad Cor.* ubi ait *cum aliqua in Scripturis de Chriſto dicuntur quibus demonſtratur quod Patre ſit minor*(hæc ſunt humana) *ea ſecundum humanitatem dicantur, cum verò ea dicuntur, quibus Patri demonſtratur æqualis* (hæc ſunt divina) *ea ſecundum quod Deus eſt, accipiantur.*

41. Secunda regula.

Secunda regula. De Chriſto non rectè prædicantur abſtracta pertinentia ad naturam humanam,benè verò pertinentia ad naturam divinam; non rectè ſcilicet dicitur Chriſtus eſt rationalitas, eſt viſibilitas, benè verò eſt infinita ſapientia, eſt ſumma bonitas, &c. ut exemplificat Valentia *diſp.1.quæſt.16.punc.3.* Ratio primæ,partis eſt, quia ipſamet natura humana in abſtracto non recte de Chriſto prædicatur,ſicuti nec rectè prædicatur de Deo; Chriſtus enim ſub nomine proprio æquè, ac ſub nomine Dei, importat in recto divinam hypoſtaſim, cum quâ nihil habet identificatum natura humana in abſtracto;ergo ſimiliter,imò à fortiori,non rectè de Chriſto prædicantur abſtracta ad naturam humanam pertinentia, utpotè quæ nequeunt habere ſuæ prædicationis verificativum, quod non eſſet pariter, & per prius verificativum prædicationis naturæ. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cum divina hypoſtaſi,& perſonâ Verbi identificatur natura divina etiam in abſtracto accepta, item omne divinum abſtractum ad naturam pertinens; undè in ſenſu identico rectè dicitur perſona Verbi eſt Deitas,eſt immenſitas, eſt omnipotentia, &c. cum igitur perſona Chriſti ſit Perſona Verbi, & hæc ſit rectum ſub nomine Chriſti importatum, conſequens eſt in eodem ſenſu identico rectè dici Chriſtus eſt Deitas, eſt immenſitas, eſt omnipotentia: Confirmatur hoc ex eo quod Apoſtolus 1. *Corinth.1.* appellat *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*, & ipſemet Chriſtus *Jo.14.* de ſe ait *Ego ſum via,veritas, & vita.* Neque dicas: *ex præcedent. num* 14. rectè dicitur Chriſtus eſt divinitas & humanitas ſimul, non verò Chriſtus eſt divinitas, Chriſtus eſt humanitas ſeorſim; ergo de Chriſto non magis dici poteſt natura divina in abſtracto accepta, quàm humana; non magis aliquod abſtractum ad illam naturam pertinens,quàm ad iſtam. Contrà enim primò, humanitas & divinitas ſeorſim, vel importent 42.
ly *ſeorſim* excluſivè & reduplicativè, excludendo ſcilicet & negando; vel præciſivè & ſpecificativè,præſcindendo ſcilicet & non explicando aliam naturam; primo modo Chriſtus, neque eſt humanitas, neque divinitas ſeorſim; ſecundo modo eſt divinitas ſeorſim, non humanitas & nullo modo poteſt dici humanitas præcisè; poteſt verò dici divinitas, quamvis non divinitas ſola, quod diverſum eſt, ut monet Amicus *diſputat. 9. numero* 34. Contrà ſecundò, agebatur eo *numer.*14. de Chriſto adæquatè accepto, ut eſt quid compoſitum, quâ certè ratione eſt divinitas & humanitas ſimul, non ſeorſim. Neque urgeas, ex hoc ipſo, quod Chriſtus eſt divinitas & humanitas ſimul, conſequens eſt humanitatem in abſtracto dici aliquo modo de Chriſto, quod malè cohæret cum primâ parte regulæ, quam explicamus. Contrà enim humanitas & divinitas, quamvis ſint nomina abſtracta, per ly *ſimul* habent ſignificationem concretam; quia humanitas & divinitas ſimul ſunt humanitas & divinitas unitæ, non uniuntur autem niſi in ſuppoſito ſeu in perſona, at natura in ſuppoſito ſeu in perſonâ eſt natura in concreto, ideò, &c. 43.

Tertia regula.

Tertia regula. De Chriſto non rectè formantur propoſitiones denotantes, aut diſtinctionem ſuppoſitorum, aut unitatem naturæ. Utraque hujus regulæ pars ad fidem pertinet, cum enim Neſtorius in Chriſto ſuppoſita diſtinxerit, Eutyches naturas confuderit, propoſitiones denotantes diſtinctionem ſuppoſitorum Neſtorianæ cenſendæ ſunt, Eutychianæ verò quæ denotant naturæ unitatem. Hinc ſit primò rectè geminari in Chriſto nomina neutrius generis, non verò nomina generis maſculini; rectè ſcilicet dici in Chriſto eſt alterum & alterum, ſeu aliud & aliud; non item alter & alter, ſeu alius & alius; ratio eſt, quia genus neutrum ad naturam ſeu eſſentiam, genus maſculinum ad ſuppoſitum ſeu perſonam refertur, ut explicuimus *in tractat. de Deo Trino libro tertio capite 5. §. 3.* & verè datur in Chriſto alietas, ſeu diſtinctio naturarum, non ſuppoſitorum rectè igitur dicitur alterum & alterum, aliud & aliud; non alter & alter, alius & alius undè Neſtorianiſmum ſaperet qui in Chriſto

Vv a affirma

affirmaret alium & alium ; Eutychianiſmum
verò qui in eodem negaret aliud & aliud. Fit
ſecundò rectè dici in Chriſto ſunt plura , vel
in Chriſto ſunt duo neutraliter ; non item in
Chriſto ſunt plures, vel in Chriſto ſunt duo
maſculinè ; eſt enim eadem prorſus ratio de
iſtis propoſitionibus , ac de præcedentibus.
Non tamen exiſtimes ſicut verificatur in
Chriſto ſunt aliud & aliud , ſunt duo neutra-
liter , ſunt plura ; ità quoque verificari Chri-
ſtus eſt aliud & aliud, eſt duo, eſt plura : Enim
verò in prioribus propoſitionibus ità per no-
mina neutrius generis importatur diſtinctio
naturarum , ut per ly *in Chriſto* importetur
earundem unio in tertio ; at in poſterioribus
propoſitionibus non exprimitur aliquod ter-
tium , & per nomina neutrius generis impor-
tatur diſtinctio naturarum ſimpliciter abſque
ullâ unione; ideò hujuſmodi poſteriores pro-
poſitiones non verificantur , ſicut priores ; eo
modo, quo hæc propoſitio *Deus eſt plures* non
verificatur ſicut illa *in Deo ſunt plures* ex
Amico *hic diſput.* 13. *num.* 91. Fit tertio reſpe-
44. ctu Chriſti falſas eſſe omnes propoſitiones re-
moventes , ſeu negantes , aliquam proprieta-
tem naturæ , vel divinæ , vel humanæ ; dum
enim negatur proprietas alicujus naturæ, ne-
gatur conſequenter ipſa natura, & cum Euty-
chete inducitur natura unica in quam conver-
ſa ſit ea, cujus proprietas negatur ; hinc falſò
dicitur Chriſtus non eſt mortalis, non eſt paſ-
ſibilis; vel eſt immortalis , eſt impaſſibilis ſu-
mendo iſtos terminos negativè prout nega-
tionem mortalitatis & paſſibilitatis impor-
tant ; quamvis alioqui in communiore acce-
ptione , quâ poſitivam perfectionem negati-
vè explicatam ſignificant , veriſſimæ ſint pro-
poſitiones illæ Chriſtus eſt immortalis eſt
impaſſibilis; undè potes deducere obiter titu-
lo diverſarum naturarum benè poſſe Chriſto
attribui prædicata contraria , ideſt poſitiva,
quæ ſe invicem excludant ab eodem ſubjecto
eademvè naturâ, at non contradictoria , quo-
rum unum ſit negatio alterius ; poſſe ſcilicet
rectè dici Chriſtus eſt ab æterno , & in tem-
pore; eſt circumſcriptus , & immenſus ; mor-
tuus in triduo, & vivus ; at non Chriſtus eſt ab
æterno , & non ab æterno; circumſcriptus , &
non circumſcriptus, mortuus in triduo, & non
mortuus , in his enim omnibus propoſitio
negans falſa eſt non ſolum propter inſinua-
tum acceſſum ad hæreſim Eutychianam , ve-
rum etiam propter conditionem propriam
ſeu malignantem naturam negationis , quæ ut
pote totum negans nullâ ratione patitur tri-
bui Chriſto, quod de eo negatur.

Ex regulis generalibus hucuſque traditis
45. facile eſt eruere, & ediſcere , legitimum mo-
dum loquendi in Myſterio Incarnationis ;
quid in Chriſto aut de Chriſto affirmandum,
negandumve ſit ? quænam propoſitiones ſa-
næ ſint , & ab omni erroris ſuſpicione alie-
næ , quænam graves aut ſuſpectæ ? Quia ta-
men dantur inter cæteras propoſitiones ali-
quæ inſigniter controverſæ, eo quod vel mul-
tiplicem ſenſum habeant , vel addito aliquo
modificentur , vel quamvis in ſignificationis
rigore veræ, in modo ſignificandi ſapiant lo-
quelam hæreticorum , cum quibus in iis , in
quibus errarunt , nec verba debemus habere
communia, expedit ejus generis propoſitiones
ſingillatim expendere: Ideo ſit

§. IV.

Expendantur ſingillatim aliquæ inſi-gniores propoſitiones in præſenti materiâ controverſa.

ASSERT. Inſigniores propoſitiones in præ-
ſenti materiâ controverſæ , eſſe poſſunt 46.
illæ Homo factus eſt Deus. Deus factus eſt
homo. Deus aſſumpſit hominem. Chriſtus
in quantum homo eſt Deus; in quantum ho-
mo eſt perſona, in quantum homo, vel in quan-
tum hic homo eſt creatura. Chriſtus vel hic
homo demonſtrato Chriſto incœpit eſſe , eſt
ſubjectus Patri, eſt minor Patre. Chriſtus eſt
homo Dominicus. Chriſtus eſt unum. De qui-
bus propoſitionibus aliiſque nonnullis agere
ſolent Theologi cum D. Thomâ *hic qu.* 17 *&*
17. Magiſtro item & Scoto *in* 3. à *diſt.* 5. ad 12.
undè & nos ſingulas expendemus , aut potius
excurremus eodem, quo eas enumeravimus ,
ordine.

Quænam ſint inſigniores propoſitiones controverſæ in præſenti materia?

Prima propoſitio , *Homo factus eſt Deus*, 47.
non eſt vera ſimpliciter & in ſenſu magis
proprio ; ſed duntaxat in aliquo minus pro-
prio. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 16. *artic.* 7. &
in 3 *diſt.* 7. *quæſt.* 2. *art.* 2. iiſdemque locis cæteri
Theologi communiter , tum Antiqui , tum
Recentiores , maximè verò Thomiſtæ contrà
Scotum *in* 3. *diſt.* 7. *quæſt.* 2. Maſtrium *diſput.* 2.
quæſt. 12. *artic.* 2. cæteroſque Scotiſtas, pro quo-
rum impugnatione adverto ex S. Doctore
præcit. art. 7. in relatâ propoſitione participium
illud *factus* poſſe tripliciter accipi ; Primo ità
ut cadat determinatè , vel ſuprà prædicatum,
vel ſuprà ſubjectum, & applicet fieri vel abſo-
lutè circà Deum reddendo propoſitionem æ-
quivalentem huic Deus qui de homine prædi-
catur eſt factus; vel abſolutè circa hominem
reddendo propoſitionem æquivalentem huic
alteri , homo de quo Deus prædicatur eſt fa-
ctus. Secundò ita ut cadat ſuprà totam pro-
poſitionem , & applicet fieri circà compoſi-
tionem prædicati cum ſubjecto, ſeu circa hoc
totum, quod eſt hominem eſſe Deum, redden-
do hunc ſenſum, Homo per factionem actio-
nemvè incarnativam eſt Deus, vel factum eſt
ut homo ſit Deus vereque dici poſſit homo
eſt Deus. Tertiò ità ut cadat ſuprà ſubjectum
relatè ad prædicatum & applicet fieri circà
hominem tanquam ſubjectum reſpiciendo
Deum tanquam terminum , ſignificando ſci-
licet hominem, qui anteà non erat Deus ex vi
alicujus actionis aquiſiviſſe deitatem , ſicuti
parietem factum eſſe album nihil aliud eſt
ſimpliciter , & propriè, quam parietem , qui
anteà non erat albus , ex vi alicujus actionis
aquiſiviſſe albedinem. Juxtà tres expoſitas 48.
acceptiones illius participij *factus* tres ſunt
ſenſus illius propoſitionis *Homo factus eſt
Deus* ; duo priores ſunt ſenſus improprij , ſo-
lus tertius eſt proprius & conſuetus tribui cæ-
teris

Quid ſentiendum de propoſitione Homo factus eſt Deus?

teriis propoſitionibus ſimiliter modificatis illo participio *factus*. In primo ſenſu propoſitio eſt falſa, nam Deum eſſe factum opponitur ipſimet lumini naturæ; hominem verò demonſtrato Chriſto eſſe factum favet hæreticis, ut conſtabit ex infrà dicendis circà propoſitiones illas, Chriſtus incœpit eſſe, Chriſtus eſt creatura: In ſecundo propoſitio eſt vera, quia verè datur factio ſeu actio incarnativa, & datâ tali actione verè dicitur in Chriſto, Homo eſt Deus: In tertio propoſitio eſt iterum falſa, quia de homine Chriſto non verificatur, quod anteà non fuerit Deus; nam ly *homo* vel ſumitur ut ſumi debet in ſuppoſitione perſonali pro ſuppoſito, & ſic importat ſuppoſitum Verbi, quod ſemper fuit Deus utpote identificatum cum Deitate, vel ſumitur in ſuppoſitione ſimplici pro naturâ humanâ, & neque hoc modo verificatur, quod homo antea non fuerit Deus, cum humanitas Chriſti non fuerit anteà exiſtens ſeu præexiſtens ad actionem incarnativam, præter quod cum nun rectè dicatur, natura humana eſt, multo minus rectè diceretur, homo pro natura humana ſupponens factus eſt Deus.

Dices: ut rectè dicatur homo factus eſt exiſtens non eſt neceſſe, quod homo præcedat factionem, quâ fit exiſtens, & quod anteà ſit non exiſtens; ergo ut rectè dicatur, homo factus eſt Deus, non eſt neceſſe quod præcedat factionem, quâ fit Deus, & quod anteà fuerit non Deus; antecedens probatur ex eo, quia ſi homo fuiſſet ab æterno productus, rectè diceretur factus ab æterno exiſtens, & tamen certè non præceſſiſſet factionem, qua ab æterno extitit, nec antea fuiſſet non exiſtens, imo de facto *Geneſ.* 2. homo dicitur *factus in animam viventem*, & tamen homo non præceſſit 49. animationem. Neque ſufficienter occurrit Vaſquez *diſp.* 64. *num.* 14. dicendo aliud eſſe loqui de factione, qua aliquid ſimpliciter fit, ut eſt illa, quâ homo aut fit exiſtens aut fit in animam viventem; aliud verò loqui de factione, quâ aliquid fit tale, puta quâ paries fit albus, quâ homo fit Deus. Inſtauratur enim inſtantia ex eo, quod homo potuit fieri non ſolum ab æterno exiſtens, ſed etiam ab æterno albus, quâ ratione non ſolùm non præceſſiſſet ſuum fieri ſimpliciter, ſed nec ſuum fieri tale; imò & de facto rectè dicitur homo factus à Deo rectus juxta illud Eccleſiaſtes 7. *Inveni quod fecerit Deus hominem rectum*, & tamen cum talis fuerit in primo inſtanti ſuæ productionis, non præceſſit ſuum eſſe rectum quod eſt eſſe tale. Confirmantur hæc omnia ex Sanctis Patribus, quorum nonnulli propoſitionem in præſenti controverſam tradunt, aliquando quidem terminis formalibus, ſic Damaſcenus *libro* 3. *fidei capite* 11. ait *Eodem modo illud quoque dictum eſt, quod Deus homo factus ſit & homo Deus*, ſæpius verò terminis æquivalentibus ſic Nazianzenus *Orat.* 2 *de Theologiâ* habet *atque inferior hic homo Deus effectus eſt, poſteaquam cum Deo coaluit, præſtantioreque parte ſuperante unus factus eſt* & Auguſtinus *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 13. ita loquitur *Talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum*; alia teſtimonia his ſimilia, tum ex iiſdem Damaſceno Nazianzeno, & Auguſtino, tum ex Sophronio refert Vaſquez *præcit. diſp.* 64 *cap.* 1. Sed 50. contra: permitto participium *factus* quandoque dici de ſubjecto relatè ad ea, quæ ipſi conveniunt in primo inſtanti, etiamſi iſta ſpectent ad eſſe tale, non ad eſſe ſimpliciter; at contendo omnes hujuſmodi propoſitiones ac locutiones eſſe minus proprias, & participium illud ſolùm propriè dici de ſubjecto, cui aliter antea exiſtenti de novo advenit prædicatum juxta tertium ſenſum ſupra traditum, in quo ſenſu frequentius, & ferè ſemper utitur eo participio Sacra Scriptura, ut Lugus *diſp.* 23. *num.* 73. probat ſingillatim ex 1. Machab. 2. *Quæ erat libera facta eſt ancilla* ex Iſa. 64. *Civitas Sancti tui facta eſt deſerta* ex Threnor. 1. *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium, Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo*, ex Matth. 17. *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba, ſicut nix.* In eodem ſenſu frequentius uſurpant illud participium Sancti Patres præſertim in ſubjecta Materia ſic Cyrillus Alexandrinus *lib. adverſus Antropomorphitas cap.* 22. ait *Neque enim homo ut quidam Volunt Deus eſt effectus unitus Verbo, ſed Verbum ipſum carne aſſumpta homo factum manſit*; ſic Petrus Diaconus *lib. de Incarnatione & gratia cap.* 5. ait *Deus factus eſt Chriſtus, non autem Chriſtus factus eſt Deus*, ſic Damaſcenus *lib* 1. *fidei cap.* 2. Nicetas *lib.* 3. *theſauri cap.* 32. & Elias Cretenſis *in Orat.* 1. *Nazianzeni* docent non debere dici hominem Deitate affectum ſeu Deificatum ſed Deum humanitatem aſſumpſiſſe, ſeu humanatum fuiſſe. Hinc quando ipſimet Sancti Patres tradunt formalibus aut æquivalentibus verbis, propoſitionem illam *Homo factus eſt Deus* locuti ſunt minus propriè, & juxta ſecundum ſenſum ſupra traditum, in quo non inficior eodem modo verificari Homo factus eſt Deus, ac Deus factus eſt homo, quamvis deindè hæc ſecunda propoſitio non in eo ſolo ſenſu improprio, in quo prima, ſed etiam in alio proprio verificetur ſimpliciter, ut mox tradetur & ſimul explicabitur, quomodò ex illis duabus propoſitionibus una non ſit converſa alterius, ejuſdemque aut improprietatis aut proprietatis, cujus altera. Interim

51. *Quid de eadem propoſitione in hypotheſi, qua homo tépore præceſſiſſet aſſumptionem?*

Dubitatur: Utrum Homo factus eſt Deus verificaretur ſimpliciter & propriè in hypotheſi, qua homo, ut potuit, tempore præceſſiſſet aſſumptionem, actionemve incarnativam, humanitas ſcilicet fuiſſet exiſtens in ſuppoſito proprio, antequam uniretur ſuppoſito divino? Affirmant Lugus *diſp. præcit. numer.* 55. Artiaga *diſp.* 46. *num.* 20. Amicus *diſputat.* 33. *num.* 86. Negant Suarez *in comment. præcitat. art.* 7. & Vaſquez *præcitat. diſp.* 64. *num.* 16. & 32. quibus magis adhæreo; enim verò humanitas à proprio ſuppoſito, in quo præexiſteret, ſepararetur, dum uniretur divino? homo igitur ſupponens pro ſuppoſito quatenus poſtea denominaretur Deus, & quatenus foret ſubjectum unionis actioniſvè incarnativæ non eſſet ille idem, qui talem unionem actionemvè præceſſiſſet, non eſſet igitur idem ſubjectum ſub utroque termino.

quemadmodum requiritur ad hoc ut aliquid, quod non erat antea tale, proprie dicatur fieri de novo tale; potius in tali hypotheſi dici deberet ex homine factus eſt Deus, quam
52. homo factus eſt Deus. Confirmatur negativa reſponſio ex D. Thoma *præcitat. artic. 7. in cor.* dicente *ſi eſſet alia Perſona, vel hypoſtaſis Dei & hominis, ità quod eſſe Deum prædicaretur de homine, & è converſo per quandam conjunctionem ſuppoſitorum (ut Neſtoriani dixerunt) tunc pari ratione poſſet dici, quod homo factus eſt Deus, ideſt conjunctus Deo, ſicut & quod Deus factus eſt homo, ideſt conjunctus homini*: Ecce S. Doctor inſinuat hominem non poſſe dici factum Deum, niſi humanitas retineat proprium ſuppoſitum; non fieret igitur homo Deus in hypotheſi, quâ humanitas in proprio quidem ſuppoſito præcederet, at ipſum ſimul cum divino non retineret; imo etiamſi retineret, ſuppoſitum tamen ipſum creatum non uniretur ſuppoſito divino per conjunctionem, vel dignitatis perſonalis, vel affectionis, vel inhabitationis; ſed uniretur ſuppoſito divino ſola natura, adhuc videretur quod ex mente S. Doctoris propriè nō diceretur, homo factus eſt Deus, quia ly *homo* adhuc non ſupponeret pro ſuppoſito creato, quamvis alioqui præcedente factionem, actionemvè incarnativam; ſupponeret autem pro ſuppoſito divino, quod non eſt factum per actionem incarnativam Deus, cum jam antea Deus eſſet, & ità ſentiunt in terminis Suarez & Vaſquez locis præcitatis. Hincque fit nullum eſſe excogitabilem modum, quo propriè verificetur homo factus eſt Deus loquendo ſubſtantialiter; ad ſummum poſſet id verificari, loquendo accidentaliter, in hypotheſi quod eſſent in Chriſto duæ perſonæ unitæ ſolum unione accidentali, & in affectu juxtà errorem Neſtorianum.

53. Quid de propoſitione *Deus factus eſt homo?*

Secunda propoſitio *Deus factus eſt homo* ad fidem pertinet ex eo quod Jo. 1. habetur *Verbum caro factum eſt.* CHRISTUS IESUS *Philip. 2.* dicitur *In ſimilitudinē hominum factus*, necnon *in Symbolo Nyceno* de eodem canemus, *& homo factus eſt.* Quæ & ſimilia loca adeò expreſſa ſunt, ut non ſint in ſenſu improprio intelligenda; ideò prædicta propoſitio non utcunque, ſed ſimpliciter & propriè vera cenſetur à D Thoma *hic q. 16. art. 6. & in 3 diſt 7 q. 2. art. 1.* cæteriſque Scholaſticis communiſſime, quamvis D. Bonaventura *ead. diſp. 7. art. q. 2.* oppoſitum ſenſerit fatendo quidem veritatem, at non admittendo omnimodam proprietatem illius propoſitionis; probatur tamen ſimul cum veritate omnimoda proprietas ex eo, quòd juxtà ſuprà tradità *n. 47.* ſenſus omninò proprius illius propoſitionis eſt, quod participium factus cadat ſuprà ſubjectum relatè ad prædicatum & ſignificet Deum extitiſſe antequam eſſet homo, & ex vi alicujus actionis effectivæ aquiſiviſſe, quòd ſit homo; atqui hoc totum verificatur propriiſſimè, nam Deus ante Incarnationem propriiſſime extitit & nō erat homo, ex vi deinde actionis incarnativæ efficientis unionem ejus cum humanitate aquiſivit, quod ſit homo, adeò ut homo pro-
54. priè de Deo prædicetur; ergo. Confirmatur ex eo, quia ſi deeſt aliquod requiſitum ad proprietatem illius propoſitionis, id maximè eſſet mutatio, quæ utique non datur propriè in Deo, & tamen requireretur ac daretur, ſi Deus propriè fieret de non tali talis, de non homine homo; quid enim aliud eſt ſubjectum propriè mutari, quàm ipſum aquirere aliquam novam taleitatem, ſeù incipere de novo eſſe aliquid, quod anteà non erat? atqui mutatio non requiritur ad proprietatem illius propoſitionis, nec debet mutari illud omne, quod de novo aliquid propriè fit, ſeù de quo aliquid incipit propriè prædicari; ſed ſæpè ſufficit mutari illud, quod de novo advenit, quodque incipit de ſubjecto prædicari, ſic (ut exemplificat D. Thomas *præcit. art. 6. ad 5.*) homo de novo fit dexter abſque ſui mutatione per motum illius, qui fit ei ſiniſter, quid igitur mirum ſi Deus fiat homo abſque ſui mutatione per mutationem naturæ humanæ, quæ fit ei unita & intrinſecè terminata divino ſuppoſito, quâ de re nonnihil jam attigimus ſuprà *cap. 2. num. 13.* & nonnihil iterum attingetur infrà *num. 57.* Interim moneo, quod dictum eſt illud participium *factus* in ſenſu proprio debere cadere ſuprà ſubjectum, intelligi de ſubjecto propoſitionis, non de ſubjecto mutationis, quo pacto etiam ſuprà Deum optimè cadit ly *factus* in propoſitione, de quâ agitur.

Dices: fieri hominem eſt aquirere eſſe ſubſtantiale & abſolutum, hujuſmodi autem eſſe nequit aquiri ſine mutatione ejus, cui aquiritur, undè ipſemet S. Doctor mox laudatus ſolum ea, quæ dicuntur relative, non ea quæ dicuntur abſolutè, vult poſſe de novo prædicari de aliquo abſque ejus mutatione; ergo confirmatio mox adducta non probat, quod intendit; cum præſertim etiam aliunde inferatur propoſitionis, de quâ agitur improprietas: primo ſcilicet ex eo, quia in propoſitionibus propriis tenet conſequentia ab inferiore ad ſuperius affirmative, & à ſuperiore ad inferius negative; adeóque ex primo capite, ſi Deus factus eſt homo ſequitur quod ſit factus animal, ſit factus ſubſtantia, ſit factus ens; atqui iſtæ propoſitiones conſequentes nun ſunt propriæ, ergo neque illa ad quam conſequuntur; ex ſecundo capite ſi Deus proprie factus non ſit, ſequitur quod neque proprie factus ſit homo; atqui proprie factus non eſt; ergo neque proprie factus eſt homo: Secundo, quia quando una propoſitio eſt converſa alterius, mutatur ſcilicet in alteram per ſimplicem converſionem terminorum, benè arguitur ab una ad alteram; atqui hæc propoſitio, Deus factus eſt homo eſt converſa illius, homo factus eſt Deus, ergo ex veritate & proprietate prioris inferretur veritas & proprietas poſterioris,
quæ tamen *ex præcedent. n. 47.* nec propria eſt, 55.
nec ſimpliciter vera. Sed contrà: in primis dici poteſt, quod fieri hominem eſt aquirere unionem cum humanitate, quæ unio utpotè complexum duorum eſt quid relativum potius, quàm abſolutum; undè ipſemet S. Doctor *præcitat. quæſt 16. artic. ad 4* ait *quod hoc nomen homo prædicatur de Deo ratione unionis in perſonâ, quæ quidem unio relationem importat.* Deinde aliter dicito, quod fieri hominem eſt

aquirere

acquirere eſſe ſubſtantiale & abſolutum terminativè, non ſubjectivè eſſe autem ſubſtantiale & abſolutum ſolùm quando ſubjectivè, non quando terminativè acquiritur, importat mutationem ejus, cui acquiritur. Ad primam aliundè petitam impugnationem propoſitionis, de qua agitur, dico ly *Deus factus eſt homo, animal, ſubſtantia, ens*, involvere negationem ex parte termini à quo, connotando *ex non homine, ex non animali, ex non ſubſtantia, ex non ente*, ideò duæ poſteriores propoſitiones ſunt falſæ abſque præjudicio bonæ conſequentiæ ab inferiore ad ſuperius affirmativè, ſicuti etiam abſque præjudicio bonæ conſequentiæ à ſuperiore ad inferius negativè, falſa eſt illa illatio, Deus factus non eſt, ergo Deus factus non eſt homo, utpotè quæ non eſt à ſuperiore ad inferios, ſed à ſimpliciter ad ſecundum quid, quales eſſent iſtæ quæ pariter poſſunt eſſe falſæ; paries non fit, ergo non fit albus; Petrus non fit, ergo

56\. non fit doctus. Ad ſecundam impugnationem nego ex illis duabus propoſitionibus unam eſſe converſam alterius cum enim ly *factus* cadat ſuprà ſubjectum relatè ad prædicatum; ſupra ſubjectum Deus, tanquam ſupra ſubjectum propoſitionis præcisè, relatè ad prædicatum tanquam ad ſubjectum factionis, ſeu mutationis; conſequens eſt, quod in Adverſariorum converſione varietur terminorum ſuppoſitio, & dum dicitur, Deus factus eſt homo, ſubjectum propoſitionis non ſupponit pro ſubjecto mutationis, ſicuti tamen ſupponeret, dum diceretur, Homo factus eſt Deus; ad tollendam igitur æquivocationem & indicandam diverſitatem ſuppoſitionis pro converſâ illius propoſitionis, *Deus factus eſt homo*, debet hæc aſſignari *Is qui eſt factus homo, eſt Deus*.

Quid de propoſitione Deus in Incarnatione mutatus eſt, loquendo per communicationem idiomatum.

Dubitatur: Utrum Deus ex eo, quod factus ſit homo, quamvis non fuerit mutatus per ſe, & ratione naturæ divinæ poſſit tamen dici mutatus per communicationem idiomatum cum naturâ humanâ, in qua verè contigit mutatio: Affirmat Victoria cum alijs nonnullis, quibus viſum eſt per communicationem idiomatum Deum dici mutatum æquè benè, ac dicatur genitus, mortuus paſſus &c. & quidem ſi loquerentur de mutatione accidentali ſecundum locum, aut ſecundum tempus, aut ſecundùm quantitatem, non eſſent reijciendi, ut obſervat Vaſquez *diſputat* 64.*cap*.4.*num*.51.at cum loquantur de mutatione ſubſtantiali, per quam Deus ipsâ Incarnatione, & ex eo, quod homo fiat, mutatus dicatur, licèt per communicationem idiomatum, nullatenus audiendi ſunt & impugnantur à Vaſquio *cap*. mox *citat*, *numer* 10. Suario *quæſt*.16.*in comment*. *artic*.6. Amico *diſputat*.33.*num*.87. Joanne à S. Thomâ *qu*. 16. *artic* 6. *num*.9. Gabriele à S. Vincentio *diſputation*. 16. *numer* 96. cæteriſque communiter, quibus conſentio, & negativam dubitationi affero reſponſionem, quæ probatur pri-

57\. mo auctoritate Sanctorum Patrum nunquàm ſimpliciter, & ſine addito, affirmantium Deum fuiſſe in Incarnatione mutatum, ſicuti affirmant eundem fuiſſe in Incarnatione temporaliter genitum, & poſteà paſſum, ac mortuum: Neque dicas, generatio temporalis eſt per ſe ipſam mutatio, ergo nequit Deus affirmari temporaliter genitus quin affirmetur mutatus. Contra enim. generatio eſt mutatio ejus, quod manet ſub utroque termino, quodque exiſtit ante & poſt generationem, non verò eſt mutatio ejus quod generatur, utpotè quod non manet, ſed de novo fit, non antè extitit, ſed incipit exiſtere; diſtinguo itáque antecedẽs, generatio temporalis eſt per ſe ipſam mutatio materiæ primæ concedo, termini geniti, nego antecedens & conſequentiam; ex eo enim quod in Incarnatione mutetur materia prima, non mutatur Deus per communicationem idiomatum quià hæc datur inter Deum & hominem, & ea quæ conveniunt homini; non inter Deum & partes hominis, aut ea quæ ſunt alicujus partis propria eadem ratione, quá Deus dicitur temporaliter genitus, non temporali generatione mutatus, dicitur pariter mortuus, non morte mutatus, quamvis mors ſit mutatio. Probatur eadem reſponſio ſecundo aſſignando rationem diſcriminis inter prædicatum mutati & cætera prædicata ſeu idiomata, quæ ex eo quod humanitati conveniant Deo communicantur; conſiſtit autem hujuſmodi diſcrimen præcipuè in eo, quod cætera prædicata ita conveniant homini; mutari autem in Incarnatione humanitati duntaxat convenit non homini, quia humanitas non homo Incarnationem præcedit, humanitas non homo à divinâ ſubſiſtentiâ terminatur, in quâ quidem terminatione humanitas tota mutatur; nam mutatio, quæ ex vi temporalis generationis in humanitate exercetur, eſt mutatio materiæ primæ, non totius humanitatis, adeóque quod ex vi hujus mutationis non communicetur Deo prædicatum mutati provenit etiam ſpecialiter ex eo, quod communicentur idiomata, quæ toti naturæ, non quæ alicui parti ut exercenti munus partis conveniunt quemadmodum jam attactum eſt *libr. præcedent. cap.* 5. *num*.64.& 104.

Quid de propoſitione Deus aſſumpſit hominem.

Tertia propoſitio, *Deus aſſumpſit hominem*, 58.
non eſt propriè & rigoroſè vera, ratio eſt, quia homo propriè & rigoroſè ſignificat ſuppoſitum, non præcisè naturam, aſſumere verò propriè dicitur in ordine ad rem, quæ aſſumptioni præſupponitur, non in ordine ad terminum, qui poſt aſſumptionem reſultat; quamvis igitur terminus poſt aſſumptionem reſultans ſit ſuppoſitum, ſeu natura humana ſubſiſtens; quia tamen iſta, quatenus aſſumptioni præſupponitur ſubſiſtens non eſt, propriè & rigoroſe non aſſumpſit Deus hominem, ſed humanitatem, ſeu naturam humanam; & præſertim poſt errorem Neſtorij ponentis in Chriſto duplex ſuppoſitum, humanum alterum, alterum divinum, major eſt ratio abſtinendi ab illa propoſitione *Deus aſſumpſit hominem*, de quâ propterea aliquid jam attigimus ſupra *cap*.4.*num*.21. dum contrà Neſtorium ageremus, nec operæ pretium eſt ulterius immorari in re clarâ, & in quâ contrà Ludovicum Vives *in lib*.9.*de Civit. capit*. 17. conveniunt Scholaſtici tum Antiqui, tum Recentes,

centes, agentes hac de re vel *in* 3. *diſt*. 6. vel cum D. Thoma *hic quæſt*. 4. *art*. 3. quo loco videri maximè poteſt Vaſquez inſtituens integram diſputationem quæ eſt 35.

Dices: Humanitas in Chriſto, non ſuppoſitum, terminat conceptionem generationémque temporalem, & tamen propriè ac rigoroſè dicitur Beata Virgo concepit genuitque temporaliter hominem, non humanitatem præciſè, ex eo quia (ut dici ſolet) denominationes ſunt ſuppoſitorum, & quæ conveniunt naturæ rectè tribuuntur toti concreto ſeu ſuppoſito; ergo à paritate, & identitate rationis, licet humanitas, non ſuppoſitum terminet aſſumptionem, adhuc propriè & rigoroſè dicetur, Deus aſſumpſit hominem.

60. Sed contrà: *ex præcedent. cap*. 5. *num*. 86. tecolendum eſt corpus & animam prius naturâ fuiſſe unita ſubſiſtentiæ Verbi, quam inter ſe, quod eſt humanitatem prius naturâ fuiſſe à Verbo aſſumptam, quam conceptam & genitam ex Virgine, imo Virginem fuiſſe propriè Matrem Chriſti, ideſt Dei hominis, ex eo quod ejus conceptio & generatio fuerit terminata ad humanitatem ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ divinâ: hoc ſuppoſito adverto aliqua convenire humanitati ut involventi, aut ſaltem ut admittenti divinam ſubſiſtentiam; aliqua alia convenire eidem ut nondum cum divinâ ſubſiſtentiâ conjunctæ, imò ut eam excludenti; prædicata ſeu denominationes, quæ humanitati conveniunt primo modo, rectè tribuuntur homini, non humanitati præciſè, ſecus quæ conveniunt ſecundo modo: Porrò terminate conceptionem, generationemvè temporalem, convenit humanitati primo modo, ut ſuppono ex recolendis *præcit. num* 86. terminare aſſumptionem convenit humanitati ſecundo modo, clarum quippè eſt humanitatem non aſſumi à Verbo, ut jam ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ Verbi; ideò propter hanc diverſitatem, & rationis diſparitatem, concedo antecedens, nego conſequentiam; eademque de cauſa negaretur conſequentia, quæ ex illo antecedente inferretur, ergo Verbum unitur homini, terminat hominem, vel ergo homo Verbo unitur, à Deo aſſumitur, à Deo terminatur, &c.

61. Quid de propoſitione *Chriſtus in quantum homo eſt Deus*.

Quarta propoſitio, *Chriſtus in quantum homo eſt Deus*, neganda magis eſt tanquam falſa quam concedenda tanquam vera; eſſet tamen concedenda magis, quam neganda, ſi apponeretur ex parte ſubjecti pronomen demonſtrativum *hic* ſeu *iſte*, dicendo Chriſtus in quantum hic homo, ſeu in quantum iſte homo eſt Deus: Ità Scholaſtici magis communiter cum D. Thoma *quæſt*. 16. *art*. 11. *in c*. & *ad* 3. contrà Durandum *in* 3. *diſt* 10. *quæſt*. 1. *nu*. 12. Paludanum *ead diſt. quæſt*. 1. *artic*. 1. Vaſquium *diſput*. 69. *cap*. 1. alioſque nonnullos arbitratos falſam eſſe & negandam prædictam propoſitionem, etiam poſteriore modo & cum additamento pronominis demonſtrativi prolatam: Nihilominus explicatur & probatur noſtra reſponſio; Concretum perſonale *homo* importat tum ſuppoſitum, tum naturam, ſuppoſitum quidem in recto; at materialiter, ſeu per modum ſubjecti, nec non etiam implicitè, naturam in obliquo, at formaliter, ſeu per modum formæ, nec non etiam explicitè: Porro reduplicatio, utpotè quæ facit ſenſum formalem & explicitum, magis cadit regulariter loquendo ſuprà id, quod in termino ſibi ſubſtracto formale eſt & explicitum: ly igitur *in quantum* licèt poſſit reduplicare vel divinum ſuppoſitum, quâ ratione propoſitio, de qua agitur, eſſet concedenda, cum vere detur identitas inter ſuppoſitum divinum & Deum; vel humanam naturam, quâ ratione eadem propoſitio eſſet neganda, eo quod humana natura ſecundùm ſe nullam habeat cum Deo identitatem; nihilominus abſolutè & ſine addito reduplicat magis humanam naturam, utpotè formaliter & explicitè contentam in homine reduplicationi ſubſtrato, ſicque abſolutè & ſine addito neganda magis eſt, quàm concedenda propoſitio illa, Chriſtus in quantum homo eſt Deus. Si deindè fiat additio pronominis demonſtrativi *hic* quia tale pronomen maſculine poſitum determinat, ſeu deſignat, perſonam ex dictis *præced. num*. 43. & *alibi*, conſequens eſt ly *in quantum* cadens ſupra hominem hujuſmodi pronomine affectum, perſonam ſeu ſuppoſitum reduplicare magis, quàm naturam; adeóque concedi debere, magis, quàm negari, quod Chriſtus in quantum hic homo ſit Deus. Neque dicas ex Durando & Vaſquio pronomen *hic* non variare ſignificationem illius concreti *Homo*, ſed ſolum efficere quod ſignificetur natura humana ſingularis, quæ antea communis ſignificabatur, & reduplicationem cadentem ſupra hominem à reduplicatione cadente ſupra hunc hominem differre ſolum in eo, quod illa magis deſignet humanitatem in cõmuni, iſta magis deſignet eamdem in ſingulari, cæterum neutram magis deſignare ſuppoſitum. Contra enim pronomen *hic* non variat quidem quoad ſubſtantiam, variat tamen quoad modum ſignificationem illius concreti, adeò ut homo, & hic homo, idem quidem ſignificent ſed non eodem modo, non ſcilicet magis deſignent eamdem concreti partem; nec verum eſt ly *hic* referri ſolum ad naturam ſingularem, alioqui daretur in Chriſto hic & hic, alius & alius, cum in ipſo dentur duæ naturæ ſingulares. 62.

Quid de propoſitione *Chriſtus in quantum hic homo eſt Deus*.

Quinta propoſitio, *Chriſtus in quantum homo eſt perſona*, expeditur eadem ferè ratione qua propoſitio præcedens, abſolutè ſcilicet neganda eſt magis, quam concedenda; eſſet verò magis concedenda cum addito pronominis *hic* quo diceretur *Chriſtus in quantum hic homo eſt perſona*. Ita D. Thomas *quæſt*. 16. *art*. 12. Imò ſi ly *homo* reduplicet quidem naturam, non tamen ut ſumitur præciſè ſecundùm ſe, ſed ut ei competit ſubſiſtere, propoſitio illa etiam ſine addito pronominis *hic* eſt in aliquo ſenſu magis concedenda, quamvis & ſimul in aliquo alio magis neganda ex eodem D. Thoma, cujus doctrinam Ioannes à S. Thoma *eod. art*. 12. tuetur contra Vaſquium contendentem hujuſmodi propoſitionem debere in omni ſenſu concedi, ut veram. 63.

Quid de propoſitione *Chriſtus in quantum homo, vel in quantum hic homo, eſt perſona*.

Sexta propoſitio, *Chriſtus in quantum homo vel in quantum hic homo eſt creatura*, à D. Thoma 64.

ma

Quid de propoſitione *Chriſtus in quantum homo*, vel *in quantum hic homo eſt creatura*.

ma *pracit. q. 16. art. 10.* cenſetur ſimpliciter concedenda quoad primam partem, quia ly *in quantum homo* magis reduplicat ſuprà humanam naturam, quam ſuprà divinum ſuppoſitum; quoad ſecundam cenſetur ſimpliciter neganda, quia pronomen *hic* deſignat ſuppoſitũ & trahit reduplicationem ad cadendum ſupra divinũ ſuppoſitum magis, quàm ſuprà humanã naturam, quemadmodum in explicatione quartæ propoſitionis jam attigi ex eodem S. Doctore, cujus propterea judicium etiam in hac ſexta propoſitione amplector, ſumpto creaturæ nomine prout juxtà latiorem ſuam communioremque ſignificationem importat quidquid habet eſſe extrà Deum, ſive deinde illud habeat à ſolo Deo, ſivè à Deo ſimul & cauſa ſecunda; nam ſi creatura ſtrictiùs ſumatur pro ut terminat creationem in ſpecie à generatione contradiſtinctam & Dei primi efficientis propriam, propoſitio de qua agitur eſſet neganda, quia ipſa Chriſti humanitas non eſt in tali ſenſu creatura, cum ſit producta per generationem concurrente Beata Virgine, non per creationem in ſpecie, ſolo Deo efficiente ex nihilo ſimpliciter.

65. **Quid de propoſitione *Chriſtus*, vel *hic homo incepit eſſe*.**

Septima propoſitio, *Chriſtus* vel *hic homo* (demonſtrato Chriſto) *incepit eſſe* negatur à D. Thoma *pracit. q. 16. art. 9.* cæteriſque Theologis magis communiter contrà Vaſquium *diſp. 67. n. 15. &* 17. & apud ipſum alios. Ratio negationis eſt, quia tùm Chriſtus, tùm hic homo, ſupponunt in eà propoſitione pro ſuppoſito, quod divinum eſt, & de quo non verificatur quòd inceperit eſſe; & quidẽ quòd hic homo pro ſuppoſito ſupponat, habetur ex mox dictis *n. 62.* quod verò pro ſuppoſito ſupponat etiam Chriſtus habetur ex Damaſceno 3. *fidei c. 3.* dicente *Chriſti porrò vocabulum perſona eſſe dicimus*, & infertur inſuper ex eo quod quærenti de Chriſto *Quis eſt hic homo*; Non meliùs reſponderur quàm dicendo eſt *Chriſtus*, pro eodem igitur ſupponunt Chriſtus & hic homo; Deindè Chriſtus eſt nomen individui: nomina autem individuorum in natura rationali ſupponunt pro perſonâ ſeu ſuppoſito, communiter enim perſonas intelligimus per hæc nomina Petros, Paulus: &c Rationes dubitandi pro Adverſarijs attingemus in explicatione ſequentis propoſitionis, quæ huic ſeptimæ eſt valdè affinis, & deindè ſolet à Scholaſticis attentiùs expendi.

66. **Quid de propoſitione *Chriſtus eſt creatura*.**

Octava propoſitio, *Chriſtus eſt creatura*, neganda eſt non ſolùm quia ſecùs in modo loquendi conveniremus cum hæreticis Arrianis; verùm etiam quia eſt in ſe, & in re, falſa: Idem eſto judicium, ſi ex parte ſubjecti ponatur *hic homo* pro ly *Chriſtus*. Prima reſponſionis pars de propoſitione neganda propter hæreticos cum quibus nec nomina debemus habere communia, ut ex D. Hieronymo infert S. Doctor *pracit. q. 16. art. 8. in c.* Prima, inquam, reſponſionis pars communiter recipitur, & deducitur ex eo, quod error Arrianorum fuit ipſummet Verbum ſeu perſonam divinam filij eſſe creaturam, cum igitur in Chriſto includatur ipſummet Verbum ſeu perſona divina filij, dicendo ſimpliciter & abſolutè, *Chriſtus eſt creatura*, ſuſpicio eſt quod ly *creatura* ponatur cadere ſuprà illud totum quod eſt in Chriſto; adeóque ſupra ipſummet Verbum, perſonamque divinam filij, qui eſt modus loquendi Arrianorum, ac per conſequens neganda eſt prædicta propoſitio; quia ſecùs cum Arrianis in modo loquendi conveniremus. Secunda reſponſionis pars diſſimulatur, aut ſaltem non expreſsè profertur à D. Thoma *pracit. art. 8.* eam tamen S. Doctor protulerat tùm 4. *contra Gent. c. 48.* tùm *q. 29. de verit. art. 1. ad* 1. tùm maximè *in 3. diſt. 11. art. 2. in c.* his verbis *Chriſtus non poteſt dici creatura non tantùm ad evitandum errorem Arrij ut quidam dicunt: ſed etiam ad vitandum falſitatem*, proptereà in prædicta ſecunda reſponſionis parte conveniunt Thomiſtæ communiter; Scotus *in 3. diſt. 11. q* 2. ambiguus videtur & problematicus; Adverſantur verò D. Bonaventura *ead. diſt. 11. art. 2. q. 1.* & major tùm Scotiſtarum, tùm Recentiorum pars, ut videre eſt apud Maſtrium *diſp. 2. q. 12. art. 4.* Vaſquium *diſp. 65. c. 2.* Lugum *diſp. 23. ſec. 4.* Arriagam *diſp. 46. num. 22.* & alios, quos impugno primò ex eo, quia ſuſtinendo propoſitionem illam eſſe in ſe & in re falſam, magis receditur ab errore Arrianorum, dum enim etiam ad vitandam falſitatem negatur Chriſtum eſſe creaturam, conſequens eſt Verbum, nec per communicatione m idiomatum, creaturam dici poſſe, quod eſt intercludere Arrianis omnem aditum affirmandi creaturam de Verbo. Impugno ſecũdò; hæc propoſitio *Æthiops eſt albus* ſimpliciter abſolutéque prolata eſt in re & in ſe falſa, ergo ſimiliter iſta *Chriſtus eſt creatura*; conſequentia probatur, ideò de Æthiope, quamvis ſecundùm aliquam ſui partem, ideſt ſecundùm dentes, albo, falsò affirmatur abſolutè, quod ſit albus, quia prædicatum conveniens parti, ſi ſit quantum eſt de ſe aptum convenire toti, & ei re vera non conveniat, non eſt de toto abſolutè affirmabile; benè verò ſi ità conveniat parti, ut poſſit huic ſoli convenire non toti; hincque de Æthiope ſecundùm dentes albo, ſecundùm capillos criſpo, benè dicitur abſolutè *eſt criſpus*, non abſolutè *eſt albus*; atqui creatura eſt prædicatum, quantùm de ſe aptum convenire toti concreto ex humanitate & ſuppoſito, ergo licèt verè conveniat humanitati Chriſti, non eſt abſolutè affirmabile de toto concreto *Chriſtus*, & falsò dicitur, *Chriſtus eſt creatura*, æquè, ac falsò dicatur, *æthiops eſt albus*; argumento hoc & exemplo utitur D. Thomas *pracit art. 8.* in quo proptereà præſumendus eſt negare propoſitionem, de quâ agitur non ſolùm propter periculum Arrianiſmi, verùm etiam propter falſitatem prædicationis quamvis de hac in terminis non loquatur.

67.

Dices: ex regula generali, quæ colligitur ex D. Thoma hac eadem *q. 16. art. 1. & 2.* & fuit à nobis ipſis tradita *praced. n. 40.* verè dicuntur de Chriſto prædicata præſertim eſſentialia naturæ humanæ aut divinæ; atqui creatura eſt prædicatum eſſentiale naturæ humanæ; ergò verè dicitur de Chriſto, veraque eſt in ſe & in re propoſitio illa, Chriſtus eſt creatura, & poſt admiſſam prædictam regulam generalem non poteſt cohærenter loquendo, aut à nobis negari, aut cenſeri negata à D. Thoma titulo falſitatis.

ſitatis. Confirmatur ex eo quòd plures Sancti Patres relati à Suarezio *in comment. præcit. art.* 8. & à Vaſquio *præcit. cap* 2. perſpicuè & perſæpè docent Chriſtum eſſe creaturam, eſſe creatum; conſequens eſt igitur talem propoſitionem abſolutè, & per ſe verificari, quamvis deindè ſuſpecta ſit & vitanda per accidens, ne Arriani ex propria malitia ea abutantur in
68. proprij erroris confirmationem. Sed contrà: Regula generalis, quæ opponitur varias admittit limitationes, pro re præſenti ſufficiat ea, quæ ex præjacto reſponſionis fundamento colligitur, quòd ſcilicet dicantur abſolutè de Chriſto ea prædicata naturæ humanæ, quæ ipſi conveniunt ſecundum ſe, & ratione ipſius deindè ſuppoſito etiam proprio; non ſic ea quæ ità convenirent naturæ, ut ſimul apta ſint convenire toti concreto, conveniendo aut ſuppoſito æquè ac naturæ, aut naturæ ratione ſuppoſiti hujuſmodi ſunt eſſe creaturam, eſſe creatum, quæ ſi ſumantur prout terminant creationem strictè dictam & in ſpecie, naturæ cui conveniunt conveniunt ratione ſuppoſiti, eò quòd creatio strictè dicta ſit rerum ſubſiſtentium; ſi pro ut terminant creationem latiùs ſumptam pro omni factione, ſeu productione; humano ſuppoſito conveniunt æquè, ac humanæ naturæ, illi enim æque ac iſti eſſentiale eſt indigere factione, ſeu productione, ad exiſtendum; non ſic communia ſunt ſuppoſitu & naturæ moti, pati, naſci, generari, & alia hujuſmodi, quæ nulli ſuppoſito ſecundùm ſe ſumpto conveniunt; ideò poſſunt ſimpliciter dici de Chriſto abſque ſuſpicione,
69. quod ipſi tribuantur ratione ſuppoſiti. Ad confirmationem ex Sanctis Patribus Dico ipſos non affirmare Chriſtum eſſe creaturam aut creatum, niſi cum determinatione & addito *ſecundùm humanitatem*, vel *in quantum homo*, quam determinationem licet non ſemper apponant explicitè & formaliter, apponunt implicitè & virtualiter quatenùs vel in toto verborum contextu præcipuè loquuntur de Chriſto ut homine, vel conjungunt cum prædicato creari & creaturæ aliquod aliud prædicatum conveniens Chriſto ratione naturæ divinæ, nec aptum ſimul cum prædicato creati & creaturæ verificari ratione ejuſdem ſuppoſiti, ut cum dicunt Chriſtus eſt increatus & creatus, creator & creatura, qui creatus non eſt creatur &c.

Urgebis ex Scoto *præcit quæſt.* 2. Si in ſe & in re falsò dicitur, *Chriſtus eſt creatura*, falsò pariter dicetur, *Chriſtus in quantùm homo eſt creatura*; ergo noſtra Sanctorum Patrum explicatio non ſubſiſtit, imò nec cohæret ſuperiori doctrinæ, qua admiſimus ut veram propoſitionem illam *Chriſtus in quantùm homo eſt creatura*; antecedens probatur, quia reduplicatio addita ſubjecto, ipſum non diminuit, ſed ſolùm determinat in ordine ad prædicatum deſignando id, ratione cujus prædicatum ſubjecto convenit; ergo, niſi prædicatum *creatura* conveniat Chriſto abſolutè, & verè dicatur Chriſtus eſt creatura, non poterit ei convenire cum reduplicatione, nec poterit verè dici Chriſtus in quantùm homo eſt creatura; ergo titulo falſitatis, vel utraque propoſitio neganda eſt, vel neutra; quod confirmari poteſt in his propoſitionibus, paries in quantùm albus diſgregat viſum, homo in quantùm rationalis eſt admirativus, quæ idcò ſub reduplicatione veræ ſunt, quia veræ ſunt etiam abſolutè, abſolutè ſcilicet verificatur, paries diſgregat viſum, homo eſt admirativus. Sed contrà: nego 70.
antecedens, ad probationem dico reduplicationem aliquando cadere ſuprà totum ſubjectum, & tunc ſolùm denotat perſeitatem prædicationis, prædicatum ſcilicet convenire ſubjecto per ſe, & formaliter, ut ſi dicas homo ut homo eſt animal rationale, aliquando cadere ſuprà partem ſubjecti, & tunc facit ſubjectum accipi cum reſtrictione & diverſimode ac accipiatur in propoſitione abſoluta, ut patet in his propoſitionibus lac album diſtinguitur, lac album in quantùm album diſtinguitur, à dulci. Homo peccans poteſt, homo peccans in quantùm peccans poteſt, ſaluari, ubi in priore exemplo propoſitio abſoluta eſt falſa, reduplicativa eſt vera; in poſteriore ex oppoſito vera eſt abſoluta, falſa reduplicativa; non ſemper igitur ferendum eſt quoad veritatem, & falſitatem, idem judicium de propoſitione abſolutâ, ac reduplicativa. Quòd dicebatur reduplicationem non diminuere ſubjectum, vel procedit ſolùm de reduplicatione primi generis quæ totum ſubjectum repetit atque reapplicat, vel ly diminuere ſumendū eſt pro transferre ad ſignificationem impropriam ſeu abuſivam, non pro dividere ſeu partialiter ſumere, ut ex Cajetano obſervat Joannes à S. Thoma *quæſt.* 16. *art.* 10. *n.* 18. Porrò in propoſitione *Chriſtus in quantum homo eſt creatura* ly *in quantum* non reduplicat totum ſubjectum, ſeu totum id, quod eſt in Chriſto, ſed ſolam naturam humanam, & idem eſt ac ſi dicatur, Chriſtus ſecundùm naturam humanam, eſt creatura; ideò &c. Ad confirmationem dico propoſitiones in exemplum adductas eſſe quidem veras, tùm ſub reduplicatione, tùm etiam abſolutè; at non ideò eſſe veras ſub reduplicatione, quia ſint veræ abſolutè; nec quia veritas propoſitionis reduplicatæ ſupponat veritatem propoſitionis præjacentis, cū mox oſtenſum fuerit oppoſitū.

Nona propoſitio, *Chriſtus eſt ſubjectus Patri, eſt minor Patre*, videtur quidem minorem tùm 71.
arrianiſmi, tùm falſitatis, ſuſpicionem præſeferre quàm præcedens *Chriſtus eſt creatura*; adhuc tamen ſimpliciter & abſolutè debet utroque titulo negari. Probatur & explicatur, quia licet Arriani frequentiùs dicere conſueverint Verbum eſſe creaturā, quàm eſſe Patre minus & Patri ſubjectum, tamen neque omninò ab iſtis propoſitionibus, præſertim verò ab eâ Verbum minus eſt Patre abſtinuerunt, neque poſſunt iſtæ cōcedi, quin validè inferatur eodē modo eſſe concedendum Verbum eſſe creaturā, licet item ſubijci, & eſſe maius aut minus non videantur convenire ſuppoſito æque, ac naturę eò quod ſubjectio videatur potiſſimum attendi penes dependentiam in operari, quod à naturâ eſt, non à ſuppoſito, niſi à conditione; majus verò & minus attendatur penes perfectionē inæqualē, quæ vix relucet in ſubſiſtentijs ut contradiſtinctis à naturâ: Nihilominus nomine ſubjectionis venire etiam poteſt dependentia

Quid de propoſitione *Chriſtus eſt ſubiectus Patri eſt minor Patre.*

tia in fieri & conſervati, quæ ſubſiſtentiæ æquè ac naturæ apta eſt convenire; perfectio vero inæqualis quamvis non reluceat in ſubſtantijs divinis, aut fortè nec in creatis comparatis inter ſe, benè relucet in ſubſiſtentijs divinis comparatis ad creatas; adeóque ly *minor* relatè ad Patrem æternum potest ſecundùm ſe convenire creatæ ſubſiſtentiæ æquè ac creatæ naturæ; eſt igitur ferè eadem tum arrianiſmi ſuſpicio, tum falſitatis ratio, in utraque propoſitione hoc nono loco poſita, ac in præcedenti propoſitione octavâ; debet per conſequens utraque utroque titulo abſolutè negari, undè & D. Thomas *præc. art. 8 in c.* eodem modo diſcurrit de hac propoſitione *Chriſtus eſt minor Patre*, ac de illa *Chriſtus eſt creatura.* Neque obſtat illud Ioan 14. *Pater major me eſt*, loquitur enim hoc loco Chriſtus non abſolutè, ſed cum implicitâ reſtrictione, ut colligitur ex verbis præcedentibus *Vado ad Patrem* quæ indicant in Chriſto naturam humanam, ſecundùm hanc quippe ad patrẽ ivit.

Decima propoſitio *Chriſtus eſt homo Dominicus*, quemadmodum ex Nazianzeno refert Vaſquez *diſp. 6. n. 8.* introducta primum fuit
72. *Quid de propoſitione Chriſtus eſt homo dominicus.*
ab Apollinariſtis, & Neſtorianis, diſtinguentibus in Chriſto duo ſuppoſita, & volẽtibus hominem in Chriſto conjungi Deo per eximium affectum & peculiarem Dei inhabitationem; at non per identitatem ſuppoſiti, cui errori plurimum favet appellare Chriſtum hominem dominicum; hinc quippè inſinuatur hominem, & Dominum Deũ in Chriſto eſſe duas perſonas; & Chriſtum eſſe hominem Domini, uũ hominem Dominum, *non enim* (ut ait D. Thom q 16. art. 3 ad 3.) *conſuevit dici quod aliquis homo qui eſt Dominus ſit Dominicus; ſed illud quod qualitercumque eſt Domini Dominicum dicitur, ſicut Dominica voluntas, vel Dominica manus, vel Dominica paſſio, & ideo ipſe homo Chriſtus, qui eſt Dominus, non poteſt dici Dominicus, ſed poteſt caro ejus dici caro Dominica, & paſſio eius poteſt dici paſſio Dominica. Si autem* (ſunt verba ejuſdem S. Doctoris eod. art. in c.) *per hoc, quod dicitur homo Chriſtus Ieſus deſignaretur ſuppoſitum aliquod creatum ſecundum illos, qui ponunt in Chriſto duo ſuppoſita, poſſet dici homo ille Dominicus, in quantum aſſumitur ad participationem honoris divini, ſicut Neſtoriani poſuerunt.* Neganda igitur eſt, & reijcienda propoſitio illa, ſaltem ne habeamus modum loquẽdi communem cum Apollinariſtis & Neſtorianis, nevè eorum errori faveamus, & ex hoc capite Chriſtus Verbum divinum, non homo divinus, ſimpliciter & abſolutè dici poteſt, quia dicendo Verbum divinum, non eſt ſuſpicio quod ſignificetur Verbum eſſe Dei, non Deum; ſicuti eſt ſuſpicio, quod ſignificetur hominem Chriſtum eſſe Dei, non Deum, ſi dicatur homo divinus. Dici *ſaltem ne habeamus modum loquendi communem* &c. nam utrum eadem propoſitio neganda inſuper ſit, & reijcienda titulo
73. propriæ rigoroſæque falſitatis; non eſt adeò certum, & partem negantem acriter ſuſtinet Arriaga *diſp 46. ſec. 1.* quam tamen exiſtimo non evincere veritatem talis propoſitionis, niſi ad ſummum in aliquo ſenſu minus proprio & minus rigoroſo, adeò ut etiam titulo falſitatis neganda magis ſit, quàm concedenda propoſitio, de qua agitur, hocque conformius eſt tum mẽti S. Doctoris *præc. art. 3.* tum dictis ſuperius *n. 32. & 33.* In ijs, quæ Arriaga pro ſe profert, ſi quid habet aliquid roboris eſt nomẽ *divinum*, quod propriè prædicatur etiã de ijs; de quibus prædicatur Deus, propriè ſcilicet divinitas eſt divina, divinitas eſt Deus; Verbum eſt Divinum, ſeu Perſona divina, Verbum eſt Deus. Nihilominus fortè non ita propriè dicitur divinitas divina, eſſentia divina, Verbum divinum, Perſona divina, quamvis conſueverit ita dici, & aliud eſt modum aliquem loquendi eſſe conſuetum, aliud eſt eſſe proprium. Deinde in nomine *divinum* poteſt eſſe ſpecialis ratio, quia, utpote tranſcendens, cenſeri poteſt ob ſuam maximam univerſalitatem commune nominibus denominantibus & denominativis; ideoque prædicabile adjective per modum nominis denominativi etiam de ijs, de quibus prædicatur ſubſtantive per modum nominis denominantis: Specialis hæc ratio habetur ex Ioanne à S. Thoma *quæſt. 16. art. 7. num. 7.*

Undecima, & ultima propoſitio, *Chriſtus eſt unum*, vera eſt ſimpliciter & concedenda; & quidem ſi ly *unum* ſumatur adjectivè ſub-
intelligendo ſuppoſitum, propoſitio ſpectat ad fidem, cum de fide ſit non ſolum non eſſe in Chriſto duas perſonas, ſed nec duo ſuppoſita contra quorundam Neſtorianizantium errorem relatum *præcedent. cap. 4 num. 17.* Si verò ly *unum* ſumatur ſubſtantive, prout idem ſonat ac res una, quâ ratione nullo alio nomine ſubintellecto poteſt ſine diſcordantia conjungi cum ly *Chriſtus*; cum conſuetum ſit latinis Auctoribus adjectivum in genere neutro ſubſtantivè ſumere & conjungere cum alio nomine ſubſtantivo cujuſlibet generis indifferenter ut exemplo eſſe poteſt illud Virgilij, *Triſte lupus ſtabulis*, ideſt *res triſtis*; quod obiter attigi propter nonnullos auſos ex grãmaticæ regulis reijcere propoſitionem illam *Chriſtus eſt unum*, Si, inquam, ly *unum* ſumatur ſubſtantive, refertur præcipuè ad eſſentiam, ſeu naturam propter ſupra dicta *num 44.* & quia duæ ſunt in Chriſto naturæ, videtur Chriſtus dicendus duo potius, quam unum, aut ſaltem nec duo nec unum, ut voluit Durandus *in 3. diſt. 6. quæſt. 1. numer. 13.* Nihilominus reliqui Theologi cum D. Thoma
quæſt. 17. art 1. conſentiunt in eo, quod ſimpli- 75.
citer dici poſſit & debeat, *Chriſtus eſt unum*, etiam neutraliter & ſubſtantivè; ratio eſt quia duæ naturæ dicuntur de Chriſto ut ſunt unum non ut ſunt duæ aut duo; ergo propter duas naturas Chriſtus dicendus eſt unum, non duo; probatur antecedens duæ naturæ dicuntur de Chriſto ut ſunt in cõcreto, in abſtracto quippè divinitas ſolũ, nõ humanitas de Chriſto rectè prædicatur ex regulâ ſuprà poſitâ *n.* 41. atqui duæ Chriſti naturæ, ut ſunt in cõcreto, ſunt unum, ſunt enim conjunctæ in eodem ſuppoſito adeóq; indiviſæ, in indiviſione autem cõſiſtit ratio unius, ſicut in diviſione ratio pluriũ; ergo. Nec refert quod ſuprà *n. 14.* admiſerimus Chriſtum eſſe divinitatem & humanitatẽ ſimul. Non refert, inquam, neque indè ſequitur humanitatem in abſtracto dici de Chriſto,

74. *Quid de propoſitione Chriſtus eſt unum.*

quia nomen abſtractum humanitatis per ly *ſimul* trahitur ad ſignificationem concretam, ut jam explicatum eſt *num.* 42. Hincque facilè intelliguntur plures Saocti Patres, qui videntur ſimpliciter docuiſſe Chriſtum eſſe duo, eſſe plura, eſſe utrumque; ut plurimum enim dicunt eſſe plura ſimul, eſſe plura conjuncta, & quando uihil ſimile explicite proferunt, debet id implicite ſupponi; plura autem conjuncta ſeu ſimul ſumpta, ſunt unum ſimpliciter, non plura, alioqui homo, equus, lignum, & quodlibet totum ex pluribus conſtans, eſſet ſimpliciter plura, non unum; quia quodlibet totum eſt ſuæ partes ſimul, adeóque eſt plura ſimul: Alias eorumdem Patrum pro re præſenti explicationes affert Lugus *diſputat.* 24. *num.* 12. ubi etiam ſingillatim refert auctoritates, quæ maxime videntur explicatione indigere.

75. Quid de propoſitione *Chriſtus eſt aliud & aliud.*

Porrò ſicut Chriſtus nou eſt ſimpliciter dicendus duo, vel plura; ità dicendus pariter non eſt aliud & aliud; aliud enim quatenus ſupponit pro naturâ humanâ in abſtracto (quâ ſolum ratione natura humana in Chriſto eſt aliud à divinâ) nequit de Chriſto prædicari magis, quam ipſa humanitas abſtracta; & hæc ratio quamvis ex terminis videri poſſit diverſa, in re coincidit cum eâ, quâ hoc idem attigimus & probavimus obiter *præced. num.* 43. Nec refert quod D. Thomas ſuprà *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad.* 1. videatur abſolute concedere, quod Chriſtus dicatur aliud & aliud. Nou refert, inquam, quia ibi loquitur cum reſtrictione ad naturas, non abſolutè, ut ſe ipſum explicando, nou ſibi contradicendo, ipſemet S. Doctor tradit *hic præcit. art.* 1. *ad* 2. ad 3. & ad 7. egregie expenſus à Joanne à S. Thoma *eod. art.* 1 *n.* 39. Male propterea Vaſquez *diſp.* 70. *num.* 14. ex priore D. Thomæ loco movetur ad admittendum ſimpliciter, quod Chriſtus ſit aliud & aliud; fruſtrà deinde laborat in exponendo, quomodò aliud & aliud non ſint duo? cum tamen oppoſitum videatur innoteſcere ex terminis, aliud enim & aliud, unum & unum, ſynonyma ſunt, quid autem clarius? quam unum & unum eſſe duo.

76. Quid de propoſitione *Chriſtus eſt unum eſſe.*

Dubitatur: Utrùm Chriſtus ſit unum etiam ſpectatâ ejus exiſtentiâ, ſeu utrum Chriſtus ſit unum eſſe? Reſpondetur affirmative, & quidem juxtà Thomiſtas ponentes in Chriſto unicam exiſtentiam, & docentes humanitatem per divinam exiſtentiam exiſtere, ſicut per divinam ſubſiſtentiam ſubſiſtit, in majori rigore Chriſtus eſt unum eſſe ſeu unum relate ad exiſtentiam, quæ etiam in abſtracto una eſt, quàm relate ad naturam, quæ eſt in abſtracto duplex; juxtà noſtra verò principia, quibus tribuimus humanitati Chriſti exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentiâ divinâ Verbi, ſicuti ponimus talem creatam exiſtentiam propter identitatem, quàm quælibet natura imo quælibet res habet cum exiſtentia propriâ, ita propter eandem identitatem debemus eodem modo diſcurrere de duabus exiſtentiis, quo de duabus naturis, cum præſertim ſicuti Chriſtus non eſt in abſtracto humanitas, ita nec ſit in abſtracto exiſtentia humanitatis, eadem igitur ratione, quâ ex mox præmiſſis Chriſtus non eſt duo propter duas naturas, duo pariter non eſt propter duas exiſtentias, ſed unum, & inſinuata diverſitas noſtrorum principiorum à principiis Thomiſticis facit quidem, quod juxtà nos non juxtà Thomiſtas dentur in Chriſto duo eſſe, at nou quod ipſe Chriſtus non ſit unum eſſe.

CAPUT II.

Expediuntur communia intellectui, & voluntati Chriſti.

1. Ea quæ ſpectant ad divinum Chriſti intellectum, divinamque voluntatem, ſupponenda prorſus ſunt ex dictis univerſim ſuo loco de intellectu, & voluntate Dei; & ſicuti ferè toto hoc tractatu humanam in Chriſto naturam expendimus, non divinam, ità debemus nunc ſingillatim expendere humanum, non divinum intellectum; humanam non divinam voluntatem; & primoquidem ſtatuendum eſt dari in Chriſto, tum utramque hujuſmodi potentiam, tum proprias utriuſque potentiæ operationes, contrà varios hæreticorum errores partim jam improbatos partim mox improbandos. Ideò ſit,

§. I.

Utrùm detur in Chriſto duplex intellectus, & duplex voluntas?

Aſſert. Datur in Chriſto intellectus humanus præter divinum, voluntas item humana præter divinam, adeóque duplex intellectus & duplex voluntas eſt veritas Catholica, cui contradicunt primò Eutychiani; illi præſertim qui unicam, quam in Chriſto agnoſcunt naturam, dicunt eſſe divinam quæ in ſe humanam converterit: Contradicunt ſecundò Arriani, qui poſuerunt Verbum in Chriſto eſſe loco animæ & ſolam carnem aſſumpſiſſe: Contradicunt tertiò Apollinariſtæ, qui poſuerunt Verbum eſſe loco mentis, & aut animam rationalem non aſſumpſiſſe aut eam aſſumpſiſſe ſine propriis potentiis: Contradicunt quartò Macharius Antiochenus Patriarcha, Cyprus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, commemorati à D. Th. *hic quæſt.* 18. *art.* 1. qui ex unicâ voluntate, quam directe & expreſſe in Chriſto aſſeruerunt dicti ſunt Monothelitæ, ſicut & Eutychiani dicti ſunt Monophyſitæ ab unâ naturâ. 2.

Errores varij contrà duplicem intellectum, & duplicem voluntatem in Chriſto.

Porrò Monothelitæ loquendo, ut mos eſt hæreticorum, admodum varie, & ambigue, locum reliquerunt varie ſentiendi de ipſorum errore, & ex quatuor diverſis modis, quibus Suarez *diſput.* 37 *ſec.* 1. refert ipſos errare potuiſſe, controvertitur præcipue, utrum erraverint negando humanam Chriſti voluntatem etiam in actu primo ſumptam pro potentia, an ſolum in actu ſecundo ſumptam pro operatione?

Expenditur ſingillatim error Monothelitarum.

Digitized by Google

operatione? pro hoc poſteriore erroris modo totus & multus eſt Vaſquez *diſput.*73 *cap.*1. antiquiores Theologos & ipſum D. Thomam ſtantes pro priore erroris modo reprehendens, quod rectè & ſincerè Monothelitarum hæreſim non intellexerint, acrius ipſe reprehenſus & impugnatus à Ioanne à S. Thoma *quaſt.*17. *art.*1. *dub. unico*, & quoad hoc contra Vaſquium antiquis Scholaſticis conſentiunt Recentiores magis communiter, undè ex Scholaſticorum præſertim anctoritate, quæ in dubio facti magni ponderis eſt, probabilius redditur Monothelitas humanam voluntatem etiam ſumptam pro potentia Chriſto denegaſſe; adeóque quoad voluntatem directe ſenſiſſe contra præfixum Catholicum aſſertum, contra quod propterea jure eos retulimus; fuiſſent verò ſolum contra veritatem *in ſeq.* §. aſſerendam referendi, ſi, ut opinatur Vaſquez, negaſſent Chriſto humanam voluntatem ſumptam dumtaxat pro operatione.

3. Ex hæreticis præmemoratis non eſt cur in præſenti impugnemus eos, qui humanam à Chriſto voluntatem excludunt ex eo, quod in ipſo agnoſcant aut ſolam naturam divinam, aut cum naturâ divinâ ſolam carnem ſine animâ rationali: contra utroſque enim jam egimus ſuprà, contra priores quidem *cap.*4. §.1. contra poſteriores *cap.*5. §.4. Superſunt igitur impugnandi ſoli Apollinariſtæ ſi rationalem animam ſine mente, ſeu ſine potentiis, aſſumptam aſſeverarunt; & Monothelitæ ſi, ut probabilius eſſe præmiſimus, humanæ voluntatis non operationem tantùm, ſed & potentiam denegarunt. Ideò aſſertum,

admitti omninò debet in Chriſto duplex intellectus & duplex voluntas.

Probatur primò ex Conciliis, nam in VI. Synodo Generali *act.*8. anathematizantur *omnes, qui docuerunt unam voluntatem, & unam operationem, in duabus naturis unius Domini noſtri Ieſu Chriſti* & act.11. definitur Verbum aſſumpſiſſe *animam rationalem animabus noſtris contribulem, & mentem menti noſtra comparem* His non diſſimilia præſertim circa voluntatem, habentur in VII. Synodo *art.*7. in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *conſultatione* 5. in

4. Cócilio Florentino *ſeſſ. ult.* & in Sanctis Patribus paſſim: Nec deſunt Scripturæ loca, ex quibus talis veritas colligatur, colligitur enim ex Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* ex Luc. 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*: ex Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*; hiſce locis ipſemet Chriſtus profitetur ſe habere voluntatem aliam præter divinam, adeóque humanam & duplicem: ab humana deindè & duplici voluntate ad humanum & duplicem intellectum eſt innegabilis illatio propter eſſentialem volontatis cum intellectu ſibi proportionato connexionem. Unicum effugium eſſe poteſt, ſi dicatur Chriſtum nomine voluntatis humanæ, quam contradiſtinguit à divinâ intelligere appetitum ſenſitivum ſeu voluntatem ſenſualem, non voluntatem rationalem Sed contrà, quia voluntatis nomen abſolutè prolatum pro rationali, non pro ſenſuali ſupponit; Deinde concedenda eſt Chriſto voluntas cui poſſit tribui obedientia, & triſtitia, juxta illud Philip. 2. *factus eſt obediens* ex Matth. 26 *Triſtis eſt anima mea*; at obedientia & triſtitia non poſſunt tribui, aut voluntati divinæ, aut voluntati humanæ ſenſuali, concedenda eſt igitur Chriſto voluntas humana rationalis.

Probatur ſecundò ratione: Datur in Chriſto natura humana præter divinam, adeóque duplex natura, & quidem impermixta utraque & inconfuſa; utraque item perfecta & in ſuo genere completa, eſt enim Deus ex ſymbolo Athanaſii *perfectus Deus & perfectus homo*; ergo datur in Chriſto intellectus humanus præter divinum, voluntas item &c. antecedens habetur ex ſupradictis contra Eutychianos, Arrianos, & Apollinariſtas: conſequentia probatur, quia intellectus & voluntas ſpectant ad perfectionem & integritatem humanæ naturæ acceptæ ſecundùm potiſſimam ſui partem, ideſt ſecundùm animam rationalem, cum quâ per nos identificantur, & per alios ſaltem ita connectuntur, ut non poſſint connaturaliter ſejungi; & per alios ſaltem iſta connectuntur, ut non poſſint connaturaliter ſejungi; ergo ſi præter naturam divinam datur in Chriſto natura humana inconfuſa, perfecta, & completa, conſequens eſt, quod detur in eodem intellectus humanus præter divinum &c. Confirmatur, ſuppoſita in Chriſto humanâ natura præter divinam nequit ei negari humanus intellectus, humanaque voluntas, niſi aut propter unitatem perſonæ & carentiam perſonalitatis propriæ in natura humana, aut propter ſpecialem contrarietatē intellectus humani cum divino, voluntatis humanæ cum divina magis, quàm unius naturæ cum alia; atqui non ex primo capite, quia intellectus & voluntas, ut loquitur Damaſcenus *lib.* 2. *fidei cap.* 14. ſunt naturales, non perſonales; ſunt ſcilicet proprietates conſequentes naturam, non perſonam; undè utraque facultas in Deo eſt una propter unitatem naturæ, non trina propter trinitatem perſonarum: Neque ex ſecundo capite,

qoia intellectus & voluntas ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices exiſtentes in Deo formaliter, humanus igitur & divinus intellectus, humana & divina voluntas ſunt in eadem ratione formali, nullamque habent inter ſe contrarietatem, præter quod contrarietas potentiarum attenditur maximè penes contrarietatem actuum, ex ſequentibus autem conſtabit humanum & divinum intelligere, humanum & divinum velle, rectè in Chriſto ſine repugnantiâ & contrarietate componi; ergo ex nullo capite ideſt, neque propter perſonæ unitatem, neque propter contrarietatem &c. poteſt Chriſto negari humanus intellectus, humanaque voluntas. 6.

Intellectus & voluntas naturales ſunt, non perſonales.

Ex his probatum manet non ſolùm dari in Chriſto potentiam Intellectivam, & volitivam humanam, quod eſt præcipuum hujus loci intentum, ſed etiam ſimul cum utraque potentiam intellectivam, & volitivam divinam, adeóque duplicem ſimpliciter intellectum, duplicémque voluntatem; quod eſt primò contra eos Eutychianos, qui unicam, quam in Chriſto aſtruebant naturam, volebant eſſe aut humanam, in quam divina tranſierit, aut tertiam quæ ex humana & divina reſultaverit; 7.

Errores negantiũ Chriſto voluntatem divinam.

ac per conſequens videbantur tribuere unicam Chriſto potentiam intellectivam & volitivam, quæ eſſet aut humana, aut inter humanam & divinam quodam modò media. Eſt ſecundò contra Neſtorianos, qui licèt admitterent Chriſtum eſſe hominem ſpecialiter cum Deo conjunctum, & in eo agnoſcerent duas perſonas, ne dum duas naturas; nihilominùs ex eo quod per ipſos conjunctio hominis cum Deo eſſet accidentalis & affectiva, ſicuti Chriſtum vocabant hominem, dumtaxat non Deum; ità Chriſto tribuebant ſolam humanam voluntatem, non divinam, & hinc jure D. Thomas *præcitat art.* 1. Neſtorium annumerat aſſertoribus unius in Chriſto voluntatis, quod mirum & difficile viſum eſt aliquibus non benè intelligentibus Neſtorij errorem, ut monent Joannes à Sancto Thoma *eodem art.* 1 *num.* 7. & Suarez *in commentar. ejuſdem articuli*.

Dices: Honorius Sum. Pontifex unicam aſſeruit in Chriſto voluntatem cum Monothelitis, lectæ enim fuerunt in VI. Synodo duæ ejus epiſtolæ quibus approbat doctrinam Sergij Monothelitarum Principis, & vetat dici Chriſtum habuiſſe duas voluntates; atqui Honorius non fuit hæreticus, cum nullus unquam Summus Pontifex defecerit a fide; ergo veritas duplicis in Chriſto voluntatis non habet certitudinem à nobis aſſertam nec ſpectat ad fidem, nec Monothelitæ fuerunt hæretici. Sed contrà: licet Nilus, Canus, Bannes, alijque Catholicorum nonnulli permittant Ho-

8. *Honorius I. numquam fuit Monothelita.*

norium fuiſſe Monothelitam; eſt tamen hoc ſimpliciter negandum, & ea, quæ pro Honorij Monothelitiſmo afferri poſſunt, vel corrupta fuerunt & falſata ab hæreticis, vel ſolùm probant Honorium faviſſe Monothelitis diſſimulatione erroris ipſorum, & communicando cum ipſis, hincque incidiſſe in Monothelitiſmi ſuſpicionem; quamvis re verà cum Monothelitis non ſenſerit, nec Monothelita fuerit, ut ex profeſſo oſtendunt Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice cap.* 11. Pighius *lib. 4. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ c.* 8. Macedo *Schola* 7. *Theologiæ poſitivæ cap. 4. ſec.* 2. & apud iſtos alij.

§. II.

Utrùm detur in Chriſto duplex intelligere & duplex velle: Ubi an ſaltem de potentiâ abſolutâ humanus Chriſti intellectus poſſit eſſe intelligens intellectione divinâ?

ASSERT. I. Datur in Chriſto intelligere humanum præter divinum, velle item humanum præter divinum, adeóque duplex intelligere, & duplex velle. Eſt veritas catholica, quæ eoſdem in primis habet Adverſarios, quos aſſertum præcedens; & inſuper quoad humanum intelligere, quoad humanam ſcilicet humani intellectus operationem eſt ſiogillatim contrà Hugonem de S. Victore *tom. 3. tract. de Sapientia animæ Chriſti*, Joannem do Ripâ relatum à Capreolo *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 1. alioſque nonnullos relatos à S. Bonaventura *ibid.* & à Gregorio *in 2. diſtinct. 7. quæſtio* 2.

9. Probatur primò ex eo, quod VI. Synodus *act.* 4. ità habet *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur, divinam omnia quæ divina, humanam omnia, quæ humana ſunt, abſque ullo peccato*; & act. 17. refert ac approbat ex Leone Papa hæc verba *Agit utraque forma cum alterius communicatione quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt, neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ*. Confirmatur primò quoad humanum intelligere ex eo, quod *Matth.* 8. habetur Chriſtum fuiſſe miratum & *Heb.* 5. didiciſſe ex his, quæ paſſus eſt; mirari autem & diſcere præſupponit alicujus notitiæ carentiam, cujus capax eſt intelligere humanum dumtaxat, non divinum: faciunt quoque hic ad rem verba Matth. 22. *cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum*: Jo. 18. *ſciens Jeſus, quia venit hora ejus*, quæ & ſimilia procedunt de Chriſto homine, & ineptè dicerentur de cognitione, ſcientiâque divinâ. Confirmatur ſecundò quoad humanum velle ex auctoritatibus ſuprà relatis pro humana Chriſti voluntate, de tali enim voluntate in actu ſecundo non minùs, aut fortè etiam magis, quàm in actu primo, procedunt.

Oſtenditur in Chriſto duplex intelligere & duplex velle.

10. Probatur ſecundò ratione: Datur in Chriſto præter divinam natura humana inconfuſa, perfecta, & completa, atqui ad inconfuſionem, perfectionem, & complementum naturæ humanæ ſpectat aliquod humanum intelligere & aliquod humanum velle; ergo datur in Chriſto intelligere humanum præter divinum &c. Major ex dictis ſupponitur; minor probatur, quia cum naturas ex operationibus potiſſimùm diſcernamus confuſio operationum quia humanæ naturæ tribueretur divinum intelligere & divinum velle eſſet vehemens argumentum eam confundendi cum natura divina, ſpectat igitur ad naturæ humanæ inconfuſionem aliquod humanum intelligere & aliquod humanum velle; ſpectat hoc pariter ad ejuſdem perfectionem & complementum, quia natura ex genere ſuo eſt principium remotum operandi & perficitur aliqualiter per potentias, tanquam per principium proximum per operationes verò ipſas perficitur ultimò, atque completur principium, tùm remotum, tùm proximum; cum igitur natura humana ſit principium humanum operandi, & habeat pro præcipuis potentijs humanum intellectum, humanamque voluntatem, conſequens eſt quod perficiatur ac compleatur ultimò per humanas intelligendi & volendi operationes, ideſt per humanum intelligere & humanum velle; alioqui fruſtraretur prorsùs & otiaretur virtus operativa in natura humana ejuſque potentijs, eſſe autem in ſtatu fruſtraneo & otioſo utique eſt eſſe in ſtatu imperfecto & incompleto.

Dices eadem ratione probaretur in Chriſto humanum generare ſeu actus humanæ generationis, utpotè perfectio & operatio po-

tentiæ

11. *Ad perfectionem naturæ humanæ ſpectat magis actus intelligendi & volendi, quàm actus generandi.*

tentiæ generativæ, quæ naturæ humanæ Chriſti tribuenda eſt ſimul cum potentiis intellectivâ & volitivâ. Sed contrà: actus humanæ generationis ſpectat ad perfectionem humanæ naturæ propter conſervationem ſpeciei & quantum pro tali fine neceſſe eſt; unde nec debet in omnibus individuis reperiri, & ubi ceſſat omninò neceſſitas ſucceſſivæ propagationis ad ſpeciem conſervandam, ceſſat omninò ſine ullâ imperfectione talis actus, ut patet in Beatis: At verò intelligere & velle ſpectant ad humanæ naturæ perfectionem abſolutè in ſingulis individuis, & in quolibet ſtatu, ideò &c. Deinde in Chriſto attendenda eſt perfectio humanæ naturæ relatè ad finem redemptionis; huic autem fini incongruit actus humanæ generationis, utporè excludens perpetuam Virginitatem tali fini congruentiſſimam, & aliunde ex ſe non ſpectans ad genus moris, nec conferens ad ſatisfactionem & meritum; ſicut tamen plurimùm conferunt, imò neceſſariò requiruntur actus humanæ intellectionis & volitionis, ideò &c.

12. *Non datur in humano Chriſti intellectu intelligere increatum ſimul cum creato.*

Aſſert. 2. non datur de facto in humano Chriſti intellectu intelligere increatum, & divinum, ſimul cum intelligere humano, & creato. Hoc aſſertum non eſt tam certum, quàm præcedens, certum tamen eſt, & oppoſitam ſententiam D.Bonaventura *diſtinct. præcitat. articul.* 1. *quæſt.* 1. appellat extraneam, recedentem à viâ communi, & à veritate deviantem, Amicus *diſputat.* 18. *numero decimo tertio*, temerariam & parùm conſonam principiis fidei.

Probatur & explicatur: licèt intellectio divina humanam ab humano intellectu non excludens non inferat in natura humana, ejuſque intellectiva potentia, carentiam propriæ perfectionis, & fruſtraneam otioſamque activitatem, infert tamen quandam utriuſque naturæ ac utriuſque intellectivæ potentiæ, divinæ, ſcilicet & humanæ confuſionem; & licet ſalvet utcumque eſſe duplicia omnia, quæ ad naturas pertinent, non ſalvat eſſe talia ſine confuſione & impermixtione, quam tamen quoque videntur intendere auctoritates præmemoratæ, ea præſertim, quæ ex Leone deſumpta eſt; quod igitur in intellectu humano Chriſti non detur intellectio divina ſimul cum humana, licèt non ſit tàm certum, quàm certum eſt non dari intellectionem divinam ſolam, certum tamen id quoque eſt, ac per conſequens abſolutè non datur de facto in humano Chriſti intellectu. &c. ut magis mox conſtabit oſtendendo id repugnare etiam de potentia abſoluta.

13. *Repugnat ſimpliciter in intellectu creato intelligere increatum.*

Aſſert. 3. Jn humano Chriſti intellectu, & alio quocunque intellectu creato, etiam de potentia abſoluta repugnat intelligere increatum, & divinum, ſivè ſolùm, ſive ſimul cum intelligere creato & humano. Hoc aſſertum eoſdem habet à fortiori Adverſarios, quos aſſertum primo loco poſitum, & inſuper eſt contrà Ægidium à præſentatione *libro quarto de Beatitudine quæſtion. prima, articulo ſecundo*, Joannem de Neapoli, & alios quoſdam; tradunt verò ipſum Lugus *hic diſputatio. decima octava* Gonetus *diſput. decima quinta, articulo ſecundo*, Joannes à Sancto Thomà *diſputat.* 11. *articulo* 1. Gabriel à Sancto Vincentio *diſputat.* 9. *dub.* 2. cæterique Scholaſtici communiter, partim in præſenti, partim in tractatu de Beatitudine, ubi etiam nos *lib.* 2. *c.* 1. §. 2. plura attigimus hùc transferenda.

Probatur: etiam de potentia abſoluta repugnat intellectum aliquem creatum reddi intelligentem intellectione divinâ; ergo in humano Chriſti intellectu, & alio quocunque, &c. conſequentia patet; antecedens probatur etiam de potentia abſoluta repugnat intellectum aliquem creatum reddi intelligentem intellectione, quæ non ſit ei intrinſeca, nec unita per modum formæ verè & propriè informantis, atqui nec de potentia abſoluta poteſt intellectio divina eſſe alicui intellectui creato intrinſeca, eique unita, per modum formæ, &c. ergo etiam de potentia abſoluta repugnat intellectum aliquem creatum, &c. Hujus diſcurſus præmiſſas ſuppono probatas, & explicatas

præcit. §. x. ex quo pariter ſuppono inefficacia, 14.
aut ſaltem minùs efficacia, plura alia ratiocinia, quæ variè à variis pro præfixi aſſerti veritate formantur, quamvis contemnendum non ſit inter cætera argumentum deſumptum ab eâ univerſaliore doctrina, quâ ſtatuitur nullam operationem vitalem poſſe in aliquo ſubjecto produci à ſolo agente extrinſeco, aut in creatura à ſolo Deo: Suppono inſuper ex ipſo vitalitatis titulo diſparitatem, ratione cujus poteſt creaturæ uniri divina eſſentia per modum ſpeciei, divina ſubſiſtentia per modum termini, non divina intellectio per modum operationis. Placet tamen in præſenti majoris doctrinæ gratia, & abſtrahendo etiam à titulo vitalitatis, aliam addere tum pro divina eſſentia, tùm pro divina ſubſiſtentia diſparitatem.

Occurritur præcipuo, & fere unico adverſariorum fundamento deſumpto ex paritate eſſentiæ & ſubſtantiæ divinæ.

15. Diſparitas pro divina eſſentia ſit, quia forma intelligibilis ex genere ſuo eſt forma efficiens, non informans, & unio per modum ſpeciei ex ſua ratione formali eſt dumtaxat per modum principij effectivi, eſt enim ad ſupplendum concurſum, quem objectum, quando per ſeipſum præſtat, præſtat intimè aſſiſtendo potentiæ, & cum potentia efficiendo actum, non verò potentiam informando: At intellectio cum ſit forma ultima, & actus ſecundus, nequit eſſe principium efficiens, nec aliter poteſt intellectui uniri, quàm per modum formæ propriè informantis, ideò &c.

Diſparitas pro divina ſubſiſtentia ſit, quia ut deducitur ex ſupradictis *capite primo & quarto, num. ſeptimo.* Divina natura nequit per ſeipſam uniri immediatè phyſicè ulli creaturæ, nec eſt poſſibilis alius modus unionis phyſicæ Dei cum creatura, quàm mediante ſubſiſtentia; cum igitur intellectio ſe teneat ex parte naturæ, & ſit proprietas naturalis, non perſonalis, ut de potentia intellectiva dicebamus *præcedenti numero ſexto*, conſequens eſt, quod nequeat per ſeipſam immediatè phyſicè uniri creato intellectui, & pro re præſenti non magis valeat argumentum à ſubſiſtentia ad intellectionem, quàm à ſubſiſtentia ad naturam; ex immediata ſcilicet

unione divinæ ſubſiſtentiæ cum natura creata non magis probetur poſſibilis immediata unio divinæ intellectionis cum creato intellectu, quàm divinæ naturæ cum creata natura.

16. Quod ſecundo, & tertio, loco aſſertum eſt de intellectione divinâ relatè ad humanum Chriſti intellectum, procedit à pari, imò à fortiori de divinâ volitione relate ad humanam Chriſti voluntatem, & ſingillatim locuti ſumus de intellectu & intellectione magis, quàm de voluntate & volitione, eò quod circà illa magis, quam circa iſta dentur oppoſitum ſentientes: Cæterùm ex voluntate ipſa, & formali libertate voluntatis propria, habetur ſpecialis ratio, ob quam voluntati creatæ repugnet reddi volentem volitione divinâ; cum enim voluntarium, ac per conſequens etiam liberum, quod ſpecies eſt voluntarii, ex genere ſuo debeat eſſe ab intrinſeco, & voluntatem reddi volentem ſit reddi liberè, aut ſaltem voluntariè operantem ſit omninò voluntatem creatam non poſſe reddi volentem volitione divinâ, quæ certè et ab intrinſeco inſſe nequit; Præter hanc ſpecialem rationem pro eâdem repugnantia militant, quæ de intellectione & intellectu dicta ſunt, ut facile patebit conſideranti; ideò a pari, imò a fortiori idem eſt in hâc controverſia ſentiendum de divinâ volitione & humana voluntate, quod de divinâ intellectione & humano intellectu.

Repugnat ſimpliciter in voluntate creata velle increatum.

§. III.

Quantæ perfectionis ſint, & quandonam inceperint operari humanus intellectus & humana voluntas Chriſti Domini?

17. ASSERT. I. Naturalis perfectio intellectus humani Chriſti Domini major eſt naturali perfectione alterius cujuſcunque intellectus humani, minor naturali perfectione intellectus Angelici; Supernaturalis verò perfectio major eſt ſupernaturali perfectione cujuſcunque intellectus creati, ſive humani, ſivè Angelici: Idem prorsùs de voluntate ſentiendum eſt, & nomine cujuſcunque intellectus venit intellectus quicunque è ſtatu poſſibilitatis extractus, non intellectus quicunque merè poſſibilis.

Probatur prima pars de perfectione naturali, quæ quidem, utrùm relatè ad alios intellectus humanos ſit major eſſentialiter & ſpecie, an ſolùm materialiter & in individuo, pendet à quæſtione Philoſophica de diverſitate animarum rationalium ab invicem, ſpecifica ne ſit, an ſolùm individualis? hinc quippè arguitur proportionaliter ſpecifica, vel ſolum individualis diverſitas atque inæqualitas perfectionis naturalis in facultatibus humanis intelligendi & volendi, tanquam in paſſionibus & proprietatibus rationales animas conſequentibus Hâc quæſtione diſſimulatâ ſufficit nobis ſtatuere perfectionem naturalem intellectus Chriſti eſſe majorem eo modo, quo experimur unum hominem intelligere perfectiùs alio, ſivè deinde id proveniat ex animabus ſpecie inæqualibus, ſivè ex ſola inæquali diſpoſitione ſenſuum & organorum in corporibus, ut fert communior opinio aſtruens omnes animas rationales eſſe unius ſpeciei.

Quomodò humani intellectus ſint inter ſe diverſi, & inæquales in perfectione naturali.

18. Probatur itaque prima pars ſic explicata: naturalis perfectio naturæ humanæ Chriſti eſt major naturali perfectione cujuſcunque alterius naturæ humanæ, at non alicujus naturæ Angelicæ; ergo naturalis perfectio intellectus humani Chriſti Domini major eſt, &c. conſequentia patet, quia potentiæ & paſſiones in magnitudine naturalis perfectionis ſervant proportionem cum ſuis naturis ſeu eſſentiis, quando præſertim cum ipſis identificantur, ut per nos identificantur intellectus & voluntas cum naturis humana & Angelica: antecedens probatur, & quidem quod ea perfectio non ſit major perfectione naturali alicujus naturæ Angelicæ facile evincitur ex eo, quia humana natura eſt in genere ac ſpecie inferiori ad omnem naturam Angelicam; ſpecies autem inferior quomodocunque creſcat, ſicuti nunquam egreditur propriam rationem formalem, ità manet ſemper inferior, nec unquam adæquat aut ſuperat perfectionem eſſentialem, naturalem, & intrinſecam ſpeciei ſuperioris: Quod verò ſit major perfectione cujuſcunque alterius naturæ humanæ oſtenditur ex eo, quia ſi animæ ſint ſecundùm ſe in perfectione naturali inæquales, anima Chriſti cenſenda eſt aliarum omnium perfectiſſima etiam ejus, quæ in Adamo extitit, cū fuerit Chriſtus aliorum omnium hominum, etiam Adami, Caput; ſi verò nulla admiſſa in animabus ſecundùm ſe inæqualitate, major vel minor naturæ humanæ perfectio attendatur ſolùm penes corpus, & ex hujus meliore diſpoſitione & organizatione proveniat melior intelligendi modus; etiam ex hoc capite perfectio naturalis naturæ humanæ Chriſti fuit major, quàm in cæteris, quia Chriſti corpus fuit melius, quàm cætera diſpoſitum atque organizatum, utpotè immediate formatum virtute divina, ex puriſſimo Virginis ſanguine & in ordine ad nobiliſſimum redemptionis finem, ergo naturalis perfectio naturæ humanæ Chriſti domini, undecumque attendatur, major eſt &c.

Talis perfectio in intellectu Chriſti eſt major, quam in quocumque alio intellectu humano; at non quam in intellectu angelico.

19. Probatur ſecunda pars de perfectione ſupernaturali, quæ quidem conſiſtit in ſupernaturalibus donis ſe tenentibus ex parte intellectus, ipſumque elevantibus ad ſupernaturales actus; & hæc dona majora fuiſſe in intellectu humano Chriſti, quàm in alio quocumque intellectu creato etiam angelico, habetur à priori ex magnitudine gratiæ habitualis, à poſteriori ex magnitudine viſionis beatæ, quæ utraque ex dicendis infrà major fuit in Chriſto quàm in ulla creatura etiam angelica; ergo ſupernaturalis perfectio intellectus humani Chriſti major eſt &c.

Perfectio verò ſupernaturalis eſt major etiam, quàm in quocumque intellectu angelico.

20. Probatur tertia pars de voluntate, hæc quippè adeò cum intellectu connectitur, ut in ſua perfectione naturali omnimodam cum ipſo ſervet proportionem. & cum ſit naturæ humanæ paſſio & proprietas eodem prorsùs modo quo intellectus, eadem prorsùs eſt de Chri-

De perfectione voluntatis Chriſti idem ſentiendum, quod de

ſti

perfectione intellectus.

ſti voluntate, quæ de intellectu, ratio quoad magnitudinem perfectionis naturalis relatè ad voluntates alias, ſive humanas, ſivè angelicas. Eadem item eſt ratio quoad magnitudinem perfectiónis ſupernaturalis, quia quoad hanc, ſeu quoad intenſionem, dona ſupernaturalia, quæ voluntati infunduntur, commenſurantur de lege ordinariâ, tùm habituali gratiæ quæ infunditur ſubſtantiæ animæ, tum habitibus doniſvè ſupernaturalibus, quæ infunduntur intellectui; ergo quoad magnitudinem perfectionis idem protùs ſentiendum eſt de Chriſti voluntate, quod de intellectu.

Probatur quarta pars limitans quodammodò cæteras, & referens majorem intellectus Chriſti perfectionem ad intellectus alios pro aliqua differentia temporis exiſtentes, non ad merè poſſibiles; Ratio limitationis quoad perfectionem ſupernaturalem deducitur facilè ex dicendis de abſoluta poſſibilitate gratiæ habitualis majoris eâ, quæ fuit in Chriſto; quoad perfectionem verò naturalem habetur ex eo, quod eo modo, quo unus intellectus humanus poteſt eſſe naturaliter perfectior alio, non datur inter intellectus merè poſſibiles intellectus aliquis alio quocumque perfectior; & quando daretur nulla eſſet neceſſitas dicendi talem intellectum fuiſſe de facto aſſumptum, & ſi quid pro tali neceſſitate afferatur, probabit nimium; probabit ſcilicet, quod debuiſſet de facto Verbum aſſumere intellectum angelicum, imò inter angelicos perfectiſſimum.

21\. Intelligere & velle humanum exprtunt eſſe in Chriſt. à primo conceptionis inſtanti.

Aſſert. 2. Humanus intellectus & humana voluntas Chriſti Domini cæperunt operari in primo inſtanti conceptionis ipſius Chriſti, & creationis animæ ejus. Eſt veritas ſpectans ad fidem, ideóque communiſſimè tradita à Theologis cum Magiſtro *in 3. diſt.* 14 & Divo Thoma *hic q.9 art.1. & q.34 art.2.*

Probatur & explicatur: Anima Chriſti Domini in primo inſtanti conceptionis Chriſti, & propriæ creationis fuit hypoſtaticè Verbo unita, & habuit omnes perfectiones unioni hypoſtaticæ convenientes, & fini redemptionis non repugnantes; inter cæteras verò habuit tùm omnia comprincipia ad intelligendum & volendum neceſſaria, tùm in ſtatu conjunctionis ad corpus prærogativam animæ ſeparatæ, & facultatem operandi cum independentiâ à ſenſibus, organiſque corporeis: ex alia parte operatio etiam libera non requirit in ſuo principio prioritatem majorem, quàm naturæ, & poteſt naturaliter incipere ſimul tempore cum eſſe rei, cujus eſt operatio, ut ex profeſſo oſtendebamus *in tract. de Angelis lib. 3. cap.* 1. Humano igitur intellectui, humanæque voluntati Chriſti Domini nihil deeſt, aut obeſt, ratione cujus negandum ſit, quod cæperint operari in primo inſtanti; aliundè verò ad id affirmandum movent

22\. primò auctoritas, nam in illo Jo. 1 *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, Sancti Patres ſolent per ly *veritatis* ſcientiam operationemque intellectus exponere; fuit igitur Chriſtus in primo inſtanti plenus ſcientiæ & operationis intellectûs, ſicuti fuit in primo inſtanti Unigenitus à Patre, & plenus gratiæ. Rurſus in illo Jerem. 31. *Mulier circumdabit virum*, id eſt Virgo Chriſtum, Sancti Patres obſervant Chriſtum Dominum dici ab initio conceptionis virum, non ætate, ſed ſapientiâ. Secundò ratio, quia Verbum aſſumpſit animam in primo inſtanti perfectam, ſtatus autem perfectus maximè relucet in actu ſecundo & operatione, quæ eſt perfectio ultima; præter quod otioſe & incongruè fuiſſet Chriſti anima ab initio inſtructa comprincipijs, & donis ad intelligendum & volendum requiſitis, ſi non erat ipſis ab initio uſura, imò cum ex talibus comprincipijs aliqua, ut lumen gloriæ, ad operandum ex natura ſua neceſſitent, utique connaturalius erat hæc non infundi, quàm infuſa illicò miraculosè impediri ab operando. Confirmatur: Angeli, & primi Parentes, ex traditis alibi habuerunt in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti operationes intellectus & voluntatis, ergo & Chriſtus, cujus anima utpotè potens operari, tanquam ſeparata & independens à corpore, Angelus quoad modum operandi imitabatur, primoſque Parentes, adultâ licet in ætate productos ſuperabat.

23\. Ex his habetur Chriſtum Dominum in primo conceptionis inſtanti elicuiſſe per intellectum, & voluntatem, aliquos actus neceſſarios, aliquos liberos, aliquos naturales, aliquos ſupernaturales: Elicuit aliquos actus neceſſarios, quia habuit aliqua neceſſaria talium actuum comprincipia; principijs autem neceſſarijs ad operandum expeditis commune eſt operari in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti: elicuit aliquos actus liberos, quia iſtos in primo inſtanti elicuerunt Angeli, & primi Parentes; item quia ſine actibus liberis non habetur perfectus uſus rationis, qualem habuit in primo inſtanti Chriſtus Dominus, utpotè ex tunc ſapientiâ, licèt non ætate, vir primis Parentibus in ætate adulta conditis perfectior: elicuit aliquos actus naturales, aliquos ſupernaturales: quia habuit in primo inſtanti comprincipia ad utroſque actus requiſita: ut magis conſtabit ex ſequentibus, dum ſparſim occurrent varij cujuſcumque generis actus concedendi in intellectus, & voluntate, Chriſti Domini à primo conceptionis inſtanti.

CAPUT III.

De ſcientia ſupernaturali intellectus humani Chriſti.

1\. EXPEDITIS communibus aggredimur propriis, & ex parte humani intellectus initium facimus ab actibus & habitibus ejus nobilioribus, ſupernaturalibus ſcilicet, qui omnes veniunt ſub nomine ſcientiæ ſupernaturalis. Hæc dividitur in ſcientiam beatam & in ſcientiam per ſe infuſam; utraque eſt ſuo modo tum habitualis, tum actualis; habitus enim luminis gloriæ utpotè ex parte potentiæ ſe tenens, rectè dici poteſt

Scientia ſupernaturalis alia beata, alia per ſe infuſa: utraque tum habitualis, tum actualis.

ſcientia beata habitualis ; viſio ipſa eſt ſcientia beata actualis : Habitus, quo cognoſcuntur in proprio genere objecta excedentia naturalem intellectus creati virtutem, ſive in ſpeciali lumine contradiſtincto à lumine gloriæ, ſive in ſolis ſpeciebus divinitus inditis collocetur ; eſt ſcientia infuſa habitualis, cognitiones à tali habitu provenientes & ad viſionem conſequentes ſunt ſcientia infuſa actualis : Obſervandum tamen ſcientiam habitualem quandoque ſumi pro eâ, quâ res ſcitur tantùm in potentia, non in actu, & in hoc ſenſu Divus Thomas *quæſt. undecima, articulo quinto, ad primum*, ponit ſcientiam beatam in Chriſto non fuiſſe habitualem, ſed actualem, quibus verbis intendit non à Chriſto excludere habitum luminis gloriæ, ſed ei tribuere viſionem & notitiam ſemper actualem eorum omnium, quæ mediante illo lumine cognovit, ad differentiam ſcientiæ per ſe infuſæ, per quam Chriſtus in ordine ad diverſa objecta quandoque fuit intelligens in actu, quandoque ſolùm in potentia : Hinc quæ ſolent ſub præfixo titulo tractari, quoad ſcientiam per ſe infuſam pertinent ad talem ſcientiam in habitu magis, quàm in actu, quoad ſcientiam verò beatam unicè procedunt de ipſa in actu, ſcilicet de actu viſionis, circa quam

2\. Intolerabilis blaſphemia de Chriſti damnatione undè duxerit originem?

Exercenda in primis eſt blaſphemia cujuſdam impiiſſimi Apoſtatæ, qui ita Chriſto negavit beatam viſionem, ut ipſum fecerit damnatum, eò quòd magnitudini dolorum ſuccumbens de ſua ſalute in Cruce deſperaverit dum dixit Matth. 27. *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me*, hujus blaſphemiæ poſt Cochlæum & Surium meminit Bellarminus *libr. quarto de Chriſti anima, capit. octavo*, & putat eam germinaſſe, tanquam ex ſemine, ex errore; quo Calvinus docuit Chriſtum dici deſcendiſſe ad inferos per hoc, quòd paſſus ſit dolores animarum damnatarum apprehendendo Deum, tanquam ſibi propter nos iratum & infenſum, non ſolum autem ex hoc capite negavit Calvinus animæ Chriſti ſcientiam beatam in triduo mortis, aut ab illâ horâ, quâ in horto cœpit conſultari, & verſari, ut Calvinus ait, in inferno, in quem deindè profundiſſimè deſcenderit in mortis triduo, ſed inſuper beatam ſcientiam Chriſto negavit pro toto tempore vitæ mortalis, pro quo fidem in Chriſto agnovit, & purum ſtatum viatoris ; in hoc poſteriore Calvini errore fuerunt quoque Zuinglius, Bucerus ; & alij quidam Novatores, imò illi omnes, qui exiſtimarunt Chriſtum plura ignoraſſe & alphabetum ipſum ſub præceptoris ferula didiciſſe, ut late refert Vaſquez *diſp. 51. cap. 1.* & nos attingemus infrà *num* 10. Interim pro re præſenti, & quantùm attinet ad ſcientiam beatam actualem ſitam in Dei viſione, ſit

Error negantium Chriſto in vita mortali ſcientiam beatam.

§. I.

Quàm certum ſit intellectum humanum Chriſti habuiſſe ſcientiam beatam in vita mortali, & quàm perfectam eam habuerit?

3\. Veritas oppoſita eſt de fide aut fidei proxima.

ASSERT. I. Certitudine aut fidei, aut proxima fidei, certum eſt intellectum humanum Chriſti habuiſſe ſcientiam beatam, viſionemque creatam Dei in vita mortali. Hæc veritas quoad ſubſtantiam recipitur ab omnibus Catholicis, & eſt directè contra errores relatos *præced. num* 2. indirectè contrà eos, qui *ex cap. præced. num* 9. non agnoſcunt in Chriſti intellectu humanam operationem: Quoad aſſertæ deindè certitudinis gradum traditur à Suario *diſp* 25. *ſec*. 1. §. *Sed quæres*. Amico *diſput*, 19. *ſec*. 1. *num*. 11. Gabriele à S. Vincentio *diſput*. 9. *dub*. 3. *num*. 36 Medinâ *q*. 14. *art*. 4. &c. contra Palatium *in* 3. *diſt*. 14. *diſp*. 1. aliosque nonnullos minore, id eſt theologica certitudine contentos, & opinionem oppoſitam non plus, quàm temerariam appellantes, & hæc quidem temeritatis cenſura eſt (ut Suarez ait) mitiſſima omnium, quæ poſſint in præſenti ſine ipſius Cenſoris cenſura ferri.

Probatur primò ex Scriptura : Jo. 1. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. ſubintellige, ut vidit, imò ut videt, Cui conſonant verba Chriſti dicentis de ſe ipſo Jo. 3. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur :* nonnulliſque interpoſitis : *Nemo aſcendit* (quod verbum expoſitores ex græco notant eſſe præteriti temporis non præſentis) *in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, filius hominis qui eſt in Cœlo :* & Jo. 17. *Pater, quos dediſti mihi volo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam.* Quæ & ſimilia loca non ſunt quidem proſsùs expreſſa pro aſſerta veritate, pro quâ inſuper non corroborantur ulla Eccleſiæ definitione, nec fortè etiam ullâ ſatis aperta traditione; omnia tamen ſimul ſumpta tali veritati plurimùm favent, & ut videre eſt apud Suarium *præcit. ſec*. 1. ex communi Sanctorum Patrum intelligentiâ ad illam ſtabiliendam trahuntur, validiſque rationibus theologicis confirmantur, adróque ſi ex primo capite aſſerta veritas fortè non eſt ſimpliciter de fide, ſaltem ex ſecundo capite ad fidem proxime accedit; ergo certitudine, aut fidei, aut proxima fidei certum eſt &c.

Probatur ſecundò ratione D. Tho. *hic q*. 9. *art*. 2. Quod eſt in potentia reducitur in actum per id, quod eſt actu; atqui homo eſt in potentia ad actum viſionis ſeù ad ſcientiam beatâ, & in talem actum reducitur per humanitatem Chriſti in vita mortali exiſtentis ; ergo humanitas Chriſti in vita mortali exiſtentis fuit in actu viſionis, ſeù habuit ſcientiam beatam ; minor patet ex eo quod homo conſequitur beatitudinem ex Chriſti meritis; major probatur ex eo, quod cauſa debet præcontinere effectum, cujus eſt cauſa ; & licèt cauſa 4.

instru

inſtrumentalis, præſertim moralis, ex genere ſuo contenta ſit præcontinentia valdè analogicâ; quando tamen inſtrumentum eſt valdè excellens, & per modum capitis influens, ſicut influit humanitas Chriſti in noſtram beatitudinem, convenientiſſimè ei tribuitur præcontinentia univoca & formalis ideò &c. Confirmatur aliâ ratione deſumpta ex eodem D. Thoma *quaſt.7. art.1.* Quod eſt maximè propinquum principio, à quo recipit aliquem effectum recipit talem effectum perfectiſſimum, ergo humanitas Chriſti, utpotè ex vi unionis hypoſtaticæ maximè propinquo Deo, à quo habitualem gratiam recipit hanc recipit perfectiſſimam etiam in vita mortali, atqui gratia perfectiſſima eſt gratia conſummata per gloriam ſeu ſcientiam beatam; ergo humanitas Chriſti etiam in vita mortali habuit ſcientiam beatam. Confirmatur inſuper ex eo, quòd pluribus titulis Chriſto ut homini, etiam in vita mortali, debebatur ſcientia beata, ſeu viſio Dei; nam naturæ elevatæ ad ſupremum & perfectiſſimum eſſe, cujuſmodi eſt eſſe divinum ſubſtantiale & hypoſtaticum, debetur ſuprema & perfectiſſima operatio, cujuſmodi eſt viſio Dei: principio intellectivo ſubſiſtenti debetur cognitio intuitiva perſonæ, in qua ſubſiſtit; hujuſmodi autem cognitio in Chriſto ſaltem de lege ordinaria non poteſt eſſe alia, quàm Dei viſio: filio naturali debetur cognitio intuitiva Patris, Chriſtus autem eſt filius naturalis Patris æterni, cujus cognitio intuitiva non poteſt pariter eſſe alia, quàm Dei viſio; ergo hæc, utpotè tot titulis Chriſto debita, ex vi unionis hypoſtaticæ debuit ſtatim ad unionem hypoſtaticam, quamvis in vita mortali factam, conſequi, non verò differri poſt mortem & reſurrectionem.

5. Chriſtus habuit in intellecta humano ſcientiam beatam à primo conceptionis inſtanti.

Ex his probatum manet Chriſtum Dominum habuiſſe viſionem beatam non in vita mortali quomodocumque, ſed pro toto talis vitæ decurſu initio facto à conceptionis inſtanti; pro toto enim hujuſmodi decurſu militant ſuperiora argumenta; exigunt id etiam viſio ex natura ſua perennis atque perpetua, nec non unio hypoſtatica facta in ipſo conceptionis inſtanti; & ſi ſemel cum corpore corruptibili ac vita mortali conjungitur in Chriſto ſcientia beata, cum corpore infantili æquè, ac cum virili, conjungi poteſt; nec ulla apparet neceſſitas excipiendi unum potiùs, quam aliud mortalis vitæ tempus.

Argumenta Adverſariorum deſumuntur partim ex eo, quod viſio beata repugnat cum triſtitiâ, quam tempore paſſionis, & cum merito, quod toto tempore vitæ mortalis habuit Chriſtus Dominus; partim ex aliquibus locis Scripturæ, quibus videtur ſignificari Chriſtum propter paſſionem, & poſt paſſionem, fuiſſe glorificatum & gloria ac honore coronatum. Verùm poſteriora hæc argumenta facilem habent ſolutionem, quia memorata ſcripturæ loca procedunt de gloria corporis, vel de exaltatione nominis Chriſti ſuper omne nomen, non de eſſentiali gloriâ animæ ſita in viſione: priora autem opportuniùs ſolventur infrà agendo de Chriſti merito, & de defectibus humanitatis ejus, quamvis ea ex profeſſo in præſenti ſoluant Gonetus *diſput.16. articul. primo, paragrapho ſecundo*, alijque nonnulli.

Aſſert. 2. Scientia beata Chriſti relatè ad ſcientiam cujuſcumque alterius beati, ſive hominis, ſive Angeli, fuit & eſt ejuſdem perfectionis eſſentialis ſeu ſpecificæ; majoris verò perfectionis accidentalis, tùm intenſivæ, tùm extenſivæ. Ita Suarez *hic diſput.* 26. Valentia *quaſt. 10. punct. primo*, cæterique Theologi communiter cum D. Thoma *quaſtion.* 10. *articul.* 4. 6.

Probatur prima pars: Scientia beata eſt ejuſdem ſpeciei in Chriſto, & in quocumque alio beato, ſive homine, ſive Angelo; ergo ſcientia beata Chriſti relatè ad ſcientiam &c. conſequentia patet, antecedens infertur ex dictis *tractat. 1. lib. 2. cap. 6. paragrapho ſecundo*, ea enim, quæ ibi afferuntur pro viſione beatâ ejuſdem ſpeciei in cæteris beatis, militant etiam in Chriſto; & licèt *ibid. num.* 10. admiſerimus non repugnare de potentiâ abſoluta viſiones Dei ſpecie diverſas, tamen iſta diverſitas ſpecifica proveniret ex eo quod viſiones eſſent præciſivæ, diminutæ, & imperfectiores eâ, quæ de facto in Beatis omnibus reperitur, quis autem tribuat viſionem, ſcientiamque beatam, imperfectiorem Chriſto, quàm cæteris Beatis? Conſonant aſſertæ unitati & æqualitati ſpecificæ ea loca Scripturæ, quibùs nobis promittitur conſortium ejuſdem beatitudinis cum Chriſto ut cum *Rom* 8. dicimur *Hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti:* & Chriſtus ipſe *Io.* 8. ait *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Conſonant item quæ infra dicentur de unitate ſpecificâ gratiæ habitualis Chriſti cum gratia habituali cæterorum.

Talis ſcientia beata eſt ejuſdem perfectionis ſpecificæ cum ea cæterorum Beatorum.

Probatur ſecunda pars, pro quâ *ex præcit. c. 6. §. 4.* recolendum eſt, quid ſit ſcientiæ beatæ & viſionis inæqualitas tùm intenſiva, tùm extenſiva? quænam utriuſque inæqualitatis cauſa? & quomodò Dei viſiones poſſint eſſe diverſæ in intenſione, & claritate, abſque eo quòd ſint diverſæ in ſpecie? Hiſce omnibus indè ſuppoſitis ſic formatur argumentum: Chriſtus ſuâ ſcientiâ beatâ clariùs intuetur objectum increatum, & extenditur ad plura objecta creata, quàm quicumque alius beatus, ſive homo, ſive Angelus; ergo ſcientia beata Chriſti relatè ad ſcientiam &c. eſt majoris perfectionis, tùm intenſivæ, tùm extenſivæ; conſequentia patet quia *ex præcit. §. 4.* inæqualitas intenſiva viſionis attenditur penes magis, vel minùs, clarum intuitum objecti increati, inæqualitas extenſiva penes attingentiam plurium, vel pauciorum creaturarum; probatur antecedens quoad primam partem, quia clarior intuitus objecti increati habetur ex intenſiore lumine gloriæ, intenſio luminis gloriæ ſequitur intenſionem gratiæ habitualis, hæc ex dicendis eſt intenſior in Chriſto, quàm in ullo alio homine, vel Angelo; ergo eſt in eodem intenſius gloriæ lumen, & clarior objecti increati intuitus: probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia nullus beatus de facto attingit omnes creaturas, tùm poſſibiles, tùm 7. Majoris verò perfectionis tùm intenſivæ, tùm extenſivæ.

Google

futuras ut ſuppono *ex præcit. lib. 2. cap. 5. §. 2.* & tamen Chriſtus ex mox dicendis ſuâ beatâ ſcientiâ attingit omnia futura, & probabiliter loquendo etiam omnia poſſibilia; ergo.

8. Confirmatur. Cæteris omnibus beatis data eſt viſio, & ſcientia beata titulo filiationis adoptivæ, ſoli Chriſto titulo filiationis naturalis; atqui filiatio naturalis eſt potior filiatione adoptiva, ergo viſio eſt in Chriſto major, quam in cæteris omnibus beatis, & cùm non poſſit eſſe major in perfectione ſpecifica, conſequens eſt quod major ſit in perfectione, tùm intenſiva, tùm extenſiva.

Dices: plures beati conſequuntur Dei viſionem titulo tùm hæreditatis, tùm mercedis, adeò ut qui ſolum habent titulum hæreditatis, illam conſequantur valde remiſſam ac tenuiſſimam; intenſam verò & quidem magis, aut minùs, juxta majora aut minora merita, quiram inſuper conſequuntur titulo mercedis & ex meritis: atqui Chriſtus habet ſcientiam beatam ſolo titulo hæreditatis; ergo habet ipſam perfectiorem ſolùm relatè ad ſcientiam eodem titulo in cæteris repertam, non relatè ad repertam etiam titulo mercedis, & ex meritis.

9. Sed contra: filiatio naturalis in Chriſto adeò excedit noſtram filiationem adoptivam, & ejus dignitas perſonalis adeò excedit noſtram dignitatem meritoriam, ut independenter à meritis jure potuerit exigere Dei viſionem majorem ea, quæ nobis confertur non ſolùm titulo hæreditatis, verùm etiam titulo meritorum: & ſicuti gratia, quæ nobis confertur ex ſolo opere operato eſt minima, augetur verò deinde & intenditur in unoquoque ex proprijs meritis; at Chriſto independenter à proprio merito fuit ſtatim collata perfectiſſima & intenſa viſio, licèt independenter à meritis & antecedenter ad merita; quod confirmatur ex eo, quia ſi ſecùs res ſe haberet, collatio gratiæ ac gloriæ facta à primo conceptionis inſtanti ſine prævijs meritis redundaret in Chriſti detrimentum, imperfectionemque magis, quàm perfectionem inferret.

§. II.

An & quomodò Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat creaturas pro aliquâ differentiâ temporis exiſtentes?

10. ASSERT. I. Chriſtus ex vi ſcientiæ beatæ, ſeu viſionis, cognoſcit actu omnes creaturas pro aliquâ differentiâ temporis exiſtentes, id eſt tùm præteritas, tùm præſentes, tùm futuras. Hoc aſſertum cadit ſub controverſiâ præcipuè quoad creaturas futuras, & quatenùs

Errores negantium Chriſto notitiam omnium futurorum.

ſimpliciter aſtruit ipſarum omnium notitiam, ſcientiamque in Chriſto, eſt primò contrà Celſum hæreticum dicentem Chriſtum non ſciviſſe ea, quæ erat paſſurus, ut refert Origenes *lib 2.* quem contrà Celſum conſcripſit: Secundò contra Agnoitas, quos aliqui vocant Ignoitas, vel Gnoitas, tribuentes Chriſto ignorantiam diei judicij, idque loquendo de ipſo etiam ſecundùm divinitatem: Tertiò contra communem cum alijs pueris ignorantiam, ac diſcendi indigentiam, habuiſſe, atque inſuper in ætate adulta errorem aliquem & neſcientiam admiſiſſe; ut ex Scholaſticis refert Vaſquez *diſp. 51. cap. 1.* Quartò contra Lutherum, Melanctonem, Calvinum, Zuinglium, Bezam, & alios Novatores amplexos Agnoitarum & Gnoſticorum errorem. Quatenùs deindè aſſertum aſtruat omnium rerum futurarum notitiam eſſe in Chriſto actu eſt primò contrà Richardum *in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 5.* docentem Chriſtum cognoſcere actu ea futura, quæ non ſunt habitura ſucceſſionem in infinitum, ut ſunt v.g. omnes ſubſtantiæ; at non quæ talem habebunt ſucceſſionem, ut ſunt cognitiones volitioneſque hominum & Angelorum: Secundò contra Henricum *quodlib. 5. quæſt. 14.* Bonaventuram *in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3.* Rubionem *quæſt. 2. §. Ad cujus evidentiam* Gabrielem *quæſt. un. art. 1.* Scotum *quæſt. 2. § Sed ſi iſta* Maſtrium *diſp. 5. quæſt. 1. art. 2.* Herincx *diſput. 2. quæſt. 1.* Morandum *quæſt. 31. conc. 5.* Salas *1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſec. 7.* & reliquos tùm Nominales, & Scotiſtas magis communiter, tùm aliquos Recentiores ponentes Chriſtum cognoſcere quidem actu multa futura, & plura quàm cognoſcat ullus alius beatus; at multa alia cognoſcere ſolùm habitu; quatenùs vel detur in Chriſti intellectu habitus aliquis infuſus futurorum omnium in actu primo repræſentativus, ut opinatur Henricus; vel anima Chriſti videat divinam eſſentiam eſſe ex ſe paratam omnia futura repræſentare, & ipſa habeat potentiam proximam exeundi in actum ſecundum, & utendi quodammodò divina repræſentatione circa quæcumque futura libuerit, hæc vel illa, quamvis non circa omnia ſimul, ita ſentiunt reliqui Scholaſtici præcitati, contra quos ſicut & contra Henricum, nec non à fortiori contra præmemoratos Sectarios aſſertum noſtrum tradunt D. Thomas *hic quæſt. 10. art. 2.* & *in 3. diſt. 14. quæſt. 1.* 11.
art 2. Magiſter, Albertus, & Major *ead. diſt.* Bachonius *diſt. 13. q. 1. art 4.* Alenſis *3 par. q. 13. memb. ult* Ioann. à S. Thoma *diſp. 12. art. 3.* Gonetus *diſp 16. art 3.* Suarez *diſp. 26. ſec. 3.* Vaſquez *diſp 5. cap. 1.* Lugus *diſput. 19. ſec. 1.* Arriaga *diſp. 36 ſec 3.* Madernus *quæſt. 6. art. 2.* & alij antiqui plures, Thomiſtæ omnes, Recentiores ferè omnes.

Talis notitia eſt omninò Chriſto concedenda ex vi ſcientiæ beatæ.

Probatur. Chriſtus, etiam ut homo, adeóque ex vi alicujus ſcientiæ creatæ, cognoſcit omnes creaturas pro aliqua differentiâ temporis exiſtentes, & ſignanter omnia futura; ergo hæc omnia cognoſcit ex vi ſcientiæ beatæ; conſequentia non videtur poſſe jure negari, cum enim cognitio omnium creaturarum exiſtentium & ſignanter futurarum ſpectet ad magnam perfectionem, ſi Chriſto convenit, debet maximè ei convenire ex vi ſcientiæ perfectiſſimæ, qualis eſt beata: Antecedens probatur primò ex Scriptura, nam de Chriſto ut homine dicitur Jo. 3. *Chriſto non eſt datus ſpiritus ad menſuram* Coloſſ. 2. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ* Apocal. 5. *dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere divinitatem & ſapientiam* additis verbis gloſſæ ordinariæ dicentis, *id eſt omnium cognitionem.* Secundò ratione, quia Chriſtus etiam ut homo ex una

parte

parte eſt beatus, ex alia parte eſt omnium creaturarum rationalium Caput, Judex, & Dominus adeóque habet ſtatum univerſaliſſimum, ad quem res omnes pro quocumque tempore exiſtentes & ſignanter omnia futura pertinent; cum igitur commune ſit omnibus beatis cognoſcere ex rebus exiſtentibus, & futuris, quæcumque pertinent ad proprium ſtatum; conſequens eſt Chriſtum omnia exiſtentia, omniaque futura cognoſcere, cum ad ipſius ſtatum omnia pertineant; & cum ad poteſtatem judiciariam, Iudiciſque univerſalis prærogativam, pertineat potiſſimùm dies judicij, huius ſcientia potiſſimùm concedenda eſt Chriſto Domino, ſupremo univerſalique Iudici.

12. Dices primò ad loca Scripturæ, iſta non procedere de Chriſto ut homine, aut eſſe intelligenda cum aliqua reſtrictione, alioqui Scriptura ſibi contrariaretur primò in eo, quod *Luc.* 2. ait de Chriſto puero, *proficiebat ætate & ſapientia*, cui textui conſonat quod habetur Jſa. 8. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ* additis verbis Ambroſij *lib. de Incarnatione cap.* 7. dicentis *Per quem autem ſenſum Iſaias dixit patrem neſciebat puer, aut matrem? Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt: expers autem cognitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhùc non didicit, ignorat*. Secundò in eo, quod de die Judicij habetur Marc. 13. *de die autem illa, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque filius, niſi Pater*, vel *niſi ſolus Pater* ut dicitur *Matth.* 24. additis verbis Patrum VI. Synodi *act.* 12 dicentium de Chriſto ſuper illud Marci, *Neſciebat ut homo, ſciebat ut Deus*. Confirmatur ex eo, quod Damaſcenus *lib.* 3. *fidei c.* 21.

13. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

ait Verbum *ignoratione laborantem ac ſervam naturam aſſumpſiſſe*. Sed contrà: Jllud *proficiebat ſapientia* communiter intelligitur de profectu ſecundùm manifeſtationem, non ſecundùm rem, vel de profectu ſecundùm notitiam experimentalem, non ſecundùm notitiam ſimpliciter; unde & ly *quod adhuc non didicit, ignorat* in verbis Ambroſij, item *expers cognitionis infantia*, ſi referatur ad Chriſtum intelligi debet experimentaliter, adeò ut Chriſti infantia non alterius cognitionis ſit expers, quàm experimentalis, & Chriſtus quod adhuc non didicerat, ignoraverit experimentaliter; ideſt expertus non fuerit: Textus Jſaiæ dato, quod de Chriſto procedat, nihil aliud ſignificat, quàm ipſum in Matris utero non habuiſſe ſcientiam loquendi, ideſt expeditam facultatem articulandi voces vulgari ac naturali modo. Illud *Marc.* 13. plures habet expoſitiones; ex ſeptem relatis à Valentiâ *hic q.* 10. *punct.* 2. duas profero; prima procedit de filio, ſeu de Chriſto etiam ut Deo, dicendo neque filium, ſed ſolum Patrem, ſcire diem judicij à ſe; ſicut enim ſolus Pater à ſe habet eſſe, Filius à Patre, ita ſolus Pater à ſe, Filius à Patre habet ſcientiam; Secunda procedit de Filio, & Chriſto ut homine, dicendo ly *ſcit* referri non ad quancunque ſcientiam creatam, ſed præcisè ad ſcientiam naturalem, quam de die judicij Chriſtus ut homo non habuerit, & hæc expoſitio opportuna eſſe poteſt ad explicanda verba recitata, tùm ex Patribus VI. Synodi, tùm ex Damaſceno; quæ tamen utraque etiam aliam commode admittunt expoſitionem, dicendo ea in Chriſtu ut homine reduplicare humanitatem ſecundùm ſe, & ſecundùm id, quod ipſi competit ex propriâ conditione; non reduplicare eandem ſecundum quod eſt unita Uerbo, & ſecundùm id, quod habet ex vi talis unionis. Portò altero ex his modis poteſt quoque benigna interpretatio adhiberi Cyrillo & Athanaſio, quorum ſententiæ pro humana ignorantia diei judicij in Chriſto Domino videntur admodum perſpicuæ, & apud nonnullos ingerunt ſuſpicionem aliquam deceptionis in ſuis Auctoribus, ut videre eſt apud Vaſquium *diſp.* 51. *c.* 1.

Dices ſecundò ad rationem deſumptam ex cognitione futurorum communiter in beatis reperta. Beati ex dictis *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 29. ita cognoſcunt ex vi viſionis omnia futura ad proprium ſtatum pertinentia, ut ex his aliqua ſolùm cognoſcant actu ab initio beatitudinis, reliqua deinde ſucceſſivè in proprijs differentijs temporum, in quibus ponuntur à parte rei, ergo proportionaliter loquendo Chriſtus plura quidem, quàm ullus alius beatus futura actu cognoſcet in ſuæ beatitudinis initio; at plura alia cognoſcet dumtaxat ſucceſſivo temporis decurſu, nunquam verò actu omnia ſimul. Sed contrà: ratio deſumpta à cæteris Beatis, & paritas ab iſtis ad Chriſtum

14. Cur à cæteris Beatis potius quam à Chriſto cognoſcantur aliqua futura cum ſucceſſione?

procedit à minori ad majus, ideò efficax eſt ad inferendum in Chriſto ea, quæ beatis cæteris conveniunt titulo perfectionis ſimpliciter, & abſolutè dictæ, ut eſt quod ſinguli cognoſcant omnia futura ad ſtatum proprium pertinentia; non ea, quæ conveniunt iiſdem titulo limitationis, & perfectionis mixtæ cum imperfectione, ut eſt quod plura ex hujuſmodi futuris cognoſcant dumtaxat ſucceſſivè, quando fiunt præſentia in proprijs differentijs temporum.

Dices tertiò pro cognitione plurium futurorum Chriſtu tribuenda ſolùm habitu, & in actu primo: Hæc cognitio ex una parte facilè percipitur ac ſuſtinetur; ex alia patre optimè ſufficit dignitati Chriſti, & perfectioni cognitionis ejus, pro qua nihil amplius quærendum videtur, quàm quod excludat omnem futurorum ignorantiam, cognitio autem habitualis & in actu primo, præſertim ut aſtruitur à Scotiſtis & Nominalibus, omnem ignorantiam optimè excludit; neque enim quis dicitur ignorare id, de quo interrogatus poteſt ſtatim reſpondere, eo quod poſſit illud actu cognoſcere; quoties velit, quamvis non ſemper actu cognoſcat; alioqui fidelis diceretur ignorare Myſteria, de quibus actu non cogitat, & Theologus omnes illas theologicas concluſiones, quas actu non deducit. Sed contrà: cognoſcere omnia futura ſolùm habitu, & 15.
in actu primo, ut explicant Adverſarij, non ſufficit perfectioni cognoſcendi debitæ Chriſto Domino ex vi viſionis primò, quia licèt is qui cognoſcit habitu non dicatur omnimodè ignorare ignorar tamen aliqualiter ignorantiâ ſcilicet ſeu neſcientia actuali, ſpectat autem

ad ſcientiam beatam Chriſti Domini, quòd nullum prorsùs circà futura admittat ignorantiæ modum, ſeù quod omnem, non aliquam ſolùm futurorum ignorantiam excludat: Secundo, quia notitia, quæ habetur ex vi viſionis formaliter, qualis eſt ex mox dicendis notitia futurorum in Chriſto, non poteſt eſſe ſucceſſivè diverſa, & modò major, modò minor; eſſet autem talis ſcientia, qua Chriſtus cognoſceret omnia futura habitu, actu verò modò hæc modò illa, modò plura, modò pauciora; unde etiam in hoc Chriſtus deterius ſe haberet, & imperfectiùs, quàm cæteri beati, de quibus *præcit. cap 5 num* 31. dicebamus nullam admittere varietatem, & mutationem in iis, quæ cognoſcunt ex vi viſionis formaliter; imò in iis, quæ cognoſcunt ex vi viſionis cauſaliter, cognoſcere quidem aliqua de novo, at nunquam deſinere à cognitione eorum, quæ ſemel cognoverint.

16\. Aſſrit. 2. Omnes creaturas, quas pro aliqua differentia temporis exiſtentes cognoſcit Chriſtus ex vi ſcientiæ beatæ, cognoſcit ex vi illius formaliter, non cauſaliter; cognoſcit ſcilicet ipſomet formali actu viſionis beatæ, non actibus à viſione cauſatis, & ab ipſa diſtinctis. Ità communiter Theologi relati pro aſſerto præcedenti, excepto Vaſquio *diſp.* 50. *c.* 3. ubi eadem proportione philoſophatur de Chriſto, qua de cæteris beatis; de iſtis autem 1. *p. diſp.* 50. docuerat nihil prorsùs creatum poſſe cognoſcere ipſomet formali actu viſionis Dei. Favet aſſerto etiam cum ſuis Scotus *præcitat. q.* 2. ubi circà futurorum notitiam Chriſto tribuendam ex vi unius ejuſdemque actus viſionis Dei formaliter, an ex vi plurium actuum à viſione diſtinctorum, problematicus eſt.

Probatur: Poteſt beatus cognoſcere creaturas in verbo ipſomet formali actu viſionis, & eas omnes, quas Chriſtus cognoſcit ex vi ſcientiæ beatæ convenientius eſt, quod ſic cognoſcat; quàm quòd cognoſcat pluribus actibus à viſione diſtinctis; ergo omnes creaturas, quas pro aliqua differentia temporis exiſtentes cognoſcit Chriſtus, &c. Conſequentia patet, antecedens quoad primam partem ſupponitur *ex præcit. cap* 5. §. 1. ubi ex profeſſo oſtenſum eſt id non ſolum non repugnare, ſed etiam de facto pro aliquibus creaturis concedendum eſſe omnibus beatis;

17\. Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur primò, quia cognitio creaturarum, quæ habetur ex vi viſionis cauſaliter, dicenda eſt à verbo potiùs, quàm in verbo, ut monuimus *eod. c.* 5. *n.* 4. non tribuere igitur Chriſto cognitionem creaturarum ex vi viſionis formaliter eſt ei non tribuere propriam cognitionem creaturarum in Verbo; quod certè minùs conveniens eſt dignitati & perfectioni ipſius, convenientius verò oppoſitum: Secundò, quia ea quæ in inferioribus dividontur, & fiunt per plura, convenienter ponuntur adunari in ſuperioribus, & fieri per pauciora, cum igitur Chriſtus ſit beatorum omnium ſupremus, convenientius ipſi eſt uno eodemque actu viſionis, quàm pluribus actibus à viſione diſtinctis creaturas cognoſcere.

Dices, quidquid ſit, utrùm ipſomet formali actu viſionis poſſint cognoſci aliquæ creaturæ? ſpecialiter repugnare, quod tali actu cognoſcantur creaturæ omnes pro aliqua differentia temporis exiſtentes primò, quia ex hujuſmodi creaturis plures dicunt ſucceſſionem, ratione cujus ſicuti dicunt repugnantiam ad ſimul eſſe, ità & ad ſimul cognoſci, cum cognoſci ſequatur ad eſſe: Secundò, quia actus ille viſionis deberet eſſe infinitus, utpotè attingens infinitam rerum multitudinem, omnes enim creaturas pro aliqua differentia temporis exiſtentes eſſe numero infinitas, ſeù conſtare multitudinem infinitam, evincitur in cognitionibus & volitionibus, quas Angeli & homines elicituri ſunt toto decurſu æternitatis: Tertiò, quia actus ille viſionis, utpotè aliunde attingens quidquid eſt in Deo formaliter, æquè ſe extenderet ac viſio increata Dei, hæc quippè quoad objectum increatum non extenditur ultrà id, quod eſt in Deo formaliter, quoad objectum verò creatum cum contradiſtinguatur à ſimplici intelligentia quæ eſt ſcientia poſſibilium, conſequens eſt quòd extendatur ſolùm ad entia poſſibilitatē egreſſa, & tranſlata ad exiſtendum pro aliqua differentia temporis; ergo.

18\. Sed contrà *præcit. c.* 5. non ſolùm §. 1. oſtendimus cognoſci de facto à beatis ex vi viſionis formaliter aliquas creaturas, ſed inſuper §. 5. *& ſeqq.* propugnavimus de potentia abſoluta eſſe ex vi ejuſdem ab intellectu creato cognoſcibiles omnes prorsùs creaturas poſſibiles, ne dum aliquando exiſtentes; unde ex ibi dictis habetur facilè ſolutio ad quidquid poteſt in præſenti objici: Ad primam igitur repugnantiæ rationem dico, quod cognoſci ſequitur ad eſſe, quatenùs cognoſci ſupponit aliquod eſſe; non quia res eodem modo ſe habeat in cognoſci, quo in eſſe; dicat ſucceſſionem in cognoſci, ſi dicit ſucceſſionem in eſſe; deſinat cognoſci, ſi deſinit eſſe, &c. Deinde talis ratio repugnantiæ valdè nimis probat, probat ſcilicet nec Deum poſſe ſimul actu cognoſcere res ſibi ſuccedentes, & tum Deum tum Chriſtum poſſe actu cognoſcere illud præcisè, quod permanens eſt, ac præſens. Ad ſecundam; ſive in intellectu humano Chriſti concedatur (ut concedi & dari abſolutè poteſt) viſio infinita, ſive non; dico in univerſum ex infinita multitudine eorum, quæ cognoſcuntur, non benè inferri infinitatem cognitionis, præſertim quando omnia cognoſcuntur in uno eodemque medio, ut magis expendimus *præcit. c.* 5. §. 8. Ad tertiam dico nullum eſſe abſurdum, quod in Chriſto viſio creata extendatur ad id omne, ad quod extenditur in Deo viſio increata, hoc quippè nihil aliud eſt quàm utramque viſionem parificari quantùm ad numerum ſcibilium quod admittit in terminis Divus Thomas *quæſtio.* 10. *art.* 2. *ad* 3.

Urgebis: hinc ſequeretur Chriſtum ſua viſione creata comprehendere viſionem increatam Dei, enimverò ex eo quod cognoſcatur terminus adæquatus alicujus potentiæ ſeu virtutis, habetur aut ſaltem infertur ejus cōprehenſio, atqui ſi in Chriſto viſio creata extenditur ad id omne, ad quod in Deo extenditur viſio increata, viſione creata Chriſti cognoſci

cognoſcitur terminus adæquatus viſionis increatæ Dei; ergo. Sed contrà *præcit. cap. 5. §. 6.* dictum eſt ad ſummum reſpectu virtutis, ſeu potentiæ univocæ, inferri ex cognitione termini adæquati ejus comprehenſionem; res autem cognita non eſt terminus univocus cognitionis, ſeu virtutis cognoſcitivæ, ideò &c. Deinde etiam ſecundùm Thomiſtas liberaliores in admittenda comprehenſione ex cognitione omnium effectuum admittitur id duntaxat de cognitione omniũ effectuũ, quæ ex penetratione cauſæ, non quæ aliunde habeatur; in propoſito autem cognitio omnium creaturarum exiſtentium non habitu in Chriſto ex penetratione viſionis increatæ, ſed ex repræſentatione divinæ eſſentiæ exercentis reſpectu talium creaturarum munus ſpeculi voluntarij, & ſpeciei eminentiſſimæ: Quæ quidem, ſicut & alia nonnulla quæ deſiderari hic poſſunt, conſtabunt à fortiori ex mox dicendis de eadem viſione creata Chriſti Domini ſe extendente ad omnes etiam creaturas poſſibiles. Ideò ſit

19. Nec tamen comprehendit viſionem ipſam increatam.

---

§. III.

An & quomodo Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat creaturas poſſibiles?

20. ASSERT. 5. Chriſtus Dominus cognoſcit aliquas creaturas poſſibiles ex vi ſcientiæ beatæ formaliter, ipſo ſcilicet formali actu viſionis Dei. Hoc aſſertum quoad ly *formaliter* eſt contrà Nominales, & Vaſquium, aliosque nonnullos docentes univerſim nihil creatum poſſe cognoſci ipſomet formali actu viſionis Dei, recipitur tamen communiter à cæteris Scholaſticis, & licèt pro creaturis poſſibilibus videatur eſſe ſpecialis difficultas, eo quòd actus viſionis ſit cognitio intuitiva, cujus proprium eſt attingere in objecto exiſtentiam, quâ carent poſſibilia; nihilominus præcluditur difficultati locus, ſumendo viſionem latiùs non pro ſola cognitione intuitiva, ſed pro quacunque cognitione clara & diſtincta, ut monuimus *præcit. c. 5. n. 46.* ubi etiam *n. 13.* obſervavimus eundem formalem actum eſſe poſſe intuitivum, & abſtractivum, reſpectu diverſorum objectorum, quamvis non reſpectu ejuſdem, & hinc intelliges obiter verba S. Doctoris *hic quæſt. 10. art. 3. in c.* dicentis ea, quæ ſunt in potentia creaturarum exiſtentium cognoſci à Chriſto, *quaſi quadam ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientiâ viſionis*, intendit enim ſignificare actum non realiter à viſione diſtinctum, ſed qui reſpectu eorum, quæ ſunt in potentia, ſit abſtractivus, non intuitivus, ſimilis ſimplici intelligentiæ magis, quàm viſioni præciſè & ſtrictè dictæ; Aſſertum ſic explicatum

In quo ſenſu admitti poſſit viſio reſpectu poſſibilium?

21. Probatur: cæteri beati ipſomet formali actu viſionis Dei cognoſcunt aliquas creaturas poſſibiles: ergo etiam Chriſtus Dominus cognoſcit, &c. antecedens ſupponitur ex *præcit. c. 5. n. 5. & 25* conſequentia probatur ex eo; quia non eſt negandum Chriſto Domino quod cæteris beatis cõceditur titulo perfectionis, adeò ut magis concedatur habenti majorem perfectioremque beatitudinem, quemadmodum evenit in propoſito; ubi habens intenſiorem viſionem, ſicut magis penetrat in Deo omnipotentiam & rationem cauſæ, ità diſtinguit plures reſpectus ad poſſibilia, quod eſt videre ſeu cognoſcere in particulari plures creaturas poſſibiles; ex ipſa etiam cognitione creaturarum exiſtentium, ex qua deducitur in cæteris beatis aliquorum poſſibilium cognitio, deducitur hæc à fortiori in Chriſto, qui ex vi viſionis formaliter tum plures res exiſtentes inſpicit, tum meliùs ſingulas comprehendit, quàm cæteri beati.

Chriſtus formali actu viſionis cognoſcit aliqua merè poſſibilia.

22. Hinc deſcendendo ad poſſibilia in particulari, quæ Chriſtus ex vi ſcientiæ beatæ cognoſcit, quamvis non poſſit quidquam omnimoda certitudine ſtabiliri, ſolent tamen aſſignari communiter ea omnia, quæ continentur adæquatè, & completè in potentiâ creaturarum pro aliquâ differentiâ temporis exiſtentium; ex eâ enim, quam Chriſtus vi ſcientiæ beatæ habet, talium creaturarum comprehenſione videtur id ſufficienter inferri, & re ipſa infertur à S. Doctore *q. 10. art. 2. in c.* Unum deinde ex hoc capite ſcientia beata Chriſti Domini dicenda ſit ſe extendere ad infinita poſſibilia actu, an ſolùm potentia; item ad infinita poſſibilia diverſa ſpecie, an ſolùm diverſa numero? Dicito ad primum ly *actu* vel afficere cognitionem, adeò ut ſenſus ſit, Chriſtus habet actu, non habitu tantùm & potentiâ, cognitionem attingentem poſſibilia infinita; vel afficere poſſibilia ipſa, adeò ut ſenſus ſit, poſſibilia, quæ à Chriſto cognoſcuntur, aliquando eſſe infinita ſimul actu à parte rei; in priore ſenſu affirmandum eſt, negandum in poſteriore; affirmatio in priore ſenſu ſuadetur ratione ſuprà adducta pro cognitione actuali, non habituali tantùm, omnium futurorum, quæ pariter infinita ſunt; negatio in ſenſu poſteriore evincitur ex eo, quòd non eſt dandum in creatis, imò nec eſt dabile ſaltem de potentia ordinaria, ullum infinitum cathegorematicè & actu tale, nec quidquam ampliùs intendit D. Thomas dum *præcit. q. 10. art. 3* concludit animam Chriſti non cognoſcere infinita in actu. Dicito ad ſecundum non extendi ad infinita poſſibilia diverſa ſpecie, præſertim ſubſtantiali; Chriſtum ſcilicèt ex comprehenſione rerum exiſtentium non cognoſcere infinitas ſpecies effectuum poſſibilium, præſertim ſubſtantialium; ratio eſt, quia cauſæ ſecundæ acceptæ ſingillatim non habent virtutẽ adæquatam, & completam, ad effectus ſubſtantiales, niſi ſibi ſimiles, & ejuſdem ſpeciei cum ſuo principio, & quamvis acceptæ ſimul poſſint producere tertiam ſubſtantiam ſpecie diverſam à ſingulis, puta canis & lupus tertium animal; Nihilominus combinationes ſufficientes ad producendas tertias ſubſtantias nõ videntur poſſe eſſe infinitæ, quia maxima talium combinationum pars erit ex cauſis, quæ aut propter nimiam diverſitatem non poterunt ſimul confluere ad producendum aliquod tertium, aut propter nimiã affinitatem producent ſubſtantiam ejuſdem ſpeciei cum altera

Ex comprehenſione rerum exiſtentium cognoſcit poſſibilia infinita.

23. At non infinitas poſſibilium præſertim ſubſtantialium ſpecies.

cauſa

cauſarum in combinatione exiſtentium. Neque dicas, materia prima in genere cauſæ materialis reſpicit infinitas formas ſpecie diverſas; ergo ſaltem ex comprehenſione materiæ primæ cognoſcit Chriſtus poſſibiles infinitos

24. effectus ſubſtantiales ſpecie diverſus. Contrà enim, cauſa materialis, utpotè quæ non præcontinet effectus, quos poteſt recipere, non infert ex ſui comprehenſione diſtinctam omnium ejuſmodi effectuum cognitionem; ideò ſivè finitæ, ſivè infinitæ, ſint formæ ſubſtantiales ſpecie diverſæ receptibiles in materia prima, non eſt neceſſe, quòd Chriſtus iſtam comprehendendo illas omnes diſtinctè cognoſcat, quidquid in oppoſitum ſentiat Gabriel à Sancto Vincentio *diſput.* 10 *dub.* 8 ubi propterea exiſtimat Chriſtum videre in Verbo infinitas ſubſtantias poſſibiles ſpecie diverſas, & à fortiori deinde infinita ſpecie diverſa accidentia, de quibus quia res eſt magis dubia, eo quod de intellectu, & voluntate, propter ampliſſimã, quam habent, objecti latitudinem valdè perplexum ſit, ut an poſſint elicere infinitos, ideſt non tot, quin plures actus etiam ſpecie diverſos? dixi Chriſtum ex comprehenſione rerum exiſtentium non cognoſcere infinitas ſpecies effectuum poſſibilium, præſertim ſubſtantialium, ut innuerem quodammodo de effectibus accidentalibus me nihil ſtatuere, quando tamen eſſet aliquid ſtatuendum, etiam quoad iſtos propenderem in partem negativam; nec multum urget inſinuata ratio dubitandi, enimverò cùm actus gignantur ex potentia & objecto, adeoque intellectus & voluntas non ſit cauſa adæquata ſuorum actuum, ex comprehenſione talium potentiarum non infertur diſtincta cognitio omnium actuum, quos poſſunt elicere, ſive ſint infiniti ſpecie, ſive ſolum numero.

Et fortè nec infinitas ſpecies effectuum poſſibilium accidentalium.

25. Cum eo, quod mox dictum eſt Chriſtum in comprehenſione rerum exiſtentium & potentia creata cauſarum ſecundarum, non cognoſcere infinita poſſibilia ſpecie diverſa, optimè ſtat, quòd hujuſmodi infinita poſſibilia, imò poſſibilia omnia, ex vi viſionis cognoſcat aliunde, in penetratione ſcilicet divinæ eſſentiæ & omnipotentiæ increatæ; in qua proculdubio infinitæ poſſibilium ſpecies & poſſibilia omnia continentur; omnium igitur poſſibilium ex hoc capite cognitionem Chriſto Domino tribuunt in primis Hugo de S. Victoro, & qui cum ipſo *ex cap præced. n.* 9 exiſtimant intellectum humanum Chriſti reddi intelligentem intellectione increata; ex agnoſcentibus deinde in humano Chriſti intellectu humanam creatamque intellectionem, ſub hanc omnia poſſibilia cadere docent Magiſter *in* 3 *diſt.* 14 Albertus *ead diſt. art.* 1. 2. *&* 3. Durandus *ead diſt. q.* 2. Major *q.* 4 Bachonius *diſt* 13 *q* 1. *art.* 4. Alenſis 3 *p q.* 1 *memb. ult.* & aliqui alij antiqui Scholaſtici, ad quos ex Recentioribus accedunt Lugos *hic diſp* 10. *n.* 1. Arriaga *diſp.* 6 *ſect* 1. & Madernus *q.* 6. *art.* 4; favent quoque ex parte D. Bonavent *in* 3. *diſtinct.* 14 *art.* 2 *q.* 1. Scotus cum ſuis *ead. diſtin. q* 2 & Nominales communiter omnium poſſibilium æquè ac omnium exiſtentium notitiam Chriſto concedentes; habitu tamen, non actu, ut attigimus *n.* 10. Docent verò oppoſitum Thomiſtæ omnes, & Recentiores plurimi, arbitrati ſimpliciter repugnare cognitionem creatam, præſertim actualem, omnium poſſibilium in Verbo, & ad talem repugnantiam aſtruendam ducti ex diverſis fundamentis, quæ omnia nos, ſicut & repugnantiam ipſam rejecimus *tract.* 1. *lib* 2. *c.* 5. §. 5. *& ſeqq.* & conformiter ad ibi dicta ſit

Aſſert. 2. Probabile eſt Chriſtum Dominum ex vi ſcientiæ beatæ formaliter cognoſcere actu omnes prorſus creaturas poſſibiles, ly *formaliter* eſt contrà Vaſquium & Nominales: ly *actu* eſt contrà Bonaventuram & Scotum cum ſuis: ly *omnes prorſus creaturas poſſibiles* eſt contrà Thomiſtas & majorem partem Recentiorum; ex quibus aliqui videntur habere in opinione a nobis aſſerta aliquam cenſuræ ſuſpicionem propter propoſitionem quandam damnatam in Arnaldo de Villanova, nihilominus *ex ſeq. n.* 30. conſtabit id, quod in Arnaldo damnatur, toto Cælo diſtare à præſenti quæſtione, de qua aliunde Eccleſia & Patres nihil ſtatuunt, ut fatetur ex Adverſarijs Suarez *diſp.* 26 *ſect* . 6. *dico primo*, Scholaſtici verò ſunt valdè diviſi, & licet in majore ſint copia pro opinione oppoſita, ſunt tamen quoque pro noſtra, ut retulimus, & multi & graves præſertim ex Antiquis, in quos propterea immeritò ponderetur cadere ulla, vel leviſſima, cenſuræ ſuſpicio. 26.

Aliundè, quàm ex comprehenſione creaturarum exiſtentium, cognoſcit Chriſtus actu in Verbo omnia prorſus poſſibilia.

Probatur nulla eſt neceſſitas negandi, & plurima eſt ratio ac congruentia concedendi Chriſto Domino ex vi ſcientiæ beatæ formaliter cognitionem actualem omnium prorſus poſſibilium; ergo probabile eſt Chriſtum Dominum ex vi ſcientiæ beatæ, &c. conſequentia patet: probatur antecedens quoad primam partem, neceſſitas negandi &c. deberet eſſe vel univerſalis repugnantia cognitionis creatæ attingentis in verbo omnia poſſibilia, vel aliqua Eccleſiæ definitio excludens quoad de facto ab intellectu humano Chriſti talem cognitionem, quamvis alioqui non repugnantem, atqui nec datur illa repugnantia, nec iſta Eccleſiæ definitio, ut quoad priorem late oſtendimus *præcit. cap.* 5. quoad poſteriorem mox præmiſimus ex ipſorummet Adverſariorum teſtimonio, ergo. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, nam in primis omnia ſcripturæ loca inſinuata ſuperiùs pro cognitione omnium futurorum favent plurimùm cognitioni omnium poſſibilium, hancque præterea dignitas Chriſti maximè poſtulat, & ſuppoſito quòd talis cognitio dari poſſit, ut verè poteſt cauſa ob quã de facto detur, ſeù ob quam Deus moveatur ad illam de facto ponendam nulla eſt excogitabilis major, aut rationabilior, quàm dignitas & perfectio humanitatis Chriſti; ergo plurima eſt ratio, ac congruentia Chriſto Domino, &c. 27.

28.

Dices primò impugnando primam partem antecedentis: In Concilio Baſilienſi *ſeſſ.* 22. damnatur tanquam erronea in fide, hæc propoſitio Auguſt. de Roma Archiepiſcopi Nazareni *Anima Chriſti videt Deum tam clarè & intensè, ſicut Deus videt ſeipſum* & in Directorio

ctorio

ctorio Inquiſitorum 2. *part. quaſt.* 11. refertur hanc propoſitionem, *Quam citò anima Chriſti fuit unita divinitati, ſtatim ipſa anima ſcivit omnia, quæ Deus ſcit*, fuiſſe damnatam Tarraconæ ab Inquiſitoribus contra Arnaldum de Villanovâ coactum etiam eam retractare: atqui utraque hæc propoſitio infertur ex eo, quod anima Chriſti cognoſcat in Verbo omnia poſſibilia, cum enim aliundè ſupponatur cognoſcere omnia exiſtentia, & omnia quæ ſunt in Deo formaliter, utique cognoſcit ſeù ſcit omnia, quæ ſcit Deus; hincque deindè infertur, quod habeat viſionem tam claram & intenſam, ſicut Deus; infertur enim, quod habeat viſionem claram & intenſam infinitè, quia ad videnda in Verbo omnia poſſibilia, & omnia, quæ Deus ſcit requiritur infinitum lumen, & infinita penetratio divinæ eſſentiæ: pœnes lumen autem & penetrationem divinæ eſſentiæ attenditur intenſio & claritas viſionis, ſeu ſcientiæ beatæ; ergo à primo ad ultimum cognitio omnium poſſibilium ex vi viſionis in Chriſto cenſenda eſt damnata ab Eccleſiâ in damnatione utriuſque prædictæ propoſitionis.

29. Sed contrà: Quod D. Thomas *præced. num* 18. prælaudatus loquendo de rebus exiſtentibus docet ſcientiam animæ Chriſti parificari ſcientiæ viſionis, quam Deus babet in ſe ipſo, quantum ad numerum ſcibilium, excedi tamen in infinitum quantùm ad claritatem cognitionis, transferendum eſt cum proportione ad res poſſibiles, dicendo ſcientiam animæ Chriſti parificari ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quam Deus habet in ſe ipſo, quantum ad numerum ſcibilium excedi tamen, &c. ex eo igitur quod anima Chriſti videat Deum attingendo in ipſo clarè & diſtinctè omnia poſſibilia non ſequitur quod videat Deum tam clarè & intenſe ſicut Deus videt ſe ipſum; neque ad omnia poſſibilia, imò ad omnia ſcibilia in Verbo attingenda requiritur lumen infinitum eâ infinitate quam habet lumen increatum Dei, iſtud quippè eſt infinitum infinitate ſubſtantiali, illud aut nullam haberet intrinſecam infinitatem aut haberet ſolùm infinitatem accidentalem & intenſivam; idem proportionaliter dicito de divinæ eſſentiæ penetratione, & pro pleniore hujus doctrinæ intelligentiâ recolito quæ dicebamus *præcit. capit. quinto, paragrapho ſexto, & octavo.*

Diluitur omnis ſuſpicio oppoſitæ ab Adverſarijs excogitata.

30. Ad cenſuram Tarraconæ ab Inquiſitoribus latam contrà Arnaldum de Villanovâ, cujuſcumque ponderis ſit (minuitur enim ejus auctoritas ex eo, quod à nullo hucuſque Concilio, aut Pontifice fuerit confirmata) dico damnari in Arnaldo propoſitionem illam, non nudè, & abſolutè; ſed in ſenſu ſui Auctoris, & relatè ad principia, ex quibus deducebatur ab Arnaldo exiſtimante animam Chriſti ſcire omnia, quæ ſcit Deus, eò quod viſio ſpectet ad ſuppoſitum, non ad naturam, & ſine omnium ſcientiâ nequeat conſiſtere unio hypoſtatica, quod utrumque falſiſſimum eſt. Cæterùm ex terminis propoſitio illa habet ſanum & verum ſenſum undè Euſebius *in epiſt. ad Damaſum* refert D. Hieronymum morti proximum fuiſſe allocutum Chriſtum Dominum his verbis *Tua anima, ſtatim ut unita fuit inſeparabiliter divinitati, omnia perfectè ſcivit, quæ ipſa ſit divinitas.*

Dices ſecundò impugnando ſecundam partem antecedentis: Tum dignitati & perfectioni Chriſti Domini, tùm cuicumque ſubſidio, quod ex auctoritatibus haberi poſſit, conſulitur ſufficienter tribuendo animæ Chriſti cognitionem omnium poſſibilium habitualem, & in actu primo; præſertim ſi dicatur talem cognitionem deduci deinde pro Chriſti libito ad actum ſecundum circa hæc, vel illa poſſibilia, non per hoc, quod eliciantur novi actus, ſed per hoc quod ipſemet formalis actus viſionis eſſentialiter invariatus aquirat novos reſpectus realis tendentiæ ad nova objecta ſecundaria, ut ex ſuo ſubtili Doctore explicat Maſtrius *diſputation. quinta, articul. primo*; ſic quippè ſalvatur ex unâ parte, quod cognitio omnium poſſibilium conveniat Chriſto ex vi viſionis formaliter, & ex aliâ parte declinatur periculum cognitionis creatæ infinitæ, & comprehenſivæ Dei, quod imminet ex viſione omnium poſſibilium actuali, & tota ſimul. Sed contra: etsi huic inſtantiæ ſatisfactum eſt partim ex ſæpiùs *præcit. capit. quinto*, ubi abſcindendo etiam à præſenti quæſtione oſtendebamus nullum periculum comprehenſionis Dei, aut alterius abſurdi, timendum eſſe ex actuali, & totâ ſimul cognitione omnium poſſibilium in Verbo: partim ſuperiùs *numero decimo quinto*, dum agentes de rebus exiſtentibus ducebamus iſtarum notitiam habitualem & in actu primo, nec eſſe commodatam perfectioni cognoſcendi debitæ Chriſto Domino, nec poſſe deindè ad actum ſecundum ſucceſſivè deduci ex vi viſionis formaliter, ſeu ſine actibus à viſione diſtinctis; Doctrina verò Scotica cum Maſtrij explicatione jam fuit improbata *præcit. capit. quinto, numero decimo ſeptimo*, & improbatur iterùm ex eo, quòd manente eodem objecto primario poſſe actum unum, eumdemque, eſſentialiter invariatum aquirere novos reſpectus, & variari accidentaliter circa objecta ſecundaria, habet ſpecialem difficultatem in caſu noſtro, in quo ratio formalis attingendi objectum eſt una & indiviſibilis reſpectu objecti primarij, & ſecundarij; variatio igitur circa objectum ſecundarium infert variationem etiam circa rationem formalem objecti primarij. 31.

Ex dictis tria habentur: Primum eſt Chriſtum Dominum cognoviſſe ex vi viſionis formaliter etiam omnia futura conditionata: Secundum eſt omnia tùm poſſibilia tùm futura ſive abſoluta ſive conditionata, quæ vi viſionis cognovit, cognoviſſe à primo conceptionis inſtanti: Tertium eſt non comprehendiſſe, nec comprehendere, aut comprehendere poſſe Deum. Ratio primi eſt, quia futura conditionata mediant quodammodò inter poſſibilia, & futura abſoluta; Chriſtus igitur cognoſcendo ex vi viſionis objecta extrema debuit cognoſcere & media; undè etiam aliqua futura conditionata Chriſtus ut homo, adeóque ut ſcientiâ humanâ à ſe cognita revelavit, ſic dixit Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone,* 32.

Tria ex dictis corollaria.

&c. & Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit, mihi*, &c. Nec ulla pro futuris conditionatis in Verbo cognoſcendis occurrit ſpecialis difficultas, cum talia futura per nos ſubſint proprijs decretis ex parte actus abſolutis, adeóque in divinâ eſſentiâ, ut decretis modificatâ reluceant non minùs, quàm futura abſoluta. Ratio ſecundi eſt, quia viſio, ſeu ſcientia beata per nos eadem ſemper eſt, & invariabilis, etiam circa objecta ſecundaria; omnia igitur, quæ Chriſtus ſcit ipſo formali actu viſionis, ſcivit cum primùm habuit viſionem, hanc autem *ex præced. num.* 5. habuit à primo conceptionis

33. inſtanti ideò, &c. Ratio tertij eſt, quia ſi quâ cognitione creata Chriſtus comprehendiſſet Deum, aut comprehendere potuiſſet, ea maximè foret cognitio ſcientiæ beatæ ſeu viſio, utpote quæ eſt ex genere ſuo cognitio perfectiſſima, cujus capax ſit intellectus creatus; atqui ſcientia beata Chriſtus non comprehendit Deum, quia extenſivè ſolùm non intenſivè adæquat ejus cognoſcibilitatem, & (ut definitum eſt *in præcit. ſeſſ.* 22. Concilij Baſilienſis) non videt Deum tam clarè, ſicut Deus videt ſeipſum, hæcque procedunt etiam de potentia abſoluta, & certa ſunt certitudine fidei, ut ſuppono *ex tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. §. 2. contra Vaſquium, alioſque nonnullos contentos temeritatis notam inurere opinioni, quæ aſſereret de potentia abſoluta beatum quemlibet, & à fortiori Chriſtum pervenire poſſe ad cognitionem comprehenſivam Dei.

---

§. IV.

Utrùm præter ſcientiam beatam detur in Chriſto ſcientia alia per ſe infuſa; & Qualis iſta ſit?

Assert. 1. Præter ſcientiam beatam datur in Chriſto ſcientia alia per ſe infuſa, quæ etiam rectè poteſt appellari indita.

34. Dixi *ſcientia alia per ſe infuſa*, ut per ly *ſcientia alia* innuerem ipſam quoque ſcientiam beatam eſſe per ſe infuſam; nam quatenùs ſumi poteſt habitualiter, importat habitum luminis gloriæ, de quo nemo dubitat, quin per ſe infundatur, & producatur à ſolo Deo; ſumpta actualiter importat actum viſionis, qui licèt, utpote non productus à ſolo Deo, non ſit per ſe infuſus eo toto rigore, quo habitus luminis, eſt tamen talis eo omni modo, quo poteſt eſſe per ſe infuſus aliquis actus vitalis, eſt ſcilicet productus concurrente per ſe ſupernaturali Dei virtute, quamvis non ipſa ſola producente, ut evenit reſpectu habitus. Ly *per ſe infuſa* inſinuat diviſionem ſcientiæ in infuſam per ſe, & infuſam per accidens: Iſta eſt entitativè naturalis, poteſt quantùm eſt de ſe aquiri, & ab aquiſita differt dumtaxat extrinſecè, & in modo productionis: Illa eſt entitativè ſupernaturalis, petit eſſentialiter infundi, & ab aquiſitâ differt intrinſecè, & in ſubſtantiâ.

Scientia beata rectè dicitur per ſe infuſa.

Quid ſcientia infuſa per ſe, quid infuſa per accidens?

Dixi *quæ etiam rectè poteſt appellari indita*, ut obſequerer modo loquendi D. Thomæ *hic quæſtion. nona articul. tertio & quæſtion. undecima articul. primo* ubi ſcientiam, de qua agimus appellat ſubdiſjuncto inditam, vel infuſam; & licèt Cajetanus *eod. art.* 3. putet in proprietate ſermonis hujuſmodi ſcientiam dici debere infuſam potiùs, quàm inditam, eò quod inditum ſuprà infuſum importet rem, quæ infunditur, incipere cum natura cui infunditur, & eam comitari per modum paſſionis; Nihilominùs iſta Cajetani ſubtilitas videtur gratis excogitata, & quando permitteretur adhuc ſcientia hic controverſa, præſertim ſumpta habitualiter, poſſet dici indita animæ Chriſti, utpotè cum eâ incipiens, eam comitans, & ſe habens etiam tanquam paſſio ad ipſam, non quidem ſumptam ſecundùm ſe, benè verò ut unitam Verbo.

Quid ſcientia indita?

Aſſertum ſic explicatum tradunt cum S. Doctore locis præcitatis reliqui Scholaſtici communiter, Thomiſtæ potiſſimùm, & Recentiores, contra Bonaventuram *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 1. Almainum & Gabrielem *ead. diſt.* Alenſem 3. *part. quæſt.* 13. *memb.* 1. & 2. alioſque nonnullos tribuentes Chriſto in ordine ad cognoſcendas res in proprio genere ſcientiam infuſam ſolùm per accidens, quibus Vaſquez *diſp.* 52. *n.* 3. addit Scotum *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 3. § *Contra concluſionem* & Durandum *ead. diſt. quæſt.* 4. quatenùs docent ſcientiam infuſam animæ Chriſti eſſe ejuſdem rationis cum aquiſita; at quia hoc videntur docere ſolùm de ſcientia infuſa pro cognoſcendis rebus naturalibus, ideò ſolùm ex parte favent opinioni noſtro aſſerto oppoſitæ, quam utpotè olim à gravibus Auctoribus traditam duriùs, quàm par eſt, excipit Amicus *diſp.* 10. *num* 4. eam reputans temerariam, meliùs Lugus *diſp.* 20. *num.* 3. & Suarez *diſput* 15. *ſect.* 3. §. *Ratio dubitandi* eam cenſent falſam, & minùs probabilem; nulli verò graviori cenſuræ obnoxiam; quamvis deinde ſi aliquis Doctor ſingularis negaret animæ Chriſti omnem prorsùs ſcientiam infuſam iſte quatenùs ſimul cum ſcientia infuſa per ſe negaret ſcientiam infuſam per accidens, non effugeret notam temeritatis; & quatenùs fortè negaret quoque ſcientiam beatam, quæ ex præmiſſis benè venit nomine ſcientiæ per ſe infuſæ notam temeritate majorem incurreret; hoc poſterius ſupponitur *ex præced. num.* 3. illud primum probat Suarez §. *præcitat.* 35.

Iudicium, & cenſura, de vario modo negandi Chriſto ſcientiam infuſam.

Probatur: Præter ſcientiam, qua Chriſtus ſupernaturali actu viſionis cognoſcit res in Verbo, datur ſcientia alia, qua actu, vel actibus ſupernaturalibus à viſione diſtinctis, cognoſcit res in proprio genere; ergo præter ſcientiam beatam datur in Chriſto ſcientia alia per ſe infuſa, quæ etiam, &c. Conſequentia patet; antecedens probatur, quia talis alia ſcientia eſt Chriſto tùm ut comprehenſori, tùm ut viatori, convenientiſſima; & ſpectat ad perfectionem animæ ejus: eſt convenientiſſima Chriſto ut comprehenſori, quia in cæteris omnibus comprehenſoribus præter ſcientiā beatam & conſequenter ad ipſam datur ſcientia aliqua per ſe infuſa, ut ſuppono ex *tr. de Beatitud. lib.* 3. *c.* 1. §. 1. Eſt convenientiſſima Chriſto ut viatori quia ut viator habere debuit cognitionem proportionatam ad merendum; 36.

Præter ſcientiam beatam datur in Chriſto ſcientia alia infuſa per ſe.

hæc

Digitized by Google

hæ: autem vix poterat eſſe alia, quàm cognitio ſcientiæ, per ſe infuſæ, nam cognitio ſcientiæ infuſæ per accidens, utpotè naturalis, erat inſufficiens ad merendum apud Deum; cognitio fidei divinæ in Chriſto non dabatur; cognitio ſcientiæ beatæ, de quâ ſolâ poteſt eſſe ratio dubitandi, inducit amorem Dei neceſſarium, adeóque ſaltem pro hoc actu, qui eſt ex genere ſuo maximè meritorius, & præcipua menſura meriti in cæteris, nequit ad
37. meritum deſervire: Spectat ad perfectionem animæ Chriſti, quia hæc ratione unionis hypoſtaticæ habet etiam conjuncta corpori modum operandi animæ ſeparatæ, eſt inſtructa omnibus donis Spiritus Sancti, poſtulat intellectum valde completum præſertim in ordine ſupernaturali; modus autem operandi animæ ſeparatæ eſt, quod cognoſcat res in proprio genere independenter à ſenſibus, ac phantaſmatibus, & talis eſt cognitio ſcientiæ per ſe infuſæ; dona Spiritus Sancti non dantur congruenter omnia ſine ſcientiâ per ſe infuſâ; intellectus in ordine ſupernaturali completus importat plures modos ſupernaturaliter cognoſcendi, adeóque præter modum cognoſcendi ſupernaturaliter in Verbo, modum alium cognoſcendi ſupernaturaliter in proprio genere, qui modus habetur à ſcientiâ per ſe infuſâ; ergo.

38. Confirmatur ex ſcriptura, quæ licèt, ubi de Chriſti doctrina & cognitione loquitur, referri poſſit ad ſcientiam aut beatam aut infuſam per accidens, adeóque non inferat tanquàm certam, & ſine cenſura innegabilem ſcientiam aliam à beata & infuſa per accidens, ei nihilominùs aliquando valdè favet, ut dum Jo. 7. Judæis cum admiratione quærentibus *Quomodò hic litteras ſcit, cum non didicerit* reſpondit Jeſus, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*, ubi tum ly *mea doctrina* relatè ad interrogationem Judæorum non videtur benè intelligi de doctrina ſcientiæ beatæ, tum ly *non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*, minùs propriè poteſt accommodari ſcientiæ infuſæ per accidens ejuſdemque rationis cum aquiſitâ: Item dum Apoſtulus *Coloſ.* 2. commendat in Chriſto Jeſu omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ; ubi ly *omnes* non ſolùm ad omnium rerum cognitionem, ſed etiam ad omnes cognoſcendi modos rectè extenditur.

Major ſcientiæ per ſe infuſæ confirmatio, ſicut & ſolutio difficultatum contrà ipſam militantium, habebitur mox explicando ejus modum & objectum; qualis ſcilicet in ſe ſit, & quaſnam res attingat; iſtud tractabitur, §. *ſeq.* illud eſt ſecunda præfixi tituli pars, ſub quâ tria potiſſimum placet expendere; Primũ eſt, utrùm ſciẽtia Chriſto per ſe infuſa importet ſpecies in repræſentando univerſales, aut etiam univerſaliores, vel ſaltem aliundè perfectiores Angelicis? Secundum, utrùm præter ſpecies importet aliquod ſupernaturale lumen, aut aliam qualitatem per modum habitus? Tertium, utrùm Chriſtus pro libito poſſit ſcientia per ſe infuſa uti tùm cum diſcurſu, tùm cum converſione ad phantaſmata?
39. Pro primo ſupponendum ex tract. de Angelis *lib. 2. cap. 1. §. 6.* quid ſint, & cur non repugnent? imò quòd de facto fuerint intellectui Angelico infuſæ ſpecies in repræſentando univerſales, quoad hoc enim Scholaſtici eodem ferè modo in præſenti, quo ibi, loquuntur; aſſirmant ſcilicèt in Chriſto univerſales ſpecies Thomiſtæ, Recentioreſque communiter; negant cum Scoto Scotiſtæ, aliique nonnulli; Major deinde, vel minor, univerſalitas apud Scotum & ſuos locum non habet; reliquos quaſi ex æquo dividit; Thomiſtæ collocant majorem univerſalitatem in Angelis, Recentiores penè omnes in Chriſto: Vaſquez *diſputat. 54. capit. 4. numero* 16. Lugus *diſput.* 20. *ſection.* 5. Madernus *quæſtio. 6. articulo 4. numero* 4. loquuntur dubitanter & videntur problematici, propendent tamen ad ſpecies univerſaliores ex parte Chriſti, imò Lugus & Madernus commendant opinionem Marſilij *in 3 diſt.* 14. *quæſt.* 10. *art.* 2. aſtruentis unicam in Chriſto univerſaliſſimam ſpeciem, quam inſuper probabilem cenſent Arriaga *diſput.* 58. *ſect. 4. numer.* 21. & Gabriel à Sancto Vincentio *diſputat. 11. dub. 13. numero* 570. Quibus poſitis ſit

Aſſert. 5. Scientia Chriſto per ſe infuſa, ſeù indita, importat ſpecies in repræſentando univerſales, quæ ſivè ſint Angelicis univerſaliores, ſivè non; quod tanquam valdè dubium haberi poteſt pro problemate; ſunt ſaltem aliunde Angelicis perfectiores. Prima pars eſt Thomiſtarum, & Recentiorum contrà Scotum & ſuos. Secunda eſt Vaſquij, Lugi, & Maderni; inter Recentiores verò cæteros, & Thomiſtas mediat tanquam problema, & neutros habet directè & poſitivè Adverſarios, ſicut nec Patronos. Tertia pars eſt Thomiſtarum cum D. Thoma *quæſt.* 11. *art.* 4 Scotiſtarum cum Scoto *in 3. diſtinct.* 14. *q.* 4. & Recentiorum communiter.

Probatur prima pars ſpecies in repræſentando univerſales ſunt accommodatæ ad repræſentandas in proprio genere clarè, & diſtinctè, non ſolùm quiditates & naturas in ſpecie, verùm etiam res ſingulas in individuo, & aliunde ſpectant ad majorem intellectus & intelligendi perfectionem; ergo ex primo capite poſſunt, ex ſecundo debent aſtrui in ſcientia Chriſto per ſe infuſa, ſeù indita, ad cognoſcendas res omnes in proprio genere; ergo hæc ſcientia illas ſpecies importat: antecedens ſupponitur *ex præcit. §. 6. de Angelis*; conſequentia probatur ex eo, quia ſcientia per ſe infuſa Chriſto conceditur titulo perfectionis intellectus, qui conſequenter ad unionem hypoſtaticam debet in eo eſſe magis completus, quàm in ulla alia natura creata. Confirmatur ex eo, quod in quolibet beato conſequenter ad viſionem datur ſcientia per ſe infuſa ſpeciebus univerſalibus conſtans; ergo à fortiori ſpeciebus univerſalibus conſtat ſcientia per ſe infuſa Chriſto Domino, in quo, & ad perfectiorem quàm in ullo alio beato viſionem, & non ad hanc ſolam ſed ſimul ad unionem hypoſtaticam, conſequitur. 40. Scientia Chriſto per ſe infuſa importat ſpecies in repræſentan. univerſale.

Dices: hinc probaretur in Chriſto ſpecierum univerſalitas non qualiſcunque, ſed major, quàm in ullo alio homine vel Angelo, ſivè viatore, ſivè beato; nam &

viſio in Chriſto eſt perfectior quàm in ullo alio creato intellectu, & præciſa viſione unio hypoſtatica eſt major quacunque perfectione, ſive naturali, ſivè ſupernaturali, ratione cujus poſſint alicui alij intellectui creato tribui univerſales ſpecies, & tamen nos ij ſi in ſecundâ aſſerti parte non audemus poſitivè aſtruere in Chriſto ſpecies univerſaliores, quàm in Angelis; multoque minùs ſpeciem unicam, licet

41. *præcit. cap. 1. num. 71.* permiſerimus deveniri poſſe ad Angelum omnia unica ſpecie intelligentem. Sed contrà: Hæc inſtantia eſt quidem mihi non contemnenda & ſufficiens, ut anceps ac problematicus hæream; at non ut univerſaliores in Chriſto ſpecies poſitivo judicio indubitanter affirmem, ab hoc quippè me retrahit auctoritas & ratio, quam ex Divo Thoma *q. 11. art. 6.* mox proferam, interim monео meo intento nihil obeſſe, quod idem S. Doctor *in 3 diſt. 14. art. 3 ad 4 quæſt.* oppoſitum ſcripſerit, nam vel id in ſumma poſteriùs conſcripta retractavit, vel ex eo quod aliquando magis, aliquando minùs univerſales Chriſto quàm Angelis, ſpecies tribuerit, arguitur ad ſummum non magis uni, quàm alteri favere ſententiæ, & fuiſſe inter utramque problematicum, ut & nos ſumus, ideò

Vtrùm univerſaliores angelicis? Problema.

Probatur ſecunda pars, in qua pro problemate habetur major, vel minor in Chriſto, quàm in Angelis ſpecierum à Deo infuſarum univerſalitas: Ex una parte certum eſt Deum abſolute loquendo potuiſſe tales ſpecies magis, vel minùs, univerſales angelicis pro libito infundere, nec ullum eſt ex revelatione veſtigium, quod inſinuèt, quale de facto fuerit ejus beneplacitum: ex alia parte rationes congruentiæ videntur utrimque æquiponderantes occurrere, ut fateberis, ſi rationem pro ſpeciebus univerſalioribus mox præallatam, quam etiam corroborare potes ex eo, quod Chriſtus ſicut in gratia & gloria, ità in omnibus alijs perfectioribus gratiam & gloriam conſequentibus Angelos ſuperavit; ſi, inquam, rationem hujuſmodi attentiùs conferas cum ea, quam pro ſpeciebus minùs univerſalibus cum ſuo Sancto Doctore

42. afferunt Thomiſtæ ſitam in eo, quod humanus intellectus animæ, ſivè conjunctæ, ſivè ſeparatæ, ſuaptè natura, & ex proprio operandi ac recipiendi modo, petat ſpecies minùs univerſales, quàm intellectus Angelicus; Deus autem etiam infundendo perfectiones ſupernaturales ſe accommodat naturis rerum & connaturali modo operandi ipſarum; quoties nullum aliunde ſequitur inconveniens, & licèt in Chriſto ſcientia per ſe infuſa commenſuretur quodammodo gratiæ, & gloriæ quoad ea, quæ ſe tenent ex parte objecti, vel Dei infundentis; non ſic quoad ea, quæ ſe tenent ex parte ſubjecti, & modi operandi ac recipiendi intellectus creati, qui ex genere ſuo, ſicuti petit habere connaturales ſpecies, non ſic gratiam & gloriam, ità ſpecies ipſas ſupernaturales petit recipere modo, quantùm fieri poteſt, connaturali, etiamſi hinc videatur impediri omnimoda ipſarum commenſuratio ad gratiam & gloriam. Majorem hujus rationis expoſitionem & confirmationem habes apud Joannem à S. Thoma *diſp. 14. art. 2.* & Gabrielem à S. Vincentio *diſput. 51. dub. 13.* ſicut & rationis oppoſitæ apud Suar. *diſp. 29. ſec. 1.*

Probatur tertia pars: Species per ſe infuſæ 43. Chriſto Domino (quidquid ſit de ipſarum univerſalitate, quæ etiam minor, ſi placet, ſupponatur) comparari poſſunt, vel ad ſpecies naturales infuſas Angelis viatoribus, vel ad ſpecies ſupernaturales infuſas Angelis beatis; atqui ſub utraque comparatione illæ ſunt iſtis perfectiores, tum in intenſione & claritate repræſentandi, tum in multitudine rerum, quas omnes ſimul repræſentant; ergo ſcientia Chriſto per ſe infuſa importat ſpecies (quidquid de univerſalitate ſit) aliundè angelicis perfectiores: Minor probatur; ſpecies per ſe infuſæ Chriſto Domino ſunt ex dicendis omnes in ſubſtantia ſupernaturales, etiam quæ inſerviunt cognitioni rerum naturalium; regulantur item ſupernaturali lumine eoque intenſiore, quàm ſit lumen regulans ſupernaturales ſpecies in alijs beatis; ergo titulo ſupernaturalitatis, tum propriæ, tum luminis, ſunt in entitate & in repræſentandi claritate perfectiores ſpeciebus naturalibus Angelorum viatorum, titulo deindè luminis intenſioris, inferentis majorem quoque perfectionem in ipſis ſpeciebus, ſunt ſimiliter in intenſione & repræſentandi claritate perfectiores ſpeciebus ſupernaturalibus Angelorum beatorum: Sunt inſuper utriſque perfectiores in 44. multitudine rerum, quas repræſentant; quia ex mox dicendis de objecto ſcientiæ infuſæ Chriſto Domino, & ex dictis alibi de rebus repræſentatis per ſpecies Angelicas, ſive naturales infuſas illis initio creationis, ſive ſupernaturales infuſas initio beatitudinis, facilè conſtat multò plura repræſentari per ſpecies infuſas Chriſto Domino quam per ſpecies angelicas: eſt & quædam ſpecialis perfectio, qua ſpecies Chriſti circa futura contingentia, & ſecreta cordium, ſpecies angelicas ſuperant, iſtæ enim ex tract. de Angelis *lib. 2. cap. 2. §. 6. & 10.* ſunt modificatæ & limitatæ ad non repræſentanda in ſe ipſis ſua objecta, niſi ſuppoſita ex parte objectorum aliqua conditione, quæ quidem eſt actualis exiſtentia reſpectu futurorum, elicientis manifeſtatio reſpectu ſecretorum cordis, cum tamen eorumdem objectorum ſpecies Chriſto Domino infuſæ ſint ab hujuſmodi modificatione & limitatione abſolutè, nec aut pro futuris actualem exiſtentiam, aut pro cordium ſecretis manifeſtationem elicientis, expectent ad ea in ſe ipſis repræſentanda.

Sunt verò certè angelicis perfectiores.

Dices: Dantur in Angelis ſpecies repræſentativæ plurium rerum naturalium quidditativè & comprehenſivè; ergo ſaltem pro hujuſmodi rebus non ſunt perfectiores ſpecies Chriſto infuſæ; non enim apparet, quomodò poſſit clariùs & certiùs res repræſentari, quàm dum repræſentatur quidditativè & comprehenſivè; quod eſt idem ac dicere repræſentatur, ut eſt in ſe tota & totaliter. Accedit quod minus univerſale continetur perfectiore modo in magis univerſali, tanquam inferius in ſuperiore, & tanquam virtus diſperſa in virtute unitâ; ſi igitur ſupponatur, ut nos ſupponi

permitti

permittimus, ſpecies Chriſto infuſas eſſe angelicis minùs univerſales, non poteſt ampliùs cohærenter dici, quod ſint iiſdem perfectiores; imò erunt imperfectiores, & In-

45. feriores Sed contra: Sicuti objectum à ſuperiore intellectu poteſt ſupercomprehendi, & terminare cognitionem comprehenſione perfectioremita ſpecies, quæ ſit à ſuperiore agente infuſa, non ab objecto accepta, poteſt eſſe ſupercomprehenſiva, & repræſentare objectum perfectiùs, clariùs, ac certiùs, quàm cumprehenſiva repræſentet, & certè, cum per nos ſpecies Chriſto infuſæ, de quibus nunc agitur, ſint omnes ſupernaturales, videtur liquido conſtare, quomodò poſſint clariùs ac certiùs repræſentare, quàm ſpecies naturales etſi comprehenſivæ, clariùs quidem, quia manifeſtant in objectis occultiores rationes, futura ſcilicet contingentia & ſecreta cordium, quæ non manifeſtantur per ſpecies naturales; certiùs verò, quia ſupernaturales ſpecies ſunt quaſi imagines formatæ à ſolo Deo, quis autem dubitet imaginem formatam à ſolo Deo minùs poſſe deficere ab aſſimilatione cum prototypo & vera ejus expreſſione quàm imaginem formatam à principio creato? Deinde,

Quomodò una ſpecies poſſit eſſe perfectior alia, etiamſi comprehenſiva

46. nonne claritas & certitudo ſupernaturalis eſt ex genere ſuo major naturali? ergo. Ad illud, quod additur, dico ſolum, quando cætera ſunt paria & fit comparatio inter res ejuſdem ordinis, minùs univerſale contineri perfectiore modo in magis univerſali; in propoſito, ut ex jam dictis conſtat, non habemus cætera paria, nec verſamur inter res ejuſdem ordinis, ideò &c. Non negaverim tamen in ſpeciebus Angelicis ex majori univerſalitate argui aliquam majorem perfectionem ſecundum quid, & ſub aliquâ ſpeciali ratione; at cum hoc ſtat ſpecies Chriſti Domini eſſe perfectiores ſimpliciter, & ſub principaliore ratione, qua reſpiciunt objectum cujus ſunt vicariæ, & principium cujus ſunt effectus.

47. Aſſert. 3. Scientia Chriſto per ſe infuſa præter ſpecies importat ſupernaturale lumen, quod probabilius eſt diſtingui à lumine gloriæ; neceſſe deinde non eſt præter tale lumen, & ſpecies ponere aliam diſtinctam qualitatem per modum habitus. Primam partem tradunt D. Thomas *hic q.11. art. 6. ad 3. & in 3. diſt. 14. art. 3. ad 4. quaſt.* Joannes à S. Thoma *diſp. 4 art. 3.* Gabriel à S. Vincentio *diſput. 11. dub. 10.* Suarez *diſp. 29 ſect. 2.* Amicus *diſp. 20. ſect. 2* cæterique tùm Thomiſtæ, tùm Recentiores, magis communiter contra Vaſquium *hic diſp. 54. c. 2.* Valentiam *q. 11. punct. 1.* aliosque nonnullos. Secundam partem tradunt Gonetus *diſp. 17. n. 136.* Gabriel à S. Vincent. *pracit. dub. 10. n. 145.* Amicus *pracit. ſect. 1. n. 128.* Lugus *diſp 20 n 61.* Madernus *q. 6. art. 4. n. 5.* & quicunque alij quæſtionem hanc agitant, contrà Suar. *pracit. diſp. 29. ſect. 4.* qui tamen dubitanter loquitur & ratiocinium ſuum concludit dicendo *quia res nova eſt, nolo eam omninò definire.* Tertiam tradunt, aut ſupponũt, Scholaſtici ferè omnes contrà aliquos Recentiores (inter quos ut refert Gabriel à S. Vincentio *n. 135.* videtur eſſe Iſambertus) diſtinguentes in ſcientia infuſa præter ſpecies duplicem habitualem qualitatem, alteram per modum luminis, alteram per modum ſcientiæ, ſeù habilitatis ſcientificæ.

48. Probatur prima pars: Mediante ſcientia per ſe infuſa humanus Chriſti intellectus elicit ſupernaturales actus; ergo ſcientia Chriſto per ſe infuſa præter ſpecies importat ſupernaturale lumen; antecedens patet, conſequentia probatur, quia humanus intellectus ad eliciendos ſupernaturales actus indiget ſupernaturali elevatione, quæ, ut perfecta ſit & facta modo connaturali, debet haberi à ſupernaturali qualitate permanenter infuſa ſolita appellari ſupernaturale lumen; ut exemplificari poteſt in actibus fidei & viſionis, inter quos videntur eſſe medij actus ſcientiæ infuſæ.

Scientia Chriſto per ſe infuſa præter ſupernaturales ſpecies importat ſupernaturale lumen.

Dices: benè eſt intellectum indigere elevatione, at hanc in propoſito ſufficienter haberi à ſpeciebus, quæ à nobis ſupponuntur ſupernaturales, & in univerſum pro actu ſupernaturali requiri ex parte humani intellectus aliquod comprincipium elevans; at hoc poſſe eſſe ſpecies æquè ac lumen, adeò ut ſicuti ad ſupernaturales actus fidei divinæ ſufficiunt ſpecies naturales cum ſupernaturali lumine, ità ad ſupernaturales actus ſcientiæ infuſæ ſufficiat naturale lumen cum ſupernaturalibus ſpeciebus: Vel ſicuti ſupernaturale gloriæ lumen, ſivè dicatur exercere munus ſpeciei, ſivè non, ſimul cum intellectu producit ſupernaturalem actum viſionis ſine diſtincta ſpecie, ita in re noſtra ſupernaturales ſpecies, ſivè dicantur munus luminis exercere, ſive non ſimul cum intellectu producant ſuos ſupernaturales actus abſque ullo diſtincto lumine.

49. Sed contra: ſpecies ſe tenent ex parte objecti & præſtant objectivum concurſum; id autem quod elevat potentiam debet ſe tenere ex parte potentiæ, hancque complere in ratione propria, non in ratione objecti, aliavè ratione diverſa; elevatio igitur, qua indiget potentia intellectiva ex ſe ad ſupernaturalem actum improportionata, & ex parte ſui incompleta, ſufficienter & connaturaliter non habetur à ſpeciebus, quamvis ſupernaturalibus; nec in univerſum pro ſupernaturali actu ſufficit ex parte intellectus ſupernaturalitas ſpeciei æquè ac luminis; paritas deſumpta à ſupernaturali actu fidei divinæ malè ſupponit naturales ſpecies ad ipſum concurrere, & quando concurrerent, eſſet ſpecialis ratio, cur rectè & connaturaliter elevarentur iſtæ ab aliquo ſe tenente ex parta potentiæ, potiùs, quàm potentia ab aliquo ſe tenente ex parte objecti, ut tradebamus in terminis *tract. praced. lib. 2. cap. 7. §. 5.* Paritas deſumpta à lumine gloriæ malè ſupponit ad actum viſionis nihil concurrere præter intellectum, & lumen; ſimul enim concurrit & influxum objectivum præſtat divina eſſentia, tanquàm eminentiſſima ſpecies, ut ſuppono ex tract. de Deo uno *lib. 2. cap. 3. §. 2. & 3.* ubi & alibi ſparſim *eod. lib.* plura reperies præſenti intento accommodata.

50. Probatur ſecunda pars: nam præter quod diſtinctio luminis gloriæ à lumine ſcientiæ per ſe infuſæ conducit, tùm ut hæc congruentius tribuatur Chriſto etiam ut viatori & in

Diſtinctam & diverſum à lumine gloriæ.

ordine ad meritum, tum ut eadem meliùs ſecernatur à ſcientia beata; cum alioqui lumen gloriæ viatori ut tali minùs congrue tribuatur, nec poſſit vitari confuſio aliqua ſcientiæ per ſe infuſæ cum beata, ſi utraque ex parte habitus importat idem lumen; præter hoc, inquam, quod eſt argumentum congruentiæ à poſteriori, non deeſt à priori argumentum validius, quod ſic formari poteſt: lumen gloriæ, & lumen ſcientiæ infuſæ, reſpiciunt diverſas rationes formales, ſeù habent diverſa objecta formalia, ergo ſunt diſtincta lumina; conſequentia patet, quia potentiæ & habitus, etiam per ſe infuſi, cujuſmodi ſunt lumina, de quibus in præſenti, habent pro ſpecificativo & diſtinctivo objecta formalia rationeſivè formales, & eſt propoſitio tuta & à nobis ipſis ſæpiùs tradita, quòd nulla potentia, nulluſve habitus, poſſit extēdi ultrà propriam rationem formalem, antecedens probatur, lumen gloriæ habet pro ratione formali aliquid increatum, ipſam ſcilicet divinam eſſentiam, quæ eſt objectum formale & motivum, cur ipſa in ſe, & alia in ipſa, mediante gloriæ lumine videantur; lumen ſcientiæ infuſæ habet pro objecto formali aliquid creatum, proprias ſcilicet rerum creatarum ſpecies moventes ad cognoſcendas res ſingulas in ſeipſis, & in proprio genere, atqui increatum & creatum, divina eſſentia & ſpecies infuſæ, ſunt diverſæ rationes formales; ergo.

51. Valida ratio dubitandi pro indiſtinctione unius luminis ab alio.

Dices divinam eſſentiam eſſe rationem formalem primariam, at non adæquatam luminis gloriæ; quia ex una parte novum non eſt eundem habitum infuſum habere pro ſua ratione formali, tum aliquid increatum, tum aliquid creatum; ſic ratio formalis habitus fidei eſt divina tum veracitas, quæ quid increatum, tum revelatio quæ quid creatum; ex alia parte ſpecies per ſe infuſæ, utpotè ſupernaturales, ſunt ſpeciales participationes divinæ eſſentiæ, ejuſdemque cum ipſa ordinis; eadem autem virtus, idemvè habitus attingens id, quod eſt per eſſentiam tale, attingit participationes ejus ad eundem ordinem pertinentes, illud per ſe primò, iſtas ſecundariò & conſequenter; ſic idem habitus charitatis habet pro ratione formali per ſe primò bonitatem divinam ut eſt in ſe talis per eſſentiam, ſecundariò verò bonitatem divinam per participationem, ſeù participationem ſupernaturalem divinæ bonitatis; ſpectat quippè ad habitum Theologicum charitatis diligere proximum non ſolùm propter Deum, ſed etiam propter gratiam ſanctificantem, aliaque dona ſupernaturalia. Confirmatur mediante lumine gloriæ poteſt actu ſcientiæ infuſæ cognoſci ipſum lumen gloriæ; ergo & quodlibet aliud ſcientiæ infuſæ objectum, præſertim ſupernaturale; antecedens probatur, quia nullum lumen poteſt eſſe lumini gloriæ magis proportionatum, quàm ipſummet lumen gloriæ, & cum poſſit inſervire ad cognoſcendum ſeipſum perfectius per ſcientiam beatam in Verbo, poterit à fortiori inſervire ad cognoſcendum ſe minus perfectè per ſcientiam infuſam in proprio genere: Totum hoc latius proſequitur Suarez *præcitata ſectione quarta*, hincque dubius eſt, & anceps, hinc nos quoque dictum noſtrum temperavimus modificatione illa *probabilius*, ut indicaremus non omnino carere probabilitate oppoſitum, quod tamen, ſicut & hujus inſtantiæ doctrinam, improbamus. Ideò

52. Occurritur prædictæ rationi dubitandi.

Loquendo de lumine gloriæ, quod nunc in beatis reperitur, nego divinam eſſentiam eſſe rationem formalem ejus primariam dumtaxat, non adæquatam: Ad primam probationem quidquid ſit utrùm divina revelatio quatenùs quid creatum fidem ſpecificet, dico aliud eſſe, quòd reſpectu alicujus habitus detur ratio formalis indiviſibiliter conſurgens ex aliquo increato & ex aliquo creato, ſicut ex divina veracitate & revelatione indiviſibiliter conſurgit formalis ratio fidei, aliud, quod reſpectu alicujus habitus detur ratio formalis abſtrahens à creato & increato; adeò ut talis habitus poſſit in ſuos actus exire modo ſub ratione formali purè increatâ, modo ſub aliâ purè creatâ, ut eveniret in caſu noſtro: Ad ſecundam probationem dico habitum attingentem id, quod eſt per eſſentiam tale, attingere poſſe participationes ejus per modum objecti materialis, at non per modum rationis formalis, hanc enim unam & eandem debet habitus reſpicere in omnibus ſuis actibus, & variare ſolum poteſt objecta materialia; nec verum eſt habitum charitatis habere pro ratione formali bonitatem, tùm divinam per eſſentiam, tùm divinam per participationem; & quamvis Suarez, qui hoc ſuo loco docuerat, arguat modo conformiter ad ſua principia, ejus argumentum apud nos peccat falſitate ſuppoſiti, & ex eo quod in tractat. de Virtut. Theolog. *libro ſecundo, capite quarto paragrapho ſecundo*, docuimus charitatem habere pro ratione formali ſolam bonitatem divinam talem per eſſentiam, formari à nobis poteſt argumentum omninò oppoſitum argumento Suarezij & certè quæ tunc dicebamus de charitate valdè corroborant ea, quæ nunc dicimus de gloriæ lumine. Ad confirmationem nego antecedens, & dico lumen gloriæ poſſe ſolum inſervire ad cognoſcendum ſe actu viſionis in Verbo, & in ordine ad hunc modum cognitionis nullum lumen eſt ei magis proportionatum quam ipſummet: Nec refert, quòd modus cognitionis in proprio genere ſit minùs perfectus, nam quod inſervit ad cognitionem magis perfectam poſſe à fortiori inſervire ad minùs perfectam, procedit ſolùm quando utraque cognitio eſt ſub eadem ratione formali.

53. Scientia Chriſto per ſe infuſa præter ſpecies ſupernaturales, & ſupernaturale lumen, nō importat aliam ſupernaturalem qualitatem.

Probatur tertia pars: Poſito ſupernaturali lumine & ſpeciebus dantur omnia ex parte actus primi requiſita ad actuale exercitium ſcientiæ infuſæ; ergo neceſſe non eſt præter tale lumen & ſpecies ponere aliam diſtinctam qualitatem &c. conſequentia patet; antecedens probatur per ſpecies habetur id quod requiritur ex parte objecti, per lumen id quod requiritur ex parte potentiæ, id ſcilicèt, quo potentia elevatur & habilitatur; ergo poſito ſupernaturali lumine, & ſpeciebus dantur, &c. Confirmatur primò ex eo, quia Scientia beata

poſitis

poſitis gloriæ lumine, & divina eſſentia tanquam eminentiſſima ſpecie, non requirit ex parte actus primi aliam qualitatem per modum habitus, ſicuti pariter hanc in intellectu non requirit fidei virtus poſitis lumine infuſo & ſpeciebus rerum credendarum; ergo neque talem qualitatem requirit ſcientia per ſe infuſa, cum præſertim habeat lumen medium inter infuſum fidei lumen, & lumen gloriæ. Nec refert, quod in naturalibus præter naturale lumen intellectui inditum detur pro qualibet ſcientiâ ſua qualitas per modum habitus. Non refert, inquam, quia iſta qualitas in naturalibus per nos ſunt ipſæmet ſpecies intentionales, adeóque neque in naturalibus ſcientiis datur alia qualitas præter ſpecies, & lumen; quando tamen daretur, præſto eſſet diſparitas, quia naturale lumen intellectui inditum, utpotè ab intellectu indiſtinctum, nequit habere propriam rationem habitus.
54. Confirmatur ſecundò, iſta alia qualitas in ſcientia infuſa, vel daretur ad ſimpliciter, vel ſolùm ad facilitatem: Non primum, quia recurrit præcedens argumentum, & præteriâ ſicuti in naturalibus ad ſimpliciter poſſe ſufficiunt intellectui ſpecies & proprium lumen innatum, ita in ſupernaturalibus debent ſufficere ſpecies, & ſupernaturale lumen infuſum: Non ſecundum, quia nullus habitus ſupernaturalis in ſubſtantia, & per ſe infuſus, datur ad facilitatem; qualitas igitur, quæ ad facilitatem daretur non poſſet habere rationem habitus, niſi aquiſiti; nec poſſet ingredi rationem ſcientiæ per ſe infuſæ.

55. De potentia abſoluta eadem qualitas poteſt æquivalere ſpeciebus, & lumini, reſpectu ſcientiæ infuſæ.

Hucuſque dicta præſertim pro prima, & ſecunda, aſſerti parte, procedunt quoad de facto & attento connaturaliore divinæ providentiæ modo; cæterùm de poſſibili, & attenta abſoluta Dei potentia, non repugnat qualitas; quæ ſit ſimul ſpecies & lumen, vel quæ ſit lumen inſerviens ſcientiæ beatæ, ſimul & ſcientiæ infuſæ: Primum attingit Arriaga *diſputatio.* 38. *numero* 15. contrà Lugum *diſputatio. vigeſima, numero quinquageſimo quinto*, & valdè cohæret cum eo quod tractatu de Deo uno *libro ſecundo, capite tertio, numero ſexto*, ſuppoſuimus non repugnare qualitatem, quæ ſit ſimul lumen gloriæ, & ſpecies impreſſa, reſpectu viſionis Dei. Secundum deducitur ex eo, quod in tract. de Virtut. Theolog ſæpè diximus habitus per ſe infuſos imitari potentias, poſſe influere in actus ſpecie diverſos, & habere rationes formales valdè univerſales, imò etiam loquendo de potentia abſoluta, tùm præmemorato tractat. de virtut. Theolog. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 71. tùm tractat. de Gratia *lib.* 3 *cap.* 1. *num.* 68. cenſuimus non repugnare aliquam unam qualitatem æquivalentem omnibus ſimul habitibus, ad quam nõ repugnantiam propendet quoque in præſenti Lugus *præcit. diſp.* 20. *num.* 57. à fortiori igitur non repugnat qualitas æquivalens lumini ſcientiæ beatæ & lumini ſcientiæ infuſæ, ſieque valens utriuſque ſcientiæ actibus inſervire, & habens pro ratione formali medium quodcunque ſupernaturale evidens, ſivè hoc medium ſit ſpecies increata repræſentans res in Verbo, ſivè ſit ſpecies creata repræſentans res in proprio genere. Neque hinc ceſſat neceſſitas diſtinguendi de facto unum lumen ab alio adeò ut proptereà utrumque lumen, aut potiùs utriuſque luminis munus, collocandum ſit de facto in unica qualitate ex regula generali non multiplicandi, nec diſtinguendi, ſine neceſſitate entitates. Non ceſſat, inquam, ſicuti nec ceſſat pro diſtinguendis de facto in intellectu, & voluntate, pluribus aliis habitibus infuſis, & cum aliquos tenęamur omninò diſtinguere, eò quòd aliquando inveniantur ſeparati; ab iſtorum diſtinctione & reſtricta ratione formali rectè ducimur ad judicandum proportionaliter de diſtinctione & reſtricta ratione formali cæterorum, ut magis expendit Lugus *præcitata diſputatio. vigeſima, numero quinquageſimo nono*, & in particulari neceſſitas diſtinguendi habitus luminum, de quibus agimus, habetur ſufficienter ex tota probatione ſuprà poſita, & ex unanimi auctoritate Scholaſticorum talem diſtinctionem aſſerentium.

56. Poteſt item æquivalere lumini ſcientiæ beatæ, & lumini ſcientiæ infuſæ.

57. Ex his habes quid reſpondeas quærenti, utrùm ſcientia per ſe infuſa ſit habitus unus, & ſimplex; an multiplex ſeù compoſitus, ex multis? quod idem eſt, ac quærere, utrùm habeat homogeneitatem, an ethetogeneitatem extenſivam? juxta horum terminorum explicationem traditam tractatu de Deo uno *libro* 2. *capite* 5. *numero* 39. & denuò refricatam in tractatu de Virtut. Theologic. *lib.* 1. *capite* 7. *num.* 5. Reſpondendum eſt autem habitum ſcientiæ per ſe infuſæ, ſi accipiatur prout ſimul importat lumen & ſpecies, quæ quidem acceptio non eſt impertinens, quia cum in Philoſophia habitus ſcientiarum naturalium à ſpeciebus non diſtinxerimus, adeóque ſpecies naturales habeant propriam rationem habitus, non eſt, cur etiam in ſuo ordine nequeant propriè dici habitus ſpecies ſupernaturales; ſi inquam, accipiatur prout ſimul importat lumen & ſpecies, eſſe multiplicem ſeù compoſitum & ethetogeneum; eſſe verò unum ſimplicem, & homogeneum, ſi accipiatur præcisè pro lumine, quod ſolùm ſecundùm uſitatiorem, potioremque acceptionem, venit nomine habitus in ſcientia per ſe infuſa: Primum patet, quia ex jam dictis lumen & ſpecies ſunt de facto diverſæ qualitates; ipſæ quoque ſpecies ſunt inter ſe non ſolùm plures, verùm etiam diverſæ ac ethetogeneæ, & ſecundùm opinionem eas facientem minùs univerſales Angelicis ſunt tot diverſæ inter ſe, quot ſunt diverſæ naturæ ſpecificæ, quas repræſentant. Secundum eſt Medinæ *hic q.* 11. *art* 6 Goneti *diſp* 17. *n.* 135. Suar. *diſp* 19 *ſect.* 3. Amici *diſp* 20. *n.* 123. Arriag. *diſp.* 38. *ſect.* 4 & aliorum plurium contrà Cabreram *hic q.* 11 *art.* 6. *diſp.* 6. Ioan. à S. Thom. *diſp.* 14 *art.* 3. Lugum *diſp.* 20. *n.* 59. alioſque nonnullos; at cohæret in primis doctrinæ, quâ *præcit. c.* 5 *&* 7. poſuimus, tùm lumen gloriæ, tùm lumen fidei, eſſe ſimplicem qualitatem, nec in lumine ſcientiæ infuſæ ad diverſimodè ſentiendum cogit ſpecierum ei inſervientium diverſitas; nam præter quòd in hac diverſitate nos fere fuimus problematici, rectè Divus Thomas *in* 3. *diſtinctione decima quarta, articulo tertio, quæſtiuncula* 4. *ad* 3. docet

Scientia per ſe infuſa in aliquo ſenſu non eſt ſimplex, & unus habitus.

58.

Talis tamen ſcientiæ lumen eſt ſimplex, & una qualitas.

fieri

fieri habitum diverſum ſolùm ex diverſitate ſpecierum, quæ non reducuntur ad eundem modum cognitionis ſecundùm genus, ſicuti tamen reducuntur ſpecies ſcientiæ infuſæ, quæ quomodocumque ſupponantur inter ſe differre, omnes pertinent ad cognitionem ſupernaturalem entis creati in genere proprio; cum ratio entis creati ſupernaturaliter cognoſcibilis in genere proprio ſit ratio ſpecificativa, ſeu objectum formale ſcientiæ, per ſe infuſæ Chriſto Domino: Nec ſibi contrarius, aut, retractando quod *in* 3. tradiderat, nobis adverſarius eſt S. Doctor *hic quæſt.* 11. *art.* 6. *in c.* ſta-
59. tuens diverſa ſcibilium genera, & inferens, *ideò ſcientia indita animæ Chriſti fuit diſtincta ſecundùm diverſos habitus*; Contra enim loquitur Angelicus de diverſis generibus ſcibilium materialium, non formalium, reſpectu ſcientiæ Chriſti; & infert diverſos habitus ex parte ſpecierum, non ex parte luminis. Quod ſi urgeas hujuſmodi ſcibilia eſſe diſtinguenda etiam in ratione objecti formalis ex eo, quod ſicuti reſpectu voluntatis Chriſti dantur de facto diverſa formaliter genera volibilium, quibus reſpondent diverſi habitus infuſi virtutum moralium, ità reſpectu intellectus ejuſdem dentur diverſa formaliter genera ſcibilium, quibus correſpondeant diverſa lumina infuſa, tanquam diverſi habitus ſcientifici. Impugnaberis ex Amico *precit. diſput.* 10. *num.* 125 dicente reſpectu intellectus ipſam diverſitatem ſpecierum eſſe proximum determinativum ad illam diverſitatem actuũ, pro quâ voluntas ſpeciebus carens indiget connaturaliter determinari mediante diverſitate habituum ſe tenentium ex parte potentiæ.

60. Aſſert. 4. Scientia Chriſto per ſe infuſa ſuâpte naturâ, neque requirit diſcurſum, neque converſionem ad phantaſmata; utrumque tamen permittit, & poteſt Chriſtus pro libito eâ ſcientiâ uti, vel diſcurrendo, vel ſe ad phantaſmata convertendo. Prima pars eſt contrà Durandum *in* 3. *diſt.* 14 *quæſt.* 3. *num.* 7. alioſque nonnullos, qui tamen dum contendunt ſcientiam Chriſto infuſam debere eſſe ejuſdem rationis cum acquiſitâ, potiùs negant illam eſſe per ſe infuſam, quàm in ſcientiâ per ſe infuſâ aſſignent neceſſitatem diſcurſus & converſionis ad phantaſmata: Secunda pars eſt contrà Vaſquium *diſput.* 52. *cap.* 2. *&* 3. Lugum *diſp.* 10. *ſect.* 6. & quoad diſcurſum eſt inſuper contrà Bonaventuram *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 2. Richardum *ead. diſt. art.* 4. *quæſt.* 3. Suarium *diſput.* 28 *ſection.* 1. Iſambertum *quæſt.* 11. *diſp.* 7. *art* 2. alioſque nonnullos. Utraque pars eſt D. Thom. *quæſt.* 11. *articul.* 2. *&* 3. Scoti *in* 3. *diſt.* 14 *quæſt.* 3. in fine, & Thomiſtarum, Scotiſtarumque communiter, nec non plurium Recentiorum.

61. Probatur prima pars: Scientia Chriſto per ſe infuſa ex hoc ipſo, quod eſt per ſe infuſa, nequit in ſui productione requirere, aut progreſſum diſcurſivum, aut ſenſuum operationem, deputationemque phantaſmatum; eſt enim hoc propriiſſimum ſcientiæ requiſitæ, per propriam ſcilicet inventionem, aut experientiam comparatæ; atqui ſcientia eo modo ſe habens in ſui productione nequit ſuâpte naturâ requirere in uſu diſcurſum, aut converſionem ad phantaſmata; ergo ſimpliciter & abſolutè, id eſt tùm in productione, tùm etiam in uſu, ſcientia Chriſto per ſe infuſa ſuaptè natura, &c. Minor probatur; quòd ſcientia in ſui productione nequeat requirere, aut progreſſum diſcurſivum, aut ſenſuum operationem, provenit ex perfectione ſpecierum, quæ univerſales ſint, & ſingulæ repræſentativæ tùm plurium rerum, tum ſingularium, etiam occultiorum, immediatè in ſe ipſis; atqui ſtante hac perfectione ſpecierum ſcientia nequit in ſui uſu requirere diſcurſum, aut converſionem ad phantaſmata; cum diſcurſus requiratur pro comparanda notitia mediata, ubi deeſt modus habendi immediatam; & converſio ad phantaſmata ſit quædam ſpeciei intellectualis cum phantaſmate comparatio, quæ tunc ſolùm poteſt eſſe neceſſaria, quando illa ex iſto deſumpta eſt, & propterea neceſſe ſit, quòd iſti tanquam ſuo principio conformis inveniatur ad hoc, ut cenſeatur benè repræſentativa ſui objecti, quod ſupponitur eſſe à parte rei eo modo, quo fuit in ſenſu, & deinde in phantaſmate; ergo.

Scientia per ſe infuſa nec diſcurſum requirit, nec conventionem ad phantaſmata.

Dices totam hanc probationem rectè procedere de ſcientia per ſe infuſa conſiderata abſolutè, & præcisè ex parte ſui, aut etiam relatè ad intellectum ſeparatum, vel independentem à corpore; non ſic relatè ad intellectum corpori unitum, & alligatum modo operandi cum dependentia à ſenſibus, qualis eſt intellectus Chriſti Domini in ſtatu viæ, & vitæ mortalis; in Chriſto igitur, quamdiù fuit mortalis & viator, ſcientia per ſe infuſa, ſaltem ut ſe accommodans conditioni ſubjecti, requirebat in ſui uſu diſcurſum converſio-
neioque ad phantaſmata. Sed contrà: Jam 62.
ſæpiùs dictum eſt animam Chriſti in ipſo ſtatu viæ, & vitæ mortalis, habuiſſe facultatem operandi ad modum animæ ſeparatæ, & à corpore independentis; undè etiam D. Thomas *præcit. art.* 2. *in c.* non aliundè, quàm ex facultate ſic operandi, probat Chriſto ad uſum ſcientiæ per ſe infuſæ, non fuiſſe neceſſariam converſionem ad phantaſmata.

Probatur ſecunda pars, quæ quidem quatenùs aſtruit ſcientiam per ſe infuſam diſcurſum permittere, & poſſe Chriſtum pro libito ea uti diſcurrendo, minorem habet difficultatem in noſtris principijs, quam in principijs Thomiſtarum omnem prorsùs diſcurſum formalem ab Angelis excludentium; undè nos, qui liberaliùs ſentientes admiſimus in iſtis liberam facultatem utendi cum diſcurſu ſpeciebus ſibi inditis, procedimus cohærentiùs, & ſatis eſt in præſenti, quod Chriſto accommodemus ea, quæ de Angelis dicebamus in ipſorum tractatu *lib.* 4. *cap.* 1. §. 3. Quatenùs verò
eadem ſecunda pars permittit Chriſto uſum 63
ſcientiæ per ſe infuſæ cum converſione ad phantaſmata, non habet quicquam commune Angelis, qui ſicut à corpore & ſenſibus, ita à phantaſia & phantaſmatibus ſunt omninò alieni, probatur igitur ſpecialiter in Chriſto ex eo, quod ipſe eſt inſtructus phantaſia & capax phantaſmatum, præſertim circa res ſenſibiles, quæ per ſenſibile medium, quale eſt

Permittit tamen in Chriſto diſcurſum pro ipſius libito.

Sicut & ad phantaſmata converſionem.

eſt phantaſma, poſſunt ſub proprio & quidditativo conceptu attingi nec ab actu ſcientiæ infuſæ impeditur, quin circa idem objectum eliciat operationem ſenſitivam & actum phantaſiæ; ergo cognoſcendo per ſcientiam aliquid ſenſibile poteſt pro libito ad hoc ipſum applicare phantaſiam, & experiri quodammodo, Utrùm inter naturale phantaſma, & ſpeciem ſupernaturalem infuſam, detur in tali objecto repræſentando conformitas? hoc autem cur non erit uti ſcientia infuſa convertendo ſe ad phantaſmata, ſeu phantaſmata ſpeculando?

Dices hac ratione probari in Chriſto meram concomitantiam actus ſcientiæ infuſæ cum actu phantaſiæ; at mera actuum concomitantia non ſufficit, ut intellectio dicatur fieri cum converſione ad phantaſmata, & ut intelligens phantaſmata ſpeculetur; nam hoc loquendi modo inſinuatur aliqua dependentia intellectus à phantaſiâ, aliqua phantaſmatis in intellectionem cauſalitas, quæ nequit reperiri in pura concomitantia: præter quòd, ſi iſta ſufficeret etiam uſus ſcientiæ beatæ admitteret converſionem ad phantaſmata; nihil enim prohibet, quin Chriſtus, aut quilibet beatus applicet phantaſiam ad cognoſcendum objectum ſenſibile, quod ſimul in

64. Verbo videat. Sed contra: mera quidem concomitantia operationis intellectus, & phantaſiæ, non ſufficit, ut intelligens phantaſmata ſpeculetur, requiritur ulterius operationis utriuſque connexio ſeu coordinatio; at hæc poteſt haberi, vel per dependentiam actus intellectus ab actu phantaſiæ, vel quaſi ex oppoſito per conſecutionem quamdam actus phantaſiæ ad actum intellectus: Primum evenit in nobis pro hac vita mortali; Secundum in Chriſto, quatenùs ex imperio & dominio intellectus ſuprà phantaſiam poterat huic imperare actum aliquem tanquam miniſtrantem, ſeu ſubſervientem ſcientiæ infuſæ; & hac deindè uti non omninò abſolutè, ſed cum comparatione ſeu relatione ad phantaſma antecedenter imperatum, ut magis explicat Ioannes à S. Thoma *diſp.* 16. *art.* 1. *num.* 7. 8. *&* 9. Neque dicas hanc terminorum explicationem eſſe gratis excogitatam, nec ſaluari in Chriſto converſionem ad phantaſmata ejuſdem rationis & ſignificationis cum eâ, quæ in nobis fit. Contra enim: Sicuti in nobis phantaſia imperat quodammodo & dominatur intellectui; ex oppoſito in Chriſto; ita non gratis, ſed cum magna proportione, & ratione, converſio intelligentis ad phantaſmata explicatur in Chriſto modo quaſi oppoſito, ac explicetur in nobis; nec utraque eſſe poteſt ejuſdem omninò rationis & ſignificationis, cum una ſit ex neceſſitate & indigentia; alia ex libertate & abundantia: Præter quòd converſio ad phantaſmata affinis ei, quam Chriſto tribuimus, in nobis ipſis non deeſt dicente D. Thoma *in* 3. *diſt.* 14. *artic.* 3. *quæſtiunc.* 3. quod intellectus noſter habet ſe ad phantaſmata dupliciter: *Uno modo ſicut accipiens à phantaſmatibus ſcientiam, quod eſt in illis, qui nondum ſcientiam habent; ſed motum, qui eſt à rebus ad animam: Alio modo ſecundùm motum qui eſt ab animâ ad res, in quantum phantaſmatibus utitur quaſi exemplis, in quibus inſpicit quod conſiderat, cujus tamen ſcientiam priùs habebat in habitu.* Ad

Duplex talis converſionis modus.

65. illud, quod addebatur de ſcienti â beatâ, dico hanc eſſe neceſſariam nec poſſe dependere ab imperio libero, à quo tamen dependere debet intellectio, quam quis elicit convertendo ſe ex libertate, ad phantaſmata; undè Chriſtus in tantum utitur ſcientia infuſa cum tali converſione, in quantum actu libero imperat, tùm intellectui, tùm phantaſiæ, operationem circà idem objectum, intellectui quidem tanquam ſuperiori & præeunti, phantaſiæ tanquam ſubſervienti & miniſtranti. Deindè ſcientiæ beatæ valde accidentale eſt, & ſecundarium verſari circa aliquod objectum ſenſibile, circa quod ſolum ſcientia per ſe infuſa permittit converſionem ad phantaſmata.

Scientia beata cur non admittat converſionem ad phantaſmata.

Ex dictis habetur eos, qui pro uſu ſcientiæ infuſæ requirunt converſionem ad phantaſmata, non poſſe talem uſum Chriſto concedere in primo inſtanti conceptionis, propter ſenſus & organa corporea nondum tunc ad operandum expedita; eos verò, qui converſionem non ſolum non requirunt, ſed nec permittunt, vehementer in ſua opinione firmari, ſi doceant Chriſtum habuiſſe ſcientiam infuſam ſemper totaliter exercitam, & in actu ſecundo adæquato: Porrò nos, qui converſionem ad phantaſmata non requirimus, permittimus tamen, ex primo capite poſſumus concedere, ut verè cohærenter ad doctrinam poſitam *c. præced. num.* 21. concedi debet, Chriſtum habuiſſe à conceptionis initio aliquem actum ſcientiæ infuſæ; ex ſecundo capite jure poſſumus negare, quod ſemper fuerit in ejuſdem ſcientiæ actu adæquato conformiter ad dicenda §. 6.

---

§. V.

An, & quomodò ſub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadant res naturales, ſecreta cordium, futura contingentia, Myſteria gratiæ, poſſibilia omnia, Deus ipſe ut unus & Trinus?

66. ASSERT. 1. Sub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt res naturales, adeò ut Chriſtus habeat ſupernaturales ſpecies rerum naturalium proprias, earumque repræſentativas in proprio genere. Ita D. Thomas *hic quæſt.* 11. *artic.* 1. Caietanus & Medina *eod. art.* Ioannes à S. Thoma *diſp.* 13. *art.* 3. Gonetus *diſp.* 17. *art.* 2. Suarez *diſp.* 27 *ſec.* 1. Lugus *diſp.* 20. *ſec.* 2. *n.* 25. Madernus *q.* 6. *art.* 4. & tum tota Thomiſtarum ſchola major pars Recentiorum contra Durandum & Scotum jam relatos *præced. n.* 35. item contra Maſtrium *diſp.* 5. *n.* 33. cæteroſque Scotiſtas, & ex Recentioribus Vaſquium *diſp.* 92. *c.* 1. *n.* 5. Amicum *diſp.* 20. *n.* 81. Arriagam *diſp.* 39. *n.* 36. alioſque nonnullos.

Chriſtus habet infuſas ſpecies ſupernaturales etiam pro rebus naturalibus.

Probatur: Reſpectu rerum naturalium dari poſſunt ſpecies ſupernaturales ac per ſe infuſæ, & ſuppoſito quòd dari poſſint, debent de facto dari in Chriſto; ergo

verit. quæſt 10. *art.* 6. *in c.* tradiderat animam Chriſti, in verbo tantùm, cognoviſſe futura contingentia, & cordium cogitationes. Confirmatur; Chriſtus Dominus conſiderari potuit, vel ut comprehenſor, vel ut viator; atqui ſub utraque conſideratione debuit habere ſcientiam per ſe infuſam, ſub cujus objectum caderent cordium ſecreta, & futura contingentia; nam ut comprehenſor habuit ſcientiam per ſe infuſam, tanquam proprietatem ſcientiæ beatæ, ne igitur proprietas eſſet inadæquata ſuæ ſcientiæ, ſicut ad illa omnia in Verbo cognoſcenda ſe extendebat ſcientia Chriſti beata, ità ad eadem omnia cognoſcenda in proprio genere debebat ſe extendere ſcientia Chriſti per ſe infuſa: Ut viator deinde fuit perfectiſſimè diſpoſitus ad docendam & confirmandam fidem; ad hoc autem accommodatiſſima eſt ſecretorum cordia & futurorum contingentium cognitio, utpotè quæ eſt inſigne argumentum divinitatis, auctoritatiſque divinæ; unde etiam Chriſtus Dominus conſuevit ut plurimùm manifeſtare ſuam de aliquo cordis ſecreto, aut futuro contingenti, notitiam occaſione docendi familiariter Scribas & Phariſæos, quod erat munus ipſius ut viatoris ſic illos alloquebatur Mat. 9. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit*, &c. & Math. 12. *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum dixit eis* &c. Item Luc. 19. *Quibus ipſe ait* (& nonnullis interpoſitis) *venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram proſternent*, &c.

72. Probatur ſecundò magis in particulari: Quòd ſpecies naturales infuſæ Angelis alienos actus liberos, quando jam exiſtunt, non repræſentent ut exiſtentes, niſi adſit ſpecialis manifeſtatio eliciențis; quodque eoſdem ut futuros repræſentare nequeant, ſed expectanda ſit actualitas exiſtentiæ, ut ſecundum exiſtentiam in ſeipſis cognoſcantur, provenit ex eo, quod ſpecies naturales à Deo infundantur cum ea quodammodò repræſentandi limitatione & modificatione, quam haberent, ſi ab objectis ipſis effluerent, quamque exigit naturale lumen creati intellectus; ergo ſpecies Chriſto infuſæ, utpotè ſupernaturales ſupernaturalique lumini deſervientes, non habent eam repræſentandi limitationem ſeù modificationem, & poſſunt quantùm eſt de ſe repræſentare actus alienos liberos, ſivè præſentes, ſivè futuros, nullâ expectata conditione; ac per conſequens ſub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt ſecreta cordium & futura contingentia, adeò ut Chriſtus habeat, &c. Antecedens ſupponitur ex tractatu de Angelis *libro ſecundo, capite ſecundo, paragrapho ſexto & decimo.* Conſequentia probatur, quia ſupernaturales Chriſti ſpecies, & ſupernaturale lumen, ſunt ſpeciales participationes virtutis cognoſcitivæ divinæ, quæ certè ſecreta cordium & futura contingentia nulla expectata conditione dignoſcit: Sunt item à Deo ut Auctore gratiæ & gloriæ, imò etiam ut Auctore unionis hypoſtaticæ, ad hanc autem ſicuti conſequitur in Chriſto prærogativa ſupremi Judicis & univerſalis Doctoris, ità debet conſequi in ſpeciebus Chriſto infuſis perfectio tali prærogativæ adæquata; debent ſcilicet iſtæ nulla expectata conditione repræſentare, ſicuti ſupremus Judex, & univerſalis Doctor, petit nulla expectata conditione cognoſcere alienos actus, ſivè præſentes, ſivè futuros.

Circa aſſertam notitiam, quam de futuris contingentibus poteſt Chriſtus habere per ſpecies ſupernaturales ad ſcientiam infuſam pertinentes, graviter dubitatur utrùm immediata ſit, an mediata? Utrùm ſcilicet Chriſtus ad eam habendam oratur ex parte objecti ſolis ſpeciebus, quæ ſunt medium incognitum faciens rem cognoſci immediatè in ſeipſâ; an verò indigeat inſuper aliquo alio, quod ſit medium cognitum? & quidem ſi dicatur hoc ſecundum, conſequens eſt notitiam futurorum in Chriſto eſſe abſtractivam, ſi ſuſtineatur primum, remanet locus ulterius inquirendi, utrùm intuitiva ſit? 73.

Aſſertio 3. Notitia, quam de futuris contingentibus habet Chriſtus Dominus ex vi ſcientiæ infuſæ per ſupernaturales ipſorum futurorum ſpecies, eſt immediata; at non in toto rigore intuitiva. Primam partem tradunt Medina *hic quæſt.* 11. *art.* 1. Cajetanus *eodem articulo*. §. *Ad ſecundum dubium.* Alvarez *diſput* 60. Joannes à Sancto Thoma *præcitato articul.* 1. *numer.* 9. Gonetus *præcitat. diſp.* 17. *articul.* 5. §. 1. Gabriel à Sancto Vincentio *præcitat. dub.* 3. *num.* 34. Lugus *diſput.* 10. *num* 32. Moncæus in Selectis *diſput.* 5. *cap.* 7. & alij plurimi contrà Suarium *præcitat. ſect.* 2. §. *Secundus ergo modus.* Lorcam *diſp.* 50. *numer.* 15. Cabreram *diſput.* 3. *concl.* 1. alioſque nonnullos. Secunda pars apud pauciores in terminis reperitur; ex Auctoribus tamen pro prima relatis eam præcipuè amplectuntur Joannes à Sancto Thoma *num.* 10 Gonetus §. 4. & Medina, contrà Lugum, Cajetanum, & Alvarez. A fortiori deinde quoad ſecundam partem nobis faverent, at fundamento apud nos falſo, Scotiſtæ docentes univerſim nullam cognitionem, quæ habeatur per ſpeciem, eſſe poſſe intuitivam.

Probatur prima pars: Nullum eſt medium, in quo ex vi ſcientiæ infuſæ poſſit à Chriſto haberi mediata notitia futurorum contingentium, & nullum eſt caput, ex quo repugnet immediata eorundem notitia per proprias ſupernaturales ſpecies; ergo notitia, quam de futuris contingentibus habet Chriſtus Dominus &c. conſequentia patet: Probatur antecedens quoad primum ſui membrum: hujuſmodi medium neque eſt aliquid ſe tenens ex parte futurorum, tanquam cauſa, aut effectus ipſorum; neque eſt aliquid ſe tenens ex parte Dei, nimirùm vel divinum decretum ea determinans & transferens ad ſtatum futuritionis, vel divina de ipſis revelatio ſeu atteſtatio per lumen ſcientiæ infuſæ evidenter manifeſtata; atqui nec quidquam aliud occurrit aſſignabile, imò Adverſarij ipſi ut plurimum non ſolent aſſignare niſi revelationem, atteſtationemvè divinam; ergo nullum eſt medium, &c. Major probatur: hujuſmodi medium non eſt cauſa, aut effectus ipſorum futurorum; 74.

Chriſtus per ſpecies ſupernaturales infuſas cognoſcit futura contingentia immediatè in ſe ipſis;

Non in ullo ipſorum principio, aut effectu.

non quidem effectus, quia iſte quoque eſſet contingenter futurus, adeóque eadem eſt quæſtio de ipſo ac de futuris aliis per ipſum cognoſcendis; non cauſa, quia hæc ut eſt principium futuri ſimpliciter contingentis, debet eſſe indifferens ad eſſe, vel non eſſe illius, in principio autem indifferenti nequit certò cognoſci aliquid determinatum, unde & ſuo loco docuimus nequidem Deum poſſe futura contingentia in ſuis cauſis creatis cognoſcere: Non eſt divinum decretum, quia iſtud vel cognoſcitur in ſe, vel in alio; ſi in alio remanet

75. Non in divino decreto.

aſſignandum hoc aliud: ſi in ſe, ergo videtur & per ipſum futura cognoſcuntur in Verbo, non in proprio genere; actu ſcientiæ beatæ, non actu ſcientiæ infuſæ. Non eſt divina revelatio ſeu atteſtatio, quia ut omittam quòd ſecundùm aliquos omnis aſſenſus præſtitus ex motivo divini teſtimonij pertinet ad fidem, ſecundùm alios nequit haberi evidentia divinæ revelationis per cognitionem aliam à Dei viſione, quæ ratione ſecundùm illos à lumine fidei, ſecundùm iſtos à lumine gloriæ, nullatenùs à lumine ſcientiæ per ſe infuſæ poſſet haberi cognitio futurorum in revelatione divina; ut, inquam, hæc omittam, tanquam

Nec in divinâ revelatione.

extranea, & doctrinæ à nobis alibi traditæ non cohærentia, ſufficiat divinæ revelationis medium impugnare ex eo, quia ſi iſtud requiritur, ſpecies futurorum infuſæ ſe ſolis inſervirent dumtaxat ad ſimplicem apprehenſionem non ad judicium de futuris, quæ propterea minùs propriè dicerentur Chriſto innoteſcere per ſpecies infuſas; præter quod cognitio rei mediata, & in alio, eſt ex genere ſuo minùs perfecta, quam cognitio immediata, & in ſe; non eſt autem, tum ſpeciebus ſupernaturalibus, tum actibus ipſius ſcientiæ infuſæ, inferendum, ut ita dicam, præjudicium ſine gravi neceſſitate, quam nullam eſſe in reliqua antecedentis probatione ſtatim oſtendo. Ideò.

76. Probatur idem antecedens quoad ſecundum ſui membrum: Nullum eſt caput, ex quo repugnet immediata futurorum in ſe ipſis notitia per ſpeciem increatam; ergo nec per proprias ſpecies ſupernaturales creatas; antecedens patet, quia (ut ſuppono ex tract. de Deo imo *lib.* 5. *cap.* 3. §. 5.) divinum decretum, ſeu divina eſſentia modificata decreto, eſt de facto eminentiſſima ſpecies repræſentativa immediatè futurorum in ſe ipſis, nec certè beatis, & multò minùs Deo, negabilis eſt ea immediata notitia; conſequentia probatur, quia ex una parte futura ſi poſſunt per ſpeciem increatam terminare immediatam notitiam, jam ſunt immediatè in ſe ipſis repræſentabilia, ex alia parte, ſpecies creata ex eo, quod ſit ſupernaturalis participat de divina repræſentativitate ut eſt in ſe, ſeu de divina eſſentia ut exercet munus ſpeciei increatæ, & abſolvitur à propria conditione ſpecierum naturalium æquivalentium ſpeciebus ab objecto acceptis; ratione cujus æquivalentiæ in tract. de Angelis *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 117. dicebamus nullam ſpeciem Angelo connaturalem poſſe eſſe immediatè repræſentativam alicujus futuri, quoad *An eſt*, ſeu quoad futuritionem.

Dices primò; futura contingentia cognoſci immediatè in ſe ipſis, & non in decreto, eſt ea cognoſci in propria veritate objectiva independenter à decreto; atqui hoc repugnat; ergo & illud: Minor probatur primò, quia ne quidem Deus futura cognoſcit in propria veritate objectiva independenter à decreto, ut ex profeſſo probatum eſt *præcit. cap.* 5. §. 2. Secundò, quia futura contingentia independenter à decreto nullum habent in ſe determinatum eſſe, nec futura ſunt magis quàm non futura; ergo neque ſunt in ſe ipſis immediatè repræſentabilia; imò ſicuti eſſet repugnantia in terminis excogitare in illis independenter à decreto determinatum eſſe ita & excogitare independenter ab eodem objectivam veritatem. Sed contra: aliud eſt quod decretum ſe 77.
teneat ex parte objecti cogniti, aliud quod ſe teneat ex parte medij cognoſcendi; ſi ly *independenter à decreto* excludat decretum etiam ut ſe tenens ex parte objecti cogniti, falſa eſt major; ſi excludat decretum præciſè, ut ſe tenens ex parte medij cognoſcendi, vera eſt major, falſa minor & conſequentia: Nec refert, quòd reſpectu cognitionis divinæ de futuris decretum requiratur, non ſolùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte medij cognoſcendi; quatenùs divina eſſentia, ſolùm ut modificata decretis, poteſt eſſe proprio intellectui eminentiſſima ſpecies ad futura cognoſcenda. Non refert, inquam quia id provenit ex eo, quod intellectus divinus non poſſit habere aliquid creatum pro medio cognoſcendi, ut tamen poteſt habere intellectus humanus Chriſti Domini; illud igitur, quod Deus cognoſcit per propriam eſſentiam decreto modificatam, poterit Chriſtus cognoſcere per creatam ſpeciem, quæ ſit ſpecialis divinæ eſſentiæ decreto modificatæ participatio. Et ex his facilè eluditur utraque minoris propoſitionis probatio.

Ad cognitionem futurorum contingentium in ſe ipſis requiritur decretum ſolùm ex parte rei cognitæ.

Urgebis; futura non cognoſci independenter à decreto ſe tenente ex parte rei cognitæ, ſeu ex parte objecti, eſt ipſa non cognoſci non cognito decreto; atqui hoc eſt decretum ſe habere, ut medium cognitum in cognitione futurorum, ergo reſponſio noſtra relabitur in id, quod Adverſarij intendunt. Sed contra: 78.
ut futura non cognoſcantur non cognito decreto ſufficit, quod iſtud in cognitione futurorum ſit cognitum concomitanter aut etiam ſubſequenter; ut decretum reſpectu cognitionis futurorum ſit medium cognitum, debet eſſe cognitum antecedenter tanquam ratio cognoſcendi futura; primum concedimus, & ipſum ſolùm infertur ex eo, quod futura nequeant cognoſci independenter à decreto ſe tenente ex parte rei cognitæ; Secundum negatur, quin imò reſpectu ſcientiæ infuſæ, futura ipſa ſunt medium cognitum, & ratio cognoſcendi decretum potiùs, quàm è contra.

Et reſpectu ſcientiæ infuſæ futura ſunt ratio cognoſcendi decretum potiùs, quàm decretum ſit ratio cognoſcendi futura.

Urgebis adhuc: ſpecies creata per nos repræſentat in ſe ipſis futura, quatenùs eſt ſpecialis participatio divinæ eſſentiæ eadem repræſentantis; atqui divina eſſentia repræſentat futura mediante decreto, adeò ut in ejus repræſentatione priùs aliquo modo reluceat decretum, quàm futura; ergo idem proportionaliter evenit in repræſentatione ſpeciei

creatæ,

creatæ, ac per conſequens iſtius vi decretum cognoſcitur antecedenter aliquo modo ad futura, non concomitanter aut ſubſequenter.
79. Sed contra: divina repræſentatio duo habet, & quod per eam reluceant futura in ſe ipſis, & quod priùs reluceat decretum; ſpecies ad ſcientiam infuſam pertinens participat de divina repræſentatione ſub priore tantùm, non ſub poſteriore ratione; ſpecies enim ſub poſteriore ratione participans repræſentaret immediatè & in ſe decretum, adeóque (ſi poteſt, ut vere poteſt, dari per nos, quamvis non detur de facto) pertinet ad ſcientiam beatam.

Dices ſecundò: Cognitio futurorum contingentium in atteſtatione, ſeu revelatione divina evidenti, verè dabilis eſt; & cum nec poſſit pertinere ad habitum fidei, qui non patitur medium evidens & inſuper non fuit in Chriſto; nec ad habitum luminis gloriæ, cujus medium ſeu ratio formalis *ex præced. num.* 50. eſt ſola divina eſſentia; non ſupereſt alius habitus ad quem pertineat præter lumen ſcientiæ per ſe infuſæ; ergo Chriſtus ex vi ſcientiæ per ſe infuſæ cognoſcit futura contingentia mediatè, in atteſtatione ſcilicet ſeu revelatione divina, tanquam in medio eviden-
80. ter cognito. Sed contra: præter tria enumerata lumina datur ſecundùm aliquos lumen propheticum, cujus actus innitantur divinæ revelationi abſtrahendo ab eo, quòd iſta ſit evidens vel obſcura, & ſub hujuſmodi lumine collocatur cognitio futurorum, quam inſtantia objicit; collocetur tamen ſub lumine ſcientiæ infuſæ, nihil hinc contra nos, qui in futuris per ſcientiam infuſam cognoſcendis medium non requirimus, at non propterea excludimus; & cognitionem futurorum mediatam negamus eſſe unicum, aut principaliorem modum, quo Chriſtus futura ex vi ſcientiæ per ſe infuſæ cognoſcat, at non contendimus eſſe modum impoſſibilem, imò ſpectabit ad ſcientiæ per ſe infuſæ perfectionem poſſe, tùm immediatè, tum mediatè, circa ſua objecta verſari.

81. Probatur jam ſecunda aſſerti pars. Cognitioni in toto rigore intuitivæ non ſufficit, quòd ejus objectum ſit exiſtens in aliqua temporis differentia, & ſecundùm exiſtentiam ipſam evidenter attactum; ſed inſuper requiritur, quòd ſit cognoſcenti præſens & cognitioni phyſice coexiſtens; atqui reſpectu notitiæ, de qua agitur, futura contingentia priore tantùm, non poſteriore, modo ſe habent; ergo hujuſmodi notitia non eſt in toto rigore intuitiva, quamvis ex eo quòd evidenter & immediatè attingat in ſuo objecto exiſtentiam, dici facilè poſſit intuitiva minùs propriè, & minus rigoroſè: Major ſupponitur ex tract. de Deo uno *lib. 3. cap. 3. num.* 44. Minor probatur, quia notitia in Chriſto reperta ex vi ſcientiæ infuſæ eſt temporanea non æterna, tempore menſuratur non æternitate; ſola autem cognitionis æternitas, ſolaque æternitatis menſura, reddit cognoſcenti præſentia & cognitioni phyſicè coexiſtentia ea, quæ ſecundùm propriam temporis differentiam talia non ſunt, ut explicuimus *præcit. cap. 3. §. 6.* & tradit expreſſè D. Thomas 1. *p. quæſt. 57. art. 3.* *in c.* dicens *Alio modo cognoſcuntur futura in ſe ipſis: & ſic ſolius Dei eſt futura cognoſcere, quia Deus videt omnia in ſuâ æternitate, quæ cum ſit ſimplex toti tempori adeſt, & ipſum concludit: & ideò unus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia*: idem ferè repetit *quæſt. 86. art. 4.* dicens *In ſe ipſis futura cognoſci non poſſunt, niſi à Deo, cui etiam ſunt præſentia, dum in curſu rerum ſunt futura, in quantum ejus æternus intuitus ſimul fertur ſuprà totum temporis curſum*: & licet ex utroque hoc textu aliqui inferant eſſe Dei propriam, & humano Chriſti intellectui repugnantem, omnem futurorum in ſe ipſis cognitionem; nihilominùs cum S. Doctor utrobique utatur illa voce *Intuitus* non relinquit locum rationabiliter dubitandi, quin de ſola cognitione intuitiva loquatur.

Chriſtus per ſpecies ſupernaturales infuſas non cognoſcit futura contingentia intuitivè.

82. Ex his habetur primò futura ſumpta ſecundùm futuritionem ipſam; ſeu exiſtentiam pro tali differentia temporis cum negatione inceptionis, ſive neceſſaria ſint, ſive contingentia, eſſe cognoſcibilia tripliciter mediatè, immediatè, & intuitivè. Intuitivè ſunt cognoſcibilia ſolùm à Deo, vel ad ſummum ab intellectu creato in Deo ex vi viſionis, quæ ſpecialiter participat de Dei æternitate, ideóque dicitur æternitate participata menſurari: Immediatè ſunt cognoſcibilia non ſolùm ab alijs à Deo, verùm etiam extra Deum; ſupernaturaliter tamen non naturaliter; per ſupernaturales, non per naturales ſpecies; & dum futurorum in ſe ipſis cognitio commendatur, ut Dei propria, debet id intelligi de cognitione connaturali & debita cognoſcenti: Mediatè, ſi ſint futura neceſſaria, aut contingentia ſecundùm quid, ſunt cognoſcibilia naturaliter ab intellectu creato præſertim angelico in ſuis cauſis; ſi ſint contingentia ſimpliciter cognoſci maximè poſſunt mediante divina revelatione, aut manifeſtatione alterius, cui divina revelatio facta ſit.

Aſſignantur tres gradus cognitionis futurorum.

83. Habetur ſecundò circa cognitionem, tum immediatam, tum intuitivam, de præteritis idem proportionaliter ferendum eſſe judicium, quod de futuris; ea ſcilicet eſſe per ſupernaturales ſpecies ſcientiæ infuſæ cognoſcibilia à Chriſto Domino immediatè, at non intuitivè; facilè enim poſſunt ſervata proportione applicari præteritis, quæ de futuris hucuſque dicta ſunt unde Suarez *præcit. ſect. 2. § ex his* cohærenter ad ſua principia; quamvis alioqui falſa, opinatur, dum ex vi ſcientiæ infuſæ nullam immediatam præteritorum notitiam in Chriſto admittit. Circa cognitionem verò mediatam poteſt eſſe aliqua inter præterita, & futura, diverſitatis ratio, nam reſpectu præteritorum, non reſpectu futurorum, poteſt dari aliquis effectus ſeu aliquod veſtigium à parte rei permanens, in quo, tanquam in medio, præterita potiùs, quàm futura ſint à Chriſto ex vi ſcientiæ infuſæ ſupernaturaliter, aut etiam ab aliquo alio intellectu creato naturaliter, cognoſcibilia; ut omittam cognitionem memorativam, quæ ſolùm de præteritis, non de futuris, eſſe poteſt; at nequit ſimpliciter pertinere ad ſcientiam per ſe infuſam, cum aliquid ſcientiæ aquiſitæ & experimentalis in-

Quomodo Chriſtus ex vi ſcientiæ infuſæ cognoſcat præterita.

volvat, ut monet Suarez *precit.* §. *ex his* & perſpicuum fit recolendo ex tract. de Angelis *lib* 2.*cap.*2.§.11. qualis ſit in intellectu angelico rememorativa præteritorum cognitio.

84. Aſſert. 4. Sub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt Myſteria gratiæ, adeò ut Chriſtus habeat ſupernaturales ſpecies quidditativè, immediatè, imò & comprehenſivè repræſentantes omnia dona ſupernaturalia creata, pro aliqua ſcilicet differentia temporis extrà Deum exiſtentia, & ſumpta ſecundùm quod ſunt extrà Deum, & contradiſtincta à Deo. Ly *pro aliqua differentia temporis exiſtentia* ponitur ad excludenda pro nunc dona ſupernaturalia mere poſſibilia, de quibus in ſequenti aſſerto. Ly *ſecundùm quod ſunt extra Deum & contradiſtincta à Deo* ponitur propter quædam ſupernaturalia dona, quæ per nos conſiſtunt formaliter in complexo includente divinam Perſonam, divinamque eſſentiam, qualia ſunt præcipuè unio hypoſtatica, & viſio beata, quæ propterea ſicut & amorem beatificum Madernus *hic quæſt.*6. *art.*5. *num.*.. excipit à quidditativa notitia ſcientiæ per ſe infuſæ; verùm loquendo cum prædicta reſtrictione ceſſat exceptionis neceſſitas. Aſſertum ſic intellectum tradunt Cabrera *quæſt.*11 *art.*1. *diſp.*7. Gonetus *diſp.*17.*art.*3. Gabriel à S. Vincentio *diſp.*15. *dub.*4. cæterique Theologi magis communiter, quamvis ly *immediatè* ſit contrà Bannez 2.2 *quæſt.*5.*art.*1. & Alvarez de auxiliis *diſp.* 118. & 119. volentes res ſupernaturales non poſſe in proprio genere cognoſci evidenter aliter, quàm in atteſtante: ly *comprehenſivè* contra nonnullos Recentiores docentes notitiam ſcientiæ infuſæ poſſe quidem eſſe quidditativam, at non comprehenſivam donorum ſupernaturalium; eorum ſaltem, quæ dicunt intrinſecam ad Deum habitudinem.

Chriſtus per ſpecies ſupernaturales infuſas cognoſcit comprehenſivè omnia dona ſupernaturalia creata.

85. Probatur. Non repugnant ſupernaturales ſpecies immediatè, quidditativè, imò & comprehenſivè, repræſentantes omnia dona ſupernaturalia creata; ergo fuerunt de facto infuſæ hujuſmodi ſpecies humano intellectui Chriſti Domini. ac per conſequens ſub objectū ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt Myſteria gratiæ, adeò ut &c. Conſequentia infertur ex generali congruentia tribuendi Chriſto Domino omnem perfectionem poſſibilem & fini redemptionis nō improportionatam, & ex quo ei tribuimus ſcientiam per ſe infuſam, cujus potiſſimum & propriiſſimum objectum ſunt Myſteria gratiæ & ſupernaturalia dona, non debemus eidem in ordine ad ſupernaturalia negare illud, alioqui poſſibile complementum, quod concedimus in ordine ad naturalia; quorum ſpecies per ſe infuſas eſſe comprehenſivas evincitur ex eo, quod contineant eminenti & perfectiori modo quidquid repræſentativitatis eſſe poteſt in ſpeciebus naturalibus. Primum antecedens probatione maximè indiget quoad ly *comprehenſivè*, probatur autem ſic: Non repugnat dona ſupernaturalia creata comprehendi in proprio genere ab intellectu creato, nec neceſſe eſt ea per ſe ipſa immediatè præſtare concurſum objectivum, ut in proprio genere comprehendantur, ergo non repugnāt ſupernaturales ſpecies comprehenſivè repræſentantes omnia ſupernaturalia dona creata conſequentia patet, ſecunda antecedentis pars ſuppoſita prima vix habet difficultatem in noſtris principiis, quibus univerſaliter tradimus quemlibet intentionalem concurſum præſtabilem ab objecto immediatè, eſſe quoque præſtabilem mediante ſpecie; unde & ſuſtinuimus poſſibilem ſpeciem intuitivè repræſentativam divinæ eſſentiæ: probatur prima 86.
antecedentis pars primò, quia non repugnat dona ſupernaturalia creata comprehendi in Verbo ab intellectu creato, imò ſic de facto ea omnia, aut ferè omnia, quilibet beatus comprehendit; ergo neque repugnat eadem ab intellectu creato comprehendi in proprio genere: Secundò, quia eſſe in ſe immediatè, ſeu in proprio genere, comprehenſibile à ſolo Deo videtur proprium ipſius Dei, & eorum quæ ſunt intrà Deum; ergo quidquid creatum eſt, & extra Deum, quomodocumque ſupernaturale ſit, remanet in proprio genere comprehenſibile ab intellectu creato; ut magis mox conſtabit ſolvendo rationes repugnantiæ ab Adverſariis excogitatas contrà comprehenſibilitatem inſigniorum quarumdam rerum ſupernaturalium habendam ex vi ſcientiæ per ſe infuſæ. Ideò

Dices primò Cognitio comprehenſiva debet procedere à principio cognoſcente tàm perfecto, quàm eſt perfectum objectum cognitum, ut nos ipſi docuimus in terminis tract. de Deo uno *lib.*1.*cap.*7. *num.*15. atqui repugnat, quod ex vi ſcientiæ per ſe infuſæ aliquis intellectus creatus reddatur principium cognoſcens tam perfectum, quàm ſunt perfecta inſigniora quædam dona creata ſupernaturalia, puta lumen gloriæ, viſio beata, & multo magis unio hypoſtatica; ergo repugnat, quòd ex vi ſcientiæ infuſæ habeatur ab intellectu creato cognitio talium donorum comprehenſiva. Minor probatur, lumen gloriæ eſt ex ſupradictis diverſum à lumine ſcientiæ infuſæ, eoque perfectius; viſio item utpote à lumine gloriæ proveniens perfectior eſt quocumque actu proveniente à lumine ſcientiæ infuſæ; Unio deindè hypoſtatica, utpote in ordine ſupernaturali quid ſubſtantiale, perfectione ſua ſuperat alia quæcumque ſupernaturalia dona, & ſpecialem ordinem conſtituit; lumen igitur ſcientiæ infuſæ, ac per conſequens etiam ſpecies ei ſubſtractæ, adeóque commenſuratæ, non ſunt in ſe quid tam perfectum, quàm ſūt perfecta lumen gloriæ, viſio beata, & unio hypoſtatica; ergo repugnat quòd ex vi ſcientiæ per ſe infuſæ aliquis intellectus creatus reddatur principium cognoſcens tam perfectum, quàm ſunt perfecta &c. Sed contrà: 87.
principium cognoſcens aliud radicale & remotum quod eſt natura; aliud formale & proximum quod eſt potentia, aliud totale & adæquatum quod eſt natura ſimul & potentia. Porrò quod nos ipſi alibi docuimus ad cognitionem comprehenſivam requiri principium cognoſcens tam perfectum, quam eſt perfectum objectum, procedit de principio cognoſcente totali & adæquato, prout complectitur etiam principium radicaliter & remotè ſe habens, non verò de ſolo principio formali

Quomodò ex vi ſcientiæ infuſæ poſſit Chriſtus comprehendere in particulari lumen gloriæ, & viſionem beatam?

&

& proximo præciſè accepto; certè enim potentia intellectiva Angelica, v.g. non eſt ex ſe præciſè tàm perfecta, quàm eſt perfecta Angelica ſubſtantia, & tamen quilibet Angelus poteſt ſubſtantiam propriam, aut alterius ſibi æqualis, comprehendere, non niſi quia eadem potentia intellectiva ſimul cum Angelica natura, cum qua conſtituit unum principium cognoſcens totale eſt quid tam perfectum, quam ſit perfectus idemmet Angelus cognitus, vel alius ei æqualis, cum igitur in ordine ſupernaturali habitualis gratia ſe habeat ut natura, cæteri habitus ut potentiæ, & ſignanter ſe habeat ut potentia, lumen ſcientiæ infuſæ, & ex alia parte gratia habitualis, quamvis non ſcientiæ infuſæ lumen, ſit quid tam perfectum imò perfectius, quàm lumen gloriæ aut viſio beata, conſequens eſt ex ſcientia infuſa ſimul cum habituali gratia conſtirgere principium cognoſcens tàm perfectum imò perfectius, quàm lumen aut viſio; adeóque potens gloriæ lumen, viſionemque, comprehendere: Pro potentia deinde comprehen-

88. Item unionem hypoſtaticam?

dendi unionem hypoſtaticam aliquid addo, conſidero ſcilicet in Chriſto gratiam unionis, tanquam radicem gratiæ habitualis, adeò ut proptereà principium radicale cognoſcendi ſit non ſolùm gratia habitualis, ſed una ſimul gratia unionis; ex quo certè fit, quòd ſcientia per ſe infuſa, ut conſtituens unum cum gratia unionis ſit quid tàm perfectum, quàm perfecta eſt ipſa unio hypoſtatica, adeòque ſit potens ipſam comprehendere.

Urgebis: hinc ſequitur ſcientiam per ſe infuſam ſolùm in intellectu hypoſtaticè unito divinæ perſonæ poſſe ad unionis hypoſtaticæ comprehenſionem deſervire: Sequitur inſuper ex vi luminis gloriæ, quod perfectius eſt lumine ſcientiæ infuſæ fore ſupercomprehendendum, non præciſè comprehendendum ipſummet gloriæ lumen; & viſionem, quæ pariter perfectior eſt quocunque actu ſcientiæ infuſæ, fore ſupercomprehenſionem, non præciſè comprehenſionem ſui; & tamen nos ipſi non ſemel alibi diximus nullum principium cognoſcendi poſſe connaturaliter cauſare cognitionem perfectiorem comprehenſione ſui, quod eſt idem ac dicere ſui ſupercomprehenſionem. Sed contra: poterit fortè Deus auxilio extrinſeco ſupplere perfectionem illam, quam habet ſcientia Chriſto infuſa ex

89. eo, quod in unione hypoſtatica radicetur; quidquid tamen ſit de hoc, admitto abſolutè primam ſequelam, utpotè quæ nullatenùs obeſt noſtræ doctrinæ, & multum favet dignitati Chriſti Domini. Ad aliam ſequelam dico non poſſe aliquid in proprio genere, per ſe ipſum ſcilicet aut per propriam ſpeciem, cauſare cognitionem ſui ſupercomprehenſivam, & comprehenſione ſui perfectiorem, benè tamen id poſſe in medio aliquo eminenti; non eſt igitur inconveniens, nec inconſequens ad alibi dicta, quod in Verbo tanquam in medio eminentiſſimo lumen gloriæ influat in ſui ſupercomprehenſionem & viſio ſit ſui ſupercomprehenſiva, cæterùm in proprio genere id non eveniet; quia *præced. num. 49.* dictum eſt lumen gloriæ non poſſe ad ſe ipſum in proprio genere cognoſcendum deſervire, & eadem eſt proportionaliter ratio de viſione.

Dices ſecundò: Quæ dicunt intrinſecam habitudinem ad aliquem terminum, nec poſſunt ipſa comprehendi non comprehenſâ habitudine, nec poteſt comprehendi habitudo non comprehenſo termino; ergo quæ dicunt intrinſecam habitudinem ad Deum, ut eſt in ſe, non poſſunt comprehendi non comprehenſo, ut eſt in ſe, Deo adeóque poſſunt comprehendi ab eo ſolo intellectu, à quo poteſt comprehendi, ut eſt in ſe, Deus, qui certè à ſolo intellectu proprio, non ab intellectu humano Chriſti aliovè creato eſt comprehenſibilis: atqui plura ſupernaturalia dona dicunt hujuſmodi habitudinem, unio quippè hypoſtatica dicit intrinſecam habitudinem ad divinam Perſonam, ad quam terminatur; gratia habitualis ad divinam naturam, cujus eſt participatio; viſio beata ad totum Deum, cujus eſt aſſecutio; & ſic proportionaliter de aliis non paucis; ergo. Sed contrà: nego ſecundam partem majoris, alibi enim ſæpiùs &

præcipuè tract. de Deo Uno *lib. 2. cap. 4. n. 31.* dictum eſt eum, qui cognoſcit habitudinem aliquam ſeu relationem, ut ſe tenentem ex parte fundamenti, non eſſe neceſſe quòd cognitione ejuſdem rationis cognoſcat terminum, ſed poſſe cognoſcere fundamentum & habitudinem ejus quidditativè, intuitivè, comprehenſivè; cognoſcendo terminum ſolùm quoad An eſt, abſtractivè, & ſecundùm aliquid. Quod maximè verum eſt in exemplis adductis, nam unio hypoſtatica reſpicit divinam Perſonam, tanquam terminum eminentem & excedentem terminabilitatem naturæ, cui unitur, habitualis gratia eſt participatio divinæ naturæ, formalis quidem, ſed analoga beata viſio eſt aſſecutio Dei ſumpti ſecundùm ſe totum, at non ſumpti totaliter eſt apprehenſio ejus, non comprehenſio, & cum, licet ſit in ſe viſio Dei, poſſit tamen videri Deo non viſo, à fortiori poterit comprehendi Deo non comprehenſo, dum ipſa in ſe comprehenſio Dei non eſt. 90. Relationis, ſeu habitudinis, fundamentum poteſt cum ipſâ habitudine comprehendi non comprehenſo termino.

Urgebis: reſpectu unionis hypoſtaticæ, habitualis gratiæ, beatæ viſionis, & ſimilium, Deus non eſt quomodocumque terminus, ſed ſimul eſt ſpecificativum, atqui ſpecificatum non poteſt comprehendi non comprehenſo ſpecificativo, ergo. Sed contra: Vera eſt minor ſolùm de ſpecificativo intrinſeco, 91. reſpectu autem unionis hypoſtaticæ, habitualis gratiæ, & ſimilium, ſpecificativum intrinſecum eſt ordo ſeu habitudo ad Deum, non Deus ipſe. Neque addas, ergo ſaltem Deus eſt ſpecificativum intrinſecum iſtius ordinis ſeu habitudinis, ſicque redit ſuperius argumentum, quod non poſſit iſta habitudo comprehendi non comprehenſo Deo. Contrà enim: Ad ſummum Deus eſt ſpecificativum intrinſecum illius habitudinis ſumptæ adæquatè, & ſecundùm illud, quod dicit etiam ex parte termini, non ſumptæ præciſè ſecundùm illud quod dicit ex parte fundamenti, qua tamen ſolum ratione habitudo in caſu noſtro debet comprehendi. Deinde quando ſpecificativum, ſivè extrinſecum, ſivè intrinſecum ſit, non

impen

impendit (ut ità dicam) in exercitio ſpecificandi totam ſuam perfectionem, poteſt ipſo non comprehenſo comprehendi ſpecificatum, Deus autem nihil creatum ſpecificat impendendo in exercitio ſpecificandi totam perfectionem illius lineæ, in qua ſpecificat, ideò &c. Tandem poteſt inſtantia tota cum ſuis additionibus infringi, & retorqueri, in habitudine eſſentiali, quam dicit quælibet creatura ad Deum, cujus eſt effectus, quilibet intellectus creatus ad divinum, cujus eſt participatio, abſque eo quòd propterea nequeat, aut aliqua creatura, aut aliquis creatus intellectus, comprehendi, non comprehenſo Deo.

92. Aſſert. 5. Sub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt omnia poſſibilia, adeò ut probabile ſit Chriſtum Dominum habere infuſas ſupernaturales ſpecies poſſibilium omnium repræſentativas. J. à Lugus *diſp*. 10. *ſect*. 2. *numer*. 34. Arriaga *diſp* 39. *ſect*. 1. Madernus *q*. 6. *art*. 4. & ex antiquis Magiſter, Aienſis, Bachonius, cæterique *præcedent. num*. 25. relati pro ſcientia beata, ſolent enim indifferenter referri etiam pro infuſa, eò quod indefinitè Chriſto tribuant omnium poſſibilium ſcientiam, nec determinatè loquantur de ſola beata: Eſt autem aſſertum contrà Thomiſtas communiter, & plures Recentiores, ex quibus utriſque Auctoribus aliqui, ut Joannes à S. Thoma *diſp*. 12. *art*. 2. Cabrera *quæſt*. 11. *art*. 1. *diſp*. 5. Amicus *diſp*. 20. *nu*. 15. putant repugnare ſimpliciter, quod intellectui creato communicentur ſpecies omnium poſſibilium repræſentativæ; aliqui alij ut Gunetus *diſp*. 17. *art*. 6. Suarez *diſp* 27. *ſect*. 4. Vaſquez *diſp*. 50. *cap*. 3. exiſtimant ſpecies illas eſſe quidem divinitùs communicabiles; at non dici convenienter, quod ſint de facto communicatæ humano intellectui Chriſti Domini. Scotus & Scotiſtæ nobis favent quoad naturas ſpecificas & rerum quiditates, quas omnes ponunt Chriſtum habitualiter ſcire; adverſantur tamen quoad ſingularia, quorum nullas putent infuſas Chriſto ſpecies; adverſantur inſuper in eo, quòd nullas ponunt ſpecies ſupernaturales pro rerum naturalium quiditatibus, ut jam retulimus partim *n*. 63. partim *n*. 67.

Chriſtus habet infuſas ſpecies ſupernaturales omnium poſſibilium.

93. Probatur: Non repugnant in creato intellectu ſupernaturales ſpecies reddentes ipſum habitualiter, & in actu primo, completum ad quæcunque poſſibilia cognoſcenda, & ſuppoſito quòd tales ſpecies non repugnent, convenientiſſimè tribuuntur de facto intellectui humano Chriſti Domini; ergo ſub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadunt omnia impoſſibilia, adeò ut probabile ſit Chriſtum Dominum habere, &c. Antecedens quoad primam partem deducitur ex pluribus alibi traditis, nimirùm primò ex eo quòd non repugnet ſpecies creata repræſentativa divinæ eſſentiæ, hæc quippè eſſet ſimul repræſentativa omnium poſſibilium in Verbo; neque igitur repugnabit ſpecies una, vel multiplex, repræſentativa omnium poſſibilium in proprio genere; Secundò, quia lumen ſupernaturale ſcientiæ infuſæ, utporè quod *ex præced. num*. 55. non eſt etherogeneum ſeù diverſum pro diverſitate objectorum, poteſt inſervire omnium poſſibilium cognitioni; ergo ſunt ſub tali lumine dabiles omnium poſſibilium ſpecies: Tertiò, quia hujuſmodi ſpecies neque repugnant ratione infinitatis ipſorum poſſibilium, alioqui ex hoc capite repugnarent etiam ſpecies omnium futurorum; neque item repugnant ex eo, quod inferrent Dei comprehenſionem, quia cum per nos poſſint ſine Dei comprehenſione cognoſci omnia poſſibilia in Verbo, multo magis poſſunt ſine eadem cognoſci omnia poſſibilia in proprio genere, quidquid in contrarium contendat etiam quoad ſecundum punctum Joannes à S. Thoma *præcitat. art*. 2. 94
num. 18. Idem primum antecedens quoad ſecundam partem probatur, repetendo tùm generalem congruentiam tribuendi Chriſto Domino omnem perfectionem poſſibilem & fini redemptionis non improportionatam, tùm conſecutionem, quam in Chriſto habet ſcientia infuſa ad beatam, ratione cujus congruè ponitur commenſurari beatæ, & extendi (quãtum non repugnat) ad ejus objectum; cum igitur dictum ſit omnia poſſibilia cadere de facto in Chriſto ſub objectum ſcientiæ beatæ, nec repugnare quod ſimiliter cadant ſub objectum ſcientiæ infuſæ, convenientiſſimè ponuntur etiam ſub iſtius objectum de facto cadere.

Dices generalem congruentiam tribuendi Chriſto Domino omnem perfectionem poſſibilem procedere de perfectione poſſibili ſervante modum operandi connaturalem, & proprium animæ; cui quidem connaturale eſt, quòd operetur per ſpecies minùs univerſales quàm Angelus, ut nos ipſi ſaltem tanquàm problema docuimus *præced. num*. 42. atqui non poteſt Chriſtus habere ſpecies omnium poſſibilium repræſentativas niſi habeat ſpecies univerſaliores Angelicis, ideſt repræſentantes plura quàm repræſentent Angelicæ; ergo generalis illa congruentia non probat intentum: At neque intentum probat conſecutio ſcientiæ infuſæ ad beatam, nam talis conſecutio, ſicut non impedit quòd ſcientia infuſa minor ſit & inferior beata, ità nec quòd ad pauciora ſe extendat: Accedit quòd ſcientia beata propriè ſupponit pro ſola ſcientia intuitiva & viſionis, quæ non ſe extendit ad poſſibilia, undè D. Thomas *q*. 13. *art*. 5. *ad* 2. ait *Anima Chriſti non cognoſcit omnia, quæ Deus poteſt facere, quæ tamen Deus cognoſcit ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, licèt cognoſcat omnia præſentia, præterita, & futura; quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis.* Sed contrà: Species 95.
repræſentantes plura, quàm repræſentent ſpecies Angelicæ, poſſũt id habere vel ex eo, quia ſint magis univerſales, vel ex eo quia ſint plures quã Angelicæ; ex ſecundo capite, ſi non ex primo, dicito per ſpecies Chriſto infuſas plura repræſentari, quàm per ſpecies infuſas Angelis, per illas poſſibilia omnia, per iſtas pauca, imò per nos nulla, ut diximus in tractat. de Angelis *lib*. 1. *cap*. 2. §. 12. Neque dicas ſpecies, quæ ſint minùs univerſales Angelicis, non poſſe poſſibilia omnia repræſentare, niſi ſint infinitæ. Contrà enim; ſi minor univerſalitas adeò decreſcit, ut (quod plures Thomiſtæ docent)

cent) ſingulis naturis ſpecificis ſingulæ ſpecies correſpondeant, non poterit vitari infinita ſpecierum multitudo; at neque in hac infinita multitudine eſt ulla repugnantia, nec ſufficienter conſtat, in quo minoris univerſalitatis gradu ſint ſpecies Chriſto infuſæ; imò nec etiam ſufficienter conſtat de ipsâ minore univerſalitate, cum eam reliquerimus ſub problemate.

96. Ad alterum inſtantiæ membrum dico ſcientiam infuſam eſſe inferiorem, minoremque beatâ, in modo cognoſcendi & in perfectione intenſivâ; cæterùm malè requiri, quod ſit minor & inferior etiam in numero objectorum, & in perfectione extenſivâ, vel ſi vis eſſe in hoc quoque minorem, talem facito non quoad actum primum & habitum, ſed quoad actum ſecundum; quatenus non eſt ſemper in actuali exercitio cognoſcendi omnia ſua objecta, ſicut eſt ſcientia beata. Ad auctoritatem Divi Thomæ dico eam procedere poſſe contra ſcientiam beatam æquè, ac contra ſcientiam infuſam abſolutè tamen contra neutram procedit, quia ibi loquitur S. Doctor ſubintellectâ tacitè ſuppoſitione, quod cognitio omnium quæ Deus poteſt facere, inferat Dei comprehenſionem. Obiter autem, & libenter, moneo egregium eſſe nobiſque opportunum diſcrimen, quod in ea reſponſione *ad* 2. aſſertur inter ſcientiam & potentiam, ad oſtendendum in anima Chriſti ex omnium ſcientiâ non inferri omnium potentiam.

Aſſert. 6. Sub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ non cadit immediatè & directè Deus unus & Trinus, benè tamen mediatè & indirectè, adeò ut Chriſtus nullam habeat infuſam ſpeciem propriam divinæ eſſentiæ aut trium Perſonarum; poſſit tamen per aliquas ſpecies alienas, dum cognoſcit immediatè & directè propria ipſarum objecta; unà ſimul cognoſcere mediatè & indirectè, ac evidenter, Deum unum & Trinum quoad *An eſt*. Prima pars eſt contra Scotum, cæteroſque Auctores relatos in tract. de Deo Trino *lib.* 3. *cap.* 4. § 8. pro poſſibilitate ſpeciei abſtractivæ Dei propriæ. Secunda pars quoad Deum ut Trinum eſt contra Vaſquium *hic diſputat.* 53. *cap* 1. Lorcam *diſputation.* 60. alioſque nonnullos; totum verò aſſertum tradunt Cajetanus *hic quæſt.* 11. *art.* . Ioannes à S. Thomâ *diſp.* 13. *art.* . Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 12. *dub* 4. §. 3. & 4. Gonetus *diſp.* 17. *art* 7. Suarez *diſp.* 27. *ſec.* 5. Amicus *diſp.* 20. *num.* 60. & 61. Lugus *diſp.* 20 *n.* 41. Madern. *qu.* 6. *art.* 6. & cum omnibus Thomiſtis major pars Recentiorum quamvis cum aliquo inter ſe diſſidio circa medium, in quo Chriſto evidenter relucear exiſtentia Trinitatis, quod Suarez & inter Thomiſtas Alvarez *diſp.* 62. volunt eſſe ſolam divinam revelationem, cæteri communiter plura alia media aſſignant, quæ & nos infra aſſignabimus; Interim.

97. *Chriſtus nõ habet infuſã ullam ſpeciẽ Dei propriã.*

Probatur prima pars, imò ſupponitur ex eo quod *præc* §. 8. oſtenſum eſt repugnare ſpeciem abſtractivam propriam Trinitatis, & reſpectu ipſius divinæ eſſentiæ non eſſe dabilem ſpeciem propriam, quæ intuitiva non ſit, unde in tract. de Angelis *lib.* 2. *c.* 2. §. 2. negavimus ſpeciem Dei propriam, quam intellectui angelico inditam ſuſtinent Nominales, & Scotiſtæ cum ſuo Doctore.

Probatur ſecunda pars recolendo quod *præcit. cap.* 4. §. 5 & 6. docuimus, tum in atteſtatione divinâ ſeu in atteſtante, tum in pluribus ſupernaturalibus effectibus, ſignanter verò in actibus viſionis, & fidei ad Trinitatem terminatis, dabilem eſſe in viatore abſtractivam evidentiam exiſtentiæ Trinitatis; quibus ſi *ex præced. aſſert.* 4. addas Chriſtum Dominum, etiam ut viatorem, habere infuſas ſpecies comprehenſivè repræſentativas ſupernaturalium effectuum, & ſignanter viſionis beatorum in patria, noſtrorum actuum fidei in via, revelationis item qua Deus Trinitatem & alia ſupernaturalia manifeſtat; conſequens omninò erit Chriſtum, etiam ut viatorem, tum in divina revelatione, tum maximè in alienis actibus viſionis & fidei, habere abſtractivam evidentiam exiſtentiæ Trinitatis, quod eſt ſub objectum ſcientiæ per ſe infuſæ cadere mediatè, & indirectè, Deum unum & Trinum; & poſſe Chriſtum per aliquas ſpecies alienas Deum etiam ut Trinum quoad *An eſt* cognoſcere mediatè & indirectè, evidenter tamen. *Cognoſcit tamen ex vi ſcientiæ infuſæ Deum etiam ut trinum per ſpecies alienas.*

Dices: proprium eſt ſcientiæ per ſe infuſæ attingere ſua objecta in proprio genere, id eſt in ſe ipſis & per ſpecies proprias, non in alio & per ſpecies alienas, ergo Deus unus & trinus vel nullatenus eſt objectum ſcientiæ per ſe infuſæ vel ab iſta attingitur per ſpeciem, propriam; iſtud eſt contra primam, illud contra ſecundam aſſerti partem, adeóque una aſſerti pars alteri contradicit. 98. Sed contra: attingere in proprio genere ſtat dupliciter, vel prout, cõtradiſtinguitur ab attingere in Verbo, vel prout contradiſtinguitur ab attingere in alio quocunque medio cognito; utrumque eſt proprium ſcientiæ per ſe infuſæ, ſed diverſimodè, primum ſcilicet relatè ad quodlibet prorſus ejus objectum; ſecundum relatè ad objectum directum, & immediatum, ideò &c.

Omitto hic alia non pauca, quæ poſſent hîc objici, aut quæri occaſione aſſertæ in Chriſto Domino evidentiæ abſtractivæ Trinitatis, quoad *An eſt*; verùm quæ potiora ſunt repeti poſſunt *ex præcit. cap.* 4. , reliqua non expedit ulterius proſequi; ideò concludo objectum ſcientiæ per ſe infuſæ, & ex dictis colligo ipſum non totum eodem modo attingi, ſed aliquid ejus attingi immediatè, comprehenſivè, intuitivè; aliquid immediatè & comprehenſivè, non intuitivè; aliquid mediatè dumtaxat, & ſolum quoad *An eſt*, aut vix amplius: Primo modo attingitur quidquid eſt extra Deum actu exiſtens & phyſicè coëxiſtens Chriſto cognoſcenti, etiamſi deinde ſit cordis ſecretum, aut quid ſupernaturale: Secundo modo attinguntur poſſibilia, præterita, & futura; etiamſi deinde hæc ſint ſimpliciter contingentia: Tertio modo attingitur Deus ut unus & trinus.

§. VI.

Vtrùm ſcientia per ſe infuſa habuerit ſemper in Chriſto aliquem actum ſecundum, & qualem?

99. *Scientia Chriſto per ſe infuſa fuit ſemper in aliquo actu ſecundo.*

ASSERT. 1. Scientia per ſe infuſa habuit ſemper in Chriſto aliquem actum ſecundum, ſeu fuit ſemper in aliquo actuali exercitio. Ita Nazarius *hic quæſt.* 11. *articulo quinto*, Cabrera *diſput. unica concl.* 4 Gabriel à S Vincentio *diſput* 11. *dub.* 11. Suarez *diſput.* 28. *ſec.* 1. Arriaga *diſput.* 39. *numer.* 45. Madernus *quæſt.* 6. *art.* 7. cæterique Scholaſtici communiter contra eos in primis, qui ut meminimus *præced. numer.* 17. ad uſum ſcientiæ infuſæ requirunt converſionem ad phantaſmata, quam Chriſtus ab initio conceptionis habere non potuit: Cenſeri etiam poteſt contrarius Gabriel *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt. un. art.* 3. arbitratus Chriſtum non potuiſſe ſimul de eadem re habere actum ſcientiæ beatæ, & actum ſcientiæ infuſæ; non eſt autem veriſimile Chriſtum contra exigentiam ſcientiæ beatæ caruiſſe ſemper aliquo ejus exercitio, ut relinqueretur locus exercendi ſemper ſcientiam infuſam.

Probatur: Scientia per ſe infuſa nullum habuit in Chriſto impedimentum elicujus actus ſecundi, & aliundè fuit animæ Chriſti convenientiſſimum, imò aliqualiter neceſſarium eſſe ſemper in aliquo illius ſcientiæ exercitio; ergo ſcientia per ſe infuſa habuit ſemper in Chriſto &c. Probatur antecedens quoad primam partem, tale impedimentum vel eſſent phantaſmata non expedita, vel eſſent actus ſcientiæ beatæ: non primum, quia ſcientia per ſe infuſa, ſicut ex ſupradictis non indiget ſpeculatione phantaſmatum, ita non impeditur ob impedita ſeu non expedita phantaſmata: Nec ſecundum, quia actus ſcientiæ beatæ non excludunt actus ſcientiæ infuſæ, cum iſti illis ſint ſubordinati potiùs, quàm oppoſiti; non item exhauriunt virtutem, quæ deberet impendi in exercitio ſcientiæ infuſæ, quia diverſa ſunt ſupernaturalia utriuſque ſcientiæ principia; & quamvis ſit una eademque naturalis virtus intelligendi, hæc tamen operatur ut elevata, quæ ratione menſuram activitatis deſumit à principijs ele-
100. vantibus; ideò &c. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem; tùm quia exercitium meriti in Chriſto ſupponit exercitium ſcientiæ infuſæ, à quâ, utpotè liberâ, regulatur meritum, quod debet & ipſum eſſe liberum; tùm quia non debuit eſſe minùs in actu ſcientia ſupernaturalis infuſa Chriſto, quàm ſcientia naturalis infuſa Angelis, atqui Chriſtus fuit ſemper in aliquo exercitio meriti, & Angeli ut ſuppono ex proprio tractatu *lib.* 5. *cap.* 3. *paragrapho* 1. habuerunt ſemper in aliquo actu ſecundo ſuam ſcientiam naturalem; ergo fuit animæ Chriſti convenientiſſimum, & aliqualiter neceſſarium eſſe ſemper &c.

Dices: ex D. Thomâ quæſt. 11. art. 5. in c. *Scientia indita animæ Chriſti fuit habitualis, & poterat ea uti, quando volebat*, &c. in reſp. ad 1. *non oportuit, quòd eſſet ſemper in actu*, & ratio à priori, qua etiam eluditur probatio deſumpta à paritate Angelorum, eſt quia anima unita corpori ex modo intelligendi ſibi connaturali petit ceſſare interdùm ab omni actu & remanere in pura potentia; ergo. Sed 101.
contra: Senſus D. Thomæ eſt, quod ſcientia indita fuit habitualis, quatenùs non fuit ſemper in actu adæquato, ut erat ſcientia beata; & poterat Chriſtus ea uti, quando volebat, quatenùs ad nullum actum determinatum neceſſitabatur, cum quo ſtat quod eſſet neceſſitatus aliqualiter; moraliter ſcilicet, non phyſicè, ad aliquem actum indeterminatè & vagè, ut de Angelis dicebamus; nec paritatem eludit, aut aſſertæ veritati efficit, ratio deſumpta ex connaturali modo operandi animæ unitæ, enimverò anima Chriſti in ipſo ſtatu unionis habebat perfectionem animæ ſeparatæ, non dependebat à corporis organis, non indigebat converſione ad phantaſmata; ob quam ſolam dependentiam, & indigentiam, animæ noſtræ connaturale eſt interdum, puta in ſomno, aut in magna corporis laſſitudine, ceſſare ab omni actu; è contrario igitur ob talem non dependentiam, & non indigentiam, connaturale fuit animæ Chriſti nunquam, neque in ſomno, neque in ulla alia corporis organorumve indiſpoſitione, ceſſare ab omni actu ſcientiæ inditæ.

Etiam quando in Chriſto ex ſomno, aut aliundè, erant impedita corporis organa.

Secunda tituli pars, quâ quæritur; Qualem in Chriſto actum ſcientia per ſe infuſa habuerit? valdè multa ſub ſe continet, 102.
quibus tamen majori ex parte jam ſatisfactum eſt, dum ſuprà attigimus; Qualis fuerit eadem ſcientia infuſa ſumpta habitualiter? ex ibi enim dictis conſtet actus illius ſcientiæ, illos etiam qui circa naturalia objecta verſantur, eſſe in ſubſtantia ſupernaturales propter ſupernaturalitatem luminis & ſpecierum, à quibus proficiſcuntur. Conſtat inſuper eoſdem actus per ſe & ſuapte natura elici, independenter, tum à ſpeculatione phantaſmatum, tum à diſcurſu, quamvis pro Chriſti libito poſſint utrumque admittere: & hinc deinde infertur eundem proportionaliter modo ſe habere ad compoſitionem diviſionemque conceptuum, cujus quidem aſſertionis intelligentia & plenior notitia repetenda eſt ex tract. de Angelis *lib.* 2. *cap.* 3 *paragrapho quarto*, & quia compoſitio, ac diviſio, ſupponunt ſimplices apprehenſiones, eodem libertatis titulo, quo Chriſtus in exercenda ſcientia infuſa potuit uti compoſitione & diviſione, uti pariter potuit ſimplicibus apprehenſionibus, & quidem ſupernaturalibus; quia ipſæ quoque proficiſcerentur à ſupernaturali lumine, & ſupernaturalibus ſpeciebus.

Actus ſcientiæ per ſe infuſæ ſunt ſupernaturales in ſubſtantia: Non requirunt, admittunt tamen, ſpeculationem phantaſmatum, diſcurſum, compoſitionem, diviſionem, & ſimplices apprehenſiones.

Quibus ſuppoſitis videtur ſolum ſub ſecunda tituli parte ſupereſſe inquirendum, qualis ſit ſcientiæ infuſæ actus, quoad adæquationem, vel non adæquationem objecti, & quoad propriam unitatem vel multipli

multiplicitatem ? & quidem, ſivè uno, ſivè pluribus actibus, ſcientiam infuſam in Chriſto habuiſſe ſemper actuale exercitium omnibus ſuis objectis adæquatum docet Marſilius *in 3. quæſtio. decima*, *articulo ſecundo*, & Gabriel à Sancto Vincentio *præcitato dubio undecimo*, *numero centeſimo quinquageſimo primo*. Idem exercitium adæquatum quidem aliquando, at non ſemper continuatum, ſed ſæpè ex Chriſti libertate interruptum, concedunt Vaſquez *diſputat. quinquageſima tertia*, *capite ſecundo*, *numero decimo tertio & decimo octavo*, & Madernus *præcitato articulo ſeptimo*, *num. 2. & 5.* Nihilominùs ſit

103. Aſſert. 2 Veriſimile eſt actum ſecundum, quem in Chriſto habuit ſcientia per ſe infuſa, nunquam fuiſſe toti latitudini objecti ejus adæquatum; & Chriſtum nunquam ſimul conſideraſſe, ſeu cognoviſſe actualiter, res omnes, quarum habebat ſpecies infuſas; ſed cognoviſſe modò unam, modo aliam, aliquando etiam multas ſimul; hocque uno, vel pluribus actibus, pro proprio libito. Hoc aſſertum eſt ex mente Divi Thomæ in verbis pro ſuperiore inſtantia adductis, colligitur inſuper ex Bonaventura, & Richardo *in 3. diſtinctione decima quarta*, & traditur ferè in terminis à Suario *præcitata ſectio. prima*, & cum aliqua licèt perplexitate ab Arriaga *præcitato*, *numero quadrageſimo ſecundo*, *& ſequenti*, contrà Marſilium, Gabrielem a S. Vincentio, Vaſquium, & Madernum locis ſuprà adductis.

Nullus actus ſcientiæ infuſæ fuit in Chriſto adæquatus toti talis ſcientiæ objecto.

Probatur prima pars: veriſimile eſt totam ſcientiam per ſe infuſam non conſiſtere in unica ſpecie, & omnia ejus objecta per plures ſpecies repræſentari: veriſimile eſt inſuper Chriſtum ex vi ſcientiæ infuſæ nunquam cognoviſſe actualiter plùs, quàm per unam ei ſpeciem repræſentetur; ergo veriſimile eſt actum ſecundum, quem in Chriſto habuit, &c. Conſequentia perſpicua eſt benè expendenti, & percipienti terminos; antecedens quoad primam partem habetur *ex præcedenti*

104. *numero trigeſimo nono*, *& quadrageſimo ſecundo*, quoad ſecundam probatur, ſicut ſpecies infuſæ Angelis ſunt adæquatæ virtuti intelligendi ipſorum, adeò ut Angeli ex dictis in proprio tractatu *libro ſecundo*, *capite tertio*, *paragrapho ſecundo*, eliciendo actum adæquatum uni ex ſpeciebus ſibi connaturalibus, nequeant ſimul elicere alium actum dependenter ab alia ſpecie, ità veriſimile eſt animam Chriſti ex modo intelligendi ſibi connaturali nunquam cognoſcere plus, quàm per unam ex ſpeciebus ſibi infuſis repræſentetur, & eliciendo actum uni ſpeciei adæquatum, non poſſe ſimul alia ſpecie infuſa uti in ordine ad alium actum; ergo.

Dices hoc totum benè procedere, ſi attendatur in anima Chriſti virtus intelligendi innata & naturalis, at attendenda eſt virtus elevata & obedientialis, cui certè non repugnat ſimul in actum ſecundum exire circa omnia prorſus ſcientiæ per ſe infuſæ objecta: Vndè eadem facilitate & libertate, qua ſuperiùs conceſſimus Chriſto plures alias perfectiones ex eo præcisè, quod non ſint repugnantes, nec fini redemptionis incongruentes, videtur nunc eidem concedenda conſideratio & actualis cognitio totius objecti ſcientiæ infuſæ, quæ cognitio eſt perfectio valde eximia, & inſuper videtur neceſſaria ad excludendam ab intellectu Chriſti ignorantiam propriam ſitam in carentia notitiæ debitæ. Sed contrà: ex regula generali non multiplicandi, nec augendi ſine neceſſitate miracula, uſus ipſe potentiæ obedientialis aſſerendus eſt accedere, quantùm poteſt, ad connaturalem & innatum cognoſcendi modum; ſicuti igitur in modo cognoſcendi naturali virtus intellectiva innata non extenditur ultrà objecta repræſentata per unam ſpeciem infuſam naturalem, ità in modo cognoſcendi obedientiali virtus intellectiva elevata non debet de facto extendi ultrà objecta repræſentata per unam ſpeciem infuſam ſupernaturalem; cum præſertim alioqui ſpecies ſupernaturales eſſent in ſua linea minùs perfectæ, & minùs commenſuratæ virtuti intelligendi, quàm ſpecies naturales: actualis igitur cognitio totius objecti ſcientiæ infuſæ, quamvis non repugnans, & perfectio alioqui eximia; non eſt de facto tribuenda Chriſto, quia nimis recedit à connaturali modo operandi animæ & augeretur miraculum ſine neceſſitate, imò cum incongruitate, quod non evenit in alijs, quas Chriſto conceſſimus, perfectionibus. Quod addebatur de ignorantia nihil probat, quia hæc ſufficienter excluditur per ſcientiam habitualem, quando ſimul adeſt facultas ea utendi, ejuſque ſpecies excitandi pro libito, & aliunde non deeſt pro iiſdem objectis aliqua alia ſcientia actualis, licèt diverſæ rationis. 105.

Urgebis ex Vaſquio *præcitato capite ſecundo*, *numero decimo quarto*. Si ad excludendam ignorantiam ſufficit aliqua ſcientia habitualis, hæc non eſt habitus ullus infuſus, ſed eſt actus ſcientiæ præteritus, qui quaſi habitualiter permanet, quatenùs manet in memoria; non poteſt igitur in Chriſto excludi omnis ignorantia objectorum ſcientiæ infuſæ, niſi aliquando Chriſtus omnia hujuſmodi objecta actu cognoverit: Nec videtur hoc eſſe à nobis negabile, poſtquam ſuprà *numero* 106.
decimo quinto, docuimus ad excludendam à Chriſto beato omnem futurorum ignorantiam non ſufficere quod Chriſtus per ſcientiam beatam omnia futura cognoſcat habitu. Sed contrà: Actus præteritus manens per ſui ſpeciem in memoria pertinet ad ſcientiam habitualem experimentalem, quæ non facit nunc ad rem: Dico igitur ignorantiam excludi per ſcientiam habitualem etiam ſumptam pro habitu infuſo, quando talis habitus præter lumen importat ſpecies, quarum excitatio non ſit expectanda ab extrinſeco; hinc quia Chriſtus tùm ratione ſcientiæ beatæ, per quam omnia ſemper actu conſiderat, tùm ratione ipſiuſmet ſcientiæ infuſæ, qua veriſimile eſt habere ſemper cognitionem aliquam actualem implicitam omnium perfectionum ſibi inhærentium, adeóque omnium ſpecierum intentionaliū ad ipſummet habitum ſcientiæ infuſæ pertinentium; quia, inquam, Chriſtus duplici hac ratio-

Quomodò Chriſtus exercitet in ſe ipſo ſpecies ſcientiæ infuſæ?

ne poteſt ex ſe præcisè quamlibet intentionalē ſpeciem excitare, rectè dicitur non ignorare ea, quorum habet ſcientiam habitualem adeò facilè ex ſola propria libertate deducibilem ad quemlibet actum ſecundum: Neque hoc inconſequens eſt ad ſupradicta de ſcientia beata, iſte enim, ut ſæpiùs attigimus, ex propria conditione repugnat mutari, & ſucceſſivè deduci ad actum ſecundum; ideò &c. Deinde ſcientiæ beatæ, utpotè perfectiori ſcientia infuſa, convenientiſſimum eſt, quod perfectiore & actualiore modo ignorantiam excludat.

107. Probatur jam ſecunda aſſerti pars, imò probata manet ex præcedentibus, ſi enim Chriſtus ex vi ſcientiæ infuſæ habet ſemper aliquem actum, & nunquam talem, quo res omnes ſpeciebus infuſis repræſentatas cognoſcat, conſequens eſt, quòd modò habeat unum actum quo cognoſcat unam rem, modò alium quo cognoſcat aliam pro libito, & aliquando etiam plures res repræſentatas à pluribus ſpeciebus, dummodò omnes ſimul non excedant eas, quæ ſunt una ſpecie repræſentabiles, & has plures res liberum eſt Chriſto ſimul attingere uno actu, vel pluribus inadæquatis; pro quo recole, & huc proportionaliter transfer, quæ dicebamus de Angelis *præcitat. cap.* 3. §. 2. Interim moneo totam hanc ſecundam

108. Quomodò verum ſit nos habitibus infuſis uti, Quando volumus, & Quantùm volumus.

aſſerti partem plurimùm corroborari ex eo, quod de habitibus infuſis, ſubintellige in via, & aut viæ proprijs, aut ſaltem convenientibus homini etiam ut viatori, ſicuti Chriſto etiam ut viatori convenit ſcientia per ſe infuſa; quod, inquam, de talibus habitibus dici ſolet, Habitibus utimur, quando volumus, & quantùm volumus. Quòd ſi dicas hâc eadem propoſitione impugnari, tùm primum aſſertum, tùm primam partem ſecundi aſſerti. Quomodò enim Chriſtus habitu ſcientiæ infuſæ utitur quando vult? ſi ſemper debet eo uti; quomodò utitur, quantùm vult? ſi nunquàm poteſt eo uti adæquatè. Contrà eſt, ly *Quando & quantum*, debent intelligi cum diſtributione accommodata, adeò ut ly *Quando* referatur ad actum quemlibet determinatè, non ad actum aliquem vagè: ly *Quantum* referatur ad quamlibet ſcientiæ infuſæ ſpeciem, non ad ſpecies omnes; nam etiam Angelus rectè dicitur uti ſua potentia intellectiva, quandò & quantùm vult, licèt nec poſſit ceſſare ab omni ejus actu, nec elicere actum perfectè attingentem omnia ſimul talis potentiæ objecta. Non negaverim obiter ly *Quantum* rectè etiam referri ad quantitatem intenſivam, quatenùs Chriſtus poteſt pro libito ex vi ſcientiæ infuſæ elicere actus magis, vel minùs intenſos; nihilominus, dum poteſt ſimul commodè referri ad quantitatem extenſivam, meliùs pleniúſque ſalvatur illius propoſitionis veritas; ideò &c.

CAPUT IV.

De ſcientia naturali intellectus humani Chriſti.

ALIQUI minùs attentè expendentes, aut minùs intimè penetrantes, variam terminorum ſignificationem, 1. putant omnem ſcientiam ſupernaturalem eſſe à Deo per ſe infuſam, nullamque poſſe à nobis aquiri; omnem naturalem eſſe à nobis per ſe aquiſitam, aut potiùs aquiſibilem, nec poſſe à Deo infundi niſi per accidens; cum tamen re vera præſertim ſumendo habitum prout dicit coordinationem, intenſionemque ſpecierum aliquis habitus ſcientiæ ſupernaturalis poſſit per ſe aquiri, aliquis habitus ſcientiæ naturalis poſſit per ſe infundi: Primum colligitur ex tract. de virtut. Theolog. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 68. Secundum habetur ex tract. de Angelis *lib* 2. *c.* 1. ubi poſuimus ſpecies intentionales Angelicas non poſſe aut ab Angelorum eſſentia emanare, aut ab objectis accipi, ſed ex natura ſua debere à Deo infundi, quod eſt ſcientias naturales in Angelis eſſe per ſe infuſas; nec propterea idem prorsùs eſt infuſionis modus in naturalibus, & in ſupernaturalibus ſcientiis; nam in primis ſcientiæ ſupernaturales infundūtur tùm quoad ſpecies, tùm quoad lumen; cum ſcientiæ naturales infundantur ſolùm quoad ſpecies, lumen verò in ordine ad omnem cognitionem naturalem intrinſecum, innatumque ſit; Deinde illæ infunduntur a Deo ut Auctore ſupernaturali ad exigentiam gratiæ & gloriæ; iſtæ ab eodem ut Auctore naturali ad exigentiam naturæ rerumvè naturalium. Hæc libenter monui, ne aliquis 2. hæreat in facienda ſub præfixo titulo diviſione ſcientiæ naturalis in per ſe infuſam, & per ſe aquiſitam ſeù aquiſibilem; intelligendo nomine ſcientiæ per ſe infuſæ ſpecies naturales univerſales in repræſentando & quoad uſum independentes à ſpeculatione phantaſmatum, quales ſunt ſpecies debitæ intellectui Angelico, aut humano ſeparato; nomine ſcientiæ per ſe aquiſibilis ſpecies naturales repræſentantes ſingulæ ſingula objecta, exigentes dependere à phantaſmatum ſpeculatione in ſui uſu, ſicut & ab eorundem deputatione in ſuo produci, quales ſunt ſpecies, quas anima corpori cōjuncta ſenſuum & intellectus agentis miniſterio ſibi comparat, & iſtæ, aut iſtis ſimiles, ſi præter propriam exigentiam communicentur immediatè à Deo, dicuntur infundi per accidens, & tales fuerunt ſcientiæ divinitùs infuſæ Adamo, & Salomoni.

Scientia, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis alia per ſe infuſa, alia per ſe aquiſibilis.

Quid ſcientia naturalis per ſe infuſa?

Quid ſcientia naturalis per ſe aquiſibilis?

Porrò ſic explicatis terminis ſcientia naturalis per ſe infuſa modicam habet reſpectu Chriſti controverſiam, admittitur enim communiter & ſolùm de ejus objecti latitudine aliquantulùm diſſidetur: Habet verò controverſiam majorem ſcientia naturalis per ſe aquiſibilis, non quòd in quæſtionem abſolutè vocetur, utrùm exiſtat in Chriſto talis

ſcien

ſcientia, necne? ſed quod exiſtentiâ ſuppoſitâ ingens ſit diſſidium circa exiſtentiæ modum; utrùm ſcilicet exiſtat vel modo conveniente ſibi per ſe & ex aequiſitione propria; vel modo conveniente ſibi per accidens, & ex infuſione divina; vel partim priore partim poſteriore modo, partim ex propria aquiſitione, partim ex divina infuſione?

Scientiam naturalem per ſe aquiſibilem fuiſſe in Chriſto verè aquiſitam, & ſucceſſivo temporis decurſu proprijs ejus actibus integrè comparatam docent D. Thomas *hic q.9. art.4.* & *quæſt.12.art.1.* & 2. Medina, Caietanus, Sylvius *ibid.* Ioannes à S. Thoma *diſp.11. art.1.* Gonetus *diſp.18. art.2.* Major *in 3. diſtinct.14.quæſt.5.* Marſilius *in 3. quæſt.10. art.2.* Vaſquez *hic diſp.55.cap.2.* & 3. Valentia *q.9. punc.2.§.Nihilominus.* Amicus *diſp.21.num.31.* Madernus *quæſt.6. art* 8. & cum tota ſchola Thomiſtica major pars Recentiorum, nonnullique alij Scholaſtici.

3. Scientiam naturalem per ſe aquiſibilem fuiſſe totam Chriſto infuſam per accidens, adeò ut Chriſtus ſucceſſivo decurſu temporis habuerit quidem (quod innegabile eſt) novas ſenſationes, quæ tranſmittendo ſpecies ad ſenſum interiorem excitaverint intellectum ad novas notitias; at hinc non aquiſieriti alias ſpecies, niſi experimentales & memorativas aptas repræſentare res non ſecundùm ſe, ſed ut ſenſatas ſeu ſenſatione perceptas; ſenſationemque & experientiam objectorum potiùs, quàm objecta ipſa præſertim ſumpta ſecundùm ſuas quiditates, & ut abſtrahunt à conditionibus materialibus individuantibus, quà ſolum ratione pertinent
4. ad ſcientias naturales propriè acceptas. Scientiam, inquam, naturalem in hoc ſenſu totam fuiſſe Chriſto per accidens infuſam docent Bonaventura *in 3.diſt.14. art.3. quæſt.2.* Durandus *ead.diſt quæſt.4.* Gabriel *quæſt.un. art.3.* Paludanus *quæſt.2.* Soarez *diſp.30.ſec.6* Lugus *diſp.21.ſec.1.* Gabriel à S. Vincentio *diſput.9. dub.6.* & aliqui alij, tùm Antiqui, tùm Recentes, non ſine diſſidio inter ſe circa tempus infuſionis, quam ſucceſſivè factam prout ſucceſſivè diſponebantur phantaſiæ organa exiſtimat Lugus, factam verò totam ſimul in inſtanti conceptionis cenſet Suarez, de quo tamen Lugus *præcit. ſec.1. num.3.* ſicut & Arriaga *diſp.40.num.15.* dubitat quod ſcientiam naturalem ſimilem illi, quæ convenit animæ ſeparatæ & Angelo confuderit cum ea, de qua nunc agimus, & quæ longè diverſa eſt ut jam præmiſimus.

5. Scientiam eandem fuiſſe ex parte, ideſt quoad ea quæ Chriſtus erat in vita aliquando ſenſibus percepturus verè aquiſitam; ex parte, ideſt quoad reliqua infuſam per accidens, docent Gaſpar Hurtadus *diſp.8. diffic.22.* Arriaga *diſp.40. ſec.1. ſubſec.1.* & 2. & alij quidam Recentiores, ad quos accedit ex Scotiſtis Maſtrius *diſp.5.quæſt.4. num.75.* De Scoto ipſo quid hac in controverſia ſenſerit non eſt ſatis perſpicuum, ut colligitur ex ijs quæ obſervat idem Maſtrius *num.70.* & 76. & obſervaverat quoque Vaſquez *præcit.cap.1. num.1.* unde nimia facilitate ſolet à pluribus Doctor ſubtilis recenſeri cum Auctoribus ſecundæ ſententiæ *præced.num.* memoratis. In hac opinandi varietate & ambiguitate quid veriſimilius ſit ſtatuam poſtquàm expediero priorem & faciliorem controverſiæ partem de ſcientia naturali per ſe infuſa, ideò ſit.

---

§. I.

Utrùm detur in Chriſto & ad quid ſe extendat ſcientia naturalis per ſe infuſa?

ASSERT. 1. Verè datur in Chriſto ſcientia naturalis per ſe infuſa ſimilis ei, quam ex propriæ naturæ conditione exigunt anima ſeparata & Angelus. Hoc aſſertum colligit ex D. Thoma *hic quæſt.11.art.1.* necnon *opuſc 2.cap.216.* Gonetus *diſp.17. art... n.11.* & illud tradunt tùm Vaſquez, Amicus, Arriaga, qui ut retulimus *præced. num.63.* non admittunt in Chriſto reſpectu rerum naturalium alias ſpecies, quàm naturales; & tamen has collocant ſub ſcientia per ſe infuſa; tùm cæteri Recentiores & Thomiſtæ communiter tribuentes ſpecies naturales per ſe infuſas animabus ſeparatis, & Angelis, contra Scotum cum ſuis alioſque nonnullos, qui ex eo, quòd nullas ſpecies in repræſentando univerſales agnoſcant, putant ſolas ſpecies ſupernaturales poſſe per ſe infundi, in quo tamen iſti Auctores non ſunt nunc ex profeſſo improbandi, præſtitimus id in tract. de Angelis, & conformiter ad ibi dicta jam in Capitis limine ſuppoſuimus ſcientiam naturalem, naturaleſque rerum naturalium ſpecies, poſſe per ſe infundi. His igitur aliundè ſuppoſitis 6.

Habuit Chriſtus ſcientiam naturalem per ſe infuſam.

Probatur aſſertum: Anima Chriſti etiam corpori conjuncta pro ſtatu viæ habuit perfectionem animæ ſeparatæ in ijs, in quibus talis perfectio non obſtabat fini redemptionis; atqui ad perfectionem animæ ſeparatæ, pertinet habere ſpecies naturales, in repræſentando univerſales conſtituentes ſcientiam naturalem per ſe infuſam, hocque nullatenùs obſtat fini redemptionis; ergo hujuſmodi ſpecies habuit anima Chriſti etiam corpori conjuncta pro ſtatu viæ, ergo verè datur in Chriſto ſcientia naturalis per ſe infuſa ſimilis ei &c. Major jam ſæpiùs tradita eſt, & iterùm ſæpè tradetur in progreſſu hujus tractatus: Minor quoad primam partem ſupponitur ex tract. de Angelis, quibus in modo intelligendi affines prorsùs ſunt animæ ſeparatæ, quoad ſecundam partem probatur, quia obſtat fini redemptionis, quod obſtat poſſibilitati aut merito, his autem non obſtat habere ſpecies naturales in repræſentando univerſales; nec apparet cur poſſibilitati, merito, & fini redemptionis, obſtare in Chriſto poſſit ſpecierum naturalium potiùs, quàm ſupernaturalium univerſalitas & independentia à phantaſmatibus univerſalitatem conſequens, cum aliundè anima puri viatoris conjuncta corpori non minùs in ſupernaturali, quam in naturali cognitione, à phãtaſmatibus pẽdeat. Cõfirmatur ex eo, quod anima Chriſti præſertim in ijs, quæ ſpectant 7.

ad actum primum, debet eſſe perfecta & completa non minùs in ordine naturali proportionaliter loquendo, quàm in ordine ſupernaturali, at in iſto habet per ſe infuſas ſpecies ſupernaturales; ergo in illo habet per ſe infuſas ſpecies naturales.

Dices: per nos anima Chriſti habet ſupernaturales rerum omnium naturalium ſpecies *ex præcedent. num.* 63. eaſque in repræſentando univerſales, & excepta ſuperioritate ordinis omninò ſimiles illis, quos in præſenti aſſerimus, ergo iſtæ ſuperfluæ prorsùs ſunt & otioſæ, in eo enim genere, in quo quis habet perfectionem ſuperiorem, ſuperfluit omninò, & otiatur perfectio inferior. Sed contrà in ijs,
8. quæ ſunt prorsùs homogenea, & ſe excedunt ſolùm penes majorem, minoremvè intenſionem, tranſeat exiſtente majori, ſuperiorique perfectione, ſuperflue addi perfectionem minorem, inferioremque; ſecus in reliquis; cum igitur naturales & ſupernaturales rerum earundem ſpecies, licet aliquo in univerſalitate ſimiles, ſint adhuc inter ſe magis, quàm ſolo numero, aut ſola intenſiva perfectione, diverſæ, non redduntur ex ſupernaturalibus ſuperfluæ & otioſæ naturales, & licet utræque repræſentent res in proprio genere, adhuc repræſentant in ordine ad diverſam, ſupernaturales in ordine ad ſupernaturalem, naturales in ordine ad naturalem cognitionem. Neque dicas pro naturali rerum naturalium cognitione in proprio genere dari ſpecies per ſe aquiſitas, aut infuſas per accidens, adeóque etiam in ordine ad talem cognitionem ſuperfluere ſpecies naturales per ſe infuſas. Contra enim: cognitio rerum naturalium in proprio genere alia eſt diſcurſiva, dependens à phantaſmatibus, & propria intellectus conjuncti corpori; alia eſt ſine diſcurſu, ſine dependentià à phantaſmatibus, & propria intellectus ſeparati à corpore; ad illam inſerviunt ſpecies per ſe aquiſitæ, ad iſtam ſpecies per ſe infuſæ, animæ autem Chriſti utpotè gaudenti perfectionibus conjunctæ & ſeparatæ ſicuti debetur uterque cognitionis modus, ita & utriuſque modi ſpecies.

Neque iſtæ ſuperfluunt, aut ob ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem.

Aut ob ſcientiam naturalem per ſe aquiſitam.

Ex quo ſpecies præaſſertas poſuimus ſimiles angelicis illicò dubitari poteſt, quænam ſint univerſaliores; illæ ne, an angelicæ? Verùm præſto eſt ex dictis reſponſio, ex eo enim
9. quod ſupra *num.* 41. & 42. agendo de ſpeciebus ſupernaturalibus fuerimus quoad majorem ipſarum in Chriſto, vel in Angelis, univerſalitatem, problematici, facilè deducitur nunc in ſpeciebus naturalibus, quarum perfectio & univerſalitas in Chriſto penes exigentiam naturæ, non penes exigentiam gratiæ debet attendi, ſtandum omninò eſſe pro majori univerſalitate ſpecierum angelicarum utporè naturam, intellectumque perfectiorem conſequentium.

Species naturales Chriſto per ſe infuſæ ſ... minùs univerſales angelicis.

Aſſert. 2. Scientia naturalis Chriſto per ſe infuſa non extenditur ultra objecta naturalia ad hoc univerſum pertinentia, & aut in eo aliquando exiſtentia, aut cum in eo exiſtentibus neceſſariò connexa. Ita Arriaga *diſp.* 40. *ſec.* 2. & exiſtimo idem ſentire omnes Auctores pro præcedenti aſſerto memoratos, licet vix ullum inveniam expreſsè & dearticulatè loquentem, fortè quia res eſt incerta; undè ipſemet Arriaga præcitatus addit ſatis probabiliter diſcurſurum eum, qui pro objecto ſcientiæ naturalis Chriſto infuſæ aſſignaret illud omne, ad quod ulla cognitio naturalis extendi poteſt, adeóque omnia poſſibilia tàm ordinis naturalis quàm ſupernaturalis; quæ tamen Arriagæ liberalitas non placet, ideò aſſertum, ut jacet,

Probatur. Scientia naturalis Chriſto per ſe infuſa conſequitur exigentiam naturalem, & 10.
vim cognoſcitivam innatam animæ Chriſti ſecundùm perfectionem, quam habet ſeu haberet ut ſeparata; in hac quippè vix ullus perfectionum naturalium modus poſſet determinari & aſtruendus foret cumulus omnium perfectionum naturalium poſſibilium, ſi etiam naturalia deberent accommodari, & ſuo modo commenſurari unioni hypoſtaticæ, atqui exigentia naturalis, & vis cognoſcitiva innata animæ Chriſti, quamvis ſumptæ ſecundùm ſtatum ſeparationis, non extenditur ultra objecta naturalia ad hoc univerſum pertinentia, & aut in eo aliquando exiſtentia &c. ergo ſcientia naturalis Chriſto per ſe infuſa non extenditur &c. Minor probatur; exigentia naturalis & vis cognoſcitiva innata in animâ Chriſti quamvis ſumpta ſecundùm ſtatum ſeparationis nequit eſſe major, quàm in Angelis, ſicuti nequit eſſe major in illa, quàm in iſtis perfectio eſſentialis & ſpecifica; atqui exigentia naturalis, & vis cognoſcitiva innata in Angelis non extenditur ultra objecta naturalia ad hoc univerſum pertinentia, ut ſuppono ex proprio tractatu *lib.* 2. *cap.* 2. per totum, ergo &c. Hinc, ſi ad humanum Chriſti intellectum transferas ea, quæ ibi de objecto naturali intellectus angelici diſſerebamus, habebis in particulari res omnes, quas poteſt Chriſtus ex vi ſcientiæ naturalis per ſe infuſæ cognoſcere, & modum quo ſingulas, vel immediatè vel mediatè, vel intuitivè vel abſtractivè, 11.
cognoſcit; habebis ſcilicet ipſum poſſe ex vi naturalis ſcientiæ immediatà intuitivè, imò & comprehenſivè cognoſcere propriæ animæ ſubſtantiam, omneſque potentias ac perfectiones naturales ſibi intrinſecas; poſſe inſuper intuitivè cognoſcere objecta naturalia extrinſeca in ea differentia temporis, in qua ſibi phyſicè coexiſtunt; præterita poſtquam extiterunt & futura antequàm exiſtant dumtaxat abſtractivè, immediatè quoad probabilitatem, mediatè quoad exiſtentiam; ex purè poſſibilibus multa at non omnia mediatè, nullum immediatè; Deum mediatè ſolùm, & ſic de reliquis, in quibus quãdo facienda eſſet aliqua exceptio, videretur potiſſimum poſſe fieri in cordium ſecretis, dicendo iſtorum naturales ſpecies Chriſto infuſas non pendere in actuali repræſentatione à conſenſu elicientis, ut pendent ſpecies Angelicæ; fateor hoc non repugnare, at non video, cur de facto id debeatur virtuti naturali cognoſcitivæ Chriſti potiùs, quàm Angelorum; cum aliunde Chriſtus nullo requiſito conſenſu ea ſecreta clarè in ſeipſis intueatur virtute cognoſcitiva ſupernaturali, idque tùm in Verbo,

Nec extenduntur ultra objecta, ad quæ extenduntur ſpecies angelicæ?

Quænam ſint in particulari hujuſmodi objecta?

tùm

Digitized by Google

tùm in proprio genere, ut ſuperiùs oſtenſum eſt.

Dices animam Chriſti ad Angelos comparatam eſſe in ſua ſpecie minus non æquè perfectam, adeóque comparationem à nobis factam, ſi quid probat, probare in ſpeciebus naturalibus Chriſto infuſis minorem quàm in Angelicis perſectionem & extenſionem ad pauciora objecta, quod eſt nimis probare, ſpecieſque prædictas nimis deprimere; aliunde igitur iſtarum perfectio & extenſio attendenda eſt, nimirùm ex nobilitate illius animæ ut unitæ Verbo; at ex hoc capite ſpecies Chriſto per ſe infuſæ videntur deinde extendendæ ad omnia prorsùs objecta cognoſcibilia cognitione naturali, ſpecies enim ſic extenſæ non videntur poſſe ab alio congruentiù exigi, quam ab unione hypoſtatica; ſeù quam ab anima hypoſtaticè unita.

12. Sed contrà: Permitto vix ullum fore fundamentum negandi ſpeciebus naturalibus Chriſto per ſe infuſis omnem prorsùs poſſibilem extenſionem, quoties iſta eſſet menſuranda ex nobilitate animæ ut Verbo unitæ, at menſuranda eſt magis ex propria conditione animæ, ut acceptæ ſecundùm ſuam naturam, cui Deus etiam in Chriſto præſertim in naturalibus donis ſe accommodat ex genio operandi modo creaturis connaturaliore, & remotiore à miraculorum multiplicitate: Neque hæc doctrina, quod erat inſtantiæ initium, in propoſito nimis probat; nam licèt probet minorem in ſpeciebus Chriſto infuſis, quàm in Angelicis perfectionem, prout minor perfectio dicit minorem univerſalitatem, de qua ſuprà *n.9.* non ſic probat in tota collectione ſpecierum extenſionem ad pauciora objecta, alioqui eadem ratione potentia intellectiva animæ ad pauciora objecta, quàm potentia intellectiva Angeli extenderetur; ſicuti igitur minor illius potentiæ præ iſta perfectio attenditur penes minùs intenſam, non minùs extenſam, objectorum attingentiam; ità proportionaliter minor perfectio ſpecierum infuſarum animæ præ ſpeciebus infuſis Angelo attendenda eſt penes minorem ſingularum ſpecierum univerſalitatem, quæ eſt perfectio illarum quaſi intenſivam, non penes totius collectionis ſpecierum extenſionem ad pauciora objecta.

Species naturales Chriſto per ſe infuſæ in quonam ſint minùs perfectæ angelicis?

13. Plura hic poſſent in quæſtionem vocari circà uſum ſpecierum naturalium Chriſto per ſe infuſarum: utrùm poſſit talis uſus haberi etiam cum diſcurſu, etiam cum dependentia à phantaſmatibus? Quomodo Chriſtus eas excitet & utrùm poſſit ab omni earum excitatione, exercitatione neque ceſſare, quod eſt idem ac quærere, utrùm poſſit eſſe ſine omni actu ſecundo ſcientiæ naturalis per ſe infuſæ? Vtrùm poſſit Chriſtus ſimul uti pluribus, aut etiam omnibus hujuſmodi ſpeciebus adæquatè, aut ſaltem inadæquatè acceptis? quod eſt idem ac quærere, utrùm poſſit Chriſtus habere actum ſecundum adæquatum toti latitudini objecti ſcientiæ naturalis per ſe infuſæ, vel ſaltem ex rebus ſub tali objecto contentis aliquando intelligere multa ſimul ſivè uno, ſivè pluribus actibus? Verùm pro his & ſimilibus quæſitis ſufficit recolere quæ dicebamus partim in tractatu de Angelis *libro 5. cap.3,* partim *cap. præcedenti §.4. & 6.* ex dictis enim primo loco circà ſpecies naturales infuſas Angelis, & ſecundo loco circà ſpecies ſupernaturales infuſas Chriſto habetur in terminis quidquid pertinet ad præmemorata quæſita, & ad uſum actumve ſcientiæ naturalis per ſe infuſæ, de qua in præſenti; eſt enim hæc ſcientia tùm ſcientiæ naturali Angelorum, tùm ſcientiæ ſupernaturali Chriſti valde ſimilis, licet aliqualiter ab utriuſque perfectione deficiens, à poſteriore quidem ratione inferioris ordinis & reſtrictioris objecti, à priore verò ratione ſpecierum minùs univerſalium, & quoad actum ſecundum etiam ratione virtutis intellectivæ ex genere ſuo minoris in anima, quàm in Angelo; unde ſi ſupponas idem objectum, puta Cœlum, actu naturali ſcientiæ per ſe infuſæ cognoſci, tùm à Chriſto, tùm ab Angelo, facilè cæteris paribus concedam aliquam majorem perfectionem naturalem in actu Angeli, quàm in actu Chriſti, ut concedit etiam Arriaga *diſput. 40. ſect. 1. num. 12.*

Illarum ſpecierum excitatio & uſus qualis.

---

§. II.

Vtrùm detur in Chriſto naturalis ſcientia, tùm experimentalis, tum aliqua alia propriis ejus actibus aquiſita, & præter hanc utramque aliqua etiam infuſa per accidens?

ASSERT. 1. Verè datur in Chriſto ſcientia naturalis experimentalis ſucceſſivo 14.
decurſu temporis habita. Eſt veritas recepta communiſſimè, quam omnino certam vocat Arriag *diſp. 40. ſect. 5. ſubſect. 1.* & quidem talis eſt ſi nomine ſcientiæ experimentalis veniat ſolum ſenſuum experimentù inducens cognitionem intellectus, ſivè deinde iſta fiat per ſpecies de novo intellectui advenientes, ſivè per præexiſtētes de novo ſolū excitatas, hâc quippe ratione Chriſtum habuiſſe ſcientiam experimentalem æquè certum eſt, ac certum ſit ipſum habuiſſe aliquod ſenſuum exercitium, ſi verò ejuſdem ſcientiæ nomine veniant ſimul cum experimento ſenſuum novæ ſpecies dependenter à ſenſibus in intellectu & ab intellectu aquiſitæ, res etiam vera eſt & recepta communiter, at non adeò certa; nihilominus in hoc quoque ſenſit.

Datur verè in Chriſto propria ſcientia experimentalis ſucceſſivè habita.

Probatur: Habuit Chriſtus decurſu temporis varium experimentum & exercitium ſenſuum; conſtat enim ex Evangelio eum multa, quæ anteà ſenſibus non perceperat, percepiſſe, vidiſſe, tetigiſſe, guſtaſſe; atqui ſine ulla neceſſitate, imò cum magna incongruitate, diceretur ipſum in eo experimento & exercitio ſenſuum ad cognoſcenda ſucceſſivè objecta, quæ ſenſibus percipiebat, ſenſationeſque ipſas, uſum fuiſſe ſolis ſpeciebus à Deo per accidens infuſis; ergo iſta cognoſcebat per ſpecies mediis iiſdem ſenſationibus propriáque intellectus agentis virtute ſucceſſivè comparatas; quod eſt verè dari in Chriſto ſcientiam naturalem experimentalem ſucceſſivo decurſu temporis habitam. Minor 15.
proba

probatur, diceretur id ſine ulla neceſſitate, quia habet Chriſtus principia naturalia & connaturalia, intellectum ſcilicet agentem & phantaſmata, quibus ſibi ſpecies illas elaboret: diceretur cum magna incongruitate primò, quia non ſalvaretur in Chriſto ulla intellectio propriè facta modo humano,

Intellectionis modo humano factæ deſcriptio.

& debito animæ corpori conjunctæ, conſiſtente in eo, quod objectum ſenſibile imprimat ſui ſpeciem ſenſui externo, qui ſenſationis à ſe elicitæ ſpeciem tranſmittat ad internum; iſte ea ſpecie excitatus in proprium actum erumpat, & producat phantaſma ſubſerviens intellectui agenti ad eruendam ſpeciem intelligibilem objecti ſenſibilis & ſenſationis, qua perceptum eſt, repræſentativam: Secundò quia inferretur violentia alicui facultati naturali animæ Chriſti, nimirùm vel intellectui agenti, ſi Deus infunderet immediatè ſpecies intelligibiles, quas ille deberet & peteret virtute propria eruere, vel ſenſui interno ſi (ut nonnullos malle meminit Amicus.

16. *diſp*.21 *num*.16.) Deus immediatè produceret phantaſmata, ex quibus intellectus agens erueret ſuas ſpecies. Confirmatur ex eo, quia ſpecies, quibus Chriſtus cognoſcebat objecta ſenſibus ſucceſſivè occurrentia, vel fuiſſent à Deo infuſæ omnes ſimul in conceptionis inſtanti, vel ſeorſim juxta ſucceſſionem, qua objecta ſenſibus occurrebant, at neutrum rectè dicitur, ergo ſpecies illæ per ſe aquiruntur virtute propria animæ Chriſti, non infunduntur à Deo per accidens: probatur minor quoad primum, quia ſpecies illæ non ſolùm quoad productionem, verùm etiam quoad uſum & conſervationem requirunt certam quamdam phantaſiæ diſpoſitionem, quam Chriſtus paulatim habuit, non illicò in conceptionis inſtanti, Deus autem facilè ſupplet cauſam neceſſariam ad productionem, non ſic diſpoſitionem præſertim requiſitam etiam ad conſervationem & uſum, ut obſervat Lugus *diſput*.21.*num*.12. Probatur eadem minor quoad ſecundum, quia eſt contra ordinariam Dei providentiam, quod ipſe in præſentia cauſarum ſecundarum produeat ſe ſolo eundem prorsùs effectum, quem ſunt natæ producere ipſæ cauſæ ſecundæ, & ex alia parte cæteris paribus melius eſt Chriſto habere ſpecies ab intrinſeco virtute propria comparatas, quàm ab extrinſeco communicatas virtute divinâ; ergo.

17\. Accedunt hiſce rationibus auctoritates plurium Sanctorum Patrum ſuper varia Scripturæ loca ut ſuper illud Heb.5. *Et quidem, cum eſſet filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam* & Luc.2. *Ieſus proficiebat ſapientia & ætate*. Item ſuper illud Iſai.8 *Antequã ſciat puer* (ſermo eſt de Chriſto) *vocare patrem ſuum, & matrem ſuam* & Matth.14. *de die autem illa & hora nemo ſcit*, &c. ex quibus locis duo priora (ut videre eſt apud Vaſquium *diſp*.55 *cap*.2.& Amicum *diſp*.21.*n*.12.) paſſim intelligunt de Chriſto obedientiam ediſcente, & ſucceſſivè proficiente quoad ſcientiam experimentalem; duo poſteriora de eodem adhuc neſciente neſcientia, ſeù ignorantia notitiæ experimentali oppoſita: Eſt igitur juxtà mentem Sanctorum

Auctoritates pro ſcientia experimentali ſucceſſivè à Chriſto habita.

Patrum, & valdè conſonum Sacris Scripturis, quòd ſucceſſivè habuerit Chriſtus ſcientiam experimentalem, hancque propriè talem, importantem ſcilicèt ſimul cum ſucceſſiva ſenſuum experientia ſucceſſivam aquiſitionem ſpecierum intelligibilium illi experientiæ correſpondentium.

Dices præmemoratis Scripturæ locis facilè adhiberi alias interpretationes, ex quibus aliquas nos ipſi receſſimus *præced*.c.3.*n*.13.& ſpecialiter illud *Ieſus proficiebat Sapiẽtia* aliquãdo à Sanctis Patribus (ut refert Amicus *diſp*.16. *num*.28 & *diſp*.21 *n*.5) intelligitur de profectu non intrinſeco & reali, ſed ſecundum apparentiam, & manifeſtationem externam, quod eſt à Chriſto excludere ſucceſſivam acquiſitionem ſcientiæ experimentalis verè & propriè talis. Sed contrà: ex eo, quod præallata 18.

Occurritur auctoritatibus oppoſitis.

Scripturæ loca interpretationes alias admittant, fit veritatem à nobis aſſertam non apertè ex ſcriptura conſtare, nec eſſe aut de fide, aut fidei proximam, quod ultrò damus; at cum hoc ſtat eidem veritati ſcripturam favere, multoque magis Sanctos Patres qui interpretationes eam ſupponentes adhibent: Ad interpretationes oppoſitas omne reale ſcientiæ incrementum à Chriſto excludentes dico iſtas, vel fuiſſe adductas agendo contrà Arrianos tribuentes ſcientiæ incrementum ipſi Verbo Divino, adeóque procedere de Chriſto ut Deo; vel ſi procedunt de Chriſto ut homine excludere ab eo reale incrementum ſcientiæ ſimpliciter, non verò ſolius ſcientiæ experimentalis, aut etiam alterius dependenter ab iſta per ſe aquiſibilis, de qua ſit

Aſſert. 2. Præter ſcientiam experimentalem præcisè, & propriè talem, datur in Chriſto alia ſcientia naturalis propriis ejus actibus ſucceſſivè aquiſita; adeò ut probabilius ſit ſcientiam per ſe aquiſibilem, ità fuiſſe a Chriſto per ſe aquiſitam, ut ſecundùm nullam ſuî partem fuerit ei infuſa per accidens. Ità Thomiſtæ communiter, & major pars Recentiorum, de quibus ſuprà *n*.3. contrà alios non paucos, de quibus *ibid*.*n*.4.& 5. 19.

Probatur & explicatur: In nobis præter ſcientiam propriè & præcisè experimentalem, quæ circà ſingularia verſatur, & conſiſtit in ſpeciebus objecta quatenùs ſenſata repræſentantibus, datur alia ſcientia, quæ verſatur circà univerſalia, & conſiſtit in ſpeciebus repræſentantibus quiditates abſtractas à conditionibus materialibus, quas potiſſimum attingit experientia ſenſuum; utraque à nobis ſolet aquiri virtute propria intellectus agentis; ſed prior per ſolam eamque immediatam depurationem phantaſmatum, poſterior per converſionem ad phantaſmata intercedente diſcurſu; unde etiam communiter dicitur effectus demonſtrationis, & eſt illa quæ definitur *cognitio rei per cauſam*, &c. Vtramque ſciẽtiam aſſerimus pariter à Chriſto aquiſitam, 20.

nullatenùs ei infuſam per accidens; de priore res eſt certior, & jam probata, poſterior eſt minùs certa, at probatur auctoritate & ratione D. Thomæ *hic quæſt*.9.*art*.4. Admittenda eſt in Chriſto aliqua ſcientia, quæ etiam ex parte cauſæ agentis propriè ſit ſecundum modum humanum

Datur in Chriſto præter ſcientiã experimentalem ſcientia alia ſucceſſivè aquiſita.

humanum & connaturalem animæ conjunctæ corpori; atqui hujuſmodi eſt ſola ſcientia naturalis proprijs actibus, ſeu virtute intellectus agentis, ſucceſſivè aquiſita, & juxta explicationem præmiſſam diverſa ab experimentali præcisè tali, quæ eſt minus propria ſcientia; ergo præter ſcientiam experimentalem præcise talem datur in Chriſto alia ſcientia naturalis proprijs ejus actibus &c. minor patet, quia aliæ ſcientiæ in Chriſto aſſertæ ſunt aut ſupernaturales, aut ſecundùm modum operandi animæ ſeparatæ, adeòque angelicum magis, quàm humanum; ſcientia autem præcisè experimentalis eſt quidem ſecundùm modum humanum, at cum non ſit propriè ſcientia non ſufficit ad hoc, ut ratione ipſius dicatur dari in Chriſto ſimpliciter & abſolute ſcientia ſecundùm modum humanum. Major probatur, quia admittendum eſt in Chriſto quidquid ſpectat ad veritatem humanæ naturæ, & ad hoc ut ipſe per omnia fratribus ſimiletur, ſicut ſimilari debuit *Heb.* 2. ex quo capite cum habuerit Chriſtus Dominus alias minores naturæ humanæ perfectiones, & imò etiam imperfectiones aliquas & defectus, non eſt ei neganda ſcientia ſecundùm modum humanum animæ conjunctæ connaturalem, licet aliundè ſucceſſiva aquiſitio, quam importat; inferat aliquam minorem perfectionem non repetiendam in eadem ſcientia, ſi infunderetur per accidens, & haberet modum humanum ex parte ſubjecti recipientis dumtaxat, non ex parte principij efficientis. Confirmatur ex eo quod intellectus agens in Chriſto careret ſua perfectiore operatione, adeòque remaneset ſecundùm ſuam potiorem virtutem otioſus; exercitium enim, quod habetet in abſtrahendis ſpeciebus purè experimentalibus, ſicuti ad ſcientiam minus propriam terminatur, ita eſt operatio ejus minus perfecta, virtutique minus præcipuæ correſpondens. Confirmatur, ſcientiæ cæteræ in Chriſto habent ſuum connaturalem modum, ſcientia ſcilicet beata in ipſomet ſtatu viæ communicata eſt cum permanentiâ, & omnimoda actualitate, ſcientia per ſe infuſa ſupernaturalis cum ſpeciali lumine ſibi proprio; ſcientia per ſe infuſa naturalis cum independentia à phantaſmatibus & organis corporis; ergo pariter ſcientia per ſe aquiſita habet ſuum modum connaturalem, qui eſt proprijs actibus, & intellectus agentis virtute, ſucceſſivè comparari.

21. Dices primò auctoritatem & rationem deſumptam *ex præcit. art.* 4. probare in Chriſto ſucceſſivam aquiſitionem ſcientiæ purè experimentalis, non alterius ab experimentali diverſæ: Probat eam ſolam auctoritas, quia ſecus D. Thomas *in ſum.* contradiceret ei, quod tradiderat *in* 3. *diſtinct.* 14. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. *&* 5. docens ſcientiam Chriſti eſſe tantùm ſecundùm motum ab animâ ad res; & poſſe creſcere quantùm ad modum certitudinis, quæ habetur ex ſenſu & vocatur experimentalis; at non quantum ad eſſentiam, nec quantùm ad numerum ſcitorum: Probat eandem ſolam ratio, quia ſufficit ut ſalvetur aliquis humanus modus ſcientiæ & non fruſtretur intellectus agens; nec in Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ exigente humanitatem valdè perfectam quatenus eſt omnis humanus modus ſcientiæ naturalis, quando talis modus imperfectionem ſeu minorem perfectionem importat; & licet Verbum aſſumpſerit naturam humanam cum aliquibus defectibus ſeu imperfectionibus, hoc tamen verum eſt dumtaxat de defectibus, ſeu imperfectionibus pertinentibus ad paſſibilitatem, & conducentibus ad finem redemptionis; qualis non fuit ſucceſſiva aquiſitio ſcientiarum naturalium, & carentia infuſionis ab initio. Sed contra: Nullus eſt locus dubitandi de mente Divi Thomæ cum eo ipſo *præcit. art.* 4. expreſsè retractet quod docuerat *in* 3. his verbis *Et ideò quamvis aliter alibi ſcripſerim, dicendum eſt in Chriſto fuiſſe ſcientiam aquiſitam, quæ propriè eſt ſcientia ſecundùm modum humanum, non ſolùm ex parte ſubjecti recipientis, ſed etiam ex parte cauſa agentis*, Nec refert quod antecedenter dixerit talem ſcientiam *ab aliquibus nominari experimentalem* nam eo ipſo, quod ait, ab aliquibus nominati, refert quid ſentiant alij non quid ſentiat ipſe; poteſt autem in aliquo legitimo ſenſu omnis ſcientia humano modo aquiſita verè nominari experimentalis, talis ſcilicet eſt initiativè & radicaliter, quatenus omnis hujuſmodi ſcientia incipit, ſeu primum initium habet, à ſenſuum experientiâ: Ad impugnationem rationis jam oſtenſum eſt ſcientiam experimentalem formaliter, & purè talem, ſufficere ſolùm ut ſalvetur aliquis humanus modus ſcientiæ minus propriæ, & ne fruſtretur intellectus agens quoad munus minus præcipuum; exigit autem aliquid amplius veritas humanæ naturæ in Chriſto. Ad illud, quod additur, dico laborem aquirendi ſcientias potuiſſe eſſe in Chriſto meritorium; adeòque conducentem ad finem redemptionis, & præterea imperfectiones præſertim negativæ humanitati connaturales, cujuſmodi eſt carere ab initio ſcientijs per ſe aquiſibilibus ad hoc, ut à Chriſto non excludantur ſatis eſt, quod fini redemptionis non officiant, etiamſi ei non poſſint.

22. Dices ſecundò ex his ad ſummum ſuaderi in Chriſto aliquam ſcientiam naturalem per ſe aquiſitam à purè experimentali diverſam, hanc tamen futuram ſemper imperfectam & diminutam, niſi ſupponatur etiam infuſa per accidens ſecundùm aliquam ſui partem, ideſt ſecundùm ſpecies earum rerum, quas non potuit Chriſtus naturali modo, aut ſenſu percipere aut ex ſenſu perceptis deducere; atqui ſcientiæ naturales per ſe aquiſibiles non fuit in Chriſto imperfectæ ſemper & diminutæ; ergo non eſt dicendum, quod poſtremis aſſerti particulis habetur, ſcientiam per ſe aquiſibilem ita fuiſſe à Chriſto per ſe aquiſitam, ut ſecundùm nullam ſui partem fuerit ei infuſa per accidens. Sed contra: Adverto ex doctrinâ D. Thomæ *qu.* 12. *art.* 1. *ad* 1. *&* 2. Chriſtum ex ijs, quæ ſenſibus percipiebat facilè potuiſſe plura & occultiora deducere, 23.

quàm ullus purus homo; habuit enim ipſe perſpicaciam ſenſuum, excellentiam ingenij, virtutémque naturalem intelligendi perfectiorem, quàm ullus purus homo; & quoties, quod ex directione, & confortatione ſcientiæ beatæ, aut per ſe infuſæ optime poterat cognoſcere; quoties, inquam, ad aliquam notitiam naturalem comparandam ſcientiamque perficiendam, indigebat alicujus objecti ſpecie, præſto ei erant Angeli, quibus uteretur ad adducenda & reddenda ſibi præſentia illa objecta, quorum ſpecies habere & haurire expediebat, adeò ut Angeli ſicut aliquando miniſtrarunt corpori Chriſti afferendo in deſerto eſcas quibus reficeretur, ita aliquando miniſtraverint animæ afferendo res ſenſibiles, quarum ſpeciebus inſtrueretur, ut cum Cajetano *præcitat. art.*1 tradunt Ioannes à S. Thoma *diſput.* 11. *art.*4. *num.*46. & Gonetus *diſputation* 18. *num.*16. Adverto inſuper ſcientias naturales poſſe eſſe imperfectas & diminutas, vel imperfectione & diminutione privativâ conſiſtente in carentia perfectionis completionisque debitæ, vel imperfectione & diminutione negativâ conſiſtente in carentia perfectionis completionisque non debitæ: Perfectio deinde ſcientiarum naturalium, vel at-
14. Perfectio ſcientijs naturalibus debita quæ? tenditur penes numerum ſcitorum, vel penes modum eas habendi; quoad hunc jam explicatum eſt ſcientijs naturalibus, de quibus agitur, non deberi, quod habeantur omnes ſimul & ſine ſucceſſione: Quoad numerum ſcitorum, objecta naturalia ſumuntur vel in tota ſua latitudine pro illis omnibus, quæ à ſupernaturalibus contradiſtinguuntur; vel ſtrictius pro ijs ſolis, quæ poſſunt naturali virtute intellectus agentis per ſenſus & diſcurſum innoteſcere; iſtorum non illorum attingentia eſt perfectio ſcientijs naturalibus debita, ut colligitur ex D. Thomâ *præcitat. articulo primo ad tertium.* His animadverſis.

25. Ad inſtantiam dico ſeclusâ omni ſcientiâ infusâ per accidens ſcientias naturales per ſe aquiſibiles fuiſſe in Chriſto perfectas, & completas, omni perfectione & completione propriæ lineæ, ſibique ex proprio genere debitâ; nõ verò imperfectas & diminutas niſi negativè & per carentiam perfectionis nõ debitæ ſic eſt imperfectio ſolùm negativa, quod Chriſtus ab initio conceptionis illis totaliter caruerit, & deindè paulatim profecerit, & erat ſolum negativâ ignorantia, quæ integrum profectum præceſſit: eſt item imperfectio ſolum negativa, quod non habuerit umquàm Chriſtus ſpecies immediate repræſentantes omnia individua rerum ſenſibilium; eſſet enim inanis, & ſuperfluis miraculis plena exiſtimatio, quòd miniſterio Angelorum quæcunque in terræ viſceribus, quæcumque in maris profundo, quæcumque in Cœlorum ſublimi continentur, fuerint aliquando aut ad Chriſtum adducta, aut Chriſtus ad ipſa: Sine hac igitur nimiâ ſpecierum multiplicitate perfectio debita & genius ſcientiæ aquiſitæ, elucet maximè in eo, quod ex ſpeciebus proprijs & immediatis aliquorum ſenſibilium per diſcurſum procedatur ad alias ſpecies elaborandas, cognoſcendo cauſas per effectus, effectus per cauſas, eſſentias per paſſiones, paſſiones per eſſentias, contraria per contraria, ſimilia per ſimilia, & Chriſtus ſicuti ex jam dictis in tali diſcurrendi facultate maximè excelluit, ita potuit ſcientiam aquiſitam ex genere & genio ſuo maximè perfectam comparare.

Dices tertiò: Chriſtus in inſtanti concep- 26. Adami ad Chriſtum comparatio quoad ſcientias naturales.
tionis non debuit quoad ſcientias naturales eſſe inferioris conditionis quàm fuerit Adam in inſtanti creationis, atqui Adamo in inſtanti creationis fuerunt infuſæ, per accidens omnes ſcientiæ naturales per ſe aquiſibiles; ergo etiam Chriſto in inſtanti conceptionis; & inſtauratur inſtantia ex eo, quod ratione talis infuſionis nihil Adamo defuit de veritate humanæ naturæ, nec otioſus in eo fuit intellectus agens: corruit igitur fundamentum, quo ſupra cenſuimus negandam eſſe Chriſto illam infuſionem, concedendam verò aquiſitionem ſcientiarum ex eo, quod iſta pertineat ad veritatem humanæ naturæ & neceſſaria ſit ne intellectus agens otietur: Inſtauratur inſuper ex eo, quod prærogativa Capitis, & Doctoris humani generis, eminentior eſt in Chriſto, quàm in Adamo, ſi igitur Adamus ad exercenda Capitis & Doctoris munera debuit illico habere infuſas omnes ſcientias naturales; multo magis Chriſtus. Sed contra: 27.
ex eo quod Adamusin inſtanti creationis, non Chriſtus in inſtanti conceptionis habuerit infuſas per aceidens ſcientias naturales, non fuit quoad iſtas Chriſtus inferioris conditionis; habuit enim, ipſe, non Adam, ſcientias alias naturales nobiliores, & per ſe infuſas, de quibus *præc.* §.1 Quod ſi addas ſaltem fuiſſe inferioris conditionis quoad ſcientias naturales per ſe aquiſibiles, & connexas cum converſione, ad phantaſmata: Permittito fuiſſe inferioris conditionis negativè & in perfectione indebita; non privativè & in perfectione debita: Cæterùm progreſſu temporis fuit Chriſtus in ſcientijs etiam per ſe aquiſibilibus melioris ſimpliciter conditionis ob majorem cognoſcendi & diſcurrendi excellentiam, à quâ pendet potiſſima, ideſt intenſiva illarum ſcientiarum perfectio: Cur deinde talium ſcientiarum infuſio ab initio facienda, fuerit perfectio debita Adamo, non Chriſto? ratio Cur Adamo, non Chriſto fuerint illæ infuſæ ab initio?
ſit, quia Adamus non Chriſtus eſt ab initio conditus in ætate virili, & perfecto corporis ſtatu, ut enim ait D. Thom. 1. p qu. 94. art. 3. in c. *Sicut primus homo inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantùm ad corpus ut ſtatim poſſet generare, ita etiam inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantùm ad animam ut ſtatim poſſet alios inſtruere & gubernare*; ex oppoſito igitur Chriſtus non inſtitutus ab initio in ſtatu perfecto quantùm ad corpus, non debuit quantum ad animam habere perfectionem Adamo debitam ab initio, & datam conſequenter ad perfectionem quantùm ad eorpus: Nec refert quod Chriſtus in ipsâ infantili ætate & corpore imperfecto habuerit ab initio uſum rationis; Non refert, inquam, quia hunc ſolùm habuit quoad ſcientias independentes à phantaſmatibus, cujuſmodi non eſt ſcientia per
ſe

Digitized by Google

ſe aquiſibilis, de qua in præſenti. Ad inſtantiæ
28. inſtaurationem dico ſcientiarum aquiſitionem pertinere ad veritatem humanæ naturæ non in quocumque ſtatu, ſed conditæ ſecundùm communem rerum curſum in ætate corporeque infantili, adeò ut conſequenter debeat, ſicut ætatis & corporis ita etiam aliqua animæ perfectione proficere: Addo proportionaliter intellectum agentem perpetam otiari ſi dum unitus eſt corpori ſic proficienti non exerceat munus, quod et maximè convenit in ordine ad tale corpus, minus verò in ordine ad corpus jam perfectum in ætate virili; unde etiam in Adamo munus illud minùs quidem exerceat, at non totaliter amittit, nec caret omni operatione ſcientiarum aquiſitivâ, ut enim obſervant in præſenti Amicus *diſput.21. numer 29.* & Joannes a S. Thoma *præcit art.3. num.43.* auxit Adamus propriâ induſtriâ ſcientias naturales ſibi per accidens infuſas, nec à Deo ſaccepit immediatas omnium ſenſibilium ſpecies, ſed ex pluribus acceptis novas per diſcurſum ſucceſſive formavit, mediatas quidem, proprias tamen & quiditativas.

Pro quo ſtatu ad humanæ naturæ veritatem pertineant.

29. Ad aliam inſtantiæ inſtaurationem dicito Adamum illicò habuiſſe infuſas naturales ſcientias, quia ut Caput & Doctor fuit conditus in perfecto corporis ſtatu, adeò ut ei convenerit illicò alios inſtruere & gubernare, quod in Chriſto non contigit, ideò &c. Deindè Adamus fuit totius humani generis Caput & Doctor in naturalibus, & ratione naturalis generationis ab ipſo in omnes deductæ; Chriſtus in ſupernaturalibus, & ratione unionis hypoſtaticæ, qua nos omnes per gratiam regeneravit & ſupernaturalia Myſteria edocuit; ex prærogativâ igitur Capitis & Doctoris arguitur ſicut in Adamo naturalium, ità in Chriſto ſupernaturalium ſcientiarum infuſio, ut magis explicat Gonetus *diſp.18.num.30.* ubi inſuper ſubdit aliam egregiam pro præſenti intento diſparitatem.

Quomodò prærogativa Capitis & Doctoris aliter Adamo, aliter Chriſto conveniat.

Dices quartò: Chriſtus habuit ab initio per accidens infuſas omnes virtutes morales; ergo etiam omnes ſcientias naturales; quæ non ſunt niſi virtutes intellectus, quibus iſte dirigitur ad naturale verum, ſicut illis dirigitur voluntas ad naturale bonum: Nec certè apparet quo jure poſſimus eſſe liberaliores erga Chriſtum in perfectionibus voluntatis, quàm in perfectionibus intellectus; aut etiam ſiſtendo in intellectu ipſo, quomodò ſine doctrinæ inconſequentia poſtquàm ſcientiarum ſupernaturalium ampliſſimam infuſionem magna facilitate conceſſimus, modò ſcientiarum naturalium omnem prorsùs infuſionem tantâ ſeveritate negemus. Sed contra; negat antecedens Amicus *diſput. vi-*
30. *geſimaprima, numero quadrageſimo*; concedunt alij magis communiter, & aſſerunt pro conſequentia negandâ diſparitatem, quid magis arrideat conſtabit ex infrà dicendis de virtutibus moralibus Chriſti Domini *cap.7. paragrapho 3.* & ex inde etiam habebitur, quo jure poſſimus eſſe, ſi vere erimus, liberaliores in voluntatis quàm in intellectus perfectionibus; ſiſtendo verò in intellectu ipſo conſtat in primis *ex præcedenti paragrapho* nos non negare omnem ſcientiarum naturalium infuſionem; quod deindè hanc negemus in ſcientijs per ſe aquiſibilibus, majorique facilitate & latitudine admittamus ſupernaturales, quàm naturales infundi caret omni inconſequentiæ ſuſpicione quia ſupernaturalia in Chriſto ſervant proportionem cum unione hypoſtatica exigente omnem ſuam perfectionem ab initio; naturalia ſervant proportionem cum humanitate, quæ naturali & ordinario modo ſuſcipit paulatim incrementum.

Dices quintò: Non docuit Chriſtum ſcientias aquirere ab hominibus, aut ab Angelis, ergo neque ab alijs inferioribus rebus; habuit igitur illas per infuſionem à ſolo Deo. Sed contra: ſit,

---

§. III.

Utrùm Chriſtus aliquid didicerit ab hominibus, aut ab Angelis?

ASSERT. Chriſtus non didicit aliquid ab hominibus, aut ab Angelis. Ità in primis 31.
quicumque nullam admittunt in Chriſto ſcientiam aquiſitam & præterea D. Thomas *hic quæſt.12. art.3. & 4.* Gonetus *diſp.18.n.41.* Joannes à S. Thomâ *diſp.11. num 53.* Vaſquez *diſp 56. cap.1.* Lugus *diſp 21. num 23.* Amicus *diſp 21. num 44.* cæterique Scholaſtici communiſſimè, adeò ut ex Recentioribus ſolus, quem viderim, Arriaga *diſp. 40. num.19.* in oppoſitum propendeat arbitratus non inconvenire Chriſto ſpeciem quamdam alieni magiſterij, ex Antiquis dubitarunt nonnulli, utrùm Chriſtus didicerit aliquid ab Angelo, qui *apparuit de Cœlo confortans eum* Luc 22. Errarunt verò turpiter quidam Judæi memorati à Joſeroio *in concordia Evangeliorum c. 15.* blaſphemantes Chriſtum accepiſſe à dæmone notitiam litterarum & ſcripturarum, adeò ut dicerent quod per ſcientiam dæmoniorum mirabilia prædicabat, ſicut dicebant quod in dæmoniorum Principe ejiciebat dæmonia: Quoad magiſterium hominum errarunt etiam turpiter Gnoſtici ſeu Valentiniani; de quibus alibi, arbitrati Chriſtum indiguiſſe Magiſtro, & alphabetum didiciſſe ſub formula Præceptoris. Sed hæc impugnantur, & aſſertum

Errores circa Magiſterium Chriſti à malis Angelis, aut ab hominibus.

Probatur Chriſtus eſt hominum, Angelorumque Magiſter & Doctor, ut quoad Angelos colligitur ex Dionyſio *lib. de cœleſti hierarchia cap. 7.* poſt medium; & quoad homines habetur expreſsè Iſa. 55. *Ecce teſtem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*, nec non Joan. 13. *Vos vocatis me Magiſter & Domine & benè dicitis, ſum etenim*, atqui non decet Magiſtrum & Doctorem diſcere & edocere à ſuis diſcipulis, imò mutuum magiſterium cum inferat mutuam quandam ſubjectionem, & ſubordinationem videtur eamdem habere repugnantiam, quam mutua cauſalitas; ergo Chriſtus nec hominem ullum, nec Angelum, habuit tanquam Magiſtrum, à quo doceretur, adeóque non di- 32.

Chriſtus nihil ab homine ullo, aut ab Angelo didicit.

dicit aliquid ab hominibus, aut ab Angelis: Neque exiſtimes majorem propoſitionem procedere duntaxat de Chriſto ut Deo: enim vero relatæ auctoritates procedunt præcipue de Chriſto, ut homine, & ut humano modo cum hominibus cæteris converſabatur, undè
33. etiam Chriſtus de ſe ipſo ut homine ait Jo. 8, *In hoc natus ſum, ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Confirmatur ratione D. Thomæ *præcit. art.* 4. anima humana, utpotè media inter res ſenſibiles & ſubſtantias ſpirituales, nata eſt habere ſcientias, vel virtute propria utendo rebus ſenſibilibus tanquam inferioribus, & hauriendo ab ipſis ſpecies; vel virtute aliena ſe ſubjiciendo ſubſtantijs ſpiritualibus, tanquam ſuperioribus & earum illuminationem impreſſionemque recipiendo; atqui anima Chriſti ad habendas ſcientias primo modo ipſa ſibi optimè ſufficiebat, nec poterat iuvari, aut ab Angelis quorum lumen non eſt proportionatum ad intelligendum dependenter à ſenſibus, aut ab hominibus quos omnes Chriſtus propriorum ſenſuum perſpicaciâ, proprijſque intellectus agentis excellentia ſuperabat; ad habendas ſcientias ſecundo modo, ſicuti erat Deo immediatè unita, ità debebat à ſolo Deo immediatè recipere illuminationes impreſſionesque ſcientificas, & ab eo ſolo regulari; undè etiam hinc

Chriſtus non habuit Angelum Cuſtodem:

D. Thomas 1. *part. quæſt.* 113. *articulo* 4. *ad* 1. infert, quód Chriſtus non indigebat cuſtodia Angelorum, nec debebatur ei Angelus Cuſtos tanquam Superior, ſed magis Miniſter tanquam inferior, ergo &c.

Dices primò potuit Chriſtus accipere ſcientias a rebus ſenſibilibus; ergo etiam ab hominibus aut ab Angelis; antecedens nos ipſi mox tradidimus, conſequentia probatur, quia ex unâ parte ſi dedecet Chriſtum aliquid à rebus creatis accipere, magis id dedecet ab irrationalibus, quàm à rationalibus creaturis; ex alia parte ſpecies aliqua magiſterij aut competit etiam rebus ſenſibilibus, aut eſt inanis vox, de quâ quidquid ſit; non apparet, quamnam majorem imperfectionem importet ſcientiæ, ſeu notitiæ, ex aliena locutione, quàm ex aliena entitate aquiſitio? Nec quod in probationis calce addebatur ex D. Thoma habet multam vim, nam aliundè habetur admittendam eſſe aliquam ſubjectionem Chriſti ad

34. Cur ab irrationalibus, non à rationalibus creaturis, potuerit ſcientias accipere.

Angelos, cum per iſtos *ad Galat* 3. ordinata ſit lex antiqua, ſub qua Chriſtus factus eſt *ad Galat.* 4. Sed contra: concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia acceptio à rebus ſenſibilibus fit propria virtute accipientis, rebus ipſis miniſterialiter & cum ſubjectione ſe habẽtibus; acceptio ſcientiæ ab hominibus, aut Angelis, fit virtute aliena, hominibus ipſis & Angelis ſe habentibus principaliter & cum ſuperioritate: & quamvis cæteris paribus magis dedeceat ab irrationalibus, quàm à rationalibus creaturis quidquam accipere; facilè poteſt aliter evenire ubi ſunt diſparia cætera, diverſuſque eſt accipiendi modus, & diſpar hæc ratio diverſuſque accipiendi modus ſatis explicat, cur imperfectionem importet ſcientiæ acceptio ab aliena locutione, potiùs, quam ab aliena entitate? cur item ſpecies magiſterij non ſit, aut vox inanis, aut irrationalibus creaturis ſicut rationalibus in propoſitò conveniens? præter
quod quando concederetur Chriſto ſpecies à rebus ſenſibilibus hauriente ſpeciem aliquam 35.
magiſterij intervenire, hæc tribuenda eſſet Deo, non rebus ipſis, ſicut enim locutio hominis eſt ſignum internarum conceptionum & intellectualis ſcientiæ ejus, ita creaturæ ſunt conditæ tanquam ſigna ſapientiæ Dei, undè *Eccleſiaſt.* 1. dicitur quod *Deus effudit ſapientiã ſuper omnia opera ſua*; dum igitur Chriſtus à creaturis ſenſibilibus ſpecies accipit, ſi diſcit a Deo diſcit, à Deo docetur, divinoque non creato inſtituitur magiſterio, ut expendit D. Thomas *præcit. art.* 3. *ad* 2. Ad illud, quod poſtremo loco additur, dico antequam legem fuiſſe ordinatam per Angelos, tanquam per Miniſtros & Promulgatores, non tanquam per Auctores & legiſlatores; ex eo igitur, quod Chriſtus fuerit legi illi ſubjectus, infertur ejus ſubjectio reſpectu Dei, non reſpectu Angelorum; reſpectu divinæ, non reſpectu angelicæ ordinationis.

Dices ſecundò: Angelus qui *Luc.* 22. apparuit Chriſtum confortans, non aliter confortavit, quàm illum inſtruendo rationibus & motivis ad dolorem leniendum idoneis; atqui id eſt Chriſtum didiciſſe & edoctum fuiſſe ab Angelo; ergo ſaltem in hoc caſu Chriſtus ab Angelis aliquid didicit; Verùm nec videntur deeſſe alij caſus, in quibus Angeli Chriſtum docuerint & ſuo modo illuminaverint; nam nos ipſi ſuprà admiſimus aliquandò Angelos detuliſſe & ſuppeditaſſe Chriſto res ſenſibiles, ex quibus ſpecies hauriret; hoc autem eſt ſpecies inſtructionis & illuminationis, undè Angeli Ioannem illuminantes in Apocalypſi conſcribenda non perhibentur præſtitiſſe quidquam aliud, quàm proponere & repræſentare objecta ſenſibilia, quæ Propheta ſcripturæ mandaret; ergo. Sed contra; Verba
Luc. 22. aliqui ità intelligunt: ut Chriſtum ab 36.

An & quomodo Angelus Chriſtum verè confortaverit. *Luc.* 22.

Angelo non ſolùm veram confortationem, ſed & inſtructionem accepiſſe concedant; aliqui veram confortationem, ne dum inſtructionem, negant & putant ly *confortans* idem ſignificare ac laudans, non idem ac conſolationem ſeu ſolatium afferens; reliqui magis communiter admittunt veram confortationem ſeu conſolationem, at ſine inſtructione. Primus dicendi modus placet Arriagæ *diſput* 40. *num* 28. utpotè qui non reformidat admittere ſpeciem aliquam angelici Magiſterij in Chriſtum Dominum: Secundus vehementer probatur Vaſquio *diſp.* 56. *cap.* 1. ubi etiam pro eo affert aliquos Sanctos Patres; Vterque nobis diſplicet, & primus quidem jam improbatus eſt ex improbatione cujuſcumque creati in Chriſtum Magiſterij ſecundus impugnatur ex eo, quia ſine neceſſitate ſumit ly *confortans* in ſignificatione impropria & parum uſitata undè etiam eſt minùs conformis communi
fidelium ſenſui. Tertius igitur modus à no- 37.
bis recipiendos eſt cum D. Thomá *in* 3. *diſt* 14. *art.* 3. *quæſtiunc.* 6. *ad* 2. & *hic præcit. art* 4. *ad* 2. Caietano *eod. art* 4. Gonero *diſp* 18. *numer.* 41. Amico *diſp.* 21. *num.* 51. Lugo *diſp.* 21. *numer.* 24. alijſque

aliiſque ferè omnibus, tum Scholaſticis, tum etiam Patribus ac Interpretibus; nec difficile eſt explicare ſine magiſterio ſolatium, ſine inſtructione conſolationem, nam in primis Societas ipſa Angeli compatientis eſt quoddam ſolatij genus, juxta illud tritum ſolatium eſt ſocios habere; veriſimile inſuper eſt Angelum circa madens & languens Chriſti corpus exhibuiſſe aliquod externum miniſterium, quo ei levamen & robur attulerit abluendo v.g. ſanguinem, elevando illud ac ſuſtinendo, vel fovendo aliquo modo ſenſibili: Tandem forte Chriſtus tunc ſcientiâ, ſive infuſâ, ſive aquiſita, conſiderabat actu ſola objecta acuentia, non minuentia triſtitiam, vel ſi hæc conſiderabat, non ſinebat ſuæ conſiderationis effectum in partem inferiorem derivari; potuit igitur Angelus ex divina ordinatione ei inſinuare (& in hoc nullum eſt magiſterium, alioqui omnis locutio eſſet illuminatio) quod ad objecta ſolatium afferentia attenderet, & iſtud ſineret inferiori parti prodeſſe.

Abſque eo quod ab illo Chriſtus aliquid didicerit.

38. Nihil igitur Chriſtus ab Angelo confortante didicit; multo minus aliquid didicit ab Angelis ad eum quandoque deferentibus res ſenſibiles pro ſpeciebus hauriendis, nam in hoc Angeli pure miniſterialiter & ſubſerviendo ſe habuerunt, nec quidquam per ſe ipſos impreſſerunt intellectui Chriſti Domini: Quod ſi Ioannem illuminarunt non eſt præcisè, quia ad ipſum objecta ſenſibilia detulerint, ſed quia talibus objectis plura ſignificabantur valdè occulta, de quibus propterea optime potuit Propheta ab Angelis in toto rigore inſtrui, doceri, illuminari.

Scientia animæ Chriſti triplex.

Ex hucuſque dictis habetur multiplicem ſcientiam animæ Chriſti ad triplex genus reduci; nimirùm ad ſcientiam beatam, quæ exercetur modo divino per ipſammet divinam eſſentiam, tanquam per eminentiſſimam ſpeciem; ſcientiam per ſe infuſam, quæ exercetur modo Angelico per ſpecies univerſales Angelicis ſimiles, & ſcientiam per ſe aquiſitam, quæ exercetur modo humano per ſpecies acceptas à rebus & abſtractas à phantaſmatibus: Scientia beata unica eſt, & in uno ſemper eodemque actu ſecundo; Scientia per ſe infuſa alia ſupernaturalis eſt, alia naturalis, utraque plures ſub ſe actus continet, & non eſt neceſſariò in aliquo determinatè; Scientia per ſe aquiſita, alia eſt magis propria & verſatur circà univerſalia; alia eſt minùs propria, verſatur circà ſingularia, & ſolet proprio nomine dici experimentalis; quibus ſi addas ſcientiam increatam, quæ utpotè divino, non humano intellectui conveniens, dici poteſt ſcientia Chriſti, at non animæ ejus, habebis in Chriſto quatuor potiſſima ſcientiarum genera; videlicet ſcientiam increatam, ſcientiam beatam, ſcientiam per ſe infuſam, & ſcientiam per ſe aquiſitam.

Scientia Chriſti quadruplex.

39. *Dubium de duplici ſupernaturalium actuum ſerie in Chriſto Domino.*

Dubitatur hic pro complemento; utrùm, ſicuti datur in Chriſto duplex modus cognitionis naturalis, unus quaſi Angelicus proprius intellectus ſeparati, alius humanus proprius intellectus corpori conjuncti, ità detur proportionaliter duplex modus cognitionis ſupernaturalis? adeò ut præter ſeriem actuum ſupernaturalium à phantaſmatibus independentium, de quâ ſuprà §. 4. ponenda ſit ſeries alia actuum pariter ſupernaturalium at à phantaſmatibus dependentium; Arriaga *diſput* 40 *n*.29. putat hanc probabiliter in Chriſto poni, Lugus *diſp*.20 *num*.15. ait id ſibi videri veriſimile; cæteri Scholaſtici, quos viderim, de dubio iſto non loquuntur; ideò quidquid dicatur non erit contrà illos, ut obſervat etiam Lugus *eodem num*, 15. Quoad de poſſibili facilè trahor in partem affirmantem, ſupernaturalitas enim cognitionis non excludit dependentiam à phantaſmatibus, ut patet in noſtris actibus fidei, ſicut & in actibus Theologiæ apud eos apud quos Theologia eſt ſcientia ſimpliciter ſupernaturalis. Quoad de facto Arriaga & Lugus ex proprijs principijs, ex quibus negaverunt Chriſtum poſſe ſcientia ſupernaturali communiter admiſſa uti modo humano cum converſione ad phantaſmata habent ſpecialem rationem tribuendi Chriſto pro tali cognitionis modo aliam ſupernaturalium actuum ſeriem, quæ majorem habet rationem dubitandi & ſuperfluitatis apparentiam in noſtris principiis, quibus ſuprà 40.
cap.præced. num. 57. docuimus priorem ſcientiam ſupernaturalem poſſe exerceri cum ſpeculatione phantaſmatum, & humano cognoſcendi modo; Nihilominùs quia ex una parte minus eſt permittere, quàm requirere phantaſmatum ſpeculationem, & hoc ſecundum videtur neceſſarium pro modo cognoſcendi propriè humano, & ex alia parte pro perfectionibus ſupernaturalibus Chriſto de facto concedendis ipſa non repugnantia eſt argumentum non contemnendum, remanet etiam in principijs noſtris ſua probabilitas opinioni, in quam propendent Arriaga *diſp*. 48. *n*.9. 41.
& 2. Lugus item *diſp*.21. *num*.10. poſterior Auctor utrobique monet ſcientiam, ex qua procederent actus ſupernaturales requirentes converſionem ad phantaſmata, non fore dicendum ſimpliciter infuſam, quia infuſa ſcientia importat præcipuè infuſas ſpecies, ſcientia autem illa eſſet quidem infuſa quoad lumen, at quoad ſpecies eſſet aquiſita, undè eſſet dicenda ſecundùm aliquid infuſa, ſecundùm aliquid aquiſita, aut etiam aquiſita potiùs, quàm infuſa: Quoad ſpecies, inquam, eſſet aquiſita; nam ſpecies, quæ petunt à phantaſmatibus dependere in ſui exercitio, petunt ab iiſdem dependere in ſui productione, & humanus cognoſcendi modus non magis poſtulat ſpecierum uſum cum converſione ad phantaſmata, quàm earumdem aquiſitionem cum abſtractione a phantaſmatibus virtute intellectus agentis: Utrùm verò ſpecies hujuſmodi ſupernaturales eſſent, an naturales? quidquid dicatur erit probabile, ſi ſint ſupernaturales elevabitur intellectus agens ad ipſas formandas; ſi naturales elevabuntur ipſæ, ad ſupernaturales actus efficiendus.

CAPUT V.

De ijs, quæ ſunt propria voluntatis humanæ Chriſti.

1. PRopria à communibus contradiſtinguuntur: habet autem humana Chriſti voluntas communia aliqua cum humano Chriſti intellectu, aliqua enim qualibet creata voluntate: De prioribus actum eſt *præced cap. 1.* ubi explicato & improbato Monothelitarum errore oſtendimus dari duplicem in Chriſto voluntatem, duplicemque volitionem, non minùs, quàm duplicem intellectum, duplicemque intellectionem, & in ipſo conceptionis inſtanti incœpiſſe, ſicut humanum intellectum, ità humanam voluntatem operationes ſuas elicere: De poſterioribus ſupponenda ſunt, quæ vel Animaſtici in phyſicis, vel Theologi de Angelis tractant, circà generalem voluntatis creatæ notionem, ejuſque diſtinctionem indiſtinctionemvè tùm à ſubſtantia animæ, tùm à potentia intellectiva, & alia his ſimilia: Quibus ſuppoſitis reliquum eſt expendere (ut titulus exprimit) ea, quæ ſunt propria voluntatis humanæ Chriſti, prout hæc tùm à Chriſti intellectu ſecernitur tùm cuilibet alij creatæ voluntati præcellit: Et primò quidem occurrit perfectio libertatis; deinde conformitas ſeù concordia cum voluntate divina: Poſſet etiam ſub hoc titulo tùm determinari quænam donorum & virtutum infuſio humanæ voluntati Chriſti facta ſit? tùm conciliari impeccabilitas cum ejuſdem libertate in operibus præſertim præceptis; ſed de primo opportunius mox agetur cum de Chriſti ſanctitate; de ſecundo verò infrà *lib. 4.* poſtquam inter defectus à Verbo non aſſumptos fuerit primo loco excluſa peccabilitas ſeu potentia peccandi, ac per conſequens inducta & ſtabilita in Chriſti humanitate impeccabilitas.

---

§. I.

Vtrùm voluntas humana Chriſti habuerit libertatem indifferentiæ, etiam in ordine ad bonum minus?

2. Datur in Chriſto libertas indifferentiæ, oppoſita neceſſitati.

ASSERT. 1. Voluntas humana Chriſti verè habuit libertatem indifferentiæ, quam etiam vocant libertatem à neceſſitate, ſeu neceſſitati oppoſitam; non verò habuit ſolam ſpontaneitatem, ſeù libertatem complacentiæ, quam etiam vocant libertatem à coactione oppoſitam violentiæ. Hoc aſſertum habuit olim ex Catholicis aliquos Adverſarios: Proceſſu temporis veritas clariùs illuxit, & Divus Thomas non ſolùm *hic quæſt 18. art. 4.* ex profeſſo docet aſſertam veritatem; ſed inſuper *quæſt. 6. de malo art un. in c.* opinionem ponentem ad rationem laudis & meriti ſufficere, quòd in bonum ſponte, non coactè tendatur, appellat hæreticam, & talis eſt maximè poſtquam Innocentius X. in Bulla incipiente *Cum occaſione*, edita Kal. Iunij anni 1653. damnavit quinque propoſitiones Ianſenianas, inter quas tertia erat hujuſmodi *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione:* ex cujus propoſitionis damnatione, & ex eo quòd de fide ſit Chriſtum meruiſſe illatione quaſi a fortiori, ut obſervat Eſparza *q. 34. art. 1.* deducitur Chriſtum, etiam ſi in ſtatu innocentiæ, non naturæ lapſæ extiterit, libertatem à neceſſitate habuiſſe, perperàm enim dicerentur hanc ad meritum requiri in natura lapſa, non in natura innocente; aut in homine puro, non in homine Deo: Aſſertum igitur hiſce temporibus eſt omninò certum, & ſaltem fidei proximum.

3. Probatur tùm à poſteriori, quia ex mox dictis requiritur ad merendum libertas indifferentiæ; atqui voluntas humana Chriſti, utpotè quæ meruit, habuit omnia ad merendum requiſita; ergo verè habuit libertatem indifferentiæ: tùm à priori, quia ex una parte libertas indifferentiæ eſt connaturalis proprietas humanæ naturæ, cui propterea convenit in quocunque ſtatu, ex alia parte non incongruit fini redemptionis, imò ad hunc eadem ratione, qua ad ſatiſfactionem & meritum valdè conducit, & aliundè eſt perfectio ſimpliciter, utpote reperta formaliter in Deo; atqui datur in Chriſto humana natura cum omni proprietate ſibi connaturali, ea potiſſimùm, quæ fini redemptionis inſervit & eſt perfectio ſimpliciter; ergo verè datur in Chriſto, ſeu in humana Chriſti voluntate libertas indifferentiæ.

4. Dices: libertas indifferentiæ opponitur determinationi ad unum, & requirit præconſiderationem, inquiſitionem, electionemque agendorum, atqui voluntas humana Chriſti in ſuis actibus eſt intrinſecè determinata ad unum, ſcilicet ad bonum, circà quod ſolum verſari poteſt, non circà malum, & non requirit præconſiderationem, inquiſitionem, electionemque agendorum, dicente Damaſceno lib. 3. fidei cap 14. *Sententiam & electionem in Domino dicere non poſſumus, ſiquidem propriè loqui ſtudemus*; ergo. Sed contrà: Determinatio alia eſt ad unum ex contrarijs, alia ad unū ex contradictorijs; utique ſua opponitur libertas, quæ propterea alia eſt contrarietatis ſeù ſpecificationis, alia contradictionis ſeu exercitij: porrò ex eo, quòd detur in Chriſto intrinſeca determinatio ad bonum, infertur ad ſummum intrinſeca determinatio ad unum ex contrarijs excludens libertatem contrarietatis, at non ad unum ex contradictorijs excludens libertatem contradictionis, ad ſummum, inquam, nam ſi contraria ſumantur pro quomodocunque incompoſſibilibus, non ſolum bonum & malum, ſed etiam diverſa bona poſſunt dici inter ſe contraria, & in hoc ſenſu determinatio ad bonum in genere, qualis reperitur in Chriſto, ſicuti ſtat cum indifferentia ad hoc vel illud bonum in particulari, ità ſtat etiam cum aliqua libertate contrarietatis. Ad verba Damaſceni dico in primis quoties agen- Eaque eſt non ſolùm contradictionis, ſed in aliquo ſenſu etiam contrarietatis.

dum

dum ſit auctoritatibus facillimum nobis foret multas & perſpicuas in medium proferre, ut præſtat Amicus *diſp.* 25. *ſect.* 1. *num.* 40. Dico inſuper Damaſcenum in verbis *ibid* ſequentibus exponere quid ipſe intelligat nomine electionis & ſententiæ; ſubdit enim *Sententia poſt ignota rei inveſtigationem, & deliberationem, affectio eſt ad id, quod decretum eſt*, adeóque loquitur de electione præſupponéte ignorantiam & dubitationem circa eligibilia; quæ certè electio non datur in Chriſto, ſicut nec ſententia prout eſt deterſiva ignorantiæ & determinativa dubitationis; at hæc non ſpectant ad libertatem niſi in natura ignorante, ut benè ait D. Thomas *præcit art.* 4 *ad* 1. Porrò libera electio ex genere ſuo prærequirit ſolùm judicium, ſeu dictamen rationis circa eligibile; per accidens deinde eſt, & ex imperfectione noſtri modi cognoſcendi, quod judicium illud à nobis habeatur cum præconſideratione, præconſiliatione, inquiſitione, diſcurſu, ſine quibus ſicuti habetur ab Angelis; multoque magis à Deo, ita haberi quoque poteſt à Chriſto.

5. **Eſt inſuper in ordine ad bona inæqualia, & ad eligendum bonum minus relicto majore.**

Aſſert. 2. Voluntas humana Chriſti habuit libertatem indifferentiæ etiam in ordine ad bonum minus, potuit ſcilicet iſtud eligere omiſſo bono majore. Inſinuant hoc aſſertum Suarez *diſp.* 37. *ſect.* 4. §. *Advertendum ſecundò.* Valentia *diſp.* 1 *quæſt.* 19. *punct.* 2. §. *Magis igitur.* Vaſquez *diſp.* 74. *cap* 5. *num.* 36 tradunt verò expreſsè Lugus *diſp.* 26. *ſect.* 10. Amicus *diſputat.* 25 *num.* 121. Arriaga *diſp.* 41 *ſect* 3. Eſparza *quæſt.* 34. *art* 3 Maſtrius *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *art.* 1. & communiter cæteri Recentiores, apud quos maximè reperitur hæc quæſtio non ſolita ab antiquis Theologis diſputari. Porrò ex Recentioribus eſt contra Petrum Hurtadum *diſput.* 61. Moncæum in Selectis *diſſ.* 9 *cap.* 7. §. *Sed et nunc*, aliosque nonnullos.

6. **Talis libertas ſeu indifferentia ad eligendum bonum minùs eſt neceſſaria ad merendum.**

Probatur primò repetendo, & inſtaurando argumentum tùm à poſteriori, tùm à priori formatum *præced. num.* 3. enimverò libertas, quæ ad merendum requiritur, quæque eſt connaturalis humanæ naturæ proprietas, & perfectio ſimpliciter reperta in Deo ipſo formaliter, eſt libertas indifferentiæ etiam in ordine ad bona inæqualia, & qua voluntas ex duobus bonis altero majore, altero minore, poteſt iſtud eligere illo omiſſo; atqui voluntas humana Chriſti habuit libertatem, quæ ad merendum requiritur, quæque eſt connaturalis, &c. ergo habuit libertatem indifferentiæ etiam in ordine ad bona inæqualia, ſeu in ordine ad bonum minus, potuit ſcilicet, &c. Minor & conſequentia patent: Probatur major quoad ſingulas partes, & primò quoad primam, quia ad merendum non ſufficit libertas inter duo extrema propoſita ut omninò æqualia, & hac ſola libertate gaudens, neceſſitatus verò ſub disjunctione ad alterutrum ex illis duobus extremis ex eo præcisè, quòd eligeret unum præ alio non mereretur; ergo ad merendum requiritur libertas eligendi alterutrum ex extremis inæqualibus, ſeu indifferentia in ordine ad bona inæqualia; antecedens traditur valdè communiter à Scholaſticis agentibus de merito, ut attigimus in tract. de Gratia *lib.* 4. *c.* 6. *num* 52. & pro nunc probatur primò ex eo, quia libertas illa nullum moralem valorem, nullamque æſtimabilitatem tribuit electori, & quidquid aſſignaveris in prælectione unius, fuiſſet eodem modo in prælectione alterius, unde etiam creditor non cenſet ſibi aliquid pretio æſtimabile præſtari à debitore, qui coactus pecuniam ſolvere hanc potiùs, quàm aliam omninò æqualem, liberè eligit erogandam: ſecundò quia ſimilis libertas inter duo mala non ſufficit ad demeritum, ad vituperium, ad peccatum ex celebri ſententia Theologorum docentium hominem invincibiliter exiſtimantem ſe neceſſariò debere exercere alterum ex duobus ſibi apparentibus æquè malis in eo præcisè, quod eligat unum præ alio, non peccare nec reddi vituperio, aut pœna dignum.

7. **Convenit connaturaliter humanæ naturæ.**

Probatur eadem major quoad ſecundam partem, quia libertas indifferentiæ etiam in ordine ad bona inæqualia convenit humanæ naturæ, in quocumque ſtatu, ut patet diſcurrenti, & ratio à priori eſt, quia connaturalis eſt humanæ naturæ libertas indifferentiæ, quoties aut ex imperfectione cognitionis non repræſentatur objectum ſub unica tantum ratione, aut in objecto non relucet ratio ſummi boni clarè viſi, atqui bonum majus ex eo, quod ſit in concurrentia boni minoris non repræſentatur ſub unica tantùm ratione, nec in eo relucet ratio ſummi boni clarè viſi; ergo in ordine ad bonum majus in concurrentia boni minoris, quod eſt idem ac dicere in ordine ad bona inæqualia connaturalis eſt humanæ naturæ libertas indifferentiæ; Nec eſſe poteſt reſpectu Chriſti ſini redemptionis incongrua, cum ex mox dictis conducat, imò requiratur ad ſatisfactionem, & meritum.

8. **Reperitur in Deo formaliter.**

Probatur eadem major quoad tertiam partem, quia ut ſuppono ex tract. de Deo *lib.* 4. *cap.* 5. §. 2. Voluntas divina non eſt determinata ab intrinſeco, nec neceſſitata ad id, quod ex parte objecti melius eſt; ergo eſt formaliter indifferens ad bona, ſeu extrema inæqualia; ergo libertas indifferentiæ etiam in ordine ad hujuſmodi extrema eſt perfectio ſimpliciter reperta in Deo ipſo formaliter: Et ex hoc medio poteſt quoque aliter conſtrui argumentum pro directa aſſerti probatione ſic. Humana Chriſti voluntas ex conjunctione cum Deo nequit habere majorem cum bono connexionem, & ad bonum determinationem, quàm habeat Deus ipſe, ſicuti nequit habere majorem, quàm Deus rectitudinem, ſanctitatem, irreprehenſibilitatem; atqui Deus ipſe non habet in ſuis actibus connexionem & determinationem neceſſariam ad bonum majus; ergo nec humana Chriſti voluntas conjuncta Deo, voluntatique divinæ ex dicendis concors & conformis.

Dices primò impugnando primam partem majoris: neceſſitatus ſub disjunctione ad alterutrum ex duobus extremis propoſitis ut omninò æqualibus, quodcunque eligat, ità eligit ut poſſit non eligere; ergo quodcunque eligat, eligit liberè, & quidem libertate ad meritum ſufficiente, quia nemo non putat pretio æſtimabilem & laude dignam electionem bo-

ni

Digitized by Google

9. ni comparatam cum omiſſione, ſcù in con-
currentia omiſſionis. Sed contrà; diſtinguo
antecedens, ita eligit ut poſſit non eligere, eli-
gendo aliud omnino æquale concedo; ita eli-
git, ut poſſit non eligere, ſiſtendo præciſe in
non electione, ſeu eligendo omiſſionem, nego
antecedens diſtinguo item conſequens, ergo
quodcunque eligat, eligit liberè libertate inter
extrema æqualia & ad meritum inſufficiente
concedo; libertate inter extrema inæqualia
& ſufficiente ad meritum, nego conſequen-
tiam, & licèt ſit pretio æſtimabilis electio bo-
ni in concurrentia omiſſionis præcisè accep-
tæ, ſecus tamen in concurrentia omiſſionis ne-
ceſſariò connexæ cum electione alterius bo-
ni omninò æqualis ei, quod præelectum ſup-
ponitur.

Vrgebis, qui inter duo bona omninò æ-
qualia unum eligit, antequam determinaverit
omittere aliud, vel cum affectu illud idem eli-
gendi, etiamſi non eſſet ſub disjunctione ne-
ceſſitatus ad alterum ex duobus, magis liberè
eligit, quàm is qui eligeret poſt determina-
tionem omittendi aliud, aut cum affectu non
eligendi illud idem, ſi non eſſet ſub disjun-
ctione neceſſitatus ad alteruttum; atqui liber-
tas, quæ poteſt eſſe major, & minor, eſt ſuf-
ficiens ad meritum; ergo in aliquibus ſaltem
caſibus datur inter extrema omninò æqua-
lia electio libera libertate ſufficiente ad
10. meritum. Sed contrà: libertas etiamſi ma-
jor, quando non eſt inter extrema inæqua-
lia, ad meritum non ſufficit; & illud impe-
ditur per neceſſitatem ſub disjuncto ad alte-
rum ex duobus æqualibus æquè, ac per ne-
ceſſitatem abſolutam, licèt neceſſitas ſub-
disjuncto ſit minor neceſſitate abſoluta; & il-
la majorem, iſta minorem, imò illa aliquam
iſta nullam libertatem admittat: Qui igitur
inter duo bona æqualia unum eligit antè de-
terminationem, eligit quidem magis liberè,
quam ſi illud idem eligat poſt determinatio-
nem omittendi aliud, imò in prima hypotheſi
eligit cum aliqua libertate; cum nullâ in ſe-
cunda, in qua neceſſitas ſubdisjuncto per ex-
cluſionem unius extremi disjunctionis tran-
ſiit in neceſſitatem abſolutam; adhuc tamen
in neutra hypoteſi eligit cum libertate ad
11. meritum ſufficiente. Ad alium inſtantiæ ca-
ſum, præter quod affectus liberè eligendi poſ-
ſet proportionaliter ſupponi etiam circa ob-
jectum, ad quod quis eſſet abſolute neceſſita-
tus, qua ratione inferretur meritum etiam in
electione abſolutè neceſſaria, præter hoc, in-
quam, dico aliud eſſe loqui de affectu, aliud de
electione, quam affectus comitatur; eſſet qui-
dem meritorius affectus ipſe, at non electio,
quia neceſſitas ſubdisjuncto cadit ſuprà ele-
ctionem, non ſuprà affectum eligendi; nec
qui ſupponitur neceſſitatus ad eligendum al-
terutrum ex extremis æqualibus, ſupponitur
pariter neceſſitatus ad habendum circa id,
quod eliget affectum eligendi ipſum, etiamſi
ad alterutrum non neceſſitaretur, & quoties
hoc ſupponatur, talis affectus, ſicuti non erit
magis liber, quàm electio; ita ab omni merito
deficiet æquè, ac electio.

Dices ſecundò impugnando ſecundam par-
tem majoris: libertas indifferentiæ in ordine
ad bona inæqualia non convenit homini in
ſtatu beatitudinis; ergo non eſt naturæ huma-
næ in quocumque ſtatu connaturalis; antece-
dens probatur, quia quilibet beatus ex vi vi-
ſionis determinatur ad placendum Deo, quan-
tùm poteſt, adeòque ad eligendum id, quod ju-
dicat eſſe Deo magis placens, quod eſt idem
ac dicere magis bonum. Sed contra: Valdè hæ-
rent aliqui in antecedente, quod tamen cum
Arriaga *diſp.* 43. *num.* 26 & Maſtrio *præcit. q.* 3.
num 101. abſolute negandum eſt; nam ſi Deus 12. Beati ex vi viſionis non determinantur ad volendum quidquid melius eſt.
ipſe quolibet beato beatior habet in ſua
beatitudine libertatem indifferentiæ inter bo-
na inæqualia, cur non poterunt hanc eandem
habere inferiores beati? ad probationem dico
quemlibet beatum ex vi viſionis determinari
ad placendum Deo, quantùm poteſt in acti-
bus beatificis amoris & gaudij; in reliquis de-
terminari tantùm ad placendum Deo, quan-
tùm debet, ſeu quantum tenetur, at non quan-
tùm poteſt, ſicque determinari ad eligendum
ſemper bonum, at non magis bonum. Accedit
quod relatè ad ſimplicem complacentiam Deo
quidem magis placet quod magis bonum eſt;
at relatè ad voluntatem efficacem poteſt ei
magis placere, quod eſt minus bonum; poteſt
enim iſtud præ illo velle; ex determinatione
igitur ad eligendum, quod eſt magis Deo pla-
cens, non ſatis infertur determinatio ad eli-
gendum, quod eſt magis bonum.

Dices tertiò impugnando tertiam partem
majoris, aut ſaltem illationem ex ea intentam:
Deus, ut nos ipſi attigimus *præcit.* §. 1. *num.* 17.
quidquid ad extra vult, vult actu infinito &
optimo; nec illius electio perfectior & me-
lior eſt ex eo, quod in nobilius & melius ob-
jectum tendat, & hinc poteſt ſine detrimento
ſuæ ſummæ perfectionis & ſanctitatis velle
minus bonum; non ſic Chriſtus Dominus, cu-
jus actus ex inæqualitate objecti redduntur
inæquales, & eligendo objectum minus bo-
num omiſſo meliore eliceret actum minùs per-
fectum omiſſo perfectiore: Duo igitur di-
ſtinguenda ſunt eligere objectum minùs bo-
num, & eligere actu minùs bono; ubi illud po-
teſt ab iſto ſejungi, ut in Deo, eligere minus
bonum nullatenùs obeſt perfectioni & ſan-
ctitati eligentis, obeſt verò ubi illud ab iſto
non ſejungitur, ut in Chriſto. Sed contrà: In 13. Actus Chriſti quoad bonitatem intrinſecam poſſunt eſſe inæquales.
actibus Chriſti Domini duplex perfectio, &
bonitas attendi poteſt; altera, quam habent
ex dignitate perſonæ; altera, quam ex ſuis in-
trinſecis prædicatis; quoad priorem perfe-
ctionem & bonitatem actus Chriſti æquipa-
rantur divinis, ſunt enim omnes infinitè &
æqualiter dignificati adeóque omnes optimi
& perfectiſſimi: Quoad poſteriorem, ſicuti
poſſunt eſſe inæquales ex alijs capitibus, ni-
mirùm ex eo, quod ſint magis vel minùs in-
tenſi; ex eo quod ſint in linea virtutis ma-
gis vel minùs excellentis; ita non debet re-
putari inconveniens, quod poſſint eſſe inæqua-
les ex eo, quod ſint circa objectum magis vel
minus bonum; cum præcipue hæc inæqualitas,
ſeu indifferentia hanc inæqualitatem infe-
rent, ſit omninò neceſſaria ad eſſe morale &
ad capacitatem habendi ex dignitate Per-
ſonæ

ſonæ dignificationem, & valorem meritorium infinitum.

Probatur ſecundò: Indifferentia in ordine ad bonum minus non inducit Chriſto ullam imperfectionem moralem, imò conducens & neceſſaria eſt ad omnem moralem perfectionem; ergo verè talem indifferentiam habuit humana Chriſti voluntas: antecedens quoad ſecundam partem deducitur ex jam dictis, nimirùm ex eo, quòd indifferentia illa ſit neceſſaria ad omnem æſtimabilitatem & laudabilitatem, ſine iſta autem eſſe nequeat ulla perfectio moralis; quoad primam,
14. quæ totum Adverſariorum fundamentum continet, probatur; indifferentia ad bonum minus, ſi inducit imperfectionem, moralem, maximè quia inducit potentiam eliciendi actum modo mox præmiſſo minùs perfectum relicto perfectiore; atqui nec talis potentia, nec actus ipſe minùs perfectus dicit in Chriſto ullam moralem imperfectionem; ergo neque hanc inducit, ſeu dicit in Chriſto indifferentiã ad bonum minus, Minor probatur, actus minùs perfectus duo habet, & quod ſit perfectio, & quod ſit perfectio minor importans carentiam alterius majoris perfectionis; quatenùs eſt perfectio certè non dicit imperfectionem, alioqui diceret negationem ejus, quod eſt; non item dicit imperfectionem, quatenùs importat carentiam perfectionis majoris, enim verò carentia perfectionis non dicit imperfectionem, niſi quando eſt carentia privativa & perfectionis debitæ; non eſt autem debita Chriſto, præſertim in actu ſecundo & in exercitio libero, omnis perfectio, major, alioqui debuiſſet ſemper operari totum quod potuit, & toto conatu quo potuit, ſicque omni prorsùs caruiſſet libertate, ergo.

Dices: ubi datur reprehenſibilitas, datur imperfectio moralis, nam ſicuti moralis perfectio maximè attenditur penes dignitatem æſtimationis, & laudis, ita moralis imperfectio penes dignitatem reprehenſionis & exprobrationis; atqui ſi poſſet in Chriſto dari actus minus perfectus proſecutivus boni minoris relicto perfectiore majoris boni proſecutivo, poſſet dari reprehenſibilitas; eſt enim reprehenſibilis non ſolum qui male operatur, ſed etiam qui operatur minùs benè, non ſolum qui non obſervat præcepta ſed etiam qui non implet conſilia, præſertim ſi ſpeciali titulo teneatur ad ſummam vitæ perfectionem, ſicuti tenebatur Chriſtus titulo ſummæ ſanctitatis & dignitatis perſonalis, quâ erat in via perfectionis Dux, Caput & exemplar omnibus rationalibus creaturis; ergo. Confirmatur: Religioſi ex eo, quòd ſint in ſtatu perfectionis ſunt repræhenſibiles non exequendo opera conſilij, & non obſervando proprias regulas, quamvis iſtæ alioqui nequidem ſub veniali obligent; ergo à fortiori Chriſtus in ſtatu, imò in apice perfectionis magis, quàm ullus religioſus exiſtens, eſſet reprehenſibilis non implendo omnia Dei conſilia, & non eligendo ſemper quod optimum eſt, etiamſi hoc alioqui
15. neque ſub veniali obliget. Sed contra: data majore, nego minorem; & retorqueo in primis inſtantiam in Deo, qui ſine ulla reprehenſibilitatis nota habere poteſt actum minoris boni proſecutivum; nec refert quod actus iſte in Deo non eſſet minùs perfectus. Non refert, inquam, quia neque in Chriſto eſſet minus perfectus quoad perfectionem potiſſimam, quam habet ex dignitate perſonæ operantis, eſſet verò talis ſolum quoad perfectionem minùs præcipuam, & minùs conſiderandam; & quidquid ſit de hoc *ex præcedent. numer. decimotertio*, actus minùs perfectus ex genere ſuo Chriſto non repugnat; ergo ex ratione actus minùs perfecti non repugnat eidem proſequi minus bonum, nec habetur ſufficiens inter Deum & Chriſtum diſparitas pro indifferentia ad bonum minus proſequendum: Deindè directè ad probationem minoris dico eum, qui cum aliquo ſpeciali titulo incumbendi ad ſummam vitæ perfectionem minùs benè operatur, eſſe reprehenſibilem ad ſummum, quando minùs benè operari ei aliqualiter officit in ordine ad ultimum finem, faciendo quòd ad ipſum minùs benè ſe habeat, & impediendo id quo majorem ſibi beatitudinem promereretur: evenit autem hoc in puris hominibus pro ſtatu viæ, non in Chriſto, qui independenter ab omni ſua operatione eſt ſemper in optimâ ad ultimum finem diſpoſitione, imò in certâ ejus poſſeſſione; & ſicuti meliùs operando nullam concipit majoris beatitudinis ſpem, ita operando minùs benè nulli ſe exponit periculo beatitudinis minoris. Fundamentalis ratio hujus doctrinæ deſumitur 16.
ex D. Thomâ *opuſc.* 18. *cap. primo*, ubi docet ſimpliciter perfectum eſſe, quod attingit ad finem ejus quod ei competit ſecundùm propriam rationem; homo per conſequens eſt vel ſimpliciter perfectus & irreprehenſibilis; vel imperfectus & reprehenſibilis prout in ſuo ultimo fine attingendo, & beatitudine conſequẽdâ eſt ſimpliciter benè diſpoſitus & nullius detrimẽti periculo expoſitus, vel non; ideò &c.

Vndè ſumatur perfectio ſimpliciter in eſſe morali ſeu ſpirituali?

Urgebis: S. Doctor *ibid.* explicans, quid ſit hominem attingere ad proprium finem? inſinuat id conſiſtere in eo, quod ultimo fini adhæreat per charitatem; unde etiam infert *Simpliciter ergo in ſpirituali vita perfectus eſt, qui eſt in charitate perfectus*; atqui non eſt in charitate perfectus, qui non vult optimum & ſummè placens Deo; eſt enim quidam amicitiæ tepor unum velle alteri minùs placere, cum poteſt placere magis; velle ei minus bonum cum poteſt velle majus: ergo. Sed contra: Permitto abſolutè, & ſine ulla expoſitione doctrinam ex D. Thomâ allatam pro majore, & nego minorem, in qua diſſimulo pro nunc diſcrimen *præced. n.* 12. inſinuatum inter optimum & ſummè placens Deo; ad ejus verò probationem adverto reſpectu creaturæ magis placere, & majus bonum velle, aliquam afferre utilitatem aut felicitatem; nec non proportionaliter minùs placere, minuſvè bonum velle, detrimentum afferre, aut alicujus felicitatis carentiam, ſecùs reſpectu Dei, qui bonorum noſtrorũ non indigens eodem ſemper modo in ſe feliciſſimus eſt; nec ullius extrinſeci boni, aut acceſſione felicior, aut omiſſione minùs felix evadit: Hinc ſit licet quidam amicitiæ tepor reſpectu creaturæ

Diſcrimen notabile pro perfectione amicitiæ erga creaturam & erga Deum.

velle ei minus placere & minus bonum; ſecus res ſe habet reſpectu Dei. Neque dicas, Deus ipſe de noſtro actu perfectiore, & de majore bono ſibi volito, habet majorem complacentiam; ergo velle Deo bonum minus eſt conſequenter velle ejus minorem complacentiam & nolle majorem hujuſmodi porrò complacentiæ ſunt bona Deo intrinſeca, quis verè putet abſque imperfectione & tepiditate amicitiæ poſſe aliquem non velle Deo ſummum
18. quodcumque bonum ei intrinſecum? Contra enim, ſi Deus, qui ſe perfectius amat, quàm ab ullo alio ametur, poteſt ſine ſui amoris imperfectione ſibi velle bonum extrinſecum non ſummum, etiamſi inde ſequatur minor complacentia, cur id pariter non poterit creata voluntas? & ratio eſt quia, divina complacentia de bono extrinſeco majore valdè abuſivè dicitur major, cum omnis actus Dei præſerti m reſpiciens rem ad extra, ſecundum ſua intrinſeca ſit perfectionis æqualis, major verò aut minor ſolum connotativè & extrinſecè: Eſt inſuper divina complacentia, ut loquitur Eſparza præcit. quæſt. 4. ad 1. in linea approbantis objectum, non in linea delectantis & beatificantis ſubjectum, ideò ex eo quod ſuo modo major aut minor ſit, unò ex eo quod ponatur aut omittatur; nullatenus variatur intrinſeca Dei felicitas.

19. Redeo jam ad principalem inſtantiam & ad ejus confirmationem dico Religioſos omittendo opera conſilij, & propriarum regularum obſervantiam, eſſe reprehenſibiles non præciſè ex eo, quod ſint in ſtatu perfectionis; ſed ex eo quod elegerint ad perfectionem tendere per viam talium conſiliorum & regularum, & conſenſerint de ſubeunda reprehenſione, imò & pœna, ſeu potius pœnalitate, ſi ab illis deficiant: Hinc Arriaga num. 8. & Maſtrius num. 93. diſtinguunt duo genera conſiliorum, ſub primo ponunt quæcumque opera ſupererogationis meliora, nobiliora & valdè eximia, conſiderata præciſè ſecundùm excellentiam ſuæ bonitatis: Sub ſecundo opera ſupererogationis, quæ licet neque ſub veniali obligent, injunguntur & imperantur aliquibus determinatis Perſonis conſequenter ad ſtatum ab ipſis liberè aſſumptum, & hæc opera conſilij ſi ab hujuſmodi determinatis Perſonis non impleantur, inferunt reprehenſibilitatem & indecentiam; at non faciunt ad rem reſpectu Chriſti. Opera conſilij ſub primo genere poſita, ſi omittantur, aut nullâ prorſus reddunt reprehenſione dignum, aut ſi talem reddunt purum hominem viatorem, non ſic Chriſtum aut hominem beatum propter doctrinam, de quâ ſupra n. 15.

Diſtinguuntur duo genera operum conſilij, & quomodo ad ea Chriſtus ſit indifferens?

20. Ex his habes concedendam eſſe Chriſto indifferentiam ad eliciendum actum ex objecto minus perfectum omiſſo perfectiore non ſolum in operibus quæ ſunt ſupererogationis quomodocumque, ſed in illis etiam, quæ ita ſunt ſupererogationis, ut ſimul ſint conſilij, generaliter tamen & in communi accepti; nam ſi ſupponatur aliquod opus, quod Chriſto explicitè & in particulari Deus conſuluerit, tanquàm ſibi magis beneplacitum & ſuoi redemptionis à ſe intento magis inſerviens, facilè crediderim humanam Chriſti voluntatem eadem ratione, qua ex ſeq. 5. non poteſt eſſe divinæ difformis, non poſſe etiam opus illud non amplecti: ex Auctoribus pro aſſerto noſtro relatis indicant Amicus num. 139. & Lugus num. 135. & tunc Chriſtus in tali opere exequendo non aliter meruiſſet, quam mereatur in exequendis operibus præceptis, de quibus infra lib. ſequent. cap. 2. §. 4. Interim pro re præſenti.

Supereſt examinandum: Utrùm indifferentia ſeu potentia Chriſti Domini ad eligendum bonum minus omiſſo majore, de quâ hucuſque, ſit phyſica ſolùm, an etiam moralis? Lugus præcit. ſec. 10. & Pontius diſputat. 39. quæſtion 11. num. 103. volunt eſſe ſolùm phyſicam Arriaga diſput. 43. num. 1. & Maſtrius præcitat. art. 1. numero 96. ſuſtinent eſſe etiam moralem. Amicus præc. ſec. 4. num. 122. ſatius ducit abſtrahere à vocabulis potentiæ phyſicæ & moralis, eo quod poſſit eſſe de nomine quæſtio, & quidem ſi nomine potentiæ moralis veniat illa, quæ eſt potentia in genere moris, aut etiam quæ poteſt ſine morali defectu reduci ad actum ſecundum, utique ex jam dictis conſtat potentiam Chriſti in ordine ad bonum minus, non purè phyſicam eſſe, ſed & moralem: Si verò nomine potentiæ moralis veniat illa, quæ aliquando reducitur ad actum ſecundum, & quæ excludit etiam maximam operandi difficultatem de qua agimus alibi ſparſim, & ſignanter in tract. de Gratiâ lib. 1. cap. 5. §. 7. dum negaremus in homine lapſo potentiam moralem, tum vitandi diu cum ſolis auxilijs ordinarijs omnia venialia collectivè, tum vincendi ſine omni gratiæ auxilio graves tentationes in materiâ naturali, ſeu contra legem naturalem occurrentes. Si inquam hoc modo ſumatur potentia moralis, præſens quæſtio eſt magis ambigua; & licet prima fronte ex eo quod præcit. §. 2. hujuſmodi potentiam moralem ad minus bonum affirmaverimus in Deo, videatur cohærentia doctrinæ poſtulare ut eandem modo affirmemus
in Chriſto: Nihilominus ſi potentia moralis 22.
eligendi minus bonum negetur titulo alicujus moralis imperfectionis, tranſeat quod ſalvâ cohærentia doctrinæ nequeat in Chriſto negari, quia negetur in Deo, nec in Deo affirmari quin affirmetur in Chriſto; at ſi negetur illa potentia moralis (ut negatur à Lugo num. 146.) titulo phyſicæ debilitatis ad ſuperandas difficultates occurrentes in minoris boni proſecutione, dicatur ſcilicet Chriſtus moraliter impotens minus bonum eligere, non quia hoc ſit illi indecens, ſed quia ſit difficillimum; nulla eſt inconſequentia in eo quod ſimilis potentia moralis non negetur in Deo, non eſt enim eadem negandi ratio reſpectu utriuſque; ſolùm quippè in Chriſto ut homine, non in Deo, admitti poteſt aliqua phyſica imbecillitas; ſolum Chriſto ut homini, non Deo, occurrere poteſt aliquid difficile & arduum, quemadmodum nos ipſi inſinuavimus præcit paragrapho ſecundo num. 12. Aliunde igitur judicandum eſt de potentia, vel impotentia morali Chriſti ad minus bonum: Veriſimile argumentum impotentiæ eſt, tùm

21. Indifferentia & potentia Chriſti ad bonum minus moralis ne ſit, an ſolùm phyſica.

Digitized by Google

quod numquam de facto Chriſtus elegerit minus bonum omiſſo majore, tùm quod impotentia ſolùm moralis eligendi minus bonum non officiat libertati requiſitæ ad merendum; cum nec impotentia moralis vitandi aliquod malum officiat libertati requiſitæ ad peccandum, ut patet in eo, quòd peccamus venialiter cum impotentia morali vitandi omnia venialia, peccamus etiam mortaliter ſuccumbendo gravi tentationi cum impotentia
23. morali eam vincendi. Neutrum tamen argumentum eſt ſatis efficax; non primum quia non planè conſtat Chriſtum numquam elegiſſe aliquod minus bonum, & ex eo quòd nunquam elegerit, deduceret impotentia moralis ſolum quoties numquam elegiſſe proveniat ex maxima difficultate eligendi; neque enim quod nunquam evenit cenſetur moraliter impoſſibile, niſi nunquam eveniſſe proveniat ex difficultate eventus; undenam autem probari poteſt in Chriſto tanta difficultas eligendi minus bonum? Non ſecundum, quia impotentiam moralem, quæ ſit ſimpliciter & propriè talis, non officere libertati ad peccandum requiſitæ parùm conſonat doctrinæ à nobis poſitæ *præcitat. paragrapho ſeptimo, numer.50. & 61.*

Ideò omnibus penſatis propendeo ad tribuendum Chriſto Domino in ordine ad minus bonum indifferentiam & potentiam etiam moralem, aut certè ad ſentiendum, quòd non ſatis conſtet de morali ad majus bonum neceſſitate, & ad minus impotentia.

---

§. II.

Utrùm in Chriſto voluntas humana efficax fuerit, aut eſſe potuerit, difformis voluntati divinæ pariter efficaci.

24. *In Chriſto voluntas humana efficax numquam fuit difformis divinæ.*

Aſsert. 1. In Chriſto voluntas humana efficax numquam fuit difformis voluntati divinæ efficaci. Ita D. Thomas *hic quæſt.* 18. *art.* 5. Scotus *in* 3. *diſt.* 15. *quæſt. un.* §. *ſed videndum* cæterique Scholaſtici communiſſimè contrà nonnullos ſuppreſſo nomine memoratos ab Arriaga *diſp.* 42. *ſec.* 1. arbitratos Chriſtum voluiſſe efficaciter aliquid, quod non ſit impletum, & per conſequens cujus oppoſitum voluerit efficaciter Deus, inter iſtos videtur fuiſſe Hurtadus quatenùs *diſp.* 75. *ſec.* 3. docet Chriſtum in horto habuiſſe deſiderium efficax non moriendi. Eſt inſuper aſſerta veritas indirectè contra Monothelitas humanam Chriſto voluntatem denegantes potiſſimum ex eo, quòd putarent eam non poſſe eſſe divinæ conformem, nec poſſe Chriſtum utramque habere ſine internâ utrinſque pugnâ, & diſcordiâ.

Probatur ex ſcriptura: Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui* Jo. 4. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* Jo. 8. *ego quæ placita ſunt ei facio ſemper:* Quæ & ſimilia loca debent ſaltem intelligi de voluntatibus humana & divina efficacibus, inter quas diſformitas eſſe non poteſt ſine propriâ unius voluntatis ad alteram reluctantiâ & contrarietate, hanc verò Chriſto non fuiſſe definijt expreſsè VI. Synodus *act.* 4. ubi in epiſtola Agathonis ſic habetur *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias (juxta quod impij aſſerunt hæretici.) Sed ſequentem ejus humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potius ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati:* Idem habetur *act.* 11. in epiſtola Sophronij, & *act.* 17. in confeſſione fidei: Item in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *conſultat.* 5. Confirmatur ratione: Is, cui conſtat vo- 25.
luntas divina efficax circa aliquod objectum, nequit efficaciter velle oppoſitum, niſi ex errore graviſſimo, quo putet efficacem Dei voluntatem poſſe fruſtrari & ei propriam prævalere; atqui Chriſto ex vi ſcientiæ beatæ, & per nos etiam ex vi ſcientiæ infuſæ, conſtabat de quolibet futuro, adeòque de quâlibet voluntate divinâ efficaci, nec poterat irrepere error ille graviſſimus, quo putaret &c. & quando per impoſſibile error hujuſmodi ſupponeretur, adhuc velle fruſtrationem divinæ voluntatis efficacis, propriæque prævalentiam, fuiſſet volitio defectuoſa moraliter, & vitioſa, adeóque nullatenus in Chriſto permittenda; ergo in Chriſto voluntas humana efficax nunquam fuit difformis &c.

26. *Sivè ſigni, ſivè beneplaciti, ſivè in volito formali, ſivè etiam in volito tantùm materiali.*

Hinc excluſa manet difformitas voluntatis efficacis humanæ à divina, non ſolum ſigni, præſertim præceptivâ; ſed etiam beneplaciti, nam iſta maximè eſt infruſtrabilis, & ad difformitatem cum iſtâ maximè ſequeretur utriuſque voluntatis contrarietas. Manet inſuper excluſa difformitas etiam quoad volitum tantum materiale, nam qui vult efficaciter objectum materiale oppoſitum ei quod alius vult, etiamſi id velit ſecundum ſe, aut ex motivo diverſo, nec contrarietur motivo volendi alterius (in quo conſiſteret difformitas in volito formali) adhuc propriè & ſimpliciter contrariatur ejus voluntati: nam velle efficaciter unum, & velle efficaciter oppoſitum, ex quocumque motivo id fiat, ſunt voluntates, quæ ſicuti non poſſunt ſimul impleri, ita non poſſunt ſimul ſe compati in eodem ſubjecto, quod eſt eas eſſe voluntates propriè & ſimpliciter contrarias.

Et nec de potentia abſoluta difformis eſſe potuit ſuppoſita notitia voluntatis efficacis divinæ.

Aſſert. 2. In Chriſto voluntas humana efficax nec de potentiâ abſolutâ potuit eſſe difformis voluntati divinæ efficaci, cujus ipſe Chriſtus ſupponatur habere ſcientiam, ſeu notitiam. Ita Suarez *diſput. trigeſimaoctava, ſec. quarta, paragrapho Quæres*, Amicus *diſput.* 25. *ſec. prima, num. vigeſimoſeptimo*, Lugus *diſp.* 25 *ſec.* 1. *num. vigeſimoſecundo*, & in eadem ſententia cenſeri poſſunt eſſe reliqui Scholaſtici communiter, quamvis non ſoleant mentem ſuam expreſsè proferre in ordine ad potentiam abſolutam.

Probatur ex eo, quod ratio pro præceden- 27.
ti aſſerto adducta militat etiam de potentia abſoluta, nam etiam ſecundum hanc repugnat Chriſto habere errorem gravem, volitionemve vitioſam, & defectuoſam moraliter. Confirmatur, nec de potentiâ ab-

ſolutâ potoit in Chriſto voluntas humana efficax ferri in impoſſibile cognitum ut tale; atqui voluntas humana efficax, quæ eſſet difformis voluntati divinæ efficaci eujus Chriſtus ſupponatur habere notitiam, ferretur in impoſſibile cognitum ut tale, ergo hujuſmodi voluntas nee de potentiâ abſolutâ in Chriſto eſſe potuit. Major patet, quia ſicuti eſt de communi ratione voluntatis non ferri niſi in cognitum, ita eſt de propria ratione voluntatis efficacis non ferri niſi in cognitum ut poſſibile; nam ex vi voluntatis efficacis applicantur media, ridiculum autem eſt & irrationabile applicare media ad obtinendum id, de quo non conſtat poſſe, imò conſtat non poſſe, obtineri: Minor probatur; Voluntas illa ferretur in aliquid, quod cognoſceretur opponi voluntati divinæ efficaci; atqui quod cognoſcitur ut oppoſitum voluntati divinæ efficaci cognoſcitur ut ex ſuppoſitione, quamvis non abſolutè, impoſſibile, ergo voluntas illa ferretur &c.

Dices: Illa eſt efficax alicujus rei voluntas, qua eliguntur & adhibentur media accommodata conſecutioni talis rei; atqui ex una parte potuit Chriſtus adhibere, imò de facto adhibuit, medium accommodatum ad mortem paſſionemvè vitandam, pro hac quippe adhibuit orationem ad Deum, quâ nullum eſt accommodatius medium; ex alia parte ea vitatio erat oppoſita voluntati efficaci Dei Chriſto notæ: ergo potuit eſſe, imò fuit de factu, in Chriſto voluntas humana efficax difformis voluntati divinæ efficaci. Nec admodùm obſtat impoſſibilitas, de qua in allerti confirmatione; nam ea impoſſibilitas ſicuti eſt ex ſuppoſitiune tantùm, non abſoluta; ita excludit voluntatem efficacem quæ cadat ſuprà rem ut ſubſtratam tali ſuppoſitioni; at non quæ cadat ſuprà rem conſideratam abſulutè, & ſe-
28. cundùm ſe. Sed contra; vera eſt major, ſi eliguntur & adhibentur media efficacia, ſecus ſi inefficacia, nam ex vi voluntatis ſaluandi omnes homines providet Deus omnibus etiam reprobis auxilia ſufficientia ad ſalutem, at quia hæc ſunt reſpectu ſalutis media inefficacia non inferunt eſſe efficacem voluntatem illam antecedentem, qua Deus vult omnes homines ſalvare: Portò oratio, qua Chriſtus in horto deprecatus eſt Patrem, vel non habuit pro fine vitationem mortis, vel ad hunc finem obtinendum fuit applicata ſub conditione & ſuppoſitione divini beneplaciti, non abſolutè & ſimpliciter, adeòque ut medium inefficax, non ut medium efficax, quemadmodum infrà *num.* 39. magis explicabitur. Ad illod, quod additur, dico voluntatem, quæ fertur in rem conſideratam abſolute, & ſecundùm ſe, eſſe ex genere ſuo inefficacem, efficacem verò eam ſolam quæ fertur in rem cum omnibus ſuis circumſtantijs & adjunctis, ac per conſequens quæ ſupponit poſſibilitatem rei, & ſimul omnium circumſtantiarum rem inimpedibiliter comitantiom; ideò &c.

Dubitatur hie, Utrum ſaltem in caſu, quo Deus aliquam ſuam voluntatem efficacem Chriſto occultaret, poſſet huic voluntati divinæ occultatæ & ignotæ eſſe difformis voluntas humana Chriſti? Ratio dubitandi eſt, quia in dato caſu eventus divinæ voluntati efficaci oppoſitus non cognoſceretur ut impoſſibilis, dum non cognoſceretur ipſa divina voluntas efficax, quæ eſt ſuppoſitio eventum illum impoſſibilitans: Difformitas etiam volitionis humanæ eum divina eſſet materialis, & ſicut non cognita, ita nec voluntaria; non eſſet igitur imputabilis ad culpam, aut ad imperfectionem moralem repugnantem Chriſto præſertim de potentia abſoluta: Acquieſcunt huic rationi dubitandi Suarez, Amicus, & lugus ſuprà relati, & in caſu dubij concedunt, quod potuiſſet Chriſtus efficaciter velle aliquid oppoſitum efficaci volontati Dei: Nihi-
lominus mihi adhuc veriſimile eſt id Chriſto in eo caſu repugnare, ex eo qood repugnat ſemper Chriſto operari imprudenter, & ſine magna conſideratione; non eſt autem modus operandi prudens & conſideratus in ijs, in quibus ignoratur efficax Dei voluntas, determinare voluntatem propriam actu omninò efficaci, conſtanti, & abſoluto, ſed ſatius eſt apponere actui conditionem aliquam, & reſtrictionem, qua ſuſpendatur aliqualiter efficacia, & mitigetur quodammodò conſtantia humanæ determinationis dicendo v.g. *ſi tale fuerit Dei beneplacitum, niſi Deus aliter decreverit*; docuit hoc Jacobus epiſtola ſua canonica *cap.* 4. illis verbis: *Ecce nunc qui dicitis: Hodiè aut craſtinò ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: (qui ignoratis quid erit in craſtino &c.) pro eo ut dicatis, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Obſervavit hoc in ſe ipſo Paulus dum 1. *Cor.* 4. ait *Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit* & cap. 16. *Spero enim me aliquantulùm temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit*, ſimilem loquēdi modum reperies apud Apoſtolum alijs in locis, & apud quoſcumque pios ac ſanctos viros frequenter. Neque dicas hunc volendi modum ſpectare quidem ad majorem perfectiunem actus, at non propterea ſine eo actum eſſe poſitivè defectuoſum, & imperfectum privativè, ideò Chriſtum, qui per nos habet potentiam eliciendi actum minùs perfectum omiſſo perfectiore, poſſe habere actum volendi eo modo omiſſo, & nulla appoſita conditione
ſubordinationis ad divinam voluntatem. Con- 30.
tra enim; modus ille non ſpectat præcisè ad majorem perfectionem actos; ſed eſt prærogativa neceſſaria ad hoc, ut actus quilibet, ſivè magis, ſivè minùs aliondè perfectus, eliciatur prudenter, conſideratè, & abſque eo quod eliciens exponat ſe periculo volendi efficaciter aliqoid oppoſitum divinæ voluntati, & quodammodo adverſus hanc conandi: fateor quidem in nobis conditionem illam, & reſtrictionem ſæpè eſſe dumtaxat interpretativam, habitualem, & implicitam; at id provenit ex eo, quòd noſtra prudentia regulctur à cognitione limitatiore, & tardiore judicio, ratione cujus non ſemper habemus moralem facultatem expendendi, & conſiderandi actu, omnes prudenter volendi prærogativas; at hoc in Chriſto non evenit, ideò &c.

29. Imò etiam tali notitia non ſuppoſita, veriſimiliter loquendo.

Ex

Ex his habes oppoſitam rationem dubitandi nihil concludere, aliunde enim, quàm ex præcognita eventus impoſſibilitate, aut ex formali ad divinam voluntatem difformitate, nobis veriſimile eſt quod mox diximus; nimirùm ex eo, quod in caſu propoſito voluntas Chriſti ſimpliciter efficax non eſſet juxtà prudentiæ regulas, & admitteret periculum tùm tendentiæ in eventum impoſſibilem, tùm difformitatis ad divinam voluntatem, quod quidem periculum Chriſtus non potuiſſet non ſuſpicari, cum enim ipſe ſciret conſequenter ad unionem hypoſtaticam ſibi deberi cognitionem omnium decretorum Dei, tùm circà futura, tùm circa non futura, eo ipſo quòd de re aliqua ignoraret, quid Deus decreverit? ſtatim deduceret id ſibi eſſe ſpecialiter occultatum, nec poſſe ſe quidquam abſolutè de tali re decernere ſine periculo decernendi oppoſitum ejus, quod ſit efficaci Dei voluntate ſancitum.

31. *Humana Chriſti voluntas ſimpliciter efficax ſemper fuit impleta.*

Habes inſuper quidquid Chriſtus voluntate humana ſimpliciter efficaci voluit, aut velle potuit, impletum fuiſſe, aut implendum, ſi illud efficaciter voluiſſet; nam cum ex una parte voluntas divina efficax ſemper impleatur, & ex alia parte Chriſtus non voluerit, nec velle efficaciter potuerit aliquid quod non eſſet efficaciter volitum voluntate divina; conſequens utique eſt fuiſſe impletum, aut implendum, quidquid ejus humana voluntas ſimpliciter efficax, aut voluit, aut voluiſſet. Nec propterea humana Chriſti voluntas efficacitate, & vi ſua, par eſt voluntati divinæ, nam quòd efficacitas & vis humanæ voluntatis effectum ſuum obtineat, habetur dependenter à voluntate divina, & ex conformitate illius cum iſta; non è contrà: Ex quo oritur aliud utriuſque efficacitatis diſcrimen ſitum in eo, quòd voluntas divina quoties eſt efficax ſecundum ſe & quantùm per ſuas proprias vires fieri poteſt, eſt efficax ſimpliciter; voluntas humana non item: Hinc D. Thomas *quæſt* 13. *art*. 4. explicans, utrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis? diſtinguit ea, quæ anima Chriſti voluit ut exequenda virtute divina; quoad poſteriora verò, non quoad priora animæ Chriſti omnipotentiam concedit: Deinde in reſponſione *ad* 1. ſuper verba illa *Marc*. 7. quibus de Chriſto dicitur quod *ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere*, docet ideò latere voluiſſe, & non potuiſſe, quia hæc voluntas *non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, ſed de eo quod erat fiendum per alios*; ſubintelligendo ex alia parte, quod talis voluntas fuit efficax ſolùm ſecundùm ſe, & quantum erat ex proprijs, voluit ſcilicet adhibere ad latendum ſola media ſibi connaturalia, ſolas proprias vires, nihil verò amplius; quo tamen modo ſi ex divina voluntate Chriſtus latere voluiſſet, utique latere potuiſſet & latuiſſet: Huic interpretationi quadrat admodum auctoritas; quam eo loco S. Doctor ſubdit ex Epiſtola Agathonis relata in VI. Synodo *art*. 4. ubi legitur *Ergo ne ille omnium Conditor ac Redemptor in terris latere volens non potuit? niſi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter eſt dignatus aſſumere, redigatur.*

Diſcrimen efficacitatis in voluntate humana, & divina.

32.

Iſta libenter ex S. Doctore protuli, ut conſtaret eſſe ex ipſius mente corollarium de humana Chriſti voluntate in omnibus ſuis actibus ſimpliciter efficacibus ſemper impleta, quidquid in oppoſitum ſentiat eo *art*. 4. cum alijs nonnullis Cajetanus diſtinguens de objectis, quæ erant implenda per Chriſtum; & de objectis, quæ erant implenda per alios, & in illis tantùm, non in iſtis concedens humanam Chriſti voluntatem efficacem fuiſſe ſemper impletam, idque confirmans ex præmemorato Agathonis teſtimonio, ex quo putat deduci aliquam humanam voluntatem efficacem in Chriſto non impleri, eò quia ſi ly *latere voluit* intelligitur de voluntate inefficaci, malè Agatho diceret non poſſe id redigi, niſi ad humanam voluntatem, cum etiam de voluntate divina inefficaci rectè verificari poſſit *latere voluit & non potuit*; non impleri enim commune eſt voluntati inefficaci divinæ æquè, ac humanæ Nihilominùs meliùs omnia intelliguntur diſtinguendo ex ſuperiori doctrina duplicem voluntatem humanam inefficacem, aliam quæ nullam prorsùs admittit efficaciam; aliam quæ eſt ſimul efficax ſecundùm quid, ideſt ſecundùm vires proprias; quo poſito dicendum eſt volūtatem humanam Chriſti, quæ non impletur, aliquando eſſe primo, aliquando ſecundo modo inefficacem; nunquam verò efficacem ſimpliciter, & deinde diſcrimen voluntatis humanæ à divina pro re præſenti conſtitui debet in eo, quod divina voluntas inefficax nunquam ſit efficax ſecundum ſe, ſicut eſt aliquando humana, & in illa efficacia ſecundum ſe ſemper ſit efficacia ſimpliciter, non in iſta: Benè verò Agatho ly *voluit latere & non potuit* redigit ad ſolam voluntatem humanam, quia ly *voluit* refert ad voluntatem inefficacem ſecundo modo, ideſt inefficacem ſimpliciter, efficacem ſecundum quid ſeu ſecundum ſe; quæ inefficacia eſt reperibilis in ſola voluntate humana, aliávè creata, nullatenùs in divina: de quibus plura Suarez *diſp*. 38. *ſect*. 5.

33.

Major præcedentis diſcriminis explicatio.

---

§. III.

An, & quomodo in Chriſto voluntas humana potuerit eſſe inefficax, & qua talis voluntati divinæ difformis?

34. *In Chriſto voluntas humana, tùm ut natura, tùm ut ratio, admittit actus inefficaces.*

ASSERT. 1. In Chriſto voluntas humana verè potuit eſſe, imò aliquando fuit inefficax, ſeù habuit aliquos actus inefficaces, & quidem loquendo de tali voluntate, non ſolùm ut eſt natura, verùm etiam ut eſt ratio. Hoc aſſertum quoad poſtremas particulas, in quibus ſolis aliquam admittit controverſiam, tradunt Gabriel *in* 3. *diſt*. 17. *quæſt*. 1. *art*. 2. Marſilius *quæſt*. 11. *art*. 3. Suarez *diſp*. 38. *ſect*. 2. Amicus *diſp*. 25. *num*. 12. & alij plures contrà Capreolum, Majorem, & Durandum *in* 3. *diſt*. 17. Cajetanum *hic quæſt*. 18. *art*. 4. Joannem à Sancto Thoma *ead. quæſt. art*. 5. & aliquos alios

præſertim Thomiſtas arbitratos id eſſe ex mente D.Thomæ *ead. quæſt.* 18. *art.* 4. & paulò inferius *quæſt.* 21. *art.* pariter 4. Nihilominus quia idem S.Doctor *in* 3. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1 expreſſius nobis favet, Adverſarij valde ambiguo jure eum pro ſe referunt, & deberent ſaltem fateri, quod de ejus mente non ſatis conſtet.

35. Voluntas ut natura quid. Adverte pro intelligentia terminorum nos non ſemel alibi, & ſignanter tractat. de Deo Trino *lib.* 4. *cap.* 1. §. 5. & tractat. de Beatitudine *lib.* 5. *cap* 2. §. 1. meminiſſe voluntatis ut eſt natura & voluntatis ut eſt ratio, dicendo voluntatem, ut eſt natura, importare principium naturale operans cum neceſſitate & determinatione ad unum, ut eſt ratio importare principium liberum operans cum indifferentia ad oppoſita: ex duplici autem capite voluntas operatur cum neceſſitate, & determinatione ad unum; primò ex perfectione objecti, in quo clarè relucet ratio ſummi boni, ex hoc capite eſt à voluntate ut naturâ amor beatificus: Secundò ex imperfectione cognitionis, quæ in objecto alioqui habente rationem aliquam boni, & rationem aliquam mali, unicam rationem repræſentet; ex hoc capite ſunt à voluntate ut natura noſtri motus primò primi: Neutro modo ſumunt Adverſarij voluntatem ut naturam, dum ei ſoli tribuunt in Chriſto actus inefficaces; certum enim eſt Chriſtum nec habuiſſe actum aliquem inefficacem circa ſummum bonum clarè viſum, nec admiſiſſe motum ullum primò primum ſurreptitium, & imperfectè deliberatum, ſed quidquid voluit, voluiſſe ex perfecta deliberatione, & plena advertentia: Eſt igitur alius modus ſumendi voluntatem ut naturam dicendo actus illos eſſe à voluntate ut natura, qui ſunt juxta ejus inclinationem naturalem, etiamſi deinde ſint liberi, & ex perfecta cognitione procedant: Potiò naturalis voluntatis inclinatio ea eſt, quæ fertur in bonum ſuæ naturæ, præſertim ſumptæ ſecundum partem inferiorem & ſenſitivam, proſequendo quod commodum, fugiẽdo quod incommodum huic eſt, ut igitur probetur aſſertum contra Adverſarios in eo ſenſu, quo ab ipſis maximè negatur, oſtendendum eſt convenire actus inefficaces humanæ Chriſti voluntati, non ſolùm ut operanti juxtà naturalem inclinationem ad bonum & commodum partis inferioris & ſenſitivæ; ſed etiam ut operanti juxtà aliquod altius motivum ſpectans ad partem ſuperiorem & rationalem. Ideò

Quomodò ſumatur in præſenti.

36. Probatur aſſertum, & quidem quod humana Chriſti voluntas habuerit aliquos actus inefficaces, evincitur ſufficienter ex eo quod *Matth* 26. Chriſtus ait *verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* & Marc. 7. *Neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* additis ex VI. Synodo verbis ſuprà relatis *num.* 12. Quod deinde eadem voluntas actus hujuſmodi habuerit, etiam ut eſt ratio, ſic ex animadverſis deducitur: Voluntas ut ratio in præſenti eſt principium liberè operans ex motione non ſolius boni ſpectantis ad partem inferiorem, ſed etiam boni altioris ſpectantis ad partem ſuperiorem; atqui voluntas humana Chriſti, etiam ut hoc modo operans, habuit actus inefficaces; nam actus inefficax, quo neminem voluit ſcire, non apparet quomodo ex impetu naturæ & ex motione commodi provenire potuerit, cum latere & occultare propriam gloriam ſit contrà potiùs, quàm juxta inclinationem & commodum partis inferioris; provenit igitur ex motivo altioris boni, puta ex virtute humilitatis: actus item inefficax quo mortem noluit, ſi habuit pro motivo non ſolùm vitare nocumentum & incommodum corporis, ſed etiam ut ſentiunt Hilarius & Hieronymus, de quibus infrà impedire peccatum a Judæis committendum in morte infligenda, utique fuit ex charitate erga Judæos, non ex ſola motione boni ſpectantis ad commodum propriæ naturæ, ergo verè actus inefficaces præmemoratos humana Chriſti voluntas elicuit, aut ut ratio potius quàm natura, aut utroque modo, & ſi quos alios actus inefficaces habuit ut certè habere potuit, puta ſi inefficaciter voluit omnium hominum ſalutem, cum hujuſmodi actus ſint honeſti, & dentur in ipſamet divina voluntate, à qua longè abeſt omnis inclinatio partis ſenſitivæ non apparet, cur non poſſint convenire humanæ voluntati Chriſti etiam ut eſt ratio, & liberè operans ex motivo honeſtatis?

Dices: In epiſtola, de qua ſuprà, Agatho Papa ſic ait *Nec enim nolle mori carnem, reprehenſio eſt, quoniam hoc natura eſt: ipſe autem qua natura ſunt omnia abſque peccato oſtendit* (& nonnullis interpoſitis) *Habet autem & nolle mori, eò quod mortem caro recuſabat naturaliter:* ergo verè voluntas inefficax, quâ Chriſtus noluit mori, fuit voluntas ut natura, ſeu operans juxtà inclinationem ſuæ naturæ ſumptæ pro parte inferiori, quæ eſt caro. Sed contrà: aliud eſt, quòd voluntas inefficax, quâ Chriſtus mortem noluit fuerit modo explicato voluntas ut natura, aliud eſt, quòd non fuerit ſimul nec eſſe potuerit voluntas ut ratio aliqua alia voluntas inefficax, ea præſertim, qua voluit latere & non potuit; illud primum probant verba Agathonis, non ſecundum, quod tamen ſolum negatum à nobis & improbatum eſt. 37. Fuga mortis in Chriſto fuit voluntas, ut natura, at ſimul fuit aut eſſe potuit voluntas ut ratio.

Dices aliter: Voluntas operatur ut ratio ſolùm quando ex intentione finis deliberat de medijs; operatur verò ut natura quoties operatur ex quodam impetu & inclinatione aut naturæ, aut alicujus virtutis exiſtentis in natura; atqui hoc poſteriore modo ſe habuit voluntas humana Chriſti, tùm quando voluit latere, tùm quando elicuit aliquem alium actum inefficacem; ergo omnis voluntas Chriſti inefficax eſt voluntas ut natura. Sed contrà: Præter quod iſte eſt novus & voluntariè excogitatus modus accipiendi voluntatem ut rationem, & voluntatem ut naturam, dico ly *ex intentione finis* vel poſſe intelligi de ſola intentione efficaci, & ſic ſupponeretur id quod eſt in quæſtione, ſupponeretur ſcilicet voluntatem, ut ratio eſt, importare actum efficacem; vel poſſe permiſſivè ſe habere ad intentionem, tùm efficacem, tùm inefficacem, & ſic Adverſarij nihil obtinent, quia ſi voluntas ut 38.

ratio

tatio poteſt intendete finem inefficacitet, utique poteſt deliberare etiam inefficaciter de medijs adeóque elicere, ſivè circa finem, ſivè circa media, actus inefficaces: Quod dicebatur in ſecunds parte majoris voluntatem operari ut naturam; quoties operatur non ſolùm ex inclinatione naturæ, verùm etiam alicujus virtutis exiſtentis in natura, verificatur ad ſummum ſi nomine virtutis veniat, aut aliqua virtus imperfecta inclinans ad bonum naturæ, aut aliquis habitus voluntatem neceſſitans, eamque reddens determinatam ad unum.

39. His pro prima tituli parte traditis antequam reſolvamus ſecundam, quæ eſt, utrum in Chriſto voluntas humana inefficax fuerit, aut eſſe potuerit voluntati divinæ difformis? adverto hoc potiſſimum controverti de voluntate, quam Chriſtus ſupponitur habuiſſe, fugiendi ſeu declinandi mortem, dum *Matth.26.* oravit dicens. *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, ideò expedit præmittere, habuerit ne re vera Chriſtus hujuſcemodi voluntatem? ubi illicò occurrunt D. Hilarius & D.Hieronymus exiſtimantes calicem, de quo Chriſtus Patrem orsvit, ut à ſe tranſiret, non ſignificare paſſionem & mortem ipſiuſmet Chriſti, ſed ſcandalum, qood ejus occaſione erant paſſuri diſcipuli, vel peccatum quod in morte paſſioneque inſligenda erant patraturi Judæi, ſic Hilarius *can.31.in Matth.* ait *Non itaque mors, ſed tempus mortis in metu eſt: Metuit, ne* (ſobintellige diſcipuli) *ſe Deum ambigant, quem caſum & conſputum, & crucifixum eſſent contemplaturi*: Hieronymus *in c.26. Matth* habet, *Poſtulas ut ſi poſſibile eſt tranſeat ab eo paſſionis calix: Poſtulat autem non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum: Vnde & ſignanter non dixit, tranſeat à me calix; ſed calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt. ſi me occiderit, habent legem & prophetas, qui me quotidie vaticinantur*: Cum Hieronymo convenit Auſelmus apud Vaſquium *diſp. 73. cap. 2. num.11.*

Quodnam fuerit objectum voluntatis Chriſti poſtulantis, ut tranſeat à ſe calix iſte. Matth.26.

40. Iuxtà hanc Hilarij, Hieronymi, & Anſelmi interpretationem voluntas inefficax Chriſti poſtulantis a ſe calicem tranſire non fuit de aliquo, cujus contrariom efficaciter Deus voluerit; nam licet divina voluntas fuerit de Chriſti morte non quomodocunque, ſed futura ex Judæorum crimine, & diſcipulorum ſcandalo; in illorum tamen crimen & iſtorum ſcandalum ferebatur decreto purè permiſſivo, quod non venit nomine voluntatis afficacis ſimpliciter dictæ, nec velle contrarium ejus, quod ab altero permittitur, cenſetor difforme voluntati alienæ: Circà mortem igitur ceſſat omois ratio dubitandi de difformitate, ſeù contrarietate voluntatum in Chriſto, ſi ſtetur prædictorum Patrum interpretationi & doctrinæ: Verùm, cum ex ona parte à prædictis Patribus (ut monent Vaſquez *num. 12.* & Amicus *diſp. 25. num.9.*) diſcordent reliqui Patres communiter, & ex alia parte ſaltem aliqua alia humana voluotas inefficax fuerit in Chriſto aut eſſe potuerit de re contraria rei à Deo efficaciter volitæ, non eſt abſtinendum ab inquirendo; utrùm hujuſmodi voluntas humana dicenda ſit divinæ difformis? idque expedit ſingillarim exemplificare in voluntate mortis declinandæ.

Adverto inſuper eos, qui humana Chriſti voluntate ſolùm ut natura actus inefficaces agnoſcunt, faciliùs poſſe in propoſito negare difformitsrem ſeu contrarietatem voluntatum; eò quod contraria debeant eſſe in eodem, non io diverſo genere, ſunt autem ſuo modo in diverſo genere voluntas ot natura, & voluntas ut ratio: At nos, qui etiam voluntati ut rationi actus inefficaces tribuimus, & ipſammet velleitatem mortis declinandæ, ſeu nolleitatem mortis ſubeundæ, à voluntate etiam ut ratione in Chriſto eſſe cenſemus, majorem habere videmur rationem dubitandi, majorémque difficultatem in negativa quæſtionis, de qua agitur, ſolutione. Nihilominùs ſit 41.

Aſſert.2. In Chriſto nulla voluntas humana inefficax fuit propriè difformis, aut contraria, voluntati divinæ: & ſingillatim talis non fuit ea, quà inefficaciter noluit, aut declinare voluit, propriam mortem efficaciter volitam voluntate divina. Ita, licet noo adeò expreſsè, D. Thomas *quæſt. 18. art. 5. & 6.* Ioannes à S. Thoma *ibid.* Gabriel à S Vincentio *diſp.18. dub.3.* Suarez *diſp. 38. ſec 4 §. Dico ſecundo.* Vaſquez *diſp.73.cap.3.* Madernus *quæſt.7.art.2.* Amicus, Lugus, & reliqui Scholaſtici ferè, omnes; contrà Arriagsm *diſp.42.ſec.2. §. Quarto cenſeo.* & Maſtrium *diſp.5.quæſt.5.art.1. n.112.* qui tamen, & ſi qui alij idem ſentiunt, à reliquis diſcrepant non tam in re ipſa, quam in nimis extendenda voce contrarietatis, ut poſteà qooque fatetur Maſtrius *num. 117.* dum tandem concludit quæſtionem multum habere de nomine: at quatenùs ita ſit, ex hoc ipſo maximè placet aſſertus loquendi modus, utpotè magis prius & meliùs ſonans auribus etiam rudioribus, quæ non ſine aliqua offenſione audient difformitatem contrarietatem, & quaſi internam pugnam voluntatnm in Chriſto; loquutio autem magis pia & meliùs ſonans præeligenda eſt potiſſimum, ubi diſſidium fortè eſt in ſolis vocibus, ſeu in modo loquendi: Qualecumqoe tamen diſſidium ſit, aſſertum abſolutè 42.

Nulla humana voluntas Chriſti, quamvis inefficax fuit propriè difformis aut contraria alicui voluntati divinæ.

Probatur: In Chriſto voluntas humsna inefficax volens oppoſitum ejus, quod vult voluntas divina, aut nolens illud, quod iſta vult, qualis ſingillatim fuit voluntas qua Chriſtus mortem aut noluit aur declinare voluit, non eſt propriè difformis aut contratia voluntati divinæ: atqui ſi aliqua in Chriſto voluntas humana inefficax fuit propriè difformis aut contraria voluntati divinæ, talis maximè fuit voluntas volens oppoſitum ejus, quod &c. ergo in Chriſto nulla voluntas humana inefficax fuit propriè difformis aut contraria, &c. In minore propoſitione Adverſarij conveniunt, major probatur primò, quia eademmet voluntas, ſivè divina ſive humana, poteſt ſimul & ſemel velle inefficaciter oppoſitum eius, quod efficaciter vult, ſic Deus ſimul & ſemel vult inefficaciter ſalutem, efficaciter damnatiouem reproborum, homo in 43.

periclu

periculo naufragij conſtitutus vult inefficaciter ſervare, efficaciter projicere merces in mare, atqui eadem voluntas non poteſt eſſe ſibi ipſi ſimul & ſemel difformis & contraria; ergo neque ſunt ſibi difformes & contrariæ duæ diverſæ voluntates, humana una, divina altera, ex eo quod illa inefficaciter velit oppoſitum ejus, quod iſta efficaciter vult; adeóque in Chriſto voluntas humana inefficax, &c. Major eadem probatur ſecundò;
44. In Chriſto voluntas humana inefficax de oppoſito ejus, quod Deus efficaciter vult, & ſingillatim voluntas inefficax de morte declinanda fuit poſitivè conformis voluntati divinæ, quatenus eſt principium & regula honeſtatis; ergo nullatenus fuit proprie difformis & contraria eidem quamvis ſumptæ, ut eſt efficax volitio oppoſiti, aut nolitio ejus quod ipſa vult; nam hæc ipſa volitio efficax aut nolitio eſt maximè conformis divinæ voluntati, quatenus eſt principium, &c. quæ autem ſunt conformia uni tertio nequeunt eſſe difformia inter ſe, conformitas quippe eſt quædam æqualitas, at nequeunt eſſe inter ſe inæqualia quæ ſunt æqualia uni tertio: Antecedens probatur ex eo, quia in Chriſto omnis voluntas inefficax, & ſingillatim ea de morte declinanda, fuit actus honeſtus & bonus, fuit igitur conformis primo bonitatis principio & primæ regulæ honeſtatis, imò etiam fuit per divinam voluntatem ſub tali ratione conſideratam efficaciter poſitivè volita, nullum enim actum bonum & honeſtum elicit voluntas creata, quin eum efficaciter voluerit & poſitivè definierit voluntas divina ut primum honeſtatis principium. Ex quo ſic aliter inſtruo
45. pro aſſerti confirmatione argumentum: Non eſt voluntati divinæ difformis & contraria ea voluntas creata, quam Deus ipſe efficaciter vult, alioqui darentur in Deo ipſo duæ voluntates efficaces, quarum una eſſet deſtructiva alterius, & vellet contrarium ejus, quod vult altera; atqui Deus ipſe ex mox dictis efficaciter vult omnem voluntatem inefficacem humanam Chriſti Domini, & ſingillatim eam de morte declinanda, ergo nulla voluntas humana inefficax Chriſti Domini eſt difformis & contraria ulla voluntati divinæ.

Dices primò contrarietatem & difformitatem ſumi poſſe dupliciter, vel pro naturali repugnantia ad ſimul eſſe, qualis eſt contrarietas caloris & frigoris in gradibus intenſis, vel pro oppoſitione proprie tali ex genere ſuo quamvis admittente ſimultatem exiſtendi in eodem ſubjecto, qualis eſt contrarietas caloris & frigoris in gradibus remiſſis. Porrò mox dicta improbant inter voluntatem inefficacem & efficacem, de quibus agitur, priorem non poſteriorem contrarietatem; rectè quippè dici poteſt duas voluntates efficaces volentes oppoſitum ſe habere ut duo contraria in gradibus intenſis, unam inefficacem, alteram efficacem ut duo contraria in gradibus remiſſis, adeò ut quod præſtat in calore & frigore graduum remiſſio, præſtet ſuo modo in volitionibus tendendi inefficacia: & inſtauratur paritas ex eo, quod ſicut calor remiſſus non excludit quidem à ſubjecto frigus, hujus tamen introductionem retardat redditque difficiliorem, ita voluntas inefficax non impedit quidem omninò voluntatem efficacem ſui oppoſiti, retardat tamen ejus executionem, nec ſinit haberi niſi cum aliquali diſplicentia & quaſi adverſo conatu licet debili. Sed contra:
Utrum calor & frigus in gradibus remiſſis rectè dicantur habere propriam contrarietatem, multum habere poteſt quæſtionis de nomine: detur id tamen, non valet illatio, nec duæ voluntates efficaces ita ſe habent ad unam inefficacem, alteram efficacem, ſicut calor & frigus in gradibus intenſis ad calorem & frigus in gradibus remiſſis; nam calor intenſus (idem intellige de frigore) & calor remiſſus ſunt ejuſdem prorsùs ſpeciei, nec differunt niſi ſecundùm magis & minus, voluntas efficax & voluntas inefficax ſunt diverſæ ſpeciei, & differunt ſe totis; ex eo igitur, quod contrarietas conveniens calori intenſo reperiatur ſuo modo in calore remiſſo, non benè infertur contrarietatem repertam in voluntate efficaci eſſe proportionaliter tribuendam voluntati inefficaci. Ad illationis & paritatis inſtaurationem dico volitionem inefficacem aliam eſſe indeliberatam & ex ſurreptione ac quaſi impetu partis inferioris, aliam eſſe perfectè deliberatam, & ex efficaci præordinatione rationis ac voluntatis: Volitio inefficax hoc ſecundo modo nullatenùs impedit, aut retardat, executionem volitionis efficacis, cum nec retardet, ſed amicabiliter (ut ita dicam) & ex unius ejuſdemque principij ordinatione comitetur talis volitionis efficacis elicientiam: De volitione inefficaci primo modo tranſeat, quòd retardet, nec ſinat haberi &c. at nihil hinc infertur relate ad Chriſtum, in quo non eſt dabilis ullus actus indeliberatus, & excitatus ex ſurreptione partis inferioris. 46.

Volitio efficax, & volitio inefficax non ſe habent ut qualitas intenſa, & qualitas remiſſa.

Dices ſecundò; In epiſtolà Agathonis, de quâ ſuprâ *num* 32. ex voluntate, quam Chriſtus habuit de morte declinandâ, & ex eo quod aliunde ſupponatur in voluntate divina decretum efficax de illius mortis futuritione, infertur in Chriſto duplex diſtincta voluntas, humana una, divina altera; ſignum igitur eſt Agathonem, & aliquos Sanctos Patres eodem argumento uſos, ſenſiſſe quòd voluntas efficax de mortis futuritione, & voluntas inefficax de mortis declinatione, fuerint in Chriſto actus difformes & contrarij, qui ideò non potuerint ab unâ, eâdemque voluntate ſimul
provenire. Sed contra; ex præcedenti inſtantiâ conſtat difformitatem & contrarietatem, quam Adverſarij agnoſcunt in illis actibus, non eſſe talem, ut impediat, quin poſſint ſimul eſſe ab una eademque voluntate; adeòque infirmum adhuc eſſet argumentum, quo ex hujuſmodi contrarietate inferretur in Chriſto diſtinctio voluntatum, & Agathonis illatio, prout eam præſens inſtantia objicit, deberet ſupponere deſiderium declinandæ mortis in Chriſto fuiſſe efficax potiùs, quam, licet inefficax, fuiſſe difforme & contrarium efficaci decreto moriendi: In re tamen neutrum ſupponit, & voluntas humana præter divinam, ſeu diſtinctio voluntatum in Chriſto, non deducitur eo loco præciſè ex deſiderio non moriendi, qualecunque 47.

Quomodò ex deſiderio non moriendi in Chriſto deducatur voluntas humana præter divinam.

lecumque iſtod fuerit; ſed ex triſtitiâ, timore, &
oratione tale deſiderium comitantibus, tunc
enim ait Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque
ad mortem*, & Marc. 14. *cœpit pavere & tædere*;
utrobique item, nec non & *Luc.* 22. exprimi-
tur, quod oraverit poſtulans calicis tranſi-
tum; nequeunt autem in divinam volunta-
tem cadere triſtitia, timor, oratio; ex iſtis igi-
tur rectè deducitur in Chriſto voluntas hu-
mana præter divinam. Iiſdem locis Chriſtus
Dominus poſt inſinuatam in poſtulato à Patre
calicis tranſitu ſuam declinandæ mortis vo-
luntatem ſubdit, *Non quod ego volo ſed quod
tu. Non mea voluntas, ſed tua fiat*, qui loquendi
modus non verificaretur, ſi eſſet unica in
Chriſto voluntas, nec daretur voluntas alia
præter paternam, humana præter divinam.
Neque dicas illa particula adverſativa *Sed*
denotat aliquid ampliùs, quam diſtinctionem
voluntatum; denotat igitur inſuper aliquam
contrarietatem ratione cujus una voluntas
adverſetur alteri, & nequeat utraque ſimul
48. impleri. Contra eum: Particula *Sed* poteſt
quidem eſſe nota contrarietatis & adverſati-
va, at ſæpè etiam eſt nota qualiſcumque diver-
ſitatis & præcisè diſtinctiva, nonne enim ſine
aliquâ inter albedinem & dulcedinem contra-
rietate rectè dicitur, in lacte non dulcedo ſed
albedo viſum diſgregat? Majorem forte relata
verba habent difficultatem in eo quod dicitur
Non mea voluntas fiat; cum enim ſit inefficax,
adeóque ut talis ex genere ſuo non petat, imò
non poſſit fieri, ad quid dicere *non fiat*? Ve-
rùm hæc difficultas, ſi quid infert, infert vo-
luntatem eſſe efficacem, at non infert eſſe
contrariam divinæ ex ſuppoſitione quòd ſit, ut
re vera eſt, inefficax; cæterùm in re nec illud
infert, & de voluntate inefficaci non omni-
nò inutiliter dicitur *non fiat*, indicat enim
quamdam de ipſa voluntatis inefficacia com-
placentiam, quæ in propoſito potuit eſſe val-
de meritoria: Deindè illa voluntas Chriſti,
ità fuit ſimpliciter inefficax, ut fortè ſimul fue-
rit ſecundùm ſe efficax modo explicato *præ-
ced. num.* 33. ideò de ea, ut efficaci ſecundùm ſe,
potuit cum aliqua proprietate, & quaſi cum
retractatione efficaciæ dici *Non fiat*.

Dices tertiò: Illæ voluntates, ſivè efficaces
ſint, ſivè inefficaces, ſunt diſformes & contra-
riæ, quæ tendunt aut in objecta contraria pu-
ta una in mortem, altera in vitam, aut in idem
objectum modo contrario, una ſcilicet proſe-
quendo, altera fugiendo; atqui ita ſe habent
voluntas humana & divina, de quibus in præ-
ſenti nam voluntas humana tendit in Chriſti
vitam, divina in Chriſti mortem; vel ſi utra-
que ad vitam comparetur, humana tendit per
modum proſecutionis & volitionis, divina per
modum fugæ & nolitionis ſicut ex oppoſito
ſi utraque comparetur ad mortem, tendit per
modum proſecutionis & volitionis divina, per
49. modum fugæ & nolitionis humana: ergo vo-
luntas humana & voluntas divina de quibus
agitur ſunt propriè inter ſe diſformes & con-
trariæ; Reſpondent aliqui contrarietatem
objectorum materialium aut modorum ten-
dendi in idem objectum materiale, non ſuf-
ficere ad contrarietatem voluntatum, niſi in
primo caſu ſint etiam contraria objecta for-
malia ſeu motiva, in ſecundo verò ſit etiam
idem objectum formale & motivum, quod
non evenit in propoſito, ubi velle & nolle
mortem non ſunt ex eodem motivo; ſed pri-
mum in divina voluntate eſt ex motivo redi-
mēdi homines; ſecundum in voluntate huma-
na eſt ex motivo vitandi incommodum natu-
ræ inferioris, aut Diſcipulorum ſcandalum, aut
Judæorum peccatum: In eadem voluntate di-
vina velle Chriſti mortem, & in voluntate
humana velle Chriſti vitam ſunt pariter ex
motivis mox dictis non ex motivis contrarijs;
qualia eſſent motivum homines redimendi, &
motivum eos relinquendi ſine redemptione.
Impugnatur tamen reſponſio, quia hâc ratio-
ne nō eſſent inter ſe contrariæ voluntates alio-
qui maximè incompoſſibiles & repugnantes,
ut ſunt velle efficaciter medicinam quia ſalu-
brem, eandem efficaciter nolle quia palato in-
gratam: velle efficaciter ſuſpenſionem Rei ad
patibulum damnati propter commune bo-
num Reipublicæ, velle efficaciter ejuſdem libe-
rationem propter bonum particulare ejus fa-
miliæ; Sentiendum igitur ad contrarietatem
voluntatum ſufficere contrarietatem objecto-
rum materialium, aut modorum tendendi in
idem objectum materiale, & cum hæc repe- 50.
riatur inter voluntates, de quibus agitur, con-
ſequens eſt ipſas eſſe inter ſe diſformes &
contrarias. Sed contra; licet omnis actuum
ſpecificatio; unitas, diſtinctio, conformitas,
diſformitas, magis attendatur penes formale
objectum quàm penes materiale, adeòque ali-
quam præſeferat apparentiam reſponſio inter
inſtandum allata, nihilominùs impugnatio ad-
jecta rectè probat eam univerſaliter non ſub-
ſiſtere, nec poſſe verificari in voluntatibus ef-
ficacibus, quatenùs deindè eadem impugnatio
extenditur ad voluntates inefficaces infirmior
eſt, nam inefficacium voluntatum contrarietas,
ſi quæ tandem eſſe poſſit, eſt valdè tenuis ac
exigua, & facilè in nullam abibit, ubi ex mo-
tivo formalique objecto non ſumatur, ut nos
ipſi inſinuavimus *tract.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 15.
& attingit Lugus *hic diſp.* 25. *num.* 13. Ad præ-
cipuam igitur inſtantiam concedenda eſt ma-
jor, quatenùs procedit de voluntatibus effica-
cibus, neganda verò quatenus procedit de vo-
luntatibus inefficacibus, vel inefficaci unâ, ef-
ficaci alterâ; & dicendum voluntatem inef-
ficacem, ut habeat aliquam cum alterâ, ſivè
inefficaci, ſivè efficaci, contrarietatem, aut de-
bere utramque eſſe ex eodem motivo propter
rationem mox prælibatam, aut abſtrahendo à
motivis ut hucuſque abſtraximus, debere
unam eſſe ex impetu & ſurreptione, aliam ex
deliberatione rationis; non verò utramque ex
ordinatione & imperio unius ejuſdemque vo- 51.
luntatis, propter rationem de qua ſupra partim
ſub *n.* 44. partim ſub *n.* 46.

Quomodò ad contrarietatem voluntatum ſufficiat contrarietas objectorum materialiter.

Ex dictis habetur negari à nobis diſformi-
tatem, & diſcordiam, voluntatis inefficacis
humanæ à divinâ in Chriſto Domino, abſtra-
hendo ab eo, quod nomine voluntatis inefficā-
cis veniat, aut voluntas abſoluta per modum
ſimplicis deſiderij, aut voluntas conditionata,
qualis ſingillatim videtur fuiſſe volitio mor-

Hucuſque dicta abſtrahunt ab eo, quod in Chriſto voluntas humana inefficax conditionata ſit, vel abſoluta.

tis vitandæ, utpotè quæ cum adjecta conditione, ſeu modo conditionato, exprimitur Matth. 26. *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat a me calix iſte*; item Luc. 22. *Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me*: Et quidem ſuga mortis ſub hac conditione *Pater ſi vis* apparet ex terminis à voluntate paterna non diſcordans, nihilominus etiamſi ſupponatur eſſe ſimplex mortis fuga abſoluta, adhuc propriè non diſcordat ab eadem paterna voluntate propter doctrinam hucuſque traditam, quæ tota procedit de voluntate inefficaci abſtrahendo ab eo, quod ſit conditionata, necne? Et licèt aliqui opinentur omnem voluntatem inefficacem eſſe ex genere ſuo conditionatam, non eſt operæ pretium opinionem hanc ad examen nunc revocare, cum minoris momenti ſit, & ſupponi poſſit ſufficienter impugnata ex ijs, quæ dicebamus tract. de Deo Uno *lib. 4. cap 3. numer. 42.*

CAPUT VI.

De Sanctitate Chriſti ſubſtantiali, & increata.

1. SUB hoc titulo Chriſtus neque ſumitur ut Deus, neque ut ſubjectum communicationis idiomatum: nam primo modo quis dubitet eum eſſe, & quidem per identitatem ſeu per eſſentiam, ſanctum ſubſtantiali, increataque ſanctitate? Secundo modo quænam major difficultas eſſe poteſt in eo, quòd Chriſtus, vel hic homo deſignato Chriſto dicatur ſanctus ſanctitate divina, quàm in eo quod dicatur, ut per communicationem idiomatum verè dicitur, eſt Deus, eſt omnipotens, eſt infinitus &c. Procedit igitur titulus de humanitate ipſa, utrùm in Chriſto ex vi unionis hypoſtaticæ aquirat aliquam ſanctificationem, ratione cujus præciſa communicatione idiomatum rectè dicatur ſancta ſanctitate ſubſtantiali & increata? Porrò ſanctificationis, ſicut & juſtificationis duplex eſt effectus, unus negativus, qui eſt excludere ſanctitatis oppoſitum nimirùm peccatum, & quomodò hoc præſtet unio hypoſtatica? tractabitur infrà *lib. 4.* cum de Chriſti impeccabilitate. Alter effectus eſt poſitivus, & importat eſſe amicum ac gratum Deo, habere divinitatis conſortium, jus ad gloriam, & bonam diſpoſitionem ad actus ſtudioſos, ſalutares, ac ſupernaturales: Neque enim hic ſermo eſt de ſanctitate quadam minùs perfecta communi creaturis etiam non intellectualibus nec animatis, ſita in quadam dignitate ſeu exigentia ſpecialis venerationis, honoris & cultus, & conſequenter vel ex ordinatione ſeu deputatione extrinſica ad inſerviendum myſterijs, operibuſque ſanctioribus, vel ex quacunque unione phyſica ad aliquid ſanctum qua ratione non negat naturam hum. nam Chriſti ex unione perſonali ad Verbum remanere ſanctificatam, ſicut & ea-

Sanctificationis effectus duplex.

Sanctitas alia perfectior, alia minus perfecta.

dem ratione ſanctificaretur natura irrationalis quæ ab eodem Verbo aliáve divina Perſona, ut poteſt, aſſumeretur juxtà ſuprà dicta *lib. præced. cap. 5. num. 50.* Hinc habes illud, quod primo loco ſub præfixo titulo expendendum occurrit, eſſe, utrùm ſanctitas ſubſtantialis & increata Verbi divini reddat humanitatem Chriſti ſanctam ſanctitate poſitiva, perfecta, & propria naturæ intellectualis? quo in puncto, ſi abſtrahatur a *radicaliter & formaliter*, communiſſima eſt & receptiſſima reſponſio affirmans; eſt verò diſſidium ingens in determinando, formaliter ne an radicaliter loquendum ſit? ne verò diſſidij augendi occaſio ſit varia acceptio terminorum. 2.

Adverto quòd quærendo utrùm ſanctitas ſubſtantialis & increata reddat humanitatem ſanctam formaliter, necne? ly *formaliter* ſumi poteſt vel prout contradiſtinguitur à radicaliter, & idem eſt ac immediatè, propriè, & in actu ſecundo; vel prout contradiſtinguitur à materialiter, imò ab omni eo quod non exercet munus cauſæ formalis, & idem eſt ac per modum formæ phyſicæ, informantis, atque inhærentis: Quoad ly *formaliter* in hoc ſecundo ſenſu agetur poſteà quærendo, an & quomodo ſanctificatio ſubſtantialis formalis in humanitate habeatur, aut ab unione perſonali, aut à ſubſiſtentia Verbi, aut à Deitate ſeu natura divina? Pro nunc ſumitur ly *formaliter* ſolùm in primo ſenſu, in quo ſit 3.

---

§. I.

Utrùm humanitas in Chriſto ſanctificetur formaliter ſanctitate ſubſtantiali & increata?

ASSERT. Humanitas in Chriſto ſanctificatur formaliter, & immediatè, ſanctitate ſubſtantiali & increata; non verò ſolùm radicaliter & media ſanctitate accidentali ſeu gratia habituali ſanctitatem ſubſtantialem, gratiamque unionis conſequente aut comitante. Ita Medina *hic q. 7. art. 1.* Suarez *diſp. 18 ſect. 1.* Vaſquez *diſp. 41. c. 3.* Joan. à S. Thom. *diſp. 8. art. 1.* Goncius *diſp. 11. art. 1 §. 1.* Amicus *diſp 16. ſec. 1.* Lugus *diſp. 16. ſect. 1.* Arriag. *diſp. 29. ſec. 4.* Eſparza *lib. 4. q. 24.* Madernus *q. 5 art 1* & ferè omnes tum Thomiſtæ tum Recentiores, necnon ex Scotiſtis Vulpes *tom. 2. p. 4. diſp. 17. artic. 3* Poncius *diſp. 37. q 2. conc 3.* aliique nonnulli contrà docentes perfectam ſanctificationem formalem naturæ creatæ haberi poſſe per ſolam gratiam habitualem; ex quo capite quidam inter quos Durand. *in 3. diſt. 15. q. 2. n. 5.* putant humanitatem, quam Deus aſſumeret abſque infuſione habitualis gratiæ, permanſuram etiam poſt aſſumptionem in puris naturalibus: Quidam alij ut latè tractat Henricus *quodlib. 12 quæſt. 5* faciunt gratiam habitualem neceſſariò conjunctam cum gratia unionis, ne Deus poſſit hypoſtaticè uniri naturæ non ſanctæ. nec multùm ab hac opinione diſtant tùm Paludanus *in 3 diſtinction 13. quæſt. 10. 2.* & Marſilius *quæſt. 10. artic. 1. concl. 1.* ponentes gratiam 4.

Humanitas in Chriſto eſt formaliter ſancta ſanctitate ſubſtantiali.

Varij modi opinandi in oppoſitum.

Digitized by Google

gratiam habitualem fuiſſe ſimpliciter neceſſariam animæ Chriſti pro formali ejus ſanctificatione, tum Bonaventura *in 3. diſtinct. 13. art. 1. quæſt. 3.* & Alenſis *3. par. quæſt. 11. memb. 1.* prærequirentes gratiam habitualem pro diſpoſitione reddente animam idoneam ad aſſumi. Hos omnes habemus in doctrinâ à nobis aſſertâ Adverſarios, & inſuper Fabrum *in 3. diſp. 18.* Bellutum *diſp. 10. quæſt. 1.* Centinum *diſp. 11. cap. 1.* Maſtrium *diſp. 2. quæſt. 1. articul. 1.* Henricx *diſp. 2. quæſt. 2. num. 15.* cæteroſque Scotiſtas magis communiter. Scotum ipſum ſicut & D. Thomam prætereo; quia neuter Doctor ſuam in hoc puncto mentem ſatis clarè expreſſit, ut de Scoto fatetur Maſtrius *præcit. quæſt. 1. num. 3.* & de D. Thomâ contendit Arriaga *diſp. 29. ſec. 1.* vix tamen negari poteſt, quin Scotus Adverſariis, & D. Thomas nobis faveat; iſte quidem *hic quæſt. 7. art. 1.* & multo magis *opuſc. 2. cap. 214.* ille verò *in 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. diſtinct. 13. quæſt. 2.* & alibi.

5\. *Non eſt tribuenda præfixo aſſerto certitudo fidei.* Advertee obiter nimium indulgere noſtro aſſerto, nimiamque ei certitudinem tribuere Hurtadum *diſp. 47. §. 31.* dum conatur oſtendere fuiſſe communiter receptum ab antiquis Scholaſticis, imò haberi ex Scriptura ac Patribus, & eſſe de fide; in quo quidem, ſi ſermo eſſet de ſanctitate ſubſtantiali humanitatis quomodocunque abſtrahendo à modo ſanctificationis aut magis aut minùs perfectæ, aut formalis aut radicalis, vix aliquid detraherem de certitudine ab Hurtado intentâ; at loquendo in terminis aſſerto applicatis, & explicatis antecedenter, ea certitudo eſt valde nimia; & jure refellitur ab Arriagâ *præcit. ſec. 1. & 2.* Nec poteſt eſſe omninò certa ea doctrina, quæ habuit olim, & habet adhuc hiſce temporibus nec paucos, nec exiguæ notæ Adverſarios, ut jam retulimus, præſcindendo igitur ab omni certitudinis gradu aſſertum, ut jacet,

6\. Probatur primò ex Sanctis Patribus, qui ut referunt Suarez, Vaſquez, & Lugus, ſæpè docent humanitatem Chriſti ipsâ unione ad Verbum fuiſſe deificatam, divinitate quaſi oleo unctam & delibutam, imò & divinitatem ipſam appellant humanitatis unctionem; & unctionis certè ſpiritualis & internæ nomine ſanctificationem intelligunt, ſicut non poteſt quoque non venire nomine deificationis ſanctificatio, & quidem ſubſtantialis; cum Deitas ſit per ſe ipſam ſubſtantialis ſanctitas, hocque ſivè ſumatur Deitas pro divina natura, ſivè pro divina ſubſiſtentia, ſive pro alio quocumque dono divino ſubſtantiali; ergo ex irrefragabili Sanctorum Patrum mente humanitas Chriſti aliquo modo ſanctificatur Deitate, ſanctitateque ſubſtantiali, & increata; atqui eorumdem Patrum menti, ſicut & rationi conformius eſt, quòd talis ſanctificatio ponatur formalis & immediata, quam mediata ſolùm & radicalis; ergo humanitas Chriſti ſanctificatur formaliter & immediatè ſanctitate ſubſtantiali &c. antecedens cum prima conſequentiâ admittitur ab ipſis Adverſariis, nec ab ullo Catholico poteſt negari: ſubſumptum quoad ly *rationi conformius* conſtabit ex probationibus mox a ratione petendis, quoad ly *conformius eorumdem Patrum menti* probatur: illud cenſendum eſt conformius menti Patrum, quod in ipſorum dictis ſalvat ſenſum magis proprium, magiſque abſolutum; certum eſt autem humanitatem magis propriè dici Deitate unctam, delibutam, deificatam, ſanctificatam; ſi hæc omnia intelligantur formaliter, & immediatè; quàm ſi ſolùm radicaliter, & mediatè; ergo.

Probatur ſecundò ratione: Humanitas in Chriſto ſanctificatur formaliter ex ſubſtantiali ſui unione ad divinam ſubſtantiam quacumque qualitate, quocomque habitu, & quocumque accidentali dono, circumſcriptis, ergo ſanctificatur formaliter & immediatè ſanctitate ſubſtantiali, & increata, non verò ſolùm radicaliter &c. conſequentia patet, probatur antecedens, in quo libenter dixi, ad divinam ſubſtantiam, ut pro nunc abſtraherem à divina ſubſiſtentia & à divina natura, cui utrique commune eſt nomen divinæ ſubſtantiæ, probatur, inquam, antecedens, ſanctificari formaliter (loquendo, ut jam præmonui, de ſanctificatione poſitive accepta) eſt reddi formaliter participem divinæ naturæ, Dei amicum, Deo gratum, & à Deo acceptum ad gloriam, atqui talis redditur humanitas in Chriſto ex ſubſtantiali ſui unione &c. Major continet univerſalem ſanctificationis perfectæ conceptum, in quo Scholaſtici omnes & Adverſarii ipſi conveniunt, nec gratia habitualis, cui Adverſarii maximè imo unicè tribuunt vim formaliter ſanctificandi, id præſtat aliter, quàm reddendo formaliter participem divinæ naturæ, Dei amicum &c. ut latè habetur in tractatu de Gratia & de juſtificatione: Minor probatur, divina ſubſtantia, quæ humanitati in Chriſto unitur, eſt ſumma naturæ divinæ participatio, imò eſt natura ipſa divina vel formaliter vel identicè, eſt item donum ac beneficium omnium maximum, & ſub utraque ratione valdè excedens habitualem gratiam, ut ſatis ſuperque conſtat ex ſupradictis ſparſim, & ſignanter *ex lib. præcedent. capit ſexto, paragrapho tertio*, ergo humanitas in Chriſto ex ſubſtantiali ſui unione ad divinam ſubſtantiam redditur formaliter particeps divinæ naturæ, & dono ac beneficio omnium maximo inſignita; ex quo deindè conſequens eſt quod reddatur etiam formaliter Dei amica, Deo grata, & à Deo accepta ad gloriam ſeu conſtituta hæres gloriæ, ut enim perſpicuum fiet recolenti ſuprà dicta in trac. de Gratia *lib. 3. cap. 1.* ferè per totum, non aliter magis probatur haberi hujuſmodi effectus formaliter ex gratia habituali, quàm ex eo, quòd iſta ſit formalis participatio divinæ naturæ, & eximium Dei beneficium: & ſi illa habituali gratiæ tribuenda eſſe colligitur ex verbis 2. Pet. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*, cur non à fortiori tribuenda eſſe gratiæ unionis colligetur ex eo, quod de divino Verbo nobis per hanc gratiam communicato 7.

8\. *Comparatio gratiæ unionis cum gratia habituali quoad vim formalem ſanctificandi.*

Paulus ait Rom. 8. *Quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

9. Dices primò: Humanitas Chriſti ex unione ſubſtantiali ad Verbum, ſeu ad divinam ſubſtantiam, habet ſanctitatem ſubſtantialem & increatam ſibi communicatam perſonaliter & per modum ſuppoſiti: non formaliter & per modum formæ, & priori ſimiliter, non poſteriore modo, dici poteſt habere divinæ naturæ participationem; ergo humanitas in Chriſto perſonaliter, non formaliter ſanctificatur ſanctitate ſubſtantiali & increatâ: Differt autem ſanctificatio perſonalis, ſeu ſuppoſitalis, à ſanctificatione formali in eo, quod illa eſt ſanctitas purè phyſica ſpectans præcisè ad eſſe, undè etiam reperiri poteſt in creaturis irrationalibus incapacibus cujuſcumque moralis operationis, moraliſvè, juris ad bona ſupernaturalia: Iſta autem eſt ſanctitas aut tota moralis, aut partim phyſica partim moralis; nec poteſt reperiri niſi in creaturis rationalibus, quibus ſolis convenit benè moraliter eſſe, & bene moraliter operari: Poſitâ hâc univerſali doctrinâ contendunt Adverſarij unionem hypoſtaticam immediatè, & ex ſe præcisè, tribuere ſolum primam ſanctitatem, ad tribuendam verò ſecundam indigere gratiâ habituali, & putant ſe habere vehementem talis doctrinæ conjecturam in eo, quòd unio hypoſtatica ſine gratia habituali fieri poteſt in naturis irrationalibus primæ dumtaxat, non ſecundæ ſanctitatis capacibus. Sed

Poriſſima doctrina, qua Adverſarij occurrunt noſtris rationibus.

10. contrà: Quâ ratione dici poſſit, necne? humanitatem habere in Chriſto ſanctitatem ſubſtantialem ſibi communicatam formaliter, prout ly *formaliter* idem ſonat ac per modum formæ explicandum eſt *ſeq.* §. in præſenti ſufficit ſuſtinere ly *formaliter* prout contradiſtinguitur à radicaliter: In eo igitur, quòd Adverſarij contendunt humanitatem in Chriſto ſanctificari perſonaliter, non admodùm contradico; at in eo, quod addunt hujuſmodi ſanctificationem eſſe purè phyſicam nimis detrahunt gratiæ unionis, dum ei tribuunt ſolùm illud, quod eſt in linea ſanctitatis minùs perfectum ex præmiſſis *num.* 1. præter quòd gratia unionis, cum ſit ex propria conditione bonum politicum, maximè eſt in genere moris, & habet in ordine ad perficiendum moraliter majorem titulum quàm habeat gratia habitualis, quæ dici ſolet bonum monaſticum. Rursùs in gratiâ ipsâ habituali vis ſanctificandi moraliter provenit ex perfectione phyſicâ, & ex eo quòd ſit per nos participatio phyſica divinæ naturæ; cur igitur etiam in gratia unionis ad vim ſanctificandi phyſicè, & ad communicationem phyſicam divinæ naturæ, non conſequitur immediatè ſanctificatio moralis.

11. Adverſariorum conjectura vehemens mihi non eſt, puto enim gratiam ipſam habitualem poni poſſe in ſubjecto irrationali, & unionem hypoſtaticam cum gratiâ habituali æquè, ac ſine eâ, fieri poſſe in irrationali naturâ; nec novum eſt effectus, quos res aliqua præſtat immediatè & ex ſe præcisè, requirere ex parte ſubjecti capacitatem, nec præſtari, niſi in ſubjectis capacibus, de quo magis infrà *num.* 31. Interim ſiſtendo in ſubjecta materia, non ne ſubſiſtentia Verbi immediatè & ex ſe præcisè conſtituit cum naturâ perſonam? & tamen in naturâ irrationali propter illius incapacitatem non perſonam, ſed ſuppoſitum conſtitueret.

Dices ſecundò: Humanitas, quæ aſſumeretur ad ſubſiſtendum ab Angelo ſancto in ſe & juſto, non per hoc ſanctificaretur formaliter ſanctitate Angeli, ergo neque de facto humanitas in Chriſto ſanctificatur formaliter ſubſtantiali ſanctitate Verbi per hoc, quòd aſſumatur a Verbo ſubſtantialiter Sancto. Sed 12.
contra: concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia in Angelo, nec perſonalitas, nec natura, eſt formalis ſanctitas, ut tamen eſt in Verbo: eſſet igitur ſanctus Angelus accidentali non ſubſtantiali ſanctitate; per habitualem gratiam ſibi inhærentem, non per ſuamuet ſubſtantiam; proprium autem eſt gratiæ habitualis tribuere ſuum effectum formalem ſoli ſubjecto cui inhæret, pro hoc ſolo exigere jus ad gloriam, habitus infuſos, actualia auxilia, & reliqua dona ſanctificationem perfectam comitantia: Non negandum tamen, quin ex aſſumptione ab Angelo ſancto redundaret in humanitate aliqua ſanctitas imperfecta, ratione cujus eſſet digna ſpecialiore æſtimatione, ſpecialioreque cultu, & aliqua etiam majori amabilitate, quàm foret, aut ex ſe præcisè, aut ex aſſumptione à Perſonâ non ſanctâ, ut magis expendit Lugus *diſput.* 16. *ſec.* 1. à *numero* 4. *ad* 8.

Quomodò ſanctificaretur humanitas ab Angelo ſancto ad ſubſiſtendum aſſumpta.

Dices tertiò: Non poteſt idem principium, eademvè forma ſanctificare radicaliter & formaliter, per modum actus primi & per modum actus ſecundi, atqui unio hypoſtatica ſanctificat humanitatem Chriſti radicaliter & per modum actus primi; ſe habet enim ut actus primus & radix ad habitualem gratiam, quæ in omnium ſententia ſanctificat formaliter, imò quæ ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. eſt unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis ſeu ſanctificationis, ubi dum Concilium addit juſtificationem haberi per juſtitiam Dei, *non qua ipſe juſtus eſt* videtur in terminis excludere naturæ creatæ ſanctificationem per ſanctitatem Dei ſubſtantialem & increatam, hac quippe ipſe juſtus eſt: ergo. Sed contra. Vera 13.
eſt major ſi procedat in eodem, falſa ſi in diverſo genere ſanctitatis; & conſequenter unio hypoſtatica non poteſt quidem ſanctificare radicaliter & formaliter in eodem genere ſanctitatis, benè tamen radicaliter in genere ſanctitatis accidentalis; formaliter in genere ſanctitatis ſubſtantialis; & quia habitualis gratia formaliter ſanctificat ſanctitate accidentali, & accidentalis ſanctificationis eſt unica formalis cauſa, optimè poteſt gratia unionis ſe habere ut actus primus & radix ad habitualem gratiam, & unà ſimul in genere ſanctitatis ſubſtantialis ſanctificare formaliter, & per modum actus ſecundi: Nec obſtant verba à Concilio addita, quia iſta quoque procedunt de ſolâ juſtificatione accidentali, aut ſaltem (quomodocumque eam voces) de juſtificatione quæ in nobis, imò in impijs, ordinario modo fit; non de illa, quæ modo ſpecialiſſimo

Unio hypoſtatica ſimul ſanctificat radicaliter, & formaliter in diverſo genere.

ſpecialiſſimo habetur in Chriſto. Moneo hic obiter eſſe de ſanctificatione accidentali, & modo ordinario facta, intelligendas alias, ſi quæ afferantur, auctoritates ad probandum humanitatem in Chriſto ſolâ gratiâ habituali, non verò Deitate divinâve ſubſtantiâ ſanctificari ſeu juſtificari formaliter, & taliter in particulari accipienda ſunt verba D. Thomæ *in 3. diſt 13. quæſt. 1. art. in c.* dicentis *Deitas non eſt formaliter, ſed effectivè perficiens ipſam* (ſubintellige animam Chriſti) *undè oportet aliam formam creatam in ipſo ponere, quâ formaliter perficiatur, & hæc eſt gratia.*

14 Urgeri iuvent in præſenti aliquæ aliæ inſtantiæ petitæ ex difficultate tum aſſignandi, cur divina ſanctitas potiùs, quàm alia divina prædicata ſuum effectum formalem humanitati tribuat? tum definiendi, utrùm ſubſtantiali Dei ſanctitate humanitas Chriſti finitè, an infinitè ſanctificetur? tum componendi in Chriſto neceſſitatem habitualis gratiæ cum eo, quod non præſtet ipſa ſula formalem ſanctificationem, adeóque non ſit titulo formalis ſanctificationis neceſſaria: Verùm expedit ſingula hæc magis dearticulativè tractare, ut tractabu partim in progreſſu hujus capitis, partim initio capitis ſequentis; & primum quidem præſtabo ſtatim ac melius aſſignavero formam, aut quaſi formam, à quâ præcisè propriéque habetur ſanctificatio formalis ſubſtantialis hucuſque propugnata. Ideò ſit

§. II.

An & quomodo ſanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habeatur, aut ab unione, aut à ſubſiſtentiâ Verbi, aut à naturâ divinâ?

15. Ratio formalis ſanctificans ſubſtantialiter humanitatē Chriſtū non eſt modus unionis, etiā ſi iſte modus verè daretur.

ASSERT. 1. Sanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti nullatenus habetur tanquàm à forma, aut quaſi forma ab unione etiam dato, quòd iſta ſit modus ſubſtantialis diſtinctus realiter ab humanitate & Verbo. Ita inter cæteros, & magis expreſsè, quàm cæteri, Gonetus *diſp. 11. art. 2. §. 1.* Madernus *quæſt. 5. art. 2.* Lugus *diſp. 16. ſec. 2.* Arriaga *diſp. 31. ſec. 3.* Eſparza *lib 9. quæſt. 25.* contra Amicum *diſp. 16 ſec. 3. n. 131.* & ut ait Arriaga unum vel alterum Recentiorem in manuſcriptis. Uvadingus *diſp 5.* docet quidem modum unionis diſtinctum, ſi detur, fore formam ſanctificantem; at hoc judicat adeò abſurdum, ut malit negare in unione rationem modi diſtincti, quam in iſto concedere rationem formæ ſanctificantis, ideò parum favet Adverſariis.

Dixi *etiam dato, quod iſta ſit modus* &c. nam juxta noſtra principia, quibus *lib. præc cap. 6. §. 1.* unionem poſuimus indiſtinctam ab extremis, minor imò nulla eſt ratio dubitandi, & denominationes perfectioneſque uni extremo advenientes per unionem ad alterum, certum eſt illi tribui ab hoc altero extremo, quod unitur; non ab aliquâ ſimplici entitate intermedia, quæ nulla datur: nihilominus facta ſuppoſitione quod detetur, adhuc aſſertom.

Probatur: Modus unionis ex ſe formaliter eſt purum *Quo*, & pura determinatio ſeu applicatio unius extremi ad aliud; modi enim à ſuis Auctoribus inventi ſunt & inſtituti, ad determinandam indifferentiam, nullatenus autem nequidem partialiter ad præſtanda munera rerum, quarum ſunt modi; alioqui jam eſſent ipſi quoque id *quod* eſt res, non purum *quo* & puri modi, quod facili conſtat inductione, nam juxta ipſos Modaliſtas actio nullatenus eſt cumprincipium efficiens, ubicatio nullatenus eſt pars loci intrinſece locatum ambientis; & accedendo magis ad rem noſtram unio albedinis cum pariete nullatenus eſt ratio formalis dealbans, unio gratiæ habitualis cum animâ nullatenus eſt ratio formalis accidentaliter ſanctificans; ergo ex ratione & inductione conſequens eſt, quod unio ſanctitatis ſubſtantialis cum humanitate Chriſti nullatenus ſit ratio formalis ſanctificans ſubſtantialiter: pro quo occurrit inſuper ratio ſpecialiſſima, quia ſanctitas ſubſtantialis in propoſito ſynonyma eſt ſanctitati increatæ; modus autem unionis ſubſtantialis quidem eſt, at non increatus; nullatenus igitur poteſt per ſe ipſum reddere humanitatem formaliter ſanctam ſanctitate ſubſtantiali increata. 16. Modalium entitatū genius & conditio qualis?

Dices, quidquid ſit de modis aliis, eſſe pro modo unionis hypoſtaticæ peculiarem titulum ei tribuendi aliquam formalem rationem ſanctificandi, tum propter eximiam ejus excellentiam & perfectionem, quâ attentâ nos ipſi *præcit cap. 6. num. 19.* propendimus ad Modaliſtas illos, qui cenſent unionis hypoſtaticæ modum præciſiſſimè acceptum eſſe ſimpliciter beneficium & donum majus quolibet alio bono & dono creato, ſive naturæ, ſive gratiæ; tum propter ſanctos Patres, qui ſæpe tradunt animam Chriſti fuiſſe ſanctificatam ipſa unione & ſui aſſumptione, ita inter alios Bernardus *homil 4.* ſuper Miſſus eſt. Cyrillus *lib. de fide ad Theodoſium* propè finem. Nazianzenus *epiſt 51.* quæ eſt prima ad Cledonium; addi poſſunt cæteri communiter, dum gratiæ habituali præferunt gratiam unionis, quam idcirco Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. cap. 19.* & *in Enchirid. cap. 40.* ſummam gratiam nuncupat; ergo non obſtante probatione, de qua ſupra, ratio & auctoritas evincunt in modo unionis vim aliquam reddendi humanitatem formaliter ſanctam ſanctitate ſubſtantiali. Confirmatur ex eo, quod modus unionis eſt eſſentialiter incompoſſibilis cum peccato etiam veniali, adeoque omne peccatum expellit: Nec dici poteſt hinc inferri ſanctificationem ſolùm negativam; præſto enim eſt impugnatio ex eo, quod ſanctificatio negativa, aut haberi nequit, aut ſaltem de lege ordinariâ non habetur ſine poſitivâ. Sed contra: Entitates modales, ſicuti totæ ſunt alterius gratiâ, ita totam ſuam perfectionem habent alterius merito, non quia perfectionem habeant aliundè receptam, (quod non admodum illas deprimeret) ſed quia ſunt media perfectionis communicandæ abſque eo quòd iſtam prius in ſe recipiant: & ad perfectionem, cui communicandæ inſerviunt, nec ſe 17.

 habens

Digitized by Google

habent ut participationes nec ut ſubjecta intermedia, ſed ut puræ conditiones & determinationes, quod eſt tenuiſſimo & ut ita dicam viliſſimo titulo cum alterius perfectione connecti, & alterius merito perfectum denominari. Hinc quod alibi permiſſum eſt modum unionis hypoſtaticæ eſſe beneficium, & donum majus quolibet alio dono creato, procedit de modo unionis ſumpto connotativè, indirectè, & merito perſonæ Verbi, cum qua inimpedibiliter connectitur, non abſolute, directe & merito proprio, nec quidquam aliud intendunt Sancti Patres in inſtantia memorati, qui tamen etiam, quatenus unionem hypoſtaticam appellant ſummam gratiam, excellentiſſimum beneficium, intelligi poſſunt de magnitudine & excellentia quoad ordinem, non quoad bonitatem. Ad confirmationem dico pariter modum unionis ſolùm indirecte & ratione Perſonæ, cum qua connectitur eſſe cum peccato incompoſſibilem, at hoc non ſufficit ad formalem juſtificationem; alioqui etiam formaliter juſtificaret ſeù ſanctificaret actus fidei, quo quis ex ſpeciali Dei revelatione crederet ſe non eſſe in peccato, talis quippè actus ſicuti eſt infalſificabilis, ità eſt cum peccato, quod eſſet ejus falſificativum, incompoſſibilis.

Modus unionis hypoſtaticæ quomodò ſit beneficium & donum maximum.

Quomodò item incompoſſibilis cum peccato.

Vrgebis: Nonne modus unionis hypoſtaticæ eſt ratione ſui, & in ſe, ſanctitatis ſubſtantialis & increatæ participatio, ſaltem vialis & ut *quo*? ergo eſt ratio formalis ſubſtantialiter ſanctificans, ſaltem ut via & ut *quo*.

18. Sed contrà: Non ſine ingenti improprietate & abuſu dicitur participatio vialis & ut *quo*: ratio formalis ut via, forma ut *quo*; hoc enim eſt componere terminos in ſua legitima ſignificatione repugnantes & ſe excludentes; ideò propoſitiones ex hujuſmodi terminis conflatæ tanquam involventes contradictionem terminorum, & falſæ in adjecto ſeu in ſuppoſito, ſunt abſolutè negandæ.

19. Aſſert. 2. Sanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habetur potiſſimum à ſubſiſtentia Verbi, tanquam à forma terminante. Ità Valentia *quaſt. 7. punct. 1. § Et gratia quidem.* Lugus *diſp. 6. ſect. 2. num. 31.* Arriaga *diſp. 3c. ſect. 1.* Vvadingus *diſp. 1. dub. 2.* Madernus *quaſt. 5. art. 2.* Joannes à S. Thoma *diſp. 8. art. 1. num* 17 Gabriel à S. Vincentio *diſput. 7. dub. 5* Nazarius *controv. 2. conc. 4.* & alij plures, tùm ex Thomiſtis, tùm ex Recentioribus, contrà Vaſquium *diſp 41 cap. 3 & 4.* Turrianum in tract. de gratia *diſp. 1. dub. 6 & 7.* Gonetum *diſp 1 art. 2. num. 18* & ex parte Amicum *præcit. ſect. 5.* quatenùs potiorem humanitatis ſanctificationem divinæ naturæ tribuit, quàm divinæ ſubſiſtentiæ, licet huic quoque aliquam tribuat.

Ratio formalis ſanctificans ſubſtantialiter humanitatem Chriſti eſt potiſſimum ſubſiſtentia Verbi.

Dixi *potiſſimum*, quia mens non eſt negare divinæ naturæ omnem prorſus rationem formalem ſanctificandi, ſed ſolùm ei concedere ſanctificationem formalem minùs propriam & minùs rigoroſam, utpote mediatam, non immediatam; moralem, non phyſicam; ſicuti tamen immediata eſt & phyſica ea, quæ præſtatur à ſubſiſtentia, & illud quidem explicabitur infrà *num. 35.* iſtud verò ſtatim ſubjicio: Ideò aſſertum.

Probatur. Sanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habetur potiſſimùm ab eo, quod eſt ex una parte ſub aliqua ratione vera forma immediatè ac phyſicè unita humanitati, & ex aliâ parte eſt etiã ex ſe præcisè ſubſtantialis, atque increata ſanctitas; atqui hujuſmodi eſt ſubſiſtentia Verbi; ergo ſanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habetur, &c. Minor quoad primam partem ſupponitur ex ſupradictis paſſim, & ſignanter *ex præced. lib. 1. cap. 2. num. 14. & c. 6. §. 5.* item ex hoc libro ſecundo *cap. 1. §. 5.* ſolùm probatione indiget quoad ſecundam partem, quæ majorem videtur habere difficultatem in ſententia docente relationes divinas ex ſe præcisè, & ut diſtinctas à natura, nullam dicere perfectionem, ex quo capite Gonetus *præcitat. num. 28.* putat inconſequenter, & ſibi ipſis contradicendo, loqui illos ſuæ ſcholæ Thomiſticæ Auctores, qui poſt negatam in tractat. de Trinit. divinis relationibus perfectionem. in hoc tractatu concedunt ſubſiſtentiæ Verbi, quod eſt idem ac dicere divinæ relationi filiationis, ſanctitatem formalemque ſanctificationem: Verùm hæc major difficultas nos non premit, cum ſuo loco poſuerimos propriam in divinis relationibus, etiam ut ab eſſentia diſtinctis, perfectionem; ideò abſtrahendo pro nunc ab inconſequentia & contradictione, quam Gonetus ſuæ Scholæ Auctoribus objicit, noſtris inſiſto principijs, ex quibus facilius. 20.

Secunda prædictæ minoris pars, continens ſubſiſtentiam Verbi eſſe etiam ex ſe præcisè ſanctitatem ſubſtantialem & increatam, probatur: Subſiſtentia Verbi eo modo, quo eſt ad intrà infinita perfectio, eſt ſubſtantialis & increata ſanctitas; atqui (ut ſuppono ex dictis ſuo loco) etiam ex ſe præcisè eſt ad intrà infinita perfectio; ergo etiam ex ſe præcisè eſt ſubſtantialis & increata ſanctitas: Major quoad rationem ſubſtantialis & increati evincitur ex eo, quod hæc ſunt prædicata tranſcendentia omnem perfectionem Dei ad intrà; at etiam eſſe ſanctum, ſeù ſanctitas; eſt prædicatum ſic tranſcendens; ſanctitas enim quid aliud eſt, quàm perfectio ſpecialiter conjuncta Deo & rationi regulisvè morũ maximè conformis; hujuſmodi autem eſt omnis perfectio, imò omnis entitas exiſtens infrà Deum, in quo certè fas non eſt ſuſpicari aliquid, aut à Deo ipſo quodammodò diſparatum, aut ab honeſtate, ratione, regulisvè morum alienum. 21.

Dices primò; Sanctitas abſolutè dicta, & habens propriam rationem formæ ſanctificantis, non eſt quæcumque perfectio ſpecialiter conjuncta Deo, & honeſtati regulisvè morum conformis; alioqui omnis actus & omnis habitus ſupernaturalis eſſet in nobis forma ſanctificans; omnis enim eſt perfectio honeſtiſſima & ſpecialiter Deo conjuncta, cum omnis ſit ſpecialis participatio, aut divini intellectus aut divinæ voluntatis; ad rationem igitur formæ ſanctificantis requiritur ſingillatim, quòd ſit perfectio ſpecialiter conjuncta Deo per modum naturæ, & tanquàm divinæ naturæ participatio; item 22.

quòd

Digitized by Google

quod conſtituat hæredem, & tribuat jus ad beatam viſionem, tamquam ad divinam hæreditatem; atqui ſubſiſtentia Verbi ex ſe præciſè, quamvis ſit perfectio ſpecialiter conjuncta Deo & honeſtati conformis, non eſt tamen conjuncta Deo per modum naturæ, neque eſt divinæ naturæ participatio, cum per ly *ex ſe præciſè* denotetur omnimoda à divinâ naturâ abſtractio: item non conſtituit hæredem, nec dat jus ad gloriam; quia Verbum ipſum habet primam radicem beatitudinis à divinâ naturâ, non à propriâ ſubſiſtentiâ, & eſſe beatum ad intra eſt prædicatum eſſentiale non perſonale; ergo. Confirmatur, ſubſiſtentia Verbi non ſanctificat formaliter naturam divinam: ergo neque poteſt ſanctificare formaliter naturam humanam; quomodò enim præſtare poterit naturæ extraneæ ſibi unitæ effectum formalem, quem non præſtat naturæ propriæ ſibi identificatæ? Sed contra:

23\. ex duobus, quæ inſtantia requirit ad ſanctitatem abſolute dictam & habentem rationem formæ ſanctificantis, nimirùm quòd ſe habeat per modum naturæ, & quod conſtituat hæredem dando jus ad gloriam, primum verum eſt de ſanctitate accidentali & creata, falſum de ſubſtantiali & increata; & diſpar in hoc utriuſque ſanctitatis ratio habetur, tum ex eo quod divina natura poteſt quidem accidentaliter, & per accidentalem ſui participationem, uniri naturæ creatæ, at non ſubſtantialiter per ſe ipſam, ideò natura creata nullatenus poſſet ſanctificari ſanctitate ſubſtantiali increatâ, ſi hæc deberet formaliter tribui à divinâ naturâ vel per modum naturæ: tum quia conſtituere hæredem, & dare jus ad gloriam, quod in ſanctificatione ſubſtantiali præſtatur per ſolam ſanctitatem ſe habentem per modum naturæ in ſanctificatione ſubſtantiali præſtatur per ſubſiſtentiam etiam ut præciſam à naturâ: & ad impugnationem in oppoſitum dico in primis ex eo, quod Verbum habeat primam radicem beatitudinis à divina natura, non ſufficienter inferri quin eamdem radicem ſecundo & novo titulo habeat à propria ſubſiſtentia; adeò ut, ſi minus eſſe beatum formaliter, ſaltem eſſe beatum radicaliter, ſeu habere beatitudinis radicem & ad beatitudinem jus, ſit prædicatum tum eſſentiale tum perſonale: Dico inſuper ſanctitatem ad intra non attendi, ſicut attenditur ad extra, penes jus ad gloriam, conſtitutionem hæredis, amicabilem bonorum communicationem; quia nec in Deo ad ſe ipſum, nec in una divina perſonâ ad alteram, datur aut ullum jus, aut ullus amor propriè amicabilis; non item eſt aut Deus ſui ipſius, aut una perſona alterius hæres: Subſiſtentia igitur Verbi, ſi ipſam Verbi Perſonam non conſtituit hæredem, nec dat ei jus ad gloriam, eſt ex ſubjecti incapacitate, adhuc igitur poterit id præſtare in ſubjecto, in quo illius effectus capacitatem inveniat ut in natura creata. Quod totum latius proſequuntur Arriaga *præc. ſec* 1. & Lugus *n.*57.

Sanctitas in Deo ad intra non præſtat eoſdem effectus, quos in creatura ad extra.

24\. Ad confirmationem permiſſo antecedente, adhuc poſſet negari conſequentia dicendo ex conditione ſubjecti jam ſummè ſancti, nec habentis capacitatem ſanctificationis ulterioris, provenire quod ſubſiſtentia Verbi non ſanctificet formaliter naturam divinam; at non par eſt ſubjecti conditio ex parte naturæ creatæ, ideò &c. Melius diſtinguo antecedens: Non ſanctificat formaliter ſanctitate eſſentiali, abſoluta, & intenſiva, concedo, ſanctitate perſonali, relativâ & extenſivâ, nego: cum enim ex modò dictis ſanctificatio ad intra non attendatur penes collationem juris ad amicitiam, ad hæreditatem, ad beatitudinem, attendenda eſt penes quamlibet perfectionem infinitè honeſtam & pulcram, quælibet igitur hujuſmodi perfectio ad intra eo modo, quo perficiet, ſanctificabit; at ſubſiſtentia Verbi, ſicut quælibet alia perſonalitas ſeu relatio divina, ex tract. de Deo Trino *lib.*1. *cap.*8. naturam perficit perfectione perſonali, relativâ, extenſivâ; non eſſentiali &c. ergo eadem proportionaliter ſanctitate naturam ſanctificat: ſubintellige divinam, nam naturam creatam optime poteſt ſubſiſtentia Verbi ſanctificare ſanctitate abſolutâ, cum relationes divinæ comparatæ ad extra ſe habeant ut formæ abſolutæ; cum ſanctitate intenſiva, nam ſubſiſtentia ſeu relatio in tantùm ſanctificat naturam divinam ſolùm extenſivè, in quantùm in ea reperit ſanctitatem aliam diverſæ rationis eamque majorem; at hoc nequit ſubſiſtentiæ Verbi evenire in naturâ creatâ, ideò &c.

An, & quomodo, ſubſiſtentia Verbi ſanctificet ipſam naturam divinam.

Dices ſecundò: Subſiſtentia Verbi ex ſe præciſè, ſicut eſt ſubſtantialis & increata ſanctitas, ita eſt ſubſtantialis & increata exiſtentia, immenſitas, æternitas, ut enim nos ipſi documus *præcit. cap.*8. §.7. & 8. exiſtentia, immenſitas, æternitas, & ſimilia prædicata tranſcendentia omne ens divinum, ſive abſolutum, ſive relativum, multiplicantur ad multiplicationem relationum perſonalitatumque divinarum; & quælibet divina relatio ex ſe præciſè non minus dicit propriam exiſtentiam immenſitatem, æternitatem, quam dicat propriam perfectionem atque ſanctitatem: At ſubſiſtentia Verbi non reddit humanitatem Chriſti formaliter exiſtentem exiſtentiâ increatâ, aut formaliter immenſam, formaliter æternam, ergo neque eamdem reddit ſanctitate ſubſtantiali & increata formaliter ſanctam: Hæc inſtantia, in cujus ſolutione laborant multi Recentiores, ut videre eſt apud Arriagam *diſp.*29. *ſec* 5. per totam, paulò aliter, immò cum aliquâ majori extenſione formari poteſt etiam contra humanitatis à divinâ naturâ ſanctificationem, quomodocumque hæc fiat; ſi enim divina natura per hoc, quod humanitati uniatur mediante ſubſiſtentia Verbi ſua ſanctitate reddit humanitatem formaliter ſanctam, cur non etiam eamdem reddit ſua immenſitate formaliter immenſam, ſua æternitate formaliter æternam immò ſua quoque omnipotentia omnipotentem, ſuâ omniſcientiâ omniſcientem? &c. Sed contra: 25.

Difficultas potiſſima contra ſanctificationē formalem humanitatis Chriſti à Subſiſtentiâ Verbi, aut naturâ divinâ.

Quoad attributa eſſentialia, & abſoluta, facile eſt juxta doctrinam inferius ponendam aſſignare, cur humanitati non tribuant ſuos effectus formales? ratio ſcilicet eſt, quia forma non tribuit ſuum effectum formalem niſi ſubjecto. 26.

Cur attributa divina abſoluta non

tribuant ſuos effectus formales humanitati Christi.

ſubjecto cui immediatè unitur, nullum autem attributum eſſentiale & abſolutum humanitati immediatè unitur, ſicut nec eidem immediatè unitur ipſa eſſentia ſeu natura divina, quam propterea docebimus ratione ſui formaliter reddere ſanctam humanitatem moraliter ſolùm, non phyſicè: Neque illicò inferas; ergo omnipotentia quoque & omni ſcientia v.g. reddent omnipotentem & omni ſcientem humanitatem ſaltem moraliter: deficit enim illatio in eo, quòd effectus formalis ſanctitatis ex propria conditione poteſt eſſe moralis, effectus autem omnipotentiæ, & omni ſcientiæ, ſunt ex genere ſuo effectus purè phyſici. Quoad omni ſcientiam, & ſimilia prædicata involventia vitalitatem, eſt inſuper alia ſpecialis ratio deſumpta ex eo, quod effectus formalis vitæ nequit communicari niſi ſubjecto, quod ſit una ſimul illius vitæ principium, certè autem humanitas nequit eſſe principium vitæ divinæ, & increatæ, & hoc quidem conſonat doctrinæ ſæpiùs a nobis traditæ, quoties contigit explicare vitalitatis conceptum: Nihilominus ratio prius adducta magis arridet tanquam magis univerſalis & hujus loci magis propria; unde etiam placuit hac potiſſimum uti, & a conceptu vitalitatis abſtrahere ſuprà *capit.* 2. §. 2. dum probaremus nullum intellectum creatum poſſe, nequidem de potentia abſoluta reddi intelligentem intellectione increata.

27. Cur nec ſuos effectus formales humanitati tribuant attributa relativa.

Quoad attributa perſonalia, & relativa, nimirum quoad relativam exiſtentiam, relativam æternitatem, relativam immenſitatem, non eſt eadem pro re præſenti ratio, quæ de eſſentialibus & abſolutis, ut patere poteſt conſideranti. Nihilominus quoad exiſtentiam eſt aliunde in noſtris principijs facilis ſolutio, quia exiſtentia per nos eſt eſſentialiter indiſtincta à re exiſtente, nec præſtat ſuum effectum formalem niſi rei, cum qua identificatur: Quoad æternitatem dici poteſt ejus effectum formalem conſiſtere in indiviſibili, id eſt indiviſibiliter extendi ad omnem durationem à parte antè æquè, ac à parte poſt; cum igitur Christi humanitas, utpotè producta in tempore ſit incapax recipiendi effectum formalem divinæ æternitatis à parte antè, nil mirum quod nec recipiat effectum formalem ejuſdem à parte poſt: Non videtur hoc accommodari proportionaliter poſſe immenſitati, quia non adeò conſtat humanitatē eſſe incapacē ad coexiſtendū indiviſibiliter omni loco, quod eſt effectus formalis immenſitatis, quoad iſtam propterea manet in aliquo robore difficultas, ideò ut ſolutionem adhibeam pro relativa immenſitate non minus, quàm pro cæteris relativis attributis ſeu prædicatis, militantem, addo perſonalitatem

28. Cur ſingillatim ſuum formalem effectum non tribuat relativa immenſitas? de qua eſt ſpecialis difficultas.

Verbi, vel alterius divinæ Perſonæ, non ſolùm ut contradiſtinguitur à prædicatis eſſentialibus & abſolutis, verùm etiam ut contradiſtinguitur à prædicatis perſonalibus & relativis quaſi ſecundarijs & conſequentibus & ut ſumitur præcisè ſub quiditativo ac formaliſſimo conceptu formæ terminantis ac facientis ſubſiſtere, eſſe ſubſtantialiter ſanctam, imò eſſe ſubſtantialem ſanctitatem; nam ſub tali conceptu eſt ſubſtantiale complementum, & ſubſtantialis perfectio ſummè amabilis, ſummè conjuncta & ſummè conjungens Deo: & ſicuti ſubſiſtentia creata ex ſe ipsâ præciſiſſimè complet ac perficit ſubſtantialiter, at non conſtituit rem in loco aut in tempore; ita ex ſe præciſiſſimè ſubſtantialiter complet, quod eſt idem ac dicere, ſubſtantialiter ſanctificat ſubſiſtentia increata, at non immenſitat aut æternizat. Ad inſtantiam igitur breviter, & in

29. Cathegorica difficultatis ſolutio.

terminis, dico ſubſiſtentiam Verbi non eodem prorsùs modo eſſe ex ſe præcisè ſubſtantialem immenſitatem vel æternitatem, quo eſt ſubſtantialis ſanctitas; ab illis magis, quàm ab iſta diſtingui; & ut explicat rationem formæ terminantis explicare formaliſſimè ſanctitatem, non verò immenſitatem vel æternitatem; ſicque dum unitur humanitati per modum formæ terminantis humanitatem formaliter ſanctificat, non formaliter immenſitat, nec æternizat: ſeu quod idem eſt ſanctitas ſubſiſtentiæ Verbi reddit humanitatem formaliter ſanctam non ſic ejuſdem ſubſiſtentiæ immenſitas reddit immenſam, nec æternitas reddit æternam; quia ſola ſanctitas formaliſſimè imbibitur in ratione formæ, terminantis, & per modum formæ humanitati unitur, non ſic immenſitas, nec æternitas. Favent huic doctrinæ Lugus *num* 19. & Arriaga *n.* 61. quamvis deinde uterque Auctor plura congerat, quæ ſolutioni à nobis poſitæ, aut nihil proſunt, aut etiam officiunt difficultatemque afferunt.

Dices tertiò impugnando ſpecialiter illas aſſerti particulas *tanquam a forma terminante* & ſimul refellendo quod mox dictum eſt ſanctitatem ſubſiſtentiæ Verbi in ratione formæ terminantis formaliſſimè imbibi, & per modum formæ uniri: Si ſubſiſtentia Verbi aſſumeret, ut poteſt, naturam irrationalem, ipſi uniretur tanquàm forma terminans, & tamen natura irrationalis non ſanctificaretur formaliter ſanctitate ſubſtantiali, nec haberet ſibi per modum formæ unitam ſanctitatem divinæ ſubſiſtentiæ, ergo nec de facto humanitas ſanctificatur à ſubſiſtentia per hoc, quòd iſta ſe habeat ut forma terminans, neque in ratione formæ terminantis formaliſſimè imbibitur divinæ ſubſiſtentiæ ſanctitas. 30.
Sed contrà: diſtinguo ſecūdam partem antecedētis, natura irrationalis non ſanctificaretur ex propria incapacitate, concedo; ex defectu formæ ſibi unitæ, nego antecedens, & conſequentiam; non enim ſicut in irrationali natura, ità in humanitate, datur ſubſtantialis ſanctificationis incapacitas; imò cum humanitas ex genere ſuo poſſit formaliter ſanctificari, & aliunde conſtet eam poſſe habere per modum formæ ſibi unitam ſanctitatem, tum ſubſtantialem, tum accidentalem, non eſt, cur non poſſit ſanctificari formaliter utraque ſanctitate.

Vrgebis: effectus formalis nihil eſt aliud, quàm forma unita ſeu communicata ſubjecto, adeóque non poteſt forma uniri ſubjecto, cui non communicet ſuum effectum formalem ſicuti non poteſt uniri ſubjecto cui non communicet ſeipſam; ergo ſanctitas non poteſt per modum formæ uniri ſubjecto, cui non communicet

municet effectum formalem ſanctificandi formalémque ſanctificationem, ergo vel in Subſiſtentia Verbi ratio formæ terminantis non eſt formaliſſimè ſanctitas ſubſtantialis, vel natura irrationalis eſt incapax formalis terminationis & ſubſiſtentiæ divinæ ut formæ terminantis, æquè ac formalis ſanctificationis ejuſdemque ſubſiſtentiæ ut formæ ſanctificantis. Sed contrà; effectus formalis, qui ſimpliciter & abſolutè nihil eſt aliud quàm forma unita ſubjecto, eſt reſpectu formæ ſubſtantialis conſtituere unum per ſe reſpectu formæ accidentalis conſtituere unum per accidens, reliqui omnes effectus formales, quicumque hi ſint, important formam unitam ſeu communicatam ſubjecto capaci: Et in propoſito ſufficit certè ſuſtinere, quod in ſubſiſtentia Verbi ratio formæ terminantis ſit ſanctitas in eo rigore formali, in quo eſt perſonalitas; atqui eſt formaliſſimè perſonalitas non obſtante, quod effectum formalem perſonandi, ſeu conſtituendi perſonam, tribuat ſibi naturæ rationali, non irrationali ob hujus incapacitatem; erit igitur pariter formaliſſimè ſanctitas, quamvis illi ſoli naturæ, non iſti, ob iſtius incapacitatem tribuat effectum formalem ſanctificandi.

31. **Quinà effectus formalis ſit præcisè forma cōmunicata ſubjecto?**

32. Hinc habes naturam rationalem unitam ſubſiſtentiæ Verbi, ſicuti neceſſario omninò & inimpedibiliter conſtituitur in ratione divinæ Perſonæ, ita eadem neceſſitate & inimpedibilitate conſtitui in ratione ſanctæ ſanctitate ſubſtantiali, & increata, undè à Suario *diſp.* 18. *ſec.*1.§. *ſecundo infertur*, Vaſquio *diſp.*41. *cap.*3. *num.*22. Arriaga *diſp.*29. *n.*61. aliiſque communiter reijcitur, & tanquàm abſurda reprehenditur ſententia eorum, qui docuerunt poſſe à Verbo aſſumi humanitatem, quæ poſt aſſumptionem remaneat in puris naturalibus, quod eſt idem ac dicere non elevata, non ſancta &c.

33. **Divina natura ſanctificat humanitatem Christi ſolùm moraliter.**

Aſſert. 3. Sanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti habetur etiam aliqualiter & minus præcipuè, à natura divina, habetur ſcilicet ab iſta moraliter, non phyſicè: In hoc aſſerto pauciores invenio diſtinctè loquentes; in re tamen moralem, non phyſicam, ſanctificationem à divinâ naturâ in Chriſti humanitatem derivari docent Vaſquez *diſp.*41. *cap.*4. *numer.*24. Amicus *diſp.*16. *ſec.*5. *numer.*106. Arriaga *diſput.*30. *ſec.*3. quamvis deindè duo primi Auctores à nobis diſcrepent in eo, quod Vaſquez totalem, Amicus potiorem humanitatis ſanctificationem tribuat divinæ naturæ; unde Vaſquium & Amicum habemus in præſenti partim fautores, partim Adverſarios: Habemus inſuper quoad ly *moraliter, non phyſicè*, adverſarium Lugum *diſputation.*16. *ſection.*2. *num.*50. Quoad ly *aliqualiter & minus præcipuè* Gonetum, Turtianum, & alios ſupra memoratos *numer.*19. pro tota humanitatis ſanctificatione derivandâ à divina natura: Item Petrum Hurtadum *diſputatione* 47. *paragrapho* 44. qui in oppoſitum extremum declinans voluit nullam prorſus, ne quidem moralem, ſanctificationem humanitati provenire à divina natura ſumpta, ut verè hic ſumitur, ſecundùm ſe præcisè, & ut condiſtincta à perſonalitate.

34. Probatur & explicatur aſſertum. Aliqua ſubſtantialis ſanctificatio humanitatis Chriſti à natura divina convenienter omninò admittitur propter auctoritates Sanctorum Patrum docentium humanitatem in Chriſto eſſe deificatam, & divinitate ac deitate quaſi oleo unctam ſeu delibutam, ut attigimus ſuprà *num.*5. & licet dici poſſit nomine divinitatis ac Deitatis eos nihil aliud intellexiſſe, quàm aliquid divinum, ſeu aliquid Dei, qua ratione Verbi perſonalitas, etiam ut diſtincta à natura, rectè dicitur, divinitas, deitas, deificans; ſi tamen ulterius concedatur poſſe in aliquo ſenſu locutiones illas intelligi, etiam de Deitate ſeu divinitate ſumptâ pro naturâ, erit magis propria, magis univerſalis, & magis plauſibilis intelligentia, erit quoque magis conformis rationi; cum enim Deitas ſumpta præcisè pro naturâ ſit propriſſimè ſubſtantialis ſanctitas, & in aliquo vero ſenſu humanitati uniatur, non eſt cur ei talis ſanctificationis capaci aliquam ſanctificationem formalem ſubſtantialem non tribuat? Quo poſito ſic diſcurro: Habetur, ut mox explicatum eſt, in humanitate Chriſti à naturâ divinâ aliqua ſanctificatio formalis ſubſtantialis, atqui hæc poteſt haberi moraliter ſolùm, non phyſicè, ergo ſanctificatio formalis ſubſtātialis in humanitate Chriſti habetur etiam &c. Minor probatur; natura divina eſt humanitati ſubſtantialiter unita unione ſufficiente ſolùm ad effectum formalem moralem, non ad effectum formalem phyſicum; ergo ſanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate

35. **Vnio mediata ſufficit ad effectū formalem moralem;**

Chriſti à naturâ divinâ haberi poteſt moraliter ſolùm, non phyſicè: Antecedens probatur, natura divina eſt humanitati ſubſtantialiter unita unione mediatâ, hæc autem ex genere ſuo ſufficiens ſolùm eſt ad effectum formalem moralem, non ad effectum formalem phyſicum; & quidem quod ſufficiens ſit ad effectum formalem moralem facilè oſtenditur ex eo, quod effectus moralis non eſt effectus omninò proprius ac rigoroſus, & ſicuti, ſi ſit in genere efficientis, non requirit immediatam actionem, ita, ſi ſit in genere formæ non requirit immediatam unionem; imò cum haberi poſſit à formâ etiam extrinſecâ & phyſicè præteritâ, quâ ratione ex peccato Adæ naſcimur formaliter digni odio & pœnâ, & ex proprio actu peccaminoſo aliàs elicito remanemus formaliter peccatores, multo magis haberi poterit à forma ſolùm mediatè unitâ & mediatè intrinſecâ: Cujus rei vehemens, & ad præſens intentum accommodatiſſima, confirmatio occurrit, tum in actibus Chriſti Domini, tum in operibus meritorijs cujuſlibet juſti, nam tùm illis Perſona Verbi, tùm iſtis gratia habitualis unitur ſolum mediatè, & tamen tùm illis Perſona Verbi, tùm iſtis gratia habitualis, tribuit aliquem effectum formalem moralem ſanctificationis, & dignificationis.

36. **Non ad effectum formalem phyſicū.**

Quod verò unio mediata non ſit ſufficiens ad effectum formalem phyſicum patitur majorem aliquam difficultatem, nihilominus probatur ex eo, quia effectus formalis

 phyſicus

phyſicus eſt valdè proprius & rigoroſus conſiſtens, quodammodò in indiviſibili, nec cauſa formalis phyſica dividitur in mediatam & immediatam, remotam & proximam; neutrum autem ſubſiſteret, ſi pro effectu formali phyſico unio mediata ſufficeret, nec immediata requireretur, undè etiam familiaria ſunt ad id confirmandum exempla, non anima mediatè, ideſt mediante corpore, unitur accidentibus materialibus corporis, non tamen ab iſtis accipit ullum effectum formalem phyſicum, non redditur quanta gravis, colorata, quantitate, gravitate, colore corporis, ſicut nec corpus ipſum accipit ullum effectum formalem phyſicum ab accidentibus ſpiritualibus; quibus mediatè, ideſt mediante animâ, unitur: Calor item & ſiccitas in igne, frigus & humiditas in aquâ, inter ſe mediatè uniuntur, nec tamen ſibi invicem communicant proprios effectus formales phyſicos; ergo &c.

Dices primò: In Chriſto Domino eſt concretum, ſeu compoſitum phyſicum, non ſolùm illud, quòd reſultat immediatè ex humanitate & ſubſiſtentiâ Verbi, verùm etiam quod reſultat mediatè ex humanitate & naturâ divinâ; ergo humanitas non ſolùm à ſubſiſtentiâ Verbi, verùm etiam à natura divina ſanctificatur formaliter phyſicè; & unio etiam mediata ſicuti ſufficit ad phyſicum compoſitum, ita ſufficiet quoque ad phyſicum effectum formalem: Nec deſunt ad hoc confirmandum exempla, nam materia prima diſponitur formaliter phyſicè ad formam ſubſtantialem per accidentia immediate recepta in ſola quantitate, adeóque ipſæ materiæ ſolùm mediatè ideſt mediante quantitate unita, & in ſententia diſtinguente realiter potentias ab animâ, hæc redditur formaliter phyſicè intelligens, & volens, per actus ſibi ſolùm mediatè, ideſt mediantibus potentijs unitos:
37. ergo. Sed contra: Compoſitum ſeu concretum reſultans mediatè ex humanitate, & naturâ divina, nullatenus eſt phyſicum ſi phyſicum ſumatur pro eo, in quo continetur forma phyſica, quæ ſcilicet ſit ſubſtantia phyſicè incompleta, & hac ratione neque phyſicum eſt compoſitum reſultans immediatè ex eadem humanitate, & ſubſiſtentia Verbi: Quod ſi ly *phyſicum* ſumatur pro eo, quod eſt realiter ac propriè tale, & in quo unum extremum ſubſtantialiter quidem perficit aliud, at per modum formæ omninò completæ, tunc admitto abſolute eſſe phyſicum compoſitum reſultans immediatè ex humanitate & ſubſiſtentiâ Verbi; de compoſito verò reſultante mediatè ex naturis dico eſſe phyſicum tantùm ratione medij, in quo fit; non ratione extremorum, ex quibus fit; undè infertur effectus formalis phyſicus proveniens à medio in aliquod extremum, non proveniens ab uno extremo in aliud. Porro hujuſmodi effectus eſt ſubſtantialis terminatio, à quâ per nos eſt indiſtincta omninò ſubſtantialis phyſica ſanctificatio; natura igitur divina ſicuti nequit humanitati præſtare ſubſtantialem terminationem, ita nec ſubſtantialem phyſicam ſanctificationem. Exempla in confirmationem adducta latius expendit Arriaga *diſputatione 30. ſection. 2. ſubſec. 1.* ubi putat ſuppoſitâ tùm diſtinctione quantitatis à materia prima & potentiarum ab animâ, tùm receptione immediatâ diſpoſitionum in ſola quantitate, actuum vitalium in ſolis potentijs, non poſſe materiam primam dici formaliter diſpoſitam, nec ſubſtantiam animæ formaliter intelligentem & volentem, niſi denominativè & in eo ſenſu, in quo dicitur tangi lignum à tangente ejus quantitatem, videri lac à vidente ejus albedinem.

Compoſiti, ſeu concreti phyſici, duplex acceptio.

Dices ſecundò impugnando ſanctificationem moralem humanitatis à naturâ divinâ: Sanctificatio, de quâ in præſenti eſt ſubſtantialis & increata, at talis eſſe non poteſt, ſi ſit moralis; nam ſi moralis eſt conſiſtit in quodam morali reſpectu ad naturam divinam ſpecialiter quidem conjunctam, at non ſimpliciter intrinſecam humanitati; hujuſmodi porrò reſpectus non eſt ſubſtantialis & increatus, nec quidquam aliud ſubſtantiale & increatum aſſignabile eſt, quod à natura divina in humanitatem derivetur ad ipſam ſanctificandam, quoties non aſſignetur ſubſtantia & entitas
phyſica ipſius naturæ divinæ. Sed contrà; mo- 38.
ralis reſpectus ad naturam divinam eſt complexum morale humanitatis & naturæ divinæ, illius tamquàm ſanctificatæ, iſtius tamquàm ſanctificantis, ideò ex parte extremi ſanctificantis eſt quid ſubſtantiale & increatum; nec quidquam amplius quærendum eſt, ut dicatur ſubſtantialis & increata ſanctificatio. Neque dicas, talis reſpectus non eſt ad naturam divinam, tanquàm ad formam; ergo ſanctificatio in tali reſpectu ſeu complexo conſiſtens ſaltem non erit formalis. Contra enim: Non eſt tanquam ad formam ſimpliciter & propriè dictam, concedo; eminentem, æquivalentem aut, ſi vis moralem, nego; ergo ſanctificatio non erit formalis phyſica, concedo, non erit formalis moralis, nego, vel aliter dicito in ſanctificatione formali morali rationem formæ non requiri in extremo, quod ſanctificat; dummodò reperiatur in eo, quo mediante ſanctificat; idque ex eo quia ſanctificatio formalis moralis eſt minus propriè, & minori rigore formalis, quàm ſanctificatio formalis phyſica.

Sanctificationis formalis moralis à ſanctificatione formali phyſicâ diſcrimen.

Dices tertiò: Quod convenit naturæ divinæ ſecundùm ſe præcisè, & ut contradiſtinctæ à perſonalitate, convenit toti Trinitati; atqui ſanctificatio formalis ſubſtantialis in humanitate Chriſti nullatenus, nequidem moraliter, habetur à tota Trinitate; ergo etiam nullatenus, nequidem moraliter, habetur à naturâ divinâ: Et urgetur inſtantia ex eo quod non deeſt in totâ Trinitate aliqua unio mediata cum humanitate, quoad unionem igitur mediatam par eſt in propoſito ratio de totâ Trinitate, ac de na-
turâ divinâ. Sed contrà: Sanctificatio mora- 39.
lis magnam patitur latitudinem, ratione cujus magis vel minus propria, magis vel minus perfecta eſſe poteſt; in humanitate igitur facile concedam derivari ex totâ Trinitate moralem aliquam ſanctificationem; at minorem & minus propriam ea, quæ derivatur ex divina natura? Perſonæ quippe Patris & filij, ſi quam habent cum humanitate mediatam unionem

Quomodò humanitas Chriſti ſanctificetur moraliter à tota Trinitate?

hanc

hanc habeat magis remotam & immedio minus propriè tali, quàm habeat divina natura. Verùm quia inſtantiæ initium videtur probare, quod conveniat ſanctificatio toti Trinitati eadem proprietate & perfectione, quâ convenit ipſi divinæ naturæ, diſtinguenda omninò eſt major propoſitio, dicendo: Quod convenit naturæ divinæ ſecundum ſe præciſè, & ut contradiſtinctæ à perſonalitate, convenit toti Trinitati, ſi id ei conveniat independenter omninò à perſonalitate, concedo, ſi ſecus, adeò ut ratio, cur id ei conveniat, ſit perſonalitas, nego: vel paulò aliter, quod convenit naturæ divinæ ſecundum ſe præciſè, &c. ſi id ei conveniat immediatè & antecedenter ad perſonalitatem, concedo; ſi mediatè & conſequenter ad aliquam determinatam perſonalitatem, nego: at ſanctificatio formalis ſubſtantialis, de qua in præſenti, convenit naturæ divinæ ſecundum ſe, & ut contradiſtinctæ à Verbi perſonalitate; convenit tamen mediatè, conſequenter ad Verbi perſonalitatem, & adeò ut hæc ſit ratio, cur illa ſanctificet: ideò &c. facere inſuper hic poteſt ad rem quod dicebamus *lib. præc. c. 4 n. 15.* aſſignantes, cur de facto rectè dicatur mediatè incarnata & divina eſſentia, non verò mediatè incarnati ſunt Pater & Spiritus Sanctus?

40. Quomodò ſanctificaretur in hypotheſi, quod ei natura divina uniretur mediante ſolo ſuppoſito abſoluto.

Ex dictis habetur, quid ſentiendum ſit de ſatisfactione humanitatis à divina natura in hypotheſi, quod hæc illi uniretur, aut mediante proprio ſuppoſito abſoluto, aut mediante ſuppoſito creato: In prima ſcilicet hypotheſi, in qua nullam repugnantiam involvi docuimus *præcit. c. 4. §. 6.* humanitas ſanctificaretur phyſicè à ſubſiſtentia abſoluta, ſolùm verò moraliter à natura divina, eodem prorſus modo, quo nunc, excepto quod ſanctificatio moralis, quæ haberetur ab eſſentia, haberetur tunc pariter à tota Trinitate; tota quippè Trinitas ſicuti identificaretur cum ſubſiſtentia abſoluta æquè, ac identificetur eſſentia, ita tota uniretur mediatè humanitati æquè, ac uniatur eſſentia; unde etiam tota diceretur incarnata æquè ac eſſentia, ut colligitur *ex præcit. cap. 4. n. 14. & 15.* In ſecunda hypotheſi, utpotè prorsùs impoſſibile non eſt, cur admodum immoremur; ea data, ſicuti unio naturæ divinæ cum humanitate fieret mediante ſuppoſito non ſibi identificato, non infinito; ita eſſet non tàm perfecta, quàm ea, quæ facta eſt mediante ſuppoſito divino, ideò etiam ſanctificatio moralis quæ ex natura divina in humanitatem derivaretur eſſet multo minor ea, quæ nunc derivata eſt: aſſignare deinde in particulari in quanam proportione eſſet minor? in quonam determinatè conſiſteret? utrùm impeccabilitatem induceret? & ſimilia, eſt quodammodò ſe committere puræ divinationi, à qua libenter abſtineo, & pro aliquali notitia rationum dubitandi videri poſſunt Raguſa *diſp. 114. §. 7.* Lugus *diſp. 16. n. 51. & diſp. 26. ſect. 2.* Arriaga *diſp. 30. ſect. 2. ſubſect. 2.*

Quomodò in hypotheſi quod ei uniretur mediante ſuppoſito creato.

§. III.

An & Quomodo humanitas Chriſti ex ſanctitate ſubſtantiali & increata reddatur ſancta infinitè.

41. Humanitas Chriſti ex ſanctitate increata non ſanctificatur infinitè ſimpliciter.

ASSERT. 1. Humanitas Chriſti ex ſanctitate ſubſtantiali, & increata, non redditur ſancta infinitè ſimpliciter, adeò ut ſit tam ſancta, quàm eſt ſancta divina Perſona, ſeu divinitas. Ita Suarez *diſp. 22. ſec. 1. §. Dices.* Amicus *diſp. 16. ſec. 5. numer. 149.* Lugus *diſp. 16. ſec. 3. num. 60.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 6. dub. 4.* Madernus *quæſt. 5. art. 3. num. 3.* & Arriaga *diſp. 31. ſec. 1.* ubi *num. 5.* aſſertam ſententiam cenſet adeò veram explicatis terminis, ut vix non addiderit eſſe de fide, ut putet verbo tenùs diſcrepare Petrum Hurtadum *diſp. 47. § 149.* Mætarium *diſp 6. ſec. 5.* & aliquos Recentiores in manuſcriptis oppoſitum inſinuantes.

42. Nec eſt tam ſancta, quàm eſt ſancta divina Perſona aut divinitas.

Probatur & explicatur: eſſe ſanctum infinitè ſimpliciter eſt eſſe ſanctum taliter, quòd nihil ſit excogitabile ſanctius, adeóque eſt eſſe tam ſanctum, quàm eſt Sanctus Deus; alioqui erit confeſtim excogitabile aliquid ſanctius, nimirum Deus ipſe: Porrò quod humanitas Chriſti, quatenùs redditur ſancta formaliter ex ſanctitate ſubſtantiali & increata, non ſit tam ſancta, quàm eſt ſanctus Deus ſeu quam eſt ſancta divina Perſona vel divinitas, probatur, Quod eſt tale contingenter, & per unionem ab alio factam cum aliquo realiter diſtincto non eſt tam tale, quàm quod eſt tale neceſſariò, per eſſentiam, per identitatem, & à ſe; atqui humanitas Chriſti ſolum priore modo eſt ſancta ſanctitate ſubſtantiali & increata, eadem verò ſanctitate ſancta eſt poſteriore modo divina Perſona ſeu divinitas, ergo. Confirmatur, ex ſanctitate ſubſtantiali & increata humanitas Chriſti non eſt tam ſancta, quàm eſt ſancta ipſamet ſanctitas ſubſtantialis & increata; illa enim ſancta eſt propter iſtam, ex trito autem axiomate, Propter quod unumquodque tale & illud magis; atqui perſona divina, ſeu divinitas, eſt tam ſancta, quàm eſt ſancta ipſamet ſanctitas ſubſtantialis & increata; ſunt enim hæc omnia unum & idem; ergo humanitas Chriſti non eſt tam ſancta, quàm eſt ſancta perſona divina, ſeu divinitas.

Dices primò: Humanitas Chriſti, quatenùs eſt formaliter ſancta ſanctitate ſubſtantiali & increata, includit ipſammet ſanctitatem ſubſtantialem & increatam, habet enim effectum formalē ipſius, effectus autem formalis includit ſuam formam, imò eſt ipſa forma communicata ſubjecto; atqui includens eſt tam ſanctum, quàm eſt ſanctum incluſum, nec illud poteſt eſſe minus tale, quam iſtud in iis, quæ utrique conveniunt; ergo humanitas Chriſti eſt tam ſancta, quàm eſt ſancta ipſamet ſanctitas ſubſtantialis & increata; ac per conſequens etiam quàm eſt ſancta perſona divina, ſeu divinitas. Confirmatur, forma non poteſt conſtituere ſubjectum minùs tale, quam ipſa

ſit ; ergo humanitas Chriſti, quatenus red-
ditur ſancta ſanctitate ſubſtantiali & increata
ſe habente ex dictis per modum formæ, non
poteſt eſſe minùs ſancta, quam ſit ſancta ip-
ſamet ſanctitas ſubſtantialis & increata ; an-
tecedens probatur tùm ratione ex eo, quod
forma conſtituit ſubjectum tale communi-
cando ſubjecto ſe totam, & cauſa efficiens à
formali maximè differt in eo, quod illa, utpo-
tè habens pro effectu aliquid à ſe diſtinctum,
poteſt conſequenter habere effectum à ſeipſa
diverſum & ſe minorem ; non ſic cauſa for-
malis, cujus effectus eſt communicatio ſui ip-
ſius non poſitio alicujus diſtincti & diverſi à
ſeipſa; tum inductione, nam calor ut octo con-
ſtituit ſubjectum ut octo calidum, albedo ut
ſex conſtituit ſubjectum ut ſex album, & ſi
placeat exemplum afferre in genere formæ
ſanctificantis, gratia habitualis ut quatuor
conſtituit animam ut quatuor gratam, ſicque
de cæteris ; ergo ſemper forma conſtituit ſub-
jectum æque tale, ac ipſa eſt, nec poteſt con-
43. ſtituere minus tale. Sed contrà primò, tranſeat
major, diſtinguo minorem, includens ſecun-
dùm aliquam ſui partem eſt tam ſanctum,
quàm eſt ſanctum incluſum, concedo ; ſecun-
dùm quamlibet ſui partem, nego minorem,
& conſequentiam, dico enim totum includens
humanitatem Chriſti, & ſanctitatem ſubſtan-
tialem, ſecundum poſteriorem partem, non ſe-
cundum priorem, ſecundum entitatem ſancti-
tatis ſubſtantialis, non ſecundum entitatem
humanitatis, eſſe tam ſanctum, quàm eſt ſan-
cta ipſamet ſanctitas ſubſtantialis. Contrà ſe-
cundo: diſtinguo majorem, includit ipſammet
ſanctitatem ſubſtantialem & increatam, ut ſi-
bi communicatam per participationem, & di-
ſtinctam unionem ab alio factam, concedo, ut
ſibi communicatam eo modo, quo exiſtit in ſe
ipſa, aut in perſona divina, nego majorem; di-
ſtinguo pariter minorem, includens eſt tàm
ſanctum, quàm incluſum ſumptum ſecundùm
modum, quo includitur & communicatur in-
cludenti, concedo; ſumptum ſecundùm eſſe ab-
ſolutum, quo in ſe ipſo exiſtit, nego minorem,
44. & in eodem ſenſu nego conſequentiam. Ad
confirmationem, fortè dici poteſt de forma
terminante, qualis eſt increata ſanctitas, non
eſſe eamdem rationem, quæ de forma in toto
rigore phyſicâ inhærente, aut informante,
quales ſunt illæ de quibus facta eſt inductio;
hoc tamen omiſſo, repeto præcedentem di-
ſtinctionem, forma non poteſt conſtituere
ſubjectum minùs tale, quàm ipſa ſit ſecundùm
modum ſuæ communicationis & ſecundùm
perfectionem ad ſubjectum relatam, concedo;
quàm ipſa ſit ſecundùm ſe & perfectionem
abſolutam, nego antecedens ; ad probatio-
nem ex ratione deſumptam eâdem ferè utor
diſtinctione, communicando ei ſe totam ſe-
cundùm perfectionem relativam, cujus ſubje-
ctum eſt capax, concedo; ſecundùm perfectio-
nem abſolutam, quia in ſe conſtituitur, nego;
vel (& in idem recidit) communicando ſub-
jecto ſe totam, at non ſemper omnem modum
ſuæ perfectionis, quod eſt dicere ſe totam, at
non totaliter, concedo ; communicando ſub-
jecto ſe totam, & ſimul omnem ſuæ perfe-

Quomodò cauſa formalis, ſeu forma communicet ſubjecto ſe totam.

ctionis modum, ſe totam & totaliter, nego: Ad
45. probationem deſumptam ab inductione, con-
cedo antecedens, diſtinguo conſequens ; ergo
ſemper forma conſtituit ſubjectum æque ta-
le, ac ipſa eſt, ſecundùm perfectionem intenſi-
vam, quod eſt idem ac dicere ſecundùm per-
fectionem ad ſubjectum relatam, cum intenſio
ex genere ſuo importet plures gradus quali-
tatis in eadem parte ſubjecti, adeóque ſubje-
ctum maximè reſpiciat, concedo, ſecundùm
perfectionem abſolutam, ſeu ſecundùm om-
nem perfectionis modum, nego, nam calor ut
octo eſt talis eſſentialiter & per ſe ipſum, non
conſtituit autem ſubjectum ut octo calidum,
niſi accidentaliter & per unionem cum ali-
quo realiter diſtincto ; eademque eſt ratio de
albedine ut ſex, de gratia ut quatuor, aliiſque
ſimilibus formis intenſionem admittentibus;
imò ex quo inſtantia meminit habitualis gra-
tiæ addo in hac clarè elucere, quod poſſit for-
ma communicare ſubjecto totam ſuam inten-
ſionem, non communicando totam ſuam per-
fectionem, eò quod poſſit eſſe in diverſis ſub-
jectis æquè intenſa abſque eo, quòd ſubjecta
ipſa æquè perficiat ; neque enim gratia ut
quatuor poſita in lapide, & in anima rationa-
li, perficit & ſanctificat illum æquè, ac iſtam.
Dices ſecundò: Chriſti humanitas ut ſancta
ſanctitate Verbi de facto tam amatur à Deo,
quàm ametur Verbum ; ergo eſt tam Sancta,
quàm ſit ſanctum Verbum, ac per conſequens
ex ſanctitate ſubſtantiali & increata redditur
ſancta infinitè ſimpliciter, adeò ut &c. conſe-
quentia patet, quia Deus in amando non falli-
tur, nec amat aut plus, minus bonum ; aut
æqualiter, bona æqualia ; antecedens proba-
tur, quia Deus amat in Chriſto uno eodem-
que amore humanitatem, & Verbum, & bo-
nitas movens ad amorem humanitatis eſt ip-
ſamet bonitas Verbi ; ex quo inſtantia poteſt
paulò aliter ſic formari : Unumquodque eſt
tantæ bonitatis & amabilitatis, quantæ eſt id,
quo redditur bonum & amabile ; atqui hu-
manitas Chriſti redditur bona & amabilis
bonitate & amabilitate Verbi; ergo eſt tan-
tæ bonitatis & amabilitatis, quantæ eſt Ver-
bum; adeòque à Deo, qui utique unumquod-
que amat quantùm eſt amabile, tàm amatur
quàm ametur Verbum. Confirmatur : Huma-
nitas in Chriſto eſt tam adorabilis & tam
adoranda, quàm Verbum, eâdemque cum Ver-
bo adoratione colitur ; ergo eſt tam bona &
tam ſancta quàm Verbum ; cum dignitas ado-
rationis attendatur penes excellentiam boni-
tatis & ſanctitatis ; antecedens probatur, quia
Perſona Chriſti non ſolùm ut eſt præcisè per-
ſona Verbi, verùm etiam ut eſt perſona com-
poſita ex humanitate ex Verbo adorabilis eſt,
adoranda, & adoratur ſupremo cultu latriæ
abſolutè. Sed contra : Suppono (quod eſt pa- 46.
riter pro præcedenti inſtantiâ ſupponendum)
ly *ut ſancta ſanctitate Verbi* reduplicare Verbi
ſanctitatem in obliquo & indirectè ; cæterùm
in recto referri ad entitatem humanitatis ut
conjunctam quidem Sanctitati Verbi, & ſimul
ut ab ea diſtinctam, hoc ſuppoſito nego an-
tecedens, ad cujus probationem quidquid ſit,
utrùm actus, quo Deus amat totum Chriſtum,
ſit

Quomodò Deus eodem actu amando totum Chriſtum

non tam amet humanitatem, quàm Verbum.

ſit virtualiter duplex, & ſecundùm unam haneque quaſi majorem virtualitatem, feratur in Verbum, ſecundùm aliam virtualitatem, eamque quaſi minorem, feratur in humanitatem; quidquid, inquam, de hoc ſit, novum non eſt unum eumdemque indiviſibilem actum amoris diverſimode, & inæqualiter, ferri in diverſas ſui objecti partes, & eſſe majorem appretiativè reſpectu unius, quam reſpectu alterius, patet hoc clarè in actu, quo ſimul amamus finem & media, & propter finem media; Deum & creaturam, & propter Deum creaturam: in actu item, quo ſimul amatur anima & corpus, beatitudo eſſentialis & accidentalis &c. Ad eamdem inſtantiam paulò aliter formatam vel nego abſolutè majorem ex regulâ generali *Propter quod unumquodque tale* &c. vel dico eam ad ſummum verificari, quando id, quo aliquid redditur bonum, ſe habet ut forma informans, aut ſe communicat ſecundùm perfectionem etiam abſolutam, & ſecundùm omnem ſuæ perfectionis modum juxta doctrinam poſitam in præcedentis inſtantiæ ſolutione.

47. In quo ſenſu humanitas in Christo adoranda ſit eadem adoratione, qua Verbum.

Ad confirmationem dico in adoratione duo poſſe conſiderari, externum cultum, & internum affectum: Externus cultus ex communi externorum actuum lege habet non diſtinguere unum ab alio, ideò indiviſibiliter exhibetur toti ſuppoſito, nec præſcindit naturam à ſubſiſtentia. Adoratione igitur accepta pro externo cultu tam adorabilis tamque adoranda eſt in Christo humanitas quam Verbum, & quia hæc eſt vulgaris & uſitatior adorationis acceptio, Patres & Concilia memorata à Vaſquio *diſp. 95. cap.* 1. ſimpliciter docuerunt humanitatem in Chriſto eſſe adorandam, aut potiùs coadorandam eadem adoratione, qua Verbum; at hinc non infertur in humanitate eadem quæ in Verbo ſanctitas, ſed ſolùm cum eadem ſanctitate conjunctio, quæ ut ita dicam, identitati æquivalet reſpectu adorationis non ſecernentis in ſuo objecto ea, quæ ſunt ſub uno ſuppoſito conjuncta: Non item idem infertur de amore; quia amor in interno affectu conſiſtit, internus autem affectus, ſicuti poteſt in ſuo objecto partes diſtinguere, ita poteſt diverſimode & inæqualiter in diverſas & inæquales ſui objecti partes ferri: Ad ſummum rectè in re præſenti argueretur ab adoratione ad amorem, ſi adoratio quoque ſumeretur pro interno actu, ideſt ſummiſſione animi, à qua procedit externus cultus; at hujuſmodi internus affectus neque ipſe fertur in humanitatem & Verbum æqualiter; ſed inæqualiter; in humanitatem ſcilicet realiter diſtinctam à Verbo, ut conjunctam tamen, intentione ſecundaria & propter Verbum; in Verbum ipſum intentione primaria & propter ſe: Dixi *ut conjunctam tamen*, nam ſi humanitas Verbo conjuncta non conſideretur ut conjuncta, ſed ſecundum ſe præcisè, tunc ſimpliciter verum eſt non ſolum non eſſe adorandam æqualiter quoad modum adorationis, ſed nec eſſe adorandam adoratione latriæ, qua adorandum eſt Verbum; ut egregiè expreſſit Damaſcenus apud D. Thomam *quæſt 25. art. 2. ad* 1. verbis illis *Si dividas ſubtilibus intelligentiis quod videtur ab eo, quod intelligitur, inadorabilis eſt ut creatura, ſcilicet adoratione latriæ*; ubi per ly *quod videtur* humanitas per ly *quod intelligitur* Verbum ſignificatur. Sed de his plura infrà *lib* 4. *c.* 4. *§.* 1. *&* 6.

Si quæras: Verùm, quamvis in complexo humanitatis & Verbi humanitas ut conjuncta Verbo ſit ipſo Verbo minus ſancta, & minus amabilis; utrum, inquam, ſaltem totum complexum ſumptum indiviſibiliter & quaſi æquè primò importans utrumque extremum; aut etiam, ſi vis, principalius Verbum, quam humanitatem, ſit quid ſanctius & amabilius eodem Verbo ſumpto ſolitariè & ſecundum ſe? 48.

Reſponderi à pluribus ſolet non eſſe quidem quid ſanctius & amabilius intenſivè, benè verò extenſivè eo proportionaliter modo, quo ſolent iidem Auctores docere Deum & creaturas ſimul eſſe non quidem intenſivè, benè verò extenſivè quid perfectius, & majus bonum, quàm ſit Deus ſolus: nihilominus nos, qui ſuo loco docuimus propriè & rigoroſè loquendo Deum & creaturas ſimul neque etiam extenſivè eſſe bonum majus, intenſivè verò eſſe bonum minus, quàm ſit Deus ſolus, ſervabimus doctrinæ conſequentiam, reſpondendo Verbum & humanitatem ſimul, ſeu totum complexum ex Verbo & humanitate, nullatenus eſſe quid amabilius & ſanctius, imò eſſe quid minus amabile & minus ſanctum, quam ſit Verbum ſumptum ſolitariè & ſecundum ſe; nec pro reſponſionis elucidatione aut probatione neceſſe eſt aliquid adjicere ijs, quæ dicebamus tract. de Deo uno *lib.* 1. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 30. *&* § 6. per totum.

Conflatum ex humanitate & Verbo nullatenus eſt ſanctius imò eſt ſimpliciter minus Sanctum quam ſolum Verbum.

46. Humanitas Chriſti ea ſanctitate increata ſanctificatur infinitè ſecundùm quid.

Aſſert. 2. Humanitas Chriſti ex ſanctitate ſubſtantiali & increata redditur ſancta infinitè ſecundum quid & in genere ſanctitatis participatæ, ſeu communicatæ per unionem diſtinctam, adeò ut in tali genere non ſit excogitabile aliquid ſimpliciter ſanctius. Ità Amicus *diſp* 16. *ſect.* 5. *num.* 153. Arriaga *diſp.* 31. *ſect.* 2. Mendernus *præcitat. art.* 3. *num.* 5. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 7. *dub.* 6. & à fortiori Petrus Hurtadus, Mæratius, & ſi qui alij ſuſtinent humanitatem in Chriſto ſanctificari infinitè ſimpliciter. Solus, quem viderim, refertur in contrarium Lugus *præcit. ſect.* 5. ubi videtur in ſanctificatione humanitatis Chriſti omnem prorſus infinitatem negare; ſi tamen attentius expendatur, negat ſolam infinitatem ſimpliciter, & in modo loquendi, non in modo ſentiendi, veritati à nobis aſſertæ adverſatur.

Probatur. Sanctitas ſubſtantialis & increata verè eſt infinita, & unitur humanitati Chriſti taliter, quod non poſſit ulli naturæ creatæ perfectius uniri; ergo humanitas Chriſti ea ſanctitate ſubſtantiali & increata redditur ſancta infinitè ſecundum quid & in genere ſanctitatis participatæ, ſeu communicatæ per unionem diſtinctam, adeò ut in tali genere, &c. antecedens conſtat ſufficienter ex dictis *lib. præced.* ſparſim, præſertim verò *c.* 2. *n.* 7. & *c.* 6. *§.* 1. per totum. & ex hoc *§.* 1. *n.* 29. recolendum eſt in particulari, cur ſubſtantialis ſanctitas non uniretur perfectius, ſi aut ex parte creaturæ fieret unio in natura Angelica, aut

Ita tamen ut per participationem & unionem diſtinctam non ſit dabile aliquid ſanctius.

 ex

ex parte Dei in ſubſiſtentia abſoluta? Addo
50. obiter quod nec unietur perfectiùs (ſubintellige intenſivè & ſimpliciter) ſi fieret unio in duabus aut tribus divinis Perſonis; ratio eſt quia duæ vel tres perſonalitates, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ, non ſunt quid ſimpliciter ſanctius & perfectius, quàm unica; & ſicuti, ut ſuppono ex Tract.de Deo Trino *lib.* 1.*cap.*8. §.4. ad intrà tota Trinitas non eſt ſanctior aut perfectior qualibet perſonâ ſeorſim, ità ad extra eadem tota ſubſtantialiter unita naturæ creatæ non magis, quàm quælibet perſona ſeorſim, ſanctificat eam aut perficit. Confirmatur aſſertum: Res perficiens & ſanctificans, tanquàm forma aut quaſi forma, licèt ex dictis non communicet ſubjecto omnem ſuæ perfectionis modum, communicat tamen omnem ſuam perfectionem materialiter, ut ita dicam, & ſecundùm ſubſtantiam, undè etiam, licet numquam tam perficiat ſubjectum quàm eſt perfecta in ſe, ſemper tamen magis perficit ſi eſt in ſe magis perfecta; neceſſe eſt igitur, quod forma ſeu quaſi forma infinita, qualis eſt ſubſtantialis & increata ſanctitas, perficiat in aliquo genere infinitè; nec vereor, quin infinitus calor redderet ignem infinitè calidum; infinita cognitio redderet intellectum infinitè cognoſcentem; infinita accidentalis ſanctitas redderet animam infinitè accidentaliter ſanctam; licet deindè ſervata proportione doctrinæ poſitæ *præced. num* 45. adhuc ille ignis non eſſet tàm calidus, quàm infinitus calor, & ſic de cæteris; ergo ſimiliter &c.

Dices primò: repugnat eſſe ſanctum infinitè, & eſſe minùs ſanctum, quàm aliud; neque enim eſt dabile unum infinitum minus alio, cum infinitum ex genere ſuo ſit illud, quo majus dari non poteſt; atqui humanitas Chriſti, ut redditur ſancta ſanctitate ſubſtantiali & increata, adhuc eſt minùs ſancta, quàm ipſa eadem ſanctitas, quàm perſona divina, quàm divinitas; ergo non redditur ſancta infinitè.

51. Quodnam infinitum poſſit eſſe minus alio: & quodnam ſit illud, quo majus dari nequit?

51. Sed contra: eſſe ſanctum infinitè ſimpliciter, per eſſentiam, & in omni genere, utique repugnat cum eſſe minùs ſanctum quàm aliud, non ſic eum eſſe minùs ſanctum repugnat eſſe ſanctum infinitè ſecundùm quid, per participationem, & in determinato genere, ſed huic ſufficit non eſſe minus alio in eodem genere; cum igitur à nobis expreſsè aſſerta ſit infinitas ſecundùm quid, non ſimpliciter, remanet ſine robore inſtantia.

Dices ſecundò: Perſonalitas Verbi eſt infinita in ratione ſubſiſtentiæ æquè, ac in ratione ſanctitatis; atqui non reddit humanitatem Chriſti infinitè ſubſiſtentem, ergo neque eamdem reddit infinitè ſanctam; minor probatur, quia perſonalitas Verbi ſupplet in humanitate ſubſiſtentiam propriam creatam, reddit igitur humanitatem ſubſiſtentem ſolùm tantùm, quantùm redderet eam ſubſiſtentem ſubſiſtentia propria. Sed contra:
52. conceſſa majore, & data minore, negari poſſet conſequentia, & præter diſparitatem aliquam, quæ haberetur ex ipſamet probatione minoris, major alia diſparitatis ratio eſſet aſſignabilis ex eo, quòd reddere ſubſiſtens ſit effectus phyſicus, reddere ſanctum poſſit eſſe effectus moralis; minus autem ex genere ſuo requiritur ad præſtandum infinitum effectum moralem, quàm ad præſtandum infinitum effectum phyſicum: Nihilominus, quia ex una parte perſonalitas Verbi ſupplet in humanitate ſubſiſtentiam propriam ſuperiore perfectioreque modo, & correſpondet capacitati ejus obedientiali quæ infinita eſt, ex alia verò parte eadem perſonalitas ſanctificat per nos humanitatem phyſicè, non moraliter tantum, vacillat utraque diſparitas; ideò aliter inſtantiæ ſatisfacio, & conceſſa majore, diſtinguo minorem; non reddit humanitatem Chriſti infinitè ſubſiſtentem, ſi ſermo ſit de infinitate ſimpliciter, ratione cujus poſſit dici humanitas redditur tam perfectè ſubſiſtens, quàm perfectè in ſe ſubſiſtat natura divina, concedo: ſi ſermo ſit de infinitate ſecundum quid, ratione cujus non ſit dabile extra Deum aliquid perfectius ſubſiſtens, quamvis intra Deum ſit dabile, nego minorem, & in eodem ſenſu, qui quidem eſt germanus ſenſus doctrinæ à nobis hucuſque traditæ, nego conſequentiam.

52. Humanitas Chriſti per Verbi perſonalitatem eo modo, quo redditur infinitè ſancta redditur infinitè, ſubſiſtens.

Dices tertiò: Si humanitas Chriſti ex ſanctitate ſubſtantiali & increatâ redditur infinitè ſancta in genere ſanctitatis participatæ, & communicatæ per unionem diſtinctam, non poſſet in eodem genere reddi ſanctior; atqui poteſt ſanctior reddi, imò de facto ſanctior redditur per gratiam habitualem, quæ & ipſa eſt in genere ſanctitatis communicatæ per unionem diſtinctam; ergo Sed contra, non poſſet in eodem genere reddi ſanctior ſanctitate intenſiva, & quam in ſe jam eminenter non contineat, tanquam eſſentia ſuam paſſionem, concedo; non poſſet reddi ſanctior ſanctitate extenſiva, & præcontentâ in ſanctitate perſonali ſicut præcontinetur paſſio in eſſentia nego majorem, ſolùm autem hoc poſteriore modo humanitas Chriſti redditur ſanctior per gratiam habitualem, ideò &c.

53. Per gratiam habitualem redditur ſanctior ſolùm extenſivè, & novo titulo potiùs quam novâ perfectione ſanctitatis.

Urgebis: ſi habitualis gratia conſequitur gratiam perſonalem, tanquam paſſio ſuam eſſentiam, & humanitas ex gratia perſonali habet ſanctificationem ſubſtantialem infinitam, proportio paſſionis cum eſſentia exigit, ut ex gratia habituali habeat infinitam ſanctificationem accidentalem, quod eſſet habere infinitum gratiæ habitum, & hinc ulteriùs inferretur infinitas aliorum habituum infuſorum, luminis gloriæ; item viſionis, & perfectionum omnium ſupernaturalium; ſicque ne nimis in infinitum abeatur neceſſe eſt negare infinitatem illam, quæ cæteras omnes infert, ideſt infinitatem ſanctificationis immediatè provenientis à ſanctitate perſonali, & gratia unionis. Sed contrà, an & quomodo ponenda ſit in Chriſto gratia habitualis infinita? quid item ſentiendum de cæteris habitibus & donis ſupernaturalibus ſtatuetur *ſeq.cap*. Ideò ſit

CAPUT

CAPVT VII.

De Sanctitate Chriſti accidentali, & creatâ; maximè verò de ejus Gratiâ habituali.

1. SANCTITAS accidentalis habetur in nobis formaliter, & primariò per gratiam habitualem, quam propterea ſolemus appellare ſanctificantem ſeu juſtificantem; completivè deindè, & vel inchoativè, vel concomitanter, vel conſecutivè, per cætera ſupernaturalia dona, ſive hæc ſint gratiæ gratis datæ, ſivè ſint habitus & actus ſupernaturalium virtutum, ſivè ſint actualia auxilia ad tales actus aut etiam ad peccata vitanda, & ad tentationes vincendas, data: De his omnibus igitur eſt ſub præfixo titulo agendum, maxime verò de gratia habituali, quæ potiſſimum, imò unicè venit ſub nomine ſanctitatis accidentalis, ſeu formæ ſanctificantis abſolutè prolatæ. Ideò ſit

---

§. I.

An detur, quam certò detur, & ad quid detur Gratia habitualis in Chriſto.

2. *Datur in Chriſto gratia habitualis: conſtat id certitudine theologica, non ſatis certitudine fidei.*

ASSERT. I. Verè datur in Chriſto gratia habitualis; eſtque hoc certum certitudine theologicâ, & auctoritate Scholaſticorum, adeò ut nequeat ſine errore & temeritate negari, at non ſatis conſtat id pervenire etiam ad certitudinem fidei. Prima aſſerti pars fuit olim contrà nonnullos à Paludano *in 3. diſt. 13. quæſt. 2.* memoratos, nec admodùm reprehenſos, & arbitratos gratiam habitualem, eſſe Chriſto ſuperfluam: eſt item aliqualiter contrà Vvadingum *diſp. 5. dub. 1.* vehementer propendentem ad excludendam à Chriſto gratiam habitualem, & contendentem eam fuiſſe à Sanctis Patribus rejectam potius, quàm admiſſam; in quo jure eum admiratione excipitur, & levitatis redarguitur, ab Arriagâ *diſput. 32. ſec. 1. num. 2.* Secunda pars quoad poſtremas particulas eſt contra Medinam *hic quæſt. 7. art. 1.* Cabreram *eod. art.* Suarium *diſput. 18. ſec. 2.* Valentiam *quæſt. 7. punc. 1.* Gabrielem à S. Vincentio *diſp. 7. dub. 2.* & alios non paucos, multo plures tamen nobiſcum, ſentiunt, & inter alios Vaſquez *diſp. 41. cap. 1.* Amicus *diſp. 16. ſec. 2.* Lugus *ead. diſp. ſec. 5. num. 92.* Arriaga *pracit. diſp. 32. num. 8.* Eſparza *quæſt. 26. art. 1.* & magis communiter reliqui Recentiores, à quibus ſolis accuratiùs expenditur aſſertæ veritatis certitudo parùm expenſa à Scholaſticis Tridentino Concilio antiquioribus, quia illis temporibus obſcuriora erant, quæ ad juſtificationis & ſanctificationis noſtræ modum pertinebant, nec habebatur expreſſa definitio de gratiæ habitualis exiſtentiâ, ejuſque ad nos juſtificandos & ſanctificandos neceſſitate, ut colligitur ex tract. de Gratia *lib. 3. cap. 1. §. 1. & lib. 4. cap. 2. §. 1. & 2.*

Probatur & explicatur aſſertum, quod quidem quatenùs utcumque aſtruit verè dari gratiam habitualem in Chriſto, abundè conſtabit ex ſequentibus; quatenùs verò ponit id conſtare certitudine theologica & auctoritate Scholaſticorum, at non certitudine fidei, ſuadetur ſic: Illa veritas conſtat certitudine theologicâ, at non fidei, quæ communi Theologorum conſenſu, & validis rationibus ad fidei principia conſequentibus, firmatur; & tamen nec in ſcripturâ Sacrâ exprimitur, nec ullâ Eccleſiæ traditione, aut Concilij definitione ſtatuitur; atqui hujuſmodi eſt aſſerta veritas; ergo dari gratiam habitualem in Chriſto certum eſt certitudine theologica &c. 3.

Probatur minor quoad primam partem, circa quam de communi Scholaſticorum conſenſu nullus eſt ambigendi locus, cum ut jam attigimus ex antiquis ſolùm valdè pauci apud Paludanum oppoſitum ſenſerint, ex Recentibus unus Vvadingus viſus ſit dubitaſſe; nec refert quòd idem Vvadingus addat Patres rejeciſſe potius, quàm admiſiſſe gratiam habitualem in Chriſto; addit enim id immeritò, & quoad Cyrillum, ex quo maximè putat intentum ſuum oſtendere rectè impugnatur ab Arriagâ *pracit. ſec. 1.* apud quem inſuper, ſicut & apud Suarium, Vaſquium, Amicum, non deſunt aliorum Patrum pro aſſerta veritate ſententiæ, quamuis non omninò claræ, nec in terminis formalibus, quia, ut jam præmonui antè Tridentinum Concilium habitualis gratia ſub proprijs terminis non plenè innotuerat. Circa rationes fidei principia conſequentes, & ejuſdem minoris propoſitionis primam partem firmantes, aliquæ afferentur paulò inferiùs aſſignando, ad quid detur in Chriſto gratia habitualis? aliquæ facilè deducentur ex auctoritatibus mox ſubijciendis, quæ licèt per nos aſſertam veritatem non contineant ut fidei dogma, eam ſaltem inferunt ut concluſionem theologicam.

4. *Nunquam Sancti Patres negarunt gratiam habitualem in Chriſto, quamvis eam ante Tridentinum obſcuriùs protulerint: & cur.*

Probatur eadem minor quoad ſecundam partem expendendo auctoritates afferri ſolitas pro certitudine fidei; & primò quidem affertur ex ſcripturâ illud Pſal. 44. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis* additâ ex Suario interpretatione Athanaſij, Cyrilli, Chryſoſtomi, Ambroſij, & aliorum Patrum ly *unxit* & ly *oleo* referentium ad ſanctificationem factam per gratiam & donum Spiritus Sancti, cujus & nos conſortes ſeu participes ſumus. Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini* qui quidem in homine eſſe dicitur per gratiam habitualem, ut addit Divus Thomas *quæſt. 7. art. 1. in argum. Sed contra* & deducitur etiam ex verbo illo *Requieſcet*, quod ſignificat permanentiam & manſionem ſimilem ei, quâ Dei in juſto per gratiam inhabitatio exprimitur Jo. 8. *ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Jo. 1. *Vidimus eum quaſi Vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis*; ubi ſicut non ad ſolam increatam ſcientiam refertur plenitudo veritatis, ita nec ad

5. *Teſtimonia, quæ ex ſcriptura & Concilijs militant pro gratia habituali Chriſti*

ad ſolam increatam ſanctitatem debet referri plenitudo gratiæ, de quâ inſuper minos congruè ſubderetur, *& de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, gratia enim quam ex Chriſto accipimus gratia creata eſt, non increata. Luc.1. *Quod naſcetur ex te ſanctum* Luc.2. *Gratia Dei erat in illo* Jo.10. *Quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum*, quæ & ſimiliter de Chriſto procedunt & ſolent magis communiter ad ejus gratiam habitualem & ſanctificationem accidentalem extendi. Secundò affertur ex eadem Scriptura illud Epheſ. 3. *In charitate radicati & fundati ut poſſitis comprehendere &c. ſcire etiam ſupereminentem ſcientia charitatem Chriſti*; adduis verbis ipiuſmet Chriſti Jo.15 *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego. Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*; addito inſuper quod de charitate univerſaliter dicitur Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ubi ex duobus primis textibus habetur dari in Chriſto charitatem habitualem infuſam, ut datur in cæteris juſtis præcepta ſervantibus; ex tertio textu habetur dari Spiritum Sanctum & accidentalem ejus ſanctificationem, quoties in corde diffuſa eſt & infuſa Dei charitas, eo quia hæc à gratia habituali, vel non diſtinguatur, vel nunquam ſeparetur, in toto igitur textuum ternario expreſsè continetur Chriſti ſanctificatio per gratiam ha-

6. bitualem. Tertiò affertur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap. 7.* & *can.* 11. univerſalis, adeóque etiam ad Chriſtum extendenda definitio, quâ ſtatuitur homines juſtificari ſeu ſanctificari per infuſionem gratiæ & charitatis, utique habitualis, ut nos ipſi docuimus locis præmemoratis ex tract. de Gratiâ. Quartò affertur ex multis Concilijs & Patribus frequens admodum loquendi modus, quo abundè tribuunt Chriſto perfectiones, tum naturales, tùm ſupernaturales, ad utramque naturam humanam & divinam pertinentes, cur ergo inter perfectiones ſupernaturales pertinentes ad naturam humanam non cenſebuntur voluiſſe primo loco tribuere habitualem gratiam?

Omnia hæc & ſingula auctoritatum capita maximi mihi ponderis ſunt, & ex ſibi adjuncta aliquâ propoſitione theologicâ certâ inducunt theologicam certitudinem aſſertæ veritatis; at hanc non ſatis continent ex ſe immediatè, aut etiam accedente ſolùm aliquo alio fidei principio, ſicut requireretur ad hoc ut ſatis conſtaret eam pervenire ad certitudinem fidei, quod magis oſtendo diſcurrendo per ſingula.

7. Expenditur præcedentium teſtimoniorum vis, & oſtenditur non ſufficere ad inducendam certitudinem fidei.

Ad primum caput dico auctoritates in eo relatas, ſi non aliquæ aut omnes à nonnullis Sanctis Patribus (quod videtur abſolutè negare Vaſquez *præcit. cap.1.*) intelligantur de gratiâ habituali, à multo pluribus intelligi de ſanctificatione per gratiam unionis, & illud *Iſa.*11. quod ægrè poſſet de gratiâ unionis intelligi ſecundùm communiorem interpretationem nihil aliud probat, quàm dari in Chriſto ſeptem dona Spiritus Sancti; at de fide non eſt hæc eſſe habitus, aut ſecum trahere gratiam habitualem. Illud *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* commodè refertur ad gratiam unionis, neque enim nos accipimus de plenitudine gratiæ Chriſti immediatè, quaſi quod (ut opinatus eſt Mæratius *hic diſp.*23. *ſec.*4.) gratia habitualis in nobis ſit eadem numero, quæ fuit in Chriſto ſecundùm varios gradus in varijs juſtis replicata, ſed accipimus de tali plenitudine mediatè, id eſt medijs Chriſti meritis, quorum dignitas & valor maximè attenditur penes gratiam unionis. Paritas deducta à ſapientiâ ad ſanctitatem vehementer claudicat in eo, quod natura humana non poteſt reddi formaliter ſapiens ſapientiâ increatâ, redditur verò formaliter ſancta ſanctitate increata: deindè ſapientia, ſeu ſcientia creata, ſpectat ad naturæ humanæ veritatem, non ſic gratia habitualis.

Ad ſecundum caput dico de fide eſſe quod 8.
detur in Chriſto charitas, at non quod talis charitas ſit habitualis, nec comparatio facta *Io.*15. quidquam aliud ſuadet præter aliqualem proportionem inter charitatem, in qua permanent juſti ſervando præcepta Chriſti, & eam in qua permanet ipſe Chriſtus ſervando præcepta Patris, at cum Chriſtus etiam in via ſemper habuerit actualem charitatem beatificam omninò permanentem, in ordine ad hanc optimè ſubſiſtit proportio permanentiæ inter charitatem actualem ex parte Chriſti, & habitualem ex parte reliquorum juſtorum: Charitas autem, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffunditur, quæ ſic diffuſa ſanctificat, quæ habet aut indiſtinctam aut comitem habitualem gratiam, eſt ſola charitas habitualis; ideò &c.

Ad tertium caput dico definitionem Con- 9.
cilij ſecundùm aliquos ſolùm reddere de fide, quòd juſtificatio noſtra fiat per aliquid creatum nobis intrinſecum & inhærens; at non quòd hoc creatum ſit habitus; libenter tamen admitto etiam hoc poſterius eſſe de fide conformiter ad id, quod proprio loco docui; at nego illam definitionem ad Chriſtum extendi, imò ex his, quæ ipſam comitantur, colligo debere Chriſtum excludi; primò enim eo *c.*7. agitur de juſtificatione impij, at juſtificatio Chriſti nequit eſſe juſtificatio impij: ſecundò quia ibi aſſignatur aliquid creatum, tanquam cauſa formalis unica juſtificationis; at hoc nequit verificari reſpectu Chriſti, de quo dictum eſt ſanctificari formaliter ſanctitate increata; Tertiò juſtificatio, quæ ibi explicatur, ponitur habere pro cauſa finali & meritoria Chriſtum, at Chriſtus non eſt cauſa finalis & meritoria juſtificationis ſui ipſius; non fuit igitur eo loco mens Concilij loqui, aut quidquam definire, de juſtificatione quæ eſſet communis Chriſto & reliquis juſtis. Neque dicas, nonne ſaltem congruentiſſimum eſt aſſerere inter naturam humanam Chriſti, & cæterorum hominum, omnem poſſibilem convenientiam, ſicut in reliquis ita & in modo juſtificationis? Contra enim, quid tum? inferetur hinc ad ſummum circa gratiam habitualem Chriſti maxima probabilitas aut aliqua moralis certitudo, quam imò & majorem ultrò agnoſcimus at multùm prorsùs aberimus à certitudine

dina fidei quæ nulla poteſt congruentiâ niti; Deinde deberet aliunde ex fide conſtare modum juſtificationis per gratiam habitualem eſſe Chriſto poſſibilem, non conſtat autem, & poſſet quis ſine hæreſis nota contendere gratiam habitualem eſſe omninò inſeparabilem à filiatione adoptivâ: atque adeò cum gratia unionis, cum qua repugnat filiatio adoptiva, repugnare pariter gratiam habitualem.

10. Ad quartum caput dico modum illum loquendi eſſe clarum & expreſſum ſolùm quoad ea quæ pertinent ad utriuſque naturæ veritatem, ad veritatem autem naturæ humanæ pertinent ſolæ perfectiones naturales: & licèt quoad aliquas etiam perfectiones ſupernaturales, puta quoad viſionem beatam quoad dotes glorioſas, de fide ſit reperiri in humanitate Chriſti, ex his nequit extendi certitudo fidei ad omnes perfectiones ſupernaturales univerſaliter, & ſingillatim non extenditur ad habitualem gratiam, eo quòd ex mox dictis poſſit quis ſine hæreſis nota contendere eam in humanitate Chriſti repugnare.

Infirmatis argumentis militantibus pro nimia certitudine gratiæ habitualis videntur infirmanda ea, quæ in oppoſitum extremum declinantia ejuſdem gratiæ habitualis exiſtentiam abſolutè à Chriſto excludunt, aut tanquam ſuperfluam, aut tanquam incompoſſibilem cum gratia unionis, verùm impoſſibilitati ſatisfiet §. ſeq explicando qualis ſit in Chriſto gratia habitualis? & quomodò, licet ſit ejuſdem rationis cum noſtra, poſſit non inducere filiationem adoptivam cum perſonali unione, ſeu cum gratia unionis incompoſſibilem? Superfluitati ſtatim occurro aſſignando ad quid detur? ſeu ad quem finem in Chriſto utilis & neceſſaria ſit? quo in puncto quia ingens eſt ſententiarum varietas, prævia aliquarum impugnatio plurimùm deſerviet ad probabiliorem, verioremque ſtabiliendum: Ideò ſit

11. Aſſert. 2. Gratia habitualis neque datur in Chriſto ſimpliciter & abſolutè ad ſanctificandam formaliter humanitatem; neque ad eam diſponendam, ſeu coaptandam unioni hypoſtaticæ: neque ad condignificanda ejus opera in ordine ad præmium ſupernaturale. Prima pars eſt contra Auctores relatos c. *præced. n.* 2. pro ſententia negante ſanctitati ſubſtantiali, & increatæ, vim formaliter & immediatè ſanctificandi creatam naturam. Secunda pars eſt contra Alenſem 3. *par. q.* 7. *membr.* 2. Gabrielem *in* 3. *diſt.* 1. *q* 2. *art.* 2. & quoſdam alios Antiquos Scholaſticos relatos *lib. præced. cap.* 9 §. 6. Tertia pars eſt contra Durandum *in* 3. *diſt.* 13. *quæſt* 1. *num* 8. Cabreram *diſp.* 3. Cipullum *quæſt.* 7. *art.* 1. *dub.* 5. Gabrielem à S. Vincentio *diſp* 7. *dub.* 7. & nonnullos alios, præſertim ex ſchola Thomiſtica. Totum aſſertum ſuſtinent Auctores pro ſequenti aſſerto referendi infrà *num.* 16.

Gratia habitualis in Chriſto non datur abſolutè ad ſanctificandam formaliter humanitatē.

Probatur prima pars: Humanitas Chriſti ſine gratia habituali adhùc eſſet ſanctificata formaliter, & quidem ſanctificatione majore ac perfectiore ea, quam præſtare poteſt gratia habitualis; ergo iſta in Chriſto non datur ſimpliciter & abſolutè ad humanitatem formaliter ſanctificandam; conſequentia patet, quia cauſa formalis non datur ad effectum formalem ſine ipſa poſitum, imò qui non poteſt ab ipſa poni; antecedens ſupponitur ex *c. præced.* ferè per totum.

Neque ad eam coaptandam unioni hypoſtaticæ.

Probatur ſecunda pars: Unionem hypoſtaticam non præceſſit de facto in humanitate ulla diſpoſitio, neque phyſica, neque moralis; ergo gratia habitualis non datur in Chriſto ad humanitatem diſponendam ſeu coaptandam unioni hypoſtaticæ, conſequentia patet, antecedens tradidimus ex profeſſo *præcit.* §. 6. obi inſuper quæſtionem tum ſingillatim ad gratiam habitualem deduximus, tum univerſim ad potentiam quoque abſolutam extendimus.

Probatur tertia pars. Etiamſi non daretur in humanitate Chriſti gratia habitualis, adhuc ejus opera eſſent condignè meritoria præmij ſupernaturalis, ergo gratia habitualis non datur in Chriſto ad condignificanda ejus opera &c. conſequentia patet antecedens probatur primò, quia requiri in nobis, aliavè quâlibet purâ creaturâ, gratiam habitualem ad condignum meritum præmij ſupernaturalis, provenit ex eo, quòd ſola gratia habitualis nobis tribuit dignitatem conſtitutivam ſtatus, perfectè elevativam ad eſſe ſupernaturale, & reddentem ſubjectum ſimpliciter amicum & gratum Deo ut latè oſtendimus in tract. de Gratia *lib* 4. *c.* 6. §. 2. atqui etiamſi non daretur in humanitate Chriſti gratia habitualis haberet ipſe hæc omnia ex vi gratiæ unionis, quæ utpotè permanentior & gratia habituali inamiſſibilior, eademque in ſupernaturali ordine elevatior, majorem item ſanctificationem & amicabilem cum Deo bonorum communionem inducens, utique melius, quàm habitualis gratia tribuit dignitatem conſtitutivam ſtatus, perfectè elevativam &c. Moneo hic obiter doctrinam Tridentini *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. & *can.* 32. ſtatuentis ad opera apud Deum meritoria requiri, quod ſint ab homine juſtificato & exiſtente in gratia, non debere extendi ad Chriſtum Dominum, iiſdem planè de cauſis, quibus ad eumdem *ex præced. num.* 9. non debet extendi doctrina de neceſſitate gratiæ habitualis ad noſtram juſtificationem.

12.

Neque ad condignificanda ejus opera in ordine ad præmium ſupernaturale.

13. Idem antecedens probatur ſecundò ex eo, quia gratia habitualis conducit ad meritum non immediatè influendo aliquid in opus, cum ex ſe ſit habitus non operativus, ſed dignificando principium operis ſeu ſuppoſitum operans; atqui in Chriſto principium operis, ſeu ſuppoſitum operans, etiam ſine gratia habituali eſſet dignificatum, & quidem dignificatione ſeu dignitate majore ea, quam conferre poteſt gratia habitualis, ergo. Confirmatur; opera Chriſti Domini non habent præcisè à gratiâ habituali quod ſint meritoria infinitè, ponuntur enim infinitè meritoria abſtrahendo ab eo, quod finita, vel infinita ſit gratia habitualis; atqui eo ipſo, quòd ſint meritoria infinitè, ſunt condignè meritoria præmij ſupernaturalis; ſunt enim magis meritoria, quàm ullum opus proveniens à pura creatura, quamvis maximè juſta & maximè Deo gratâ, ergo opera Chriſti Domini non habent præcisè à gratia habituali quod ſint condignè

meritoria præmij ſupernaturalis, ac per conſequens gratia habitualis in Chriſto non datur ad condignificanda ejus opera, &c.

Dices: Ad opus condignè meritorium præmij ſupernaturalis requiritur, quod ſit in ſe ſupernaturale, nec ſufficit quod ſuppoſitum à quo procedit ſit valde dignificatum, Dei amicum, Deoque gratum; atqui quidquid ſit de hoc ſecundo, illud primum non reperietur in operibus Chriſti Domini præciſa gratia habituali, nec eſſent tunc infinitè meritoria niſi in ordine naturali, & reſpectu naturalis præmij; ergo: Major eſt communiſſimè recepta & à nobis ipſis tradita *præcitato capit. 6. §. 5.* Minor probatur, ut opus aliquod ſit in ſe ſupernaturale neceſſe eſt, quòd procedat, tanquam à principio radicali & remoto, à gratia habituali; nam ſicut opus aliquod, ut ſit vitale, neceſſe eſt, quòd procedat à radicali principio vitæ, quod eſt anima; ita ut ſit ſupernaturale, ſeù vitale vitalitate ſupernaturali, neceſſe eſt quod procedat à principio radicali vitæ ſupernaturalis, quod eſt gratia, utpotè quæ ſe habet in ordine ſupernaturali eo modo, quo natura ſeu eſſentia in ordine naturali. Huic rationi robur addit auctoritas Divi Thomæ *hic quæſtio 7. artic. 1. in cor.* ubi aſſignando cauſas neceſſitatis gratiæ in Chriſto Domino ait *oportebat operationes animæ ejus propinquiſſimè attingere ad Deum per cognitionem & amorem, ad quod neceſſe eſt elevari rationalem naturam per gratiam*: & clariùs *quæſt. 29. de Verit. art. 5. ad 4.* ait *quod quamvis meritum Chriſti quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate perſonæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, ſine qua meri-*

14. *tum eſſe non poteſt.* Sed contra: concedo majorem, nego minorem, nam etiam peccator habituali gratia deſtitutus elicere poteſt actus fidei, ſpei, & alios ſimiles intrinſecè ſupernaturales ejuſdem rationis entitativè cum illis, quos elicit juſtus conſtitutus in gratia, quæ propterea in nobis ſimpliciter neceſſaria eſt ad tribuendam actibus condignitatem meriti, at non ſupernaturalitatem ordinis: Hinc ad probationem minoris diſtinguo, ut opus aliquod ſit ſupernaturale neceſſe eſt, quod procedat tanquam à principio radicali & remoto à gratia habituali, loquendo connaturaliter, concedo; loquendo ſimpliciter & abſolutè, nego; vel à gratia habituali divinitus ſupplebili per auxilium actuale concedo; divinitus inſupplebili, nego. Nec refert, quod neque divinitus ſit ſupplebilis, ſed ſimpliciter & abſolutè requiratur ad actus vitales naturales radicalis concurſus animæ: Non refert, inquam, quia iſte ita eſt radicalis, ut ſimul ſit immediatus & qualiſcunque ſit, eſt vitalis, & ab anima ſe exercente vitaliter. gratia autem habitualis, ut alibi ſæpiùs attigi, nullatenus ſe exercet vitaliter, dum eliciuntur actus ſupernaturales. Ad auctoritatem D. Thomæ dico ipſum loqui de neceſſitate connaturalis & convenientiæ, de qua in ſequenti aſſerto, non de neceſſitate ſimpliciter, de qua in præſenti.

Neque ad tribuendam iiſdem operibus intrinſecam ſupernaturalitatem.

15. Hæc dicta ſint tanquam faciliora, receptiora, & ad ſolutionẽ inſtantiæ ſufficientiſſima; cæterùm etiamſi permitteretur in nobis ad eliciendos actus intrinſecè & entitativè ſupernaturales, eſſe ſimpliciter neceſſariam habitualẽ gratiam, ſaltem tranſeunter datã eo modo, quo ad actum viſionis Dei plures Thomiſtæ neceſſariò requirunt ſaltem tranſeunter datum habitum luminis gloriæ, etiamſi, inquã, id in nobis permitteretur, non eſſet extendendum ad Chriſtum Dominum, in quo gratia unionis eminenter continet gratiam habitualẽ, & ſubſiſtentia Verbi terminando humanitatem non ſolum eam quomodocumque dignificat, verùm etiam perfectiſſimè elevat ad eſſe ſupernaturale, adeóque radicaliter elicitivum operationum ſupernaturalium. Nec refert, quòd ſubſiſtentia ex genere ſuo nullatenùs detur ad operandum, fallit enim hoc in ſubſiſtentia infinitâ, & eminenter continente principia, quæ ſolent ad operandum dari; ſicut infinita eſt, & talia principia in ordine ad operationes ſupernaturales eminenter continet, ſubſiſtentia Verbi.

Et quando in nobis ad talem ſupernaturalitatem habitualis gratia ſimpliciter requireretur adhuc non, ſic requireretur in Chriſto.

16. Aſſert. 4. Gratia habitualis datur in Chriſto ad aliqualem ſanctificationem, & multo magis ad connaturalem modum eliciendi actus ſupernaturales. Ita D. Thom. *in 3. diſt. 13. q. 1. art. 1.* & *de verit. q. 29. art. 1.* Ioan. à S. Thoma *diſp. 8. art. 2.* Gonetus *diſp. 12. art. 2. §. 1.* Suarez *diſp. 18. ſec. 2.* Vaſquez *diſp. 41. c. 5.* Lugus *diſp. 16. ſect. 5.* Amicus *diſp. 16. ſec. 3.* Arriaga *diſp. 35. ſec. 2.* Madernus *q. 5. art. 4.* & reliqui tum Thomiſtæ, tum Recentiores, magis communiter contra Auctores memoratos *præced. n. 11.* & inſuper quoad ly *aliqualem ſanctificationem* cõtra Vvadingum *diſp. 5. dub. 1.* docentem humanitatem Chriſti nullatenùs ſanctificari per gratiam habitualem, præſertim in genere cauſæ formalis. Poſui autem indefinitè ly *aliqualem ſanctificationem*, ut abſtraherem à quæſtione purè de nomine, qua dubitari poteſt, utrùm talis ſanctificatio rectè dicatur complementum & conſummatio ſanctificationis ſubſtantialis provenientis à gratia unionis; quod plures affirmant, negant verò Vaſq. *præcit. diſp. 41. cap. 4.* in fine, & Ioannes à S. Thoma *præcit. art. 2. n. 6.*

17. Probatur prima pars: Connaturale & conveniens eſt Chriſto habere omnem modum ſanctificationis & ſanctitatis, cujus eſt capax; atqui eſt capax ſanctificationis & ſãctitatis aliqualis, id eſt accidentalis, provenientis à gratia habituali; ergo talem ſanctificationem verè habet, & ad eam in ipſo datur habitualis gratia: Major patet, quia incongruè limitaretur Chriſti ſanctitas ad unicum modum, licet nobiliſſimum, ſicut incongruè limitaretur ad unicum, licet perfectiſſimum, modũ ejus ſcientia, aut ejus amor; & prætereà, ſicut omnis ſubſtantia in naturalibus exigit aliquod accidens, ita & ſubſtantialis ſanctitas in Chriſto exigit aliquam ſanctificationem accidentalem. Minor probatur, ſi Chriſtus, ejuſvè humanitas, nõ eſt capax ſanctificationis provenientis à gratiâ habituali, maximè quia (& eſt fundamentũ Vvadingi) major ſanctificatio infinita proveniens à gratiâ unionis non relinquit locum alteri ſanctificationi præſertim minori, & omnẽ humanitatis ut ita dicam ſanctificabilitatem exhauriat; at hæc ratio valde nimis probat, probat ſc. in anima Chriſti increatam ſcientiam non relinquere locum ſcientiæ creatæ; in natura

Gratia habitualis datur in Chriſto ad aliqualem, id eſt accidentalem, ſanctificationem.

aſſumpta

aſſumpta ſubſiſtentiam divinam non relinquere locum terminatione alterius ſubſiſtentiæ, ſive creatæ, ſive increatæ; in beatis ſcientiam rerum in Verbo non relinquere locum ſcientiæ, earundem in proprio genere, quæ & ſimilia ex alibi dictis falſiſſima ſunt, conſequens eſt igitur ea, quæ ſe habent ut magis & minus, præſertim quando ſunt in diverſo genere, ut in propoſito, non ſe excludere ab eodem ſubjecto, etiamſi quod eſt magis tale ſit infinitè tale, dummodò non ſit infinitè tale ſimpliciter, ſicuti ex vi gratiæ unionis non eſt ſimpliciter infinitè ſancta humanitas Chriſti, ſed in determinato genere *ex cap. præced.* §. 3.

18. Dices; hoc ipſo §. 3. *numer.* 48. docuimus complexum ex humanitate, & Verbo, nullatenus eſſe quid ſanctius Verbo ipſo ſecundum ſe: atqui eſſet quid ſanctius, ſi in tali complexo ſanctificatio proveniret etiam à ſanctitate creata gratiæ habitualis, non à ſola ſanctitate increata Verbi; ergo nobis ipſis non cohæremus, niſi negemus in Chriſto ſanctificationem à gratia habituali provenientem. Sed contrà: concedo majorem, diſtinguo minorem, atqui eſſet quid ſanctius, ſi in tali complexo ſanctificatio Verbi proveniret etiam à ſanctitate creata concedo, ſi in tali complexo ſanctificatio humanitatis proveniret etiam &c. nego: neque enim, ſicut diximus nihil eſſe ſanctius Verbo ſecundum ſe, ita jure præſumimur dixiſſe nihil eſſe ſanctius humanitate ſanctificata ſanctitate Verbi imò oppoſitum inſinuavimus *eod.* §. 3. *n.* 53.

19. Probatur ſecunda pars: Modus connaturalis eliciendi actus ſupernaturales eſt, quod eliciantur dependenter ab habitibus virtutum per ſe infuſarum, ex quibus potiſſimus, ideſt habitus charitatis, à gratia habituali, aut non diſtinguitur, aut nunquam ſeparatur; reliqui etſi tantam non habeant cum habituali gratia connexionem, ſunt tamen quaſi ejus proprietates, nec dantur regulariter, niſi ad ejus exigentiam, ut attigimus in tract. de Virtut. Theolog. *lib.* 1. *cap.* 7. *num* 48. & alibi ſæpè atqui convenientiſſimum eſt tribuere Chriſto connaturalem modum eliciendi actus ſupernaturales; ergo ad connaturalem hunc modum datur in ipſo habitualis gratia; probatur major quoad primam partem ex eo, quia habitus virtutum per ſe infuſarum ſunt in ordine ad proprios actus principia ejuſdem ordinis, maximè proportionata, & permanentia, undè etiam ſe habent in ordine ſupernaturali, ſicut potentiæ in ordine naturali; ergo.

Datur item ad connaturalem modum eliciendi actus ſupernaturales.

Dices habitus virtutum per ſe infuſarum in tantùm præſupponere habitualem gratiam, & regulariter dari ad ejus exigentiam, in quantùm ex communi ratione virtutis ſunt diſpoſitiones perfecti ad optimum, adeóque cum ſint in ſe ſupernaturalis divinique ordinis, præſupponunt ſubjectum perfectum & conſtitutum in ſupernaturali divinoque eſſe, quod quidem in nobis habetur per ſolam gratiam habitualem; at diverſa eſt ratio de Chriſto, cujus humanitas per gratiam unionis etiam præciſè acceptam elevatur ad eſſe divinum meliùs, quàm nos elevemur per gratiam habitualem. Sed contra; habitus virtutum per ſe infuſarum ſupponunt connaturaliter loquendo ſubjectum conſtitutum in ſupernaturali divinoque eſſe per formam, non quamcunque, ſed ſibi proportionatam proximè & immediatè, cujuſmodi eſt ſola gratia habitualis ſe habens ad tales habitus ut natura ad ſuas potentias, ut eſſentia ad ſuas paſſiones: & licet gratia unionis, titulo perfectiſſimæ ſanctificationis & eminentiæ, quâ continet gratiam habitualem, exigat ipſa quoque eoſdem virtutum habitus, exigit tamen unà ſimul habitum gratiæ exigendo igitur tùm habitum gratiæ tùm habitus virtutum, conſequens eſt, quòd exigat tùm illum, tùm iſtos, cum ordine inter ſe connaturali, ideſt cum conſecutione & poſterioritate iſtorum ad illum; iſtos mediatè, illum immediatè. Qua de re plura videri poſſunt apud Lugum & Arriagã locis præcitatis. 20.

Quomodò virtutum habitus connaturaliter prærequirant habitum gratiæ, etiam in Chriſto Domino.

Ex his habes gratiam habitualem in Chriſto eſſe neceſſariam, non neceſſitate abſolutâ, ſed neceſſitate connaturalitatis & congruentiæ; aſſertæ enim actiones, ob quas datur, & ſi quæ aliæ minoris momenti ad idem intentum afferantur, non petuntur niſi ex medijs connaturalitatis, & congruentiæ, a quibus ſicut Deus poteſt de potentia abſoluta ſua opera abſolvere, ita potuiſſet humanitati à Verbo aſſumptæ gratiam habitualem non conferre, & vel ei infundere ſolos habitus virtutum, vel neque iſtos infundendo ei ſoppeditare in ordine ad actus ſupernaturales ſola auxilia actualia in quo caſu habuiſſet quidem humanitas minorem ſanctitatem accidentalem, quàm nunc, at non omni caruiſſet, quia licet ſola gratia habitualis ſit prima & potiſſima forma accidentaliter ſanctificans, tribuunt tamen aliquam ſanctificationem accidentalem etiam reliqua ſupernaturalia dona, ea præſertim quæ permanentia ſunt, ut habitus virtutum & actus beatifici. 21.

Qualis ſit in Chriſto gratiæ habitualis neceſſitas.

§. II.

Qualis & Quanta ſit Gratia habitualis in Chriſto?

ASSERT. 1 Gratia habitualis in Chriſto eſt ejuſdem ſpeciei & rationis eſſentialis, cujus eſt in nobis, & in omnibus juſtis, ſivè Angelis, ſivè hominibus. Ita Richard. *in* 3. *diſt.* 13. *art.* 1. *q.* 2. Caietan. *hic q.* 7 *art.* 11 Gonet. *diſp* 12. *art.* 1. *n.* 27. Suarez *diſp.* 11. *ſec.* 1. §. *ex quibus colligo.* Lugus *diſp.* 16. *ſec.* 5. *n.* 99. Arriaga *diſp.* 32. *ſec.* 1. Madernus *q.* 5 *art.* 3. *n.* 11. cæterique Scholaſtici communiſſimè, adeò ut fortè nullus directè & ſimpliciter ſentiat oppoſitum, licèt habeamus ſaltem ex parte Adverſarios, tùm quoſdam Thomiſtas facientes gratiam Chriſti & noſtram ejuſdem ſpeciei ſecundùm ſuam abſolutam eſſentiam, diverſæ verò ſecundum modum eſſendi & ex parte ſubjecti, tum Hurtad *diſp.* 47. §. 67. ubi (ut refert Arriaga *præcit. diſp.* 32. *ſec.* 6. *num.* 41.) videtur excogitare in Chriſto duplicem gratiam habitualem, alterã ejuſdem ſpeciei cum noſtrâ, alteram diverſæ. 22.

Gratia habitualis in Chriſto, & in omnibus juſtis, eſt ejuſdem ſpeciei.

Probatur: Gratia habitualis ex dictis in proprio tractatu *lib.* 3. *cap.* 1. §. 7. eſt eſſentialiter

una in ſpecie athoma, & nec de potentia abſoluta admittere ſub ſe poteſt ſpecificam diverſitatem; ergo gratia habitualis in Chriſto eſt ejuſdem ſpeciei, &c. Conſequentia patet, quia certè non eſt ponendum de facto, quod nè quidem eſt poſſibile, quando tamen id eſſe poſſibile permitteretur, adhuc aſſertum ſubſiſteret & probaretur aliter ſic: Plurima eſt congruentia non diſtinguendi, & nulla eſt neceſſitas diſtinguendi ſpecie gratiam habitualem Chriſti ab ea cæterorum juſtorum; ergo eſt in Chriſto, & in cæteris juſtis, ejuſdem ſpeciei; probatur antecedens quoad primam partem, quia charitas & viſio creata in Chriſto eſt ejuſdem ſpeciei cum charitate & viſione noſtra; congruit igitur eſſe pariter ejuſdem ſpeciei radicem charitati conjunctiſſimam, & proprium viſionis ſemen, habitualem gratiam, quam præterea decebat ejuſdem rationis eſſe in Chriſto & cæteris juſtis, tanquam in capite & membris, exemplari & imagine, ut meliùs mutua utrorumque proportio ac ſimilitudo ſervaretur: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem ex eo, quòd hujuſmodi neceſſitas non deſumitur primò ex ſubjecto, aut inhæſionis, quod eſt anima, quia hæc eſt ejuſdem ſpeciei in Chriſto ac in nobis, & in univerſum ſubjectum inhæſionis, ſi quam diverſitatem tribuit, tribuit numericam ſolùm, non ſpecificam; aut denominationis, quod eſt totum ſeu ſuppoſitum, quia hoc in Chriſto afficit gratiam habitualem extrinſecè & moraliter, eam dignificando, non intrinſecè & phyſicè ſpecificando; præter quod cùm humanitas intimiùs unita divino ſuppoſito, ex hoc non contrahat ullam ſpecificam diverſitatem, multo minùs talem aliquam diverſitatem contrahet habitualis gratia.

23. Etiamſi eſſent dabiles gratiæ habituales ſpecie diverſæ.

24. Occurritur rationibus militantibus pro ſpecifica diverſitate gratiæ Chriſti à noſtra.

Non deſumitur ſecundò ex effectu formali, ex eo ſcilicet, quòd habitualis gratia non conſtituat Chriſtum filium adoptivum, adeóque non habeat in ipſo eumdem prorſus effectum formalem, quem habet in cæteris juſtis: enimverò ex ſola ſubjecti incapacitate provenit, quod gratia habitualis Chriſtum non conſtituat filium adoptivum, diverſitas autem effectus formalis proveniens ex incapacitate, aut diverſitate ſubjecti, non infert diverſitatem formæ, ut magis explicuimus *præcitat. §.7. num.74.*

25. Non deſumitur tertiò ex proprietatibus & quaſi paſſionibus conſequentibus, nimirùm ex eo, quod gratia habitualis in Chriſto non ſit ſuo modo emanativa habituum fidei, ſpei, pœnitentiæ, & ſimilium, quorum eſt emanativa in nobis; enimverò hoc non eſt tribuendum defectui gratiæ, ſed conditioni ſubjecti illorum habituum incapacis; undè recurrit, quod mox dicebatur de effectu formali.

Non deſumitur quartò ex aliquo prædicato identificato ſpecialiter cum gratia habituali Chriſti, non cum noſtra; nimirùm ex eo, quod habitualis gratia Chriſti ſibi identificet habitum luminis gloriæ & charitatis; & ſit per ſe ipſam immediatum principium actuum viſionis & amoris ſpeciei diverſæ à noſtris. Enimverò hac ratione gratia habitualis Chriſti non eſſet amplius præcisè & propriè talis, ut attigimus *præcit. §.7. num.71.* Deinde quænam neceſſitas ponendi in Chriſto gratiam, quæ ſibi identificet habitum luminis gloriæ & charitatis potiùs, quàm cæteros omnes ſupernaturales habitus, quorum Chriſtus eſt capax? Tandem valdè gratis, & arbitrariè, ponuntur in Chriſti anima actus viſionis & amoris ſpeciei diverſæ à noſtris.

Non deſumitur quintò ex infinitate gratiæ habitualis Chriſti, quia ſola infinitas eſſentialis mutat ſpeciem; in habituali autem Chriſti gratia, ſi quæ infinitas datur, ſolùm eſt moralis; aut ſi phyſica, ſolùm eſt intenſiva & gradualis, ut ſtatim explico diſcutiendo ſecundam præfixi tituli partem, pro qua.

Adverte circa quantitatem habitualis gratiæ Chriſti pro certo haberi, quòd major ea ſit, quàm in ullo alio juſto, ſivè homine, ſivè Angelo; imò quam in tota aliorum juſtorum collectione fuerit, vel de lege ordinaria eſſe poſſit: Utrùm verò tanta ſit, ut ad intenſionem phyſicè infinitam perveniat, aut ut nec de potentia abſoluta admittat augmentum gratiamvè aliam majorem? res eſt incerta, & plena diſſidij originem ſuam ducentis ex duabus controverſijs in philoſophia ſolemnibus: Prima eſt, utrùm ſit dabile in creatis præſertim quoad intenſionem infinitum actu, quod vocant cathegorematicum? Secunda, Utrùm in intenſione qualitatum detur ſtatus, ſeu maximum quod ſic, adeò ut quælibet qualitas poſſit ad tantam, & eam quidem finitam, intenſionem pervenire; at non ad majorem, nec poſſit v.g. dari calor intenſior eo, qui in igne, aut lux intenſior ea, quæ in Sole. Qui in prima controverſia admittunt poſſibilitatem infiniti cathegorematici ferè omnes docent gratiam Chriſti eſſe phyſicè infinitam, Utrùm deindè poſſit divinitus augeri necne? multum apud iſtos Auctores res pendet ab homogeneitate vel etherogeneitate graduum; ſi enim iſti aſſerantur etherogenei, faciliùs dicitur Chriſti gratiam non poſſe augeri, poſſe verò, ſi homogenei, quia infinitæ intenſioni factæ per gradus etherogeneos ægrè poteſt fieri additio, benè verò eidem factæ per gradus homogeneos, ut obſervat Arriaga *diſp.32. ſec. 3.* Qui in ſecunda controverſia aſtruunt ſtatum qualitatum, ut plurimùm docent gratiam Chriſti, licèt non infinitam, eſſe in ſtatu, ſeu in maximo quod ſic, nec poſſe augeri, aut aliam majorem admittere, quamvis poſſit admittere æqualem, quod eſt illam eſſe ſummam negativè, quamvis non poſitivè. Qui tandem nec poſſibilitatem infiniti cathegorematici, nec ſtatum qualitatum agnoſcunt, ponunt quidem in Chriſto intenſionem gratiæ valdè magnam, & majorem, quàm in cæteris juſtis etiam collectivè acceptis, at nec infinitam, nec negativè ſummam ſeu talem, quæ augeri & excedi de potentia abſoluta non poſſit; contentique deindè ſunt plurimùm commendare ejuſdem gratiæ præcellentiam penes aliquam infinitatem moralem, & ſecundùm quid, de qua infrà.

26.

Quomodò diſſidium circa quantitatem, & magnitudinem gratiæ Chriſti, oriatur ex duplici controverſia philoſophica?

27.

28. Porrò ſtant pro primo dicendi modo & habitualem Chriſti gratiam eſſe in entitate, ac

intenſione,

Digitized by Google

A quibuſnam habitualis gratia Chriſti ſuſtineatur phyſicè infinita.

intenſione, phyſicè infinitam ſuſtinent Major in 3. diſt. 13 q. 3. Almainus ead. diſt. q. 2. concl. 1. Maldonatus in cap. 2. Lucæ verſ. 40. Hurtadus in phyſ. diſput. 13. §. 47. Martinus hic diſput. 23. ſect. 4. Arriaga præcit. ſect. 3. Madrenus quæſt. 5. art. 5 & aliqui alij, tùm Antiqui, tùm Recentiores, quibus favent ex Adverſarijs quicunque negant infinitatem gratiæ Chriſti, addendo ſe ad id duci ex ſola repugnantia infiniti cathegorematici, nec illam ſe negaturos, quoties iſtud non repugnaret, ità ſatis expreſsè Suarez diſp. 22. ſect. 1. §. Quod verò. Lugus diſput. 16. ſect. 6. num. 106. Gonetus diſp. 13. art. 1. num 33. & alij plures, à quibus alienus non eſt Scotus in eo, quod in 3. diſt. 13. q. 4. §. Quantùm ad ſecundam quæſtionem ait In commendando Chriſtum malo excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oportet in alterum incidere.

29. A quibus phyſicè finita, et ſumma negativè, nec admittens poſſibilem majorem.

Stant pro ſecundo dicendi modo, & gratiam Chriſti aſtruunt ſummam negativè, at non infinitam nec ſummam poſitivè Durandus in 1. diſt. 17 quæſt. 9. & in 3. diſt. 13. quæſt. 1. Marſilius in 3. q. 10. art. 1. Scotus in 3. diſt. 13. quæſt. 1. & 2. & quæſt. 4. §. Ad primam quæſtionem: Quia tamen quoad ſtatum, & ſummitatem qualitatum, viget inter Scotiſtas aliquale de ſubtilis Doctoris mente diſſidium, extenditur hoc inter eoſdem in præſenti ad ſummitatem gratiæ Chriſti, quam nonnulli volunt Scotum defendiſſe, non tàm ex majoris probabilitatis, quàm ex pietatis motivo & ex deſiderio commendandi cum aliqua utcunque probabilitate Chriſti excellentiam, putant propterea ſe Ducem ſuum non deſerere ſuſtinendo non ſolùm, quod gratia Chriſti ſit finita, in quo omnes Scotiſtæ conveniunt; ſed etiã tanquam probabilius, quod ſit capax augmenti, & negativè non ſumma, quod cum paucioribus ſuæ Scholæ defendit Maſtrius diſput. 2. quæſt 3 art. 1.

30. Secundum igitur dicendi modum ſimpliciter & abſolutè ſuſtinent præter Durandum, Marſilium, & nonnullos alios antiquos Scotus & major Scotiſtarum pars; Nec multum diſcrepant Bonaventura & Richardus in 1. diſt. 17 quæſt. 4 & in 3. diſt. 13. quæſt. 2. quatenus primo loco docent gratiam & qualitatem quamcunque ſecundum ſe poſſe ſemper creſcere, ex finita tamen capacitate ſubjecti determinari ad tantam intenſionem, adeò ut nec de potentia abſoluta poſſit habere majorem, niſi in ſubjecto capaciore; deinde ſecundo loco de Chriſto aiunt ejus animam ex unione ad Verbum redditam fuiſſe intenſioris gratiæ capaciorem, quàm poſſit eſſe ulla creatura divinæ Perſonæ non unita, & ex hoc capite gratiam Chriſti non admittere poſſibilem aliam majorem, imò nec æqualem in pura creatura, ideò eſſe poſitivè, nedum negativè ſummam.

A quibus ſumma etiã poſitivè, nec admittens poſſibilem in pura creatura æqualem.

31. A quibus non ſolùm non phyſicè infinita, ſed nec etiam negativè ſumma.

Stant pro tertio dicendi modo, & habituali gratiæ Chriſti negant, tùm phyſicam infinitatem, tùm ſummitatem etiam negativam D. Thomas hic quæſt 7. art. 11. & q. 10. art. 4. ad 3. Joannes à S. Thoma diſp. 9. art. 1. & 2. Gonetus diſp. 13. art. 1. & 3. Gabriel à S. Vincentio diſp. 7. dub. 9. & 10. Capreolus in 3. diſt. 13. quæſtio. unic art. 1. Gabriel ead. art. Gregorius in 1. diſt. 17. quæſt. 6. concl. 3. Ocham ead. diſt. quæſt. 8. concl. 1. Suarez hic diſp. 22 ſect. 1. & 2. Vaſquez diſp. 46 & 47. Lugus diſp. 16. ſect. 6. & alij tùm Recentiores plurimi, tùm Nominales communiter, tùm Schola Thomiſtarum paucis exceptis quoad gratiæ ſummitatem, quam in Chriſto affirmant Cajetanus hic q. 7. art. 11. & 12. & Nazarius art. 12. controv unica, in ſuum ſenſum trahentes plura loca S. Doctoris, quæ tamen ab eo ſenſu vindicat, & expreſſioribus locis in oppoſitum adductis contrariam prorsùs eſſe Angelici mentem latè oſtendit Joannes à S. Thom præcit. art. 1.

Sic enunciata opinionum varietate earumque origine ex varijs philoſophiæ principijs, & ſuppoſita, quam in phyſicis tradidimus, tùm non repugnantia infiniti cathegorematici, tùm homogeneitate graduum in intenſione, conſecutio & conſonantia doctrinæ, nos ducit ad aſſerendam habitualem Chriſti gratiam in entitate, ſeu in intenſione, infinitam, at adhùc de potentia abſoluta capacem incrementi ſeu additionis graduum, & patientem alterius gratiæ intenſioris (ſubintellige materialiter & eo modo, quo unum infinitum poteſt eſſe majus alio) poſſibilis in alia natura creata, etiàm non unita divinæ Perſonæ. Nihilominùs quia non repugnantia infiniti cathegorematici graviſſimis eſt obnoxia difficultatibus, & finita intenſio gratiæ Chriſti magno gaudet auctoritatum præſidio, pluraque ſecum affert ſcitu digniſſima, placet ſtatuere quantitatem & magnitudinem gratiæ Chriſti, non ſolùm cohærenter ad noſtra principia philoſophica, ſed etiam juxta hypotheſim oppoſitam, qua permitteretur repugnare quodlibet infinitum cathegorematicum in creatis: Ideò ſit 32.

Aſſert. 2. Suppoſita, quæ mihi aliundè probabilior eſt, non repugnantia infiniti cathegorematici in intenſione, habitualis gratia Chriſti eſt intenſivè, ſeu entitativè, infinita, non eſt tamen ſumma, ne quidem negativè, ſed eſt capax ulterioris augmenti, & patiens alterius gratiæ intenſioris de potentia abſoluta. Ita quoad primam partem Auctores relati præced. num. 28 contra alios multò plures, de quibus numer. 29. 30. & 31. Quoad ſecundam ferè ijdem qui pro prima, & illi inſuper, quos retulimus numero 31. contra Durandum, Marſilium, Scotum, & alios, de quibus numero 29. & 30. 33.

Probatur prima pars. Suppoſita non repugnantia infiniti cathegorematici nihil eſt, quod exigat limitationem, eſt verò aliquid exigens intenſivam, ſeu entitativam, infinitatem habitualis gratiæ Chriſti; ergo verè hæc eſt intenſivè, ſeu entitativè, infinita ſuppoſita infiniti non repugnantia. Probatur antecedens quoad primam partem; ſi quid eſt, quod exigat limitationem maximè finita capacitas animæ Chriſti gratiam recipientis juxtà id, quod ait D. Thomas hic quæſt. 7. art. 11. his verbis Gratia habitualis Chriſti ſecundùm quod eſt quoddam ens, neceſſe eſt, quod ſit ens finitum; eſt enim in anima Chriſti, ſicut in ſubjecto; anima autem Chriſti eſt creatura quædam habens capacitatem finitam; atqui licet hoc verum ſit ſuppoſita infiniti cathegorematici repugnatia,

Suppoſita non repugnantia infiniti gratia Chriſti eſt ſuſtinenda infinita intenſivè.

in qua ſuppoſitione loquitur S. Doctor, ſecùs tamen res ſe habet in ſuppoſitione oppoſita, in qua nos procedimus, & in qua dicendum eſt capacitatem animæ Chriſti, aliam eſſe naturalem, aliam obedientialem; illam commenſurari rei, cujus eſt capacitas, & in re finita eſſe finitam; iſtam commenſurari principio cui res obedit, & in re etiam finita eſſe infinitam, quãdo tale principium eſt infinitum; porrò in propoſito capacitas, quæ in anima Chriſti attenditur in ordine ad gratiam, eſt capacitas obedientialis, & relata ad Deum principium infinitum; ideò &c. Probatur idem antecedens
34. quoad ſecundam partem; illud quod maximè in Chriſto exigit gratiam habitualem eſt gratia unionis, ſeu ſanctitas ſubſtantialis, ad quam gratia habitualis ſe habet, quaſi paſſio ad eſſentiam, & proprietas ad naturam; ſed ſanctitas ſubſtantialis in Chriſto eſt infinita, & eſſentia paſſionem, natura proprietatem exigit, quantùm fieri poteſt, ſibi commenſuratam. eſſentia ſcilicet perfectior perfectiorem, infinita infinitam paſſionem; ergo eſt in Chriſto aliquid, ipſa ſcilicet ſubſtantialis ſanctitas, exigens intenſivam ſeu entitativam infinitatem habitualis gratiæ: Nec debuit Deus talem exigentiam fruſtrare, cum ex una parte nulla occurrat exigentia fortior ad aliquid incompoſſibile cum gratia infinita, & ex alia parte in ordine ad gratiam finitam non ſit aſſignabile aliquid exigens hanc potiùs, quàm illam determinatam intenſionem.

Dices: eodem modo probaretur extenſiva, ſeu entitativa, infinitas habituum virtutum per ſe infuſarum; ſunt enim & ipſi in Chriſto, licet non ita immediatè, proprietates paſſioneſque gratiæ unionis, vel ſaltem ſe habent ipſi ad gratiam habitualem, ſicut ſe habet iſta ad gratiam unionis; ſicut igitur ex infinitate gratiæ unionis infertur infinitas gratiæ habitualis, ita ex infinitate gratiæ habitualis inferretur infinitas habituum, ex hac deinde protenderetur illatio ad infinitatem actuum; ne igitur in nimiam abeatur infinitudinem, & incidatur in difficultates maximas ex viſione, amore, & ſimilibus actibus infinitis pullulantes, ſentiendum eſt ſanctitatem ſubſtantialem, ſicut licet in ſe infinita phyſicè, ſanctificat tamen humanitatem ſolùm infinitè moraliter, ita exigere in habituali gratia infinitatẽ ſolùm moralem explicandam infrà *num.* 41.

35. *Quid de infinitate habituum & actuum gratiam in Chriſto conſequentium.*
Sed contra: facile admitto infinitam intenſionem habituum per ſe infuſorum immediatè gratiam habitualem, mediatè gratiam unionis in Chriſto conſequentium: Quoad actus ex habitibus per ſe infuſis procedentes dico illationem non eſſe extendendam ad actus meritorios, quos Chriſtus eliciebat ut viator, quia in ordine ad iſtos habitibus licèt infinitis poterat Chriſtus uti ſecundùm majorem, minoremvè, intenſionem pro libito, quod maximè verum eſt juxta doctrinam à nobis poſitam *præced. cap.* 5. §. 1. concedo deindè illationis extenſionem ad actus beatificos, quos Chriſtus eliciebat, ut comprehenſor; concedo inter alios infinitum in Chriſto actum viſionis beatæ; nec propterea hæc viſio eſt Dei comprehenſio, eſt enim ut ſupponitur infinita dumtaxat gradualiter & intenſivè; at Dei comprehenſio debet eſſe infinita ſubſtantialiter, indiviſibiliter, & per eſſentiam, ut habetur ex dictis in tract. de Deo Uno *lib.* 2. *cap.* 7. Nihil igitur cogit ad tribuendam habituali gratiæ Chriſti Domini ſolam infinitatem moralem; Neque hanc probat id, quod ultimo loco affertur de ſanctitate ſubſtantiali ſanctificante humanitatem ſolùm infinitè moraliter, verum enim hoc eſt dumtaxat de ſanctificatione proveniente a ſanctitate ſubſtantiali divinæ naturæ, cæterùm ſanctificatio proveniens à ſanctitate ſubſtantiali divinæ perſonalitatis, quæ maximè venit nomine gratiæ unionis, eſt infinita phyſicè ex *cap. præced. num.* 20. & 33.

Probatur ſecunda pars: Habitualis gratia
Chriſti etſi intenſivè, ſeu entitativè, infinita non continet omnes gratiæ gradus; ergo poteſt ei fieri aliqua graduum additio, vel produci in alio ſubjecto gratia continens omnes, quos illa, gradus & præterea aliquos alios; atqui hoc eſt gratiam habitualem Chriſti non eſſe ſummam nequidem negativè, ſed eſſe capacem ulterioris augmenti &c. ergo gratia habitualis Chriſti etſi infinita &c. conſequentia & ſubſumptum patent, ſuppoſitâ homogeneitate graduum, ſecundùm quam cujuſlibet ad quemlibet gradum additio facit intenſionem, antecedens probatur, quia ex una parte infinitum in aliquo genere non eſt (ut malè aliqui excogitant) illud, cui in tali genere nihil deeſt, ſeu extra quod nihil eſt, ſed illud, in quo ſucceſſivè procedendo ſemper eſt aliquid adinvenire, ſeu cujus ſemper eſt extra aliquid accipere; ex alia parte, ſi gratia Chriſti omnes, (ſubintellige in ſua ſpecie) gratiæ gradus contineret, non eſſet dabilis extra Chriſtum gradus aliquis gratiæ habitualis, niſi aut in diverſa ſpecie, aut per replicationem eorumdem numero graduum exiſtentium in Chriſto, quod utrumque duriſſimum eſt, & per nos ſimpliciter falſum *ex præceden. num.* 7. & 12. 36.

Gratia Chriſti etſi infinita eſt de potentia abſoluta capax augmenti, & patiens gratiæ intenſioris.

Dices: Sanctitas ſubſtantialis non ſolùm ſanctificat infinitè humanitatem Chriſti, ſed etiam taliter ut non poſſit dari per participationem & ad extra ſanctificatio major; ergo ſimiliter exigit gratiam habitualem non ſolùm infinitam, ſed etiam talem, ut nec poſſit ipſa augeri, nec ſit dabilis alia intenſior & major; ſi enim ex eo, quod ſit infinita, exigit gratiam habitualem infinitam, cur ſimiliter ex eo, quod non admittat majorem, non exiget gratiam habitualem, quæ in ſuo genere majorem
non admittat? Sed contra: ſanctitas ſubſtan- 37.
tialis eo ipſo, quod ſubſtantialis eſt, conſiſtit in indiviſibili nec eſt capax intenſionis, ideò quoad majorem minoremvè intenſionem non rectè ab illa arguitur ad gratiam habitualem; Deindè ut ſuppono *ex cap. præced. num.* 49. ſanctificatio in humanitatem derivata à ſanctitate ſubſtantiali admittit ſuo modo ſanctificationem ſecundùm quid. & materialiter majorem; gratiam autem habitualem quam aſſerimus dari poſſe majorem. & intenſiorem gratia Chriſti, non eſſet talis niſi materialiter & ſecundùm quid; ſolùm enim materialiter & ſecundùm

ſecundùm quid unum infinitum poteſt eſſe majus alio. Tandem ut in ſequentis aſſerti progreſſu inſinuabitur repugnat fortè qualitas, maximè verò gratia habitualis perveniens ad ſtatum, in quo ſit eſſentialiter augmenti incapax, aut ulterioris intenſionis impatiens; ſpecialis igitur repugnantia gratiæ incapacis augmenti potiùs, quàm gratiæ infinitæ, radicitùs evertit præſentem inſtantiam.

38. Aſſert. 3. Datâ repugnantiâ infiniti cathegorematici, habitualis gratia Chriſti phyſicè & abſolutè non eſt infinita, nec eſſentialiter ſumma, accepta tamen moraliter & relativè, aliquam habet, tùm infinitatem, tum ſummitatem. Hoc aſſertum quoad ly *nec eſſentialiter ſumma* eſt contra Auctores præmemoratos *num.* 29. quoad reliqua recipitur communiſſime, quamvis cum aliqua diverſitate in modo explicandi infinitatem ſummitatemque moralem & relativam.

Probatur prima pars, & quidem quòd habitualis gratia Chriſti phyſicè & abſolutè infinita non ſit data infiniti repugnantia clarius eſt, quàm ut indigeat probatione; idem enim ſonat, ac ſi dicatur infinita non eſt ex ſuppoſitione, quòd infinita eſſe non poſſit; Quod verò neque ſit eſſentialiter ſumma, id eſt talis, ut etiam de potentia abſoluta nequeat phyſice augeri, & major intenſior, fieri ſupponi poſſet ex falſitate principij, quo nituntur Adverſarij ſtatuentes qualitatibus omnibus ſtatum, ſeu intenſionis terminum, ad quem cum pervenerint habeant omnimodam intenſionis ulterioris repugnantiam; non erit tamen abs re hoc in gratia ſingillatim oſtendere & ſimul probare intentum noſtrum ſic Eſt de conceptu habitualis gratiæ poſſe ſemper augeri, & magis ac magis intendi in infinitum abſque eo, quòd umquàm perveniat ad ſtatum, in quo ſit eſſentialiter ſumma; ergo verè in Chriſto eſſentialiter ſumma non eſt; antecedens probatur, habitualis gratia vel attenditur ex parte ſubjecti, & ſic reſpicit potentiam ejus obedientialem, quæ poteſt ſemper ulteriùs & ulteriùs recipere ſine termino; vel attenditur ex parte principij, & ſic habet pro efficiente principali ſolum Deum, cujus virtus poteſt in infinitum operari; vel attenditur ex parte ſui ipſius formaliter, & ſic eſt participatio divinæ naturæ, quæ utpotè infinita, & infinitè participabilis, poteſt ſemper magis ac magis participari; ergo quomodocumque gratia attendatur, de conceptu ipſius eſt poſſe ſemper augeri: & confirmatur hoc ſpecialiter de gratia conſiderata ex parte ſui, ſeu ex natura ſua, Gratia habitualis ex natura ſua eſt principium meriti conducentis ad ipſius augmentum; ergo ex natura ſua ſemper poteſt augeri, alioqui eſſet tunc principium meriti conducentis ad præmium impoſſibile. Confirmatur argumento alijs qualitatibus communi, Supponatur in aliquo ſubjecto habitualis gratia (vel alia qualitas) cum ea intenſione, quam Adverſarij vocant ſummitatem, ſtatum, & terminum, certè ſunt dabiles & in illo eodem ſubjecto poſſibiles alij ejuſdem gratiæ gradus; cur ergo cum priore intenſione non facient gratiam magis

40. intenſam? Si dicas, quia illa prior intenſio eſt ſumma, purè petis principium: Si addas illam priorem intenſionem eſſe ſummam, quia commune eſt omnibus qualitatibus habere aliquem ſuæ intenſionis terminum, eo quod ſint eſſentialiter commenſuratæ formis ſubſtantialibus, ad quas vel introducendas diſponunt, vel conſervandas conducunt; formæ autem ſubſtantiales, utpotè finitæ nequeunt habere commenſurationem cum qualitatibus in quacunque majore & majore intenſione, & calor v.g. qui ſupponatur intenſior calore ignis non ad formæ ignis conſervationem, ſed ad deſtructionem, & novæ diverſæ formæ introductionem conduceret. Impugnaberis, quia hæc ratio ſi aliquam vim haberet in cæteris qualitatibus, deficeret certè in gratia habituali quæ quatenus reperitur in Chriſto datur ad exigentiam formæ, ſeu quaſi formæ infinitæ, quatenùs reperitur in nobis eſt ſui, id eſt ſupernaturalis, ordinis prima & tanquam ſubſtantialis forma; verum illa ratio neque in cæteris qualitatibus habet ſufficientem vim, & aliud eſt de iſtis loqui, ut ſunt diſpoſitiones ad formam aliquam introducendam aut conſervandam, aliud loqui de iiſdem ſecundùm ſe, & ut ſunt effectus omnipotentiæ Dei receptibiles in capacitate creata obedientiali; ſolùm primo, non ſecundo modo, vim aliquam habet, ſi quam habet, ratio adducta; ideò &c.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Habitualis gratia conſiderari poteſt non ſolùm ſecundùm ſuam entitatem abſolutam, & intenſionem phyſicam; ſed inſuper, vel ſecundùm dignitatem in ſe derivatam à divino ſuppoſito, cui conjungitur; vel ſecundùm relationem ad finem & ad effectus; ad quem & ad quos ordinatur: Utraque hæc conſideratio dici poteſt ſpectare ad gratiam ſumptam in eſſe gratiæ, & contradiſtinctam à ſe ipſa ſumpta in eſſe qualitatis, ut Thomiſtæ loquuntur, & diverſi diverſimode explicant, aliqui etiam acriter impugnant, non niſi tamen cum quæſtione de nomine; quam ut effugerem, malui uti terminis illis moraliter & relativè; Prima igitur conſideratio ſpectat ad gratiam acceptam moraliter propter moralem dignificationem, quam habet à divino ſuppoſito, & quia infinitum eſt ac ſummum, nec eſt dabile aliud majus, aut quod habituali gratiæ magis conjungatur, conſequens eſt gratiam ſic moraliter acceptam habere aliquam, tùm infinitatem, tum ſummitatem. Secunda conſideratio ſpectat ad gratiam acceptam relativè, & quia, tum finis, tum effectus, ad quem & ad quos refertur, continent infinitum quid & ſummum, transferunt quodammodo infinitatem aliquam, & ſummitatem, in ipſam gratiam relativè acceptam: Porrò continet ſummum aliquid & infinitum finis, quia hic reſpectu gratiæ Chriſti eſſe poteſt, aut perſonalis unio creaturæ rationalis cum Deo, aut condigna ſatisfactio pro lethali & humani generis redemptio; & iſtud utrumque infinitum eſt ac ſummum, illod in genere unionis, hoc in genere ſatisfactionis & redemptionis. Continent etiam ſummum aliquid & infinitum effectus, quia in homines quoſcumque, non in tot quin in plures, etiam in infinitos, ſi daretur poteſt,

41. (margin, beside "Probatur & explicatur ſecunda pars")

Talis pariter dicenda eſt ex ſuppoſitione, quod ſit finita.

39. Imò gratiæ, & cuilibet qualitati, repugnat terminus, ultra quem divinitùs nequeat augeri.

Gratia habitualis in eſſe gratiæ & in eſſe qualitatis quid,

Gratia habitualis ex ſuppoſitione quod ſit phyſicè finita: quomodò ſit in aliquo alio ſenſu infinita.

poteſt influere & effectus ſuos extendere habitualis gratia Chriſti, utpotè in ipſo exiſtens, tanquam in capite & univerſali principio, proprium autem eſt virtutis in capite & in univerſali principio exiſtentis influere effectum aliquem in omnia membra, & in omnia inferiora particularia, nec in ullo iſtorum admittere virtutem ejuſdem rationis ſibi æqualem de lege ordinaria, ut exemplificari poteſt in luce ſolis, in calore ignis; unde etiam quia quod ad infinita extenditur, & ab alio non exceditur, ſecundum vulgarem æſtimationem cenſetur habere quandam illimitationem & infinitatem, non erit abs re, ſi (quod inſinuat S. Doctor *quæſt. 7. art. 11. in cor.*) dicatur eſſe aliquo modo infinitam lucem ſolis, aliquo modo infinitum calorem ignis.

43. Ex dictis habetur plenitudinem gratiæ in Chriſto commendatam Joan. 1. *vidimus eum, quaſi unigenitum a Patre, plenum gratia.* & Epheſ. 4 *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, habetur, inquam, talem plenitudinem eſſe intenſivam ſimul & extenſivam, moralem & phyſicam, ex parte ſubjecti & ex parte formæ, & licet ex Scriptura gratiæ plenitudo tribuatur quoque B. Virgini, cui *Luc.* 1. dictum eſt *Ave gratia plena*, item D. Stephano qui *Act. 7.* appellatur *Plenus gratia & fortitudine*, imò poſſit omnibus juſtis cõmunicari juxtà Apoſtolum *Epheſ.* 3. ubi eam omnibus fidelibus, ad quos ſcribit, exoptat verbis illis *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, Nihilominùs in ſolo Chriſto eſt plenitudo ſimpliciter dicta, omnibus modis mox enumeratis; in reliquis eſt duntaxat phyſica, & intenſiva, intenſione ſe tenente ex parte ſubjecti, aut etiam comparatione divinæ præordinationis, ut perſpicuum eſſe poteſt conſideranti terminos, ſimulque recolenti quidquid hucuſque diximus de quantitate & magnitudine gratiæ Chriſti; item conſulenti S. Doctorem *præ. it. quæſt.* 7. *art.* 10. ex cujus doctrina rectè diſtinguitur triplex gratiæ plenitudo; alia infima communis omnibus ſanctis, alia media propria Sanctorum inſigniorum, alia ſumma propriiſſima Chriſti Domini.

Quomodò item in eadem ſuppoſitione habeat in Chriſto ſpecialiſſimam plenitudinem.

44. Porrò plenitudo gratiæ ſumma, & Chriſti propriiſſima, facilius adhuc intelligitur juxta doctrinam, qua *præced. num.* 33. aſſeruimus phyſicam ejus infinitatem in entitate & in intenſione: Hac quippe ratione etiam ſecundum primam, & ſuperficialem, ut ita dicam, gratiæ inſpectionem rudiori cuique intelligentiæ obvium eſt, quod maxima ſit in Chriſto ejus plenitudo, præſertim ſi juxtà vulgarem, uſitatioremque hominum ſenſum, plenitudinis nomine nihil aliud veniat, quàm magna abundantia, ut obſervat Arriaga *diſp. 32. ſect. 5.* Placuit nihilominus hujuſmodi plenitudinem explicare independenter ab entitativa infinitate, tum ut proſequeter hypotheſim in tertio aſſerto datam, tum maximè quia in Chriſto gratiam habitualem eſſe plenam certius eſt, quàm eſſe entitativè infinitam. Hac eadem de cauſa ſi quæratur cur de lege ordinaria nemo poſſit ad intenſionem gratiæ Chriſti pervenire, quamvis facillimè à nobis reſpondeatur ſi recurrere velimus ad infinitam intenſionem; expedit tamen etiam independenter ab iſta reſpondere aſſignando pro ratione menſuram auxiliorum actualium, quæ Deus ita diſtribuerit, ut quilibet juſtus, totaque juſtorum collectio poſſit ſemper pro ſtatu viæ in gratia creſcere abſque eo, quòd unquam perveniat ad eam, licèt finitam, gratiæ intenſionem, quam habuit Chriſtus; quod eſt dari, ut dici ſolet, in omnibus juſtis extrinſecum, non intrinſecum terminum augmenti gratiæ.

Quomodò eandem in eadem ſuppoſitione nemo poſſit de lege ordinaria pervenire ad ejus intenſionem.

---

§. III.

An & quomodo dentur in Chriſto habitus virtutum, ſivè Theologicarum, ſivè Moralium, etiam per ſe aquiſibilium, & ordinis naturalis?

ASSERT. 1. Verè dantur in Chriſto omnes habitus virtutum per ſe infuſarum, ſivè Theologicarum, ſive Moralium, non incompoſſibilium ex natura ſua cum ſtatu beatifico: Hoc aſſertum ſaltem quoad virtutes Theologicas, & abſtrahendo ab eo, quod hæc, vel illa virtus particularis ſit cum ſtatu beatifico incompoſſibilis, cenſeri debet ejuſdem, aut ferè ejuſdem, certitudinis cum eo, quod initio capitis poſitum eſt circa habitum gratiæ; unde etiam contrà præſens aſſertum non alios invenio Adverſarios referri præter eos, quos ibi *num.* 2. ex Paludano memoravimus, & quibus forte favet Valentia *quæſt. 7. punct.* 3. §. *Quod ad primum*, quatenùs fatetur quidem eorum opinionem communiter falſam putari & meritò; & addit eam non eſſe inintelligibilem. 45.

Dantur in Chriſto omnes habitus virtutum per ſe infuſarum.

Probatur, quia ex una parte omnes habitus per ſe infuſi, ſeu virtutum per ſe infuſarum, ſunt aliqua accidentalis ſanctitas, & ſe habent ad ſanctificandas potentias, ut ſe habet habitus gratiæ ad ſanctificandam ſubſtantiam animæ ſeu naturæ intellectualis; undè & Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* juſtificationem, ſanctificationemque explicat per ſuſceptionem gratiæ & donorum, donorum autem nomine cenſendæ ſunt primo loco venire virtutes per ſe infuſæ: ex alia parte *præced.* §. 1. potiſſimam neceſſitatem ponendi gratiam habitualem in Chriſto refudimus in connaturalem modum eliciendi actus ſupernaturales dependenter ab habitibus virtutum per ſe infuſarum; poſt ſtabilitum igitur in Chriſto gratiæ habitum ad accidentalem ſanctificationem, & ad connaturalem modum eliciendi ſupernaturales actus non eſt ampliùs ambigendum de ſtatuendis in eodem per ſe infuſis virtutum habitibus; & Verbum potentiis animæ unitum reddit quidem illas radicaliter, & remotè, at non formaliter & proximè proportionatas ac benè diſpoſitas ad ſupernaturaliter operandum: Nec expedit ulteriorem hic probationem urgere, cum hanc facillimè quiſque poſſit multipliciter efformare partim ex dictis, partim ex dicendis.

Probatur aſſertum ſingillatim quoad po- 46.

ſtremas

Exceptis incompoſſibilibus cum ſtatu beatifico.

ſtremas illas particulas *Non incompoſſibilium ex natura ſua cum ſtatu beatifico*, cum enim Chriſtus Dominus ab initio conceptionis fuerit Comprehenſor & beatus, utique non habuit aliquid cum beatifico Comptebenſoris ſtatu incompoſſibile, non ſolùm incompoſſibilitate omnimoda, & relatè ad potentiam abſolutam; ſed nec incompoſſibilitate, ut ita dicam, naturali & relatè ad potentiam ordinariam, hinc licet ſolùm hoc poſteriore modo ſit incompoſſibilis cum ſtatu beatifico fides, adhuc tamen ſicut non admittitur in cæteris Beatis, ita admittēda non eſt in Chriſto; pro quo non militat neceſſitas ulla ſpecialis miraculi requiſiti ad conjungendum actum fidei cum actu viſionis, aut lumen fidei cum lumine gloriæ. Excluſâ à Chriſto theologicâ fide ſolet & excludi theologica ſpes, nec diſſentio, ſi ſermo ſit de ſpei habitu ſub ſua propria & rigoroſa denominatione; quis tamen ſuo loco docebamus habitum illum theologicum, qui denominatur ſpes, reperiri de facto in beatis quoad ſubſtantiam, quamvis non ſub ſpei denominatione, nequit talis habitus ſimpliciter recenſeri inter incompoſſibiles cum ſtatu beatifico, nec debet excludi à Chriſto eo modo, quo fides: Ideo ex virtutibus Theologicis ſimpliciter datur in Chriſto habitus charitatis; ſimpliciter non datur habitus fidei, medio modo ſe habet, & datur quoad ſubſtantiam, non datur quoad denominationem habitus ſpei, pro quo transferenda huc ſnnt quæ dicebamus in tract. de Virtut. Theolog. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 36. *& ſeqq.*

Vt ſunt ex theologicis habitus fidei.

Et ſub propria denominatione, non quoad ſubſtantiam, habitus ſpei.

47. Ex virtutibus moralibus communiter excluditur habitus pœnitentiæ, quia Chriſtus ratione beatitudinis, in qua extitit à primo conceptionis inſtanti, multóque magis ratione unionis hypoſtaticæ nunquam habuit, aut habere potuit proprium peccatum, ratione cujus fuerit objectum divinæ indignationis, debitumque ſatisfaciendi contraxerit; & tamē pœnitentiæ virtus verſatur circa deteſtationem peccati proprij ex motivo reddendi Deū de indignato placatum, vel ei ſatisfaciendi. Hoc non obſtante conſiderant aliqui in pœnitentiæ virtute plures alios actus, præſertim circa peccata aliena, & ex boc capite tribuunt Chriſto pœnitentiæ habitum quoad ſubſtantiam, quamvis non ſub propria pœnitentiæ denominatione, ut mox dicebatur de ſpe: Ita inter alios Arriaga *diſp.* 33. *ſec.* 2. *num.* 8. & Suarez *diſp.* 19. *ſec.* 1. §. *& hac ſententia* pro ſe referens Marſilium, & Alenſem. At non eſt operæ pretium rem hanc in præſenti funditus expendere, pendet ènim à diverſo modo aſſignandi formalem rationem virtutis pœnitentiæ, & primarios ejus actus, quod non eſt præſentis inſtituti, eademque de cauſa quia præſens inſtitutum non poſtulat exponere præcipuos actus, rationes formales, & proprias conditiones ſingularum virtutum moralium, non expedit diſcurrere per aliquas alias, de quibus dubium eſſe poteſt negarine Chriſto debeant, an non; quod eſt idem ac dicere importent ne, an non? aliquid *ſtatui beatifico* vel unioni hypoſtaticæ repugnans. His igitur miſſis unum duntaxat, vel alterum ad pleniorem præjacti aſſerti notitiam moneo.

Ex moralibus habitus pœnitentiæ ſaltem ſumptus ſub propria denominatione.

48. Primum ſit maximam certitudinem virtutum Cbtiſto per ſe infuſarum reduci ad habitum charitatis; nam quoad virtutes theologicas fides à Chriſto excluditur, de ſpe controvertitur: Quoad virtutes morales non eſt certum pro ipſis dari habitus in ſubſtantia ſupernaturales, qui petant per ſe infundi ſimul cum gratia; & quamvis minùs communiter recipiatur, nulli tamen cenſuræ jure ſubditur opinio id negans, ut attigi in tractat. de Virtut. Theolog. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 76. & ideò dum ſuperius aſſertum collocavi in eodem, aut fere eodem, certitudinis gradu, quo aſſertum antecedenter poſitum de habitu gratiæ, conſultò interpoſui particulas illas *ſaltem quoad virtutes theologicas.*

Certitudo virtutum Chriſto per ſe infuſarum reducitur ad habitum charitatis theologicæ.

Secundum ſit virtutes Chriſto per ſe infuſas, ſive theologicas, ſive morales, utpotè quæ in Chriſto, ſicut in nobis, gratiam habitualem immediatè conſequuntur, eique ſuo modo commenſurantur, habere eandem cum noſtris virtutibus proportionem, quam habet cum noſtra gratia gratia Chriſti; ſicut igitur ex dictis gratia Chriſti eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtra, eſt verò infinitè major in perfectione intēſiva, ita quilibet ſupernaturalis habitus virtutis per ſe infuſæ & Chriſto & nobis eſt unus in ſpecie, at in Chriſto eſt infinitus intenſivè, in nobis finitus ut jam attigimus *n.* 35.

49. Non eadem tamen quoad hoc ſecundum eſt ratio de habitibus naturalibus, ſive aquiſitis, ſive infuſis per accidens; iſti enim ſe accommodant conditioni naturæ, non gratiæ, & licet, præſertim ſi Chriſto fuerunt ab initio infuſi, proveniant aliqualiter à gratia unionis, adhuc dantur proximè ad exigentiam & perfectionem naturalem humanitatis, & recipiuntur in ea ſecundùm naturalem capacitatem; ideò etiam in Chriſto habent finitam entitatem, ſicuti finitæ entitatis eſt ipſa Chriſti humanitas, & humanitatis innata capacitas.

Etiamſi habitus ſupernaturales concedantur in Chriſto phyſicè infiniti; non idem ſentiendum eſt de habitibus naturalibus.

Opportunè mox occurrerunt habitus naturales virtutum moralium, nam & de iſtis quærendum eſt, an & quomodò in Chriſto extiterint? cum præſertim nonnulli, inter quos Lorca *diſp.* 38 *num.* 22. omnes prorsùs virtutes morales naturalis ordinis à Chriſto removeant arbitrari eorum actus viliores eſſe, quàm ut Chriſtum deceant: nihilominùs ſupponendo, ut verè ſupponendum eſt, quod ad veritatem perfectionemque propriam naturæ humanæ Chriſti pertineat elicere aliquos naturales voluntatis actus, numquid iſti eſſe non poterunt virtuoſi, aut ſi virtuoſi & moraliter boni ſint, erunt viliores, quàm ſi neceſſarij vel indifferentes? Nunquid omnis minor perfectio cenſenda eſt degenerare in vilitatem? nequaquam certe, hocque in primis, quando illa ſecum admittit conſortium perfectionis majoris, ſicuti conſortium virtutum moralium ſupernaturalium admittunt virtutes morales naturales; iſtæ igitur omninò concedendæ ſunt Chriſto, & reducitur quæſtio ad modum, quo ei advenerint, utrùm decurſu temporis per ſuc-

ceſſivam aquiſitinnem,an in cnnceptionis in-
50. ſtanti per ſimultaueam infuſionem? Qun in punčto cuhærenter ad ſua principia ſtant prn ſucceſſiva aquiſitione Amicus *diſp.* 21. *nu.*40. Lugus *diſp.*16.*num.*119. & *diſp.*21. *num.*15. & quicunque alij virtutes morales voluntatis putant eſſe ipſaſmet ſpecies memnrativas,ſeu expetimentales benè diſpoſitas, & coordinatas; item quoad moralem prudentiam Vaſquez *diſp.*42.*cap.*2.dncens illam non reperiri ſine ſcientia per ſe aquiſita, adeoque non potuiſſe ab initin per accidens infundi, ſi iſta tūc per accidens infuſa non fuit, ut verè non fuit infuſa per Vaſqoium, imò & per alios Schnlaſticos magis communiter,ad quos nos quoque acceſſimus *præced.c.*4.§.2. Stant præterèa univerſaliter pro eadem ſucceſſiva aquiſitione,ſed ex diverſo fundamento,& admiſſa virtutum moralium à ſpeciebus coordinatis diſtinčtione Cipull.*hic quæſt.*7.*art.*2.*dub.*3. Cabrera *art.* 2. *diſp.* 2. Nazarius *controv.* 1. *concl.* 1.& aliqui alij, tum ex Thomiſtis, tum ex Recentioribus. Nihilominus ſit

51. Aſſert.2.Dantur in Chriſtn habitus virtutum moralium naturalium per ſe aquiſibiliū, qui ſuppoſita ipſurum diſtinčtione à ſpeciebus coordinatis, meliùs ponuntur infuſi per accidens omnes ſimul ab initin,quàm comparati ſucceſſivè per actus prnprios.Ita Medina *hic q.*7.*art.*2.Alvarez *diſp.*32. Joan.à S.Thp. *diſp.*8.*art.*3.Gonet.*diſp.*12.*art.*4.Suar.*diſp.*19. *ſect.*2.Arriag.*diſp.*33.*n.*14.Madern *q.*5.*art.*6.& major cæterorum, ſive Thomiſtarum, ſive Recentiorum, pars cnntrà Auctores ultimn loco relatos *præced.n.*50.& quoad infuſionem prudentiæ contrà Vaſq.nam reliqui memorati antecedenter nobis directè non adverſantur; imò multùm propendeo in ipſorum doctrinam de indiſtinctione moralium habituū à ſpeciebus, placet tamen pro nunc loqui in oppoſita hypotheſi,quia ubi locus nnn eſt aliquid ex profeſſo definiendi,expedit ſupponere quod eſt in ſcholis receptius.

Dantur in Chriſto infuſi per accidens habitus virtutum moralium per ſe aquiſibilium.

Probatur aſſertum,& quidem quod dentur in Chriſtn habitus virtutum moralium naturalium, in quo unanimis eſt contrà Lorcam Theologorum conſenſus,patet partim ex jam præmiſſis, partim à fortiori ex eo,quod mox probandum eſt habitus illns debuiſſe ab initio infundi ſuppoſita ipſorū diſtinctione,&c. quod ſic probo. Illud quod ſpectat ad perfectiooem moralem,& congruè potuit Chriſtn infundi ab initio,melius cenſetur infuſum ab initio, quàm comparatum ſucceſſivè; atqui habitns virtutum moralium naturalium ſpectant ad perfectionem moralem, & ſuppoſita ipſorum diſtinctinne à ſpeciebus congruè potuerunt Chriſto infundi ab initio; ergo tales habitns ſuppnſita ipſorum diſtinctione à ſpeciebus meliùs ponuntur infuſi. &c. Major patet,quia ſaltem in moralibus debuit Chriſtus habere omnem ſuam perfectiunem ab initio, nam omnis hæc perfectio ſpectat ad excellentiam ſanctitatis, & ad prærogativam capitis moralis,qua utraque fuit Chriſtus ab initio eximiè inſignitus. Minor quoad primam partem evincitur ex ipſo nomine virtutum moralium, quoad ſecundā probatur,quia ſuppoſita talium virtutum diſtinctione à ſpeciebus jam ex unn facta ab initio infuſione

52. ſpecierum ſeu ſcientiarum per ſe aquiſibilium non neceſſariò infertur non facta infuſio moralium virtutum;& aliundè hoc ipſum ponſe moralis virtutis, & major neceſſitas ponendi Chriſtum ab initio perfectum in ſtatu morali, quam in ſtatu phyſicn,eſt non leve argumentum pro ſimultaneâ infuſione omnium naturalium virtutum potiùs, quam omnium naturalium ſcientiarum; & rnboratur argumentum ex eo, quod ſine infuſione virtutum per ſe aquiſibilium Chriſtus non fuiſſet in ordine naturali ab initio bonus ſimpliciter, & per diſpnſitionem ſeu affectionem intrinſecam; ſine infuſione autem ſcientiarum per ſe aquiſibilium adhuc ab initio fuit ſciens ſimpliciter etiam in ordine naturali ex vi naturalis ſcientiæ per ſe infuſæ, de qua ſuprà *c.*4.§ 1.Tandem infuſio virtutum per ſe aquiſibilium non reddit inanem & otioſam virtutem ullam humanæ vnluntatis,in hac enim vis aquiſitiva moralium virtutum non eſt diverſa ab ea, qua elicit actus virtuoſos, ſicuti tamen infuſio ſcientiarum per ſe aquiſibilium reddidiſſet inanem & otinſam virtutem intellectus agentis, cujus vis aquiſitiva ſeu abſtractiva ſpecierum eſt diverſa ab ea, qua elicit actus ſcientificos, ut attigimus *præcit. cap.*4.*num.*21.

Multiplex diſparitas inter prædictos habitus & illos per ſe aquiſibilium ſcientiarum.

53. Tota hæc probatio benè expenſa non ſolùm ſuadet aſſertam virtutum moralium,infuſionem, ſed ſimul ſuppeditat omnium ferè adverſarum difficultatum ſolutionem,& ſingillatim continet rationem multiplicem ob quam ſine inconſequentia negatis per accidens infuſis ſcientijs aſſirmantur per accidens infuſæ virtutes;ob quam item convenientius Chriſto fuit habere illas ab intrinſeco & per propriam aquiſitionem, quamvis ſucceſſivè; iſtas ex oppoſito convenientius eidem fuit habere ſimultanèe, quamvis ab extrinſeco & per divinam infuſionem.

Dices: nonne erit adhuc convenientius, quòd Chriſtus habuerit morales virtutes ſimultaneè in inſtanti cnnceptionis & ab intrinſeco per proprios actus, ſi poſſit hoc utrumque cnnjungi; atqui utrumque verè conjungi poteſt reſpectu moralium virtutum, quamvis non reſpectu naturalium ſcientiarum; ergo dicendum eſt Chriſtum habuiſſe quidem omnes morales virtutes ab initio, at per ſe ex tunc aquiſitas proprijs actibus, non infuſas à Deo per accidens, ut fuit nnnnullorum opinio: Minor probatur, quia licet Chriſtus Dominus in Conceptionis inſtanti non habuerit expedita organa ſenſuum, & præſentia objecta ſenſibilia, ut requirebatur ad eliciendns actus, quibus ſcientias per ſe aquiſibiles compararet; habuit tamen expeditam voluntatem prn eliciendis actibus virtutum moralium: Deindè vel iſtos actus potuit Chriſtus exercere in conceptionis inſtanti,vel non;ſi potuit debuit,ut habitus perfectiore, & connaturaliore modo reciperet:ſi non potuit,neque debuit pro eo inſtanti recipere habitus, utpotè qui fuiſſent pro tunc fruſtranei & otioſi,

eo

eò quòd non deducibiles ad actum ſecundum. Sed contra: Exercitium virtutum per ſe aquiſibilium, ut explicat Gonetus *præcit. diſput* 11.*n*.91. ſupponit exercitium per ſe aquiſibilium ſcientiarum; ideò Chriſti voluntas, quamvis non defectu ſui, defectu cognitionis ex parte intellectus prærequiſitæ, non potuit in inſtanti conceptionis exercere proprios virtutum moralium actus modo ordinario connaturali animæ conjunctæ; potuit quidem fortè dependenter à ſcientia naturali per ſe infuſa habere earumdem virtutum exercitium aliquod, at iſtud nec potuit ſine miraculo eſſe ſimul exercitium virtutum omnium, nec eſt aliud quo ſolent à nobis morales virtutes comparari; ne igitur iſtæ ponantur in Chriſto ab initio partim infuſæ, partim aquiſitæ, præſertim dependenter ab exercitio diverſo ab eo, quo aquiruntur à nobis, ſentiendum prorſùs eſt eas fuiſſe omnes ſimul infuſas: Nec timenda eſt aliqua habituum ſic infuſorum ſuperfluitas, quia iſti etiam independenter ab actibus debebantur Chriſto ab initio, tanquã neceſſarij ad ſtatum perfectionis moralis & ſanctitatis in ordine naturali. Deindè ſuppoſitâ infuſione veriſimile eſt potuiſſe tales habitus illicò deduci ad aliquem actum ſecundum, potuiſſe ſc. Chriſtum illicò quolibet illorum pro libito uti ſecundùm modũ operandi animæ ſeparatæ, quamvis non ſecundùm modum operandi animæ cõjunctæ, ut mox dicebatur.

Ad quid dentur, & qualiter exercitium habeant in Chriſto habitus virtutum moralium per ſe aquiſibiliũ.

55. Dices aliter pro omnimoda virtutum moralium à Chriſto excluſione: Sicut ex ſupernaturalibus, ita ex naturalibus virtutibus, non ſunt ponendæ in Chriſto illæ, quæ excluduntur à beatis tanquam incompoſſibiles cum ſtatu beatifico; atqui à beatis ſic excluduntur omnes prorsùs virtutes naturales aquiſitæ, ſeu per ſe aquiſibiles; nam D. Thom. *in* 3. *diſt*. 33. *q*. 1. *art*. 4. expreſsè docet remanere in patria virtutes morales infuſas dumtaxat, non aquiſitas, & inſtauratur inſtantia ex eo, quod ratio qua ibi utitur S. Doctor dicens *quod virtutes aquiſitæ dirigunt in vita civili, & habent bonum civile pro fine, & quòd hæc civilitas non remanebit in Patria*, egregiè militat in Chriſto Domino, qui cum ſit ſpiritualis ac ſupernaturalis vitæ Caput, cæleſtiſque patriæ, non terrenæ Civitatis Concivis, imò Princeps, debet non admittere civilitatem in patria non remanentem, & ex ſupernaturali & cæleſti, non ex naturali & civili motivo operari; & hoc eſt quod ex Lorca ſupra referebamus virtutum moralium aquiſitarum actus viliores eſſe, quàm ut Chriſtum deceant: Poſſunt ex alio quoque capite viliores cenſeri, nimirùm ex eo quòd dentur ad frænandas paſſiones, & moderandos animi affectus; ad nimiam autem vilitatem beatos, & multò magis Chriſtum deprimeret quiſquis in eo ſuſpicaretur paſſiones fræno, affectus moderatione indigentes. Sed

56. contrà. S Doctor 1.2. *q*.67. *art*.1. examinans durationem virtutum moralium poſt hanc vitam, & præcipuè expendens illas, quæ etiam Philoſophis innotuerunt, quod eſt idem ac dicere, quæ naturales & per ſe aquiſibiles ſunt, concludit durare ſecundùm formale, quod important, ſeu ſecundùm id, quod eſt rationis; quamvis non ſecundùm materiale, ſeu ſecundùm id, quod in vita præſenti habent ex parte materiæ, circa quam verſantur; præcitata igitur *diſt*. 33. vel explicandus eſt juxta ſenſum, quem ipſemet poſtea expreſſit 1.2. vel cenſendus eſt poſteriore loco retractaſſe quod priore docuerat: Porrò quod paſſiones ſint frænandæ, & affectus moderandi, materiale pariter eſt non formale in virtutibus moralibus, ideò quærendum non eſt tanquam neceſſarium ad ipſarum, aut permanentiam aut infuſionem; & pro majori hujus doctrinæ intelligentia ſufficit recolere ipſum S Doctorem partim *præcit. art*. 1. par-

Quomodò virtutes morales naturales, & aquiſitæ, permaneant in Beatis.

tim *hic quæſt*. 7. *art*. 2. *ad* 5. Ad illud, quod dicebatur Chriſtum utpotè caput ſupernaturalis vitæ, & Principem cæleſtis patriæ, non decuiſſe operari niſi ex ſupernaturali & cæleſti motivo, dico eumdem eſſe ſuo modo caput & Principem in naturalibus, præſertim ſpectantibus ad genus moris, ideò conveniens fuiſſe, quod operaretur aliquando in linea naturali, & ex motivo naturalis honeſtatis; hocque vix ullam habet ſpeciem difficultatis in noſtris principijs, quibus ſupra ſuſtinuimus in voluntate Chriſti libertatem ad eliciendum actum minùs perfectum relicto perfectiore; in principijs verò oppoſitis facientibus voluntatem Chriſti neceſſitatam ad optimam, ſi quid probaret inſtantia, probaret nimium; probaret ſcilicet omnem Chriſti operationem debere eſſe ex motivo charitatis, quod ſolum eſt motivum perfectiſſimum, nec poſſe elici ex motivo ſupernaturali inferioris virtutis. 57.

Supereſt ut aliquid ſingillatim dicamus de morali prudentia, ſine qua cæteræ virtutes morales non potuerunt habere ſtatum perfectũ, ut ab initio habuerunt in Chriſto & ex alia parte prudentia moralis naturalis ſupponit naturalem ſingularium ſcientiam; cum igitur hæc per nos non fuerit infuſa Chriſto

ab initio, neque illa videtur infundi ab initio 58.

potuiſſe: Nihilominus adverto prudentiam eſſe virtutem quaſi mediam inter virtutes intellectus, & virtutes voluntatis; recipitur enim in intellectu ut practico, & ut moto à voluntate ad voluntatem ipsã dirigendam, propretereà magnam habet connexionem cum virtutibus voluntatis, & licet in intellectu recepta denominetur virtus moralis, quæ eſt denominatio propria virtutum voluntatis; hinc faciliùs de habitu naturalis prudentiæ, quam de habitu naturalis ſcientiæ ſupponi poteſt, quòd diſtinguatur à ſpeciebus coordinatis: hoc ſuppoſito dico optimè poſſe prudentiam per ſe aquiſibilem infundi in intellectu practico abſque eo, quod in intellectu ſpeculativo reperiantur ſpecies ſingularium conſtituentes per ſe aquiſibilem ſcientiam, idque præſertim ubi iſtæ ſpecies ſupplentur per alias ejuſdem ordinis, perfectiores tamen ut evenit in Chriſto ratione ſcientiæ naturalis per ſe infuſæ, ratione cujus etiam naturalis prudentia Chriſto per accidens ab initio indita potuit illicò novis ſpeciebus non expectatis exire in ſuos actus, & in judicia practica directiva virtutum voluntatis;

Habitus prudentiæ per ſe aquiſibilis ſuſtinetur ipſe quoque per accidens infuſus Chriſto Domino.

& licet hoc totum non ſit connaturale prudentiæ, per ſe aquiſibile conſideratæ abſolute, eſt tamen connaturale eidem ſuppoſita infuſione virtutum cæterarum moralium, quę aliunde probetur facta ab initio, & antecedenter ad infuſionem naturalium ac per ſe aquiſibilium ſcientiarum.

---

§. IV.

An & quomodo dentur in Chriſto tum Dona Spiritus Sancti, tum Gratia gratis data: Et utrùm ei fuerint neceſſaria auxilia gratiæ actualis?

59. ASSERT. I. Fuerunt ab initio, & ſunt adhuc in Chriſto omnia dona Spiritus Sancti, non ſolùm quoad habitum, verùm etiam quoad aliquem actum: Eſt veritas ad fidem pertinens, præſertim loquendo de donis ſumptis quoad habitum; unde Abailardus, qui à Chriſto, ſicut & à beatis omnibus, ſimpliciter excluſit donum timoris damnatur ab Innocentio III. in epiſtola, quæ eſt 194. inter epiſtolas Bernardi, & ejus ſententia inter hæreſes recenſetur à Caſtro & Sandero apud Suarium *diſp* 20.*ſect*.2. De donis ſumptis quoad actum habemus Adverſarium Durandum *in* 3. *diſt*. 34. *quæſt*.3. volentem non remanere in patria quoad actum, adeóque non eſſe nunc in Chriſto, Conſilium, Fortitudinem, Pietatem, & Timorem. In toto tamen aſſerto, ut jacet, conveniunt communiſſimè reliqui Scholaſtici cum Divo Thoma *hic.q.*7.*art* 5. & 6.

60. Dona Spiritus Sancti quæ, quot, & quid.

Probatur & explicatur. Communi quadam appellatione omnia bona gratiæ, omnia ſupernaturalia beneficia, dona ſunt Spiritus Sancti; appellatione verò ſpeciali talia ſunt ſeptem inſigniora chariſmata, ex quibus quatuor ad intellectum pertinent, nimirum Intellectus, Sapientia, Scientia, Conſilium; tria ad voluntatem, nimirum Timor, Pietas, Fortitudo. Hæc aliqui à ſeptem virtutibus per ſe infuſis eodem nomine ſignificatis in re non diſtinguunt, ſed volunt hujuſmodi virtutum per ſe infuſarum habitus, quatenus referuntur ad ſuos quoſdam actus inſigniores denominari habitus donorum, & ipſos excellentiores actus earundem denominari donorum actus; qua ratione poſt ſuprà aſſertas in Chriſto virtutes per ſe infuſas, certè perfectiſſimas, heroïcas, & ad quoſcunque excellentiores actus idoneas, nihil ultrà dicendum occurreret de Spiritus Sancti donis: Verùm quia cum D. Thoma 1.2. *quæſt*.68. *artic*. 1. & 3. ſentiendum eſt diſtingui realiter, & differre, virtutum habitus ab habitibus donorum; & illis diſponi animam ejuſque potentias ad ſequendum ductum rationis, & benè operandum ex rationis imperio, iſtis ad obediendum Spiritui Sancto, & benè operandum ex ſpeciali motione ſeu inſpiratione divina; illis nos uti ex propriâ directione & modo ordinario, quo habitibus infuſis utimur cum volumus, iſtis ex directione quadam ſuperiore, & cum Deus modo extraordinario nos movet; adeò ut agamur quaſi magis, quàm agimus. Quia, inquam, ſic diſtinguuntur & differunt à virtutibus dona, probandum de iſtis eſt ſigillatim, quòd dentur in Chriſto; probatur autem ex eo, quia ſi proprium doni munus eſt coaptare & diſponere ad recipiendam divinam motionem ſuperiore & extraordinario modo, quo mobile agatur magis quàm agat, moveatur magis quàm ſe moveat, nulli certè magis hoc debebatur aut debetur, quam Chriſto Domino, in quo ſpecialiſſimam & ſupremam cum Deo unionem in eſſe maximè decet ſpecialis cùm Deo conjunctio, & ab eodem motio in operari; undè etiam *Luc*.4. dicitur *Ieſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane & agebatur à Spiritu in deſertum*, & quod clarius eſt de eodem communiter intelligitur illud Iſa.11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Tandem, cum dona Spiritus Sancti juſtis omnibus infundantur ſimul cum gratia habituali, debuerunt præcipuè infundi Chriſto, in quo gratia habitualis ſervata unitate ſpecifica cum ea cæterorum juſtorum fuit major & intenſior quàm in cæteris.

61. Fuerunt ab initio omnia & ſunt adhuc in Chriſto quoad habitus.

Probatur inſuper aſſertum ſigillatim de donis ſumptis quoad actum, & à fortiori confirmatur quod de iiſdem dictum eſt quoad habitum; Si non fuerunt, aut non ſunt adhuc in Chriſto aliqui actus donorum, maximè id verum eſt de actu timoris, vel etiam fortitudinis, conſilij, pietatis; atqui verè eſſe potuerunt, & adhuc eſſe poſſunt in Chriſto, etiam ut nunc eſt purè Comprehenſor, talium donorum actus; ergo. Probatur minor primo quoad actum timoris: Iſte, licet ut eſt paſſio vel etiam ut eſt actus proveniens ab habitu, aut virtutis moralis, aut ſpei Theologicæ, habeat pro objecto primario malum imminens cujus eſt fuga, tamen ut eſt actus doni habet pro objecto primario præcellentiam majeſtatis, & ſupereminentiam bonitatis divinæ, cujus eſt reverentialis ſubjectio per modum cujuſdam fugæ, ideſt coarctationis & reſilientiæ in propriam parvitatem ab excellentia & magnitudine divina, ut explicat Joannes à S. Thoma *diſp*.8. *art*.6. *num*. 6. Quidquid igitur ſit, utrùm in Chriſto & in beatis detur timor mali culpæ & ſeparationis à Deo ſaltem tanquam poſſibilis naturæ intellectuali ſecundum ſe? ut affirmat cum Cajetano Gonetus *diſp*. 12. *art*. 5. *num*. 110. Certè nulla eſt ratio excludendi à beatis, & à Chriſto timorem reverentialem, qui etiam vocatur timor ſecurus; & de quo ſicut & de reliquis timoris differentijs plura attigimus in tract. de Virtut. Theolog. *lib*. 2. *cap*. 2. *numer*. 5. & *ſeqq*. Minor eadem probatur ſecundò quoad actus pietatis, Conſilij, fortitudinis: Donum pietatis non pertinet primariò ad compaſſionem proximi in miſerijs conſtituti, ut putat Durandus, ſed ad cultum religionis,

62. Fuerunt item, & ſunt adhuc omnia quoad aliquos actus.

Quomodò fuerit, & ſit adhuc in Chriſto actus proveniens à dono timoris.

63. Quomodò actus provenie[n]s à dono Pietatis.

religionis, cujus certè materies non deeſt in Patria; præter quòd materies compaſſionis, licet ibi deſit inter beatos ipſos, qui utique nequeunt eſſe in miſeria, cur non poterunt beati ſicut & Chriſtus compati (ſubintellige compaſſione non afferente anxietatem)

A dono Conſilij.

nobis viatoribus in miſeriis conſtitutis? Donum conſilij habet ex ſua ratione formali pro actu proprio verum judicium de rebus agendis, quod hoc fiat in dubijs, & ex prævia inquiſitione ſeu conſultatione per

A dono Fortitudinis.

accidens ei eſt. Donum fortitudinis habet quidem pro actu primario ſuperare adverſitates & pericula vitæ occurrentia quæ materies ceſſat, ubi non eſt ampliùs vita mortalis, at non propterea deeſt eidem dono fortitudinis materies in ordine ad aliquem actum ſecundarium, puta in ordine ad gaudium de periculis ſuperatis, item in ordine ad effectum conditionatum, quo animus paratus ſit vitæ pericula vincere ac ſuſtinere, ſi poſſibile eſſet & neceſſe ea iterum occurrere.

64. Ex his habes rationem dubitandi pro timore, & conſilio, militantem procedere de Chriſto, non ſolùm in Patria, verùm etiam in via, rationem verò militantem pro pietate & fortitudine ſolùm procedere de Chriſto in Patria: Primum habetur ex eo, quòd Chriſto non ſolùm in patriâ, verùm etiam in via convenit, tùm impotentia peccandi, tùm non indigentia conſultationis. Secundum ex eo, quod eidem ſolum in patria convenit tùm non admittere rigoroſam compaſſionem, nec habere Proximum in miſeria conſtitutum, tùm non eſſe obnoxium periculis & incommodis vitæ mortalis. Habes inſuper dona Spiritus Sancti, maximè verò quatuor mox enumerata, non habere nunc in Chriſto eoſdem omnes actus, quos in nobis viatoribus, imò ſingillatim dona timoris & conſilij, nec ab initio in Chriſto habuiſſe eoſdem omnes, quos in nobis, actus: Ideò conſultò ſuprà aſſeruimus in Chriſto Spiritus ſancti dona quoad habitum ſine limitatione, quoad actum cum limitatione apponendo ly *aliquem*. Nec refert, quod iſte aliquis actus reſpectu fortitudinis in patria ſit ſecundarius, aut conditionatus, ut mox obiter præmiſſum eſt, pro actu autem ſolùm ſecundario, aut conditionato, non ſolet dari proprius habitus. Non refert, inquam, quia pro actu ſolùm ſecundario & conditionato non ſolet dari proprius virtutis habitus in ſubjecto, à quo actus primarius excluditur defectu rationis formalis & ex natura rei, ſecùs in ſubjecto, à quo actus primarius excluditur ſolùm defectu materiæ & ex accidentali conditione ſtatus, quo modo excluditur à Chriſto Domino in Patria, & à cæteris beatis, primarius actus doni fortitudinis, ut magis explicat & exemplificat Joannes à S. Thoma *diſp*. 8. *art*. 4. *numer*. 18. Sicut & in univerſum diverſos in via, & patria, actus, diverſumque uſum donorum per ſingula in particulari diſcurrendo recenſet Gabriel à S. Vincentio *diſp*. · *dub* 17. *num*. 118.

65. Gratiæ gratis datæ quot? fuerunt omnes in Chriſto.

Aſſert. 2. fuerunt in Chriſto verè, propriè, & perfectiſſimè omnes, ideſt novem, gratiæ gratis datæ, quæ ab Apoſtolo 1. *Cor*. 12. recenſentur, & nominantur Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, Gratia ſanitatum, operatio virtutum, Prophetia, diſcretio Spirituum, Genera linguarum, Interpretatio ſermonum. Ita Scholaſtici communiſſimè cum D. Thomâ *hic quæſt*. 7. *art*. 7. & in modo explicandi gratias ipſas gratis datas magis, quàm in re ipſa, habemus adverſarios Abulenſem *in cap*. 11 *Numer. quæſt*. 64. & Valentiam *hic quæſt*. 7 *punc*. 1. dum ille prophetiam, iſte fidem à Chriſto excludit.

Probatur primò univerſim ex verbis Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanũ *Sicut in capite ſunt omnes ſenſus, ita & in Chriſto omnes gratiæ* in quibus tum habet non ſolùm univerſale ſyncategorema *omnes*, ſed etiam paritas ſenſuum & gratiarum, nam ſicuti ex potentijs ſenſitivis aliquæ ſunt in particulare bonum ſubjecti cui inſunt, aliquæ ut eſt præcipuè potentia generativa in commune bonum ſpeciei; ita gratiæ exiſtentes in Chriſto tanquam potentiæ ſenſitivæ in ſubjecto debent non ſolùm ſanctificare & perficere ipſum Chriſtum, quod præſtat gratia habitualis juſtificans, ſed & prodeſſe alijs, quod præſtant gratiæ gratis datæ, quarum proprium eſt ordinari ad alienam utilitatem, quaſque propterea ex ſua ſpecialiſſima conditione exigit gratia unionis, quæ eſt bonum politicum, ideſt univerſale & ad communem utilitatem ordinatum: eaſdem exigit prærogativa Doctoris fidei, & Prædicatoris Evangelij, quam Chriſtus in primis exercuit, & ad quam exercendam egregiè conducunt gratiæ gratis datæ; harum quippe utilitas plurimum relucet in ſignis, & prodigijs, quibus doctrina fidei & prædicatio Evangelij annunciatur, ſuadetur, confirmatur.

66. Probatur ſecundò ſingillatim diſcurrendo per ſingulas gratias gratis datas.

Explicatur in Chriſto ſermo ſapientiæ, & ſermo ſcientiæ.

Sermo Sapientiæ importat abundantiam quandam cognitionis divinorum per cauſas altiſſimas cum facilitate ea explicandi ſublimibus, & mirabilibus modis. Sermo ſcientiæ abundantiam cognitionis rerum humanarum, aut divinarum, per cauſas inferiores cum facilitate eas manifeſtandi humano & communiore modo: Utraque hæc gratia gratis data inſinuatur in Chriſto Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipſius*. Matth. 7. *Admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus: erat autem docens eos ſicut poteſtatem habens*, &c.

Item fides.

Fides, quamvis ſumpta ut ſumit Valentia pro ſingulari fidei Theologicæ robore non reperiatur in Chriſto, in quo non reperitur ipſa fides Theologica, ut tamen ab alijs ſumitur pro ſingulari certitudine, & intelligentia Myſteriorum fidei, abſtrahendo ab obſcuritate, addita idoneitate proponendi eadem Myſteria accommodatè etiam ad captum rudiorum, jure tribuitur Chriſto, & elucet in parabolarum uſu, qui Chriſto Evangelium prædicanti fuit familiaris. Eadem fidei gratia optimè in Chriſtum cadit, ſi ſumatur, ut à quibuſdam ſumitur, pro firma fiducia impetrandi ea, quæ à Deo petuntur.

67. Gratia ſanitatum, & operatio virtutum.

Gratia ſanitatum, & operatiò virtutum, eſt poteſtas ſanandi languores & infirmitates; item faciendi mirabilia & miracula, ea præſertim quæ cenſentur primarò ordinata ad ſolam manifeſtationem divinæ virtutis; quis autem, niſi vitæ Chriſti aut ignarus omninò aut incredulus, neſciat ipſum plures languidos & infirmos ſanaſſe, pluraque præſtitiſſe omnes naturæ vires excedentia, divinæque virtutis propria?

Prophetia.

Prophetia jure negatur Chriſto Domino ab ijs. qui putant eſſe de eſſentia cognitionis propheticæ, quòd obſcura ſit & ænigmatica; nihilominus cum ex una parte valde expreſſa ſint Scripturæ loca appellantia Chriſtum Prophetam, ut cum dicitur Deuteronom. 18 *Prophetam de gente tuâ & de Fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus.* Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in nobis.* & 24 *Qui fuit vir Propheta potens in opere, & ſermone*; & ex alia parte nulla ſit neceſſitas dicendi obſcuritatem eſſe eſſentialem cognitioni propheticæ, ſed melius dicatur hanc eſſe obſcuram ſolum permiſſivè, adeò ut ex ſe tum obſcuritatem tum claritatem indifferenter permittat, neutram eſſentialiter requirat; conſequens eſt Chriſtum habuiſſe vere & proprie gratiam gratis datam prophetiæ; cogitationemque propheticam in ſtatu viæ; in ſtatu, inquam, viæ, nam nunc in patria ratione ſtatus & eorum, cum quibus Chriſtus converſatur, nullam ipſe admittit cognitionem propheticam, ſicuti neque hanc admittunt reliqui beati, quemadmodum attigimus in tract. de Beatitud. *lib. 3. c. 1.* §. 2. & colligitur ex D. Thoma *hic q. 7. art.* 8.

68. Diſcretio Spirituum.

Diſcretio ſpirituum eſt poteſtas penetrandi cordium ſecreta, & dijudicandi quo animo quis loquatur, & quo ſpiritu ducatur ad dicendum aliquid, aut faciendum, non defuiſſe autem hanc poteſtatem, nec exercitium ejus, in Chriſto deducitur in primis ex ijs, quæ de ipſius ſcientia dicta ſunt, & præterea ex pluribus Scripturæ locis, ſignanter verò ex Matth. 9. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* & 12. *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum.*

Genera linguarum.

Genera linguarum, prout important univerſalem idiomatum intelligentiam atque peritiam, habuit Chriſtus conſequenter ad ſcientiam beatam & per ſe infuſam, quâ ab initio potuit omnia noſcere; prout verò ſunt gratia gratis data quaſi in actu exercito, & important variarum linguarum uſum non adeò conſtat extitiſſe in Chriſto, cum non legamus Chriſtum locutum alia lingua, quàm judaica, & videri poteſt hoc conveniens ex eo, quod ut obſervat D. Thomas *hic quaſt. 7. art. 7. ad* 3. voluit ipſe in ſola gente Iudæorum perſonaliter prædicare: Nihilominus neque eſt inveriſimile, quod docent Sylvius *eod. art.* 7. Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 2. & aliqui alij conjectantes Chriſtum, in publicis quidem concionibus, utpotè ad ſolam gentem judaicam habitis, ſola judaica lingua uſum fuiſſe; at quando ei contigit converſari & habere privata cum extraneis colloquia, fuiſſe uſum lingua eorum quos alloquebatur, puta lingua Ægyptiaca peregrinando per Ægyptum, Syriaca ſcribendo ad Abagarum Regem Edeſſenorum, &c.

Interpretatio ſermonum videtur præcipuè importare germanam, perfectamque, intelligentiam obſcuriorum Dei revelationum & difficiliorum locorum ſcripturæ cum ſpeciali habilitate proferendi verum ſenſum; quod totum utique habuit Chriſtus Dominus, nec ſine aliquo uſu, qui non leviter conjicitur ex reſponſis in templo datis, cum adhuc duodecim eſſet annorum *Luc.* 2. item ex eo quod ipſemet *Matth.* 13. ait *Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* 69. Interpretatio ſermonũ.

Sic comprobatis in Chriſto Domino, tum univerſim, tum ſingillatim omnibus & ſingulis gratijs gratis datis, aſſignandus eſt modus, quo eas Chriſtus habuerit, permanenter ne, & per modum habitus, an tranſeunter & per modum actus? Dico breviter cum Suario *pracit. ſect.* 2. §. *Dico ſecundo* Gonetto *diſp.* 12. *num.* 129. Gabriele à S. Vincentio *diſput.* 7. *num.* 251. cæteriſque communiter congruentiſſimum fuiſſe dignitati perſonali Chriſti Domini, ejuſque ad cæteros juſtos præcellentiæ, ut habuerit gratias gratis datas permanenter & per modum habitus ſicque de facto eas habuiſſe, non quatenus habuerit pro ſingulis gratiis gratis datis infuſum ſpecialem habitum, ſed quatenus fuerint ſemper ei parata divina auxilia, & cætera requiſita ad utendum hac vel illa gratia gratis data, quoties pro ſuo libito voluit; ſive deinde computandi ſint, ſive non, inter hujuſmodi requiſita ſpeciales habitus ſinguli pro ſingulis, aut unus pro pluribus gratijs, quod omninò ambiguum eſt: Cenſeri ſolet veriſimilius quod ad plures gratias gratis datas, imò ad omnes (exceptis gratia ſanitatum & operatione virtutum) ſufficiant habitus partim ſcientiæ beatæ & per ſe infuſæ; partim trium donorum Spiritus Sancti ad intellectum pertinentium, ſuppoſita perfecta diſpoſitione organorum vocis, & linguæ, expeditâque facultate ipſis utendi; fortè igitur ſolùm ſpecialis habitus, iſque unicus inditus eſt pro gratia ſanitatum, & operatione virtutum, unicus, inquam, quia utriuſque gratiæ actua adeò parùm ab invicem differunt, ut non videantur diverſos habitus poſtulare; eademque ratione unicus ſpecialis habitus aſſignandus foret pro generibus linguarum & interpretatione ſermonum, quoties pro iſtis non exiſtimarentur ſufficere præmemorati habitus ſcientiæ & donorum. Neque dicas; Chriſtus in patria retinet præmemoratos habitus ſcientiæ & donorum, & tamen ex mox dictis non retinet prophetiam; ergo ſaltem pro gratia prophetiæ habuit in via ſpecialem habitum: Contrà enim, quod Chriſtus in patria non retineat prophetiam ſub denominatione prophetiæ provenit ex conditione ſtatus & ratione alicujus extrinſeci, ſcilicet ratione eorum, cum quibus converſatur; cum quo ſtat ipſum retinere habitum, & poſſe in patria habere actum, qui in viatore exiſtens denominatur prophetia.

70. Gratiæ gratis datæ fuerunt omnes in Chriſto permanenter & per modum habitus.

At fortè ſolum unus vel alter ſpecialis habitus pro eis inditus eſt.

Ex

71.

Gratiæ gratis datæ per quid differant à virtutibus & donis Spiritus Sancti?

Ex his habes gratias gratis datas ferè omnes ſic tenere ex parte intellectus, & importare habitus alijs titulis intellectui infuſos, ſumptos tamen ut ſubſtant ſpeciali denominationi provenienti à conditione ſtatus, à diſpoſitione organorum corporis, & à præparatione auxiliorum Dei; nec dici permanere gratias gratis datas habitibus illis permanentibus, niſi ſimul permaneant cætera, à quibus habent ſuam ſpecialem denominationem, requiſita, in primis verò præparatio auxiliorum ad nutum ejus, cui habitus inſunt. Porrò diverſus gratiarum modus in Chriſto, & in aliis juſtis, non eſt præcisè penes auxilia ſemper parata ad nutum Chriſti, non aliorum juſtorum; ſed etiam penes habitus, qui nec omnes, nec in ordine ad tot objecta reperiuntur in alijs juſtis præſertim viatoribus, ſicut in Chriſto; unde & illis gratiæ gratis datæ dicuntur concedi tranſeunter non ſolùm ratione auxiliorum, ſed etiam quia ſæpè deſunt habitus, & à Deo ſupplentur per actuales illuſtrationes ſeu coruſcationes, & motiones tranſeuntes, quod quidem ſimpliciter evenit, quando alicujus gratiæ gratis datæ exercitium & privilegium conceditur exiſtenti in lethali, adeoque deſtituto penitus præmemoratis habitibus.

Per quid diverſimodè ſe habeant in Chriſto & in alijs.

72. Aſſert. 3. Ad eliciendos actus ſupernaturales fuerunt Chriſto neceſſaria ſupernaturalia auxilia gratiæ actualis. Ita Suarez *diſp.* 18. *ſect.* 4. Amicus *diſp.* 16. *ſect.* 4. Maſtrius *diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Madernus *q.* 5. *art.* 6. & quamvis pauci alij idem tradant, aut tracteut ſub proprijs terminis; debet tamen id cenſeri receptiſſimum, conſequitur enim ad principia communiſſime recepta, ut mox conſtabit ex probatione & explicatione, quam ſubjicio; ideò Aſſertum

Auxilia phyſica actualis gratiæ fuerunt ad ſupernaturales actus neceſſaria Chriſto ſicut nobis.

Probatur & explicatur: Neceſſitas ſupernaturalium auxiliorum ad ſupernaturales actus provenit ex improportione potentiæ naturalis creatæ ad ipſos, & ex indigentia concurſus divini ad quemlibet effectum cauſæ ſecundæ, qui quidem concurſus debet eſſe ſuo effectui accommodatus; ejuſdemque cum eo ordinis: Hinc in tractatu de Gratia ſæpè, ſignanter verò *lib.* 2. *cap.* 4. §. 3. *& c.* 6. *num.* 13. ſupernaturalia auxilia ad ſupernaturales actus requiſivimus in homine etiam juſto & habitibus infuſis inſtructo, imò etiam qui ſupponatur in ſtatu integritatis aut innocentiæ conſtitutus; quantacunque igitur ſit perfectio in anima, & potentijs Chriſti Domini, cum ejus actus ſupernaturales adhuc ſint effectus ad extrà provenientes ab anima, tanquam à cauſa ſecunda, & principio ordinis ſecundum ſe inferioris, conſequens eſt quod habeat pro ſupernaturalibus actibus eandem ſupernaturalium auxiliorum neceſſitatem, quam purus homo vel Angelus: Nec Verbum humanitati unitum poteſt quodammodò talia auxilia supplere, deberet enim id præſtare per aliquem influxum effectivum phyſicum in actus; at nullus hujuſmodi influxus poteſt eſſe à ſolo Verbo, propter generalem regulam qua actiones ad extra (ſubintellige ſive naturales ſint & ad naturalem terminum, ſive ſupernaturales & ad terminum ſupernaturalem) debent eſſe indiviſibiliter à tota Trinitate.

73. Et hæc quidem probatione, aut explicatione, ulteriore non indigent, quia tamen in nobis præter auxilia phyſica ſumpta pro divino concurſu, qui ut prævius eſt gratia operans, ut ſimultaneus eſt gratia cooperans, dantur auxilia moralia, quæ dicuntur gratia excitans & conſiſtunt in illuſtrationibus intellectus & pijs affectionibus; & utraque rectè dicuntur auxilia gratiæ actualis internæ, quamvis priora & phyſica magis propriè, poſteriora & moralia minùs propriè ex dictis *præcitat. capit. ſexto, paragrapho primo*, Quia inſuper actualibus auxilijs præſertim moralibus nos indigemus non ſolùm ut erumpamus in ſupernaturales actus, verùm etiam ut vincamus graves tentationes, & ſervemus diù præcepta, quamvis ſæpè illarum victoria, & iſtorum obſervantia in ſupernaturali actu non conſiſtat. Quia, inquam, hæc ita ſunt & ex tract. de Gratia communiter ſupponuntur, remanet de Chriſto inquirendum, utrum præter auxilia phyſica ſe habentia per modum concurſus fuerint ei neceſſaria auxilia moralia ſe habentia per modum excitationis; hocque ad vincendas tentationes, ad ſervanda præcepta, ad vitanda peccata, non præcisè ad eliciendos ſupernaturales actus. Pro quo

74. Dico breviter hujuſmodi auxilia moralia per modum excitationis non fuiſſe de facto neceſſaria in Chriſto; ratio eſt, quia anima Chriſti de facto ſuppoſito auxilio per modum concurſus potuit ſeipſam excitare tùm ad eliciendos ſupernaturales actus, tum ad obſervanda præcepta & vitanda peccata; ergo non fuerunt ei neceſſaria auxilia moralia per modum excitationis; dantur enim hæc à Deo ad ſupplendam in natura creata potentiam intrinſecam ſe excitandi, nec eſt recurrendum ad cauſam primam & ad auxilium per modum principij excitantis, ubi ſufficit virtus cauſæ ſecundæ ſuppoſito auxilio per modum concurſus: Antecedens probatur, anima Chriſti de facto fuit ſemper in actuali exercitio perfecti amoris Dei ex parte voluntatis, & ſcientiæ tum beatæ tum per ſe infuſæ ex parte intellectus; atqui perfectus amor Dei eſt ſufficiens principium excitandi & impellendi voluntatem ad quemcunque ſupernaturalem actum, ſicut & ad cujuſlibet aut præcepti obſervantiam, aut peccati fugam; actualis item ſcientia tum beata tum per ſe infuſa eſt ſufficiens principium excitandi & applicandi intellectum ad conſiderandum quidquid ad illam operationem, obſervantiam, aut fugam neceſſarium eſt; ergo anima Chriſti de facto potuit ſeipſam excitare, &c. Probatur minor, quia certè perfecto Dei amore fortiùs, quàm ulla pia affectione, voluntas impellitur; & ſcientia ſive beata ſive per ſe infuſa meliùs, quam ulla illuſtratione, intellectus illuminatur in ordine ad ſupernaturaliter operandum, vel perſeverandum in bono. Nec ſcientiæ per ſe infuſæ obeſt, quod Chriſtus non ſit ſemper in totali ejus

Non ſic fuerunt Chriſto neceſſaria auxilia moralia per modum excitationis.

exercitio

exercitio. Non obeſt, inquam, quia licèt non ſit ſemper in exercitio totali, eſt tamen ſemper in exercitio ſufficienti ad excitandam quancunque voluerit talis ſcientiæ ſpeciem, ut ſuppono *ex præced. c. 3. n. 103.*

Si quæras ulteriùs, utrùm prædicta auxilia moralia per modum excitationis eſſent neceſſaria in Chriſto ſaltem de poſſibili, & ex ſuppoſitione quod anima Chriſti unita Verbo careret omni ſcientia actuali, ſive beata; ſive infuſa, ac per conſequens etiam

75. Fuiſſent tamen hæc quoque neceſſaria, ſi anima Verbo unita caruiſſet omni ſcientia actuali.

omni Dei dilectione? Reſpondendum eſt affirmativè, cum enim anima Verbo unita tunc non poſſet ſe ipſam excitare, deberet excitari immediatè à Deo per actus, quos Deus quaſi ſe ſolo in ipſa operaretur, ſimiles illis, quos Deus operetur in nobis ſine nobis, & quibus nos excitamur, ut magis explicant Suarez & Amicus locis præcitatis.

---

§. V.

Vtrùm gratia Capitalis in Chriſto ſit eadem cum habituali? ubi nonnulla prævia de Chriſto, ut Eccleſiæ Capite.

76. De fide eſt Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ.

ASSERT. 1. Chriſtum eſſe Eccleſiæ Caput pertinet ad dogma, & conſtat certitudine fidei.

Probatur expreſſis verbis Apoſtoli dicentis de Chriſto Epheſ. 1. *Ipſum dedit* (ſubintellige Deus) *caput ſuprà omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* & Coloſſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*, ubi inſuper ſubjicit Apoſtolus egregiam ſui dicti rationem aſſignans in Chriſto tres præcipuas capitis naturalis prærogativas ſeu proprietates, quas deinde aſſignavit etiam, & fortè ex Apoſtolo deſumpſit S. Thomas *hic quæſt. 8. art. 1.* Prima prærogativa, ſeu proprietas, ſpectat ad ordinem & conſiſtit in eo quod caput ſit primum & ſummum; unde omne principium conſuevit vocari caput, juxtà illud Ezech. 16.

Conſonantia D. Thomæ cum Apoſtolo circa tres Capitis proprietates in Chriſto.

Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ: De Chriſto autem ſubdit ibi Apoſtolus *Qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Secunda ſpectat ad perfectionem, & conſiſtit in eo quod caput ſit perfectius reliquo corpore, unde in capite animalis vigent omnes ſenſus interiores & exteriores, in reliquo corpore ſolus tactus: De Chriſto autem proſequitur Apoſtolus *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Tertia ſpectat ad virtutem, & conſiſtit in eo, quod caput influat in membra totius corporis, tum interiùs eis tribuendo motum & ſenſum, tum exteriùs ea gubernando & dirigendo: de Chriſto autem concludit Apoſtolus *& per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis ejus. ſive quæ in terris, ſive quæ in Cælis ſunt.* Ampliorem de hoc proprietatum ternario doctrinam tradunt Scholaſtici paſſim, nobis ſufficit in eo oſtendiſſe miram Doctoris Angelici cum Doctore Gentium conſonantiam: Ne verò alia plura ad aſſertæ veritatis elucidationem, confirmationemque, pertinentia omninò diſſimulemus, placet variis propoſitis dubijs ſingula percurrere, & expedire. Ideò

77. Dubitatur primò: Vtrùm Chriſtus ſit caput Eccleſiæ ſimpliciter & abſolutè; an ſolùm metaphoricè & cum addito? Hoc ſecundum docent Cabrera *quæſt. 8. art. 1.* & Vaſquez *diſp. 48. cap. 1.* Nec aliter dici poteſt ſumpto capitis nomine ſecundum primævam ſui inſtitutionem, quâ impoſitum eſt ad ſignificandum id quod eſt in animali primum,

In quo ſenſu Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ ſimpliciter, & abſolutè.

præcipuum, & magis influxivum, quia tamen ſuppoſita nominis extenſione ad ſigificandum caput morale & myſticum, rectè dicitur caput ſimpliciter & abſolutè illud, quod ſimpliciter & abſolutè præeminet, excellit, influit in reliquum corpus, abſtrahendo ab eo, quod iſtud ſit totum phyſicum ut animal, vel totum morale ut Eccleſia, jure Chriſtus dicitur Eccleſiæ caput etiam ſimpliciter & abſolutè, & favet huic dicendi modo tum generalis regula intelligendi ſimpliciter & abſolute loca ſcripturæ quantum fieri poteſt, tùm congruentia amovend à Chriſto reſpectu Eccleſiæ ſuſpicionem influxus ſolum metaphorici, & cum addito, quæ facilè irreperet dicendo ipſum eſſe ſolùm per metaphoram, & cum addito Eccleſiæ caput.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm Chriſtus ſit Eccleſiæ caput ratione ſolius divinitatis, an etiam ratione humanitatis? Reſpondeo Chriſtū modo cæteris divinis perſonis communi eſſe Eccleſiæ caput ratione ſolius divinitatis, modo verò ſibi proprio & ſpeciali, de quo potiſſimum nunc agitur, eſſe caput etiam ratione humanitatis, imò ratione iſtius formaliter & proximè, & ratione divinitatis ſolùm tanquam principij humanitatem elevantis. 78.

Quomodò eſſe caput Eccleſiæ, conveniat Chriſto, ut homini.

Colligitur reſponſio ex D. Thoma *in 3. diſtin. 13. quæſt. 2. art. 1. ad 6.* & facilè intelligitur ex eo, quia verè Deus ſecundùm ſe, & ut communis tribus Perſonis, in Eccleſiam phyſicè influit ipſamque ut ſupremus Dominus gubernat, quod eſt eſſe Eccleſiæ caput quæ autem dicuntur de Deo ſecundum ſe & tanquam communia tribus perſonis, conveniunt Chriſto ratione ſolius divinitatis, ac præterea Chriſtus & caput Eccleſiæ modo ſibi ſpeciali, ideſt viſibili & per influxum moralem & meritorium, hocque habet Chriſtus formaliter & proximè ratione humanitatis concurrente divinitate ſolùm tanquam principio dignificante, & elevante: ideò &c.

Dubitatur tertiò: Vtrùm Chriſtus, quatenus eſt caput Eccleſiæ ratione humanitatis, ſit caput ratione ſolius animæ, an etiam ratione corporis? item utrùm ſit caput noſtrarum animarum ſolùm, an etiam corporum? Reſpondetur Chriſtum eſſe caput etiam ratione corporis, & corporum minus principaliter tamen & ſecundariò: Enimverò ex parte Chriſti etiam corpus, licèt minùs principaliter concurrit ad plura opera meritoria & ad moralem influxum, etiam ipſum ſuo modo

79. Quomodò id ei conveniat ratione corporis, & in ordine ad noſtra corpora.

modo à divinitate dignificatur, & ad gubernium, quatenùs viſibiliter exercetur, inſervit: ex parte noſtra etiam corpora, licet minùs principaliter de morali influxu participant, & conſequuntur tùm bona aliqua in via, tùm maximè beatitudinem accidentalem ſeu dotes glorioſas in patria; item etiam ipſa ſuo modo à Chriſto gubernantur; ergo.

Dubitatur quartò: Utrùm Chriſtus, ſicut eſt Eccleſiæ caput, ita ſit Eccleſiæ membrum? Affirmant Altiſiodorenſis *lib. 3. ſum. tract. 1. cap. 4. quæſt. 6.* Turrecremata *lib. 1. ſum. Eccle-*
80. *ſiaſt. cap. 47.* & refertur etiam D. Thomas *in 12. cap. 1. ad Cor. lec. 3.* ubi verba illa Apoſtoli *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro* ſic interpretatur, *eſtis membra dependentia de Chriſto membro, quod quidem dicitur membrum ſecundùm humanitatem ſecundùm quam præcipuè dicitur Eccleſiæ caput, nam ſecundùm divinitatem non habet rationem membri aut partis, cum ſit commune bonum totius univerſi.* Nihilominùs Sanctus Doctor hoc loco nihil ampliùs intendit, quàm quod expreſſiùs tradidit *in 3. præcit. reſp. ad 6.* ubi docet Chriſtum non eſſe membrum Eccleſiæ, cujus ipſe eſt caput, ſecundùm quod homo, modo ſibi ſpeciali; ſed cujus ipſe eſt caput, ſecundùm quod Deus, modo communi cæteris divinis perſonis, adeò ut ſecundum humanitatem ſit membrum Eccleſiæ cujus ipſe eſt caput ſecundum divinitatem, non cujus ipſe eſt caput ſecundum humanitatem; quod veriſſimum eſt, quia verè Chriſtus, ut eſt caput Eccleſiæ ſecundùm divinitatem, in propriam humanitatem influit: Cæterùm Eccleſiæ conſtitutæ ſub Chriſto, ut homine, modo ſibi ſpeciali Chriſtus ipſe (& ità fert communis Scholaſticorum ſententia) caput eſt, non membrum; membrum enim ex genere ſuo dicit dependentiam à commembris, eis indiget, & aliquem ab iiſdem influxum recipit, tametſi aliquando minorem eo, quem tribuit; at Chriſtus non dependet, non indiget, nihil recipit à
81. commembris Eccleſiæ ſub ſe conſtitutæ. Nec obſtat quod in animali caput ſit membrum; ratio enim eſt, quia in animali caput recipit ab aliis membris aliquem influxum, alimenta ſcilicet & alia ſubſidia ſibi neceſſaria, ratione quorum à cæteris membris dependet eiſque indiget, undè eſt illud Apoſtoli 1. Cor. 12 *Non poteſt oculus dicere manui opera tua non indigeo: aut iterùm caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij:* ſicuti tamen poſſet Chriſtus hoc dicere hominibus, vel Angelis Eccleſiam componentibus; ubi igitur non eſt eadem denominationis ratio, non eſt quærenda eadem denominatio; & in univerſum ad caput myſticum, & morale, non ſunt ad amuſſim, & proportione quaſi arithmetica, transferenda quæcumque reperiuntur in capite phyſico & naturali. Non obſtant item præmemorata verba, quibus Apoſtolus vocat Corinthios corpus Chriſti, & membra de membro: Non obſtant, inquam, nam præter interpretationem jam
82. ex mente D Thomæ relatam rectè poſſunt ea verba pluribus aliis modis intelligi abſque eo, quod ly *de membro* referatur ad Chriſtum, dici ſcilicet poteſt Apoſtolum per ly *de membro* intelligere ſe ipſum, vel Eccleſiam Corinthiorum, adeò ut ſic Corinthios alloquatur *vos eſtis membra de membro*, ideſt de me, qui per Evangelium vos genui & qui ſum ejuſdem Eccleſiæ membrum, vel *vos eſtis membra de membro* ideſt de Eccleſia Corinthiorum, quæ eſt membrum Eccleſiæ univerſalis. Accedit quod ly *de membro* in græcis codicibus varias habet verſiones ſeu lectiones, nam in aliquibus legitur. Vos eſtis membra *ex parte*: in aliquibus vos eſtis membra *ad invicem*, quarum variarum lectionum, ſicut & ſenſus ipſarum, meminerunt ex Scholaſticis Vaſquez *præcit. cap. 1. num. 5.* & Suarez *diſp. 23. ſec. 1. §. Nec Paulus.* Porrò eadem ferè ratione, qua Chriſtus dici abſolutè non debet Eccleſiæ membrum, dici pariter non debet Eccleſiæ pars; cum ſit de ratione partis ab alia comparte compleri & perfici, undè & alibi dicebamus Deum non poſſe per modum partis in compoſitionem venire. Quod totum intellige ſecundùm receptiorem vocabulorum uſum, cæterùm ſi res acrius controvertatur, deſinet in quæſtionem de nomine, ut quoad vocem *pars* obſervavimus jam ex Arriaga ſupra *capit. primo, numer. nono*, & quoad vocem membrum obſervat Vaſquez *præcitat. numer. 5.*

Dubitatur quintò, Utrùm eſſe Eccleſiæ caput ratione humanitatis ſit proprium Chriſti, adeò ut nequeat illi puro homini convenire? Reſpondetur cum D. Thoma *hic quæſt. 8. art. 6.* ſimpliciter loquendo eſſe Chriſti proprium, nec poſſe puro homini convenire, niſi ſecundùm quid & minus principaliter: Ratio D. Thomæ eſt, quia Chriſtus, quatenùs caput, duplicem influxum in Eccleſiam exercet, alium internum per gratiam, alium externum per gubernationem: Internus, qui eſt principalior nequit puro homini convenire, cum per nos ex tract. de Gratia *lib. 4. cap. 8. §. 6.* nec de potentia abſoluta poſſit purus homo condignè promereri gratiam aliis: externus eſt minùs principalis, ideò licet poſſit in puro homine reperiri, non conſtituit illum caput, niſi ſecundùm quid; cum præſertim poteſtas gubernandi in puro homine poſſit eſſe ſolùm ab extrinſeco, non ex perſonali dignitate ſubjecti, ut in Chriſto, in quo etiam majoris univerſalitatis eſt & durationis, quàm in ullo puro homine fuerit unquam, aut futura ſit. Neque dicas univerſalitatem, & durationem, pertinere ſolùm ad accidentalem capitis perfectionem, internum verò gratiæ influxum non eſſe cuilibet homini puro negandum, habuiſſet enim illum Adam in omnes Poſteros, ſi ſervaſſet ipſe originalem juſtitiam; habent illum ſummus Pontifex & alij Paſtores gregis Chriſti, qui virtute Sacramentorum poſſunt ſuis ovibus gratiam conferre, & peccata remittere. Contra enim; omitto quod de univerſalitate & duratione dicitur, quia minoris momenti eſt; ad illud, quod additur de influxu interno, dico Adamum juſti-

Chriſtus in aliquo ſenſu eſt membrum Eccleſiæ.

At non in ſenſu uſitatiore, & abſolutè loquendo.

Cur caput naturale, non caput morale, ſit membrum corporis, cujus eſt caput.

Chriſtus abſolutè loquendo ſicut non eſt membrum, ita nec eſt pars Eccleſiæ.

83.

Purus homo non poteſt eſſe caput Eccleſiæ abſolutè, ut eſt Chriſtus.

84.

Iii tiam

Digitized by Google

riam ſervantem non futurum fuiſſe principium, aut phyſicum, aut condigne meritorium gratiæ poſterorum, ſed ſolùm conditionem, qua poſita Deus ex vi antecedentis pacti per ſe ipſum gratiam poſteris infudiſſet: Summus Pontifex & reliqui Paſtores quod præſtant virtute Sacramentorum, præſtant miniſterialiter non principaliter, ex opere operato & ex merito Chriſti, non ex virtute intrinſeca & merito proprio; undè etiam indigent ipſi alijs Miniſtris, ut eorumdem Sacramentorum virtute gratiam ſibi comparent. Ex quibus obiter inferas eſſe Chriſti propriiſſimum, ità eſſe Eccleſiæ caput, ut non ſit ſimul membrum & pars; nec ipſe ſummus Pontifex, qui præ alijs puris hominibus excellit in capitis prærogativa, excludit conditionem membri & partis, imò hanc habet non ſolùm reſpectu Chriſti, à quo recipit internum externumque influxum, ſed etiam reſpectu aliorum commembrorum, quibus indiget tùm ut Conſiliarijs ad gubernium, tùm ut ad ſuſcipiendum ex Chriſti meritis internum gratiæ influxum, ipſe ſicut cæteros juvat ità a cæteris juvetur precibus, & miniſterio Sacramentorum.

Non poteſt item eſſe caput, quin ſit ſimul membrum & pars.

85. Dubitatur Sextò: Cur Chriſtus dicatur Eccleſiæ caput potiùs, quàm Eccleſiæ cor? Duplex occurrit ratio; prima eſt, quia caput in nobis utpotè membrum externum, & primum incipiendo à parte ſuperiore, habet manifeſtam eminentiam reſpectu corporis, in quod etiam exercet gubernationem externam per viſum, & alios ſenſus in ſe radicatos: Cor habet influentiam ſolùm internam & occultam, cum igitur Chriſtus, ut homo, habeat reſpectu Eccleſiæ eminentiam viſibilem, Eccleſiamque etiam in exterioribus gubernet, conſequens eſt &c. Secunda, quia in capite generantur Spiritus animales inſervientes vitæ ſenſitivæ, cujus operationes exercentur dependenter à voluntate, in corde generantur Spiritus vitales inſervientes vitæ vegetativæ, cujus operationes exercentur merè naturaliter, & à voluntate non pendent; cum igitur Chriſtus in Eccleſiam influat per voluntariam, non per naturalem ſui influxus, ſuæ nimirum internæ gratiæ ſuſceptionem, conſequens eſt &c. Poſterior hæc ratio ſumpta eſt ex Alenſi 3. *part. quæſtion. duodecima, memb. ſecundo, articul. primo*, Prior ex Di-

Cur Chriſtus ſit caput potiùs, quam cor Eccleſiæ.

86. vo Thoma *quæſtion. octava, articul. primo, ad*, & cenſeri ſolet plauſibilior, tùm quia magis obvia, & minùs dependens ab eo, quod Philoſophi, & Medici, diſputant de capitis & cordis efficacitate in reliquum corpus, tùm quia opportuna eſt ad explicandum, cur cordi poſſit rectè comparari Spiritus Sanctus uniens & vivificans inviſibiliter Eccleſiæ membra, per voluntariam tamen ſuſceptionem ſui influxus; ex quo capite Spiritui Sancto ad cor comparando non accommodatur ratio Alenſis.

Item cur Spiritus Sanctus ſit potius Cor.

His facilioribus de Chriſto, ut Eccleſiæ Capite, expeditis antequàm difficultati in præfixo titulo expreſſæ ſatisfaciamus determinando, quænam ſit gratia capitalis, ſeu conſtituens caput, Eccleſiæ? ſupereſt inquirere, quid veniat nomine Eccleſiæ, cujus Chriſtus eſt caput, quod quia ampliorem doctrinam continet, quàm ut poſſit brevi reſponſione curſim comprehendi, ſit

Aſſert. 2. Eccleſia, cujus Chriſtus eſt caput, complectitur ſolas & omnes creaturas rationales, quamvis non ſingulas eodem modo, nec in omni ſtatu. Hoc aſſertum ſic univerſaliter poſitum recipitur à Scholaſticis communiſſimè, & poteſt cenſeri de fide, patitur tamen multiplicem etiam inter Catholicos controverſiam in explicandis terminis illis *Non eodem modo, nec pro omni ſtatu*; quæ quidem multiplex in re præſenti controverſia ferè totam ſuam originem ducit à controverſia ſolemniore *lib. præcedent. cap. ſeptimo*, agitata circa decretum Incarnationis antecedens, vel ſubſequens prævisionem originalis, & habens pro motivo myſterij excellentiam vel peccati remedium, ut facilè conſtabit ex ſequentibus, in quibus nos proprijs inſiſtendo principijs loquemur cohærenter ad decretum ſubſequens prævisionem originalis, & habens pro motivo peccati remedium; at obiter etiam referemus, quomodò loquantur alij cohærenter ad principia oppoſita. Ideò aſſertum.

Probatur & explicatur: Eccleſia ex nominis inſtitutione ſignificat cætum, congrega- 87.
tionem, & quaſi rempublicam rationalem ſeu intellectualem, quæ propterea poteſt ex ſolis rationalibus creaturis conſtitui, & hoc eſt ſingillarim neceſſarium in præſenti, ubi conſideratur Eccleſia per modum corporis recipientis à Chriſto, tanquàm à morali capite, moralem influxum donorum ſpectantium ad ſanctitatem, & vitam ſupernaturalem; ſolæ autem creaturæ rationales ſunt talium donorum capaces, undè quamvis in aliquo ſenſu de quo infrà *n*.98. poſſit Chriſtus dici caput creaturarum irrationalium, non certe in eo, hucuſque oſtenſum eſt ipſum dici caput Eccleſiæ, iſta igitur, ſive ſumatur ſecundum propriam nominis inſtitutionem, ſive ſecundùm quod habet Chriſtum pro capite, importat ſolas creaturas rationales; neque in hoc datur controverſiæ locus, benè verò in

Eccleſia, cujus Chriſtus eſt caput, complectitur ſolas creaturas rationales.

eo, quod ſubditur eamdem Eccleſiam, ſecundùm quod habet Chriſtum pro capite, complecti creaturas rationales omnes, quamvis non ſingulas eodem modo, nec in omni ſtatu: pro quo neceſſe eſt diſcurrere per hujuſmodi omnes, & ſingulas creaturas juxta varios ipſarum ſtatus, diverſoſque modos hauriendi à Chriſto donorum ſupernaturalium, influxus; Porro quoad ſtatus debemus conſiderare, tùm in Angelis, tùm in hominibus, ſtatum viæ & ſtatum termini, necnon in via ſtatum gratiæ & ſtatum culpæ; in termino ſtatum beatitudinis & ſtatum damnationis; Prætereà debemus conſiderare in hominibus quoſdam alios ſtatus non communes Angelis, nimirū ſtatum innocentiæ ſeu originalis juſtitiæ, & ſtatum naturæ lapſæ in originale peccatum; item ſtatum quaſi medium inter viam & terminum,

88. Et eas omnes, quamvis non ſingulas eodem modo, nec pro omni ſtatu.

&

& dici poteſt ſtatus termini inchoativè, in quo reperiuntur animæ purgantes, vel etiam aliqua ratione animæ puerorum decedentium cum ſolo originali. Quoad modos influxus alius eſt in ordine ad gratiam & gloriam eſſentialem, alius in ordine ad gratiam & gloriam accidentalem alius eſt potentialis & in actu primo; alius exercitus & in actu ſecundo. Hinc deducendo ad propria capita, & definiendo in particulari, quod univerſaliter & indefinitè aſſertum eſt.

89. *Complectitur omnes Angelos viatores quoad aliqua dona accidentalia.*

Quoad Angelos dico Chriſtum nullatenus eſſe caput malorum pro ſtatu damnationis: pro ſtatu viæ dici poteſt fuiſſe caput ipſorum (ſicut & à fortiori Angelorum bonorum) quoad fidem futuræ Incarnationis & alios actus talem fidem conſequentes, puta admirationem & dilectionem myſterij, humanitatis aſſumendæ cultum & ſimiles, qui quidem actus utpotè voliti à Deo poſt præviſam completam quoad eſſentialia Angelorum viam, ad gratiam accidentalem ſpectabant juxtà infra dicenda *cap. ſeq.* §. 1. in fine.

Item quoad gloriam accidentalem Angelos beatos.

Fuit inſuper Chriſtus bonorum Angelorum caput pro ſtatu termini, at in ordine ad gloriam accidentalem tantum, non in ordine ad gloriam eſſentialem.

Quomodò complectatur primos Parentes.

Quoad homines dico Chriſtum non fuiſſe caput primorum Parentum pro ſtatu innocentiæ, niſi quoad fidem futuræ Incarnationis illi ſtatui accidentalem, & quid ſimile, ut mox dicebamus de Angelis viatoribus: pro ſtatu verò naturæ lapſæ, ſeu poſt lapſum, fuit Chriſtus eorundem primorum Parentum caput ſimpliciter, & in ordine ad gratiam etiam eſſentialem: eſt inſuper caput omnium Poſterorum Adæ pro ſtatu viæ, præſtando tamen aliquibus donorum ſupernaturalium præſertim eſſentialium influxum ſolum in actu Primo: Pro ſtatu termini, aut quaſi termini, eſt caput hominum beatorum, & animarum purgantium, non ſic damnatorum & puerorum defunctorum in originali. In tota hac enumeratione & deductione, quidquid ſpeciali probatione aut explicatione indiget, reduci poteſt ad tria capita; ex quibus

90. Primum ſit Chriſtum quoad eſſentialia & præcipuè quoad gratiam habitualam non fuiſſe caput Angelorum pro ſtatu viæ, nec Primorum Parentum pro ſtatu innocentiæ, quod ſic probo: Angeli in via, & primi Parentes in innocentia, non receperunt ex Chriſti meritis gratiam habitualem, & alia dona ipſam conſequentia, ut ſunt habitus virtutum infuſarum, auxilia actualia ad benè operandum, & inſuper reſpectu Angelorum bonorum finalis perſeverantia; ergo Chriſtus quoad eſſentialia, & præcipuè quoad gratiam habitualem; non fuit caput Angelorum pro ſtatu viæ, nec primorum Parentum pro ſtatu innocentiæ; conſequentia patet, quia ratio capitis in præſenti attenditur penes influxum moralem, ſeu meritorium, in membra, & Chriſtus eſt caput quoad ea, quæ in membra derivantur ex Chriſti meritis; antecedens ex profeſſo probabitur *libro ſequenti, capite quarto, paragrapho primo*. Porrò ex eo, quod Chriſtus non fuerit caput Angelorum in via quoad gratiam habitualem, conſequens eſt pro ſtatu termini non eſſe bonorum beatorumque Angelorum caput quoad gloriam eſſentialem, hæc quippè correſpondet gratiæ habituali collatæ in via, & æquè ac gratia habitualis non fuit in Angelis ex Chriſti meritis; 91.
& licet in hoc puncto de gratia & gloria eſſentiali Angelorum adverſentur nobis plures Scholaſtici, in primis ſcilicet ferè omnes illi, quos *lib. præced. cap. 7. num. 54.* retulimus pro decreto Incarnationis facto antè præviſionem originalis; & præterea Aſturicenſis, Cepullus, alijque nonnulli arbitrati gratiam & gloriam eſſentialem fuiſſe primò decretam Angelis independenter à Chriſto, deinde poſt Chriſtum præviſum fuiſſe ſecundò decretam ut dandam novo titulo ex Chriſti meritis; nihilominùs contra primos Auctores partim egimus *præcit. cap. 7.* partim iterùm agemus *præcit* §. 1. ubi etiam attingemus aliquid contra poſteriores, tanquam loquentes ex arbitrio, & gratis inducentes ſecundum illud decretum, ſecundumque titulum gratiæ & gloriæ eſſentialis in Angelis undè Gonet *hic diſp. 14. artic 4. numer. 81.* ab eis jure quærit, cui bono inſerviant? quidvé aut Chriſto aut beatis Angelis proſint novum decretum & novus titulus fingere.

92. *Chriſtus influit in Angelos beatos gloriam accidentalem.*

Secundum ſit Chriſtum influere in bonos Angelos gloriam accidentalem, & hoc ſufficere, ut ſit ipſorum caput pro ſtatu termini: Influit gloriam accidentalem, meruit enim beatis angelis tum plures illuſtrationes & illuminationes pertinentes, vel ad exercendam cuſtodiam & procurandam ſalutem hominum, vel ad melius cognoſcenda plura myſteria ſupernaturalia præſertim conſequentia incarnationem, & vitam Chriſti; tùm maximè gaudium accidentale de facta ex Chriſti meritis reparatione ſedium à Lucifero & ejus aſſeclis deſertarum: Sufficit autem iſte accidentalis gloriæ influxus ad capitis, prærogativam, quia ex una parte parum tutum eſſet hujuſmodi prærogativam Chriſto reſpectu Angelorum negare, nam illud *ſuprà omnem Eccleſiam* Epheſ. 1. aliquid amplius ſignificat, quàm Eccleſiam ex ſolis hominibus conſtitutam & *Coloſ. 2.* de Chriſto Domino clarè habetur quod ſit *Caput omnis principatus & poteſtatis* quod utrumque incongrue limitaretur ad Chriſtum ut Deum, licet olim ita limitaverint Gabriel, Altiſiodorenſis, & aliqui alij, ad quos nunc vix poſſet ſine cenſura accedi, ut ex Vaſquio, & Lorca monet Gonetus *præcit diſp. 14. num. 40.* ex alia par-
te non eſt de ratione capitis influere, aut eodem modo in omnia membra, aut formam ſubſtantialem in membrum, nam caput ipſum naturale in animali habet diverſum in diverſa membra influxum, & in nullum membrum influit formam ipſam ſubſtantialem animæ; ſed ſolum ſpiritus tanquam proxima principia motus interni neceſſarij ad exercenda propria cujuſque membri munera; à fortiori igitur in corpore morali & myſtico ſufficiet capiti influere in membra non vitam ipſam ſubſtantialem, ideſt gratiam 93.

Et talis influxus ſufficit, ut ſit caput Angelorum pro ſtatu termini.

gloriamvè eſſentialem, ſed donum quodcumque ad talem vitam pertinens, & cauſans, ut ita dicam aliquem ejus motum ſeu actum. Scio aliquos aliundè etiam negare Chriſto ut homini rationem capitis reſpectu Angelorum; nimirùm ex eo, quòd non ſit cum Angelis conſubſtantialis in natura: At hoc non militat ſingillatim contra doctrinam, de qua in præſenti; & prætereà impugnatur obiter, tùm ex eo quia nimis probat, probat enim multo magis Chriſtum ut Deum non eſſe Angelorum caput, tùm quia ad rationem capitis moralis non eſt quærenda tanta conſubſtantialitas, quanta in capite phyſico, & cenſenda eſt ſufficiens conſubſtantialitas generica in gradu naturæ intellectualis. Patior hic de Chriſto ut Angelorum capite plura deſiderari, quia facilia & apud plures Doctores obvia; præſertim verò ex Recentioribus Vaſquium *diſputatio quadrageſima octava & quadrageſima nona*, ex Thomiſtis Gunctum *diſputatio. decima quarta, articulo tertio & quarto*, qui ambo non ſolùm amplè & eruditè, ſed etiam conformiter ad noſtra principia, noſtrumque intentum, rem tractant.

94. Tertium ſit Chriſtum habere in omnes Poſteros Adæ pro ſtatu viæ aliquam, licet in diverſos diverſam, donorum ſupernaturalium influentiam, ex qua jure denominetur omnium caput, ſaltem in actu primo. Quod ſic explico, cum in natura lapſa & reparata omne gratiæ donum, ut aliunde ſuppono, ſit ex Chriſti meritis, adeóque ex morali Chriſti influentia, habebit hanc Chriſtus in omnes Adæ Poſteros pro ſtatu viæ, ſi in iſtis omnibus pro tali ſtatu aliquod gratiæ donum reperiatur, ut verè reperitur; nam juſti poſſident ipſam gratiam habitualem, ſecum afferentem virtutes infuſas, auxilia actualia, aliaſque ſupernaturales perfectiones; fideles exiſtentes in lethali retinent habitus fidei & ſpei, & ſæpè erumpunt in bonas cogitationes, & pias affectiones ſupernaturales, quibus excitantur ad pœnitendum: Infideles ſive pagani ſint, ſive Iudæi, ſive hæretici recipiunt aliquas divinas illuſtrationes, illuminationes, motiones, quibus vocantur ad fidem; quælibet igitur hominum conditio habet ex Chriſti meritis aliquod, licet diverſum, gratiæ donum; & quia ex jam dictis influentia gratiæ etiam accidentalis & per modum motionis ſufficit ad tribuendam Chriſto veram denominationem capitis, conſequens eſt omnes enumeratas hominum conditiones recipere influentiam, ex qua Chriſtus jure denominetur omnium caput, ſaltem in actu primo;

Chriſtus habet pro ſtatu viæ etiam in peccatores & in infideles influxum ſufficientem ut ſit ipſorum caput.

95. ſaltem, inquam, in actu primo, quia Thomiſtæ communiter putant infideles non eſſe Eccleſiæ membra actu, ſed potentia tantùm, quatenùs poſſunt per baptiſmum Eccleſiam ingredi, & cum alijs membris per fidem colligari, eademque ratione docent Chriſtum eſſe ſolum potentia & in actu primo, infidelium caput; adeò ut influentia moralis donorum accidentalium gratiæ ſufficiat ad denominandum Chriſtum actu caput ſolùm, quando exercetur in eos, qui jam aliundè actu ad Eccleſiam pertinent, & intrà ipſum exiſtunt ſaltem per unitatem fidei, imò Turrecremata *lib. 1. ſumma cap 8 ad 7.* & Canus *lib. 4. de locis theolog. cap. ult. ad 9.* requirunt ulterius unitatem charitatis & gratiæ; eo quod ſecùs ſint membra mortua, nec ampliùs ad corpus vivum pertinentia: fateor juſtos perfectiùs, quàm peccatores; fideles perfectius, quam infideles eſſe membra Eccleſiæ, tanquam corporis & Chriſti tanquam capitis; Utrùm hinc infideles, aut etiam peccatores, dici debeant membra ſolùm potentia, & in actu primo? ſpectat ad modum loquendi, & multum accedit ad quæſtionem de nomine: Hoc certum ſic membra abſciſſa, aut arida quodammodò, & mortua, aliter ſe habere ad caput myſticum de quo in præſenti, ac ſe habeant ad caput naturale; nam caput myſticum Chriſtus Dominus poteſt ea vivificare & ſibi conjungere, non ſic caput naturale quod habet ſolùm virtutem conſervandi, & vitaliter movendi, membra viva, ac ſibi conjuncta; ideò caput myſticum eſt, vel actu, vel ſaltem potentia, tale etiam in ordine ad membra mortua, arida, abſciſſa; caput naturale non item.

Supereſt aliquid dicendum de pueris, quorum quadruplex conditio eſſe poteſt; Prima eorum, qui adhuc ſunt in utero materno, Secunda eorum, qui ex utero materno egreſſi nondum receperunt baptiſmum, Tertia eorum, qui baptiſmo nondùm recepto deceſſerunt, Quarta eorum, qui baptiſmum receperunt. Quoad iſtos poſtremos nullum eſt dubium, quin Chriſto capite gaudeant, cum ei uniantur per gratiam & charitatem, & ab ipſo hauriant influxum eſſentialem vitæ ſupernaturalis, quamvis non influxum accidentalem in ordine ad talis vitæ motus. Quoad eos, qui baptiſmo nondùm recepto deceſſerunt, licet aliquid recepturi ſint ex Chriſti meritis, & fortè beatitudinem naturalem poſt diem judicij, adhuc Chriſtus non eſt ſimpliciter dicendus ipſorum caput, quia ratio capitis in præſenti attenditur penes influxum donorum ſupernaturalium. Quoad nondum baptizatos, hujus tamen vitæ uſura fruentes, etiamſi adhuc ſint in utero materno, habent Chriſtum pro capite, quia ſunt capaces recipiendi influxum Chriſti ſupernaturalem, vel medijs Parentibus quibus ſæpè dantur per Chriſtum ſpecialia auxilia & bonæ cogitationes in ordine ad bonum pueri, vel etiam immediatè in ſe ipſis, cum de facto aliqui fuerint in utero materno ex Chriſti meritis ſanctificati. Utrùm deinde Chriſtus ſit potentia tantùm, an etiam actu, talium puerorum caput? idem dicito, quod de infidelibus adultis. 96.

Habet pariter influxum ſufficientem ut ſit caput puerorum exceptis ijs, qui in originali deceſſerunt.

Ex his habes inter omnes Adæ Poſteros ſolos reprobos jam in ſtatu damnationis exiſtentes, nec actu, nec potentia eſſe Chriſti membra, quia iſti ſoli nequeunt ampliùs Chriſto conjungi in unitatem vitæ ſupernaturalis, iſti ſoli ſunt incapaces recipiendi aliquod gratiæ donum & licet ſi baptizati deceſſerint, retineant baptiſmi characterem, hunc tamen retinent in dedecus & in notam deſertionis, 97.

deſertionis, non ex Christi meritis ut donum gratiæ; ideò nihil habent, ex quo Christus poſſit ipſorum caput denominari in eo ſenſu, in quo denominatur caput Eccleſiæ. Non ta-
98. men propterea exiſtimes Christum eſſe damnatorum caput ſolùm in ea latiſſima ſignificatione, qua dici poteſt caput omnium prorsùs creaturarum, etiam irrationalium, quatenùs eſt quid omnibus ſuperius & excellentius, omnibus denominatur, omnia gubernat, & naturam aſſumptam perficiendo perficit aliqualiter omnes rerum gradus in natura aſſumpta contentos, ut attigimus *lib. præcedent. cap. 2. paragrapho 2.* Non, inquam, id exiſtimes, quia in primis damnati, ſive homines ſint, ſive Angeli, habent radicalem quamdam & remotam donorum ſupernaturalium recipiendorum potentiam, & ex ſtatus tantùm, non ex naturæ conditione, carent potentia proxima, ſecùs creaturæ irrationales: Dominium item & regimen, quod in illos perfectius eſt eo, quod in iſtas Christus exercet; cum damnati poſſint ab intrinſeco, ex cognitione & moraliter duci ad obediendum, & exequenda imperia; non ſic creaturæ irrationales. Comprehendendo deindè damnatorum nomine parvulos in originali defunctos, habent iſti adhuc ſpecialiori modo Christum pro capite, quatenus ex Christi meritis recepturi ſunt aliquod donum gratiæ, licet naturalis ut obiter innuunt Arriaga *diſput. trigeſimaſecunda, numer. 50.* Gabriel à S. Vincentio *diſput. 8. numer. 48.* & nos ipſi attigimus *præcedent. numer. 96.*

99. Aſſert. 3. Quamvis in aliquo ſenſu gratia capitalis in Christo ſit eadem cum habituali, ſimpliciter tamen & abſolutè melius dicitur eadem cum gratia unionis, diſtincta verò & diverſa à gratia habituali. Ita Suarez *diſput. 23. ſec. 2.* Vaſquez *diſput. quadrageſimaoctava, cap. 4.* Amicus *diſput. 17. numer. 36.* Maratius *diſp. 14 ſec. 9.* & reliqui Recentiores magis communiter contra Bonaventuram *in 3. diſt. 13. artic. 2. quæſt. 2.* Marſilium *quæſt. 10. artic. 1. dub. 3.* Alenſem *3. par. quæſtion. 11. memb. 3.* & alios *cap. præcedent. numer 3.* relatos pro ſententia tribuente ſoli gratiæ habituali ſanctificationem formalem humanitatis Christi: Item contra Medinam *hic quæſt. 8 art 5* Joannem à S. Thoma *diſput. 10. art. 1.* Gonetum *diſp. 14. artic. 5.* & alios Thomiſtas volentes gratiam capitalem Christi importare gratiam unionis ſolùm in radice, & de connotato; cui dicendi modo favet quidem S. Doctor *eod. artic. 5.* at non ita expreſsè, quin relinquat noſtro aſſerto locum, eique faveat *art. 6. ſeq.* docens ſoli Christo convenire eſſe caput Eccleſiæ ſimpliciter & ſecundùm internum influxum, addit hunc internum influxum provenire ab humanitate, quæ *ex hoc quod eſt divinitati conjuncta* (ecce gratiam unionis) *habet virtutem juſtificandi*; hinc Valentia *quæſt. octava, punc. primo*, Madernus *quæſtio. quinta, articul. ſeptimo, numer. nono*, & aliqui alij putant ſe magis accedere ad mentem D. Thomæ dicendo gratiam capitalem quaſi indiviſim conſtitui ex gratia habituali, & ex gratia unionis ſimul.

Gratia capitalis ſimpliciter loquendo eſt gratia unionis potiùs, quam gratia habitualis.

Probatur & explicatur: Quamvis gratia 100.
habitualis in Christo medijs habitibus virtutum ſit proximum & connaturale principium eliciendi opera ſupernaturalia, quibus Christus moraliter influit in omnia Eccleſiæ membra; illud tamen, ex quo talia opera formaliter habent valorem moralem & condignitatem ad merendum alijs quodcumque gratiæ donum, eſt gratia unionis ſeu ſubſtantialis ſanctitas, quæ ex ſupra dictis ſanctificat formaliter per ſe ipſam & dignificat, tùm humanitatem, tum quidquid humanitati inexiſtit; ergo quamvis gratia capitalis in Christo ſit in aliquo ſenſu eadem cum gratia habituali, ſimpliciter tamen & abſolutè meliùs dicitur &c. Confirmatur ex eo, quia ſi detur, ut dari poteſt, in Christo gratia unionis ſine gratia habituali actus eliciti, vel dependenter à ſolis habitibus virtutum, vel ſi iſtos etiam auferas dependenter à ſolis auxilijs actualibus adhuc habebunt valorem moralem ad condignè merendum alijs ſeu ad influendum moraliter: ex adverſo ſi auferas ab humanitate Christi gratiam unionis & ſanctitatem ſubſtantialem, relinquendo totam, quanta nunc eſt gratiam habitualem ſanctitatemque accidentalem, opera quæ elicientur non erunt condignè meritoria alijs, nec humanitas dicetur habere gratiam capitalem, ſignum eſt igitur, quod gratia capitalis eſt idem cum gratia unionis, non cum gratia habituali, & quod hæc de facto gratiam capitalem ingreditur ex quadam connaturalitate & congruentia, non eſſentialiter & ex neceſſitate; hincque obiter impugnatur opinio ultimo loco adducta gratiam capitalem quaſi æqualiter & indiviſim conſtituens ex habituali & unionis.
Ex his omnibus ſic conſtruo in forma argu- 101.
mentum: Illa eſt ſimpliciter & abſolutè gratia capitalis, ex qua habetur formaliter virtus influendi in omnia Eccleſiæ membra, & quâ ſolâ poſitâ ponitur, qua ſola ablata aufertur talis virtus; atqui ex mox dictis hujuſmodi eſt gratia unionis, non gratia habitualis; ergo.

Dices: Gratia capitalis ſimpliciter & abſolutè eſt illa, per quam Christus conſtituitur in ratione principij activi & operativi; atqui in tali ratione conſtituitur per gratiam habitualem, non per gratiam unionis; cum gratia habitualis etiam per nos *ex præced. numer. decimoſexto*, ſit in Christo neceſſaria ad operandum, gratia verò unionis detur ad ſubſiſtendum & terminandum; ſubſiſtentia autem & terminatio ex genere ſuo non conſtituat in ratione principij operativi, nec requiratur ad operationem, niſi ad ſummum ut conditio & connotatum; ergo gratia capitalis ſimpliciter & abſolutè eſt gratia habitualis, non gratia unionis; hæcque requiritur ſolùm ut conditio & connotatum: Major ſupponitur ex eo, quia ſæpiùs dictum eſt gratiam capitalem attendi penes influxum in membra, poſſe autem influere appellat principium activum

102. & opetativum. Sed contrà : Inſtantia ſi quid probat, probat gratiam capitalem collocandam eſſe ſimpliciter & abſolutè in per ſe infuſis virturum habitibus, non in gratia ipſa habituali; utpotè quæ rationem principij operativi, quam tribuit, non per ſe immediatè tribuit, ſed per habitus virtutum: re ipſa tamen neque in habitibus per ſe infuſis collocanda eſt gratia capitis; nam in ordine ad Eccleſiæ membra ratio principij activi, in qua Cbriſtus conſtituitur formaliter per habitus virtutum, radicaliter per habitum gratiæ, eſt ratio principij activi pbyſicè; influxus penes quem attenditur gratia capitalis eſt influxus moralis proveniens à principio, non phyſicè efficiente, ſed moraliter dignificante; principium autem moraliter dignificans in Chriſto propria opera, eaque reddens meritoria pro alijs, eſt ſimpliciter & abſolutè gratia unionis; hæc igitur ſola eſt ſimpliciter & abſolutè gratia capitis; cum maximè etiam ab eadem ſola habeat Chriſtus alias minus præcipuas capitis prærogativas, nimirùm primitatem & ſuperioritatem ad cætera membra, poteſtatemque ea exteriùs regendi & gubernandi.

Gratia habitualis conſtituit Chriſtum in ratione principij operativi phyſicè, non operativi moraliter ſeu dignificativi.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE CHRISTI SATISFACTIONE, ET MERITO.

DVM divinæ hypoſtaſi velamen carnis obducitur, & aſſumpta ſervi ſpecie retunditur ſplendor Deitatis, aſſurgunt quodammodo ex novitate Myſterij nova attributa divinis, quæ occultantur affinia; & in ipſo ſervilis ſpeciei ſqualore illuſtriores radios exerit latens Majeſtas: Deus ſcilicet hypoſtaticæ unionis vinculo nobis ſe alligans, dum omnipotentiam obtegit, omnimeientiam omnipotentiæ æmulam manifeſtat; noſtramque præferens vilitatem, copioſam ſatisfactionem exhibet, qua ſummæ Majeſtatis dignitas eò magis proditur, quò magis deprimitur: Nec certè modico jure deducitur ab omnipotentia ad omnipotentiam comparatio; quantum enim uni debet univerſum conditum, tantumdem debet alteri univerſum reparatum, & ſicuti nulli eſt impar operi Chriſti poteotia, ità nulli eſt impar præmio Chriſti meritum, nulli impar debito Chriſti ſatisfactio: Homo purus obeſſe ſibi poteſt plurimùm, parùm prodeſſe; malè magis, quàm benè mereri; eſt in propriam perniciem, io divinam offenſam facilis; ad integram ſui inſtaurationem, ad perfectam Dei placationem impotens, ne dum difficilis: Homo Deus plurimis gaudet bonis meritis quibus proſit, merita mala neſcit quibus noceat; offenſam nullam vel leviſſimam irrogat, omnem vel graviſſimam abundè compenſat; totus in ſe perfectus, totus alios perficit aliiſque proficit. Expeditis igitur ijs, quibus Chriſtus in ſe perfectus coostituitur procedimus ad ſatisfactionem & meritum, quibus ad noſtrum profectum operatur, noſtraque inſtaurat detrimenta: Quia verò, tum ſatisfactio, tum meritum, penes moralem operum valorem attenditur, ſit

CAPVT I.

De morali valore Operum Chriſti.

1. SATISFACTIO, quæ offertur pro debito reali tanquàm pura rei ad rem compenſatio, abſtrahit à valore morali, ſic qui centum alteri debet, reddendo centum totaliter ſatisfacit, etiamſi reddat actu neceſſario, & nullum habente moralem valorem: At ubi ſatisfactio offertur pro debito perſonali, & tanquàm compenſatio injuriæ ſeu offenſæ in perſonam illatæ, omninò requiritur valor moralis; honor enim per offenſam læſus & per ſatisfactionem inſtaurandus aliquid morale eſt, utpotè in morali potiſſimùm æſtimatione conſiſtens: Cum igitur ſatisfactio, de qua in præſenti, ſit ſatisfactio pro offenſa, jure diximus ipſam, ſicut & meritum, attendi penes valorem moralem, & hunc, tanquàm ſatisfactioni & merito communem, jure primis hujus libri paginis expendimus: Suppoſito verò, quòd in operibus humanis ex genere ſuo valor moralis nihil ſit aliud, quam dignitas quædam ſeu æſtimabilitas, examinanda ſunt ea, quæ quoad talem dignitatem, ſeu æſtimabilitatem, propria ſunt operum ab humanitate Chriſti procedentium: Ideò ſit

§. I.

Undè formaliter habeatur, & in quonam formaliter conſiſtat moralis valor proprius operum Chriſti.

ASSERT. 1. Moralis valor operum Chriſti proprius habetur formaliter ex perſonalitate 1.

ſonalitate Verbi, & natura divina, & formaliter conſiſtiţ in unione morali talium operum cum ea perſonalitate & natura, ſeu cum ſanctitate ſubſtantiali, & increata. De hoc aſſerto pauciores Scholaſtici ſub proprijs & expreſſis terminis diſſerunt, exiſtimo tamen quoad rem in eo ferè omnes convenire, præſertim verò illos, qui ut retulimus *præcedent. cap.6. §.1.* ponunt humanitatem Chriſti ſanctificari formaliter, & immediatè, ſanctitate ſubſtantiali & increata; imò fortè in modo loquendi magis, quàm in re ipſa adverſantur Albertinus *coroll.* 18. *punc.*4.*num.*48. collocans valorem moralem operum Chriſti in denominatione extrinſeca à dignitate perſonæ, & qui eundem valorem collocant in relatione ad Verbum, vel reali cum Cabrera *hic diſp.*5.*conc.*3. vel rationis cum quibuſdam Modernis tacito nomine memoratis ab Amico *diſp.* 5. *ſec.*9. & Gabriele à S. Vincentio *diſp.*1.*dub.*11.§.2.

Valor moralis operum Chriſti, alius ipſorum proprius, alius communis operibus cæterorum juſtorum.

Dixi *operum Chriſti proprius*, quia datur inſuper in Chriſti operibus valor alius communis cæteris juſtis, ejuſdem ſcilicet rationis cum eo, quem habent opera cæterorum juſtorum, & iſte partim ex objecto formali, partim ex gratia habituali deſumitur nec ſpeciali nunc indiget diſcuſſione, poſtquàm ſuprà explicatum eſt gratiam habitualem in Chriſto eſſe ejuſdem rationis cum noſtra eſſentialiter ſeu phyſicè, & quamvis moraliter eadem gratia habeat ex divino ſuppoſito magnam à noſtra diverſitatem; hoc tamen parùm refert, quia talis diverſitas, ſi quid confert ad valorem moralem operum Chriſti, confert ad valorem ipſorum proprium; non ad valorem, quem habeant communem cum operibus cæterorum juſtorum.

3. Probatur & explicatur aſſertum. Valor moralis operum Chriſti proprius habetur formaliter ex Verbo divino, ut terminante & ſanctificante formaliter humanitatem; haberi enim debet ex aliquo, quod ſit valdè proprium Chriſti, & una ſimul valdè aptum tribuere dignitatem ſeu æſtimabilitatem; nec quidquam eſt magis tale, quàm Verbum divinum ut ſanctificans & terminans humanitatem; atqui Verbum divinum humanitatem terminat formaliter per propriam perſonalitatem, eandemque ſanctificat, tum per perſonalitatem, tum etiam per naturam divinam; ergo moralis valor operum Chriſti proprius habetur formaliter ex perſonalitate Verbi & natura divina, at non per ſolam denominationem extrinſecam à tali perſonalitate & natura, quia ſic nimis deprimeretur valor operum Chriſti, nec major eſſet in actibus Chriſti immanentibus, quàm in tranſeuntibus; non item per relationem, quia quicquid aſſignetur pro ratione eam fundandi meliùs aſſignabitur pro ratione, ex qua formaliter habeatur valor moralis; adeò ut ad hunc conſequatur relatio, quam deinde parùm intererit, utrùm realem dicas, vel rationis? cæterùm à relatione formaliter valorem deſumere eſt facere talem valorem omninò finitum, valdè tenuem; imò etiam ab opere noſtri intellectus dependentem, ſi relatio illa ponatur eſſe relatio rationis. Conſiſtit igitur formaliter moralis valor operum Chriſti non in denominatione à Verbo, non in relatione ad Verbum; ſed in unione cum Verbo, ideſt cum perſonalitate & natura ipſius, quæ quidem unio moralis eſt, tum quia eſt quid morale dignitas, æſtimatio, & valor in tali unione conſiſtens; tum quia eſt unio mediata ex genere ſuo ſicuti ſufficit ad effectum moralem, non ad phyſicum, ità melius dicitur moralis, quam phyſica; eſt autem ſolùm mediata unio operum Chriſti cum perſonalitate Verbi, multoque magis cum natura divina; nam natura divina cum mediatè ſolùm uniatur humanitati, multò magis unietur ſolùm mediatè humanitatis operibus; perſonalitas verò in tantùm immediatè unitur humanitati, in quantum ipſam immediatè terminat; cum igitur in operibus humanitatis, utpotè quæ accidentia ſunt, non inveniat immediatam terminabilitatem ſeu aſſumptibilitatem, conſequens eſt quod nequeat eis immediatè uniri.

Valor moralis operum Chriſti proprius conſiſtit in morali unione ipſorum cum Perſona Verbi.

4. Talis unio eſt mediata.

Dices: iſta unio moralis, & mediata, operum Chriſti cum perſona Verbi, vel fit cum Perſona Verbi ſolùm tanquam cum principio operativo & mediatè influxivo in ipſa opera, vel fit cum eadem tanquam cum forma ſuo modo ſanctificante; atqui neutrum rectè explicat valorem moralem operum Christi, non primum, quia unio cum aliquo, tanquam cum principio operativo eſt ex genere ſuo, tanquam cum aliquo extrinſeco, & convenit operibus tranſeuntibus æquè, ac immanentibus; in propoſito autem agitur de valore morali, qui intrinſecus ſit, & operum immanentium proprius: Non ſecundum, quia forma ſanctificans ſubjectum non dignificat operationes ejus, niſi ſimul in ipſas influat, ſic gratia habitualis ſanctificans ſubſtantiam animæ non omnes animæ operationes condignificat ad ſupernaturale præmium, ſed eas ſolas in quas eadem gratia habitualis influit, ſolas ſcilicet operationes ſupernaturales; ſimiliter igitur perſona Verbi ex eo quod ſit ſuo modo forma ſanctificans humanitatem, non per hoc præciſè conferet dignitatem & valorem moralem humanitatis operibus. Sed contra: occaſione hujus inſtantiæ

Adverto perſonalitatem Verbi in Chriſto duplicem habere rationem principij, ſeu quaſi principij operativi; alteram ſimilem ei, quam exercet in nobis gratia habitualis, & per quam exigendo tanquam ſuas proprietates virtutum per ſe infuſarum habitus cenſetur medijs ipſis habitibus influere in omnes virtutum per ſe infuſarum actus; alteram ſimilem ei, quam exercet in qualibet natura creata ſubſiſtentia propria, & qua ſaltem per modum conditionis connaturaliter requiſitæ complet naturam humanam in ordine ad operandum conſtituendo illam in ratione principij *quod*: Primo modo perſonalitas Verbi eſt in humanitate Chriſti principium operativum ſolùm relatè ad actus ſupernaturales; ſecundo modo eſt principium operativum, aut potiùs quaſi operativum, etiam relatè ad actus naturales, imò ad quaſcunque 5.

humani

humanitatis operationes etiam non morales & non liberas. Hac animadverſione præmiſſa.

6.
Et ſic cum perſona Verbi, tùm tanquam cum principio operante, tum tanquam cum forma ſanctificante.

Ad inſtantiam dico opera Chriſti uniri cum Perſona Verbi, tùm tanquam cum principio operativo, tùm tanquam cum forma ſanctificante & licet aut ſola ratio principij operativi, aut ſola ratio formæ immediatè ſanctificantis ſubjectum, non ſufficiat ad tribuendum operibus illum valorem moralem, de quo in propoſito, ſufficit tamen utraque ratio ſimul: Hinc dico unionem cum aliquo tanquam cum principio operativo eſſe tanquam cum aliquo extrinſeco; ſi tale principium exerceat puram rationem efficientis; ſecùs ſi una ſimul exerceat munus formæ ſeu termini intrinſeci, quamvis deindè ornatur ſolum mediatè. Permitto deindè formam ſanctificantem ſubjectum non dignificare operationes ejus, niſi in ipſas influat; at nihil ex hoc contra nos quia ex modo dictis perſonalitas Verbi mediatè influit in omnes operationes humanitatis. Neque dicas, ſaltem in actus naturales non magis influit perſonalitas Verbi, quàm gratia habitualis; ergo ſicuti iſta, quia non influit in actus naturales, ipſos non dignificat, ita nec actus naturales humanitatis Chriſti dignificabit Verbi perſonalitas, ſeu gratia unionis. Contrà enim; quamvis ſtrictè, & per modum principij propriè influxivi, perſonalitas Verbi nullatenùs influat in operationes naturales, ſicut nec in iſtas influit habitualis gratia; latiùs tamen, & per modum quaſi principij ſeu conditionis ex parte principij ſe tenentis, perſonalitas Verbi, non gratia habitualis in operationes naturales influit, ut animadverſum eſt, ideò &c. Præterea ſi quis neget formam ſanctificantem ſubjectum non dignificare operationes ejus, niſi in ipſas influat; ſi quis, inquam, hoc neget, dicere poterit gratiam habitualem ſanctificando animam non dignificare actus ipſius naturales, non præcisè quia in iſtos non influat, ſed quia iſti, qua tales, incapaces ſunt dignificationis ſeu moralitatis ſupernaturalis, quam tamen ſolam habitualis gratia poteſt conferre: At perſonalitas Verbi, utpotè quæ continet ſubſiſtentiam naturalem, & præſtat etiam id ipſum, quod iſta præſtaret, optimè poteſt conferre valorem moralem, & dignitatem naturalis ordinis, cujus certè ſunt capaces naturales virtutum actus; iſti igitur ex unione mediata cum Perſona Verbi independenter ab eo, quod terminent ullum talis perſonæ influxum, aquirunt maximam dignitatem naturalem; & maximum valorem moralem in ordine ad præmium naturale; ex pura verò unione mediata cum gratia habituali nullam dignitatem, neque naturalem, neque ſupernaturalem, naturales actus aquirunt; quia naturalem nequit habitualis gratia conferre, ſupernaturalem nequeunt naturales actus recipere, ideò &c.

7.
Cur gratia unionis potiùs, quam gratia habitualis, tribuat dignitatem & valorem moralem actibus naturalibus.

8.
Quomodò diverſi actus humanitatis habeant ex Perſona Verbi diverſam dignificationem.

Ex his habes diverſos humanitatis Chriſti actus diverſimodè à Verbi Perſona dignificari; illos ſcilicet, qui neceſſarij ſunt & non in genere moris, dignificari ſolum phyſicè, & magnam quidem æſtimationem aquirere, prout æſtimatio importat dignitatem venerationis, & cultus; at non prout importat dignitatem præmij, quæ ſola denominatur valor moralis: illos qui tranſeuntes ſunt, dignificari ſolùm extrinſecè, id eſt per denominationem extrinſecam à Verbo, tanquam à principio efficiente, aut potiùs tanquam à conſtituente humanitatem in ratione principij *quod*: illos, qui in genere moris naturales ſunt, dignificari quidem moraliter, & dummodò immanentes ſint, aquirere magnum valorem moralem intrinſecum at ſolùm relatè ad præmium naturale: illos tandem, qui ſunt in genere moris ſupernaturales, & immanentes dignificari ~~excellentius~~, quàm alij omnes, dignificari ſcilicet moraliter, non phyſicè tantùm à Perſona Verbi mediatè unita etiam per modum formæ, non præcisè per modum efficientis; & aquirere valorem moralem intrinſecum relatè ad quodcumque & cujuſcumque ordinis præmium. Porrò actus, quorum valorem moralem, ſatisfactorium, & meritorium, toto hoc libro expendimus, ſunt præcipuè illi ſoli, quos poſtremo loco recenſuimus.

---

§. II.

An & Quomodò infinitus ſit moralis valor proprius operum Chriſti?

9.
Moralis valor proprius operum Chriſti eſt infinitus ſimpliciter.

ASSERT. Moralis valor proprius operum Chriſti eſt infinitus ſimpliciter. Ita Divus Thomas *hic quæſt prima, artic. ſecundo, ad ſecundum.* & *quæſ. ſeptima articul.* 1. *ad* 2. item *quodlib. ſecundo, artic. ſecundo*, Caietanus *quæſtio.* 1. *artic. ſecundo, Ad tertium dub.* Ferrarienſis 4. *contra Gent. capit.* 55. *paragrapho Ad evidentiam* Alenſis 3. *part quæſtio.* 17. *memb.* 4. *articul. ſecundo*, Bonaventura *in* 4. *diſtinctio. decimatertia, artic primo, quæſtio. ſecunda*, Joannes à S. Thoma *diſput.* 2. *articul* 1. Gonetus *diſput.* 4. *articul.* 3. Suarez *diſput.* 4. *ſec.* 4. Vaſquez *diſput.* 5. *capit* 2 Amicus *diſput.* 6. *ſec.* 2. Eſparza *lib.* 9. *quæſtio* 11. Madernus *quæſtio.* 2. *artic.* 7. & Thomiſtæ omnes, nec non plures alij, tùm antiqui tùm recentiores Scholaſtici, contra Gabrielem *in* 3. *diſtinct.* 19. *quæſt. un. articul.* 1. & 2. Marſilium *in* 3. *quæſtio.* 12. *art.* 2. Scotum *in* 3. *diſt.* 9. *quæſt. un.* §. *In iſta quæſtione.* Fabrum *diſp.* 45. *cap.* 2. & 3. Maſtrium *diſp.* 3. *quæſt.* 8. *art.* 1. Radam. 3. *par. controu.* 13. *art.* 2. & reliquos tum Nominales, tùm Scotiſtas, magis communiter cum aliquo tamen inter ſe diſſidio in aſſignando, quid valori operum Chriſti deſit ad infinitatem ſimpliciter.

Probatur: Moralis valor operum Chriſti proprius provenit à dignitate & ſanctitate ſimpliciter infinita, eaque intrinſecè & formaliter ſe habente; ergo talis moralis valor eſt ſimpliciter infinitus, eſt ſcilicet tantus, ut ſicuti non eſt dabilis valor alius proveniens à dignitate & ſanctitate majore, aut magis afficiente ipſa opera, ita non ſit dabilis valor alius major, 10.

 antece

antecedens probatur ex eo, quod jam dictum eſt valorem operum Chriſti proprium provenire à Perſona Verbi operibus illis mediatè unita non præcisè per modum efficientis, ſed etiam per modum formæ, & termini intrinſeci; certè autem dignitas & ſanctitas Perſonæ Verbi, quod idem eſt ac dicere dignitas & ſanctitas ſubſtantialis & increata, eſt ſimpliciter infinita; ergo.

Dices primò; Sanctitas ſubſtantialis, & increata, quamvis in ſe ſimpliciter infinita, non tribuit infinitam ſimpliciter ſanctificationem humanitati, cui immediatè unitur; ergo neque tribuit infinitum ſimpliciter valorem operibus humanitatis, quibus unitur mediatè: antecedens ſupponitur *ex præcedent. capit. ſexto, paragrapho tertio*, conſequentia procedit à pari, imò à fortiori. Sed contrà;

11. Cur in Chriſto dicatur infinitus ſimpliciter valor operum potiùs, quàm infinita ſimpliciter ſanctificatio humanitatis.

Quoad rem quidem tanta eſt ſanctificatio in humanitate Chriſti, quantus eſt moralis valor in ejus operibus, & ſicuti illa, ita iſte habet infinitatem ſolùm in genere participato & creato; quoad modum tamen loquendi hæc infinitas poteſt dici infinitas ſimpliciter reſpectu valoris moralis operum, non reſpectu ſanctificationis naturæ; ratio eſt quia reſpectu valoris operum eſt infinitas omninò ſumma quæ ſit dabilis, & nec in Deo ipſo agnoſcit poſſibilem ullum valorem majorem, cum divini actus ſecundum ſe non ſint capaces valoris moralis ſatisfactorij aut meritorij, non ſic eadem infinitas eſt omninò ſumma reſpectu ſanctificationis naturæ, cum ſanctificatio conveniat etiam Deo ad intra, & hæc ſit major ea, quæ communicatur ad extra humanitati Chriſti: Nec quidquam amplius docuimus *prǽcit.* §.3. ut patebit recolenti, quæ ibi tradidimus.

12. Dices ſecundo: Dignitas & ſanctitas perſonæ Verbi, quamvis in ſe ſimpliciter infinita, unitur tamen humanitati modo finito; atqui ſolùm ut humanitati unitur, tribuit valorem moralem operibus ejus; ergo tribuit talem valorem ſolùm finitum, & modo finito; minor patet quia ſolùm, ut humanitati unitur, applicatur operibus ejus; Major & conſequentia probantur paritate divinæ eſſentiæ, quæ, licet in ratione ſpeciei intelligibilis ſimpliciter infinita, unitur tamen intellectui creato modo finito, & quia ſic unitur, tribuit ei ſolùm finitam virtutem videndi; Confirmatur: accidentalis dignitas gratiæ habitualis, quia ſupernaturalibus actibus applicatur medio influxu, quem in ipſos exercet, tribuit illis valorem moralem ſolùm juxtà menſuram influxus, undè, ut nos ipſi docuimus in tract. de Gratia *lib. quarto, capit. ſeptimo, paragrapho primo*, actus elicitus ab habente majorem gratiam habitualem non eſt majoris valoris, niſi ſit etiam intenſior, & qua talis habeat gratiam ſibi magis applicatam & magis influentem; quin & gratia habitualis infinita ſolùm finitum valorem tribueret actui, cui ſe ſolùm finito modo, finitoque influxu, communicaret; ergo ſimiliter ſubſtantialis dignitas perſonæ Verbi tribuit operibus Chriſti valorem moralem juxta menſuram modi, quo illis applicatur, adeóque ſolùm finitum, ſi illis applicator finito modo, & media finita unione. Sed contrà: In eo, quod abſolutè dicitur ſanctitatem Verbi uniri humanitati modo finito, multiplex ſcrupulus eſſe poteſt, & in noſtris principijs non agnoſcentibus unionem ab extremis diſtinctam, eſt hæc in Chriſto finita ex parte humanitatis, non ex parte Verbi; datâ verò unione quæ ſit entitas diſtincta, erit iſta infinita moraliter ſi non phyſice, vel poterit etiam ſuſtineri infinita phyſice juxta ſuprà dicta de phyſica infinitate gratiæ habitualis, & aliarum plurium perfectionum in Chriſto: His tamen prætermiſſis do inſtantiæ majorem propoſitionem, diſtinguo minorem, ſi ly *ut unitur* reduplicet puram conditionem, concedo; ſi aliter, nego: Ad paritatem divinæ eſſentiæ dico modum finitum, quo intellectui creato unitur, non eſſe puram conditionem, unitur enim modo finito in ratione ſpeciei, quatenùs unitur medio finito lumine; at lumen gloriæ eſt reſpectu viſionis comprincipium, non pura conditio: Deindè divina eſſentia intellectui unitur in ordine ad præſtandum effectum phyſicum in genere efficientis, ſanctitas autem ſubſtantialis unitur humanitati, & operibus ejus, in ordine ad præſtandum effectum moralem in genere cauſæ quaſi formalis; difficiliùs autem poteſt limitari, & eſſe ſuo principio inadæquatus effectus formalis moralis, quàm effectus phyſicus in genere efficientis. 13.

Ad confirmationem omiſſo antecedente nego conſequentiam & præter diſparitatem poſitam illo *eod.* §. 1. *n.*8. præſto eſt diſparitas alia ad doctrinam mox traditam conſequens, & ſita in eo, quod influxus, quo mediante habitualis gratia applicatur ſupernaturalibus actibus, eſt efficientiæ, qua concurrit ad dandam hujuſmodi actibus ſupernaturalitatem imò entitatem, non verò eſt pura applicatio, & mera conditio requiſita ad effectum formalem. 14.

Dices tertiò Valor moralis operum Chriſti conſurgit ex ſtatu viæ, ex bonitate objecti, ex libertate potentiæ, non verò ex ſola dignitate & ſanctitate perſonę Verbi; atqui licèt dignitas & ſanctitas perſonæ Verbi ſit ſimpliciter infinita, reliqua finita ſunt; ergo etiam valor ipſe eſt finitus potiùs, quam infinitus, nec poteſt dici infinitus niſi ſecundùm quid, ideſt ſecundùm quod conſurgit ex dignitate & ſanctitate perſonæ Verbi, probatur hæc conſequentia, quia quando unum ex multis conſurgit, ſeu ad unum multa concurrunt, non eſt infinitum ſimpliciter, niſi ſit infinitum ſecundùm omnia quæ ad ipſum concurrunt, ſeu ex quibus conſurgit; alioqui erit infinitum ſolùm ſecundum aliquid, quod eſt idem ac dicere ſolum ſecundum quid. Sed contra: Infinitum ſimpliciter ſumi poteſt, vel pro eo quod eſt infinitum in omni genere, vel pro eo quo majus dari non poteſt in aliquo determinato genere: Ad infinitum ſimpliciter primo modo tranſeat requiri, quod omnia, ex quibus conſurgit ſeu quæ ad ipſum concurrunt, infinita ſint, ſecus ad infinitum ſimpliciter ſecundo modo; ad hoc enim ſufficit, quod ſit infinitum illud, quod in tali genere præcipuum & formale eſt, cum igitur nunc à nobis

15. Ad infinitum ſimpliciter in aliquo genere non eſt neceſſe, quod infinita ſint omnia ex quibus conſurgit.

opera

opera Chriſti aſſerantur infinita ſolum in genere valoris moralis, & iſte principalius, & tanquam à forma, habeatur à dignitate ſeu ſanctitate perſonæ; ſufficit iſtius infinitas ad hoc, ut illa opera reddantur in genere valoris moralis ſimpliciter infinita.

Dices quartò: Si valor moralis operum Chriſti eſt ſimpliciter infinitus, adeò ut non ſit dabilis valor major, ſequitur omnia Chriſti opera ſimul non habere majorem valorem, quàm ſingula ſeorſim, & actum intenſiſſimum charitatis non habere pariter valorem majorem, quam habeat actus remiſſus temperantiæ, humilitatis, alteriuſvè inferioris virtutis; hincque ſequelam ulteriùs extendendo infertur omnia Chriſti opera eſſe ejuſdem perfectionis ac bonitatis, & Chriſtum non habere nec habuiſſe libertatem niſi inter bona æqualia, quæ libertas per nos non ſufficit ad merendum; unde tandem valorem meritorium in operibus Chriſti omninò deſtruimus, dum illum contendimus nimis au-

16. gere. Sed contrà: opera Chriſti præter valorem potiſſimum, & ſibi proprium, provenientem à ſubſtantiali dignitate perſonæ habent valorem alium communem omnium juſtorũ operibus provenientem à ſanctitate accidentali, ab intenſione actus, à bonitate objecti, & licet quoad priorem valorem omnia Chriſti opera ſint æqualia, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam (intenſivè loquendo) ſingula omnibus; non ſunt tamen æqualia quoad valorem poſteriorem, ac per conſequens nec quoad ea, ex quibus talis valor derivatur, nimirum quoad influxum habitualis gratiæ, intenſionem actus bonitatem objecti. Porrò inæqualitas requiſita ad meritum attenditur præcipue circa intenſionem actus, & perfectionem objecti, quia circà hæc duo præcipuè exercetur libertas; non verò attendi poteſt penes valorem moralem provenientem à ſubſtantiali dignitate perſonæ, quia iſte non ſubeſt libertati operantis, unde etiamſi per impoſſibile Chriſtus non cognoſceret ſuam infinitam dignitatem perſonalem, adhuc ex iſta redundaret in ejus actus liberos infinitus valor, ſicut etiamſi juſtus neſciat ſe eſſe in gratia, adhuc ex iſta redundat in ejus actus ſupernaturales valor meritorius de condigno: Opera igitur Chriſti, quamvis ſint omnia æqualia in valore morali ſibi proprio, non ideò ſunt ex omni parte ejuſdem bonitatis & perfectionis, non item excludunt inæqualitatem ad merendum requiſitam, nec nos valorem moralem & meritum in Chriſto deſtruimus, dum augemus.

Quomodo omnia Chriſti opera ſint æqualis valoris, & tamen in ipſorum delectu potuerit Chriſtus mereri.

Dices quintò: Opera Chriſti, ut ſint ſatisfactoria vel meritoria apud Deum, indigent favore Dei extrinſeco, & libera ejus acceptatione ſeu deputatione ad obtinendum hoc potiùs, quàm illud; alioqui nulla eſſet ratio, cur Chriſtus non ſatisfecerit etiam pro peccato Angelorum? cur ex Chriſti meritis non decreverit Deus aliam unionem hypoſtaticam? cur ex iiſdem non prædeſtinaverit omnes prorſus homines, aut eos, quos prædeſtinavit, non elegerit ad multo majorem, imò ad infinitam gloriam? atqui non indigerent favore extrinſeco, nec admitterent acceptationem liberam, ſi haberent valorem moralem ſimpliciter infinitum; iſte enim ſi detur neceſſitat ad ſui acceptationem, ſicuti bonum ſimpliciter infinitum neceſſitat ad ſui

17. amorem; ergo. Sed contrà: opus ſatisfactorium vel meritorium non eſt certè tunc ſolùm quando in actu ſecundo compenſat debitum, aut conſequitur præmium; alioqui nunquam haberemus in via meritum gloriæ; ratio igitur meritorij & ſatisfactorij ſalvatur etiam in actu primo, & in aptitudine ad præmij conſecutionem vel debiti compenſationem: Porrò hujuſmodi actus primus eſſe poteſt, vel cum indifferentia, vel cum infallibilitate attingendi actum ſecundum, & quamvis ſit cum indifferentia & ſine infallibilitate attingendi actum ſecundum ſufficit ad ſalvandam in opere propriam rationem ſatisfactorij vel meritorij, ut ſuppono ex tractatu de Gratia *libro quarto, capite ſexto, paragrapho tertio.* Hinc ad inſtantiam directè nego majorem, & dico favorem extrinſecum nullatenus requiri, liberam verò acceptationem ſeu deprecationem requiri ad obtinendum hoc potiùs, quàm illud cum infallibilitate; at non ad aptitudinem obtinendi abſtrahendo ab infallibilitate actus ſecundi, quæ tamen aptitudo ſufficit ad veram rationem operis ſatisfactorij, vel meritorij. Porrò quando quæritur, cur Chriſtus non ſatisfecerit pro peccato Angelorum? cur ex Chriſti meritis Deus non decreverit aliam unionem hypoſtaticam? ſenſus quæſiti eſt cur ſatisfactio Chriſti non fuerit de facto conjuncta cum relaxatione debiti orti ex peccato Angelorum? cur meritum Chriſti non conſequatur de facto infallibiliter aliam unionem hypoſtaticam? adeoque in hujuſmodi quæſitis ſumuntur opera ſatisfactoria & meritoria, ut conjuncta, aut infallibiliter conjungenda, cum ſuo actu ſecundo, quâ ratione facile admitto non dari ſatisfactionem & meritum apud Deum independenter ab acceptatione ſeu ſpeciali deputatione. Quod addebatur valorem moralem, qui ſit ſimpliciter infinitus debere neceſſitare ad ſui acceptationem, falſum prorſus eſt, nec urget paritas boni infiniti; nam bonum infinitum quod ad ſui amorem neceſſitat eſt infinitum in omni genere, & in ordine increato; at valor moralis, quamvis in ſenſu ſuprà inſinuato dicatur infinitus ſimpliciter, eſt tamen infinitus ſolùm in determinato genere, & in ordine creato, ideò &c.

Operi meritorio & ſatisfactorio ſufficit aptitudo compenſandi debitum & obtinendi præmium.

Cætera, quæ ad valorem & infinitatem moralem operum Chriſti pertinent, nequeunt, ut par eſt, tractari niſi deſcendendo magis in particulari ad talia opera ut ſatisfactoria aut ut meritoria, ideò in ſequentibus poterit opportunè ſuppleri quidquid videtur hic deeſſe ad majorem aſſerti valoris infiniti expoſitionem, confirmationem, defenſionem: Sit igitur

CAPVT II.

Quomodo & pro quibus Chriſtus ſatisfecerit?

1. EX eo quod *lib. præced. cap.* 7. pro potiſſimo motivo Incarnationis, ſeu adventus Chriſti, aſſignavimus remedium peccati originalis in primis quod ab Adamo commiſſum ab omnibus ejus Poſteris contrahitur, & deinde etiam cujuſlibet actualis, quod ab ipſis Poſteris multipliciter committitur conſequens eſt Chriſtum pro peccatis humani generis attuliſſe remedium, adeóque exhibuiſſe ſanctificationem; neque enim illud ſine iſta potuit perfectum eſſe, & completum: Iure propterea non revocamus in quæſtionem, utrùm Chriſtus pro peccatis ſatisfecerit? Sed parte affirmativa ſuppoſita quærimus ſatisfactionis modum, utrùm ſcilicet ſatisfecerit condignè? utrùm ſuperabundanter? utrùm ex juſtitia? utrùm ex aliqua alia ſpeciali virtute? & tandem utrùm Chriſtus pro omnibus hominibus etiam reprobis ſatisfecerit? unde in præfixo titulo ly *pro quibus* ad perſonas, non ad peccata refertur.

---

§. I.

Vtrùm Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecerit condignè; aut etiam ſuperabundanter?

2. ASSERT. 1. Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecit condignè condignitate proveniente ex intrinſeco valore operum, non ex acceptatione ſeu ordinatione Dei extrinſeca. Hoc aſſertum, quatenus præcisè affirmat ſatisfactionem Chriſti fuiſſe condignam, certum eſt, & communiſſimè receptum, nec negari poteſt, niſi aut non agnoſcendo Chriſtum ut redemptorem, nullamque ei tribuendo pro peccatis ſatisfactionem, quod contrà fidem eſt & traditum ſolùm ab infidelibus, priùs quidem à Iudæis, & deinde etiam ab aliquibus hæreticis, ſignanter à Pelagianis & Abailardo, ut meminit Suarez *hic diſp.* 4. *ſec.* 3. aut non admittendo ullum meritum (eadem erit ratio de ſatisfactione) quod poſſit eſſe condignum apud Deum, quod niſi reducatur ad modum loquendi non caret gravi cenſura, quamvis non ſit formalis error in fide, ut nos ipſi meminimus in tract. de Gratia *lib.* 4. *cap.* 5. *num* 11. Quatenùs poſtea aſſertum addit ſatisfactionis Chriſti condignitatem provenire ex ſolo intrinſeco valore operum cadit etiam inter Catholicos ſub controverſia, & habet adverſarios illos omnes, qui ad meritum condignum apud Deum univerſaliter requirunt extrinſecam Dei ordinationem ſeu acceptationem, hancque ut retulimus *præcit. lib.* 4. *cap.* 6. §. 3. cenſentur requirere præter Durandum Nominales, & Scotus cum ſuis ſaltem ex majori parte nam Maſtrius *diſp.* 3. *quæſt* 8. *art.* 1. & *diſp.* 4. *q.* 3. *art.* 1. & aliqui alij ex ſchola Scotiſtica mitiùs in hoc ſentiunt, & acceptationem Dei ordinationemque extrinſecam putant neceſſariam non ad condignitatem ſatisfactionis & meriti ex parte operantis, ſed ad inducendam ex parte Dei obligationem remittendi offenſam, aut conferendi præmium nec quidquam ampliùs volunt tradidiſſe ſubtilem Doctorem: Ad hunc mitiorem Scotiſtarum ſenſum accedunt plores alij Scholaſtici, quorum meminimus *præcit.* §. 3. *num.* 32. nec nos ipſi inficiamur, quoties intervenit ex parte Dei obligatio, ſive fidelitatis, ſive iuſtitiæ, ſupponi aliquem actum, quo ſe obligaverit; at contendimus talem obligationem, & actum ad eam præſuppoſitum, non ſolùm titulo condignitatis, ſed nec ullo alio titulo, requiri ad ſatisfactionem & meritum, ſive ſumptum in actu primo, ſive etiam in actu ſecundo: Neque hoc eſt in præſenti ſpecialiter probandum, cum ſufficienter deducatur *ex præcitat. paragrapho* 3. ideò aſſertum ſecundùm illud, quod ſpeciali probatione indiget,

Probatur: Omnis ſatisfactio eo ipſo, quòd eſt condigna, eſt talis ex ſolo intrinſeco valore operum. non ex acceptatione ſeu ordinatione Dei extrinſecâ, & eſt de ſubjecto non ſupponente, quòd detur aliqua condignitas ex acceptatione ſeu ordinatione extrinſeca proveniens; atqui Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecit condignè; ergo ſatisfecit condignè condignitate proveniente ex ſolo intrinſeco valore operum &c. Major deducitur ex eo, quod eadem pro re præſenti eſt ratio de condignitate ſatisfactionis, quæ de condignitate meriti; hanc autem provenire non poſſe ex ordinatione extrinſeca conſtat ex tract. de Gratia *præcit.* §. 3. & magis infrà *cap.* 8. §. 6. Minor probatur, tum ex eo quod plures Sancti Patres, quos ſupra memoravimus *cap.* 3. *num.* 31. docent fuiſſe neceſſarium Chriſti adventum ex ſuppoſitione, quod quis deberet pro peccatis condignè ſatisfacere, eſſet autem hoc incongruentiſſimè dictum, ſi Chriſtus poſtquam in peccatorum remedium venit, pro peccatis condignè non ſatisfeciſſet; tum ex eo quia ratio, ob quam nulla puri hominis pro lethali ſatisfactio ſit, aut eſſe poſſit, condigna, non ſolùm non militat, ſed oppoſitum probat in Chriſto; talis enim ratio ſita eſt in eo, quod nulla ſatisfactio puri hominis poſſit eſſe in ſupremo genere ſatisfactionis, verè autem eſt in tali ſupremo genere ſatisfactio Chriſti, & hoc utrũque conſtat ex dictis *præcitat. cap.* 1. §. 5. ergo. Nec affero pro nunc majorem aſſertæ veritatis probationem, habebitur enim hæc à fortiori ex dicendis de ſatisfactionis à Chriſto exhibitæ eminentia, & ſuperabundantia nedum æqualitate & condignitate. Interim

3. Satisfactio Christi fuit condigna ex intrinſeco valore operum.

Dices primò: Si Chriſtus condignè pro peccatis hominum ſatisfecit, non eſt neceſſarium homini adulto ad obtinendam proprij peccati remiſſionem ullum opus proprium, & tamen oppoſitum definitur in Tridentino, quod

Digitized by Google

quod *ſeſſ 6. cap. 5. & 6.* ſtatuit neceſſitatem & modum præparationis, quod peccator debet proprijs actibus ſe ad Deum convertere ut juſtificetur, & *ead. ſeſſ. cap. 14.* in eo, qui juſtificatur aliter, quàm per baptiſmum, requirit ad ſatisfaciendum pro pœna temporali jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia. Sed contrà; Si Chriſtus condignè &c. non eſt neceſſarium homini adulto ullum opus proprium ex naturâ rei, tranſeat; ex divina eaque congruentiſſima ordinatione, nego: eſt autem congruentiſſima ordinatio primò, quia ſicut in phyſicis, ita & in moralibus congruit causas univerſales non excludere conſortium cauſarum particularium, & cauſam primam agere medijs cauſis ſecundis; at Chriſtus reſpectu remiſſionis noſtrorum peccatorum ſe habet, ut cauſa univerſalis & prima ex D. Thom. *quæſt. 49. art. 1. ad 4.* quilibet peccator reſpectu remiſſionis proprij peccati ſe habet, ut cauſa particularis & ſecunda. Secundò, quia congruit adultum non merè paſſive ſe habere in cauſa ſibi voluntaria, & in mutatione ſtatus in quo proprijs ſe actibus collocavit. Præter quod tum actus, quibus ad culpæ remiſſionem diſponimur, tum opera, quæ pro pœnæ temporalis compenſatione exhibemus, proveniunt ex Chriſti meritis & ex Chriſti gratia, adeóque non tam ſunt nova ſatisfactio, quàm extenſio & quaſi pars ſatisfactionis Chriſti. Hinc ſi ad ſatisfactionem peccatorum referatur (poteſt autem & ad alia jure referri) illud Apoſtoli (Coloſ. 1. *adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti,* intelligendum eſt de adimpletione, vel ex ordinatione Dei extrinſeca, vel extenſiva, adeò ut illud, quod paſſionum Chriſti deeſt ad ſatisfactionem pro peccatis, non ſit niſi quædam extenſio valoris earundem paſſionum medijs Apoſtoli pœnalitatibus facta ex divina ordinatione.

4\. Quomodò non obſtante condigna Chriſti ſatisfactione neceſſaria ſint noſtra bona opera pro remiſſione peccatorum.

Dices ſecundò: Noſtra peccata ſunt contra Deum ut Deum, ſatisfactio eſt à Chriſto ut homine; adeóque illorum gravitas habetur à Deo ut Deo, iſtius valor habetur à Chriſto ut homine; atqui Chriſtus ut homo non adæquat Deum ut Deum, ergo valor ſatisfactionis Chriſti non adæquat gravitatem noſtrorum peccatorum; ergo illa non eſt pro iſtis condigna. Sed contra: Satisfactio eſt quidem à Chriſto etiam ut homine, at non ut homine præciſè, imò illud quod præcipuum & formale in ſatisfactione eſt, quodque ei tribuit condignitatem provenit à Chriſto, ut Deo, habetur ſcilicet ex perſonalitate Verbi & natura divina juxta ſupradicta *cap. præcedent. §. 1.* à Chriſto verò ut homine provenit illud, quod minùs præcipuum & materiale eſt, vitalitas ſcilicet, & entitas phyſica operis.

5\. Chriſtus quoad id quod præcipuum & formale in ſatisfactione eſt, ſatisfecit ut Deus.

Urgebis; dum noſtra peccata dicuntur eſſe contrà Deum ut Deum ly *ut Deum* reduplicat Deitatem ſeu naturam divinam, dum ſatisfactio dicitur eſſe à Chriſto etiam ut Deo ly *ut Deo* reduplicat perſonalitatem Verbi; atqui perſonalitas non adæquat naturam divinam; ergo ſatisfactio, etiam prout eſt à Chriſto ut Deo, non adæquat noſtra peccata. Confirmatur: dato, quod ſatisfactio, quatenùs eſt à Chriſto ut Deo, in valore ſuo adæquet gravitatem noſtrorum peccatorum quatenùs ſunt contra Deum; iſtorum tamen gravitas creſcit inſuper ex alio titulo, ex quo non creſcit, imò decreſcit valor ſatisfactionis, nam noſtra peccata fiunt à perſona vili, vilitas autem perſonæ offendentis auget offenſam, ſatisfactio Chriſti fit perſonæ maximè dignæ, dignitas autem perſonæ cui ſatisfit deprimit valorem ſatisfactionis; omnibus igitur penſatis valor ſatisfactionis Chriſti eſt minor, quàm ſit gravitas noſtrorum peccatorum, & ut ſervaretur æqualitas, deberet ſupponi aut ſatisfactio, qua Deus ſatisfaceret homini; aut peccatum, quo unus Deus offenderet alium Deum, nam in primo caſu ſatisfactio eſſet diverſa à ſatisfactione Chriſti, & adæquaretur noſtris peccatis; illa enim fieret à perſona digniſſima viliſſimæ, ſicut in iſtis offenſa fit à perſona viliſſima digniſſimæ; in ſecundo caſu peccatum eſſet diverſum à peccatis noſtris, at adæquaretur à ſatisfactione Chriſti, in illo enim perſona digna aliam æquè dignam offenderet, ſicut in iſta perſona digna alij æquè dignæ ſatisfaceret. Sed contrà: cum in Chriſti operibus valor ſatisfactorius proveniat per nos, licet mediatè, etiam à divina natura, jure dici poteſt ly *ut Deo* non Verbi perſonalitatem præciſè, ſed & divinam naturam reduplicare; quando tamen reduplicaret illam præciſè, parum referret, quia divina perſonalitas eſt omninò ſupremi ordinis, ſicut divina natura, & eſt ejuſdem cum ipſa perfectionis identicè ſi minùs formaliſſimè, & quando tandem major hæc perfectio formaliſſima aliquid conferat ad gravitatem offenſæ; compenſatur id abundè ex modo, quo divina perſonalitas intimiùs, & magis ſecundùm ſe totam, afficit ſatisfactionem Chriſti, quam noſtra peccata afficiat divina natura, ut attingetur infrà *num. 11.* 6.

Ad inſtantiæ confirmationem dico dignitatem Dei offenſi, & vilitatem hominis offendentis; non tribuere peccato gravitatem ſimpliciter & intenſivè majorem, quàm tribuat ſola Dei dignitas; ratio eſt, quia ex una parte dignitas Dei utpotè in ſe ſimpliciter & abſolutè ſuprema atque infinita conſtituit ex ſe præciſè offenſam in ſupremo ordine, eamque reddit infinitam ſi infinita eſſe poteſt; ex alia parte vilitas hominis eſt vilitas comparativa duntaxat, non abſoluta homo ſcilicet non eſt vilis ſecundùm ſe abſolutè, ſed ſolùm relatè ad perſonam digniorem, præcipuè ad Deum, adeoque hominis vilitas non abſolutè, ſed relatè ad Deum offenſum aggravat; dicere autem vilitas aggravat relatè ad Deum eſt ultimò refundere gravitatem offenſæ in ſolam dignitatem Dei; ſi igitur ſatisfactio Chriſti adæquat gravitatem noſtræ offenſæ, quatenus eſt contra Deum, ſeu quatenùs creſcit ex dignitate Dei, adæquat illam ſimpliciter formaliter & intenſivè; nec admodùm refert, quod eadem gravitas aliqualiter creſcat aliundè præcipuè ex noſtra vilitate, dum creſcit ſolùm extenſivè, materialiter, & ſecundùm quid; quod incrementum non eſt æſtimabile, & abunde compenſatur ex intimiore modo, quo Chriſtus afficit ſuam ſatisfactionem, quam

Quomodò noſtrorum peccatorum gravitas creſcat ex noſtra vilitate.

afficiat Deus noſtras offenſas: Hinc ad hypotheſes in inſtantia factas dico illam diverſam ſatisfactionem ſolùm extenſivè fore majorem ea, quam nunc Chriſtus exhibuit; & peccatum illud à noſtris diverſum fore ſolùm extenſivè ſeu materialiter, & ſecundùm quod minùs grave, quam noſtra.

Urgebis adhuc: ergo ſaltem, ſi ſupponatur in peccatore poſitiva & abſoluta vilitas, reſultabit ex hac vilitate gravitas offenſæ ſimpliciter & abſolutè major ea, quæ reſultat ex ſola Dei dignitate, & tunc talem gravitatem non adæquabit valor ſatisfactionis Chriſti; atqui de facto ſæpè contingit dari in nobis peccantibus poſitivam & abſolutam vilitatem; contingit id ſcilicet, quoties novum peccatum committimus exiſtentes jam in alio peccato antecedenter commiſſo, quod certè eſt vilitas ſeu indignitas abſoluta & poſitiva, eaque maxima; ergo ſaltem pro peccatis ſic commiſſis ſatisfactio Chriſti non eſt adæquata & condigna. Sed contrà: Major ad ſummum vera eſt, ſi ſupponatur in peccante poſitiva & abſoluta vilitas, quæ ſubſtantialis ſit & formaliter afficiens actionem peccaminoſam; at vilitas peccati eſt in nobis accidentalis; nec ea, quæ relinquitur ex peccato antecedenter commiſſo, formaliter afficit peccatum, quod de novo committitur: Qua de re ſicut & de tota doctrina hujus inſtantiæ ſemel & iterum inſtauratæ latiùs agit Arriaga *diſp.9. ſec. 1. & 4.* & aliquid etiam attingunt Amicus *diſp 5.num 360.* & *diſp.6. num.14.* necnon Gonetus *diſp.4.art.2 num.37.*

8. Quomodò peccatum ſit in nobis vilitas & indignitas.

Aſſert. 2. Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecit ſuperabundanter & ultrà condignum. Hoc aſſertum invenio receptum æquè communiter, ac aſſertum præcedens; tradunt verò ipſum magis ex profeſſo inter cæteros Suarez *diſp 4. ſec.3. 5. dico tertiò.* Gonetus *diſp 4. art.2. num. 32.* Gabriel à S. Vincentio *diſput.1. dub. 14.* & Madernus *quæſt.2. articul.7.* & 8.

9. Satisfactio Chriſti pro noſtris peccatis fuit ſuperabundans & ultra condignum.

Probatur primo ex ſcriptura Pſalm. 129. *copioſa apud eum redemptio* Rom. 5. *ſed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit:* Quid autem aliud eſt redemptio copioſa, abundantia gratiæ & doni Jeſu Chriſti? quam ſuperabundans ſatisfactio à Chriſto exhibita. Facit hic etiam valdè ad rem illud Job.6. *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc gravior appareret*, quem textum de Chriſti ſatisfactione explicat magnus Gregorius *lib.7.moral. cap.2.* Confirmatur ex Clemente VI. in Extravag. *Vnigenitus* de Pœnitentia & remiſſione peccatorum, dicente *Guttam ſanguinis Chriſti modicam propter unionem ad Verbum ſufficere potuiſſe pro totius humani generis redemptione*: Item ex Agapito *epiſt.1. ad Anthimum*, ubi comparans Chriſtum à peccato nos liberantem cum Adamo peccatum in nos traducente ait *validius fuiſſe donum libertatis, quàm debitum ſervitutis*, donum autem debito validius quid aliud eſt? quam ſatisfactio culpæ ſuperabundans; & redemptionis ſufficientia deducta ad diminutionem illam modicæ guttæ ſanguinis quid aliud indicat? quàm ejuſdem redemptionis in tota Chriſti paſſione exuberantiam. Confirmatur inſuper ex Sanctis Patribus, nam D. Athanaſius *lib. de Incarnatione* circa initium ait de Chriſto *Corpus aſſumpſit, quod pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret, & mortem in omnibus, quaſi ſtipulam igni, conſumeret ſuis meritis & ſatisfactione:* Auctor libri de operibus Cardinalibus Chriſti apud Cyprianum, *ſerm. de Aſcenſione* ait *dubium eſſe non poſſe, quin pretij magnitudine ſuperet negotium. nec æquari poſſit damnum quod damnatio juſtè meretur obedientia Chriſti, qua uſque ad mortem progreſſa eſt, & ultrò ſolvit quod non debebat:* D. Ambroſius *præfat. in pſal.35.* ait *Bonum aurum ſanguis Chriſti, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum.* Plura his ſimilia tùm ab iiſdem alibi, tùm ab alijs Patribus prolata, occurrunt paſſim apud Scholaſticos, ſignanter apud Vaſquium *diſp.5. c.3.* & Suarium *præcit ſec.3.* & *4. ſeq.* nec non Gonetum *præcit. num.32.* & *33. ſeq.*

Probatur ſecundò ratione, quæ quidem facillima eſt, ſi cohærenter ad noſtra principia ſupponamus peccatorum gravitatem, neque in ratione malitiæ, neque in ratione offenſæ, eſſe ſimpliciter infinitam; cum enim ex alia parte jam præaſſertum ſit eſſe ſimpliciter infinitum valorem ſatisfactorium operum Chriſti, tam perſpicuum eſt Chriſti ſatisfactionem valore pretioque ſuo ſuperabundare & ſuperare gravitatem ac debitum peccatorum, quàm perſpicuum ſit ſimpliciter infinitum ſuperabundare, & præponderare ſimpliciter finito, nihilominùs, quia ſuperabundantia ſatisfactionis eſt in majori gradu certitudinis, quàm finita gravitas peccati, deprimitur illa & minori, quàm par eſt, robore comprobatur procedendo dependenter ab ea ſuppoſitione, ideò expedit hanc diſſimulare, & abſtrahendo à peccati finitate & infinitate, ſic univerſalius & validius argumentum conſtruo: Magis creſcit in Chriſto valor ſatisfactionis ex dignitate perſonæ divinæ ſatisfacientis, quàm creſcat in nobis gravitas peccati ex dignitate perſonæ divinæ offenſæ; ergo major eſt valor ſatisfactionis Chriſti, quam gravitas noſtrorum peccatorum, adeoque pro iſtis Chriſtus ſatisfecit ſuperabundanter & ultrà condignum: conſequentia patet, quia, ut Adverſarij ipſi magis communiter conſentiunt & deduci poteſt *ex præced. num.7. & 8.* unicum caput, ex quo per ſe, ſimpliciter, & formaliter creſcit valor ſatisfactionis, & gravitas peccati ſeu offenſæ, eſt dignitas perſonæ, à qua fit ſatisfactio, & cui fit offenſa; ſi igitur ex hoc capite magis creſcit in Chriſto valor ſatisfactionis, quàm in nobis gravitas peccati, conſequens eſt, quòd per ſe, ſimpliciter, & formaliter loquendo valor ille ſit major, quàm iſta gravitas: Antecedens probatur ex eo, quia perſona divina magis intimè, & magis adæquatè afficit ſatisfactionem Chriſti, ſeu ejus opera ſatisfactoria; quàm afficiat noſtra peccata ſeu noſtra opera peccaminoſa; afficit magis intimè, quia afficit per modum formæ & per unionem phyſicam

10.

Idque etiam abſtrahendo à finita vel infinita gravitate peccati.

11. Quomodò magis creſcat ex perſona ſatisfaciente valor ſatisfactionis, quam ex perſona offenſa gravitas peccati.

ſicam licet mediatam, cum noſtra peccata afficiat ſolum per unionem affectivam, & tanquam objectum; vel ſi afficit etiam tanquam ſubjectum ſeu principium paſſivum, quatenus perſona offenſa dicitur offenſam pati, eſt certè hoc valdè improprium reſpectu Dei, qui nec recipit noſtram actionem peccaminoſam nec ex ea in ſe patitur ullam phyſicam realemvè læſionem: Afficit eadem perſona magis adæquate ſatisfactionem Chriſti, quàm noſtra peccata, quia illi communicat indiviſibiliter ſe totam, unde etiam omnia opera ſatisfactoria dignificat æqualiter, ſive magis, ſive minus, cognoſcatur; imò etſi protſus ignoretur (ut attigimus *cap præced. num.* 16.) at noſtra peccata terminat diviſibiliter & magis vel minus, prout magis vel minus cognoſcitur; unde etiam juxtà menſuram cognitionis, & affectus, exiſtentis in peccante reſultat ex dignitate perſonæ, quæ offenditur, major vel minor gravitas in peccato, ſeu in offenſa; ergo à primo ad ultimum ſicut perſona divina magis afficit (& quidem pluribus titulis) ſatisfactionem Chriſti, quam noſtra peccata, ita ex dignitate perſonæ divinæ magis creſcit valor ſatisfactionis Chriſti, quàm gravitas noſtrorum peccatorum, & quantumcunque hæc creſcat, ſupponatur etiam pervenire ad infinitatem ſimpliciter, quia tamen creſcit inferiori modo, & in inferiori genere, ſemper excedetur à valore ſatisfactionis Chriſti & quod dici ſolet unum infinitum non excedi ab alio, non eſſe majus alio, propriè & formaliter procedit ſolùm de infinitis exiſtentibus in eodem genere.

12. Etiamſi iſta ſupponatur adeò creſcere, ut perveniat ad infinitatem ſimpliciter.

Dices primò: Satisfactio Chriſti, ſi eſſet ſuperabundans, non eſſet perfecta, involveret enim imperfectionem ideſt aliquid ſuperfluum; non eſſet conformis recto ordini divinæ providentiæ, poneret enim ex parte medij plùs, quàm requiratur ad finem; non eſſet neceſſaria ad adæquatam divinæ offenſæ compenſationem, ſi enim ipſa ſuperabundat, conſequens eſt quod aliqua alia ſatisfactio minor ſufficiat & adæquet; tandem non eam Deus juſte exegiſſet, non enim juſtè exigitur plus, quàm debeatur; atqui ſatisfactio Chriſti vere eſt perfecta, conformis recto ordini, &c. ergo non eſt ſuperabundans. Sed contrà: nego majorem quoad omnes ſuas partes, ſeu quoad omnes ſuas ſequelas. Ad primam dico non omne, quod ſuperabundat ſuperfluere, ſuperabundat enim quod non eſt per ſe neceſſarium, ſuperfluit autem quod neque eſt neceſſarium per accidens, neque utile ad aliquem finem, at ſatisfactio Chriſti eſt ut mox dicetur neceſſaria per accidens ad adæquatam peccati compenſationem, & quando non eſſet per accidens neceſſaria eſſet ſaltem ad eam utilis, vel quando nec ad eam eſſet utilis, eſſet certè utilis & conveniens dignitati ſatisfacientis, cujus liberalitas & æſtimabilitas valdè relucet in ſatisfaciendo ſuperabundanter. Ad ſecundam dico non eſſe contrà ordinem divinæ providentiæ ponere ex parte medij plus, quam requiratur ad finem per ſe, dummodo illud plus, quod non requiritur per ſe, requiratur per accidens, aut ſaltem conducat ad finem, ſicut verè evenit in caſu noſtro. Ad tertiam diſtinguo, ſi ipſa ſuperabundat & eſt diviſibilis, adeò ut ſuperabundantia ſit per aliquid ſuperadditum æqualitati ac condignitati, conſequens eſt &c. concedo, ſi ipſa ſuperabundat, & conſiſtit in indiviſibili, adeò ut ſuperabundantia habeatur indiviſibiliter per illud ipſum, per quod habetur æqualitas ac condignitas, conſequens eſt &c. nego; in hoc enim caſu ex ſuppoſitione compenſationis adæquatæ neceſſaria eſt per accidens compenſatio ſuperabundans: Ad quartam dico non juſtè exigi plùs, quam debetur, quando poteſt exigi quantùm debetur abſque eo, quod exigatur plus; at quando nequit illud abſque iſto exigi, eo quod debitor poſſit ſolùm reddere aliquid excedens, non aliquid æquale, plùs non quantum, tunc per accidens juſtè exigitur plus, quàm debeatur; ſicut & debitor poteſt per accidens teneri ad reddendum plus, quàm debeat, ſic debens alteri nummum argenteum, & habens dumtaxat nummus aureos majoris valoris, tenebitur ei, præſertim ſi in neceſſitate conſtitutus ſit, nummum aureum reddere.

13. Superabundantia ſatisfactionis quomodo non ſuperfluat.

14. Quomodo non admittat condignitatem in ulla ſatisfactione minore.

Quomodo non injuſtè à Deo exigatur.

Dices ſecundò: Non poteſt ſatisfactivitas, ac per conſequens à fortiori nec ſatisfactio, eſſe major, quam ſit ſatisfactibilitas; atqui eſſet major, ſi eſſet ſuperabundans: ergo in Chriſto ſuperabundans non fuit nec eſſe potuit, minor videtur ex terminis nota, major probatur ex tranſcendentali relatione & eſſentiali connexione inter ſatisfactivum & ſatisfactibile, & ex eo, quod nulla quamvis partialis ſatisfactivitas eſſe poſſit ſine termino ſatisfactibili, ſicut nec intellectivitas ſine termino intelligibili, productivitas ſine termino producibili &c. Sed contra: Satisfactibilitas 15. ſumi poteſt, vel pro paſſiva indigentia, vel pro quacunque paſſiva capacitate ſatisfactionis, hoc ſecundo modo ſumpta ſatisfactibilitate tranſeat, quòd non poſſit eſſe ea major ſatisfactivitas, ſecùs primo modo; quo tamen modo dumtaxat eſt noſtrorum peccatorum ſatisfactibilitate major ſuperabundans Chriſti ſatisfactio, quin & hoc modo eſt major dumtaxat per ſe loquendo, at non per accidens, undè recurrit ferè tota doctrina mox adducta in ſolutione præcedentis inſtantiæ; poteſt præterea cum proportione huc revocari, tum quod ſupra *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 28. & 29. dictum eſt circa naturam jam totaliter terminatam, & tamen adhuc terminabilem, tùm quod dici ſolet in tract. de juſtitia & jure circa repetitam ejuſdem debiti ſolutionem, & in tract. de Pœnitentia circa ſæpiùs iteratam ſacramentalem abſolutionem eorundem peccatorum.

Dices tertiò: Satisfactio Chriſti non eſt valoris ſimpliciter infiniti; ergo non eſt pro 16. peccatis hominum ſuperabundans: præſertim in ea latitudine, qua conati ſumus talem ſuperabundantiam comprobare abſtrahendo ab eo, quod peccatorum gravitas finita ſit, vel infinita; nam, ſi infinita ſit, clarè conſtat valorem ſatisfactionis finitum non ſolùm ipſam non excedere, ſed nec adæquare, & ſatisfactionem non ſolum non eſſe ſuperabundantem, ſed nec eſſe ſufficientem, quamvis deindè ea gravitas finita ſupponatur,

cum

cum tamen ex multitudine & magnitudine
peccatorum plurimum augeatur, non eſt, cur
non adæquet, aut ſaltem non poſſit adæqua-
re valorem, alioqui finitum, ſatisfactionis
Chriſti? Probatur jam antecedens, ſatisfa-
ctio Chriſti eſt valoris ſimpliciter infiniti,
nullum eſſet excogitabile peccatum pro quo
Chriſtus non poſſet condignè ſatisfacere; at-
qui hoc eſt falſum, nam non poſſet Chriſtus
condignè ſatisfacere pro peccato, quod aut
ſupponeretur ipſemet ut homo committe-
re, aut committeret alius qui invincibiliter
putans in Chriſti occiſione occidi ſimul
& deſtrui perſonam Verbi, Chriſtum oc-
cideret ex animo & motivo deſtruendi increa-
tam perſonam Verbi aut etiam totam Trini-
17. tatem, ergo. Sed contra: ex vi intenti præ-
ſentis, & ex puro aſſertæ ſuperabundantiæ
titulo non cogimur ſuſtinere in ſatisfactione
Chriſti valorem ſimpliciter infinitum, unde
omiſſo antecedente poſſet optimè negari con-
ſequentia, & quamvis ſiſtendo in eodem or-
dine quod finitum eſt ab infinito excedatur, &
ab alio finito poſſit adæquari, non ſic quando
fit comparatio inter res diverſorum ordinum,
& quorum unus eſt ſuperior alio, qua ratio-
ne finita Dei viſio à nulla cognitione natura-
li ſive finita ſive infinita; finita ſubſtantia ſpi-
ritualis à nulla ſive finita ſive infinita ſubſtan-
tia corporea, exceedi poteſt, aut adæquari;
cum igitur valor ſatisfactionis Chriſti relatè
ad gravitatem noſtrorum peccatorum ſit ex
doctrina poſita *praced. num* 11. ordinis diverſi
& ſuperioris, ille etiamſi eſſet finitus adhuc
ſuperabundaret, nec poſſet ab iſta, ſive fini-
ta ſive infinita ſupponatur, adæquari; jure
propterea Maderuus *pracit art* 8. docet ex pro-
feſſo ſatisfactionem Chriſti fore pro peccatis
noſtris ſufficientem, etiam quando Chriſti
opera non eſſent valoris infiniti. Nihilomi-
nus, quia ſupra aliunde probavimus valorem
ſimpliciter infinitum in Chriſti operibus, do-
ctrinæ cohærentia poſtulat, ut abſolutè lo-
quendo negemus, quod alioqui poſſet omit-
ti: ideò

Satisfactio Chriſti eſſet ſuperabundans, etiamſi ſupponeretur valoris non ſimpliciter infiniti.

18. Ad inſtantiam nego antecedens; ad cujus
probationem data majore nego minorem, quæ
duplici parte duplicique hypotheſi, conſtat, &
à prima quidem breviſſimè ſe expediunt Sua-
rez *pracitat ſect.* 3.5. *De hac difficultate* & Ma-
deruus *pracit. q.* 2. *art* 6. *num.* 10. dicendo eſſe
conditionalem indignam & impoſſibilem; &
ex ea ſequi quodlibet; eſſe indignam & im-
poſſibilem libentiſſim fateor: at non puto
ſequi ex ea quodlibet magis quàm ex illa alia
Si Spiritus Sanctus non procederet à filio, de
qua ſuo loco, & ex ibi dictis habetur ſuffi-
cientiſſimè, cur nec ſequatur quodlibet ex hac
conditionali *ſi Chriſtus ut homo peccatum com-
mitteret*. Permiſſ. igitur hypotheſi & condi-
tionali non tanquam digna aut poſſibili ſed
tanquam ad doctrinam utili, & ex qua ſequa-
tur unum contradictoriorum determinatè non
quodlibet, adverto hujuſmodi hypotheſim
poſſe vel unicum, vel duplex impoſſibile, in-
volvere: Involvit unicum ſi ſupponatur hu-
manitatem Verbo unitam peccare amittendo
unionem, ita tamen ut Verbum aliam huma-

Quid in hypotheſi, quod Chriſtus peccaret.

nitatem aſſumat, & de Chriſto habente hanc
aliam humanitatem quæratur, an poſſit con-
digne ſatisfacere pro peccato, ex vi cujus prior
humanitas hypoſtaticam unionem amiſit: In-
volvit duplex impoſſibile, ſi ſupponatur hu-
manitatem Verbo unitam peccare retinendo
unionem, & de Chriſto qui peccaverit (ecce
unum impoſſibile) & cum peccato unionem
hypoſtaticam retinuerit (ecce aliud impoſſibi-
le) quæratur, an poſſit condigne ſatisfacere
pro peccato, in quod incidit, & in quo exi-
ſtit? Porrò de hypotheſi hoc poſteriori modo 19.
facta major eſt ratio dubitandi, & negativam
quæſito reſponſionem adhibent Vaſquez *diſ-
put.* 6. *cap.* 7. *num.* 57. Maſtrius *diſp.* 4. *quaſt.* 3.
num. 121. & Durandus *In* 3. *diſput.* 10. *quaſt.* 2.
num 6. affirmativam verò Amicus *diſp* *ſect.* 5.
num 147. Albertinus *coroll.* 18. *punct.* 1. *num.* 13.
Lugus *diſp.* 6. *ſect.* 1. *num.* 29. Arriaga *diſp.* 9.
ſect. 5 *ſubſect.* 1. & alij multi, quibus adhæreo;
ratio eſt, quia in data hypotheſi condignitas
ſatisfactionis neque impeditur ex eo, quod
peccatum commiſſum à Chriſto ſit notabi-
liter gravius quolibet peccato commiſſo à
pura creatura; neque ex eo quod tale pecca-
tum cum unione hypoſtatica perſeveret, &
exiſtat in Chriſto, dum ſatisfacit: Non im-
peditur ex primo capite, quia è contrario il-
lud fortè ex parte perſonæ à quâ committi-
tur eſſet minus grave, eò quod, ſicut offenden-
tis vilitas auget, ita offendentis dignitas mi-
nuat offenſæ gravitatem, quod ſi aliunde, &
præcipuè ex eo, quod fieret cum intenſiſſima
cognitione propriæ malitiæ, & cum oppoſi-
tione ad maxima Dei beneficia foret notabili-
ter gravius noſtris; foret tamen adhuc in eo-
dem ordine cum noſtris, adeòque in ordine
inferiori ad ſatisfactionem Chriſti; foret, in-
quam in eodem ordine cum noſtris, quia or-
do offenſæ maximè ſumitur à dignitate ejus,
qui offenditur, eadem autem dignitas pecca-
to illo offenderetur, quæ peccante noſtris of-
fenditur. Non item impeditur ſatisfactionis, de 20.
qua agitur, condignitas ex ſecundo capite,
nimirum ex perſeverantia peccati, nam vili-
tas, quæ ex peccato in humanitate reſultat eſt
accidentalis, nec prævalet dignitati ſubſtan-
tiali, & ſicuti non reddit prava humanitatis
opera, ita non impedit, quin ex ſuprema &
ſubſtantiali ejuſdem dignitate contrahant va-
lorem moralem ſupremum, & ſimpliciter in-
finitum: & quamvis humanitas ratione pec-
cati eſſet Dei inimica, eſſet tamen inimica ac-
cidentaliter, non ſubſtantialiter, & inimicitia
materialiter ſe habente ad opera, alioqui mo-
raliter bona; ad quæ ex alia parte formaliter
& influxivè ſe haberet amicitia ſubſtantialis,
& dignitas perſonalis ideò &c. exemplificat
hoc Arriaga *pracit. ſubſec.* 1. *num.* 21. in ſubſtan-
tiali Angeli ſupra hominem præcellentia, quæ
illo peccante, nec tollitur, nec minuitur, & ce-
ce explicatum, cur negata fuerit minor illa
inſtantiæ propoſitio, prout primam hypothe-
ſim continet.

Item quod cum peccato unionem hypoſtaticam retineret.

Quoad ſecundam hypotheſim in eadem mi- 21.
nore propoſitione contentam ratio dubitandi
eſſe poteſt, quia ſi opere aliquo deſtrueretur
verè & realiter Deus in ſeipſo, hujuſmodi opus
eſſet

Digitized by Google

eſſet peccatum gravius & malum majus, quàm ut poſſit ullo valore operum Chriſti compenſari,neque enim valor operum Chriſti eſt tantæ æſtimabilitatis, quantæ eſt Deus in ſe ipſo; cum ille ſit quidem ſimpliciter infinitus, at in determinato genere & ordine creato ; iſte ſit ſimpliciter infinitus in omni genere, & in ordine increato;non poteſt igitur Chriſtus operibus ſuis condigne promereri quod Deus fiat de non exiſtente in ſe ipſo exiſtens, ac per conſequens nec condignè ſatisfacere pro peccato, quo Deus eſſet factus de exiſtente in ſe ipſo non exiſtens : atqui huic peccato æquale eſt illud,quo quis invincibiliter putans &c.occideret Chriſtum ex animo & motivo deſtruendi increatam Perſonam Verbi ; nam apud Deum voluntas pro facto reputatur, tantum quis peccat quantum invincibiliter putat ſe peccare ; tantæ eſt gravitatis deſiderium efficax pravi operis ſe ſolo, quantæ ſimul cum ipſa pravi operis executione, & in univerſum actus externus per ſe loquendo non auget demeritum, aut meritum, actus interni ; ergo qui invincibiliter putat & efficaciter vult Deum deſtruere tam peccat,quàm ſi vere deſtrueret.Huic rationi dubitandi aliquid tribuit, & aliquantulùm indulget Amicus *diſp 6. ſec.*1. *num.*19. ubi docet ſatisfactionem Chriſti fore ejuſdem,non altioris ordinis;condignam,non ſuperabundantem,pro peccato invincibiliter putato deſtructivo divinæ Perſonæ;imò *ſec.*4.addit eamdem ſatisfactionem, ut dignificatam ſola perſonalitate Verbi, ne quidem condignam fore pro peccato invincibiliter putato deſtructivo,aut divinæ naturæ, aut triplicis divinæ hypoſtaſis. Contra tamen,

22. **Satisfactio Chriſti eſſet ſuperabundans etiam pro peccato invincibiliter putato deſtructivo Dei.**

quidquid ſit de prima parte rationis dubitandi, ſecunda pars, quæ ſubſumitur, non ſubſiſtit, nec verum eſt peccatum, quo quis invincibiliter putat,& quantùm eſt de ſe efficaciter vult Deum deſtruere,eſſe æquale ei,quo Deus verè & realiter in ſe ipſo deſtrueretur ; & cum dicitur tantùm quis peccat, quantùm invincibiliter putat ſe peccare, tantæ eſt gravitatis deſiderium efficax pravi operis ſe ſolo,quantæ ſimul cum ipsâ pravi operis executione ; verificatur id ſolùm in ordine ad objectum poſſibile;in quo verè poſſit peccatum conſummari, & cujus efficax deſiderium ſit in re , non putativè tantùm tale;nec aliquid amplius requiritur ad hoc,ut actus externus per ſe loquendo non augeat demeritum aut meritum,malitiam aut bonitatem actus interni, ut magis patebit recolenti doctrinam hac de re ex profeſſo poſitam in tract.de Gratia *lib.*4.*cap.*7.§.6. per totum,præſertim verò n.55. Jure igitur negatum eſt Chriſtum non poſſe condignè, aut ſuperabundanter,ſatisfacere pro peccato, quo quis Chriſtum occidiſſet invincibiliter putans ſe ſimul deſtruere increatam perſonam Verbi divini,aut etiam totam Trinitatem.

Urgebis quidquid ſit de hypotheſi,qua quis putet ſe divinam Verbi perſonam deſtruere, nonne occiſio Chriſti præcisè accepta tantum malum inducit, ut non poſſit ullo bono opere ſuperabundanter compenſari ; imò etiam ut non poſſit compenſari condignè ? quoties in Chriſto,qui occideretur,humana natura ſubſiſteret duplici vel triplici divina hypoſtaſi:ergo pro peccato,quo talis occiſio ſcienter patraretur;non poſſet eſſe ſuperabundans Chriſti ſatisfactio,imò nec condigna;antecedens probatur, talis occiſio deſtruit unionem hypoſtaticam, & impedit obſequia ac opera infiniti valoris a natura hypoſtaticè unita procedentia; atqui hæc opera non poſſunt ſuperabundanter compenſari per alia opera Chriſti Domini, imò quando illa priora opera ſupponerentur eſſe opera naturæ dignificatæ duplici, vel triplici divina hypoſtaſi, eſſent magis dignificatà, quàm quæ de facto elicuit humanitas

ſubſiſtens ſola perſonalitate Verbi , ac per conſequens per iſta nequidem condignè poſſent compenſari ; ergo. Sed contra : hic jam conſideratur peccatum ratione damni illati univerſo potiùs , quàm ratione contemptus & offenſæ factæ Deo adeóque ut exigit compenſationem rei ad rem potiùs, quàm ſatisfactionem pro injuria contra Deum; quomodocumque tamen ſumatur ſatisfactio Chriſti ſemper eſt ſaltem condigna ; nam in primis malè ſupponitur in Chriſti occiſione deſtrui unionem hypoſtaticam, deſtruitur enim ſolùm unio inter animam & corpus, ad quam unionem non datur ſpecialis ſubſiſtentiæ terminatio diverſa ab ea, qua terminantur partes ſeparatæ. Malè item ſupponitur impediri obſequia & opera infinitæ valoris , nam iſta poſſunt procedere ab anima Chriſti ſeparata à corpore æquè, ac ab eadem corpori unita : Detur tamen utrumque; poteſt Chriſtus ex dicendis condignè mereri aliam unionem hypoſtaticam, aliud principium operum infiniti valoris , ſicque poteſt condigne compenſare totum damnum, quod objicitur : Nec refert , quod addatur ſuppoſitio naturæ terminatæ triplici ſubſiſtentia, nam hinc reſultat ſolùm major dignificatio extenſiva & ſecundùm quid, non excedens condignum meritum quod naturæ unicâ divinâ ſubſiſtentiâ terminatæ opera, ſaltem multiplicata,habere poſſunt;ut magis conſtabit ex dicendis infrà *cap. ſeq.*§.3. 23.

§. II.

Utrùm Chriſtus ſatisfaciendo ſervaverit rationem formalem juſtitiæ, aut ſaltem aliquas, & quas juſtitiæ conditiones.

ASSERT.1.Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis non ſervavit nec ſervare potuit rationem formalē particularis rigoroſæ juſtitiæ, quæ alia commutativa eſt,alia diſtributiva, & in ſatisfactione Chriſti commutativa eſſet, ſi quæ eſſet. Hoc aſſertum conſequens eſt ad id, quod tr.de Deo Uno *lib.*1.*c.*10. ex profeſſo tradidimus docētes nec dari,nec dari poſſe,in Deo aut ad Deum rigoroſam particularem juſtitiam;unde etiam Auctores quos ibi *n.*8. retulimus,tanquam nobiſcum ſentientes, nobiſcum pariter ſentiunt in præſenti,& ſunt Scotus *in* 3. *diſt.*19. *q.unica* Gabriel *ead. diſt. q.*4. Maſtrius 24.

*diſp.*4. *quæſt* 4. *art.*2. Herincx *diſp.*2. *quæſt.*4. §.) Vaſquez *diſput.*7. *cap* 4. Joannes Lugos *diſput.* 3. *ſec.*1. & 9. Amicus *diſput.*6. *ſec.*7. Eſparza *quæſt.* 12. *art.*1. & reliqui Recentiores magis communiter ſecuti Scotiſtas & Nominales, contrà Suarium *diſput.*4. *ſec.*5. Tannetum *diſput.*1 *quæſt.*2. *dub.*6. Arriagam *diſp* 13, *ſec.*4. Madernum *quæſt.*2. *artic.*9. & alios non paucos Recentiores pro ſe referentes Medinam, Nazarium, Joannem à S. Thomâ, Gonetum, cæteroſque Thomiſtas; at ex iſtis aliqui nomine rigoroſæ juſtitiæ, quam in ſatisfactione Chriſti agnoſcunt, non videntur intelligere niſi rigoroſam perfectamque æqualitatem, undè tandem (ut videre eſt apud Joannem à S. Thoma *diſput.*2. *articul.* 3. *numer.* 22.) ita docent Chriſtum ſatisfeciſſe ex commutativa juſtitia, ut velint hanc eſſe talem eminenter, non verò ejuſdem rationis formalis cum noſtra, idem videtur ſentire Suarez dum *præcitat ſec.*5 § *An verò* juſtitiam commutativam, ex qua Chriſtus ſatisfecit putat eſſe diverſæ rationis ab ea, quæ verſatur inter homines, & addit veriſimiliter non diſtingui à religione; Adverſariorum igitur aliqui in modo loquendi potius quàm in re à nobis diſſentiunt.

25.
Juſtitia particularis dupliciter ſumitur.

Dixi *particularis rigoroſa, juſtitia, quæ alia commutativa eſt, alia diſtributiva*, quia juſtitia particularis poteſt inſuper ſumi pro ea omni, quæ eſt non metaphorica, & vagans per cæteras virtutes, ſed propria & ſpecialis virtus diſtincta à reliquis; quâ ratione *ex præcitat. cap.* 10. *paragrapho* 1. & 6. tùm juſtitia legalis ſeu generalis, tùm juſtitia vindicativa, ſunt juſtitia particularis, & hæc utraque ſicuti ibi in Deo admiſſa eſt, ita nunc ſaltem ex propria ratione formali, & ex genere ſuo, non debet excludi à ſatisfactione quam Deo Chriſtus exhibuit, ſicuti excluditur juſtitia particularis, quæ ad diſtinctionem juſtitiæ tùm legalis tùm vindicativæ dicitur rigoroſa, & vel diſtributiva eſt, vel commutativa; de hac igitur aſſerium

26.
Chriſti ſatisfactio non ſervat, nec ſervare poteſt, rationem formalem juſtitiæ particularis rigoroſæ ſumptæ pro commutativa.

Probatur: Ut Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis ſervaverit, vel ſervare potuerit particularem rigoroſam juſtitiam commutativam quoad propriam ejus rationem formalem, deberet hæc eſſe dabilis in Chriſto ad Deum; atqui non eſt dabilis; ergo Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis non ſervavit, nec ſervare potuit &c. Major conſtat ex terminis, cum enim ſatisfactio pro peccatis fuerit in Chriſto, & à Chriſto ad Deum, quid clariùs, quam in tali ſatisfactione ſervari non poſſe formalem juſtitiæ rationem, niſi hæc ſit dabilis in Chriſto ad Deum. Minor ſupponitur *ex præcit. c.*10. à §. 2. *ad* 6. ubi ex profeſſo oſtenſum eſt juſtitiam particularem rigoroſam, præſertim commutativam, ex genere ſuo & ex propria ratione formali, nimirum ex eo quod importet paſſum & contrapaſſum, abdicationem & aquiſitionem dominij, repugnare abſolutè, ſivè in Deo ad alium, ſive in alio ad Deum, adeò ut nequidem ex pacto & promiſſione poſſit aut Deus alij, aut alius Deo, obligari & debere aliquid ex particulari rigoroſâ juſtitia, præſertim commutativa; undè ſi ibi dicta recolas, & doctrinam univerſalem ad Chriſtum determines, habebis quidquid ad pleniorem præſentis aſſerti comprobationem & propugnationem jure poteſt deſiderari. Nec faciunt hic ſpecialem difficultatem auctoritates aliquæ Scripturæ & Patrum, ut cum dicitur de Chriſto 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio* & Rom. 3. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*: item cum Conſilium Epheſinum *cap.* 7. habet *neceſſarium erat ut hujuſmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amuſſim juſtitiæ exæquaret*: & Auguſtinus *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 13. ait *Non autem diabolus potentiâ Dei, ſed juſtitia ſuperandus fuit.* & cap. 14. *Quæ autem juſtitia qua victus eſt diabolus? quæ, niſi juſtitia Ieſu Chriſti.* Hæ inquam & id genus aliæ auctoritates, quas videre eſt apud Suarium *præcit. diſp.*4. *ſec.*6. & Madernum *præcit. art* 9. *num.*6. Non faciunt hic ſpecialem difficultatem, quia in primis, nec clariores ſunt, nec frequentiores, quam ſolitæ afferri pro evincenda juſtitia in Deo, quas tamen *præcit. cap.* 10. *num.*5. diximus ad evitandam omnem violentiam & improprietatem debere quidem intelligi de juſtitia propria, at ſumpta non pro commutativa, aut diſtributiva, ſed pro ut contradiſtinguitur à metaphorica, aut etiam à communi in cæteris virtutibus imbibita, in quo ſenſu juſtitia tùm generalis tùm vindicativa juſtitia propria eſt, & huic juſtitiæ bene dici poteſt ſatisfeciſſe Chriſtum Dominum, ſeu eam erga Deum ſervaſſe: Prætereà in propoſito juſtitiæ nomine non incongruè intelligitur, perfecta, rigoroſaque æqualitas, quæ optimè reperitur in Chriſti operibus; & tandem in particulari textus ex ſcriptura adducti alias quoque habent interpretationes, ſecundùm quas conformiter ad verborum cōtextum rectè dicitur juſtitiā uſurpari ad ſignificandum vel Dei fidelitatem, vel ſanctitatem & ſanctificationem, vel quid ſimile, ut magis oſtendit Vaſq. *præcit. diſp.*7. *c.*7.

27.
Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Negata in ſatisfactione, quam Deo Chriſtus exhibuit, particulari rigoroſa juſtitia ex propria ratione formali, & ex principijs communibus Deo reſpectu cujuſlibet alterius, & cuilibet alteri reſpectu Dei, ſupereſt quærendum, utrùm etiam aliundè ſit ſpecialis neceſſitas id negandi, adeò ut licet alioqui inter Deum & creaturam rationalem poſſet ex genere ſuo verſari rigoroſa juſtitia, adhuc tamen inter Deum, & Chriſtum, deberet hæc non admitti in actu ſatisfactionis; pro quo (& agredimur ſecundam præfixi tituli partem) oportet ſingillatim percurrere illas juſtitiæ conditiones, quæ vel in perſona Chriſti, vel in modo ſatisfactionis pro peccato exhibitæ, videntur particulariter deſiderari, & ſunt in Chriſti perſona alteritas; in ſatisfactionis modo quod fiat ex bonis proprijs ſatisfacientis, & ex indebitis alio titulo, quod non indigeat gratia creditoris, & quod creditor teneatur eam acceptare; addunt nonnulli alias quaſdam, ſed vel ſine ulla probabilitatis ſpecie ponuntur ad juſtitiæ rigorem requiri, vel coincidunt cum aliqua ex enumeratis ut fiet ex dicendorum progreſſu perſpicuum. 28.

Quinque juſtitiæ conditiones, de quibus peculiariter dubitatur an conveniant ſatisfactioni Chriſti.

Prima igitur conditio eſt alteritas ſeu eſſe

ad

Google

29. Quomodò ſequitur ad juſtitiam alteritas.

ad alterum, ideſt ad diſtinctum; & hanc conditionem omnes juſtitiæ tribuunt, at non omnes eodem modo; aliqui enim ut Scotus *in 4. diſtinct. 14. quæſt.* 5. Maſtrius *in 3. diſp. 4. num.* 146. Albertinus *coroll. 18. punc.* 3. *num.* 50. Vaſquez *diſp. 8. num.* 86. contenti ſunt alteritate morali ſita in diſtinctione dominiorum & jurium: Verùm ut *ex ſeq. num.* 32. conſtabit neceſſaria quidem eſt ad juſtitiam dominiorum juriumque alteritas, at non ſufficit, & non eſt illa, per quam juſtitia convenit cum alijs virtutibus exiſtentibus ad alterum, puta cum obedientia, religione &c. Admittenda eſt igitur alteritas major, quâ illi, inter quos juſtitia exercetur, habeant entitates phyſicè & realiter diſtinctas; Utrùm verò iſtæ diſtinctæ entitates debeant eſſe ſuppoſita, an ſufficiat quod ſint naturæ? non fuit in controverſia apud Antiquos Philoſophos, qui ignorantes realem diſtinctionem naturæ à ſuppoſito, ignorarunt pariter poſſe dari diſtinctas naturas ſine diſtinctis ſuppoſitis, hincque nullam habentes rationem dubitandi de ſufficientia diſtinctionis naturarum in unitate ſuppoſiti abſolutè putarunt juſtitiam exerceri ſolùm inter diſtincta ſuppoſita, ſeu requirere alteritatem ſuppoſitorum, quod ſuſpicor non obſervaſſe ſcholaſticos illos, qui etiam poſtquàm innotuit diſtinctio naturæ à ſuppoſito cenſuerunt juſtitiam non poſſe exerceri, niſi ubi eſt realis & phyſica ſuppoſitorum alteritas, propterèaque docuerunt Chriſtum ſatisfeciſſe quidem Patri, ſeu Deo ut ſubſiſtenti in Patre aut etiam in Spiritu Sancto; at non ſatisfeciſſe Verbo, aut toti Trinitati, in quo communiſſimè rejiciuntur, tanquam loquentes parùm conformiter ad illud 2. Cor. 5. *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, & nimiùm detrahentes ſatisfactioni Chriſti, quæ ea ratione non eſſet perfecta & integra, utpotè non facta omni creditori ſeu omni perſonæ offenſæ.

30. Poſtquàm igitur ex Incarnationis Myſterio ſumus edocti de diſtinctione inter naturam & ſuppoſitum, & de dualitate naturarum dabili ſub unitate ſuppoſiti, ſentiendum eſt alteritatem, tum pro juſtitia tùm pro alijs virtutibus, quæ ex genere ſuo ſunt ad alterum, requiſitam debere quidem eſſe realem & phyſicam, at ſufficere quod ſit inter naturas; ac per conſequens ratione alteritatis phyſicæ & realis exiſtentis inter naturam humanam, & divinam, Perſonam Verbi ut ſubſiſtentem in natura humana poſſe reſpectu totius Trinitatis, & ſui ipſius ut ſubſiſtentis in natura divina exercere actus illarum virtutum, quarum proprium eſt eſſe ad alterum, ex quo ulteriùs fit titulo alteritatis præcisè non eſſe in Chriſto ad Deum majorem difficultatem quoad juſtitiam, quàm quoad obedientiam, religionem, ſubjectionem, meritum; quæ omnia ſunt ad alterum, & tamen in Chriſto reſpectu Dei, nec poſſunt negari, nec poſſunt melius ſuſtineri, quàm per ordinem ad diſtinctionem naturarum: Totam hanc doctrinam tradunt Suarez *diſp. 4. ſec. 5. §. Ad primam ergo.* Amicus *diſp 6. ſec 7.* Lugus *diſp 4. ſec. 1.* Arriaga *diſput. duodecima, ſec prima.* Joannes à S. Thoma *diſput. ſecunda, articul. ſecundo, paragrapho Prima conditio.* Gonetus *diſput. 4. articul. 4. paragrapho* 2. & tùm major cæterorum Recentiorum pars, tùm Thomiſtæ communiter, qui S. Doctorem 2. 2. *quæſt.* 58 *art.* 2. *in c.* requirentem pro juſtitia propriè dicta diverſitatem ſuppoſitorum intelligunt locutum, vel de juſtitia ſecundùm communem modum, quem habet in creaturis, in quibus de lege ſaltem ordinaria non reperitur diverſitas naturarum ſine diverſitate ſuppoſitorum, vel de diverſis ſuppoſitis abſtrahendo à diverſitate formali & virtuali; dicunt autem dari diverſitatem, diſtinctionemvè ſuppoſitorum virtualem, quoties unum ſuppoſitum terminat plures naturas totales, & præſtat id, quod præſtarent plura ſuppoſita totalia.

31. Dubitatur hic obiter utrùm pro virtutibus, quæ ſunt ad alterum, ſicuti ſufficit alteritas naturarum ſub uno ſuppoſito, ſufficere pariter poſſit alteritas voluntatum ſub una natura, adeò ut anima rationalis, quæ ſupponatur habere duas humanas voluntates, poſſit per unam voluntatem reſpectu alterius exercere actus juſtitiæ religionis &c. Problematicus eſt Gabriel à S. Vincentio *diſp 1. dub. 17. nu.* 479. & 480. Negant Amicus *præcit ſec. 7. n.* 212. & Lugus *præcit ſec. 1. n. 4.* Cenſeo controverſiam multum pendere ab eo, quod ad operationes liberas voluntatis anima immediatè concurrat vel non: Si non concurrit, major eſt locus defendendi ſufficientiam prædictæ alteritatis voluntatum; ſi concurrit, ut mihi eſt probabilius, meliùs omninò dicitur talem alteritatem non ſufficere: Ratio facilè poteſt cuilibet occurrere, aut apud Amicum & Lugum videri; nec operæ pretium immorari in caſu, qui juxta noſtra principia non diſtinguentia realiter voluntatem à natura, potentias ab anima, impoſſibilis eſt & nullatenùs deducibilis ad praxim.

32. Quomodò ſatisfactio ex juſtitia debeat eſſe ex bonis proprijs ſatisfacientis.

Secunda conditio eſt, quòd ſatisfactio fiat ex bonis proprijs ſatisfacientis; & poteſt tripliciter intelligi; primò quatenùs ſatisfactio fiat ex bonis, quæ ſatisfaciens non acceperit gratiosè ab alio, præſertim à creditore; & in hoc ſenſu præſens conditio, ſicuti continetur ſub ea quæ quarto loco ponetur, ita tunc explicabitur: Secundò, quatenùs fiat ex bonis, quæ verè ſint ſub dominio ſatisfacientis, quamvis deinde ſimul ſint ſub dominio creditoris; & hoc modo talia bona ſunt propria ſatisfacientis relatè ad alios à creditore, at non relatè ad ipſum creditorem, cujus dominium ſi ſit perfectius, & independentius dominio ſatisfacientis, reddet bona ſimpliciter & abſolutè magis propria ipſius, quam ſatisfacientis: Tertiò quatenùs fiat ex bonis, quæ ſint ſub dominio ſatisfacientis, nullatenùs ſub dominio creditoris, in quo ſenſu ſatisfactionem fieri ex bonis proprijs ſatisfacientis eſt non fieri ex bonis creditoris, eſt fieri cum alteritate jurium, ſeu dominiorum inter ſatisfacientem & creditorem; ſicque hæc tria tanquàm in unum, & idem, recidentia habenda ſunt pro una eademque conditione; quæ licet à Suario *diſput. 4. ſec. 6. paragrapho Vera igitur reſponſio.* Cipullo *dub. 6. §. 7.* Lorca *diſp. 8.* Nazario *controv. 2.* exiſtimetur neceſſaria ad rigorem

Digitized by Google

juſtitiæ in ſatisfactione , quæ verſatur in da-
tis & acceptis , & dici ſolet reſtitutio , nun in
ſatisfactione , quæ verſatur in obſequijs , &
dici ſolet compenſatio injuriæ pro offenſa;ni-
hilominus etiam ad hanc, ut ex juſtitia fiat,
requiri docent Vaſquez *diſp.8 cap.4.& 5.* Ami-
cus *diſp.6.num.214.& 246.* Arriaga *diſput.12.*
num.17. Maſtrius *diſp. 4. num.158.* Joannes à
S. Thoma *præcit.art.2.§.Tertia conditio* cæte-
33. rique Scholaſtici communiter;ex quibus dein-
de qui in Chriſti ſatisfactione talem condi-
tionem ſuſtinent præter difficultatem commu-
nem cæteris hominibus, quorum actus etſi li-
beri ita ſunt ſub divino dominio, ut relatè ad
Deum nequeant (præſertim in tertio ſenſu,in
quo nunc loquimur) dici bona propria elicien-
tis, nec ſufficiant ad alteritatem jurium inter
homines , & Deum , quemadmodum nos ipſi
tradidimus *præcit.cap.10. §.5.* præter, inquam,
hujuſmodi difficultatem communem incidunt
in aliam ſpecialem ex parte dignitatis & valo-
ris moralis , ratione cujus opera Chriſti po-
tiùs , quàm opera puræ creaturæ poſſunt eſſe
perfectè ſatisfactoria pro peccatis , nam valor
ille vel ſumitur ut provenit à natura divina,&
ſic ſi eſt ſub aliquo dominio eſt maximè ſub
dominio totius Trinitatis, cui toti communis
eſt natura divina ; vel ſumitur ut provenit à
4. perſona Verbi , & ſic, ſi eſt ſub aliquo domi-
nio, erit maximè ſub dominio Verbi ; at Ver-
bum eſt creditor,adeóque ex hoc capite mora-
lis valor erit bonum proprium creditoris po-
tiùs , quàm ſatisfacientis : Nihilominus prior
difficultas omnibus creaturis rationalibus cõ-
munis valida quidem eſt , & benè à Chriſti
ſatisfactione excludit alteritatem jurium ad
juſtitiæ rigorem requiſitam ; at ea priore dif-
ficultate præciſa non ſufficienter eandem al-
teritatem excludit difficultas poſterior Chri-
ſto ſpecialis , ſi enim ſemel actus liberi hu-
manitatis aſſumptæ ſunt bona Chriſti propria
& ſub peculiari ejus dominio , quantum ſuffi-
cit ad rigorem juſtitiæ etiam relatè ad Deum,
valor moralis actibus illis ſuperveniens , ut-
potè qui ſuppoſita unione ſupervenit neceſſa-
riò & naturaliter, ſe habet ut quædam talium
actuum proprietas, & erit ſub peculiari Chri-
ſti dominio æquè ac ipſi actus ; nec in iſtos,
quatenus dignificantur formaliter à natura
divina , & perſonalitate Verbi , aquirit natu-
ra divina & perſonalitas Verbi aliquod no-
vum dominium, nam ſuppoſita unione hypo-
ſtatica dignificatio præſtatur neceſſariò , ut
obſervat Amicus *diſp.6. num. 205.* dominium
autem non eſt ſine libertate nec datur niſi in
principio libero. Breviter ſi natura humana
ex genere ſuo habet ſpeciale dominium in
actus liberos, natura humana dignificata ha-
bebit ſpeciale dominium in actus liberos, dig-
nificatos , hos quippe eſſe dignificatos nihil
aliud eſt , quàm eſſe liberos & eſſe à natura
dignificata. Majorem hujus doctrinæ,quamvis
non iiſdem terminis traditæ , elucidationem
haurire potes ex Joanne à S. Thoma *præcitat.*
§. Tertia conditio & ex Arriaga *diſp.12.ſec.2.*
ſubſec.2.

35. Quomodò Tertia conditio eſt , quod ſatisfactio fiat ex
indebitis alio titulo ; alio, inquam, ſubintelli-
gere à titulo ſatisfactionis, nam quòd opus,quo debeat eſſe ex indebitis alio titulo.
quis ſatisfacit , ſit antecedenter ſatisfactionis
titulo debitum , favet non nocet ad hoc ut il-
lius operis exhibitione fiat ſatisfactio ex ju-
ſtitia : Verùm neque quicumque titulus alius
à titulo ſatisfactionis inducit debitum impe-
diens ſatisfactionem ex juſtitia ; nam ſi quis
titulo mutui debeat centum Petro , eademque
centum voveat Petro reddere , erunt hæc Pe-
tro debita titulo religionis,nec propterea mu-
tuatarius ea reddendo non ſatisfaciet ex juſti-
tia titulo mutui , neceſſe eſt igitur magis de-
terminate , quinam ſit titulus inducens debi-
tum incompatibile cum ſatisfactione ex juſti-
tia & ex quo res debet eſſe indebita , ad hoc
ut per eam poſſit ex juſtitia ſatisfieri ? Ex va-
rijs dicendi modis præfero tanquam expedi-
tiorem , & præſenti quæſtioni opportuniorem
illum,quem tradunt Suarez *diſp.4.ſec.6.§.Reſ-*
pondetur primùm. Albertinus *coroll.10.punc.5.*
num.29. Gonetus *diſp.4.art.4.num.125.* Mader-
nus *quæſt.2.art.11.num.17.* & aliqui alij docen-
tes alium titulum impedire ſatisfactionem ex
juſtitia,quando non addit aliam obligationem
circa idem debitum eamdemque materiam,
ſed inducit aliud debitum & reſpicit aliam di-
verſamque materiam;ſic in allato exemplo ti-
tulus religionis conſurgens ex voto non impe-
dit ſatisfactionem pro mutuo ex juſtitia, quia
addit ſolùm novam obligationem ſuprà ea-
dem centum jam ex mutuo debita titulo juſti-
tiæ;quòd ſi titulus religionis caderet ſuprà di-
verſam materiam , & vovens intendiſſet ſe
obligare ad danda alia centum , tunc per hæc
centum, ex eo quod ſint debita titulo religio-
nis,nõ poſſet ex juſtitia ſatisfieri titulo mutui.
Quandonam deindè in univerſum novus titu- 36.
lus cadat ſuprà eamdem materiam, & inducat
ſolùm novam obligationem , quando ſuprà
materiam diverſam & inducat novum debi-
tum ? judicandum eſt ex conditione actionis
ſeu rei , quæ una & eadem poſſit,vel non poſ-
ſit pluribus titulis inſervire ; item ex modo
obligationis , & ex intentione eam imponen-
tis, aut ſuſcipientis,alijſque ſimilibus circum-
ſtantijs,nec videtur ulla certa regula aſſignari
poſſe propter judicium prudentis viri;interim
ſic intelligendo conditionem ſatisfactionis
factæ , ex indebitis alio titulo difficile non eſt
eam ſuſtinere in operibus Chriſti Domini,
nam ex una parte quodlibet Chriſti opus,cum
ſit valoris ſimpliciter infiniti,habet moralem
infinitatem in ratione meriti, in ratione ſatis-
factionis, in ratione gratiarum actionis, in ra-
tione obedientiæ,& prout poteſt elici ex mul-
tiplici motivo , poteſt abundè correſpondere
multiplici titulo , & obligationi , obedientiæ,
gratitudinis, juſtitiæ,ſi hæc ſupponatur aliun-
dè Chriſto non repugnare : ex alia parte nulla
eſt ratio dicendi, quòd ad ſatisfaciendum ſin-
gulis diverſis titulis & obligationibus Deus
exegerit, aut Chriſtus ipſe ordinaverit ſingu-
la diverſa opera , imò infinitæ operum perfe-
ctioni congruebat ut quodlibet eliceretur ex
pluribus motivis , & in ordine ad ſatisfacien-
dum pluribus titulis , ad implendas plures
obligationes;tituli igitur diverſi reſpectu ope-
rum Chriſti cadebant ſaltem ut plurimùm ſu-
prà

prà materiam eamdem, non suprà diverſam, & mors Chriſti v. g. licet eſſet debita titolo alio à titulo ſatisfactionis, puta titulo obedientiæ, quia tamen iſte cadebat ſuprà mortem eamdem, ſuprà quam cadebat titulus ſatisfactionis ex juſtitia, non ſuprà diverſam, ſinebat mortem eſſe indebitam alio titulo, quantùm ſufficit ad rigorem juſtitiæ, & quantùm requiritur ad hoc, ut per eam Chriſtus ex juſtitia ſatisfaceret.

37. Quomodò debeat non indigere gratia creditoris.

Quarta conditio eſt, quod ſatisfactio non indigeat gratia creditoris, ſeu non fiat ex gratiosè acceptis à creditore; creditoris autem gratia, ſeu gratioſa donatio, vel poteſt fieri in ipſo contractu, eodemque tempore, quo debitor ſolvit atque ſatisfacit; vel poteſt antecedere contractum & actum ſolutionis ſeu ſatisfactionis, & hoc adhuc dupliciter nimirum vel cum intentione, aut etiam conventione, quod debitor ea gratia, illiſque bonis gratuito acceptis, utatur ad ſolvendum debitum, vel omninò abſolutè: Porrò aliqui valdè rigidè de hac quarta conditione ſentientes putant officere ſatisfactioni ex juſtitia gratiam creditoris, quoties aliunde debitor fuiſſet impotens ad ſolvendum, & factus eſt ex tali gratia potens, etiamſi deinde gratia ipſa ſit facta non ſolùm antecedenter, ſed etiam omninò abſolutè, ita Vaſquez *diſp.* 8. *cap.* 1. & Maſtrius *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *num.* 155. Aliqui alij in aliud extremum declinantes volunt gratiam creditoris, quomodocunque ad ſatisfactionem ſive antecedenter ſive concomitanter ſe habeat, non impedire rigorem juſtitiæ, dummodò detur ad inducendam æqualitatem ſatisfactionis cum debito, non verò ſit partialis ipſius debiti condonatio, nec conſiſtat in eo quod creditor acceptet opera ſatisfactoria ultra ipſorum valorem, unde ſolam gratiam formalis condonationis cenſent opponi rigori juſtitiæ; ita Lugus *diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 36. & Gonetus *præcit. art.* 4. *num.* 107. Media incedunt via Suarez *præcit. ſect.* 6. §. *Verùm conditio.* Albertinus *præcit. punct.* 3. *num.* 27. & Madernus *præcit. art.* 11. *num.* 15. docentes gratiam creditoris, etiamſi detur ad adæquandam ſatisfactionem debito, officere juſtitiæ, quando eſt comitans & facta in contractu ipſo actuque ſatisfactionis; ſecus quando eſt antecedens & facta extra contractum, præſertim ſi aut ſit facta abſolutè, non eo animo & pacto quod mediante tali gratia neque gratiosè donata debitor ſatisfaciat, vel ſi hujuſmodi animus pactumvè interceſſerit, ſatisfactio deinde ſeu ſolutio fiat non ex eadem omninò re gratiosè donata, ſed ex alijs quæ debitoris labor &
38. induſtria illius rei uſu comparaverit: Hic jam non eſſe ex gratia creditoris, ſeu ex bonis gratuito à creditore acceptis, quocunque ex prædictis modis explicetur, ſalvant aliqui in ſatisfactione Chriſti Domini dicendo iſtam habere pro principio *quod*, & ſimpliciter tali, ſuppoſitum Verbi, non humanitatem; gratiam verò, ſive unionis ſive aliam quamlibet ſatisfactioni inſervientem, eſſe factam humanitati, non ſuppoſito, quod utpotè divinum, imò Deus, quidquid habet, habet neceſſariò & à ſe, non liberaliter ab alio acceptum; Ità Cajetanus *hic quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. *dub.* Cabrera *diſp.* 9. *num.* 41. Lorca *diſp.* 8. *num.* 17. Joannes à S. Thoma *diſp.* 2. *art* 2. *num.* 20. & alij plures præſertim ex ſchola Thomiſtica. Nihilominus non placet hæc doctrina, quia licet ſuppoſitum ſit principium *quod*, principium *quo* formale & proximum eſt humanitas, & ſicuti ſupra relatè ad humanitatem aſſignavimus in ſatisfactione Chriſti eſſe ad alterum, & eſſe ex bonis propriis; ita nunc parum cohærenter, relatè duntaxat ad ſuppoſitum, non relatè ad humanitatem, aſſignaremus in eadem ſatisfactione non eſſe ex gratuitò acceptis à creditore. Aliter igitur procedendum, & vel quarta, de qua agitur conditio excludenda omninò eſt à ſatisfactione Chriſti, vel ut ſalvetur concedenda eſt, non reſpectu ſuppoſiti tantùm, ſed & reſpectu humanitatis amplectendo unũ ex duobus mitioribus modis pro ejus conditionis explicatione relatis, & quia modus relatus ex Lugo, & Goneto, 39.
licèt alioqui facilis nimium detrahit rigori juſtitiæ, minus diſplicet modus eorum, qui media incedunt via, ſumptus ſecundum eam partem, qua docet creditoris gratiam non obſtare ſatisfactioni ex juſtitia quando anteceſſit ſatisfactionem, & eſto fuerit facta ex fine ſatisfactionis (ut verè fuit facta gratia unionis in noſtris principijs, in quibus incarnatio intenta eſt primariò propter remedium, quod eſt idem, ac dicere propter ſatisfactionem peccati) debitor tamen deindè ſatisfacit non exhibendo ſeu reddendo præcisè rem, quam gratis accepit, ſed res alias à re quidem gratiosè accepta dependentes, at unà ſimul multum proficiſcentes ex ipſius debitoris labore & induſtria, quod totum rectè adaptari ſatisfactioni Chriſti facilè innoteſcet conſideranti actiones, quibus Chriſti humanitas poſt acceptam gratiam unionis ſatisfecit. Neque dicas hujuſmodi actiones præter gratiam unionis indigere auxilijs actualibus, quæ ſunt gratia comitans & intercedens in ipſo actu ſatisfactionis: Contra enim, hoc non eſt ſpeciale reſpectu Chriſti, in præſenti autem expendimus juſtitiæ conditiones ſecundùm eas ſpeciales difficultates, quas habere poſſunt ſingillatim in Chriſto Domino, non univerſaliter in omnibus rationalibus creaturis.

40. Quomodò ſatisfactio requirat quod creditor teneatur eam acceptare.

Quinta conditio eſt, quòd creditor teneatur ſatisfactionem acceptare, ſi minus poſitivè, quatenus teneatur elicere poſitivum actum acceptationis, ſaltem negativè quatenùs non poſſit juſtè illam reſpuere retinendo ſibi jus aliam exigendi: De hac conditione, utrum verè ſit ex genere ſuo neceſſaria ad ſatisfactionem ex juſtitia, aut ſaltem poſſit talis reddi ex promiſſione & pacto? non levis eſt controverſia, qua propter Vaſquez *diſput.* 9. Joannes à S. Thoma *diſput. ſecunda articul. ſecundo, paragrapho Quinta conditio.* Maſtrius *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *art.* 3. alijque molti multa in præſenti miſcent pertinentia ad rationem valdè genericam illius conditionis, at nobis ſufficiat attingere illud, quod eſt hujus loci proprium, & quod poteſt habere ſpecialem difficultatem in Chriſto; unde poſſumus lo-

qui ex hypotheſi, quod ſatisfactio, ut ſit ex juſtitia, debeat inducere in creditore obligationem eam acceptandi, ſeu non reſpuendi, & ſupponendo inſuper, quod Deus ſit capax alicujus obligationis ex juſtitia contrahendæ, quærere, utrùm verè potuerit contrahere obligationem acceptandi ſatisfactionem à Chriſto exhibitam? quo in quæſito ſpecialis ratio dubitandi deſumitur ex eo, quod Chriſtus non fuit perſona offendens, & tamen ut offenſus

41. Quomodò debeat eſſe à perſona quæ offendit.

habeat ſtrictam obligationem ſatisfactionis acceptandæ, videtur neceſſarium, quod perſona quæ ſatisfacit ſit illa eadem quæ offendit, ſeu quod ſatisfactio fiat ab ipſo debitore perſonaliter, & non per alium: Hinc non immeritò in re præſenti habentur pro una eademque, aut potius habent unam eandemque difficultatem hæ duæ conditiones. Quod creditor teneatur ſatisfactionem acceptare. Quod perſona, quæ offendit, debeat ipſamet ſatisfacere; nam ſtantibus mox ſuppoſitis, ſi Deus non tenetur ſatisfactionem Chriſti acceptare, non poteſt id provenire niſi ex eo quod Chriſtus ſatisfaciens non fuerit perſona offendens; & è converſo ſi in ſatisfactione ex juſtitia perſona quæ offendit debet ipſamet ſatisfacere, conſequens eſt, quod Deus non potuerit teneri ad ſatisfactionem Chriſti acceptandam. Sic explicata, prout ad præſentem controverſiam pertinet, quinta conditione dico non repugnare ſpecialiter ſatisfactioni Chriſti, quod

42. Deus teneatur eam acceptare, adeóque, ſi inducere obligationē acceptationis ſit conditio eſſentialis ſatisfactioni ex juſtitia, poſſet ſatisfactio Chriſti quantum eſt ex vi talis conditionis ſervare juſtitiæ rigorem: Probatur, ſi quid eſt in ſatisfactione Chriſti ſpeciale & proprium, ratione cujus nequeat Deus obligari ad eam acceptandam, id erit diverſitas perſonæ ſatisfacientis ab offendente, at ratione talis diverſitatis non fit, quod Deus non teneatur ſatisfactionem Chriſti acceptare, ergo non repugnat ſpecialiter ſatisfactioni Chriſti, quòd Deus teneatur eam acceptare. Minor probatur, ratione diverſitatis perſonæ ſatisfacientis ab offendente tunc ad ſummum creditor non tenetur ſatisfactionem acceptare, quando ea diverſitas non ſolùm eſt phyſica, ſed etiam moralis, adeò ut verſetur inter perſonas ſibi omnino extraneas; item quando nullum intercedit pactum de acceptanda ſatisfactione perſonæ à ſatisfaciente diverſæ, ſic ex primo capite tenetur creditor acceptare ſatisfactionem factam à Tutore pro pupillo, à Principe pro ſubdito, à Reipublicæ Capite pro Reipublicæ membro; ex ſecundo capite tenetur idem creditor acceptare ſatisfactionem factam à fidejuſſore pro eo, pro quo fidejuſſit, & ſic de aliis; atqui Chriſtus non eſt perſona omninò extranea ab hominibus, pro quibus ſatisfacit, eſt enim humani generis caput, eſt inter Deum & hominem mediator; eſt inſuper, aut ſaltem eſſe potuit ex pacto cum Deo inito, pro hominibus fidejuſſor, ergo. Neque dicas hoc ipſum, quod eſt Chriſtum veniſſe ut caput morale, ut mediatorem, ut fidejuſſorem pro humano genere, procedit ex liberalitate & gratia Dei; ergo hoc ipſum officit, ne ſatisfactio ad eas prærogativas conſequutus poſſit reſpectu Dei inducere obligationem ex juſtitia. Contrà enim: illa procedunt ex liberalitate & gratia Dei, antecedente tamen, non comitante ſatisfactionem, at *ex præcedent. numer.* 39. gratia creditoris ſatisfactionem antecedens poteſt non officere rigori juſtitiæ, ideò &c.

Aſſert. 5. Chriſtus ſatisfaciendo pro peccatis ſervavit aliquas particulares rigoroſæ juſtitiæ conditiones, duas præcipuè; nimirum æqualitatem ſolutionis cum debito ſeu ſatisfactionis cum offenſa, & alteritatem ejus qui ſatisfecit ad eum cui facta eſt ſatisfactio. Quod ſi aliunde eſſet dabilis in Deo & ad Deum particularis rigoroſa juſtitia, ſervaſſet Chriſtus ſatisfaciendo, aut ſaltem ſervare potuiſſet, omnes alias conditiones præmemoratas. Hoc aſſertum conſequitur ex hucuſque dictis, ex quibus etiam facilè conjicies, quoſnam Patronos habeat, quoſnam Adverſarios? Interim majoris claritatis gratia. 43.

Probatur & explicatur prima pars: Satisfactio Chriſti verè fuit valoris æqualis & adæquati gravitati offenſæ, quæ Deo per peccatum infertur, & Chriſtus ipſe eſt alter à Deo quantum requiritur ad juſtitiæ rigorem, ut quoad hoc ſecundum mox attigimus *præced. n.* 30. nec quidquam poteſt objici quod habeat difficultatem ſpecialē, quodque nequeat retorqueri in eo, quod Chriſtus eſt alter à Deo, quantùm requiritur ad hoc ut potuerit apud Deum mereri, Deo obedire, Deum colere: Quoad illud primum, probavimus id ex profeſſo §. ſuperiore; Neque ex eo quod ibi probaverimus valorem ſatisfactionis eſſe ſuperabundantem, & ſuprà condignum, infertur præjudicium aliquod æqualitati ad juſtitiam requiſitæ; enimverò ſuperabundantia, ſi non eſt æqualitas formalis, eſt æqualitas eminens; æqualitas autem ad juſtitiam requiſita abſtrahit à formali & eminenti, & quando quis dicitur ex juſtitia teneri reddere æquale, ſenſus eſt, quod teneatur pervenire ad æqualitatem, ac non quod teneatur eam non excedere, præſertim quando ſatisfacit per aliquid conſiſtens in indiviſibili, pro quo recole ſupradicta *num.* 13. & 14.

Satisfactio Chriſti fuit de facto æqualis, & ad alterum, quantum requiritur ad rigorem juſtitiæ.

44. Reliquas juſtitiæ conditiones non ſervavit ſervare tamen potuiſſet ex ſuppoſitione, quod in Deo & ad Deum eſſet dabilis juſtitiæ rigor.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Quòd Chriſtus de facto in ſua ſatisfactione non ſervaverit reliquas præmemoratas juſtitiæ conditiones provenit potiſſimum ex eo, quòd non habeat relatè ad Deum proprium ſpeciale dominium alicujus rei ſeu alteritatem jurium, nec poſſit Deum ſibi ex juſtitia obligare ad ſatisfactionis acceptationem; atqui neutrum horum provenit ex aliquo, quod ſit proprium Chriſti ſed utrumque ex principiis communibus, ex quibus repugnat Deo acquirere ab alio dominium, & alii ex juſtitia obligari, quamvis pactum & promiſſio intercedat: ergo ſi hæc Deo non repugnarent, quod eſt idem, ac dicere ſi aliunde eſſet dabilis in Deo & ad Deum particularis rigoroſa juſtitia, ſervaſſet Chriſtus, &c. Nec majori explicatione opus eſt ſuppoſitis iis quæ jam diximus circa ſingulas præmemoratas conditiones.

§. III.

§. III.

Ex quanam virtute, & quibus potiſſimum actibus Chriſtus ſatisfecerit?

45. ASSERT. 1. Chriſtus non ſatisfecit ex aliqua unica ſpeciali virtute, ſed ex pluribus. Ita Vaſquez *diſp. 7. cap. 5. num* 49. & idem ſentire cenſendi ſunt plures alij, qui poſtquam negarunt Chriſtum ſatisfeciſſe ex virtute juſtitiæ, non curant aſſignare aliam ſpecialem virtutem, ex qua ſatisfecerit, contra Thomiſtas Chriſti ſatisfactionem magis communiter tribuentes ſpeciali virtuti juſtitiæ & quidem commutativæ: Item contra Marſilium *in* 4. *quæſt.* 10. *ad* 6. ubi poſtquàm docuit virtutem pœnitentiæ in nobis non eſſe aliam à virtute juſtitiæ, addit hanc fuiſſe in Chriſto perfectiſſimam ad ſatisfaciendum pro noſtris peccatis, at in eo non vocari pœnitentiam, eo quod Deum offendere non potuit: Tandem contrà Suarium *diſputat.* 4 *ſect.* 5. §. *veriſimile tamen*, & aliquos alios Recentiores, arbitratos ſatisfactionem Chriſti proceſſiſſe ſpecialiter ex virtute religionis.

Chriſtus non ſatisfecit ex aliqua unica ſpeciali virtute.

Probatur ex eo, quia nec neceſſarium eſt, nec conveniens ſatisfactionem Chriſti conſtituere ſub unica ſpeciali virtute; Non eſt neceſſarium, quia illud, quod maximè attenditur in Chriſti ſatisfactione, eſt valor moralis infinitus; at valor hujuſmodi non eſt ulli ſpeciali virtuti alligatus, & ex dignitate perſonæ in quemlibet virtutis actum ab humanitate Chriſti elicitum redundat: Non eſt conveniens, quia quando etiam detur in Chriſto virtus aliqua ſpecialis habens pro objecto formali æqualem, & adæquatam, compenſationem injuriæ ſeu offenſæ factæ Deo per peccatum, adhuc incongruè diceretur Chriſtum ſatisfeciſſe ſolum per actus elicitos ex tali motivo; nam in hoc videretur aliquid detrahi ubertati ac ſuperabundantiæ ſatisfactionis, & in univerſum ſatisfactioni ſingulorũ Chriſti actuum convenientiſſimum eſt ex pluribus motivis elici, ſicut & dignitati Chriſti eſt accommodatiſſimum eundem effectum eundemque finem pluribus modis pluribuſque modijs obtinere.

46. Confirmatur: Peccata humani generis, pro quibus Chriſtus ſatisfecit, non ſunt contra unicam ſpecialem virtutem, nam hujuſmodi peccata complectuntur, tum originale commiſſum ab Adamo, tum actualia quæ committuntur à Poſteris, & hæc certè ſicuti ſunt plura in ſpecie, ita ſunt contra plures ſpecie virtutes; peccatum verò originale quamvis fuerit unum & contra unã ſpecie virtutem, non tamen contra unam ex illis, quibus Adverſarij ſatisfactionem Chriſti tribuunt, non ſcilicet contra juſtitiam, non contra religionem, non contra virtutem ſimilem ei quæ in nobis pœnitentia vocatur; ergo nec ſatisfactio Chriſti debuit eſſe ex aliqua unica ſpeciali virtute, & ſignanter non ex juſtitia, non ex religione, non ex virtute ejuſdem rationis cum noſtra pœnitentia, ut contendunt Adverſarij, qui ulteriùs quoad quamlibet ex tribus enumeratis virtutibus ſic ſingillatim impugnantur:

47. Et ſignanter non ex juſtitia, non ex religione non ex virtute ſimili ei, quæ in nobis pœnitentia vocatur.

Non fuit Chriſti ſatisfactio elicita à virtute juſtitiæ, quia ex jam dictis juſtitiæ rigorem non ſervavit, nec poſſunt dari in Chriſto ad Deum actus particularis rigoroſæ juſtitiæ: Non fuit elicita à virtute religionis, quia hæc ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 3. & 4. quatenus eſt ſpecialis virtus, reſpicit divinam excellentiam relucentem in eo, quod Deus ſit primum principium creationis & gubernationis rerum, ſatisfactio autem Deo exhibenda non reſpicit ex genere ſuo Deum ſub ratione primi principij magis, quàm ſub aliqua alia ratione: Non fuit ex virtute ejuſdem rationis cum ea, quæ in nobis vocatur pœnitentia, quia ſi male ſonat in Chriſto pœnitentiæ nomen, non eſt cur in ipſo quæratur virtus tali nomine ſignificata, nec in nobis ad obtinendam remiſſionem peccatorum ſunt neceſſarij ſpecialiter actus pœnitentiæ virtutis titulo exhibendæ ſatisfactionis, ſed titulo retractationis peccati & diſpoſitionis ad gratiam; at hi tituli non adaptantur actibus, quibus Chriſtus pro nobis ſatisfecit.

48. Dices: peccata humani generis, quamvis ſint diverſa in ratione malitiæ, in ratione tamen offenſæ omnia important Dei contemptum, & inhonorationem, quod eſt idem ac dicere ſubtractionem cultus, & honoris Deo, debiti; ergo ſatisfactio, utpote quæ ſit pro offenſa debet elici ab ea virtute, cujus eſt proprium reddere honorem, cultumque ſublatum; hujuſmodi autem eſt ſola juſtitia, vel religio. Sed contrà: Sicut peccata ſunt diverſa in ratione malitiæ, ita & in ratione offenſæ, quæ ad malitiam conſequitur, nec omnia important Dei contemptum & inhonorationem ſub eadem, ſed ſub diverſa ratione formali; unde etiam exceptis ijs, quæ habent malitiam ſacrilegij & ſunt ſpecialiter contra religionem, dici poſſunt importare Dei inhonorationem & contemptum virtualem ac tranſcendentem, non formalem ac peculiarem, eo proportionaliter modo, quo omnia important virtuale non formale Dei odium, virtualem non formalem inobedientiam, inſtantia igitur eodem modo probaret ſatisſactionem Chriſti debuiſſe ſpecialiter elici à charitate, & ab obedientia. At directè dico, quod ſicut quodlibet peccatum eſt quidam virtualis Dei contemptus, ita quilibet actus bonus propter Deum elicitus eſt quidam virtualis Dei cultus, quilibet quippe eſt quoddam obſequium Deo præſtitum, & reſpicit aliquam ſpecialem Dei excellentiam, illud igitur, quod inſtantia objicit, non magis locum habet in juſtitia, aut religione, quàm in alijs virtutibus; ideò &c.

49. Aſſert. 2. Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecit illis potiſſimum actibus, quibus paſſionem ſuam & mortem conſummavit. Hoc aſſertum eſt conſequens ad hucuſque dicta, eſt valdè conforme communi ſenſui Eccleſiæ, & ſola indiget explicatione.

Satisfecit Chriſtus potiſſimum actibus illis quibus paſſionem, mortemque ſuam conſummavit.

Probatur & explicatur. Satisſactio ut attigimus *capit. præced. num.* 17. ſumi poteſt, vel prout præcisè importat ponere pretium ſeu

valorem

valorem adæquatum debito, vel prout inſuper importat infallibilem connexionem cum extinctione debiti, quæ infallibilis connexio ſolet oriri ex ſpeciali illius pretij ſeu valoris deputatione, ac deſtinatione ad extinguendum debitum. Satisfactio priore modo accepta dici poteſt ſatisfactio in actu ſignato, accepta poſteriore modo ſatisfactio in actu exercito, & hæc eſt illa, quæ potiſſimum venit nomine ſatisfactionis ſimpliciter & abſolutè dictæ; Porrò Chriſtus Dominus utcunque, & ſatisfactione in actu ſignato, ſatisfecit pro peccatis hominum quolibet ſuo actu, & opere etiam ſeorſim accepto, quia ut latè jam oſtenſum
50. eſt quilibet Chriſti actus & quodlibet opus fuit valoris infiniti, & æqualis, imò majoris toto debito ex peccatis relicto: At cum ad obtinendum peccatorum remiſſionem, & ad extinguendum humani generis debitum, non fuerint deputata ac deſtinata Chriſti opera ſeorſim à paſſione & morte, non habebatur in alijs operibus ſeorſim infallibilis connexio cum extinctione debiti ex peccatis relicti, & quia hanc infallibilem connexionem requirit ſatisfactio in actu exercito, & ſimpliciter abſolutéque dicta, conſequens eſt Chriſtum non ſatisfeciſſe in actu exercito, ſeu ſimpliciter & abſolutè, niſi per opera ut paſſione & morte conſummata, quod eſt ipſum ſatisfeciſſe illis potiſſimum actibus, quibus paſſionem ſuam & mortem conſummavit; hinc Chriſtus jure dicitur nos redemiſſe in ſanguine ſuo, necnon pro nobis paſſus & mortuus; quia deinde mors Chriſti habuit veram rationem ſacrificij, & quatenus fuit præcepta, eam Chriſtus ſuſtinuit ex obedientia, non incongruè dixeris Chriſtum ſatisfeciſſe potiſſimum per actus elicitos à religione & obedientia; non excludendo tamen etiam plures alios actus, quos certè Chriſtus in paſſione & morte exercuit. Ex his omnibus habes ſatisfactionem Chriſti non ſolùm ſecundum totum ſui progreſſum, verùm etiam ſecundum ſuam conſummationem & ultimam perfectionem, à multiplici, non ab aliqua unica virtute, procedere.

---

§. IV.

Utrùm Chriſtus ſatisfecerit pro omnibus omninò hominibus, an pro ſolis electis?

51. *Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus omninò hominibus certum eſt, & apud Catholicos indubitatum.*

ASSERT. Verè & propriè Chriſtus Dominus pro omnibus omninò hominibus, non pro ſolis electis ſatisfecit. Eſt veritas inter Catholicos indubitata, præſertim poſtquam Innocentius X. Bullam edidit contra quinque propoſitiones Janſenij quarum quintam refert & damnat ſic. *Quintam ſemipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe; falſam, temerariam, & ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Unde

Probatur aſſertum: Chriſtus Dominus verè & propriè ſatisfecit pro illis omnibus, pro quibus mortuus eſt & ſanguinem fudit; atqui mortuus eſt & ſanguinem fudit pro omnibus omninò hominibus, non pro ſolis electis, ergo verè & propriè pro omnibus omninò hominibus, non pro ſolis electis ſatisfecit: Major patet, quia Chriſtus ex jam dictis ſatisfecit potiſſimum paſſione, ſanguinis effuſione, & morte; ſeu actibus, quibus paſſionem ſuam ac mortem conſummavit, ſatisfecit inquam, ſatisfactione exercita & ſufficiente non ſolùm ut ita dicam in actu primo, qua ratione etiam pro malis Angelis dici poſſet ſatisfeciſſe, ſed in actu ſecundo, importando ſcilicet ſufficientiam pretij deſtinatam, deputatam, ordinatam ad ſolutionem, extinctionemque debiti:
Minor probatur tum ex mox recitatis verbis bullæ editæ ab Innocentio X. tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.6.cap* 1 & 2. ubi de Chriſto Domino ait, *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen*, &c. quæ quidem verba deſumpſit Concilium *ex* 1. *Io.* 2. ubi dicitur *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum. & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Nec deſunt alia, eaque dilucida pro præſenti intento Scripturæ loca, nam *Rom.*8. habetur de Deo *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* Heb.2. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem.* 1. ad Tim.2. *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus:* hâc illatione mortis ſpiritualis omnium & ſingulorum hominum ex corporali Chriſti morte pro ijſdem omnibus & ſingulis ſæpè poſt Apoſtolum uſi ſunt Sancti Patres, ex quibus Auguſt. *lib.* 20. *de Civit.cap.*6. ait *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis nemine prorſus excepto, ſive in originalibus, ſive etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis, vivus mortuus eſt unus.* & Leo *ſerm.*1 *de Nativit. Domini* habet *Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à peccato liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Addi poſſunt & videri apud Henricx *diſput.*5. *quæſt.*4. §. 6. alia plura egregia teſtimonia, tum ex Patribus alijs, tum maximè ex Auguſtino, unde immeritò prorſus Ianſenius *libro tertio, de gratia Chriſti capit.*21. cenſet ex Auguſtini principijs deduci, quod Chriſtus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus non ſit, ſanguinemque non fuderit.

Dices Auguſtinum multis in locis oppoſitum ejus, quod nos intendimus, docuiſſe, & de ſolis electis intellexiſſe aliquas Apoſtoli auctoritates à nobis adductas, tanquam procedentes

53. *Auctoritates, quibus Adverſarij mortem Chriſti, & redemptionem, concedunt pro ſolis electis.*

cedentes de omnibus omninò hominibus: Sic *epiſt.* 102. ait *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus*, certè autem de ſolis electis verificatur, quod unus ex ipſis non pereat: *lib.* 22. *de Civit. cap.* 24. expreſsè ad ſolos prædeſtinatos determinat illud *Rom.* 8. pro nobis omnibus tradidit illum: & *epiſt.* 48. alludens ad illud aliud 1. *Ioan* 2. ait, *Chriſtus propitiator eſt peccatorum noſtrorum, non tantum noſtrorum, ſed totius mundi, propter triticum quod eſt per totum mundum*, triticum autem ſignificat ſolos electos, ſicut palea reprobos: & congruentia, imò neceſſitas, ſic limitandi præmemorata Scripturæ loca habetur inſuper ex locis alijs ipſiuſmet Scripturæ extendentibus mortem, deprecationem redemptionemque Chriſti Domini non ad omnes omninò homines, ſed aut ad multos indefinitè, aut ſolùm ad omnes electos; nam canon Miſſæ in verbis conſecrationis deſumptis ex *Matth.* 26. & *Mar.* 14. habet de Chriſti ſanguine, *Qui pro multis effundetur*. Chriſtus *Heb.* 9. dicitur *ſemel oblatus ad multorum exhaurienda peccata*, & filius hominis *Matth.* 20. venit *dare animam ſuam in redemptionem pro multis*. Caiphas *Ioan.* 11. de Jeſu prophetavit, quod *moriturus erat ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum* & ipſemet Jeſus *Ioan.* 17. æternum Patrem ita alloquitur *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*; per ly autem *filios Dei. Quos dediſti mihi, quia tui ſunt* ſolùm electi ſignificantur, imò inſuper per ly *Non pro mundo rogo* reprobi directè excluduntur; ergo ne prioribus locis hæc poſteriora repugnent, congruum eſt ac neceſſarium illorum univerſalitatem ad electos limitare.

54. Sed contra: Non deeſt alius modus intelligendi poſteriora Scripturæ loca abſque eo, quod prioribus adhibeatur reſtrictio ab Adverſarijs prætenſa, cum præſertim, ut facilè conſtabit conſideranti, talem reſtrictionem nullatenùs patiantur verba ex 2. *Cor.* 5. relata, & præclaris Sanctorum Patrum ſententijs corroborata; relinquatur igitur prioribus Scripturæ locis tota, quam ex terminis important univerſalitas; & in poſterioribus, ubi indefinitè ponitur *pro multis*, non erit à phraſi Scripturæ alienum, ſi dicatur idem ſonare, ac pro tota multitudine, quod eſt idem ac dicere pro omnibus; ubi verò ponuntur termini reſtrictiores, & determinatè ſignificantes ſolos electus, occurrendum eſt celebri diſtinctioni redemptionis, ſeu ſatisfactionis in ſufficientem & efficacem, generalem & ſpecialem, dicendo Chriſtum pro electis ſpecialiùs mortuum eſſe, pro ipſis ſatisfeciſſe, ipſos redemiſſe ſpecialiùs, id eſt cum efficaciâ effectuque ſalutis, cum quo ſtat etiam pro reprobis mortuum eſſe, etiam pro reprobis ſatisfeciſſe etiam reprobos redemiſſe, at univerſaliore modo, & minore affectu, obtinendo illis ſufficientem dumtaxat, & poſſibilitatem ſalutis: Quod igitur Chriſtus dicit *rogo pro his, quos dediſti mihi*, ſenſus eſt, rogo ſpecialiùs & cum affectu efficaci, quod ſalventur; Quod Auguſtinus dixit *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus*, ſenſus eſt, pro quibus mortuus eſt ſpecialiùs, & ſic de cæteris.

Urgebis: Hoc quod eſt Chriſtum pro reprobis ſatisfeciſſe, pro reprobis mortuum eſſe quò ad ſufficientiam, vel importat præcisè in ſatisfactione & morte Chriſti contineri valorem ſufficientem pro reprobis, & hac ratione etiam pro dæmonibus & malis Angelis Chriſtus quoad ſufficientiam ſatisfeciſſet, mortuuſque fuiſſet; vel importat aliquid ampliùs, & præcipuè deputationem, ſeu deſtinationem mortis ac ſatisfactionis Chriſti, etiam pro reprobis hominibus factam, & tunc deputatio ac deſtinatio habebit infallibilem connexionem cum effectu, ad quem facta eſt; & ſic Chriſtus erit pro reprobis hominibus mortuus etiam cum efficaciâ & cum effectu, non quoad ſufficientem præcisè: Sed contra: 55.

Quod ſic Chriſtum pro electis mortuum eſſe ſpecialiùs & quoad efficaciam; pro reprobis ſolùm univerſaliore modo & quoad ſufficientiã.

Amplector ſecundum dilemmatis membrum, ac dico deputationem ſeu deſtinationem mortis ac ſatisfactionis Chriſti poſſe referri, vel ad remedium peccati præcisè, vel ad ſalutem feliciratemque perpetuam: Primo modo dici poteſt conjungi infallibiliter in omnibus omninò hominibus cum ſuo effectu, nam remedium peccati præcisè ſumptum conſiſtit in eo quod auferatur impotentia ſatisfaciendi condignè, & poſſit quis ex Chriſti meritis ſibi conſulere, & ſatisfactionem à Chriſto exhibitam ſuo peccato applicare, quod reſpectu omnium omninò hominum etiam reproborum de facto verificatur. Secundo modo deputatio, ſeu deſtinatio à Chriſto facta, alia eſt generalis & inefficax, correſpondet in Deo voluntas generalis & inefficax ſalvandi omnes homines; alia eſt ſpecialis & efficax, cui correſpondet in Deo prædeſtinatio & electio efficax aliquorum ad gloriam. Dum dicimus 56.
Chriſtum pro reprobis eſſe mortuum quoad ſufficientiam, loquimur de Chriſti morte non relatè ad remedium peccati præcisè (quâ ratione etiam quoad efficaciam, ſeu efficientiam dici poteſt pro reprobis mortuus) ſed relatè ad ſalutem & gloriam, in ordine ad quam deputavit quidem Chriſtus pro reprobis ſua merita, at inefficaciter dumtaxat & ſufficienter; ideò nil mirum ſi in reprobis non conjungitur cum effectu ſalutis, quia ſolius deſtinationis efficacis proprium eſt cum ſuo effectu infallibiliter conjungi. At non propterea inefficax & ſufficiens propriorum meritorum deſtinatio à Chriſto pro reprobis facta caret omni effectu, caret enim ſolùm effectu ultimato ſalutis in ordine ad quam deſtinatio illa eſt purè ſufficiens & inefficax; habet verò pro effectu collationem auxiliorum ad ſalutem ſufficientium, in ordine ad quæ eadem deſtinatio eſt efficax, & in quibus valdè conſiſtit remedium peccati, aut potiùs facultas, quâ quilibet poteſt peccati remedio uti; collationem, inquam, auxiliorum ſufficientium, non oblationem utcumque, ſeu præparationem eorumdem ex parte Dei, juxta doctrinam poſitam in tract. de Gratiâ *lib.* 1. *c.* 3. à §. 8. ad 12. & ſignanter §. 10. à *num.* 76. ad 79.

Porrò univerſalis proviſio, & collatio auxiliorum ad ſalutem ſufficientium, pro omnibus prorſùs hominibus facta, addito quod (ut eſt magis communiter apud Theologos receptum) omnis gratia naturæ lapſæ con- 57.

ceſſa ſit gratia Chriſti, magnam habet connexionem cum veritate, pro quâ modò contendimus, magnamque vim ad probandum Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, non dumtaxat pro prædeſtinatorum ſalute. In ejuſdem veritatis confirmationem poſſunt huc uſque dictis addi aliæ rationes Theologicæ deductæ ex aliquo fidei principio, puta ex eo, quod omnes & ſinguli abſtrahendo ab eo, quod prædeſtinati ſimus vel reprobi teneamur ex ſimbolo Nycæno fateri, quod Chriſtus *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt*, &c. Poſſimus item ſinguli cum Apoſtolo *ad Galat*. 2. de filio Dei dicere *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: Debeamus tandem admittere Chriſtum pro reprobis oraſſe, dum in Cruce ſuis occiſoribus veniam ab æterno Patre poſtulaverit ſic deprecans, *Pater ignoſce illis*: Quæ omnia ſatis ſuperque evincunt præaſſertam univerſalitatem, nec ſinunt de ea Catholicum virum ambigere.

CAPUT III.

De Merito Chriſti, tum abſolutè, tum relatè ad ipſummet Chriſtum.

1. QVÆ ad Chriſti meritum pertinent plures Scholaſtici ſparſim attingunt in pluribus hujuſce tractatus locis, & præſtitit id quoque S. Doctor 3 *part*. ut obſervat & refert Suarez *hic diſp*. 39. initio; nos occaſiones id præſtandi, quæ in ſuperioribus occurrerunt, quantum fieri potuit diſſimulavimus, intendentes rem totam huc deducere, ubi materiem alioqui ampliſſimam revocabimus ad duo capita; expeditis ſcilicet initio præſentis capitis ijs, quæ ſpectant ad meritum Chriſti conſideratum abſolutè & ſecundum ſe, procedemus ad ea, quæ Chriſtus ſibimet meruit, aut mereri potuit; deinde capite ſequenti expendemus quæ meruit alijs, ſicque diſcurrendo per totum meritorum Chriſti objectum diſcurremus una ſimul per totum id, quod eſt meritorum Chriſti proprium, nam poſſibilitas merendi apud Deum, conditiones ad hoc requiſitæ, & reliqua merito Chriſti communia cum merito cæterorum hominum, ſupponenda ſunt ex tractatu de Gratia, & pro nunc ſolum indicanda, ut ſtatim indicabimus probando nihil Chriſto defuiſſe ad merendum; & quidem de condigno; ſolum quippe meritum condignum venit ſimpliciter & abſolutè nomine meriti, ipſum ſolum eſt meritum perfectum ac proprium, quale certè fuit, ſi quod fuit in Chriſto, ſicut verè fuiſſe mox, tum fide, tum ratione, conſtabit. Ideò ſit

§. I.

An, & quo tempore Chriſtus meruerit?

ASSERT. I. Chriſtus Dominus verè & propriè meruit. Eſt veritas fidei & 2. *Chriſtum verè, & propriè, meruiſſe eſt de fide.*

Probatur primò ex Scriptura, nam *Iſai*. 53. de Chriſto dicitur *Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur*: de eodem Apoſtolus *Philip*. 2. ait *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum*, unde eſt egregia illa Auguſtini ſententia *tr*. 104 *in c*. 17. *Ioan*. dicentis, *ut Chriſtus reſurrectione clarificaretur, prius humiliatus eſt paſſione. Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium*; alias pro eodem intento Scripturæ & Patrum auctoritates refert Eſtius *in* 3. *diſt*. 18. §. 1. quibus addenda eſt definitio Tridentini *ſeſſ*. 6. *cap*. 7. ubi pro cauſa meritoria noſtræ juſtificationis aſſignatur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dicitur eam ſua ſanctiſſima paſſione in ligno Crucis nobis meruiſſe.

Probatur ſecundò ratione: Meritum ex dictis in tract. de Gratia *lib* 4. *cap*. 5. & 6. eſt opus humanum habens valorem moralem ad conſequendum præmium, & præcipuæ meriti conditiones ſunt ex parte operantis ſtatus viæ & ſtatus gratiæ ſeu ſanctitatis, ex parte operis libertas, honeſtas, ſupernaturalitas; atqui Chriſtus elicuit plura humana opera habentia, tum valorem moralem, tum quinque enumeratas conditiones; ut quoad valorem moralem traditum eſt ex profeſſo *præced. c*. 1. Quoad ſtatum 3.
viæ colligitur ex dictis ſparſim de natura humana à Verbo aſſumpta in carne paſſibili, & de anima Chriſti quæ operabatur etiam ad modum dependentis à corpore; Quoad ſtatum gratiæ & ſanctitatis, fuiſſe hanc in Chriſto perfectiſſimam & non ſolùm accidentalem ejuſdem rationis cum ea cæterorum juſtorum, verùm etiam ſubſtantialem, & longè excellentioris ad omnem aliam conditionis, conſtat ex *lib præced. c*. 6. & 7. Quoad libertatem aliquid jam diximus *eod. lib præced c*. 2. & 5. agentes de humana Chriſti voluntate, & quatenus determinatio ad bonum conſequens impotentiam peccandi affert aliquam ſpecialem difficultaté ſalvandi in actibus cadentibus ſub præcepto libertatem ad meritum ſufficientem, res expedietur *lib. ſeq. c*. 2. § 4 Quoad honeſtaté, Chriſti ſanctitas de qua ſuprà, & impeccabilitas de qua infrà, nullum relinquunt ambigendi locū, quin in operibus Chriſti reperiatur; Quoad ſupernaturalitatem, ſupernaturalia principia, quibus Chriſtus fuit cumulatiſſimè inſtructus, ſupernaturalia auxilia quæ ſemper habuit paratiſſima, evincunt nihil ei defuiſſe ad ſupernaturaliter operandum; ergo à primo ad ultimum Chriſtus Dominus elicuit plura humana opera habentia tùm rationem formalem, tum potiores conditiones meriti apud Deum; ergo verè, & propriè meruit.

Dices: Meritum ſupponit imperfectionem in

Digitized by Google

in merente; ergo repugnat Chriſto Domino; antecedens probatur ex eo, quod meritum ſupponit in merente indigentiam & inferioritatem ad præmiantem; ſupponit item potentiam omittendi opus meritorium, omittere autem opus meritorium apud Deum eſt pro vitando levi incommodo contemnere bonum valde ingens, hocque præſertim reſpectu clarè cognoſcentis boni, quod amittitur, magnitudinem ut cognoſcit Chriſtus Dominus, arguit imprudentiam, imò ſpeciem quamdam inſipientiæ; ergo. Sed contrà: Non repugnat,

4. nec inconvenit Chriſto ratione naturæ aſſumptæ habere indigentiam & inferioritatem reſpectu Dei; ex primâ igitur, quæ objicitur, imperfectione meritum apud Deum non repugnat Chriſto, in quo potiſſimum merendi principium eſt natura aſſumpta. Ad ſecundam imperfectionem dico bonum ingens, quod eſt propria beatitudo eſſentialis aut aliquid ad ipſam neceſſarium, inferre imprudentiæ, imò inſipientiæ ſpeciem, in liberè omittente; ſecùs quando quis jam eſt in ſe eſſentialiter beatus, & meritum compenſandum eſt, aut beatitudine alienâ, aut alio ingenti bono à beatitudine diverſo, cum igitur Chriſtus eſſet in ſe eſſentialiter beatus, potentia omittendi opus meritoriũ non arguebat potentiã ullam operãdi imperfectè, imprudenter, inſipiẽter, & poſſunt hic facere ad rem quæ de libertate Chriſti in ordine ad bonum minus relicto majore dicebamus *lib præced. cap.* 5. §. 1.

5. Aſſert. 2. Chriſtus Dominus meruit toto ac ſolo tempore viæ ac vitæ mortalis, meruit ſcilicet ſine ulla intermiſſione ab inſtanti conceptionis uſque ad inſtans mortis; at non ulteriùs. Aſſertum tria continet, nimirùm quod Chriſti meritum incæperit ab inſtanti conceptionis, quòd numquam fuerit interruptum uſque ad mortem, quod deſierit ſtatim poſt mortem aut etiam in ipſo inſtanti mortis: De primo dubitarunt Durandus *in 3. diſtinct.* 18. *quæſt.* 2. & Paludanus *ead. quæſt.* De ſecundo multi expreſsè non tractant: De tertio contrariè opinantur Raguſta *hic diſput.* 5. §. 1. & aliqui alij, quorum meminit Vaſquez *diſput.* 76. *cap.* 1. *num.* 6. In omnibus tribus membris conveniunt D. Thomas *hic quæſt.* 19. *art.* 3. *ad* 1. & infià *quæſt.* 34. *art.* 3. *quæſt.* 50. *art.* 6. *quæſt.* 56. *art.* 1. item *in* 3. *diſt.* 18. ubi Magiſter, Scotus, Bonaventura, Richardus, Gabriel, Almainus, Major, Albertus; Præterea Alenſis 3. *part. ſum. quæſt.* 17. *memb.* 2. Suarez *hic diſp.* 39. *sect.* 3. Vaſquez *diſp.* 75. & 76. Amicus *diſp.* 26 *sect.* 5. Arriaga *diſput.* 41 *sec.* 5. *ſubſec.* 2. Madernus *q.* 8. *art.* 1. Gonetus *diſp.* 21. *art.* 1. & Scholaſtici reliqui communiſſimè, quamvis non ſine aliquo inter ſe diſſidio in ſtatuendo circa inſtans conceptionis & mortis intrinſecum ne, an extrinſecum ſit meritũ Chriſti? Utrùm ſcilicet Chriſtus meruerit in inſtanti ipſo, tum conceptionis, tum mortis, an ſolùm in inſtanti immediatè ſubſequente conceptionem & immediatè antecedente mortem? adeò ut ly *ab inſtanti conceptionis* denotet terminum extrinſecum inceptionis, ly *ad inſtans mortis* terminum extrinſecum deſitionis meriti: Inſtans conceptionis eſſe terminum extrinſecum volunt Albertus, Alenſis, Bonaventura, & quicumque in univerſum putant non poſſe cum eſſe rei incipere opus aliquod, præſertim liberum & perfectè deliberatum, quale debet eſſe opus meritorium: Inſtans mortis eſſe terminum intrinſecum docent Cajetanus *hic q.* 50. *art.* 6. §. *Ad primum* & Hurtad. *diſp.* 63. *ſec.* 10. Cæteri magis communiter ſentiunt oppoſitum, faciunt ſcilicet Chriſti merito intrinſecum inſtans conceptionis, extrinſecum inſtans mortis; adeò ut Chriſtus meruerit ab inſtanti & in inſtanti conceptionis uſq; ad inſtans, non in inſtanti mortis, & ita nos quoque ſentimus.

Probatur aſſertum primò quoad meritum ab inſtanti, & in inſtanti cõceptionis incæptũ, probatur, inquam auctoritate & ratione: auctoritatem ſuppeditat Apoſtolus *Heb.* 10. deſcribens Chriſtum, qui ingrediens mundum dixerit *ecce venio in capite libri ſcriptũ eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*, ubi nomine ingreſſus Chriſti in mundum intelligitur communiter cõceptionis, ſeu incarnationis inſtans, & ſequentibus verbis exprimitur, quod ex tunc Chriſtus ſe Patri obtulerit ad faciendam ejus voluntatem mortemque ſubeundam; & huic quidem oblationi nihil obſtit iſ, ne eſſet meritoria, ſuadetur ratione, quam ſubjicio, licet enim fuerit in primo inſtanti exiſtentiæ Chriſti, optimè potuit habere omnes meriti conditiones, & ſignanter libertatem perfectamque deliberationem, cum operationi liberæ, perfectéque deliberatæ, neq; ex genere ſuo, neq; ex propriâ conditione volũtatis humanæ Chriſti repugnet elici in primo inſtanti exiſtentiæ ſui principij, ut ſuppono partim ex tract. de Angelis *lib.* 3. *c.* 1. §. 3. & 8. partim *præced. lib.* 2. *c.* 2. §. 3. & ex his locis facilem habet ſolutionem quidquid poteſt occurrere contra meritum Chriſti, ſaltem ut poſſibile pro primo conceptionis inſtanti: ſemel autẽ conſtito de talis meriti poſſibilitate, ejuſdem exiſtentiam vehementiſſimè ſuadent; tum paritas Angelorum, qui de facto in primo ſuæ creationis inſtanti meruerunt; tum dignitas Redemptoris & charitas Chriſti erga humanum genus, quæ utraque in primi inſtantis merito eximiè relucet; tum denique quia ſi primum inſtans vitæ Chriſti abijt ſine merito, vix poterit deinde aſſignari, quomodo non tota ejus infantia ſic abierit? quod etſi Durando viſum non ſit inconveniens, cæteris Scholaſticis plurimùm diſplicet, & à Vaſquio *diſp.* 75. *c.* 2. *n.* 6. cenſetur temerarium; eò quod, ut ipſe ſubdit, negare omne meritum incommodis nativitatis, circumciſionis, & alijs quæ Chriſtus in infantiâ pertulit, ſit contrà communem ſcholæ ſenſum, ſicut & malè conſonũ Sanctis Patribus ſæpè ea cõmendantibus, tamquam nobis proficua & ſalutaria, nam Ambroſ. *lib.* 2. *in Lucam cap.* 2. *de Nativit. Salvatoris* ait *Me illius infantia vagientis abluunt fletus, mea lacryma illa delicta laverunt.* Auguſt. *ſerm.* 11. *de tempore* in fine. *Adoremus*, inquit de Chriſto, *pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra naturæ*, & Bernardus *ſerm.* 2. *de Circumciſ. Domini* ante medium habet *Meritò ſanè dum circumciditur puer, qui natus eſt nobis, Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc incæperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro*

6. Chriſtus cæpit mereri ab inſtanti, & in inſtanti conceptionis.

7. Meruit in infantiâ, & oppoſitum cenſurâ non caret.

nobis ſanguinem fundens, hinc quoque D. Thomas *quæſt.* 37. *art.* 1. inter plures cauſas circumciſionis Chriſti hanc aſſignat *Ut legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret* ſecundùm illud Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret*

8. Probatur aſſertum ſecundò quoad meritum nunquàm uſque ad mortem interruptum, quia ex una parte nec infantia, nec ſomnus, nec ullum organorum ſenſuumvè impedimentum, inducebat in Chriſto neceſſitatem interrumpendi meritum; cum poſſet ipſe independenter ab organis, ſenſibuſque corporis, erumpere in opera meritoria, ut colligitur ex ſuprà dictis, præſertim dum ageretur de ſcientia Chriſto infuſa: ex alia parte non interruptio meriti toto tempore ſtatus viæ reperta eſt in bonis Angelis, & fuit Chriſto convenientiſſima, tùm ne eſſet bonis Angelis inferior, tum inſuper ne minùs quodammodò faveret dignitati redemptoris, fini redemptionis, propriæque erga homines charitati: Accedit quod eidem non interruptioni, ſeu non ceſſationi ab omni opere meritorio, favet cohærentia doctrinæ qua *præced. lib* 2. *cap.* 3. §. 6. aſſerebamus animam Chriſti nunquam ceſſaſſe ab omni actu ſcientiæ per ſe infuſæ, neque igitur unquam ceſſavit ab omni voluntatis actu tali ſcientiæ correſpondente, ſupernaturali, & meritorio. Suppoſito jam, quod Chriſtus toto mortalis vitæ tempore meritum ſine interruptione continuaverit, dubitatur, utrùm meritum ſic continuatum unicum fuerit, an multiplex? hocque dupliciter intelligi poteſt, vel elicitivè & ex parte actûs, vel objectivè & ex parte præmij.

Continuavit ſine ulla interruptione meritum uſque ad mortem.

9. Primo modo erit unicum Chriſti meritum, ſi dicatur Chriſtum in inſtanti conceptionis & toto vitæ tempore habuiſſe aliquem unum actum voluntatis, qui alios omnes imperaverit, ipſe ſolus fuerit meritorius formaliter & intrinſecè, & ab ipſo cætera opera reddita fuerint meritoria denominativè, & extrinſecè, abſque eo, quod auxerint aut multiplicaverint meritum, ſicut actus externos abſque eo, quod importet meritum diverſum à merito actus interni, redditur ab iſto per denominationem extrinſecam meritorius; in hoc ſenſu fuiſſe unicum Chriſti meritum ſitum in eo voluntatis actu, quo Chriſtus mundum ingrediens ſe Patri obtulit, aſſeruerunt nonnulli Theologi, quos ſuo tempore vigniſſe & abſque omni probabilitatis ſpecie locutos fuiſſe refert Vaſquez *diſp.* 75. *cap.* 4. *num.* 12. Secundo modo erit unicum Chriſti meritum, ſi dicatur iſtud conſtitiſſe quidem pluribus actibus ſibi continuò ſuccedentibus, & ſingulis habentibus ex ſe, & ab intrinſeco, propriam rationem meriti; ita tamen ut omnibus correſponderit unum idemque præmium, nec Chriſtus promeritus ſit uno actu aliquid, quod non fuerit etiam promeritus per alios actus, quoſcunque. Primus dicendi modus ſine ulla, aut neceſſitate, aut ratione, tribuit Chriſto perſeverantiam unius ejuſdemque actus liberi, à quo omnes alij imperentur; quatenùs deindè eo acto ſuppoſito ponit alios omnes actus, quamvis internos eſſe meritorios ſolùm denominativè & extrinſecè, nutante nititur fundamento & mihi ex tract. de Gratia *lib.* 4. *cap* 7. *num.* 59. veriſimilius eſt actum imperatum, quando eſt internus, habere proprium & ſpeciale meritum diverſum à merito actus imperantis, quamvis non quando eſt externus. Ideò quoad primum modum exiſtimo meritum Chriſti non fuiſſe unicum, nec uni dumtaxat actui intrinſecum, ſed multiplex & in varijs ſucceſſivè actibus, adeò ut Chriſti voluntas aliquando, quamvis ſemper ſine interpellatione & mora, ab uno actu formaliter & intrinſece meritorio, in alium formaliter quoque & intrinſece talem tranſierit: Secundo modo ſi ſermo ſit quoad ſufficientiam, & in actu ſignato, meritum Chriſti unicum fuit, quia propter infinitatem valoris moralis quilibet unus actus habuit condignitatem ad omnia illa præmia, ad quæ fuerunt condigni plures actus, nec iſti ſimul habuerunt condignitatem (ſubintellige intenſivè) majorem, aut ad majus præmium, quàm ille ſeorſim; ſi ſermo ſit quoad efficaciam, & in actu exercito, res plurimùm pendet à voluntate Chriſti, qui pro libito ſuo potuit applicare & ordinare aut omnes ſuos actus meritorios indiviſibiliter ad eadem præmia, ſingulos ad omnia & omnes ad ſingula, vel ſeorſim diverſos actus meritorios ad præmia diverſa, aliquos ad unum aliquos ad aliud; quæ poſterior ordinario videtur connaturalior, & magis placet Arriagæ *diſp.* 43. *num.* 38. ubi tamen non omittit præmonere rem eſſe valdè dubiam, eo quod nec ex ſcriptura nec aliundè ſufficienter conſtet de voluntate illa Chriſti, à qua diximus quæſtionem plurimùm pendere. 10.

Idque non per unicum actum, ſed per plures ſibi continuò ſuccedentes.

Probatur aſſertum tertiò quoad meritum ſtatim poſt mortem, imò in ipſo inſtanti mortis, tanquam in termino ſibi extrinſeco, deſinens; probatur, inquam, ex communi lege, qua (ut certum ſuppono ex tract. de Gratia *lib.* 4. *cap.* 6. §. 1.) Deus ad merendum deſignavit ſolum ſtatum, ſeu tempus viæ, quod reſpectu hominum idem eſt, ac tempus vitæ mortalis & animæ unitæ corpori paſſibili, cujus vitæ mortalis, animæque unitæ corpori, ſicuti juxta communiorem Philoſophorum ſenſum inſtans mortis eſt terminus extrinſecus, ita idem inſtans cenſeti debet terminus extrinſecus viæ & meriti, adeò ut in eo homo, ſicuti primò non eſt vivens, ita primò non ſit viator, primò non ſit merens; quòd ſi homo, ut pauciores nonnulli ſenſerunt, moreretur per ultimum ſui eſſe, ac per conſequens inſtans mortis eſſet terminus intrinſecus vitæ, eſſet proportionaliter terminus intrinſecus viæ ac meriti, & hanc ſequendo ſententiam, ejuſque cohærentiam ſervando, rectè diceretur Chriſtum in inſtanti mortis, & morte ipſa, meruiſſe; at nos juxta priorem, communioremque loquentes jure tradimus oppoſitum, etſi ſit directè contra Cajetanum concedentem (ut refert Suarez *diſp.* 39. in fine) meritum pro termino viæ, qui ſit terminus vitæ extrinſecus, & in quo anima ſit à corpore ſeparata: Quibus obiter dictis de ipſo mortis inſtanti redeo ad id, quod certius ac principalius eſt, ſcilicet ad Chriſti meritum morte 12.

11. Deſiit meriti ſtatim poſt mortem imò in ipſo inſtanti mortis.

Digitized by Google

te terminatum abſtrahendo ab eo, quod pro extrinſeco vel intrinſeco termino mortem habuerit, qua ratione intentum noſtrum evincit non ſolùm præmemorata communis lex præſcribens merito ſtatum viæ, ſed etiam propria conditio Chriſti Domini, qui in mundum venit ut redemptor ſeu ex fine redemptionis; ea verò quæ ad redemptionem noſtram pertinent paſſione ac morte perfecit conſummavitque, ut habetur tum ex pluribus Scripturæ locis apud Suarium *diſp. 9. ſect. 1. §. ſecundò poteſt* & Amic. *diſp. 16. ſect. 5. n. 90.* tum ex communi ſenſu & modo loquendi, quo dicimus Chriſtum nos redemiſſe, non nos redimere; redimeret autem adhuc ſi adhuc mereretur, quia pretium redemptionis non eſt aliud, quam valor meritorum.

Dices primò, communem illam legem poſitam eſſe pro puris hominibus, non pro Chriſto, & ad propriam redemptoris conditionem pertinere poſſe merita aliqua redemptionem ſubſequentia, quamvis per hæc nos non dicamur redimi: Ratio primi eſt, quia ſicuti in via Chriſtus habuit viſionem beatam, quam puri homines habent ſolùm in termino, ita nil mirum ſi in termino habeat meritum, quod puri homines habent ſolum in via, adeò ut ſicut lex videndi Deum ſolum in termino pro puris hominibus, non pro Chriſto poſita eſt, ita idem ferendum ſit judicium de lege merendi ſolum in via: Ratio ſecundi eſt, quia ad conditionem redemptoris pertinet non ſolum exhibere merita per modum ſolutionis pro redemptione obtinenda, ſed etiam per modum gratiarum actionis pro redemptione obtenta, & hæc certè debent redemptionem ſubſequi, adeoque jure poſſunt Chriſto poſt mortem, & poſt redemptionem morte conſummatam tribui, ergo nec ex communi lege præmemorata, nec ex propria conditione Chriſti Domini, bene nos deduximus noſtri aſſerti intentum. Sed contrà: Suario *præcitat. ſect. 2. §. Dices verò* videtur plus, quàm temeraria exceptio Chriſti Domini ab illa communi lege, nec tali exceptioni admodum ſuffragatur ratio paritatis adductæ, quæ ad ſummum vim aliquam habet quoad de poſſibili, at nullam prorſus quoad de facto, cum non ſit eadem neceſſitas pro Chriſti merito in termino, ac pro ejuſdem gloria in via, nam pro
13. hac poſteriore *ex præced. lib. 2. cap. 3. §. 1.* militat plurima tum auctoritas tum ratio, non ſic pro illo priore, imò auctoritas præſertim, multa eſt in oppoſitum. Contrà alterum inſtantiæ membrum dico ad propriam redemptoris conditionem pertinere poſſe merita aliqua redemptionem ſubſequentia ex abundantia ad ſummum, at non ex neceſſitate redemptionis, & tamen ut deducerentur de facto ex conditione redemptoris deberent eſſe de neceſſitate redemptionis; neque hæc neceſſitas ſufficienter infertur ex titulo gratiarum actionis, nam gratiarum actio non eſt de neceſſitate beneficij, & prætetea merita, quæ redemptionem præceſſerunt in via optimè potuerunt habere rationem gratiarum actionis anticipatæ, abſque eo quod ad ſatisfaciendum titulo gratitudinis induerentur alia merita, quæ redemptionem conſummatam, & Chriſti mortem, ſubſequantur.

Dices ſecundò; Chriſtus meruit per mortem, meruit per vulnus lateri inflictum, & meretur nunc per orationem, qua Patrem pro nobis in Cœlo interpellat; ergo meritum Chriſti nec deſiit in ipſo inſtanti mortis tanquam in termino ſibi extrinſeco, nec deſijt ſtatim poſt mortem, nec etiam nunc in Cœlo deſinit, conſequentia patet; probatur antecedens quoad primam partem ex eo quod *Philip 2.* Chriſtus dicitur à Deo exaltatus propter mortem Crucis, undè Cyprianus *ſerm. de Aſcenſione* ait *Hæc eſt merces obedientiæ Chriſti, hæc mortis & crucis ſtipendia*: Præterea *Heb. 2.* dicitur pro omnibus mortem guſtaſſe, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium undè etiam morti Chriſti jure tribuitur noſtra redemptio, & ſalus, & Auguſtinus *lib. 4. de Trinit cap. 3.* rectè ait *Vna mors* (ſcilicet corporalis) *noſtri Salvatoris duabus mortibus noſtris* (animæ ſcilicet, & corporis) *ſaluti fuit*: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem ex eo, quia ut refert Vaſquez *diſp. 76. cap. 2. num. 8.* familiare eſt Sanctis Patribus aſſerere Eccleſiæ Sacramenta, quæ certè in Chriſti meritis fundantur, manaſſe ex Chriſti latere lancea transverberato, undè & Eccleſia ipſa canit de Chriſto ſub nomine vitæ. *Qua vulnerata lancea mucrone diro criminum, ut nos lavaret ſordibus, manavit unda & ſanguine*: Præterea Auguſtinus *tract. 15. & 120. in Ioan.* de vulnere lateris Chriſti ait *Quid vulnere iſto ſalubrius*, & univerſalius D. Thomas *quæſt. 50 art. 6. in c.* docet quidquid contigit circà carnem Chriſti, etiam anima ſeparata, fuiſſe nobis ſalutiferum virtute divinitatis unitæ: Probatur idem antecedens quoad tertiam partem ex eo, quia valdè conſonum eſt Scripturæ & Patribus dicere, quòd Chriſtus in Cœlo pro nobis oret, ut videre eſt apud Amicum *diſp. 27. ſect. 2.* & Arriagam *diſp. 49. ſect. 3.* orando autem, vel oratione ſua aliquid impetrat, vel non; ſi ſecundum, ergo inutiliter orat; ſi primum, ergo meretur, impetratio enim ſpecies eſt meriti. Sed contrà: Ad primam antecedentis partem dico ex D. Thoma *præcit. art. 6. in c. & ad 2.* Chriſtum meruiſſe non per mortem in facto eſſe prout importat animam primò ſeparatam à corpore, & verum inſtans mortis, ſed per mortem in fieri, qua ratione coincidit cum paſſione, dicitur quippe mors eſſe in fieri, quando quis per paſſionem, vel naturalem, vel violentam, tendit in mortem. Vel aliter dico Chriſtum meruiſſe per mortem non phyſicam & executioni mandatam, ſed moralem & voluntariè acceptatam; & utraque diſtinctio egregiè quadrat auctoritatibus ad eam primam partem probandam adductis.

Ad ſecundam antecedentis partem fateor vulnus fuiſſe lateri Chriſti inflictum poſt ejus mortem, cum ità expreſsè definitum ſit juxtà teſtimonium *Ioan. 19.* à Concilio Viennenſi, Clementina unica de ſumma Trinitate, contrà quemdam Petrum Joannis auſum dicere Chriſtum fuiſſe in latere vulneratum adhuc viventem, undè voluit teſtimonium Joannis debe-

14. Auctoritates variæ pro merito Chriſti continuato in morte, aut poſt mortem.

15. Occurritur auctoritatibus pro merito in inſtanti mortis.

te intelligi per figuram præoccupationis, ſed

16. Occurritur auctoritatibus pro merito poſt mortem.

immeritò omninò: Admiſſo igitur vulnere poſt mortem inflicto, ad familiarem illam Sanctorum Patrum locutionem communis reſponſio eſt non merito ſed ſignificatione, non tanquam ex cauſa meritoria ſed tanquam ex ſigno, manaſſe ex Chriſti latere lancea tranſfixo Eccleſiæ Sacramenta, quatenus fuerunt ſignificata ab aqua & ſanguine, quæ tunc ex Chriſti látere fluxerunt; ſive deinde Sacramentorum nomine veniant præcisè duo quædam inſignia Eccleſiæ Myſteria, ſive veniant duo præcipua Sacramenta ex ſeptem, nimirum Baptiſmus & Euchariſtia, ad quæ tanquam ad januam & conſummationem cætera omnia revocentur; qua in re variant plurimum ipſimet Sancti Patres, ut eruditè refert Vaſquez *diſput. 76. cap. 2.* & hanc communem reſponſionem ſi lubeat ad reliquas auctoritates extendere dici poterit ly *ut nos lavaret* idem eſſe ac ut ſignificaret Sacramenta, quibus nos lavaremur, ly *Quid vulnere illo ſalubrius?* idem eſſe ac quid magis ſignificans ſaluberrima Sacramenta, &c. Quod ſi magis lubeat laterali vulneri meritum aliquod concedere dicito (ut mox de morte ipſa dicebatur) Chriſtum meruiſſe per vulnus illud ut volitum & voluntarie acceptatum antè mortem, non ut inflictum & executioni mandatum poſt mortem, Neque dices ex hoc ipſo ſequitur mortem, & vulnus poſt mortem, fuiſſe Chriſto voluntaria in cauſa, ideſt in acceptatione libera, qua Chriſtus ſciens & volens ſe ſubjecit cauſis mortem & vulnus poſt mortem infligentibus; atqui voluntarium in cauſa ſufficit ad meritum; ergo ex hoc ipſo, quod Chriſtus meruerit per mortem & vulnus voluntariè acceptata, meruit

17.

quoque per eadem executioni mandata. Contrà enim; licèt Amicus *præcit. diſp. 26. num. 97.* & Madernus *quæſt. 8. art. 1. num. 14.* cum nonnullis alijs admittant Chriſti vulnus poſt mortem fuiſſe meritorium denominativè & in cauſa, meliùs id negant Vaſquez *præcit. diſput. 76. cap. 2. num. 9.* & Gonetus *diſp. 21. num 36.* quibus adhæreo, & dico voluntarium in cauſa ſufficere ad meritum, quando operi non deeſt ulla alia conditio ad meritum neceſſaria, ſicuti tamen morti & vulneri inflicto poſt mortem deeſt ſtatus viæ. Supereſt, ut nonnihil dicamus ad illam univerſaliorem propoſitionem ex D. Thoma adductam *Quidquid contigit circa carnem Chriſti, etiam anima ſeparata, fuit nobis ſalutiferum*, ad quam dico, quod licet ex terminis ly *quidquid contigit* poſſit ſumi, non ut executioni mandatum, ſed ut voluntariè antecedenter acceptatum, qua ratione deinde ly *ſalutiferum* poſſet intelligi de ſalutifero per modum meriti, ſeu de meritorio ſalutis; nihilominus conformiter ad contextum illius articuli ſexti ly *ſalutiferum* debet aliter ſumi, nimirum non pro ſalutis meritorio, ſed pro ſalutis effectivo ratione divinitatis, quam caro Chriſti ſibi unitam retinuit, etiam anima ſeparata; ideò allata S. Doctoris propoſitio nullam prorſus vim habet ad probandum in laterali Chriſti vulnere aliquod meritum, ut clarè conſtabit conſulenti textum *in cit. art. 6.*

Ad tertiam antecedentis partem libenter admitto Chriſtum in Cœlo pro nobis orare, 18.

18. Occurritur auctoritatibus pro merito nunc adhuc continuato in Cœlis.

licèt oppoſitum acriter ſuſtineat Vaſquez *diſp. 82.* tribuens Chriſto in Cœlo interpellationem tantùm, non orationem, & ponens hanc ab illa differre in eo, quod orare ſit petere aliquid eliciendo novum & ſpecialem actum voluntatis, interpellare autem, quod Chriſto in Cœlo tribuit, nihil áliud ſit, quàm Patri in Cœlis aſſidere humanitate ſua ſe ipſam exercitè repræſentante, & ſimul ſuas cicatrices, ſua vulnera, ſuaque præterita merita, quaſi continuò pro nobis ad Deum clamantia; quem quidem interpellationis modum non improbo, at cenſeo nec benè adaptari omnibus auctoritatibus pro Chriſto in Cœlis orante militantibus, nec admodùm fovere pietatem noſtram erga Chriſti humanitatem, ad quam certè meliùs afficimur, & fidentiùs confugimus, ſi exiſtimemus ipſam juxta neceſſitates nobis occurrentes erumpere in novas poſtulationes & in novos actus, quibus Deum deprecetur, ſivè deindè tales actus ſe habeant, tanquam puræ conditiones applicantes antiqua merita ùt probabile cenſuit Arriaga *præcit. ſect. 3. num. 37.* ſive exerceant etiam ratione ſui aliquam moralem motionem, ut cenſeo probabilius cum Amico *præcit. ſec. 2. num. 28.*

19. Chriſtus in Cœlo pro nobis orat.

libenter igitur & conſtanter admitto Chriſtum etiam nunc pro nobis orare ſimpliciter & abſolutè, non quomodocunque interpellare; & ad dilemma quod ſubſumebatur dico oratione ſua aliquid impetrare, at non idcireò aliquid mereri, quia impetratio latiùs patet, quam meritum, nec quidquid eſt impetratorium eſt meritorium, ut ex profeſſo attigi in tract. de Gratia *lib. 4. cap. 9.* §. 2. quo ex loco facilè inferes præſentem difficultatem non eſſe ſpecialem in Chriſto, quia per nos Beati omnes orant & impetrant, abſque eo quod mereantur; & quamvis in Chriſto oratio habere poſſit aliquam aliam difficultatem cæteris beatis non communem, ea non ſpectat ad rem noſtram; obiter tamen addo auctoritates, quæ contra Chriſti in Cœlis orationem afferri poſſunt, ſolùm evincere, quòd Chriſtus non oret in Cœlis eodem modo quo oravit in terris, non ſcilicet oratione meritoria, non item oratione quaſi ſervili & ſupplici, ideſt non flectendo genua, non proſternendo corpus, alijſque externis ſignis ſupplicem ſe ſubditumque exhibendo: fortè etiam ex hujuſmodi auctoritatibus aliquæ procedunt præcisè de Chriſto ut Deo, & ex hoc potiſſimum capite non ſolemus Chriſtum rogare, ut pro nobis oret, ſed ut nos audiat, nos exaudiat, nobiſque miſereatur & pareat, juxta doctrinam expreſſam D. Thomæ *in 4. diſt. 15. q. 4. art. 6. quæſtiunc. 2. ad 1.* ubi ita habet *Chriſtus in quantum homo orat pro nobis ſed ideò non dicimus, Chriſte ora pro nobis, quia Chriſtus ſupponit ſuppoſitum æternum, cujus non eſt orare, ſed adjuvare; & ideò dicimus Chriſte audi nos, vel miſerere noſtri, & in hoc etiam evitamus hæreſim Arrij & Neſtorij:* Quod totum magis explicans Suarez *diſp. 45. ſec. 2.* in fine addit benè diſtinguendo rationes, & conſiderando Chriſtum ut hominem, non fore illicitum neque

Cur hoc non obſtante non ſoleamus ad illum dicere, Ora pro nobis.

que indecorum ab illo oratione privata poſtulare, ut pro nobis oret; oratione, inquam privata, quia orationi publicæ obſtat Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſervanda eſt.

20. Laterale Chriſti vulnus, ſicut non fuit meritorium, ita nec ſatisfactorium.

Ex dictis habetur Chriſtum poſt mortem, ſicuti non amplius meruit, ità non ampliùs ſatisfeciſſe: Nec audiendus eſt Vega *lib. 7. in Trident. cap.* 18. arbitratus lateris vulnus poſt mortem fuiſſe ſatisfactorium quamvis non meritorium, ſicut animæ in purgatoriu poſt mortem ſatisfaciunt, quamvis non mereantur: Verùm nec benè ſupponit animas in purgatorio ſatisfacere, ſolùm enim ſatiſpatiuntur; nec eſt eadem ratio de Chriſti vulnere, quod fuit inflictum ſine ullo prorsùs ſenſu doloris, quo certè non carent animæ in Purgatorio.

Habetur inſuper quod *præced. num.* 9. & 10. dictum eſt Chriſtum non unico actu meruiſſe plurimùm conſonare cum eo, quod ſuprà §. 3. dicebatur eundem non unico actu, nec ex unica ſpeciali virtute, ſatisfeciſſe; maxima enim affinitas ſatisfactionis cum merito infert Chriſtum eodem ferè modo, ijſdemque pœnè actibus ſatisfeciſſe, quibus meruit; aſſerta igitur pluralitas actuum in ſatisfaciendo, & præmemorata pluralitas eorundem in merendo, ſibi valdè cohærent, ſe mutuò fovent, ſeque confirmant.

---

§. II.

Quibus, & ſingillatim utrum beatificis, utrùm naturalibus, actibus Chriſtus meruerit.

21. ASSERT. 1. Chriſtus meruit aliquo actu amoris ſupernaturalis, ſeu charitatis infuſæ; at non meruit actu amoris beatifici, nec ullo alio actu beatifico. Prima pars eſt communiſſimè recepta contra Vaſquium *diſp.* 74. *cap.* 3. ubi docet Chriſtum meruiſſe per opera aliarum virtutum à charitate, at non per actum aliquem charitatis, & pro ſe refert Alenſem, Altiſiodorenſem, Bonaventuram, alioſque nonnullos. Tertia pars non habet ſpecialem difficultatem ſuppoſita ſecunda parte, in qua eſt major & ferè tota controverſiæ vis & aſſertam meriti ab amore beatifico excluſionem ſuſtinent Suarez *diſput.* 39. *ſec.* 2. Amicus *diſput.* 26. *ſec.* 1. Arriaga *diſp.* 43. *ſec.* 4. Madernus *quæſt* 7. *art.* 7. Soto *lib.* 3. *de natura & gratia cap.* 7. Medina *hic quæſt.* 19. *art.* 3. Ioannes à S. Thoma *diſp.* 17. *art.* 3. & tùm aliqui alij Thomiſtæ, tùm ferè omnes Recentiores, contra Gabrielem *in* 3. *diſt.* 18. *quæſt. un. conc.* 2. Scotum *ead. quæſt. un.* §. *In iſta quæſtione.* Lychetum *ibid.* Maſtrium *diſp.* 3. *q.* 10. *artic.* 2. Alvarez *diſp.* 45. Gonetum *diſput.* 21. *articul.* 2. Gabrielem à S. Vincentio *diſput.* 19. *dub.* 3. §. 2. Cipullum *q.* 19. *art.* 3. *dub.* 2. Loream *diſput.* 72. *dub.* 2. Lugum *diſput.* 27. *ſec.* 1. alioſque, tùm Scotiſtas & Nominales, tùm Thomiſtas non paucos, tùm aliquos Recentiores; diſſident tamen deindè iſti Auctores inter ſe, quatenùs Scotiſtæ & Nominales ſolent aſtruere meritorium in Chriſto amorem beatificum ſimpliciter & abſolutè acceptum; reliqui ſolùm ut terminatum ad Proximum, aut ad bona Deo extrinſeca, & ex iſtis quidam volunt amorem ſic terminatum eſſe actum diſtinctum & diverſum à formali dilectione Dei, regulatum tamen à Dei viſione; quidam volunt eſſe ſolum diverſam terminationem convenientem eidemmet actui, quo Deus in ſe & ſecundùm ſua bona intrinſeca diligitur, ut magis mox explicabitur in ſecundæ partis probatione: Interim ſicut ordo poſtulat.

22. Chriſtus meruit aliquo actu ſupernaturalis amoris.

Probatur prima aſſerti pars: Actus charitatis, ſeu ſupernaturalis amoris, à charitate infuſa elicitus eſt inter omnes virtutum actus perfectiſſimus; & quamvis per nos cæteri ab ipſo in ratione meriti non pendeant, ipſe tamen cæteris in tali ratione præcellit ut ſuppono ex tract. de Gratia *lib.* 4. *cap.* 6. §. 6. ergo ad perfectionem merendi in Chriſto maximè pertinet, quod meruerit aliquo actu charitatis, non ſolis actibus cæterarum virtutum. Confirmatur ex eo, quia Chriſtus paſſus eſt & mortuus, etiam ex motivo charitatis, quemadmodum ipſemet inſinuavit *Io.* 14. verbis illis *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, & poſtea teſtatur Apoſtolus 2. *Cor.* 5. dicens *Charitas Chriſti urget nos æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt*; hinc Sancti Patres valdè commendant in Chriſto amorem, ut nos ad redamandum excitent, quæ minùs rectè dicerentur, ſi amore ſuo Chriſtus nihil nobis profuiſſet, nihil meruiſſet. Neque dicas hæc omnia eſſe de ſubjecto non ſupponente, & malè ſupponere aliquem actum charitatis in Chriſto poſſe eſſe meritorium: Contrà enim, hæc probant id magis, quàm ſupponant, & ex adverſo perperam objici talis actus repugnantiam conſtabit ex dicendis *num.* 27. *& ſeqq.*

23. At non actu amoris beatifici.

Probatur ſecunda pars; Chriſtus neque meruit amore beatifico ut terminato ad Deum & ad bona intrinſeca Deo, neque eodem ut terminato ad proximum, aut ad bona Deo extrinſeca, nimirùm ad honorem, cultum, & gloriam Dei; ergo Chriſtus non meruit actu amoris beatifici, conſequentia patet, probatur antecedens quoad primam partem, quia amor beatificus ut terminatus ad Deum eſt omninò neceſſarius, nec ullam habet libertatem à neceſſitate indifferentiæ oppoſita, quamvis habeat ſpontaneitatem libertatemque à coactione, atqui ad meritum requiritur ex parte actus libertas à neceſſitate, nec ſufficit libertas à coactione, ergo; Minor certa eſt & continet veritatem expreſſè definitam ab Innocentio X. & traditam à nobis ex profeſſo *præcit. cap.* 6. §. 4. Major negatur quidem à Scotiſtis, & Nominalibus, tribuentibus actui amoris beatifici aliquam indifferentiæ libertatem, quam quidam phyſicam, non moralem, quidam remotam, non proximam vocant, nihilominus non eſt nunc à nobis probanda, cum jam id præſtiterimus in tract. de Beatitudine *lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. potiùs hic probarem libertatem illam aut dumtaxat phyſicam aut dumtaxat remotam, etiamſi amori beatifico conveniret, non fore ſufficientem ad meri-

tum;

Google

tum, eo quòd ſit in ratione Indifferentiæ valde imperfecta & diminuta, ad meritum autem apud Deum requiratur indifferentia perfecta; Verùm neque hoc eſt hujus loci proprium, neque poteſt ſatis urgeri ſine quæſtione de nomine: Ideò pro prima antecedentis parte ſiſtamus in omnimoda amoris beatifici ad Deum terminari neceſſitate, de qua alibi;
24. & ad ſecundam partem procedendo probo eam In primis ex eo, quia amor beatificus ut terminatus ad proximum, aut ad bona Deo extrinſeca, non venit nomine charitatis ſimpliciter dictæ, & eſt longè inferioris conditionis minoriſque perfectionis, quàm ut terminatus ad Deum & ad bona Deo intrinſeca; ergo dicere, quod Chriſtus illo ſolo amore, non iſto meruerit, non eſt ſalvare quod meruerit actu charitatis, qua perfectiſſimus eſt; ut videtur neceſſarium ad excellentiam merendi in Chriſto: Deinde viſio beata eſt invariabilis non ſolùm, ut attingit in ſe Deum, ſed etiam ut attingit alia in Deo; ergo amor beatificus viſione beata regulatus debet pariter eſſe invariabilis, ac per cōſequens neceſſarius, non ſolùm ut terminatur ad Deum in ſe, ſed etiam ut terminatur ad alia in Deo; talis igitur amor etiam ut terminatus ad proximum, aut ad bona Deo extrinſeca, caret libertate ſufficiente ad meritum, quod ſic magis confirmo: Amor beatificus neceſſarius terminatus ad Deum, & amor beatificus (ut putant Adverſarij) liber terminatus ad alia à Deo vel ſunt duo actus diverſi & diſtincti realiter, vel ſunt unus idemque actus habens entitatem neceſſariam, & duplicem terminationem, unam neceſſariam terminatam ad Deum, alteram liberam terminatam ad alia à Deo; Non poteſt dici primum, quia quod intellectus beatus unico actu intelligit, non eſt cur voluntas beata nequeat unico actu diligere; nec congruum eſt voluntatem poſſe ſibi imperare ceſſationem ab actu amoris circa objectum, circa quod non poteſt imperare intelle-
25. ctui ceſſationem ab actu cognitionis. Non poteſt dici ſecundum, quia poneretur in voluntate creata aliqua libertas per indifferentiam actus ad objectum, non principij ad actum; poneretur actus creatus qui eſſet liber, at non in eſſendo nec in ratione effectus; Sicque difficultas graviſſima, imò myſterium divinæ libertatis omnium Scholaſticorum ingenia vehementiſſimè torquens, ſine neceſſitate transferretur ad aliquem actum liberum creatum, in quo propter infinitatem divinæ, non creatæ voluntati, convenientem magis adhuc ingenia torquerentur, quàm torqueantur in explicando libero velle Dei. Præter quod talis terminatio libera, cum nullam addat perfectionem actui neceſſario, videtur aut ad nullam aut ad tenuiſſimam ſolùm rationem meriti computari poſſe, adeóque aut nihil aut parùm Adverſarijs prodeſt pro præſenti intento.

26. Probatur & explicatur tertia pars, quæ ad ſecundam mox probatam à fortiori conſequitur; cæteri enim actus beatifici præter amorem ſunt potiſſimum viſio & gaudium: Viſio, utpotè quæ eſt actus intellectus non ſupponens in beato aliquod voluntatis imperium, magis quàm amor diſtat à libertate & meriti capacitate; Gaudium beatificum ſecundùm aliquos à beatifico amore vix diſtinguitur, certè maximam cum iſto habet connexionem & affinitatem, eandemque prorsùs neceſſitatem ac invariabilitatem, ut attigimus in tractatu de Beatitudine *libro 1. capite 2. §.6.* ſi igitur non fuit in Chriſto meritorius actus beatificus amoris, neque talis fuit actus gaudij, multoque minus actus viſionis, atque adeò nullo actu beatifico Chriſtus meruit.

Non meruit Chriſtus ullo alio actu beatifico ab amore.

Conſtito quòd Chriſtus aliquo ſupernaturali Dei amore meruerit at non beatifico, ſupereſt aſſignandus quinam ſit amor, quo meruit? & illicò cum Auctoribus pro ſecunda aſſerti parte relatis dico meruiſſe amore regulato à ſcientia per ſe infuſa, de qua ſuprà *lib. 2. cap. 3. §. 4* Nihil quippè eſt, quod excludat, aut à Chriſto talem amorem, aut à tali amore meritum, & primum quidem habetur ex mox dicendis pro compoſſibilitate illius amoris cum amore beatifico, ſecundum ex inductione qua quiſque facilè poteſt in illo eodem omnes meriti conditiones reperire; certè libertas, quæ deeſt amori regulato à ſcientia beata, qua Deus attingitur intuitivè & immediatè in ſe ipſo, optimè poteſt reperiri in amore regulato à ſcientia infusa, qua Deus abſtractive, imò etiam ſolùm mediatè, in rebus creatis, & per ſpecies alienas cognoſcitur *ex præcitat. cap. 3. §. 5. num. 94.* 27.

Meruit amore regulato à ſcientia infuſa.

Dices amor Dei regulatus à ſcientia infuſa nec potuit in Chriſto exiſtere, nec potuit eſſe meritorius ſi extitit. Ratio primi eſt, quia ſcientia infuſa non potuit voluntati Chriſti repræſentare aliquam Dei amabilitatem non priùs, aut ſaltem non æquè primo, repræſentatā à ſcientia beata; amor igitur ab iſta regulatus abſorpſit in Chriſto omnem perfectionem amoris regulandi a ſcientia infuſa qui inſuper poſterior amor nec potuiſſet eſſe à priore diverſus ſpecie, quia uterque procederet ab uno eodemque in ſpecie infima habitu charitatis; nec ſolo numero quia eſſet uterque in eodem ſubjecto. Ratio ſecundi eſt, quia actus ille, ſi extitit, non fuit Chriſto præſertim pro primo conceptionis inſtanti liber libertate ſufficiente ad meritum, quia Chriſtus ut viator tenebatur ex præcepto illum in primo conceptionis inſtanti elicere, actus autem cadentes ſub præcepto ſicuti nequeunt à Chriſto mitti, ita non ſunt Chriſto liberi libertate ad meritum ſufficiente. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ partem dico ſcientiam infuſam 28.
non potuiſſe repræſentare novam amabilitatem, benè tamen novum amabilitatis modum non repræſentatum à ſcientia beata, & hoc ſufficere ad hoc ut amor ab iſta regulatus non abſorbeat omnem perfectionem amoris ab illa regulandi, ſicuti ſufficit ad hoc ut actus ipſe ſcientiæ beatæ non abſorbeat omnem perfectionem actus ſcientiæ per ſe infuſæ. Neque hic placet limitatio Arriagæ *præcit. ſec. 4. n. 20.* exiſtimantis in tantum ad ſcientiam infuſam conſecutum fuiſſe in Chriſto amorem liberum, in quantum ſcientia infuſa præceſſit

beatam

beatam; cæterum ſi ſcientia beata ſupponatur præcedere infuſam, voluntatem neceſſitatam ad amorem perfectiorem ex vi ſcientiæ beatæ, non poſſe eſſe liberam ad amorem minus perfectum ex vi ſupervenientis ſcientiæ infuſæ. Non placet, inquam, quia ad ſummum quando amor magis & minus perfectus ſunt ejuſdem rationis, voluntas ad illum neceſſitata non poteſt eſſe ad iſtum libera; at in noſtro caſu non ejuſdem, ſed diverſæ rationis ſunt, ut mox attingemus *numer. ſequent.*

29. Ad illud, quod additur pro eadem inſtantiæ parte dico totum procedere ex falſo ſuppoſito, falſum ſcilicet eſt (quidquid Thomiſtæ contrà ſentiant) tùm ab eodem habitu charitatis aliovè per ſe infuſo non poſſe procedere diverſos ſpecie actus, tùm accidentia individuari à ſubjecto; adeò ut propterea nequeant eſſe in eodem ſubjecto duo actus diverſi ſolo numero. In re autem exiſtimo duos amores, de quibus eſt quæſtio, non eſſe ſolo numero, ſed ſpecie diverſos; amor namque conſequens ſcientiam infuſam, magnam habet affinitatem cum amore, qui in nobis fidem conſequitur; uterque enim eſt liber, uterque attingit divinam bonitatem media cognitione inadæquata, & abſtractiva; eadem igitur ratione, qua in tract. de Beatitudine *lib. tertio, cap. ſecundo, §. quarto*, amor conſequens fidem aſſertus eſt ſpecie diverſus ab amore beatifico, ponendus nunc eſt ab hoc eodem diverſus amor conſequens ſcientiam infuſam.

Et talis amor fuit ſpecie diverſus ab amore conſequente ſcientiam beatam.

30. Ad ſecundam inſtantiæ partem dico præceptum charitatis, utpotè affirmativum, ſicut non obligat pro ſemper alios viatores; ita nec pro ſemper Chriſtum in via obligaſſe, proptereà charitatis actus, ſi minùs pro primo inſtanti; ſaltem alias in ſucceſſivo vitæ decurſu potuit, quantùm eſt ex hoc capite, à Chriſto omitti, ac per conſequens cum omnimoda libertate elici, loquendo verò de eodem actu pro primo inſtanti, aut pro aliquo alio tempore, pro quo determinatè præceptum obligaret, difficultas communis eſt omnibus actibus cadentibus ſub præcepto, quibus an & quomodo in Chriſto non defuerit libertas ad meritum ſufficiens? explicandum eſt *lib. ſequent. cap. 2. §. 4.*

Quod à *num.* 27. diximus de actu amoris Dei extendendum eſt ad actum amoris proximi, quem potuiſſe à Chriſto dependenter à ſcientia infuſa liberè & meritoriè elici, non videtur habere ullam ſpecialem difficultatem, poſtquàm oſtenſum eſt potuiſſe ità elici actum amoris Dei: Non caret tamen difficultate & controverſia, utrum ſicut amor Dei, ita quoque amor proximi, ſolùm ut regulatus à ſcientia infuſa potuerit eſſe in Chriſto meritorius: nam ex Auctoribus etiam, qui in eo nobiſcum conveniunt quoad amorem Dei, multi diverſimodè ſentiunt quoad amorem proximi, ſic inter alios Suarez *præcit. ſec. 2. §. Dico ſecundo* docuit potuiſſe eſſe in Chriſto meritorium etiam amorem proximi regulatum à ſcientia beata; adeò ut Chriſtus erga Deum unico amore, hocque regulato à ſcientia infuſa, mereri potuerit, erga proximum duplici, alio regulato à ſcientia infuſa, alio regulato à ſcientia beata; Nihilominus, ut jam inſinuavi, *præced. num.* 24 & latè tradit Amicus *præcit. ſec.* 1. præſertim à *num.* 21. exiſtimo amorem proximi conſequentem ſcientiam beatam eſſe unum, eundemque actum, cum amore Dei, neceſſarium non ſolùm ut amat Deum viſum, ſed etiam ut in Deo viſo amat proximum; neceſſitate quoad primum provenıente ex ſumma Dei bonitate, quoad ſecundum ex invariabilitate; quam habet, tum ex eo quod ſit in ſe actus beatificus, tum ex eo quòd conſequatur viſionem invariabilem; conſequenter verò ad hanc doctrinam ſentiendum eſt non ſolùm amorem Dei, ſed neque amorem proximi, ut à ſcientia beata regulatum, potuiſſe eſſe in Chriſto meritorium, ſed utrumque talem fuiſſe ſolùm ut regulatum à ſcientia infuſa; in cujus rei confirmationem addo dumtaxat auctoritatem D. Thomæ *quæſt.* 19. *articul.* 3. *ad* 1. dicentis *Chriſtum non meruiſſe per charitatem, in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris*; certè autem charitas, ſive erga Deum, ſive erga Proximum, meliùs dicitur viatoris, quatenus ab infuſa, quàm quatenus à beata ſcientia regulatur.

31. Amor non ſolum Dei, ſed etiam proximi, ſolùm ut regulatus à ſcientia infuſa, fuit in Chriſto meritorius.

32. Aſſert. 2. Chriſtus non meruit præmia ſupernaturalia actibus naturalibus virtutum moralium ſumptis ſecundùm ſe, & independenter ab aliquo ſupernaturali imperante; meruit tamen iiſdem, tum ſecundùm ſe ſumptis præmia quæcumque naturalia, tum etiam ut ab aliquo actu ſupernaturali imperatis præmia ſupernaturalia. Hujus aſſerti materiam pauciores diſtinctè tractant, primam tamen ejus partē, quæ ſola videtur habere aliquam ſpecialē difficultatem, aſtruunt Arriaga *diſp.* 43. *ſec.* 5. *n.* 35. aliique nonnulli Recentiores, contrà Suar. *diſp.* 39. *ſec.* 2. *§. Dico denique* Amicum *diſp.* 16. *ſec.* 3. *n.* 41. Gabrielem à S. Vinc. *diſp.* 19. *dub.* 4. §. 5.

Probatur prima pars. Cæteri juſti non merētur aliquod præmium ſupernaturale actibus naturalibus virtutum moralium ſumptis ſecundùm ſe, & independenter &c. ergo neque Chriſtus: antecedens traditum à nobis fuit in tract. de Gratia *lib.* 4. *c.* 6. §. 5. conſequentia probatur, quia ad meritum præmij ſupernaturalis requiritur ſupernaturalitas, non ſolū ex parte principij operantis, ſed etiam ex parte operis; & ſicuti actus naturales in cæteris juſtis præcisè ex eo quod eliciantur à principio habente gratiam habitualem non redduntur proportionati ad ſupernaturale præmium; ita nec in Chriſto ex eo, quod eliciantur à principio habente gratiam unionis, quæ condignificat quidē ad præmiū majus, quàm condignificet gratia habitualis, at condignificat eos ſolos actus quos iſta poteſt cōdignificare, & ſicuti nō ſupplet cæteras meriti conditiones, puta libertatem, & ſtatum viæ, ita nec ſupernaturalitatem.

Non meruit Chriſtus ſupernaturalia præmia actibus naturalibus ſecundùm ſe ſumptis.

Dices gratiam habitualem in cæteris juſtis ſe habere purè concomitanter ad actus naturales gratiam verò unionis in Chriſto ſe habere ad eoſdem cauſaliter, quia gratia unionis eſt gratia perſonalis, perſonalitas autem ſe habet cauſaliter ad omnes ſive ſupernaturales, ſive

naturales operationes naturæ, quam terminat. Confirmatur ex eo, quod humanitas, quamvis ſit in ſe entitas naturalis redditur per gratiam unionis & perſonalitatem Verbi digna quolibet dono ſupernaturali, cur ergo per hanc eandem actus in ſe naturales, non poterunt reddi digni quolibet ſupernaturali præmio? Hincque Amicus *præcit. ſect.* 3. *n.* 43. infert obiter in Chriſto actus etiam indifferentes, ſi darentur fore ex gratia unionis

33. condignificandos ad ſupernaturale præmium. Sed contrà: ut attigimus *præcedent. cap.* 1. *num.* 5. *& ſeqq.* gratia unionis, qua perſonalitas eſt valdè impropriè exercet cauſalitatem in operatione humanitatis, & ea impropria cauſalitas, quam exercet in operationes ejus naturales naturalis eſt, ſeu naturali æquivalens, ac per conſequens ex ipſa non infertur in hujuſmodi actibus proportio aliqua & condignitas ad ſupernaturale præmium. Ad confirmationem præter quod gratia unionis, ſeu perſonalitas Verbi, minus afficit naturales humanitatis operationes, quàm humanitat in ipſam, dico hanc ex gratia unionis reddi quolibet ſupernaturali dono dignam, non ratione propriæ entitatis, quæ naturalis eſt, ſed ratione totius, quod componit, quodque habet intrinſecam ſupernaturalitatem; Item reddi dignam dignitate, ut ita dicam, phyſica, non dignitate morali & meritoria, ad quam ſicuti prærequiruntur aliæ ſpeciales conditiones, ita inter alias ſupernaturalitas, & ſicuti non valeret hæc illatio, Humanitas quamvis ſit in ſe entitas neceſſaria redditur per gratiam unionis digna, &c. ergo per eandem gratiam unionis actus neceſſarij poterunt reddi digni præmio, ita nec valet illa, Humanitas quamvis ſit in ſe entitas naturalis, &c. Corollarium ex Amico additum officit Adverſariorum intento potius, quam proſit, falſiſſimum enim mihi eſt actus indifferentes poſſe reddi meritorios, nec percipio capacitatem ullam valoris moralis in actu, in quo nulla detur moralis bonitas, ut nulla datur in actu indifferente.

34. Meruit actibus illis tum ſumptis ſecundùm ſe præmia naturalia, tum ut imperatis ab aliquo actu ſupernaturali præmia quæcumque.

Probatur & explicatur ſecunda pars: Actus naturales virtutum moralium habent ex ſe, & ſecundum ſe valorem moralem ad aliquod naturale præmium; creſcit igitur ex gratia unionis, & infinitate perſonæ, iſte valor in ſuo ordine æquè, ac creſcat in ordine ſupernaturali valor actuum ſupernaturalium, & ſicuti iſtis ex gratia unionis accedit infinitus valor ſupernaturalis, ita illis infinitus valor naturalis; adeóque ſicuti ſupernaturalibus actibus virtutum infuſarum Chriſtus meruit præmia quæcumque ſupernaturalia, ita naturalibus actibus virtutum moralium præmia quæcunque naturalia. Rurſus ijdem actus naturales, ut ab aliquo actu ſupernaturali imperati habent ſibi communicatum meritum actus imperantis, licet denominativè ſolùm, extrinſecè, & merito indiſtincto à merito actus imperantis, ut ſuppono ex tract. de Gratia *præcitat.* §. 5. ergo Chriſtus ſicuti actu quolibet ſupernaturali (ſubintellige libero, & habente reliquas meriti conditiones) meruit ſupernaturalia præmia, ita hæc eadem meruit actibus naturalibus, ut ab aliquo actu ſupernaturali imperatis; meruit, inquam, merito hujuſmodi actibus conveniente denominativè ſolùm, & extrinſecè: Neque quoad hoc occurrit quidquam addendum ſuppoſita doctrina præmemorata ex tract. de Gratia.

Aſſert. 3. Actus ſimpliciter meritorij merito proprio, & intrinſeco, fuerunt in Chriſto, tum ſupernaturalis actus charitatis ergà Deum & Proximum regulatus à ſcientia infuſa, tum alij actus liberi virtutum per ſe infuſarum, ſivè verſarentur circà opera conſilij, ſivè circà opera præcepti. 35.

Dixi *ſimpliciter meritorij*, appello autem actum meritorium ſimpliciter, illum qui eſt condignè meritorius præmij ſupernaturalis, nam apud Deum ſolum meritum condignum ſupernaturalis præmij eſt meritum ſimpliciter & abſolute prolatum. Dixi *merito proprio, & intrinſeco.* ad differentiam meriti, quod in unum actum derivatur præcisè ex alio puta in actum imperatum ex imperante, in actum externum ex interno, quod quidem meritum reſpectu actus, in quem derivatur, eſt alienum, eique denominativè ſolùm, & extrinſecè convenit.

Chriſtus meruit ſimpliciter tùm actibus charitatis regulatis à ſcientia infuſa tum actibus liberis aliarum virtutum per ſe infuſarum.

Probatur aſſertum ſic explicatum, imò probatione vix indiget, jam enim totum conſtat ex dictis. & quidem quoad actum charitatis jam præmiſimus probationem ejus, quod modo aſſeruimus; quoad actus liberos aliarum virtutum per ſe infuſarum aſſerta veritas eſt in primis conſequens ad id, quod ſupradictum eſt Chriſtum pluribus actibus, non unico ſatisfeciſſe ac meruiſſe, & propterea innoteſcere illicò poteſt inductione facta per ſingulas conditiones ad meritum requiſitas, quas facile erit invenire in liberis virtutum per ſe infuſarum actibus quos Chriſtus in via elicuit, ſive verſarentur circa opera conſilij, ſive circa opera præcepti, merito enim præceptum non officit, neque ex genere ſuo, ut patet in nobis; neque ex propria conditione Chriſti, ut patebit *ex lib ſeq. c.* 2. §. 3. *&* 4.

Dices: Chriſtus Dominus omnia operabatur ex motivo, & imperio charitatis; ergo actus aliarum virtutum in Chriſto erant meritorij merito ſolum denominativo, extrinſeco, & indiſtincto à merito actus charitatis imperantis; conſequentia videtur inferri ex mox dictis; antecedens probatur, tum quia univerſim ad omne meritum apud Deum requiritur ordinatio & imperium charitatis, tum quia ſpecialiter Chriſtus Dominus omnia operabatur modo perfectiſſimo, opus autem quod non fit ex motivo, & imperio charitatis, non fit modo perfectiſſimo. Sed contrà: poteſt in primis negari antecedens, cujus probatio quoad utramque ſui partem falſum aſſumit, & 36.
quoad primam nos oppoſitum docuimus in tract. de Gratia *præcit. cap.* 6. §. 6. quoad ſecundam *lib. præced. cap.* 5. §. 1. deinde dato antecedente, nego conſequentiam, aliud enim eſt, quod actus imperatus ex vi actus imperantis participet meritũ denominativum & extrinſecum, aliud eſt quod habeat hoc ſolum meritũ, & non ſimul meritum aliquod intrinſecum & formale; quod quidem habet actus imperatus, quoties eſt in ſe liber, ſupernaturalis, & elicitus

tus non ex ſolo motivo actus imperantis, ſed ex motivo proprio. Porrò Chriſto Domino valdè congruebat eumdem actum elicere ex pluribus motivis, ideò etiamſi omnes aliarum virtutum actus elicoiſſet ex motivo, & imperio charitatis, adhuc eoſdem ſimul elicuiſſet ſingulos ex motivo proprio, adeóque adhuc per ſingulos meruiſſet merito proprio & intrinſeco, non ſolo merito denominativo charitatis imperantis.

---

§. III.

Quantum fuerit Chriſti meritum, & quodnam præmium ſit illi adæquatum.

37. ASSERT. 1. Meritum Chriſti fuit infinitum, ſeu quilibet actus meritorius in Chriſto fuit meritorius infinitè. Hoc aſſertum eoſdem habet Propugnatores eoſdemque Adverſarios, quos aſſertum poſitum ſuprà *cap. 1. §. 2.* Agunt verò de eo & pro eo inter alios magis ex profeſſo, & ſub proprijs terminis Vaſquez *diſp. 6. cap. 2.* Amicus *diſp. 6. ſec. 6.* Gonetus *diſp. 21. art. 4.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 19. dub. 3.* & ex Adverſarijs Maſtrius *diſp. 3. quæſt. 8.*

Meritum Chriſti fuit infinitum.

Probatur: Tantum fuit in Chriſto meritum, quantus valor moralis, & quilibet ejus actus fuit meritorius, quantùm moraliter valuit: atqui fuit in Chriſto valor moralis infinitus, & quilibet ejus actus meritorius moraliter infinitè valuit; ergo meritum Chriſti fuit infinitum, ſeu quilibet &c. Major patet, quia meritum ex genere ſuo conſiſtit in valore morali operis in ordine ad præmium. Minor ſupponitur *ex præcit. §. 2.* ubi ex profeſſo aſſeruimus illius moralis valoris infinitatem, ſicut & anteà explicueramus in quonam formaliter valor ille conſiſtat? undè etiam ibi dictis vix quidquam nunc ſupereſſet addendum pro infinitate meriti, niſi occurreret aliqua ſpecialis difficultas in præmio, quod poſſit infinito merito correſpondere, cui quidem difficultati ſoluendæ potiſſimùm inſtitutus eſt præfixus titulos; interim aſſerta meriti infinitas confir-
38. matur expreſſis verbis Clementis VI. in Extravag. *Vnigenitus* ſic loquentis de theſauro Eccleſiæ *De cujus conſumptione non eſt aliquatenùs formidandum propter infinita merita Chriſti.* Ecce ſummus Pontifex abſolutè appellat infinita merita Chriſti, & in ipſa refundit inconſumptibilitatem, quòd eſt idem ac dicere infinitatem theſauri Eccleſiæ; certè autem theſaurus infinitus non eſt, niſi res contineat infiniti valoris. Confirmatur inſuper, quilibet actus ſatisfactorius in Chriſto fuit ſatisfactorius infinitè *ex præced. c. 1. n.* præſertim 17. *& ſeqq.* ergo & quilibet actus meritorius fuit meritorius infinitè; meriti enim æquè, ac ſatisfactionis, quantitas attenditur penes valorem moralem, & prætereà ſicuti nullum eſt excogitabile debitũ pro quo non ſit condigna Chriſti ſatisfactio, ita nullum eſt poſſibile præmiũ pro quo non ſit condignum Chriſti meritum.

Dices: vel meritum Chriſti habet condignitatem ſolùm cum quolibet præmio poſſibili accepto diviſivè, vel etiam cum omnibus acceptis collectivè: Si primum dicatur, non ſalvatur in Chriſti merito infinitas, quia meritum infinitum debet eſſe condignum præmio infinito, nullum autem præmium poſſibile acceptum diviſivè eſt infinitum: Si dicatur ſecundum ſequitur plus Chriſtum meruiſſe, quàm poſſit Deus præmiare, majorem eſſe terminum omnimerentiæ Chriſti, quàm omnipotentiæ Dei; quod tandem eſt dicere infinitum Chriſti meritum referri ad terminum repugnantem, adeóque aſtruere in Chriſto meriti infinitatem eſt aſtruere repugnantiam; ergo meritum Chriſti nullatenùs ſuſtineri poteſt infinitum.
Sed contra: Quantùm neceſſe eſt ad ſaluandam 39.
meriti infinitatem, utrumque poteſt rectè dici; ſi enim dicatur habere condignitatem ſolùm cum quolibet præmio poſſibili accepto diviſivè, non deeſt aliquod præmium poſſibile diviſivè acceptum, quod infinitum ſit, & ut omittam aliam unionem hypoſtaticam, eſt poſſibilis per nos infinita gratia habitualis, infinitus habitus luminis gloriæ, infinitus actus beatæ viſionis: Si dicatur habere condignitatem etiam cum omnibus præmijs poſſibilibus acceptis collectivè, ſumenda ſunt talia præmia collectivè collectione non cathegorematica ſed ſyncathegorematica, qua ratione poſſunt omnia produci, quibuſcumque ſcilicet productis poſſunt produci alia, & ſemper perfectiora, abſque eo quod divina omnipotentia exhauriatur; ſic quoque poſſent omnia cadere ſub meritum Chriſti, quibuſcumque ſcilicet Chriſto in remunerationem conceſſis poſſunt alia ſemper majora in infinitum concedi abſque eo, quod meritoria vis operum Chriſti exhauriatur; qui quidem terminus ſyncategorematicè infinitus ſi ſufficit infinitati phyſicæ omnipotentiæ Dei, non eſt cur non ſufficiat infinitati morali meriti Chriſti? Porrò hoc utrumque, ut præmunui, dictum intellige non abſolutè, ſed præcisè tanquam ſufficiens ad ſaluandam in Chriſto meriti infinitatem; cæterùm quid revera ſit in materia hujus inſtantiæ ſentiendum conſtabit ex ijs, quæ mox ſtatuentur pro ſecũda præfixi tituli parte, pro quâ

Advertè pro re præſenti tria bonorum genera diſtingui poſſe, quædam purè increata & 40.
ſunt Deus, divinæ Perſonę, divina attributa ſecundùm ſe accepta; quædam purè creata, & ſunt præcipuè dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ, quædam partim creata, partim increata, & ſunt unio hypoſtatica, unionisvè hypoſtaticæ continuatio aut repetitio. Bona purè increata nequeunt in præmium dari, quia quod datur in præmium cadit ſub meritum ſeu cauſatur à merito, ab aliquo ſcilicet fit ex impetratione ſeu motione operis meritorij; res autem increata ſecundum ſe, & ut eſt in ſe ipſa, ſicuti non poteſt ab ulla cauſa efficiente fieri, ità non poteſt ullo opere impetrari: Poſſunt verò in præmium dari tum bona purè creata, ut per ſe patet; tum bona partim creata, partim increata, quia hæc important bonum increatum non ſecundùm ſe, ſed ut communicatum crea-

Deus, & bona purè increata, nequeunt ſecundùm ſe in præmium dari.

turæ,

turæ, qua ratione ſicuti poteſt per veram cauſalitatem phyſicam fieri, ita & per veram motionem moralem ac meritoriam impetrari: Præmium igitur adæquatum meritorum Chriſti inter bona tùm purè creata, tum partim creata partim increata quæri poteſt, at non inter purè increata.

41. Aſſert. 2. Inter bona purè creata non eſt dabile præmium adæquatum meritis Chriſti; benè verò inter bona partim creata, partim increata, cuilibet ſcilicet actui meritorio Chriſti eſt adæquatum præmium quælibet unio hypoſtatica alicujus divinæ Perſonæ cum aliqua natura creata Ita Amicus *præcit. ſec.6.* & in re cenſeo idem ſentire reliquos ſcholaſticos magis communiter, quamvis plures non admodùm expreſsè loquantur; eſt nihilominùs prima pars contra Recentiores aliquos, qui ut refert Amicus *num.* 157. negant meritum Chriſti eſſe condignum alia unione hypoſtatica; ſecunda verò contra Vaſquium *præcitat. diſp. 6. cap.4. num.*32. ubi Chriſti meritum appellat quaſi infinities infinitum, adeò ut quamvis ei daretur in præmium unio hypoſtatica, adhuc eodem opere alia condignè mereri poſſet; idem tradit Suarez *diſput.4. ſec.4. §. Ad argumentum ergo.*

Meritum Chriſti non habet pro præmio ſibi adæquato ullum bonum purè creatum.

Probatur prima pars. Meritum Chriſti non ſolùm eſt infinitum, ſed etiam eſt in ſuperiori ordine ad quælibet bona purè creata; ergo inter bona purè creata non eſt dabile præmium ei adæquatum, etiamſi inter hæc bona permittatur reperiri bonum aliquod infinitum, quod per conſequens adæquando Chriſti meritum non obeſſet ejus infinitati: Antecedens patet, quia meritum Chriſti eſt ordinis hypoſtatici, & in ſe aliquo modo includit dignitatem increatam divinæ Perſonæ; conſequentia probatur; præmium adæquatum eſt illud, quod non ſolùm in perfectione quaſi intenſiva, verùm etiam in ordine eſt æquale merito, & tantæ in ſe æſtimationis, quanti valoris eſt meritum; nam præmium ut ſit adæquatum debet eſſe æquale merito, eo modo quo meritum ut ſit condignum debet eſſe æquale præmio; certè autem meritum ut ſit condignum debet eſſe æquale præmio etiam in ordine: ſicuti igitur, quantumvis creſcant merita ordinis naturalis, nunquam ſunt condigna præmio ſupernaturali, nec merita ordinis ſupernaturalis purè creati unquàm ſunt condigna præmio ordinis hypoſtatici partim creati partim increati; ita quantumvis creſcant præmia ordinis, purè creati nunquàm ſunt adæquata merito ordinis hypoſtatici, eademque ratione quantumvis creſcerent præmia ordinis naturalis numquam forent adæquata merito ſupernaturali.

42. Confirmatur: ſi eſſet dabile inter bona purè creata præmium adæquatum merito Chriſti, eſſet dabile in pura creatura meritum æquale merito Chriſti; atqui hoc eſt ſimpliciter falſum; ergo & illud; ſequela probatur, eſt dabile in pura creatura meritum condignum & æquale cuilibet præmio reperibili inter bona purè creata, nam quantumcumque hujuſmodi præmium ſupponatur augeri poteſt tantundem etiam uſque ad infinitatem, ſi vis, augeri in pura creatura meritum; ergo ſi aliquod hujuſmodi præmium poſſet eſſe adæquatum & æquale meritis Chriſti, poſſet his etiam eſſe adæquatum & æquale aliquod meritum puræ creaturæ; nam quod eſt æquale uni ex duobus æqualibus neceſſe eſt quòd ſit æquale & alteri; & ea, quibus eſt æquale aliquod tertium, neceſſe eſt quòd ſint æqualia inter ſe.

Bene verò quamlibet unionem hypoſtaticam alterius divinæ Perſonæ.

Probatur ſecunda pars. Quælibet unio hypoſtatica eſt ejuſdem ordinis & æſtimationis valoriſque æqualis cum Chriſti merito; ergo quælibet unio hypoſtatica eſt præmium adæquatum cujuſlibet actus meritorij Chriſti, adeò ut ſi in præmium alicujus actus meritorij Chriſti Pater æternus aſſumeret naturam creatam, actus ille remaneret adæquatè præmiatus, nec haberet condignitatem ad ulteriorem remunerationem: Neque dicas eodem modo probaretur quemlibet Chriſti actum eſſe adæquatum præmium cujuſlibet alterius, cum quilibet Chriſti actus (ſubintellige ſupernaturalis & liber) ſit ejuſdem ordinis valoriſque æqualis cum alio quolibet; quis autem dicat in Chriſto actum charitatis fore adæquatè præmiatum, ſi ei daretur in præmium actus alius charitatis, obedientiæ, aut alterius virtutis? Contra enim, licet Arriaga *hic diſput.9. ſec.3. num.*18. teſtetur aliquos Re-

43. Cur in Chriſto unum opus meritorium non ſit præmium adæquatum alterius? quamvis alteri æquale.

centiores huic inſtantiæ ſuccumbere, meliùs omninò dicitur non eſſe eumdem probationis modum, quia quilibet actus Chriſti eſt alteri æqualis ſolùm ſecundùm ſe, at non ut dabilis in præmium, nam ut dabilis in præmium attenditur ſecundùm illud quod liberè de novo fit, liberè autem de novo fit ſecundùm ſuam phyſicam entitatem, & ſecundùm hanc ſolam poteſt Chriſtu dari, non ſecundùm dignitatem perſonæ divinæ quam jam Chriſtus habet, & quam neceſſariò communicat actui ſuppoſito præcisè, quod actum ejus capacem eliciat: Porrò alia quælibet unio hypoſtatica eſt actui meritorio Chriſti æqualis, non tantùm materialiter & ſecundùm ſe, verùm etiam formaliter & ut dabilis in præmium, & in hoc ſenſu procedit noſtra probatio, ideò &c.

44. Alio etiam ex capite unum opus meritorium Chriſti, ut dabile in præmium ſeu in ratione præmij, non eſt æquale alteri; nimirùm ex eo, quod præmium ut tale debet eſſe bonum diverſæ rationis à merito, illud ſcilicet debet eſſe bonum abſolutum & per modum finis afferens gaudium, coronam, & requiem; iſtud debet eſſe bonum relativum & per modum medij, afferens laborem, & incommodum, undè æqualitas præmij cum merito, eſt æqualitas ac proportio non laboris cum labore, medij cum medio; ſed gaudij cum labore, finis cum medio; unum autem opus meritorium Chriſti eſt alteri æquale priore, non poſteriore modo, ſicut & in nobis eſt priore, non poſteriore modo æquale unum jejunium alteri jejunio; ſicut igitur in nobis unum jejunium malè daretur ut premium adæquatum alterius jejunij, ita in Chriſto &c. Hæc dicta ſint obiter occaſione probationis, quam adduximus, procedamus jam ad ea, quæ directè impugnant aſſertum præmium merito Chriſti adæquatum, pro quo

Dices

Dices primò: Meritum Christi non eſſet infinitum, ſi quælibet unio hypoſtatica eſſet præmium ei adæquatum; nam qualibet unione hypoſtatica ejus intuitu de novo facta exhauriretur, & duplici aut triplici unione excederetur; eſt autem contra rationem infiniti exhauriri poſſe, & excedi: Imò cùm probabile ſit Chriſtum de facto meruiſſe reunionem propriæ humanitatis ad Verbum factam in reſurrectione, fuiſſent per talem reunionem exhauſta de facto Chriſti merita, & Chriſtus obtinendo in præmium talem reunionem non potuiſſet amplius, aut ſibi, aut nobis, quidquam

45. aliud condignè mereri. Sed contrà: Non eſt de ratione infiniti; quod nequeat ab alio infinito exhauriri, aut ab infinito multiplici excedi, ſic virtus generativa Patris ad intrà æterna filij generatione adæquatur ſeu exhauritur, & una divina Perſona à tribus extenſivè exceditur, quamvis tùm virtus generativa Patris, tùm quælibet divina Perſona ſeorſim, ſit ſimpliciter infinita. Ad illud, quod additur, dico in reſurrectione non eſſe propriè factam ullam reunionem ad Verbum, quia ſicut in Chriſti morte anima & corpus ſunt ſolùm reunita ad invicem non ad Verbum, & quod in triduo humanitas non denominaretur Verbo unita non eſt, quia deeſſet aliquid pertinens ad ejus unionem cum Verbo, ſed quia deerat aliquid pertinens ad ejus exiſtentiam, fundatur hæc doctrina in eo, quod ſuprà *lib. 1. capit. 5. num. 78.* dicebatur in aſſumptione humanitatis non fuiſſe ſpecialiter, & immediatè aſſumptam unionem intercedentem inter animam

46. & corpus. Deindè quando permitteretur in reſurrectione factam fuiſſe aliquam reunionem hypoſtaticam, hancque Chriſtum meruiſſe; quid tum? fuiſſet ad ſummum exhauſta vis meritoria illius actus, quem ad talem reunionem obtinendam ordinaſſet; at adhuc manſiſſet alijs actibus ſua vis meritoria, qua, tum ſibi, tum alijs, potuiſſet Chriſtus quidquid vellet condignè obtinere, undè etiam ſuprà conſultò diximus quamlibet unionem hypoſtaticam eſſe præmium adæquatum cuilibet actui meritorio, ut innueremus fieri comparationem unius unionis hypoſtaticæ, ad unum actum, non ad plures, multo minùs ad omnes. Sentiendum igitur unum actum condignè quidem compenſari per unam unionem hypoſtaticam; at plures actus poſſe ſimul, aut alia quæcumque bona, aut plures uniones hypoſtaticas promereri. Nec refert, quòd in pluribus Chriſti actibus ſit ſolùm extenſivè, non intenſivè, majus meritum, quàm in unico. Non refert, inquam, quia etiam plures uniones hypoſtaticæ, aut alia gratiæ dona ſimul cum unione hypoſtatica ſunt præmium ſeu bonum, ſolùm extenſivè, non intenſivè, majus quàm ſit unica unio hypoſtatica ſe ſola.

Dices ſecundò probando ex oppoſito non poſſe meritum Chriſti eſſe condignum pro obtinenda alia unione hypoſtatica, & per conſequens hanc eſſe præmium excedens, non adæquatum præcisè: Natura hypoſtaticè Verbo unita eſt magis æſtimabilis & majoris valoris, quàm ſit ulla talis naturæ operatio; ergo operatio naturæ unitæ Verbo non poteſt eſſe condignè meritoria unionis, quâ aut ipſa iterum, aut natura alia cum Verbo, aliavè divina perſona uniatur: antecedens probatur ex eo, quia dignitas Perſonæ Verbi communicatur naturæ immediatè, ejus operationi ſolùm mediatè; cum natura conſtituit unum ſubſtantiale & per ſe, non ſic cum ejus operatione. Sed contrà: ex his ad ſummum infer- 47.
tur major aliqua perfectio phyſica in unione hypoſtatica, quàm in operatione ad eam conſequente, at non major valor moralis, cui per accidens & impertinens eſt, quòd reperiatur in aliquo ſubſtantiali, vel in aliquo accidentali, item quod habeatur per dignitatem immediatè vel mediatè applicatam; dummodò dignitas ſeu forma dignificans ſit utrobique eadem, & utrobique ſe totam communicet.

Ex his habes, quid re vera ſentiendum ſit in materia inſtantiæ, de qua ſuprà *num. 49.* & quid reſpondendum quærenti, utrùm meritum Chriſti ſit condignum quocumque præmio poſſibili ſolùm diviſivè, an etiam collectivè? Reſpondendum ſcilicet eſſe condignum quocumque præmio poſſibili, etiam collectivè, ſi comparatio fiat ad ſola præmia poſſibilia purè creata, eſſe verò condignum quocumque præmio poſſibili ſolùm diviſivè, ſi comparatio extendatur ad præmia poſſibilia partim creata, partim increata ſpectantia ad ordinem hypoſtaticum. Neque dicas in operibus Chriſti vis ſatisfactoria non eſt major, quàm vis meritoria; atqui ex dictis ſatisfactio Chriſti eſt condigna, imò ſuperabundans, pro quocumque debito poſſibili in quocumque ordine & ſub quacumque collectione accepto; ergo pariter Chriſti meritum debet ſuſtineri condignum & ſuperabundans pro quocumque præmio in quocumque ordine, &
ſub quacumque collatione. Contrà enim, 48. Quomodò ſit dabile præmium adæquatum merito, potiùs, quàm debitum adæquatum ſatisfactioni Chriſti.
conceſſa majore, & minore, nego conſequentiam; ratio eſt quia præmium poſſibile correſpondens Chriſti merito magis extenditur, quàm debitum poſſibile correſpondens ſatisfactioni, iſtud enim eſt debitum peccati reperibile ſolùm in ordine purè creato, illud verò eſt reperibile in ordine etiam partim creato, partim increato, ideſt in ipſo ordine hypoſtatico ad totum ordinem purè creatum ſuperiore.

Habes inſuper hucuſque poſita de præmio meritis Chriſti adæquato procedere in ordine ad meritum ſimpliciter dictum, repertum ſcilicet in ſupernaturalibus Chriſti actibus; cæterum ſi ſermo eſſet de actibus naturalibus ea ratione, qua ſuprà *num. 32.* dicebamus Chriſtum ipſis meruiſſe dumtaxat præmia naturalis ordinis, præmium talium actuum merito adæquatum quæri non deberet inter
bona ſupernaturalia, ſive partim creata partim increata, ſive purè creata; ſed ſolùm inter bona naturalia, non quod iſta etiam collectivè ſumpta adæquent valorem actus, licèt naturalis, dignificati à divina Perſona, ſed quòd omne præmium naturalibus bonis ſuperius hujuſmodi valorem excedat, ex quo ſit actibus naturalibus Chriſti non eſſe aſſignabile præ- Quid de præmio adæquato actuum naturalium.

mium præciſè adæquatum,& æquale; ſed ſolùm, aut minus & diminutum, ut ſunt bona naturalia; aut majus & ſuperabundans ut ſunt bona ſupernaturalia,& ferè modo qoo noſtris peccatis non eſt aſſignabilis præciſè æqualis ſatisfactio, ſed ſolùm aut diminuta, ot eſt ea omnis, quæ exhiberi poteſt à purâ creaturâ, aut ſuperabundans,ut eſt quæ exhiberi poteſt à creatura hypoſtaticè Deo unitâ.

---

§. IV.

An aliquid,& quid potiſſimum ſibi de facto Chriſtus meruerit.

49. ASSERT. 1. Chriſtos ſibi de facto aliquid meruit. Ita D. *hic quæſt.* 19. *art.* 3. Magiſter *in* 3. *diſt.* 18. & reliqui Scholaſtici, inter quos immeritò hæſit quaſi dubius & problematicus Gulielmus de Rubione: Inter Sectarios verò aſſertam catholicam veritatem abſolutè negavit Calvinus *lib.* 2. *Inſtit.c.* 17.§.6. volens Chriſtom nobis tantùm,non ſibi meruiſſe, & ad majorem oſtenſionem ſui erga nos amoris omnia ſua merita ad nos ordinaſſe.

Chriſtum meruiſſe aliquid ſibi eſt veritas catholica.

Probatur primò ex Scriptura Luc. 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam* Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiores partes terræ.* Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem* &c. *propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen* Heb. 2. *Vidimus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Alia his ſimilia egregijs Patrum ſententijs roborata refert Gonetus *diſput.* 21. *art.* 6. §. 1. Quibus omnibus expreſsè traditur in Chriſto gloriam corporis, aſcenſionis triumphum, exaltationem nominis habuiſſe pro cauſâ, certè non alia, quàm meritoria, paſſionem, mortem, obedientiam, humiliationem.

50. Nec locum habet Calvini evaſio dicentis illorum poſt iſta conſecutionem, non iſtorum in illa cauſalitatem, prædictis teſtimonijs ſignificari. Locum, inquam, non habet, quia ly *Quia* & ly *Propter* ex propria ſua ratione cauſalitatem denotant, & temerè ac perperam Calvinus eorum ſignificatione abutitur ad denotandam puram conſecutionem.

Dices neceſſarium eſſe prædicta teſtimonia taliter intelligere, ne contraria ſint alijs celebrioribus & frequentioribus ſcripturæ & Patrum teſtimonijs, quibus pro cauſa motiva Incarnationis, & adventus Chriſti, in mundum, aſſignatur unicæ noſtræ ſalutis negotium, noſtrique lapſus remedium, non verò ſimul aliquid ad ipſum Chriſtum pertinens, ergo ſolum illud nobis, non iſtud ſibi Chriſtus meruit: Præter hujuſmodi autem teſtimonia, quæ nos ſuprà retulimus *lib.* 1 *cap* 7 §. 2. & ex parte repetit Vaſquez *hic diſp* 79. *num.* 1. afferri poteſt formalis definitio Epheſini Concilij *can.* 10. ubi habetur *Qui dicit, quod Chriſtus pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potiùs pro nobis ſolis, anathema ſit.* Item argumentum, quod Cyrillus contra Arrianos formabat *lib.* 5. *theſauri cap.* 2. his verbis. *Si verò, ut ipſi dicunt, exaltatus poſt incarnationem eſt Filius Dei & factus ſublimis, quod antea non habebat pro ſe magis incarnatus eſſet, quam pro hominibus; ſibi enim magis ſecundùm vos profuit, quam hominibus, ita non pro noſtra ſalute magis, quàm ut ipſe exaltaretur, nomenque maximum aſſequeretur, homo factus eſſet.*

51. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Sed contrà: in præmemoratis teſtimonijs exprimitur unicè cauſa motiva primaria, at non idcircò excluditur aliqua alia cauſa motiva ſecundaria, & minùs principalis; venit igitur Chriſtus intenſione primaria ad merendum nobis, at cum hoc ſtat quod intenſione ſecundaria meruerit etiam aliquid ſibi. Ad canonem Concilij Epheſini dico in eo ſermonem eſſe de oblatione expiatoria peccati, & reconciliatoria cum Deo, quam utique pro nobis ſolis potuit Chriſtus offerre, non etiam pro ſe ipſo; *non enim*, ut in eodem canone dicitur ex Iſa. 53. *indiguit oblatione, qui peccatum omninò non fecit.* Ad argumentum Cyrilli dico eſſe validum contrà Arrianos negantes Chriſtum eſſe Deum, & ſecundùm divinitatem habuiſſe antè Incarnationem nomen ſuper omne nomen; volentes verò ipſum proprijs meritis ſibi comparaſſe ſpecialem cum divinitate conjunctionem,& reliqua dona, quibus præeminet creaturis, qua utique ratione fuiſſet incarnatus primariò, & principaliùs pro ſe ipſo, ſibique meruiſſet magis, quàm nobis, at nos fatemur Chriſtum habuiſſe independenter à proprijs meritis, tum divinitatem, tum ſublimius dignitatis ſuæ faſtigium, ſuaſque inſigniores prærogativas; & docemus ita ipſum meruiſſe aliquid ſibi, ut multo plura meruerit nobis; ideò noſtræ doctrinæ nullatenùs poteſt objici Cyrilli argumentum, nec accommodari ſequela illa, quod Chriſtos pro ſe magis, quàm pro nobis eſſet incarnatus.

52. Probatur ſecundò ratione deſumpta ex D. Thoma *præcit. art.* 3. Cæteris paribus, & in ordine ad id, cujus carentia non magis perfectioni officit, quàm proficiat meritum melius, nobiliuſque eſt habere aliquid ex merito, quàm ſine merito; atqui, ut ex ſequentibus conſtabit, aliqua ſunt in Chriſto, quorum carentia pro mortalis vitæ tempore non officiebat ejus perfectioni; ergo melius nobiliuſque fuit Chriſto hæc habere ex proprio merito, ergo de facto ex proprio merito habuit; ergo ſibi de facto aliquid meruit. Major probatur, quia habere aliquid ex proprio merito eſt habere per ſe ipſum, & ſibi eſſe ejus aliquo modo cauſam, eſt item habere cum gloria victoriæ & prærogativa coronæ; quæ omninò deſiderantur in ijs, quæ ſine proprio merito habentur; ergo.

53. Aſſert. 2. Chriſtus ſibi de facto potiſſimùm meruit ſui corporis gloriam, & ſui nominis exaltationem. Hoc aſſertum eamdem ac præcedens habet certitudinem, eundemque ſcholaſticorum conſenſum.

Chriſtus meruit ſibi potiſſimum gloriam corporis, & exaltationem nominis.

Probatur repetendo præcedentes auctoritates, rationemque D Thomæ, nam in illis fit ſpecialis mentio gloriæ & exaltationis nominis; per gloriam autem non poteſt ſignificari gloria animæ & beatitudo eſſentialis ex infrà dicendis,

Digitized by Google

dicendis, ſignificatur igitur gloria corporis, ideſt beatitudo ejus accidentalis ſita præcipuè in quatuor dotibus glorioſis, de quibus ſuo loco. Ratio D. Thomæ optimè quadrat tum gloriæ corporis, cum hac de facto Chriſtus in mortali vita caruerit; tùm exaltationi nominis, cum hanc ſucceſſivè in circumſtantijs & temporibus varijs comparaverit: & hæc quidem ſic univerſim dicta receptiſſima æquè ac manifeſtiſſima ſunt; ut tamen pleniùs, & magis dearticulatè innoteſcant, duo occurrunt, quorum alterum in quæſtione eſt, alterum explicatione indiget.

Primum ſpectat ad gloriam corporis, circà quam in quæſtione eſt modus, quo eam Chriſtus ſibi meruerit, nam Scotus *in 3. diſtinct.* 18. *quæſt. un. §. Hoc viſo.* in fine putat meruiſſe ſolùm mediate & indirectè merendo amotionem impedimenti, & deſitionem miraculi prohibentis redundantiam gloriæ eſſentialis in portionem inferiorem, & in corpus; Doctorem ſuum ſequuntur Maſtrius *diſp.* 3. *q.* 1 s Herincx *diſp. 2. quæſt. 4. num.* 54. & reliqui Scotiſtæ, ſivè veteres, ſive recentes: Meruiſſe verò immediatè, directè, & merito per ſe terminato ad glorioſas corporis dotes ſuſtinent Suarez *diſp.* 40 *ſec.* 3. *§. Diſtinctio verò.* Vaſquez *diſp.* 79. *cap.* 1. *num.* 4. Gonetus *diſput.* 21. *art.* 6. *§.* 3. & communiter reliqui, tùm Thomiſtæ, tùm Recentiores, ex quibus aliqui acriter & cum cenſura oppoſitum dicendi modum excipiunt; libenter abſtineo ab aculeis, & cenſuris, cum præſertim verſemur in quæſtione de modo loquendi potiùs, quàm de re; ſentio tamen meliùs dici, quòd Chriſtus meruerit ſui

54\. Et quidem gloriam corporis meruit immediatè, ac directè.

corporis gloriam immediatè & directè, hac enim ratione magis propriè intelliguntur præmemoratæ Scripturæ teſtimonia; & mereri amotionem impedimenti eſt valdè impropriè mereri id, quod amoto impedimento conſurgit; cum ex genere ſuo removens prohibens dicatur ſolùm per accidens cauſa effectus ſubſequentis: Præter quod in caſu noſtro impedimentum prohibens gloriam corporis non eſt aliud, quam negatio divini concurſus requiſiti ad talis gloriæ reſultantiam, at mereri remotionem negationis divini concurſus eſt mereri negationem negationis, adeóque eſt mereri aliquid poſitivum, eſt mereri concurſum ipſum, quo Deus in corpore cauſat dotes glorioſas, & qui non cadit ſub meritum, niſi ratione effectus, quem cauſat: ſit igitur ſolùm verborum circuitus, & re ipſa Chriſti meritum deſinit immediatè & directè in dotes glorioſas ſui corporis. Nec refert quod deſinat in tales dotes, tanquàm aliundè jam debitas, & titulo connaturalitatis conſequentes ad gloriam animæ. Non refert, inquam, quia ex una parte valor operum Chriſti hujuſmodi dotes etiam aliundè non debitas mereretur, & per accidens ei eſt illas jam debitas reperire; ex alia parte quouſque res non poſſidetur, optimè poteſt reddi pluribus titulis præſertim diverſæ rationis debita; & quod ait Maſtrius ad meritum immediatum & directum requiri, quod reddat rem debitam primò & ſimpliciter, nec ſufficere quod reddat eam novo titulo, ſeu magis debitam, eſt modus loquendi arbitrarius & contentio purè vocalis. Quod dico de merito 55.
Chriſti in ordine ad dotes corporis, inter quas impaſſibilitas, extendito ad impaſſibilitatem animæ, quæ diverſa eſt à dote impaſſibilitatis corporis, & animæ Chriſti (ut obſervat Suarez *præcit. ſec. 3. §. & ex hac*) infuit ſtatim ab inſtanti mortis, non verò ſolùm à puncto reſurrectionis, à quo primùm cœperunt meſſe glorioſæ dotes corpori; cecidit igitur animæ impaſſibilitas, ſeu indolentia, ab inſtanti mortis inchoata ſub antecedente Chriſti merito immediatè, ac directè; & licet quoad hanc Vaſquez *præcit. num* 4. ad Scotum & Scotiſtas accedat; non apparet tamen ſufficiens neceſſitas ſentiendi in re præſenti diverſimodè de impaſſibilitate animæ, ac de impaſſibilitate alijſque glorioſis dotibus corporis: Ad ſummum quia pro merito gloriæ corporis ſunt magis expreſſæ auctoritates, quàm pro merito impaſſibilitatis animæ, erit minus periculum inferendi auctoritatibus præjudicium, ſi pro impaſſibilitate animæ ponatur meritum ſolùm mediatum & indirectum, dummodò concedatur immediatum & directum pro gloria, glorioſiſve dotibus corporis.

Eodem modo meruit impaſſibilitatem, ſeu indolentiam, animæ ab inſtanti mortis inchoatam.

Secundum ſpectat ad exaltationem nominis, circà quam explicandum eſt, quid per eam ſignificetur, & quid ſit nomen ſuper omne nomen, quod propter humiliationem, obedientiam, & mortem Chriſto donatum eſſe perhibetur *præcit. cap. 2. ad Philip.* dico breviter per exaltationem nominis ſignificari glorificationem externam & manifeſtationem excellentiæ, dignitatis, & Majeſtatis Chriſti; ad illam propterea pertinent omnia præclara de Chriſti divinitate teſtimonia, cujuſmodi fuerunt in primis voces æterni Patris in baptiſmo & transfiguratione dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus*, Laudes Angelorum in nativitate, Apparitio ſtellæ Magis facta, ipſaque Magorum adoratio; confeſſio Petri reſpondentis *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; & tandem plura antiquorum Prophetarum de Chriſto Deo, Rege, ſummo Sacerdote, vaticinia, quæ licet Chriſti meritis fuerint priora tempore, optimè tamen potuerunt eſſe poſteriora morali cauſalitate, ſicut alibi dictum eſt de antiquorum Patrum gratia. Dico inſuper per ly *nomen ſuper omne nomen* quamvis ab aliquibus abſolutè intelligatur divinitas, quâ Chriſtus Deus nominatur, nihilominùs ut ſalvetur contextus & connexio cum illa particula, *Propter quod*, intelligendam eſſe divinitatem non abſolutè, ut donatam ex vi unionis hypoſtaticæ, quâ ratione non cadit ſub Chriſti meritum, ſed ut deductam ad notitiam hominum Dei nomen in Chriſto confitentium, laudantium, adorantium; adeò ut mox explicata nominis exaltatio, & nominis ſuper omne nomen donatio, ferè in idem recidant, ſic intelligunt Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, & Auguſtinus apud Vaſquium *diſput. 79. cap. 2. num.* 9.

56\. Quid ſit in Chriſto nominis exaltatio.

Quid nomen ſuper omne nomen.

Partim ad corporis gloriam, partim ad nominis exaltationem pertinent, & ſub idem Chriſti meritum ceciderunt proprij corporis à mortuis ſuſcitatio, triumphalis in Cœlum 57.
aſcenſio,

aſcenſio, humanitatis ad Patris dexteram ſeſſio, & id genos alia, quæ fuerunt Chriſto glorioſa, quæque ab initiu Chriſtus non habuit; nam quæ ab initio in ipſo inſtanti conceptionis accepit fuerunt ei collata titulo unionis hypoſtaticæ præciſè, non ſimul titulo proprij meriti; hinc ſupremi Regis, & ſummi Sacerdotis excellentia, Capitis dignitas, judiciaria poteſtas, & ſimilia, niſi ſumantur, aut ſecuodùm aliquem ſui effectum, aut ſecundùm ſui manifeſtationem hominibus factam, dicenda non ſunt extitiſſe in Chriſto ex proprio ejus merito, quamvis nonnulli videantur id abſolutè docuiſſe apud Suarium, & Vaſquium, locis præcitatis, & Gabrielem à S. Vincentio *diſp.19.dub.7.§.6.7.*& 8.

§. V.

An Chriſtus de facto ſibi meruerit gloriam eſſentialem; gratiam habitualem; aut ſuæ unionis hypoſtaticæ continuationem, extenſionem, circumſtantias.

58. ASSERT.1. Chriſtus noo meruit ſibi de facto gloriam eſſentialem, aut gratiam habitualem. Ita Scotus *in 3. diſt.18. quæſt.un. §.Hoc viſo.* Bonaventura *ead.diſt.art.2.quæſt.1.* Ricardus *ibid* Gabriel *quæſt.un. art.2. conc.3.* Almainus *quæſt.1.conc.3.* Medina *hic quæſt.19. art.3.* Joannes à S.Thoma *diſp.18.art.3.* Gonetus *diſp.11.art.5.* Vaſquez *diſp.78. cap.2.* Suarez *diſp.40.ſec.2.* Amicus *diſp.26.ſec.9.*& reliqui, tum Scotiſtæ, & Thomiſtæ communiter, tum major pars Recentiorum contrà Altiſiodorenſem *lib 3. tract.1. cap.7.* Majorem *in 3. diſtinct.18.quæſt.2.* Baſſolium *q.1. artic.3.* Maironum *in 3. diſt.17. q.1.* Madernum *q.8.art.2.* Theophylum Raynaudum, & alios nonnullos.

Probator: Chriſtus habuit de facto gloriam eſſentialem, & gratiam habitualem in inſtanti conceptioois, & in priori naturæ ad omnem ſuum actum meritorium; ergo Chriſtus non meruit ſibi de facto gloriam eſſentialem, aut gratiam habitualem; antecedens quoad primam partem certum eſt ex ſupradictis, & ab Auctoribus, cum quibus modo agitur, admiſſum; quoad ſecuodam partem, ſcilicet quoad ly *in priori natura*, punctus eſt diſſidij, cum enim meritum poſſit eſſe ſimul tempore cum præmio, dummodò natura præcedat, & nos ipſi docuerimus Aogelos ſe per proprios actus diſpoſuiſſe, & merito congruo præparaſſe ad gratiam, quam ab initio, & in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti, acceperunt. & quam per conſequens proprij actos diſpoſitivi, & meritorij, potuerunt ſolùm natura præcedere, contendunt Adverſarij hoc, quod eſt Chriſtum habuiſſe gloriam & gratiam in primo inſtaoti conceptionis non impedire, quin habuerit actus meritorios in priori naturæ ad utramque, & quibus utramque meruerit, ſi igitur ex oppoſito probetur prioritas naturæ in gloria ipſa & gratia, arguitur contra Adverſarios efficaciſſimè: ideò

Probo ly *in priori natura* quoad gloriam eſſentialem, ſitam, ut ſuppono in Dei viſione, (quamvis pro re præſenti nihil referat, utrùm in viſione, ao in fruitione, an in utroque actu collocetur?) Scientia per ſe infuſa beatam ſubſequitur, & ad beatæ exigentiam datur, undè veſpertina dicitur, cum beata dicatur matutina, quaſi illa ſit iſta poſterior, ſicut veſper eſt poſterior mane; atqui ſcieotia infuſa io Chriſto eſt in priori naturæ ad omnem actum meritorium, cum ab ea ex dictis reguletur ac pendeat totum Chriſti meritum ergo à fortiori in Chriſto eſt in priori naturæ ad omnem actum meritorium ſcientia beata, ſeu gloria eſſentialis. 59.

Chriſtus non meruit ſibi gloriam eſſentialem animæ.

Probo ly *in priori natura* quoad gratiam habitualem: Potiſſima ratio, & neceſſitas admittendi in Chriſto de facto gratiam habitualem, eſt ut in eo ſaluetur connaturalis modus eliciendi actus ſuperoaturales, ut ſcilicet iſti eliciantur dependenter à proprijs habitibus ſubſequentibus, & in priori naturæ ſupponentibus, gratiam habitoalem, ut dictum eſt *lib. præced. cap.7. §.1.* atqui connaturalis modus eliciendi actus ſuperoatutales debet in Chriſto aſtrui à primo conceptionis inſtanti, cum ex tunc habuerit Chriſtus omoem ſuæ perfectionis modum; ergo à primo conceptionis inſtanti habuit Chriſtus habitualem gratiam io priori naturæ ad omnes actus ſupernaturales, quod eſt idem, ac dicere omnes actus meritorios. 60.

Non item meruit ſibi gratiam habitualem.

Dices connatutali modo eliciendi ſupernaturales actus præpondetare in Chriſto perfectiooem habendi gratiam babitualem ex merito, meliùs ſcilicet eſſe Chriſto habere ex merito gratiam eliciendo aliquos actus modo minùs connaturali, quam elicere omnes actus modo magis connaturali, & habere gratiam independenter à merito: Nec talis præponderantia videtur a nobis negari poſſe ſine contradictione aut retractatione ejus, quod diximus in tract. de Angelis *lib.3.cap.1.§ 3.num.21.* docentes congruentius Angelis fuiſſe recipere gratiam ex propria diſpoſitione, hanc præſtando per actus elicitos indepeodenter ab habitu, & modo minus connaturali, quam actus omnes connaturaliore modo elicere recipiendo ſine prævia diſpoſitiooe gratiam; quod deinde iterum tradidimus in tract. de Gratia *lib 3.cap.2. §4.* & 6. docendo gratiam habitualem ſecuodùm ſe, & ex natura rei, diſpoſitionem moralem prærequirere in quolibet ſubjecto talis diſpoſitionis capaci, ut certè capax fuit à primo conceptionis inſtanti Chriſtus Domious; unde de eo S. Doctor *quæſt.34. art 3.in c.* ſtatuit in primo inſtaoti ſuæ conceptionis ſanctificatum fuiſſe per gratiam, non ſicut ſanctificantur parvuli, ſed ſicut ſanctificantur adulti ſecuodùm proprium motum liberi arbitrij in Deum. Sed contrà: admitto præponderantiam illam in cæteris adultis, ac non in Chriſto, in quo pro gratia habituali dependenter à ſupernaturalibus actibus, ſivè diſpoſitivè, ſive meritoriè ſe habentibus, in primo inſtanti infundenda longè minor eſt ratio, quam in cæteris adultis, præſertim in primis Parentibus, ſicut & in Angelis, quibus utriſque 61.

utriſque de facto in primo inſtanti infuſa eſt; Minor inquam,eſt ratio, quia cæteris adultis nullo proprio ipſorum actu præcedente gratia infunderetur omninò ab extrinſeco, Chriſto autem adhuc eſt aliqualiter ab intrinſeco, ideſt ad exigentiam unionis hypoſtaticæ Chriſto intrinſecæ; Deindè cæteri adulti cum primum gratiam recipiunt ſunt ſubjectum ejus omninò improportionatum, niſi diſponantur & coaptentur per proprios ſupernaturales actus;at Chriſtus eſt aliundè, ideſt ex vi gratiæ unionis ſubjectum elevatum ad ſupernaturalem ordinem,& redditum omninò proportionatum gratiæ habituali recipiendæ. Tandè in cæteris gratia habitualis non datur ad exigentiam alicujus ſpectantis ad ipſorum eſſe ſubſtantiale, ideò optimè poteſt in ſubjecto præſupponere aliquid accidentale pro diſpoſitione aut merito;at in Chriſto datur ad exigentiam divinæ hypoſtaſis complentis eſſe ſubſtantiale,ideò debet recipi in ſubjecto ſubſtantialiter completo antè aliud quodcumque accidens,& per conſequens antè omnem actum.

62. Ad auctoritatem D. Thomæ dico ly *ſecundum motum liberi arbitrij* ſignificare in Chriſto concomitantiam ſeu conſecutionem talis motus ad gratiam ſanctificantem,non verò prioritatem,& ſimilitudinē ſanctificationis Chriſti cum ſanctificatione adultorum non debere ſervari quoad omnia,ſed ſolùm quoad ea,quæ dicunt perfectionem;ut eſt quòd ſanctificatus in ipſo ſanctificationis inſtanti per actum modo connaturali,& dependenter à gratia, elicitum diligat ſanctificatorem ſuum, eique gratias agat; cæterùm quod per actum naturâ priorem ad ſanctificationem ſe diſponat; aut ipſam promereatur, ſupponit imperfectionem, nimirum ſubjectum improportionatum, ſanctificationemque aliundè non exigens;& prætereà inducit modū operandi non connaturalem,ut magis explicant Suar,*præcit ſec* 2.§.*Ad ſecundū* & Joann à S.Thom.*diſp* 18.*art*.1.*n* 19.

63. Ex his habes Chriſtum Dominum ſuam habitualem gratiam non ſolum non meruiſſe, ſed nec ad eam ſe diſpoſuiſſe, quidquid ſentiant plures Thomiſtæ arbitrari ipſum S. Doctorem prævium gratiæ meritum, non præviā ad gratiam diſpoſitionem, Chriſto negaſſe;& iſti,inter quos Gonetus *præcit.art*.5.§.3.facilius quidem explicant præallatam auctoritatem,at nimium laborant in ſuſtinendo quod ſupernaturalis diſpoſitio præcedens gratiam non ſit condignè meritoria gratiæ in Chriſto, in quo pro illo priori, quo habitualem gratiam præcedit eſt à principio gratus Deo & ſancto gratitudine & ſanctitate ſubſtantiali:Certè ſuſtineri id non poteſt in noſtris principijs,quibus *præcit.c*.7.*n*.12.docebamus gratiam habitualem non eſſe datam Chriſto ad condignificanda ejus opera in ordine ad præmiū ſupernaturale.

Nec ad eam ſe ullo prævio actu diſpoſuit.

Mitto hic rationes alias,quibus varij variè aſſertam veritatem comprobant,at vel levioris ponderis ſunt,vel malè cohærent noſtris principijs alibi poſitis,ut facilè conſtabit recolenti & expendenti rationes illas apud Amicū *præcit ſec*.9.Mihi ea,quam attuli, ſufficientiſſima eſt ac validiſſima,& talis etiam, ut contineat doctrinam argumentis Adverſariorum ſolvendis opportunam abſque eo, quod neceſſe ſit hæc in præſenti ſingillatim excutere; procedo igitur ad ſecundam præfixi tituli partem,pro qua *ex præced. lib*. 1.*c*.9.§.1. ſuppono Chriſtum nullatenùs de facto meruiſſe propriam unionem hypoſtaticam ſumptam quoad primum ſui eſſe,& quoad ſubſtantiam;ideò nunc propono ſolùm ejuſdem unionis continuationem, extenſionem, & circumſtantias. 64.

Continuationis nomine venit nunquam interrupta illius conſervatio,ſeu duratio in Chriſti humanitate toto tempore vitæ mortalis,in triduo mortis, & poſt ſuſcitationem à mortuis: Extenſionis duplex eſt modus,alter quo ſubſiſtentia Verbi in vita mortali ſucceſſivè uniebatur novis partibus materiæ continuò per augmentationem & nutritionem aquiſitæ;alter minùs proprius quo poſt inſtitutum Euchariſtiæ Sacramentum eadem numero unio hypoſtatica verbis conſecratorijs quotidiè replicatur, aut etiam reproducitur ſimul cum Chriſto in pluribus hoſtijs; ex circumſtantijs duæ præcipuè occurrunt,nimirum acceleratio Incarnationis, & Maternitas Virginis, de hac tamen poſteriore agetur opportunius *cap. ſeq*. Interim ſit

Aſſert. 2. Chriſtus non meruit ſibi de facto continuationem unionis hypoſtaticæ, aut extenſionem ejus ad partes materiæ in mortalis vitæ decurſu ſucceſſivè aquiſitæ.Ita Vaſq.*diſp*. 78.*c*.3.*n*.15.Amicus *præcit.ſec*.9.*n*.191. & 196. Lugus *diſp*.17.*ſec*.2. Gabriel à S. Vincentio *diſp* 19.*dub*.7.§.2.& alij plures contra Suarium *diſp*. 10 *ſec*. 4. §.*Hac reſponſio*. Madernum *q*.3. *art*.7.*n*.3. & quoad ſecundam partem Gonetū *diſp*.7.*art*.3.§.3.ubi tamen quoad primam partem,ideſt quoad continuationē,nobiſcū ſentit. 65.

Probatur prima pars. Chriſtus non meruit ſibi de facto primum eſſe, & productionem unionis hypoſtaticæ; ergo nec continuatum eſſe, ſeu continuationem & conſervationem ejuſdem;antecedens ſupponitur *ex præcit. c*.9. §.1.& 2. conſequentia probatur primò, quia abſtrahendo à merito antecedente, & ſubſequente;magnum fundamentum dicendi, quod Chriſtus non meruerit ſibi de facto unionem hypoſtaticam quoad primum eſſe eſt, quia in Scriptura & Patribus unio hypoſtatica commendatur,ut inſigne opus ſolius miſericordiæ gratiæ,& liberalitatis,etiam reſpectu Chriſti, quemadmodum oſtendimus *præcit.c*.9.*n*.7.atqui unio hypoſtatica multum amitteret de opere miſericordiæ gratiæ & liberalitatis reſpectu Chriſti adeòque multum detraheretur præmemoratis auctoritatibus,ſi eſſet à Chriſti merito independens ſolum quoad productionē & primum eſſe,dependeret verò quoad continuationem; hac quippe ratione eſſet magis à merito dependens,quam independens,eſſet dependens per durationem tota æternitate continuandam, eſſet independens per ſolum primū inſtans,ergo:Eadem conſequentia probatur ſecundo,quod eſt ex natura ſua perpetuum ea eo præciſè,quod ſit productum,conſervatur, nec donatur perfectè ſi non donatur ſecundùm ſuam naturam, ideſt ut perpetuò conſervandum; atqui unio hypoſtatica *ex præced. lib*. 1. *cap*. 6. §. *quarto*, eſt ex natura ſua perpetua &

Chriſtus non meruit ſibi continuationem unionis hypoſtaticæ.

& eam Deus perfectè donavit ſeu perfectam liberalitatem in ejus donatione exercuit;ergo ſuppoſito, quod ſit producta liberaliter & independeoter à merito, poſtulat eodem modo conſervari, eodemque modo de facto conſervata eſt & in perpetuum conſervabitur.

Dices : etiam gratia habitualis eſt ex natura ſua perpetua,& in ſuo genere perfectum Dei donum,& tamen à noſtris meritis, à quibus non dependet in produci, dependet in conſervari ; conſervatur enim dependenter ab obſervantia præceptorum , quæ in juſtis eſt meritoria ; ergo idem proportionaliter dicendum de unione hypoſtaticâ reſpectu me-
66. ritorum Chriſti. Sed contrà : perpetuitas gratiæ habitualis non eſt tam abſoluta,quàm eſt abſoluta perpetuitas unionis hypoſtaticæ;illa enim,non iſta admittit ſupervenientem ſubjecti indiſpoſitionem,ratione cujus poteſt deficere,quidquid deindè de hoc ſit,falſum eſt illā pendere à noſtris meritis in conſervari, nec per ſe,& tanquam à cauſa morali,ſed per accidens & tanquam à removente prohibens pendet à præceptorum obſervantia, quæ in juſtis eſt quidem meritoria, at gratiæ novæ & augmenti, non gratiæ antiquæ & conſervationis ejus. Neque urgeas;ergo ſaltem inſtantia erit efficax ad impugnandam ſecundam aſſerti partem, & ad probandum Chriſtum meruiſſe extēſionem ſuæ unionis hypoſtaticæ ad novas partes materiæ , cum hujuſmodi extenſio ſe habeat tanquam quoddam ipſius unionis hypoſtaticæ augmentum. Contra enim: licet prædicta extenſio ſit tanquam quoddam augmentum unionis hypoſtaticæ,non tamen ad iſtam ſe habet, ſicut augmentum gratiæ ad primam gratiam ; ad hanc quippè augmentum non conſequitur neceſſariò & connaturaliter , benè verò ſic conſequitur ad primam unionis hypoſtaticæ productionem prædicta extenſio, ut ſtatim oſtendo : Ideò

67. Probatur ſecunda pars ; Extenſio unionis hypoſtaticæ ad novas partes materiæ eſt neceſſarium& connaturale complementum ejuſdem unionis ſecundùm ſubſtantiam,& ſecundùm primum ſui eſſe conſideratæ ; nec Deus perfectè donaſſet Chriſto unionem hypoſtaticam , niſi voluiſſet ſimul donare hujuſmodi complementum, ſicut non perfectè donaretur homini anima,ſi donaretur ea cōditione,quod non ſe extenderet ad partes materię ſucceſſivè corpori aggenerandas ; ergo ea ratione , qua Chriſtus ex eo,quod non meruerit unionem quoad primam productionē,non meruit quoad continuationem;ea,inquam,ratione neque meruit quoad extenſionem in novis partibus materiæ. Neque dicas diſparitatem eſſe,quia continuatio nihil addit primæ productioni,nec ex vi continuationis præciſè Chriſtus habet aliquid ſucceſſu temporis,quod in prima productione;non habuerit ; at extenſio addit aliquid à prima productione diſtinctum.& quo Chriſtus ab initio caruit , ideò de extenſione non videtur eſſe eadem ratio,quæ de continuatione,ſed potiùs eadem. quæ de gloria corporis, quæ licet neceſſariò & connaturaliter ſubſequatur unionem,quia tamen Chriſto ab initio
68. non infuit, data ei eſt ex merito. Contrà enim, non verificatur ſimpliciter continuationem nihil addere primæ productioni addit quippè coexiſtentiam ad tempus diverſum ab eo,quo unio primò producta eſt , item ex parte Dei carentiam voluntatis ſubtrahendi concurſum effectivum primò applicatum. Fateor nihilominùs in extenſione magis,quàm in continuatione , apparete aliquid à prima productione diſtinctum & quo ab initio Chriſtus caruit ; at adhuc extenſio & continuatio conveniunt in eo, quod utraque pertinet ad unionis ſubſtantiam,cum gloria corporis ſit pura circumſtantia accidentalis, cujus proptereà meritum non impedit , quin tota unionis ſubſtantia ſit purum , ac perfectum donum liberalitatis; Præter quod pro merito gloriæ corporis militant ſpeciales auctoritates,non ſic pro merito extenſionis,de qua agitur ideò &c.

Neque extenſionem ejus ad novas partes materiæ.

Aſſert. 3. Chriſtus meruit extenſionem , ſeu repetitionem unionis hypoſtaticæ,quæ quotidiè fit in Sacramento Euchariſtiæ. Meruit plures circumſtantias unionem hypoſtaticam ſubſequentes, & in primis ſuſcitationem propriæ humanitatis à mortuis : Meruit item in executione accelerationem & aliquas alias ex circumſtantijs unionem antecedentibus. In prima & ſecunda hujus aſſerti parte conveniunt Scholaſtici communiter: In tertia habemus Adverſarios Gonetum *præcit.* §. 3. *n.* 65. Gabrielem à S. Vincentio *præcit.* §. 2. *num.* 140. alioſque nonnullos.

Probatur prima pars. Chriſtus meruit omnia novæ legis Sacramenta,meruit nobis Sacramentalem gratiam,& omnes Sacramentorum effectus , meruit igitur inter alia Sacramentum & Myſterium Euchariſtiæ, necnon ea,quibus hujuſmodi Myſterium quotidiè cōficitur ac perficitur,inter quæ certè recenſenda eſt in primis extenſio ſeu repetitio unionis hypoſtaticæ in ſingulis hoſtijs conſecratis; hanc ergo maximè Chriſtus meruit : Nec quidquam videtur poſſe tali merito obſtare , cum aliundè non ſit extenſio ſeu repetitio , de qua agitur, debita primæ productioni unionis hypoſtaticæ , aut pertinens ad ſubſtantiam ejus, aut eam antecedens : & licet Euchariſtia ſit Myſterium amoris , gratiæ , & liberalitatis Chriſti ergà nos,non ſic Dei erga Chriſtum; ideò ex hoc capite non eſt , cur non potuerit Chriſtus illud apud Deum mereri. 69.

Meruit verò extenſionem ejus in Euchariſtia.

Probatur ſecunda pars,quia tum ſingillatim ſuſcitatio propriæ humanitatis à mortuis,tum plures aliæ circumſtantiæ unionem hypoſtaticam ſubſequentes ſpectant in Chriſto ad gloriam corporis , & exaltationem nominis, quam utramque ſibi de facto Chriſtum meruiſſe jam ſuprà oſtenſum eſt;meruit igitur de facto Chriſtus , tum ſuſcitationem propriæ humanitatis à mortuis,tum plures alias circūſtantias unionem hypoſtaticam ſubſecuras,& magna ex parte recitatas ſupra *num* 56. & 57. Porrò in prædicta ſuſcitatione. ſeu reſurrectione,conſiderant aliqui reunionem non ſolū animæ ad corpus,verùm etiam totius, ſeu humanitatis,ad Verbum: fateor in mortis triduo humanitatem Chriſti , ſicut non erat in ſe , ita non fuiſſe Verbo unitam ; at hoc non contigit ex eo , quod fuerit diſſoluta aliqua unio 70.

Meruit item ſuam reſurrectionem,& plures circumſtantias unionem ſubſequentes.

Google

unio ad Verbum, manſit enim hæc tota in anima & corpore etiamſi pro illo triduo ſeparatis; ſicuti igitur humanitas deſijt eſſe unita Verbo ex eo præciſè, quòd propter ſeparationem animæ à corpore deſierit eſſe in ſe, ità cœpit iterùm eſſe Verbo unita ex eo præciſè, quod per reunionem animæ ad corpus cæperit iterum in ſe eſſe: Breviter humanitatem

71. eſſe unitam Verbo præter unionem animæ & corporis cum Verbo dicit ſolùm unionem animæ & corporis inter ſe, & in reſurrectione illam eſſe Verbo reunitam dicit ſolam reunionem animæ & corporis ſuppoſita non interrupta antecedenter utrinſque unione cum Verbo. Quando tamen præter unionem ad animam & corpus haberet Verbum ſpecialem unionem hypoſtaticam ad totam humanitatem, quæ ſpecialis unio fuiſſet in triduo diſſoluta, & reſtituta deindè ſeu reproducta in reſurrectione, hujuſcemodi hypoſtaticæ unionis reſtitutionem ſeu reproductionem, tanquam quid reſurrectionem conſequens Chriſti meritis tribuerem æquè, ac reſurrectionem ipſam. Hunc ſecundum modum tradit Gonet *præcit.* §.3.*n.*75. at prior quem tradit Suarez *præcit. ſec.* 4. § *Ad tertiam vero* eſt conformior doctrinæ a nobis ſupra traditæ tū circa modum aſſumptionis humanitatis, tum circa indiſſolubilitatem unionis hypoſtaticæ.

72. *Imò etiam ipſius unionis accelerationem, & aliquas alias circumſtantias antecedentes.*

Probatur tertia pars, quia eximia Chriſti in homines charitas, & vehemens deſiderium ipſos redimendi, paratiſſima item voluntas exequendi præceptum Patris de carne aſſumenda, & morte ſubeunda, valdè ſuadent Chriſtum ſua merita applicaſſe ad obtinendam unionis hypoſtaticæ accelerationem; neque quod hæc ſit circumſtantia unionem antecedens impedit, quin poſſit ſaltem in executione ſub meritis eamdem ſubſequentibus cadere: oppoſitum enim deducitur, tum ex eo quod ſuprà *lib.* 1.*c.*9. §.4. dictum eſt eamdem accelerationem cadere ſub meritis antiquorum Patrum, quæ & ipſa unionem hypoſtaticam cauſalitate, licet non tempore, ſubſequuntur; tum ex eo quod *cap. ſeq.* §.3. dicetur de merito maternitatis, ubi etiam attingemus ea quæ de aliquibus alijs circumſtantijs unionem antecedentibus patior hic deſiderari.

---

§. VI.

An Chriſtus de potentia abſoluta potuerit ſibi mereri ea, quæ de facto ex §. præced. ſibi non meruit.

73. ASSERT. 1. Chriſtus de potentia abſoluta potuit ſibi mereri gloriam eſſentialem & gratiam habitualem etiam acceptam, ut de facto accepit in primo, ſeu in ipſo, conceptionis inſtanti. Ità Suarez *diſp.*40.*ſec.*1. Amicus *diſp.*56.*ſec.*9. *num.*161. Maſtrius *diſput.*3. *quæſt.*1 *art.*1 Gonetus *diſp.*21 *art.*5. §.4. Cipullus *art.*1. *dub* 10. & tum aliqui alij Thomiſtæ, tum Scotiſtæ, communiter, & major pars Recentiorum; oppoſitum ſentientibus quoad ly *etiam acceptam ut de facto accepit* Medina *hic quæſt.*19.*art.*3. Joanne à S. Thomà *diſp.*18.*art.*1.*num.*10. Gabriele à S. Vincentio *diſp.*19.*dub.*7. *num.*142. Cabrera *diſp.*7. *paragrapho* 4. Vaſquio *diſp.*78.*cap.*3.*num.*14 aliiſque nonnullis, præſertim ex ſchola Thomiſtica, docentibus Chriſtum de potentia abſoluta potuiſſe ſibi gloriam & gratiam promereri ſolùm in hypotheſi, quod eam ab initio non accepiſſet; imò Cabrera, & qui cum ipſo putant gratiam habitualem eſſe principium omnis meriti etiam in Chriſto, docent conſequenter eam etiam ab initio non acceptam ſub Chriſti meritum cadere non potuiſſe, ne ſub meritum ponatur cadere principium meriti. Verùm cum per nos gratia unionis etiam ſine gratia habituali poſſit abundè condignificare meritum in ordine ad quodcumque præmium ſupernaturale; nec detur in Chriſto gratia habitualis ad condignificanda opera meritoria, corruit omne fundamentum negandi Chriſto potentiam merendi gratiam habitualem non acceptam ab initio. Aſſertum igitur probatione indiget ſolùm in hypotheſi ultimis ejus particulis expreſſâ, in qua.

Probatur: Chriſtus de potentia abſoluta potuit elicere actus meritorios natura priores gloria eſſentiali, & gratia habituali, etiam accepta ut de facto accepit in ipſo conceptionis inſtanti, ergo Chriſtus de potentia abſoluta potuit ſibi mereri gloriam eſſentialem & gratiam habitualem etiam acceptam &c. conſequentia patet, quia ex una parte ad meritum ſufficit prioritas naturæ, nec requiritur prioritas temporis; & ex alia parte, ut concedunt Adverſarij ferè omnes, gloria eſſentialis, & gratia habitualis, poſſet cadere ſub Chriſti meritum, ſi poſſet eſſe Chriſti merito poſterior tēpore, nec fuiſſet conceſſa ſtatim ab initio, poterit igitur ſub Chriſti meritum cadere, ſi quāvis conceſſa ab initio, poſſit eſſe Chriſti merito poſterior naturâ, quod eſt idem ac dicere poſſit Chriſtus elicere actus meritorios naturâ priores: Probatur antecedens; Chriſtus de potentia abſoluta potuit in ipſo conceptionis inſtanti habere independenter à gloria eſſentiali, & gratia habituali, comprincipia neceſſaria ad actus liberos ſupernaturales, nimirum ſupernaturalem notitiam & auxilium actuale ſupplens influxum cujuſcumque habitus; atqui actus liberi ſupernaturales à Chriſto in conceptionis inſtanti eliciti ſunt meritorij; ergo potuit Chriſtus elicere actus meritorios independenter à gloria eſſentiali, & gratia habituali, etiam accepta in conceptionis inſtanti; ergo potuit elicere tales actus naturâ priores eadem gloriâ & gratiâ, in tantum enim non ſunt priores de facto, in quantum eliciuntur dependenter, adeò ut ſupponant in priori naturæ ipſam gloriam & gratiam juxta doctrinam poſitam *præced. num.*59. & 60. Major probatur, quia quod de facto in Chriſto ſupernaturalis notitia ſcientiæ infuſæ ſubſequatur gloriam eſſentialem, & omnes ſupernaturales actus eliciantur dependenter ab habitibus, non dependenter à ſolis actualibus auxilijs, eſt major connaturalitas, non abſoluta neceſſitas: ut colligitur ex ratione, quà id probavimus *præcit.* §.59. & 60.

74. *De potentia abſoluta potuit Chriſtus ſibi mereri gloriam eſſentialem, & gratiam habitualem.*

Dices: meritum tantum naturâ præcedens beatitudinem non poteſt eſſe meritum beatitudinis, & Angeli nullatenùs potuiſſent ſuam beatitudinem mereri ex ſuppoſitione, quòd eam in primo inſtanti accepiſſent; atqui in Chriſto habente beatitudinem in inſtanti conceptionis meritum tantùm natura præcederet beatitudinem; ergo repugnat Chriſto meritum beatitudinis ex ſuppoſitione quod ipſam habuerit, ut de facto habuit, in inſtanti conceptionis: Minor continetur in probatione, quam mox nos ipſi formavimus: majorem nos quoque tradidimus in tract. de Angelis
75. *lib.3.cap.3.§.3.* nec apparet, quomodò quæ ibi diximus poſſint cum his, quæ nunc dicimus cohærere? Sed contrà. Meritum beatitudinis aliud habet annexam potentiam peccandi & carendi ipſa beatitudine eò quòd reſpiciat beatitudinem non aliundè debitam, & non ponendam, ſi ipſum non ponatur; hoc meritum non poteſt eſſe prius beatitudine ſolùm naturâ, quia inferret beatitudinem eſſe ſimul cum potentia peccandi, & beatum in primo inſtanti, in quo eſt beatus, poſſe peccare. Aliud eſt meritum non habens annexam potentiam peccandi, & quo non poſito non proptereà beatitudo deficeret, eò quòd eſſet adhuc aliundè debita; in hoc merito etiamſi naturâ tantùm beatitudinem præcedat ceſſat prædicta ratio repugnantiæ. Hujus ſecundi generis fuiſſet in Chriſto, primi verò generis fuiſſet in Angelis meritum naturâ tantùm præcedens beatitudinem; ideò &c.

Dices aliter: Chriſtus merens eſſentialem beatitudinem acceptam in primo inſtanti eſſet ſimul viator & comprehenſor, in via & in termino reſpectu ejuſdem; ideſt non (ut de facto) eſſet viator in ordine ad gloriam corporis, comprehenſor in ordine ad gloriam animæ, ſed eſſet viator ſimul & comprehenſor in ordine ad unam eandemque gloriam animæ; at hoc ſimpliciter repugnat, ergo & ſimpliciter repugnat Chriſtus merens eſſentialem beatitudinem acceptam in primo in-
76. ſtanti. Sed contrà: Vel conformiter ad ſolutionem præcedentis inſtantiæ dico repugnare reſpectu ejuſdem beatitudinis eſſentialis eſſe viatorem defectibilem & comprehenſorem, eſſe in via cum defectibilitate à termino & in termino, non ſic repugnare eſſe viatorem indefectibilem & comprehenſorem, in via cum indefectibilitate à termino & in termino; vel ab his abſtrahendo dico viam aliam eſſe, quæ cum ſucceſſione percurritur, aliam quæ tota ſimul & in inſtanti; de prima, non de ſecunda via, verificatur, quòd quis non poſſit reſpectu ejuſdem ſimul eſſe viator & comprehenſor, in via & in termino. Porrò Chriſtus merens eſſentialem beatitudinem acceptam in primo inſtanti eſſet viator indefectibilis, viamque percurreret totam ſimul & in inſtanti, meritum ſcilicet ſuum inſtantanea actione, non ſucceſſivo motu, perficeret; ideò &c.

Item continuationem, & extenſionē unionis hypoſtaticæ.

Aſſert. 2. Chriſtus de potentia abſoluta potuit ſibi mereri continuationem unionis hypoſtaticæ, aut extenſionem ejus ad novas partes materiæ. Ita Scholaſtici communiter, adeò ut ſupponere hoc ſoleant potiùs, quàm tradere in terminis.

Probatur: Opera Chriſti ſunt ſufficientis valoris ad promerendam unionis hypoſtaticæ tum continuationem, tum extenſionem, eaque de facto ordinata non fuiſſe ad utramque obtinendam colligimus præcipuè ex eo, quòd 77.
tota ſubſtantia unionis hypoſtaticæ fuit de facto etiam reſpectu Chriſti ex gratia & liberalitate; atqui de potentia abſoluta, & ſecundùm aliam providentiam, potuit tum tota unionis hypoſtaticæ ſubſtantia, tum maximè continuatio ejus & extenſio, eſſe ex remuneratione & ex merito; ergo de potentia abſoluta potuit Chriſtus ordinare ſua opera ad prædictam continuationem, extenſionemque obtinendam, & ſibi utramque promereri. Neque dicas, eodem modo probaretur Chriſtum de potentia abſoluta ſibi poſſe promereri ſuæ unionis hypoſtaticæ primum eſſe primamque productionem, cujus oppoſitum ex profeſſo docuimus *præced. lib.1. cap.9. § 2.* Contrà enim, non ſunt cætera paria, quia unio hypoſtatica quoad primum ſui eſſe primamque productionem eſt in Chriſto principium omnis meriti, non ſic eſt principium omnis meriti quoad continuationem & extenſionem; ideò ſi eam priore modo ſibi Chriſtus promereretur principium meriti caderet ſub meritum; non cadit verò principium meriti ſub meritum ex eo, quod Chriſtus promereatur ſibi eamdem poſteriore modo. Pro cujus pleniore intelligentia adverto, quòd

Quærenti abſolutè, Utrùm unio hypoſta- 78.
tica Chriſti Domini nunc exiſtentis de potentia abſoluta potuerit quoad primum ſui eſſe, primamque productionem, dari ex merito & titulo remunerationis? Reſpondendum eſt quæſitum, vel referri ad meritum quodcumque & cujuſcumque, vel ad ſolum meritum condignum ejuſdem Chriſti nunc exiſtentis. Si quæſitum ſumatur in hoc ſecundo ſenſu, unio hypoſtatica Chriſti Domini quoad primum ſui eſſe nec de potentia abſoluta potuit dari ex merito, & in hoc ſenſu procedit diſparitas mox in inſtantiæ ſolutione adducta inter unionis hypoſtaticæ primam productionem, & ejuſdem continuationem aut extenſionem. Quòd ſi quæſitum ſumatur in primo ſenſu potuit unio hypoſtatica quoad primum ſui eſſe cadere ſub meritum, congruum quidem tum ejuſdemmet Chriſti nunc exiſtentis, tum Sanctorum Patrum, ut conſtat ex dictis *præced.lib.1.cap.9.* §.1.& 3. condignum verò alterius Chriſti, qui potuiſſet exiſtere; ut colligitur ex eo; quod *cap. præced.* §.3. dictum eſt unam divinam Perſonam unitam naturæ creatæ poſſe condignè mereri hypoſtaticam unionem alterius; Si igitur Pater æternus aſſumpſiſſet naturam Angelicam v.g. potuiſſet condignè mereri unionem hypoſtaticam Chriſti nunc exiſtentis.

Ex quonam & quali merito potuiſſet de potentia abſoluta dari unio hypoſtatica Chriſti nunc exiſtentis?

CAPUT

CAPUT IV.

De Merito Chriſti relatè ad alios.

1. SICUT Calvinus, ut ſuprà meminimus, negavit Chriſtum meruiſſe aliquid ſibi, ita Pelagius in extremum oppoſitum lapſus negaverat ipſum meruiſſe aliquid nobis, eundemque, quamvis non ex eodem prorſus fundamento, errorem tradiderunt Abailerdus; & Abailardo antiquior Baſſus, ut refert Suarez *diſp 4. ſec. 3.* Neceſſe tamen non eſt hos hæreticos ſingillatim impugnare. nam in primis errorem errore fulciunt; Pelagiani ſcilicet negant Chriſtum nobis meruiſſe, quia non agnoſcunt in nobis originale peccatum & neceſſitatem gratiæ; Baſſus & Abailardus admiſſo originali peccato non admittunt Chriſtum nos liberaſſe à ſervitute, & jugo dæmonis. & utrique docent Chriſtum veniſſe, ut Doctorem, non ut Redemptorem, profuiſſe nobis doctrina & exemplo, non ſatisfactione & merito: Deindè remanebunt ſatis ſuperque impugnati, ex eo, quod in toto hujus capitis progreſſu dicetur diſcurrendo per ea, quæ Chriſtus, alijs, idest ſive nobis, ſive Angelis meruit, Quia verò circa hæc magna aſt opinandi varietas, expedit prælibare talis varietatis originem & modum. Ideò

2. Adverto diſſidium in hoc puncto ſuam præcipuam originem ducere ex diverſo modo aſſignandi motivum Incarnationis, & ordinem prioris ac poſterioris inter Incarnationis decretum, & originalis prævisionem; Qui enim cum Scotiſtis pro primario Incarnationis motivo aſſignant excellentiam Myſterij, & Incarnationis decretum ſtatuunt antè prævisionem originalis facilem habent aditum extendendi Chriſti meritum, & ſub ipſo collocandi omnia ſupernaturalia dona conceſſa etiam primis Parentibus in ſtatu innocentiæ, & Angelis; Non ſic qui cum Thomiſtis pro primario Incarnationis motivo aſſignant peccati remedium, & prævisionem originalis ſtatuunt antè Incarnationis decretum. Nihilominùs nec omnes Auctores primæ opinionis affirmant dona quæcumque ſupernaturalia collata primis Parentibus in ſtatu innocentiæ, & Angelis, fuiſſe ex Chriſti meritis; nec omnes Auctores ſecundæ opinionis id negant: Nam ex prioribus Auctoribus quidam docent Chriſti licet antè prævisionem originalis prædeſtinati & voliti merita præviſa de facto non fuiſſe, niſi ut dependentia à paſſione & morte, ac per conſequens niſi ut ſupponentia originale, in cujus remedium fuit à Deo volita Chriſti paſſio & mors, quamvis non Incarnatio ipſa quoad ſubſtantiam; conſequenter ad hanc doctrinam putant Angelos ad gratiam & gloriam, primosque Parentes ad gratiam ſtatus innocentiæ prædeſtinatos fuiſſe antè præviſa Chriſti merita, adeóque non ex Chriſti meritis: ita Smiſing. *tract. 5. diſput. 6. quæſt. 10. de Provid. Dei.* Gallus *in 3. diſt. 19. quæſt. un. cap. 11.* Faber, Centinus, & alij arbitrati in hoc ſe ſentire cum ſuo ſubtili Doctore & quamvis multò plures ex eadem ſchola aliter ſentiant, Maſtrius *diſput. 3. quæſt. 15. art. 2. num 493.* cenſet utroſque cum probabilitate loqui, & nec Scotum, nec principia ſcholæ Scotiſticæ favere aut contradicere uni parti magis, quàm alteri.

Ex Auctoribus poſterioribus, ex ijs ſcilicet, qui prævisionem originalis ſtatuunt antè Incarnationis decretum, nonnulli, quorum meminimus in fine libri præcedentis *num. 91.* & quos in præſenti ſequitur Gabriel a S. Vincentio *diſp. 19. dub. 9.* exiſtimant gratiam & gloriam fuiſſe decretam & conceſſam Angelis duplici titulo, primò quidem titulo liberalitatis antè Incarnationis decretum; ſecundò poſt Incarnationis decretum titulo remunerationis ex Chriſti meritis, ſicque docent Chriſtum meruiſſe Angelis (idemque ſentiunt de primis Parentibus in ſtatu innocentiæ) gratiam & gloriam ut ſecundò, quamvis non ut primò illis volitam. Nonnulli alij, quorum ſuppreſſo nomine meminit Amicus *diſput. 26. ſec. 13. num. 450.* faciunt peccatum originale medium quodammodò inter peccatum, & damnationem Angelorum; adeò ut, quando Adam peccavit, jam quidem antecedenter mali Angeli peccaſſent, at adhuc eſſent in via, & in pugna cum Angelis bonis, addunt deindè Chriſtum fuiſſe volitum ſtatim poſt præviſum originale, & quia pro tunc Angeli adhuc prævidebantur in via, fuiſſe ex Chriſti meritis deſtinatum bonis Angelis perſeverantiæ donum, & gratiæ augmentum, quo Luciferi ſuggeſtionibus reſiſtendo viam ſuam in bono conſummarent. Nonnulli tandem quorum ſententiam ſuppreſſo pariter nomine refert Arriaga *diſput. 14. ſec. 3. ſubſec. 1.* conantur ſuſtinere, vel Adami peccatum non dependiſſe à ſuggeſtione dæmonis, & quamvis fuerit peccato dæmonis poſterius tempore, non fuiſſe poſterius natura; vel dæmonem fuiſſe decretum & præviſum à Deo priùs in inſtanti in quo Adamum tentavit, quam in eo, in quo fuit creatus & donatus gratiâ, & hinc deindè inferunt Chriſtum etſi decretum poſt præviſum peccatum Adæ, non fuiſſe decretum poſt decretam præviſamque gratiam, quam Angeli habuerunt antè peccatum, vel etiam quam acceperunt in creatione; ideò hanc gratiam potuiſſe illis deſtinari ex meritis Chriſti, etſi decreti poſt præviſum peccatum Adæ. 3.

Sic inſinuata varietate opinandi circa Chriſti meritum relatè ad Angelos, & primos Parentes, aliquid attingendum eſt circa varietatem explicandi idem meritum relatè ad homines lapſos, in quibus ſupernaturalia dona alia ſunt quæ juſtificationem præcedunt, alia quæ in juſtificatione aut poſt conferuntur; alia quæ ad glorificationem pertinent. Quoad dona primi generis, ut ſunt in parvulo applicatio baptiſmi, in adulto actus ad juſtificationem diſponentes & auxilia ad tales actus data, negatur aliqui conferri ex meritis Chriſti, 4.

Origo diſſidij circa meritum Chriſti relatè ad Angelos, & primos Parentes.

Varietas opinandi circa Chriſti meritum relatè ad homines lapſos.

& docuerunt meruiſſe quidem Chriſtum quod conferatur gratia parvulo baptizato & adulto contrito, at non quod parvulus baptizetur & adultus conteratur, aut recipiat auxilia & actus quibus ad contritionem excitatur, hocque neceſſarium putant ad ſaluandum, tum noſtram juſtificationem eſſe in ſua radice opus liberalitatis & miſericordiæ Dei, tum merita Chriſti nobis non applicari antequam juſtificemur, quod utrumque ſuſtinent hujus opinionis Auctores & ſunt Capreolus *in 3. diſt.* 18. Driedo de captivit. & redempt. generis humani *tract.2. cap.2. par.3. art.4.* & aliqui alij relati, & ex profeſſo rejecti à Suarez *diſp.41. ſec.2.* & Vaſquio *diſput.77. cap.1.* & 2.

5. Quoad bona ſecundi generis, ut ſunt habitus virtutum per ſe infuſarum, dona Spiritus Sancti; auxilia data ad perſeverandum & benè operandum, ipſaque bona opera meritoria augmenti gratiæ & gloriæ, vix eſt ulla ſpecialis controverſia in re, in modo tamen, ideſt circa meritum Chriſti immediatum, vel mediatum, non omnes conveniunt; nam aliqui volunt ex immediato Chriſti merito dari ſolam primam gratiam juſtificantem, auxilia actualia & reliqua talem gratiam conſequentia dari immediatè ad ejuſdem exigentiam, & ex merito Chriſti duntaxat mediatè. indicat hunc dicendi modum Gabriel à S. Vincentio *diſp.19. dub.8. §.6.* Aliqui è contra immediato Chriſti merito tribuunt ipſum etiam augmentum gratiæ & gloriæ, adeò ut Chriſtus moraliter & meritoriè influat non ſolùm in opera, quibus nos tale augmentum promeremur, ſed & immediatè in ipſius augmenti collationem, ita Hoſius in confeſſione Polonica *cap.73.* Vega in Tridentinum *lib.15. c.4. & ſeqq.* & aliqui alij, quos refert, & tanquam ſatis piè ac probabiliter loquutos commendat Suarez *diſp.41. ſec. 3. §. ſecundo modo.*

6. Quoad bona tertij generis, ut ſunt æterna ad gloriam prædeſtinatio ſive electio, & ejuſdem prædeſtinationis executio, tres ſunt diverſæ ſententiæ. Prima tribuit meritis Chriſti ſolam æternæ prædeſtinationis ad gloriam, & conſequenter etiam ad gratiam, executionem; ita Scotus *in 4. diſt.19. quæſt.un. §. In iſta quæſtione.* Lychetus *ibid.* Maſtrius *diſp.3. quæſt.13. art.1.* cæterique Scotiſtæ paſſim, & qui cum ipſis ſentiunt electionem prædeſtinatorum ad gloriam fuiſſe factam antè præviſionem, tum originalis, tum meritorum Chriſti. Secunda non executionem tantùm, ſed & electionem hominum ad gloriam tribuit Chriſti meritis; ita cum Thomiſtis plures Recentiores, & ferè quicumque ſtatuunt hominum prædeſtinationem poſteriorem præviſione originalis & prædeſtinatione Chriſti. Tertia veluti & media duplicem electionem diſtinguit, aliam abſolutam ac materialem, aliam comparativam ac formalem; & illam, non iſtam, tribuit Chriſti meritis; ita ex Recentioribus Suarez *hic diſp.41. ſec.4. §. Dico tertiò.* & Lugus *c.p. lib.1. diſp.41. cap.3.* ex Scotiſtis Vulpius *3. p. tom.1. diſp.38. art.8.* & Aretinus *in 3. diſt.19. articul 5.*

Sic breviter expoſita juxta varios varia œconomia ut ita dicam meritorum Chriſti non erit admodùm difficile ſtatuere, quid de ea ſentiendum ſit ſuppoſitis ſupponendis circa motivum, & ordinem præſentis decreti Incarnationis, circa hominum prædeſtinationem, & ſimilia. Sit igitur.

---

§. I.

Utrum Chriſtus meruerit aliquid Angelis & primis Parentibus in ſtatu innocentiæ.

Assert. 1. Chriſtus non meruit Angelis gratiam aut gloriam eſſentialem: Non item meruit gratiam primis Parentibus in ſtatu innocentiæ. Aſſertum procedit de gratia & gloria non ſolum quoad electionem, verùm etiam quoad executionem, & ipſum tradunt paucis exceptis quicumque ſtatuunt Incarnationis decretum primariò factum in peccati remedium, & poſt originalis præviſionem, imò etiam aliqui ex ijs, qui idem decretum originalis præviſioni præponunt, ut conſtat *ex præced. num.2.* & 3. & videre eſt apud Auctores, qui magis ex profeſſo rem hanc tractant, ut in præſenti præſtant ex ijs; quos ſequimur. Gonetus *diſput.14. articul.4.* & Vaſquez *diſput.49.* ex Adverſarijs Suarez *diſput.42. ſec.1.* & Amicus *diſput.26. ſec.13.* ex problematicis Maſtrius *diſput.3. quæſt.13. articul.2.* 7.

Probatur primò: Deſtinata fuit imò & præviſa collata tum Angelis gratia & gloria eſſentialis, tùm primis Parentibus gratia ſtatus innocentiæ, antè præviſionem meritorum Chriſti, ergo Chriſtus non meruit Angelis gratiam &c. & quidem non ſolùm ut deſtinatam ſeu quoad electionem, ſed neque ut collatam ſeu quoad executionem: Antecedens ſupponitur ex eo, quod *præced. lib 1. cap.7.* latè oſtenſum eſt præviſionem originalis fuiſſe antè decretum Incarnationis, ac per conſequens antè præviſionem futuritionis Chriſti & meritorum ejus, cum enim aliundè certum ſit fuiſſe præviſam in Angelis gratiam & gloriam, in primis Parentibus gratiam antè præviſionem originalis, conſequens eſt à fortiori illam utramque fuiſſe antè præviſionem meritorum Chriſti: Conſequentia probatur, quia non potuit Chriſtus mereri illud, quod tum in ordine intentionis, tum in ordine executionis, fuit à Deo volitum & præviſum independenter ab ejus meritis, & licet merita poſſint exercere ſuam cauſalitatem, antequam ſint actu præſentia, non tamen antequam ſint futura. Chriſtus non meruit Angelis gratiam & gloriam eſſentialem.

Dices hoc argumentum in primis nullam habere vim contra Auctores negantes præviſionem originalis fuiſſe ante decretum Incarnationis, aut cum Amico, & alijs nonnullis Auctoribus Societatis, id concedentes duntaxat de præviſione originalis conditionata, non de præviſione abſoluta; apud reliquos deindè Auctores poſſe idem argumentum facilem habere ſolutionem, ſi vel ponatur Chriſtus meruiſſe Angelis gratiam & gloriam ut

ſecundò,

ſecundò, non ut primò conceſſam; vel dicatur Adæ peccatum aut fuiſſe poſterius peccato ac non tota via Angelorum, aut fuiſſe tali peccato poſterius tempore, non naturâ, & à dæmonis ſuggeſtione non dependiſſe, aut dependiſſe à ſuggeſtione dæmonis præviſi tamē ſolùm ut exiſtentis ipſo ſuggeſtionis tempore, non ut creati & conditi ſimul cū alijs Angelis in gratia, juxta varias ſententias de quibus ſuprà *n.3.*

8. Sed contra: Ad primam inſtantiæ partem dico nos alibi probaſſe abſolutam originalis præviſionem antè decretum Incarnationis, nec teneri impugnare Adverſarios ex proprijs ipſorum principijs, ſufficit ſi illos impugnemus ex noſtris alibi probatis, & iterum ex doctrina alibi tradita probandis, quoties negentur.

Neque ut ſecundu conceſſam.

Ad ſecundam partem dico conceſſionem illam ſecundò factam nulli bono inſervire & gratis induci, imò cum aliqua repugnantiæ ſpecie, quia titulus puræ liberalitatis excludit omnem titulum remunerationis; gratia igitur primò conceſſa purè liberaliter non poteſt ſecundò concedi ex meritis, niſi revocetur decretum primæ conceſſionis, quod repugnat.

Neque quoad augmentum, & perſeverantiæ donum.

Peccatum Adæ non fuiſſe poſterius totâ viâ Angelorum eſt contra communem Scholaſticorum ſenſum, nec ullatenus veriſimile eſt Luciferum relicto prælio cum Michaele in Cœlis ad hominem tentandum divertiſſe, & fuiſſe quodammodò magis ſollicitum de hominibus, quàm de bonis An-

9. gelis vincendis. Idem peccatum, aut à Luciferi alteriuſvè mali Angeli ſuggeſtione non dependiſſe, aut pro tunc Luciferum fuiſſe præviſum ut tentantem abſque eo, quod fuerit præviſus antecedenter ut creatus & conditus in gratia, multo magis eſt contra communem ſenſum, & primum quidem licet de poſſibili non repugnet, de facto eſt contra expreſſa ſcripturæ teſtimonia affirmantia malitià diaboli peccatum in mundum introiſſe, & ſub ſerpentis ſpecie dæmonem tentatorem latuiſſe, ſecundum involuit quamdam divinorum decretorum, ut ita dicam, inverſionem, & quaſi retrogradum præſcientiæ modum nulli poſitivo fundamento innitentem, & vix ſubtiliore nimis ratiocinio negativè propugnabilem in Deo de potentia abſoluta, ut magis expendit Arriaga *præcitat. ſec. tertia, ſubſec.2.* & 3.

10. Probatur ſecundo varijs ſcripturæ, & Patrum auctoritatibus: & ex ſcriptura quidem tres potiſſimùm ſolent afferri: Primò *ex Matth.*18. & Luc.15. Parabola Paſtoris relinquentis nonaginta novem oves in deſerto, ut quærat & ſaluet centeſimam quæ perierat, ubi Sancti Patres ſolent intelligere Chriſtum, qui relictis Angelis in Paradiſo venit in mundum ad quærendam naturam humanam & merendum ipſi ſoli ſalutem: Secundò *ex Heb.* 2. ubi omnes ſanctificati per Chriſtum dicuntur eſſe ex uno, ideſt unius naturæ; vocantur item pueri & Fratres Chriſti, quod ægrè poteſt Angelis accommodari Tertiò ex *Apocal.*7. ubi deſcribuntur homines & Angeli dicentes laudem, & agentes gratias; iſti quidem ſoli Deo, Illi Deo & Agno, ſeu Deo & Chriſto, quod denotat Angelos ſanctificationem & gloriam eſſentialem à ſolo Deo recognoſcere, non à Deo & Chriſto, ſicut homines. Ex Patribus omnes illæ, quibus tradunt Chriſtum veniſſe in mundum primariò, aut unicè, ut Redemptorem, & paſſum fuiſſe ac mortuum pro ijs, quibus ſanctificationem meruit; at non venit Chriſtus ad redimendos Angelos, ut perſpicuum eſt conſideranti & eleganter expreſſit Gregorius *lib 28. Moral; cap.6.* dicens *Incarnationis Myſterium & ipſi Angeli mirati ſunt, qui eodem Myſterio redempti non ſunt.* Non fuit item pro Angelis paſſus & mortuus, quia Chriſtus ut infertur ex 2. *Cor.*5. mortuus eſt corporaliter pro ijs, qui per peccatum erant mortui ſpiritualiter, at Angeli ſancti nunquam fuerunt per peccatum mortui, & mali qui fuerunt per peccatum mortui nunquam poſteà fuerunt ſanctificati undè eſt egregius ille diſcurſus D. Bernardi *ſerm. in fer. IV. hebdomadæ ſanctæ* dicentis *Paſſio Domini data eſt, quia alteri dari non potuit: Nunquid Angelo? Sed ille non eguit: Numquid diabolo? ſed ille non reſurgit.* Hiſce 11.
auctoritatibus accedunt vehementes congruentiæ, & duæ præcipuè, quibus etiam abſtrahendo ab Incarnatione voliñâ poſt prævisionem originalis ſuadetur Angelos non habuiſſe gratiam & gloriam eſſentialem ex Chriſti meritis. Primà: Non congruit eos, qui glorificantur per Chriſtum & ex Chriſti meritis, glorificari antè conſummatam paſſionem & glorificationem Chriſti, undè antiqui Patres, qui Chriſtum præceſſerunt ſolùm in Chriſti Aſcenſione conſecuti ſunt præmium gloriæ eſſentialis: At Angeli fuerunt glorificati non ſolùm antè Chriſti paſſionem, & conſummatam glorificationem; verum etiam antè ipſam Incarnationem, imò antè Adæ peccatum. Secunda: non congruit Chriſtum non eſſe Judicem eorum, quibus eſt caput, & cauſa meritoria in ordine ad gloriam eſſentialem; at ex D. Thoma infrà *quæſtion.59. articul.6.* Chriſtus in fine mundi non eſt futurus Judex Angelorum quoad præmium eſſentiale; ergo.

Dices prææallata Scripturæ loca habere varias ex ipſiſmet Sanctis Patribus interpretationes; & in univerſum aliud eſſe loqui de ſanctificatione præcisè, aliud de ſanctificatione redemptiva & remiſſiva peccati; de hoc poſteriore ſanctificationis modo poſſe commode intelligi omnes auctoritates ad ſolos hominea limitantes ſanctificationem habitam ex Chriſti meritis, nec deeſſe alias auctoritates de priore ſanctificatione procedentes, & ſuadentes etiam Angelos accepiſſe illam ex Chriſti meritis, deducitur hoc *ex Epheſ.*1. ubi Chriſtus dicitur *inſtaurare omnia, quæ in Cœlis ſunt, & quæ in terra:* ex Coloſ.1. ubi Chriſtus dicitur *pacificare per ſanguinem Crucis ſuæ, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt:* ex Apocal. 12. ubi poſt deſcriptum prælium bonorum Angelorum cum Dracone ſeu Lucifero dicitur *& ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni.* ex Rom.5. Gratia Chriſti *in plures abundavit*, quàm Adæ, peccatum, non abundaſſet autem in plures, niſi abundaſſet ſimul in homines & Angelos. Clariora ſunt teſtimonia 12.

Auctoritates Adverſariorum pro ſanctificatione, & gratiâ Angelorum ex Chriſti meritis.

ex

ex Sanctis Patribus, nam Gregorius *in lib.* 1. *Reg.cap.*1.exponens illa verba *Neque enim eſt alius extra te* ait *Quia unigenitus Dei Deus eſt, extra eum non eſt aliquis* (loquitur autem etiam de Angelis, quia paulò antè dixerat etiam Angelos ſanctificatos fuiſſe in filio Dei) *quia nemo electorum niſi in ipſo eſt, quod ſic refertur ad divinitatem, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet.* Fulgentius *lib.*5.*ad Traſimundum* loquens de virtute Filij Dei ait *Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, qua lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare, una eſt in utroque gratia operata, in hoc ut reſurgeret, in illo ne caderet.* Cyrillus Alexandrinus *lib.*4.*in Iſa. cap.*54 exponens illa verba *latare ſterilis* ait de Chriſto *Per ipſum enim omnis fructificatio ſpiritualis, tum in Sanctis Angelis, tum in nobis ipſis inſita eſt.* Tandem D. Thomas *lec.* 10. *in Joannem* exponens verba illa Jo 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* ait *ſcilicet omnes Apoſtoli, Patriarchæ, & Prophetæ, & juſti qui fuerunt ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Et infrà ſubdit *plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Cui conforme eſt, quod *hic q* 7. *art.*9. *in c* docet gratiam fuiſſe collatam Chriſto *tanquam cuidam univerſali principio in genere habentium gratiam.*

13. Sed contra: Si teſtimonia pro aſſerto adducta varias, & alias interpretationes non admitterent, rem redderent de fide certam, quod non contendo; ſufficit mihi, quod eam multum corroborent, & quod interpretationes noſtro faventes intento congruentiores, receptioreſque ſint. Sanctificationem aliam eſſe præcisè talem aliam eſſe redemptivam & remiſſivam peccati, verum eſt ſimpliciter, at falsò aſſumitur Chriſtum veniſſe propter ſanctificationem etiam præcisè talem, & etiam hanc aliquibus, ideſt bonis Angelis meruiſſe; pro quo ſiſtendo in auctoritatibus recurrunt huc illæ omnes quibus *præced.lib.*1. *cap.*7. *numer.*15.16. & 24 probabamus peccati remedium & hominum redemptionem fuiſſe potiſſimum, imò unicum Incarnationis motivum. Occurro jam auctoritatibus Adverſariorum.

14. *Occurritur auctoritatibus Scripturæ.* Ad *Epheſ* 1. dico Chriſtum inſtauraſſe ea, quæ in Cœlis, tum merendo inſtaurationem accidentalem Angelis bonis, tum per homines redemptos reintegrando ruinas & replendo ſedes Angelorum malorum. Ad *Coloſ.* 1. dico Chriſtum pacificaſſe ea, quæ in Cœlis, conciliando homines cum Deo, & cum bonis Angelis, non conciliando Angelos cum Deo aut inter ſe. Ad *Apocal.* 12. dico verborum contextum, quæ de ijs qui vicerunt &c. ſubditur: *& non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem* evincere ly *qui vicerunt* referri ad victoriam non bonorum Angelorum in Cœlis præliantium contrà Luciferum, ſed hominum pravas Luciferi tentationes in terris ſuperantium. Ad *Rom.*5. dico ly *in plures* non ſumi comparativè, ſed abſolutè prout idem ſonat ac *in multos* vel ſi ſumitur comparativè, ſed abſolutè, prout idem ſonat ac *in multos*; vel ſi ſumitur comparativè Adæ peccatum ibi ſupponere pro ſpeciali peccato idololatriæ, non pro originali transfuſo in omnes Poſteros; prima interpretatio eſt Divi Thomæ, ſecunda eſt D. Ambroſij apud Gonetum *præcit.art.*4. *num.*88.

Procedo jam ad auctoritates Sanctorum Patrum, ex quibus Gregorius, dum dixit Angelos juſtificatos ſeu ſanctificatos eſſe in Filio Dei, loquitur de Filio Dei ut Deus & Verbum eſt, non ut eſt ſimul homo & Chriſtus; ly deindè *Nemo electorum* vel procedit ſolùm de hominibus, vel certè non adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè & quantùm ad homines referendum eſt ad verba ſequentia de non evacuando humanitatis intellectu. Fulgentius docuit unam in utroque, ideſt in Angelo ſtante, & in homine lapſo, gratiam operatam eſſe, non quia reſpectu utriuſque fuerit gratia Chriſti, ſeu ex Chriſti meritis, ſed quia gratia Dei & gratia Chriſti ſunt una & eadem in ratione doni ſupernaturalis contradiſtincti à dono creationis. Cyrillus intelligendus eſt cum diverſa & accommoda diſtributione, adeò ut relatè ad Angelos vel Chriſtus ſumatur ſecundùm ſolam divinitatem, vel fructificatio ſupponat pro ſola fructificatione accidentali, quamvis relatè ad homines Chriſtus ſumatur etiam ſecundùm humanitatem, & fructificatio ſupponat etiam pro ſubſtantiali ſeu eſſentiali. 15. *Occurritur auctoritatibus Sanctorum Patrum.* D. Thomas intelligendus pariter eſt cum diſtributione accommoda adeò ut de plenitudine Chriſti acceperint quoque Angeli, at ſolam gratiam accidentalem, homines etiam eſſentialem: Item Chriſtus ſit cauſa omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis, at omnium ſimpliciter in hominibus lapſis; omnium accidentalium Incarnationis decretum ſubſequentium in Angelis & Proto Parentibus antè lapſum: Nec quidquam ampliùs requiritur ad hoc, ut Chriſtus ſit univerſale principium in genere habentium gratiam. 16. *Expenditur ſingillatim mens S. Thomæ.* Præter quod dici poteſt Chriſtum eſſe principium & cauſam omnium gratiarum in actu primo, quatenus ejus opera ſuo valore morali adæquant omnes prorsùs gratias in omnibus intellectualibus creaturis reperibiles; cæterùm quoad de facto, & in actu ſecundo, præmemorata verba relatè ad Angelos intelligenda eſſe de ſola gratia accidentali habetur ex eo, quod ipſemet S. Doctor hoc expreſsè tradidit alibi, nam *de verit quæſt.* 29. *articul.*7. *ad* 5. ait *Angeli non ſunt viatores quantùm ad præmium eſſentiale, & ideò quantùm ad hoc nihil eis meruit Chriſtus, ſunt verè aliquo modo viatores reſpectu præmij accidentalis, in quantum nobis miniſtrant, ad quod valet eis meritum Chriſti.* Item *in* 2. *diſtinct. nona, quæſt. prima, articul. octavo, ad ſecundum*, probando operationem hominis eſſe operatione Angeli efficaciorem ad merendam vitam æternam, affert rationem hanc inter alias, *Quia*, inquit, *operatio hominis fundatur in merito Chriſti, non verò operatio Angeli.*

Porrò ſi quis, aut majorem copiam, aut accuratiorem diſcuſſionem auctoritatum in præſenti controverſia deſideret, conſulat pro 17.

contraria

contraria controverſiæ parte Suarium, pro noſtra Vaſquium: Ego quidem fateor eas tot eſſe pro parte utraque, & tam varias, ut ſi ſolis auctoritatibus hujus loci proprijs agendum eſſet, vix non hærerem anceps & problematicus; at ſupponendo aliundè Incarnationis decretum originalis prævisione poſterius, doctrinæ cohærentia problema dirimit, meque efficaciter urget in partem ſuprà aſſertam.

Neque dicas partem ſuprà aſſertam non cohærere cum alia doctrina, qua nos ipſi in tract. de Angelis *lib.3. cap.4.* §.5. & iterum in tract. de virtut. Theolog. *lib.1. cap.7. paragrapho* 4. admiſimus in Angelis viatoribus

18\. Fides Incarnationis in Angelis viatoribus ſpectabat ad gratiam accidentalem.

fidem Incarnationis futuræ & Christi venturi. Contra enim admiſimus talem fidem ut Angelis quodammodò accidentalem, non ut eſſentialem nec ut diſponentem ad habitualem gratiam, aut meritoriam eſſentialis gloriæ.

Urgebis: Vel fidem Incarnationis futuræ habuerunt Angeli ex Chriſti meritis, vel non. hoc ſecundum dici non poteſt, quia nimis incongruè diceretur habuiſſe Angelos fidem Chriſti, & non habuiſſe ipſam ex meritis Chriſti: Si primum dicatur, ergo Chriſtus aliquid Angelis viatoribus meruit non obſtante Incarnationis decreto habito poſt præviſum originale, & ſimul poſt præviſam completam ac perfectam Angelorum viam; ergo non obſtante eodem decreto potuit quoque Angelis mereri gratiam &

Fuit ex Chriſti meritis.

gloriam. Sed contra: tranſeat Angelos habuiſſe Incarnationis fidem ex Chriſti meritis, at quia, ut jam dixi, talis fides fuit Angelis accidentalis, & non per ſe neceſſaria ad ipſorum gratiam & gloriam, ex ea infertur ſolùm, quod Chriſtus meruerit Angelis aliquid accidentale, & decretum Incarnationis, quamvis fuerit poſt præviſam viam completam quoad eſſentialia, ideſt quoad meritum habitualis gratiæ & eſſentialis gloriæ, non ideò neceſſe eſt, quod fuerit poſt præviſam viam completam etiam quoad omnia accidentalia. Neque adhuc urgeas: Fides futuræ Incarnationis fuit in Angelis meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ eſſentialis; nam fuit tali augmento prior & habuit alia omnia requiſita ad illud merendum, cum fuerit actus liber & elicitus ab Angelis exiſtentibus in via & in gratia; ergo ſi Chriſtus meruit Angelis illam fidem

19\. Fuit meritoria ſolius gloriæ accidentalis.

meruit ſimul gratiam & gloriam eſſentialem, ſaltem quoad augmentum. Contrà enim: nego antecedens, & dico in Angelis fidem futuræ Incarnationis, qua talem fuiſſe ſolùm meritoriam accidentalis gloriæ; & licèt reſpectu augmenti gratiæ, fuerit prior tempore, non potuit eſſe prior cauſalitate, quia in ordine divinorum actuum fuit volita & præviſa poſt volitum & præviſum totum augmentum gratiæ habitualis, & gloriæ eſſentialis; adeò ut, quantùm ad rem præſentem pertinet, voliti primò & præviſi ſint Angeli condendi in gratia, ad quam ſe diſpoſuerint per fidem aliorum Myſteriorum, puta Dei exiſtentis, remuneratoris, & Trini; & in tali fide perſeverando promeruerint gratiæ & gloriæ augmentum. Secundò præviſi ſint Angeli boni evecti ad gloriam, Angeli mali detruſi in damnationem. Tertiò præviſum ſit originale peccatum ex malorum Angelorum inſtigatione commiſſum. Quarto in remedium originalis ſit volita Incarnatio, & ex meritis Chriſti venturi ſit decreta revelatio Myſterij Incarnationis facienda Angelis in via, & talis Myſterij fides ab ipſis habenda, tanquam perfectio accidentalis illius ſtatus jam præviſi ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter completi.

Aſſert. 2. Chriſtus meruit Angelis aliqua accidentalia dona gratiæ, & gloriæ: Meruit item aliquam accidentalem gratiam primis Parentibus in ſtatu Innocentiæ. Hoc aſſertum conſequitur partim ad ea, quæ diximus in fine libri præcedentis explicantes, quomodò Chriſtus fuerit caput Angelorum & aliqualiter etiam primorum Parentum in ſtatu innocentiæ; partim ad mox dicta hoc ipſo §. præſertim explicando auctoritates ab Adverſarijs contrà primum aſſertum afferri ſolitas, quarum quidem magna pars vix admitteret ſufficientem explicationem, ſi non ſolùm eſſentialis, ſed nec accidentalis gratia, & gloria, concederetur Angelis ex Chriſti meritis, recolendo igitur jam dicta ſatis ſuperque innoteſcit veritas hoc ſecundo loco aſſerta abſque eo, quod operæ pretium ſit majorem ejus explicationem, aut probationem afferre. 20.

20\. Chriſtus meruit Angelis dona aliqua accidentalia gratiæ, & gloriæ; & meruit illa etiam primis Parentibus in ſtatu innocentiæ.

---

§. II.

Quid Chriſtus meruerit hominibus & ipſis primis Parentibus in ſtatu naturæ lapſæ.

ASSERT. 1. Chriſtus meruit omnibus hominibus, ipſis etiam primis Parentibus poſt lapſum, non ſolùm juſtificationem, & ea quæ juſtificationem comitantur vel ſubſequuntur; ſed ea etiam, quæ juſtificationem præcedunt & ad juſtificationem diſponunt, ſiva proximè, ſive remotè. Ita Scholaſtici communiſſimè, & quamvis olim nonnulli, quorum ſuprà *num.*4. meminimus, circa vltimas particulas oppoſitum ſenſerint, illorum opinionem Suarez *diſp.41. ſec.2.* cenſet non eſſe in ſcholis audiendam, tanquam neque veritati, neque pietati conſentaneam, & Vaſquez *diſputat. 77. capit. 3. numero 9.* ait modò non poſſe ſine nota erroris defendi. 21.

Probatur primò auctoritatibus Scripturæ & Conciliorum, ex quibus plures congerit Vaſquez *diſp. præcit. cap.1. & 3.* ex Concilijs profero ſolum Tridentinum, quod *ſeſſ.6. capit.9.* declarat *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione.* &c. ex ſcriptura ſufficiant duo teſtimonia Apoſtoli, alterum Epheſ.1. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus*

Chriſtus meruit nobis etiam diſpoſitiones ad juſtificationem prævias, ſiva proximas, ſive remotas.

in Chriſto, ubi nomine benedictionis ſpiritualis quis non intelligat etiam primam vocationem, & quemlibet bonum motum diſponentem ſive proximè, ſive remotè, ad juſtificationem: Alterum 2. ad Tim. 1. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu*, ubi expreſsè traditur gratiam vocationis dati nobis in Chriſto, ly autem *in* ſicut & in priore teſtimonio idem ſonat, ac *per*; & cauſam moralem denotat ex communi Interpretum expoſitione. Et hæc quidem probant maximè poſtremas aſſerti particulas, de quibus, ut monui, fuit olim aliqua etiam inter Catholicos Auctores controverſia, at non proptereà deſunt pro prioribus particulis ſingillatim, ideſt pro ipſa juſtificatione alia ſimilia, imò & clariora teſtimonia; nam Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* expreſsè definit quod *Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua ſanctiſſima paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit* & *Rom. 3.* dicimur *juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Confirmatur totum aſſertum ex eo quòd juxta doctrinam ex D. Thoma relatam *præcedent. numer* 12. Chriſtus eſt cauſa omnium gratiarum, & univerſale principium in genere habentium gratiam, at hoc malè verificaretur, niſi ſaltem in hominibus lapſis omnis prorsùs gratia eſſet ex Chriſti meritis; cumque ex dictis in tract. de Gratia *lib. 2. cap. 1. paragrapho* 4. etiam gratiæ actuales naturalis ordinis, quibus homo lapſus indiget ad cognoſcendum verum naturale, ſint gratia Chriſti ſeu per Chriſtum, utique à fortiori tales ſunt omnes gratiæ ad juſtificationem quomodocumque pertinentes; hinc jure Eccleſia omnes orationes ſeu collectas concludit verbis illis *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, ut denotet quidquid à Deo petitur, eſſe ex Chriſti meritis accipiendum: Hinc etiam D. Bernardus *ſerm. 22. in Cantica* præclarè dixit *Quidquid ſapientiæ, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei ſapientiæ depute Chriſto.*

Multo magis meruit ipſam juſtificationem.

23. *Auctoritates Adverſariorum pro initio ſalutis & applicatione meritorum Chriſti independenter à Chriſti meritis.*

Dices auctoritates hucuſque adductas non eſſe ita univerſaliter, ut nos intendimus, intelligendas, alioqui conciliari non poſſent cum auctoritatibus alijs, & primò non cum eo, quod præcitatis verbis *Rom.* 3. dicimur *juſtificati gratis*, quomodò enim gratis juſtificamur, ſi noſtra juſtificatio etiam quoad primum ſui initium & diſpoſitiones remotas eſt ex Chriſti meritis: Secundò non cum eo, quod habetur Joan. 6 *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, quibus verbis Chriſtus teſtatur, niſi Pater priùs trahat ad fidem, neminem ad ipſum accedere, nemini ipſius merita applicari hinc Auguſtinus *lib. 1. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 5.* ait *Homo quiſque ea gratia ab initio fit Chriſtianus, qua homo ille ab initio factus eſt Chriſtus*; certè autem ille homo ab initio factus eſt Chriſtus non ex ſuis meritis, ſed ex ſola gratioſa Dei voluntate: Tertiò non cum eo, quod habetur Heb. 13. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum*, ubi effectus placendi Deo tribuitur meritis Chriſti, at quod aptemur, & nobis Chriſti merita applicentur ad talem effectum, refertur in ſolum Dei beneplacitum; hinc D. Thomas efficaciam, & applicationem meritorum Chriſti refundit in ſolam voluntatem ac miſericordiam Dei, nam *quæſtio. 29. de verit. articul. 7. ad 4.* ait, quod meritum Chriſti inæqualiter ſe habeat quantùm ad efficaciam, *accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam miſericorditer effectus meritorum Chriſti quibuſdam confertur* & ibidem *ad decimum tertium*, ita habet *Hoc ipſum gratis alicui noſtrum a Deo confertur, quod efficaciam meriti Chriſti conſequatur.* Sed contrà.

Ad primum dico ly *gratis* in noſtra juſtificatione referri ad nos, non ad Chriſtum, ad merita noſtra, non ad merita Chriſti, quæ ſunt nobis extrinſeca; porrò autem gratia non excludit cauſam meritoriam extrinſecam ei, reſpectu cujus eſt gratia; & quod eſt uni gratioſum, benè poteſt eſſe alteri debitum. 24.

24. Occurritur prædictis auctoritatibus.

Ad ſecundum ly *Niſi Pater traxerit* evincit quidem requiri donum & gratiam Dei, ut nos ad Chriſtum per fidem accedamus; at hujuſmodi ratio doni & gratiæ eſt relatè ad nos ipſos, non relatè ad Chriſtum, ut mox de juſtificatione dicebamus Auguſtinus pariter ab ea gratia, qua ab initio fimus Chriſtiani intelligendus eſt merita noſtra excludere, non merita Chriſti; eamque comparat cum gratia, qua ille homo eſt Chriſtus non in eo, quod neutra ſit ex meritis Chriſti, ſed in eo quod neutra ſit ex meritis accipientis, ſeu ejus cui confertur; quod veriſſimum eſt cum Chriſtus nullatenùs ſibi meruerit ſuam gratiam unionis.

Ad tertium ly per Ieſum Chriſtum afficit totam Apoſtoli propoſitionem adeò ut per Jeſum Chriſtum, ſeu ex Chriſti meritis, ſit non ſolùm, quod faciamus Dei voluntatem & Deo placeamus, ſed etiam quòd Deus ad id nos aptet, & D. Thomas efficaciam & applicationem meritorum Chriſti refundens in Dei miſericordiam loquitur relatè ad nos, non relatè ad Chriſtum; adeò ut ad nos tantùm referatur ly *miſericorditer* in reſp. ad 4. & ly *gratis* in reſp. ad 13. alioqui eſſet ſibi ipſi contrarius S. Doctor in eo, quod *eod. art. ad* 8. ait Meritum Chriſti ſufficienter operatur, ut quædam cauſa univerſalis ſalutis humanæ: *ſed oportet hanc cauſam applicari &c. ideò requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti, cujus tamen meritum Chriſti eſt cauſa*

Probatur ſecundò ratione: Chriſtus operatur in nobis juſtificationem, & ſalutem: modo perfectiſſimo; ergo meretur nobis non ſolùm gratiam juſtificantem ſed & diſpoſitiones ejus, ſive proximas, ſive remotas, antecedens patet; quia Chriſtus eſt agens morale & caput noſtrum perfectiſſimum, 25.

ſimum, conſequentia probatur, tum quia agens perfectum non ſolùm inducit formam, ſed ad eam etiam diſponit ſubjectum; tum quia perfectio operandi ſalutem poſtulat ſaltem, ut in ordine ad ipſam non minùs Chriſtus promeruerit, quàm demeruerit Adam; atqui Adam nobis demeruit non ſolùm gratiam juſtificantem, ſed & omnia auxilia ac dona ad ipſam pertinentia; ergo.

Dices eſſe de ratione Capitis, quod influat ſolùm in membra ſibi unita & conjuncta; at nos non ſumus Chriſto tanquam Capiti conjuncti ſine fide; ergo Chriſtus tanquam caput non poteſt in nos influere, ſeu nobis promereri, dona fidem præcedentia, nec fidem ipſam; quod confirmari poteſt ex comparatione adducta inter Chriſtum & Adamum; nam ſicuti Adam fidem nobis non demeruit, ita nec debuit Chriſtus illam nobis promereri; Adam, inquam, fidem nobis non demeruit, quia illud nobis non demeruit, quod ſibi non amiſit; non amiſit autem ſibi fidem, cum non peccaverit peccato infidelitatis: ergo.

26. Sed contrà, Inter alia capitis naturalis à morali diſcrimina ponendum eſt, quod caput naturale poſſit ſolùm influere in membra viva & ſibi conjuncta, morale etiam in mortua & ſeparata ut attigimus in fine libri præcedentis *numero nonageſimoquinto*, & ratio eſſe poteſt, quia caput morale de quo in præſenti habet efficaciam perfectionemque majorem, quàm ullum caput naturale; & prætereà influxus moralis ex genere ſuo non requirit cum paſſo propinquitatem & conjunctionem tantam, quantam influxus phyſicus; nec gratiæ igitur, nec fidei conjunctio cum Chriſto requiritur, ut tanquam caput morale in nos influat, & nobis mereatur. Ad confirmationem non deſunt, qui putent Adamum credidiſſe dicto ſerpentis, peccaſſe peccato infidelitatis, & ſibi ipſi fidem amiſiſſe, ità multi quos refert & ſequitur Vaſquez *diſputatio. ſeptuageſimaſeptima*, *capite quarto*, Sive tamen fidem ſibi amiſerit, ſive non; certè illam, ſicut & auxilia ad credendum, amiſit nobis propter ſpeciale pactum transfundendi in nos omnia ſupernaturalia dona ſibi conceſſa, ſi in originali juſtitiâ perſeveraſſet, nulla ſi peccaſſet.

Cur Adam fidem amiſerit nobis, etiamſi fortè non ſibi.

27. Supereſſet hic probandum in particulari, quòd Chriſtus Dominus omnia præmemorata gratiæ dona promeruerit ipſis etiam primis Parentibus poſt lapſum; at hoc ſufficienter infertur ex eo, quòd fuerit etiam primorum Parentum Salvator & Redemptor à lapſu, & *Apocal. decimotertio*, dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*, non niſi quia ex tunc cœpit applicatio meritorum & effectus mortis Chriſti, adeò ut iſtius pretium & præmium fuerit omnis gratia, quam circa mundi primordia vel primi Parentes poſt lapſum, vel poſteri primis Parentibus propinquiores receperunt: Nec occurrit contrà iſtos difficultas non communis illis omnibus, qui præceſſerunt paſſionem & mortem, aut ſaltem temporalem nativitatem Chriſti, de quorum gratia ex Chriſti meritis triplex poteſt eſſe ratio dubitandi, Prima deſumpta ex natura meriti, quod utpotè cauſa præmij, nequit eſſe poſteriùs præmio, Secunda ex paritate gloriæ, quam nullus ex Chriſti meritis recepit antè conſummatam ejus paſſionem & mortem; Tertia ex Scriptura qua Joan 12. & Coloſ. 2. traditur ſolùm à tempore paſſionis fuiſſe destructum regnum peccati, & diabolum mundumque devictum; quomodò autem hæc longè anteà, & à mundi origine non extiterunt? ſi tunc cœperunt homines habere per Chriſtum juſtificationem, & auxilia gratiæ.

Verùm ad primam jam alibi dictum eſt meritum non poſſe eſſe præmio poſterius cauſalitate, benè tamen tempore, eò quod ſit cauſa moralis, cui ſufficit præcedere effectum ſecundùm futuritionem ſeu exiſtentiam prævisam; nec neceſſe eſt, quod præcedat etiam ſecundùm exiſtentiam actualem & præſentiam phyſicam, ut debet effectum ſuum præcedere cauſa phyſica. 28.

Meritum poteſt eſſe præmio poſterius tempore, non cauſalitate.

Ad ſecundam dico eos, qui Chriſtum præceſſerunt, etiam gloriam potuiſſe ex Chriſti meritis recipere ante Chriſti mortem & quòd de facto receperint ſolùm gratiam referendum eſt præcipuè in voluntatem & beneplacitum Dei, cujus tamen non deeſt magna congruentia ſita in eo, quod ſi gratia ex Chriſti meritis fuiſſet collata ſolùm poſt Chriſtum paſſum & mortuum, omnes qui antè mortuum Chriſtum deceſſiſſent caruiſſent pro ſemper remedio peccati & fructu redemptionis; non ſic ex eo, quod proviſa ab initio ex futuris Chriſti meritis gratia, dilata fuerit poſt meritum morte conſummatum gloria; Neque hæc dilatio ijs, qui in gratia deceſſerant, erat inconveniens, quia erat ad tempus & pœna temporalis, cujus reatus remanere poteſt in peccatore perfectè per gratiam juſtificato, ut ſæpè nunc remanet etiam in nobis, ex quibus plures in gratia mortui privamur ad tempus beatitudine, detenti in purgatorio; multo magis igitur ſine ullo inconveniente poterant eâdem ad tempus, ideſt uſque ad Conſummatam Chriſti mortem privari illi, qui in gratia deceſſerant, quando Chriſtus nondum in executione plenè ſatisfecerat pro totius naturæ debito, & is, qui januam Cœli cæteris aperuerat, nondum erat eam ingreſſus; propterĕaque non congruebat quod ullus eum in tali ingreſſu præcurreret.

Cur antiquis Patribus collata fuerit ex Chriſti meritis gratia non gloria antè Chriſti mortem.

Ad tertiam fateor re ipſa fuiſſe à mundi origine deſtructum peccati regnum & diabolum victum ac vinctum, dici verò id per actum à tempore paſſionis & mortis Chriſti, non quoad rem, ſed quoad manifeſtationem cauſæ, per quam victoria fuit reportata, & pompæ quaſi triumphalis, qua eadem victoria fuit ſolemniter promulgata; quo in puncto plura egregijs Patrum ſententijs illuſtrata videri poſſunt apud Vaſquium *diſput. ſeptuageſimaſeptima*, *cap. ſexto*. 29.

In quo ſenſu ſolùm à tempore paſſionis dicatur deſtructum peccatum, & victus diabolus.

Hûcuſque dicta ſpectant præcipuè ad poſtremas aſſerti particulas, ad ea ſcilicet quæ juſtificationem præcedunt, nunc aliquid addendum eſt de juſtificatione ipſa, & iis quæ juſtificationem ſubſequuntur. Porrò quoad juſtificationem aliqua oritur difficultas ex illo Rom. 4. *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, quibus verbis Apoſtolus inſinuat Chriſtum in juſtificationem noſtram influere ratione reſurrectionis, non igitur influit meritoriè, cum reſurrectio in Chriſto non fuerit meritoria, & Chriſtus *ex capit. præcedent. paragrapho primo*, meruerit ſolùm uſque ad inſtans mortis. Occurritur tamen huic difficultati dicendo aliud eſſe quod Chriſtus influat in juſtificationem noſtram ratione reſurrectionis, aliud quod influat ratione reſurrectionis ſolius, hoc ſecundum faceret quidem difficultatem, at falſum eſt; influit igitur Chriſtus in juſtificationem noſtram, tùm ratione paſſionis & mortis in genere cauſæ meritoriæ, tum ratione reſurrectionis in genere cauſæ exemplaris; & ly *propter* in verbis relatis denotat cauſalitatem exemplarem quâ Chriſtus in reſurrectione rediens ad novam vitam gloriæ reliquit nobis exemplar redeundi ad novitatem juſtitiæ, ut præclarè explicat Divus Thomas infra *quæſtio. quinquageſimaſexta, artic.* 1. *ad* 4. & in capit. 4. ad Rom. *lec.* 5.

30. Quoad ea quæ juſtificationem ſubſequuntur definiendum eſt breviter, utrum tum auxilia gratiæ actualis quibus juſtus benè operatur, tum augmentum gratiæ habitualis quod benè operando conſequitur, cadant ſub meritum Chriſti immediatum, an mediatum dumtaxat? juxta varios dicendi modos inſinuatos ſupra *num.* 5. Et quidem quoad auxilia poſſunt hæc conſiderari primò indeterminatè & vagè, abſtrahendo ſcilicet ab eo, quod efficacia ſint, vel ſufficientia, data in hac vel illa occaſione; ſecundo determinatè & in particulari, puta ut efficacia ſunt & data in tali occaſione, ad tale opus: Primo modo ſunt connaturaliter debita juſto ex vi gratiæ habitualis, ſecus ſecundo modo; ideò primo modo concedi poteſt, quod cadant ſub meritum dumtaxat mediatum, quo Chriſtus immediatè merendo gratiam juſtificantem mediatè meruit quidquid eidem gratiæ connaturaliter debetur, at ſecundo modo omninò cadunt ſub meritum Chriſti immediatum, & quia in re dantur ſemper ſecundo modo, dicendum ſimpliciter eſt auxilia actualia, quibus juſtus benè operatur dari non ex mediato tantùm, ſed ex immediato Chriſti merito; unde fit ſub immediatum quoque Chriſti meritum cadere ipſa bona opera, quibus juſtus conſequitur augmentum habitualis gratiæ. Utrùm deinde hoc augmentum Chriſtus mereatur ſolùm mediatè, & eo ſolo merito, quo meretur gratiam actualem coefficientem, & primam gratiam habitualem condignificantem merita cujuſlibet juſti; an verò etiam alio merito immediatè terminato ad augmentum ipſum? major eſt ratio dubitandi, in quâ Auctores docentes opera juſtorum, qui ſunt

Chriſtus meretur juſtis immediatè non mediatè tantum auxilia gratiæ actualis.

mēbra Chriſti referri ex hoc præciſè ad majus præmium, & obtinere majus gratiæ augmentum, hoc augmentum ſaltem quatenus majus cohærēter tribuent immediato merito Chriſti, adeóq; habēt ſpecialem titulum ſuſtinendi meritum Chriſti immediatè terminatū ad gratiæ augmentum, at hujuſmodi titulus non cohæret noſtris principijs, quibus in tractatu de Gratia *libro quarto capite ſeptimo, paragrapho ſecundo*, tradidimus nihil ad majus præmium conferre operibus noſtris, quod fiat per Chriſtum, & habeant cum ipſo, tanquam cum noſtro capite morali, quandam ſpecialem conjunctionem; ſi igitur noſtris bonis operibus nihil Deus retribuit, quod non retribueret circumſcripto immediato Chriſti merito, videtur fruſtrà excogitari & perperam induci tale meritum immediatè terminatum ad præmium noſtrorum bonorum operum, ideò cenſeo illud vel eſſe ſimpliciter negandum, vel eſſe admittendum non relatè ad præmium ipſum, ſed relatè ad promiſſionem præmij, adeò ut quod Deus conferat bonis operibus hominis juſti tot gradus augmenti gratiæ non ſit ex immediato merito Chriſti, benè verò quod illos gradus conferre promiſerit, & conferat etiam ex vi propriæ promiſſionis: Porrò in hunc poſtremum dicendi modum valdè me pertrahunt, tum verba Tridentini *ſeſſione ſexta, capite decimo ſexto*, dicentis, quod *benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*, tum aliquæ aliæ ſimiles auctoritates, quas videre eſt apud Suarium *diſputatio. quadrageſima prima. ſectione tertia*, § *Oportet tamen*. 31.

At non eodem modo meretur illis immediatè augmentum gratiæ habitualis.

Aſſertum 2. Chriſtus meruit omnibus hominibus, & ipſis primis Parentibus remiſſionem peccatorum, non ſolùm quoad culpam, verùm etiam quoad pœnam. Eſt veritas pertinens ad fidem contrà errores eorum, qui vel Chriſtum nihil alijs meruiſſe, vel non pro omnibus mortuum fuiſſe, vel quid ſimile, docuerunt. 32.

Probatur prima pars, imò ſequitur ex probatione aſſerti præcedentis, juſtificatio enim poſitiva per gratiam non fit in peccatore ſine juſtificatione negativa, quæ conſiſtit in remiſſione peccati quoad culpam; ſi igitur Chriſtus nobis meruit juſtificationem poſitivam & gratiam juſtificantem, conſequens eſt quod ſimul meruerit juſtificationem negativam & remiſſionem peccatorum quoad culpam: & prætereà propter affinitatem ſatisfactionis cum merito recurrunt pro aſſerta veritate ea omnia, quæ ſuprà *capite ſecundo, paragrapho primo, & quarto*, dicebamus circa condignitatem & univerſalitatem ſatisfactionis Chriſti. Tandem, quia peccati remedium ſatisfactione & merito peccatum eſt, quidquid *præcedent. libro primo, capit ſeptimo*, attulimus pro Incarnatione

Chriſtus meruit omnibus remiſſionem peccatorum quoad culpam.

facta

facta in peccati remedium, evincit Christum meritis ſuis conſuluiſſe noſtris peccatis, & nobis meruiſſe ipſorum remiſſionem ſaltem quoad culpam, ut etiam a fortiori mox conſtabit ex merito remiſſionis eorumdem quoad pœnam. Ideò

33. Item quoad pœnam. Probatur ſecunda pars ex Scriptura Epheſ. 1. *Gratificavit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ſuæ, quæ ſuperabundavit in nobis.* 1. Ioan. 1. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato*; remiſſio autem facta ſecundùm divitias gratiæ ſuperabundantis importat remiſſionem omnis prorsùs reatus, non ſolius reatus culpæ; emundari item importat non ſolius culpæ, ſed & pœnæ remiſſionem, unde animæ in purgatorio dicantur purgari, quod idem eſt ac emundari, quamvis indigeant ſolùm pœnæ remiſſione. Confirmatur ratione: Vel ſermo eſt de pœna æterna, vel de pœna temporali: Si de pœna æternâ, hujus remiſſionem, aut transmutationem in pœnam temporalem, promeruit Christus eo ipſo, quod meruit remiſſionem quoad culpam, cum iſta remiſſio ſine illa non fiat: Si de pœna temporali, hujus etiam reatus impedit ingreſſum Cœlorum & conſecutionem beatitudinis, Christus autem nobis Cœlos aperuit & promeruit beatitudinis conſecutionem. Deinde media, quibus talis pœnæ remiſſionem obtinemus, ſunt Sacramenta, Indulgentiæ, & noſtra bona opera præſertim pœnalia; atqui hæc omnia involvunt Chriſti meritum, nam Sacramenta ſunt inſtrumenta Chriſti, & præſtant in nobis ſuos effectus ex opere operato, quod eſt idem ac dicere ex opere & merito, quod operatus eſt Chriſtus: Indulgentiæ ſunt diſpenſationes & participationes theſauri Eccleſiæ, qui conſurgit potiſſimùm ex Chriſti meritis: noſtra bona opera, ut ſint apud Deum ſatisfactoria, debent eſſe ex gratia, quæ in nobis tota eſt per Chriſtum; habent item ſatisfaciendi infallibilitatem ex acceptatione ſeu promiſſione divinâ, quæ juxta doctrinam poſitam *præcedent. numero trigeſimoprimo*, jure cenſetur cadere ſub immediatum Chriſti meritum; ergo à primo ad ultimum meruit Chriſtus omnium noſtrorum peccatorum remiſſionem, etiam quoad omnem pœnam.

Dices, hac ratione meritum Chriſti in ordine ad peccatorum remiſſionem excluderet, tum omne meritum noſtrum, tum omnem Dei liberalitatem, tum omnem neceſſitatem ſatiſpatiendi in purgatorio; ſi enim remiſſio peccatorum etiam quoad totam pœnam habetur ex Chriſti merito nihil in ea eſt, quod correſpondeat, aut merito noſtro, aut libertati Dei, aut ſatiſpaſſioni in purgatorio.

34. Quomodò id non excludat, aut noſtra merita, aut Dei liberalitatē. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ partem propter proportionem ſatisfactionis cum merito reperi poteſt ſolutio ex dictis *præcedenti capite ſecundo, numero quarto.* Ad ſecundam dico in toto negotio remiſſionis peccati liberalitatem Dei attendendam eſſe relatè ad nos, non relatè ad Chriſtum, conformiter ad ſupradicta *numero vigeſimo quarto.* Porrò ex his duobus habetur non ſolum erraſſe graviſſimè Sectarios, qui *ne merito noſtro*, ut ipſi loquuntur, *obſcuretur meritum Chriſti*, negant noſtris operibus omnem vim meritoriam apud Deum, præſertim reſpectu remiſſionis peccatorum; ſed etiam audiendos nullatenus eſſe Paludanum *in 4. diſtinctione vigeſima, quæſtio. quarta, numero decimo quarto*, & Antoninum *prima parte, titulo decimo, capite tertio, Paragrapho primo*, qui *ne alias*, ut inquiunt, *in nullo eſſet Deus nobiſcum liberalis* negant pœnas temporales nobis ſemper remitti ex merito Chriſti, & quod majus eſt loquuntur de remiſſione, quæ fit in Sacramentis, hincque eorum ſententia abſurdior videtur Suario *præcitata ſectione tertia. Paragrapho, ex quibus infero.* Ad tertiam dico, quòd ſi omnibus Chriſtus applicaret efficaciter ſua merita pro totius pœnæ remiſſione, verè non eſſet amplius ulla neceſſitas, ſicut nec ulla materies ſatiſpaſſionis; 35. Aut neceſſitatem ſatiſpaſſionis in purgatorio.
at Chriſtus ſicut applicat aliquibus ſua merita ſolum ſufficienter pro remiſſione culpæ pœnæque æternæ, & iſti decedunt cum toto peccati reatu in æternum damnati, ità remiſſa culpa applicat aliquibus eadem ſolum ſufficienter pro remiſſione temporalis pœnæ, & iſti decedunt cum reatu pœnæ temporalis, & debito ſatiſpatiendi in purgatorio, & quia ſatiſpaſſio ſe habet, ut rigoroſa ſolutio, non ut remiſſio reſpectu noſtri gratioſa & liberalis, fit quod purgatio reatus per ſatiſpaſſionem habita non tribuatur Chriſti meritis; at non proptereà horum beneficium omninò excluditur à purgatorio, ſed poteſt ibi prodeſſe per modum ſuffragij compenſando ſatiſpaſſionem, & ſi nihil amplius intendit Vega, dum *lib. 15. in Trident. capite decimo*, docet meritum Chriſti animabus purgantibus prodeſſe, ut cum illis remiſſiùs agatur, & circà condignum puniantur, benè procedit; quòd ſi velit remitti iiſdem etiam aliquam pœnam independenter à ſuffragijs Eccleſiæ propter merita Chriſti immediatè applicata ex ſola Dei voluntate, ſine ſufficienti fundamento, & ſine veriſimilitudine loquitur; nec habet, quos viderim, Sectatores.

Aſſert. 3. Chriſtus meruit hominibus 36. Quid de merito Chriſti relatè ad totam humanam prædeſtinationem.
prædeſtinatis prædeſtinationem, tum quoad executionem, tum quoad electionem ad gloriam meruit inſuper hanc electionem non ſolùm ſumptam abſolutè & materialiter, ſed etiam ſumptam comparativè & formaliter. Quoſnam habeat hoc aſſertum propugnatores quoſnam Adverſarios inſinuavimus *præcedent. numero ſexto*, & magis expreſsè attigimus in tract. de Deo uno *lib. quinto, capit tertio, paragrapho ſexto*, ex quo ſicut & *ibid. ex capite quarto, ſequent. paragrapho quinto*, repetendum eſt quidquid remanet deſiderandum, aut circà hujus aſſerti probationem, aut circa prædeſtinationis negotium ejuſque effectus relatè ad Chriſti merita, nobis partim exindè re-

 colendis.

colendis, partim ex mox dictis ſufficiat unum, vel alterum corollarium inſerte.

Infertur igitur primò in præſenti providentia, & ſuppoſito Adæ peccato totum humanæ ſalutis curſum, ideſt primum motum in via & beatam quietem in patria; primum auxilium gratiæ actualis, & ultimam gratiæ habitualis conſummationem, & omnia auxilia intermedia, omnia opera ſalutaria, omnem peccati, ſive quoad culpam ſive quoad pœnam, remiſſionem, omnes prædeſtinationis effectus pendere ex Chriſti meritis. & reſpectu Chriſti, ac gratiæ unionis eſſe gratias pro gratia; quamvis reſpectu noſtri aliqua ex nullo ſint merito, aliqua ſolùm ex merito congruo, & ſolum gratiæ augmentum, gloria, & ea, quæ gratiæ augmentum conſequuntur, ex merito condigno pendeant, & rectè dicantur gratia pro gratia.

37. Explicatur efficientia moralis, ſeu omnimerentia Chriſti, cum proportione ad virtutem phyſicam, ſeu omnipotentiam Dei.

Infertur ſecundò non modicam reperiri proportionem inter virtutem phyſicam omnipotentiæ Dei & virtutem moralem omnimerentiæ Chriſti; nam ſicut Deus ut prima cauſa & mundi conditor efficit ſe ſolo prima rerum principia, & ſimul cum iſtis efficit res alias, quibus tribuit ulteriorem activitatem ad novos effectus propagandos ac perficiendos, & quamvis voluntate antecedenti velit omnes cauſas naturales aſſequi proprios effectus, eiſque ad id provideat ſufficientia comprincipia, permittit tamen juxta varios rerum occurſus unam cauſam ab alia impediri, & non aſſequi in re effectum, aut effectus perfectionem, ita Chriſtus ut Caput morale & mundi reparator, ſe ſolo meretur prima quædam noſtræ ſalutis principia, ideſt prima auxilia, motiones, & illuſtrationes, quæ fiunt in nobis ſine nobis, ideſt nobis, aut nihil operantibus, aut ſaltem nihil adhuc merentibus: Deinde ſimul cum nobis poſt habitam primam gratiam cooperantibus & commerentibus meretur ulteriora auxilia, ulterioreſque gratiæ, & gloriæ gradus: & quamvis voluntate univerſali applicet omnibus ſua merita, & ex his provideantur omnibus auxilia & media, quibus poſſint conſequi perfectam peccatorum remiſſionem æternamque ſalutem, ſinit tamen peragi communem rerum curſum, vi cujus interponuntur varia ſalutis impedimenta, & plures vel ex propria culpa, vel ex aliorum incuria, carent Sacramentorum adminiſtratione, fidei ſuſceptione, aliiſque mediis ad ſalutem neceſſariis, & iſtis propterea Chriſtus dicitur applicaſſe ſua merita ſolùm ſufficienter; reliquis qui in re ſalvantur dicitur applicaſſe ea efficaciter; adhuc tamen inæqualiter, prout inæqualem gloriam conſequuntur; ut magis expendit Eſparza q 41. *art.*1. ubi præmemoratam omnipotentiæ Dei, & omnimerentiæ Chriſti, proportionem eleganter proſequitur.

§. III.

An, & Quomodo Chriſtus meruerit Virgini Genitrici Maternitatem, ſeu Matris dignitatem?

ASSERT. Chriſtus meruit Virgini Genitrici maternitatem, ſeu Matris dignitatem, ſaltem in executione, Ita Scholaſtici ferè omnes adeò ut Amicus *diſputatio. vigeſima ſexta ſectione decima, numero* 208. 38. Chriſtus meruit Virgini maternitatem in executione.
dicat hoc doceri unanimi conſenſu, & opinionem negantem velit eſſe rejiciendam, tanquam contrariam communi; fortè tamen Amicus confundit meritum Virginis cum merito Chriſti; certè D. Thomas, quem ibi refert ſolum de Virginis, non de Chriſti merito loquitur; propterea nonnulli Thomiſtæ, inter quos Gonetus *diſputat.7.articul.3. numer.* 70. quamvis concedant B. Virginem ſuam divinam Maternitatem meruiſſe, negant eandem meruiſſe Chriſtum, & idem ſentire cenſendi ſunt quicunque negant Chriſtum meruiſſe circumſtantias Incarnationem antecedentes Non conveniunt igitur in præſenti aſſerto Scholaſtici tanto conſenſu, quanto in eo, quòd de merito Virginis aſſerimus ſuprà *libro* 1.*capit.* 9. §. 5. & præter Lorcam ibi relatum habemus Adverſarios Gonetum, Gabrielem à S. Vincentio, alioſque nonnullos. Nihilominus aſſertum eo priore loco meritum Virginis non modicam habet vim ad inferendum, quod nunc aſſerimus, meritum Chriſti, ideò

Probatur aſſertum primò: Beata Virgo *ex præcitat.*§.5. meruit ſibi maternitatem in executione, ſeu maternitatis executionem: ergo hanc eandem Beatæ Virgini meruit Chriſtus, conſequentia probatur, hoc ipſum quod eſt Beatam Virginem meruiſſe maternitatem fuit ex meritis Chriſti, omne enim meritum Virginis fuit per actus ex gratia elicitos, & omnis gratia, ex qua Virgo ſuos actus elicuit, fuit gratia Chriſti; ergo omne meritum Virginis, & hoc ipſum, quod eſt maternitatem meruiſſe, fuit ex gratia & meritis Chriſti; atqui in moralibus æquè, ac in phyſicis, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; ergo ſi Chriſtus fuit cauſa meritoria gratiæ, & actuum meritoriè cauſantium maternitatem conſequens eſt, quod fuerit etiam cauſa meritoria maternitatis. 39.

Dices hinc probari in Chriſto meritum maternitatis ſolum mediatum. Sed contrà: ex vi hujus ratiocinij præcisè verè probaretur ſolùm mediatum, at ſemel conſtito, quod Chriſtus aliquo modo maternitatem meruerit, facile eſt probare, quod immediatè meruerit, non duntaxat mediatè; Enimverò, cum meritum Virginis reſpectu Maternitatis fuerit duntaxat congruum, & meritum Chriſti reſpectu cujuſcunque præmij ſit ex genere ſuo condignum, conſequens eſt & virtuti

tuti meritoriæ Chriſti conſentaneum, quod præter meritum mediatum congruum habuerit in maternitatem meritum immediatum condignum.

40. Probatur ſecundò: In ſtatu lapſus, & poſt originalem juſtitiam deperditam, omne privilegium naturæ indebitum eſt ex meritis Chriſti; atqui divina mſternitas in Virgine eſt privilegium naturæ indebitum: ergo eſt ex meritis Chriſti, minur patet, quia divina maternitas ſpectat ad ordinem hypoſtaticum, qui eſt ſuprà ordinem habitualis gratiæ, nedum ſuprà ordinem naturæ; quidquid autem eſt ſupra naturam eſt indebitum naturæ: Major probatur, quia dignitas Auctoris gratiæ, & prærogativa Capitis univerſalis, cujuſmodi eſt Chriſtus reſpectu naturæ humanæ in ſtatu lapſus, poſtulat, ut omne donum indebitum, & omnis gratia ex ipſo profluat, undè alibi diximus auxilia actualia, etiam ordinis naturalis, eſſe ex Chriſti meritis, quoties ſunt naturæ lapſæ gratioſa, & indebita.

Dices: eodem modo probaretur gratiam unioois eſſe ex Chriſti meritis, cum & ipſa ſit donum naturæ maximè indebitum, & poſt originalem juſtitiam deperditam collatum: Quod ſi reſpondeas unionem hypoſtaticam eſſe priorem meritis Chriſti & principium ipſorum, ideò ne inducatur mutua cauſalitas & principium meriti cadens ſub meritum, eſſe ſpecialem neceſſitatem negandi, quòd Chriſtus eam meruerit. Impugnaberis ex eo, quia multò magis ex Chriſti meritis prior maternitas, ratione cujus Beata Virgo fortè eſt inſtrumentum phyſicum obedientialiter efficiens ipſaminet unionem hypoſtaticam; & certè eſt principium generativum humanitatis, à qua hypoſtaticè Verbo unita proceſſit

41. Chriſti meritum. Sed contrà: ratam habeo reſponſionem inſtantiæ interpoſitam, ad cujus impugnationem dico maternitatem eſſe prioritate temporis, non prioritate cauſalitatis multò priorem meritis Chriſti, quàm ſit unio hypoſtatica; non enim ſicut unio hypoſtatica, ita & maternitas dignificat ac reddit meritoria Chriſti opera. Ad impugnationis probationem dico Beatam Virginem non habere de facto efficientiam inſtrumentalem phyſicam reſpectu unionis hypoſtaticæ, & quando eam haberet, non haberet ratione maternitatis, quia hæc fundatur in generatione activa, ſeu actione vitali; efficientia autem inſtrumentalis phyſica unionis hypoſtaticæ ſi daretur, non eſſet vitalis, ut ſuppono *ex præced. lib.* 1. *cap.* 8. §. 2. Quod addebatur Beatam Virginem ratione maternitatis, ſeu ut Matrem eſſe principium generativum humanitatis Chriſti veriſſimum eſt; at non propterea eſt principium meritorum ab humanitate procedentium, quia materialiter ſe habet ad talia merita, utpotè quæ potuiſſent æquè procedere ab humanitate, ſi hæc fuiſſet producta aut à ſolo Deo, aut à Virgine, aliter tamen quàm per actionem generativam & vitalem, ut requiritur ad fundandam maternitatem.

Urgebis quidquid ſit de hoc, certè loquendo de facto, & ex vi præſentis decreti humanitas Chriſti producta eſt dependenter à Maternitate Virginis ſeu ab actione fundante talem maternitatem, adeóque Deus non decrevit nec prævidit futuram humanitatem Chriſti antecedenter ad decretum Maternitatis; atqui non prævidit futura Chriſti merita antecedenter ad futuram humanitatem; ergo non prævidit futura Chriſti merita antecedenter ad decretum Maternitatis; ergo decretum Maternitatis & Maternitas ipſa non potuit de facto eſſe ex Chriſti meritis;
ergo Chriſtus maternitatem oon meruit. Sed 42.
contra: Pro ſolutione difficultatis, quantùm præcisè aſſertum poſtulat, quantùm ſcilicet neceſſe eſt ad ſuſtinendum meritum maternitatis ſumptæ in executione, ſufficit recolere doctrinam ſupra traditam *lib.* 1. *cap.* 9 *num* 53. & 54. & juxta ibi dicta conceſſo toto argumento neganda eſt ſecunda conſequentia intellecta de Maternitate in executiooe; quia ut hac ratiooe Maternitas cadat ſub Chriſti meritum non requiritur, quod iſtud ſit præviſum antè Maternitatis decretum, ſed ſatis eſt quod ſit ipſo maternitatis decreto volitum, quatenùs Deus decernendo Maternitatem Virginis ſimul decreverit eam mandare executiooi ex meritis, quæ illicò in ſtatu futuritionis conſtituet, & antè ejuſdem Maternitatis executionem prævidebit. Majorem præſefert difficultas mox objecta vim ad impugnandum meritum Chriſti reſpectu Maternitatis ſumptæ in intentione, & prout dicit electionem Virginis in Matrem: Verùm de tali merito hucuſque nil protuli, & ſicuti
ſuprà *præcit.* §. 5. dictum eſt Beatæ Virginis 43.

Quid de merito Chriſti reſpectu Maternitatis in intentione, & prout dicit electionem Virginis in matrem.

meritum terminari ad maternitatem in executiooe dumtaxat, non in intentione; ita nunc ſervata proportione idem facilè dici poterit de merito Chriſti, & videtur id poſtulare cohærentia doctrinæ; Nihilominùs ſi ſupponatur, quod tanquam probabile inſinuavimus in tract. de Deo *lib* 5. *cap* 4. *num.* 57. ſi, inquam, ſupponatur Chriſti humanitatem fuiſſe in primo ſigno volitam non determinato modo productionis; & deindè ex præviſis humanitatis ſic volitæ meritis fuiſſe determinatam productionem ejus habendam per vitalem generationem ex Virgine, rectè ſalvabitur meritum Chriſti præviſum antè decretum Maternitatis, & cum ſufficienti prioritate ad cauſandam moraliter maternitatem etiam in intentione & prout dicit electionem in Matrem, Neque hoc malè cohærebit cum eo, quod dictum eſt Beatam Virginem non meruiſſe ſuam Maternitatem in intentione, enim verò, cum propter prærogativam Maternitatis Beata Virgo fuerit deſtinata ad eam, quam habuit gratiæ ac meriti excellentiam eſt major congruentia tribuendi maternitati in intentione prioritatem reſpectu meritorum Virginis, quam reſpectu meritorum Chriſti: Vnde tandem omnibus penſatis propendeo ad problematicè ſentiendum de Chriſti merito relatè ad Virginis maternitatem ſumptam in intentione.

Dices aliter: ex eo, quod Chriſtus maternitatem Virgini meruerit, ſequitur quod ſimul

Digitized by Google

ſimul meruerit propriam conceptionem & generationem ſeu nativitatem ; atqui hoc à nobis dici non poteſt, ergo nec illud, patet ſequela majoris ex eo, quia Divina Virginis maternitas importat fundamentaliter, ſeu tanquam rationem fundandi, conceptionem generationemque Chriſti ; Minor probatur, conceptio & generatio Chriſti habet pro termino ſubſtantiam Incarnationis, non potuit igitur Chriſtus propriam conceptionem, generationemque promereri, niſi ſimul promerendo propriæ Incarnationis ſubſtantiam: atqui hanc Chriſtus nullo modo promeruit, neque etiam in executione ex *præcit.* c. 9. §. 1.
44. *&* 2. ergo. Sed contrà ; admitto Chriſtum meruiſſe propriam conceptionem & generationem ; at nego hinc inferri, quod meruerit propriæ Incarnationis ſubſtantiam ; ratio negationis habetur *ex præcit.* c. 9. n. 63. ubi explicabamus, quomodo Beata Virgo non merendo Incarnationis ſubſtantiam potuerit mereri, tum maternitatem propriam, tum conceptionem generationemque Chriſti Domini.

Ex dictis habetur Chriſtum ſicuti meruit ſuæ Genitrici immediatæ maternitatem, ita meruiſſe ſuis Genitoribus mediatis circumſtantiam ſtirpis, ſeu originis ab ipſis ductæ, quia ex una parte nulla difficultas contrà hujus circumſtantiæ meritum militat, quæ non æque militet contra meritum maternitatis; ex alia parte Abraham progenitor Chriſti mediatus meruit ſibi, & quidem ex gratia ipſius Chriſti, circumſtantiam ſtirpis, non minus, quàm ex eadem Chriſti gratia maternitatem ſibi meruerit Beata Genitrix ; cum igitur quidquid alij meruerunt ex gratia Chriſti meruerit ipſemet Chriſtus, conſequens eſt Chriſtum, ſicut meruit maternitatem Virgini, ita meruiſſe ſtirpem Abrahamo, item aliquas alias circumſtantias puta loci, temporis, & ſimiles quas *ex præcitato capite nono, numero quinquageſimo ſexto*, promeruerunt antiqui Patres.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS
DE DEFECTIBVS, ET ALIIS PERTINENTIBVS AD CHRISTI HVMANITATEM.

ALIQVOS homini defectus natura indidit, aliquos addidit culpa: Illos Verbum, ne quid ad conditionis humanæ veritatem deſideraretur, aſſumpſit, & in ſatisfactionis ac meriti conſortium accerſivit; iſtos, ut nil divinæ perſonæ ſanctitatem læderet, abjecit, & ſatisfaciendo ac merendo deterſit: Admiſit illos in humanitate ſibi hypoſtaticè copulatâ, ut iſtos Poſteritati ex Adamo propagatæ dimitteret: In illis exhibuit inſigne ſuæ dignationis teſtimonium, in iſtis conſtituit ſingulare ſuæ miſerationis monimentum; & in utriſque ſuppeditavit argumenta, quibus diſcamus ipſas corporis infirmitates prodeſſe ad animi robur, defectus etiam, quos vel naturâ vel vitio contraximus, exaltationi reparationique noſtræ inſervire, & inductas ex culpa calamitates ad culpæ remedium, ad felicitatis exordium ex divina benignitate conferre: Propterea in eo, quod poſt explicatas hucuſque Chriſti Domini, & humanitatis ejus perfectiones ac excellentias, imperfectiones modò & defectus proferimus, non deerit materies Theologicæ conſiderationi, imò admirationi quoque, opportuna, & quiſquis attentius expenderit Deum etiam quod in homine deficiens, infirmumque eſt, aſſumentem vix non poterit cum magno Leone non minus mirari in Incarnationis Myſterio *hominem ad divina proficere, quàm Deum ad humana deſcendere.* Serm. 4. De Nativit. Dom.

CAPVT I.

De Humanitatis defectibus ex parte Corporis.

IN præſenti ſtatu naturæ lapſæ, ſicut & in ſtatu naturæ puræ, ſi daretur, præcipuus humani corporis defectus eſt eſſe ſubjectum morti & paſſionibus, ſeu eſſe mortale atque paſſibile. Defectu hoc caruiſſe humanitatem Chriſti, & corpus à Verbo aſſumptum, docuerunt hæretici quamplures, in primis ſcilicet Manichæi, Priſcillianiſtæ, & alij relati *præced. lib. 1. cap. 5. §. 6.* pro corpore Chriſti phantaſtico, divino, vel cæleſti: Deinde Severitæ, ſeu Severiani, & Gainitæ, qui conceſſerunt quidem Chriſto corpus ejuſdem rationis cum noſtris, at redditum in ipſa aſſumptione immortale, atque impaſſibile; adeò ut poſteà tota Paſſio fuerit non vera, ſed apparens & ſine ſenſu doloris: Hujus erroris originem, Auctores, & tempora, eruditè proſequitur Vaſquez *diſp. 59. cap. 1.* ubi obſervat in eum ignoranter, & incautè incidiſſe Juſtinianum, pium alioqui & Catholicum Imperatorem, quin & magna ſuſpicio eſt fuiſſe in eo aliquando deceptum virum doctiſſimum & Sanctiſſimum Hilarium, adeò ut etiam ſuæ deceptionis vitium virtute legitimæ confeſſionis, imò expreſſæ retractationis libello ad id edito factæ aboleverit, quia tamen hujuſmodi libellus in ejus operibus modo non extat, malunt non pauci benigna interpretatione Hilarium omninò vindicare, itaut nunquam illi errori conſenſerit, & favet huic benignæ interpretationi Hieronymus, qui certè Hilarium erraſſe non deprehendit, cum *epiſt. 7.* quæ eſt ad Lætam, eam ſuadeat, ut Hilarij libros inoffenſo decurrat pede. Verùm, ſive Hilarius nunquam amiſerit, ſive aliquando admiſſam retractaverit opinionem de impaſſibilitate corporis à Verbo aſſumpti; certè oppoſitum eſt veritas Catholi-

Errores varij circa humanitatem Chriſti conſtantem corpore paſſibili & mortali.

ca, quam facilè comprobabimus antequam percurramus reliquos minùs præcipuos humani corporis defectus, quorum aliqui ſunt communes toti naturæ, ut fames, ſitis, defatigatio; aliqui ſunt proprij particularium perſonarum, ut morbi, ægritudines, membrorum mutilatio, faciei deformitas.

§. I.

Utrùm Chriſti humanitas conſtiterit corpore verè paſſibili ac mortali.

2. ASSERTUM Chriſti humanitas conſtitit corpore verè mortali, ac paſſibili. Eſt veritas Catholica contrà Hæreticos jam relatos.

Oppoſitum eſt veritas catholica, & de fide.

Probatur ex eo quod in ſymbolo Chriſtum Dominum paſſum, ac mortuum, confitemur conformiter ad perſpicuas, & in Evangelij diſcurſu obvias auctoritates; quas intelligere de paſſione ac morte apparente & ſine ſenſu doloris, eſt deſtruere totam Chriſti fidem; quia ſi Chriſtus non eſt verè paſſus ac mortuus, non verè paſſione ac morte ſua pro nobis ſatisfecit, nun verè nos redemit, non verè reſurrexit, non verè reliquit nobis patiendi exemplum contra illud 1. Pet. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Tandem ſi ſenſum doloris non habuit, falsò de eo Iſaias *cap. 53.* dixit *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtròs ipſe portavit*, & licet Foreirus in commentarijs ad hæc verba ſenſerit debere ea intelligi de morbis, quos Chriſtus ab hominibus abſtulit, at non quos in ſe ſuſcepit: benè tamen Vaſquez *diſputatio. ſexageſima, capite tertio; numero vigeſimoprimo*, notat Foreirum ſine fundamento loqui; & fundamentum, quod habuiſſe videtur, impugnat. Confirmatur ratione. Si corpus, quo Chriſti 3.
humanitas conſtitit, fuit ab initio impaſſibile & immortale, vel tale fuit ab intrinſeco & ex gratia ſeu dono ipſius naturam ſuperante; Non primum, quia difficile ſalvaretur tale corpus fuiſſe ejuſdem ſubſtantiæ, & naturæ ſpecificæ cum corporibus aliorum hominum, adeóque Chriſtus non eſſet homo ejuſdem ſpeciei cum cæteris; Non ſecundum, quia in Myſterio Incarnationis, utpotè volito ex redemptionis motivo, non debet præſumi gratia, aut donum naturam ſuperans, niſi conducat ad redemptionem; at ad hanc non conducit corporis impaſſibilitas & immortalitas, ſicut non conducit ad ſatisfactionem & meritum: Deinde hujuſmodi gratia ſeu donum naturam ſuperans deberet maximè conſiſtere in gloriæ dotibus redundantibus ex anima in corpus; at talis redundantia fuit ab initio impedita, & ſuſpenſa quouſque eam Chriſtus paſſione ac morte promeruit juxtà illud Luc. 24. *Nonne oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam.* quod intelligendum eſſe de gloria corporis tradidimus *lib præcedent. capite tertio paragrapho quarto.*

Dices non deeſſe etiam aliquam, tùm auctoritatem, tùm congruentiam pro impaſſibilitate & immortalitate corporis Chriſti Domini. Non deeſt auctoritas, quia de Chriſti corpore ſolet intelligi illud Pſal. 15 *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; Non deeſt congruentia, quia certè Verbum divinum magis decet unio ad impaſſibile & immortale corpus, quàm ad paſſibile & mortale, imò iſtud videtur eſſe poſitivè Verbo diſconveniens. Sed contrà: ut ex Damaſceno obſervat 4.
Vaſquez *diſput. 59. cap. 1. num. 9.* corruptio ſumitur dupliciter primò pro quacumque humana paſſione, qua humanum temperamentum quoad qualitates ſibi debitas læditur, aut una pars ab alia disjungitur, aut etiam anima à corpore; Secundò pro ultima diſſolutione in prima componentia ſeu in quatuor elementa, qui corruptionis modus fit per corporis jam emortui putrefactionem, undè etiam proprio nomine putrefactio dicitur; & de corruptione hoc ſecundo modo accepta procedunt verba *ex Pſalm. decimoquinto*, adducta. Ad congruentiam dico jam ex ſuprà poſitis de convenientia Incarnationis, & de aſſumptibilitate, naturæ etiam irrationalis, abundè conſtare quòd Verbum poſitivè non dedeceat unio ad corpus paſſibile & mortale: Utrùm verò minùs deceat, quam unio ad corpus impaſſibile & immortale, non eſt ex imbecillitate noſtra, ſed ex ſapientia divina penſitandum? & quando tandem minùs deceret, non deberet ex hoc præcisè negari, cum Deus in operibus ad extrà non neceſſitetur ad optimum; in re tamen magis, non minus decet, ſuppoſita Incarnatione facta propter peccati remedium, & hominum redemptionem.

Corruptionis duplex modus, ſeu duplex acceptio.

Reliqua ad Chriſti corpus paſſibile pertinentia retractabuntur in ſequentibus examinando ſingillatim, quomodò & quibus de facto paſſionibus tale corpus fuerit ſubjectum? Interim circa idem corpus, ut mortale, placet duo breviter expedire primò, Utrum Chriſtus ex aliqua conſtellatione, ſeu ex figura Cœli, ſub qua natus eſt, inclinaretur in mortem violentam à Iudæis inflictam? Secundò an & quonam mortis genere interijſſet ſi non fuiſſet ab extrinſeco interfectus morte violentâ? 5.

Ad primum refertur pro parte affirmativa cum nonnullis Aſtronomis Petrus Aliacenſis *quæſt. 30. in Geneſim*, ſed conſentiunt jam omnes Scholaſtici in oppoſitum, & certa eſt præſertim poſt damnatam aſtrologiam judiciariam pars negativa; cum enim agatur de effectu libero, tum ex parte ſubjecti recipientis, tum ex parte principij efficientis, tum ſcilicet ex parte Chriſti cui mors fuit inflicta, tum ex parte Iudæorum qui mortem inflixerunt, ideóque talis mors fuerit ex parte Chriſti meritoria, ex parte Iudæorum peccaminoſa; militant hic toto ſuo robore argumenta, quibus Picus Mirandulanus *in opuſc. contra Aſtrologos.* Sixtus Senenſis *lib 6. Biblioth. annotat. decima*, & in præſenti Gabriel à S. Vincentio *diſp. 14. dub. 7.* confutant Genethliacos, impugnando vim & efficaciam Aſtrorum in ea quæ ab humano dependent arbitrio: Mihi ſufficiat ex ſole in Chriſti morte obtenebrato, & mutatâ 6.

Mors Chriſti non potuit à Genethliacis colligi ex illa cœleſti figura.

tata quodammodo Cœli facie, ſpecialiter inferre Chriſtum Aſtris dominari, non Aſtra Chriſto; & ſicuti D. Gregorius *homil.* 10. *in Evang.* de ſtella, quæ Chriſto nato apparuit, dixit *Non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit*, ita obtriſtem Cœli faciem, & quaſi novam figuram, quæ Chriſto moriente extitit, ſi dici liceat, non cœleſtis figura factum mortis, ſed factum figuræ cœleſtis ea, quam Chriſtus ſubiit, mors fuit.

7. Ad ſecundum referuntur Ægyptiis quidam, Galenus, & alij nonnulli, qui ſenſerint nullam dari in humano corpore intrinſecam mortis cauſam, & fore ut homo perpetuò viveret, ſi poſſet perfectè cognoſcere & declinare omnia externa adverſantia, aëris ſcilicet intemperiem, Cœli inclementiam, cibi & potus noxiam quantitatem aut qualitatem, & ſimilia; cæteri tamen communiter præter has extrinſecas mortis cauſas agnoſcunt cauſam intrinſecam, varij variam; pro hac quippe aliqui aſſignant compoſitionem humani corporis ex elementis, ſeu qualitatibus elementaribus habentibus mutuam contrarietatem & pugnam; aliqui compoſitionem ejuſdem ex partibus etherogeneis & difformis inter ſe temperamenti; aliqui continuam inter calorem naturalem & humidum radicale actionem & reactionem, ex qua utrumque ſucceſſivè minuitur, donec vel iſtud exſiccetur, vel ille extinguatur; aliqui Indigentiam cibi & potus in calorem naturalem, cujus actione in ſubſtantiam viventis convertitur, reagentis, paulatim ipſum debilitantis, & tandem totum extinguentis; aliqui excrementa, quæ in qualibet parte viventis ex alimento in aliti ſubſtantiam converſo relinquuntur & utpotè temperamenti valde diverſi ab ipſis partibus viventis, nativum iſtarum temperamentum ſucceſſivè immutant, ac tandem pervertunt: ſingulas has mortis cauſas latè proſequitur Vaſquez *diſputatio. ſexcen.eſima, capite ſecundo, & tertio*, ubi profert ſingularum Auctores, & ſuum de ſingulis judicium, quo tribus prioribus rejectis ſolum duas reliquas amplectitur, quamvis fateatur etiam tertiam propius ad veritatem accedere, & proculdubio plauſibilis valde ac probabilis eſt, & à multis gravibus Auctoribus commendata: ex tribus igitur poſterioribus cauſis ſentiendum eſt hominem quemlibet naturæ ſuæ relictum debere ab intrinſeco mori, & Chriſtum Dominum, ſi paſſus non fuiſſet à Judæis mortem violentam, imò nec ab alia exteriore cauſa ullum vitæ detrimentum, adhuc fore naturali neceſſitate, & morte per cauſas intrinſecas prælaudatas inducta interiturum; quamvis non niſi in ultimo & magno ſenio ob perfectiſſimum corporis temperamentum, & moderatiſſimam alimenti ſumptionem; hincque addunt aliqui, quod nulla in Chriſto ægritudo mortem præcederet; nec diſſentio ſi ſermo ſit de ægritudine proveniente, aut ex imbecillitate virtutis formativæ & imperfecta conſtitutione corporis, aut ex victu immoderatè ſumpto; quia tamen poſſunt etiam ægritudines provenire, aut ex cauſis purè extrinſecis puta aëris inclementia temporumque injuriis, aut ex ipſiſmet cauſis intrinſecis mortem inducentibus, præſertim ſi verum eſt, quod Valleſius & plerique Medicorum affirmant, in iis etiam, qui ſenio conficiuntur mortem non evenire ſine febri, aut putrefactione aliqua; quia, inquam, res ita ſe habet, ſi ſermo ad has ægritudines extendatur, monet Vaſquez *præcit. diſput.6 .art.4.n.*20. non incongruè admitti, quod aliqua ægritudo in Chriſto extiterit aut ſaltem extitiſſet, ſi ad ultimum ſenium perveniſſet naturalem mortem obiturus.

Mortis naturalis & ab intrinſeco cauſæ variæ.

8. *Chriſtus, ſi non fuiſſet à Judæis interfectus, morte naturali obijſſet ſenio confectus.*

Dices: Mors naturalis eſt pœna peccati, nam ex Romanorum quinto, *in hunc mundum intravit per peccatum* & capite octavo, *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*; atqui in Chriſto nulla fuit pœna peccati, alioqui aut talis pœna fuiſſet injuſta; aut Chriſtus fuiſſet peccator: ergo. Deinde aliter; quod evenit ex ſuppoſitione miraculi nequit eſſe naturale; atqui mors in Chriſto non potuit evenire niſi ex ſuppoſitione miraculi quo gloria animæ impediebatur ne redundaret in corpus; ergo. Sed contrà: Mors naturalis conveniſſet homini etiam in pura natura, in qua nullum peccatum præceſſiſſet; eſt igitur de facto pœna peccati, non per ſe ſed per accidens, nec conſequitur ad peccatum poſitivè, ſed tanquam ad removens prohibens, removens ſcilicet juſtitiam originalem, cui Deus alligaverat immortalitatem; quod autem eſt pœna peccati hoc ſecundo modo; ſicuti poteſt reperiri ubi nullum eſt peccatum, ita & in Chriſto. Ad illud, quod additur, vel nego abſolutè majorem, vel ad ſummum admitto eam verificari de eo, quod evenit ex ſuppoſitione miraculi concomitanter; non antecedenter ſe habentis, & extrinſecè; alioqui cæcus poſt reſtitutam miraculosè potentiam viſivam non videret naturaliter. 9.

§. II.

Quoſnam alios defectus habuerit aut non habuerit Chriſti humanitas ex parte corporis?

ASSERTIS. Chriſti humanitas habuit ex parte corporis defectus conſequentes totam naturam, & provenientes ex cauſa omnibus hominibus communi, ut ſunt fames, ſitis, defatigatio, gravitas, localis circumſcriptio, & ſimiles. Hoc aſſertum eadem gaudet certitudine, qua præcedens, nec habet Adverſarios niſi damnatæ memoriæ, nimirum quoad famem, ſitim, defatigationem, Severitas & alios de quibus ſuprà; quoad gravitatem quemdam Theodorum, cujus meminit Beda *libro ſecundo, in Marc. capit.* 28. quoad localem circumſcriptionem Ubiquiſtas. 10.

Humanitas Chriſti habuit corporis defectus omnibus hominibus communes.

Probatur ex eo, quia Quidquid totam naturam conſequitur, & provenit ex cauſa omnibus hominibus communi, pertinet ad humanæ naturæ veritatem, & neceſſarium eſt ad

hoc, ut Chriſtus per omnia Fratribus aſſimiletur, ſicut aſſimilari debuit *ex Heb.2.* Confirmatur ex eo, quod fames, ſitis, defatigatio, nihil aliud ſunt, quàm quædam corporis viventis paſſiones, non eſt igitur cur negentur, ubi conceditur corpus paſſibile; Deindè pro ſingulis militant expreſſa Scripturæ teſtimonia; pro defatigatione illud Jo.4. *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuprà fontem*; pro Siti illud Chriſti dicentis *Sitio.* Jo. 19. pro fame illud Matth.4. *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Quoad gravitatem,

Et ſingillatim famem, ſitim, defatigationem.

11. Item gravitatem, & localem circumſcriptionem.

infertur hæc ex defatigatione, quam Chriſtus ambulando patiebatur, & quæ maximè provenit ex corpore gravi & ponderoſo. Quoad localem circumſcriptionem, habetur ex eo, quod Chriſtus ſecundùm humanitatem non eſſet ubique dicente ipſomet Chriſto Jo.11. *Ut ſciatis, quia non eram ibi*; & præterea Ubiquitas aliqualiter jam impugnavimus ſuprà *libro 2. cap.1. num.26.* Nec noſtri eſt inſtituti eos ex profeſſo aggredi. Neque alicujus momenti eſt fundamentum, quod contra gravitatem deſumitur ex eo, quod Chriſtus ſuper aquas aliquando ambulaverit: Nam, præter quod facile poteſt miraculosâ virtute corpus grave ſuper aquas ſuſtineri, nil prohibet concedere Chriſto ſuper aquas ambulanti agilitatem corporis, ſeu levitatem, tranſeunter tamen & pro illo tempore præcisè datam, non permanentem; quæ quidem agilitas, ſeu levitas, utrùm fuerit diverſæ, an ejuſdem rationis cum eâ corporis glorioſi? res eſt incerta, ſicut pariter incertum eſt, utrùm claritas diverſæ, an ejuſdem rationis cum eâ corporis glorioſi fuerit Chriſto communicata? quando in transfiguratione facies ejus reſplenduit ſicut ſol, & veſtimenta facta ſunt alba ſicut nix, ſi placeat utramque ponere ejuſdem rationis jure dicetur pro illis modicis temporum intervallis interruptum fuiſſe pro agilitatis & claritatis dotibus miraculum, quo gloria animæ detinebatur, ne redundaret in corpus, ſicque quod fuit miraculum attentâ conditione corporis, fuiſſet ſimul interruptio miraculi attenta conditione animæ. Qua de re aliquid amplius videri poteſt apud Hieronymum, Chryſoſtomum, & alios relatos à Suario *diſp. 32. ſec.1.* in fine

Quomodò ejus gravitati non obſtet, quod aliquando ſuper aquas ambulaverit.

12. Humanitas Chriſti non habuit corporis defectus proprios particularium perſonarum.

Aſſert.2. Chriſti humanitas non habuit ex parte corporis defectus conſequentes particulares perſonas, & provenientes ex cauſa non communi omnibus hominibus, ut ſunt febris, paralyſis, aſthma, ſpaſmus, morbus comitialis, & ſimiles. Ita Scholaſtici communiſſimè cum D.Thoma *quæſt.14. art.4,* & licet olim non defuerint qui aliquos ex præmemoratis defectibus in Chriſto affirmaverint, jure tamen à Suario *diſp.32 ſec.2.§. Ex quo expeditur.* cenſetur ſententia temeraria & piarum aurium offenſiva; undè etiam Medina *quæſt.14. art.2.* refert quemdam Concionatorem, qui dixerat tales morbos in Chriſto extitiſſe, coactum fuiſſe ſuum dictum retractare.

Probatur, quia ex una parte nulla fuit in Chriſto neceſſitas, aut congruentia talium defectuum cum nec requirantur ad naturæ humanæ veritatem, nec ſint ad patiendum aut ſatisfaciendum neceſſarij; ex alia parte ſolent tales defectus provenire, aut ex vitio temperamenti & virtutis formativæ, aut ex immoderantis victus; at Chriſtus habuit perfectiſſimam temperantiæ virtutem, & ejus corpus fuit ſpecialiter formatum à Spiritu Sancto; ergo fas non eſt excogitare, aut immoderantiam in ejus victu, aut vitium in ejus virtute formativâ.

Dices nec deeſſe neceſſitatem tribuendi Chriſto præmemoratos defectus, nec fuiſſe ſufficienter aſſignatas cauſas, ex quibus poſſunt iidem defectus provenire: Non deeſt neceſſitas, quia ut particulares perſonæ quacumque infirmitate laborantes habeant in Chriſto patientiæ exemplum, congruebat Chriſtum cuicumque particularium perſonarum infirmitati eſſe obnoxium: Non fuerunt ſufficienter aſſignatæ cauſæ, quia poſſunt prætereà plures infirmitates provenire omninò ab extrinſeco, puta ex inclementia aeris, ex injurijs temporum, ex morſibus ſerpentium &c. nutat igitur quoad utramque ſui partem noſtra probatio. Sed contra: ad primum dico Chriſtum ſuſtinendo dolores graviores ijs, quos poteſt quæcumque infirmitas particularibus perſonis afferre, dediſſe ſufficiens & abundans pro quacumque infirmitate patientiæ exemplum; nec eſſe ex hoc capite tribuendos Chriſto defectus, & labores, doloreſque, quorum non meminerunt Scripturæ, & Patres, diligenter alioqui tradentes ea, quæ Chriſtus pro noſtra redemptione, aut eruditione, in corpore ſuo pertulit. Ad ſecundum dico in Chriſto difficilè potuiſſe ab extrinſeco cauſari ægritudines, eò quod optima corporis temperies magnam habebat vim ad reſiſtendum pravis Cœli influentijs temporumque injurijs, & ubi hæ fuiſſent nimiùm violentes facilè poterat Chriſtus prudentiâ, & providentiâ ſuâ, eas declinare; undè veriſimile prorsùs eſt Chriſtum neque etiam in ægritudinem ab extrinſeco occaſionatam incidiſſe; at non propterea negatur paſſum aliquando fuiſſe ex calore, & frigore, aliquod tranſiens & breve incommodum; quin & fortè paſſurum fuiſſe præſertim in ultimo Senio aliquam brevem infirmitatem, ſi diuturniùs & uſque ad mortem naturaliter ſecuturam vixiſſet, ut monuimus ex Vaſquio *præced. n 8.* quod tamen negat abſolutè Suarez *præcitat. ſec.2.§. ſed dicet aliquis.* 13.

Ex eo, quod dictum eſt tribui non debere humanitati Chriſti defectus provenientes ex imperfectione virtutis formativæ, & temperamenti vitio, habetur ratio congruentiæ, ob quam Chriſtus ſexum virilem, & corpus pulcrum, aſſumpſerit? nam ſexus fœmineus provenit ex imperfectione virtutis formativæ idest ex debilitate ſeminis, unde à Philoſopho fœmina dicitur naſci præter naturæ intentionem, & eſſe monſtrum occaſionatum, tum ex eadem formativæ virtutis imperfectione tum ex temperamenti vitio provenire ſolet deformitas in figura, aut in lineamentis, & habitu corporis; ideò &c. Nec deſunt alia hujus utriuſque veritatis argumenta, nam 14.

Prima ſuadetur ex eo, quia Chriſtus venit ut totius humani generis Redemptor,

Doctor

Digitized by Google

Cur Chriſtus debuerit aſſumere virilem ſexum, potiùs quam fœmineum.

Doctor & Caput, ad hæc autem munera non eſt accommodatus ſexus fœmineus; ſunt quippè fœminæ minùs aptæ ad ſuſtinenda gravia tormenta, quibus erat conſummanda redemptio, eaſdem dedecet docere, prædicare, exercere magiſterium, ſicut & dominari, præſidere, aliaque hujuſmodi propria Doctoris & Capitis; quapropter Apoſtolus *Cor.* 11. jure dixit *Vir caput eſt mulieris*. Nec refert, quod lapſus à fœmina cæperit, ut propterea debuerit etiam à fœmina incipere reparatio per unionem hypoſtaticam facienda. Non refert, inquam, quin potiùs hoc noſtro favet intento; nam ſicut lapſus in fœmina cæptus in viro, Adamo ſcilicet, conſummatus eſt, ita reparatio cæpit quodammodo in Virgine, at debuit in viro idest in Chriſto conſummari.

15\. Fundamenta aſtruendi in Chriſto perfectam corporis pulcritudinem.

Secunda habetur ex communi auctoritate Sanctorum Patrum, ex quibus non pauci accommodant corporali Chriſti Domini pulcritudini illud Pſal. 44. *Speciosus forma præ filys hominum*; & illud aliud Cant. 5. *dilectus meus candidus, & rubicundus*, item Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus*. Confirmatur ex eo, quod corporis deformitas, & defectus pulchritudinis, non deſerviſſet fini redemptionis; è contra pulcritudo, qualis virum decet gravitati ſcilicet honeſtatique conjuncta, plurimùm conducebat, ut Chriſtus præberet ſpecimen ſuæ internæ excellentiæ ac probitatis, ſibique venerationem conciliaret, cum non ſolum ex Sanctis Patribus Ambroſius *lib. 2. de Virgin.* pulcritudinem commendaverit tanquam *ſimulacrum bonæ mentis & figuram probitatis*, ſed apud Gentiles etiam celebre ſit illud Euripidis *Primaria* (ideſt eximia) *ſpecies digna eſt imperio* & Quintus Curtius *lib. 6. de rebus geſtis Alexand.* ſcripſerit *Hominibus barbaris in corporum Majeſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant quam quos eximia ſpecie donare natura dignata*

16\. *eſt*. Confirmatur inſuper magis explicando rationem jam inſinuatam ex perfectione temperamenti & virtutis formativæ; nam ut ex Sanctis Thoma, Dionyſio, & Auguſtino, obſervat Suarez *præcit. ſec. 2. §. Ratione*, pulcritudo ex tribus conſurgit, ex membrorum integritate, ex eorundem proportione, & ex nativi coloris convenientia; at hoc tertium provenit ex perfectione temperamenti, optimaque temperie primarum qualitatum, ex quibus color tanquam qualitas ſecunda redundat; duo priora proveniunt ex perfectione virtutis formativæ, cujus vitio tribuitur, quod quis naſcatur cum corpore, aut ob non integritatem alicujus membri mutilo, aut ob non proportionem monſtroſo, atqui Chriſto, nec temperamenti, nec virtutis formativæ perfectio defuit, ergo nil ei defuit ad perfectam pulcritudinem.

Dices auctoritates à nobis ex Scriptura adductas meliùs referri ad pulchritudinem animæ, vel divinitatis, & ad id cogere auctoritates alias, quæ corporalem à Chriſto pulcritudinem excludunt; nam de illo habetur Iſa. 53. *non erat ei ſpecies neque decor*; in illius perſona dixit David Pſal. 21. *Ego ſum vermis, & non homo*: Deindè *ex Marc. ult.* Chriſtus poſt reſurrectionem duobus diſcipulis ambulantibus *oſtenſus eſt in alia effigie*, ſignum eſt igitur quod ejus effigies in mortali corpore non erat pulcra, & formoſa. Confirmatur ex eo quod corporalis pulchritudo a Sanctis & religioſis viris contemnitur; de ea intelligitur illud Prov. ult. *fallax gratia & vana eſt pulchritudo*. & Divus Thomas *in Pſal.* 25. rectè ait, *omnis homo amat pulcrum, carnales amant pulcrum carnale, ſpirituales amant pulcrum ſpirituale*: His & ſimilibus motus Michael Medina *lib. 2. de recta in Deum fide cap* 7. non dubitavit negare Chriſto corporis pulcritudinem, & cenſuit noſtram ſententiam carere fundamento. Sed contrà:

17\. Cenſura opinionis oppoſitæ.

Singularis eſt in hoc Michaël Medina, & à Suario, Vaſquio, ac alijs cenſetur etiam temerè locutus, ad inſtantiam igitur dico eundem Scripturæ textum poſſe habere plures ſenſus, & ad plura referri, unde nil prohibet verba præcitata accommodare pulcritudini, tum divinitatis, tum animæ, tum etiam corporis: ad auctoritates oppoſitas dico Iſaiam loqui relatè, vel ad pulchritudinem divinitatis & claritatem glorioſam, quæ in mortali corpore occultabatur, vel ad deformationem cruentam, quæ tempore paſſionis naturalem pulcritudinem quodammodò obtegebat, utrique intelligentiæ favet, quod *eod cap.* ſubditur *& quaſi abſconditus vultus ejus*. David per ly *ego ſum vermis, & non homo* in perſona Chriſti prolatum ſolùm voluit indicare maximam humanæ naturæ ignobilitatem, & inferioritatem ad divinam, præſertim dum illa adhuc erat in corpore mortali.

Occurritur ejus fundamentis.

Alia effigies. *Marc. ult.* mutationem ejus inſinuat, non quoad lineamenta, aut quoad ſubſtantiam, ſed quoad glorioſam claritatem ſuperadditam, ut magis explicat D. Thomas *quæſt. 54. art. ad 3.* ubi hac occaſione ait *Nihil inordinatum & deforme fuerat in corpore Chriſti per Spiritum Sanctum concepto, quod in reſurrectione corrigendum eſſet*. Confirmatio rectè procedit de pulcritudine effæminata, affectata, & artificioſis ornamentis ac pigmentis vitiata; non de pulcritudine gravi, moderata & conſurgente ex ſola integritate proportioneque membrorum, & ſuavitate coloris naturalis, qualis fuit pulchritudo corporalis, quæ in Chriſto aſſeritur; ideò &c.

---

§. III.

An & Quomodò defectus ex parte corporis aſſumpti fuerint Chriſto voluntarij.

ASSERT. 1. Defectus ſimul cum humanitate aſſumpti ex parte corporis fuerunt Chriſto ſimpliciter voluntarij & liberi ſecundùm voluntatem divinam. Eſt veritas omninò certa, ac communiſſimè recepta, & vix probatione indiget, aut explicatione, niſi quoad vocem illam, *aſſumpti*, qua hæretici tribuentes humanitati, Chriſti defectus ſolùm apparentes abuſi ſunt, dicendo Chriſtum aſſumpſiſſe humani corporis defectus eo ſenſu, quo quis in ſcena dicitur aſſumere perſonam Regis v.g. At non eſt, cur Chriſtus dicatur aſſumpſiſſe hu- 18.

In quo ſenſu Chriſtus aſſumpſerit corporales defectus humanitatis.

manitatem, quam certè aſſumpſit non ſcenice & apparenter: eſt inſuper circà eandem vocem obſervanda egregia doctrina, qua D. Thomas *quæſt 14 art. 3.* tradit humanitatis defectus rectè dici à Chriſto aſſumptos, vel ſuſceptos, at non contractos; ſeu aſſumpſiſſe illos Chriſtum, vel ſuſcepiſſe, at non contraxiſſe, eo quod

Cur eoſdem non contraxerit. in verbo, Contrahendi, intelligatur ordo effectus ad cauſam, & illud dicatur contrahi, quod ſimul cum alio, ideſt ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur, ſuppoſita autem productione primorum Parentum in ſtatu innocentiæ cauſa defectuum humanitatis fuit originale peccatum; tales igitur defectus contrahere eſt ipſos ſimul cum originali peccato trahere, quod eſt à Chriſto Domino prorsùs alienum. Neque dicas juxta hanc doctrinam dici pariter deberet Beatam Virginem non contraxiſſe corporales humanitatis defectus, cum & ipſa fuerit aliena & immunis ab originali peccato. Contra enim: S. Doctor *pr. cit. art. ad* 1.

19. ait, Caro Virginis concepta fuit in originali peccato, & idcò hos defectus contraxit; Verùm hiſce temporibus aliter ſentiendum, & profitendo Beatam Virginem non fuiſſe in originali conceptam dicendum hoc ei non convenire neceſſariò & ab intrinſeco, ſed ex gratia ipſius Chriſti, qua fuit anticipatè redempta & præſervata ab originali, aut etiam ab originalis debito; porrò iſta gratia non fuit extenſa ad corporales defectus, hos igitur habuit Beata Virgo eadem neceſſitate, qua habuiſſet originale, niſi gratia præſervans acceſſiſſet; ideò tales defectus verè contraxit, quia ab extrinſeco & ex gratia fuit quod ſimul cum ipſis originale non traxerit; & ratio ulterior ſit, quia ut monet Vaſquez *diſp. 60. num. 18.* aſſumere ſeu ſuſcipere propriè dicitur ſolùm de eo, quod quis habet ex propria libertate eandem cum verbo *Contraho* ſignificationem

Nec incurrerit. videtur habere verbum *Incurro*; eadem igitur cautela utroque utendum, nec dicendum eſt Chriſtum humanitatis defectus incurriſſe. Aſſertum ſic explicatum quoad vocem illam *aſſumpti*, quoad reliqua facile

10. Probatur ex eo, quia ſecundùm voluntatem

Tales defectus aſſumpſit voluntariè & liberè, ſecundùm voluntatem divinam. divinam defectus ſimul cum humanitate aſſumpti fuerunt Chriſto voluntarij & liberi non ſolùm antecedenter, quatenùs ex divinæ voluntatis beneplacito potuiſſet Chriſtus ſine illis humanitatem aſſumere; verum etiam concomitanter & conſequenter, quatenùs potuit illos jam aſſumptos ab humanitate depellere, aut quoad actum primum retentos impedire quoad actum ſecundum; ſicuti impedijt actum ſecundum gravitatis, quando ſuper aquas ambulavit, & ſuſpendit actualem indigentiam cibi & potus, quando quadraginta dierum ſpatio jejunans non eſurijt; ſicut item potuit non concurrere cum cauſis extrinſecis etiam applicatis ad efficiendam paſſionem ullam in corpore, quamvis de ſe paſſibili. Fuerunt inſuper ijdem defectus ſecundùm voluntatem divinam voluntarij & liberi non ſolùm per modum objecti, quod divina voluntas amaverit & acceptaverit liberè; ſed etiam per modum effectus, quatenùs illos divina voluntas mediante omnipotentia in humana natura efficiebat aut conſervabat. Fuerunt tandem voluntarij & liberi ratione finis, non ſolùm quatenus potuit divina voluntas Incarnationem decernere ex motivo alio à motivo redemptionis & ſatisfactionis pro peccato; ſed etiam quia potuit velle redemptionem & ſatisfactionem præſtandam in humanitate corporalibus defectibus non ſubjecta, ut ſuppono ex ſuprà dictis *lib. 1. cap 3. num. 29.* quamvis videatur contrarium ſenſiſſe Anſelmus, ſicut & Bonaventura, & Durandus, apud Vaſquium *hic diſp. 59. num. 13.* & ijdem tres Auctores conſequenter doceant corporales defectus fuiſſe Chriſto etiam ſecundum divinam voluntatem neceſſarios neceſſitate proveniente à cauſa finali ex ſuppoſitione decreti de humanitate aſſumenda propter humanam redemptionem, & ſatisfactionem condignam.

Ecce quomodo corporales humanitatis defectus fuerunt ſimpliciter, imò etiam multipliciter voluntarij ac liberi Chriſto Domino ſecundùm ejus voluntatem divinam; major aliqua eſt controverſia de modo, quo fuerint voluntarij & liberi ſecundum ejuſdem voluntatem humanam; pro quo duo ſunt obſervanda; alterum ex parte ipſius voluntatis, quæ conſiderari poteſt vel ſecundùm ſe & ſecundùm ſuas vires naturales, vel ut eſt inſtrumentum Verbi & ſecundùm potentiam, quam habet ut conjuncta divinitati; alterum ex parte defectuum, quorum aliqui ſe habent tanquam actus primi ut eſſe paſſibile, eſſe mortale, eſſe grave, &c. aliqui conſiſtunt in actu ſecundo, ideſt in actione aliqua, aut paſſione actuali, ut eſt converſio alimenti in ſubſtantiam viventis, actio caloris naturalis in humidum, dolor qui fames dicitur & in ore ſtomachi ex melancholia cauſatur, paſſiva calefactio ſeu combuſtio ab igne extrinſecus applicato, &c. Res præſens procedit præcipuè de voluntate accepta ſecundum ſe, & de defectibus ſitis in actu ſecundo. 21.

Aſſert. 2. Defectus ſimul cum humanitate aſſumpti ex parte corporis fuerunt Chriſto voluntarij & liberi etiam ſecundum voluntatem humanam, at non ſecundum iſtam eo omni modo, quo ſecundum divinam. 22.

Probatur & explicatur. Chriſtus voluntate humana ultrò ſe obtulit ad ſubeundos corporales humanitatis defectus, moleſtos præſertim ac doloriferos, & in actu ſecundo ſitos, quos in primo conceptionis inſtanti ſe ex voluntatis divinæ decreto ſubiturum eſſe prævidit; ultrò eoſdem acceptavit ac voluit in ſingulis occaſionibus, in quibus ſe obtulerunt; quin etiam ultrò aſſumpſit plures hujuſmodi defectuum cauſas quas voluntate humana, humaniſque viribus, declinare potuiſſet; potuiſſet quippè etiam ut homo abſtinere ab itinere, in quo fuit defatigatus, paratum habere ac ſumere cibum ex cujus indigentia eſurijt &c. omnes igitur corporales defectus fuerunt Chriſto etiam ſecundùm voluntatem humanam voluntarij, & liberi, per modum objecti ultrò acceptati; quin & aliqui fuerunt voluntarij ac liberi in cauſa, ſeu in applicatione cauſæ, ex qua provenerunt, quod eſt ipſos mediatè & remotè fuiſſe voluntarios ac liberos per modum effectus: Fuerunt ijdem defectus Chriſto voluntarij, ac liberi, etiam ſecundum voluntatem humanam.

effectus: Quamvis deinde non fuerint voluntarij & liberi per modum effectus immediati & proximi, cum Chriſtus humana voluntate non concurrerit activè ad omnes defectus, quos ſuſtinuit; nec eadem ſecundum proprias vires conſiderata potuerit illos impedire ſuppoſitis cauſis ſemel applicatis, non potuerit ſcilicet impedire combuſtionem ſuppoſita ignis applicatione ad aliquam proprij corporis partem facta, mortem, aut violentam ſuppoſita paſſione & crucifixione, aut naturalem, ſuppoſitis cauſis de quibus ſuprà *numero ſeptimo*, & quamvis Alenſis *tertia parte, quæſtio. decima ſeptima, articulo primo, membr.* 2. & ſecundum aliquos etiam Abulenſis *paradoxo tertio, capite vigeſimo primo*, videantur ſenſiſſe, quod a nutu & imperio voluntatis humanæ Chriſti penderet dolorem paſſionemvè ullam percipere, etiam applicatis cauſis, nihilominus hæc ſententia quorumcunque ſit valdè accedit ad errorem eorum, qui aſſeruerunt in Chriſto corporales defectus apparenter ſolùm non realiter; cæterum ſuppoſito, quod Corpus Chriſti fuerit paſſibile verè & realiter, non potuit non eſſe ſuprà naturam, quod à cauſis applicatis non pateretur; nihil autem ſuprà naturam provenire potuit à voluntate humana Chriſti ſecundum ſe, & ſecundum proprias vires naturales conſiderata, quod ſi eadem voluntas conſideretur ſecundum efficacitatem, quam habere poteſt ut inſtrumentum Verbi, inducitur alius quæſtionis ſtatus ac ſenſus, in quo libenter admitto voluntati humanæ Chriſti ſubjectas fuiſſe naturæ leges, & per illam potuiſſe defectus in actu
24. ſecundo ſitos etiam applicatis cauſis impediri. Ecce in prima hujus doctrinæ, parte explicatam libertatem voluntatis humanæ Chriſti reſpectu corporalium humanitatis defectuum; & in ſecunda aſſignatum modum libertatis reſpectu talium defectuum convenientis voluntati divinæ, non humanæ; habet ſcilicet voluntas humana libertatem ad ipſos in ratione objecti acceptati ac voliti, & aliquando etiam in ratione effectus mediatè impedibilis; habet verò præterea voluntas divina libertatem ad eoſdem in ratione effectus immediatè dependentis, & immediatè impedibilis etiam applicata cauſa, ſicque ex primo capite defectus, de quibus agitur, fuerunt Chriſto voluntarij & liberi ſecundum voluntatem humanam, quod erat primum aſſerti membrum; ex ſecundo capite fuerunt voluntarij & liberi ſpeciali modo conveniente voluntati divinæ non humanæ, quod erat aſſerti membrum alterum.

23\. At non eo omni modo, quo ſecundũ divinam.

Dices: Potiſſimus defectus humanitatis Chriſti ex parte corporis fuit paſſio & mors; atqui hæc Chriſto non fuit voluntaria ſecundum voluntatem humanam, non enim fuit volita, ſed nolita, cum morte imminente dixerit Chriſtus ſecundum voluntatem humanam *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte* Matthæi 26. quibus certè verbis expreſſit nolitionem ſubeundæ ſeu volitionem declinandæ mortis; ergo potiſſimus corporis defectus non fuit Chriſto ſecundum humanam voluntatem
25. voluntarius. Sed contrà: Verbis illis Pater ſi poſſibile eſt, &c. expreſſit quidem Chriſtus nolitionem ſubeundæ ſeu volitionem declinandæ mortis, at inefficacem, cum quo ſtat quod habuerit ejuſdem mortis voluntatem efficacem, nolitio enim inefficax & volitio efficax, quamvis ſint reſpectu ejuſdem, non habent inter ſe oppoſitionem & incompoſſibilitatem, ut latè oſtenſum eſt *præcedenti libro ſecundo, capite quinto, paragrapho ſecundo & tertio.* Ex quo loco obiter deſumi poteſt valida aſſertæ veritatis confirmatio ſic; Voluntas humana Chriſti non potuit eſſe difformis voluntati divinæ efficaci; atqui voluntas divina efficaciter voluit corporales humanitatis defectus; ergo non potuit iſtos efficaciter nolle voluntas humana; alioqui jam eſſet difformis voluntati efficaci divinæ; ergo corporales humanitatis defectus non potuerunt Chriſto ſecundum voluntatem humanam eſſe ſimpliciter involuntarij aut violenti; remanet igitur quod fuerint voluntarij. Alia pro re præſenti confirmatio deſumi poteſt ex materia de merito, quatenus quod eſt meritorium, voluntarium eſt & liberum; atqui mors, paſſio, cæterique corporis defectus conſiſtentes in aliquo actu ſecundo fuerunt in Chriſto meritorij ergo fuerunt eidem voluntarij ac liberi & quidem ſecundum voluntatem humanam, quia ſecundum hanc, non ſecundum divinam, Chriſtus meruit.

Chriſtus voluntate humana mortẽ inefficaciter noluit efficaciter autem voluit.

26. Ex his habes Damaſcenum 3 *fidei cap.* 20. rectè dixiſſe de Chriſto *Neque enim in eo quidquam coactum conſideratur ſed omnia voluntaria, volens enim fame, volens ſiti, volens metu, volens morte affectus eſt*: cum hæc omnia Chriſtus etiam, ut homo, humanaque voluntate liberè voluerit, tum tanquam objecta liberè acceptata, tum inſuper tanquam effectus pro libito impedibiles, ſi aut conſiderentur antè applicationem cauſarum, aut comparentur ad voluntatem Chriſti humanam ſumptam ut inſtrumentum Verbi. Neque ſibi ipſi contrarius eſt Damaſcenus *eod cap* 20. in eo, quod paſſiones corporis in Chriſto naturales vocat, ut præſtant etiam Niceras *lib.* 3. *Theſauri cap.* 6. & Sophronius epiſtola relata in VI. Synodo Generali *art.* 11. Sibi, inquam, contrarios non eſt quia paſſiones illas naturales vocat ſumendo naturale pro reali, & prout opponitur apparenti, non ſumendo naturale pro neceſſario ſimpliciter, & prout opponitur voluntario, ac libero; poſſunt inſuper eædem paſſiones rectè dici naturales ſumendo naturale, pro ut opponitur aut ſupernaturali, aut violento.

In quo ſenſu corporales humanitatis defectus fuerint Chriſto naturales.

Dices: Chriſtus de facto paſſus eſt à Judæis mortem violentam, & ut nos ipſi documus *præcedenti numero octavo*, quando non fuiſſet violenta morte interfectus mors ei eveniſſet ex neceſſitate naturali, ſicut ex eadem neceſſitate aliquando eſurivit, & ſitivit: ergo nec benè aſſirmavimus paſſiones corporis in Chriſto fuiſſe naturales prout naturale opponitur violento; nec bene negavimus eaſdem fuiſſe naturales, ſumendo naturale pro
27. neceſſario. Sed contrà; mors à Judæis inflicta Chriſto dicitur violenta reſpectu appetitus ejus innati, & ſenſitivi, aut etiam impropriè & ſecundum quid reſpectu voluntatis,

quatenus

quatenus operatur,ut natura, & juxta inclinationem, quam habet ad bonum partis inferioris modo ſupra inſinuato *lib.2.cap.5.num.35.* at non dicitur mors illa violenta reſpectu humanæ voluntatis, quatenus operatur ut ratio, & ex motivo boni altioris, quàm ſit bonum partis ſenſitivæ. Quoad mortem neceſſitate naturali eventuram, ſi non fuiſſet à Judæis inflicta, dico talem neceſſitatem benè procedere reſpectu voluntatis humanæ conſideratæ ſecundum proprias vires, at non reſpectu ejuſdem conſideratæ ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi: Non tamen ideircò mors naturali neceſſitate eventura fuiſſet humanæ voluntati ſecundum proprias vires conſideratæ omninò involuntaria & nullatenus libera, ſed talis fuiſſet ſolùm in ratione effectus, cæterum in ratione objecti adhuc fuiſſet per liberam acceptationem volita, adeóque in tali ratione voluntaria prorſus ac libera.

CAPUT II.

De præcipuo Humanitatis defectu ex parte Animæ: Ubi de Chriſti impeccabilitate, & hujus concordia cum libertate,& merito in operibus præceptis.

1. PRæcipuus idémque peſſimus, Animæ defectus eſt peccatum, cui proxima eſt peccabilitas, ſeu potentia peccandi; utrumq; hunc defectum in humanitate Chriſti expendere,& ab ea excludere,præſentis Capitis ſcopus eſt; quia verò excluſa peccabilitate, ſeu potentia peccandi, difficilè ſubſiſtit libertas & meritum in operibus ſeu actibus cadentibus ſub præcepto, concordem iſtorum omnium cohærentiam facimus hujus ejuſdem Capitis materiam, & ſub eodem titulo collocamus. Porrò quoad peccatum Hæretici noſtrorum temporum fuere imprudentiores Antiquis, ex his enim nullus refertur, qui Chriſto aſcripſerit de facto aliquod peccatum,ſicuti tamen ex illis referuntur quidam Præmonſtratenſis Apoſtata, Antichriſtiani, & Calvinus auſi ore blaſphemo aſtruere, quod Chriſtus de facto peccaverit, & priores quidem ci tribuunt impatientiam & deſperationem propter verba illa in Cruce prolata, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*; Calvinus verò neſcio cujus culpæ Chriſtum inſimulat ex eo, quod in horro mortem refugerit, & oraverit dicens *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*, quamvis illicò (addit Calvinus) verbis ſequentibus *Verumtamen non mea voluntas ſed tua fiat*,revocaverit & correxerit ſuam inordinatam petitionem Quoad potentiam peccandi controverſia eſt non ſolùm à fortiori cum præmemoratis Sectarijs, ſed etiam cum alijs Antiquioribus, præcipuè Arrianis,qui facientes divinum Verbum creatum conſequenter facere potuerunt Chriſtum potentem peccare, quatenus divinum Verbum eſt, ne dum quatenus eſt homo: Videri autem poſſunt omnes hi errores apud Lindanum, Hoſium, Prateolum, & Nicephorum, relatos à Vaſquio *diſput. 61. cap.1.* & Suario *diſputat. 33. ſectione 1. & 2.* Non eſt tamen cum damnatis taliom errorum Auctoribus præcipua hujus loci controverſia; ſed cum Catholicis in aſſignando, undénam proveniat in Chriſti humanitate impotentia peccandi, ſeu impeccabilitas, ut conſtabit, poſtquam breviter oſtenderimus Chriſtum de facto, nec peccaſſe, nec peccare potuiſſe: Ideò ſit

Varij errores Hæreticorum aſcribentium Chriſto aliquod peccatum.

2. *Aut potentiam peccandi.*

§. I.

Utrùm Chriſtus de facto peccaverit, aut peccare potuerit.

ASſert. 1. Chriſtus de facto nullatenus peccavit: ly *nullatenus* excludit omne prorſus peccatum,ſivè mortale, ſive veniale; ſive commiſſum actu voluntatis propriæ ut peccatum perſonale,ſive actu voluntatis alienæ ut originale. Eſt veritas expreſsè de fide contra præmemoratos Sectarios. 3.

De fide eſt Chriſtum de facto nullatenus peccaſſe.

Probatur primò ex Scriptura, nam Iſaias *cap. 53.* deſcribens Chriſtum propter ſcelera noſtra attritum, percuſſum,vulneratum,de eodem ait *eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus*, ubi certè ſermo eſt de Chriſto ut homine,non ut Deo præcisè, quia Chriſtus ut homo, non ut Deus, eſt attritus, percuſſus,vulneratus; & quamvis per iniquitatem ut plurimùm ſignificetur culpa gravis, adeóque de hac ſola videatur teſtimonium adductum procedere, nihilominùs non incongruè iniquitas extenditur etiam ad culpam levem & peccatum quodcumque, undè Petrus *epiſt.1.cap.2.* repetens eadem ferè Iſaiæ verba pro iniquitate ponit peccatum,dicens de Chriſto *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus*: Sub eadem univerſalitate habetur Heb. 4. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato*: & cap. 7. *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex,Sanctus,innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Quin ipſemet Chriſtus ſecurus de propria immunitate ab omni culpa accuſatores & hoſtes ſuos fidenter interrogat Jo.8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Confirmatur ſpecialiter quoad peccatum originale *ex Luc.1.* ubi de Conceptione, ſeu de Nativitate Chriſti in utero Virginis habetur *Quod naſcetur ex te Sanctum,vocabitur filius Dei*; & certè cum Chriſtus non duxerit ex Adamo originem per ſeminalem propagationem,ſed fuerit Spiritu Sancto ſuperveniente & virtute Altiſſimi obumbrante genitus, nulla prorsùs eſt; vel apparens ratio ſuſpicandi traductam in ipſum originis culpam. Juxtà hæc, & id genus alia Scripturæ loca, jure optimo fuit aſſerta Chriſti immunitas ab omni peccato definita de fide in Concilijs Epheſino *canon. decimo*, Lateranenſi ſub Martino 1. *canon.5* & alijs.

Probatur ſecundò ratione: Triplici potiſſimum 4.

rum de cauſa Chriſtus aſſumpſit humanitatis defectus, & nulla ex hujuſmodi cauſis militat pro aſſumptione defectus peccati; ergo Chriſtus nullum peccatum aſſumpſit, adeóque nullatenus peccavit; antecedens probatur, quia ut colligitur ex jam dictis circa defectus corporis, & tradit in terminis Divus Thomas *quæſtione decima quinta articulo primo*, Chriſtus defectus noſtros ſuſcepit, ut pro nobis ſatisfaceret, ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, & ut virtutis exemplum nobis præberet; atqui ad nullum horum conducere potuit peccatum, atque adò nulla ex hujuſmodi cauſis militat pro peccati defectu ſuſcipiendo; ergo: probatur minor; Non conducit peccatum ad ſatisfaciendum, quia eſt vilitas quædã minuens valorem moralem operum, & reddens ea non accepta Deo, juxta illud Eccleſiaſt. 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus.* Non conducit ad comprobandam humanæ naturæ veritatem, quia difforme ei eſt non conforme, eamque infra ſeipſam deprimit, & deturbat à ſua puritate, unde etiam non eſt a Deo naturæ Auctore. Non conducit ad præbendum virtutis exemplum, quia virtuti contrariatur, & ſemen eſt ac proles vitiorum, unde etiam 1. *Pet.* 2. verba jam relata *Qui peccatum non fecit*, &c. conjunguntur illis alijs *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, ad inſinuandum ideò Chriſtum exemplum quod ſequamur nobis reliquiſſe, quia non peccavit; non potuit igitur peccatum aſſumere ad relinquendum nobis exemplum. Neque dicas ex peccato poſſe relinqui exemplum tum peccandi, tum pœnitendi; hoc ſecundum eſt exemplum virtutis, ad quod proptereà nobis relinquendum congruum Chri-

Ex oſtenditur id etiam ratione.

5\. ſto fuit peccatum ſuſcipere. Contrà enim, quod dicit perfectionem in pœnitentia eſt ſincere de peccato dolere, & voluntariè pro eo pœnam ſubire; quod deinde peccatum alienum ſit, vel proprium, pœnitentia abſtrahit, vel ſi requirit peccatum proprium dicit ex hac parte aliquid imperfectum, cujus exemplum non eſt à Chriſto exigendum.

Afferunt hic pro ſuo intento Sectarij præter verba Chriſti jam adducta *numero primo*, aliquas alias Scripturæ auctoritates, puta ex Pſalmo 37. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*, & ex Pſalmo 68. *delicta mea à te, non ſunt abſcondita*, in quo utroque loco plures cenſent Davidem locutum fuiſſe in perſona Chriſti: Item ex 2. *Corinthior.* 5. verba Apoſtoli dicentis de Deo *eum* (ideſt Chriſtum) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Tandem quod *Luc.* 3. habetur Joannem baptizaſſe in remiſſionem peccatorum, & Jesum fuiſſe à Joanne Baptizatum; habuit igitur Jeſus peccata, in quorum remiſſionem à Joanne baptiſmum ſuſceperit; & videtur hæc illatio habere peculiarem vim pro peccato originali, unde refertur quidam Felix Urgelitanus, qui non dubitaverit aſſerere Chriſtum fuiſſe ſpirituali generatione renatum Baptiſmo Joannis æquè, ac nos renaſcimur Baptiſmo Chriſti. Verùm Sectarij ſolùm ex abuſu, & pravo intellectu, Scripturas trahunt in ſui erroris confirmationem; & in primis petitionem ſeu orationem Chriſti in horto non ſapere inordinationem ullam conſtat ex

6\. eo, quod ſupra *lib. ſecundo, capite quinto, paragrapho tertio*, oſtenſum eſt humanam mortis declinandæ voluntatem, quam tunc Chriſtus ſignificavit, non fuiſſe difformem voluntati divinæ, unde fruſtrà Calvinus comminiſcitur eam fuiſſe retractatam verbis ſequentibus, quibus Chriſtus voluntati divinæ ſe ultrò ſubjecit. Non ſapit item inordinationem quòd Chriſtus in Cruce pendens dixit Patri *Ut quid dereliquiſti me*, nam ly *Ut quid* non fuit dubitantis, aut diſpenſantis, ſed dolentis, & dolorem ſuum explicantis, quod utpotè conducens ad comprobandam humanæ naturæ veritatem & paſſionis acerbitatem, fuit congruentiſſimè inferiori parti permiſſum, & videri hæc poterat à Patre ſeu a Deo derelicta, dum deſtituebatur omni ſpeciali auxilio ad leniendum ſenſum doloris, aut ad percipiendam ex parte ſuperiori redundantiam aliquam conſolationis. Neque dicas hanc interpretationem non rectè accommodari iiſdem fere verbis, quæ David in Chriſti perſona anteà protulerat *Pſal.* 21. dicens *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti*: & addens *longè a ſalute mea verba delictorum meorum*, qua additione Chriſtus fatetur ſe habere delicta ob quæ ſit à Deo derelictus & longè factus à propria ſalute.

Occurritur auctoritatibus, quibus Sectarij pro ſuo errore abutuntur.

7\. Contra enim: Verba, quæ per os David Chriſtus addiderat verbis à ſeipſo poſteà in Cruce proferendis, rectè ſuſcipiunt interpretationem jam adductam, dicendo Chriſtum vocare ſua delicta ea, quæ in ſe luenda ſuſcepit, & ly *longè à ſalute mea* procedere de ſalute corporis, adeò ut poſtquam doluit Chriſtus de ſua humanitate à Deo quaſi derelicta modo jam explicato, rationem addat dicens ſe ob delicta ſua, quæ ſcilicet in ſe luenda ſuſcepit, fuiſſe longè factum ab obtinenda liberatione corporis à graviſſimis tormentis paſſionis, & mortis. Aliæ nec incongruè, hujus textus interpretationes videri poſſunt apud Vaſquium *diſputatio. ſexageſima prima, capite primo*, nobis mox adducta ſufficiat, tanquam expedita, & opportuna intelligendis verbis alijs relatis ex *Pſalm.* 37. & *ſexageſimo octavo*, dato quod utrobique loquatur David in perſona Chriſti.

8\. Supereſt textus deſumptus ex 2. *Cor.* 5. ubi obſervandum eſt non dici ab Apoſtolo, quod Chriſtus peccatum fecerit, ſed quòd Deus fecerit eum peccatum; undè verba Apoſtoli, ut jacent, nullatenùs trahi poſſunt in ſenſum à Sectarijs intentum, & nihil aliud ſignificant, quàm Deum deſtinaſſe Chriſtum tanquam hoſtiam pro peccato, dictam in antiqua lege peccatum, undè comedentes de victimis pro peccato oblatis dicebantur comedere peccata juxtà illud Oſeæ 4. *Peccata populi mei comedent.* Vel dicitur Chriſtus factus peccatum, quatenùs factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, quâ ratione etiam *ad Galat.* 3. dicitur *factus pro nobis maledictum.* Ad poſtremum deſumptum ex Joannis baptiſmo, dico hunc fuiſſe miniſtratum in remiſſionem peccatorum, dumtaxat figuraliter, & nullam habuiſſe in ſe virtutem aut conferendi gratiam

aut remittendi peccata; undè etiam Chriſtus voluit à Joanne baptizari, non ut ſanctificaretur ab aquis, ſed ut ſanctificaret ipſe aquas, quemadmodum eleganter tradunt Sancti Ambroſius, Chryſoſtomus & Maximus apud Gonetum *diſputat.* 20. *articulo primo, numero octavo.*

9. Aſſert. 2. Chriſtus de facto, ſeu de lege ordinaria, peccare non potuit, eſt veritas fidei contrà eoſdem Sectarios, de quibus ſuprà, & inſuper contrà Arrianos, quorum tamen fundamentum deſumptum ex eo, quod Chriſtus etiam ut Verbum eſt, ſit creatura, ſupponitur jam alibi impugnatum, ideò ex hoc capite non eſt in hujus aſſerti probatione immorandum, aliunde autem.

Chriſtum de facto, ſeu de lege ordinaria, peccare non potuiſſe eſt de fide.

Probatur breviter eadem ratione, qua probatum eſt aſſertum præcedens nam poſſe peccare, ſeu potentia peccandi, nullatenùs conducit aut ad ſatisfaciendum pro nobis, aut ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, aut ad præbendum virtutis exemplum; ceſſat igitur in poſſe peccare æquè, ac in peccato, omne motivum aſſumptionis; ergo ſicuti inter alios humanitatis defectus non debuit Chriſtus aſſumere peccatum, ita nec debuit aſſumere poſſe peccare ſeu potentiam peccandi; etiamſi alioqui ſupponeretur potentiam hanc in Chriſto de lege abſoluta non repugnare, ut tamen reverà repugnat; undè quidquid in ſequentibus afferetur in ordine ad legem abſolutam militat à fortiori in ordine ad legem ordinariam abſque eo, quod in ordine ad iſtam neceſſe ſit pro nunc nos eſſe de ampliore probatione ſollicitos.

10. Porrò in ordine ad legem etiam abſolutam conveniunt quidem Catholici unanimiter in neganda potentia peccandi, & concedenda impeccabilitate Chriſto, ejuſque humanitati; at valdè diſſident in ratione & modo quatenùs aliqui ponunt eam oriri immediatè & formaliter non ex unione hypoſtatica, ſed ex viſione beata, quam ſemper Chriſtus habuit, & ex plenitudine gratiæ, in qua fuit confirmatus; & iſti putant humanitatem fore peccabilem ſi aſſumeretur à divina perſona impeditis, ſeu circumſcriptis, ſupernaturalibus donis gratiæ & gloriæ. Reliqui magis communiter ſicuti faciunt impeccabilitatem oriri etiam ex unione hypoſtatica immediatè, ita ſuſtinent impeccabilem humanitatem, quæ haberet præcisè gratiam unionis, nullum verò aliud ſupernaturale donum: Pro primo dicendi modo ſtant Scotiſtæ & Nominales, pro ſecundo Thomiſtæ & Recentiores; ex iſtis tamen aliqui ſumunt impeccabilitatem ſolùm pro impotentiâ peccandi retentâ unione ſeu conjungendi peccatum cum unione, non ſimul pro impotentiâ peccandi deſtructa unione ſeu amittendi per peccatum unionem. In propoſito igitur occurrunt tres præcipuè ſententiæ.

11. Prima abſolutè negat unioni hypoſtaticæ ſecundùm ſe ſumptæ repugnantiam cum peccabilitate & peccato, adeò ut natura hypoſtaticè unita divinæ Perſonæ peccare poſſit etiam in ſenſu compoſito unionis ſeu retinendo unionem. Ità Durandus *in 3. diſtinct. 12. quæſtio. 2.* Gabriel *ead. diſtinct. quæſt. un. articulo 2.* Marſilius *in 3. quæſt 9. artic. 3.* Mayronus *diſtinct. quinta quæſt. prima,* Scotus *diſtinct. ſecunda, & duodecima, quæſtio prima,* Faber *diſputat. vigeſimaſeptima,* Maſtrius *diſput. 2. quæſtio ſecunda, articul. primo,* Hermcx *diſput. 2. quæſtio. 3. numer. 44.* &c.

Secunda abſolutè aſtruit talem repugnantiam, adeò ut natura hypoſtaticè unita divinæ Perſonæ, nec retineodo cum peccato, nec amittendo ex vi peccati unionem, peccare poſſit. Ita Magiſter *in 3. diſt.* 12. D. Thomas *ead. diſt. quæſt. 2. art.* 1. Argentinas *quæſt. 1. articul. 2.* Capreolus *quæſt. un. art* 1. Joannes à S. Thoma *diſput. 6. articul.* 1. Gonetus *diſput.* 20. Gabriel à S. Vincentio *diſput. 15. dub.* 2. Suarez *diſp. 33. ſec.* 2. Vaſquez *diſput. 61. cap.* 3. Amicus *diſp. 24. ſec.* 1. Eſparza *quæſt.* 29. Maderous *quæſtio. 7. artic.* 3. &c. 12.

Tertia aſtruit unionis hypoſtaticæ repugnantiam cum peccabilitate, qua natura hypoſtaticè unita divinæ Perſonæ peccare poſſit retinendo, non qua peccare poſſit amittendo unioocm; quod eſt in rigore ſuſtinere unionis hypoſtaticè repugnantiam cum peccato dumtaxat, non cum peccabilitate. Ita Hurtadus *diſput. 59. & 60.* Arriaga *diſp. 55. ſec. 5.* alijque nonnulli. Huic tertiæ ſententiæ inter duas priores mediæ addi poteſt ſententia Alenſis 3. *par. quæſt. 12. memb. 1. art. 1.* & *quæſt. 7. memb. 2. art. 2.* docentis unionem hypoſtaticam eſſe quidem incompoſſibilem cum peccato; at hoc provenire ex eo, quod nequeat hypoſtaticè aſſumi natura niſi diſpoſita per gratiam habitualem, cum qua putat peccatum componi non poſſe: Item Henrici *quodlib. 6. quæſt. 6.* ſuſtinentis quidem omnimodam unionis hypoſtaticæ repugnantiam cum peccato, imò & cum peccabilitate, at hoc refuudentis in viſionem & fruitionem Dei, qua putat carere non poſſe naturam hypoſtaticè aſſumptam à divina Perſona. Sic relatis ſententijs, tum medijs, tum extremis, ut ſenſum noſtrum proferamus, ſit 13.

---

§. II.

Undenam humanitas Chriſti habeat, & quantam habeat impeccabilitatem etiam de potentia abſoluta.

ASSERT. 1. Humanitas Chriſti habet etiam de potentia abſoluta impeccabilitatem immediatè, & formaliter, ex unione hypoſtatica, Ita Auctores præcitati pro ſecunda ſententia cum multa tamen inter ſe diverſitate judicij, & cenſuræ in ſententiam oppoſitam, contrà quam Capreolus dicit non eſſe agendum argumentis, ſed flammis; eandem Medina ait eſſe errori propinquam & à Scholis explodendam; Suarez neque ſine temeritate, neque ſine quadam impietatis ſpecie, defendi poſſe; Vaſquez eſſe aliquâ notâ dignam: Gonetus, Gabriel à S. Vincentio, Maderus, & reliqui abſtinent ab omni cenſura; & certè periculoſum eſt cenſuram inurere doctrinæ, quam 14.

Chriſtus nec de potentia abſoluta peccare poteſt idque habet immediatè, & formaliter, ex unione hypoſtatica.

Varium cum de ſententia oppoſita, tū de aſſerta veritate judicium.

quam multi & graves Auctores, tum antiqui, tum Recentes, ſolemniter acriterque propugnant, & in Cenſores ſuos cenſuras aculeoſque retorquent; Gabriel enim ut refert Vaſquez *præcitat. diſput.61. numero 7.* in aliquos, qui opinionem, de qua agitur, piarum aurium offenſivam appellaverant, ſcripſit pias aures cenſeri debere non ignorantis vulgi, ſed doctorum, doctos autem talem opinionem nullo modo offendere; eamdem Herinex *præcitat. num.44.* dixit temeritatis nimis temere à nonnullis notari; & Maſtrius *præcit. art.1.num.34.* Ateriuum, quem unum inter Scotiſtas refert in hoc puncto receſſiſſe à ſua ſchola, redarguit quòd clamoribus & cenſuris perterritus trepidaverit timore, ubi non eſt timor. Verùm ſtet ſua cuique ex præmemoratis ſententijs probabilitas ac immunitas a cenſura, & nobis ſufficiat ſententiam aſſertam præferre, tanquam magis probabilem, magis piam, magis receptam, & tum Sanctorum Patrum dictis, tum noſtris principijs alibi poſitis, magis conformem.

15\. Probatur primò ex Sanctis Patribus qui non ſolùm dicunt Chriſtum peccare non potuiſſe, ſed hoc inferunt ex eo, quia *Chriſtus fuit idem, qui erat Deus Verbum*, eſt locutio Dionyſij Alexandrini *in epiſt. contra Paulum Samoſatenum*: vel quia *Chriſti anima quaſi ferrum in igne, ſic ſemper in Verbo, ſemper in ſapientia, ſemper in Deo poſita eſt*; eſt locutio Origenis *lib.2. Periarchon cap.6.* vel quia *caro Chriſti effecta eſt caro Verbi omnia vivificantis*, eſt locutio Cyrilli Alexandrini *lib. de recta fide ad Theodoſium*; vel denique quia *in Domino Chriſto tota humana ejus conſperſio* (ideſt natura) *ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper, & in omnibus, mota, Deo mobilis erat*, eſt locutio VI. Synodi *act.8.* Quibus & ſimilibus teſtimonijs fuſius relatis à Vaſquio *præcit. cap.3.* cum nulla fiat mentio confirmationis in gratia, viſioniſvè beatæ; ſed ſolùm unionis & conjunctionis humanitatis cum Verbo, hæcque unio ſecundùm ſe præcisè & ſubſtantialiter accepta, ſive de ordinaria, ſive de abſoluta potentia, ſemper ſit ejuſdem rationis, videtur omninò intercludi aditus explicationi, qua Sancti Patres congruè intelligantur locuti, vel de ſola potentia ordinaria, vel de impeccabilitate immediatè conſequente confirmationem in gratia, viſionemvè beatam.

16\. Probatur ſecundò ratione. Humanitas Chriſti immediatè, & formaliter, ex unione hypoſtaticâ, aut magis propriè loquendo ex hypoſtaſi & naturâ divinâ, ſibi ſubſtantialiter unitâ habet ſanctitatem, quâ redditur ſancta infinitè, adeò ut in genere ſanctitatis participatæ non ſit excogitabile aliquid Sanctius; atqui nequit habere talem ſanctitatem, quin habeat etiam de potentia abſoluta impeccabilitatem; ergo humanitas Chriſti habet etiam de potentia abſoluta &c. Major præſertim quoad ly *immediatè*, *& formaliter* negatur quidem à Durando, Marſilio, Scotiſtis, Nominalibus, & ferè omnibus ijs, quos habemos in aſſertæ impeccabilitatis modo Adverſarios, fuit tamen à nobis probata ex profeſſo *præced. lib.2. cap 6. §.1.& 3.* nec eſt, cur in ea probanda, aut propugnandâ, iterùm immoremur: Probatur minor ex eo, quia impeccabilitas ſpectat ad ſanctitatem, & eſſentiali Dei ſanctitati tribuitur; quod Deus ſit eſſentialiter impeccabilis, & quando Chriſti humanitas ex unione hypoſtaticâ non haberet impeccabilitatem eſſet excogitabilis humanitas aliundè ſanctior; ea ſcilicet, quæ haberet impeccabilitatem, imò eſſet de facto ſanctior quælibet natura intellectualis beata & videns Deum. Confirmatur: Dei ſanctitas ſubſtantialis & increata, quamvis (ut nos ipſi docuimus *præcit. §.3.*) non reddat 17.
tam Sanctam naturam humanam cui per unionem diſtinctam communicatur, quàm naturam divinam cui identificatur, nihilominùs quoad excluſionem ſui contrarij, quamdiù ſupponitur naturæ inexiſtens habet ſuo modo parem utrobique vim; & diſcrimen conſiſtit in eo, quod ab humanitate cui unitur poteſt ſeparari, & per ſui ſeparationem relinquere ſuo contrario locum, non ſic reſpectu divinitatis cui identificatur; ergo Chriſti humanitas ex unione hypoſtatica, qua habet ſibi communicatam ſubſtantialem Dei ſanctitatem, importat etiam de potentia abſoluta impeccabilitatem, ſeu peccabilitatem excludit, ſicut natura divina ex eadem ſanctitate ſubſtantiali ſibi identificata; antecedens probatur ex eo, quia vis excludendi contrarium provenit ex repugnantia exiſtendi ſimul cum ipſo in eodem ſubjecto, tam autem exiſtunt ſimul duo, ſi unum ſit identificatum, alterum unitum ſubjecto, quam ſi utrumque ſit unitum; nec minor eſt circa idem objectum repugnantia amoris cum odio, aſſenſus cum diſſenſu, dum id de facto præſtamus per actus à nobis diſtinctos, quàm ſi id præſtaremus per alterum ex duobus, aut etiam utrumque actum identificatum.

In ordine ad excluſionem contrarij per accidens ſe habet, quod forma inſit ſubjecto per identitatem, aut per diſtinctam unionem.

Dices primò: omiſſa majore quoad de facto, ſaltem de potentia abſoluta non repugnat alia unio hypoſtatica, per quam Perſona divina non communicet tantam ſanctitatem naturæ aſſumptæ, quantam Verbum communicat de facto humanitati Chriſti; ergo ſaltem de potentiâ abſolutâ eſt dabilis humanitas, vel natura, quæ ex unione hypoſtaticâ non habeat ſanctitatem ſummam, & eſſentialiter cum impeccabilitate connexam; antecedens probatur, quia Perſona divina, ſicut liberè aſſumit naturam creatam, ita liberè ei communicat ſuam ſanctitatem; poteſt igitur hanc communicare majorem, vel minorem. Sed contra: 18.
nego antecedens loquendo de ſanctitate divina ſubſtantiali, conſiſtit enim iſta in indiviſibili, undè etiam ſuprà dicebamus opera Chriſti ex gratia unionis, & dignitate perſonæ, non poſſe habere valorem inæqualem, & libertatem Chriſti exerceri in eliciendis illis vel non eliciendis; at non in illis magis vel minùs dignificandis ſuppoſito, quod eliciat; ſic Perſona divina eſt libera in aſſumenda vel non aſſumendâ naturâ creatâ, at ſuppoſito, quod aſſumat, non eſt libera in ea magis vel minùs ſubſtantialiter ſanctificanda; Quòd ſi ſermo ſit de ſanctificatione, & ſanctitate accidentali, poteſt quidem hæc in alia natura aſſumpta eſſe minor, quàm ſit de

facto in humanitate; at ab hac non currit paritas ad ſanctitatem ſubſtantialem; accidentalis quippè eſt diviſibilis & communicatur à Verbo efficienter, ſubſtantialis conſiſtit in indiviſibili & communicatur à Verbo formaliter.

Dices ſecundo: etiamſi omittatur ſimpliciter major, adhuc allata probatio & confirmatio eſt ex parte minoris propoſitionis infirma primò, quia peccabilitas ſeu potentia peccandi non eſt culpabilis, cum non ſit humanitati voluntaria, non officit igitur ſanctitati, & quantumvis iſta creſcat, non eſt neceſſe quod iſtam excludat, præſertim de potentia abſoluta: Secundò quia datur in humanitate Chriſti potentia peccandi remota, cum hæc ſit eſſentialis voluntati creatæ, utpotè ab ejus limitatione & finitate proveniens, & tamen noſtra arguendi forma potentiam peccandi etiam remotam ab humanitate Chriſti excluderet: Tertiò, quia licet humanitate Chriſti non ſit excogitabile aliquid ſanctius in ordine creato, eſt certè ea ſanctior Deus in ſeipſo, Sancti autem Patres docent impeccabilitatem eſſe propriam ſanctitatis, quam habet Deus in ſeipſo, ſic D. Hieron. *tract. de filio prodigo* ait *Solus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.* Et D. Ambroſ. *lib. 3. de Spiritu Sancto cap.* 19. habet *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia eſt, ſola autem eſt à peccato immunis, & immaculata, ſempiterna divinitas.* Sed contrà: Obſervandū eſt ex D. Thoma *in 3. diſt.* 12. *q.* 2. *art.* 2. peccabilitatem ſeu potentiam peccandi ſumi poſſe tum pro ea, quæ dicit ordinem ad peccatum tanquam ad actum ſecundum & effectum; tum pro ea, quæ dicit ordinem ad peccatum præcisè, tanquam ad ſpecificativum, & qua peccatur quoties peccatur; ſicut proportionaliter poteſt duplici hoc modo ſumi potentia videndi, & ſecundo, non primo modo, datur in cæco; hinc ad primam inſtantiæ rationem dico ſanctitati creatæ non officere potentiam peccandi ſumptam ſecundo modo, benè tamen primo; & hoc primo modo, quamvis non ſit voluntaria ſecundùm illud, quod dicit in recto, & ex parte actus primi præcisè; benè eſt voluntaria ſecundùm illud, quod dicit in obliquo, & ex parte actus ſecundi tanquam effectus voluntariè ponibilis, undè etiam eſt ſuo modo culpabilis in obliquo, & ex parte actus ſecundi per ipſam ponibilis.

19. Potentia peccandi ſumitur dupliciter.

20. Ad ſecundam dico potentiam peccandi remotam nihil aliud eſſe, quam potentiam peccandi ſumptam poſteriore modo ex duobus explicatis, & ſimilem potentiæ videndi exiſtenti in cæco, quæ non dicit ordinem ad viſionem, ſicut nec illa ad peccatum, tanquam ad actum ſecundum & effectum, ideò talis potentia remota nullatenùs officit ſanctitati in ordine creato ſummæ, nec contra ipſam militat probatio à nobis adducta. Neque dicas: Nonne eſſet magis Sancta natura creata, quæ hujuſmodi potentiam peccandi etiam remotā excluderet? Contra enim, talis natura neque eſſet magis, neque minus ſancta, ſed repugnās, quia non amplius eſſet ex nihilo, nec haberet creatam voluntatem. Ad tertiam dico impeccabilitatem, quam Sancti Patres tribuunt ſoli Deo eſſe impeccabilitatem à ſe, independentem ab omni gratiæ dono, & excludentem potentiam peccandi etiam remotam & reſpicientem peccatum, dumtaxat ut ita dicam ſpeculativè & tanquam purum ſpecificativum, hujuſmodi autem non eſt impeccabilitas, quam nos tribuimus humanitati Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ; ideò &c.

Quid ſit Chriſtum habere potentiam peccandi remotam.

21. In quo ſenſu impeccabilitas ſit Dei propria.

Præter argumentum impeccabilitatis Chriſti ab ejus ſubſtantiali, ſummâque ſanctitate deſumptum, quod utpotè noſtris principiis jam ſuprà traditis cohærens, illiſque ſuppoſitis facile ſimul & efficax, placuit primo loco proferre & aliquantulò latiùs proſequi: Præter tale, inquam, argumentum, inter reliqua, quæ variis afferuntur, præcipuum cenſendum eſt, nec prorsùs omittendum argumentum deſumptum ex eo, quod ſi humanitas Chriſti peccaret aut peccare poſſet, peccaret quoque aut peccare poſſet ipſemet Deus ſeu ipſummet Verbum, tum per communicationem idiomatum, tum per ſe ipſum & ratione ſui, culpa & defectu afficiente ipſam divinam voluntatem. Peccaret aut peccare poſſet per communicationem idiomatum quia per hanc quæ in Chriſto dicuntur de homine, dicuntur etiam de Deo ſeu de Verbo, ut explicatum eſt *præced. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 19. & 36. Peccaret inſuper, aut peccare poſſet Deus ſeu Verbum per ſe ipſum & ratione ſui, duplici ex capite; primò ſcilicet ex eo, quia divini Verbi ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum per ſe influat in omnem operationem naturæ quam terminat, & ſit principium *quod* agendi, juxtà illud tritum *Actiones ſunt ſuppoſitorum*: Secundò, quia Deus, aut ſaltem Verbum, per unionem hypoſtaticam ſpecialiter conjungitur naturæ humanæ, ad quam habet aliunde maximam ſuperioritatem, quoties autem duo ſpecialiter conjunguntur, tanquam ſuperius & inferius, ſuperiori incumbit debitum regendi & gubernandi quod inferius; & mala, quæ in inferiori impedire poteſt, & non impedit, ipſimet ſuperiori imputantur, ut patet in appetitu rationali reſpectu appetitus ſenſitivi, item in Domino, Viro, & Patre, reſpectu Servi, Uxoris, & Filii. In hoc trimembri argumento, ut judicium meum proferam, placet primum membrum, quia dicere Verbum peccat, Verbum poteſt peccare, quamvis ſolum denominativè & per communicationem idiomatum dicatur, non poteſt non offendere pias, ſaltem rudiorum, aures; & tamen ab hac etiam offenſione, niſi graviſſima doctiores viros cogat neceſſitas, abſtinendum eſt; & nimis facilè eam, tanquam inane terriculamentum negligunt Adverſarii ferè omnes, quin & aliqui ex præfixi aſſerti Patronis, qui propterea cenſent ex prædicta denominatione non rectè probari Chriſti impeccabilitatem: Diſplicet ſecundum membrum, tanquam procedens ex falſo ſuppoſito, ſecundùm nos enim, ut ſæpius attigimus, ſubſiſtentia non eſt principium influxivum in operationes naturæ, nec actiones ſunt ſuppoſitorum influxivè ſeu elicitivè, ſed denominativè tantum. Tertium membrum continet doctrinam pulcram & ſpecioſam; at difficilem & gravibus inſtantiis obnoxiam, propterea que indigam multæ explicationis, & accurationis examinis; cu-

22. Fertur judicium de argumento impeccabilitatis Chriſti deſumpto ex eo quod ſecùs peccaret aut peccare poſſet ipſe Deus ſeu ipſum Verbū.

jus

jus quia mihi nunc nec neceſſitas eſt nec otiū, abſtineo à ferendo de ejus efficacia & vi judicio, contentus lectori indicare aliquos ex ijs, qui eam latius acriuſque, tum propugnaut, tum impugoant: Propugnaot ſcilicet Suarez *diſputat.33.ſect.2. §.ſecunda ergo ratio.* Arriaga *diſput.34.ſect.4.ſubſect.1. & 2.* Gonerus *diſp.20. art.1.§.3.& §.7.n.50.* Madernoa *q.7.art.3.n.11.* &c. Impugnant Vaſquez *diſp.61.c.5.* Hurtadus *diſp.59.§.61.* & præter aliquos alios ex aſſertæ impeccabilitatis defenſoribus, Maſtrius *diſp.2. q.2.art.2.n.52.* cæterique omnes ejuſdem impeccabilitatis Adverſarij.

23. Dices impugnando primum argumenti mēbrum: Deo, Verboque divioo ſecuodum ſe non minus tepugnat mors aut poſſe mori, quàm peccatum aut poſſe peccare, nec minus illi eſſentialis eſt ac inamiſſibilis vita, quàm ſanctitas; atqui hoc noo obſtante per communicationem idiomatum rectè dicitur, Verbum divinum eſt mortuum, eſt porens mori; ergo ſimiliter rectè dicetur, eſt peccans, eſt porens peccare: Poteſt hæc eadem inſtantia formari in alijs multis prædicatis humanitatis, quæ Deo ſecundum ſe maximè repuguant, & tamen ei ſecundum quod eſt in Chriſto per communicariooem idiomatum denominativè conveniunt; talia ſuoe eſſe paſſum, eſſe ſepultum, eſſe loco circumſcriptum, habere potentiam remotam peccandi, ſeu porentiam qua peccatur, &c. Hioc Adverſarij ferè omnes concedunt ſine ſcrupulo propoſitionem illam, Deus ſeu perſona Verbi in humanitate ſubſiſtens peccabilis eſt, peccare poteſt, & in hypotheſi humaoitatis peccantis peccat, ſubintelligendo, per communicationem idiomatum; Permittunt id inſuper Lugus, Arriaga, aliique noonulli aſſerentes quidem Chriſti impeccabilitatem, at cenſentes ad illam probandam oullius eſſe roboris ſequelam deductam ex communicatione idiomatum; utpote ex ſe noo ab-

24. ſurdam, oec ex terminis falſam. Sed contrà: auctoritas multorum ſequelam, de qua agitur, admittentium aot permittentium, poterit eam reddere à cenſura gravi immunem; at nunquam piam, plauſibilem, nec mihi probabilem; ideò ad inſtantiam nego majorem, vel etiam diſtinguo, oon minùs repugnat immediatè & denominatione deſumpta à natura aliena, oego majorem, & conceſſa minore, nego cooſequentiam; ratio diſtinctionis eſt, quia peccare & poſſe proximè peccare ſunt mala moralia; pati, mori, poſſe mori, & ſimilia ſunt mala phyſica; mala autem moralia nec poteſt Deus iu ſe habere, nec in alijs per ſe caoſare; mala phyſica, quamvis non poſſit habere in ſe, poteſt per ſe cauſare in alijs; hiuc proportionaliter à malis moralibus, nec ut in propria, nec ut in aliena oatura ſibi unita exiſtentibus, denominari poteſt, benè verò hoc ſecundo modo denominari poteſt à malis phyſicis; hincque etiam moralia mala, non phyſica, eſſentialiter excludit ab aliena natura ſibi unita: Alia ratio fit, qoia mala phyſica opponuntur perfectionibus divinis phyſicis, quæ noo tribuunt ſuum effectum formalem naturæ aſſumptæ, neque enim humanitas in Chriſto vivit formaliter vitâ divinâ, aut immenſitatur formaliter divina immenſitate; at mala moralia oppoountur divinæ ſanctitati, quæ tribuit ſuum effectum formalem naturæ aſſumptæ, undè ex ſupradictis humanitas Chriſti redditur formaliter ſancta ſubſtantiali Dei ſanctitate; eſt igitur ſpecialis neceſſitas excludendi à natura hypoſtaticè aſſumpta, & à communicatione idiomatum, mala moralia, non mala phyſica.

Cur mala moralia, non phyſica repugnent naturæ aſſumptæ, & nec per communicationem idiomatum convenire poſſint Deo.

Aſſert. 2. Humanitas Chriſti ex unione hypoſtatica habet impeccabilitatem, qua excludit omnem prorsùs proximam expeditamque potentiam peccandi, adeò ut nec retinendo ſimul cum peccato, nec amittendo ex vi peccati unionem, peccare poſſet. Hoc aſſertum eſt ſingillatim contra Hurtadum, Arriagam, alioſque nonnullos, de quibus suprà *numero decimotertio.* 25.

Chriſtus neque etiam peccato unionem hypoſtaticā deſtruente peccare poteſt.

Probatur primò ijſdem argumentis, quibus aſſertum præcedens, nam in primis multum detrahitur prælaudatis auctoritatibus Sanctorum Patrum, ſi limitentur ad impeccabilitatem unione retenta, & aſtruatur unio hypoſtatica incompoſſibilis cum peccato potius, quàm cum potentia peccandi, quod eſt in re vix tribuere gratiæ unionis repugnantiam cum peccato majorem, quàm gratiæ habituali, de qua etiam multi docent, quod nec de potentia abſoluta poſſit aliquis eam habens peccare ea retenta. Ratio prætereà ſupra deducta tum ex ſanctitate, qua in ordine creato non ſit excogitabilis major; tum ex denominatiooe potentis peccare nequidem per communicationem idiomatum Deo tribuenda, benè militat pro præſenti intento; nam non poſſe peccare etiam unionem ex vi peccati amittendo eſt aliqua major ſanctitas, quàm non poſſe peccare dumtaxat unionem ſimul cum peccato retinendo, & dicere, Deus aut Verbum eſt potens peccare, per hoc quod addatur, *amittendo unionem*, vix quidquam amittit de duritie aurium offenſivā.

Dices de potentia abſoluta Deus poteſt pro ſuo libito deſtruere unionem hypoſtaticam; ergo à fortiori eam poteſt deſtruere in pœnam peccati; ergo poteſt humanitas Chriſti peccare peccato unionem hypoſtaticam deſtruente, ſeu Deum movente ad unionem hypoſtaticam deſtruendam. Sed contrà; concedo antecedens, diſtinguo conſequens; ergo à fortiori eam poteſt deſtruere in pœnam peccati utcumque, concedo; in pœnam peccati, quod committatur ab ipſamet humanitate Chriſti, ſeu ab ipſamet natura habente unionem hypoſtaticam, nego; & ratio eſt, quia hæc natura antecedenter ad peccatum, adeóque antecedenter ad deſtructionem unionis hypoſtaticæ, haberet potentiam proximam peccandi; haberet igitur hanc potentiam ſimul cum unione; & tamen illud, quod nos nunc contendimus, eſt talem potentiam proximam non ſolùm ratione ſui effectus, ſed etiam ratione ſui præcisè repugnare cum ſumma ſanctitate unioneque hypoſtaticâ, ac per conſequens ne quidem in illo priori, in quo antecedit peccatum, poſſe eſſe ſimul cum unione hypoſtaticâ. 26.

Unio hypoſtatica poſſet divinitus deſtrui in pœnam peccati; at non commiſſi à natura habente unionem.

Urgebis: Humanitas Chriſti præcedit na-

entâ uuionem hypoſtaticam, tum quoad primum inſtans ptoductionis, tum quoad ſingula inſtantia conſetvarionis, adeò ut prius naturâ extiterit, & in quolibet inſtanti aſſiguabili temporis ptius natuiâ conſetvetur humanitas, quàm unio hypoſtatica; ergo pro priori natutæ poteſt humanitas Cbriſti habere, tum in primo, tum in teliquis ioſtantibus, potentiam peccandi abſque eo, quod hanc habear ſimul cum onione hypoſtatica; ergo abſque hac ſimultate poſſet Deus velle conſervate unionem hypoſtaticam in hoc inſtanti verbi gratia ſi humanitas pro eo priori oaturæ, quo unionem in boc inſtanti præcedit, non ſe determinet ad peccandum; nolle conſervare, ſi ſe ad peccandum determinet, quod eſt humanitatem Chriſti habere potentiam peccandi peccato impeditivo conſervatioois unionis ſeu de-

27. ſtructivo ipſins. Sed contta: Qui dicunt ſubſiſtentiam eſſentialiter requiti ad opetandum facilè ſe expediunt dicendo pro illo priori naturæ, pro quo humanitas Chriſti præcedir ſubſiſteotiam unionémque hypuſtaticam, non poſſe intelligi potentiam proximam ad peccatum, eo quod iſtud ſit operatio, & potentia peccandi ſit potentia operandi, ad conſtituendam autem quamcunque potentiam proximam operandi requiratur ipſamet ſubſiſtentia; Purrò in noſtris principijs, quibus admittimus naturam, antequam ſubſiſtat, poſſe divinitus operari; ae per coofequens poſſe habere operationem, ne dum potentiam proximam operandi, antequam habeat ſubſiſtentiam, videtur magis urgere difficultas: Nihilomious concedo antecedens, nego conſequeotiam, vel majotis claritatis gratiâ diſtinguo abſque eo quod hanc habeat ſimul cum unioae hypoſtaticâ ſimultate naturæ concedo; ſimultate temporis, oego: vel formaliter, concedo, atguitivè & illativè, nego; cum enim poteutia proxima peccandi non poſſit exiſtere in humanitate præcise pro aliquo inſtanti naturæ, ſed ſi pto inſtanti natuiæ exiſtit, conſequens ſit, quod exiſtat pro inſtanti temporis, fit quod humanitas Chtiſti nequeat habere potentiam proximam peccandi pto priori naturæ ad unionem hypoſtaticam, quin eam babeat pro inſtanti temporis, quo exiſtir unio hypoſtatica, adeóque quin illam habeat ſiouliate temporis & illative ſimul cum unione hypoſtaticâ; ſi igitur boc ſecundum tepugnat, repugnat & illud primum, ex quo ſecundum neceſſario ſequitur.

28. Impeccabilitatem Chtiſti aliquæ aliæ difficultates dubitationéſque conſequuotor, quas operæ pretium eſt ſingillatim expendere, & primo quidem occurtit difficultas omnium graviſſima deſumpta ex eo, quod Chriſtus habuerit libertatẽ & meritum in adimplendo præcepto mortis ſubeundæ; cum enim ex una parte libertas ſit potentia ad oppoſita, atque adeò libertas adimpleodi præceptum ſit potentia adimplendi ipſum, & non adimplendi; & ex alia parte ſicut non adimplere præceptum eſt peccare, ita potentia non adimplendi ſit potenoia peccandi, difficillimum videtur & ex terminis repugnans, quod Chriſtus ſeu Chriſti humanitas habuerir libertatem adimpleodi præceptum mortis, & non habueris potentiam peccandi; unde jure in hoc puncto cruciantur, vatiaſque admodum in ſententias diſſecantur, Scholaſticorum ingenia, & ut omittam aliquos iogenuè fateotes ſe difficultati ſuccumbere, ſicut de Vincentio Aſturiceoſi refert Ioannes à S. Thomâ *diſp. 17. art. 4. num. 26.* quid potiſſimum reliqui ſenſerint, ſtatim expono: Ideò ſit

Ratio dubitandi, & difficultas graviſſima, circa Chriſti impeccabilitatem cum præcepto & libertate conciliandam.

---

§. III.

Quomodo varij variè concilient in Chriſto humanitatis impeccabilitatem, ejuſdem libertatem ac meritum, & præceptum mortis ſubeunda?

ASSERT. Ad quatuor præcipua capita reduci poſſunt modi varij conciliandi ea, quæ in titulo recenſentur. 29.

Probatur, & explicatur: ſicut tria ſunt, quæ conciliaoda proponuntur, ita penes ſingula latius mitiuſque accepta excogitarunt Auctores varios modos conciliandi quodlibet ex ſingulis cum alijs duobus; ſicque omnes iſti modi commode reducuntur ad tria capita; quibus ſi addas modum aliquem eadem tria cooiliandi, etiamſi ſingula ſumantur ſtrictius & in toto rigore, jure etiam addes caput aliud, ſub quo tales modi collocentur; ad quatuor igitur præcipua capita reduci poſſunt modi varij conciliandi &c.

Varij prædictæ conciliationis modi ad quatuor capita reducuntur.

Primum caput eſt eorum, qui latius ſentientes de Chriſti impeccabilitate ponunt hanc eſſe moralem tantùm, non phyſicam; ac per conſequens relinquere expeditam potentiam phyſicam peccandi; de libertate autem ad meritum requiſita addunt non eſſe neceſſe, quod ſit potentia moralis, ſed ſufficere quod ſit potentia phyſica ad oppoſita; cum igitur reſpectu ejuſdem benè cohæreant potentia phyſica & impotentia moralis, benè ſtat, inquiunt, quod Chriſtus in obſervatione præcepti habeat titulo libertatis ac meriti potentiam, titulo impeccabilitatis impotentiam tranſgrediendi, quia illa potentia eſt phyſica, iſta impoteotia eſt moralis. Ita Argentinas *in 3. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad 5.* Marſilius *quæſt. 2. art. 2.* Poncius *diſp. 39. quæſt. 11.* & aliqui alij præſertim ex Scotiſtis & Nominalibus. Ad hoc caput reduci poteſt etiam modus dicendi illorum, qui impeccabilitatem Chriſti faciunt provenientem à providentiâ extrinſecâ Dei, qui in ordine ad omnem præceptorum obſervantiam præparaverit Chriſto Domino auxilia efficacia, hæcque libertatem non imminuant, eo quod per ſcientiam mediam præviſa ſit humana Chriſti voluntas ex propriâ libertate in talibus circumſtantijs, & cum tali auxilio, obſervantiam volitura. Ita Suarez *diſp. 37. ſec. 3. § Supereſt tamen* Molina *1. par. quæ. 14 art. 13. diſp. 18.* in fine, & aliqui alij ex Auctoribus ſcientiæ mediæ. 30.

Secundum caput eſt eorum, qui latius ſentiunt de Chriſti libertate, eaque valdè tenui ad meritum contenti ſunt, quatenus vel putant 31.

ad

ad meritum ſufficere libertatem, quam vocant eſſentialem, & idem eſt ac ſpontaneitas, nec importat potentiam ad oppoſita; vel requirunt quidem ad meritum libertatem, quæ ſit potentia ad oppoſita, at exiſtimant ſufficere, quod ſit potentia remota, & carens proximo uſu libertatis, qualis per hos Auctores reperitur in beatis relatè ad amorem beatificum. Solum primum libertatis modum Chriſto tribuit in ordine ad præceptorum obſervantiam Faber *in 3. diſt.44. cap.1.* Secundum Maſtrius *diſp.3. quæſt.9. num.*89. & major reliquorum Scotiſtarum pars.

32. Tertium caput eſt eorum, qui latius explicant, & uti dicam mitigant aut modificant reſpectu Chriſti præceptum de morte ſubeunda, adeò ut vel in ipſo negent præcepti rigorem & proprietatem: vel ponant ipſum cadere ſolùm circa mortis ſubſtantiam, non circa motivum & circumſtantias; vel tandem ei addant modificationem aliquam ſeu conditionem, dependenter à quâ ſalvent in ejus obſervantiâ cum impeccabilitate libertatem: Hinc primo docent aliqui præceptum propriè dictum, & in conſcientia obligans, debere eſſe comminatorium culpæ & pœnæ ob culpam incurrendæ, ideò non poſſe fieri ei cui comminatio culpæ & pœnæ ob culpam incurrendæ eſſet comminatio rei impoſſibilis, ſicuti eſſet impoſſibilis reſpectu Chriſti habentis omnimodam incapacitatem culpæ ac per conſequens pœnæ incurrendæ ob culpam; inaniter igitur, & ex falſo ſuppoſito, laboratur inquirendo modum, quo cohæreat cum impeccabilitate libertas in executione præcepti de morte ſubeundâ: Ita Ciſterclenſis *in 3. quæſt.3. art.2.* Victoria apud Medinam *hic quæ.47 art.2.* Lorca *diſp.73.* Eſparza *quæſt.32.* & alij nonnulli, tum Antiqui, tum Recentiores, quorum opinionem probabilem cenſet Arriaga *diſput.42. ſec.1. ſubſec.4.*

33. Secundò docent aliqui præceptum mortis ſubeundæ præſcripſiſſe Chriſto mortis ſubſtantiam, non hujus vel illius virtutis motivum, hoc vel illud tempus aliaſvè circumſtantias; ideò mortem fuiſſe Chriſto liberam & meritoriam, non quoad ſubſtantiam ſecundùm ſe cadentem ſub præcepto, ſed quoad eamdem ut conveſtitam tali motivo, tali determinatione temporis, aliâve circumſtantiâ ſub præceptum non cadente. Ita Valentia *quæſt.19. punc.2. §. magis igitur approbo* Vaſquez *diſp.74. cap 5.* Amicus *diſp.25. ſec.3. num.98.* Arriaga *diſp 41. ſec.2. ſubſec.7.* Moncæus in diſputationibus ſelectis *diſp 9. cap.10.* Madernus *qu.7. art.6. num.16.* & alij plurimi Recentiores, qui pro ſe referunt ex Antiquis Aleuſem, Sotum, alioſque nonnullos. Tertio docent aliqui præceptum moriendi fuiſſe quodammodò modificatum per dependentiam aliquam à Chriſti voluntate, vel in impoſitione ipſa quatenus ipſemet Chriſtus ea propria libertate petierit illud ſibi imponi, ita Zumel *1. part quæſt.22. art.4.* & Cabrera *hic quæſtione 18. articul. quarto diſp.4. §.3.* vel in obligatione, quatenus fuerit in Chriſti libertate obtinere ceſſationem & diſpenſationem ejus, nec præceptum moriendi obligaverit Chriſtum abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quod nollet ut poterat diſpenſationem petere, ita Lugus *diſputat.26. ſec.8.* & quidam alij Recentiores.

Quartum caput eſt eorum, qui tribuunt Chriſto impeccabilitatem phyſicam & ab intrinſeco, requirunt ad meritum accidentalem & proximam libertatem indifferentiæ; fatentur mortem cecidiſſe ſub præcepto proprio ac rigoroſo; & tamen ſuſtinent eamdem fuiſſe Chriſto meritoriam ac liberam, etiam quoad ſubſtantiam, idque independenter, aut à petita impoſitione præcepti aut ab impetrabili ejus jam impoſiti diſpenſatione; ſuſtinent id autem recurrendo ad potentiam non moriendi in ſenſo diviſo, quatenus ſtante impeccabilitate, & mortis præcepto, adhuc potuerit Chriſtus velle negationem mortis ſumptam, non ut conjunctam aut conjungendam cum præcepto ad mortem obligante, ſed diviſim & ſecundùm ſe; quod eſt ſimul cum præcepto mortis Chriſtum non habuiſſe potentiam non moriendi aut volendi non mori in ſenſu compoſito, quod obeſſet impeccabilitati; habuiſſe vero potentiam non moriendi aut volendi non mori in ſenſu diviſo, quod ſufficit libertati; & ecce modum, quo phyſicam impeccabilitatem, rigoroſum præceptum, & perfectam libertatem in Chriſto conciliant Medina *quæſt.19. art.2. & quæſt.47. art.2. ad 5.* Ioannes à S. Thomâ *diſp.17. art.4.* Gabriel à S. Vincentio *diſp 15. dub.1. §.5.* Gonetus *diſp 21. artic.3. §.3.* Alvarez *quæſt.8. diſp.86.* & ferè omnes reliqui Thomiſtæ. 34.

35. Fertur de prædictis variis modis breve judicium.

Circa omnes hos conciliandæ difficultatis modos ut judicium meum breviter proferam; qui ſub primo & ſecundo capite recenſentur ſunt prorſus reijciendi, ſaltem tanquàm procedentes ex falſo ſuppoſito, mihi enim ea infra dicendis falſum eſt impeccabilitatem Chriſti, aut eſſe ſolùm moralem, aut provenire ab extrinſeco; eſt item ex dictis, tùm de Gratiâ, tùm *lib. præced. cap.3. §.2.* falſum quod ad meritum ſufficiat libertas, aut eſſentialis, aut accidentalis ſed remota, eo ſenſu quo eam ſumunt Auctores ſuprà relati *num.31.* ex modis contentis ſub tertio capite diſplicet primus, quia ea una parte declinat, non ſolvit difficultatem, neque enim libertatem cum præcepto conciliat qui præceptum negat, ex alia parte cogit ad ſenſum improprium detorquere plures Scripturæ & Patrum auctoritates, quibus expreſsè traditur Chriſtum habuiſſe à Patre præceptum, ſeu mandatum moriendi; & licet Adverſarij diſtinguant inter præceptum, ſeu mandatum moriendi; & licet Adverſarij diſtinguant inter præceptum, & mandatum & in illo, non in iſto agnoſcant obligationem ſub peccato, & comminationem culpæ; hæc tamen diſtinctio ab alijs cenſetur gratis excogitata, & obligatio ſub peccato ac comminatio culpæ, vel ad utrumque, vel ad neutrum requiritur; ſi autem requiritur ſufficit, quod ſit implicita, & quod ei correſpondeat potentia remota culpæ, ac pœnæ ob culpam incurrendæ; quâ de re videri pro nunc poſſunt Amicus *præcit ſec.1. num.55. & 60.* 36.
Gonetus *præcit. art.3. §.2* & Suarez *diſp.43. ſec.1.* Secundus & tertius modus ſub eodem

quàm

tertio capite poſiti minus quidem diſplicent, quàm primus, & quando illorum Auctores aliundè probarent præceptum mortis non ſe extendiſſe ad motivum & tempus, aut afferent fundamentum poſitivum petitionis & diſpenſationis ab ipſis excogitatæ, adhuc multò minùs diſplicerent; Verùm hæc non probant, ideò abſolutè diſplicent, quia ſine neceſſitate & ſufficienti fundamento limitant præceptum ad mortis ſubſtantiam, aut ad illud requirunt præviam Chriſti petitionem, oblatamvè à Deo optionem diſpenſationis obtinendæ; præter quod ad hæc recurrendo videtur ſaluari indirecta dumtaxat, non directa in præcepti obſervatione libertas; ſicut & videtur multùm detrahi de perfectione obedientiæ in Chriſti morte. Quidquid tandem de his ſit, ſi ſuppetit alius concordiæ modus, quo in majori rigore omnia concilientur, ſi ſcilicet ſuſtineri commodè poteſt modus ſub quarto capite poſitus, ſuſtinendus utique eſt, & cæteris præferendus, pro ipſius igitur intelligentiâ.

37. *Traditur legitima intelligentia ſenſus diviſi, & compoſiti, in ordine ad conciliationem, de qua agitur.*

Advertendum & *ex tract.1.lib.4.cap.6.§.3.* recolendum potentiam ad oppoſita, quæ eſt de conceptu libertatis, non eſſe potentiam ad oppoſita in ſenſu compoſito, ſeu compoſita & ſimul ponenda; ſed ad oppoſita in ſenſu diviſo, ſeu diviſa, & ponenda ſeorſim ac ſecundùm ſe; undè alijs terminis dicetur ſimultas potentiæ, non potentia ſimultatis, eò quod ſimultas ex parte potentiæ ſe teneat, non ex parte oppoſitorum, ad quæ eſt potentia. Hinc ut Chriſtus ſtante præcepto mortis habeat potentiam non moriendi, quantùm ad libertatem requiritur, non debet habere talem potentiam in ſenſu compoſito, quatenùs poſſit conjungere & componere præceptum mortis & negationem mortis, ſed in ſenſu diviſo quatenùs habeat potentiam ad præceptum mortis, & negationem mortis ſeorſim, & ſecundùm ſe, in quo Recentiores non pauci malè Thomiſtis imponont, quod ſtante præcepto mortis habere potentiam non moriendi in ſenſu diviſo, ſit habere talem potentiam diviſam à præcepto, & ex ſuppoſitione, quod non daretur præceptum; qua certè ratione potentia non moriendi in ſenſo diviſo nihil prodeſſet ad ſalvandam de facto in Chriſto ſimul cum præcepto & impeccabilitate libertatem; ſicuti tamen ſaluat eadem potentia in ſenſu diviſo legitimè intellecto, dividente ſcilicet, & ſeparante præceptum mortis non ab ipſa potentia non moriendi, ſed à negatione mortis, ad quam ſic ſeparatam, ſeu ſecundùm ſe acceptam, datur etiam conjuncta cum præcepto mortis potentia non moriendi: Neque eſt in hoc majus myſterium, quàm in eo quod voluntas conjuncta cum prædeterminatione ad amorem, imò cum amore, habeat potentiam ad negationem amoris ſeparatim, ſeu ſecundùm ſe acceptam; ideò pro legitima intelligentia ſenſus compoſiti, & diviſi, in re præſenti recurrit quidquid dici ſolet ab ijs, qui eodem ſenſu utuntur ad conciliandam cum divinâ prædeterminatione libertatem, quod nos præſtitimus *præcit.* §.1. agentes de efficaciâ voluntatis divinæ prædeterminativæ, & præſtat etiam validè ex profeſſo Gonetus agens de Prædeſtinatione *diſp.6.art.4.*

---

§. IV.

Statuitur veriſimilior modus prædictæ conciliationis: Ubi quid de eadem conciliatione in ordine ad præcepta naturalia.

38. *Veriſimilior modus prædictæ conciliationis habetur penes velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti.*

ASSERT.1. Veriſimilior modus conciliandi in Chriſto impeccabilitatem, libertatem, & præceptum circa mortem ſubeundam ſtatuitur in eo, quòd Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti. Ita Auctores relati ſuprà *num.* 34. contrà alios relatos antecedenter.

Probatur ille eſt modus veriſimilior, qui ex una parte poteſt commodè ſuſtineri, & ex alia parte meliùs, quàm reliqui ſaluat in morte ſubeundâ propriam perfectamque rationem impeccabilitatis libertatis, & præcepti; atqui commodè ſuſtinetur, quod Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo quamvis non in ſenſu compoſito præcepti; & per hoc melius, quàm aliter, ſaluatur propria perfectaque ratio impeccabilitatis, libertatis, & præcepti; ergo veriſimilior modus conciliandi in Chriſto &c. Probatur minor quoad primam partem, quia cum aliquo quod ſit ſuppoſitio antecedens infallibiliter inferens mortem & volitionem ejus in Chriſto, benè ſtat & commodè ſuſtinetur Chriſtum poſſe velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito talis ſuppoſitionis; atqui præceptum mortis reſpectu voluntatis impeccabilis ſe habet, tanquam ſuppoſitio antecedens infallibiliter inferens mortem & volitionem ejus; ergo commodè ſuſtinetur, quod Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti: Major ſupponitur ex eo, quod decretum ab æterno prædeterminans, & prædeterminatio actualis data in tempore, ad aliquem actum à me eliciendum eſt ſuppoſitio antecedens; & tamen juxtà ſuprà inſinuatam intelligentiam ſenſus diviſi, & compoſiti, commodè ſuſtinetur, quod poſſim non elicere talem actum in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito decreti prædeterminantis, & prædeterminationis; ergo.
39.
Probatur præcedens minor quoad ſecundam partem, quia ut colligitur *ex §.præcedent.* Non ſaluatur aliter in Chriſto impeccabilitas, libertas, & præceptum, niſi aliquid detrahendo, aut de impeccabilitate, aut de libertate, aut de præcepto; at modus mox aſſertus ita omnia conciliat, ut nihil prorsùs de propria ſingulorum ratione & perfectione detrahat: Nihil detrahit de impeccabilitate, quia nullam prorsùs inducit potentiam transgrediendi præceptum, ut conſtabit *ex ſeq. num.*40. Nihil detrahit de libertate, quia hæc ex genere ſuo eſt ad oppoſita in ſenſu diviſo dumtaxat, non in ſenſu compoſito, à nobis autem relinquitur in Chriſto expedita potentia ad velle & nolle

mori

mori in ſenſu diviſo. Nihil detrahit de præcepto quia illud nec ad mortis ſubſtantiã limitat, nec præviæ petitionis aut oblatæ diſpenſationis conditione modificat; & præterea ei relinquit vim obligandi in conſcientiâ, quia hæc eo modo, quo poteſt ad rigoroſum præceptum requiri, non conſiſtit in eo quod quis poſſit ipſum tranſgredi proximè, ſed in eo quod quis peccet ſi tranſgrediatur, & poſſit remotè tranſgredi, ſi non proximè; quæ omnia magis conſtabunt ſolvendo Adverſariorum inſtantias, id: ò.

Dices primò oſtendendo modum à nobis aſſertum non ſufficienter ſalvare impeccabilitatem: Velle præceptum tranſgredi, ſeu velle præceptum non implere eſt peccare ergo potentiam volendi præceptum tranſgredi, ſeu volendi præceptum non implere, eſt potentia peccandi, quod enim facit actus actu, facit potentia poſſibiliter; atqui potentia volendi non mori ſtante mortis præcepto etiam ſumpta in ſenſu diviſo eſt potentia volendi præceptum tranſgredi: ergo talis potentia etiam ſumpta in ſenſu diviſo eſt potentia peccandi, ac per conſequens per hoc; quod ſumatur in ſenſu diviſo non rectè ſalvat Chriſti impeccabilitatem; probatur ſubſumptum, velle non mori ſtante mortis præcepto à quacumque potentiâ proveniat eſt præceptum tranſgredi, ad hoc quippè nihil aliud requiritur, quam non facere ſeu velle non facere rem præceptam; nec excuſatur quis à tranſgreſſione per hoc quod dicat ſe non facere rem præceptam in ſenſu diviſo; ſeu ſumptam ſecundum ſe, & ut abſtrahentem à præcepto, ergo ſimiliter potentia volendi non mori ſtante mortis præcepto eſt potentia volendi præceptum tranſgredi, nec deſinit eſſe talis per hoc, quod dicatur ſumi in

40. ſenſu diviſo. Sed contrà: concedo antecedens, & primum conſequens, nego ſubſumptum; ad cujus probationem adverto lu antecedente ly *à quacumque potentiâ proveniat* valdè impropriè & impertinenter poni; nam velle non mori ſtante mortis præcepto exprimit ſimultatem & compoſitionem voluntatis non moriendi cum præcepto mortis, non poteſt igitur provenire niſi à potentia volendi non mori in ſenſu compoſito præcepti, nec rectè ponitur ly *à quacumque potentia proveniat*, hac animadverſione ſuppoſitâ, concedo antecedens, nego conſequentiam; ratio negationis eſt, quia antecedens non eſt capax ſenſus diviſi, ſicuti eſt capax conſequentia, ideò variatur appellatio & arguitur ab uno ſenſu ad alium, à ſenſu compoſito ad diviſum, nil mirum igitur ſi illatio ſit vitioſa; unde etiam ſi repetas illud *Quod facit actus actu, facit potentia poſſibiliter* facilè occurretur dicendo verum id eſſe, ſi non varietur appellatio; falſum, ſi varietur, & fiat à ſenſu compoſito ad diviſum tranſitus, quo defectus laborant etiam, & falſæ ſunt iſtæ illationes, Non ponere rem prædeterminatam & præſcitam à Deo eſt fruſtrare prædeterminationem & falſificare præſcientiam Dei; ergo potentia non ponendi talem rem eſt potentia fruſtrandi & falſificandi &c.

Quomodò ſtante præcepto potentia volendi non mori in ſenſu diviſo non ſit potẽtia tranſgrediendi præceptum?

Urgebis: Potentia volendi non mori in ſenſu diviſo, prout à nobis nunc ſumitur, eſt potentia volendi negationem mortis ſecundùm ſe, & ut abſtrahentem à præcepto; atqui ſtante præcepto repugnat, quod negatio mortis ponatur ſecundùm ſe & ut abſtrahens a præcepto; ergo potentia volendi non mori in ſenſu diviſo, prout à nobis nunc ſumitur, & prout etiã ſtante præcepto negatur eſſe potentia præceptum tranſgrediendi, reſpicit terminum repugnantem, ac per conſequens eſt in ſe repugnans. Confirmatur: Potentia odio habendi Deum, quamvis ſumatur in ſenſu diviſo adhuc eſt potentia peccandi & tranſgrediendi præceptum, quo tale odium prohibetur; ergo ſimiliter potentia ad negationem mortis, etiam ſumpta in ſenſu diviſo, eſt potentia peccandi & tranſgrediendi præceptum, quo talis negatio prohibetur, ut verè prohibetur ſtante præcepto moriendi. Sed contrà: eodem modo dici poſſet, 41.
Stante prædeterminatione, & præſcientia Dei, repugnat quod negatio rei prædeterminatæ & præſcitæ ponatur ſecundum ſe & ut abſtrahens a prædeterminatione & præſcientiâ; ergo potentia non ponendi talem rem in ſenſu diviſo, prout a nobis ſumitur, & prout etiam ſtante prædeterminatione & præſcientia negatur eſſe potentia fruſtrandi prędeterminationẽ, & falſificandi præſcientiam, reſpicit terminum repugnantem. Deinde ad inſtantiam directè, cõcedo majorem; diſtinguo minorem, atqui ſtante præcepto repugnat repugnantia accidentali & afficiente negationem mortis præcisè ut actualem & exercitam, concedo, repugnantia eſſentiali, & afficiente negationem mortis etiam ut poſſibilem, nego minorem, & conſequentiam; potentia enim ſpecificatur à termino poſſibili, non à termino actuali, ideò dummodo nulla ſit repugnantia afficiens terminum ut poſſibilem, nil refert, quod ſit aliqua repugnantia afficiens terminum ut actualem, ſeu ſi actu poneretur. Ratio à priori eſt, quia res actu poſita & exiſtens à parte rei non abſtrahit à ſuis accidentibus, quorum unum in negatione mortis eſſet conjunctio cum præcepto moriendi, quæ conjunctio reſpectu Chriſti repugnat; abſtrahit autem à ſuis accidentibus res poſſibilis, non poſſibilitas attenditur ſolùm penes eſſentialia,
42. idcò &c. Ad confirmationem dico potentiam odio habendi Deum non poſſe ſumi in ſenſu diviſo reſpectu præcepti tale odium prohibentis, quia potentia non poteſt dividere actum ab ijs, quæ ſunt actui eſſentialia, ſic non datur potentia ad ponendum hominem diviſive à rationali; cum igitur odium Dei, ſicuti eſt eſſentialiter malum, ita ſit eſſentialiter prohibitum, & ideò prohibitum quia malum, conſequens eſt potentiam odio habendi Deum non poſſe ſumi diviſivè à præcepto prohibente, Vel igitur nego confirmationis antecedens, ut jacet, eo quod ly *Quamvis ſumatur* &c. ſit de ſubjecto non ſupponente; vel antecedente omiſſo, aut etiam abſolutè conceſſo ſi proferatur ſine ly *Quamvis ſumatur* &c. Nego conſequentiam, diſparitas facilis eſt, quia negationi mortis accidentale eſt prohiberi, ideò benè poteſt ſumi diviſivè à præcepto prohibente, non ſic odium Dei ex mox dictis.

Quomodò eadẽ potẽtia non reſpiciat terminum repugnantẽ.

Dices ſecundò oſtendendo modum à nobis

aſſertum non ſufficienter ſaluare libertatem: libertas circà aliquod præceptum eſt potentia tranſgrediendi ipſum, & non tranſgrediendi, atqui potentia in ſenſu diviſo de qua ſuprà, nullatenùs eſt ex mox dictis potentia tranſgrediendi mortis præceptum; ergo non ſaluat circa tale præceptum libertatem; Si reſpondeatur falſam eſſe abſolutè majorem, & liberta-
43. tem circa aliquod præceptum eſſe potentiam faciendi;& non faciendi rem præceptam, quæ poſterior potentia licet ſumpta in ſenſu compoſito præcepti ſit potentia tranſgrediendi, non ſic tamen ſumpta in ſenſu diviſo. Impugnatur reſponſio ex eo, quia non datur in Chriſto ſaltem independenter à facultate petendi diſpenſationem potentia non faciendi rem præceptam in ſenſu diviſo, ſeu diviſivè à præcepto, ergo non ſalvatur in Chriſto circà præceptum libertas niſi recurratur ad diſpenſationem, probatur antecedens potentia non faciendi rem præceptam in ſenſu diviſo, ſeu diviſivè à præcepto, eſt potentia dividendi rem præceptam à præcepto, adeóque auferendi præceptum; atqui in Chriſto ſaltem aliter, quam petendo diſpenſationem ex ſpeciali facultate ad id conceſſa, non datur potentia auferendi præceptum ſibi impoſitum, oportè quod eſt ſuppoſitio, antecedens, & ab ipſius Chriſti voluntate, libertateque, independens, ergo. Sed contrà ratam habeo reſponſionem inſtantiæ interpoſitam, & ad illius impu-
44. gnationem nego antecedens, ad cujus probationē dico ly *in ſenſu diviſo* ſumi poſſe vel poſitivè, vel præciſivè: Si ſumatur poſitivè, importat poſitivam diviſionem, ſeu ſeparationem rei præceptæ à præcepto, & hac ratione potentia non moriendi diviſivè à præcepto mortis importat potentiam auferendi præceptum mortis, verè enim poſſe unum ab alio poſitivè dividere, eſt poſſe unum ponere, aliud auferre; Si ſumatur præciſivè, importat ſolùm quod res præcepta ſumatur ſecundum ſe, & etiamſi præcepto realiter conjuncta ſumatur tamen, ut abſtrahens à tali conjunctione, & hac ratione potentia non moriendi diviſivè à præcepto non importat potentiam auferendi præceptum; ex regula enim generali, qua abſtrahentium quod eſt in re non eſt mendacium, qui abſtrahit unū ab alio non negat unum de alio, nec aliud, a quo abſtrahit, aufert; ſed ad ipſum permiſſivè ſe habet: Porrò aſſerta à nobis potentia in ſenſu diviſo ſumitur præciſivè, non poſitivè, ideò malè ſupponitur importare potentiam auferendi præceptum; quando tamen permiſſa hac ſuppoſitione, ad antecedentis probationem permitteretur abſolutè major propoſitio, adhuc poſſet ad minorem reſponderi cum diſtinctione, in Chriſto non datur formaliter potentia auferendi præceptum, concedo; non datur æquivalenter, nego; cum enim in ijs, quæ Deus vult ut continens & cauſans noſtram libertatē, ſit æquivalenter in poteſtate voluntatis noſtræ, quidquid eſt formaliter in poteſtate voluntatis divinæ, conſequens eſt potentiam auferendi præceptum mortis Chriſto impoſitum, ſicut eſt formaliter in voluntate divina, ità eſſe æquivalenter in voluntate Chriſti humana juxta doctrinam, de qua *tract. 1. proæm. §. 3. n. 17.* & 20.

Quid ſit potentia non moriendi in ſenſu diviſo præcepti mortis, & quomodo ſaluet libertatem?

Proportio præcepti, & decreti prædeterminantis in ordine ad concordiam utriuſque cum libertate.

Urgebis: Non eadem eſt quoad præſentem 45.
difficultatem ratio de decreto & prædeterminatione Dei, ac de præcepto; decretum enim & prædeterminatio cauſat noſtram libertatem, quatenùs ad hujus exercitium omninò requiritur, & datur tum ad ſubſtantiam tum ad modum actus, tum ſcilicet ut actus eliciatur, tum ut eliciatur liberè; non ſic præceptum mortis cauſat in Chriſto libertatem moriendi; cum potuiſſet ſine eo liberè mori, & aliundè præceptum ex genere ſuo detur ad ſubſtantiam, non ad modum actus, quem præcipit; non eſt igitur a Deo, ut cauſante Chriſti libertatem, præceptum, ſicuti eſt ab illo, ut cauſante noſtram libertatem, decretum & prædeterminatio; ac per conſequens corruit paritas & proportio divini præcepti & divini decreti in ordine ad ſolvendam præſentem difficultatem.
Sed contrà: Dei præceptum quamvis non præ- 46.
requiratur univerſaliter ad omnem actum liberum creatæ voluntatis, ſicut Dei Decretum & prædeterminatio, prærequiritur tamen illud ad aliquem actum, ideſt ad actum liberum obedientiæ, & quia nunc agimus de actu, quo Chriſtus ex obedientia mortuus eſt, benè procedit quoad hanc partem paritas & proportio præcepti cum prędeterminatione & decreto, multò magis benè procedit quoad aliam partem, nam quidquid ſit, utrum præceptum ex genere ſuo attingat in actu præcepto modum libertatis, quod poteſt facile ſuſtineri, cum ſpectet ad rationem genericam præcepti non cadere, niſi in actum liberum; quidquid, inquā, de hoc ſit, non deeſt ſpecialis ratio, ob quam præceptum moriendi Chriſto impoſitum debeat attingere, tū ſubſtantiam actus, tum modum libertatis; enim verò hujuſmodi præceptum conſecutum eſt divinum decretum de morte à Chriſto ſubeunda, & fuit intimatio talis decreti addita ſpeciali obligatione ſpectante ad virtutem obedientiæ: ſicut igitur Pater æternus decreto ſuo voluit Chriſtum mori, & liberè mori, ita præcepto ſuo Chriſtum obligavit ad moriendum & ad liberè moriendum, ſeu Chriſto intimavit ut moreretur & ut liberè moreretur.

Dices tertiò oſtendendo modum à nobis aſſertum non ſufficienter ſaluare mortis præceptum: Potentia non moriendi diviſivè à præcepto non ſaluat Chriſtum potuiſſe mori ex propria, & formali ratione obedientiæ; ergo neque ſaluat proprium & rigoroſum pręceptū, quod eſt obedientiæ correlativum; probatur antecedens, ad liberè obeundam mortem ex obedientia requiritur poſſe mori in ſenſu compoſito præcepti, ergo ad eandem requiritur poſſe in ſenſu compoſito præcepti non mori; atque adeò potentia non moriendi ſolùm diviſivè à præcepto non ſaluat mortem ex obedientia; conſequentia probatur, Potentia agentis liberi debet eſſe ad utrumque, ad actionem ſcilicet & non actionem, eodem modo & debet poſſe cum non actione componere ea omnia, quæ poteſt componere cum actione; hoc quippè eſt, quod dici ſolet eſſe de ratione agentis liberi, ut poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum poſſit non agere, ad liberè igitur moriendum ex obedientia requiritur poſſe non mori

poſitis

poſitis omnibus præterquiſitis ad moriendum, & componendo cum non morte ea omnia, quæ componerentur cum morte, inter quæ certè eſſet præceptum. Sed contra, nego antecedens, ad cujus probationem conceſſo antecedente nego conſequentiam, & ad probationem conſequentiæ dico potentiam agentis liberi debere eſſe ad utrumque eodem modo quoad ea, quæ non ſunt in ipſius agentis liberi poteſtate, & quoad hæc pariter debere poſſe cum non actione componere ea omnia, quæ poteſt componere cum actione; ſecùs quoad ea, quæ ſunt ſaltem æquivalenter ſub ipſius agentis liberi poteſtate, ut eſt reſpectu Chriſti præceptum à Deo impoſitum: Cæterum eâdem arguendi formâ probaretur quamlibet voluntatem creatam à Deo prædeterminatam ad aliquem actum, ſicuti poteſt talem actum elicere in ſenſu compoſito prædeterminationis, ita non eſſe liberam, niſi pariter poſſit in ſenſu compoſito prædeterminationis eundem actum non elicere.

48. Ex his habes vix ullam alicujus momenti inſtantiam militare contra aſſertum modum conciliandi Chriſti libertatem & Dei præceptum, quæ non proportionaliter militet contra Thomiſticum, & à nobis quoque alibi traditum, modum conciliandi quamcumque creatam libertatem & divinum decretum prædeterminans, unde aſſertus conciliationis modus plurimùm placet etiam ex eo, quod principijs alibi poſitis cohæreat, & vix ſecum afferat difficultatem aliquam novam, quamque nos jam non teneamur ſolvere in ſuſtinenda univerſaliter concordiâ libertatis creatæ & prædeterminationis divinæ. Neque dicas, imò ex hoc capite deberet aſſertus modus non parùm diſplicere, quia excitat difficultates omnium graviſſimas, cogit recurrere ad doctrinam quam interdictum eſt palam ex profeſſo proferre, & præterea non conciliat Chriſti libertatem cum præcepto in quacunque ſchola, ſed ſolùm in principijs ſcholæ Thomiſticæ, relinquendo extrà hanc ſcholam nodum aut inſolubilem aut inſolutum; quod eſt de Scholis alijs minus bene mereri. Contra enim: Grave non eſt in difficultates alioqui graves incidere, dum ſupponuntur aliundè neceſſariò ſolvendæ imò & ſolutæ: Circa prædeterminantium doctrinam nullatenus interdicitur eam ſupponere aut etiam obiter proferre; ſi quid verò interdictum eſt circa eamdem ex profeſſo tractandam, ſeu inſtituendos proprios de ea tractatus, non videtur id actum ex ſuſpicione falſitatis, ſed ex pacatioris ſtudij deſiderio, & ad conſulendum ingenijs acrioribus ad aculeos ac dicteria proclivibus in re diſſidij contentioniſque pleniſſimâ. Quod nodum ſolvamus ſolùm in principijs Scholæ Thomiſticæ non eſt nobis vitio imputandum, dum talia principia nos quoque approbavimus alibi, & comprobavimus, adeóque jure noſtro, & nobis jam acquiſito utimur.

49. Potentia in ſenſu compoſito, potẽtia poſitionis, & potẽtia actuãdâ; Item potentia in ſenſu diviſo, potẽtia purè poſſibilitatis, & potẽtia purè actuabilis ſunt ſynonyma.

Nihilominus, ſic abſtrahendo pro nunc à prædeterminationibus, & à tota doctrina ſpectante ad potentiam in ſenſu compoſito, & potentiam in ſenſu diviſo, cui diſtinctioni jure poteſt cenſeri ſynonyma diſtinctio in potentiam poſitionis & potentiam puræ poſſibilitatis, cujus meminit Gonetus *hic diſp.21.art.3. §.4 num.89.* Item illa in potentiam actuandam, & potentiam purè actuabilem, quam quidam ex noſtris eximij ingenij Profeſſor, & prædeterminationum defenſor, conſuevit in manuſcriptis adhibere, & tandem omnia in idem recidunt; nam potentia in ſenſu compoſito, potentia poſitionis, potentia actuanda, eſt potentia ad quam infallibiliter ſequitur id, ad quod eſt potentia; potentia in ſenſu diviſo, potentia puræ poſſibilitatis, potentia purè actuabilis, eſt potentia ad quam id, ad quod eſt potentia, ſequi poteſt ac infallibiliter non ſequetur: Si, inquam, abſtrahendo imò abſtinendo ab his omnibus, eligendus mihi eſſet alius concordiæ, de qua agitur, modus univerſalior, & qui poſſet in omni ſchola indifferenter recipi, eligerem illum, qui jam alias in manuſcriptis placuit, recurrerem ſcilicet ad facultatem diſpenſationis impetrandæ pro quâ videri poteſt Lugus relatus ſupra *num.33.* Interim nobis iſta ſufficiant pro præcepto mortis, quod poſitivum eſt, necnon pro alijs præceptis poſitivis, ſi quæ alia fuerunt Chriſto impoſita, ſupereſt verò, ut pro ſecundâ præfixi tituli parte aliquid attingamus de præceptis naturalibus, a lumine ſcilicet & dictamine naturæ provenientibus, de quibus.

50. Præcepta naturalia negativa poſſunt obſervari dupliciter.

Adverto alia eſſe negativa, ut ſunt præcepta non mentiendi, non pejerandi, non odio habendi Deum aut Proximum, alia eſſe affirmativa, ut ſunt potiſſimum præcepta de Deo amando, eodemque colendo: Præcepta negativa obſervari poſſunt, vel purè negativè, ideſt per puram non poſitionem ſeu omiſſionem actus prohibiti, & hic obſervantiæ modus ſufficit quidem ad non peccandum, at non ſufficit ad merendum; ut attigi in tract. de Gratia *lib.4. cap.6. §.7.* vel poſitivè ideſt volendo, eligendo, & imperando prædictam non poſitionem ſeu omiſſionem, & hic obſervantiæ modus optimè poteſt eſſe meritorius; Ad primam obſervantiam impeccabilitas omninò Chriſtum neceſſitat, at nullum infert detrimentum ejus merito libertatique meritoriæ, cum ex genere ſuo illa obſervantia moralis & meritoria eſſe nequeat: Ad ſecundam obſervãtiam fuit Chriſtus liberrimus æquè, ac nos ſumus, quia, ut patet conſideranti, ad talem obſervantiam præcepta negativa non obligant, nec violantur iſta, aut peccatum committitur, per hoc præcisè quod illa omittatur; omnimoda igitur libertas, quâ poſſit Chriſtus abſolutè ponere, & non ponere, poſitivam præceptorum negativorum obſervantiam, non officit ejus impeccabilitati, Præcepta affirmativa non pro ſemper ſed raro obligant, ideò quamvis detur præceptum affirmativũ amãdi v.g Deum & Proximũ certũ eſt Chriſtũ potuiſſe abſque peccato, & abſque impeccabilitatis detrimento, non amaſſe pro tempore & loco, quo præceptum amandi non obligabat; ac per conſequens pro eodem tempore & loco (impeccabilitate & præcepto non obſtantibus) liberrimum fuiſſe in amando, ſeu in eliciendo aut repetendo actus amoris ergà Deũ, & Proximũ: difficultas igitur

51. Præcepta naturalia affirmativa quomodo obligent.

conciliandi cum impeccabilitate libertatem, & meritum, in obſervantia præceptorum naturalium tota reducitur ad præcepta naturalia affirmativa pro illis temporibus & caſibus determinatis, pro quibus Chriſtum obligabant; & pro hac conciliatione ferè ab omnibus ineunda eſt via diverſa ab eâ, qua cum eadem impeccabilitate, & libertate, conciliant præceptum mortis, aut aliquod aliud præceptum poſitivum; nam præcepta naturalia non poſſunt abſolutè negari, ut negant aliqui reſpectu Chriſti præcepta poſitiva; non poſſunt item illa diſpenſari nec expectare quodammodò ejus, in quem debent cadere, petitionem ut imponantur, aut liberam acceptationem ut obligent, quod, ut monuimus, varij in præſenti docent de præcepto mortis; Mirum propterea non ſit, nec ſententiæ noſtræ vitio vertendum, ſi nec nos ad impeccabilitatem, libertatemque Chriſti, conciliandam cum præceptis naturalibus non poſſimus eadem via procedere, qua proceſſimus ad ſimilem conciliationem ſtatuendam cum præceptis poſitivis. His pro ſecundâ tituli parte animadverſis ſit.

52. Quid de cō ciliatione impeccabilitatis, & libertatis Chriſti, cum præceptis naturalibus.

Aſſert. 2. Impeccabilitas & libertas Chriſti circa ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium; nequeunt conciliari eodem modo quo ex præcedenti aſſerto conciliantur circà mortem ſubeundam ex vi præcepti poſitivi; nec pro illis temporibus & caſibus particularibus, pro quibus præcepta naturalia affirmativa obligant Chriſtus fuit liber quoad ſubſtantiam rei præceptæ, ſed ſolum quoad aliquam ejus perfectionem accidentalem. Totum aſſertum cenſeo in re communiſſimum, quamvis ipſum Scholaſtici ſub proprijs terminis vix tradant, vixque attingunt niſi obiter, ut præſtant inter alios Vaſquez *diſp.79.cap.5. num.29.* Suarez *diſp.37.ſec.3.§. Reſpondetur ergo.* Arriaga *diſp.41.ſec.2.num.10.* & 24. & Gonetus *diſp.21.art.3.num.97.*

Probatur & explicatur: Ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium, nequeunt ſumi diviſivè à præcepto, aut ſaltem ad ea ut diviſivè à præcepto ſumpta (ſi aliquo modo, diviſione ſcilicet metaphyſicâ, imò chymericâ, ſupponantur diviſivè ſumi) non eſt dabilis potentia; atqui modus, quo ex præcedenti aſſerto conciliantur libertas, & impeccabilitas Chriſti, circà mortem ex vi præcepti poſitivi ſubeundam, deſumitur ex potentia, quæ ad talem mortem datur in ſenſu diviſo ſeu diviſivè à præcepto, ergo circà ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium, nequeunt Chriſti libertas & impeccabilitas conciliari eodem modo, quo conciliantur circà mortem &c. Major colligitur *ex præced. num.42.*

53. & ex eo, quod dabilem eſſe potentiam ad rem præceptam diviſivè à præcepto provenit ex eo, quod rei præceptæ accidentaliter, & ab intrinſeco mala, quæ cadunt ſub præceptis naturalibus negativis; eſſentialiter & ab intrinſeco bona, quæ ſub præceptis naturalibus affirmativis, & quoties ſub iſtis cadunt pro illis temporibus & caſibus particularibus, pro quibus obligant ſunt bona bonitate neceſſariâ ad retinendam honeſtatem, ſanctitatem, conjunctionemque cum ultimo fine, ſicut illa ſunt mala malitiâ talem conjunctionem, ſanctitatem, honeſtatemque eſſentialiter excludente; hinc ubi datur impeccabilitas, ſeu impotentia peccandi, quod eſt idem ac dicere, neceſſitas retinendi & repugnantia excludendi conjunctionem illam, ſanctitatem, ac honeſtatem, nequit dari libertas & potentia aut proſequendi quæ ſub negativis, aut omittendi quæ ſub affirmativis naturæ præceptis cadunt; ideò non ſolùm non habuit Chriſtus libertatem & potentiam mentiendi aut Deum odiu habendi, ſed nec Deum v.g. non amandi pro eo tempore, & caſu, pro quo ad amorem ex præcepto naturali affirmativo tenebatur; quamvis deindè amare potuerit actu magis vel minùs perfecto, ideſt magis vel minùs extenſo, magis vel minùs continuato, ex pluribus vel paucioribus motivis elicito; quod eſt Chriſtum pro caſibus, pro quibus ipſum præcepta naturalia affirmativa obligabant, non fuiſſe liberum quoad ſubſtantiam rei præceptæ ſed ſolum quoad aliquam ejus perfectionem accidentalem, ut poſtremis aſſerti particulis continetur.

Dices ex hac doctrina nimium detrahi Chriſti meritis, & ferè totam obſervantiam legis naturalis reddi in Chriſto neceſſariam & non meritoriam, aut ſaltem meritoriam ſolùm quoad aliquam perfectionem accidentalem, non quoad ſubſtantiam. Deinde nos *lib. præced. cap.3.§.2.* ſimpliciter aſſeruimus fuiſſe in Chriſto liberum, & meritorium amorem erga Deũ; in præſenti verò eundem amorem, utpotè cadentem ſub præcepto naturali, omni ferè merito & libertate ſpoliamus, quod non videtur poſſe ſine inconſequentia ſuſtineri. Sed contrà: Obſervantia legis naturalis, ſi conſideretur relatè ad præcepta naturalia negativa dividitur *ex præced. n.50.* in purè negativam, & poſitivam; ad illam non ad iſtam præcepta naturalia negativa obligant; ad illam, non ad iſtam Chriſtus neceſſitatur: Illa non fuit in Chriſto meritoria, at ex hoc nihil detrahitur Chriſti meritis, quia ex genere ſuo & in nobis etiam meritoria non eſt; iſta ſicut non fuit in Chriſto neceſſaria, ſed libera, ita fuit in eodem meritoria, ſicut in nobis; ideò quoad obſervantiam legis naturalis conſideratæ relatè ad præcepta naturalia negativa nullatenus ex doctrina noſtra attenuatur Chriſti meritum. Si eadem obſervantia conſideretur relatè ad præcepta naturalia affirmativa, vel ſumuntur hæc materialiter, & ut obſervabilia etiam quando non obligant; vel formaliter & ut obſervanda præcisè quando obligant; Primo modo obſervavit ea Chriſtus liberrimè & meritoriè; ſecundo modo non obſervavit quidem liberè nec meritoriè quoad ſubſtantiam; at in hoc modiciſſimè detrahitur Chriſti meritis, quia ex communi lege præceptorum affirmativorum obligant aliquando, non pro ſemper; ideò plures fuerunt actus & plura tempora, ad quos & pro quibus ea præcepta Chriſtum non obligabant, nec impediebant meritum; ſic v.g. ſtante præcepto naturali affirmativo amãdi Deum adhuc fuit Chriſtus ſæpius & ut plurimum in amando liberrimus, & hac ratione ſine ulla inconſequentiæ nota aſſeruimus alibi

54. Quomodò fuerit in Chriſto meritoria obſervantia legis naturalis.

amorem

amorem Dei in Chriſto fuiſſe ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam, meritorium.

Urgebis: Dei amor eſt ex genere ſuo magis meritorius, quàm mors; cur ergo exiſtimamus nimiùm detrahi Chriſti meritis ſi dicatur Chriſti mortem fuiſſe meritoriam non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantias tantùm, non verò cenſemus iiſdem nimium detrahi, ſi dicatur (ut in re dicimus) non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantias tantùm fuiſſe meritorium Dei amorem, cum aliundè illa æquè, ac iſte ſumatur ut cadens ſub obligatione præcepti, illa poſitivi, iſte naturalis.

55. Sed contrà: occurrit multiplex diſcriminis ratio, Prima & potiſſima ſit, quia circà mortem ut cadentem ſub obligatione præcepti poſitivi poſſunt rectè conciliari Chriſti impeccabilitas & libertas; non ſic ex mox dictis circa Dei amorem ut cadentem ſub obligatione præcepti naturalis. Secunda, quia Scriptura & Patres valdè exaltant meritum mortis Chriſti, eique ſingillarim tribuunt noſtram redemptionem & ſalutem, de merito autem amoris Dei, præſertim ut cadentis ſub obligatione præcepti naturalis, Scriptura & Patres determinatè non loquuntur; facilius igitur poſſumus attenuare quodammodo, & ad circumſtantias deducere, meritum talis amoris, quam meritum mortis: Tertia, quia præceptum poſitivum mortis extenditur etiam ad ejus circumſtantias, non ſic præceptum naturale amoris; præceptum igitur poſitivum non magis impedit meritum & libertatem circa ſubſtantiam, quàm circa circumſtantias mortis; benè verò magis circa ſubſtantiam, quam circa circumſtantias amoris, meritum impedit præceptum naturale.

56. *Cur præceptum mortis fuerit Chriſto impoſitũ etiam quoad circumſtantias: etſi hoc non conveniat ex genere ſuo alijs præceptis.*

Neque dicas commune eſt præceptis poſitivis æquè ac naturalibus ad circumſtantias non obligare: Contrà enim quoad præcepta naturalia, quæ ſunt reſpectu omnium eadem, verum ideſt abſolute; quoad præcepta poſitiva, quæ à legiſlatore accommodanda ſunt Perſonis, quibus imponuntur, id dumtaxat verum eſt, quando Perſonæ, cui præceptum imponitur ratione voluntatis ad obediendum minus promptæ eſſet nimis grave ad circumſtantias obligari; at hoc locum non habet in Chriſto cujus voluntas promptiſſima fuit ſemper, ac paratiſſima, ad perfectiorem & ſtrictiorem actum obedientiæ exequendæ etiam circa circumſtantias.

---

§. V.

Utrùm humanitas eſſet impeccabilis etiam antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem? Ubi alia quædam pro complemento impeccabilitatis Chriſti.

ASSERT. Humanitas, vel non adhuc, vel non ampliùs, Verbo unita non eſſet antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem impeccabilis. Supponitur hoc aſſertum à Scholaſticis communiter, à Suario. *diſp.* 34. *ſec.* 2. §. *ex dictis verò*. Vaſquio *diſp.* 61. *cap.* 4. *numer.* 19. Amico *diſp.* 24. *ſec.* 2. *num.* 49. Arriaga *diſp.* 34. & 35. *num* 11. Goneto *diſp.* 20. *art.* 1. *num* 47. Gabriele à S. Vincentio *diſp.* 15. *dub.* 2. *num.* 55. & alijs; ſolus, quem viderim, adverſatur quoad humanitatem non adhuc aſſumptam Eſparza *quæſt.* 30. *articul.* 1. arbitratus illam fore ab initio, & antè aſſumptionem impeccabilem ex vi unionis hypoſtaticæ futuræ, & ad quam eſſet aſſumenda.

Probatur & explicatur: licèt humanitas Chriſti de facto nec præexſtiterit in proprio ſuppoſito antè aſſumptionem, nec poſt aſſumptionem ſit dimittenda & in proprio ſuppoſito relinquenda; potuiſſet tamen id fieri de potentia abſoluta; ideò quamvis inanè foret, & de ſubjecto non ſupponente, quærere, utrum humanitas Chriſti de facto, aut non adhuc, aut non ampliùs, Verbo unita impeccabilis ſit? utile eſſe poteſt & opportunum id quærere ſub conditione & in hypotheſi, qua Deus uſus fuiſſet, aut uteretur alio aſſumptionis modo; produxiſſet ſcilicet, aut produceret, humanitatem aliamvè naturam poſt aliquod à productione tempus aſſumendam, & ſive hanc, ſive aliam etiam in inſtanti productionis aſſumptam, poſt aliquod ab aſſumptione tempus dimitteret; In utroque caſu aſſerimus humanitatem fore peccabilem; ratio eſt quia impeccabilitas humanitatis Verbo unitæ provenit potiſſimum ex perfectiſſima ſanctificatione formali ei communicata ex vi unionis hypoſtaticæ; atqui in neutro caſu ei communicaretur ex vi unionis hypoſtaticæ ſanctificatio formalis, nam effectus formalis requirit formam præſentem, & actu exiſtentem in ſubjecto; in primo autem caſu humanitas reſpiceret unionem hypoſtaticam tanquam futuram, in ſecundo tanquam præteritam, ergo. 57.

Humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ aut futuræ dumtaxat aut præteritæ non redderetur impeccabilis.

Dices hinc benè deduci humanitatem ex vi unionis futuræ aut præteritæ non fore impeccabilem eodem modo, quo ex vi unionis præſentis, ideſt non fore impeccabilem ab intrinſeco, & per aliquid ſe habens in genere cauſæ formalis; at cum hoc ſtat fore impeccabilem ab extrinſeco, ſeu per aliquid extrinſecum, & ſe habens pro primo caſu in genere cauſæ finalis, pro ſecundo in genere cauſæ efficientis, quatenùs unio hypoſtatica futura in genere finis moveret Deum ad convenientem ſui executionem, & conſequenter ad impediendum quidquid indecentiam aliquam tali executioni afferret, ut certè eſſet peccatum aut proxima peccabilitas in natura aſſumenda; unio verò præterita ex prætermiſſis ſub ipſa, dum actu exiſteret, meritis in genere cauſæ efficientis moralis eundem Deum moveret, ne naturam poſteà dimiſſam ſineret abire in ſummam peccati miſeriam, extremumque contemptum; nec certè videtur de Chriſto ambigendum, quin quoties naturam ſibi unitam prævideret poſt dimiſſionem fore peccaturam aut peccabilem, quin, inquam, ſua merita pro ejus præſervatione à futuro peccato applicaret, & quodammodo pro ſe oraret dicendo. Salvum me fac Deus: ecce quomodo unio futura humanitatem aſſumendam unio præterita humanitatem dimiſſam; illa in genere finis, iſta in genere efficientis, impeccabilem redderet. Sed contrà: Hæc ratio dubitan- 58.

Plauſibilis ratio dubitandi in oppoſitum.

di plauſibilis eſt, & mihi ſuadet convenientiſſimum eſſe, quòd ſervetur pro ſemper ab omni peccato immunis natura aliquando hypoſtatice unienda, aut unita, divinæ Perſonæ, at cum ex una parte Deus, ut alibi docui, non teneatur, ſeu non neceſſitetur ad id, quod melius ac convenientius eſt, & ex alia parte non appareat poſitiva indecentia in aſſumptione naturæ, quæ ante unionem peccaverit, aut poſt ſeparationem peccet, cenſeo talem rationem dubitandi non eſſe efficacem contra præfixum aſſertum, præſertim quatenùs procedit, ut verè procedit, de potentia abſoluta.

Occurritur prædictæ rationi dubitandi.

Dices inſuper, & urgebis ſingillatim pro repugnantia aſſumendi naturam, quæ non adhuc Verbo unita, & antè aſſumptionem, peccaverit: Et poſitive indecens & omnimodè repugnans, quod de natura à Verbo aſſumpta verificetur, peccavit; atqui ſi natura aliqua, quæ peccaſſet, à Verbo aſſumeretur, de hujuſmodi natura etiam poſtquam eſſet à Verbo aſſumpta verificaretur, quod peccavit, ergo eſt poſitivè indecens & omnimodè repugnans hujuſmodi naturam à Verbo aſſumi. Major probatur primò, quia majus malum eſt peccaſſe quàm poſſe peccare, peccatum præteritum quàm peccatum poſſibile; nam illud, non iſtud eſt exprobrabile & punibile, illud item non iſtud eſt per pœnitentiam deteſtabile: Secundò quia ea, quæ dicuntur de natura aſſumpta, dicuntur per communicationem idiomatum de Deo & de Verbo, à quo natura aſſumpta eſt; eſt autem poſitivè indecens, & omnimodè repugnans, de Deo & de Verbo etiam per communicationem idiomatum dicere, quod peccavit. Sed contrà: nego majorem, quoties ly *peccavit* refertur, ut in propoſito refertur, ad tempus aſſumptionem antecedens.

60. Ad primam majoris probationem dico peccaſſe & peccatum præteritum, ſi ſecundùm aliquid ſui, ideſt ſecundùm reatum culpæ, aut pœnæ perſeveret, eſſe majus malum, quàm poſſe peccare & peccatum poſſibile aut etiam futurum; ſecùs ſi illud ſit penitùs deletum, nec perſeverans ſecundùm aliquid ſui, hac quippe ratione cum nihil ſit de præſenti, nullatenus eſt malum; eſt autem ſemper aliquod malum præſens peccatum poſſibile, ſubintellige, proximè, cum importet ſemper de præſenti potentiam proximam peccandi, quæ mala eſt & poſitivè indecens: Quoad exprobrabilitatem, & punibilitatem, dico non cadere ſupra peccatum præteritum, niſi quamdiù ſecundùm aliquid ſui perſeverat de præſenti; ad deteſtabilitatem per pœnitentiam dico eſſe pœnitentiæ proprium fugere à malo, etiam penitùs præterito; at huic fugæ per deteſtationem correſpondet relatè ad peccatum poſſibile fuga per timorem, & odium abominationis; imò etiam per triſtitiam, quatenùs tale peccatum eſt ſemper aliqualiter præſens.

Quandonam poſſe peccare ſit majus malum, quàm peccaſſe.

61. Ad ſecundam majoris probationem Vaſquez *diſp.*61. *cap.*4. *num.*19. admittit poſſe per communicationem idiomatum dici de Deo, ac de Verbo, *peccavit*, idemque à fortiori admittent quicumque putant humanitatem à Verbo aſſumptam poſſe peccare, nec fore abſurdū, quod humanitate in ſtatu unionis peccante, ut poſſet, denominaretur per communicationem idiomatum peccans ipſum Verbum; Nihilominus mihi, ſicuti etiam per communicationem idiomatum abſurdiſſimè diceretur, Verbum peccat, ità quoque Verbum peccavit; neque hoc infertur ex eo, quod natura aſſumpta ante aſſumptionem peccaſſet, ac propterea de ea quamvis aſſumpta verificaretur *peccavit*. Non infertur, inquam, & ratio eſt, quia ut expoſuimus ſuprà *lib.*2. *cap.*1. *num.*27. communicatio idiomatum oritur ex unione duarum naturarum in unâ Perſonâ, & habet pro verificativo perſonæ unitatem, non datur igitur niſi inter prædicata convenientia naturis, ut in eadem Perſona unitis; unde etiam *ibid num.*39. inter alias communicationis idiomatum regulas aſſignavimus, quod de Verbo, aut de divinis concretis, dici nequeant prædicata convenientia humanitati, ut carenti omni ſubſiſtentia, vel ut habenti ſubſiſtentiam propriam creatam, & hinc patet, cur non ſit ulla doctrinæ diſſonantia in eo quod *præcedent. numer.* 21. admiſimus de Verbo dicendum fore *peccat*, ſi natura aſſumpta in ſtatu unionis peccaret, nunc verò nolumus de eodem dici *peccavit*, ſi natura aſſumpta peccaſſet ante unionem; ratio ſcilicet diverſitatis eſt, quia in primo caſu daretur verificativum communicationis idiomatum relatè ad tempus, quo natura peccaret, in ſecundo caſu non daretur idem verificativum relatè ad tempus, quo natura peccaſſet: Eadem, ut conſideranti patet, ratione, quâ de Verbo vi communicationis idiomatum non diceretur *peccavit* per hoc, quod natura aſſumpta peccaſſet ante unionem; non eſſet de eodem dicendum *peccabit* aut *peccare poterit* per hoc, quod natura aſſumpta eſſet peccatura, aut futura peccabilis poſt unionis diſſolutionem. Si quæras obiter, utrùm ſuppoſito quod natura aſſumpta eſſet humanitas, in relatis caſibus rectè diceretur *Hic homo peccavit, peccabit, aut peccare poterit*? Reſpondebitur affirmativè cum Amico *præcitat. ſect.* 2. *num.*50. Enimverò *Hic homo* poteſt indeterminatè ſupponere pro ſuppoſito, in quo humanitas aſſumpta exiſtit tempore unionis, in quo extitit ante unionem, in quo exiſtet poſt unionis diſſolutionem, & ex hac indeterminata ac vaga ſuppoſitione illius termini *Hic homo* vitioſus eſt ſyllogiſmus expoſitorius, quem in data hypotheſi format pro ſuo intento Vaſquez ſic, *Hic homo peccavit; Hic homo eſt Verbum, ergo Verbum peccavit.*

62. Ex eo quod natura humana aſſumpta antè unionem peccaſſet, non eſſet per communicationem idiomatum dicendum, Verbum peccavit, & cur?

63. Rectè tamē diceretur: Hic homo peccavit.

Dices aliter: Per nos impeccabilitas in natura aſſumpta provenit potiſſimum ex ſumma ejus ſanctitate, qua in ordine creato non eſt dabilis major; atqui hæc ſanctitas requirit in ea natura impeccabilitatem non ſolùm pro tempore unionis, verùm etiam pro tempore unionem antecedente, & dimiſſionem ſubſequente; certè enim ſanctior eſt natura aſſumpta, quæ impeccabilis ſit pro omni tempore, & pro omni ſtatu, quàm quæ ſit talis duntaxat pro ſtatu & tempore aſſumptionis. Confirmatur: Beata Virgo ex eo, quod eſſet futura Mater Chriſti etiam pro tempore Maternitatem antecedente debuit præſervari ab omni prorſus peccato ſive perſonali, ſive originali, quin

quin & ab originalis debito; ergo à fortiori deberet ita præſervari, & impeccabilitate donari, humanitas aſſumenda etiam pro tempore aſſumptionem antecedente; etenim humanitas, quæ à Perſonâ divinâ aliquando aſſumitur, majorem cum iſta habet affinitatem & conjunctionem, quam humanitas Matris ex qua deſumitur, cum illa ſit Perſonæ divinæ immediatior, & univerſim ſive honor, ſive ignominia naturæ magis redundet in ſuppoſitum, quàm ſive honor ſive ignominia Matris in Filium; nec perceptibile ſit magis prodeſſe ad ſanctificationem, magiſque conferre ad indemnitatem à peccato, futuram Maternitatem, quàm futuram unionem hypoſtaticam, adeò ut potuerit peccatum admittere humanitas futura in Dei Perſonâ potiùs, quàm humanitas futura in Dei Matre. Sed contrà Natura aſſumpta, quæ ſupponatur impeccabilis etiam antè aſſumptionem, & poſt dimiſſionem, impeccabilitate formaliter proveniente ex vi unionis hypoſtaticæ repugnat, quia importat effectum formalem communicatum à forma, aut nondum, aut non amplius, exiſtente; ſicque talis natura non ſolùm non eſt ſanctior, ſed nec eſt ſancta, nec poſſibilis: Quòd ſi impeccabilitas ſupponatur eſſe effectus unionis hypoſtaticæ aliter, quam in genere cauſæ formalis, jam erit de potentia abſoluta ſeparabilis ſeu impedibilis, & quando in re detur; natura eſſet ſanctior extenſivè, & quoad durationem effectus à ſanctitate provenientis, non intenſivè & quoad formalem ſanctitatis rationem; imò in rigore natura aſſumpta ante aſſumptionem, & poſt dimiſſionem; impeccabilis comparata cum natura aſſumpta antè & poſt peccabili, nullatenus eſt de præſenti, ſed fuit, & erit ſanctior. Ad confirmationem fateor libenter humanitati à Verbo aſſumendæ concedendum eſſe à fortiori quidquid indemnitatis à peccato conceditur humanitati Virginis conjungendæ aut etiam conjunctæ cum Maternitate; fateor item, quod diffiteri fas non eſt, Beatam Virginem etiam pro tempore Maternitatem antecedente fuiſſe ab omni labe & debito peccati præſervatam, & hoc fuit dignitati matris convenientiſſimum; at non neceſſarium etiam de potentia abſoluta, quemadmodum requireretur ad hoc, ut humanitas Virginis fuiſſet reddita impeccabilis ex vi Maternitatis etiam futuræ; cum igitur Beata Virgo non fuerit à peccato immunis ex vi abſolutæ impeccabilitatis, nequit ex ea deduci argumentum efficax ad probandam abſolutam impeccabilitatem in humanitate, quæ eſſet à Verbo aſſumenda.

64.

B. Virgo fuit præſervata ab omni prorſus labe peccati, at non fuit etiam de potentia abſoluta impeccabilis.

In hucuſque dictis, tùm ſingillatim de aſſumptibilitate naturæ, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, tùm univerſim de impeccabilitate naturæ aſſumptæ, nonnulla attigimus, quæ aliquantula indigent diſcuſſione, nonnulla etiam tanquam corollaria continentur, quæ operæ pretium eſt palam proferre; utrumque præſtabimus per ſequentia dubia, quibus ſimùl ſatisfaciemus iis, quæ pro complemento impeccabilitatis Chriſti in ſecunda præfixi tituli parte promiſimus. Ideò

Dubitatur primò: Utrùm humanitas, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, potuiſſet à Verbo de potentia abſoluta aſſumi retenta peccati macula, ſeu culpæ reatu? Reſpondeo negativè, & traditur, aut ſupponitur hæc negativa reſponſio ab omnibus Auctoribus relatis *præcedent. num.* 12. & 13. Ratio eſt quia humanitatem, quæ anteà peccaſſet, retinere maculam & culpæ reatum, eſt ipſam eſſe peccatricem & in peccato habituali; atqui Verbo divino repugnat, quod denominetur peccator æquè ac, quod denominetur peccans, & ſumma ſanctitas excludit peccatum habituale æquè, ac actuale; quinimò peccatum habituale ratione permanentiæ videtur magis, quàm actuale, opponi ſtatui ſanctitatis; unde aliqui docuerunt gratiam habitualem poſſe divinitus cum actuali, non cum habituali, peccato componi; repugnat igitur etiam de potentia abſoluta, quod humanitas aſſumpta ſit peccatrix & in peccato habituali, adeóque quod poſtquàm peccaverit aſſumatur cum peccati macula, & culpæ reatu; ſed neceſſe prorſus eſſet, quòd ante aſſumptionem aut ſaltem in ipſa aſſumptione abſtergeretur tota macula, & deleretur tota culpa; adeò ut primum eſſe aſſumptionis unioniſvè hypoſtaticæ eſſet primum non eſſe totius peccati habitualis, totiuſque reatus culpæ. 65.

Humanitas, quæ antè aſſumptionē peccaſſet, nullatenus poſſet in aſſumptione retinere reatum culpæ.

Dubitatur ſecundò: Utrum talis humanitas poſſet aſſumi ſaltem retento reatu pœnæ vel æternæ vel temporalis? Reſpondeo negativè cum Vaſquio *diſp.* 61. *cap.* 6. *num.* 35. Amico *diſp.* 24. *ſect.* 2. *num.* 59. Arriaga *diſput.* 35. *ſect.* 4. *num.* 14. cæteriſque magis communiter contrà Suarium *diſput.* 33. *ſect.* 2. §. *Sed inquiri* id affirmantem quoad pœnam temporalem, & aliquos alios Recentiores affirmationem extendentes etiam ad pœnam æternam: Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quia ut benè inſinuat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 1. *ad* 2. Pœnæ reatus eſt pœnæ dignitas culpam directè conſequens; ex utroque autem capite repugnat naturæ aſſumptæ: Repugnat ex primo, quia dignitas pœnæ eſt dignitas ſuſtinendi inflictionem alicujus mali, aut privationem alicujus boni, vel eſt dignitas ejus quod facit miſerum, indignitas ejus quod facit felicem; unio autem hypoſtatica, ſicuti eſt ſumma ſanctitas, ità eſt quoque ſummâ cujuſcunque boni dignitas; excludit igitur omnem prorſus aut dignitatem mali miſeriam inducentis, aut indignitatem boni conducentis ad felicitatem: Repugnat ex ſecundo capite, quia quod culpam quà talem directè conſequitur, habet radicaliter & in cauſa, quamvis non ſemper formaliter & in ſe, rationem mali moralis proptereàque D. Thomas prælaudatus ait, quod malum eſt eſſe reum pœnæ juxtà D. Dionyſium *de divin. nom. capite* 4. *part.* 4. dicentem *Non puniri eſt malum, ſed fieri pœnâ dignum*, unio autem hypoſtatica ratione ſummæ ſanctitatis excludit quidquid habet rationem aliquam mali moralis, & ſicuti repugnat cum proxima potentia peccandi, quamvis ſit malum morale ſolùm conſequenter & in effectu, ità repugnat cum reatu pœnæ, quamvis iſte reatus ſit malum morale ſolùm radicaliter, & in cauſa. Hinc corruit potiſſima ratio dubitandi 67.

66.

Nec item reatum pœnæ ſive æternæ ſive temporalis.

Pœna, & pœnæ reatus quomodò differant.

tandi

tandi Adverſariorum deſumpta ex eo, quod pœna non ſit malum morale, quod veriſſimum eſt cum poſſit à Deo infligi & per ſe cauſari; at aliud eſt loqui de pœna, aliud de pœnæ reatu; iſte, quamvis non illa, habet rationem aliquam mali moralis, & quando hanc non haberet eſſet ſaltem mali dignitas & indignitas boni; adeóque repugnaret cum unione hypoſtatica, ut conferente ſummam boni dignitatem, ſi minus ut conferente ſummam ſanctitatem. Nec difficilius eſt ſolvere alias minus præcipuas dubitandi rationes deſumptas, vel à paritate gratiæ habitualis excludentis reatum culpæ non reatum temporalis pœnæ; vel à ſeparabilitate unionis hypoſtaticæ à beata viſione, quod eſt naturam hypoſtaticè aſſumptam poſſe carere beatitudine eſſentiali, ac per conſequens poſſe pati pœnam damni ſitam in carentia eſſentialis beatitudinis; vel ex eo, quod Chriſtus de facto aſſumpſit reatum pœnæ ſolvendæ pro peccatis totius humani generis, multo magis igitur potuit aſſumere reatum pœnæ ſolvendæ pro peccato, quod antè aſſumptionem commiſiſſet ipſa natura aſſumpta.
68. Difficilius, inquam, non eſt iſtas dubitandi rationes ſolvere; ad primam enim dico paritatem deficere in eo quod gratia habitualis, quamvis ſit aliqua, eaque magna ſanctitas & dignitas, non eſt tamen ſanctitas & dignitas ſumma, ut eſt gratia unionis, unde ſicut ex hoc capite illa, non iſta ſecum compatitur peccati cauſam, ideſt proximam peccandi potentiam, ità nil mirum quod illa, non iſta compatiatur peccati effectum, ideſt reatum pœnæ: Ad ſecundam dico carentiam eſſentialis beatitudinis eſſe pœnam damni, quando conſequitur ad culpam & datur ex merito atque exigentia naturæ eam patientis; ſecus quando independet a culpa, & inducitur ex puro beneplacito abſolutáque poteſtate Dei; qua ſolum ratione reperibilis eſt in natura hypoſtaticè aſſumpta. Ad tertiam dico debitum pœnæ voluntarie aſſumptum, manens extrinſecum, & reſultans ex operibus aliorum à debitore, quale eſt in Chriſto debitum pœnæ ſolvendæ pro peccatis humani generis, non eſſe reatum pœnæ, ſed illud ſolum, quod ſuppoſita culpa neceſſariò intrinſecéque contrahitur & reſultat ex operibus aliquo modo proprijs debitoris, talibus ſcilicet ratione naturæ, ſi minus ratione ſuppoſiti; quale eſſet debitum, quod in natura aſſumpta remaneret ex peccato ab ipſa antecedenter commiſſo; ideò &c.

Dubitatur tertiò: Utrùm humanitas, quæ in Adamo peccaſſet, quæ ſcilicet in Adamo præextitiſſet ſecundum ſeminalem rationem, & ex eodem per naturalem propagationem deſcendiſſet medio virili ſemine; utrùm, in-
69. quam, talis humanitas potuiſſet tum à Verbo aſſumi, tum in aſſumptione retinere debitum contrahendi originale. Reſpondeo affirmativè quoad primam partem, negativè quoad ſecundam: Ratio primæ partis eſt, quia ex dictis potuiſſet à Verbo aſſumi humanitas, quæ peccaſſet in ſeipſa, & actu formaliter elicito à voluntate propria; ergo multo magis quæ peccaſſet in alio, ideſt in Adamo, & actu elicito a voluntate propria ſolùm æquivalenter, formaliter verò à voluntate aliena, in quam propria fuiſſet tranſlata. Ratio ſecundæ partis eſt, quia debitum contrahendi eſt aliquid minus, quam potentia proxima; atqui humanitas in aſſumptione nequit retinere potentiam proximam aut committendi peccatum de novo, aut incurrendi ſeu contrahendi peccatum antecedenter commiſſum, ſive fuerit commiſſum voluntate propria formaliter, ſive propria ſolùm æquivalenter; ergo humanitas, quæ in Adamo peccaſſet non potuiſſet in aſſumptione retinere debitum contrahendi peccatum in Adamo commiſſum, quod idem eſt ac dicere peccatum originale. Neque dicas ex Sanctis Patribus, præſertim Auguſtino *lib.* 10. *Geneſis ad litteram cap.* 18. & Thoma *hic quæſt.* 15. *art.* 1. *ad* 2. *& quæſt.* 31. *art.* 1. *ad* 3. in tantum Chriſtus de facto non contraxit, nec habuit debitum contrahendi originale, in quantum aſſumpſit naturam, quæ in Adamo non præextitit ſecundum ſeminalem rationem, & ab eodem non deſcendit medio virili ſemine: ergo ex oppoſito potuiſſet contrahere, vel habere debitum contrahendi, ſi potuiſſet aſſumere naturam, quæ in Adamo præextitiſſet, &c. adeoque, vel utrumque, vel neutrum, de potentia abſoluta repugnat, & incohærenter affirmamus unum potuiſſe abſolutè fieri, non alterum. Contra enim, Sancti Patres præmemorati loquuntur juxta ordinem de facto à Deo conſtitutum, vi cujus originale contrahunt omnes & ſoli deſcendentes ex Adamo per naturalem propagationem medio virili ſemine; at cum hoc ſtat eſſe probabilem ordinem alium, vi cujus natura aliqua ex Adamo per naturalem propagationem deſcendens, originale, & debitum ejus, aut non poſſet contrahere, aut ſemel contractum non poſſet retinere: Primum eveniret, ſi humanitas medio virili ſemine concepta in conceptionis inſtanti à Verbo aſſumeretur: Secundum, ſi non ſolum ex Adamo propagata medio virili ſemine, ſed etiam in originali concepta, aſſumeretur deinde poſt aliquod tempus à Verbo: In prima hypotheſi humanitas, quamvis ex Adamo deſcendens in Adamo non peccaſſet, neque enim potuit in Adamo peccare natura, quæ nunquam potuit Adæ peccatum, aut debitum ejus, in ſe contrahere; igitur, ut obſervat Amicus *præcitat. ſect.* 2. *num.* 55. debuiſſet talis humanitas à cæteris excipi in eo ſigno, in quo initum fuit à Deo cum Adamo pactum de originali juſtitia vel injuſtitia ad omnes Poſteros traducenda: In ſecunda hypotheſi, quæ continet germanum præſentis dubij caſum, humanitas in Adamo peccaſſet, & in ſe Adæ peccatum aliquando contraxiſſet, at fuiſſet deinde reddita impotens retinendi debitum talis peccati, nedum peccatum ipſum; idque in inſtanti aſſumptionis factæ poſt aliquod tempus à conceptione. Redeo jam ad illationem nobis objectam
ex Sanctis Patribus, & dico illos loquendo de facto, & ſecundum ordinem nunc conſtitutum, immunitatem originalis in Chriſto benè intuliſſe ex eo, quod ejus humanitas non præextiterit in Adamo ſecundum rationem ſeminalem; ex hac, inquam, non præexiſtentia, tanquam ex ſufficienti & efficaci, at non tan- 71.

quam

Humanitas quæ in Adamo peccaſſet potuiſſet aſſumi, at non potuiſſet in aſſumptione retinere debitum contrahendi originale.

70

Negatio præexiſtentiæ, ſecundū rationem ſeminalem in Adamo eſt ſufficiens, at non unica

ratio immunitatis ab originali, neque ad hanc neceſſariò requiritur.

quàm ex unicâ & adæquatâ ratione ; adeo ut non detur etiam aliqua ejuſdem immunitatis ſufficieos ratio, præſertim de potentiâ abſolutâ ; dico itáque cum Goneto *diſput.* 20. *art.* 1. § 9. *num.*65. in humanitate de facto aſſumptâ duplicem eſſe rationem & cauſam immuoitatis à debito originalis, utramque efficacem & ſufficieotem, neutram adæquatam & unicam : Prima eſt non exiſtenria illius in Adamo ſecundùm rationem ſeminalem & non propagatio medio virili ſemine : Secunda eſt ſumma ſanctitas unionis hypoſtaticæ : In caſu præſentis dubij non haberet quidem humanitas utramque prædictæ immunitatis rationem, haheret tamen poſteriorem, quæ ſufficit, quamvis fortè Sancti Patres frequentiùs ac libentiùs priore uſi fuerint, tanquam juxtà ordinem de facto conſtitutum magis notâ, & magis indubitatâ.

72. Impeccabilitas Christi eſt in ordine ad veniale æquè ac ad lethale.

Dubitatur quartò : Ao & quomodò humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ reddatur impeccabilis etiam leviter, ſeu venialiter ? Reſpondeo reddi impeccabilem etiam leviter ſeu venialiter, eo modo, quo redditur impeccabilis graviter ſeu lethaliter, reddi ſcilicet talem, tum ex vi unionis hypoſtaticæ etiam præcisè acceptæ, tùm in ordine ad potentiam etiam abſolutam : Probatur facile ex eo, quia hoc, quod eſt unione hypoſtaticâ etiam ſecundùm ſe præcisè acceptâ humanitatem reddi ſanctam infinitè in ordine creato, adeò ut extrà Deum nihil ſit excogitabile ſanctius, repugnat cum peccato & peccabilitate abſtrahendo à gravi & levi ; ſanctitate enim creatâ, quæ peccabilitatem gravem excludendo levem admitteret, eſſet excogitabilis ſanctitas major, ea ſcilicet, quæ peccabilitatem levem ſimul cum gravi excluderet ; atqui humanitas ex unione hypoſtaticâ redditur impeccabilis potiſſimum ex eo, quod reddatur infinitè ſancta ; ergo ex unione hypoſtaticâ redditur impeccabilis impeccabilitate abſtrahente à gravi & levi, & eodem modo ad utramque impeccabilitatem ſe habet : Neque ſolùm potiſſima hæc, & nobis acceptior, impeccabilitatis ratio contrà levem æquè, ac contrà gravem, peccabilitatem militat, verùm etiam parem quoq, contrà utramque peccabilitatem vim habet ratio alia à nobis commendata *prac. n.* 21. & deſumpta ex eo, quod ſi humanitas aſſumpta peccaret aut peccare poſſet, peccaret aut peccare poſſet ſaltem per communicationem idiomatum Deus ipſe ; certè autem Deo, ſivè per commuoicationem idiomatum, ſivè ratione ſui, repugnat peccare aut peccare poſſe leviter æquè, ac graviter. Neque magni momenti eſt ratio dubitandi deſumpta à paritate

73. Cur gratia habitualis, non gratia unionis cõpatiatur veniale peccatum.

gratiæ habitualis non excludentis peccatum veniale eo modo, quo lethale ; imò illud ſecum patientis etiam de potentiâ ordinariâ, iſtud nequidem de abſolutâ ſecundùm plures. Magni, inquam, momenti non eſt, quia non probamus præſens intentum ex ratione genericâ ſanctitatis repertæ in gratiâ etiam habituali, ſed ex taleitate ſanctitatis ſummæ, & ſubſtantialiter divinæ, reperibilis in ſolâ gratiâ unionis ; in ordine igitur ad rem præſentem nulla eſt inter gratiam habitualem & unionis paritas, ſicuti ex dictis nulla eſt in ordine ad reatum pœnæ, temporalis : Ratio à priori eſſe poteſt, quia contraria non ſe excludunt in quocumque gradu, & quò unum eſt remiſſius, eò debet eſſe intenſius aliud, à quo excludatur; nec igitur mirum ſi malitia leviſſima & remiſſiſſima qualis eſt in peccato veniali, in potentiâ venialiter peccandi, in temporalis pœnæ reatu, excludatur a ſolâ bonitate & ſanctitate ſummâ, & quaſi intenſiſſimâ, conveniente gratiæ unionis, non gratiæ habituali.

74. Impeccabilitas Christi eſt in ordine ad peccatum etiam ſolùm materialiter tale, in materiâ legis naturalis, nõ ſic in materia legis poſitivæ.

Dubitatur quintò: Utrùm humanitas Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ reddatur impeccabilis, etiam relatè ad peccatum ſolùm materialiter tale ; adeò ut nec poſſit committere opus objectivè quidem malum, at non imputabile ad culpam defectu cognitionis & libertatis, puta facere aliquid prohibitum ex ignorantiâ præcepti prohibentis. Reſpondeo affirmativè quoad ea opera, quæ ſunt objectivè mala ab intrinſeco, & ex vi præcepti naturalis negativè quoad ea quæ ſunt objectivè mala ab extrinſeco & ex vi præcepti poſitivi. Ratio reſponſionis eſt, quia peccatum ſolùm materialiter tale quomodocumque ſupponatur non imputabile ad culpam, quoties eſt opus malum ab intrinſeco, habet ex hoc præcisè indecentiam quamdam & diſconvenientiam cum naturâ rationali, adeóque moralem imperfectionem incompoſſibilem cum ſummâ ſanctitate, quæ includit ſummam moralem perfectionem, quoties verò eſt opus malum ab extrinſeco, ſecundum ſe & abſtrahendo à præcepto non ſolùm non habet imputabilitatem ad culpam, ſed nec indecentiam ullam aut diſconvenientiam cum naturâ rationali ; peccatum igitur materialiter tale, ſeu opus materialiter peccaminoſum primo modo, nec non potentia ad ipſum expedita repugnat ſummæ ſanctitati Chriſti Domini ; non ſic peccatum materialiter tale, ſeu opus materialiter peccaminoſum ſecundo modo ; quod eſt idem, ac dicere humanitatem ex vi unionis hypoſtaticæ reddi impeccabilem etiam materialiter, relatè ad primum, non relatè ad ſecundum peccati materialis modum : Confirmatur ex eo, quod res præcepta ignorato (invincibiliter, ut ſupponitur) præcepto ſe habet, ut res ſub præcepto non cadens, ſeu ut res ſumpta diviſivè à præcepto ; ex dictis autem *præcedent. numero quinquageſimo tertio*, quæ cadunt ſub præcepto naturali nunquàm poſſunt, aut ſub præcepto non cadere, aut ſumi diviſivè à præcepto aut certè ad ea ut ſumpta diviſivè à præcepto non datur in Chriſto potentia, ſecùs ſe habent ea, quæ cadunt ſub præcepto poſitivo ; ergo ſuppoſitâ quacunque ignorantia præcepti adhuc non poterit Chriſtus priora opera exercere, poterit verò poſteriora. 75. Confirmatur reſponſio ſingillatim quoad primam partem, in quâ videtur eſſe major dubitationi locus, adeò ut propterea in eâ ferè problematicus ſit Arriaga *diſputatione trigeſima quinta ſec. 4. numer. decimo ſecundo.*

facto in humanitate; at ab hac non currit paritas ad ſanctitatem ſubſtantialem; accidentalis quippè eſt diviſibilis & communicatur à Verbo efficienter, ſubſtantialis conſiſtit in indiviſibili & communicatur à Verbo formaliter.

Dices ſecundo: etiamſi omittatur ſimpliciter major, adhuc allata probatio & confirmatio eſt ex parte minoris propoſitionis infirma primò, quia peccabilitas ſeu potentia peccandi non eſt culpabilis, cum non ſit humanitati voluntaria, noo officit igitur ſanctitati, & quantumvis iſta creſcat, non eſt neceſſe quod illam excludat, præſertim de potentia abſoluta: Secundò quia datur in humanitate Chriſti potentia peccandi remota, cum hæc ſit eſſentialis voluntati creatæ, utpotè ab ejus limitatione & finitate proveniens, & tamen noſtra arguendi forma potentiam peccandi etiam remotam ab humanitate Chriſti excluderet: Tertiò, quia licet humanitate Chriſti non ſit excogitabile aliquid ſanctius in ordine creato, eſt certè ea ſanctior Deus in ſeipſo, Sancti autem Patres docent impeccabilitatem eſſe propriam ſanctitatis, quam habet Deus in ſeipſo, ſic D. Hieron. *tract. de filio prodigo* ait *Solus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.* Et D. Ambroſ. *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19.* habet *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia eſt, ſola autem eſt à peccato immunis, & immaculata, ſempiterna divinitas.*

19. Potentia peccandi ſumitur dupliciter.

Sed contrà: Obſervandũ eſt ex D. Thoma *in 3. diſt. 12. q. 2. art. 2.* peccabilitatem ſeu potentiam peccandi ſumi poſſe tum pro ea, quæ dicit ordinem ad peccatum tanquam ad actum ſecundum & effectum; tum pro ea, quæ dicit ordinem ad peccatum præcisè, tanquam ad ſpecificativum, & qua peccatur quoties peccatur; ſicut proportionaliter poteſt duplici hoc modo ſumi potentia videndi, & ſecundo, non primo modo, datur in cæco; hinc ad primam inſtantiæ rationem dico ſanctitati creatæ non officere potentiam peccandi ſumptam ſecundo modo, benè tamen primo; & hoc primo modo, quamvis non ſit voluntaria ſecundùm illud, quod dicit in recto, & ex parte actus primi præcisè; benè eſt voluntaria ſecundùm illud, quod dicit in obliquo, & ex parte actus ſecundi tanquam effectus voluntariè ponibilis, undè etiam eſt ſuo modo culpabilis in obliquo, & ex parte actus ſecundi per ipſam ponibilis.

20. Ad ſecundam dico potentiam peccandi remotam nihil aliud eſſe, quam potentiam peccandi ſumptam poſteriore modo ex duobus explicatis, & ſimilem potentiæ videndi exiſtenti in cæco, quæ non dicit ordinem ad viſionem, ſicut nec illa ad peccatum, tanquam ad actum ſecundum & effectum, ideò talis potentia remota nullatenùs officit ſanctitati in ordine creato ſummæ, nec contra ipſam militat probatio à nobis adducta.

Quid ſit Chriſtum habere potentiam peccandi remotam.

Neque dicas: Nonne eſſet magis Sancta natura creata, quæ hujuſmodi potentiam peccandi etiam remotã excluderet? Contra enim, talis natura neque eſſet magis, neque minus ſancta, ſed repugnãs; quia non amplius eſſet ex nihilo, nec haberet creatam voluntatem. Ad tertiam dico impeccabilitatem, quam Sancti Patres tribuunt ſoli Deo eſſe impeccabilitatem à ſe, independentem ab omni gratiæ dono, & excludentem potentiam peccandi etiam remotam & reſpicientem peccatum, dumtaxat ut ita dicam ſpeculativè & tanquam purum ſpecificativum, hujuſmodi autem non eſt impeccabilitas, quam nos tribuimus humanitati Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ; ideò &c.

21. In quo ſenſu impeccabilitas ſit Dei propria.

Præter argumentum impeccabilitatis Chriſti ab ejus ſubſtantiali, ſummâque ſanctitate deſumptum, quod utpotè noſtris principijs jam ſuprà traditis cohærens, illiſque ſuppoſitis facile ſimul & efficax, placuit primo loco proferre & aliquantulò latiùs proſequi; Præter tale, inquam, argumentum, inter reliqua, quæ varijs afferuntur, præcipuum cenſendum eſt, nec prorsùs omittendum argumentum deſumptum ex eo, quòd ſi humanitas Chriſti peccaret aut peccare poſſet, peccaret quoque aut peccare poſſet ipſemet Deus ſeu ipſummet Verbum, tum per communicationem idiomatum, tum per ſe ipſum & ratione ſui, culpa & defectu afficiente ipſam divinam voluntatem. Peccaret aut peccare poſſet per communicationem idiomatum quia per hanc quæ in Chriſto dicuntur de homine, dicuntur etiam de Deo ſeu de Verbo, ut explicatum eſt *præced. lib. 2. cap. 1. n. 19. & 36.* Peccaret inſuper, aut peccare poſſet Deus ſeu Verbum per ſe ipſum & ratione ſui, duplici ex capite; primò ſcilicet ex eo, quia divini Verbi ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum per ſe influat in omnem operationem naturæ quam terminat, & ſit principium *quod* agendi, juxtà illud tritum *Actiones ſunt ſuppoſitorum*: Secundò, quia Deus, aut ſaltem Verbum, per unionem hypoſtaticam ſpecialiter conjungitur naturæ humanæ, ad quam habet aliundè maximam ſuperioritatem, quoties autem duo ſpecialiter conjunguntur, tanquam ſuperius & inferius, ſuperiori incumbit debitum regendi & gubernandi quod inferius; & mala, quæ in inferiori impedire poteſt, & non impedit, ipſimet ſuperiori imputantur, ut patet in appetitu rationali reſpectu appetitus ſenſitivi, item in Domino, Viro, & Patre, reſpectu Servi, Uxoris, & Filij.

22. Fertur judicium de argumento impeccabilitatis Chriſti deſumpto ex eo quod ſecùs peccaret aut peccare poſſet ipſe Deus ſeu ipſum Verbũ.

In hoc trimembri argumenro, ut judicium meum proferam, placet primum membrum, quia dicere Verbum peccat, Verbum poteſt peccare, quamvis ſolum denominativè & per communicationem idiomatum dicatur, non poteſt non offendere pias, ſaltem ſtudiorum, aures; & tamen ab hac etiam offenſione, niſi graviſſima doctiores viros cogat neceſſitas, abſtinendum eſt; & nimis facilè eam, tanquam inane terriculamentum negligunt Adverſarij ferè omnes, quin & aliqui ex præfixi aſſerti Paeonis, qui propterea cenſent ex prædicta denominatione non rectè probari Chriſti impeccabilitatem: Diſplicet ſecundum membrum, tanquam procedens ex falſo ſuppoſito, ſecundum nos enim, ut ſæpius attigimus, ſubſiſtentia non eſt principium influxivum in operationes naturæ, nec actiones ſunt ſuppoſitorum influxivè ſeu elicitivè, ſed denominativè tantum. Tertium membrum continet doctrinam pulchram & ſpecioſam, at difficilem & gravibus inſtantiis obnoxiam, propreteaque indigam multæ explicationis, & accuratioris examinis; ejus

jus quia mihi nunc nec neceſſitas eſt nec otiũ, abſtineo à ferendo de ejus efficacia & vi judicio, contentus lectori indicare aliquos ex ijs, qui eam latius acriuſque, tum propugnant, tum impugnant: Propugnant ſcilicet Suarez *diſputat.33.ſect.2. §.ſecunda ergo ratio.* Arriaga *diſput.34.ſect.4.ſubſect.1. & 2.* Gonetus *diſp.20. art.1.§.3.& §.7.n.*50. Madernus *q.7.art.3.n.*11. &c. Impugnant Vaſquez *diſp.*61.*c.*5. Hurtadus *diſp.*59.§.61.& præter aliquos alios ex aſſertæ impeccabilitatis defenſoribus, Maſtrius *diſp.*2. *q.*2.*art.*2.*n.*52. cæterique omnes ejuſdem impeccabilitatis Adverſarij.

23. Dices impugnando primum argumenti membrum: Deo, Verboque divino ſecundum ſe non minus repugnat mors aut poſſe mori, quàm peccatum aut poſſe peccare, nec minus illi eſſentialis eſt ac inamiſſibilis vita, quàm ſanctitas; atqui hoc non obſtante per communicationem idiomatum rectè dicitur, Verbum divinum eſt mortuum, eſt potens mori; ergo ſimiliter rectè dicetur, eſt peccans, eſt potens peccare: Poteſt hæc eadem inſtantia formari in alijs multis prædicatis humanitatis, quæ Deo ſecundum ſe maximè repugnant, & tamen ei ſecundum quod eſt in Chriſto per communicationem idiomatum denominativè conveniunt; talia ſunt eſſe paſſum, eſſe ſepultum, eſſe loco circumſcriptum, habere potentiam remotam peccandi, ſeu potentiam qua peccatur, &c. Hinc Adverſarij ferè omnes concedunt ſine ſcrupulo propoſitionem illam, Deus ſeu perſona Verbi in humanitate ſubſiſtens peccabilis eſt, peccare poteſt, & in hypotheſi humanitatis peccantis peccat, ſubintelligendo, per communicationem idiomatum: Permittunt id inſuper Lugus, Arriaga, aliique nonnulli aſſerentes quidem Chriſti impeccabilitatem, at cenſentes ad illam probandam nullius eſſe roboris ſequelam deductam ex communicatione idiomatum; utpote ex ſe non ab-

24. ſurdam, nec ex terminis falſam. Sed contrà: auctoritas multorum ſequelam, de qua agitur, admittentium aut permittentium, poterit eam reddere à ceſura gravi immunem; at nunquam piam, plauſibilem, nec mihi probabilem; ideò ad inſtantiam nego majorem, vel etiam diſtinguo, non minùs repugnat immediatè & denominatione deſumpta à natura aliena, nego majorem, & conceſſa minore, nego conſequentiam; ratio diſtinctionis eſt, quia peccare & poſſe proximè peccare ſunt mala moralia; pati, mori, poſſe mori, & ſimilia ſunt mala phyſica; mala autem moralia nec poteſt Deus in ſe habere, nec in alijs per ſe cauſare; mala phyſica, quamvis non poſſit habere in ſe, poteſt per ſe cauſare in alijs; hinc proportionaliter à malis moralibus, nec ut in propria, nec ut in aliena natura ſibi unita exiſtentibus, denominari poteſt, benè verò hoc ſecundo modo denominari poteſt à malis phyſicis; hincque etiam moralia mala, non phyſica, eſſentialiter excludit ab aliena natura ſibi unita: Alia ratio fit, quia mala phyſica opponuntur perfectionibus divinis phyſicis, quæ non tribuunt ſuum effectum formalem naturæ aſſumptæ, neque enim humanitas in Chriſto vivit formaliter vitâ divinâ, aut immenſitatur formaliter divina immenſitate; at mala moralia opponuntur divinæ ſanctitati, quæ tribuit ſuum effectum formalem naturæ aſſumptæ, undè ex ſupradictis humanitas Chriſti redditur formaliter ſancta ſubſtantiali Dei ſanctitate; eſt igitur ſpecialis neceſſitas excludendi à natura hypoſtaticè aſſumpta, & à communicatione idiomatum, mala moralia, non mala phyſica.

Cur mala moralia, non phyſica repugnent naturæ aſſumptæ, & nec per communicationem idiomatum convenire poſſint Deo.

25. Aſſert. 2. Humanitas Chriſti ex unione hypoſtatica habet impeccabilitatem, qua excludit omnem prorsùs proximam expeditamque potentiam peccandi, adeò ut nec retinendo ſimul cum peccato, nec amittendo ex vi peccati unionem, peccare poſſet. Hoc aſſertum eſt ſingillatim contra Hurtadum, Arriagam, alioſque nonnullos, de quibus ſuprà *numero decimotertio.*

Chriſtus neque etiam peccato unionem hypoſtaticã deſtruente peccare poteſt.

Probatur primò ijſdem argumentis, quibus aſſertum præcedens, nam in primis multum detrahitur prælaudatis auctoritatibus Sanctorum Patrum, ſi limitentur ad impeccabilitatem unione retenta, & aſtruatur unio hypoſtatica incompoſſibilis cum peccato potius, quàm cum potentia peccandi, quod eſt in re vix tribuere gratiæ unionis repugnantiam cum peccato majorem, quàm gratiæ habituali, de qua etiam multi docent, quod nec de potentia abſoluta poſſit aliquis eam habens peccare ea retenta. Ratio prætereà ſupra deducta tum ex ſanctitate, qua in ordine creato non ſit excogitabilis major; tum ex denominatione potentis peccare nequidem per communicationem idiomatum Deo tribuenda, benè militat pro præſenti intento; nam non poſſe peccare etiam unionem ex vi peccati amittendo eſt aliqua major ſanctitas, quàm non poſſe peccare dumtaxat unionem ſimul cum peccato retinendo, & dicere, Deus aut Verbum eſt potens peccare, per hoc quod addatur, *amittenda unionem*, vix quidquam amittit de duritie aurium offenſivâ.

26. Dices de potentia abſoluta Deus poteſt pro ſuo libito deſtruere unionem hypoſtaticam; ergo à fortiori eam poteſt deſtruere in pœnam peccati; ergo poteſt humanitas Chriſti peccare peccato unionem hypoſtaticam deſtruente, ſeu Deum movente ad unionem hypoſtaticam deſtruendam. Sed contrà: concedo antecedens, diſtinguo conſequens; ergo à fortiori eam poteſt deſtruere in pœnam peccati utcumque, concedo; in pœnam peccati, quod committatur ab ipſamet humanitate Chriſti, ſeu ab ipſamet natura habente unionem hypoſtaticam, nego; & ratio eſt, quia hæc natura antecedenter ad peccatum, adeóque antecedenter ad deſtructionem unionis hypoſtaticæ, haberet potentiam proximam peccandi; haberet igitur hanc potentiam ſimul cum unione; & tamen illud, quod nos nunc contendimus, eſt talem potentiam proximam non ſolùm ratione ſui effectus, ſed etiam ratione ſui præciſè repugnare cum ſumma ſanctitate unioneque hypoſtaticâ, ac per conſequens ne quidem in illo priori, in quo antecedit peccatum, poſſe eſſe ſimul cum unione hypoſtaticâ.

Unio hypoſtatica poſſet divinitus deſtrui in pœnam peccati; at non commiſſi à natura habente unionem.

Urgebis: Humanitas Chriſti præcedit na-

tutâ unionem hypoſtaticam, tum quoad primum inſtans productionis, tum quoad ſingula inſtantia conſervationis, adeò ut prius naturâ extiterit, & in quolibet inſtanti aſſignabili temporis prius naturâ conſervetur humanitas, quàm unio hypoſtatica; ergo pro priori naturæ poteſt humanitas Chriſti habere, tum in primo, tum in reliquis inſtantibus, potentiam peccandi abſque eo, quod hanc habeat ſimul cum unione hypoſtatica; ergo abſque hac ſimultate poſſet Deus velle conſervare unionem hypoſtaticam in hoc inſtanti verbi gratia ſi humanitas pro eo priori naturæ, quo unionem in hoc inſtanti præcedit, non ſe determinet ad peccandum; nolle conſervare, ſi ſe ad peccandum determinet, quod eſt humanitatem Chriſti habere potentiam peccandi peccato impeditivo conſervationis unionis ſeu de-

27. ſtructivo ipſius. Sed contra: Qui dicunt ſubſiſtentiam eſſentialiter requiri ad operandum facilè ſe expediunt dicendo pro illo priori naturæ, pro quo humanitas Chriſti præcedit ſubſiſtentiam unionémque hypoſtaticam, non poſſe intelligi potentiam proximam ad peccatum, eo quod iſtud ſit operatio, & potentia peccandi ſit potentia operandi, ad conſtituendam autem quamcunque potentiam proximam operandi requiratur ipſamet ſubſiſtentia: Porrò in noſtris principijs, quibus admittimus naturam, antequam ſubſiſtat, poſſe divinius operari; ac per conſequens poſſe habere operationem, ne dum potentiam proximam operandi, antequam habeat ſubſiſtentiam, videtur magis urgere difficultas: Nihilominus concedo antecedens, nego conſequentiam, vel majoris claritatis gratiâ diſtinguo abſque eo quod hanc habeat ſimul cum unione hypoſtaticâ ſimultate naturæ concedo; ſimultate temporis, nego: vel formaliter, concedo, arguitivè & illativè, nego; cum enim potentia proxima peccandi non poſſit exiſtere in humanitate præciſe pro aliquo inſtanti naturæ, ſed ſi pro inſtanti naturæ exiſtit, conſequens ſit, quod exiſtat pro inſtanti temporis, fit quod humanitas Chriſti nequeat habere potentiam proximam peccandi pro priori naturæ ad unionem hypoſtaticam, quin eam habeat pro inſtanti temporis, quo exiſtit unio hypoſtatica, adcóque quin illam habeat ſimultate temporis & illative ſimul cum unione hypoſtaticâ; ſi igitur hoc ſecundum repugnat, repugnat & illud primum, ex quo ſecundum neceſſario ſequitur.

28. Impeccabilitatem Chriſti aliquæ aliæ difficultates dubitationéſque conſequuntur, quas operæ pretium eſt ſingillatim expendere, & primo quidem occurrit difficultas omnium graviſſima deſumpta ex eo, quod Chriſtus habuerit libertatẽ & meritum in adimplendo præcepto mortis ſubeundæ; cum enim ex una parte libertas ſit potentia ad oppoſita, atque adeò libertas adimplendi præceptum ſit potentia adimplendi ipſum, & non adimplendi; & ex alia parte ſicut non adimplere præceptum eſt peccare, ita potentia non adimplendi ſit potentia peccandi, difficillimum videtur & ex terminis repugnans, quod Chriſtus ſeu Chriſti humanitas habuerit libertatem adimplendi præceptum mortis, & non habuerit potentiam peccandi; unde jure in hoc puncto cruciantur, variaſque admodum in ſententias diſſecantur, Scholaſticorum ingenia, & ut omittam aliquos ingenuè fatentes ſe difficultati ſuccumbere, ſicut de Vincentio Aſturicenſi refert Ioannes à S. Thomâ *diſp. 17. art. 4. num. 26.* quid potiſſimum reliqui ſenſerint, ſtatim expono: Ideò ſit

Ratio dubitandi, & difficultas graviſſima, circa Chriſti impeccabilitatem cum præcepto & libertate conciliandam.

§. III.

Quomodo varij variè concilient in Chriſto humanitatis impeccabilitatem, ejuſdem libertatem ac meritum, & præceptum mortis ſubeundæ?

ASSERT. Ad quatuor præcipua capita reduci poſſunt modi varij conciliandi ea, quæ in titulo recenſentur. 29.

Varij prædictæ conciliationis modi ad quatuor capita reducuntur.

Probatur, & explicatur: ſicut tria ſunt, quæ concilianda proponuntur, ita penes ſingula latius ſtrictiuſque accepta excogitarunt Auctores varios modos conciliandi quodlibet ea ſingulis cum alijs duobus; ſicque omnes iſti modi commode reducuntur ad tria capita; quibus ſi addas modum aliquem eadem tria conciliandi, etiamſi ſingula ſumantur ſtrictius & in toto rigore, jure etiam addes caput aliud, ſub quo tales modi collocentur; ad quatuor igitur præcipua capita reduci poſſunt modi varij conciliandi &c.

Primum caput eſt eorum, qui latius ſentientes de Chriſti impeccabilitate ponunt hanc eſſe moralem tantùm, non phyſicam; ac per conſequens relinquere expeditam potentiam phyſicam peccandi; de libertate autem ad meritum requiſita adduot non eſſe neceſſe, quod ſit potentia moralis, ſed ſufficere quod ſit potentia phyſica ad oppoſita; cum igitur reſpectu ejuſdem benè cohæreant potentia phyſica & impotentia moralis, benè ſtat, inquiunt, quod Chriſtus in obſervatione præcepti habeat titulo libertatis ac meriti potentiam, titulo impeccabilitatis impotentiam tranſgrediendi, quia illa potentia eſt phyſica, iſta impotentia eſt moralis. Ita Argentinas *in 3. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad 4.* Marſilius *quæſt. 2. art. 2.* Poncius *diſp. 19. quæſt. 11.* & aliqui alij præſertim ex Scotiſtis & Nominalibus. Ad hoc caput reduci poteſt etiam modus dicendi illorum, qui impeccabilitatem Chriſti faciunt provenientem à providentiâ extrinſecâ Dei, qui in ordine ad omnem præceptorum obſervantiam præparaverit Chriſto Domino auxilia efficacia, hæcque libertatem non imminuant, eo quod per ſcientiam mediam præviſa ſit humana Chriſti voluntas ex propriâ libertate in talibus circumſtantijs, & cum tali auxilio, obſervantiam volitura. Ita Suarez *diſp. 37. ſec. 3. § Supereſt tamen* Molina 1. *par. quæ. 14. art. 13. diſp. 18.* in fine, & aliqui alij ex Auctoribus ſcientiæ mediæ. 30.

Secundum caput eſt eorum, qui latius ſentiunt de Chriſti libertate, eaque valdè tenui ad meritum contenti ſunt, quatenus vel putant 31.

ad

ad meritum ſufficere libertatem, quam vocant eſſentialem, & idem eſt ac ſpontaneitas, nec importat potentiam ad oppoſita; vel requirunt quidem ad meritum libertatem, quæ ſit potentia ad oppoſita, at exiſtimant ſufficere, quod ſit potentia remota, & carens proximo uſu libertatis, qualis per hos Auctores reperitur in beatis relatè ad amorem beatificum. Solum primum libertatis modum Chriſto tribuit in ordine ad præceptorum obſervantiam Faber *in 3. diſt.44. cap.1.* Secundum Maſtrius *diſp.3. quæſt.9. num.*, 89. & major reliquorum Scotiſtarum pars.

32. Tertium caput eſt eorum, qui latius explicant, & uti dicam mitigant aut modificant reſpectu Chriſti præceptum de morte ſubeunda, adeò ut vel in ipſo negent præcepti rigorem & proprietatem: vel ponant ipſum cadere ſolum circa mortis ſubſtantiam, non circa motivum & circumſtantias; vel tandem ei addant modificationem aliquam ſeu conditionem, dependenter à qua ſalvent in ejus obſervantiâ eum impeccabilitate libertatem: Hinc primo docent aliqui præceptum propriè dictum, & in conſcientia obligans, debere eſſe comminatorium culpæ & pœnæ ob culpam incurrendæ, idèò non poſſe fieri ei cui comminatio culpæ & pœnæ ob culpam incurrendæ eſſet comminatio rei impoſſibilis, ſicuti eſſet impoſſibilis reſpectu Chriſti habentis omnimodam incapacitatem culpæ ac per conſequens pœnæ incurrendæ ob culpam; inaniter igitur, & ex falſo ſuppoſito, laboratur inquirendo modum, quo cohæreat cum impeccabilitate libertas in executione præcepti de morte ſubeundâ; Ita Ciſtercienſis *in 3. quæſt.3. art.2.* Victoria apud Medinam *hic qua.47.art.2.* Lorca *diſp.73.* Eſparza *quæſt.32.* & alij nonnulli, tum Antiqui, tum Recentiores, quorum opinionem probabilem cenſet Arriaga *diſput.42. ſec.2.ſubſec.4.*

33. Secundò docent aliqui præceptum mortis ſubeundæ præſcripſiſſe Chriſto mortis ſubſtantiam, non hujus vel illius virtutis motivum, hoc vel illud tempus aliaſvè circumſtantias; ideò mortem fuiſſe Chriſto liberam & meritoriam, non quoad ſubſtantiam ſecundùm ſe cadentem ſub præcepto, ſed quoad eamdem ut conveſtitam tali motivo, tali determinatione temporis, aliâve circumſtantiâ ſub præceptum non cadente. Ita Valentia *quæſt.19.punc.2. §.magis igitur approbo* Vaſquez *diſp.74. cap.5.* Amicus *diſp.25. ſec.3. num.98.* Arriaga *diſp 42. ſec.2. ſubſec.7.* Moncæus in diſputationibus ſelectis *diſp.9. cap.10.* Madernus *qu.7.art.6. num.16.* & alij plurimi Recentiores, qui pro ſe referunt ex Antiquis Alenſem, Sotum, alioſque nonnullos. Tertio docent aliqui præceptum moriendi fuiſſe quodammodò modificatum per dependentiam aliquam à Chriſti voluntate, vel in impoſitione ipſa quatenus ipſemet Chriſtus ex propria libertate petierit illud ſibi imponi, ita Zumel *1. part quæſt.22. art.4.* & Cabrera *hic quæſtione 18.articul. quarto diſp.4.§.3.* vel in obligatione, quatenus fuerit in Chriſti libertate obtinere ceſſationem & diſpenſationem ejus, nec præceptum moriendi obligaverit Chriſtum abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quod nollet ut poterat diſpenſationem petere, ita Lugus *diſputat.26. ſec.8.* & quidam alij Recentiores.

Quartum caput eſt eorum, qui tribuunt Chriſto impeccabilitatem phyſicam & ab intrinſeco, requirunt ad meritum accidentalem & proximam libertatem indifferentiæ; fatentur mortem cecidiſſe ſub præcepto proprio ac rigoroſo; & tamen ſuſtinent eamdem fuiſſe Chriſtu meritoriam ac liberam, etiam quoad ſubſtantiam, idque independenter, aut à petita impoſitione præcepti aut ab impetrabili ejus jam impoſiti diſpenſatione; ſuſtinent id autem recurrendo ad potentiam non moriendi in ſenſu diviſo, quatenus ſtante impeccabilitate, & mortis præcepto, adhuc potuerit Chriſtus velle negationem mortis ſumptam, non ut conjunctam aut conjungendam cum præcepto ad mortem obligante, ſed diviſim & ſecundùm ſe; quod eſt ſimul cum præcepto mortis Chriſtum non habuiſſe potentiam non moriendi aut volendi non mori in ſenſu compoſito, quod obeſſet impeccabilitati; habuiſſe vero potentiam non moriendi aut volendi non mori in ſenſu diviſo, quod ſufficit libertati; & ecce modum, quo phyſicam impeccabilitatem, rigoroſum præceptum, & perfectam libertatem in Chriſto conciliant Medina *quæſt.19.art.2. & quæſt.47.art.2.ad 5.* Ioannes à S. Thomâ *diſp.17.art.4.* Gabriel à S. Vincentio *diſp 15. dub.1.§.5.* Gonetus *diſp 21.artic.3. §.5.* Alvarez *quæſt.8.diſp.86.* & ferè omnes reliqui Thomiſtæ. 34.

35. Fertur de prædictis varijs modis breve judicium.

Circa omnes hos conciliandæ difficultatis modos ut judicium meum breviter proferam; qui ſub primo & ſecundo capite recenſentur ſunt prorſus reijciendi, ſaltem tanquàm procedentes ex falſo ſuppoſito, mihi enim ex infra dicendis falſum eſt impeccabilitatem Chriſti, aut eſſe ſolùm moralem, aut provenire ab extrinſeco; eſt item ex dictis, tùm de Gratiâ, tùm *lib. præced. cap.3. §.2.* falſum quod ad meritum ſufficiat libertas, aut eſſentialis, aut accidentalis ſed remota, eo ſenſu quo eam ſumunt Auctores ſuprà relati *num.31.* ex modis contentis ſub tertio capite diſplicet primus, quia ex una parte declinat, non ſolvit difficultatem, neque enim libertatem cum præcepto conciliat qui præceptum negat, ex alia parte cogit ad ſenſum improprium detorquere plurea Scripturæ & Patrum auctoritates, quibus expreſsè traditur Chriſtum habuiſſe à Patre præceptum, ſeu mandatum moriendi; & licet Adverſarij diſtinguant inter præceptum, ſeu mandatum moriendi; & licet Adverſarij diſtinguant inter præceptum, & mandatum & in illo, non in iſto agnoſcant obligationem ſub peccato, & comminationem culpæ; hæc tamen diſtinctio ab alijs cenſetur gratis excogitata, & obligatio ſub peccato ac comminatio culpæ, vel ad utrumque, vel ad neutrum requiritur; ſi autem requiritur ſufficit, quod ſit implicita, & quod ei correſpondeat potentia remota culpæ, ac pœnæ ob culpam incurrendæ; quâ de re videri pro nunc poſſunt Amicus *præcit ſec.1. num 55. & 60.* 36.
Gonetus *præcit. art.3. §.2.* & Suarez *diſp.43. ſec.1.* Secundus & tertius modus ſub eodem

quàm

tertio capite poſiti minus quidem diſplicent, quàm primus, & quando illorum Auctores aliunde probarent præceptum mortis non ſe extendiſſe ad motivum & tempus, aut aſſererent fundamentum poſitivum petitionis & diſpenſationis ab ipſis excogitatæ, adhuc multò minùs diſplicerent; Verùm hæc non probant, ideò abſolutè diſplicent, quia ſine neceſſitate & ſufficienti fundamento limitant præceptum ad mortis ſubſtantiam, aut ad illud requirunt præviam Chriſti petitionem, oblatamvè à Deo optionem diſpenſationis obtinendæ; præter quod ad hæc recurrendo videtur ſaluari indirecta dumtaxat, non directa in præcepti obſervatione libertas; ſicut & videtur multùm detrahi de perfectione obedientiæ in Chriſti morte. Quidquid tandem de his ſit, ſi ſuppetit alius concordiæ modus, quo in majori rigore omnia concilientur, ſi ſcilicet ſuſtineri commodè poteſt modus ſub quarto capite poſitus, ſuſtinendus utique eſt, & cæteris præferendus, pro ipſius igitur intelligentiâ.

37. Traditur legitima intelligentia ſenſus diviſi, & compoſiti in ordine ad conciliationem, de qua agitur.

Advertendum & *ex tract.1.lib.4.cap.6.§.3.* recolendum potentiam ad oppoſita, quæ eſt de conceptu libertatis, non eſſe potentiam ad oppoſita in ſenſu compoſito, ſeu compoſita & ſimul ponenda; ſed ad oppoſita in ſenſu diviſo, ſeu diviſa, & ponenda ſeorſim ac ſecundùm ſe; undè alijs terminis dicetur ſimultas potentiæ, non potentia ſimultatis, eò quod ſimultas ex parte potentiæ ſe teneat, non ex parte oppoſitorum, ad quæ eſt potentia. Hinc ut Chriſtus ſtante præcepto mortis habeat potentiam non moriendi, quantùm ad libertatem requiritur, non debet habere talem potentiam in ſenſu compoſito, quatenùs poſſit conjungere & componere præceptum mortis & negationem mortis, ſed in ſenſu diviſo quatenùs habeat potentiam ad præceptum mortis, & negationem mortis ſeorſim, & ſecundùm ſe, in quo Recentiores non pauci malè Thomiſtis imponunt, quod ſtante præcepto mortis habere potentiam non moriendi in ſenſu diviſo, ſit habere talem potentiam diviſam à præcepto, & ex ſuppoſitione, quod non daretur præceptum; qua certè ratione potentia non moriendi in ſenſu diviſo nihil prodeſſet ad ſalvandam de facto in Chriſto ſimul cum præcepto & impeccabilitate libertatem; ſicuti tamen ſaluat eadem potentia in ſenſu diviſo legitimè intellecto, dividente ſcilicet, & ſeparante præceptum mortis non ab ipſa potentia non moriendi, ſed à negatione mortis, ad quam ſic ſeparatam, ſeu ſecundùm ſe acceptam, datur etiam conjuncta cum præcepto mortis potentia non moriendi: Neque eſt in hoc majus myſterium, quàm in eo quod voluntas conjuncta cum prædeterminatione ad amorem, imò cum amore, habeat potentiam ad negationem amoris ſeparatim, ſeu ſecundùm ſe acceptam; ideò pro legitima intelligentia ſenſus compoſiti, & diviſi, in re præſenti recurrit quidquid dici ſolet ab ijs, qui eodem ſenſu utuntur ad conciliandam cum divinâ prædeterminatione libertatem, quod nos præſtitimus *præcit. §.1.* agentes de efficaciâ voluntatis divinæ prædeterminativæ, & præſtat etiam validè ex profeſſo Gonetus agens de Prædeſtinatione *diſp.6.art.4.*

§. IV.

Statuitur veriſimilior modus prædictæ conciliationis: Ubi quid de eadem conciliatione in ordine ad præcepta naturalia.

38. Veriſimilior modus prædictæ conciliationis habetur penes velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti.

ASSERT.1. Veriſimilior modus conciliandi in Chriſto impeccabilitatem, libertatem, & præceptum circa mortem ſubeundam ſtatuitur in eo, quòd Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti. Ita Auctores relati ſuprà *num.34.* contrà alios relatos antecedenter.

Probatur ille eſt modus veriſimilior, qui ex una parte poteſt commodè ſuſtineri, & ex alia parte meliùs, quàm reliqui ſaluat in morte ſubeundâ propriam perfectamque rationem impeccabilitatis libertatis, & præcepti; atqui commodè ſuſtinetur, quod Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo quamvis non in ſenſu compoſito præcepti; & per hoc melius, quàm aliter, ſaluatur propria perfectaque ratio impeccabilitatis, libertatis, & præcepti; ergo veriſimilior modus conciliandi in Chriſto &c. Probatur minor quoad primam partem, quia cum aliquo quod ſit ſuppoſitio antecedens infallibiliter inferens mortem & volitionem ejus in Chriſto, benè ſtat & commodè ſuſtinetur Chriſtum poſſe velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito talis ſuppoſitionis; atqui præceptum mortis reſpectu voluntatis impeccabilis ſe habet, tanquam ſuppoſitio antecedens infallibiliter inferens mortem & volitionem ejus; ergo commodè ſuſtinetur, quod Chriſtus potuerit velle non mori in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito præcepti: Major ſupponitur ex eo, quod decretum ab æterno prædeterminans, & prædeterminatio actualis data in tempore, ad aliquem actum à me eliciendum eſt ſuppoſitio antecedens; & tamen juxtà ſuprà inſinuatam intelligentiam ſenſus diviſi, & compoſiti, commodè ſuſtinetur, quod poſſim non elicere talem actum in ſenſu diviſo, quamvis non in ſenſu compoſito decreti prædeterminantis, & prædeterminationis; ergo. Probatur præcedens minor quoad ſecun- 39.
dam partem, quia ut colligitur *ex §.præcedent.* Non ſaluatur aliter in Chriſto impeccabilitas, libertas, & præceptum, niſi aliquid detrahendo, aut de impeccabilitate, aut de libertate, aut de præcepto; at modus mox aſſertus ita omnia conciliat, ut nihil prorsùs de propria ſingulorum ratione & perfectione detrahat: Nihil detrahit de impeccabilitate, quia nullam prorsùs inducit potentiam tranſgrediendi præceptum, ut conſtabit *ex ſeq. num.40.* Nihil detrahit de libertate, quia hæc ex genere ſuo eſt ad oppoſita in ſenſu diviſo dumtaxat, non in ſenſu compoſito, à nobis autem relinquitur in Chriſto expedita potentia ad velle & nolle

mori

mori in ſenſu diviſo. Nihil detrahit de præcepto quia illud nec ad mortis ſubſtantiâ limitat, nec præviæ petitionis aut oblatæ diſpenſationis conditione modificat; & præterea ei relinquit vim obligandi in conſcientiâ, quia hæc eo modo, quo poteſt ad rigoroſum præceptum requiri, non conſiſtit in eo quod quis poſſit ipſum tranſgredi proximè, ſed in eo quod quis peccet ſi tranſgrediatur, & poſſit remotè tranſgredi, ſi non proximè; quæ omnia magis conſtabunt ſolvendo Adverſariorum inſtantias, ideò.

Dices primò oſtendendo modum à nobis aſſertum non ſufficienter ſalvare impeccabilitatem: Velle præceptum tranſgredi, ſeu velle præceptum non implere eſt peccare ergo potentiam volendi præceptum tranſgredi, ſeu volendi præceptum non implere, eſt potentia peccandi, quod enim facit actus actu, facit potentia poſſibiliter; atqui potentia volendi non mori ſtante mortis præcepto etiam ſumpta in ſenſu diviſo eſt potentia volendi præceptum tranſgredi: ergo talis potentia etiam ſumpta in ſenſu diviſo eſt potentia peccandi, ac per conſequens per hoc; quod ſumatur in ſenſu diviſo non rectè ſalvat Chriſti impeccabilitatem; probatur ſubſumptum, velle non mori ſtante mortis præcepto à quacumque potentiâ proveniat eſt præceptum tranſgredi, ad hoc quippè nihil aliud requiritur, quam non facere ſeu velle non facere rem præceptam, nec excuſatur quis à tranſgreſſione per hoc quod dicat ſe non facere rem præceptam in ſenſu diviſo; ſeu ſumptam ſecundum ſe, & ut abſtrahentem à præcepto, ergo ſimiliter potentia volendi non mori ſtante mortis præcepto eſt potentia volendi præceptum tranſgredi, nec deſinit eſſe talis per hoc, quod dicatur ſumi in

40. ſenſu diviſo. Sed contrà: concedo antecedens, & primum conſequens, nego ſubſumptum; ad cujus probationem adverto in antecedente ly *a quacumque potentia proveniat* valdè impropriè & impertinenter poni; nam velle non mori ſtante mortis præcepto exprimit ſimultatem & compoſitionem voluntatis non moriendi cum præcepto mortis, non poteſt igitur provenire niſi à potentia volendi non mori in ſenſu compoſito præcepti, nec rectè ponitur ly *à quacumque potentia proveniat*, hac animadverſione ſuppoſitâ, concedo antecedens, nego conſequentiam; ratio negationis eſt, quia antecedens non eſt capax ſenſus diviſi, ſicuti eſt capax conſequentia, ideò variatur appellatio & arguitur ab uno ſenſu ad alium, à ſenſu compoſito ad diviſum, nil mirum igitur ſi illatio ſit vitioſa; unde etiam ſi repetas illud *Quod facit actus actu, facit potentia poſſibiliter* facilè occurretur dicendo verum id eſſe, ſi non varietur appellatio; falſum, ſi varietur, & fiat à ſenſu compoſito ad diviſum tranſitus, quo defectus laborant etiam, & falſæ ſunt iſtæ illationes, Non ponere rem prædeterminatam & præſcitam à Deo eſt fruſtrare prædeterminationem & falſificare præſcientiam Dei; ergo potentia non ponendi talem rem eſt potentia fruſtrandi & falſificandi &c.

Quomodò ſtante præcepto potentia volendi non mori in ſenſu diviſo non ſit potẽtia tranſgrediendi præceptum?

Urgebis: Potentia volendi non mori in ſenſu diviſo, prout à nobis nunc ſumitur, eſt potentia volendi negationem mortis ſecundùm ſe, & ut abſtrahentem à præcepto; atqui ſtante præcepto repugnat, quod negatio mortis ponatur ſecundùm ſe & ut abſtrahens a præcepto; ergo potentia volendi non mori in ſenſu diviſo, prout à nobis nunc ſumitur, & prout etiã ſtante præcepto negatur eſſe potentia præceptum tranſgrediendi, reſpicit terminum repugnantem, ac per conſequens eſt in ſe repugnans. Confirmatur: Potentia odio habendi Deum, quamvis ſumatur in ſenſu diviſo adhuc eſt potentia peccandi & tranſgrediendi præceptum, quo tale odium prohibetur; ergo ſimiliter potentia ad negationem mortis, etiam ſumpta in ſenſu diviſo, eſt potentia peccandi & tranſgrediendi præceptum, quo talis negatio prohibetur, ut verè prohibetur ſtante præceptu moriendi. Sed contrà: eodem modo dici poſſet, 41.

Quomodò eadẽ potẽtia non reſpiciat terminum repugnantẽ.

Stante prædeterminatione, & præſcientia Dei, repugnat quod negatio rei prædeterminatæ & præſcitæ ponatur ſecundùm ſe & ut abſtrahens a prædeterminatione & præſcientiâ; ergo potentia non ponendi talem rem in ſenſu diviſo, prout a nobis ſumitur, & prout etiam ſtante prædeterminatione & præſcientia negatur eſſe potentia fruſtrandi prędeterminationẽ, & falſificandi præſcientiam, reſpicit terminum repugnantem. Deinde ad inſtantiam directè, cõcedo majorem; diſtinguo minorem, atqui ſtante præcepto repugnat repugnantia accidentali & afficiente negationem mortis præcisè ut actualem & exercitam, concedo, repugnantia eſſentiali, & afficiente negationem mortis etiam ut poſſibilem, nego minorem, & conſequentiam; potentia enim ſpecificatur à termino poſſibili, non à termino actuali, ideò dummodo nulla ſit repugnantia afficiens terminum ut poſſibilem, nil refert, quod ſit aliqua repugnantia afficiens terminum ut actualem, ſeu ſi actu poneretur. Ratio à priori eſt, quia res actu poſita & exiſtens à parte rei non abſtrahit à ſuis accidentibus, quorum unum in negatione mortis eſſet conjunctio cum præcepto moriendi, quæ conjunctio reſpectu Chriſti repugnat; abſtrahit autem à ſuis accidentibus res poſſibilis, non poſſibilitas attenditur ſolùm penes eſſentialia, ideò &c. Ad confirmationem dico potentiam 42.
odio habendi Deum non poſſe ſumi in ſenſu diviſo reſpectu præcepti tale odium prohibentis, quia potentia non poteſt dividere actum ab ijs, quæ ſunt actui eſſentialia, ſic non datur potentia ad ponendum hominem diviſivè à rationali; cum igitur odium Dei, ſicut eſt eſſentialiter malum, ita ſit eſſentialiter prohibitum, & ideò prohibitum quia malum, conſequens eſt potentiam odio habendi Deum non poſſe ſumi diviſivè à præcepto prohibente, Vel igitur nego confirmationis antecedens, ut jacet, eo quod ly *Quamvis ſumatur* &c. ſit de ſubjecto non ſupponente; vel antecedente omiſſo, aut etiam abſolutè conceſſo ſi proferatur ſine ly *Quamvis ſumatur* &c. Nego conſequentiam, diſparitas facilis eſt, quia negationi mortis accidentale eſt prohiberi, ideò benè poteſt ſumi diviſivè à præcepto prohibente, non ſic odium Dei ex mox dictis.

Dices ſecundò oſtendendo modum à nobis

aſſertum non ſufficienter ſaluate libertatem: libertas circà aliquod præceptum eſt potentia tranſgrediendi ipſum, & non tranſgrediendi, atqui potentia in ſenſu diviſo de qua ſuprà, nullatenùs eſt ex mox dictis potentia tranſgrediendi mortis præceptum; ergo non ſaluat circa tale præceptum libertatem: Si reſpondeatur falſam eſſe abſolutè majorem, & libertatem circa aliquod præceptum eſſe potentiam faciendi;& non faciendi rem præceptam, quæ poſterior potentia licet ſumpta in ſenſu compoſito præcepti ſit potentia tranſgrediendi, non ſic tamen ſumpta in ſenſu diviſo. Impugnatur reſponſio ex eo, quia non datur in Chriſto ſaltem independenter à facultate petendi diſpenſationem potentia non faciendi rem præceptam in ſenſu diviſo, ſeu diviſivè à præcepto, ergo non ſalvatur in Chriſto circà præceptum libertas niſi recurratur ad diſpenſationem, probatur antecedens potentia non faciendi rem præceptam in ſenſu diviſo, ſeu diviſivè à præcepto, eſt potentia dividendi rem præceptam à præcepto, adeóque auferendi præceptum; atqui in Chriſto ſaltem aliter, quam petendo diſpenſationem ex ſpeciali facultate ad id conceſſa, non datur potentia auferendi præceptum ſibi impoſitum, utpotè quod eſt ſuppoſitio, antecedens, & ab ipſius Chriſti voluntate, libertateque, independens, ergo. Sed contrà ratam habeo reſponſionem inſtantiæ interpoſitam, & ad illius impugnationem nego antecedens, ad cujus probationé dico ly *in ſenſu diviſo* ſumi poſſe vel poſitivè, vel præciſivè: Si ſumatur poſitivè, importat poſitivam diviſionem, ſeu ſeparationem rei

43.

44.

Quid ſit potentia non moriendi in ſenſu diviſo præcepti mortis, & quomodo ſaluet libertatem?

præceptæ à præcepto, & hac ratione potentia non moriendi diviſivè à præcepto mortis importat potentiam auferendi præceptum mortis; vere enim poſſe unum ab alio poſitivè dividere, eſt poſſe unum ponere, aliud auferre: Si ſumatur præciſivè, importat ſolùm quod res præcepta ſumatur ſecundum ſe, & etiamſi præcepto realiter conjuncta ſumatur tamen, ut abſtrahens à tali conjunctione, & hac ratione potentia non moriendi diviſivè à præcepto non importat potentiam auferendi præceptum; ex regula enim generali, qua abſtrahentium quod eſt in re non eſt mendacium, qui abſtrahit unũ ab alio non negat unum de alio, nec aliud, à quo abſtrahit, aufert; ſed ad ipſum permiſſivè ſe habet: Porrò aſſerta à nobis potentia in ſenſu diviſo ſumitur præciſivè, non poſitivè, ideò malè ſupponitur importare potentiam auferendi præceptum; quando tamen permiſſa hac ſuppoſitione, ad antecedentis probationem permitteretur abſolutè major propoſitio, adhuc poſſet ad minorem reſponderi cum diſtinctione, in Chriſto non datur formaliter potentia auferendi præceptum, concedo; non datur æquivalenter, nego; cum enim in ijs, quæ Deus vult ut continens & cauſans noſtram libertaté, ſit æquivalenter in poteſtate voluntatis noſtræ, quidquid eſt formaliter in poteſtate voluntatis divinæ, conſequens eſt potentiam auferendi præceptum mortis Chriſto impoſitum, ſicut eſt formaliter in voluntate divina, ità eſſe æquivalenter in voluntate Chriſti humana juxta doctrinam, de qua *tract. 1. præced. §. 3. n. 17. & 20.*

Proportio præcepti, & decreti prædeterminantis in ordine ad concurrentiam utriuſque cum libertate.

Urgebis: Non eadem eſt quoad præſentem difficultatem ratio de decreto & prædeterminatione Dei, ac de præcepto; decretum enim & prædeterminatio cauſat noſtram libertatem, quatenùs ad hujus exercitium omninò requiritur, & datur tum ad ſubſtantiam tum ad modum actus, tum ſcilicet ut actus eliciatur, tum ut eliciatur liberè; non ſic præceptum mortis cauſat in Chriſto libertatem moriendi, cum potuiſſet ſine eo liberè mori, & aliundè præceptum ex genere ſuo detur ad ſubſtantiam, non ad modum actus, quem præcipit; non eſt igitur à Deo, ut cauſante Chriſti libertatem, præceptum, ſicuti eſt ab illo, ut cauſante noſtram libertatem, decretum & prædeterminatio; ac per conſequens corruit paritas & proportio divini præcepti & divini decreti in ordine ad ſolvendam præſentem difficultatem. 45.
Sed contrà: Dei præceptum quamvis non prærequiratur univerſaliter ad omnem actum liberum creatæ voluntatis, ſicut Dei Decretum & prædeterminatio, prærequiritur tamen illud ad aliquem actum, id eſt ad actum liberum obedientiæ, & quia nunc agimus de actu, quo Chriſtus ex obedientia mortuus eſt, bene procedit quoad hanc partem paritas & proportio præcepti cum prædeterminatione & decreto, multò magis bene procedit quoad aliam partem, nam quidquid ſit, utrum præceptum ex genere ſuo attingat in actu præcepto modum libertatis, quod poteſt facilè ſuſtineri, cum ſpectet ad rationem genericam præcepti non cadere, niſi in actum liberum; quidquid, inquã, de hoc ſit, non deeſt ſpecialis ratio, ob quam præceptum moriendi Chriſto impoſitum debeat attingere, tũ ſubſtantiam actus, tum modum libertatis; enim verò hujuſmodi præceptum conſecutum eſt divinum decretum de morte à Chriſto ſubeunda, & fuit intimatio talis decreti addita ſpeciali obligatione ſpectante ad virtutem obedientiæ: ſicut igitur Pater æternus decreto ſuo voluit Chriſtum mori, & liberè mori, ita præcepto ſuo Chriſtum obligavit ad moriendum & ad liberè moriendum, ſeu Chriſto intimavit ut moreretur & ut liberè moreretur. 46.

Dices tertiò oſtendendo modum à nobis aſſertum non ſufficienter ſaluare mortis præceptum: Potentia non moriendi diviſivè à præcepto non ſaluat Chriſtum potuiſſe mori ex propria, & formali, ratione obedientiæ; ergo neque ſaluat proprium & rigoroſum præceptũ, quod eſt obedientiæ correlativum; probatur antecedens, ad liberè obeundam mortem ex obedientia requiritur poſſe mori in ſenſu compoſito præcepti, ergo ad eandem requiritur poſſe in ſenſu compoſito præcepti non mori; atque adeò potentia non moriendi ſolùm diviſivè à præcepto non ſaluat mortem ex obedientia; conſequentia probatur, Potentia agentis liberi debet eſſe ad utrumque, ad actionem ſcilicet & non actionem, eodem modo & debet poſſe cum non actione componere ea omnia, quæ poteſt componere cum actione; hoc quippé eſt, quod dici ſolet eſſe de ratione agentis liberi, ut poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum poſſit non agere, ad liberè igitur moriendum ex obedientia requiritur poſſe non mori

poſitis

poſitis omnibus prærequiſitis ad moriendum, & componendo cum non morte ea omnia, quæ componerentur cum morte, inter quæ certè eſſet præceptum. Sed contra, nego antecedens, ad cujus probationem conceſſo antecedente nego conſequentiam, & ad probationem conſequentiæ dico potentiam agentis liberi debere eſſe ad utrumque eodem modo quoad ea, quæ non ſunt in ipſius agentis liberi poteſtate, & quoad hæc pariter debere poſſe cum non actione componere eà omnia, quæ poteſt componere cum actione; ſecùs quoad ea, quæ ſunt ſaltem æquivalenter ſub ipſius agentis liberi poteſtate, ut eſt reſpectu Chriſti præceptum à Deo impoſitum: Cæterum eâdem arguendi formâ probaretur quamlibet voluntatem creatam à Deo prædeterminatam ad aliquem actum, ſicuti poteſt talem actum elicere in ſenſu compoſito prædeterminationis, ita non eſſe liberam, niſi pariter poſſit in ſenſu compoſito prædeterminationis eundem actum non elicere.

48. Ex his habes vix ullam alicujus momenti inſtantiam militare contra aſſertum modum conciliandi Chriſti libertatem & Dei præceptum, quæ non proportionaliter militet contra Thomiſticum, & à nobis quoque alibi traditum, modum conciliandi quamcumque creatam libertatem & divinum decretum prædeterminans, unde aſſertus conciliationis modus plurimùm placet etiam ex eo, quod principijs alibi poſitis cohæreat, & vix ſecum afferat difficultatem aliquam novam, quamque nos jam non teneamur ſolvere in ſuſtinenda univerſaliter concordiâ libertatis creatæ & prædeterminationis divinæ. Neque dicas, imò ex hoc capite deberet aſſertus modus non parum diſplicere, quia excitat difficultates omnium graviſſimas, cogit recurrere ad doctrinam quam interdictum eſt palam ex profeſſo proferre, & prætereà non conciliat Chriſti libertatem cum præcepto in quacunque ſchola, ſed ſolùm in principijs ſcholæ Thomiſticæ, relinquendo extrà hanc ſcholam nodum aut inſolubilem aut inſolutum; quod eſt de Scholis alijs minus bene mereri. Contra enim: Grave non eſt in difficultates alioqui graves incidere, dum ſupponuntur aliundè neceſſariò ſolvendæ imò & ſolutæ; Circa prædeterminantium doctrinam nullatenus interdicitur eam ſupponere aut etiam obiter proferre; ſi quid verò interdictum eſt circa eamdem ex profeſſo tractandam, ſeu inſtituendos proprios de ea tractatus, non videtur id actum ex ſuſpicione falſitatis, ſed ex pacatioris ſtudij deſiderio, & ad conſulendum ingenijs acrioribus ad aculeos ac dicteria proclivibus in re diſſidij contentioniſque pleniſſimâ. Quod nodum ſolvamus ſolùm in principijs Scholæ Thomiſticæ non eſt nobis vitio imputandum, dum talia principia nos quoque approbavimus alibi, & comprobavimus, adeóque jure noſtro, & nobis jam aquiſito utimur.

49. Nihilominus, ſic abſtrahendo pro nunc à prædeterminationibus, & à tota doctrina ſpectante ad potentiam in ſenſu compoſito, & potentiam in ſenſu diviſo, cui diſtinctioni jure poteſt cenſeri ſynonyma diſtinctio in poten-

Potentia in ſenſu compoſito, potẽtia poſitionis, & potẽtia actuãdá, Item potentia in ſenſu diviſo, potẽtia purè poſſibilitatis, & potẽtia purè actuabilis ſunt ſynonyma.

tiam poſitionis & potentiam puræ poſſibilitatis, cujus meminit Gonetus *hic diſp.* 21. *art.* 5. §. 4 *num.* 89. Item illa in potentiam actuandam, & potentiam purè actuabilem, quam quidam ex noſtris eximij ingenij Profeſſor, & prædeterminationum defenſor, conſuevit in manuſcriptis adhibere, & tandem omnia in idem recidunt; nam potentia in ſenſu compoſito, potentia poſitionis, potentia actuanda, eſt potentia ad quam infallibiliter ſequitur id, ad quod eſt potentia; potentia in ſenſu diviſo, potentia puræ poſſibilitatis, potentia purè actuabilis, eſt potentia ad quam id, ad quod eſt potentia, ſequi poteſt ac infallibiliter non ſequetur: Si, inquam, abſtrahendo uno abſtinendo ab his omnibus, eligendus mihi eſſet alius concordiæ, de qua agitur, modus univerſalior, & qui poſſet in omni ſchola indifferenter recipi, eligerem illum, qui jam alias in manuſcriptis placuit, recurrerem ſcilicet ad facultatem diſpenſationis impetrandæ pro quâ videri poteſt Lugus relatus ſuprà *num.* 35. Interim nobis iſta ſufficiant pro præcepto mortis, quod poſitivum eſt; necnon pro alijs præceptis poſitivis, ſi quæ alia fuerunt Chriſto impoſita, ſupereſt verò, ut pro ſecundâ præfixi tituli parte aliquid attingamus de præceptis naturalibus, à lumine ſcilicet & dictamine naturæ provenientibus, de quibus.

Adverto alia eſſe negativa, ut ſunt præcepta non mentiendi, non pejerandi, non odio habendi Deum aut Proximum, alia eſſe affirmativa, ut ſunt potiſſimum præcepta de Deo amando, eodemque colendo: Præcepta negativa obſervari poſſunt, vel purè negativè, ideſt per puram non poſitionem ſeu omiſſionem actus prohibiti, & hic obſervantiæ modus ſufficit quidem ad non peccandum, at non ſufficit ad merendum; ut attigi in tract. de Gratia *lib.* 4. *cap.* 6. §. 7. vel poſitivè ideſt volendo, eligendo & imperando prædictam non poſitionem ſeu omiſſionem, & hic obſervantiæ modus optimè poteſt eſſe meritorius; Ad primam obſervantiam impeccabilitas omninò Chriſtum neceſſitat, at nullum infert detrimentum ejus merito libertatique meritoriæ, cum ex genere ſuo illa obſervantia moralis & meritoria eſſe nequeat: Ad ſecundam obſervãtiam fuit Chriſtus liberrimus æquè, ac nos ſumus, quia, ut patet conſideranti, ad talem obſervantiam præcepta negativa non obligant, nec violantur iſta, aut peccatum committitur, per hoc præcisè quod illa omittatur; omnimoda igitur libertas, quâ poſſit Chriſtus abſolutè ponere, & non ponere, poſitivam præceptorum negativorum obſervantiam, non officit ejus impeccabilitati. Præcepta affirmativa non pro ſemper ſed raro obligant, ideò quamvis detur præceptum affirmativũ amãdi v.g Deum & Proximũ certũ eſt Chriſtũ potuiſſe abſque peccato, & abſque impeccabilitatis detrimento, non amare pro tempore & loco, quo præceptum amandi non obligabat; ac per conſequens pro eodem tempore & loco (impeccabilitate & præcepto non obſtantibus) liberrimum fuiſſe in amando, ſeu in eliciendo aut repetendo actus amoris ergà Deũ, & Proximũ: difficultas igitur

50.

Præcepta naturalia negativa poſſunt obſervari dupliciter.

51.

Præcepta naturalia affirmativa quomodo obligent:

conciliandi cum impeccabilitate libertatem, & meritum, in obſervantia præceptorum naturalium tota reducitur ad præcepta naturalia affirmativa pro illis temporibus & caſibus determinatis, pro quibus Chriſtum obligabant; & pro hac conciliatione ferè ab omnibus ineunda eſt via diverſa ab eâ, qua cum eadem impeccabilitate, & libertate, conciliant præceptum mortis, aut aliquod aliud præceptum poſitivum; nam præcepta naturalia non poſſunt abſolutè negari, ut negant aliqui reſpectu Chriſti præcepta poſitiva; non poſſunt item illa diſpenſari nec expectare quodammodò ejus, in quem debent cadere, petitionem ut imponantur, aut liberam acceptationem ut obligent, quod, ut monuimus, varij in præſenti docent de præcepto mortis; Mirum propterea non ſit, nec ſententiæ noſtræ vitio vertendum, ſi nec nos ad impeccabilitatem, libertatemque Chriſti, conciliandam cum præceptis naturalibus unn poſſimus eadem via procedere, qua proceſſimus ad ſimilem conciliationem ſtatuend. m cum præceptis poſitivis. His pro ſecundâ tituli parte animadverſis ſit.

52. Quid de cõciliatione impeccabilitatis, & libertatis Chriſti, cum præceptis naturalibus.

Aſſert. 2. Impeccabilitas & libertas Chriſti circa ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium, nequeunt conciliari eodem modo quo ex præcedenti aſſerto conciliantur circà mortem ſubeundam ex vi præcepti poſitivi; nec pro illis temporibus & caſibus particularibus, pro quibus præcepta naturalia affirmativa obligant Chriſtus fuit liber quoad ſubſtantiam rei præceptæ, ſed ſolum quoad aliquam ejus perfectionem accidentalem. Totum aſſertum cenſeo in re communiſſimum, quamvis ipſum Scholaſtici ſub proprijs terminis via tradant, vixque attingunt niſi obiter, ut præſtant inter alios Vaſquez *diſp.79.cap.5. num.29.* Suarez *diſp.37.ſec.3.§. Reſpondetur ergo.* Arriaga *diſp.41.ſec.2.num.10.* & 24. & Gonetus *diſp.21.art.3 num.97.*

Probatur & explicatur: Ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium, nequeunt ſumi diviſivè à præcepto, aut ſaltem ad ea ut diviſivè à præcepto ſumpta (ſi aliquo modo, diviſione ſcilicet metaphyſicâ, imò chymericâ, ſupponantur diviſivè ſumi) non eſt dabilis potentia; atqui modus, quo ex præcedenti aſſerto conciliantur libertas, & impeccabilitas Chriſti, circà mortem ex vi præcepti poſitivi ſubeundam, deſumitur ex potentia, quæ ad talem mortem datur in ſenſu diviſo ſeu diviſivè à præcepto, ergo circà ea, quæ cadunt ſub obligatione præceptorum naturalium, nequeunt Chriſti libertas & impeccabilitas conciliari eodem modo, quo conciliantur
53. circà mortem &c. Major colligitur *ex præced. num.42.* & ex eo, quod dabilem eſſe potentiam ad rem præceptam diviſivè à præcepto provenit ex eo, quod rei præceptæ accidentaliter, & ab intrinſeco mala, quæ cadunt ſub præceptis naturalibus negativis; eſſentialiter & ab intrinſeco bona, quæ ſub præceptis naturalibus affirmativis, & quoties ſub iſtis cadunt pro illis temporibus & caſibus particularibus, pro quibus obligant ſunt bona bonitate neceſſariâ ad retinendam honeſtatem, ſanctitatem, conjunctionemque cum ultimo fine, ſicut illa ſunt mala malitiâ talem conjunctionem, ſanctitatem, honeſtatemque eſſentialiter excludente; hinc ubi datur impeccabilitas, ſeu impotentia peccandi, quod eſt idem ac dicere, neceſſitas retinendi & repugnantia excludendi conjunctionem illam, ſanctitatem, ac honeſtatem, nequit dari libertas & potentia aut proſequendi quæ ſub negativis, aut omittendi quæ ſub affirmativis naturæ præceptis cadunt; ideò non ſolùm non habuit Chriſtus libertatem & potentiam mentiendi aut Deum odio habendi, ſed nec Deum v.g. non amandi pro eo tempore, & caſu, pro quo ad amorem ex præcepto naturali affirmativo tenebatur; quamvis deindè amare potuerit actu magis vel minùs perfecto, ideſt magis vel minùs extenſo, magis vel minùs continuato, ex pluribus vel paucioribus motivis elicito; quod eſt Chriſtum pro caſibus, pro quibus ipſum præcepta naturalia affirmativa obligabant, non fuiſſe liberum quoad ſubſtantiam rei præceptæ ſed ſolum quoad aliquam ejus perfectionem accidentalem, ut poſtremis aſſerti particulis continetur.

Dices ex hac doctrina nimium detrahi Chriſti meritis, & ferè totam obſervantiam legis naturalis reddi in Chriſto neceſſariam & non meritoriam, aut ſaltem meritoriam ſolùm quoad aliquam perfectionem accidentalem, non quoad ſubſtantiam. Deinde nos *lib præced. cap.3.§.2.* ſimpliciter aſſeruimus fuiſſe in Chriſto liberum, & meritorium amorem erga Deũ; in præſenti verò eundem amorem, utpotè cadentem ſub præcepto naturali, omni ferè merito & libertate ſpoliamus, quod non videtur poſſe ſine inconſequentia ſuſtineri. Sed contrà: Obſervantia legis naturalis, ſi conſideretur relatè ad præcepta naturalia negativa dividitur *ex præced. n.50.* in purè negativam, & poſitivam; ad illam non ad iſtam præcepta naturalia negativa obligant; ad illam, non ad iſtam Chriſtus neceſſitatur: Illa non fuit in Chriſto meritoria, at ex hoc nihil detrahitur Chriſti meritis, quia ex genere ſuo & in nobis etiam meritoria non eſt; iſta ſicut non fuit in Chriſto neceſſaria, ſed libera, ita fuit in eodem meritoria, ſicut in nobis; ideò quoad obſervantiam legis naturalis conſideratæ relatè ad præcepta naturalia negativa nullatenus ex doctrina noſtra attenuatur Chriſti meritum.

54. Quomodò fuerit in Chriſto meritoria obſervantia legis naturalis.

Si eadem obſervantia conſideretur relatè ad præcepta naturalia affirmativa, vel ſumuntur hæc materialiter, & ut obſervabilia etiam quando non obligant; vel formaliter & ut obſervanda præcisè quando obligant; Primo modo obſervavit ea Chriſtus liberrimè & meritoriè; ſecundo modo non obſervavit quidem liberè nec meritoriè quoad ſubſtantiam; at in hoc modiciſſimè detrahitur Chriſti meritis, quia ex communi lege præceptorum affirmativorum obligant aliquando, non pro ſemper; ideò plures fuerunt actus & plura tempora, ad quos & pro quibus ea præcepta Chriſtum non obligabant, nec impediebant meritum; ſic v.g. ſtante præcepto naturali affirmativo amãdi Deum adhuc fuit Chriſtus ſæpius & ut plurimum in amando liberrimus, & hac ratione ſine ulla inconſequentiæ nota aſſeruimus alibi

amorem

amorem Dei in Chriſto fuiſſe ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam, meritorium.

Urgebis: Dei amor eſt ex genere ſuo magis meritorius, quàm mors; cur ergo exiſtimamus nimiùm detrahi Chriſti meritis ſi dicatur Chriſti mortem fuiſſe meritoriam non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantias tantùm, non verò cenſemus iiſdem nimium detrahi, ſi dicatur (ut in re dicimus) non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantias tantùm fuiſſe meritorium Dei amorem, cum aliundè illa æquè, ac iſte ſumatur ut cadens ſub obligatione præcepti, illa poſitivi, iſte naturalis.

55. Sed contrà; occurrit multiplex diſcriminis ratio, Prima & potiſſima ſit, quia circà mortem ut cadentem ſub obligatione præcepti poſitivi poſſunt rectè conciliari Chriſti impeccabilitas & libertas; non ſic ex mox dictis circa Dei amorem ut cadentem ſub obligatione præcepti naturalis. Secunda, quia Scriptura & Patres valdè exaltant meritum mortis Chriſti, eique ſingillatim tribuunt noſtram redemptionem & ſalutem, de merito autem amoris Dei, præſertim ut cadentis ſub obligatione præcepti naturalis, Scriptura & Patres determinatè non loquuntur; facilius igitur poſſumus attenuare quodammodo, & ad circumſtantias deducere, meritum talis amoris, quam meritum mortis: Tertia, quia præceptum poſitivum mortis extenditur etiam ad ejus circumſtantias, non ſic præceptum naturale amoris; præceptum igitur poſitivum non magis impedit meritum & libertatem circa ſubſtantiam, quàm circa circumſtantias mortis; benè verò magis circa ſubſtantiam, quam circa circumſtantias amoris, meritum impedit præceptum naturale.

56. *Cur præceptum mortis fuerit Chriſto impoſitū etiam quoad circumſtantias? etſi hoc non conveniat ex genere ſuo alijs præceptis.*

Neque dicas commune eſt præceptis poſitivis æquè ac naturalibus ad circumſtantias non obligare: Contrà enim quoad præcepta naturalia, quæ ſunt reſpectu omnium eadem, verum ideſt abſolute; quoad præcepta poſitiva, quæ à legiſlatore accommodanda ſunt Perſonis, quibus imponuntur, id dumtaxat verum eſt, quando Perſonæ, cui præceptum imponitur ratione voluntatis ad obediendum minus promptæ eſſet nimis grave ad circumſtantias obligari; at hoc locum non habet in Chriſto cujus voluntas promptiſſima fuit ſemper, ac paratiſſima, ad perfectiorem & ſtrictiorem actum obedientiæ exequendæ etiam circa circumſtantias.

---

§. V.

Utrùm humanitas eſſet impeccabilis etiam antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem? Ubi alia quædam pro complemento impeccabilitatis Chriſti.

ASSERT. Humanitas, vel non adhuc, vel non ampliùs, Verbo unita non eſſet antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem impeccabilis. Supponitur hoc aſſertum à Scholaſticis communiter, à Suario. *diſp.* 34. *ſec.* 2. §. *ex dictis verò.* Vaſquio *diſp.* 61. *cap.* 4. *numer.* 19. Amico *diſp.* 24. *ſec.* 2. *num.* 49. Arriaga *diſp.* 34. & 35. *num* 13. Goneto *diſp.* 20 *art.* 1. *num* 47. Gabriele à S. Vincentio *diſp.* 15. *dub.* 2. *num.* 55. & alijs; ſolus, quem viderim, adverſatur quoad humanitatem non adhuc aſſumptam Eſparza *quæſt.* 30. *articul.* 1. arbitratus illam fore ab intrinſeco, & antè aſſumptionem impeccabilem ex vi unionis hypoſtaticæ futuræ, & ad quam eſſet aſſumenda.

Probatur & explicatur: licèt humanitas Chriſti de facto nec præextiterit in proprio ſuppoſito antè aſſumptionem, nec poſt aſſumptionem ſit dimittenda & in proprio ſuppoſito relinquenda; potuiſſet tamen id fieri de potentia abſoluta; ideò quamvis inane foret, & de ſubjecto non ſupponente, quærere, utrum humanitas Chriſti de facto, aut non adhuc, aut non ampliùs, Verbo unita impeccabilis ſit? utile eſſe poteſt & opportunum id quærere ſub conditione & in hypotheſi, qua Deus uſus fuiſſet, aut uteretur alio aſſumptionis modo; produxiſſet ſcilicet, aut produceret, humanitatem aliamvè naturam poſt aliquod à productione tempus aſſumendam, & ſive hanc, ſive aliam etiam in inſtanti productionis aſſumptam, poſt aliquod ab aſſumptione tempus dimitteret; In utroque caſu aſſerimus humanitatem fore peccabilem; ratio eſt quia impeccabilitas humanitatis Verbo unitæ provenit potiſſimum ex perfectiſſima ſanctificatione formali ei communicata ex vi unionis hypoſtaticæ; atqui in neutro caſu ei communicaretur ex vi unionis hypoſtaticę ſanctificatio formalis, nam effectus formalis requirit formam præſentem, & actu exiſtentem in ſubjecto; in primo autem caſu humanitas reſpiceret unionem hypoſtaticam tanquam futuram, in ſecundo tanquam præteritam, ergo. 57.

Humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ aut futuræ dumtaxat aut præteritæ non redderetur impeccabilis.

Dices hinc benè deduci humanitatem ex vi unionis futuræ aut præteritæ non fore impeccabilem eodem modo, quo ex vi unionis præſentis, idest non fore impeccabilem ab intrinſeco, & per aliquid ſe habens in genere cauſæ formalis; at cum hoc ſtat fore impeccabilem ab extrinſeco, ſeu per aliquid extrinſecum, & ſe habens pro primo caſu in genere cauſæ finalis, pro ſecundo in genere cauſæ efficientis, quatenùs unio hypoſtatica futura in genere finis moveret Deum ad convenientem ſui executionem, & conſequenter ad impediendum quidquid indecentiam aliquam tali executioni afferret, ut certè eſſet peccatum aut proxima peccabilitas in natura aſſumenda; unio verò præterita ex præteritis ſub ipſa, dum actu exiſteret, meritis in genere cauſæ efficientis moralis eundem Deum moveret, ne naturam poſteà dimiſſam fineret abire in ſummam peccati miſeriam, extremumque contemptum; nec certè videtur de Chriſto ambigendum, quin quoties naturam ſibi unitam præyideret poſt dimiſſionem fore peccaturam aut peccabilem, quin, inquam, ſua merita pro ejus præſervatione à futuro peccato applicaret, & quodammodo pro ſe oraret dicendo. Salvum me fac Deus: ecce quomodo unio futura humanitatem aſſumendam unio præterita humanitatem dimiſſam; illa in genere finis, iſta in genere efficientis, impeccabilem redderet. Sed contrà: Hæc ratio dubitan- 58.

P[illegible] ratio [illegible] contra [illegible] poſitum.

di plauſibilis eſt, & mihi ſuadet convenientiſſimum eſſe, quòd ſervetur pro ſemper ab omni peccato immunis natura aliquando hypoſtaticè unienda, aut unita, divinæ Perſonæ; at cum ex una parte Deus, ut alibi docui, non teneatur, ſeu non neceſſitetur ad id, quod melius ac convenientius eſt; & ex alia parte non appareat poſitiva indecentia in aſſumptione naturæ, quæ ante unionem peccaverit, aut poſt ſeparationem peccet, cenſeo talem rationem dubitandi non eſſe efficacem contra præfixum aſſertum, præſertim quatenùs procedit, ut verè procedit, de potentia abſoluta.

Occurritur prædictæ rationi dubitandi.

Dices inſuper, & urgebis ſingillatim pro repugnantia aſſumendi naturam, quæ non adhuc Verbo unita, & antè aſſumptionem, peccaverit: Et poſitivè indecens & omnimodè repugnans, quod de natura à Verbo aſſumpta verificetur, peccavit; atqui ſi natura aliqua, quæ peccaſſet, à Verbo aſſumeretur, de hujuſmodi natura etiam poſtquam eſſet à Verbo aſſumpta verificaretur, quod peccavit, ergo eſt poſitivè indecens & omnimodè repugnans hujuſmodi naturam à Verbo aſſumi. Major probatur primò, quia majus malum eſt peccaſſe quàm poſſe peccare, peccatum præteritum quàm peccatum poſſibile; nam illud, non iſtud eſt exprobrabile & punibile, illud item non iſtud eſt per pœnitentiam deteſtabile: Secundò quia ea, quæ dicuntur de natura aſſumpta, dicuntur per communicationem idiomatum de Deo & de Verbo, à quo natura aſſumpta eſt; eſt autem poſitivè indecens, & omnimodè repugnans, de Deo & de Verbo etiam per communicationem idiomatum dicere, quod peccavit. Sed contrà; nego majorem, quoties ly *peccavit* referatur, ut in propoſito refertur, ad tempus aſſumptionem antecedens.

60. Quandonam poſſe peccare ſit majus malum, quàm peccaſſe.

Ad primam majoris probationem dico peccaſſe & peccatum præteritum, ſi ſecundùm aliquid ſui, ideſt ſecundùm reatum culpæ, aut pœnæ perſeveret, eſſe majus malum, quàm poſſe peccare & peccatum poſſibile aut etiam futurum; ſecùs ſi illud ſit penitùs deletum, nec perſeverans ſecundùm aliquid ſui, hac quippe ratione cum nihil ſit de præſenti, nullatenus eſt malum; eſt autem ſemper aliquod malum præſens peccatum poſſibile, ſubintellige, proximè, cum importet ſemper de præſenti potentiam proximam peccandi, quæ mala eſt & poſitivè indecens: Quoad exprobrabilitatem, & punibilitatem, dico non cadere ſupra peccatum præteritum, niſi quamdiù ſecundùm aliquid ſui perſeverat de præſenti; ad deteſtabilitatem per pœnitentiam dico eſſe pœnitentiæ proprium fugere à malo, etiam penitùs præterito; at huic fugæ per deteſtationem correſpondet relatè ad peccatum poſſibile fuga per timorem, & odium abominationis; imò etiam per triſtitiam, quatenùs tale peccatum eſt ſemper aliqualiter præſens.

61. Ad ſecundam majoris probationem Vaſquez *diſp.*61. *cap.*4. *num.*19. admittit poſſe per communicationem idiomatum dici de Deo, ac de Verbo, *peccavit*, idemque à fortiori admittent quicumque putant humanitatem à Verbo aſſumptam poſſe peccare, nec fore abſurdũ, quod humanitate in ſtatu unionis peccante, ut poſſet, denominaretur per communicationem idiomatum peccans ipſum Verbum; Nihilominus mihi, ſicuti etiam per communicationem idiomatum abſurdiſſimè diceretur, Verbum peccat, ità quoque Verbum peccavit; neque hoc infertur ex eo, quod natura aſſumpta ante aſſumptionem peccaſſet, ac propterea de ea quamvis aſſumpta verificaretur *peccavit*. Non infertur, inquam, & ratio eſt, quia ut expoſuimus ſuprà *lib.*2 *cap.*1. *num.*27. communicatio idiomatum oritur ex unione duarum naturarum in unâ Perſonâ, & habet pro verificativo perſonæ unitatem, non datur igitur niſi inter prædicata convenientia naturis, ut in eadem Perſona unitis; unde etiam *ibid num.*39. inter alias communicationis idiomatum regulas aſſignavimus, quod de Verbo, aut de divinis concretis, dici nequeant prædicata convenientia humanitati, ut carenti omni ſubſiſtentia, vel ut habenti ſubſiſtentiam propriam creatam, & hinc patet, cur non ſit ulla doctrinæ diſſonantia in eo quod *præcedent. numer.* 21. admiſimus de Verbo dicendum fore *peccat*, ſi natura aſſumpta in ſtatu unionis peccaret; nunc verò nolumus de eodem dici *peccavit*, ſi natura aſſumpta peccaſſet ante unionem; ratio ſcilicet diverſitatis eſt, quia in primo caſu daretur verificativum communicationis idiomatum relatè ad tempus, quo natura peccaret, in ſecundo caſu non daretur idem verificativum relatè ad tempus, quo natura peccaſſet: Eadem, ut conſideranti patet, ratione, quâ de Verbo vi communicationis idiomatum non diceretur *peccavit* per hoc, quod natura aſſumpta peccaſſet ante unionem; non eſſet de eodem dicendum *peccabit* aut *peccare poterit* per hoc, quod natura aſſumpta eſſet peccatura, aut futura peccabilis poſt unionis diſſolutionem.

62. Ex eo quod natura humana aſſumpta antè unionem peccaſſet, non eſſet per communicationem idiomatum dicendum, *Verbum peccavit*, & cur?

Si quæras obiter, utrùm ſuppoſito quod natura aſſumpta eſſet humanitas, in relatis caſibus rectè diceretur *Hic homo peccavit, peccabit, aut peccare poterit*? Reſpondebitur affirmativè cum Amico *præcitat. ſect.* 2. *num.*50. Enimverò *Hic homo* poteſt indeterminatè ſupponere pro ſuppoſito, in quo humanitas aſſumpta exiſtit tempore unionis, in quo extitit ante unionem, in quo exiſtet poſt unionis diſſolutionem, & ex hac indeterminata ac vaga ſuppoſitione illius termini *Hic homo* vitioſus eſt ſyllogiſmus expoſitorius, quem in data hypotheſi format pro ſuo intento Vaſquez ſic, *Hic homo peccavit; Hic homo eſt Verbum, ergo Verbum peccavit.*

63. Rectè tamẽ diceretur: *Hic homo peccavit.*

Dices aliter: Per nos impeccabilitas in natura aſſumpta provenit potiſſimum ex ſumma ejus ſanctitate, qua in ordine creato non eſt dabilis major; atqui hæc ſanctitas requirit in ea natura impeccabilitatem non ſolùm pro tempore unionis, verùm etiam pro tempore unionem antecedente, & dimiſſionem ſubſequente; certè enim ſanctior eſt natura aſſumpta, quæ impeccabilis ſit pro omni tempore, & pro omni ſtatu, quàm quæ ſit talis duntaxat pro ſtatu & tempore aſſumptionis. Confirmatur: Beata Virgo ex eo, quod eſſet futura Mater Chriſti etiam pro tempore Maternitatem antecedente debuit præſervari ab omni prorſus peccato ſive perſonali, ſive originali,

quin

quin & ab originalis debito; ergo à fortiori deberet ita præſervari, & impeccabilitate donari, humanitas aſſumenda etiam pro tempore aſſumptionem antecedente; etenim humanitas, quæ à Perſonâ divinâ aliquando aſſumitur, majorem cum iſta habet affinitatem & conjunctionem, quam humanitas Matris ex qua deſumitur, cum illa ſit Perſonæ divinæ immediatior, & univerſim ſive honor, ſive ignominia naturæ magis redundet in ſuppoſitum, quàm ſive honor ſive ignominia Matris in Filium; nec perceptibile ſit magis prodeſſe ad ſanctificationem, magiſque conferre ad indemnitatem à peccato, futuram Maternitatem, quàm futuram unionem hypoſtaticam, adeò ut potuerit peccatum admittere humanitas futura in Dei Perſonâ potiùs, quàm humanitas futura in Dei Matre. Sed contrà Natura aſſumpta, quæ ſupponatur impeccabilis etiam antè aſſumptionem, & poſt dimiſſionem, impeccabilitate formaliter proveniente ex vi unionis hypoſtaticæ repugnat, quia importat effectum formalem communicatum à forma, aut nondum, aut non amplius, exiſtente; ſicque talis natura non ſolùm non eſt ſanctior, ſed nec eſt ſancta, nec poſſibilis: Quòd ſi impeccabilitas ſupponatur eſſe effectus unionis hypoſtaticæ aliter, quam in genere cauſæ formalis, jam erit de potentia abſoluta ſeparabilis ſeu impedibilis, & quando in re detur; natura eſſet ſanctior extenſivè, & quoad durationem effectus à ſanctitate provenientis, non intenſivè & quoad formalem ſanctitatis rationem; imò in rigore natura aſſumpta ante aſſumptionem, & poſt dimiſſionem; impeccabilis comparata cum natura aſſumpta antè & poſt peccabili, nullatenus eſt de præſenti, ſed fuit, & erit ſanctior. Ad confirmationem fateor libenter humanitati à Verbo aſſumendæ concedendum eſſe à fortiori quidquid indemnitatis à peccato conceditur humanitati Virginis conjungendæ aut etiam conjunctæ cum Maternitate; fateor item, quod diffiteri fas non eſt, Beatam Virginem etiam pro tempore Maternitatem antecedente fuiſſe ab omni labe & debito peccati præſervatam, & hoc fuit dignitati matris convenientiſſimum, at non neceſſarium etiam de potentia abſoluta, quemadmodum requireretur ad hoc, ut humanitas Virginis fuiſſet reddita impeccabilis ex vi Maternitatis etiam futuræ; cum igitur Beata Virgo non fuerit à peccato immunis ex vi abſolutæ impeccabilitatis, nequit ex ea deduci argumentum efficax ad probandam abſolutam impeccabilitatem in humanitate, quæ eſſet à Verbo aſſumenda.

64.

B. Virgo fuit præſervata ab omni prorsùs labe peccati, at non fuit etiam de potentia abſoluta impeccabilis.

In hucuſque dictis, tùm ſingillatim de aſſumptibilitate naturæ, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, tùm univerſim de impeccabilitate naturæ aſſumptæ, nonnulla attigimus, quæ aliquantula indigent diſcuſſione, nonnulla etiam tanquam corollaria continentur, quæ operæ pretium eſt palam proferre; utrumque præſtabimus per ſequentia dubia, quibus ſimul ſatisfaciemus iis, quæ pro complemento impeccabilitatis Chriſti in ſecunda præfixi tituli parte promiſimus. Ideò

Dubitatur primò: Utrùm humanitas, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, potuiſſet à Verbo de potentia abſoluta aſſumi retenta peccati macula, ſeu culpæ reatu? Reſpondeo negativè, & traditur, aut ſupponitur hæc negativa reſponſio ab omnibus Auctoribus relatis *præcedent. num. 12. & 13.* Ratio eſt quia humanitatem, quæ anteà peccaſſet, retinere maculam & culpæ reatum, eſt ipſam eſſe peccatricem & in peccato habituali; atqui Verbo divino repugnat, quod denominetur peccator æquè ac, quod denominetur peccans, & ſumma ſanctitas excludit peccatum habituale æquè, ac actuale; quinimò peccatum habituale ratione permanentiæ videtur magis, quàm actuale, opponi ſtatui ſanctitatis; unde aliqui docuerunt gratiam habitualem poſſe divinitus cum actuali, non cum habituali, peccato componi; repugnat igitur etiam de potentia abſoluta, quod humanitas aſſumpta ſit peccatrix & in peccato habituali, adeóque quod poſtquàm peccaverit aſſumatur cum peccati macula, & culpæ reatu; ſed neceſſe prorſus eſſet, quòd ante aſſumptionem aut ſaltem in ipſa aſſumptione abſtergeretur tota macula, & deleretur tota culpa; adeò ut primum eſſe aſſumptionis unioniſvè hypoſtaticæ eſſet primum non eſſe totius peccati habitualis, totiuſque reatus culpæ.

65. Humanitas, quæ antè aſſumptionē peccaſſet, nullatenus poſſet in aſſumptione retinere reatum culpæ.

Dubitatur ſecundò: Utrum talis humanitas poſſet aſſumi ſaltem retento reatu pœnæ vel æternæ vel temporalis? Reſpondeo negativè cum Vaſquio *diſp. 61. cap. 6. num. 35.* Amico *diſp. 24. ſect. 2. num. 59.* Arriaga *diſput. 55. ſect. 4. num. 14.* cæteriſque magis communiter contrà Suarium *diſput. 33. ſect. 2. §. Sed inquiri* id affirmantem quoad pœnam temporalem, & aliquos alios Recentiores affirmationem extendentes etiam ad pœnam æternam: Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quia ut benè inſinuat D. Thomas 1. 2. *quæſt. 87. art. 1. ad* 2. Pœnæ reatus eſt pœnæ dignitas culpam directè conſequens; ex utroque autem capite repugnat naturæ aſſumptæ: Repugnat ex primo, quia dignitas pœnæ eſt dignitas ſuſtinendi inflictionem alicujus mali, aut privationem alicujus boni, vel eſt dignitas ejus quod facit miſerum, indignitas ejus quod facit felicem; unio autem hypoſtatica, ſicuti eſt ſumma ſanctitas, ità eſt quoque ſummâ cujuſcunque boni dignitas; excludit igitur omnem prorſus aut dignitatem mali miſeriam inducentis, aut indignitatem boni conducentis ad felicitatem: Repugnat ex ſecundo capite, quia quod culpam quâ talem directè conſequitur, habet radicaliter & in cauſa, quamvis non ſemper formaliter & in ſe, rationem mali moralis proptereàque D. Thomas prælaudatus ait, quod malum eſt eſſe reum pœnæ juxtà D. Dionyſium *de divin. nom. capite 4. part. 4.* dicentem *Non puniri eſt malum, ſed fieri pœnâ dignum*; unio autem hypoſtatica ratione ſummæ ſanctitatis excludit quidquid habet rationem aliquam mali moralis, & ſicut repugnat cum proxima potentia peccandi, quamvis ſit malum morale ſolum conſequenter & in effectu, ità repugnat cum reatu pœnæ, quamvis iſte reatus ſit malum morale ſolùm radicaliter, & in cauſa. Hinc corruit potiſſima ratio dubitandi

66. Nec item reatum pœnæ ſive æternæ ſive temporalis.

Pœna, & pœnæ reatus quomodò differant.

67.

tandi

ratio immunitatis ab originali, neque ad hanc neceſſariò requiritur.

quàm ex unicâ & adæquatâ tatione ; adeo ut non detur etiam aliqua ejuſdem immunitatis ſufficiens ratio, præſertim de potentiâ abſoluta ; dico itáque cum Goneto *diſput.* 20. *art.* 1. § 9. *num.* 65. in humanitate de facto aſſumptâ duplicem eſſe rationem & cauſam immunitatis à debito originalis, uttamque efficacem & ſufficientem, neuttam adæquatam & unicam : Prima eſt non exiſtentia illius in Adamo ſecundùm rationem ſeminalem & non propagatio medio virili ſemine : Secunda eſt ſumma ſanctitas unionis hypoſtaticæ : In caſu præſentis dubij non haberet quidem humanitas uttamque prædictæ immunitatis tationem, haberet tamen poſtetiotem, quæ ſufficit, quamvis fortè Sancti Patres frequentiùs ac libentiùs priore uſi fuerint, tanquam juxtà ordinem de facto conſtitutum magis notâ, & magis indubitatâ.

72. Impeccabilitas Christi eſt in ordine ad veniale æquè ac ad lethale.

Dubitatur quartò : An & quomodò humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ reddatur impeccabilis etiam leviter, ſeu venialiter ? Reſpondeo teddi impeccabilem etiam leviter ſeu venialiter, eo modo, quo redditur impeccabilis graviter ſeu lethaliter, reddi ſcilicet talem, tum ex vi unionis hypoſtaticæ etiam præcisè acceptæ, tùm in ordine ad potentiam etiam abſolutam : Probatur facile ex eo, quia hoc, quod eſt unione hypoſtaticâ etiam ſecundùm ſe præcisè acceptâ humanitatem teddi ſanctam infinitè in ordine creatu, adeò ut extrà Deum nihil ſit excogitabile ſanctius, repugnat cum peccato & peccabilitate abſtrahendo à gravi & levi ; ſanctitate enim creatâ, quæ peccabilitatem gravem excludendo levem admitteret, eſſet excogitabilis ſanctitas major, ea ſcilicet, quæ peccabilitatem levem ſimul cum gravi excluderet ; atqui humanitas ex unione hypoſtaticâ redditur impeccabilis potiſſimum ex eo, quod teddatur infinitè ſancta ; ergo ex unione hypoſtaticâ redditur impeccabilis impeccabilitate abſtrahente à gravi & levi, & eodem modo ad utramque impeccabilitatem ſe habet : Neque ſolùm potiſſima hæc, & nobis acceptior, impeccabilitatis ratio contrà levem æquè, ac contrà gtavem, peccabilitatem militat, verùm etiam parem quoq, contrà utramque peccabilitatem vim habet tatio alia à nobis commendata *præc. n.* 21. & deſumpta ex eo, quod ſi humanitas aſſumpta peccaret aut peccare poſſet, peccatet aut peccare poſſet ſaltem per communicationem idiomatum Deus ipſe ; certè autem Deo, ſivè per communicationem idiomatum, ſivè ratione ſui, repugnat peccare aut peccare poſſe leviter æquè, ac gtaviter. Neque magni momenti eſt ratio dubitandi deſumpta à paritate

73. Cur gratia habitualis, non gratia unionis cōpatiatur veniale peccatum.

gratiæ habitualis non excludentis peccatum veniale eo modo, quo lethale ; imò illud ſecum patientis etiam de potentiâ ordinatiâ, iſtud nequidem de abſolutâ ſecundùm plures. Magni, inquam, momenti non eſt, quia non probamus præſens intentum ex ratione genericâ ſanctitatis repertæ in gratiâ etiam habituali, ſed ex taleitate ſanctitatis ſummæ, & ſubſtantialiter divinæ, teperibilis in ſolâ gratiâ unionis ; in ordine igitur ad tem præſentem nulla eſt inter gratiam habitualem & unionis paritas, ſicuti ex dictis nulla eſt in ordine ad reatum pœnæ, temporalis : Ratio à priori eſſe poteſt, quia contraria non ſe excludunt in quocumque gradu, & quò unum eſt remiſſius, eò debet eſſe intenſius aliud, à quo excludatur; nec igitur mirum ſi malitia leviſſima & tem ſiſſima qualis eſt in peccato veniali, in potentiâ venialiter peccandi, in temporalis pœnæ teatu, excludatur a ſolâ bonitate & ſanctitate ſummâ, & quaſi intenſiſſimâ, conveniente gratiæ unionis, non gratiæ habituali.

74. Impeccabilitas Christi eſt in ordine ad peccatum etiam ſolùm materialiter tale, in materiâ legis naturalis, nō ſic in materia legis poſitivæ.

Dubitatur quintò : Utrùm humanitas Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ reddatur impeccabilis, etiam relate ad peccatum ſolùm materialiter tale ; adeò ut nec poſſit committere opus objectivè quidem malum, at non imputabile ad culpam defectu cognitionis & libertatis, puta facere aliquid prohibitum ex ignorantiâ præcepti prohibentis. Reſpondeo affirmativè quoad ea opera, quæ ſunt objectivè mala ab intrinſeco, & ex vi præcepti naturalis negativè quoad ea quæ ſunt objectivè mala ab extrinſeco & ex vi præcepti poſitivi. Ratio teſponſionis eſt, quia peccatum ſolùm materialiter tale quomodocumque ſupponatur non imputabile ad culpam, quoties eſt opus malum ab intrinſeco, habet ex hoc præcisè indecentiam quamdam & diſconvenientiam cum naturâ tationali, adeóque motalem imperfectionem incompoſſibilem cum ſummâ ſanctitate, quæ includit ſummam moralem perfectionem, quoties verò eſt opus malum ab extrinſeco, ſecundum ſe & abſtrahendo à præcepto non ſolùm non habet imputabilitatem ad culpam, ſed nec indecentiam ullam aut diſconvenientiam cum naturâ rationali ; peccatum igitur materialiter tale, ſeu opus materialiter peccaminoſum primo modo, nec non potentia ad ipſum expedita repugnat ſummæ ſanctitati Chriſti Domini ; non ſic peccatum materialiter tale, ſeu opus materialiter peccaminoſum ſecundo modo ; quod eſt idem, ac dicere humanitatem ex vi unionis hypoſtaticæ reddi impeccabilem etiam materialiter, relatè ad primum, non relatè ad ſecundum peccati materialis mo-

dum : Confirmatur ex eo, quod res præcepta 75.

ignotato (invincibiliter, ut ſupponitur) præcepto ſe habet, ut res ſub præcepto non cadens, ſeu ut res ſumpta diviſivè à præcepto ; ex dictis autem *præcedent. numero quinquageſimo tertio*, quæ cadunt ſub præcepto naturali nunquàm poſſunt, aut ſub præcepto non cadere, aut ſumi diviſivè à præcepto aut certè ad ea ut ſumpta diviſivè à præcepto non datur in Chriſto potentia, ſecùs ſe habent ea, quæ cadunt ſub præcepto poſitivo ; ergo ſuppoſitâ quacunque ignotantia præcepti adhuc non poterit Chriſtus priora opera exercere, poterit verò poſteriora. Confirmatur teſponſio ſingillatim quoad primam partem, in quâ videtur eſſe major dubitationi locus, adeò ut proptereà in eâ ferè problematicus ſit Arriaga *diſputatione trigeſima quinta ſec.* 4. *numer. decimo ſecundo.*

confirmatur, inquam, ex eo, quod in habente perfectum rationis uſum, ut habebat Chriſtus Dominus, ignorantia probibitionis, & malitiæ, in actionibus intrinſecè malis non poteſt eſſe invincibilis, & ſine poſitivo errore in genere moris; talis igitur ignorantia repugnat Chriſto ratione ſummæ ſanctitatis ac per conſequens eidem repugnat, quod ex tali ignorantiâ aliquid operetur; ſicque eſt de ſubjecto non ſupponente, quod in materiâ legis naturalis quæratur reſpectu Chriſti opus purè materialiter peccaminoſum.

76. Dubitatur ſextò: Utrùm humanitas Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ reddatur impeccabilis ab intrinſeco, eſſentialiter, & phyſicè? Negant abſolutè Scotiſtæ, & Nominales, & quicumque ex unâ parte putant unionem hypoſtaticam non per ſe immediatè, ſed mediante viſione beatâ ipſam conſequente tribuere humanitati impeccabilitatem, & deindè ex aliâ parte docent beatos eſſe impeccabiles non ab intrinſeco & ex naturâ viſionis, ſed ex decreto extrinſeco & ſpeciali Dei protectione, ut quoad primum retulimus ſuprà *num* 11. quoad ſecundum in tract. de Beatitudine *lib.*1. *cap* 3. *num.*51. Reliqui Auctores ſolent convenire in eo quod humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ habeat impeccabilitatem ab intrinſeco & eſſentialiter; at ut colligitur ex Amico *diſp.* 24. *ſec.*3. & Arriagâ *diſp.*34. *ſec.* 4. *num.*48. non æquè conveniunt in eo, quod habeat eandem impeccabilitatem ſeu impotentiam peccandi phyſicè: Nihilominùs quia quoad hoc res levis momenti eſt, & deſinit in quæſtionem vocalem, diverſamque acceptionem impotentiæ ſeu repugnantiæ moralis & phyſicæ, breviter me expedio, & ad dubium affero reſponſionem ſimpliciter affirmativam quam cenſeo ad mentem D. Thomæ *in* 3. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 2.

77. Impeccabilitas Chriſti eſt ex ſuppoſitione unionis intrinſeca, eſſentialis & phyſica.

Thomiſtarum communiter, & ferè omnium Auctorum, quos memoravimus ſuprà *num.* 12. Probatur reſponſio tùm argumento poſitivo, quia ſanctitas increata Perſonæ Verbi, per quam humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ, redditur impeccabilis, eſt humanitati intrinſeca, facit enim cum ipsâ unum per ſe; habet eſſentialem repugnantiam ſivè cum peccato ſivè cum peccabilitate, quia eſt eſſentialiter ſanctitas ſumma; habet etiam cum peccabilitate & peccato repugnantiam phyſicam, quia eſt in ſe quid phyſicum, & ſivè peccato ſivè peccabilitati non minùs opponitur, quàm peccato opponatur gratia habitualis, quæ ex proprio tractatu *lib.*4. *cap.*3. *num* 20. peccato opponitur phyſicè; ergo à primo ad ultimum humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ redditur impeccabilis ab intrinſeco, eſſentialiter & phyſicè: Tum argumento negativo, quia ſuppoſito præſertim, quod ſit alicui creaturæ communicabilis impeccabilitas intrinſeca & eſſentialis, non apparet implicantia in eo, quod ſit quoque eidem communicabilis impeccabilitas phyſica, at ſi hæc ſemel eſt communicabilis, non aliundè meliùs, quàm ex vi unionis hypoſtaticæ, vi cujus communicatur ſumma, quæ excogitari poſſit ſanctitas; ergo.

Dices: eſſe impeccabile phyſicè eſt habere phyſicam impotentiam peccandi; atqui hanc non habet humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ; ergo: Minor probatur, ex vi unionis hypoſtaticæ nihil phyſicum humanitati ſubtrahitur; atqui impotentia phyſica reſultat ex ſubtractione, ſeu carentiâ alicujus phyſici requiſiti ad potentiam; ergo humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ non habet phyſicam peccandi impotentiam, ſicuti hanc ex ſe & ſine unione non haberet. Accedit quod, ſi unio diſſolvatur humanitas habet illicò phyſicam peccandi potentiam, & tamen ei nihil additur phyſicum in ordine ad poſſe peccare, nec ejus phyſicæ vires augentur; ergo ſignum eſt quod phyſicam peccandi potentiam habebat etiam ante unionem diſſolutam ſeu ſimul cum unione, non datur autem in eodem ad idem phyſica potentia, & phyſica impotentia; ergo. Sed contrà: concedo majorem, diſtinguo minorem, hanc ut contra poſitam potentiæ, peccandi remotæ non habet humanitas ex vi unionis hypoſtaticæ, concedo; hanc ut contrapoſitam potentiæ peccandi proximæ, non habet &c. nego minorem, ad cujus probationem, diſtinguo iterum minorem; impotentia phyſica remota reſultat ex ſubſtractione, &c. tranſeat impotentia phyſica proxima, ſeu potentiæ phyſicæ, proximæ, contrapoſita, reſultat ex ſubtractione, &c. nego & dico potentiam phyſicam proximam debere eſſe non ſolùm omnibus phyſicis impedimentis ſolutam & expeditam, ſicque impotentiam phyſicam proximam poſſe reſultare, vel ex ſubtractione alicujus requiſiti, vel ex oppoſitione alicujus impedimenti; & hoc ſecundo modo, ideſt ex appoſitione infinitæ ſanctitatis omnem moralem defectum impedientis, reſultare impotentiam peccandi ex vi unionis hypoſtaticæ; Porrò ſicut ex oppoſitione impedimenti potentia tranſit in impotentiam; ità ex impedimenti ſubtractione impotentia in potentiam redit; ſicque humanitas, quæ ab unione dimitteretur redire poſſet ad potentiam proximam peccandi, non per vires phyſicè auctas, & alicujus phyſici requiſiti additionem; ſed per vires factas expeditas, & alicujus phyſici impedimenti remotionem.

78. In Chriſto phyſica peccandi impotentia provenit ex appoſitione phyſici impedimenti, non ex ſubtractione phyſici requiſiti.

Dubitatur ſeptimò: Utrùm unio hypoſtatica ſit non ſolum immediata & potiſſima; ſed etiam unica ratio impeccabilitatis in humanitate Chriſti? Reſpondeo non eſſe rationem unicam; eſt enim humanitas Chriſti tùm beata, tùm confirmata in gratiâ habituali; hincque habet duas alias impeccabilitatis rationes; neque adverſamur Scotiſtis & Nominalibus in eo, quod viſioni beatæ & gratiæ conſummatæ tribuant Chriſti impeccabilitatem, ſed in eo quod hanc ſimul, & principaliùs, non tribuant ipſi unioni hypoſtaticæ etiam acceptæ ſecundùm ſe præcisè, & ſeorſim, tùm à viſione beatâ, tùm à gratiâ conſummatâ.

79. Tres rationes, ſeù tres tituli impeccabilitatis in Chriſto.

CAPUT

CAPUT III.

De minùs præcipuis humanitatis defectibus ex parte Animæ.

1. SIcut hominis anima vel ſumitur ſecundum ſuam ſubſtantiam, vel ſecundùm ſuas potentias, intellectum ſcilicet & voluntatem; ità humanitatis ex parte animæ, defectus vel ex parte ſubſtantiæ vel ex parte potentiarum animæ ſe tenent. Ad animæ ſubſtantiam cenſeri poteſt pertinere peccatum, quod licet ſpecialiter tribuatur voluntati, ſæpè tamen conſiſtit in actu elicito ab intellectu, & ſemper aliquem in intellectu defectum ſupponit, ſicque in rigore nec ad ſolum intellectum pertinet nec ad ſolam voluntatem, ſed quodammodò ad ſubſtantiam animæ, ut communem intellectus & voluntatis radicem. Ad intellectum pertinent ignorantia, error, deceptio, & ſimiles. Ad voluntatem, utpotè quæ in ſtatu conjunctionis ad corpus ſupponit etiam pro appetitu ſenſitivo, pertinent tùm habitus vitioſi tùm fomes peccati & paſſiones ſeu propaſſiones: Expedito igitur *præced. cap.* defectu principaliore quaſi ſpecialiter afficiente ac inficiente animæ ſubſtantiam, procedimus ad defectus minùs præcipuos afficientes potentias, initio facto à defectibus intellectus, tanquàm potentiæ, ſi minùs nobilioris, certè prioris voluntate: Ideò ſit

§. I.

Utrùm in humano Chriſti intellectu fuerit, aut eſſe potuerit ignorantia, & error?

2. ASSERT. 1. Non fuit de facto in humano Chriſti intellectu ulla ignorantia ſimpliciter & propriè dicta, ſcilicet privativa, aut pravæ diſpoſitionis. Ita Scholaſtici communiſſimè cum D. Thomâ *hic quæſt. 15. art. 3.* contrà varios Hæreticos, quorum meminimus agendo de ſcientiâ Chriſti *præced. lib. 1. cap. 4. num. 5.* & 10. nec non *cap. 5. num. 41.* Acutandi eorumdem meminit Vaſquez *diſp. 51. capit. 1.* qui deinde *cap 18.* ait, quod Chriſtus nullam ignorantiam habuerit eſſe fide catholicâ credendum, tanquam indubitatæ in Eccleſiâ auctoritatis traditionem, & veritatem à Sanctis Patribus uno ore pronunciatam, tametſi in nullo generali, aut provinciali Concilio fuerit id definitum; in quo Vaſquium acriter rejicit Arriaga *diſp 40. ſec. 4. ſubſec. 1.* ubi explicatis auctoritatibus Sanctorum Patrum contendit Vaſquium ipſum dum non concedit Chriſto omnium poſſibilium notitiam, ei tribuere aliquam ignorantiam; ſicque tenere propoſitionem, quam putat hæreticam, & admittere id cujus oppoſitum cenſet eſſe de fide: verùm licet ſumpto in totâ ſua latitudine ignorantiæ nomine Arriaga non loquatur incongruè, in re tamen non oppugnat efficaciter Vaſquium uſurpantem nomen ignorantiæ cum aliquâ reſtrictione non diverſâ ab eâ, quam nos in aſſerto adjecimus, & quâ ſuppoſitâ, ſi aſſertum ipſum ex eo, quod nullâ adhuc expreſsâ Eccleſiæ definitione nitatur, ad abſolutam fidei certitudinem non pervenit, ſaltem tàm certum eſt, ut oppoſitum gravi cenſurâ non careat, unde Medina *q. 15. art. 3.* & Amicus *diſp. 24. ſec. 4. n. 14.* referunt ab Inquiſitoribus fidei fuiſſe coactos ſententiam ſuam retractare quoſdam Catholicos, qui affirmaverant Chriſtum habuiſſe aliquam ignorantiam privativam, ignoraſſe ſcilicet aliquid pertinens ad proprium ſtatum.

Quàm certū ſit Chriſtum non habuiſſe de facto aliquā ignorantiam.

3. Probatur & explicatur: Ignorantia alia eſt ſimplicis negationis alia ſimplicis privationis, alia pravæ diſpoſitionis; Ignorantia ſimplicis negationis ſeu negativa eſt carentia notitiæ, nullatenus debitæ, & rerum nullatenùs pertinentium ad proprium ſtatum, hæc non venit nomine ignorantiæ ſimpliciter & propriè, & melius dicitur neſcientia; Ignorantia ſimplicis privationis ſeu privativa eſt carentia notitiæ debitæ & rerum ad proprium ſtatum pertinentium Ignorantia pravæ diſpoſitionis tum poſitiva tùm privativa, eſſe poteſt, quando poſitiva eſt, cum errore coincidit, quando privativa ſuprà ignorantiam ſimplicis privationis addit, quod ſit culpabilis, aut ad culpam conducens, & conſiſtit in non conſideratione eorum, quæ quis conſiderare tenetur, & quæ conſiderando retraheretur à peccato, quod omne à talis conſiderationis defectu ducit originem; undè in illo trito *omnis peccans eſt ignorans* ly *ignorans* ſolet pro eodem ſumi ac *inconſiderans*, & ignorantia pravæ diſpoſitionis privativa proprio nomine inconſideratio nuncupatur; ſicque ex tribus enumeratis ignorantiæ modis prima proprio nomine dicitur neſcientia; tertia vel error vel inconſideratio; ſola ſecunda ſpeciali nomine caret, & ſpecialiùs ſignificatur nomine ignorantiæ, ſimpliciter abſolutèque prolato. Primum ignorantiæ modum à Chriſto non excludimus, & ſcientiâ præſertim naturali, ſivè infusâ, ſivè aquiſita, admittimus ipſum plura neſciſſe, ut facilè colligitur ex ſuprà dictis *lib. 2. c. 4.* Tertium modum partim excludit vocabulum ipſum pravæ diſpoſitionis, partim rejiciemus removēdo à Chriſto etiam de potētia abſolutâ errorem: Pro aſſerti igitur probatione ſufficit, quod excludatur ſecundus ignorantiæ modus, excluditur autem & improbatur ex eo, quod ut inſinuatur *Io. 1.* fuit in Chriſto plenitudo gratiæ, & veritatis, ſicut igitur ratione plenitudinis gratiæ non fuit in Chriſto ulla carentia debitæ ſanctitatis, ità ratione plenitudinis veritatis non fuit in ipſo ulla carentia debitæ cognitionis, quod eſt non fuiſſe ullam ignorantiam ſecundo modo acceptam, & ſitam in ſimplici privatione notitiæ debitæ; hocque maximè verum eſt in noſtris principiis, quibus *præcitat. libro ſecundo, capite tertio*, docuimus ſcientiam Chriſti beatam actu, per ſe infuſam habitu, ad omnia prorsùs cognoſcibilia extendi, quod eſt Chriſtum in lineâ ſcientiæ beatæ nihil unquam nec habitu nec actu non cognoviſſe, in lineâ ſcientiæ per

Triplex ignorantiæ modus.

Nomine ignorantiæ ſimpliciter dictæ venit præcipuè ignorantia privativa.

4.

ſe infuſæ nihil unquam non cognoviſſe habitu, quamvis ſæpè pro libito aliqua non cognoverit actu, undè etiam ex ibi dictis ſpaſim repetenda eſt ſolutio eorum, quæ afferri poſſunt ad probandam aliquam in Chriſto ignorantiam.

5. Moneo hic eſſe longè minùs certum, quòd Chriſtus ſcientia beata cognoverit actu omnia futura, imò etiam omnia poſſibilia, quàm certum ſit ipſum nullam habuiſſe privativam ignorantiam; & ut colligitur *ex precit. cap. 3. §. 2. & 3.* nulla protsùs cenſura innui poteſt tribuentibus Chriſto omnium futurorum notitiam ſolùm habitu, multoque minùs eidem protsùs negantibus notitiam omnimo poſſibilium, ſicuti tamen *praced. num.* 2. diximus non poſſe ſine gravi cenſura Chriſto tribui aliquam privativam ignorantiam. Ratio eſt, quia aliud eſt quærere, Utrum Chriſtus careat aliqua notitia ſibi debita? quod eſt habere ignorantiam privativam, aliud quænam ſeu quarumnam rerum notitia Chriſto ſit debita, & quænam ignorantia reſpectu ipſius ſit privativa? Ad primum certa eſt reſponſio negativa, at conveniendo in hac reſponſione adhuc locus eſt diſſidij in ſolutione ſecundi quæſiti; undè dupliciter poteſt quis negare Chriſto notitiam aliquorum poſſibilium, nimirùm vel ſimul negando, vel concedendo talem notitiam ei deberi; ſi primum, non ex hinc ponit in Chriſto ullam ignorantiam privativam, & immunis eſt à cenſura; ſi ſecundum cogitur fateri in Chriſto privativam ignorantiam, & gravi eſt cenſuræ obnoxius; quod ſi advertiſſet, aut advertere voluiſſet, Arriaga, de quo ſupra *num.* 5. non adeò Vaſquij & aliorum cum ipſo ſentientium doctrinam improbaſſet, nec eis impoſuiſſet, quod teneant propoſitionem, quam putant hæreticam.

6. Aſſert. 2. Potuit eſſe divinitùs in humano Chriſti intellectu quæcumque ignorantia privativa, at non ignorantia ulla pravæ diſpoſitionis. Prima pars eſt recepta communiſſimè, quamvis ſit aliqualiter contrà Henricum *quodlib. 6. quaſt. 6.* docentem naturam Verbo unitam nullateoùs poſſe carere Dei viſione, quod eſt non poſſe habere ignorantiam privativam ſcientiæ beatæ: Secunda pars eſt in primis contra Auctores ſententiæ facientis humanitatem Chriſti de potentia abſoluta peccabilem, & prætereà contra alios nonnullos infra afferendos pro non repugnantia erroris in eadem humanitate.

Nec divinitus fuit dabilis in Chriſto aliqua ignorantia pravæ diſpoſitionis, benè tamen ignorantia quæcumque privativa.

Probatur aſſertum quoad ignorantiam privativam, nam quoad ignorantiam pravæ diſpoſitionis conſtat ſufficienter partim ex dictis pro impeccabilitate, partim ex dicendis pro repugnantia erroris: Potuit divinitùs Verbum aſſumere naturam irrationalem cujuſcumque ſcientiæ incapacem, & habentem quamcumque ignorantiam negativam; ergo etiam potuit aut aſſumere naturam rationalem quacumque ſcientia ſpoliatam, aut eandem cum plenitudine ſcientiarum aſſumptam ſcientijs poſtea omnibus ſpoliare, & ad ignorantiam quamcumque privativam deducere, ex quo certè conſequens eſt hanc potuiſſe eſſe divinitus in humano Chriſti intellectu; antecedens ſupponitur ex dictis, & ex eo quod Verbum in triduo mortis manſit de facto unitum corpori ab anima ſeparato, conſequentia probatur, quia ignorantia privativa ex ſe præcisè nullam affert poſitivam indecentiam, & ſuprà negativam nihil addit niſi, quod ſit contrà naturalem exigentiam ſubjecti; divinitus autem optimè poteſt fieri contra naturalem ſubjecti exigentiam in ijs, quæ non ſunt ei eſſentialia, ut non ſunt eſſentiales humanitati ſcientiæ.

Aſſert. 3. Noo fuit de facto, nec divinitus eſſe potuit, in humano Chriſti intellectu aliquis actus, imò nec habitus erroris. Ita Medina *quaſt. 15. art. 3.* Nazarius *eod. artic. controv. unica.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 15. dub. 7.* Suarez *diſp. 24. ſec. 3. §. Sed quares.* Amicus *diſp. 24. ſec. 4.* & tum Thomiſtæ communiter, tum plures alij Recentiores, contra Vaſquium *diſp. 61. cap. 9. num. 59.* Hurtadum *diſp. 10. difficult. 9.* Lugum *diſp. 2. ſec. 3.* Arriagam *diſp. 40. ſec. 4. ſubſec. 3.* alioſque nonnullos Recentiores, & à fortiori contra Auctores arbitratos de potentia abſoluta fuiſſe dabile in Chriſti humanitate peccatum; & hi quidem conſequenter ſuſtinent divinitùs eſſe potuiſſe in humano Chriſti intellectu habitum, & actum erroris etiam practici; priores verò Auctores id affirmant ſolùm de errore purè ſpeculativo; ideſt de eo, qui non verſatur in materia morum, nec ullatenùs ad peccatum conducit; cum error practicus ſumatur hic pro eo, ad quem peccatum ſequitur; ſive ſit judicium erroneum ad malum inducens, ſive inconſideratio aut remiſſa conſideratio boni à peccato retrahentis. Aſſertum ſic explicatum. 7.

Probatur primò quoad actum, oſtendendo ſingillatim non potuiſſe divinitus in humano Chriſti intellectu eſſe aliquem actum erroris ſpeculativè; hinc quippè manebit à fortiori probatum; tum quod non potuerit in eodem eſſe aliquis actus erroris practici, tum quòd neuter fuerit de facto; illud autem oſtendo ſic: Actus erroris ſpeculativi, quamvis non ſit in ſe formaliter malum morale, cum ſupponatur invincibilis & inculpabilis, importat tamen ſemper aliquam indecentiam & indignitatem, necnon etiam aliquam moralem malitiam radicalem & mediatam; ergo nec divinitus eſſe poteſt in humanitate aſſumpta, ſeu in humano Chriſti intellectu, & repugnet ſimpliciter cum unione hypoſtatica, cui eſſentiale eſt humanitati tribuere, tum dignitatem, tum Sanctitatem, qua nequeat excogitari major; unde hic recurrit quod ſuprà dicebamus contra potentiam peccandi, & reatum pœnæ; quæ duo quamvis ipſa quoque non ſint in ſe formaliter mala moralia, nihilominùs ex eo, quod importent, vel indignitatem, vel moralem malitiam radicalem, repugnant ſimpliciter cum unione hypoſtatica: Probatur antecedens quoad indecentiam & indignitatem, nam ad naturæ intellectualis æſtimabilitatem & dignitatem maximè pertinet auctoritas in dicendo, in docendo, in conſulendo, quæ ex cognoſcendi infallibilitate conſurgit non minùs, quàm ex ſanctitate, & æquè poteſt quis rationabiliter non fidere dictis, doctrinis, & conſilijs alterius ex eo quod iſte poſſit fallere ex 8.

Nullatenùs item fuit in eodem dabilis aliquis actus erroris, etiam purè ſpeculativi.

Digitized by Google

ex malitiæ, ac ex eo quòd poſſit fallere ex proprio errore; error igitur, quamvis ſpeculativus, affert indecentiam & indignitatem æſtimationis in eo, quod eſt maximè proprium intellectualis naturæ: Probatur idem antecedens quoad moralem malitiam radicalem & mediatam; error eſt malum alicujus ingredientis & conſtituentis principium totius moralitatis, eſt enim error etiam ſpeculativus malum intellectus, ex quo radicaliter & originativè pendet tota libertas, adeóque tota moralitas: atqui malum principij moralitatis importat moralem malitiam radicalem & mediatam, mediante enim tali principio ingreditur, ut ita dicam, moralitatem; ergo.

Error, quāvis ſpeculativus importat malitiam moralem radicalem, & mediatam.

9. Confirmatur, voluntariè errare, quamvis in materia purè ſpeculativa, imputatur ad culpam; ergo quia error quamvis ſpeculativus affert naturæ intellectuali poſitivam indecentiam, indignitatem, moralemque malitiam; ſaltem radicalem; ſolum enim indecens & malum velle culpa eſt; antecedens probatur ex eo, quia ſolus error invincibilis, quod eſt idem, ac dicere involuntarius, cenſetur inculpabilis, nec ut reor Adverſarij arbitrati non repugnare in Chriſti intellectu errorem ſpeculativum arbitrabuntur pariter non repugnare, quod Chriſtus talem errorem affectet, & admittat voluntariè; certè hoc non concedit Arriaga *præcit. ſubſec. 3. num.* 44.

10. Non fuit in eodem dabilis aliquis erroris habitus.

Probatur ſecundò quoad habitum, quia iſte proprium actum continet, ad ipſum inclinat, & eſt in actu primo illud, quod eſt actus in actu ſecundo; ergo ubi actus importat indecentiam malitiamque moralem in actu ſecundo, eamdem importat habitus in actu primo & per modum potentiæ ſecundùm ſe proximæ, ubi ille ex ſumma ſubjecti dignitate ſanctitateque repugnat, repugnat ſimul iſte, ut magis conſtabit ex infra dicendis pro repugnantia vitioſorum habituum: Interim circa indecentiam, malitiamque moralem actus erroris, cui maximè nititur tota aſſerti quoad utramque ſui partem probatio

Dices doctrinam à nobis mox adductam non cohærere alibi dictis, & abſolutè nimis probare: Alibi dictis non cohæret, quia in tract. de Beatitud. *lib.* 3. *cap.* 1. § 4. aſſeruimus eſſe divinitus dabilem errorem aliquem in intellectu beato, quin & *ibid. num.* 28. expreſsè diximus aliquos errores eſſe mala purè phyſica: Nimis abſolutè probat, quia probat ſimiliter repugnare humanitati aſſumptæ, tum ignorantiam privativam, tum amentiam, nam etiam hæc utraque auctoritatem minuit, eſt malum intellectus, nec poteſt affectari, & voluntariè admitti ſine culpa; ex ijs igitur, ex quibus nos deduximus indecentiam, indignitatem, malitiamque moralem in actu erroris, æquè poſſunt eadem deduci, tum in ignorantia privativa, tum in amentia, & tamen quoad ignorantiā privativam nos ipſi jam affirmavimus ejus non repugnantiam in humanitate aſſumpta, quoad amentiam non videtur poſſe negari poſtquàm aſſeruimus eſſe aſſumptibilem naturam irrationalem, aut etiam ſenſibus deſtitutam; qua certè deterior non eſt humanitas in amentiam lapſa, & nec rationis principio carens nec ſenſibus, ſed habens duntaxat impeditum rectum rationis uſum ex læſione ſenſus interni & organorum ejus. Sed contrà.

11. Cur ſit dabilis error in intellectu beato potiuſquam in intellectu humano Chriſti.

Ad primam inſtantiæ partem dico nos in præſenti aſtruere in humano Chriſti intellectu repugnantiam cujuſcumque erroris titulo ſummæ ſanctitatis ac dignitatis unionem hypoſtaticam conſequentis, non titulo beatitudinis; ideò cum præſenti doctrina non malè cohæret, quod alibi affirmaverimus poſſibilitatem erroris in intellectu beato, qui ſicuti ex beatitudine non habet dignitatem & ſanctitatem tantam, quantam intellectus Chriſti ex unione hypoſtatica, ità nil mirum ſi ille admittat tanquam ſibi non repugnantem aliquem defectum, quem iſte eſſentialiter excludat. Quod deinde *ibid.* diximus aliquos errores eſſe mala purè phyſica conciliabitur cum malitia morali, quam modò cuilibet errori tribuimus, ſi dicatur eo loco ſumi malum purè phyſicum prout contradiſtinguitur à malitia morali formaliter culpabili & peccaminoſa: Nihilominùs ut ingenuè rem mentemque aperiam, eo loco de Beatitud. verè mens fuit ubiter innuere aliquos errores eſſe immunes ab omni prorsùs morali malitia etiam radicali & mediatâ, ut in lycæo antea & in manuſcriptis docueram; & hinc deindè (quod eodem loco inſinuavi) conſequens erat poſſe à Deo à quo poteſt omne malum purè phyſicum per ſe cauſari, erroris habitum & actum infundi, niſi huic infundendo obſtet ratio generica vitalitatis, at quia poſtea talis infuſionis non repugnantiam, quamvis à Scholaſticis, nec paucis, nec obſcuris, traditam, dum ex propoſito tractavi de fide in lucem edendo inſerueram, aliquis Romanus Cenſor ex gravioribus improbavit, addiditque non facile ſe conſenſurum ut typis mandaretur, libenter indulſi noſtrorum temporum genio, & cogitans de mutanda ſententia ſtudui propugnandæ illius infuſionis repugnantiæ, pro qua nulla mihi viſa eſt ratio validior, quàm ſi intimius naturam erroris perſcrutando, aliquod, ut ita dicam, veſtigium moralis malitiæ, in eo deprehenderem, & ecce undè fuerim in præſentem doctrinam adductus; quod cenſui Candido Lectori non reticendum, ne ipſe me cenſeat, aut leviter receſſiſſe à priore ſententia, aut hæc oſcitanter & non attentâ doctrinæ cohærentia conſcripſiſſe. 12.

Ad ſecundam inſtantiæ partem nego militare, tum contra ignorantiam privativam, tum contra amentiam deductionem à nobis factam contra errorem: Non militat contra ignorantiam, quia hac ſtante poteſt adhuc vitari omnis falſitas non ferendo poſitivum judicium, præſertim firmum & abſolutum de ijs, de quibus quis experitur ſe habere privativam ignorantiam, iſta igitur non minuit auctoritatem, ad cujus eſſentialem perfectionem non pertinet, quòd quis poſſit ſemper, & in omnibus præbere teſtimonium, documentum, conſilium; ſed quod quoties hæc præſtat, falli non poſſit, aut fallere. Eſt item ignorantia non poſitivum malum intellectus, ſicut eſt error, ſed privativum, quod melius dixeris puram, ac ſimplicem boni carentiam. Quod non poſſit affectari, & voluntariè admitti ſine culpa, verum eſt in ordine ad ea, quæ quis ſcire tenetur, non in or-

dine ad omnia, quæ quis ſcire poteſt; nec omnis ignorantia vincibilis eſt culpabilis, ſicut culpabilis eſt omnis vincibilis error: Non militat eadem illa deductio contra amentiam, quia hæc auctoritatem non minuit, ſed ſuſpendit ac impedit uſum rationis, non rationem ipſam ut ita dicam minuit: Eſt item amentia malum intellectus privativè, non contrariè; eſt enim malum ejus præcisè quatenùs eum privat exercitio & uſu rationis; imò in rigore eſt malum organorum, & ſenſuum, non intellectus corporis, non animæ; non poteſt igitur admittere aliquod initium moralitatis, moralive malitiæ. Quod ſine culpa nequeat quis voluntariè amentiam in ſe admittere, ſeu inducere, non eſt quia ſit ab intrinſeco mala moraliter, ſed quia nemo habet dominium proprij corporis, nec jus ſibi inferendi grave nocumentum in bonis ejuſmodi ſicut alicujus membri mutilatio certè eſt malum purè phyſicum & tamen nequit ab ullo ſibi licite fieri, ita à fortiori ſentiendum de organorum ſenſuumque internorum læſione ac quaſi mutilatione, ad quam amentia ſequitur.

Quid de poſſibilitate amentiæ in natura aſſumpta.

14. Neque propterea exiſtimes Verbum ipſum divinum, cui non eſt poſſibile niſi quod eſt licitum, non poſſe voluntariè admittere amentiam in natura aſſumpta: Contrà enim: aliud eſt loqui de ſuppoſito creato in ordine ad naturam propriam, aliud de ſuppoſito divino in ordine ad naturam aſſumptam, nec caret iſtud dominio naturæ aſſumptæ & jure eam exponendi mutilationi aut morti, ſicut caret illud reſpectu naturæ propriæ, ut benè expendit Amicus *præcit. ſec. 4. num.* 131. ubi convenienter obſervat ſuppoſitum divinum, quamvis poſſit admittere in natura aſſumpta amentiam, non poſſe deinde in eadem facta amentia admittere actus illos, qui ſunt ex genere ſuo intrinſecè mali, ut mendacium, odium Dei, & ſimiles; & hoc videtur conforme reſponſioni, qua ſupra *numero* 74. dicebamus in ijs, quæ ſunt intrinſece mala, repugnare humanitati Chriſti committere peccatum, etiam ſolùm materialiter tale.

Dices aliter ad probandum in humano Chriſti intellectu aliquem errorem etiam de facto: Chriſtus, cum habuerit ex dictis ſcientiam experimentalem, plura de facto cognovit dependenter a ſenſibus; atqui modus ſic cognoſcendi aliquando præbet occaſionem errandi, & ſenſus in ſe deceptus in deceptionem erroremque trahit intellectum; oculus v. g. videns à longè objecta minora, quàm ſint; in iride & collo columbæ colores, qui revera non ſunt; in aqua baculum fractum, aut curvum, qui integer eſt & rectus, tranſmittit ad ſenſum internum ſpecies ſuæ viſionis, & objectorum in ſua viſione relucentium; ex hiſce ſpeciebus abſtrahit intellectus alias idem omninò repræſentantes & ipſum excitantes ad cognoſcenda objecta minora, colores in Iride &c. ſicque ſenſus in ſe deceptus præbet intellectui occaſionem errandi & cognoſcendi rem aliter, ac eſt; atqui hoc totum potuit evenire in Chriſto, quatenùs cognoſcente dependenter à ſenſibus; ergo.

15. Sed contrà: Quamvis aliqui memorati à Vaſquio *diſp.* 61. *cap.* 9. *num.* 57. conceſſerint Chriſtum fuiſſe aliquando deceptum per ſenſus; nihilominùs dico, nec in ſenſibus, nec in intellectu etiam ut dependenter à ſenſibus cognoſcente, habuiſſe unquam deceptionem erroremque ullum, Non in ſenſibus, quia in primis deceptio & error propriè non eſt, niſi in judicio ſeu in affirmatione & negatione, ſenſus autem non judicat, non affirmat, non negat; deinde non poteſt ſenſus errare & decipi in modo cognoſcendi & ſentiendi ſibi prorsùs connaturali, alioqui eſſet ex propria conditione defectuoſus, & ejus deceptio ac error refunderetur in naturæ auctorem; at eſt modus oculo v. g. connaturalis videre colores in Iride, baculum fractum in aqua, &c ratio à priori eſt, quia connaturale eſt oculo videre objectum, non ut in ſe eſt, ſed ut ei per ſpecies repræſentatur; colores autem in Iride, quamvis verè non ſint, verè tamen repræſentantur per ſpecies refractas in nubibus, ſicut & baculus vere repræſentatur curvus per ſui ſpeciem refractam in aqua; unde foret contra naturalem modum ſentiendi, veritatemque humanæ naturæ, quod cogitarunt aliqui fuiſſe in Chriſto ſenſus divina virtute corroboratos, & præventos ad percipiendas res, ut verè exiſtunt in ſe ipſis, non ut per ſpecies ſenſibiles repræſentantur, Nec ulla eſt neceſſitas, imò potiùs multa incongruitas dicendi, quod Chriſtus nunquam v. g. viderit in Cœli nubibus itidem eo modo, quo nobis apparet.

Quomodò Chriſtus nunquam fuerit deceptus per ſenſus.

16. Porrò hæc connaturalis ſenſuum operatio, quamvis præbere poſſit occaſionem errandi intellectibus rudioribus, & ignorantibus propriam ſenſuum, ſpecierumque ſenſibilium conditionem, non ſic intellectibus hanc plenè noſcentibus; maximè vero non intellectui humanitatis Chriſti, qui ne res ſemper judicaret tales, quales ſenſibus apparēt, præveniebatur non ſolùm perfectiſſimâ notitiâ infusâ rerum omnium in ſe ipſis, ſed & ſpecialiſſimâ divini Verbi aſſiſtentiâ. Hâc utraque de causâ erat pariter Chriſtus omninò immonis à periculo errandi in rebus pertinentibus ad opinionem, aut fidem humanam; & quoad hoc à fortiori in Chriſto militant ea, quæ de quolibet intellectu beato attigimus in tract. de Beatitud *præcitat.* §. 4. *num.* 19.

Neque per eoſdem habuerit occaſionem errandi per intellectum.

17. Ex his & ex dictis *cap. preced.* infertur humanitatem, quæ antè aſſumptionem erraſſet, & aut in erroris actu permaneret, aut erroris habitum aquiſiviſſet, eſſe quidem à divino ſuppoſito aſſumptibilem, at neceſſarium fore, quod ſaltem in inſtanti aſſumptionis expelleretur erroris, ſive actus, ſive habitus, eo proportionaliter modo, quo natura, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, eſſet quidem aſſumptibilis, at neceſſarium foret, quòd ſaltem in inſtanti aſſumptionis mundaretur à peccato, ſive actuali, ſive habituali, quin etiam liberaretur tum à potentia peccandi, tum à reatu pœnæ: & in his duobus magis urget paritas cum errore, cum iſto enim conveniunt non ſolùm in ratione univerſaliſſima moralis malitiæ abſtrahentis à formali & radicali, immediata & mediata, verum etiam in ratione magis ſpecifica malitiæ moralis duntaxat radicalis & mediatæ; in qua ratione cum errore non convenit peccatum,

Natura, quæ antè aſſumptionem in errorem intellectus incidiſſet, non poſſet aſſumi retenta erroris actu, vel habitu.

peccatum, ſive actuale, ſive habituale, utpotè quod utrumque dicit malitiam formalem, & in ſe immediatè.

§. II.

Utrum in humana Chriſti voluntate eſſe potuerint habitus vitioſi.

18. Nullatenùs fuit dabilis in Chriſto ullus habitus vitioſus.

ASSERT. In humana Chriſti voluntate nec de potentia abſoluta eſſe potuit aliquis habitus vitioſus. Ita Suarez *diſp* 34. *ſec.* 2. § *Sed tunc naſcitur*. Madernus *quaſt.* 7. *art* 5. *numer.* 9. Gonetus *diſp* 1c. *art.* 2 *num.* 96 Gabriel a S. Vincentio *diſp* 15. *dub* 5 *num.* 88. & tum major pars Recentiorum, tum Thomiſtæ omnes, contra Vaſquium *diſp* 6. *cap.* 6. *num.* 36. Raguſam *diſp.* 14 § 8. Arriagam *diſp.* 15. *ſec.* 4. *ſubſec.* 2. Lugum *diſp.* . 6. *ſec.* . *num.* 53. aliuſque nonnullos Recentiores, & à fortiori contra Auctores ſæpius relatos pro non repugnantia peccabilitatis, imò peccati in Chriſto.

Probatur: Habitus quilibet vitioſus in humana Chriſti voluntate repugnat, tum ex parte principij productivi, tum ex parte ſubjecti receptivi. ergo nec de potentiâ abſolutâ eſſe potuit aliquis hujuſmodi habitus in humana Chriſti voluntate: Probatur antecedens quoad primam partem, quia hujuſmodi habitus nec poteſt aquiri ex proprijs actibus, nec infundi immediatè à Deo; Non aquiri ex proprijs actibus, quia iſti actus deberent eſſe vitioſi & à Chriſto eliciti, ex dictis autem repugnat penitus elici à Chriſto actus vitioſos, ſeu peccaminoſos; Non infundi immediatè à Deo, quia vel infunderentur per ſe, & ſic eſſent ſupernaturales, quis autem cogitet aliquid vitioſum in ordine ſupernaturali & divino? vel infunderentur per accidens, & ſic non poſſunt infundi niſi ſubjectu, à quo per ſe loquendo poſſunt aquiri, jam autem oſtenſum eſt habitus vitioſos à Chriſto non poſſe aquiri,
19. nec poſſunt igitur ei per accidens infundi. Probatur primum antecedens quoad ſecundam partem. Habitus vitioſi (ſi à ſpeciebus coordinatis, & intenſis diſtinguuntur) reſpiciunt tanquam ſubjectum immediatum potentiam volitivam, tanquam ſubjectum mediatum ſubſtantiam animæ, Chriſto autem ex parte utriuſque repugnat recipere habitum ullum vitioſum; nam ut omittam *ex praced. lib.* 2. *c.* 7. §. 5. potentiam volitivam immediatè, ſubſtantiam animæ mediatè recepiſſe ab initio, & ſemper retinuiſſe omnes habitus virtutum moralium ægrè cohærentes cum habitibus oppoſitis vitiorum; ut, inquam, hoc omittam, quia habitus illi virtutum potuerunt divinitùs, aut Chriſto non infundi, aut poſt infuſionem auferri, & fortè virtuoſi vitioſique habitus non habent inter ſe tantam oppoſitionem, ut nec de potentia abſoluta poſſint ſimul componi, efficaciùs ſuadetur repugnantia, quam intendimus, ex eo quod in Chriſto, tum potentia volitiva, tum ſubſtantia animæ, habent ex unione hypoſtatica formaliter dignitatem ac ſanctitatem, qua major excogitari non poteſt, & ex alia parte habitus quilibet vitioſus importat poſitivam indecentiam, & moralem malitiam radicalem multo magis, quam potentia peccandi, habet enim ille præ iſta magis proximam, & magis determinatam cum malitia formali ſeu cum actu peccaminoſo & vitioſo connexionem. Hincque eruitur alia validiſſima ejuſdem repugnantiæ ratio, & confirmatio aſſerti ſic: Ubi ad aliquid repugnat
20. Habitus ex genere ſuo repugnat, ubi repugnat potentia. potentia, ad idem repugnat habitus; ſed in humana Chriſti voluntate etiam divinitus repugnat potentia ad actum vitioſum, ſeu ut ita dicam potentia vitioſa; ergo in eadem ſimiliter repugnat habitus ad actum vitioſum, ſeu habitus vitioſus; Minor patet, quia potentia ad actum vitioſum nihil eſt aliud, quàm potentia peccandi: Major probatur, quia habitus ex genere ſuo vel importat vel ſupponit potentiam, ſi enim ſit ſupernaturalis & per ſe infuſus dat ſimpliciter poſſe, quod eſt importare potentiam, ſi ſit naturalis & aquiſitus vel infuſus per accidens (qualis deberet eſſe habitus vitij in Chriſto) dat facilè poſſe, quod eſt potentiam ſupponere, eique addere promptitudinem, inclinationem, facilitatem ad operandum, quis autem concipiat facilè poſſe, ubi non datur poſſe? quis excogitet promptitudinem, inclinationem, facilitatem ad id, ad quod non datur potentia, quod eſt idem ac dicere ad impoſſibile? conſequens igitur omninò eſt repugnare habitum, ubi repugnat potentia.

Dices hoc totum procedere ad ſummum de habitibus vitioſis ſumptis ſub propria ratione, & quaſi vivo ac operativo modo, non de iiſdem ſumptis in ratione qualitatis & modo quaſi mortuo, qua ratione recipi poſſunt etiam in ſubjecto inanimi, puta in lapide, quamvis prorsùs incapaci aquirendi ex ipſis facilitatem, inclinationemve ullam, & hinc, ut ait Arriaga *præcitat. ſubſect.* 2. *num.* 16. clariùs apparet non repugnare Chriſto eos habitus, quandoquidem ob peccandi impoſſibilitatem non tribuunt illi inclinationem peccandi, quam tri-
21. buunt nobis. Sed contrà. Hoc eſt ludere verbis, quæſtionemque deludere, eſt ſcilicet ponere in Chriſto nomen habitus vitioſi, non rem ipſam rationemvè formalem, eſt ponere id, quod in nobis eſſet habitus vitioſus, non id quod ſit habitus vitioſus in ipſomet Chriſto, quibus terminorum ambagibus obvolvitur, non ſolvitur difficultas: Nec quidquam favet paritas dicta à ſubjecto inanimi; nam nec in iſto poni poteſt ſub propria ratione habitus ullus operativus, ſive virtuoſus, ſive vitioſus. Quod addit Arriaga, nititur ſuppoſitio prorsùs falsò, ſupponit quippè habitum poſſe ſeparari ab inclinatione & facilitate: at hoc eſt ſeparare habitum (ſubintellige aquiſitum, aut per accidens infuſum) à ſeipſo, ab eo videlicet, quod eſt proprijſſimum & formaliſſimum ejus conſtitutivum. Neque dicas: Nonne poſſunt eſſe, imò ſunt de facto in nobis v.g. dormientibus, habitus abſque eo quod actu inclinent & actu facilitent? poſſunt igitur ſeparari ab inclinatione & facilitate. Contra enim; inclinatio & facilitas inclinant & facilitant potentiam, vel ad opus quod actu exercet, vel ad opus quod poteſt exercere; poſſunt quidem habitus eſſe abſque

abſque eo quod actu inclinent & facilitent primo modo, eademque ratione poſſunt ab inclinatione & facilitate ſeparari ; ſecùs ſecundo modo. Neque urgeas , non ne ſaltem ſufficiet habitui inclinare & facilitare potentiam ad id, quod poteſt remotè, cum igitur humana Chriſti voluntas remotè poſſit elicere actus vitioſos & peccaminoſos , erit capax recipiendi inclinationem & facilitatem , quam contendimus eſſe vitioſis habitibus eſſentialem.
22. Contrà coin : poſſe remotum, de quo in præſenti, eſt poſſe impeditum , & relatum ad opus tanquam ad ſpecificativum , non tanquam ad effectum, juxta ſupra dicta *cap praced. num.* 19. & 20. non eſt autem capax ullius inclinationis , & facilitatis , potentia remanens in tali poſſe remoto ; nam potentia facilis & ſpecialiter inclinata ſonat ex terminis aliquid amplius, quàm ſonat potentia proxima & expedita ad agendum ; nullatenùs igitur poteſt illam denominationem, illumvè eff ctum formalem recipere potentia remanens remota , & ab agendo impedita.

Vt repugnet habitus ſufficit, quod repugnet potentia proxima, etiamſi non repugnet potentia remota.

Dices aliter ; Probabilis eſt, & à nobis ipſis non improbata, ſententia docens habitus morales, ſive virtutum, ſive vitiorum , ſpectare ad voluntatem ſolùm ratione actuum , ad quos inclinant ; cæterùm ipſos immediatè recipi in intellectu, & conſiſtere in ſolis ſpeciebus, tum experimentalibus, tum alijs intenſioribus, adeò ut habitus intemperantiæ v.g. ſeu vitium gulæ conſiſtat tum in ſpecie experimentali repræſentante delectationem alias ex cibo potuque perceptam, tum in ſpecie valdè intenſa delectabilitatis ejuſdem cibi & potus , quatenus deinde cognitione ad has ſpecies conſequente proponitur voluntati vividiùs , atque vehementiùs , bonitas delectabilis in cibo & potu reperta ; & hoc eſt ex gulæ vitio voluntatem inclinari, facilitari, promptioremque reddi ad appetendum cibum & potum : Data hac doctrina & ſuppoſitn ex dictis de ſcientia quod poſſint Chriſto infundi ſpecies, quæ in nobis eſſe ſolent aquiſitæ . cur non poterit Deus humano Chriſti intellectui infundere ſpecies tum delectasionis quæ ex cibo percipitur , tum delectabilitatis objectivæ ipſius cibi, haſque in quacumque intenſione ; atqui hoc modo ponetur in Chriſto id , quod eſt habitus vitioſus intemperantiæ ſeu gulæ ; ergo ſaltem in ſententia mox explicata dabiles ſunt in Chriſto habitus vitioſi, quamvis ſubjectati in intellectu, non in volun-
23. tate, at hoc parum intereſt. Sed contrà : etiam data indiſtinctione habituum moralium à ſpeciebus ſubſiſtit aſſerta excluſio habituum vitioſorum à Chriſto; nam in primis ſpecies experimentales præteritorum actuum non poſſent Chriſto infundi , vel enim ſupponitur Chriſtum actus illos elicuiſſe, puta fuiſſe expertum vehementem inordinatamque delectationem ex cibo vel non : Si primum admitterentur in Chriſto actus vitioſi, quod nec Adverſarij, cum quibus modò agitur, contendunt ; & hinc patet obiter eaſdem ſpecies experimentales non poſſe eſſe in Chriſto aquiſitas & relictas ex proprijs actibus : Si ſecundum infunderentur Chriſto ſpecies erroneæ, puta ſpecies repræſentans delectationem ut à Chriſto perceptam, ſeu delectabilitatem ut ſenſatam ; quod reverâ non eveniſſet, nec evenire potuiſſet ; Habitus igitur vitioſi , quatenùs conſiſterent in ſpeciebus experimentalibus nullatenùs poſſent Chriſto ineſſe, quatenus verò conſiſterent in ſpeciebus etiam non experimentalibus, valdè tamen intenſis, advertendum eſt intenſionem aliam eſſe magnam abſolutè, & hæc attenditur penes multitudinem graduum ; aliam eſſe magnam comparative, & attenditur penes carentiam aut exceſſum intenſionis oppoſitæ, quod ſcilicet , aut non detur in ſubjecto contrarium, aut ſaltem non ſit magis, nec æquè intenſum : Portò intenſio ſpeciei intentionalis, ut 24.
induat rationem habitus , debet eſſe magna comparativè ; ſpecies enim , quamvis intenſa, quoties ſimul eſt cum ſpecie oppoſita habente majorem, aut æqualem intenſionem, ſua repræſentatione leviter voluntatem mover, aut eam relinquit in æquilibrio ; ſicque non inclinat, neque facilitat, ad appetendum objectum, quod ipſa repræſentat: Species autem delectabilitatis cibi v.g. valdè intenſa, ſi poteſt Chriſto infundi, erit talis ſolum abſolutè , non comparative ; quia ſemper Chriſtus ſimul habebit intenſiores ſpecies , intenſioremque cognitionem honeſtatis relucentis in non appetenda ea delectabilitate ; ſicque illa prior ſpecies nunquam poterit induere rationem habitus : Neque exiſtimes Chriſtum poſſe ſuſpendere intenſiorem cognitionem prædictæ honeſtatis retenta cognitione intenſa delectabilitatis , qua ratione voluntas videretur poſſe inclinari & facilitari ad delectabilitatem appetendam Impugnaberis enim, quia in tali caſu illa ſuſpenſio eſſet error practicus, & inconſideratio pravæ diſpoſitionis , cujus capax non eſt humanus Chriſti intellectus.

Habitus vitioſi repugnant Chriſto, etiam quando ſupponantur conſiſtere in ſolis ſpeciebus intentionalibus.

---

§. III.

Vtrum in Chriſto fuerit appetitus ſenſitivus , & in appetitu ſenſitivo eſſe potuerit fomes peccati?

ASSERT. 1. Fuit in Chriſto verus appetitus 25.
ſenſitivus, ſeu vera voluntas ſenſualitatis. Ita D. Thomas *hic quaſt.* 18. *art.* 2. & *in* 3. *diſt.* 17. cæterique Scholaſtici communiſſime, & ut obſervat Suarez *diſp.* 34. *ſec.* 1. cenſenda eſt res certa de fide, tanquam contenta in generalibus definitionibus , quibus Concilia ſtatuunt Verbum aſſumpſiſſe veram humanitatem cum omnibus animæ potentijs. verum item corpus humanum cum ſenſibus & organis corporeis ; undè forte non habemus in re hac Adverſarios, niſi eos, qui non agnoſcunt in Chriſto veras partes eſſentiales humanitatis, & fuerunt à nobis relati , atque impugnati *praced. libro* 1. *cap.* 5. §. 4.

Certum eſt dari in Chriſto appetitum ſenſitivum.

Probatur. Fuit in Chriſto quidquid pertinet ad hominis integritatem, & veritatem humanæ naturæ , ut ſuppono ex præmemoratis Conciliorum definitionibus , atqui , ut per ſe patet , ad hominis integritatem & veritatem humanæ naturæ pertinet conſtare parte ſuperiore & inferiore,

inferiore, rationali & ſenſitiva; & ſicuti pars ſuperior ac rationalis includit appetitum, qui rationem conſequitur, & denominatur appetitus rationalis ſeu voluntas rationis; ita pars inferior ac ſenſitiva includit appetitum, qui ſenſum conſequitur, & denominatur appetitus ſenſitivus ſeu voluntas ſenſualitatis; ergo verè fuit hujuſmodi appetitus ſeu hujuſmodi voluntas in Chriſto, in quo propterea Sylvius *quæſt.* 18. *art.* 2. ex Bonaventurâ & Richardo rectè infert fuiſſe duas voluntates, unam divinam alteram humanam, ſi conſiderentur naturæ; tres, unam divinam, duas humanas ſi conſiderentur potentiæ; quamvis quia voluntas abſolutè prolata ſumitur pro rationali, in communi modo loquendi ſupponatur in homine unica; & voluntati ſenſualitatis, ſeu ſenſuali, approprietur nomen commune appetitus. Sed quidquid ſit de modo loquendi exiſtentia appetitus ſenſitivi in Chriſto certior eſt, & per ſe notior, quàm ut majore probatione vel explicatione indigeat, & ſi quid poteſt circà ipſum deſiderari, conſtabit abundè ex mox ſubjiciendis de fomite. Ideò

In quo ſenſu dentur in Chriſto tres voluntates.

26. Fomes peccati quid.

Adverto primò fomitem à fovendo dictum ex primæva ſua inſtitutione ſignificare materiem, quæ ex eo, quod facilè accendatur, valdè idonea eſt igni fovendo & excitando; hinc per tranſlationem fomes eſt quidquid nos ad operandum excitat, & fomes peccati quidquid excitat ad operandum peccaminosè, quod maximè fit per motus tendentes in objecta ſenſibilia rationi diſſona, & prævenientes rationem ipſam, perfectamque voluntatis deliberationem: Sicut autem hujuſmodi motus eſſe poſſunt in phantaſia, in intellectu, in voluntata ipſa, non in ſolo appetitu ſenſitivo; ità fomes in tota ſua latitudine (ut obſervat Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 15. *dub.* 3. *numer.* 58.) in omnibus illis potentijs eſſe poteſt, ponitur tamen ſpecialiter in appetitu ſenſitivo, quia hujus propriiſſimum eſt, tùm moveri & operari circa ſenſibilia, tum ad eadem allicere & excitare voluntatem; jure propterea Divus Thomas *quæſt. vigeſimaſeptima, articul. tertio, in c.* ait quod *fomes nihil eſt aliud, quam inordinata concupiſcentia ſenſibilis appetitus, habitualis tamen*;

27. Quomodò diſtinguatur ab appetitu ſenſitivo.

Adverto ſecundò inter fomitem hoc modo acceptum, & appetitum ſenſitivum, aliquos nimiam diſtinctionem, aliquos nimiam indiſtinctionem aſtruere: Aſtruit nimiam diſtinctionem antiquata, & ab omnibus jam rejecta opinio illorum, qui fomitem collocabant in morbida qualitate ex peccato originali in appetitum derivata, augente inclinationem ad ſenſibilia, & quaſi fovente ejus concupiſcentiam: Aſtruit nimiam indiſtinctionem Durandus *in* 3. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 6. ubi putat fomitem eſſe ipſum appetitum ſenſitivum, non poſſe ab appetitu ſenſitivo auferri naturâ ejus remanente, nec poſſe in aliquo unum ſine alio reperiri; undè jure cenſetur admiſiſſe fomitem in Chriſto, ſicut ibi in terminis illum admiſit in Deipara Virgine, in Beatis, & in primis Parentibus pro ſtatu innocentiæ; at hoc falſum evincitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali* ubi ſtatuitur fomitem eſſe ex peccato, & in nobis relinqui ad agonem; quomodò autem ex peccato eſt? ſi antè peccatum extitit in ſtatu innocentiæ: quomodò ad agonem relinquitur? ſi auferri non potuit; ſi etiam in Beatis extra agonem conſtitutis poſt corporum reſurrectionem reperitur.

28. Adverto tertiò fomitem abſolutè dictum ſupponere pro actu primo, ſeu pro inclinatione & concupiſcentia (ut D. Thomas loquitur) habituali, ſic abſolutè dicimur habere fomitem etiam, quando nihil prorsùs operamur; Nihilominus uſus obtinuit, ut ſupponere quoque poſſit pro actu ſecundo, adeò ut inclinatio, & promptitudo appetitus ſenſitivi ad tendendum in objecta ſenſibilia rectæ rationi diſſona, & ad præveniendum rationis, voluntatiſque, imperium, ſit fomes in actu primo, motus verò ipſi ſeu actus ejuſdem appetitus in objecta illa tendentes, & rationis, voluntatiſque, imperium prævenientes, ſint fomes in actu ſecundo. At inquies, inclinatio illa ſeu promptitudo, quam appellamus fomitem in actu primo, quid addit ſupra appetitum ſenſitivum ſecundum ſe acceptum? nam ex una parte debet aliquid addere, cum ab eo, quod fomitem appellamus, poſſit appetitus ſenſitivus ſeparari; & ex alia, cum ex dictis non addat ſpecialem qualitatem, vix apparet quid addere poſſit. Nihilominùs

Quid fomes in actu primo: quid fomes in actu ſecundo.

29. dico verè aliquid addere, at negativum potiùs, quàm poſitivum; addit ſcilicet carentiam cujuſcumque incompoſſibilis cum fomite in actu ſecundo, & cujuſcumque impedientis, ac prævenientis appetitum, ne erumpat in actum ullum inordinatum, dummodò tale impedimentum ſit perfectio naturæ intrinſeca, nam ſi ſit aliquid extrinſecum, dicetur ligare fomitem, non auferre aut extinguere: Breviter igitur appetitus ſenſitivus, vel eſt omninò expeditus & proximè diſpoſitus ad erumpendum in motus inordinatos rationem antevertentes; vel eſt quidem talis, ſi ſibi relinquatur, at ne in tales motus erumpat detinetur per aliquid extrinſecum, puta per ſubtractionem divini concurſus, remotionemvè objectorum; vel tandem propter perfectionem aliquam naturæ intrinſecam non eſt in ſe paratus & expeditus, adeò ut etiamſi ſibi relinquatur, nequeat rationem prævenire, & objecta rationi diſſona, quamvis propoſita appetere, nec ad id exigat divinum concurſum: Primo modo dicitur ſimpliciter eſſe in appetitu ſenſitivo fomes (ſubintellige in actu primo.) Secundo modo dicitur eſſe, ſed ligatus: Tertio modo dicitur ſimpliciter non eſſe, vel eſſe extinctus; ſimpliciter non eſſe, ſi neque fuit unquam antecedenter; eſſe extinctus, ſi aliquando antèà fuit, & quodammodò accenſus, viguit in aliquo priori.

Quid fomes ligatus, quid fomes extinctus.

30. Adverto quartò præſentem de fomite controverſiam procedere de eo, ſive in actu primo, ſive in actu ſecundo; & de potentia, ſive abſoluta, ſive ordinaria: Igitur Chriſtum habuiſſe de facto fomitem in actu ſecundo affirmavit Theodorus Mopſueſtenus relatus, & damnatus in Concilio V. Generali *act. octava, can.* 12. Habuiſſe fomitem in actu primo con-

Sententiæ variæ circa exiſtentiam aut non repugnantiam fomitis in Chriſto.

ſequens eſt ad doctrinam ex Durando memoratam *præced. num.* 27. eumdemque ſed ligatum (ſicut & ligatum, ex diverſo tamen fundamento, affirmavit Durandus) affirmaſſe cenſendi ſunt Scotiſtæ, Nominales, & quicumque alij docent ſolum ex protectione Dei extrinſeca ſenſitivum Chriſti appetitum exire non potuiſſe in actus inordinatos: Quoad potentiam abſolutam poſſe naturam hypoſtaticè aſſumptam habere fomitem, tum in actu ſecundo, tum ſolutum & expeditum in actu primo, ſenſerunt in primis quicumque exiſtimarunt talem naturam peccabilem, & præterea ex alijs Vaſquez *diſp.* 61. *cap.* 8. *num.* 55 Lugus *diſp.* 26. *ſec.* 4. *num.* 48 & 52. Arriaga *diſput.* 55. *ſec.* 4. *ſubſec.* 2. *num* 19. ad quos aliqualiter accedit Raguſa *diſp* 155. docens poſſe aſſumi naturam cum fomite in actu primo, at ligato:

31. E contra, & contra hos omnes Auctores peccati fomitem quocumque modo conſideratum etiam de potentia abſoluta repugnare cum unione hypoſtatica ſentiunt ad S. Doctoris mentem Gonetus *diſp.* 20. *artic.* 2. Joannes à S. Thoma *diſp.* 16. *art.* 1. & 3. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 15. *dub.* 3 & 5. Suarez *diſp* 33. *ſec.* 2. Iſambertus *quæſt* 15. *diſp.* 2. *art.* 5. Madernus *q.* 7. *art.* 5. *num.* 7. & cum univerſa ſchola Thomiſtica major pars Recentiorum. His animadverſis ſit

Aſſert. 2. In ſenſitivo Chriſti appetitu non ſolùm non fuit de facto, (quod certum eſt) ſed nec de potentia abſoluta eſſe potuit, fomes in actu ſecundo.

Chriſto repugnat ſimpliciter fomes in actu ſecundo.

Probatur: Non ſolùm non fuit de facto in Chriſto, ſed nec de potentia abſoluta eſſe potuit aliquod malum morale; quamvis tale radicaliter dumtaxat, aut materialiter atqui fomes in actu ſecundo eſt aliquod malum morale ſaltem radicaliter, & materialiter; ergo nec de potentia abſoluta eſſe potuit in Chriſto, aut in ſenſitivo ejus appetitu: Major habetur ex dictis ſæpiùs de ſumma omninò ſanctitate, & dignitate, inimpedibiliter conſequente unionem hypoſtaticam: Minor probatur, fomes peccati in actu ſecundo eſt motus ſenſitivi appetitus in objectum rationi contrarium, adeóque moraliter malum, tendens & ratione præventa trahens ac alliciens in idem objectum voluntatem; atqui quatenus tendit in objectum moraliter malum jam habet malitiam objectivam, & rationem aliquam peccati materialis; quatenùs in idem objectum trahit ac allicit voluntatem, motus ille eſt in ſe radicaliter & cauſativè malus, imò eſt malus formaliter in eo, qui poteſt, ut Chriſtus poteſt, talem præventionem impedire; undè D. Thomas *præcit. art.* 3. ait *actualis concupiſcentia* (quæ idem eſt ac fomes in actu ſecundo) *eſt motus peccati*, & ſolet intelligi de actuali concupiſcentia in eo, à quo poteſt impediri; eandemque habet intelligentiam quod idem S. Doctor *quæſt.* 41. *artic.* 1. *ad* 3. ait *tentationem, quæ eſt à carne, non poſſe eſſe ſine peccato*; ergo &c.

32. Dices tamen impugnando hanc doctrinam, & probando Chriſtum habuiſſe etiam de facto fomitem in actu ſecundo, ſeu aliquem actum ſecundum fomitis: Habuit de facto Chriſtus interiorem pugnam partis inferioris & ſuperioris, ſenſitivæ & rationalis; atqui hujuſmodi pugna conſiſtit in motibus, quibus appetitus contra rationem inſurgit; ergo habuit de facto Chriſtus hos motus, quod eſt habuiſſe fomitem in actu ſecundo; probatur major, quia ex ſæpiùs dictis Chriſtus aſſumpſit habuitque defectus pertinentes ad conditionis humanæ veritatem, & conducentes ad finem redemptionis; pugna autem illa pertinebat ad conditionis humanæ veritatem, quia conveniret homini etiam in ſtato puræ naturæ, in quo nil ei debitum deeſſet, nil ineſſet indebitum; quin ex modo ipſo loquendi videntur ſynonyma naturæ, puritas, & naturæ veritas: eadem pugna conducebat ad finem redemptionis, inſerviebat enim Chriſto ad habendum ex victoria meritum, & ad præbendum nobis vincendi exemplum; indè Cyrillus *lib.* 10. *Theſauri cap* 3. tradit in Chriſto fuiſſe commotas paſſiones appetitus, non ut illum ſuperarent, ſed ut vincerentur, & D. Thomas *præcit. quæſt.* 41. *art.* 3. *ad* 2. inſinuat Chriſtum paſſum fuiſſe aliquas impugnationes ſeu tentationes inviſibiles, quæ non ſunt niſi internæ per appetitum cum ratione pugnantem: Nec benè Apoſtolus *Heb.* 4. diceret Chriſtum eſſe *tentatum per omnia*, ſi non fuiſſet tentatus interiùs, ſeu per interiorem pugnam. Confirmatur ex eo, quod Chriſtus habuit de facto fugam & triſtitiam mortis, quam per rationem volebat, tanquam bonam & à Patre præceptam; illa igitur fuga & triſtitia fuit actus appetitus cum ratione pugnantis, & declinantis à re bona atque præcepta. Sed contrà: Nullatenùs dari in Chriſto pugnam illam expreſſit D. Leo *epiſt.* 11. dicens de ipſo, *Nihil carnis ſuæ habebat adverſum, nec diſcordiam deſideriorum gignebat compugnantia voluntatum: Senſus corporei vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injurijs*: nego igitur abſolutè majorem, 33.

Non habuit Chriſtus pugnam interiorem appetitus ſenſitivi cum rationali.

Ad probationem dico prædictam pugnam ſpectare ad veritatem conditionis humanæ permiſſivè, quatenus ei non opponitur; non poſitivè, quatenùs ad eam neceſſariò requiratur; aſſumpſit autem Chriſtus abſolutè defectus pertinentes ad conditionis humanæ veritatem ſecundo modo, ex pertinentibus primo modo ſolùm illos, qui non dicunt poſitivam indecentiam, & nequidem materialiter ac radicaliter moralem malitiam; ut tamen dicit contrarietas & pugna interior, de qua propterea nego abſolutè, quod conducat ad finem redemptionis; neque enim malum morale, quamvis ſolum materialiter & radicaliter tale, eſt medium proportionatum fini optimo; ſummamque ſanctitatem ac dignitatem prærequirenti: Porrò huic rationi ingens robur accedit ex eo, quod in Chriſto pugna, de qua agitur, utpotè impedibilis, eſſet ſaltem venialiter culpabilis, & mala formaliter; undè ex regula generali non faciendi mala, ut bona eveniant, non poterat Chriſtus eam in ſe permittere, ut ex victoria poſtea reportanda haberet meritum, aut præberet exemplum. Cyrillus agnovit in Chriſto commotas paſſiones, at innoxias & rationi ſubordinatas; qua-

les

34. Quomodò habuerit commotas passiones.

les fuerunt fuga & triſtitia mortis, de quibus mox, & aliæ plures, de quibus §. *ſeq.* Dicuntur autem tales paſſiones commotæ ut vincerentur, vel victoria anticipata, quatenus Chriſtus imperando illas erumpere rationi ſubjectas & conformes dici poteſt illas anticipatè viciſſe; vel quoad nos, quatenus ſuarum paſſionum commotione meruit gratiam nobis ſuppeditandam ad paſſiones noſtras vincendas.

Quas tentationes paſſus fuerit.

Divus Thomas nomine tentationum inviſibilium, quas dubitanter inſinuas, intelligit tentationes occultas factas à Dæmone non apparente viſibiliter, nec memoratas in Evangelijs; non verò tentationes interiias provenientes ab appetitu, vel à carne; quem tentationis modum fuiſſe penitùs à Chriſto alienum expreſsè tradiderat idem S. Doctor *præcit. art.* 1. *ad* 2. & id quoque tradiderunt Gregorius 3. *Moral. cap.* 20. Abulenſis *Matth.* 4. *quæſt.* 20. & alij communiter. Apoſtolus dicendo Chriſtum *eſſe tentatum per omnia* addit *abſque peccato*; at ex jam dictis interiùs, & per interiorem pugnam, non potuit tentari abſque peccato, & quando ſic potuiſſet ſine peccato tentari, talium tentationum victoria, utpotè interna & nos latens, nil nobis profuiſſet ad exemplum.

35. Quomodò triſtitia, & fuga mortis, in Chriſto non fuerint actus fomitis.

Ad confirmationem dico fugam & triſtitiam ſenſibilem, quam de morte Chriſtus habuit, fuiſſe quidem actum appetitus, at non cum ratione pugnantis, quia fuit actus ab ipſamet ratione imperatus; non item declinantis à re bona atque præcepta, quia mors fuit bona & præcepta in ordine ad finem redemptionis; fuga verò & triſtitia fuis de ea ut noxia & mala naturæ, non fuit igitur contrà rationem, nec declinavit à bono, à quo non poſſet ſine difformitate ad rationem declinari; quod facilè conſtabit recolenti, & huc proportionaliter transferenti ea; quæ *præcedent. lib* 2. *capite quinto, paragrapho tertio*, dicebamus circà voluntatem inefficacem, quam Chriſtus in parte ſuperiori habuit de morte vitanda, ac vita conſervanda, abſque eo quod interceſſerit ulla difformitas, aut cum voluntate divina mortem præcipiente, aut cum alia voluntate humana, qua idem Chriſtus efficaciter voluit ex obedientia mori.

Aſſert. 2. In ſenſitivo Chriſti appetitu non fuit de facto, & nec de potentia abſoluta eſſe potuit, fomes in actu primo. Hujus ſicut & præcedentis aſſerti, tum Patronos, tum Adverſarios, præmiſimus ſuprà *numero trigeſimo & trigeſimoprimo*.

36. Chriſtus non habuit de facto fomitem in actu primo.

Probatur prima pars quoad de facto ex eo, quia Tridentinum *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali* alludens ad legem peccati, quam *Rom. ſeptimo*, in carne ac membris ſuis Paulus agnoſcit, & agens de fomite, ſeu concupiſcentia, ita habet: *Hanc, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*: ex quibus ſic arguo, fomes (ſubintellige in actu primo) appellatur de facto lex peccati, ex peccato eſt & ad peccatum inclinat; atqui Chriſtus venit, ut nos liberaret à lege peccati *ex Rom. ſeptimo, & Galat. tertio*, non debuit igitus tali legi ſubdi; non contraxit peccatum originale, ergo neque contraxit id quod in nobis ex originali provenit; non poteſt ad peccandum inclinare; ergo non potuit habere id, quod ad peccatum inclinat; non fuit igitus de facto in Chriſto fomes. Confirmatur; Poteſt eſſe in aliquo appetitus ſenſitivus ſine fomite etiam in actu primo; ergo taliter fuit de facto in Chriſto; antecedens conſtat ex prænotatis, conſequentia probatur, quia ſi id poſſibile eſt, maximè decet Chriſti ſanctitatem & Dei ſapientiam, illa enim petit omnem poſſibilem à peccato diſtantiam; iſta debuit non admittere in Chriſto aliquid non inſerviens fini redemptionis, ut non inſerviret fomes in actu primo, qui non poſſet in ullum actum ſecundum erumpere; & quando in aliquem erumpere ſupponeretur, is eſſet illi fini noxius; atqui non eſt de facto negandum, quod maximè decet Chriſti ſanctitatem, & Dei ſapientiam; ergo.

Dices; fuit de facto in Chriſto appetitus ſenſitivus ejuſdem rationis, & ſpeciei, cum eo cæterorum hominum, atqui talis non fuiſſet, ſi caruiſſet fomite etiam in actu primo; ergo; minor probatur, appetitus carens fomite etiam in actu primo eſt potentia tendendi in ſola objecta ſenſibilia conformia rationi; appetitus cæterorum hominum eſt potentia tendendi in objecta ſenſibilia quæcumque; atqui hæ duæ potentiæ non ſunt ejuſdem rationis & ſpeciei inter ſe, ſicuti tales non eſſent duæ potentiæ intellectivæ, quarum una omne verum, altera verum determinatum, puta ſolum verum ſpirituale reſpiceret; aut duæ potentiæ volitivæ, quarum una reſpiceret omne bonum, altera ſolum bonum honeſtum; ergo. Sed contrà: con- 37.
cedo majorem, nego minorem; ad probationem, diſtinguo primam partem majoris, appetitus carens fomite etiam in actu primo eſt potentia tendendi in ſola objecta ſenſibilia conformia rationi, & hoc habet per gratiam & ex conditione ſubjecti, concedo; & hoc habet ab intrinſeco & ex ſe præcisè, nego; & tamen hoc ſecundum ſequireretur, ut ſpecie differret à potentia tendendi in objecta ſenſibilia quæcumque; paritas adjuncta, ſi procedit de potentiis, quæ ambæ ſint tales ab intrinſeco, nobis favet; ſi ſecùs, falſum ſupponit; nam voluntas humana Chriſti verè poteſt tendere in ſolum bonum honeſtum, & tamen, quia hoc non habet ab intrinſeco, non differt ſpecie à voluntate habente potentiam tendendi in omne prorsùs bonum.

Urgebis; ergo quod ſenſitivus Chriſti appetitus nequeat tendere in ſenſibilia rationi difformia provenit ab extrinſeco; at hoc eſt habere fomitem legatum, non fomite carere aut extinctum habere, ergo non ſufficienter ſaluamus, quod intendimus. Sed contra: diſtinguo majorem provenit ab extrinſeco reſpectu appetitus, id eſt ab aliquo, quod nō eſt appetitui intrinſecum & eſſentiale, concedo; provenit ab extrinſeco reſpectu ſubjecti appetentis, id eſt ab aliquo, quod ſit ipſimet Chriſto extrinſecum, & conſiſtat in ſola extrinſeca Dei protectione &

aſſiſtentia, nego majorem; eadem ratione diſtinguo minorem, & nego conſequentiam juxta explicationem præmiſſam ſuprà *num.* 19.

38. Probatur ſecunda pars, quoad potentiam abſolutam, quia fomiti in actu primo licèt eſſentiale non ſit ex peccato eſſe, benè eſſentiale eſt poſſe ad peccatum inclinare, & habere in ſe indecentiam moralemque malitiam radicalem ac mediatam; atqui ut conſtat ex dictis contrà habitus vitioſos, & potentiam peccandi, Chriſto ratione ſummæ ſanctitatis repugnat etiam de potentia abſoluta, aliquid inclinans ad peccatum, aut afferens indecentiam moralemque malitiam qualemcumque; ergo.

Nec etiam de potentia abſoluta habere potuit.

Dices ex Lugo fomitem ſumi poſſe, tum prout inclinat ad motus rationi repugnantes & tendentes in objecta ſenſibilia rationi diſſona, tum prout præcisè inclinat ad motus rationem prævenientes, tendentes tamen in objecta ſenſibilia rationi conſona; Porrò fomes hoc ſecundo modo acceptus ad peccatum non inclinat, & nequidem radicaliter ac mediatè moralem malitiam involuit; ergo de fomite ſic accepto noſtra probatio non procedit, nec

39. de eo aſſertum verificatur. Sed contrà: Hæc ſecunda fomitis acceptio latior eſt ac minùs propria, & quando permitteretur ejus non repugnantia in Chriſto, adhuc dici non poſſet ſimpliciter & abſolutè fomitem eſſe potuiſſe in ſenſitivo Chriſti appetitu; adhuc aſſertum ſubſiſteret: Nihilominus reverà cum Gabriele à S. Vincentio *præcit. dub.* 5. *num.* 84. ſentio quamcunque rationis ab appetitu ſurreptionem & præventionem, ſive in actu ſecundo, ſive in actu primo, etiam circa objecta rationi non diſſona repugnare cum ſumma unionis hypoſtaticæ ſanctitate ac dignitate; talis enim præventio ſupponit quandam partis ſuperioris ſomnolentiam, ut ita dicam, ac oſcitantiam, quàm ſinit ſe ab inferiori præoccupari; importat non conformitatem, quamvis non importet difformitatem; importat deordinationem ex parte potentiæ quatenùs invertet ordinem operandi debitum potentijs rationali & ſenſitivæ, quamvis non importet deordinationem ex parte objecti, non feratur ſcilicet in aliquid à rationis ordine exorbitans: in his autem quis non deprehendat poſitivam indecentiam ſummæ ſanctitati, aut ſaltem ſummæ dignitati repugnantem?

Etſi fomes ſumeretur minùs propriè, prout inclinat ad præveniendam rationem circa objecta ei conſona.

40. Ex dictis habes, quod ſicut natura, quæ antè aſſumptionem peccatum, habitum vitioſum, potentiam peccandi habuerit, non poteſt his retentis hypoſtaticè aſſumi; ita nec retento fomite natura, quæ habuerit fomitem; ſi igitur aliqua hujuſmodi natura eſſet aſſumenda, indiſpenſabiliter deberet in extrinſeco aſſumptionis inſtanti fomes extingui: Sicque, ubi datur unio hypoſtatica, fomes aut eſt extinctus, ut eveniret in humanitate antecedenter fomitem paſſa; aut ſimpliciter non eſt, ut de facto in humanitate Chriſti, loquendo juxta proprietatem ſermonis quam ſupra attigimus *num.* 29. quia tamen mos obtinuit ut etiam in humanitate Chriſti fomes dicatur extinctus, poſſumus cæterorum morem ſequi ſervato ſenſu legitimo, & nulla intellecta relatione ad antecedentem fomitis exiſtentiam, ad quam ex proprietate ſermonis deberet ly *extinctus* referri.

§. IV.

An, Quæ, & Quales paſſiones appetitus ſenſitivi in Chriſto fuerint?

ASSERT. 1. Fuerunt re ipſa in Chriſto paſſiones appetitus ſenſitivi, ſeu anima Chriſti verè fuit paſſibilis. Ita D. Thomas *hic q.* 15. *art.* 4. & *in* 3. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. iiſdemque locis cæteri Theologi conſentes hoc tam certum, quam certum ſit fuiſſe & eſſe in Chriſto appetitum ſenſitivum; undè ſic indefinitè loquendo non habemus Adverſarios niſi eos, qui negarunt Chriſto verum corpus humanum, licet deinde in ſingillarim enumerandis paſſionibus, aut paſſionum ſpeciebus, quas Chriſtus habuit vel habere potuit, aliquantula vigeat etiam inter Scholaſticos controverſia, de qua infra: Interim aſſertum, ut jacet, 41.

Fuerunt in Chriſto paſſiones appetitus ſenſitivi.

Probatur: Nec ponendus eſt in Chriſto appetitus ſenſitivus otioſus, & ſine omni actu; nec humanitati in ordine ad noſtram redemptionem aſſumptæ neganda ſunt ea, quæ ita ſpectant ad ejus integritatem, ut ſimul conducant ad merendum, ſatisfaciendum, patiendum pro obtinenda nobis redemptione; atqui ſi non fuiſſent re ipſa in Chriſto aſſertæ paſſiones, poneretur appetitus otioſus, & negarentur humanitati aſſumptæ aliqua ſpectantia ad ejus integritatem & ſimul valdè conducentia ad merendum &c. ergo fuerunt re ipſa &c. Major conſtat ex terminis; Minor fiet perſpicua explicando quid in præſenti veniat nomine paſſionum, & animæ paſſibilis. Ideò

Adverto primò ex D. Thoma 1. 2. *q.* 22. *art.* 1. *in c.* paſſionem communiter, & latè dictam, ſignificare quamcunque receptionem; propriè & magis ſtrictè ſignificare receptionem factam cum remotione aut corruptione alicujus præexiſtẽtis in ſubiecto, in quo fit receptio, præſertim ſi id, quod removetur, ſit juxta ejuſdẽ ſubjecti exigentiam, exemplum receptionis primo modo eſſe poteſt illuminatio aëris, ſecundo modo calefactio aquæ: Cur verò hic ſecundus receptionis modus ſit magis ſtrictè & propriè paſſio, rationem affert Eſparza *lib.* 7. *quæſt.* 1. *artic.* 2. deſumptam ex eo, quod paſſio eſt correlativa actionis, per quam agens intendit paſſum ſibi aſſimilare, ad ſe trahere, & quaſi ſibi ſubijcere, nec videtur exerceri vis aſſimilativa, tractiva, & denominativa, dum relinquitur in paſſo quidquid anteà habebat, nec quidquam ipſi debitum aufertur; nam ei addere perfectionem convenientem, aut ab eo auferre aliquid indebitum, eſt ejus inclinationem ſequi, ejus gratia agere, & quaſi ei inſervire potiùs, quàm illi dominari, illudque ſibi ſubijcere, ad ſui ſimilitudinem trahere, & gratia talis ſimilitudinis operari. 42.

Quid ſit paſſio in tota ſua latitudine.

Adverto ſecundo ex eodem S. Doctore *hic quæſt.* 15. *art.* 4. *in c.* in homine, ſeu anima corpori unitâ, duplicem paſſionem diſtingui, alteram corporalem, 43.

Duplex paſſionis genus in homine.

corporalem, animalem alteram: Paſſio corporalis eſt corporis læſio, qua ſcilicet corpus ſecundùm aliquam ſui partem dimovetur à ſtatu debito, & connaturali temperamento, abſque eo quòd anima ipſa ratione ſui aliquid agat, aut recipiat, dicitur tamen pati, quatenùs propter conjunctionem ad corpus, hoc perturbato illa perturbatur, hoc patiente illa patitur, per accidens & quantùm ad eſſe, quod habet in corpore; & iſte paſſionis ac paſſibilitatis modus eſt reſpectu Chriſti is, de quo agimus ſuprà, dum traderemus ejus corpus fuiſſe verè paſſibile ac mortale, quin & verè paſſum ac mortuum. Paſſio animalis fit ſecundùm animæ operationem; quæ quidem operatio ſi præcisè recipiatur in anima, ut intelligere & velle, aut recipiatur quidem etiam in organo corporeo, at modo ſolùm intentionali, & perfectivo ut ſentire; ſecundùm talem operationem habetur paſſio communiter & latè dicta; ſi præterea, cauſetur aliqua immutatio corporis, qua removeatur aliquid conveniens & debitum ejus viribus & organis, ſecundùm talem operationem habetur paſſio propriè ac ſtrictè talis, quæ abſolutè dicitur paſſio animi, & à qua anima denominatur paſſibilis in eo ſenſu, in quo nunc Chriſto paſſiones tribuimus, & Chriſti animam paſſibilem aſſerimus: Porrò operationes animæ, quæ per ſe habent adjunctam modo jam attacto corporis immutationem, ſunt quæ in appetitiva, non in apprehenſiva parte exercentur; nam modus operandi partis appetitivæ eſt per hoc, quod ab objecto trahatur ac moveatur proſequendo ipſum aut fugiendo, modus operandi partis apprehenſivæ, eſt per hoc, quod trahat & objectum ſibi intentionaliter uniat: cum igitur paſſio propriè dicta ſit in eo, non qui trahit, ſed qui trahitur & ab alio movetur, conſequens eſt ut magis explicant D. Thomas *præcit. quæſt. 22 artic. 2.* & Eſparza *quæſt 1. art. 4.* conſequens, inquam, eſt paſſiones animi, ſeu animales propriè dictas, ſolùm ad partem appetitivam, non ad apprehenſivam pertinere: Hinc in aſſerto, & in titulo, rectè appoſuimus paſſiones appetitus ſenſitivi, & ad hunc quoque referenda eſt aſſerta animæ paſſibilitas.

44. Quænam propriè dicantur paſſiones animi; & cur ſint in parte appetitiva potius quàm in apprehenſiva.

45. Quot, & quæ ſint animi, ſeu appetitus ſenſitivi, paſſiones.

Adverto tertiò, & ex jam adverſis, infero paſſiones, ut nunc ſumuntur, eſſe actus appetitus ſenſitivi habentes adjunctam corporis immutationem; & ſicut appetitus ſenſitivus dividitur in concupiſcibilem & iraſcibilem, ita paſſiones partim ſunt in concupiſcibili, partim in iraſcibili, in Concupiſcibili quidem ſex, Amor & odium; Deſiderium & Fuga; Gaudium & Triſtitia; in Iraſcibili quinque, Spes & Deſperatio; Timor & Audacia, Ira: Sicque conſurgunt undecim paſſionum ſpecies aut potiùs genera, ſub quibus deindè ſpecies aliæ continentur, & quoad ſpecies alias ſub enumeratis generibus contentas erit ſingillatim aliquid dicendum de Admiratione, quæ diverſimodè accepta poteſt, tum ſub deſiderio, tum ſub timore collocari; item de dolore, qui tùm ſub fuga, tum ſub triſtitia.

Ex hac paſſionum notione, & enumeratione, patet per paſſiones in præſenti ſignificari omnes actus & motus appetitus ſenſitivi; omnem proſecutionem & fugam boni & mali ſenſibilis, ac per conſequens remanet abundè probata minor propoſitio, qua ſuprà in aſſerti probatione dicebamus non potuiſſe in Chriſto negari paſſiones, niſi reddendo otioſum ejus appetitum ſenſitivum, & auferendo ab humanitate aſſumpta aliqua ſpectantia ad ejus integritatem; quod verò in eadem minori propoſitione addebatur *& ſimul valdè conducentia ad merendum &c.* deducitur facilè ex eo, quod paſſiones in Chriſto fuerunt ſemper cum conformitate ad rationem & ex imperio rationis, ut conſtat ex jam dictis contrà fomitem, & iterùm attingetur in ſequentibus; interim ut aſſignemus quænam fuerint in Chriſto paſſiones? ſic

Aſſert. 2. fuerunt, aut eſſe potuerunt, in Chriſto aliquæ paſſiones ex ſingulis enumeratis generibus, at non ex omnibus ſpeciebus ſingulorum generum; quod eſt idem ac dicere fuerunt aut eſſe potuerunt, in Chriſto omnes ſenſitivi appetitus paſſiones, quatenùs ly *omnes* ſupponit pro ſingulis generum, non quatenùs ſupponit pro generibus ſingulorum. Ita Scholaſtici magis communiter, & qui in aliqua particulari paſſione diſſident, de nomine potius diſſident, quàm de re; ut fiet ſequenti explicatione perſpicuum. Ideò

46. Omnes fuerunt in Chriſto quatenus ly *Omnes* ſupponit pro ſingulis generum.

Probatur & explicatur aſſertum inducendo per ſingula paſſionum genera; quamvis S. Doctor *præcit. quæſt. 15.* agat ſolùm de aliquibus, nimirum de dolore, de triſtitia, de timore, de admiratione quatenùs ſub timore continetur, & de ira: De his verò ſpeciatim agit potiùs, quàm de reliquis, quia in his magis, quàm in reliquis apparet ratio defectus & proprietas paſſionis, ratio defectus, quia oriuntur ex cognitione objecti diſconvenientis; proprietas paſſionis, quia habent adjunctam ex parte corporis commotionem, ſeu immutationem magis noxiam, ut perſpicuum fiet conſideranti, & explicat Eſparza *præcit quæſt. 1. articul. 5.* Ex quo tamen omnium paſſionum jam meminimus abs re non erit, ſi per omnes ſingillatim diſcurramus.

Fuit in Chriſto amor ſenſibilis, quia eſt actus maximè connaturalis ſenſitivo appetitui, utpotè qui proſequitur objectum ei maximè conveniens, & eſt cæterorum ejuſdem actuum initium & radix; nec defuerunt honeſtiſſima objecta, quæ Chriſtus ſenſibiliter amaret, puta proprios ſecundùm carnem Parentes, Præcurſores, & Apoſtolos: Quia deindè alicujus boni amorem conſequitur odium mali oppoſiti, non eſt ambigendum, quin habuerit ſenſibile odium circa ea quæ objectis à ſe ſenſibiliter dilectis erant mala & noxia, ut circa incommoda; quæ ejus Parentes & Apoſtoli patiebantur.

47. Fuerunt in Chriſto Amor, & odium.

Fuit deſiderium ſenſibile, quia iſtud ab amore differt penes abſentiam; & carentiam boni, certè autem tum ipſemet Chriſtus ex parte corporis paſſibilis, tum alij, quos Chriſtus amabat, ſæpè caruerunt pluribus ſenſibilibus bonis, quæ deſiderare potuit; ſic v. g. ſibi deſideravit potum, cum in Cruce dixit *Sitio*, quod poteſt ad litteram de ſiti corporali intelligi, fortè etiam deſideravit cibum turbis eum in

Deſiderium & fuga.

d ſ·rto ecmitantibus aut ſibi ipſi cum poſt quadraginta dierum jejunium eſuriit. Parentibus pariter, & Apoſtolis, facilè potuerunt plura ſenſibilia bona deeſſe, quæ eis Chriſtus jure deſideraverit; & quia ſicut ſe habet deſiderium ad bonum ita ſe habet fuga ad malum oppoſitum certè potuit Chriſtus habere aliquos actus fugæ, nec defuerunt occaſiones, quibus ei prudentia dictaret malum aliquod, ac periculum, declinare.

48. Gaudium & Triſtitia. Fuit gaudium ſenſibile quia hoc honeſtiſſimè potuit tùm ex iis quæ conſervationi corporis inſerviebant, tùm ex actibus ſtudioſis reſultare; & univerſim quia bonum quod, dum eſt abſens terminat deſiderium, dum eſt præſens terminat delectationem, lætitiam, gaudium, ſicut & malum oppoſitum, quod imminens terminat fugam, præſens terminat triſtitiam, & prætereà de triſtitiâ ſenſibili rectè intelligitur illud ipſiuſmet Chriſti Matth. 26. & Marc. 24. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et ecce aſſignatas in ſenſitivo Chriſti appetitu ſex paſſiones partis concupiſcibilis, à quibus illæ partis iraſcibilis differunt potiſſimùm penes magnitudinem & arduitatem objecti; ex quo capite, ſicuti fiunt cum majori corporis commotione & magis nocent ità habent majorem aliquam rationem dubitandi, ne in Chriſto admittantur, nihilominùs veræ admittendæ ſunt, & in primis.

49. Spes & deſperatio. Fuit in Chriſto ſpes ſenſibilis, quæ ſuprà deſiderium addit, quòd verſetur circa bonum arduum, reſpectu autem Chriſti licet nihil fuerit arduum relatè ad vires volūtatis & naturæ divinæ, benè potuit aliquid arduum evenire reſpectu voluntatis & naturæ humanæ, ut ex D. Thomâ attigimus *præced. lib. 2. cap. 5. num. 32.* potuit igitur etiam ex voluntatis imperio appetitus ſenſitivus Chriſti ferri per ſpem in aliquod bonum ſenſibile arduum propriis humanæ naturæ viribus obtinendum; & quia relatè ad eaſdem vires potuit ſine errore apprehendi, ut inſuperabilis arduitas alicujus boni conſequendi, aut mali oppoſiti vitandi, puta vitæ, conſervandæ aut mortis declinandæ, rectè potuit ratio appetitum movere ad ſenſibilem deſperationem; pro quo facit ad rem quod ſuprà *cap. 1. num.* 23. dicebamus non potuiſſe Chriſtum voluntate humanâ impedire applicatis cauſis effectus & defectus proprio corpori noxios.

50. Timor & audacia. Fuit timor ſenſibilis, quia ex Marc. 14. *cœpit Ieſus pavere*, & cum affectus timoris ab affectu ſimplicis fugæ differat præcipuè in eo, quod ſit fuga mali non cujuſcumque, ſed ingentis apprehenſi ut futuri, cum Chriſtus ſæpè apprehenderit incommoda, & mala ingentia, ſibi & aliis à ſe dilectis eventura, non eſt cur circà hæc aliquandò ſenſibilem timorem non habuerit? Nec refert quod ut objici ſolet ex Ariſtotele 2. *Rhet. cap.* 5. ad timorem requiratur ſpes evadendi, ac per conſequens incertitudo eventus, quæ tamen nulla fuit in Chriſto. Non refert, inquam, nam ut omittam quod Cajetanus latè impugnatus à Vaſquio *diſput. 62. cap. 3.* ait Chriſtum per imaginationem & ſenſum habuiſſe de malis, quæ timebat, incertitudinem & ſpem evadendi; Meliùs & faciliùs dicitur conditionem illam non requiri univerſaliter ad omnem timorem, ſed ſolùm ad eum, qui eſt fuga mali efficax & abſoluta inducens ad conſultandum de mediis quibus malum vitetur, vel qui eſt omninò de eventu independente à voluntate timentis, neutro autem ex his modis fuit timor in Chriſto. Ad timorem audacia ſe habet, ut ad deſperationem ſpes; ſunt ſcilicet audacia & ſpes affectus per modum proſecutionis circà objectum, circà quod diverſimodè conſideratum timor & deſperatio ſunt affectus per modum fugæ; ad pericula & mala ingentia, à quibus recedit timens, accedit audax, & uterque honeſtiſſimè, quoties id exigunt diverſæ circumſtantiæ ex prudentiâ penſandæ; ſic ſæpè Chriſtus ex audaciâ prudentiali, & optima, aggreſſus eſt opera difficilia, gravia incommoda, magna pericula, ut quando ſuſcepit jejunium quadraginta dierum, iter uſque ad defatigationem quando occurrit Judæ, proditori ipſum ad necem quærenti, & quando aliàs aliis vitæ diſcriminibus ſe expoſuit.

Fuit ira ſenſibilis in Chriſto, quia in ipſo ex *Io.* 2. impletum eſt illud Pſal. 68. *Zelus domus tua comedit me*, zelus autem eſt ſpecies iræ, quæ dividitur in iram per zelum, & iram per vitium. Ira ſcilicet ex genere ſuo eſt affectus quaſi conflatus ex triſtitiâ & appetitu vindictæ, quatenùs quis de læſione & injuriâ ſibi illatâ triſtatus cupit inferre malum alteri ad compenſandum illud, quod ſibi illatum eſt, & in hoc, ſi præveniatur aut perturbetur ordo rationis, aut iuſtitia violetur, habetur ira per vitium, ſi omnes rationis & juſtitiæ regulæ ſerventur, habetur ira per zelum, hac irâ commotus Chriſtus ut vindicaret injuriam, quæ Deo inferebatur, fecit quaſi flagellum de funiculis, in templo vendentes ejecit, menſaſque ſubvertit, ut narratur *Matth.* 21. *Luc.* 19. *Marc.* 11. quàmvis ſolum *Io.* 2. tale factum expreſsè tribuatur iræ per zelum, additis verbis illis *Recordati ſunt verò diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt, zelus*, &c. nec unâ hac vice, ſed & aliàs habuit Chriſtus, aut habere potuit iræ zelum, ſeu iram per zelum, quamvis nunquàm ne de potentiâ quidem abſolutâ iræ vitium, ſeu iram per vitium. 51. Ira.

52. Admiratio. Fuit admiratio ſenſibilis, quia licet hæc ab aliquibus cenſeatur actus partis cognoſcitivæ, non appetitivæ, & collocetur in novâ cognitione rei magnæ ac inſolitæ, ab aliquibus aliis tribuatur quidem parti appetitivæ, at rationali duntaxat, non ſenſitivæ; & ſecundùm hos utroſque Auctores admiratio non pertineat ad præſens inſtitutum, in quo agimus de actibus appetitus ſenſitivi; quin etiam ſecundùm priores Auctores non videatur poſſe propriè Chriſto tribui, ut propriè non tribuit Artiaga *diſput. 40. ſec. 5. num.* 51. licet, inquam, hæc ità ſint, nihilominus quia etiam admirationis nomine communiter ſignificatur affectus conſequens ad apprehenſionem rei quæ judicetur magna & inſolita vel abſolutè vel comparativè, hincque excitetur quidam ſtupor per modum timoris, ſi talis res mala ſit & diſconveniens; quædam lætitia & quoddam deſiderium talis rei laudandæ, ſi bona ſit & conveniens;

quaia

quia inſuper etiam imaginationi poteſt aliquid magnum & inſolitum occurrere, admittendus omninò eſt aliquis modus admirationis propriè dictæ in appetitu ſenſitivo; tanquàm paſſio contenta ſub timore, aut ſub deſiderio, vel etiam ſub gaudio; & aliquam hujuſcemodi ſenſibilem admirationem arbitramur potuiſſe propriè exiſtere in Chriſto, & ſignanter extitiſſe cum Matth. 8. *audiens Ieſus miratus eſt*; apprehendens ſcilicet ac judicans eſſe magnam comparativè ad alios, & inſolitam tunc temporis fidem Centurionis, habuit affectum laudandi eam & commendandi; accuratiorem explicationem admirationis in Chriſto habes apud Vaſquium *diſp.* 62. *cap.* 4. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 55. *dub.* 9. & alios nonnullos.

53. Dolor. Fuit tandem ſenſibilis dolor juxtà illud, quod de Chriſto habetur Iſa. 53. *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*; nec ullus eſt dubitandi locus; poſtquàm hujus libri initio explicuimus catholicam veritatem de paſſibilitate ac paſſione corporali Chriſti Domini, & de talis paſſionis ſenſione in ejus animâ: Nihilominùs, ut appareat in quonam formaliter dolor conſiſtat, & quàm jure collocetur ſub paſſionibus animalibus ad appetitum ſenſitivum pertinentibus; adverte, cum quis dolet, tria intervenire, nimirùm corporis læſionem, ſenſionem ſeu cognitionem externam talis læſionis tactu habitam, & contriſtationem, diſplicentiam, ac fugam appetitus, cui talis læſio manifeſtatur: De primo omnes conveniunt quod ſit objectum doloris aut dolor objectivus, non dolor formalis: De ſecundo non pauci exiſtimant eſſe dolorem ipſum formalem, adeò ut deindè diſplicentia appetitus ſit quid conſequens, tanquàm effectus doloris, & favet huic exiſtimationi modus loquendi valdè uſitatus, quo dicimur habere dolorem in ea parte, in quâ facta eſt læſionis ſenſatio, puta in manu ſi manus, in oculo ſi oculus læſionem ſenſit; at meliùs alij docent læſionis ſenſationem eſſe ſolùm conditionem requiſitam ad hoc, ut læſio ipſa, ſeu dolor objectivus, objectumvè doloriferum, moveat partem appetitivam ad eliciendum formalem actum doloris, ſicut univerſim cognitio objecti requiritur, tanquàm conditio ſeu applicatio neceſſaria ad hoc, ut appetitus circa tale objectum operetur fugiendo ipſum aut proſequendo: ex tribus igitur præmemoratis primum eſt objectum, ſecundum eſt conditio, ſolum tertium eſt formalis actus doloris: Si tamen quis contendat fieri in hoc quæſtionem de nomine, parùm intererit, quia in quocumque ex tribus dolor collocetur, ſalvabitur in Chriſto verè & propriè, quamvis non tanquam paſſio appetitus, & tanquam actus ad fugam, aut etiam ad triſtitiam, reducendus, ut nos intendimus.

Ex totâ hac inductione manet ſatis ſuperque probatum extitiſſe, aut exiſtere potuiſſe,
54 in ſenſitivo Chriſti appetitu aliquas paſſiones
ex ſingulis ipſarum generibus; quod deindè ulterius aſſerebatur non fuiſſe in eodem aliquas paſſiones ex omnibus ſpeciebus ſingulorum generum, facilè deducitur ex eo, quod dantur aliquæ paſſiones, quæ ex propria ratione ſpecificâ, aut tendunt in objectum illicitum, aut imbibunt imperfectionem Chriſto inconvenientem vel repugnantem, ut perſpicuum fiet conſideranti, & valdè etiam innoteſcet ex aſſerto, quod ſubjicio.

Paſſiones appetitus ſenſitivi in Chriſto repertæ quales fuerint?

Aſſert. 3. Paſſiones appetitus ſenſitivi fuerunt in Chriſto diverſimodè, ac ſint in nobis præcipuè quantùm ad tria; primò quantùm ad objectum, quia nunquàm attigerunt aliquid illicitum; ſecundò quantùm ad principium, quia ſemper proceſſerunt à ratione & voluntate deliberatâ; tertiò quantùm ad effectum; quia nunquam traxerunt nec inclinarunt partem ſuperiorem ad peccandum. Ità Scholaſtici communiter cum D. Thomâ *quæſtion.* 15. *artic.* 4.

Probatur aſſertum, imò tanquàm præcedentium corollarium conſtat ex dictis, nimirùm ex eo, quod non dentur in Chriſto actus fomitis, qui nihil aliud ſunt quam paſſiones aut tendentes in illicita aut prævenientes rationem & inclinantes ad peccatum: Item ex eo, quod non detur in Chriſto interior pugna, quæ conſiſtit in niſu partis inferioris contrà ſuperiorem conantis, & hanc pertrahentis ad id, quod eſt ipſi diſſonum & peccaminoſum; neque ad iſta jam dicta quidquam neceſſe eſt addere pro præſenti intento, ſaltem loquendo quoad rem; nam utrum ob mox aſſertam diverſitatem paſſionum Chriſti à noſtris, illæ Chriſti dicendæ ſint propaſſiones, non abſo-
lutè paſſiones, ſpectat ad quæſtionem de nomine, cui declinandæ in primo aſſerto appoſui 55. Quid de uſurpando nomine propaſſionis in Chriſto potiùs, quàm paſſionis?
ly *re ipsâ* ut affirmarem dari in Chriſto rem, quæ in aliis eſt paſſio, & abſtraherem ab eo; quod etiam in ipſomet Chriſto denominanda ſit abſolutè *paſſio*, an cum addito *propaſſio*? quod poſterius placuit multis Recentioribus tùm propter quandam auctoritatem D. Hieronymi *in cap.* 26. *Matth.* tùm propter ſenſum vulgi, apud quem humanarum paſſionum nomen videtur ſumi in malam partem pro affectibus immoderatis; Nihilominus auctoritas Hieronymi vix aliquid probat, ſi ipſe vocavit propaſſionem etiam in nobis, ut obſervat Vaſquez *præcit. diſputat.* 62. *cap.* 5. *num.* 5. Senſus vulgi fortè non eſt adeò communis pro paſſione in malam partem, & prætereà in iis, quæ pertinent ad propriam vocum ſignificationem non eſt multæ auctoritatis; ideò licet non ægrè feram eos, qui propaſſiones libentiùs, quàm paſſiones in Chriſto nominant, cenſeo tamen eſſe etiam liberum & tutum in eo abſolutè nominare paſſiones, & videtur hoc ad mentem D. Thomæ, dum *præcitat. articul.* 4. recitat præmemoratam auctoritatem D. Hieronymi, & nullum deindè fert de ea judicium.

Ex dictis circà paſſiones Chriſti in appetitu ſenſitivo, & ex eo quod appetitus intellectivus habet ipſe quoque ſuas affectiones paſ-
ſionibus correſpondentes & ab aliquibus per 56.
tranſlationem & ſimilitudinem nuncupatas paſſiones ſpirituales, conſequens eſt has quoque in Chriſto extitiſſe; quod nihil eſt aliud, quam intellectivum Chriſti appetitum, ſeu voluntatem elicuiſſe (at purè ſpiritualiter & ſi-

ne corporis immutatione) actus amoris & odij deſiderij & fugæ,&c.circà objecta, circà quæ appetitus ſenſitivus eodem modo proſecutionis & fugæ erumpebat in actus ſuos,qui ex eo quod fierent cum corporali immutatione denominabantur propriè paſſiones,& dicebantur eſſe ab animâ ut paſſibili.

CAPUT IV.

De ſervitute,filiatione, Prædeſtinatione, Adoratione Chriſti ut hominis, ſeu humanitatis eius.

1. EX aliis ad hujus materiæ complementum,& ſingillatim ad Chriſtum ut hominem ejuſve humanitatem pertinentibus,quædam opportuniùs expedientur agendo de Sacramentis, quædam faciliora ſunt, quam ut egeant diſcuſſione, quædam vix ullo neceſſitatis aut utilitatis titulo diſcutiuntur; ideò prætermiſſis iis, quæ de potentiâ & officiis Chriſti hominis, & ſignanter de virtute faciendi miracula de poteſtate legiſlativâ, de poteſtate ſacerdotali & ſpirituali, de poteſtate regiâ & temporali, vel etiam de Chriſto Mediatore, de Chriſto Doctore, de Chriſto Judice, controvertunt in præſenti Valentia, Vaſquez,Amicus,& nonnulli alij Scholaſtici, placuit pro totius tractatus coronide quatuor in præfixo titulo enunciata ſeligere, & ea quidem non admodùm latè protendenda, quia jam ferè præfixas conceptæ brevitatis metas exceſſimus; ne tamen lectori amplioris fortè notitiæ cupido deeſſe videamur indigitabimus Auctores liberaliore uſos calamo, apud quos curioſiùs poſſit plura perquirere. Interim circà ſervitutem primo loco propoſitam.

2. Servitus quomodò differat à ſubjectione? Præmitto ſubjectionem latiùs patere,quàm ſervitutem propriè dictam; iſta enim eſt ſolùm ad Dominum,illa eſt ad quemcumque ſuperiorem, puta ſubditi ad Principem, filij ad Patrem,Vxoris ad virum famuli ad Herum; addit verò Dominus ad Superiorem jus proprietatis ad jus juriſdictionis,jus ſcilicet diſponendi pro libitu in uſum quemcumque ad jus præcipiendi & obligandi per leges & juſſa. Porrò hoc jus proprietatis Deo reſpectu creaturarum convenit ab intrinſeco, & ex naturâ rei; uni creaturæ rationali reſpectu alterius creaturæ,ratio (in quibus ſolis reperiri poteſt propria ratio dominij & ſervitutis) convenit dumtaxat ex lege poſitivâ extrinſecâ; hinc ſervitus generaliſſimè dividitur in naturalem, & legalem, ſeu innatam & politicam, phyſicam quodammodò & civilem. Servitus naturalis fundatur in eſſentiali dependentiâ, quam habent creaturæ rationales a Deo tantam, ut nequeant ſine ipſo produci, conſervari, aut operari. Servitus legalis fundatur in dependentia accidentali, quæ contrahitur vel jure belli,vel emptione,vel pœnali ſententia Iudicis & hac in ſervitute conſtituti ſolent proprio nomine dici mancipia quorum rigidior uſus inter Chriſtianos interdictus eſt: Ad ſervitutem legalem reducitur ſervitus peccati ſeu diaboli, & eſt quaſi ſervitus jure belli, quatenus qui peccat vincitur à peccato & à diabolo cũ quo pugnat juxtà illud 2.*Pet*.2. ubi de peccatoribus habetur *Servi ſunt corruptionis: A quo enim quis ſuperatus eſt,huius & ſervus eſt,* hincque quia ſervi jure belli dicuntur capti, ſeu captivi,Paulus 2.*ad Timoth* 2. de peccatoribus ait *teneri captivos* à diabolo & Tridentinum *ſeſſ.5 in decreto de peccato originali* definit nos per peccatum Adæ *incurriſſe cum morte captivitatem ſub poteſtate diaboli.* Poteſt eadem ſervitus quaſi dici jure emptionis, ſeu venditionis, quatenùs peccans ſe ipſum liberè ſubjicit diabolo ob viliſſimam peccandi voluptatem, tanquàm ob pretium à diabolo oblatum,hinc *Iſa*.50.habetur *In iniquitatibus veſtris venditi.* & Paulus *Rom.* 7. ait *Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato*; ex quocumque tamen jure oriatur peccati & diaboli ſervitus, ſolùm reductivè & valdè analogicè ſervitus eſt,cum peccatum non ſit perſona rationalis, ad quam ſolam eſt ſervitus propria, & diabolus ſit quidem perſona rationalis at non habeat verum jus dominij in peccatorem, de quo certè nequit ad libitum diſponere; undè etiam non leviter controvertitur, in quonam conſiſtat formalis ratio ſervitutis, quam peccator reſpectu peccati & diaboli contrahit? ut videre eſt apud Vaſquium *diſp.1.c.1.* Arriagam *diſp.7.*per totam & aliquos alios Recentiores. 3. Servitus peccati & diaboli quid?

Vndè dividatur in naturalem,& legalem?

4. Occaſio diſſidij circà ſervitutem in Chriſto hominis. Præmitto inſuper circà ſervitutem Chriſto ut homini tribuendam acriter inter ſe Scholaſticos diſſidere occaſione diſſidij derivatâ potiſſimum ex Concilio Francofordienſi ſub Adriano, ex cujus Concilij & Pontificis definitione videtur excludi à Chriſto omnis prorsùs conditio omniſque ſtatus ſervitutis propriè dictæ; & hujuſmodi definitionem ut validâ ratione corroborent rigidiores ejus Interpretes, ad genericam rationem propriæ ſervitutis requirunt quod ſervus non communicet cum Domino in bonis,in honore,in ſede; ſicuti tamen communicat cum Deo Chriſtus, de quo etiam ut homine dicitur Coloſſ.2.*In ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* & Heb.1. *Sedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis,* qui de eodem in ſymbolo profitemur *ſedet ad dexteram Patris.* Econtrà qui mitiùs de prædictâ definitione ſentiunt,& ad ſervitutem legalem limitant, putant ad hanc in ſpecie pertinere negationem communicationis in bonis Domini, non ad ſervitutem in genere, nec in ſpecie ad ſervitutem naturalem, quam tamen conſiderant tamquàm ſervitutem veriorem,& magis propriam; cum univerſim quæ ſunt talia ab intrinſeco,& ex naturâ rei, ſint veriùs & magis propriè talia; quàm quæ ab extrinſeco,& ex lege poſitivâ.

Ex his præmiſſis habetur diſſidium de ſervitute Chriſti multùm continere quæſtionis vocalis, & multùm pendere à ſignificatione, quam varij variam concipiunt ſub vocabulo ſervitutis; nihilominùs cum tantâ contentione & attentione à pluribus diſputatur,ut crediderim non poſſe ſine notâ prætermitti. Ideò ſit

§. I.

§. I.

An & Quomodo Chriſtus ut homo poſſit dici Dei Servus?

5. ASSERT. 1. Chriſtus ut homo non poteſt, nec potuit unquam, dici Dei ſervus ſervitute legali, multoque minùs fuit, unquam, aut eſſe potuit, Servus ſervitute peccati. Eſt veritas fidei contrà eos Sectarios, qui ut ſæpiùs memminus blaſphemarunt Chriſtum aliquando peccaſſe, & magis directè contrà felicem Urgelitanum & Elipandum, quos hoc titulo, non titulo ſervitutis naturalis damnatos fuiſſe à Concilio Francofordienſi, & à Summo Pontifice Adriano, conſtabit ex ſequentibus.

Chriſtus nequit dici ſervus ſervitute legali.

Probatur: Servitus legalis ſeu, quod idem eſt, ratio mancipij importat conditionem vilem, ut plurimùm pœnalem, & rationali naturæ indebitã, vi cujus quis ita eſt ſub dominio alterius, ut nullatenùs poſſit aut quidquam proprium poſſidere, aut communicare in bonis Domini & in quadam ſedis ac honoris æqualitate, aut habere jus ad ejus amicitiam conſequendam & hæreditatem obtinendam; atqui hæc non conveniunt, nec convenerunt unquam Chriſto, ut homini, reſpectu Dei; nam in primis communicat in ipſo ſubſtantiali eſſe Dei propter unionẽ ſubſtantialem phyſicam cum divina Perſona, hincque etiam communicat in honore & in ſede, ut mox ex Apoſtolo attigimus; habet prætereà ad amicitiam & hæreditatẽ Dei majus jus, quàm cæteri juſti, de quibus per Apoſtolos divina præcepta exequentes repræſentatis Chriſtus etiam ut Deus ait Jo. 15 *Iam non dicam vos ſervos ſed amicos:* Tandem poteſt habere bona propria ſeu aliquid proprium poſſidere; ſaltem eo modo, quo alia quælibet creatura, ut attigimus *lib. præced. c. 2. n. 34.* ergo à primo ad ultimum non poteſt, nec potuit unquam, convenire Chriſto ſervitus legalis; ergo Chriſtus, ut homo, non poteſt, nec potuit unquam, dici tali ſervitute ſervus; multo minus potuit dici ſervus ſervitute peccati, tum quia hæc eſt ſpecies, aut quaſi ſpecies eaque infima & peſſima ſervitutis legalis, tum quia Chriſtus etiam ut homo nec fuit nec potuit eſſe ulli peccato obnoxius, nec certè peccati ſervus & dæmonis captivus potuiſſet nos à ſervitute & captivitate, qua ipſe nunquam detinebatur, liberare juxta illud,

6. Multo minùs ſervitute peccati.

S. Paulinus Paneg. de obitu Celſi

Nam neque deleret culpas niſi liber ab illis,
Nec laxare reos poſſet & ipſe reus.
Nec peccatori mors cederet, utpotè vinctum
Peccati vinclis legitimè retinens.

Benè verò Servus Dei ſervitute naturali.

Aſſert. 2. Chriſtus ut homo rectè dicitur ſimpliciter & abſolutè Dei ſervus, id intelligendo de ſervitute naturali. Ita D. Thomas *q. 20. art. 1. ad 2. & q. 23. art. 4. ad 3.* Caietanus & Medina *eod art. 1.* Paludanus *in 3. diſt. 12. q. 2.* Gonetus *diſput 23. art. 1.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 20. dub. 2.* Maſtrius *diſp. 2. quæſt. 7. artic. 1.* Herinex *diſp. 1. quæſt. 11.* Suarez *diſp. 44. ſec. 1.* Valentia *quæſt. 20. punc. unic.* Tannerus *diſp. 1. quæſt. 7.* Arriaga *diſp. 44. ſec. 1.* & tum Thomiſtæ communiter, tum magna Scotiſtarum & Recentiorum pars, contra Vaſquium *diſput. 80.* Lugum *diſp. 28. ſec. 5.* Amicum *diſp. 17. ſec. 2.* Granadum, Beccanum, Turrianum, Ulpium, Centinum, & tum aliquos alios Scotiſtas, tum plures Recentiores. In magno hoc Auctorum diſſidio ſunt hinc indè qui nimiam ſententiæ, quam ſequuntur, certitudinem tribuant, ſic inter Adverſarios Petrus Hurtadus & Lugus propriam ſententiam tanquam ab Eccleſia definitam commendant, & vix noſtram tanquam hæreſi proximam non damnant: inter Noſtrates Cabrera putat improbabile & periculoſum eſſe ſentire cum Adverſarijs: At meliùs qui temperatiore pollent judicio ab omni cenſura abſtinent, & prudenter in quæſtione de nomine potiùs, quàm de re, non quærunt aliquid ad fidem pertinens.

Probatur frequenti & clara (ut videre eſt apud Suarium & Amicum locis præcitatis) locutione Scripturæ & Patrum appellantiũ Chriſtum Dei ſervum ratione humanitatis, quæ locutio non eſt cenſenda impropria, nec ad ſervitutem allegoricã & metaphoricam deducenda, ſi poteſt propriè & de ſervitute ſimpliciter ac abſolutè tali intelligi; atqui verè poteſt ſic intelligi, & ſic intelligitur, ſi intelligatur de ſervitute naturali; ergo ex ſcripturæ & Patrum auctoritate Chriſtus ut homo rectè dicitur ſimpliciter & abſolutè Dei ſervus, id intelligendo de ſervitute naturali; Minorem, in qua eſt tota cum Adverſarijs controverſia, probo primò argumento negativo, quia nulla occurrit neceſſitas intelligentiæ allegoricæ & metaphoricæ; nam ex definitione Concilij Francofordienſis, & ex Epiſtolâ Adriani neceſſitatem hujuſmodi non occurrere conſtabit ex *ſeq. n. 11.* Probo ſecundo argumẽto poſitivo, & ratione, qua ſimul aſſertum directè confirmo ſic: Servitus naturalis eſt ſervitus ſimpliciter ac abſolutè; atqui Chriſtus ut homo rectè dicitur Dei ſervus ſervitute naturali, ergo rectè dicitur Dei ſervus ſimpliciter & abſolutè, & locutio Scripturæ & Patrum eum Dei ſervum appellantium rectè poteſt intelligi de ſervitute ſimpliciter ac abſolutè tali; & ſic intelligitur, ſi intelligatur de ſervitute naturali: Minor patet quia Chriſtus ut homo rectè dicitur creatura, & de Chriſti humanitate poteſt Deus pro libito in quemcunque uſum diſponere æquè ac de qualibet alia natura creata: Major probatur: Servituti naturali correſpondet Dei dominium ſimpliciter & abſolutè, eique convenit propria ratio ſervitutis magis ac per priùs, quàm conveniat ſervituti alij, ſive legalis dicatur, ſive civilis ſive politica; ergo ſervitus naturalis eſt ſervitus ſimpliciter ac abſolutè; probatur antecedens quoad primam partem, quia Deus ratione creationis & conſervationis rerum eſt ſimpliciter & abſolutè Dominus, jure ſcilicet creationis & conſervationis debet in rerum uſu omnibus præferri, & poteſt de rebus quomodolibet diſponere; ſervitus autem naturalis fundatur in creatione & conſervatione, quam habet quælibet natura rationalis à Deo; Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, propria ratio ſervitutis conſiſtit in ſubjectione ad Dominum, hæc autem ma-

7. 8. Servitus naturalis eſt ſervitus ſimpliciter, & abſolutè.

Digitized by Google

gis ac per priùs reperitur in ſervitute naturali, quia in hac eſt ab intrinſeco & ex natura rei, ian præmiſimus; eſt item inauferibilis, adeò ut nec Deus poſſit creaturam à naturali ſubjectione abſolvere, ſicuti nec à ſe naturale dominium abdicare; eandem habet perfectiorem nobilioremque rationem fundandi, actionem ſcilicèt divinam, in ſervitute verò civili, ſive legali, ſubjectio eſt ab extrinſeco, & ex inſtitutione humanâ, poteſt præſertim ex factâ à Domino juris ceſſione ceſſare, & habet pro ratione fundandi actionem purè humanam, ideſt contractum, victoriam, aut ſententiam Iudicis?

Dices in toto hoc ratiocinio à nobis omitti illud, quod maximè eſt de conceptu ſervitutis, nimirum carentiam communicationis in bonis Domini, ijs præſertim, quæ ſpectant ad ſedem, dignitatem, hæreditatem, & ſunt tituli quaſi ac inſignia dominij; quam quidem carentiam in Chriſto relate ad Deum non reperiri perſpicuum eſt; eſſe verò de conceptu ſervitutis probatur primò, quia de conceptu ſervi eſt quod ſit ſuo Domino inferior, talis autem non eſt qui in prædictis Domini bonis communicat: Secundò, quia per talem communicationem præcisè illicò excluditur ſervilis conditio, ſic hanc exuit fœmina ſerva per hoc præcisè, quod à rege aſſumatur in ſponſam, quia in ſponſam aſſumpta communicat in dignitate, in ſede, alijſque regijs Domini ſui honoribus. Tertiò, quia niſi requiratur
9. ea carentia ad ſervitutem nequit aſſignari, in quo differat iſta à ſubjectione generice ſumptâ. Sed contrà: Id, quod eſt proprium ac differentiale prædicatum ſpeciei minùs præcipuæ, transfertur ad genus, aut ad ſpeciem principaliorem, dum de conceptu ſervitutis, aut cujuſcumque, aut naturalis, ponitur eſſe carentia communicationis in bonis Domini, hæc quippè eſt propria ſervitutis legalis, & in ſolo mancipio, non in quolibet ſervo requiritur: Nego igitur abſolutè talem carentiam eſſe de conceptu ſervitutis; ad primam probationem in oppoſitum dico eum, qui participat ſeu cõmunicat in bonis Domini, ſolùm capere partem eorum, quæ habet Dominus idque inferiore modo, atque adeò verè adhuc manere domino inferiorē; patet hoc evidenter in Chriſto ut homine, qui licet communicet in bonis Dei, non habet ea cum eadem infinitate quâ Deus; non per identitatem, non à ſe, ut Deus. Ad ſecũdã probationẽ dico tali cõmunicatione præciſè excludi ſervilem conditionem legalem, qualis reperitur in fœminâ ſervâ Regis, at non eſt eadem ratio ſervilis conditionis naturalis, imò hæc eſt creaturæ reſpectu Dei eſſentialis, nec poteſt ulla divinorum bonorum communicatione deleri; paritas ſervæ in reginam aſſumptæ quadraret, ſi compararetur ad Deum humanitas ſerva ſervitute legali, exiſtens ſcilicet in peccato, & ratione peccati ſupponens in Deo ſpeciale jus eam puniendi, & malè habendi, tanquam vile mancipium; à qua quidem ſervitute verè liberaretur humanitas per hoc, quod ex vi unionis hypoſtaticæ aſſumeretur ad communicationem honorum Dei non minùs, quàm à ſuâ conditione ſervili fœmina per hoc, quod ex vi nexus conjugalis aſſumatur ad honores regios, & ad ipſius regiæ Majeſtatis conſortium. Ad tertiam dico independenter ab eâ carentia optimè aſſignari in quo differat

Carentia communicationis in bonis domini non eſt abſolutè de cõcepto ſervitutis.

10. *Quid addat ſervitus ſubjectioni?*

ſervitus à ſubjectione in genere, quid illa huic addat? addit ſcilicet relationem ad alium, tanquam ad Dominum & tanquam ad habentem jus proprietatis, cujus ratio fundãdi ſit vel creatio & conſervatio, & conſurgit ſervitus naturalis, vel lex aliqua poſitiva & conſurgit ſervitus legalis. Neq; dicas etiam irrationalia referuntur ad alium, tanquam ad Dominum & tanquàm ad habentem jus proprietatis, & tamen irrationalibus nõ convenit propria ſervitus, nec Cœli v.g. dicuntur ſervi Dei, aut ager ſervus ſui Poſſeſſoris; illud igitur, quod ſervitus addit ſubjectioni, debet eſſe aliquid aliud à relatione ad Dominum; Præter quod eſt circularis & vitioſa explicatio, quoties una relatio explicatur præciſe per habitudinem ad aliam. Contrà enim: loquimur in terminis habilibus & ſuppoſitâ ſubjecti capacitate, quæ pro denominatione ſervi reperitur in ſolis rationalibus: Nec explicatio eſt circularis & vitioſa, quia aſſignamus ſimul cum relatione rationem fundandi; Deindè non eſt vitioſus circulus explicare unam relationem per habitudinem ad aliam, quæ ſupponatur aliundè notior; ſicuti in re præſenti nobis, & Adverſariis, notius eſt & magis in confeſſo, quid ſit Dominium, quàm quid ſit ſervitus?

Dices inſuper, quidquid ſit de argumentis à ratione deſumptis, ſaltem ab auctoritate evincitur Chriſtum etiam, ut hominem, non poſſe propriè dici ſervum, pro quo miſſis Sanctorum Patrum ſententiis ſufficit percurrere ea, quæ Vaſquius *præcit. diſp.* 80. *cap.* 3. ad verbum refert ex Concilio Francofordienſi, & Adriano Pontifice, ubi in primis conſtat Patres Concilij, & Pontificem, non fuiſſe locutos obiter, ſed omnino ex profeſſo: Conſtat inſuper eoſdem negaſſe Chriſto ſervitutem, non præcisè animo proferendi probabiliorem opinionem, ſed animo definiendi veritatem & damnandi graviter oppoſitum; Felicem quippè & Elipandum oppoſitum ſentientes execrationibus cenſuriſque acribus excipiunt: Conſtat tandem ipſos advertiſſe auctoritates pro Chriſti ſervitute militantes, nam Adrianus (ut ibidem Vaſquez refert *cap.* 5.) obſervavit Chriſtum fuiſſe vocatum ſervum in veteri teſtamẽto umbris & allegorijs pleno; nuſquàm in novo, in quo umbræ & allegoriæ ceſſarunt; hincque corroborat interpretationem ſuam quâ ait eſſe topicè & allegoricè intelligenda omnia loca, quibus Chriſtus ſervus nuncupatur; & addit dictum fuiſſe ſervum eâdem ratione, quâ dictus eſt Agnus, Leo, & hujuſmodi, quæ certè de Chriſto dicta ſunt per figuram, & metaphoram. Sed contrà mihi quidem copia non fuit perlegendi in fonte, ac expendendi, Francofordienſis Concilij acta & Adriani epiſtolam, 11.
quantùm tamen conjicere potui ex varijs Auctoribus & ſignanter ex Arriagâ, qui *præcitat. diſp.* 44. *num.* 6. profitetur ſe ea exactè perlegiſſe, duo breviter pronuntio; Primum ſit Felicem & Elipandum fuiſſe latenter Neſtorianos, & ut Neſtorianiſmum fraudulenter

inducerent

inducerent voluiſſe Chriſto homini tribuere ſervitutem, quæ non poſſet cohærere cum unione phyſica humanitatis & divinitatis in unitate Perſonæ, & quamvis hoc expreſſe non dicerent, Concilium & Pontifex hoc in ipſis damnabat; ſervitutem enim ab ipſis affirmatam impugnabat potiſſimum argumento ducto ab unitate Perſonæ Chriſti; & ipſe acrior modus agendi, quo eos magnis cenſuris, & execrationibus, impetebat, vehemens indicium eſt, quod in eis errorem graviſſimum & latentem Neſtorianiſmum deprehendebat. Non eſt igitur, cur Adverſarij nos in Felice & Elipando damnatos ſuſpicentur, cum ſervitus à nobis aſſerta non ſicut illa Felicis & Elipandi, excludat conſortium communicationis bonis domini, ac per conſequens phyſicæ unionis inter ſervum & Dominum; imò re attentiùs conſiderata Adverſarij minùs, quam nos recedunt à Felice & Elipando; dicebant enim iſti ſervitutem importat negationem in bonis Domini, & datur in Chriſto; conveniunt cum iſtis Adverſarij in primo, diſcrepant in ſecundo; nos ab iiſdem diſcrepamus in primo & convenimus in ſecundo ſolùm quoad nomen ſervitutis, non quoad rem per nomen ſignificatam; non ne igitur Adverſarij minùs, quàm nos recedunt, &c.

Felix Epiſcopus Urgelitanus & Elipandus Toletanus Archiepiſcopus, fuerunt latenter Neſtoriani.

12\. Verus ſenſus Concilij Francofordienſis, & Adriani, excludentium à Chriſto rationem ſervi.

Secundum ſit teſtimonia ſervitutem à Chriſto removentia, quæ ex Concilio & Pontifice præmemoratis Adverſarij in nos contorquent, aliqua procedere de ſervitute peccati, aliqua de ſervitute mancipij, aliqua etiam de ſervitute naturali, prout tamen hæc cadit in Chriſto ſuprà perſonam, non ſuprà humanam naturam; cum enim mos ſit hæreticorum errores ſuos variâ ſubdolâque locutione obtegere; Felix & Elipandus, aliquandò peccati, aliquandò mancipij ſervitutem Chriſto tribuebant; aliquandò etiam contenti erant ſervitute naturali dummodo hæc perſonam ipſam afficeret, quia hi omnes ſervitutis modi repugnabant in Chriſto cum unitate perſonæ Verbi & deducebant ad Neſtorianiſmum ab illis intentum; nil igitur mirum, quod Eccleſia contrà ipſos definiens Chriſtum non eſſe dicendum ſervum aliquando loquatur de uno, aliquando de alio ſervitutis modo ex tribus enumeratis; de quonam autem modo in particulari ſingula, quæ afferri poſſunt teſtimonia, procedant: ex contextu verborum judicandum eſt; nobis ſufficiat, quod nullum procedat de ſervitute naturali, ut afficiente humanam naturam, quem ſolum ſervitutis modum in Chriſto aſtruimus.

13\. Supereſt ut explicem id, quod Adrianus ait eſſe tropicè & allegoricè intelligenda Scripturæ loca, quibus Chriſtus ſervus dicitur, & ſervum dici eâdem ratione, quâ dicitur Agnus, Leo, &c. Explico autem primum de illis locis, quibus ſecundùm hiſtoriam ſervus dicebatur de aliâ perſonâ à Chriſto; in qua tamen aliâ perſonâ Chriſtus figurabatur ut cum *Iob.* 1 habetur *Numquid conſideraſti ſervum meum Iob* & Iſa. 44. *Noli timere, ſervus meus Iacob.* vel etiam de locis aliis, ut afferebantur à Felice & Elipando, & ut ab ipſis intelligebantur de ſervitute legali. Secundum explicatione non indiget, ſi verum eſt, quod notavit Averſa *quæſt.* 10 *ſec.* 3. & ex Averſa Maſtrius *præcitat. quæſt.* 7. *num* 174. Si, inquam, verum eſt Concilium in *Epiſt.* commemoraſſe quidem nomina illa de Chriſto per metaphoram dicta *Agnus, Leo,* &c. ſed negaſſe poſteà, non affirmaſſe, quod Chriſtus eadem ratione dicendus ſit ſervus.

Mitto hîc alia nonnulla contrà naturalem Chriſti ſervitutem militantia, quia vel levis ſunt momenti, vel ſolvi poterunt ex dicendis de adoptivâ filiatione, ubi & iterùm redibit ſermo de Felice ac Elipando, & aſſignabitur diſparitas, ob quam negari de Chriſto debet, quod ſit filius adoptivus, non quod ſit ſervus.

---

§. II.

Utrùm Chriſtus, ut homo, poſſit dici filius Dei adoptivus, aut ſaltem ejus humanitas adoptata?

14\. Aſſert. 1. Chriſtus, etiam ut homo, nequit dici filius Dei adoptivus. Hæc veritas in aliquo ſenſu ſpectat indubitanter ad fidem, in aliquo alio eſt fidei proxima aut ſaltem non poteſt ſine temeritate negari. Spectat indubitanter ad fidem primò, quatenus eſt contrà Arrium, Photinum, & alios hujuſmodi hæreticos, non aliam Dei filiationem in Chriſto agnoſcentes, quàm adoptivam, eò quod blaſphemarent ipſum eſſe purum hominem, ſeu puram creaturam: Secundò, quatenùs eſt contrà Neſtorium ponentem Chriſtum coaleſcere ex duabus Perſonis, & ſecundùm unam eſſe filium Dei naturalem, ſecundùm aliam filium adoptivum; in quo errore, licèt minùs expreſſe, cohærenter ad id, quod pronunciavimus *præc. n.* 11. cenſemus fuiſſe pariter Felicem & Elipandum damnatos in Concilio Francofordienſi non ſolùm propter ſervitutem, ſed etiam propter filiationem adoptivam, quam Chriſto tribuebant. Eſt autem eadem veritas fidei proxima, aut ſaltem non negabilis ſine temeritate, quatenùs eſt contrà eos, qui confitentes in Chriſto unicam Perſonam, hancque divinam & increatam, adhuc putant ipſum ut hominem ſeu ratione humanitatis rectè dici filium adoptivum ut putarunt olim Durandus *in* 3. *diſt.* 4. *q.* 1. Baſſolius *diſt.* 10. §. *videtur.* Scotus *in* 3. *diſt.* 10. *q.* 1. Richardus *ead diſt. art.* 1. *q.* 1. & nonnulli alij, qui ex eo, quod ſcripſerint antè inventum, & evulgatum Francofordienſe, quod licèt celebratum anno 794. poſteà per multa tempora hæreticorum fraude latuit, ex hoc, inquam, excuſantur à cenſurâ, cæterùm poſt tale Concilium Surij operâ inventum, & ejus definitionem evulgatam, periculoſum eſſet in fide Chriſtum ſimpliciter dicere filium adoptivum; aut ſaltem ſi ponatur in controverſiâ, ut ab aliquibus ponitur auctoritas Francofordienſis, vel fiat quæſtio de nomine & ſignificatione adoptivi, non evitabitur nota temeritatis propter torrentem Scolaſticorum vocem adoptivi in Chriſto non admittentium, & in mitiorem hanc cenſuram propendent Arriaga *diſp.* 45. *ſec.* 1. ac Herincx *diſputat.* 5. *quæſt.* 11. Quidquid autem ſit de qualitate cenſuræ 15.
aſſertam veritatem, tanquàm, etiam in tertio ſenſu certam, tradunt D. Thomas *qu.* 23.

Cenſura opinionis tribuentis Chriſto, ut homini filiationem Dei adoptivam.

art. 4.

art.4 & *in 3.diſt.10.quæſt.2.art.2.* D.Bonaventura *ead. diſt.art.2.quæſt.1.* tota Schola Thomiſtica; Scotiſtæ præſertim minus antiqui, omneſque Recentiores, & ſolum cum aliqua limitatione, & impropria acceptione adoptionis, hanc noſtris temporibus in Chriſto affirmarunt Franciſcus del Caſtillo *diſp.17.q.1. par.3.* & Auctor Controverſ. inter Scotiſtas *par 2, controv.8.* Aſſertum ſic explicatum, & in tertio ſenſu intellectum.

Probatur auctoritate, & ratione, Concilij Francofordienſis, cujus nomine complector librum Sacroſyllabum ejus juſſu editum, & duas epiſtolas unam Adriani, alteram ipſius Concilij.

Auctoritate & ratione excluditur à Chriſto talis filiatio.

In his igitur actis habetur ſparſim *Unitas Perſonæ Chriſti adoptionis tollit injuriam, adoptio nullam habet ſignificationem, niſi ut Chriſtus filius proprius, vel naturalis non ſit. Si verus Deus & verus filius; & ſi verus filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus non verè natura eſt filius. Adoptivus dici non poteſt niſi is, qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus. Quid eſt adoptio, niſi charitatis copulatio, qua Pater adoptione ſibi copulat filium, quem proprium non habet.* Quæ & ſimila multoties in Francofordienſibus actis repetita non ſolum definiunt aſſertam veritatem, ſed & rationem ejus afferunt ſitam in eo, quòd filius adoptivus non poſſit ſimul eſſe naturalis, debeat eſſe perſona extranea ab adoptante, debeat ſolo affectu conjungi adoptanti; Chriſtus autem, etiam ut homo, eſt filius Dei naturalis modo explicando *§. ſeq.* eſt Perſona divina cum non ſit alia Perſona quàm Verbi, conjungitur ſubſtantialiter Deo adoptanti: ergò & Francofordienſibus actis manet, tum auctoritate, tum ratione, probatum quod intendimus.

16. Dices hæc omnia procedere, & debere intelligi, de adoptione pura & ſimpliciter, quæ verè nequit componi cum filiatione naturali, niſi perſonas multiplicet; aliter ſentiendum de adoptione ſecundùm quid, ideſt ſecundùm naturam humanam, non ſecundùm perſonam, quo modo accepta adoptio compatitur in Chriſto perſonæ unitatem, & non opponitur menti Concilij; hæc quippè conjicienda eſt ex errore, quem damnare intendit; & hujuſmodi error, ut nos ipſi ſuprà pronunciavimus, erat latens in Felice & Elipando Neſtorianiſmus, & fraudulenta eorumdem inductio ad geminandas in Chriſto perſonas, ex quo capite ſicuti *§. præced.* ſuſtinuimus idem Concilium non excludere à Chriſto quemcunque ſervitutis modum, ſed illum ſolum, qui perſonas in Chriſto multiplicaret; ita debemus ſentire proportionaliter de adoptione, de qua Concilium loquitur, ſicut de ſervitute; imò in hanc aliquando acerbiùs invehitur, ut patet ex verbis illis contentis in Epiſtola Adriani Concilio præfixa: *Adoptivum enim filium quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubjectum, & (quod pudet dicere) ſervum eum impij, & ingrati tantis beneficijs, liberatorem noſtrum non pertimeſcitis veneno ſa fauce ſuſurrare. Cur non veremini querruli obtrectatores Deo odibiles, illum ſervum nuncu-*
17. *pare, qui vos à ſervitute diaboli liberavit?* Sed contrà: In inſtantia ea, quæ dicitur adoptio pura & ſimpliciter, eſt unicè adoptio, quæ dicitur ſecundùm quid & ſecundùm naturam tantùm, non ſecundùm perſonam, nullatenùs habet propriam eſſentialemque rationem adoptionis, de cujus conceptu eſt afficere perſonam, ut evincitur ex trita definitione adoptionis, in qua pro genere ponitur *electio ſeu aſſumptio perſonæ*, item ex diſcrimine, quod S. Doctor *præcit. art.4. ad 3.* aſſignat inter filiationem adoptivam ex una parte, & ſervitutem, ſubjectionem, rationemque creaturæ ex altera.

Specialis neceſſitas excludendi à Chriſto omnem adoptivam filiationem potius, quàm omnem ſervitutem.

Quòd mens Concilij fuerit damnare in Felice & Elipando latentem Neſtorianiſmum, libenter repeto; at præter quod jure potuit ſimul damnare aliquem alium errorem faventem Neſtorianiſmo, dico abſolutè hunc latere in omni prorsùs Chriſti adoptione, omnis enim adoptio ſicuti neceſſariò afficit perſonam, & quidem creatam; ita hanc neceſſariò infert in Chriſto præter divinam, quæ perſonarum in Chriſto dualitas eſt ſumma Neſtorianiſmi. Proportionalitas adoptionis ſeu filiationis adoptivæ, & ſervitutis; & ſimilis de utraque Concilij locutio aliquid concluderet, ſi reliqua omnia eſſent paria, & ſignanter ſi eſſet dabilis aliquis modus veræ filiationis adoptivæ ſine perſona creata; ſicuti datur ſine hac aliquis modus veræ ſervitutis, ad quam ex genere ſuo requiritur quidem ratio creaturæ, at non ratio creatæ perſonæ; ex quo conſequens eſt omnem adoptivam Chriſti filiationem, non omnem ſervitutem inferre Neſtorianiſmum.

Dices aliter impugnando rationes ex Concilio inſinuatas, & traditas etiam à D.Thoma locis præcitatis, latéque expoſitas à pluribus Scholaſticis. Falſum eſt primò, quòd filius adoptivus non poſſit ſimul eſſe naturalis, tum 18.

18. Impugnat Adverſarij tres rationes inſinuatas *præced. num.*

quia non minùs diſtant ſanctitas accidentalis & ſanctitas ſubſtantialis, ſervitus & dominium, aliaque id genus, quàm filiatio adoptiva & naturalis; ſi igitur ex dictis Chriſtus poteſt ſimul eſſe ſanctus accidentaliter & Sanctus ſubſtantialiter, ſervus & Dominus, poterit ſimiliter eſſe filius adoptivus & naturalis; tum quia ex jure civili *l. Qui liberatus ff. de adoptionibus* habetur *Qui liberatus eſt à patria poteſtate, honeſtè reverti non poteſt, niſi adoptione*, poteſt igitur adoptione reverti, quod eſt filium naturalem poſſe fieri adoptivum: Falſum eſt ſecundò, quod filius adoptivus debeat eſſe perſona extranea ab adoptante; quod enim quis ſit filius habetur ratione naturæ, non ratione perſonalitatis; illa, non iſta generatur & producitur in ſimilitudinem ſui principij; illa ſine iſta poſſet vitaliter produci & eſſe filia, non ſic iſta ſine illa; extraneitas igitur ad filiationem adoptivam requiſita debet eſſe ratione naturæ, non ratione perſonæ; ſicuti ratione naturæ, non perſonæ, eſt ſimilitudo, quæ requiritur ad filiationem naturalem, falſum eſt tertiò, quòd debeat ſolo affectu conjungi adoptanti, nam nepos v.g. poteſt adoptari in filium, & tamen, utpotè adoptanti conſanguineus, eſt ſanguine, non ſolo affectu, conjunctus; & quando permitteretur id requiri, non deeſſet in Chriſti humanitate, nam quod conjunctio fiat ſolo affectu, eſt, quòd fiat liberaliter, & per puram gratiam, eſt autem humanitati liberalitas, & pura gratia quòd hypoſtaticè conjungatur Deo. Sed contrà:

Ad

19. Solvitur impugnatio primæ rationis. Ad primum dico, Non minùs diſtant &c. ſi utrobique fiat comparatio ad unum idemque ſubjectum aut quaſi ſubjectum; ſecùs ſi in uno caſu fiat comparatio ad idem ſubjectum, in alio ad diverſum, ut in propoſito; ubi filiatio adoptiva & naturalis deberent dici de Chriſto ratione perſonæ, quæ unica eſt; ſanctitas accidentalis, & ſubſtantialis, ſervitus & dominium, dicuntur de eodem ratione naturæ, quæ duplex eſt & diverſa. Ad textum juris civilis dico legem illam ſupponere, quod apud Romanos ſancitum erat, filium emancipatum, & liberatum à patria poteſtate, amittere illicò omne jus ad Patris hæreditatem, quod eſt in conſideratione civili non eſſe ampliùs filium; nil igitur mirum ſi poſſit adoptari; nec per hoc quod adoptetur erit filius naturalis ſimul & adoptivus, ſed adoptivus dumtaxat in civili conſideratione; at non eſt extendenda illatio ad Chriſtum, qui ne quidem in conſideratione theologica ſupponitur amittere naturalem Dei filiationem.

20. Solvitur impugnatio ſecundæ. Ad ſecundum nego abſolutè, quod eſſe filium habeatur ratione naturæ, & negatio eſt expreſsè ad mentem D. Thomæ tum *præcitat. art. 4. ad 3.* tum clarius *quodlib. 9. quæſt. 2. art. 4. in c.* ratio eſt, quia filiatio ſemper perſonam denominat, nunquam naturam; & in divinis ad intra Filius producitur ex eo, quod producatur ejus perſonalitas, nec rectè diceretur produci, ſi eſſet filius ratione naturæ, quæ in divinis non producitur. Humanitas, quæ ſine perſonalitate produceretur, tranſeat quod eſſet genita, non eſſet filia, quia non eſſet concretum ſubſtantialiter completum, quod ſolum eſt filius, aut filia; ſicut ipſum ſolum eſt homo. Similitudo in filiatione naturali non ſe habet, ſicut extraneitas in filiatione adoptiva; nam in ipſa utriuſque filiationis definitione ſimilitudo refertur ad naturam, non ad perſonam, reſpectu filij naturalis; extraneitas ad perſonam, non ad naturam, reſpectu filij adoptivi. Accedit quòd ex mox dicendis Chriſto, ut homini, relatè ad Deum deeſt non ſolùm perſonæ, ſed etiam naturæ extraneitas, non enim natura eſt extranea ei, cui ſubſtantialiter conjungitur, ſicut ſubſtantialiter conjungitur Chriſti humanitas Deo.

21. Solvitur impugnatio tertiæ. Ad tertium dico, filium adoptivum debere ſolo affectu conjungi in ratione filij, nil deinde referre ſi habeat conjunctionem naturalem in alia ratione, puta in ratione Nepotis; & univerſim qui adoptatur debet eſſe adoptanti extraneus, eique ſolo affectu conjunctus, in eo gradu conjunctionis, ad quem aſſumitur; non in omni. Illud, quod additur de humanitate Chriſti ſolo affectu Deo conjuncta, nec ſufficit, nec ſubſiſtit; Non ſufficit, quia ſicut extraneitas, ita conjunctio ſolum affectiva, ad adoptionem requiritur ex parte perſonæ principaliùs, quàm ex parte naturæ; non ſubſiſtit, quia conjunctionem hypoſtaticam non eſſe ſolùm affectivam conſtabit ex mox dicendis pro ſequenti aſſerto.

Humanitas Chriſti non eſt deſicto adoptata à Deo. Aſſert. 2. Chriſti humanitas nequit dici à Deo adoptata. Ita Vaſquez *diſp. 89. cap. 4.* Suarez *diſp. 49. ſec. 3. § dices.* Amicus *diſp. 29. ſec. 10. num. 17.* Maſtrius *diſp. 2. quæſt. 4. num. 100.* & reliqui Scholaſtici magis communiter contra Almainum, Majorem, & Gabrielem *in 3. diſtinct. 10.* alioſque nonnullos, quorum ſententia in hac parte, etiam poſt evulgationem Concilij Francofordienſis, ſolet cenſeri nec periculoſa in fide, nec temeraria; & ab Amico *numer. 22.* nuncupatur præcisè falſa & improbabilis; adeóque præſens aſſertum recipitur quidem valdè communiter, at non attingit eumdem certitudinis gradum, quem præcedens.

Probatur & explicatur. Abſtrahendo pro nunc ab eo, quod adoptio ſeu adoptatio, & eſſe adoptatum latiùs pateant, quàm filiatio adoptiva & eſſe filium adoptivum, adeò ut poſſint illa potiùs, quàm iſta denominare immediatè naturam; & anima rationalis v. g. cui ab omni ſuppoſito ſeparatæ infunderetur habitualis gratia, dicenda eſſet à Deo adoptata (ſubintellige ad gloriam ejus & hæreditatem) quamvis non Dei filia adoptiva; ab hoc, inquam, abſtrahendo, hócque permittendo, adhuc nequit dici à Deo adoptata humanitas, prout de facto in Chriſto exiſtit: enimverò vel adoptata diceretur ex vi gratiæ habitualis, vel ex vi gratiæ unionis: Non ex vi gratiæ habitualis, quia hæc de facto in humanitate gratiam unionis non præceſſit, ſed ſubſecuta eſt, ex eo autem, quòd ſit gratiam unionis ſubſecuta, invenit humanitatem incapacem adoptionis, ſeu non adoptabilem, nec denominabilem adoptatam, ut conſtat ex ijs, quæ ſubijcio pro ſecunda dilemmatis parte, probando humanitatem in Chriſto non poſſe dici adoptatam ex vi gratiæ unionis, quod maximè ſpectat ad rem præſentem & probo ſic: Neque dici adoptatum ſubjectum, quod poſt adoptionem non remanet adoptanti extraneum; atqui humanitas Chriſti poſt gratiam unionis non remanet Deo extranea; ergo poſt gratiam unionis, & à fortiori ex vi gratiæ unionis, nequit dici à Deo adoptata. Major patet, quia quando ſubjectum adoptatum eſt perſona, debet hæc manere etiam poſt adoptionem extranea; ſi igitur ſubjectum adoptatum ſupponatur eſſe natura, neceſſe erit, quòd pariter extranea perſeveret, & univerſim, cum eſſe adoptatum ſit ex vi nominis eſſe aſſumptum conjunctione ut ita dicam optativa & affectiva, neceſſe eſt, quòd non conſurgat inter adoptantem & adoptatum conjunctio phyſica & entitativa: Minor probatur, quia quod eſt alteri ſubſtantialiter phyſicè conjunctum, non eſt ei extraneum, alioqui eſſet extranea anima corpori, eſſet extraneum corpus animæ, eſſent extraneæ toti homini partes ſubſtantiæ, quæ ei per ſucceſſivam aggenerationem accreſcunt; atqui humanitas Chriſti poſt gratiam unionis eſt Deo ſubſtantialiter phyſicè conjuncta, & quidem conjunctione, ſeu unione, omnium maxima & majore, quàm ſit animam inter & corpus, aut hominem inter & partes ei per ſucceſſivam aggenerationem accreſcentes; imò etiam, quàm inter filium & Patrem in creatis, nam filius phyſicè conjungitur cum modica parte ſubſtantiæ Patris, ideſt cum ſemine ex tali ſubſtantia Dei; ergo humanitas Chriſti phyſicè conjungitur cum tota ſubſtantia Dei; ergo

Margin notes beside the second column: 22. — Nec ex vi gratiæ habitualis. — Nec ex vi gratiæ unionis. — 23.

humanitas Chriſti poſt gratiam unionis non remanet Deo extranea.

14. Omnis adoptio eſt gratia ſeu aſſumptio gratuita; non è converſo.

Ex his habes primò omnem quidem adoptionem à Deo fieri per gratiam, & eſſe aſſumptionem liberalem & gratuitam; at non è converſo omnem aſſumptionem liberalem & gratuitam eſſe adoptionem, ſed illam ſolam, in qua ſive perſona ſive natura, quæ aſſumitur, remanet extranea ab eſſe Dei, & ſine jure naturali ad divinam hæreditatem, eodemque modo non per omnem gratiam fieri à Deo adoptionem, ſed per illam ſolam, quæ invenit & relinquit ſubjectum cum extraneitate à Deo, quam extraneitatem in Chriſti humanitate gratia unionis non relinquit, gratia habitualis non invenit: Eſt & alia ſpecialis egregia ratio, ob quam adoptionis effectum in tali humanitate habitualis gratia non præſtat, quia ſcilicet hæc Chriſto datur per modum proprietatis gratiæ unionis, non per modum naturæ, & primæ radicis, præſtat autem effectum adoptionis aut ſaltem filiationis adoptivæ, quatenùs eſt participatio divinæ naturæ, & per modum naturæ datur, ut attigimus in tract. de Gratia *libro.* 3. *cap..numer.* 27. Neque dicas obiter hoc eodem *num.* 27. habetur adoptionem, quæ à Deo, eſſe participationem effectivam, & ſolam adoptionem, quæ ab homine eſſe affectivam; quomodò ergo hucuſque etiam ad adoptionem divinam requiſivimus, quod ſolo affectu fiat, nec aliam quam affectivam conjunctionem, inducat. Contra enim adoptio dicitur fieri ſolo affectu & per conjunctionem purè affectivam, vel ex eo quod fiat per ſolam ordinationem extrinſecam, vel ex eo quod ſit cum aliqua efficientia, & ponendo aliquid intrinſecum adoptato; at accidentale, & non conjungens ſubſtantialiter adoptanti; primo modo fit adoptio, quæ ab homine; ſecundo modo adoptio, quæ à Deo; illa eſt conjunctio purè affectiva etiam prout affectivum contrà ponitur effectivo; iſta eſt purè affectiva ſolùm prout affectivum contrà ponitur entitativo & ſubſtantiali.

Habes ſecundò humanitatem Chriſti, quamvis non fuerit de facto adoptata, potuiſſe tamen adoptari; ſi aut aſſumptionem præceſſiſſet, aut fuiſſet poſteà à Verbo dimiſſa, gratia enim habitualis, quæ ut poterat fuiſſet tali humanitati, aut antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem, infuſa inveniſſet in ea capacitatem adoptionis, & fuiſſet collata per modum naturæ, non per modum proprietatis; atque adeò nihil obſtitiſſet, nihil defuiſſet effectui adoptionis.

§. III.

Quomodò, & reſpectu cujus Chriſtus, præſertim ut homo, ſit filius naturalis.

25. Chriſtus eſt ſimpliciter & abſolutè naturalis filius.

ASSERT. 1. Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè, eſt naturalis filius æterni Patris & Virginis Matris. Eſt veritas omninò de fide non negabilis, niſi ab ijs, qui negant aut Verbum eſſe æterni Patris filium ut Patripaſſiani, Sabelliani, Arriani; aut Chriſtum conſtare corpore & anima ejuſdem rationis cum noſtris, ut Manichæi, Prodianitæ, Priſcillianiſtæ, & id genus alia Hæreticorum Capita, quorum nos meminimus partim initio tractatus *de Trinit.* partim *præced. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4.

Probatur; Chriſtus eſt ſimpliciter & abſolutè Deus & homo; atqui Chriſtus Deus eſt ſimpliciter & abſolutè naturalis filius æterni Patris, eſt enim Verbum, ſeu ſecunda Trinitatis Perſona per veram æternamque generationem à prima, quæ Pater eſt, procedens; Æterni Patris. Chriſtus homo eſt ſimpliciter & abſolutè naturalis filius Virginis Matris, ex ipſa natus per veram temporalemque generationem, Et Virginis Matris. quam omnia enunciant Evangelia, nec poſſunt ſaltem de Chriſto homine non intelligi teſtimonia illa Matth. 2. *Accipe puerum & Matrem ejus.* Jo. 2. *erat mater Ieſu ibi.* Luc. 2. *Simeon dixit ad Mariam Matrem ejus*, & alia his ſimilia omnibus paſſim obvia; ergo Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè, eſt naturalis filius &c.

Neque miraculum, quod ex parte Virginis intercеſſit maximum in Chriſti generatione, quatenus ad hanc illa concurſum præſtitit non intercedente ſemine & actione virili, obſtat ne Chriſtus dicatur ejus filius naturalis: Non obſtat, inquam, quia miraculum verſatur circà 26. aliquid effectivè, & extrinſecè, ſe habens, tum reſpectu filij, tum reſpectu Matris, nec impedit, quin Beata Virgo impenderit generationi Chriſti, quidquid ſolent generationibus alijs impendere aliæ Matres, imò impendit etiam aliquid ampliùs, ſuppeditavit enim ipſa ex proprio puriſſimo ſanguine totam materiam fœtus, cum aliæ Matres ſuppeditent ſolum partem. Verùm hæc catholico cuicumque certiora ſunt & receptiora, quàm ut probati indigeant.

Hinc certum pariter, receptumque, eſt Chriſtum Deum eſſe naturalem filium non ſolùm æterni Patris, ſed & Virginis, Matris; Chriſtumque hominem non ſolùm Virginis Matris, ſed & æterni Patris ſeu Dei; adeò ut demonſtrato Chriſto verè dicatur. *Hic homo eſt naturalis filius Dei. Hic Deus eſt naturalis filius Virginis:* Neque hæc veritas negabilis eſt, niſi ab ijs, qui in Chriſto negant aut unitatem perſonæ & conſequenter communicationem idiomatum in tali unitate fundatam, aut aſſumptionem humanitatis factam in eodem inſtanti temporis, in quo hanc Virgo concepit, & conſequenter putant Chriſtum fuiſſe purum hominem, non Deum pro eo tempore, pro quo fuit conceptus & genitus in Virginis utero, quem utrumque errorem nos ſuprà *lib.* 1. impugnavimus, priorem quidem *cap.* 4. §. 2. *n.* 19. poſteriorem *cap.* 5. §. 2. *num.* 29. & §. 4. *num.* 81.

Et eſt utriuſque filius tum Chriſtus Deus, tum Chriſtus homo ſpecificativè.

Suppoſita jam veritate & certitudine talium propoſitionum prolatarum ſpecificativè, examinandæ ſunt eædem propoſitiones prolatæ cum reduplicatione, & potiſſima præfixi tituli difficultas verſatur in definiendo, Utrum Chriſtus ut homo, vel (demonſtrato Chriſto) hic homo ut homo, ſit naturalis Filius Dei? & utrùm ly *Dei* ſignificet ſolam primam Perſonam, an totam Trinitatem? In qua difficultate

Adverto

27. Chriſtus ut homo quid reduplicet.

Adverto concretum *Homo*, ſignificare humanitatem & ſuppoſitum, illam tamen magis explicitè & tanquam potiorem ſui partem; ideò dum dicitur Chriſtus, ut in quantum, quatenùs, homo; reduplicatio intelligi poteſt cadere vel ſuprà Chriſti ſuppoſitum, vel ſuprà Chriſti humanitatem, & hæc intelligentia poſterior, ſicuti correſpondet ſignificationi magis explicitæ, & ſenſui magis vulgato, ita eſt illa, ſecundùm quam præcipuè agitatur quæſtio, quæ alioqui reduplicatione juxta priorem intelligentiam accepta vix videtur pati in parte affirmativa difficultatem; nam reduplicando ſuprà ſuppoſitum dicere, Chriſtus ut homo eſt Filius Dei naturalis, nihil aliud affirmatur, quam Chriſtum etiam ut eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, ſeu Perſonam, quæ eſt in Chriſto, etiam ut terminat humanam naturam, eſſe filium Dei naturalem; quod veriſſimum eſt, cum neque in Chriſto ſit alia Perſona, quam Verbi; neque hæc per hoc, quod humanitatem terminet, deſinat eſſe naturalis Dei filius.

28. De filiatione naturali Chriſti ut hominis reſpectu Dei variæ ſententiæ.

Cæterùm reduplicatione cadente ſuprà humanam naturam dicere, Chriſtus ut homo eſt filius Dei naturalis, importat controverſiam, quæ licet multùm habeat de nomine, multum dividit Scholaſticos, apud quos duas invenio ſententias extremas, tertiam mediam: Inter ſententias extremas altera abſolutè affirmat Chriſtum ut hominem eſſe naturalem Dei filium, & ex hujus ſententiæ Auctoribus aliqui loquuntur relatè ad ſolam primam Perſonam, ita Alenſis 3. *par. quæſt.* 8. *memb.* 3. *artic.* 4. Caietanus *quæſt.* 32. *art.* 1. Medina *ibid.* Gonetus *diſp.* 23. *art.* 2. Gabriel à S. Vincentio *ead. diſp. dub.* 4. Amicus *diſp.* 29. *ſec.* 1. Lugus *diſput.* 31. *ſec.* 4. & apud iſtos alij ex quacumque ſchola: Aliqui loquuntur relatè ad totam Trinitatem; ita Vaſquez *diſp.* 89. *cap.* 14. Suarez *diſputat.* 49. *ſec.* 1. & 2. Arriaga *diſput.* 45. *ſec.* 2. *ſubſec.* 2. Tannerus, Beccanus, & nonnulli alij Recentiores. Altera ſententia extrema abſolutè negat Chriſtum ut hominem eſſe naturalem Dei filium; ſive ly *Dei* ſupponat pro ſola prima Perſona, ſive pro ſubſiſtente in tribus Perſonis & tota Trinitate; ita Baſilius Legionenſis 1. *par. variar. lection. relect.* 4. Lorca *diſp.* 84. *n.* 47. & 48. Curiel *lib* 2. *controv. controv.* 2. & ex Scotiſtis Faber, Centinus, aliique nonnulli. Sententia inter utramque relatam media præter filium adoptivum, & filium naturalem, ſtatuit filium proprium, qui ſit verè filius; at nec adoptivus, eò quod non extraneus; nec naturalis, eo quod non conſequens veram viventium generationem, quo ſuppoſito vult hæc ſententia Chriſtum ut hominem, nec eſſe filium Dei adoptivum, nec naturalem; eſſe verò filium proprium Dei pro tota Trinitate, non pro ſolo æterno Patre ſupponentis, ita Bernar. *diſp.* 66. Belluttus *diſp* 9. Maſtrius *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 1. & excogitata ab his Auctoribus diſtinctio filij proprij à naturali videtur habere fundamentum in Hugone à S. Victore, cujus verba refert Maſtrius *art.* mox *cit. num.* 121.

29. In hac ſententiarum diverſitate derivata potiſſimum ex diverſo modo explicandi, quid ſignificet vox filij naturalis, ac per conſequens ex controverſia, quæ ut jam monui multùm habet de nomine, recolo in primis regulam aliàs mihi probatiſſimam, quæ dictat cum pluribus loqui in iis, quæ ſapiunt quæſtionem de nomine, cum enim modus loquendi, & nominum ſignificatio, pendeat ex hominum impoſitione, & auctoritate, ubi eſt in his diſſidium, jure præfertur ea pars, pro qua ſtat auctoritas plurium, præſertim ſi ij ſint ex gravioribus, & ex inſtituto loquentibus; cum igitur ex inſinuata Auctorum enumeratione conſtet graviſſimos eſſe, & multò plures eos, qui abſolutè affirmant Chriſtum ut hominem eſſe filium Dei naturalem, quàm ſint qui id negant vel directè & abſolutè, vel indirectè tribuendo quidem Chriſto ut homini filiationem Dei propriam contradiſtinctam ab adoptiva, at ſimul contradiſtinctam a naturali; prædicta regula generalis me vehementer propellit in affirmativam præſentis controverſiæ partem, & in hac valide me confirmat auctoritas Concilij Francofordienſis ſæpiùs inferentis Chriſtum non eſſe filium Dei adoptivum ex eo; quod ſit Dei filius naturalis; ubi verborum contextus, & communis Doctorum intelligentia, ſuadet Concilium, ſicut de Chriſto ut homine negat filiationem Dei adoptivam; ita de eodem etiam ut homine affirmare filiationem Dei naturalem, & præterea in eo quòd ratio filij Dei naturalis tribuatur Perſonæ Verbi, non ſolùm ut divinam; ſed etiam ut humanam naturam terminanti, melius elucet vis illationis à Concilio intentæ; & quomodo in Chriſto verificaretur, reſpectu ejuſdem prorſùs ſubjecti filiatio adoptiva & naturalis? ex quo; ut attigi *præced. num.* 19. oritur repugnantia fundans efficaciam illius illationis.

30. Chriſtus etiam ut homo eſt filius Dei naturalis.

Aſſert. 1. Chriſtus etiam ut homo eſt filius Dei naturalis, & ly *Dei* debet poni ſupponere pro ſola prima Perſona, non pro ſubſiſtente in tribus perſonis, ſeu pro tota Trinitate; atque adeò hic homo in Chriſto non ſolùm per communicationem idiomatum & materialiter, verùm etiam reduplicativè & formaliter dici poteſt naturalis filius æterni Patris. Ita Auctores *præced. num.* 28. memorati pro ſententia affirmativa contrà Auctores, tum ſententiæ negativæ, tum ſententiæ mediæ, & ex parte contrà Suarium, Vaſquium, Arriagam &c.

Probatur prima pars ex Scriptura Luc. 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, qui uterque textus procedit de Chriſto ut homine, nam ut homo natus eſt in tempore & pro nobis traditus; conſequens eſt igitur; quod etiam ut homo ſit filius Dei; nec ly *Proprio* Rom. 8. ponitur ad differentiam filij naturalis, imò ponitur ad magis exprimendam filij naturalis veritatem; & diſtinctio filij proprij à filio naturali eſt præter communem uſum ac ſenſum, tum Juriſperitorum, tum Scholaſticorum, qui non conſueverunt alium filiationis modum agnoſcere, quàm naturalis & adoptivæ, illam tanquàm filiationem rigoroſam ac propriam, iſtam tanquam filiationem ſimilitudinariam ac impropriam; & verò qui filium proprium à naturali ſecernunt, vel nomine filij proprij intelligunt

Non debet à filio naturali ſecerni filius proprius.

telligunt præciſè perſonam non extraneam, & hac ratione tenebuntur fateri Spiritum Sanctum ad intra eſſe filium proprium primæ & ſecundæ Perſonæ; vel intelligunt inſuper perſonam productam per veram ac propriam generationem, & hac ratione inre concedunt filium proprium eſſe filium naturalem, & in ſuſtinendo Chriſtum ut hominem eſſe filium Dei proprium eadem penitus difficultate premuntur, qua premerentur ſuſtinendo eſſe filium Dei naturalem. Confirmatur eadem prima aſſerti pars auctoritate Concilij Francofordienſis, & regula generali prælaudata *num.* 29. multóque magis conſtabit ex elucidatione & probatione ſecundæ partis, pro qua

51. Adverto, quòd Chriſtus ut homo dicatur naturalis filius ſolius primæ Perſonæ, aut totius Trinitatis, pendere ab eo quod ratio fundandi filiationem in Chriſto ſit aliquid proveniens à ſola prima Perſona, aut à tota Trinitate, ſic ſe pro tali ratione fundandi aſſignetur ipſamet æterna generatio & perſonalis proprietas perſonæ Verbi, ſicuti hæc provenit à ſola prima Perſona, ita conſequens erit Chriſtum, ut hominem, ſolius primæ Perſonæ filium denominari; ſi verò pro ea ratione fundandi aſſignetur gratia unionis, ſicuti hæc eſt effectus ad extra toti Trinitati communis, & à tota Trinitate proveniens, ita Chriſtus, ut homo, denominabitur naturalis filius totius Trinitatis. Hac animadverſione poſitâ

52. Chriſtus, ut homo, eſt naturalis filius Dei ſupponentis pro ſola prima Perſona.

Probatur ſecunda pars primo: Quòd Chriſtus ut homo ſit naturalis filius Dei, fundatur in aliquo proveniente à ſola prima Perſona, & habetur formaliter per aliquid eandem ſolam reſpiciens; ergo Chriſtus ut homo eſt naturalis filius Dei ſupponentis pro ſolâ primâ Perſonâ, non pro ſubſiſtente in tribus &c. Conſequentia patet ex animadverſione præmiſſa; antecedens probatur, ex genere ſuo quod aliquis ſit naturalis filius fundatur in vera generatione naturali, & habetur formaliter per naturalem filiationem; ergo quòd Chriſtus ut homo ſit naturalis filius Dei fundatur in vera naturali generatione divina & habetur formaliter per veram naturalem divinam filiationem; atqui vera naturalis generatio divina provenit à ſolâ primâ Perſonâ, hæc quippè ſola in divinis generat, eandem ſolam reſpicit naturalis divina filiatio, utpotè correlativa ad divinam paternitatem in ſola prima Perſona repertam, ergo quod Chriſtus, ut homo, ſit naturalis filius Dei fundatur in aliquo proveniente à ſolâ primâ Perſona, & habetur formaliter pee aliquid eandem ſolam reſpiciens.

Dices: Benè eſt, ſi eſſe hoc poſſet, nec apertè repugnaret Chriſtum, ut hominem oriri per veram naturalem generationem divinam, & recipere effectum formalem naturalis divinæ filiationis; at utrumque apertè repugnat: repugnat primum, quia vera naturalis generatio divina eſt ab æterno, & eſt in ſimilitudinem naturæ divinæ, imò in identitatem; Chriſtus autem, ut homo, nec eſt genitus ab æterno, nec habet naturam, aut in ſpecie ſimilem, aut in individuo eandem cum divina: Repugnat ſecundum, quia naturalis filiatio divina nequit tribuere ſuum effectum formalem, niſi ſubjecto proportionato & capaci; & ſicuti ex hoc capite ſupra dicebamus ſubſiſtentiam Verbi, quamvis ſit in ſe æternitas & immenſitas, non tribuere humanitati effectum formalem æternizandi aut immenſitandi; ità quamvis ſit filiatio, non tribuit eidem effectum formalem filiandi, ſi ſit, ut verè eſt, effectus hujus incapax, non minùs quàm natura equi, lapidis, aut alia irrationalis, quam divinum Verbum aſſumeret. Sed 53.
contrà: Hæc inſtantia attingit apicem difficultatis, & quoad potiſſimam ſui partem valde torquet etiam aſſerentes Chriſtum, ut hominem, eſſe filium naturalem totius Trinitatis, & filiatione fundata in gratia unionis, aut in ſanctificatione, quam humanitati præſtat natura divina; nam etiam iſtis difficillimum eſt explicare, quomodo Chriſtus ut homo à tota Trinitate oriatur per veram naturalem generationem & in naturæ ſimilitudinem: ideò varij varias excogitarunt reſponſiones relatas ab Amico *præcit. ſec.* 2. à *num.* 49. ad 60. quibus omiſſis profectò breviter, quod mihi apparet probabilius, & negata abſolutè minore argumenti propoſitione; ad hujus primum membrum

Ad hujus, inquam, primum membrum conceſſa majore, diſtinguo minorem, Chriſtus ut homo non eſt genitus ab æterno ratione totius compoſiti, quod genitum denominatur, concedo; ratione formæ ſibi communicatæ, & ex vi cujus genitus ac filius denominatur, nego, hæc enim forma eſt perſonalitas Verbi, quæ utique fuit ab æterno producta per naturalem generationem divinam. Neque in hoc videtur majus eſſe Myſterium, quam in eo, quod Chriſtus, ut homo, ſit factus ſubſiſtens in tempore per ſubſiſtentiam æternam, & ab æterno productam ſibi tamen temporaliter communicatam. Neque urgeas, ex hoc ſaltem non ſaluatur, quod generatio divina reſpectu Chriſti, ut hominis, ſit in naturæ ſimilitudinem, ſeu quod Chriſtus, ut homo, habeat cum Deo naturæ ſimilitudinem. Contrà enim; non ſaluatur quod 54.
ſit in naturæ ſimilitudinem ratione humanitatis, concedo; ratione filiationis communicatæ humanitati, nego; & dico filiationem divinam ex eo, quod terminet ab æterno actionem tendentem in naturæ divinæ ſimilitudinem, dum deindè in tempore communicatur Chriſto ut homini, huic aliqualiter tribuere, quòd ratione formæ communicatæ ſit in naturæ divinæ ſimilitudinem genitus, & hoc ſufficere ad hoc, ut Chriſtus ut homo dicatur Dei filius in facto eſſe; ad filium quippè in facto eſſe ſicuti ſufficit generatio præterita, ita & naturæ ſimilitudo, quæ generationem præteritam terminaverit & fuerit in generationis præteritæ termino communicata, quamvis non in ſe ipſa. Attingunt hanc doctrinam Lugus *præcitat. ſec.* 3. *n.* 31. Gabriel à S. Vincentio *præcit. dub.* 4. *num.* 57. alijque nonnulli, eamque amplector ex eo, quod nil meliùs occurrat potiùs, quàm ex eo quod plenè ſatisfaciat.

Ad ſecundum ejuſdem minoris propoſitionis membrum dico in primis majorem eſſe rationem, cur perſonalitas Verbi tribuat humanitati effectum formalem filiandi, quàm immenſitandi,

menſitandi, aut æternizandi, eſt enim ex ſe præciſiſſimè filiatio, non immenſitas, aut æternitas ut colligi poteſt ex dictis *præced. lib. 2. cap. 6. n. 28.* Quidquid deinde ſit de hoc, falſum eſt abſolutè humanitatem non eſſe ſubjectum capax effectus formalis filiationis divinæ, & niſi hoc concedatur intercluditur omnis præſentis quæſtionis locus, nec ulla eſt via ſuſtinendi, quòd Chriſtus ut homo ſit filius naturalis Dei, niſi ſupponatur humanitas capax effectus formalis filiationis divinæ, in quocumque iſta conſiſtat; & ſuadetur id inſuper poſitivè ex eo, quod humanitas eſt capax effectus formalis filiationis naturalis in genere; ergo eſt obedientialiter capax effectus formalis filiationis naturalis divinæ, ſicuti eſt obedientialiter capax effectus formalis ſubſiſtentiæ & ſanctitatis divinæ ex eo, quod ſit capax effectus formalis ſubſiſtentiæ & ſanctitatis in genere. Nec eſt eadem ratio de naturis irrationalibus; dici enim poteſt illas ſolas naturas eſſe capaces effectus formalis filiationis, quæ ſunt capaces ſubſiſtentiæ ſub ratione perſonalitatis, illas ſolas poſſe conſtituere filium quæ poſſunt conſtituere perſonam; hanc autem rationalis ſolum, non irrationalis natura poteſt conſtituere: Quod ſi contendas non eſſe de ratione generica hujus, quod ſit Perſona & quod rationalem ſeu intellectualem naturam requirat; adhuc dici poteſt eſſe id proprium filij Dei, & cum proprium ſit filiationis divinæ produci per intellectum, nil mirum ſi ſit ejuſdem proprium poſſe ſuum effectum formalem tribuere ſoli naturæ intellectuali.

36. Probatur ſecunda aſſerti pars ſecundò. Quod Chriſtus, ut homo, ſit naturalis filius Dei non fundatur, aut in unione hypoſtaticâ, quatenùs eſt effectus totius Trinitatis, aut in ſanctificatione, quam per ſe ipſam humanitati præſtat natura divina communis tribus Perſonis; ergo Chriſtus, ut homo, non eſt naturalis filius Dei ſupponentis pro ſubſiſtente in tribus Perſonis, ſeu pro totâ Trinitate; eſt igitur filius ejuſdem ſupponentis pro ſulâ primâ Perſona; conſequentia patet, quia non eſt aſſignabile quidquam aliud toti Trinitati commune, in quo poſſit fundari, aut ex quo poſſit provenire, ratio filij naturalis; & tamen quòd Chriſtus, ut homo, dicatur filius naturalis totius Trinitatis pendet ex eo, quod ratio filij in ipſo reperta proveniat ex aliquo communi toti Trinitati, ut animadverſum eſt *præced. num.* 31. ergo. Probatur antecedens quoad primam partem, unio hypoſtatica, ut eſt effectus totius Trinitatis, non eſt quid divinum; ergo non poteſt in ea fundari divina filiatio: Deinde minus eſt reddere ſanctum, amicum, & hæredem Dei, quàm reddere Dei filium, nec poteſt iſtud ſine illo præſtari; atqui unio hypoſtatica ratione ſui non reddit ſanctum, amicum, & hæredem, neque hæc præſtat niſi ut *quo*; non ut eſt effectus Trinitatis, ſed ut eſt nexus perſonalitatis Verbi juxtà ſuprà dicta *libro ſecundo, cap.* 6. §. 2. ergo à fortiori ratione ſui, & ut eſt effectus Trinitatis, non reddit filium: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, ſanctificatio, quam per ſe ipſam humanitati præſtat natura divina, eſt effectus ſolùm moralis & mediatus, ut ſuppono *ex præcitat.* §. 2. ergo non poteſt in tali ſanctificatione fundari ratio filij naturalis, quæ debet eſſe ratio phyſica: Deinde Chriſtus, ut homo, ſeu hic homo demonſtrato Chriſto, ſignificat quidem humanam naturam & divinam perſonalitatem, at non ſignificat ſimul divinam naturam; ergo ponere rationem naturalis filij Dei fundatam in ſanctificatione provenien à divinâ natura non eſt ſalvare, quod Chriſtus ut homo ſit naturalis Dei filius, ſed ſolum quod talis ſit, ut homo Deus, nam ſolùm in hoc concreto, homo Deus, includitur ſimul cum humanitate, & divina perſonalitate, divina natura. 37.

Chriſtus, ut homo non eſt filius naturalis Dei ex vi ſanctificationis, quam humanitati præſtat divina natura.

Dices: Chriſtus ut homo in ratione filij naturalis reſpicit Deum ut Trinum; ergo reſpicit Deum relatione fundatâ in aliquo communi tribus Perſonis; antecedens probatur, quia quidquid convenit Chriſto, ut homini, eſt poſitum in tempore, ſicuti eſt poſitus in tempore ipſe Chriſtus, ut homo; omnis autem relatio poſita in tempore eſt ad Deum ut Trinum. Confirmatur, ſi alia perſona divina à verbo humanitatem aſſumeret, iſte alius Chriſtus eſſet naturalis Dei filius, æquè ac ſit Chriſtus nunc exiſtens cum humanitate aſſumptâ à Verbo; ergo quia eſſe filium naturalem in Chriſto, ut homine fundatur in aliquo communi tribus Perſonis, non in aliquo proprio Verbi: Antecedens probatur primò, quia ideò Chriſtus nunc exiſtens non eſt filius Dei adoptivus, quia eſt filius naturalis, ut habetur ex jam dictis præſertim *num* 29. atqui etiam ille alius Chriſtus non eſſet filius adoptivus; ergo etiam ille eſſet filius naturalis: Secundò, quia eſt naturalis Dei filius quiſquis habet jus naturale ad Dei gloriam, tanquàm ad hæreditatem; atqui tale jus haberet ille alius Chriſtus æquè, ac Chriſtus nunc exiſtens; ergo. Sed contrà: nego antecedens, ad probationem diſtinguo, quidquid convenit Chriſto ut homini eſt poſitum in tempore vel quoad entitatem vel quoad communicationem, concedo; ſemper quoad entitatem, nego; omnem autem relationem poſitam in tempore eſſe ad Deum Trinum verificatur ad ſummum de relatione poſita in tempore quoad entitatem, qualis non eſt ea, quâ Chriſtus ut homo refertur ad Deum in ratione filij naturalis. 38.

Ad confirmationem, nego antecedens, ad cujus primam probationem dico filiationem naturalem eſſe ſufficientem & optimam, at non totalem & unicam rationem excludendi filiationem adoptivam; & hanc excludi etiam ex eo, quod perſona non ſit extranea; Chriſtus igitur de facto exiſtens filiationem adoptivam excludit titulo filij naturalis, & titulo perſonæ non extraneæ; ille alius Chriſtus eandē excluderet ſolùm titulo perſonæ, non extraneæ; ideò diſtinguo in majori propoſitione cauſalem, & conceſſâ minore, nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem, vel nego majorem & dico pro jure naturali ad Dei gloriam, tanquàm ad hæreditatem, ſufficere rationem perſonæ non extraneæ; & ſicuti poteſt quis eſſe ex alienâ inſtitutione hæres abſque eo, quod ſit

Chriſtus, ut homo, ſi cōſtaret naturâ humanâ, & perſonalitate Patris, nec eſſet filius Dei adoptivus, nec naturalis.

ex adoptione filius ità poteſt eſſe ex naturâ rei hæres abſque eo, quod ſit ex naturâ filius, vel datâ majore, nego minorem, & dico quod ille alius Chriſtus haberet quidem naturale jus ad Dei gloriam, at tamquam ad proprietatem, non tamquàm ad hæreditatem rigoroſe loquendo.

Dices aliter impugnando primam aſſerti partem, & probando abſolutè Chriſtum, ut hominem, non eſſe naturalem Dei filium: Chriſtus, ut homo, non eſt Deus, atqui naturalis Dei filius eſt Deus; ergo Chriſtus, ut homo, non eſt naturalis Dei filius; minor videtur ex terminis nota, quia naturalis Dei filius idem ſonat, ac Deus filius: Major probatur, homo in Chriſto eſt Deus ſolum per communicationem idiomatum; ergo non eſt Deus reduplicativè & formaliter; deinde ly *ut homo* non ſignificat Deitatem ut dictum eſt, explicando ſignificationem illius concreti *homo*, non eſt autem Deus id, quod non ſignifi-

39. Quomodo Chriſtus ut homo ſit naturalis Dei filius, quamvis ut homo non ſit Deus?

cat Deitatem. Sed contrà: concedo majorem, diſtinguo minorem, Naturalis Dei filius eſt Deus, quatenus per ly Naturalis Dei filius, intelligitur concretum ex naturali filiatione & naturâ divinâ, concedo; quatenùs per ly naturalis Dei filius intelligitur concretum ex naturali filiatione & naturâ humanâ, aliâve naturâ intellectuali creata, nego minorem, & ſub eâdem diſtinctione nego conſequentiam, certè enim in omnium ſententiâ Chriſtus, ut homo, non eſt naturalis Dei filius eâdem prorsùs ratione, qua eſt naturalis Dei filius ipſum Verbum divinum ſecundum ſe; iſtud eſt naturalis Dei filius ab æterno, & ex vi filiationis, tum in facto eſſe, tum in fieri; Chriſtus, ut homo, *ex præced. num.* 34. eſt naturalis Dei filius in tempore, & ex vi filiationis in facto eſſe, non in fieri; quid igitur mirum ſi Verbum & concretum ex naturali filiatione & natura divina ſit naturalis Dei filius & ſimul Deus, Chriſtus ut homo & concretum ex naturali filiatione & natura humana, ſit naturalis Dei filius at non Deus.

Urgebis ex mox dictis, *ex præcit. num.* 34. imò ex fere tota doctrina hujus § conſequens eſt Chriſtum, ut hominem, dici naturalem Dei filium ratione perſonalitatis Verbi, ſeu filiationis divinæ communicatæ humanitati; atqui hoc eſt ſalvare, quod Chriſtus, ut homo, ſit naturalis Dei filius ſolùm reduplicatione cadente ſupra divinum ſuppoſitum, non reduplicatione cadente ſupra humanam naturam; ergo tandem non bene ſalvamus, quod intendimus, nec loquimur in ſenſu, in quo loquendum eſſe *num.* 27. præmiſimus; probatur minor; illud convenit Chriſto ut homini reduplicatione cadente ſupra humanam naturam, quod convenit formaliter ratione humanæ naturæ, at ex hucuſque dictis non ſic convenit Chriſto, ut homini, ratio filij naturalis Dei; & quando ſic convenirer, nó debuiſſet à nobis *n.*38. negari ratio filij naturalis Dei in alio Chriſto conſtante ex humanitate & perſonalitate alia à perſonalitate Verbi, ergo. Sed contra: Quod

40. convenit cum reduplicatione non ſemper convenit, tanquam ratio formalis, nam ignis calefacit ut approximatus, bonum movet voluntatem ut cognitum, & tamen approximatiò eſt igni conditio, non ratio formalis calefaciendi; cognitio eſt bono conditio, non ratio formalis movendi voluntatem; optimè igitur poterit Chriſtus ut homo, & reduplicando humanam naturam, eſſe filius naturalis Dei abſque eo quod humana natura ſit ei ratio formalis, & cauſa habendi filiationem, aut denominationem filij, ſatis eſt, quod ſit ſubjectum talis denominationis ac filiationis capax, & quod tanquam ſubjectum ingrediatur formaliter illud concretum *filius naturalis.* Quod *num.* 37. dicebamus reduplicationem in hac quæſtione cadere ſupra humanam naturam, non ſupra divinam perſonam, non debet intelligi excluſive, quatenus à tali reduplicatione divina perſonalitas excludatur, ſed præciſivè, quatenus ſub tali reduplicatione non veniat perſonalitas ipſa, aut accepta præcisè ſecundùm ſe, aut cum divina natura; quàmvis deinde ſub eadem reduplicatione veniat, ut accepta ſimul cum natura humana; adeò ut reduplicatio humanitatis, ſi quid excludit, excludat divinam naturam, non divinam ſubſtantiam; & ly *ut homo* in propoſitione illa *Chriſtus ut homo eſt filius naturalis* idem ſonet, ac ut concretum ex natura humana tanquàm ſubjecto, & ſubſiſtentiâ ſeu perſonalitate Verbi tanquam formâ, etiam non intellecta naturâ divina. Porrò ly *ut homo* poſſe reduplicare ſupra humanam naturam tanquàm ſuprà ſubjectum habetur ex D. Thomâ *quæſt.* 24 *art.* 2. *ad* 2. ubi expreſsè docet aliquid poſſe convenire alicui homini ratione humanæ naturæ dupliciter uno modo ſic, quod humana natura ſit cauſa illius alio modo quod ſit illius ſuſceptiva.

---

§. IV.

An, & ad quid, ſeu ad quem terminum, Chriſtus, præſertim ut homo, poſſit dici prædeſtinatus?

ASſert. 1. Chriſtus, tùm ut homo, tùm etiam ſine addito, rectè poteſt dici prædeſtinatus. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 24. *artic.* 1. Magiſter *in* 3. *diſt.* 7. Scotus *ead. diſt quæſtion.* 3. & reliqui tum Thomiſtæ, tum Scotiſtæ, tum Recentiores communiter contrà Durandum *in* 3. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *numer.* 9. Paludanum *ead diſt.* 7. Centinum *diſp.* 10. *cap.* 9. alioſque nonnullos negantes aſſertam propoſitionem prolatam ſine addito. 41. Chriſtus rectè dicitur prædeſtinatus.

Probatur & explicatur: Prædeſtinatio, ut ſuo loco tradidimus, in communi & vulgati acceptione eſt alicujus ad gloriam, ſeu ſupernaturalem beatitudinem deſtinatio ipſius deſtinati exiſtentiam præcedens; in acceptione tamen propriâ, quamvis non ità vulgati & communi, eſt præcedens deſtinatio ad quodcumque bonum ſupernaturale, & ordinis gratiæ; hinc D. Thomas *præcitat. articul.* 1. ait, *Prædeſtinatio propriè accepta eſt quædam divina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei ſunt fienda in tempore*; Chriſtum igitur rectè dici prædeſtinatum eſt ipſum ab æterno, & antequam exiſteret, fuiſſe deſtinatum

atque

atque ordinatum ad aliquod bonum ſupernaturale & ordinis gratiæ, ſeu ad aliquid in tempore fiendum per Dei gratiam; atqui Chriſtus, tùm ut homo, tùm etiam ſine addito rectè dici poteſt ab æterno, & antequàm extiterit deſtinatus, atque ordinatus ad aliquod bonum, &c. ergo Chriſtus, tùm ut homo, tùm etiam ſine addito, rectè dici poteſt prædeſtinatus; major probatione non indiget, cum conſtet partim auctoritate D. Thomæ, partim doctrinâ alibi traditâ & receptâ communiter: Minor probatur,

42. Tùm ut homo.

Chriſtus, ut homo, maximè exprimit humanam naturam, ſecundùm quam ſicuti in tempore habuit excellentiſſima gratiæ dona; ita ad hæc fuit ab æterno deſtinatus; neque enim Deus aliquid facit in tempore quod non deſtinaverit ab æterno; & cum ex aliâ parte certum ſit Chriſtum ſecundùm humanam naturam ab æterno non extitiſſe, conſequens eſt ipſum, ut hominem fuiſſe ab æterno, & antequàm extiterit, deſtinatum ad aliquod, imò ad multiplex bonum ſupernaturale & ordinis gratiæ, ut magis conſtabit expediendo ſecundam tituli partem, & aſſignando ſingillatim, ad quid Chriſtus fuerit ab æterno deſtinatus ſeu prædeſtinatus. Interim probatur eadem minor propoſitio,

43. Tum etiam abſolutè & ſine addito.

quatenùs procedit de Chriſto ſine addito; Chriſtus abſolutè, & ſine addito, importat ſubſiſtens in naturâ humanâ & divinâ, atqui ſubſiſtere in natura humana & divina eſt ſupernaturale bonum & excellentiſſimum donum gratiæ, eſt quippe ipſa gratia unionis & ſubſtantialis ſanctitas Dei communicata humanitati, & ad tale ſubſiſtere fuit Chriſtus ab æterno, & antequàm extiterit, ordinatus; ergo Chriſtus etiam ſine addito rectè dici poteſt ab æterno, & antequam extiterit deſtinatus, ſeu ordinatus ad aliquod bonum ſupernaturale. Deindè ad ea, ad quæ dicitur prædeſtinatus Chriſtus, ut homo, dici quoque poteſt prædeſtinatus Chriſtus abſolutè & ſine addito, cum juxtà regulam generalem ſuprà traditam *lib. 2. cap. 1. n. 40.* concreta convenientia naturæ, vel humanæ, vel divinæ, poſſint ſine addito dici de Chriſto; ſi igitur hoc concretum *prædeſtinatus* convenit Chriſto ut homini ſeu ratione naturæ humanæ, conſequens eſt quod poſſit quoque dici de Chriſto abſolutè, & ſine addito.

Dices nemo dicitur prædeſtinatus per hoc, quod ſit ab æterno deſtinatus ad exiſtendum, alioqui eſſent de facto prædeſtinati omnes, tùm homines, tùm Angeli; atqui Chriſtum eſſe ab æterno deſtinatum ad ſubſiſtere in naturâ humanâ & divina nihil eſt aliud, quàm ipſum eſſe ab æterno deſtinatum ad exiſtendum, per tale enim ſubſiſtere conſtituitur & exiſtit Chriſtus in ſe ipſo; ergo per hoc, quod ſit ab æterno deſtinatus ad tale ſubſiſtere non rectè dicitur prædeſtinatus. Confirmatur: Nemo prædeſtinatur ad aliquid à ſe omninò indiſtinctum; atqui ſubſiſtere in naturâ humanâ & divinâ eſt quid à Chriſto omninò indiſtinctum; ergo ad tale ſubſiſtere Chriſtus non poteſt dici prædeſtinatus. Sed contrà: Ubi exiſtere eſt effectus naturalis providentiæ & donum naturæ, vera eſt major; falſa ubi exiſtere eſt effectus providentiæ ſupernaturalis & donum gratiæ, ut in Chriſto; hanc igitur diſtinctionem majori adhibeo, & conceſſa minore, nego conſequentiam; ratio facilis eſt, & deſumitur ex eo quod prædeſtinatio ad ſupernaturalem, non ad naturalem providentiam; ad gratiæ, non ad naturæ ordinem pertinet. Ad confirmationem, concedo majorem, nego minorem, & dico ſubſiſtere in naturâ humanâ & divinâ, quamvis ſit quid omninò indiſtinctum à Chriſto exiſtente actù in tempore, diſtingui tamen ab ipſo conſiderato in eſſe poſſibili, & ab æterno, & per hoc ſufficienter ſalvari, quod Chriſtus, quatenus volitus & deſtinatus ad ſuſtinendum in naturâ humanâ & divinâ, ſit prædeſtinatus ad aliquid diſtinctum. 44. Ad quànam exiſtentiam dari poſſit prædeſtinatio.

Aſſert. 2. Chriſtus prædeſtinatus eſt tanquàm ad terminum principalem & primarium, ad filiationem Dei naturalem, ſeu ad eſſe naturalem filium Dei. Ità D. Thomas, Magiſter, & Scotus, locis præcitatis in ſuperiore aſſerto, eóſque ſequuntur Suarez *diſp. 50. ſec. 2.* Vaſquez *diſp. 9. cap. 2.* Lugus *diſput. 32. ſec. 2.* Gonetus *diſp. 14 art. 1 §. 1.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 24. dub. 1.* & major pars cæterorum Scholaſticorum, ſivè Antiquorum, ſive Recentium; & quamvis non omnes exprimant in naturali Dei filiatione rationem termini principalis, & primatij, dum tamen explicando Chriſti prædeſtinationem abſolutè, & ſimpliciter, docent ipſum eſſe prædeſtinatum filium Dei, utique indicant filiationem Dei eſſe terminum, ſi non unicum, ſaltem principalem & primarium prædeſtinationis Chriſti; 45. Chriſtus eſt prædeſtinatus primariò, & principaliter, ad naturalem filiationem Dei.

adverſantur quidem in hoc aliqui Scotiſtæ opinantes Chriſtum priùs fuiſſe ordinatum ad gratiam & gloriam, quàm ad unionem hypoſtaticam; & conſequenter etiam, quam ad filiationem naturalem, at hi pauciores ſunt nec loquuntur conformiter ad doctrinam Scotiſticam de ſubſiſtentiâ ſità in negativo, ut videre eſt apud Maſtrium *diſp. 2. qu. 11. n. 332.* Præter pauciores hos Scotiſtas habemus adverſarios Durandum, & Paludanum, ſuprà relatos; item Marſilium, Gabrielem, Almainum apud Vaſquium *præcit. diſp. 91. cap. 1.* & ex magis Recentibus Lorcam *diſp. 85. nu. 3.* Gaſparem Hurtadum *diſp. 18. diffic. 1.* Arriagàm *diſp. 45. ſec. 3.* qui omnes, cum abſolutè falſam cenſeant propoſitionem illam *Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei*, vel *ut ſit filius Dei*, conſequenter cenſent filiationem Dei non eſſe terminum primarium, imò nullo modo eſſe terminum ad quem Chriſtus rectè dicatur prædeſtinatus. Nihilominus aſſertum

Probatur. Si Chriſtus prædeſtinatus eſt ad naturalem Dei filiationem, prædeſtinatus eſt ad ipſam tanquam ad terminum principalem & primarium, atqui verè eſt ad naturalem Dei filiationem prædeſtinatus, ergo. Major infertur ex eo, quod naturalis Dei filiatio eſt prior & potior omni alio gratiæ dono; eſt enim ſanctitas ſubſtantialis, & divina, per eſſentiam; cum aliud quodcumque gratiæ donum ſit ſanctitas accidentalis, & quid divinum per participationem; nec ullum aliud gratiæ donum ſpectet ad conſtitutionem ejus, qui prædeſtinatur, ſicuti naturalis filiatio ſpectat ad conſtitutionem Chriſti;

ſt igitur ad banc Chriſtus prædeſtinatur, prædeſtinatur tanquàm ad terminum principalem & primarium, tùm ratione ſuæ majoris bonitatis ac dignitatis, tùm quia, cum finis *cui* præſupponatur ad finem *cujus gratiâ*, neceſſe eſt, quoties ſub ordine prædeſtinationis cadit aliquid pertinens ad conſtitutionem finis *cui*, ejus ſcilicet qui prædeſtinatur, neceſſe eſt, inquam, id intendi priùs & principaliùs aliis ſpectantibus ad purum finem *cujus gratiâ* & hinc præſto eſt ratio, ob quam alij omnes, at non Chriſtus, prædeſtinentur, tanquàm ad terminum principalem & primarium, ad

47. gloriam: Minor quæ majorem aliquam controverſiam admittit, probatur, Criſtus verè & propriè dicitur prædeſtinatus naturalis filius Dei, ſeu ad eſſe naturalem filium Dei, ergo Chriſtus verè eſt prædeſtinatus ad naturalem Dei filiationem; conſequentia patet, antecedens probatur primò ex Apoſtolo *Ro.*1. dicente de Chriſto Ieſu *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione*, &c. & licet ut videre eſt apud Vaſquium *diſputat.*90. *cap.*1. ab aliquibus ly *prædeſtinatus* pro eodem ſumatur ac declaratus ab aliquibus referatur ad totum quod ſequitur, non præciſè aut principaliter ad filium; nec deſint plures aliæ, prædictorum verborum interpretationes ab intento noſtro diſparatæ; nihilominus cum ſenſus magis obvius, & à pluribus receptus, ſit (ut verba ſonant) quod Chriſtus verè fuerit prædeſtinatus naturalis filius Dei; conſequens eſt ex Apoſtoli auctoritate, quamvis non omninò evincatur, multùm certè corroborari propoſitionem mox poſitam pro antecedente, quod inſuper probatur ſecundò ex eo, quod Chriſtus rectè dicitur ab æterno prædeſtinatus ad id, quod ei ex gratiâ in tempore convenit, juxtà prædeſtinationis explicationem præmiſſam *numero* 41. atqui *ex præcedent.* §. Chriſto in tempore convenit eſſe naturalem Filium Dei, idque ex gratiâ, cum naturalis Filiatio Dei maximè ſpectet ad ordinem ſupernaturalem & gratioſum, ergo Chriſtus rectè dicitur prædeſtinatus &c.

Rectè etiam dicitur prædeſtinatus naturalis filius Dei.

Dices: Terminus prædeſtinationis debet non includi in prædeſtinationis ſubjecto; atqui naturalis Dei filiatio in Chriſto includitur; ergo naturalis Dei filiatio nequit eſſe terminus prædeſtinationis, cujus Chriſtus ſit ſubjectum, ſeu, quod idem eſt, nequit Chriſtus rectè dici prædeſtinatus ad naturalem Dei filiationem; minor patet quia conſtituens includitur in conſtituto, Chriſtus autem etiamſi ſumatur, ut homo, conſtituitur ex perſonalitate Verbi, quæ eſt ipſa naturalis Dei filiatio. Minor probatur, terminus prædeſtinationis debet ſubjecto convenire ex gratiá, debet igitur ſubjectum præſupponere; debet eſſe aliquid, ad quod ſubjectum referatur, debet igitur à ſubjecto diſtingui; at quod in alio includitur nequit, aut illud præſupponere, aut ab illo diſtingui; ergo terminus prædeſtinationis debet non includi, &c. Sed contra

48. huic inſtantiæ æſtimatio & pretium accedit ex diverſitate ipsâ ac multiplicitate reſponſionum, quarum præcipuas recenſet, & ad ſex reducit Gonetus *præcitat. artic.*1. §. 2. hiſque omnibus prætermiſſis ſeptimam ipſe affert & ſuſtinet, diſtinguens enim tùm ex parte ſubjecti ſubjectum *quod* & ſubjectum *quo*, tùm ex parte termini terminum *qui* & terminum *quo*, ait ſubjectum *quod* prædeſtinationis in Chriſto eſſe concretum *Homo*, ſubjectum *quo* eſſe humanitatem; terminum *qui* eſſe concretum *filius Dei*, terminum quo eſſe *filiationem divinam*: addit inſuper ſubjectum *quod*, & terminum *qui* prædeſtinationis in Chriſto, quamvis non diſtinguantur realiter, cum in ipſo Homo & filius Dei ſint realiter eadem perſona; diſtingui tamē virtualiter & ratione, quia Chriſtus, ut eſt homo conſtituitur ex ſubſiſtentiâ Verbi ut exercente munus perſonalitatis humanæ, Chriſtus ut eſt filius Dei conſtituitur ex ſubſiſtentiâ Verbi ut exercente munus filiationis divinæ; hinc ad inſtantiam diſtinguit majorem, Terminus prædeſtinationis *quo* debet non includi in prædeſtinationis ſubjecto *quo* concedit in prædeſtinationis ſubjecto *quod*, ſubdiſtinguit incluſione formali, concedit; incluſione reali, negat eâdem diſtinctione utitur ad minorem & negat conſequentiam. Hæc reſponſio, quam Gonetus ſe ab Epiſcopo Oxomenſi mutuaſſe profitetur, multum continet acuminis: Nihilominus diſtinctio formalis, præſertim ſolùm extrinſeca qualis eſt inter Verbi ſubſiſtentiam ut exercentem munus perſonalitatis, & eandem ut exercentem munus filiationis divinæ, ægrè ſalvat, quomodò prædeſtinatio, quæ eſt deſtinatio realis, poſſit ut ità dicam mediare inter ſubſiſtentiam primo modo, & ſubſiſtentiam ſecundo modo acceptam; & Chriſtum jam includentem Verbi ſubſiſtentiam primo modo ordinare realiter ad eandem ſubſiſtentiam ſecundo modo, præſertim ut habendam ex gratiâ. Ideò magis placet reſponſio jam inſinuata *præcedent. num.*44. quam tradunt Medina, Gabriel à S. Vincentio, & aliqui alij, ſicque,

Ad inſtantiam dico, dum Chriſtus prædeſtinatur ad naturalem Dei filiationem, ſubjectum prædeſtinationis eſſe Chriſtum poſſibilem, terminum eſſe filiationem actualem; Chriſtus autem poſſibilis utique præſupponitur ad filiationem Dei actualem, & ad hanc poteſt realiter referri; conceſsâ igitur majore diſtinguo minorem, naturalis Dei filiatio in Chriſto actualiter exiſtente includitur, concedo; in Chriſto poſſibili includitur, nego minorem; & ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam. Neque dicas Chriſtum merè poſſibilem non poſſe eſſe ſubjectum prædeſtinationis, ſubjectum quippè prædeſtinationis eſt id, cui aliquid à Deo ex gratiâ deſtinatur, & per conſequens cui Deus bonum vult, quod Deus amat; nullatenus autem Deus amat merè poſſibilia. Contrà enim, in noſtris principiis falſum eſt, quod merè poſſibilia nullatenus Deus amet, amat illa amore inefficaci & ſimplicis complacentiæ; verùm quia amor ſpectans ad ordinē prædeſtinationis debet eſſe efficax, dico aliter poſſibilia poſſe amari à Deo efficaciter amore, quo trāsferantur ad eſſe futurum, atq; adeò nō eſſe neceſſe ſē præſupponi inſtaru fruitionis, ut efficaciter 49.

ametur

amerur; conſtat hoc in amore, ſeu decreto efficaci, quo Deus vult creaturis poſſibilibus exiſtentiam, futuritionemvè ipſam: Poteſt igitur Deus efficaciter amare Chriſtum poſſibilem ei efficaciter volendo Dei filiationem, quia hoc ipſo vult Chriſto poſſibili exiſtentiam, nam per ipſam naturalem Dei filiationem Chriſtus partialiter exiſtit. Neque urgeas exiſtentiam non ſpectare ad ordinem prædeſtinationis. Contrà enim, jam dictum eſt verum id eſſe dumtaxat de exiſtentia, quæ eſt donum naturæ; non de ea, quæ eſt donum gratiæ qualis eſt exiſtentia divinæ filiationis, per quam exiſtit partialiter Chriſtus, ut homo.

50. Chriſtus eſt prædeſtinatus ſecundariò, & minus principaliter, ad gratiam habitualem, & gloriam tum animæ tum corporis.

Aſſert. 5. Chriſtus (præſertim cum addito ut homo) rectè dicitur prædeſtinatus, tanquam ad terminum minùs principalem & ſecundarium, ad gratiam habitualem, ad gloriam animæ, ad beatitudinem corporis, & ad alia ſupernaturalia dona conſecuta gratiam unionis. Ita Scholaſtici magis communiter, quamvis ex una parte aliqui Thomiſtæ velint prædeſtinationem in Chriſto terminari unicè ad naturalem Dei filiationem; ex alia parte aliqui ex Auctoribus relatis pro ſententia negante Chriſtum eſſe ad Dei filiationem prædeſtinatum, aſſignent in eodem gratiam habitualem, & gloriam, pro termino prædeſtinationis primario; aliqui alij nolint prorsùs Chriſtum eſſe prædeſtinatum ad gratiam, & gloriam, niſi cum addito, *ut homo*; à quibus poſtremis vix diſſentimus; fatemur enim tale additum opportunè apponi, & quando non apponitur explicitè, volumus ſemper implicite intelligi, eo quòd Chriſtus ex vi prædicati terminetur ad ſupponendum pro homine, quoties de eo dicitur, quòd ſit prædeſtinatus, ſive ad gratiam, ſive ad gloriam, ſive etiam ad Dei filiationem.

51. Probatur & explicatur: Gratia habitualis, gloria ſivè animæ, ſive corporis, & alia hujuſmodi ſupernaturalia dona poſſunt ex genere ſuo eſſe terminus prædeſtinationis, cum de facto ſint terminus prædeſtinationis in nobis; cum igitur talia dona verè reperiantur in Chriſto, & unio hypoſtatica ſeu filiatio naturalis impediat quidem, ne ea ſint terminus prædeſtinationis primarius, at non, ne ſint terminus ſecundarius, ſentiendum eſt ea verè eſſe in Chriſto terminum prædeſtinationis ſecundarium; ergo Chriſtus (præſertim cum addito ut homo) rectè dicitur prædeſtinatus, tanquam ad terminum minùs principalem, & ſecundarium &c.

Dices prædeſtinationem eſſe ſolum ad id, quod præcipuum, perfectiſſimum, & ultimum eſt, nec admittere terminum ſecundarium; unio igitur hypoſtatica, & naturalis Dei filiatio in Chriſto, eo ipſo quod impedit, ne gratia & gloria ſint terminus primarius, impedit ne ſint terminus ullo modo. Sed contrà: Gratis, & cum ſola quæſtione de nomine, ſupponitur prædeſtinationem dici tantum relatè ad id, quod eſt perfectiſſimum, præcipuum, & ultimum; & quamvis prædeſtinatio, utpotè quæ eſt præparatio mediorum debeat attingere aliquid habens rationem finis, non

52. Prædeſtinatio poteſt eſſe etiam ad id, quod non eſt præcipuum, & ultimum.

eſt de ratione finis, quod ſit quid perfectiſſimum & ultimum in omni linea; ſatis eſt, quod ſit tale in linea aliqua, ſicut gloria animæ in Chriſto eſt non obſtante unione hypoſtatica quid præcipuum, & ultimum, in linea perfectionis accidentalis.

Urgebis: quidquid ſit de hac quæſtione nominali, certè terminus prædeſtinationis, etiamſi ſupponatur eſſe ſecundarius, debet prædeſtinato convenire, tanquam beneficium, & ex gratia; atqui unio hypoſtatica, ac naturalis filiatio, impedit ne ullum aliud donum, conveniat Chriſto, tanquam beneficium & ex gratia; ergo impedit omnem alium prædeſtinationis terminum, etiam ſecundarium; Minor probatur ex eo, quia ratione unionis hypoſtaticæ & filiationis naturalis Chriſtus habet connaturale jus ad gratiam habitualem, ad gloriam, & ad quæcumque alia dona ac bona ſupernaturalia; non convenit autem, tanquam beneficium & ex gratia, quod debetur ex connaturali jure. Sed con- 53.
tra: in primis dici poteſt id, quod debetur ex connaturali jure & in naturali ordine; non convenire ut beneficium quantum requiritur ad prædeſtinationem; ſecus de eo, quod debetur ex connaturali jure at in ſupernaturali ordine, ut in propoſito; ubi inſuper debitum non eſt ortum ex conjunctione phyſicâ, ſed ex conjunctione morali; cætera quippe dona non phyſicè fluunt ex gratia unionis, ſed ad hujus moralem exigentiam conferuntur à Deo ſpeciali diſtincta actione. Deindè meliùs & clarius dico Chriſtum ut Deum, non ut hominem, habere connaturale jus ad gratiam, gloriam, aliaque dona; ideò hæc ei ut homini omninò convenire tanquam beneficia & ex gratia, undè conſultò in aſſerto poſuimus particulas illas (præſertim ut homo) & addidimus eas debere ſubintelligi quoties explicitè non apponantur: Neque dicas etiam Chriſto, ut homini, ſuppoſita unione debentur prædicta dona, cum ſuppoſita forma debeantur proprietates, ſuppoſito principali debeatur acceſſorium. Contra, enim acceſſo- 54.
rium ſequitur naturam principalis, proprietas ſequitur naturam formæ; ubi igitur quod principale eſt & tanquam forma eſt beneficium & gratia, ſicuti eſt unio hypoſtatica reſpectu Chriſti ut hominis, conſequens eſt eandem ſortiri conditionem, & habere pariter rationem beneficij, id quod acceſſorium eſt & tanquam proprietas; in forma, diſtinguo antecedens, etiam Chriſto ut homini ſuppoſita unione debentur prædicta dona jure rigoroſo & fundato in debito naturæ, nego, jure gratioſo & fundato in beneficio gratiæ, ſeu quod idem eſt, debentur tanquam gratia pro gratia, ſicut debetur gloria juſto, concedo; at hoc non officit rationi beneficij, nec extrahit ab ordine gratiæ; ideò &c.

Dubitatur hic primò: Utrum ſicut dicitur prædeſtinatus Chriſtus ut homo, ita dici poſſit prædeſtinata Chriſti humanitas? D. Thomas *quæſt. vigeſimaquarta, articul. primo, ad ſecundum* & D. Bonaventura *in* 3. *diſtinct. ſeptima, articul. ſecundo, quæſtio. tertia, ad* 2.

videntur abſolutè negare, quòd humanitati, ſeu naturæ in abſtracto, conveniat prædeſtinari; imò Medina *eod. articul. primo*, acriter excipit tribuentes humanitati prædeſtinationem. E contra Vaſquez *diſputat. nonageſima, capit. quarto*. & Arriaga *diſput. quadrageſimaquinta, ſec. tertia, numero trigeſimo*, abſolutè affirmant Chriſti humanitatem rectè dici prædeſtinatam, tùm ad unionem hypoſtaticam, tum ad alia gratiæ dona. Mediant Suarez *diſput. quinquageſima, ſec. quarta* Lugus *diſputat. trigeſimatertia, ſec. tertia, numero trigeſimo* Gabriel à S. Vincentio *diſput. vigeſimaquarta, dub. 2.* cæterique Scholaſtici magis communiter & cenſent humanitati in Chriſti propriè & in toto rigore dici prædeſtinatam ad unionem hypoſtaticam, aut etiam ad gratiam habitualem, ſolum verò impropriè ad beatitudinem; & nullatenùs ad eſſe filium

55. Quid ſentiendum de prædeſtinatione humanitatis Chriſti.

Dei; cum his Auctoribus ſentio, & dico humanitatem ad aliquem terminum rectè dici prædeſtinatam; at non propriè ad id omne, ad quod propriè dicitur prædeſtinatus Chriſtus: Prima pars deducitur ex verbis Auguſtini *lib. de Prædeſtinat. Sanctor. capite decimoquinto*, dicentis *Prædeſtinata iſta humana natura tanta ſubjectiò, ut quo attolleretur altiùs non haberet*; & ſuadetur validè ex eo, quòd unio hypoſtatica, ut oſtendimus ſuo loco, facta eſt non inter perſonam & perſonam, ſed inter naturam humanam & perſonam divinam; convenit igitur naturæ humanæ ſeu humanitati, & ex alia parte eſt gratia maxima ac beneficium diviniſſimum, humanitas igitur Chriſti, quæ talem unionem in tempore habuit, non eſt cur non rectè dicatur ad eam ab æterno prædeſtinata? Nec contrarius eſt S. Doctor in *præcitat. reſp. ad ſecundum*, quia ibi loquitur ſolùm de prædeſtinatione ad eſſe filium Dei, aut ad beatitudinem, ut conſtat ex textu, & ex eo, quod, ſi omninò univerſaliter loqueretur, eſſet contrarius ſibi ipſi *in 3. diſtinct. decima, quæſt. tertia, quæſtiunc. prima*, ubi expreſse tradit rationem a nobis mox poſitam, ait enim *Cum prædeſtinatio Chriſti ordinetur ad gratiam unionis in perſona, poteſt dici quod natura eſt prædeſtinata.*

56. Secunda pars probatur ex eo, quod Chriſtus rectè dicitur prædeſtinatus non ſolùm ad unionem hypoſtaticam, ſed inſuper ad eſſe naturalem filium Dei, & ad beatam viſionem tanquàm ad gloriam animæ; ad neutrum autem ex his poteſt propriè dici prædeſtinata Chriſti humanitas: Non ad eſſe naturalem filium Dei, quia eſſe filium *ex præcedent. numero decimonono, & vigeſimo*, convenire ſolùm poteſt perſonæ non naturæ; humanitas igitur ſicuti nunquam poteſt propriè denominari Dei filia, ita nunquam poteſt intelligi, aut dici, ad id propriè prædeſtinata, cum prædeſtinatio ſit deſtinatio facta ab æterno ad id, quod alicui convenit in tempore. Neque dicas, de facto naturalis Dei filiatio eſt humanitati Chriſti unita, verè igitur humanitati in tempore convenit: Contrà enim, eſt humanitati unita conſtituendo perſonam & huic applicando denominationem filii, non verò eſt humanitati unita relinquendo ipſam in præciſa ratione naturæ, & eam ſic reſpectam denominando filium ſeu filiam; ideò &c. Non poteſt humanitas propriè dici prædeſtinata ad beatam viſionem, quia hæc eſt operatio, operationes autem propriè & ſimpliciter tribuuntur ſuppoſitis non naturis; ad illas igitur propriè & ſimpliciter ſola ſuppoſita prædeſtinantur, non naturæ, loquendo de lege ordinaria; nam de lege abſoluta, ſicuti poſſunt per nos naturæ operari ſeorſim a ſuppoſitis, facilè admiſerim poſſe etiam ſic ſeorſim ſumptas propriè prædeſtinari ad operandum: eſt inſuper alius

57. modus, quo Chriſtus rectè dicitur prædeſtinatus, non ejus humanitas; nimirum loquendo abſolutè nulloque expreſſo termino; hac quippe ratione prædeſtinatio reflectit, ut ita dicam, ſuprà ſubjectum denominando ipſum prædeſtinatum ad proprium eſſe, ſeu ad tranſeundum à poſſibilitate ad actualitatem; hac autem ratione rectè dicitur prædeſtinatus Chriſtus, cujus eſſe involuit aliquid ſupernaturale & ſpectans ad ordinem gratiæ; non ſic rectè diceretur prædeſtinata humanitas, cujus ſecundùm ſe acceptæ eſſe eſt purè naturale & totum intra ordinem naturæ, unde non ſicut *ex præcedent. primo, aſſert.* vera eſt hæc propoſitio abſolutè prolata *Chriſtus eſt prædeſtinatus*, vera pariter eſſet hæc alia, *Chriſti humanitas eſt prædeſtinata.*

Dubitatur ſecundò: Utrùm, ſicut in Chriſto homo dicitur prædeſtinatus ad eſſe naturalem filium Dei, ita naturalis filius Dei dici poſſit prædeſtinatus ad eſſe hominem? Affirmant hoc ſecundum abſolutè multi etiam ex iis, qui primum negant, ut Paludanus, Marſilius, & alii relati à Vaſquio *diſputatio. nonageſimaſecunda, capite tertio*, Neutrum propriè dici docent Durandus *in 3. diſtinction. ſeptima, quæſtio. tertia, numero octavo*, Arriaga *diſputatio. quadrageſimaquinta ſec. tertia, numero vigeſimoſexto, & vigeſimooctavo*, ex affirmantibus primum affirmant etiam abſolutè ſecundum Suarez *diſputatio. quinquageſima, ſec. prima, paragrapho Dico quartò.* Gabriel à S. Vincentio *diſputatio. vigeſimaquarta, numero vigeſimoquarto*, & favet Divus Thomas *quæſtio. vigeſimaquarta, articul. ſecundo, ad tertium*, loquuntur cum magna ampliatione Vaſquez *præcitat. capite tertio*, & Lugus *diſputatio. trigeſimaſecunda, ſec. tertia, numero trigeſimotertio*, nam affirmant quidem naturalem filium Dei rectè dici prædeſtinatum ad eſſe hominem, at per ly *prædeſtinatum* in-

58. Quid ſentiendum de prædeſtinatione filii Dei ad eſſe hominem.

telligunt aliquid ad aliud præordinatum, abſtrahendo ab eo, quòd hoc illi conveniat ex gratia, vel non. In hac ſentiendi, aut potiùs loquendi, varietate, quæ ferè tota reſolvitur in varium modum explicandi, quid propriè ſignificet prædeſtinari, & eſſe prædeſtinatum: In hac, inquam, varietate mihi dubitationis ſolvendæ fundamenta jaciant verba Divi Thomæ *in præcitat. reſp. ad tertium*, ita habentis *dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de prædeſtinat. Sanctor. Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis, ut filius Dei & homi-*

nis

nis ſimul, & filius hominis propter ſuſceptum hominem, & filius Dei propter ſuſcipientem Vnigenitum Deum, veraciter & propriè diceretur. Et ideò quia illa ſuſceptio ſub prædeſtinatione cadit, tanquam gratuita utrumque poteſt dici, ſcilicet quod & filius Dei prædeſtinatus ſit eſſe homo, & filius hominis prædeſtinatus ſit eſſe filius Dei: Quia tamen gratia non eſt facta filio Dei, ut eſſet homo; ſed potiùs humana natura, ut filio Dei uniretur, magis propriè poteſt dici, quod Chriſtus ſecundum quod homo eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei, quam quòd Chriſtus ſecundùm quod filius Dei ſit prædeſtinatus eſſe homo. Ex his

59. verbis duo eruo pro dubij ſolutione: Primum eſt in Chriſto filium Dei non poſſe dici prædeſtinatum ad eſſe hominem tanta proprietate, quanta homo dicitur prædeſtinatus ad eſſe filium Dei: Secundum eſt filium Dei ad eſſe hominem dici prædeſtinatum majori proprietate, aut improprietate minori, quàm dicatur prædeſtinatus quiſquis eſt præordinatus ad aliud; ex quibus duobus infero filium Dei dici prædeſtinatum quaſi medio quodammodo inter prædeſtinationem ſtrictiorem & latiorem; qui medius modus, utrum ſufficiat ad denominandum prædeſtinatum propriè, ſimpliciter, & abſolutè? poteſt relinqui ſub Judice; & cenſeri quæſtio de nomine. Probatur primum, quod eſt præcipue contra Auctores ex Vaſquio præmemoratos, item contra Durandum *præcit. n.8.* dicentem magis eſſe impropriam hanc propoſitionem, Homo prædeſtinatus eſt

60. eſſe filius Dei, quam iſtam, filius Dei prædeſtinatus eſt eſſe homo: probatur, inquam, primum ex eo, quia ad proprietatem prædeſtinationis pertinet, quod terminus ſubjecto conveniat ex gratia, majori autem proprietate homini convenit ex gratia eſſe filium Dei, quàm filio Dei eſſe hominem; nam quod homo ſit filius Dei verè importat gratiam factam homini in ſe ipſo, quod filius Dei ſit homo, aut filius hominis, importat aut nullam in rigore gratiam, aut factam non Deo in ſe, ſed in alio; ideſt in termino, quem Deus ſuſcipit, & ſibi unit: Nec refert, quod iſte terminus ad Deum pertineat; enimverò non pertinet ad ipſum ab intrinſeco & ex natura rei, & hoc ipſum quod eſt humanitatem à Deo ſuſceptam ad Deum pertinere eſt gratia facta humanitati. Nec refert inſuper, quod eſſe hominem ſit aliquid filio Dei conveniens, ac per conſequens aliqua ejus perfectio, & ex alia parte filio Dei non debeatur ex naturali exigentia: Non refert, inquam, quia ad gratiam de qua in præſenti non ſufficit, quòd non debeatur ex naturali exigentia, niſi ſimul ſit ſuprà talem exigentiam, & omnem naturalem virtutem ejus, cui ſit; prætereà debet ei convenire afferendo, non præciſè manifeſtando, aut recipiendo perfectionem, ſicut filio Dei convenit eſſe hominem, ut latè explicatum eſt in limine hujus tractatus *capite ſecundo*, Probatur ſecun-

61. dum, quod eſt contrà Vaſquium & Lugum; probatur, inquam, ſecundum ex eo quia ad proprietatem prædeſtinationis pertinet contineri ſub providentia ſupernaturali & gratuita; præordinari igitur ad aliquid, quod ſit ſupernaturale & gratuitum (etiamſi tale non ſit relate ad ſubjectum, quod præordinatur) magis habet de proprietate, aut minùs de improprietate prædeſtinationis, quàm præordinari ad aliud quodcumque etiam ordinis purè naturalis, & nullatenùs beneficì; atqui filius Dei, dum præordinatur ad eſſe hominem præordinatur ad aliquid ſupernaturale, & gratuitum, quamvis non tale relatè ad ſe ipſum; ergo.

Dices impugnando primum membrum noſtræ reſponſionis: Ex *præcedent. libro ſecundo, capite primo, paragrapho quarto*, Hæc propoſitio, Deus factus eſt homo, eſt vera ſimpliciter & in ſenſu magis proprio, quam iſta, Homo factus eſt Deus; ergo idem ſentiendum de hac. Deus ſeu filius Dei prædeſtinatus eſt ad eſſe hominem, relatè ad iſtam, Homo prædeſtinatus eſt ad eſſe filium Dei; ergo illud dici poteſt tanta, imò majore, proprietate, quàm iſtud; conſequentia probatur, quia quæ fiunt fuerunt à Deo prædeſtinata, & quæ fuerunt à Deo prædeſtinata fiunt. Sed contrà: Concedo 62.
antecedens, nego conſequentiam; ad cujus probationem dico non omnia, quæ fiunt, fuiſſe à Deo prædeſtinata; ſed ea ſolùm, quæ fiunt ex gratia; Deus autem, ſeu filius Dei, eſt factus homo, at non propriè ex gratia; ut explicatum eſt; ideò non dicitur prædeſtinatus ut fieret aut eſſet homo proprietate omnimoda & tanta, quanta dicitur factus homo. Non item omnia, quæ fuerunt à Deo prædeſtinata fiunt propriè, & rigoroſè, ſatis eſt quod aliquando ſint, ſeu quòd prædeſtinatus aliquando ſit id, ad quod eſſendum eſt prædeſtinatus; ſive deindè ſit id, quia fiat id, ſive aliter; cùm igitur homo in Chriſto verè in tempore ſit ex gratia filius Dei propriè dicitur prædeſtinatus ad eſſe filium Dei, quamvis deinde dum incipit eſſe filius Dei, non dicatur propriè factus filius Dei, eo quòd non priùs habuerit eſſe, quàm eſſe filij Dei juxta ea, quæ dicebamus *præcitat. paragrapho quarto*, & ex ibi dictis poteſt etiam aliqualiter confirmari intentum noſtrum, quatenus univerſim ſicuti ex illis duabus propoſitionibus Deus factus eſt homo. Homo factus eſt Deus, una non eſt converſa alterius, & poteſt eſſe vera in majori proprietate, ita quoad hoc præciſe idem ſentiendum ſit de his duabus, filius Dei prædeſtinatus eſt homo, ſeu ad eſſe hominem, Homo prædeſtinatus eſt filius Dei, ſeu ad eſſe filium Dei.

§. V.

§. V.

Quanam adoratio debeatur Chriſto ut homini, ſeu humanitati, ut conjuncta Verbo? Ubi præaſſeritur; Quid & Quotuplex ſit Adoratio?

63. Adorationis definitio ex SS.PP.

ASSERT. 1. Adoratio bene definitur ex Damaſceno *orat. prima de Imaginibus*, Submiſſionis & humiliationis nota: & *orat. tertia*, Animi colentis, ſubmiſſi, atque humilis ſignificatio: Vel breviùs ex Anaſtaſio Epiſcopo Theopoleos in VII. Synod. *act. quarta*, Honoris emphaſis, id eſt excellentia ac ſignificantia, ut ita dicam, major quam exprimatur.

Probatur & explicatur advertendo hæc verba *Honorare*, *laudare*, *glorificare*, *colere*, *revereri*, *venerari* aliaque hujuſmodi habere ſignificationes valdè ſimiles, tum inter ſe, tum cum verbo *adorare*, & quidquid ſit de eo, in quo illa ſingula, vel ſaltem illorum aliqua, ab invicem diſtinguantur & differant, quod expendunt Suarez *diſput. 51. ſec. prima*, & Arriaga *diſputatio. quinquageſima, ſec. prima*, quidquid, inquam, de eo ſit, videtur certe ab illis ſingulis, & omnibus diverſum *adorare* in eo, quòd juxta communem Scholaſticorum ſenſum ex parte objecti, ſeu termini requirat ſuperioritatem, magnamque excellentiam, ex parte ſubjecti inferioritatem ac ſubmiſſionem, quâ illa ſuperioritas & excellentia recognoſcatur, adeò ut *Honoratio*, *laudatio*, *glorificatio*, *cultus* &c. ad adorationem ſe habeant, tanquam genus ad ſpeciem, & quidem nobiliorem ac perfectiorem. Hinc habes, cur, & quàm benè apponatur in definitione Anaſtaſij ly *emphaſis*, & in definitionibus Damaſceni ly *ſubmiſſionis & humiliationis*, item ly *Animi Submiſſi atque humilis*, ponuntur ſcilicet loco differentiæ ad contradiſtinguendam adorationem ab honoratione, laudatione glorificatione, cultu & ſimilibus genericè ſumptis, qua ratione omnia latiùs patent, quàm adoratio; ut quoad honorem in particulari egregiè inſinuavit Auguſtinus *libro contra ſermon. Arrian.*

Adorationis definitio ſcholaſtica.

capite vigeſimotertio, verbis illis *Honorat omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat.* Habes inſuper poſſe magis clarè, magiſque ſcholaſticè, adorationem definiri ſi dicatur, Actus, quo quis alteri ſe ſubmittit in recognitionem ejus ſuperioritatis, & excellentiæ.

Adorationis diviſio triplex.

Aſſert. 2. Adoratio benè dividitur ex parte ſubjecti, ſeu ex parte actus, in internam & externam: ex parte objecti in latriam, Duliam, Hyperduliam; item in abſolutam, & reſpectivam.

64. Prima in internam & externam.

Explicatur prima diviſio. Adoratio interna eſt, quæ tota conſummatur interiùs, & in ſolis internis actibus conſiſtit; adeò ut non ſolùm interni ſint actus ad formalem adorationem prævij, puta ex parte intellectus exiſtimatio, quam quis concipit de aliena excellentia, & ex parte voluntatis determinatio, qua quis vult alteri ſe ſubmittere; verùm etiam actus internus ſit, tum ipſa formalis ſubmiſſio, tum recognitio, proteſtatio ſeu nota propriæ ſubmiſſionis & alienæ excellentiæ, ob quam quis ſe ſubmittat. Adoratio externa eſt non ea quidem, quæ in ſolis externis actibus conſiſtit; hi enim, niſi ex ſubmiſſione interna proficiſcantur, erunt adoratio mutila, imò falſa, ficta, & irriſoria, quia erunt falſa ſubmiſſionis ſigna; & fictæ ſignificationes animi ſubmiſſi; & licèt Lugus *diſputatio. vigeſimatertia, ſec. ſecunda, numero decimoquarto*, velit hoc ſufficere ad rigoroſam adorationem, nihilominus mihi videtur abuti, & contrà communem ſenſum æquivocè uti adorationis nomine: eſt igitur adoratio externa ea, quæ exteriùs conſummatur in aliquo effectu ſeu opere ſenſibili ſignificativo ſubmiſſionis, quam quis habet interiùs. Hanc per opus externum ſenſibile conſummationem Vaſquez *diſputat. 93.* exigit eſſentialiter in adoratione ex genere ſuo, adeò ut hæc nullatenùs eſſe poſſit inſenſibilis & purè interna, proptereàque in Angelis, & animabus ſeparatis, non agnoſcit adorationem, niſi impropriam & latiùs dictam: 65.

Verùm in hoc contra Vaſquium, & tum aliquos antiquiores apud ipſum, tum ex Recentioribus Iſambertum *ad quæſt. vigeſimamquintam, diſputat. tertia, artic. quarto*, ſentiunt Suarez *diſputatio. quinquageſimaprima ſec. ſecunda*, Lugus *diſputat. trigeſimatertia, numero decimonono*, Arriaga *diſputatio. quinquageſima, ſec. quarta*, Madernus *quæſtio. nona, articul. primo, numero quarto*, Gabriel à S. Vincentio *diſputat. vigeſimaquinta, dub. primo, paragrapho quinto*, & cæteri Scholaſtici communiter, qui fatentur quidem in adoratione præter internum affectum, quo quis alteri ſe ſubmittit, requiri effectum ſeu actum alium illius affectus notificativum, at rectè docent poſſe hoc convenire alicui ſigno ſpirituali, aut actui alij interno; & cum locutio, quæ etiam ipſa debet eſſe notificativa affectuum ſeu conceptuum internorum, poſſit ab Angelis exerceri modo purè ſpirituali & interno, ut ſuo loco expoſitum eſt; facilè poteſt idem proportionaliter ſuſtineri in adoratione.

66. Secunda in latriam Duliam, Hyperduliam.

Explicatur ſecunda diviſio. Latria eſt adoratio omnium maxima reſpiciens ſummam, increatamque excellentiam Dei. Dulia eſt adoratio minor, omnibus ſanctis communis, reſpiciens excellentiam creatam, ſupernaturalem tamen, ac ſitam in donis gratiæ & gloriæ. Hyperdulia inter latriam & Duliam mediat. Huic addit ſingularitatem, reſpicit excellentiam creatam ſupernaturalem, ſingularem tamen ſitam in privilegiatis gratiæ donis, repertamque in ſola Beata Virgine & Chriſti humanitate modo infrà tradendo. Hæc eſt receptiſſima & vulgatiſſima explicatio latriæ, duliæ, hyperduliæ, deſumpta tamen ex accommodatione Patrum & Scholaſtico-

rum

rum potius, quam ex primæva inſtitutione vocum; ex hac quippè latria, & dulia, græcè idem ſignificant, quod latinè ſervitus, ut obſervat Vaſquez *præcitat. diſputatio.* 93. *cap.* 1. *numero* 5. ubi etiam profert alia græca vocabula ex prima ſui impoſitione magis accommodata ad ſignificandum religioſum Dei cultum, ſicut & anteà obſervaverat deeſſe, tum Hebræis, tum Latinis, nomina talem cultum propriè ſignificantia: Sed quidquid de his ſit, jure nos ſequimur uſum, qui invaluit ex Scholaſticorum & Patrum auctoritate; nec intereſt quòd ex inſtitutione, vel ex accommodatione invaluerſe, item quod circa latina, aut ex græco mutuata vocabula verſetur.

67. Tertia in abſolutam, & reſpectivam. Explicatur tertia diviſio. Adoratio abſoluta eſt, qua res aliqua adoratur ob excellentiam propriam & ſibi intrinſecam. Adoratio reſpectiva, qua res adoratur ob excellentiam ſibi extrinſecam & exiſtentem in alio, ad quam tamen talis res dicit habitudinem & reſpectum ſpecialem. Poſſent hic addi diviſiones adorationis in adorationem per ſe, & adorationem per accidens: item in adorationem Sacram ſeu religioſam, & adorationem civilem ſeu politicam; Verùm prima diviſio ferè coincidit cum diviſione mox explicata; Secunda quoad primum ſui membrum reducitur ad latriam, duliam, vel hyperduliam, quoad membrum alterum non pertinet ad Theologicum inſtitutum, & verſatur circa excellentiam naturalem repertam præcipuè in Principibus & Superioribus, ſive ſæcularibus, ſive Eccleſiaſticis. His igitur curſim delibatis quoad quid, & quotuplex ſit adoratio? procedamus ad præcipuam tituli partem, ſcilicet ad aſſignandam adorationem Chriſto, ut homini debitam; Chriſto, inquam, ut homini, nam Chriſto ut Deo deberi adorationem latriæ non majorem habet controverſiam, quam quod debeatur latria Deo, quod extra controverſiam eſt; ſicuti conſequenter ſuppoſita communicatione idiomatum & unitate perſonæ eſt extrà controverſiam; quod Chriſtus homo, ſeu hic homo demonſtrato Chriſto, ſit latria adorandus per communicationem idiomatum; cum enim per hanc Chriſtus homo, ſeu hic homo ſit Deus, neceſſe eſt quod adorandus ſit eadem adoratione, qua Deus, adeóque latria: Abſtra-

68. Senſus difficultatis circa adorationem debitam Chriſto, ut homini. hendo autem à communicatione idiomatum, & loquendo de Chriſto ut homine, ly *ut* reduplicare poteſt humanitatem, vel tanquam cauſam rationemvè formalem adorationis, & objectum motivum; vel tanquam materiam adorandam, rationemvè adorationis materialem, & objectum terminativum; & in hoc rursùs diſtingui poteſt ratio primarij, & ſecundarij; primo modo, in quo ly *ut* reddit ſenſum in toto rigore reduplicativum, facilè conſtat Chriſto ut homini latriam non deberi; ſecundus modus, quo ly *ut* reddit ſenſum minùs propriè reduplicativum, & dictum ab aliquibus ſpecificativum, eſt is, in quo quæritur, quænam adoratio debeatur Chriſto ut homini, utrum latria ſimpliciter, abſolutè, & per ſe talis, an adoratio aliqua inferior? His poſitis ſit

Aſſert. 2. Chriſto ut homini, ſeu humanitati ut conjunctæ Verbo, debetur tanquam materiæ adorandæ ſeu objecto terminativo, & quidem ſecundario, latria perfectè, abſolutè, & per ſe talis. Talis adoratio eſt latria perfectè abſolutè, & per ſe talis; Hoc aſſertum quatenus præcisè affirmat Chriſto, ut homini, ſeu humanitati &c. deberi latriam cenſent ad fidem pertinere Uvaldenſis *tom.* 3. *de Sacramentalibus capite* 119. Vaſquez *hic diſput* 95. *capite* 2. *numero* 5. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 25. *dub.* 2. *numero* 55. & aliqui alij; Nihilominùs contrarium olim docuerunt, & humanitati Verbo conjunctæ conceſſerunt ſolam hyperduliam Henricus *quodlib. decimo, quæſtio. ſexta*, Rubiu *in* 3. *diſtinct.* 9. *quæſtio.* 2. *articul.* 2. Baconis *in* 4. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 4. *articul.* 2. quibus accedunt & favent Alenſis 3. *part. quæſtio.* 30. *memb.* 2. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 5. *dubit.* 3. Gabriel *in* 3. *diſtinct. nona, quæſt un. articul.* 2. Paludanus *ead. diſtinct. quæſtio.* 1. *articul.* 3. alijque nonnulli, qui vel nunquam expreſsè humanitati Chriſti latriam tribuunt, vel proteſtantur ſe loqui de latria quadam minùs perfecta, inferiori, & latius accepta: Quatenùs deindè 69.
aſſertum procedit de latria perfectè, abſolutè, & per ſe tali, non eſt in eodem certitudinis gradu; & plures habet Adverſarios; inprimis enim quoad ly *perfectè* eſt directè contra Alenſem, Cordubam, Gabrielem, & Paludanum; modo relatos, quoad ly *abſolutè* eſt contra Iſambertum *hic diſput.* 2. *articul.* 1. tribuentem humanitati Chriſti latriam ſolùm reſpectivam; quoad ly *per ſe* eſt contrà Durandum *in* 3. *diſtinct.* 9. *quæſtio.* 2. *numero* 7. ubi vult humanitatem in Verbo adorari latriâ ſolùm per accidens; & licet ſenſus Durandi ut monet Vaſquez *præcitat. diſput.* 95. *cap.* 3. *numero* 15. poſſit eſſe verus & Catholicus; modus loquendi reijciendus eſt, ſaltem tanquam æquivocus, & ingerens ſuſpicionem falſitatis: Porrò totum aſſertum ea ratione, qua poſitum eſt, docent Magiſter *in* 3. *diſtinct* 9. Divus Thomas *ead. diſtinct.* & 3. *par. quæſtio.* 25. *articul.* 1. & 2. Scotus *ead. diſtinct.* 9. *quæſt. un.* §. *de tertio.* Bonaventura, Richardus, Argentinas, & tum major pars Antiquorum, tum Recentiorum torrens cum Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Nominalium ſcholis.

Probatur. Chriſto, ut homini, ſeu humanitati ut conjunctæ Verbo, debetur tanquam materiæ adorandæ, & objecto terminativo ſecundario, una eademque adoratio, quæ debetur Verbo; atqui Verbo debetur latria perfectè, abſolutè, & per ſe talis; ergo Chriſto, ut homini ſeu humanitati ut conjunctæ Verbo, debetur &c. Minor ſupponitur, tanquam fidei dogma, contra Arrianos, & alios quoſdam impios hæreticos negantes perſonæ Verbi divinitatem.

Major propoſitio probatur primò auctoritate, nam ex Concilio Epheſino *anath.* 8. ità habetur *Si quis audet dicere aſſumptum homi-* 70.

nem coadorari oportere Dei Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius una adoratione honorificat emmanuelem, ſecundum quod factum eſt caro Verbum, anathema ſit; in cujus anathematiſmi ſeu Canonis defenſione Cyrillus ait, *Citrà periculum quis dixerit, quod incarnatum Dei Verbum, utpotè unus exiſtens filius, non abſque ſua carne, ſed potius cum illa adorandum ſit; quemadmodum ſcilicet hominis anima cum ſuo corpore honoratur.* Rurſus ex Synodo V *can.* 9. anathematizatur *qui non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt.* & ex Synodo VII. *act.*6. habetur, *cum adoratur Chriſtus, non ſeparari humanitatem a divinitate, ſed utramque adorari latriâ*: & licet præcipuum horum Conciliorum intentum fuerit damnare Neſtorium duas Chriſto adorationes omninò diſparatas, & diverſas, tribuentem, ut duas in eodem perſonas diſtingueret; non proptereà (ut patet Arriaga *diſputatio quinquageſima ſecunda, numero quarto*,) relata verba ad rem noſtram non ſunt, cum novum non ſit ſæpè Concilia occaſione alicujus erroris confutandi aliquid ampliùs definire. Confirmatur ex eo, quod Tridentinum *ſeſſ. decima*

71. *tertia, capite quinto*, approbat pro more in Eccleſia Catholica ſemper recepto, quod latriæ cultus, qui vero Deo debetur, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento exhibeatur; atqui hujuſmodi Sacramentum non importat ſolam Perſonam Verbi, ſed ſimul Chriſti humanitatem, corpus & ſanguinem, imò & ſenſibiles ſpecies; ergo hæc omnia ut conjuncta Verbo in Sacramento rectè adorantur eadem adoratione, qua Verbum; cur ergo non etiam eadem humanitas extra Sacramentum? extra quod ſuam retinet cum Verbo conjunctionem, hancque majorem, quam cum eodem habeant ſenſibiles panis & vini ſpecies in Sacramento.

Major eadem probatur ſecundò ratione: Chriſtus, ut homo, ſeu humanitas ut conjuncta Verbo, ſanctificatur una eademque ſanctitate ſubſtantiali & increata, qua eſt ſanctum Verbum, filiatur, ut ita dicam, ſeu habet rationem filij una eademque naturali filiatione, qua eſt filius Verbum, ergo ei debetur una eademque adoratio, quæ debetur Verbo; antecedens quoad primam partem habetur ex ſupra dictis *lib.* 2. *cap.*6. quoad ſecundam *ex præcedent.* §.3. Conſequentia probatur, quia ipſamet ſanctitas ſubſtantialis increata, & naturalis Dei filiatio, eſſe poſſunt objectum formale adorationis latriæ, & prætereà ſubſtantialis ſanctitas ac naturalis filiatio divina non minùs ſunt Dei propria, quam adorabilitas latreutica, ſi igitur hoc non obſtante poſſunt illa convenire Chriſto, ut homini, ſeu humanitati ut conjunctæ Verbo, nihil obſtare poteſt, quin idem proportionaliter dicatur de adorabilitate latreutica, & quidem perfecta, abſoluta, ac per ſe tali;

72. *Perfecta*, inquam, quia perfecta & propria ratio adorationis attenditur non penes objectum materiale & terminativum, ſed penes formale & motivum, quod reſpectu humanitatis Verbo conjunctæ eſt excellentia ſubſtantialiter divina ex genere ſuo ſpecificativa latriæ perfectæ ac ſummæ: *Abſoluta*, quia adoratio reſpectiva ea eſt, qua unum adoratur propter aliud ſibi extrinſecum ſeu propter excellentiam in alio exiſtentem humanitati autem Verbo conjunctæ excellentia divina eſt intrinſeca: *Per ſe*, quia adoratio per accidens proprie, & ut ſumitur in præſenti, ea eſt, quæ conſequitur ad unionem accidentariam unius cum altero; at latria, quæ debetur humanitati Verbo conjunctæ, conſequitur ad unionem ſubſtantialem & per ſe, nam ſubſtantialiter & conſtituendo unum per ſe humanitas unitur Verbo & divinitati, divinæque excellentiæ.

Dices? Humanitas, etiam ut conjuncta Verbo, quamvis ſancta ſit & filia ſanctitate & filiatione Dei, adhuc ipſa nec Deus eſt nec quid ſubſtantialiter divinum; atqui latria debetur ſoli Deo, & ſanctitati ſubſtantialiter divinæ; ergo non debetur humanitati ut conjunctæ Verbo; neque oppoſitum rectè probatur ex eo, quod humanitas ſic conjuncta ſanctificetur, & ut ita dicam, filietur ſanctitate & filiatione Dei. Accedit quod Chriſti humanitas ſanctificata ſubſtantiali ſanctitate Dei adhuc non eſt tam ſancta quam eſt ſanctus Deus, ut ſuppono *ex præcitat. cap.*6. ergo pariter non eſt tam adoranda, quam eſt adorandus Deus; non eſt igitur adoranda adoratione latreutica, ſaltem æquè perfecta & ejuſdem rationis cum ea, qua eſt adorandus Deus; & hoc ad minùs videntur evincere tum verba D. Damaſceni *orat.* 1. *de Imaginibus*, ubi de carne Chriſti ſub materiæ nomine ita habet, *Non materiam, ſed materiæ Auctorem adoro, qui propter me materia factus eſt* (& nonnullis interpoſitis) *materiam verò, per quam mihi ſalus parta eſt, colere non deſinam, non tamen ut Deum, abſit*; tùm verba Gloſſæ in illud Pſalm. 48. *adorate ſcabellum pedum ejus*, quibus dicitur *carnem à Verbo Dei aſſumptam ſine impietate adorari à nobis, at non ea adoratione, qua latria eſt, qua ſoli Creatori*

debetur. Sed contrà: concedo majorem, diſtinguo minorem, debetur ſoli Deo, tanquam objecto terminativo ſimul & motivo, vel etiam tanquam objecto terminativo primario, concedo; tanquam objecto terminativo ſecundario, nego minorem, & conſequentiam; ex multis verò exemplis, quibus poteſt inſtantia retorqueri aptiſſimum eſt, quod de corpore & anima affertur à D. Cyrillo in verbis prææallatis *num.*70. nam ea ratione, qua latria debetur ſoli Deo, dulia & hyperdulia debentur ſoli perſonæ ſeu ſoli naturæ rationali; ea item ratione, qua humanitas etiam ut conjuncta Verbo non eſt Deus, corpus etiam ut informatum animâ non eſt anima nec natura rationalis; ſicuti igitur ex hoc non benè inferretur Sanctorum corpora, etiam ut proprijs animabus informata, non eſſe adoranda cultu duliæ aut hyperduliæ, & quidem perfectæ, ab- 73.

ſolutæ

ſolutæ, ac per ſe talis, loquendo de cultu attingente talia corpora, ut objecta terminativa ſecundaria; ita ſimiliter &c. Dixi autem exemplum animæ & corporis eſſe aptiſſimum, quia eſt interduo ſubſtantialiter ac per ſe unita, ſicut ſubſtantialiter ac per ſe uniuntur Verbum & humanitas in Chriſto, ad differentiam alterius exempli in re præſenti familiaria deſumpti ex purpurâ regia, quæ ot conjuncta Regi adoratur eadem adoratione politica, qua Rex; at exemplum non eſt adeò ſimile, nam purpura cum conjungatur Regi ſolùm unione accidentaria & per accidens, videtur cum Rege adorari eadem adoratione ſolum per accidens.

74. In quo ſenſu humanitas Verbo conjuncta non tam adoretur, quam adoratur Verbum?

Ad illud, quod in inſtantia additur jam aliqualiter reſponſum eſt *præcitat. capite ſexto numero quadrageſimotertio*, iterum tamen majoria claritatis gratiâ reſpondeo diſtinguendo conſequens, ergo non eſt tam adoranda quoad adorationis modum, concedo; quoad adorationis ſubſtantiam ſeu ſpeciem, nego; verè enim quod adoratur ex intentione ſecundaria, & tanquam objectum terminativum ſecundarium, non tam adoratur quàm quod adoratur ex intentione primaria tanquam objectum motivum & terminativum ſimul, aut tanquam objectum terminativum primarium; ſicut quod ſanctificatur per diſtinctam ſanctitatem realiter unitam non tam ſanctificatur, quam quod per ſanctitatem indiſtinctam realiter identificatam; at hæc ſpectant ad ſanctificationis & adorationis modum; & cum his ſicuti in ſecundo caſu poteſt eſſe utrobique ſanctitas quoad ſubſtantiam æquè perfecta, & ejuſdem rationis; ita in caſu noſtro eſſe poteſt, ac eſt, reſpectu utriuſque æquè perfecta, & ejuſdem rationis quoad ſubſtantiam, latria: Ratio à priori eſt, quia eadem forma poteſt diverſimodè afficere diverſa ſubjecta vel diverſas partes ſui ſubjecti totalis, & idem actus diverſa objecta vel diverſas partes ſui objecti totalis.

75. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Ad verba Damaſceni dico ly *non ut Deum* referri ad modum, non ad ſubſtantiam adorationis, & idem ſonare, ac non eodem modo quo Deum, ideſt non latria proveniente ex intentione primariâ, ut provenit latria erga Deum; eadem intelligentia præhenda eſt verbis gloſſæ ad ly *non ea adoratione* ſubintelligendo *non ea quoad modum*, Si tamen ly *non ea* &c. verè ſunt verba gloſſæ non potiùs falsò addita ab Hæreticis, ut putant Lugua *diſputatio. 34. ſec. 2. numero* 30. & Gabriel à S. Vincentio *diſputatio. 25. dub. 2. numero quadrageſimoſexto.*

Urgebis, humanitatem adorari intentione ſecundaria eſt adorari per accidens; illud enim per ſe intenditur quod primariò intenditur, illud per ſe adoratur quod primariò intenditur adorari, ſeu quòd adoratur intentione primaria: Rursùs adorari propter aliud eſt adorari relativè ad aliud, adeóque adoratione reſpectiva; atqui ex ſolutione præcedentia inſtantiæ humanitati Chriſti debetur latria ex intentione ſecundaria, & propter excellentiam Verbi, quod eſt quid aliud ab ipſa humanitate; ergo debetur latria ſolùm talis per accidens, & reſpectiva; non talis per ſe, & abſoluta, qualis à nobis aſſerta eſt. Tandem adoratio debita humanitati Verbo conjunctæ quomodocunque appellatur non poteſt ſuſtineri eadem cum adoratione, qua adoratur Verbum ipſum, quia ſecus Angelus v. g. qui antè Incarnationem Verbum adoraſſet, adoraſſet ſimul Chriſtum ut hominem, aut ſaltem potuiſſet Chriſtum ut hominem adorare continuando prioris adorationis actum poſt Incarnationem. Sed contrà: Ut evenire ſolet, quoties quæſtio eſt ferè de nomine; non facile impugnabitur quiſquis objectum adorationis ſecundarium appellare voluerit objectum adorationis per accidens; nihilominùs ſanior & tutior modus loquendi eſt, ſi dicatur adorari per accidens rem per accidens conjunctam cum re adorata primario, rem verò cum hac conjunctam per ſe adorari per ſe ſecundò, quamvis non per ſe primò; & in univerſum per ſe intendi quod primario intenditur, vel quod cum hoc per ſe conjungitur, illud intendi per ſe primò; iſtud per ſe ſecundò. Ad aliud quod urgetur dico adorationem reſpectivam eſſe, qua res adoratur propter aliud ideſt propter excellentiam exiſtentem in ſuppoſito alieno, at Verbum non eſt ſuppoſitum alienum à Chriſto ut homine, ſeu ab humanitate ſibi hypoſtaricè conjuncta; undè huic extrinſeca non eſt increata Verbi excellentia, & tamen excellentia quæ eſt objectum adorationis reſpectivæ debet eſſe extrinſeca rei, quæ adoratione reſpectiva adoratur. Ad poſtremum dico ſecundùm aliquos actum eumdem numero poſſe per ſolam majorem ſui extenſionem attingere novum objectum ſecundarium, & juxta hunc dicendi modum Angelus, qui adoraſſet Verbum antè Incarnationem, non adoraſſet quidem ex tunc, potuiſſet tamen adorare Chriſtum, ut hominem, eodem actu poſt Incarnationem continuato: Secundùm alios, quibus magis aſſentior, novum objectum terminativum ſecundarium multiplicat & diverſificat actum numero, quamvis non ſpecie; & juxta hunc dicendi modum Angelus, qui adoraſſet Verbum antè Incarnationem, deberet elicere novum actum ad adorandum Chriſtum, ut hominem, poſt Incarnationem; at iſte actus eſſet ab illo diverſus ſolo numero, quod ſufficit pro noſtro intento; dum enim dicimus Verbum & Chriſtum, ut hominem, adorari eadem adoratione, intelligimus de adoratione eadem ſpecie; nec admodum curamus quod ſit, ut ſæpè eſt, vel non ſit, eadem etiam numero. 76.

77. Chriſto, ut homini, poteſt etiam in aliquo ſenſu rectè, & licitè, tribui adoratio hyperduliæ.

Aſſert. 5. Chriſtus, ut homo, poteſt etiam rectè & licitè adorari adoratione hyperduliæ, ſi ly *ut* ſumatur ſtrictiore, & reduplicet ſuprà humanitatem, ejuſque excellentiam accidentalem & creatam, tanquam ſuprà rationem formalem & motivum adorationis. Ita D. Thomas *quæſtio. 25. articul. ſecundo*,

Scotus *in 3. diſtinct. 9. quæſt. un. paragrapho Quantùm ad iſtum articulum*, & tùm utriuſque Scholæ Auctores, tum Suarez *diſput. 53. ſec. 2 paragrapho Dico tertio.* Amicus *diſput. 42. ſec. 2* Arriaga *diſput. 54. ſec. 4* Mastrius *quæſt. 9 articul. 3.* & major cæterorum Recentiorum pars contra Uvaldenſem *tom. 3 de Sacramentalibus capit. 119.* Catharinum *opuſc. de adoratione Imag.* Clicthovæum *lib. 1. de Euchar. cap. 10.* Vaſquium *hic diſput 96. capit. 4.* Valentiam *quæſtio. 24. punc. 1.* Lugum *diſput. 35. ſec. 3.* Orlandum *diſput. ultim. quæſtio. tertia, numero 25.* alioſque nonnullos.

Dixi *ejuſque excellentiam accidentalem & creatam*, cujus nomine intelligo dona omnia accidentalia ordinis ſupernaturalis, nimirum gratiam, gloriam, virtutes per ſe infuſas & ſimilia; at non unionem hypoſtaticam, quæ donum accidentale non eſt, & hanc libenter omitto, ac excipio, quia per me eſt complexum humanitatis & Verbi, eſt inadæquatè ipſummet Verbum, non poteſt igitur eſſe motivum adorationis latriâ inferioris, ſecundùm alios verò, ſecundùm quos eſt modus non eſt excellentia humanitatis niſi ut *quo*, niſi ut eſt id, quo ſanctitas ſubſtantialis increata humanitati communicatur quatenùs igitur poteſt eſſe motivum adorandi humanitatem, nequit præſcindere à ſanctitate increata, nequit hanc non importare ſaltem in obliquo, ideò non videtur poſſe eſſe motivum hyperduliæ reſpicientis excellentiam purè creatam; & re ipſa Suarez *præcitat. ſec. 2. §. Dico ſecundo.* Arriaga *præcit. diſp. 53. num. 56.* & aliqui alij concedunt humanitati, ut habenti excellentiam creatam unionis hypoſtaticæ præciſe, deberi latriam, quamvis inferiorem, & minùs perfectam.

Idque non propter excellentiam unionis hypoſtaticæ, quamvis præciſè acceptæ.

78\. Sed propter excellentiam ſupernaturalem accidentalem humanitatis Verbo conjunctæ.

Probatur. Nec phyſicè repugnat, nec moraliter dedecet, humanitatem Verbo conjunctam adorari propter ſuam ſupernaturalem excellentiam accidentalem & creatam, tanquam propter rationem formalem & motivum adorationis; atqui hujuſmodi adoratio eſt adoratio hyperduliæ, ergo nec phyſicè repugnat, nec moraliter dedecet, humanitatem Verbo conjunctam adorari adoratione hyperduliæ, ac per conſequens Chriſtus, ut homo, poteſt etiam rectè & licitè ſic adorari, ſi ly *ut* ſumatur in ſenſu ſtrictiore, & reduplicet ſuprà humanitatem &c. Minor conſtabit *ex §. ſeq.* Major quoad primam partem probatur ex eo, quia non repugnat phyſicè humanitatem Verbo conjunctam conſiderari præcisè ſecundùm ſuam ſupernaturalem excellentiam accidentalem & creatam, non conſiderata excellentia ſubſtantiali increata Deitatis & Verbi, cum enim iſtæ duæ excellentiæ ſint omninò diſtinctæ, & poſſit realiter exiſtere una non exiſtente alia, quænam phyſica repugnantia eſſe poteſt in eo, quod una conſideretur non conſideratâ aliâ; ergo nec repugnat phyſicè eandem humanitatem adorari propter ſuam accidentalem excellentiam ſic præcisè conſideratam, cum & talis excellentia ſecundum ſe poſſit eſſe adorationis motivum, & adoratio maximè reguletur ab affectu interno, affectus internus à conſideratione, ſeu cognitione. Major eadem probatur quoad ſecundam partem, quia non moraliter dedecet humanitatem adorari propter excellentiam, quam re vera habet, & quæ ſecundùm ſe eſſe poteſt adorationis motivum; atqui humanitas Verbo conjuncta habet re vera excellentiam ſupernaturalem accidentalem, & hæc ſecundum ſe eſſe poteſt adorationis motivum: ergo.

Dices primò impugnando primam partem majoris ex Vaſquio, quem fortè unicè habemus in hac prima parte Adverſarium; dices, inquam, ex Vaſquio *præcit. diſput. 96. num. 52.* ſtante ſincerâ & rectâ fide non poſſumus recordari humanitatis Chriſti, quin ſimul recordemur divinitatis & increatæ excellentiæ, ergo ſtante ſincerâ & rectâ fide repugnat phyſicè humanitatem Verbo conjunctam conſiderari præciſe &c. antecedens probatur, quia per fidem non recordamur humanitatis Chriſti, niſi quá talis & diſtinctæ à reliquis; non innoteſcit autem per fidem talis & diſtincta à reliquis, niſi ut eſt ſimul cum divinitate, niſi ut eſt humanitas ejus, qui nos redemit. Deindè dato, quod humanitas in Chriſto poſſit abſtrahi à Verbo, non poterit ſic abſtracta adorationem terminare, quia ſic abſtracta non erit perſona, repugnat autem phyſicè adorationem propriè dictam terminari ad aliquid, quod non ſit Perſona.

Sed contra: argumentum Vaſquij, ſi quid 79.
probat, probat ad ſummum de prima cogitatione, quæ in nobis excitatur ex fide Incarnationis, at quænam deindè repugnantia in eo, quòd cogitatione ſecunda, & reflexa dividamus quodammodò illam primam cogitationem in plures, & unâ conſideremus præcisè Verbum, alterâ præcisè humanitatem; nec propterea non conſiderabimus humanitatem talem, & diſtinctam à reliquis, cum abſtrahendo à quocumque increato per ipſammet ſingularem excellentiam donorum accidentalium appareat talis & diſtincta à reliquis. Deindè eadem arguendi forma probaretur non poſſe pariter humanitatem propter ſuam creatam excellentiam ſecundùm ſe præcisè laudari, & licet Vaſquez *numero ſexageſimo*, conetur afferre diſparitatem, ſaltem non explicat quomodò ex laude ad humanitatem præcisè terminatâ non evincatur præciſio, ſeu abſtractio humanitatis à Verbo, quam ſolum nunc intendimus; undè etiam ex hoc Arriaga *præcitat. diſputatio. quinquageſimatertia, numero quarto*, Vaſquium notat inconſequentiæ, & ait ſe non capere, quomodò talis Auctor potuerit ſeriò negare illius abſtractionis ſeu præciſionis poſſibilitatem. Ad illud, quod additur, dico adorationem propriè dictam debere quidem terminari ad aliquid rationale, at non eſſe neceſſe, quod hoc ſit perſona; idque omni caret difficultate in noſtris principijs, in quibus naturæ etiam ſecundùm ſe & præcisè acceptæ poſſunt agere, & pati.

Dices

80. Dices ſecundò impugnando ſecundam ejuſdem majoris partem; moraliter dedecet adoratio, quæ exhibeatur propter dignitatem non ſummam ejus, qui adoratur; atqui adoratio, quæ humanitati Verbo conjunctæ, exhiberetur propter excellentiam accidentalem exhiberetur propter dignitatem non ſummam; ergo moraliter humanitatem dedecet, probatur major primò à priori, quia adoratio eſt nota ſubmiſſionis, qua profitemur alienam ſuperioritatem, & noſtram ab alio diſtantiam; profiteri autem in aliquo ſuperioritatem, ac non maximam, quam habet, eſt ei quaſi affectivè ſubtrahere ſuperioritatem maximam, & non tam fateri noſtram ab illo diſtantiam, quam nos ipſos illi quantùm poſſimus æquare, quod ut pot contrà propriam rationem, aut ſaltem moralem perfectionē adorationis, non poteſt non eſſe moraliter indecens: probatur eadem major ſecundo a poſteriori & experientia, quia qui plures habet excellentias, & dignitates, ſibi injurioſum reputat coli ſecundum eam, quæ minor eſt; ſic qui Rex eſt & Comes recuſat tanquam ſibi injurioſas honorificentias ſolitas deferri Comitibus; is, cui debetur titulus Illuſtriſſimi aut Reverendiſſimi, recuſat tanquam ſibi injurioſum titulum Illuſtris aut

Ratio dubitandi pro indecentia morali præ allectæ adorationis.

81. Reverendi; ergo. Sed contrà: nego majorem præſertim quoties ſimul cum adoratione exhibita ob dignitatem non maximam exhibeatur adoratio alia ob dignitatem maximam; abſtrahendo tamen etiam ab eo, quod hæc alia adoratio actu exhibeatur, dico ſufficere quod habeatur in præparatione animi, hinc ad primam majoris probationem dico gratis excogitari, quod adorans propter ſuperioritatem non maximam affectivè ſubtrahat maximam, & ceſſabit omnis ò ittius affectus cogitatio ſeu ſuſpicio, ſi ſupponatur, ut nos ſupponimus, reſpectu Chriſti adorantem habere debitam exiſtimationem ſuperioritatis maximæ & eſſe paratum etiam propter iſtam adorare. Ad ſecundam probationem dico in primis exempla, quæ adducuntur eſſe in materia honoris potiùs, quàm adorationis, & tamen Auctores, cum quibus agimus, ſolum in adoratione, non in honore, cenſent eſſe indecens ſi exhibeatur ob excellentiam non ſummam; deindè directè dico id provenire ex eo, quod homines, vel plùs æquo exorbitent in affectandis politicis honoribus ac ſpecioſis titulis, vel nimis facile ſuſpicentur ab inferioribus illas minores honorificentias, & ſubmiſſionis notas deferentibus, ſe non exiſtimari dignos honorificentiâ & ſubmiſſione majore, neutrum autem cohærenter ad mox dicta eve-

82. nire poteſt reſpectu Chriſti: Tandem neque inter homines eſt univerſaliter verum, quod qui habet plures excellentias ſibi injurioſum, & indecens reputet coli propter minorem, nam Rex Hiſpaniæ qui ſpeciali Regni jure eſt Canonicus Eccleſiæ Legionenſis (ſicut & Rex Galliæ Eccleſiæ Turonenſis) quando Legionem veniens in Chorum convenit, ſedet inter alios Canonicos ordine ſui Canonicatus, aliorum item Canonicorum more incenſatur, aut adoratur; nec putat in hoc intervenire aliquam indecentiam, injuriam, contemptum regiæ Majeſtatis.

Dices tertio: ex his ad ſummum probabile redditur, quod indecens non ſit nec illicita ab intrinſeco & ex naturâ rei hyperdulia, quæ deferatur humanitati Chriſti propter eius accidentalem excellentiam, at ea adhuc manet illicita ſaltem ab extrinſeco, & ex jure poſitivo, ideſt ex definitione & conſuetudine Eccleſiæ ſtatuentis (ut patet ex Concilijs pro ſecundo aſſerto relatis) humanitatem Chriſti eſſe adorandam eadem adoratione, quâ Verbum & ſolentis eamdem ſemper utrique adorationem adhibere, nec ſine fidelium admiratione, & ſcandalo, quis profiteretur ſe Chriſtum ut hominem ſeu humanitatem adorare adoratione inferiore ea, qua adorat Verbum, & ejuſdem rationis eum ea, qua adorat Beatam Virginem.

Sed contrà: Definitio & conſuetudo Eccleſiæ 83.
procedit de adoratione Chriſti, ut eſt à parte rei independenter ab omni noſtra præciſione, ideo nil præjudicat præſenti quæſtioni, cujus baſis eſt præciſio humanitatis ab omni eo, quod in Chriſto increatum, divinumque eſt, & benè ſtat humanitatem quoties adoratur cum ſuo toto & adoratione totali, tùm ex parte termini, tùm maximè ex parte motivi, debere adorari cultu latriæ & una adoratione cum Verbo, eamdemque ſi adoretur ſecundùm ſe præcisè, & adoratione partiali, præſertim ex parte motivi poſſe adorari cultu hyperduliæ. Neque dicas; nulla eſt neceſſitas nullaque obligatio adorandi in Chriſto humanitatem ſecundùm ſe præciſe, ad quid igitur hæc adoratio inducitur? Contrà enim, poſſes idem dicere de quolibet actu ſupererogationis, dico autem induci talem adorationem, tanquam actum ex genere ſuo poſſibilem, honeſtum, & nulla lege prohibitum; quàmvis nec præceptum, unde etiam, ſi velis, non illibenter concedam ex præmemoratâ definitione, ac conſuetudine Eccleſiæ, inferri quod quoties urget præceptum adorandi Chriſtum, ut hominem, ejuſvè humanitatem, non ſatisfiat tali præcepto, niſi adoratione latriæ; at non quod præciſione aliqua ex parte adorantis accedente non poſſit licitè ſimul ex ſupererogatione exhiberi adoratio hyperduliæ, aut quod non poſſit hæc licitè haberi etiam ſeorſim, quando præceptum adorandi non urget & qui adorat intrâ libertate; & nimis durum eſt, quod cui licet tùm majorem tùm minorem adorationem omittere, non liceat omittere ſolam majorem, quaſi verò eadem proportionaliter ratione cui liberum eſt nec magnam, nec modicam eleemoſynam elargiri, poſſit non eſſe liberum elargiri ſolùm modicam, non
magnam? Illud, quod additur de fidelium 84.
admiratione & ſcandalo, jure eveniet, quoties ex circumſtantijs habeatur rationabilis ſuſpicio, quod profitens adorationem inferiorem non exiſtimet Chriſti humanitatem dignam adoratione majore; in qua quidem

Quomodò poſſit humanitati Chriſti deferri hyperdulia, etiam ſine periculo ſcandali.

hypotheſi eſſet per accidens, & ratione ſcandali, illicita adoratio inferiori at hinc nihil contrà nos, cum præcipuè poſſit facilè amoveri omne ſcandali periculum, ſi inferior adoratio conſummetur ut poteſt purè interius; vel exhibeatur quidem exteriùs, ſed privatim & non coram; vel tandem exhibeatur publicè & coram, ſed aut adhibendo ſigna indifferentia ad ſignificandum, tùm latriam, tùm hyperduliam; aut proteſtando legitimam exiſtimationem internam de dignitate majoris adorationis, & animum præparatum ad talem majorem adorationem deferendam.

§. IV.

Quænam adoratio debeatur Humanitati Chriſti cogitatione præciſa aut etiam re ipsâ dimiſſa à Verbo?

Hæc ſola, non latria, abſolutè deberetur humanitati præciſæ, aut dimiſſæ à Verbo.

85. ASSERT. 1. Humanitati Chriſti ſivè cogitatione præciſæ ſivè re ipſa dimiſſæ à Verbu retinenti tamen dona ſupernaturalia accidentalia, quæ tunc habet & cum talibus donis conſideratæ debetur adoratio hyperduliæ. Prima pars eoſdem habet pro, & contrà, Auctores quos aſſertum poſitum *præc, numero ſeptuageſimoſeptimo* Secunda pars non habet, niſi damnatæ memoriæ Adverſarius, & præcipuè Vviekffum, qui ut ex Vvaldenſi refert Vaſquez *diſputatio nonageſimaquinta capite primo, numero primo*, voluit humanitatem, etiamſi à Verbo dimitteretur, & in propria perſona ſubſiſteret, adhuc fore adorandam cultu latriæ ob noſtram redemptionem, ob quam putat deberi latriam Chriſto, etiamſi non fuiſſet Deus.

Eidem humanitati præciſæ ab omnibus ſupernaturalibus donis, aut his ſpoliatæ, non deberetur ulla adoratio abſoluta.

Dixi *retinenti tamen dona ſupernaturalia accidentalia &c.* ſi enim cogitatione præſcindatur non à Verbo tantum, ſed & ab omnibus ſupernatutalibus gratiæ donis, aut his realiter in ſui à Verbo dimiſſione ſpolietur, poterit quidem propter habitudinem, quam retineret ad ſanctitatem, vel præciſam, vel præteritam, hancque tùm creatam & accidentalem, tùm etiam increatam & ſubſtantialem; poterit, inquam, illi tribui tùm hyperdulia, tùm etiam latria reſpectiva; at non ulla adoratio abſoluta, quia hæc requirit, quod in ſubjecto cui exhibetur intrinſecè inſit & apprehendatur ineſſe aliqua ſupernaturalis ſanctitas, quæ in humanitate præciſâ etiam à ſupernaturalibus gratiæ donis non apprehenderetur ineſſe, & in humanitate iiſdem realiter ſpoliata non ineſſet. Neque dicas obiter ſi humanitas ſic præciſa & ſpoliata non eſſet ampliùs digna ulla adoratione, poſſet quis eam licitè contemnere, ei ſuam vilitatem objicere, & adorationis indignitatem exprobrare, quod non videtur poſſe admitti; neceſſe eſt igitur dicere, quod Chriſti humanitas, aut non poſſit ſic præſcindi & ſpoliari,
86. aut quod ſic præciſa & ſpoliata retineat dignitatem adorationis. Contrà enim in primis adorabilitas reſpectiva ſufficeret ad hoc, ut non poſſet jure contemni: Deinde in humanitate ſolùm præciſa quamvis non appræhenderentur, non tamen negarentur dona ſupernaturalia gratiæ, ſivè ſubſtantialis, ſivè accidentalis; contemptus verò requirit, quod negetur exiſtimationis dignitas, non præcisè quod non apprehendatur. In humanitate realiter ſeparata, quamvis poſſet negari dignitas, non poſſet ex hoc præcisè affirmari poſitiva indignitas; ideò iſta ei non poſſet exprobrari vilitas, quæ poſſet illi objici, eſſet eadem ad ſummum, quæ poſſet objici homini in purâ naturâ, in qua tamen ex conditione ſua non eſſet propriè contemptibilis: & quando tandem de humanitate realiter à Verbo dimiſſa, quin & accidentalibus gratiæ donis ſpoliata, concederetur poſſe abire in contemptum nulla eſſet abſurditas, cum iam dictum ſit humanitatem poſt dimiſſionem à Verbo poſſe peccare, quod certe eſt poſſe vileſcere, & exprobationem ac contemptum promereri. Cæterùm aſſertum, ut jacet,

86. At non ex hoc fieret obnoxia exprobrationi, & contemptui.

Probatur: Dona ſupernaturalia accidentalia, quæ nunc habet Chriſti humanitas, 87.
poſſunt in ipsâ etiam præcisâ, aut ſeparatâ à Verbo, eſſe proportionatum motivum adorationis latriâ minoris, & majoris duliâ; ergo poſſunt eſſe proportionatum motivum hyperduliæ, utpotè quæ eſt adoratio inter latriam & duliam media; ergo humanitati Chriſti, ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipsâ dimiſſæ à Verbo, retinenti tamen, &c. debetur adoratio hyperduliæ: Antecedens probatur, quia illa dona ſupernaturalia accidentalia non habent à Verbo, aut ab unione cum Verbo, quod poſſint eſſe adorationis motivum, poſſunt igitur motivum adorationis eſſe etiam in naturâ, aut præcisâ, aut ſeparatâ ſeu dimiſsâ à Verbo; at non perveniunt ad dignitatem latriæ, quia non continent excellentiam ullam increatam ac divinam ſubſtantialiter; ſuperans verò dignitatem duliæ, quia in ordine donorum ſupernaturalium accidentalium continet excellentiam ſingulariſſimam, & valdè eximiam, majoremque ea, quæ reperitur in ullo Sancto inſigniore, in ipsâ etiam Beatâ Virgine; ut conſtat dilucidè ex eo, quod in ſuperioribus dictum eſt de perfectione ſcientiæ, de infinitate gratiæ, & de multitudine ſupernaturalium donorum Chriſto Domino convenientium; ergo.

Cum in aſſerto meminerimus Vvicleffi 88.
humanitati Chriſti, etiam à Verbo dimiſſæ, tribuentis latriam ſpeciali titulo redemptionis expedit breviter in primis inſinuare, quid in hoc Vvicleffus ſenſerit? & deindè definire, an & quomodò debeatur latria Chriſto ut Redemptori ut ex ijs duobus impugnatus maneat Vvicleffi error. Ad primum igitur Arriaga *diſputat. 51. ſec. 1. num. 2. & 3.* propendet in excuſationem Vvicleffi, tanquàm locuti de latriâ reſpectiva, nec ſibi perſuadet eum fuiſſe adeò ſtultum, ut potuerit de latriâ abſolutâ loqui, de quâ nunc agimus; nihilominus, ſi (ut refert Suarez *diſputatione*

Error Vvicleffi circâ latriam debitam humanitati Chriſti, etiã dimiſſæ.

ne quinquageſima tertia ſec.2.§ & hinc obiter) iſte Sectarius ſenſit Chriſtum, etiamſi non fuiſſet Deus, potuiſſe nos redimere, non adeò mirandum eſt, quod latriam humanitati etiam à Verbo dimiſſæ conceſſerit, cum ex una parte juxta hoc principium potuiſſet humanitas etiam à Verbo ſeparata habere abſolutum titulum redemptionis; & ex alia non deſit ratiuncula aliqua ſuadens redemptionis humanæ titulum eſſe ſufficiens latriæ motivum, quamvis nec expediat rationem quære●, quâ prædicta ſtultitia, qualiſcumque fuerit, excuſetur, cum mos ſit ſectariorum ſæpè labi in errores eo, qui nunc memoratur, graviores & craſſiores.

89. Secundum præter Vaſquium, Suarium, & Arriagam jam relatos attingunt Amicus *diſputation.32. ſec.2. num.46.* Lugus *diſputat.35. ſec 4. num.76.* Scotus *in 3. diſtinct.9 quaſt. un. § ſed reſtat.* Maſtrius *diſp.2. quaſt.9. n.235.* & plures alij; tum Recentiores præſertim, tum Scotiſtæ, ex quorum (quamvis cum aliqua varietate loquentium) mente hanc effotmo reſponſionem, & dico deberi Chriſto ut Redemptori latriam, ita tamen ut iſtius ratio formalis & motivum ſit ſolùm illud, quod ly *Redemptor* importat tanquam redemptionis cauſam primariam & principalem, non quod importat tanquam cauſam ſecundariam & quaſi inſtrumentalem. Probatur & explicatur, cum ex dictis de neceſſitate Incarnationis, peccati remedium, & humana redemptio, non potuerit perfectè haberi, niſi per creaturam, quæ ſimul eſſet Deus; conſequens omninò eſt in Chriſto ut Redemptore involui divinam Perſonam, atque adeò rationem formalem & motivum latriæ; quia deinde opera meritoria & ſatisfactoria, quibus de facto redemptionem, & remedium peccati, ſumus aſſecuti, non potuiſſent procedere a divina Perſona niſi cum conſortio naturæ creatæ, & de facto fuerunt immediatè elicita ab humanitate, conſequens eſt hanc quoque per Chriſtum, ut Redemptorem, ſignificari, at tanquàm cauſam ſecundariam, & quaſi inſtrumentalem, utpotè operantem dependenter à Deo elevante, & in virtute divinæ Perſonæ eam infinitè dignificantis; & quia, quod ex hac parte Redemptor ſignificat, eſt quid creatum nec aptum ut ſit ratio formalis; & motivum latriæ, jure pro hoc poſuimus ſolùm id, quod Redemptor importat, tanquam redemptionis cauſam primariam.

Quomodò debeatur Chriſto latria titulo Redemptoris, ſeu Redemptionis.

90. Hinc manet impugnatus error Vvicleffi, nam humanitas à Verbo dimiſſa non retineret titulum redemptoris, niſi ex ea parte quâ importatur cauſa ſecundaria & quaſi inſtrumentalis, quæ ex mox dictis eſt ad latriæ abſolutæ motivum inſufficiens. Hinc inſuper corruit ratio dubitandi pro Vvicleffo militans deſumpta ex eo quod ſicut Creator habet ſupremum Dominum in creatum ita Redemptor in redemptum; ſicut igitur titulo ſupremi dominij debetur latria Creatori ità eodem titulo debetur latria redemptori ſivè Deus ſit, ſivè non. Corruit inquam, quia dato, quod titulus ſupremi Dominij ſit ſufficiens latriæ motivum, dico ſupremum dominium in redemptum non ſequi ad redemptionem, niſi ubi datur cauſa redemptionis primaria & principalis, imò prima & independens; ſicut ſupremum dominium in creatum non ſequitur ad creationem, niſi ubi datur primaria, ideſt prima, ſuprema, & independens creationis cauſa, undè ſi creatura aliqua elevetur ad creandum, aut etiam ſupponatur virtute intrinſeca creans, non propterea habet ſupremum dominium in id, quod creat, multóque minus motivum, titulumve latriæ, quia nunquàm poteſt eſſe, aut intelligi creans, tanquàm prima & ſuprema cauſa; cum igitur ſimiliter nec humanitas à Verbo dimiſſa, nec purus homo qui quomodocumque ſupponatur Redemptor, poſſit eſſe, aut intelligi, tanquam ſuprema, independens, & prima cauſa redemptionis, conſequens eſt, &c.

91. Aſſert.2. Humanitati Chriſti, ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipſa dimiſſæ, à Verbo; & ſive cum donis ſupernaturalibus accidentalibus conſideretur eaque retineat, ſivè non, debetur latria reſpectiva; & debetur etiam reſpectiva hyperdulia, ſi abſoluta ei non debeatur, eò quod ſupponatur, aut cum donis ſupernaturalibus accidentalibus non conſiderari, aut ea non retinere.

Quandonam humanitati Chriſti debeatur latria, & hyperdulia reſpectiva?

Probatur. Latria reſpectiva debetur rei dicenti peculiarem habitudinem ad divinam excellentiam, increatamque ſanctitatem; quamvis iſta non ſit, aut non conſideretur, ut hic & nunc tali rei intrinſeca; & proportionaliter hyperdulia reſpectiva debetur rei dicenti peculiarem habitudinem ad ſingulariſſimam excellentiam, ſanctitatemque creatam; quamvis iſta non ſit, aut non conſideretur, &c. atqui humanitas Chriſti, ſivè cogitatione præciſa, ſive re ipſa dimiſſa à Verbo, dicit peculiarem habitudinem ad excellentiam divinam, & iſta illi ut præciſæ non conſideratur eſſe, ut dimiſſæ non eſt intrinſeca; eamdemque proportionaliter habitudinem dicit ad ſingulariſſimam excellentiam creatam, ſi ſupponatur aut cum donis ſupernaturalibus accidentalibus non conſiderari, aut ea non retinere; ergo humanitati Chriſti ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipſa dimiſſæ à Verbo, debetur latria reſpectiva, & debetur etiam reſpectiva hyperdulia ſi &c. Neque hoc majori indiget probatione, ſed ſolùm levi conſideratione terminorum, & recogitatione eorum quæ huc uſque de latriâ & hyperdulia attigimus, præſens quippè aſſertum non eſt, niſi præcedentium corollarium.

Occaſione adorationis, quam Chriſtus & ejus humanitas, aut exigit, aut non requirit, aliqui Scholaſtici integrum tractatum potius, quam ſpecialem & hujus loci propriam diſceptationem inſtituentes agunt ex profeſſo de adoratione in communi; de convenientia & diſconvenientiâ, quam inter ſe habent adorationis ſpecies; de adoratione B. Virginis, Sanctorum, Sacrarum 92.

ſivè

ſivè Imaginum, ſivè Reliquiarum, Rerum item non ſacrarum; ſunt etiam qui nonnulla intermiſcent de Sanctorum invocatione, & intercesſione, & ſimilia; præſtant hoc ex Auctoribus mihi obvijs Suarez à *diſput. quinquageſimaprima* ad *quinquageſimamſextam*, Vaſquez à *diſputatio. nonageſimatertia* ad *centeſimam decimamtertiam*. Lugus à *diſputatio. trigeſimatertia*, ad *trigeſimamſeptimam*. Arriaga à *diſp. quinquageſima* ad *quinquageſimam ſeptimam*. Gabriël à ſancto Vincentio tota *diſput. vigeſimaquinta* & Hetinex *diſputatio. tertia*. Nec vereor quin idem præſtent alij plures; ideò non erit Lectori laborandum ut inveniat liberaliore pertractatam calamo materiam, quam nos tanquam præſenti inſtituto extraneam, & magna etiam ex parte Controverſiſtis magis, quam Scolaſticis accommodatam, prætermittimus: Hæc interim pro noſtræ brevitate methodi, & tenuitate mentis de Incarnati Verbi miſterio attigiſſe ſufficiat; omnia verò & ſingula, ſicut in eiuſdem Verbi, & Auguſtiſſimæ Genitricis obſequium laudemque deferimus, ita Catholicæ Romanæ Eccleſiæ judicio, cenſuræque infallibili ſubijcimus.

TRACTA

TRACTATUS OCTAVUS. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMUS.

COMMVNIA SACRAMENTIS utriuſque legis : & quædam propria Sacramentorum legis antiquæ.

DE ſuo, imò de Eccleſiæ theſauro, Theologia noſtra hoc in tractatu profert nova & vetera, dum primo in limine ſtatuit utriuſque legis ſacramenta. Illa quidem legis antiquæ tanquàm egena præludia & vacua ſymbola, ſi attendas ubertatem ac copiam ſpiritualium divitiarum, quibus novæ legis ſacramenta redundant: at propriâ in egeſtate opibus cæteris longè æſtimabiliora, ſi eadem ijs, quibus carnalis homo diteſcit, ſi auro, ſi gemmis, ſi fortunæ bonis compares: Sacramenta vero legis novæ, quæ lex eſt gratiæ ex hoc ipſo ſe habent, tanquàm cæleſtium in nos gratiarum vehicula: tanquam vaſa divino, ut ita dicam, liquore, oleoque lætitiæ per Chriſtum effuſo pleniſſima; & ab eo, cui inſidet altitudo divitiarum ſapientiæ Rom. 11.
& ſcientiæ Dei inſtituta, ita omnia ſimul collecta coëunt in theſaurum ditiſſimum, ut & ſingula ſeorſim theſaurus ſint, ſunt quippè ſingula Myſterium, quod inter & theſaurum, vel ex vocum ſignificatione, relucet non exigua affinitas; theſauri enim æquè ac myſterij vox rem inſignis æſtimationis ſecretiùs ſacratiùſque repoſitam ac reſervatam denotat: Hincque obiter monuerim deeſſe nobis in præſenti non poſſe, aut operi pretium, aut cor & animam operis dum materies, in quâ verſamur, omni major pretio, & multiplex theſaurus eſt, ex divini autem oraculi teſtimonio, vbi theſaurus, ibi cor: Corde igitur alacri, & animo quaſi ad Matth. 6.
theſaurizandum inhiante opus aggredimur duos in libros dividendum alter ab ijs, quæ ſunt omnibus prorſus ſacramentis communia, in nonnulla ſolis ſacramentis Diviſio Tractatus.
antiquis convenientia deſinet, alter novorum ſacramentorum ex genere ſuo propria complectetur, ſicque neuter liber deſcendet ex profeſſo ad ſacramentum ullum in ſpecie, ſed prior ferè totus inſumetur circà genus Sacramentorum generaliſſimum, poſterior expendet genus ſubalternum Sacramentorum novæ legis. Sit igitur

CAPUT I.

De Eſſentiâ, & definitione Sacramenti ſumpti generaliſſimè.

1. Explicatur Sacramentum quoad quid nominis.

SACRAMENTUM ex parte eamdem, ex parte diverſam, habet apud profanos, & apud ſacros Auctores, ſignificationem; habet ex parte eamdem, quia apud utroſque juxta ætimologiam vocabuli ſonat aliquid ſacrum, & ad religionem pertinens; habet ex parte diverſam, quia apud profanos latiùs uſurpatur & ſufficit quod referatur ad ſacrum indirectè & extrinſecè connotatum; ſic depoſita quædam olim à litigantibus fieri ſolita, eò quod in loco ſacro ſervarentur, Sacramenti nomen ſortita ſunt, juramentum item eò quod per rem Sacram, & præcipuè per Deum, fiat, Sacramentum dictum eſt; & illud ſingillatim, quo milites ſe obſtringebant ad præſtandam fidelem operam Reipublicæ, appellabatur Sacramentum militare, ipſique milites tali juramento obſtricti appellabantur Sacramentarij. Apud ſacros verò Auctores illud Sacrum importatur ſtrictiùs, debet quippè eſſe res abdita, arcana, recondita; & aut ſacra in ſe ipsâ aut rei in ſe ſacræ ſignum, juxtà Magiſtrum *in 4. diſt. 1.* dicentem Sacramentum eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum; Sumitur ſacramentum pro re arcanâ, in ſe ſacra ſeu pro ſacro ſignato 1. *Tim.* 3. ubi divini Verbi Incarnatio appellatur *Magnum pietatis ſacramentum*; item *Sap.* 2. ubi dicitur *Neſcierunt Sacramenta* (ideſt arcana concilia) *Dei*; hincque per extenſionem Sacramenti nomen in Scriptura aliquando ſupponit pro arcano ſeu ſecreto, etiam non propriè ſacro, cui tamen aliqua veneratio debeatur ſic *Tob.* 12. habetur *Sacramentum* (ideſt ſecretum) *Regis abſcondere bonum eſt.* Sumitur pro ſigno rei arcanæ in ſe ſacræ, ſeu pro ſacro ſignante, ab Auguſtino *lib. 10. de Civit. cap. 15.* ubi ait *Sacrificium viſibile inviſibilis ſacrificij Sacramentum, ideſt ſacrum ſignum, eſt*; & quatenùs res arcana in ſe ſacra ſacro ſignanti reſpondens eſt noſtra interna ſanctitas, ac inviſibilis Dei gratia, conſurgit Sacramenti acceptio ſeu ſignificatio propria hujus tractatus & apud Scholaſticos, Concilia, & Patres frequens; quamvis à Sectarijs communem Eccleſiæ uſum, & ſanctorum Patrum auctoritatem, contemnentibus, reijciatur tanquam nova & malè inducta,

2. Suppoſita hac brevi Sacramenti notione, de quâ plura attingunt Eſtius *in 4. diſt. 1. §. 1.* Bellarminus *in controverſ. tom. 2. lib. 1. cap.* 7. & 8. Suarez *hic tom. 3. in præf.* & Gonetus *diſp. 1. initio*; Suppoſitâ, inquam, hac brevi ſacramenti notione quo ad quid nominis, ordo doctrinæ poſtularet nos de eodem primo agere quoad *An eſt*; quia tamen diverſitas ſentiendi circa Sacramentorum, præſertim antiquorum, exiſtentiam plurimùm pendet à diverſitate aſſignandi quiditativam & eſſentialem ſacramenti rationem expedit in præſenti quæſtione quoad *An eſt* præmittere quæſtionem quoad *Quid rei*, & variando aliqualiter cum cæteris ſcholaſticis conſuetam doctrinæ methodum illico inveſtigare Sacramenti quiditatem per rationes metaphyſicas generis, & differentiæ. Ideò ſit

---

§. I.

Utrùm Sacramentum ſit in genere Signi, an in genere Cauſæ?

ASSERT. Sacramentum, ut in præſenti ſumitur, ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni. Ita D. Thomas *hic quæſt. 60. art. 1. & 2.* Bonaventura *in 4. diſt. 1. par. 1. art. 1. quæſt. 1.* Scotus *eâd. diſt. quæſt. 2. §. de tertio.* Durandus, *quæſt. 1. num. 8. & 9.* Richardus *art. 1. quæſt. 3.* & tum Thomiſtæ & Scotiſtæ ferè omnes, tum major pars Recentiorum, & licet inter Thomiſtas Cano, Martinez à Prado, Gonetus; inter Recentiores Lugus, Amicus, Averſa, & apud iſtos alij Sacramentum ſimul ponant in genere ſigni & in genere cauſæ; nihilominus vix nobis in re adverſatur, quia vel nimis late uſurpant genus cauſæ, vel declarant ſignum eſſe genus magis conveniens & magis proprium: habemus verò directè Adverſarios Capreolum *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art 1.* Palatium *diſp. 1. §. Ego verò.* Stephanum Boni *tract. 1. quæſt. 4.* & paucos alios arbitratos Sacramentum poni debere ſimpliciter & unicè in genere cauſæ, pro quo dicendi modo ſolet etiam referri D. Thomas *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1.* Verùm hoc loco S. Doctor ad ſummum favet ſententiæ mediæ in utroque ſigni & cauſæ genere ſacramentum collocanti, ut perſpicuum fiet conſulenti textum, & ſingillatim expendenti verba, quæ ex eo adducit Gonetus *hic diſp. 1. num. 6.* & ſi quid ibi habetur aſſerto mox præfixo malè cohærens, ipſemet S. Doctor cenſendus eſt retractaſſe id aut explicaſſe *præcit. art. 1.* ſuæ ſummæ. 3. Sacramentum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni.

Probatur. Sacramentum ut in præſenti ſumitur, ut ſcilicèt ſimul complectitur Sacramenta nova & antiqua, in eo tanquam in genere ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè, in quo tanquam in aliquo eſſentiali ſimpliciter & abſolutè conveniunt omnia ſacramenta ſivè nova, ſivè antiqua; atqui hujuſmodi eſt ratio ſigni; ergo ſacramentum ut in præſenti ſumitur ponendum eſt &c. Major patet, quia genus eſt prædicatum ſuis ſpeciebus eſſentiale, iſdemque ratio inter ſe conveniendi; ſpecies igitur in eo eſt tanquàm in genere, in quo tanquàm in aliquo eſſentiali cum ſpeciebus alijs convenit: Probatur minor, & quidem quod ratio ſigni eſſentialis ſit Sacramentis, de quibus agitur, perſpicuum eſt, ex dictis de ſacramento quoad quid nominis, tum ex recepta ab omnibus & tradita ab Auguſtino *lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 1.* definitione, qua ſignum dicitur eſſe illud *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus,*

aliquid

aliquid aliud facit in cognitionem venire: Quod in tali ratione eſſentiali ſimpliciter & abſolutè conveniant omnia Sacramenta, ſivè nova, ſivè antiqua, probatur ex eo quia ratio conveniendi ſimpliciter & abſolutè eſt illa, per quam habetur convenientia univoca & proxima; ſi enim non habeatur convenientia univoca, non habetur genus, quod debet eſſe conceptus univocè communis; ſi non habeatur convenientia proxima, non tàm habetur convenientia Sacramentorum inter ſe quàm cum aliquo alio, quod eſt non eſſe ſimpliciter & abſolutè genus Sacramentorum, ſicuti non eſt ſimpliciter & abſolutè genus hominum eſſe vivens; atqui reſpectu Sacramentorum per rationem ſigni habetur convenientia univoca, & proxima; & ratio cauſæ, quamvis utpotè minus latè patens, ſit magis proxima, non eſt tamen relatè ad perfectam ſanctitatem univoca utriſque Sacramentis, ſed Sacramentis novis convenit propriè, & perfectè; antiquis valdè impropriè & imperfectè, ut infrà *cap. 3. n. 52. & 55.*

6. Dices primò ſignum in quo tanquàm in genere ponitur Sacramentum, ſeu quod ponitur tanquàm genus Sacramenti, vel eſt ſignum naturale, vel ad placitum: Non eſt ſignum naturale, quia res illæ ſenſibiles, ex quibus Sacramenta conſtant nullam important naturalem connexionem, nullam naturalem habitudinem ad ſanctitatem, quam Sacramenta ſignificant: Non eſt ſignum ad placitum, quia cum iſtud conſiſtat formaliter in relatione rationis, conſequens eſſet aut Sacramenta non eſſe entia realia, aut ens rationis ingredi tanquam genus conſtitutionem entis realis; atqui neutrum ex his dici poteſt; ergo nec quod Sacramentum ſit in genere ſigni ſeu quod ſignum ſit genus Sacramenti. Quod ſignum ad placitum conſiſtat formaliter in relatione rationis, ſeu quod hanc importet de formali, probatur ex eo quia ſignum ad placitum conſiſtit formaliter in relatione ad rem ſignificatam habente pro ratione fundandi inſtitutionem ſeu impoſitionem alienam; atqui hoc totum nihil dicit reale intrinſecum ipſi ſigno; conſiſtit igitur in ente rationis & opere intellectus concipientis talem inſtitutionem, tanquam quid reale ſigno intrinſecum, & tanquàm rationem fundandi relationem ejus ad rem ſignificatam, puta aquæ ſeù ablutionis ad gratiam in baptiſmo, quæ aqua ſeu ablutio ſecundùm omnia, quæ habet in ſe realiter, indifferens eſt ad gratiam & non gratiam, ad hanc reſpiciendam, & non reſpiciendam, quod igitur reſpiciat eſt per ens & opus rationis, nó per aliquid reale.

7. Sed contrà: Gonetus hic *diſp. 1. art. 1. §. 2.* cũ nonnullis alijs Thomiſtis & Vaſquio *diſp. 128. cap. 4.* concedit Sacramentum importare de formali ens relationemvè rationis, neque putat hoc inconveniens, quia inquit adhuc Sacramentum denominandum eſt abſolutè ens reale, non ens rationis, propter regulam generalem, quâ concreta accidentalia important in recto ſubjectum, non formam; ſupponunt pro materiali, non pro formali; ſic abſolutè dicitur album eſt ſubſtantia, cathedra eſt lignum, quatenus licet album de formali importet accidens, cathedra figuram; illud importat de materiali ſubſtantiam, iſta lignum; cum igitur materiale Sacramenti ſit quid ſenſibile reale, Sacramentum debet abſolutè dici ens reale non obſtante quod importet ens rationis de formali: Nihilominus præter quod Sacramenta *ex lib. ſequent. capite primo §. 4.* quamvis ſint concreta accidentalia phyſicè, ſe habent tanquam concreta ſubſtantialia moraliter, adeóque ipſis fortaſſe non benè quadrat regula accidentalium concretorum; præter hoc inquam mihi videtur à Sacramentorum dignitate alienum eorum formale explicare per relationes rationis, & entia conficta, adeò ut Deus inſtituendo elementum in Sacramentum nihil aliud præſtet, quam præbere creato intellectui fundamentum fictionis, nec Sacramentum poſſit in ſe adæquatè dici ens reale, imò de formali & ſecundùm rationem propriam, quà differt à non Sacramento, dicendum ſit ens rationis; idcircò tali doctrinæ non aquieſco nec admitto Sacramentum importare de formali aliquid rationis.

Sacramentum non dicit de formali aliquid rationis.

8. Ad inſtantiam autem fateor quidem & profiteor *ex ſequent. numero decimonono* Sacramentum eſſe ſignum ad placitum; at nego hoc importare de formali relationem rationis, & conformiter ad noſtra principia conſtituentia relationem in complexu fundamenti & termini ſuppoſitâ ratione fundandi, dico relationem ſigni eſſe omninò realem, quoties ſunt realia fundamentum terminus, & ratio fundandi, ut in propoſito, ubi in baptiſmo verbi gratia aqua ſeu ablutio eſt fundamentum & res ſignificans, gratia eſt terminus & res ſignificata, divina inſtitutio ſeu actus divinæ voluntatis Sacramentum inſtituentis eſt ratio fundandi, quæ utique omnia realia ſunt, realis eſt igitur relatio ſita in complexo ablutionis tanquam rei ſignificantis, gratiæ tanquam rei ſignificatæ ſuppoſita inſtitutione tanquàm ratione fundandi: Nec ſignum ad placitum differt à ſigno naturali in eo quod iſtud relatione reali, illud relatione rationis rem ſignificatam reſpiciat, ſed in eo quod ratio fundandi relationem ad rem ſignificatam in ſigno naturali ſit intrinſeca eique conveniat ex naturâ rei, in ſigno ad placitum ſit extrinſeca & conveniens ex voluntate alienâ:

Signum etiã ad placitum dici relationem realem ad rem ſignificatam.

9. Non ſolùm autem in noſtris principijs non diſtinguentibus relationem ab extremis ſumptis ſecundùm eſſe complexum, verùm etiam in principijs collocantibus relationem in tertiâ aliqua entitate rectè ſalvatur Sacramenta, quamvis ſint ſigna ad placitum non importare de formali relationem rationis, nam præter quod fortè de ratione ſigni eſt, quod fundamentaliter & in actu primo, non quod formaliter & in actu ſecundo ad rem ſignificatam referatur; præter hoc inquam diſtingui poteſt duplex relatio realis, altera proveniens à formâ intrinſecâ & afficiens phyſicè ſubjectum, quod relatum denominat; altera proveniens à formâ extrinſeca & afficiens moraliter, hoc ſecundo modo erit realis relatio, qua ſignum ad placitum

reſpicit rem ſignificatam ; & ſicuti eſſe tale, puta viſum, per denominationem extrinſecam non eſt eſſe tale per rationem, ita referri per relationem extrinſecam non eſt referri per rationem, & ſolum tum denominatio, tum relatio extrinſeca evadit denominatio & relatio rationis, quando concipitur ut proveniens à forma intrinſeca ; at nec in Sacramentis, nec in alijs ſignis ad placitum, neceſſe eſt relationem ad rem ſignificatam concipi ut provenientem à forma Sacramento & ſigno ad placitum intrinſecâ ; nec alia forma quærenda eſt præter actum voluntatis Sacramentum & ſignum inſtituentis, qui quidem actus quouſque moraliter perſeverat, moraliter afficit rem ſenſibilem ; eamque denominat extrinſecè, ſeu ab extrinſeco, inſtitutam ad ſignificandum, quod eſt idem ac dicere relatam ad rem ſignificatam.

10. Dices ſecundò. Concilium Florentinum *in decreto de unione Armenorum* Sacramenta explicat per rationem cauſæ & Tridentinum *ſeſſ.7.can.6.* per rationem tum cauſæ tum ſigni ; ergo ex mente Conciliorum Sacramentum eſt aut ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut ſimul in genere cauſæ & ſigni: Nec obſtat univocatio, quia hæc vel malè requiritur inter Sacramenta nova & antiqua, vel reſpectu utrorumque ſuſtineri poteſt in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem à perfecta & imperfecta, quamvis non relatè ad ſanctitatem perfectam determinatè : Accedit quòd ratio cauſæ eſt perfectior, quàm ratio ſigni ; ergo dignitati Sacramentorum congruentius eſt eſſe in genere cauſæ, quàm in genere ſigni; ex alia parte ratio ſigni convenit effectui potiùs, quam cauſæ, ut patet in fumo reſpectu ignis ; Sacramenta igitur reſpectu ſanctitatis ſimpliciter & abſolutè ponere in genere ſigni eſt illis adimere reſpectu ſanctitatis rationem cauſæ, & tribuere rationem effectus, quod eſt contrà communem ſenſum. Sed contrà : Aliud

11. eſt loqui de Sacramentis novis ſeorſim, aliud de novis & antiquis ſimul ; nos nunc loquimur de novis & antiquis ſimul, & de genere communi utriſque ; Concilium Florentinum & Tridentinum locis citatis loquuntur de novis ſeorſim, & ut habent genus proprium diverſum ab antiquis ; nova autem ſic ſumpta libenter permittimus eſſe ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut in genere cauſæ & ſigni ; cum ex infrà dicendis in ratione cauſæ univocentur inter ſe, quamvis non cum antiquis. Nec verum eſt univocationem inter Sacramenta nova & antiqua, aut non requiri, aut ſaluari poſſe in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem &c. Primum enim infrà impugnabitur *cap.3 §.4.* Secundum improbatur ex eo, quod ſanctitas abſtrahens à perfecta eſt ratio analoga, quomodo autem poteſt ſaluari univocatio relatè ad rationem analogam ? Illud, quod addebatur rationem cauſæ eſſe perfectiorem ratione ſigni, parum refert, quia in ratione generica non eſt attendendum, quod ſit magis vel minùs perfecta in ſe, ſed quod in ea magis vel minùs perfectè inferiora conveniant; & quod ratio cauſæ ſit perfectior ratione ſigni opportunum eſt ad explicandam genericam dignitatem Sacramentorum novorum ſuprà antiqua, dignitas autem communis omnibus Sacramentis ſuprà non Sacramenta relucet ſufficienter in perfectione gratiæ ſanctificantis, quam utraque Sacramenta reſpiciunt in ratione ſigni. Quod poſtremo loco dicebatur rationem ſigni convenire effectui potiùs, quàm cauſæ, non verificatur univerſaliter, nec rectè deducitur univerſalis propoſitio ex ſingulari exemplo fumi, cum non deſint exempla alia pro ratione ſigni cauſis potiùs, quam effectui convenientis; iris enim matutina & nubes ſunt ſigna futuræ pluviæ, cujus ſunt cauſæ : 12.

Ratio igitur ſigni non excludit rationem cauſæ, ſed eſt ſecundùm ſe indifferens, ut in cauſa vel in effectu reperiatur, prout illa vel iſte notior eſt : In caſu noſtro Sacramenta, utpote in rebus ſenſibilibus & naturalibus inſtituta, ſunt nobis notiora, quam gratia ſanctificans, quæ inſenſibilis eſt & ſupernaturalis ; ideò, quamvis illa ſint cauſæ, iſta ſit effectus, illis potiùs quàm iſti convenit ratio ſigni : quod magis conſtabit *ex ſeq. §. 2.* ſicut & *ex §. ſubſeq.* magis perſpicuum fiet, cur Sacramentum generaliſſimè acceptum non ponatur in genere cauſæ : Sit igitur

Signum quandoque melius imbuatur effectui, quam cauſæ, quandoque contrà

---

§. II.

Utrum ſignum, quod eſt Sacramentorum genus, debeat neceſſariò eſſe ſenſibile, & permanenter inſtitutum?

13. ASSERT. 1. Signum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet neceſſariò eſſe ſenſibile. Ita D. Thomas *quæſt. 60. art. 4.* Magiſter *in 4 diſt. 1.* Gabriel *quæſt. 1. art. 3.* Cabrera *diſput. 1. art. 4.* Joannes à S. Thoma *diſp. 22. artic. 4.* Suarez *diſp. 1. ſec. 3.* Amicus *diſp. 1. ſec. 2.* Bellarminus *tom. 2. Controv. lib. 1. cap. 9.* Herincx *diſp. 1. quæſt. 2. §. 3.* & multi alij ex omni ſchola contra Ochamum *in 4. diſt. 1. quæſt. 1.* Aliacenſem *quæſt. 1. art. 3.* Gonetum *diſp. 1. art. 4.* Vaſquium, Henriquem, Madernum, & apud iſtos aliqui alij tum Thomiſtæ tum Recentiores, qui licèt cum reliquis ferè concilientur per limitationem aſſerto interpoſitam *de quibus nunc agitur* ; nihilominus ut attingetur *ſeq. num. 18.* remanent ſaltem Adverſarij & diſſentientes in quæſtione de nomine, ideſt in ſignificatione hujus nominis *Sacramentum*, prout complectitur ea etiam, quæ per quamcunque potentiam poſſunt inſtitui.

Signum, quod eſt Sacramentorum genus, debet eſſe ſenſibile.

Probatur & explicatur: Sacramenta de quibus nunc agitur ſunt Sacramenta humana, ideſt quæ pro hominibus aut fuerunt aliquando inſtituta, aut in quocumque rerum ſtatu poſſunt aliàs inſtitui ; atqui hujuſmodi Sacramentorum genus ſuppoſito ex jam dictis, quod ſit ſignum, debet neceſſariò eſſe ſignum ſenſibile ; ergo ſignum quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet &c. Major patet quia ſolùm de Sacramentis humanis conſtat fuiſſe aliqua inſtituta & potuiſſe

alia

alia inſtitui, eademque ſola poſſunt dicere, ut dicont Sacramenta de quibus agitur, habitudinem ad Chriſtum, qui per nos pro ſolis hominibus venit: Minor probatur, & quidem quoad Sacramenta quæ fuerunt aliquando inſtituta certum eſt ex fide, nam omnia antiqua fuiſſe tradita in ritu ſenſibili habetur ex iiſdem locis ſcripturæ, ex quibus Sacramenta ipſa antiqua eruuntur; omnia nova componi ex rebus materialibus & verbis, adeóque ex ſenſibilibus, habetur ex perpetua traditione Eccleſiæ, & ex definitionibus Conciliorum Florentini præſertim ac Tridentini, ut ex profeſſo tractabitur *ſeq lib.* 2. Quoad Sacramenta, quæ poſſunt alias inſtitui, probatur primò, quia de iſtis ſentiendum eſt cum proportione ad ea, quæ fuerunt aliquando inſtituta, & ex quibus deducimur tum ad excogitandam aliorum poſſibilitatem, tum ad inveſtigandam primævam & propriam ſignificationem hujus nominis, Sacramentorum: ut nunc ſumitur: Secundò quia Sacramenta nequeunt à Deo inſtitui aliter, quàm accommodata iis, pro quibus inſtituuntur; atqui ii, pro quibus inſtituuntur Sacramenta humana, ſenſu utuntur, & per ſenſibilia tanquam per ſibi notiora procedunt ad intelligibilia, aſſurgunt ad divina; per eadem in unum morale corpus adunantur, unam religionem proteſtantur; ergo humana Sacramenta, de quibus nunc agitur, non eſſent accommodata iis, pro quibus inſtituerentur, ſi ſenſibilibus ſignis non conſtarent; & hæc omnia confirmari poſſunt egregiis ſententiis Sanctorum Patrum, Dionyſii præſertim & Chryſoſtomi apud Suarium *præcit. ſec.* 3.

14\. Eſt de fide quod hæc ſenſibilia omnia Sacramenta inſtituta de facto.

Dices hæc & ſimilia ſuadere quidem, tanquam congruentiorem Sacramentorum, de quibus nunc agitur, inſtitutionem in ſignis ſenſibilibus, at non evincere poſitivè incongruam & repugnantem in inſenſibilibus; præſertim cum ex una parte Deus in noſtris principiis non neceſſitetur ad id, quod eſt melius ſeu congruentius, & ex alia parte ratio ſigni non ſit eſſentialiter alligata rei materiali & ſenſibili, conſiſtit enim præcisè in eo, quod res in ſe cognita faciat venire in cognitionem alterius; at hoc poteſt rei ſpirituali æquè ac materiali convenire; ſi autem ſemel ratio ſigni non eſt rei materiali alligata ex genere ſuo, multò minùs erit eidem alligata ex propria conditione gratiæ ſignificandæ; cum hæc majorem habeat improportionem & diſtantiam reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, & divinæ voluntati gratiæ ſignificationem imponenti ſpiritualia æquè ac materialia ſubſint. Sed contra: ſicut homo eſſentialiter

15\. Signum omne, ſaltem humanum, eſt eſſentialiter ſenſibile.

conſtat parte ſenſitiva & operatur dependenter à ſenſibus, ita ſignum ſaltem humanum eſt eſſentialiter alligatum rei ſenſibili, nec conſiſtit præcisè in eo quòd res in ſe utcumque cognita faciat venire in cognitionem alterius, ſed in eo quòd hoc faciat res in ſe cognita ſenſibiliter & per ſpeciem, quam ſenſibus ingerat, juxta definitionem, cujus ſupra ex Auguſtino meminimus; ſola autem res ſenſibilis poteſt propriam ſpeciem ingerere ſenſibus & ſenſibiliter cognoſci: Spiritualia æquè ac materialia divinæ voluntati ſubeſſe verum eſt cæteris paribus & relatè ad ea, quæ non repugnant, at ex dictis alibi dum ageremus de viſione corporea Dei, repugnat etiam de potentia abſoluta ſpiritualia percipi vitaliter à ſenſu, ſeu cognoſci ſenſibiliter: Improportio & diſtantia gratiæ major reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, impertinens eſt ad rem noſtram, quia in ſigno ad placitum attenditur, quod ſit quid notius, non quod ſit quid ſimile; & licet de facto ferè omnia ea, quæ aſſumuntur in materiam Sacramenti, habeant aliquam affinitatem & congruentiam cum effectu quem præſtant; non ex hac, ſed ex propria ſenſibilitate & ex divina inſtitutione, habent rationem ſigni Sacramentalis ut magis explicabitur *ſeq. num.* 21.

Urgebis: De facto ſpecies intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna, quibus homo ducitur in cognitionem objectorum & tamen ſunt res ſpirituales: ergo etiam in re ſpirituali haberi poteſt ratio ſigni humani, nec iſtud alligatum eſſentialiter rei ſenſibili. Confirmatur in ipſiſmet humanis Sacramentis, ex quibus aliqua conſtituuntur parte ſpirituali & inſenſibili, aut quoad ſubſtantiam ut eſt dolor reſpectu Sacramenti pœnitentiæ; aut quoad modum exiſtendi ut ſunt corpus & ſanguis Chriſti reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ. Sed 16. contrà: Signa alia ſunt formalia, quæ ut medium *quo* & incognitum, alia inſtrumentalia quæ ut medium *quod* & cognitum, ducunt in alterius cognitionem; nos in præſenti agimus de ſignis humanis inſtrumentalibus, ſpecies autem intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna formalia, quæ cum non debeant eſſe in ſe nota, utique nec debent eſſe notiora eo, in cujus notitiam ducunt, aut potiùs quod formaliter notificant; ut tamen debent eſſe notiora, hincque reſpectu hominis ſenſibilia, ſigna inſtrumentalia: Undè habes obiter tripliciter nos poſſe comparare notitiam objecti ignoti; vel non procedendo ab aliquo noto, & talis notitia habetur ex vi ſigni formalis; vel procedendo ab aliquo noto, & ſimul utendo forma ſyllogiſtica, & talis notitia habetur ex vi diſcurſus; vel procedendo ab aliquo noto, quod etiam abſque forma ſyllogiſtica inducat alterius notitiam, & hæc habetur ex vi ſigni inſtrumentalis. Ad confirmationem dico vitioſam eſſe illationem à parte ad totum, & ſicuti ex eo quòd homo de facto conſiet parte irrationali, malè inferretur poſſibilis homo totus irrationalis; ita ex eo quod aliquod Sacramentum etiam humanum de facto conſtet parte ſpirituali & inſenſibili, malè infertur poſſibile Sacramentum humanum totum ſpirituale & inſenſibile. Ratio etiam ſpecialis eſt, quia pars ſpiritualis in tantum de facto ingreditur conſtitutionem alicujus Sacramenti, in quantum eſt ſenſibilis per aliud, nimirum per aliam compartem; at Sacramentum totum ſpirituale nec eſſet ſenſibile per ſe, nec per aliud. Accedit quod pars illa ingreditur conſtitutionem Sacramenti; at non ſub præciſâ ratione Sacramenti, nimirum non ut eſt Sacramentum tantum, ſed ut eſt res & Sacramentum ſimul juxta horum terminorum explicationem ponendam infrà *lib.* 2. *cap.* 1. §. 5.

Quomodò differat ſignum inſtrumentale à ſigno formali.

AAaa 3 Major

Major aliqua eſt difficultas; Utrùm ratio ſigni ſenſibilis ſit eſſentialis Sacramento abſtrahendo ab eo, quòd iſtud humanum ac pro hominibus inſtitutum ſit, vel non? Difficultas duo continet: Primum eſt, utrum poſſit Deus reſpectu Angeli, aut alterius puri Spiritus, cujuſmodi eſt anima ſeparata, inſtituere aliquod gratiæ ſignum purè ſpirituale, & nullatenùs ſenſibile. Secundum, utrum tale ſignum eſſet dicendum Sacramentum, necne? Sentiendum omninò eſt poſſe Deum tribuere alicui rei ſpirituali virtutem cauſandi aliqualiter gratiam, & per ſui notitiam ducendi Angelum aut animam ſeparatam in ejuſdem gratiæ cognitionem; Utrum deindè talis res eſſet dicenda gratiæ ſignum, & utrum etiam Sacramentum? involuitur in utroque aliquid de nomine; ſi enim ſignum ſumatur juxta ſignificationem, quam habet ex definitione Auguſtini, & Sacramentum juxta eam, quam habet conformiter ad ſignum ab Auguſtino definitum, res illa ſpiritualis nec ſignum eſſet, nec Sacramentum: Quod ſi dicatur nec Auguſtinum intendiſſe definire omne ſignum, ſed ſolum humanum; nec primam impoſitionem hujus nominis *Sacramentum* fuiſſe conformatam ſeu limitatam ad ſola ſigna gratiæ humana ab Auguſtino definita; res illa ſpiritualis & ſignum & Sacramentum eſſet, angelicum

18. *Senſibilitas non eſt eſſentialis omni ſigno, etiam inſtrumentali.*

tamen: Et quoad primum quidem mihi veriſimilius eſt Auguſtinum non intendiſſe omne ſignum definire, & hoc in tota ſua univerſalitate debere definiri, quod præter notitiam ſui quam ingerit facit in alterius cognitionem venire, ſicque poſſe propriè dari ſigna inſtrumentalia etiam reſpectu Angelorum: Nec refert quod iſti ex modo intelligendi ſibi connaturali omnia ſua objecta immediatè cognoſcant, nec deducantur ab uno in cognitionem alterius; Nam hoc in primis verum eſt ſolùm de objectis connaturalibus, cujuſmodi non eſt gratia; & prætereà etiam reſpectu iſtorum poſſint Angeli aut ex propria libertate, aut ex divina ordinatione, quamvis non ex indigentia, ab uno in aliud deduci; ut attigimus, dum ageremus de Angelorum diſcurſu.

Benè verò omni Sacramento.

Quoad ſecundum cenſeo hoc nomen Sacramentum ex ſua prima impoſitione fuiſſe limitatum ad ſola ſigna humana & ſenſibilia, hæc quippe ſola inſpexerunt Sancti Patres & Scholaſtici, dum gratiæ ſigna cœperunt appellare Sacramenta; & cum nihil apud ipſos reperiatur de ſignis gratiæ inſenſibilibus & angelicis, malè præſumitur eos voluiſſe etiam ad hæc transferre Sacramenti nomen, quod fuiſſet tribuere voci ſignificationem formalem majorem ratione objectiva, & re quam mente concipiebant ac intendebant exprimere; quamque vehementiſſimè inſinuarunt, dum ſemper locuti ſunt de Sacramentis, tanquam de ſenſibilibus ſignis, & viſibilibus formis: Solùm igi-

Niſi mutetur & amplietur ſignificatio ultra primævam nominis impoſitionem.

tur mutata, & ampliata vocabuli ſignificatione, appellarentur Sacramenta ſpiritualia & inſenſibilia gratiæ ſigna, quæ ad inſtar noſtrorum Sacramentorum pro Angelis inſtituerentur; ſervata verò & immutata ſignificatione, quam Sacramentum habet ex ſua inſtitutione & primævâ impoſitione, non eſt dabile Sacramentum niſi humanum, & ei ſimpliciter eſſentialis eſt ratio generica ſenſibilitatis.

Aſſert. 2. Signum quod eſt genus Sacra- 19.
mentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum permanenter; imò nec de potentia abſoluta eſt dabile aliter Sacramentum ullum, attenta & ſervata ſignificatione nominis ſecundùm primævam impoſitionem. Aſſertum habet duas partes, primam in ly *inſtitutum*, & per hanc affirmat Sacramentum debere eſſe ſignum ex inſtitutione & ad placitum; ſecundam in ly *permanenter*, & per hanc ſtatuit inſtitutionem debere eſſe factam lege ſtabili & diù duraturâ; recipitur quoad utramque partem communiſſimè quatenùs procedit de Sacramentis datis de facto, quatenùs verò extenditur ad Sacramenta dabilia etiam de potentia abſoluta nonnihil adverſantur locis mox afferendis Lugus, Arriaga, Madernus, aliique nonnulli.

Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex inſtitutione, & ad placitum.

Probatur prima pars: Sacramentum non eſt ſignum natum, ut ita dicam, & naturale; ergo eſt ſignum ex inſtitutione, & ad placitum; atque adeò ſignum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum: Probatur antecedens; ſignum natum & naturale eſt quod ab intrinſeco & ex natura ſua ducit in cognitionem rei ſignificatæ, ad quam propterea dicit neceſſariam & naturalem habitudinem aut tanquam cauſæ ad effectum, aut tanquam effectus ad cauſam, aut tanquam paſſionis ad eſſentiam, diſpoſitionis ad formam, imaginis ad prototypum &c. Atqui ex una parte res per ſacramentum principaliter ſignificata eſt gratia, & id cui convenit in ſacramento ratio ſigni eſt quid materiale & ſenſibile; ex alia parte nullum materiale & ſenſibile poteſt ab intrinſeco, & ex natura ſua, ducere in cognitionem gratiæ; ut quoad res materiales & ſenſibiles repertas in ſacramentis datis de facto facilè conſtat inducenti, univerſim verò probatur ex eo, quòd improportio ordinis inter materialia ſeu ſenſibilia ad gratiam, impedit ne ullum illorum poſſit ad hanc dicere neceſſariam & naturalem habitudinem, aut tanquam ad effectum, aut tanquam ad cauſam, aut tanquam ad eſſentiam &c.

Dices primò: de ratione ſacramenti eſt, quòd 20.
ſit naturaliter & ab intrinſeco ſimile effectui; at quatenùs ſimile ducit in cognitionem effectus & dicit habitudinem imaginis; ergo de ratione ſacramenti eſt, quòd naturaliter & ab intrinſeco ſit ſignum & imago; ſignum igitur quod eſt genus Sacramenti poteſt, imò debet, eſſe ſignum naturale: Major probatur ex Auguſtino *tom. 2. epiſt. 23. ad Bonifac.* dicente *Sacramenta quamdam ſimilitudinem habent earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, quam ſi non haberent, omninò ſacramenta non eſſent*; his verbis inhærens Magiſter *in 4. diſt. 1.* ait Sacramentum ita eſſe ſignum gratiæ Dei, ut *ipſius ſimilitudinem gerat* & Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacram par. 9 cap* 1. in definitione Sacramenti ponit, quod *ex ſimilitudine repræſentet*, & certè in baptiſmo v.g. nonne ablutio externa à ſordibus carnis habet ex natura ſua

&

& independenter ab omni inſtitutione ſimilitudinem cum ablutione interna à ſordibus animæ? in Euchariſtia nutrimentum corporale panis & vini, corporis & ſanguinis, cum nutrimento ſpirituali augmenti gratiæ? in pœnitentia forma *ego te abſolvo* cum ſolutione à vincu-

21. lis peccatorum? Sed contrà: Quatenùs instantia videtur in omnibus protsùs ſacramentis requirere naturalem ſimilitudinem cum effectu, ſeu termino ſignificato, nullatenùs infertur ex verbis Auguſtini, utpotè qui loquitur ibi de ſolis ſacramentis novis; de quibus tamen neque etiam docet id, quod inſtantia intendit; nam ſimilitudo naturalis, vi cujus unum ſit naturale ſignum alterius, debet eſſe formalis & propria; ſacramenta autem cum ſuis effectibus, ſi quam ſimilitudinem habent antecedenter ad inſtitutionem, eam habent fundamentalem dumtaxat & metaphoricam; metaphoricum quippè eſt, quòd gratia dicatur animæ ſordes abluere; quod ejuſdem augmentum dicatur ſpiritualis nutritio; quod peccatorum remiſſio dicatur ſolutio vinculorum: Præbet quidem hæc ſimilitudo metaphorica, & allegorica proportionalitas fundamentum ut ea, in quibus reperitur, congruentiùs inſtituantur in ſigna ſacramentalia; at quod iſta formaliter ſignificent, habetur ab inſtitutione; quæ per ſe ipſam tribuit quamdam moralem & quaſi æquivalentem ſimilitudinem, quatenùs morali & quaſi eminenti modo præſtat in ſignis ad placitum id, quod præſtat in ſignis naturalibus ſimilitudo phyſica formalis; & vel de hac ſimilitudine morali ac eminente intelligendus

22. eſt Auguſtinus prælaudatus in verbis illis *quam ſi non haberent omninò ſacramenta non eſſent*, vel certè loquitur de Sacramentis, ut ſunt de facto inſtituta, & nihil aliud intendit, quàm quòd ſuppoſita præſenti inſtitutione ablutionis v.g. pro materia proxima baptiſmi, ſi tollatur proportio & ſimilitudo (qualiſcumque hæc ſit) ablutionis corporis cum ablutione animæ, ac per conſequens tollatur ablutio corporis, tolletur Sacramentum baptiſmi; quod veriſſimum eſt: Alium etiam in hac re Auguſtini ſenſum refert & commendat Arriaga *diſp.* 1. *ſec.* 7. *num.* 61. alium item Lugus *diſp.* 1 *ſec.* 3. *num.* 33. ſed nobis duo priores, ijdemque receptiores ſufficiant, & Hugoni etiam Victorino, ſi lubeat, applicentur.

Qualem ſimilitudinem requirat, aut habeat Sacramentum, cum effectu & termino, quem ſignificat.

Dices ſecundò: Quidquid ſit quoad ſacramenta de facto data habentia pro materia res materiales ſenſibiles ordinis naturalis, ſaltem aliquod ſacramentum dabile de potentia abſoluta poterit eſſe connaturale gratiæ ſignum, nam poterit habere pro materia rem materialem ſenſibilem ſupernaturalis ordinis, cui ineſſe connaturalem habitudinem ad gratiam evincitur de facto in ſupernaturalibus glorioſi corporis dotibus, quæ ſunt qualitates materiales & ſenſibiles, ab intrinſeco tamen connexæ cum gratia conſummata; cur igitur aliqua hujuſmodi qualitas, aut non erit ſignum connaturale gratiæ, aut non poterit dici Sacramentum? ex hoc capite Lugus *præcit. ſec.* 3. *num.* 29. & Arriaga *præcit. ſec.* 7. *num.* 60. propendent ad affirmandum non repugnantiam ſacramenti,

23. quod ſit ſignum gratiæ naturale. Sed contrà:

Permitto entitatem aliquam materialem ſupernaturalem, quæ ſit ſignum connaturale gratiæ, at non quæ ſit, aut eſſe poſſit ſacramentum, præſertum ſervata ſignificatione, quâ Sacramenti nomen habet ex ſua primæva impoſitione; ex hac enim jure cenſetur inductum ad denotandum aliquid ſenſibile naturaliter, multoque magis, quod ſit ſignum gratiæ ipſam antecedens & aliquo modo cauſans; at qualitas ſeu entitas materialis ſupernaturalis, utique non eſt ſenſibilis naturaliter, & prætereà poteſt quidem ſe habere ad gratiam, ut ſignum naturale ſubſequens & per modum connaturalis affectus; at non ut ſignum naturale antecedens & per modum connaturalis cauſæ, quod evincitur à fortiori, ex eo quod in tractatu de Gratia *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 8. dicebamus repugnare omninò creaturam, cui poſſit convenire connaturaliter, & ab intrinſeco, aliqua cauſalitas in gratiam.

Res materialis ſupernaturalis poteſt eſſe connaturale ſignum gratiæ, at non ſacramentū.

Probatur ſecunda pars, tum à poſteriori inducendo per ſacramenta hucuſque data, ſive in antiqua, ſive in nova lege, quæ omnia fuerunt inſtituta ſtabiliter, omnia diù durarunt, quin etiam nova diù adhuc durabunt; tum à priori ex cauſa finali; inter alios enim inſtituendorum ſacramentorum fines unus eſt, ut per ipſa fideles proteſtantur veram religionem, & faciant quodammodò ad conſtituendam eandem Eccleſiam viſibilem, & exhibendum eundem cultum externum Deo; ſicut igitur Religio, Eccleſia, Ritus colendi Deum, dicunt ſtatum & petunt ſtabilem permanentiam, diuturnamque durationem, ita & Sacramenta. Confirmatur ex ratione generica ſigni ad placitum, quod ſicuti ſolet pro multis inſtitui, ita & pro multo tempore. Quantum deindè ſit hoc multum tempus & ſpatium illud, pro quo debent ſacramenta inſtitui, ut rectè dicantur inſtituta permanenter ſeu lege ſtabili ac diuturna? Arriaga *hic diſp.* 1. *ſec.* 4. *num.* 38. refert ſuppreſſo nomine aliquos requirentes totum illud tempus, pro quo durat lex, in qua inſtituuntur; aliquos alios contentos eo ſpatio, quo durat unius hominis vita: At priores loquuntur cum nimia extenſione, poſteriores cum nimia reſtrictione; Priorum regula fallit in remedio originalis pro lege naturæ, quod in Adamo & ejus deſcendentibus inducta circumciſione ceſſavit quingentis ferè annis, antequam ceſſaverit naturæ lex; & (ut arbitror) non benè audiret qui diceret in lege nova extremam unctionem v.g. futuram non fuiſſe ſacramentum, ſi eam Chriſtus inſtituiſſet aliquibus antè mundi finem ſæculis deſituram: regula poſteriorum fallit quia unius hominis vita ſæpè eſt breviſſima, & quod pro multis debet inſtitui non eſt cur unius vitæ alligetur? Arriaga ipſe *ibid.* videtur approbare ſpatium centum annorum, addit tamen fortè non defuturum, qui viginti annos dicat ſufficere: Mea ſententia ſit nihil determinatè ſentire, & rem relinquere graviori judicio, imò expectare definitionem Eccleſiæ, aut Dei, cujus ſolius eſt ſacramenta ſtatuere & inſtituere, revelationem.

24. Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex lege ſtabili, & diù duratura.

Ad quantum tempus debeat talis lex extendi, ut dicatur ſtabilis & diù duratura.

25. Dices: ex una parte hæc ipſa incertitudo temporis requiſiti ad ſacramentorum ſtabilitatem

eſt

Digitized by Google

eſt validum argumentum negandi neceſſitatem ſtabilis inſtitutionis in ſignis Sacramentalibus, & nullam requirendi ſtabilitatem, ubi non poteſt aſſignari quanta requiratur ; ex alia parte argumenta adducta pro ſtabili inſtitutione facilè infirmantur, nam de inductione non ſatis cōſtat, quod fieri poſſit univerſaliter & adæquate ; fortè enim (ut monet Lugus *præcitat. ſec. 3. n. 48.*) impoſitio manuum Moyſis, quâ datus eſt Joſuë Spiritus ſapientiæ *Deuter. ultim.* fuit verum ſacramentum, ſicque haberetur in antiquâ lege exemplum Sacramenti pro breviſſimo tempore, & pro unica vice instituti ; Illatio à fine infirma eſt, quoties agitur de fine nec unico nec primario, ut in caſu noſtro præter quod finis ille ſufficienter habetur per hoc, quod plura, eaque principaliora, Sacramenta ſtabilia ſint, quamvis non prorſus omnia ; Confirmatio verificatur ut plurimum, at non ſemper omninò ; Præterea tùm illatio à fine, tùm confirmatio à ratione genericâ ſigni ad placitum deſumpta infringitur in Sacrificiis, quæ cum Sacramentis conveniunt, tum in prænunciato fine, tùm in genere ſigni ad placitum ; nec tamen neceſſariò requirunt inſtitutionem factam lege ſtabili & diu duraturâ, alioqui nec Abraham in monte, ſi filium immolaſſet, nec de facto Chriſtus in Cruce verum ſacrificium obtuliſſet: His permoti Lugus *præcit. num. 48.* Arriaga *præcit. ſec. 4. num. 37.* Madernus *quæſt. 1. art. 4 num. 3.* & Herincx *diſp. 1. quæſt. 2. num. 36.* perplexi ſunt, & quaſi problematici in eo, quod requiratur necne ad rationem ſacramenti permanens ac ſtabilis inſtitutio : Nihilominus audiendi non ſunt & in quæſtione, quæ partim facti eſt, partim de nomine, non ſunt communiori Sanctorum Patrum & Scholaſticorum ſenſui præferendæ leves congruentiæ, & arbitrariæ, rationes dubitandi. Ideò

26. Occurritur rationibus dubitandi pro ſacramento inſtituto, aut inſtituendo, ſine lege ſtabili & pro una vice.

Ad primam inſtantiæ partem dico frequens eſſe in moralibus, ut aliquid certum ſit quoad ſubſtantiam incertum ac indefinitum quoad temporis quantitatem, aliaque hujuſmodi, ſic v.g. certum eſt nos teneri aliquoties in vitâ ad actus fidei, ſpei, & charitatis, incertum quoties nec benè negatur tales virtutes aliquoties obligare eo quod non poſſit aſſignari quoties obligent ; ità proportionaliter &c. Ad aliam partem inſtantiæ dico pro inductione à nobis factâ ſufficere, quod eam hucuſque univerſalem & adæquatam cenſuerint Sancti Patres Scholaſtici communiter ; & indigeret aliquâ, quâ tamen caret, poſitivi fundamenti firmitate Lugus in eo quod dubitat, aut opinatur, de impoſitione manuum Moyſis alioqui eadem facilitate fas eſſet dubitare, aut opinari, quòd vera fuerint ſacramenta tranſitus populi per mare rubrum, ignearum linguarum deſcenſus ſuper Apoſtolorum capita in die Pentecoſtes, & id genus alia. Illatio à fine nec unico nec primario non eſt quidem demonſtrativa & neceſſaria, eſt tamen probabilis & valdè congrua, quoties nihil eſt quod cogat hujuſmodi finem, quamvis nec unicum, nec
27. primarium, excludere. Confirmatio ex eo quod verificetur ut plurimum probat ſufficienter, quia à regula generali, ut plurimum verâ, non ſunt excipiendi particulares caſus ſine particulari neceſſitate, quæ nulla eſt in caſu noſtro. Paritas ſacrificiorum, quæ in nos retorquetur, eluditur ex diverſa nominum impoſitione, nimirum ex eo, quod ſacrificij nomen impoſitum ſit ad ſignificandam inſtitutionem etiam non ſtabilem, ſecus nomen ſacramenti ; quod nobis conſtat à poſteriori ex uſu Scholaſticorum & Patrum, à quibus deductum eſt nomen ſacramenti ad ſignificanda ſigna, de quibus nunc agitur ; undè etiam præſentem doctrinam limitamus ad ſacramenta ſumpta ſecundùm primævam nominis impoſitionem, nec negamus cum ampliatione, & mutatione aliqua ſignificationis primævæ, dicenda fore ſacramenta ea gratiæ ſigna, quibus reliqua ſacramentorum requiſita habentibus deeſſet ſola ſtabilitas.

Urgebis inſtitutio ſtabilis à non ſtabili differt ſolùm penes magis, vel minus durare ; atqui magis vel minus durare non variat eſſentiam rei ; ergo inſtitutio ſtabilis, vel non ſtabilis, non variat eſſentiam Sacramenti ; atque adeò poteſt iſtud ſubſiſtere cum inſtitutione etiam non ſtabili. Sed contrà ; tranſeat major, quam etiam negare potes dicendo inſtitu- 28. Duratio major, vel minor, quandoque ſpectare poſſit ad eſſentiam rei.
tionem ſtabilem à non ſtabili differre penes exigentiam magis, vel minus durandi potiùs, quàm magis vel minus durare ; tranſeat, inquam, major, diſtinguo minorem, quam omiſſo reſpectu rei phyſicæ, nego abſolutè reſpectu rei moralis, cujuſmodi eſt ſacramentum ; & ſicuti de ratione perfectæ amicitiæ, multóque magis de ratione beatitudinis eſt, quod ſpecialiter petat ſemper durare ; ità benè poteſt de ratione ſacramenti eſſe, quod ſpecialiter petat durare diu.

Ex omnibus hucuſque dictis manet probatū aſſertum etiam quoad ultimas particulas, quibus ſervatâ primævâ nominis ſignificatione ponitur ſimpliciter eſſentiale, & de potentia etiam abſolutâ neceſſarium in ſacramento, quod ſit ſignum ad placitum, & permanens ac diuturnum.

---

§. III.

Utrùm ſit omnibus ſacramentis eſſentiale ſignificare perfectam, & conferre imperfectam ſanctitatem?

ASSERT. 1. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare perfectam ſanctitatem, id eſt gratiam juſtificantem, ſeu gratum facientem. Ità Magiſter *in 4. diſt. 1.* Hugo Victorinus *libro primo de ſacrament. par. 9. cap. 1.* D. Thomas *hic quæſt. 60. artic. 2. ad 3.* Gonetus *diſputat. 1. art. 2. §. 1.* Suarez *diſputation. 1. ſec. 2. §. dico tertio,* Amicus *diſputation. 1. ſec. 1. num. 5.* Lugo *diſputat. 1. ſec. 2.* & reliqui magis communiter contrà Melchiorem Cano *relect. de ſacram. par. 1* Bellarminum in Controv. *tom. 2. lib. 1. cap. 12. propoſ. 2.* Caſpenſem *diſput. 1 ſec. 3.* Philippum à SS. Trinitate *diſputation. 1. dub. 1.* Averſam *quæſt. 60. ſec. 2.* alioſque nonnullos ex Scholaſticis, & à fortiori contrà plures

ſectarios

Sectos, qui non (ſicut præcitati Scholaſtici) ſoli Sacramentis antiquis, ſed & novis negant perfectè ſanctitatis, quæ per gratiam eſt, ſignificationem; ut magis inſinuabimus *ſeq. §. 4. num.*

29. Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis ſignificare ſanctitatem perfectam.

Patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 3.* probante, quòd ſacramentum in communi à Magiſtro *in 4. diſt. 1.* dictum ſit *inviſibilis gratiæ viſibilis forma*; cui etiam conſonat quod Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum cap. 16.* ait *Sacramentum eſſe donum temporale, ſignificare donum æternum* & 10. de Civit. cap. 5. *eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam*: Item quod ex D. Iſidoro *lib. 6. etymol. cap. 14.* habetur ſacramenta dici, *Quia ſub tegumento corporalium rerum divina virtus ſecretius ſalutem operatur*: ſacræ autem perfectæ, non imperfectæ, ſanctitas venit nomine gratiæ inviſibilis, doni æterni, rei ſanctificantis animam, virtutis operatis ſalutem; ergo. Auctoritatibus accedit multiplex ratio, potiſſima mihi videtur poſſe ſic formari. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem occultam; atqui ſanctitas occulta eſt ſola ſanctitas perfecta, quæ per gratiam ſpiritualem, internam, inviſibilem, non ſanctitas imperfecta, quæ legalis & externa conſiſtens in uſu ſacrarum ceremoniarum, in exteriore conſecratione & deputatione ad Dei cultum, in quibuſdam luſtrationibus, expiationibus, & emundationibus corporis; ergo omnibus Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem perfectam, quæ per gratiam &c. Major probatur ex eo quod *num. 1.* obſervatum eſt Sacramentum apud ſacros Auctores dici à re ſacra, non quacumque, ſed abdita & arcana; undè & ſolet appellari Myſterium, cujus nomine nemo non concipit denotari aliquid magnum, occultum, & latens; ergo. Confirmatur ex eo, quòd non aliter meliùs aſſignari poteſt tum diſcrimen inter ſacramentalia & ſacramenta, tum ratio ob quam illa, non iſta, ex communi Scholaſticorum ſenſu poſſint ab Eccleſia institui; quam ponendo, quod Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare perfectam ſanctitatem, quam ſacramentalia non ſignificant, licet imperfectam & ſignificent & conferant, ut ex dicendorum progreſſu innoteſcet; ergo. Confirmatur ſingillatim quoad ſacramenta antiqua ex Concilio Florentino *in decreto unionis* dicente ea *gratiam per paſſionem Chriſti dandam figuraſſe*; atqui gratia per paſſionem Chriſti danda eſt perfecta ſanctitas, & figurare eſt ſignificare; cum omnis figura ſit ſignum rei figuratæ, unde Arriaga *diſp. 1. ſec. 4. n. 32.* ait ſe non capere, quomodò Hurtadus dixerit tranſitum maris rubri, aquam fluentem de petrâ, & ſimilia non fuiſſe gratiæ ſignum, fuiſſe tamen gratiæ figuram.

30. Dices: Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſenſibiliter & infallibiliter, ex dictis enim ſunt eſſentialiter ſigna ſenſibilia, & ex divina inſtitutione; quatenùs ſenſibilia ſignificant ſenſibiliter, quatenùs ex divina inſtitutione ſignificant infallibiliter, cum infallibilis ſit divina inſtitutio & infruſtrabile divinum beneplacitum; atqui ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, nullatenùs poteſt ſignificari ſenſibiliter, & ſaltem ſecundum præſentem providentiam non poteſt per aliquid, cujus uſus in noſtra poteſtate ſit, ſignificari infallibiliter; ergo ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, non poteſt per ſacramenta ſignificari, ac per conſequens ſacramentis eſſentiale non eſt ſignificare &c. Minor probatur quoad primam partem, quia repugnat in terminis quod inſenſibile cujuſmodi eſt gratia, ſenſibiliter ſignificetur, alioqui inſenſibile ſenſibile redderetur, quoad ſecundam, quia ſecundùm præſentem providentiam nullus noſtrum poteſt habere infallibilitatem & certitudinem de ſua perfecta per gratiam ſanctitate, quam tamen facile eſſet cuique habere per ſuſceptionem & uſum ſacramentorum, quæ in ſua habet poteſtate, ſi hæc illam infallibiliter ſignificarent; habens enim infallibile ſignum habet infallibilitatem & certitudinem exiſtentiæ ejus, quod ſignificatur per tale ſignum. Sed contrà. Inſtantia ut conſideranti patet valdè nimis probat, conceſſa igitur majore, nego minorem;

31. Quomodò inſenſibile poſſit ſignificari ſenſibiliter.

Ad probationem ejus quoad primam partem dico rem inſenſibilem ſenſibiliter ſignificari nihil aliud eſſe, quàm ejus ſpeciem in intellectu excitari per ſpeciem rei ſenſibilis receptam in ſenſu, in quo non eſt major difficultas, quàm in eo quòd per ſpecies viſibilium excitemur ad intelligenda inviſibilia, per ſpecies creaturarum ad intelligendum Creatorem juxta Apoſtolum *Rom. 1.* dicentem *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* In formâ diſtinguo, repugnat quod inſenſibile ſenſibiliter ſignificetur ſenſibilitate ſua ſeu rei ſignificatæ, concedo; ſenſibilitate aliena ſeu rei ſignificantis, nego, eademque ratione repugnat quod inſenſibile reddatur ſenſibile per ſe & ſenſibilitate ſua, non per aliud & ſenſibilitate aliena. Neque dicas inſenſibile nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificare; ergo pariter nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificari. Contrà enim, in primis nutat antecedens, quia dolor internus & in ſe inſenſibilis, quatenùs eſt pars ſacramenti, dici poteſt ſenſibiliter ſenſibilitate aliena, alterius ſcilicet comparatis, ſignificare gratiam ſacramentalem: deindè dato antecedente optimè adhuc negabitur conſequentia, ut optimè negaretur in his illationibus præallatæ ſimilibus & æquivalentibus; Significare vocaliter non poteſt niſi vox; ergo ſignificari vocaliter non poteſt niſi vox: Sola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentare, ergo ſola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentari. Ratio à priori ſit, quia repræſentans & repræſentatum, ſignificans & ſignificatum, non eſt neceſſe quod ſint ejuſdem rationis, non valet igitur illatio à re ſignificante aut repræſentante ad rem ſignificatam aut repræſentatam, nec eſt in iſta requirendum quidquid ad illam requiritur.

32. Quomodò ex infallibili ſignificantia gratiæ in ſacramentis nò poſſimus

Ad probationem ejuſdem minoris quoad ſecundam partem, dico ſermonem eſſe de Sacramentis, vel antiquis, vel novis: Pro antiquis probatio non eſt ad rem, quia ſacramenta antiqua ex dicendis (ſi Circumciſionem & remedium originalis excipias) ſignificabant gratiam futuram,

habere infallibilitatem gratiæ in nobis.

futuram, & dandam in lege nova; nec eſt inconveniens quòd tunc haberetur certitudo gratiæ per Chriſtum in lege nova futuræ: Pro Sacramentis novis (eademque eſt ratio de Circumciſione & originalis remedio inter antiqua) dico eſſe infallibile ſignum gratiæ exiſtentis, & præſentis in ſuſcipiente, ſuppoſito quod validè & ſine obice ſuſcipiantur; nemo autem ſecundùm ordinariam providentiam habet certitudinem & omnimodam (ſubintellige fidei) infallibilitatem, quod ſacramentum ullum ſit hic & nunc validè & ſine obice ſuſceptum; Sacramentum igitur ea ratione, qua eſt infallibile præſentis & exiſtentis gratiæ ſignum, nunquam cadit exercitè & in particulari ſub noſtram certam & infallibilem cognitionem; ideò neque ſub hanc ex vi Sacramenti exercitè & in particulari cadit noſtra perfecta per gratiam ſanctitas, ut etiam attigimus in tract. de Gratia *lib.3.cap.3.num.17.*

Dices ſingillatim quoad ſacramenta antiqua: Hæc, ut mox ex dicendis ſuppoſuimus, ſignificabant gratiam futuram & dandam alijs in lege nova, non tunc præſentem & quæ daretur ipſa ſuſcipientibus; atqui taliter gratiam ſignificare eſt eam ſignificare ſolùm per modum figuræ aut ſigni, ſi vis, non ſacramentalis; ergo ſacramenta antiqua non ſignificabant gratiam ut ſacramenta & ut ſigna ſacramentalia, ſicuti tamen debuiſſent ſignificare ex noſtri aſſerti intento. Minor probatur primò, quia ſecùs fuiſſent ſacramenta omnes figuræ, quæ in antiqua lege gratiam futuram in nova ſignificarunt, ſicque fuiſſet ſacramentum manna utpotè figura Euchariſtiæ & gratiæ per Euchariſtiam dandæ; tranſitus maris rubri, utpotè figura ſalutis per baptiſmum conſequendæ; ſerpens æneus, utpotè figura curationis peccatorum faciendæ per Chriſti gratiam: ſecundò quia ex doctrina D. Thomæ 1. 2. *quæſtio.*101. *art.*4. & *queſt.* 102. *art.*5. ſacramenta differunt ab alijs ſactis & ſacrificijs potiſſimùm ex eo quod illa ordinentur ad ſanctificationem ſeu conſecrationem eorum, à quibus ſuſcipiuntur, ſacramentum igitur ut ſacramentum ſignificat ſolùm ſanctitatem, quæ de præſenti detur ſuſcipienti, non quæ de futuro danda ſit alijs; & hæc poſterior ſignificatio ad ſignum figurativum, ſola prior ad ſignum ſacramentale pertinet. Sed contra: nego minorem,
34. & dico ſignum figurativum gratiæ in alijs futuræ poſſe optime eſſe ſacramentum ſeu ſignum ſacramentale, quoties ſimul ſignificat aliquam imperfectam ſanctitatem, quæ de præſenti conferatur ſuſcipienti, & ex hoc capite non fuerunt ſacramenta figuræ illæ quæ in prima minoris probatione recenſentur, ex eodem capite ſaluatur doctrina D. Thomæ, quæ pro ſecunda ejuſdem minoris probatione memoratur; inſtantia ad ſummum vim aliquam haberet, ſi diceremus ſignificationem perfectæ, quæ per gratiam, ſanctitatis eſſe ſacramentis eſſentialem tanquam adæquatam ipſorum ab omnibus non ſacramentis differentiam; at hoc à nobis non dici conſtat ex ſequenti aſſerto.

Aſſert. 2. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre aliquam imperfectam & externam ſanctitatem. Colligitur hoc ex D. Thoma *cit. art.*4. & 5. & traditur à Joanne à S. Thomâ *diſp.*22.*art.*1.*dub.*2. Suario *diſp.*1. *ſec.* 2 *&c. ſecundo* Amico *diſp.*1. *ſec.*1. *num.*7. Lugo *diſput.*1.*ſec.*2. Arriaga *diſp.*1.*ſec.*4 *ſubſec.*1. [illegible] diſſidentibus tamen inter ſe in modo, quo id eſſentiale ſit; nam Joannes à S. Thoma vult id eſſe eſſentiale ſolùm per modum conditionis & ex parte ejus quod Sacramentum importat de materiali, idemque videntur ſentire reliqui Thomiſtæ, quamvis ſoleant minùs expreſsè loqui. Suarez, Amicus & Lugo volunt id eſſe eſſentiale ſubdisjunctò, & cum aliqua indeterminatione; adeò ut de eſſentia ſacramenti ſit conferre ſanctitatem aliquam, non imperfectam determinatè, ſed vel imperfectam vel perfectam, illam ex ſuppoſitione quod non iſtam; & totum explicant terminis abſolutè dicendo eſſe de eſſentia ſacramenti conferre ſanctitatem proportionatam ſtatui, cujus ſunt ſacramenta; qui dicendi modus Arriagæ diſplicet præcipuè ex eo quod minus bene ſuet convenientiam univocam inter diverſorum ſtatuum, ſeu antiquæ & novæ legis, ſacramenta

Probatur. Omnibus Sacramentis eſſentiale eſt, quòd ſint quid ſacrũ non ſolùm ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione ſui; atqui hoc ipſo quod ſunt quid ſacrum ratione ſui, conferunt ſuis ſuſcipientibus aliquam imperfectam & externam ſanctitatem; ergo omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre &c. Major probatur & explicatur quia ſacramentum eſſe quid ſacrum etiam ratione ſui valdè congruit ætimologiæ nominis, ſive conſideretur nomen latinum ſacramenti, quod ipſo vocis ſono quid ſacrum involuit, ſive expendatur nomen græcum Myſterij, quod ut obſervant Bellarminus *tom.*1.*lib.*1.*cap.*8. & Lugus *pracit. ſect.* 2. *num.*9. ex prima ſua ſignificatione idem ſonat ac ſacrum initium; hinc Magiſter ut *num.* præmiſimus expreſſit Sacramentum eſſe ratione ſui, non ratione ſolius rei ſignificatæ, quid ſacrum, dicens illud eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum: hinc etiam D. Thomas *præcitat. articul.* 4. & 5. ſacramenta recenſet inter cæremonias & ritus pertinentes ad Dei cultum & ad veræ religionis profeſſionem, ſunt igitur ratione ſui quid ſacrum & religioſum. Probatur jam minor, ſuſcipere aut exercere aliquid ratione ſui ſacrum eſt hoc ipſo ſacrari & ſanctificari, ſi igitur ſacramenta ſunt aliquid ratione ſui ſacrum; & quidem non ſanctitate perfecta gratiæ gratum facientis ut per ſe patet, ſed imperfecta, cæremoniali, & per denominationem extrinſecam ab ordinatione divina, conſequens eſt ipſa conferre ſuis ſuſcipientibus aliquam ſanctitatem, hancque imperfectam & externam: Enimverò reddi exteriùs Dei cultorem & veræ religionis profeſſorem, nonne eſt exteriùs reddi aliquomodo ſanctum & ſacrum? ſi igitur ſacramenta ſunt ritus & cæremoniæ ſacræ, quibus Deum colimus exterius, veramque religionem profitemur, hoc ipſo nos reddunt cultores Dei, profeſſores religionis, atque adeò aliquomodo ſanctos & ſacros.

35. Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis conferre ſanctitatem imperfectam, & cæremonialem ſacram.

Dices primò: Non apparet quomodò detur ritus aliquis aut cæremonia ſacra in Eucha- 36.

riſtia

Digitized by Google

riſtia, in Matrimonio; imò nec in baptiſmo, aut in circumciſione reſpectu parvulorum; ergo non eſt univerſaliter verum quod ſacramenta ſint ritus ac cæremoniæ ſacræ, quodque ex hoc capite ſuis ſuſcipientibus conferant aliquam imperfectam ſanctitatem: probatur antecedens, quia ritus & cæremoniæ conſiſtunt in actione, & important aliquid tranſiens; Euchariſtia autem utpotè ſacramentum permanens nequidem partialiter poteſt per actionem tranſeuntem conſtitui; Matrimonium importat eas ſolas actiones, quæ requiruntur ad conſtituendum contractum naturalem, & redditum eſt ſacramentum in lege nova per hoc præcisè, quod talibus actionibus addita ſit ſignificatio gratiæ, non per hoc quod ſpecialiter fuerit injuncta contrahentibus aliqua actio per modum ritus, & cæremoniæ ſacræ; Parvuli antè uſum rationis ſunt incapaces cujuſcumque actionis; baptiſmus igitur & circumciſio reſpectu ipſorum nequit importare ſacram

37. Quomodo reperiatur ratio cæremoniæ ſacræ in Euchariſtia. cæremoniam conſiſtentem in actione. Sed contrà; nego antecedens, ad cujus probationem quoad Euchariſtiam dico eum, qui hanc aut conſecrat aut ſumit, certè exercere actionem aut quaſi actionem divini cultus & veræ religionis proteſtativam, adeóque Sacram cæremoniam; ideò Euchariſtia quamvis ſit ſacramentum permanens, ſicuti dicit ordinem ad conſecrationem & ſumptionem: ita quoque ad cæremoniam ſacram, & eſt cæremonia ſacra in actu ſignato, qua deindè ratione eſt in nobis ſignum exercitè notificans ſanctitatem internam perfectam, eſt ſimul cæremonia ſacra exercitè tribuens ſanctitatem externam

In Matrimonio. imperfectam. Quoad matrimonium dico actiones ipſas naturales ad conſtituendum contractum requiſitas, quin & ipſummet naturalem contractum, induiſſe rationem cæremoniæ ſacræ in lege nova per hoc, quod ex divina ordinatione fiant non præcisè in officium naturæ, ſed ſimul in proteſtationem religionis & repræſentationis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; quod habetur ſufficienter quoties contrahentes contrahunt in facie Eccleſiæ, & cum animo faciendi quod intendit Eccleſia.

Et in ſacramentis Parvulorum. Quoad baptiſmum & circumciſionem dico cæremoniam conſiſtere in actione, non tamen activè tantum ſed & paſſivè ſumpta, parvuli autem antè uſum rationis ſunt incapaces actionis ſumptæ activè, non ejuſdem ſumptæ paſſivè; & ſicuti uſus paſſivus ſacramentorum, de quibus agitur ſufficit ad conferendam parvulis ſanctitatem perfectam, ita non eſt cur non ſufficiat ad conferendam iiſdem ſanctitatem imperfectam?

38. Dices ſecundo: Si omnibus Sacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem imperfectam, omnia ſunt in genere cauſæ, non verò ſolùm in genere ſigni ut §. 1. dicebatur; ergo doctrina præſens inconſequens eſt & contraria præcedenti; antecedens probatur ex eo, quod omnibus Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare ſanctitatem perfectam, omnia ſunt in genere ſigni, cur ergo ex eo, quod iiſdem omnibus eſſentiale ſit conferre, quod eſt cauſare ſanctitatem imperfectam, non omnia ſunt in genere cauſæ? Neque obeſt hic analogia, quia licet ſit analogus cauſæ conceptus, ſi comparetur in antiquis ad imperfectam, in novis ad perfectam ſanctitatem; aut in utriſque ad perfectam, ſed impropriè ab antiquis, propriè à novis cauſandam; bene poterit idem conceptus eſſe univocus ſi comparetur ad ſanctitatem imperfectam cauſandam ab utriſque eodem modo, ideſt moraliter & ſub ratione cæremoniæ ſacræ. Sed contrà: diſtinguo antece- 39.
dens; ſi omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem &c. omnia ſunt in genere cauſæ ſecundùm quid & ſecundum ſuum materiale concedo, ſimpliciter & ſecundùm formale nego antecedens & conſequentiam; illa enim, quæ in multis conveniunt, non illicò ſunt conſtituenda in multiplici genere, niſi conveniant in multis æquè primò & æquè principaliter ſe habentibus. Dico autem finem præcipuum & potiſſimum ſacramentorum conſideratorum formaliter, ut ſacramenta ſunt, eſſe gratiam internam & ſanctitatem perfectam, ſicque ſacramenta in eo ſolùm convenire ſimpliciter, tanquam in genere, in quo conveniunt relatè ad hunc finem; & quia per nos relatè ad hunc finem conveniunt in ſola ratione ſigni, non ſimul in ratione cauſæ, conſequens eſt ea ſimpliciter eſſe ſolùm in genere ſigni: Quòd deinde ratio cauſæ ſit iiſdem ratio conveniendi relatè ad ſanctitatem imperfectam eſt ſecundarium, ſicut finis ſecundarius Sacramentorum eſt ſanctitas imperfecta; eſt item materiale, noſtra enim ſanctificatio imperfecta habetur ab eo, quod eſt ſacramenti materia, ideſt ab ipſa actione ſeu cæremonia ſacra, puta ab ablutione in baptiſmo, à confeſſione in pœnitentia &c. Accedit quod, dum aliquid dicitur eſſe in genere cauſæ intelligi ſolet de cauſa efficiente, unde etiam Auctores ſacramenta in genere cauſæ collocantes illis tribuunt aliquam cauſalitatem effectivam in gratiam: & tamen ex alia parte ſanctitatem imperfectam, quam ſacramenta conferunt, conferunt formaliter, non effectivè; ſi igitur ex hoc capite ponantur in genere cauſæ erunt in genere cauſæ formalia, atque adeò non in genere cauſæ ſimpliciter; ſicuti gratia ex eo quod reddat formaliter ſanctum, albedo ex eo quod reddat formaliter album, anima ex eo quod reddat formaliter vivens, cæteræque formæ non dicuntur eſſe ſimpliciter in genere cauſæ relatè ad ſuos effectus formales, fortè quia ab iſtis non diſtinguuntur.

§. IV.

Utrùm ſacramentum poſſit ſimpliciter ac propriè definiri, & quam variè à variis definiatur.

ASSERT. 1. Sacramentum poteſt definiri ſimpliciter ac propriè, definitione ſcilicet metaphyſica per genus & differentiam; 40.
non verò ſolùm craſſo modo & non ſervata

 definitio

definitionis rigoroſæ legibus deſcribi. Ita in primis ſuppoſitivè, ſi minùs aſſertivè, quicumque Sacramentum definiunt non revocata in dubium ejus definibilitate, & deindè in terminis formalibus Joannes à S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 2. Bellarminus *in controv. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 10. Suarez *diſp.* 1. *ſec* 4. Arriaga *diſp.* 1. *ſec.* 1. contrà (ut multi referunt) Richardum, Ochamum, Majorem *in* 4. *diſt.* 1. & ex parte Scotum *ead diſt. quæſt.* 2. Fabrum *diſp.* 1. *c.* 2. Vaſquium *diſp.* 128. *cap.* 2. & nonnullos alios negantes ſacramentis propriam perfectamque definibilitatem, eo quod ea cenſeant vel entia per accidens, vel entia rationis. Nihilominùs ex hoc ipſo impugnantur, pro quo

41. Suſtineri poteſt propriè definibile ens per accidens.

Adverto ſuſtineri in primis poſſe quod tum entia per accidens, tum entia rationis, ſint ſimpliciter ac propriè definibilia: Neque enti per accidens obſtat quod ſit multa potiùs, quam unum; definibile autem ſeu una definitione exprimibile non ſit niſi quod eſt unum: Non obſtat hoc, quia ens per accidens eſt multa potiùs quàm unum diviſivè & in eſſe ſimplici; eſt tamen quid unum ſumptum collectivè & in eſſe complexo ac concreto, quo ſolum ratione eſt quid unum etiam compoſitum ſubſtantiale, quamvis ſit ens per ſe; quod deindè unio in compoſito ſubſtantiali intendatur per ſe à natura, non in compoſito accidentali ſeu in ente per accidens, ſicuti nihil facit ad unitatem aut multiplicitatem, ita nec ad definibilitatem; & præterrà etiam accidens ſimplex & abſtractum non intenditur per ſe, per ſe verò intenditur ſimplex ſubſtantia; & tamen accidentia ſaltem conſiderata in abſtracto cenſentur propriè definibilia, & ſolent definiri: Scio quidem Vaſquium velle accidens, utpotè quod dicitur entis ens, eſſe ſolum ſecundariò ens; ſicque poſſe ſolùm ſecundario definiri; Verum eadem ratione de ſubſtantia creata comparata ad increatam dici poſſet eſſe ens ſecundarium, & ſolum ſecundario definibile: Quod accidens dicatur entis ens eſt purus modus loquendi, ex quo ſicuti accidenti nihil detrahitur de propria ratione entis, ita nec de propria ratione definibilis. Enti rationis non

42. Item ens rationis.

obſtat quòd non habeat realem quiditatem, quæ ſola eſt objectum propriæ perfectæque definitionis: Non obſtat, inquam, quia enti rationis repugnat quidem realis exiſtentia, at hæc ipſa repugnantia dici poteſt realis ejus quiditas, unde & plures Dialectici ſuſtinent dari de eo rigoroſam ſcientiam. Deindè ſi quod ens rationis ingreditur conſtitutionem Sacramentorum eſt ens rationis ſecundò intentionale ſimile ſecundis intentionibus logicis, ut maximè obſervat Scotus *prœcitat. quæſt.* 2. §. *De ſecundo*, hujuſmodi autem ens rationis, quamvis exiſtat ſolum in ratione, in hac tamen exiſtit realiter cum certè exiſtant realiter conceptus mentis; habet igitur realem eſſentiam, realem quiditatem, realemque definibilitatem; ſive hanc habeat, ſive non, ens chimericum & fictum, quod maximè venire ſolet nomine entis rationis abſolutè prolati. Verùm omittamus hæc, & permittamus nec ens per accidens, nec ens rationis, eſſe ſimpliciter definibile, adhuc aſſertum

Probatur: Sacramentum eſt totaliter ac ſimpliciter ens reale; & quamvis phyſicè & ſecundùm materialem entitatem ſit ens per accidens, moraliter & ſecundùm formalem rationem ſacramenti eſt ens per ſe; nec aliundè quidquam ei deeſt ad poſſe definiri ſimpliciter ac propriè; ergo Sacramentum poteſt definiri &c. antecedens quoad primam partem ſupponitur ex jam dictis *num.* 7. quoad ſecundam explicatur breviter quia Sacramentum moraliter, & ſecundùm ſuam formalem rationem ſumitur indiviſibiliter per modum unius, à natura ita non intenditur per ſe ut nec intendatur per accidens, eſt ſuprà naturæ intentionem quod eſt intendi à natura quaſi per ſe eminenter; undè etiam intenditur per ſe à Deo, qui eſt eminens naturæ auctor; quoad tertiam deducitur ex eo, quod nequeat aliundè aſſignari aliquid in objecto definibili requiſitum, & in ſacramento non repertum; quod enim præcipuè requiritur in objecto definibili eſt aliquod commune per quod cum alijs eſſentialiter conveniat, & aliquod proprium per quod ab alijs eſſentialiter differat, ut ex illo poſſit de ſumi genus, ex iſto differentia, quæ ſunt adæquata conſtitutiva definitionis metaphyſicæ propriè ac ſimpliciter dictæ; atqui hoc utrumque in ſacramento reperitur ut habetur ex eo, quod diximus ſacramentum eſſe in genere ſigni, & partim jam diſcuſſimus, partim *ſeq.* §. explicatius diſcutiemus, in quonam hujuſmodi ſignum differat à ſignis alijs, quæ ſacramenta non ſunt; ergo. 43.

43. Quidquid autem de eo utroque ſit, eſt propriè ac ſimpliciter definibile Sacramentum.

Dices: Non poteſt afferri ulla definitio metaphyſica ſimpliciter ac propriè talis, quæ de ſacramento eſſentialiter prædicetur; ergo quia ſacramentum non poteſt definiri ſimpliciter ac propriè definitione metaphyſica; conſequentia patet, quia non poteſt definiri id, de quo non poteſt afferri definitio, & hæc non poteſt afferri de eo, de quo non poteſt prædicari; cum nihil tritius ſit, quàm definitionem & definitum dici ad convertentiam, ſeu ad invicem eſſentialiter: Antecedens probatur, nomine ſacramenti in præſenti venit ſignum gratiæ ſeu res ſignans & ſignificans gratiam, ut nos ipſi monuimus *præcedent. numero* 1. & alibi, atque adeò nomine ſacramenti venit concretum accidentale, ſicut eſt album, cognitum &c. atqui ex una parte concretum accidentale importat quale rei, non quid rei; & ex alia parte ſola definitio explicans quid rei, non definitio ulla explicans quale rei, prædicatur eſſentialiter; ergo. Confirmatur: In baptiſmo v.g. ſacramentum & ſignum gratiæ conſurgit ex aqua, verbis, & actu divinæ inſtitutionis, ſeu denominatione & habitudine talem actum conſequente; atqui quæcumque ſacramenti definitio afferatur nec prædicabitur eſſentialiter de aqua, nec de verbis, nec de actu divinæ inſtitutionis, ſive ſumantur hæc ſingula ſeorſim ſive omnia ſimul; ergo. Sed contrà: 44.
nego antecedens ad cujus probationem poteſt in primis cohærenter ad præmiſſam animadverſionem dici rem ſignificativam gratiæ eſſe concretum accidentale phyſicè, ſecus moraliter; detur tamen abſolutè major, diſtinguo primam partem minoris, quam

concedo

concedo ſi ly *rei* ſumatur pro ſubjecto à formâ denominato, nego ſi pro toto reſultante ex ſubjecto denominato & formâ denominante; ſic v.g. *album* importat quale *rei* ſi ly *rei* ſumatur pro pariete, qui albus denominatur, & quam albedo qualificat; importat, quid non quale, ſi ly *rei* ſumatur pro toto reſultante ex pariete & albedine; hoc quippè totum verè eſt ſua quiditas, ſeu ſuum quid nec per albedinem qualificatur ſed eſſentialiter conſtituitur: eadem proportionaliter ratione eſſe ſignificativum gratiæ importat quale *rei* ſumptæ pro ſubjecto à ſignificatione denominato, puta pro aquâ & verbis in baptiſmo, at importat quid *rei* ſumptæ pro toto reſultante ex aquâ & verbis, tanquam ex ſubjecto denominatu, & ex ſignificatione tanquam ex formâ denominante, & quia hoc eſt quod venit nomine ſacramenti, optimè poterit de ſacramento afferri definitio, quæ explicet quid *rei*, quæ eſſentialis ſit, & prædicetur eſſentialiter.

45. Ad confirmationem dico tria ibi in baptiſmo enumerata (ſivè omnia ingrediantur baptiſmi conſtitutionem, ſivè non, de quo alibi) conſiderari poſſe, vel ſpecificativè & ſecundùm proprias abſolutaſque rationes, vel reduplicativè & ſecundùm quod afficiunt ſe invicem atque denominant, tanquàm ſubjectum & forma: De his tribus primo modo ſumptis neque ſeorſim neque ſimul poteſt definitio ulla eſſentialiter prædicari, alioqui deberet dari aliqua una oratio explicans quid ſit ſpecificativè & ſecundùm propriam rationem aliqua quid verba, &c. prædicari tamen optimè poteſt aliqua definitio de iiſdem ſumptis ſecundo modo, quo ſolùm ſunt ſacramentum & ſicuti ut homo dicatur ſimpliciter definibilis non eſt neceſſe quod aliqua definitio prædicetur eſſentialiter de corpore, animâ & unione ſumptis ſpecificativè & ſecundum proprias abſolutaſque rationes; ſed ſufficit quod eſſentialiter prædicetur de iiſdem reduplicativè, & ſecundùm quod ſe mutuo afficiunt, qua ſolum ratione ſunt homo, ità ſimiliter &c.

46. Aſſert. 2. Variæ admodum circumferuntur, partim à Sectarijs, partim à Catholicis, excogitatæ Sacramentorum definitiones.

Probatur & explicatur percurrendo utraſque, & in illis ſectatiorum inſinuando errores, quos continent contra fidei dogmata; in aliis vitia, quibus laborant contrà Dialecticæ præcepta aut doctrinæ noſtræ fundamenta.

Referuntur variæ ſacramentorum definitiones ex Sectariis.

Inter definitiones excogitatas à Sectarijs prima habetur ex Luthero *lib. de captivitat. babylon. cap ultim.* ubi ſacramentum dicitur, *Promiſſio ſigno externo annexa.* vel ut paulò magis explicarunt Lutherani in apologia confeſſionis Auguſtanæ art. 13. *Ritus qui habet mandatum Dei, & cui eſt addita promiſſio gratiæ.* Secundo habetur ex Calvino *lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 1.* ubi ſacramentum dicitur *Externum ſymbolum quo benevolentia ergà nos ſua promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem.* Tertia ex Zuinglio *li. de vera & falſa religione c. de ſacramentis* ubi hæc dicuntur *Initiationes quadam & oppignerationes, quibus homines ſe obligant Chriſto, & eius militia nomen dãt.* Quarta ex Phanaticis, quod ſint *Signa diſtinguentia Chriſtianos a Chriſtianis* vel quod idem eſt *Symbola quadam Chriſtiana ſocietatis* Quinta ex Anabaptiſtis, quod ſint *Allegoria & quaſi ſigna quadam bonorum operum, & vita ac morum ſpiritualium.*

47. Iſtæ omnes definitiones mutilæ ſunt, nec totam ſacramenti naturam proferunt nam tres poſteriores ſicuti nullam faciunt gratiæ mentionem, ita nullam hujus aut efficientiam, aut ſignificationem, ſacramentis tribuunt; duæ priores licet in ſacramentis agnoſcant habitudinem aliquam ad gratiam, nihilominùs ex ſuorum auctorum mente ſi minus ex verborum vi, removere à ſacramentis omnibus omnem gratiæ efficientiam; nam in definitione Lutheri ly *gratia* ſupponit quidem pro gratia juſtificationis, at antecedente cuius ſacramentum ſit ſigillum, teſtimonium, ac quaſi confirmatio; non ſubſequente cujus ſacramentum ſit cauſa, aut ſignum aliquo modo practicum: In definitione Calvini ly *benevolentia erga nos ſua* ſupponit pro gratia prædeſtinationis, quæ non ſolum eſt ſacramenti ſuſceptionem antecedens, ſed etiam eſt æterna, & nullatenus potens ſub ulla ſacramentorum cauſalitate cadere, hincq; tum Lutherana tũ Calviniana definitio infert errorem alium graviſſimum, Lutherana ſcilicet, quod a ſolis exiſtentibus in gratia; Calviniana, quod à ſolis prædeſtinatis poſſint ſacramenta ritè valideque ſuſcipi: Verum de hujuſmodi definitionum ſenſu ipſarumque erroribus, ſicut & de ampliore earundem impugnatione, ac ſolutione argumentorum, de quibus Hæretici ſibi aliqualiter blandiuntur, plura videri poſſunt apud Bellarminum *præcit. lib. 1. à cap. 14. ad 17.* & tem Controverſiſtarum, non Scholaſticorum, propriam ſufficiat nobis leviter indigitaſſe.

48. Variæ item ex Catholicis tum antiquis.

Inter definitiones excogitatas à Catholicis prima habetur ex Hugone à S. Victore *lib. 1. de Sacramentis par. 9. cap. 2.* ubi Sacramentum dicitur, *Corporale elementum foris ſenſibiliter propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ſanctificatione continens aliquam inviſibilem & ſpiritualem gratiam.* Secunda ex Magiſtro *in 4. diſt. 1.* ubi Sacramentum dicitur, *Quod ità eſt ſignum gratia Dei, & inviſibilis gratia forma, ut ipſius imaginem gerat & cauſa exiſtat* Tertia ex Scoto *ead diſt. quaſt. 2.* ubi dicitur, *ſignum ſenſibile gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* Quarta ex D. Thoma *3. p. quaſt. 60. art. 2. in c.* ubi dicitur *ſignum rei ſacra, in quantum eſt ſanctificans homines*: Quibus ſi addas breviſſimam illam, qua ſacramentum dici ſolet *ſignum rei ſacra*; aut aliquando magis, at non adhuc ſatis clarè, *inviſibilis gratia viſibilis forma*, habes celebriores Antiquorum de Sacramentis definitiones, & his deindè variæ aliæ acceſſerunt ex Recentioribus, nam ex Cano *relect. de ſacram. par. 1. circa finem* Sacramentum eſt ſignum practicum ſanctitatis alicujus ſivè internæ ſivè externæ. Ex Suario *hic diſputation. 1. ſec 4.*

Tum Recentioribus.

eſt ſacra ac ſenſibilis cætemonia homines aliquo modo ſanctificans & veram animæ ſanctitatem ex inſtitutione ſignificans. Ex Valentia *diſputation 3. quæſt. 1. punc. 1.* Eſt ſignum ex inſtitutione divinâ rei ſacræ ſanctificantis ſuſcipientem illud. Ex Lugo *diſputat. 1. ſec. 2. numero vigeſimo tertio*, eſt cætemonia ſenſibilis, quæ ſuo uſu ſanctificando ſubjectum ſignificat gratiam internam, cujus eſt cauſa Ex Arriaga *diſp. 1. ſect. 3 n. 44.* eſt cætemonia ſacra ſenſibilis, ſtabilis, in pignus gratiæ inſtituta.

49. Has definitiones libenter in medium protuli, non ad habendum examen, aut ferendum judicium de ſingulis, ſed partim ad colligendum ex omnibus, quænam prædicata ſoleant magis communiter ſacramentis tribui partim, ut jam monui, ad obſervanda in aliquibus quædam communia vitia difformia dialecticæ, in aliquibus aliis quædam non cohærentia doctrinæ a nobis alibi aut traditæ aut tradendæ. Quoad primum igitur colligo ferè omnes convenire in eo, quod tribuatur Sacramento eſſe ſignum ſeu cæremoniam ſacram item eſſe ſenſibile, eſſe ex inſtitutione. Quoad ſecundum obſervo primò laborare nimia brevitate nec ſatis diſtinguere ſacramenta a nõ ſacramentis definitiones illas *ſignũ rei ſacræ Inviſibilis gratiæ viſibilis forma:* laborant ex adverſo nimia prolixitate, & aliquid ſuperfluum continent definitiones Hugonis & Scoti, undè ex illa Hugonis poſſet commodè reſecari ly *foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans*, ex illa Scoti ly *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris:* Imputantur quoque ad vitium in definitionibus disjunctio & obſcuritas; continet autem disjunctionem definitio Cani in ly *ſivè interna ſivè externa:* præſefert obſcuritatem definitio Magiſtri in ly *ut ipſius imaginem gerat*, nec non definitio Arriagæ in ly *in pignus gratiæ*; quam etiam particulam Herincx *diſputatione 1. quæſtion. ſecunda*, §. 2. valdè improbat, tùm titulo novitatis, tum ex eo quod videatur referri ſolùm ad gratiam futuram. pignus enim dicitur, quod datur creditori in aſſecurationem futuræ ſolutionis, non quod datur quando fit ſolutio, imò per quod fit ſolutio; quomodo nam igitur ſacramenta poſſunt rectè dici data in pignus gratiæ ſi ut plurimum, quando dantur fit, imò per ipſa fit collatio
50. gratiæ. Obſervo ſecundò doctrinæ, quá dictum eſt ſacramenta non eſſe in genere cauſæ, & magis infra dicetur ſacramenta antiqua (circumciſione exceptâ) nullam habere veræ gratiæ & perfectæ ſanctitatis efficientiam, malè cohærere quod aliquæ ex præallatis definitionibus mentionem faciant cauſæ relatè ad gratiam; hinc in definitione Hugonis diſplicet ly *continens* (ſubintelligitur enim per modum cauſæ, nec poteſt aliter intelligi) *aliquam inviſibilem, & ſpiritualem gratiam*; in definitione Magiſtri ly *& cauſa exiſtat*; in definitione Lugi ly *cuius eſt cauſa*. His poſitis ne poſtquam ſacramentum ſimpliciter ac propriè definibile aſſeruimus, videamur id ipſum in re negare omnem ejus definitionem reijciendo, expedit protinùs aliquam ſtabilire. Idcò ſit

Aliqua præcedentium definitionũ vitia.

---

§. V.

Ponitur, & exponitur verior Sacramenti definitio.

Quænam ſit verior, ac melior Sacramenti generaliſſimè ſumpti definitio.

ASSERT. Sacramentum generaliſſimè 51.
ſumptum, ut abſtrahens à novis & antiquis, ſimpliciter ac propriè definitur; ſignum ſacrum ſeu religioſum gratiæ internæ, in quantum ſanctificantis homines. Hæc definitio ſynonima eſt ei quam ex D. Thomâ retulimus, addito ſolùm majoris claritatis causâ ex parte ſigni ly *ſacrum ſeu religioſum*, & loco rei ſacræ appoſito ly *gratia interna*, quam verè D. Thomas ibi intelligit nomine rei ſacræ; ad hanc etiam, ſicut nos ad gratiam, refert S. Doctor (ut colligitur ex ipſius verbis *eod. art. 2. ad 3.*) reduplicationem *ſanctificantis*, quamvis ex grammaticali loquendi modo videatur talem reduplicationem potius referre ad ſignum: eſt præterea aſſerta definitio valdè affinis definitioni relatæ ex Scoto, ſi ab hac ſubtrahas quæ abundant; item definitioni relatæ ex Suario; undè cenſenda eſt quoad rem definitio Thomiſtarum, Scotiſtarum, & plurium Recentiorum adeóque tum ex hoc in primis capite cæteris præferenda, tùm maximè ex eo, quod nec nimiùm brevis ſit, nec nimium prolixa, nec ullo aliundè titulo vitioſa, ut illico perſpicuum fiet ex expoſitione & propugnatione ejus, quam ſubjicio; Igitur

Probatur & exponitur: Dicitur *ſignum* quæ 52.
particula ſtat loco generis, & quod rectè loco generis ſtet jam oſtenſum eſt ſuprà, dum aſſerebamus Sacramentum collocandum eſſe in genere ſigni. Dicitur *ſacrum ſeu religioſum* qua particula indicatur ſacramentum eſſe etiam in ſe ipſo quid ſacrum & ad religionem pertinens, vel ut aliqui loquuntur eſſe ſacram ac religioſam cæremoniam; & hoc, utpotè *ex præcedent. numero trigeſimo quinto*, eſſentiale omni ſacramento, non verò (ut per ſe patet) omni ſigno, incipit habere rationem differentiæ contrahentis Sacramentorum genus, & valdè opportunum eſt ad diſtinguenda antiqua ſacramenta per modum figurarum ſe habentia à pluribus aliis gratiæ figuris, quæ in antiqua lege extiterunt. Dicitur *gratia interna* quam etiam vocant ſpiritualem, inviſibilem, iuſtificantem, gratum facientem, perfectam ſanctitatem; & gràtia hujuſmodi, quomodocumque vocetur, ſicuti eſt potiſſimus terminus ſacramentalis ſignificationis; & potiſſimus finis inſtitutionis ſacramentorũ; ità per ordinẽ ad ipſam habetur potiſſima ratio differentiæ & diſtinctionis ſignorum, quæ ſacramenta ſunt, ab iiſque non ſunt ſacramenta, præſertim ſi ſint ſigna in ſe ſacra: Favet huic rationi opinio exiſtimantium differentiã deſumi debere à prædicato perfectiſſimo, certè enim in Sacramentis nihil eſt perfectius, quam ſignificare, aut etiam cauſare noſtram internam gratiam Dicitur *In quantum ſanctificantis homines* quibus particulis perficitur adæquata differentia, quâ ſacramenta conſtituuntur, & traditur

traditur formalis ratio qua à Sacramentis gratia interna reſpicitur ſeu ſignificatur, quæ eſt humana per talem gratiam ſanctificatio; hincque eruuntur plura prædicata Sacramentis eſſentialia, nam ex eo quod gratia ſignificetur ut ſanctificans, eruitur ſacramentum eſſe ſignum aliqualiter practicum, cujus finis ſit operatio, aut quaſi operatio gratiæ in ſubjecto, non cognitio ejuſdem in ſe; ex eo quod ſignificetur ut ſanctificans homines, eruitur ſacramentum eſſe ſignum ad homines pertinens ſeu humanum, ac per conſequens ſenſibile, quia deinde *ex præced. num.* 23. nullum ſignum ſenſibile ſignificans practicè gratiam poteſt eſſe natum & naturale, eruitur ulterius ſacramenta debere eſſe ſigna data & ad placitum inſtituta: Quòd tandem debeant eſſe ſigna ſtabilia & permanentia, habetur tum ex hoc ipſo, quod ſint ſigna inſtituta, tum ex ratione ſigni ſacri & religioſi id eſt pertinentis ad religionem, quæ ex propria ratione petit ſtabilitatem & permanentiam; ut attigimus *præced. num.* 24. Sicque noſtra definitio non ſolum explicitè profert prædicata eſſentialia ſacramentorum primo conſtitutiva per modum generis & differentiæ, verùm etiam implicitè continet reliqua prædicata ſacramentis eſſentialia eſſe non primo conſtitutiva, quod eſt eſſe definitionem omnibus numeris abſolutam, & optimam.

54. Dices: trita & celeberrima bonæ definitionis regula eſt, quod toti & ſoli definito conveniat; atqui aſſerta definitio nec toti nec ſoli definito, id eſt nec omnibus, nec ſolis, ſacramentis convenit; Non omnibus, quia inter nova non convenit Euchariſtiæ, inter antiqua non convenit ſacramentis alijs à Circoncitione & remedio originalis; Non ſolis, quia convenit Martyrio Sacrificio, & aliquibus alijs, quæ ſacramenta non ſunt, ergo aſſerta definitio deficit à trita & celeberrima bonæ definitionis regula, & peſſima eſt, non optima.

Inſtantia contra aſſertam definitionem ut convenientem Sacramentis omnibus.

Probatur minor quoad primam partem quod ſcilicèt non conveniat Euchariſtiæ, quia in hac illud, quod principalius ſignificatur, ut conſtat ex forma conſecrationis, eſt Chriſtus, ſeu Corpus ejus & Sanguis, nō gratia, præſertim ut hominem ſanctificans, cum non ſanctificet niſi in Euchariſtiæ ſumptione, Euchariſtia verò ſit ſacramentum ante ſumptionem, ac per conſequens antequàm ſignificet gratiam ut ſanctificantem. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quod ſcilicet non conveniat Sacramentis antiquis alijs &c. quia alia ſacramenta non ſignificabant gratiam internam ut ſanctificantem ſuſcipientes ipſa, & tamen ly *inquantum ſanctificantis homines* videtur referri ad homines non quoſcumque ſed ſuſcipientes, alioqui tota ſacramenti definitio accommodabitur omnibus figuris, quibus in antiqua lege præſignabatur gratia nobis per Chriſtum danda in lege nova.

55. Probatur eadem minor quo ad tertiam partem, quod ſcilicet conveniat Martyrio, Sacrificio & aliquibus alijs, quia ſcilicet ſunt ſigna ſacra & religioſa, ut potè religionis proteſtativa; ſunt item ſigna internæ gratiæ in quantum homines ſanctificantis, cum hominibus conferant aut aliquando contulerint ad peccatorum remiſſionem & ſanctificationem internam tum Martyrium & Sacrificium, tum aliqua alia quibus ſignanter uſus eſt Chriſtus Dominus, puta lotio pedum Apoſtolorum *Io.* 13. qua fuiſſe collatam gratiam videtur deduci ex eo, quod Chriſtus dixit Petro *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*: inſufflatio in Diſcipulos *Io.* 20. dicente Chriſto *Accipite Spiritum Sanctum*, utique non accipitur ſine interna gratiæ ſanctificatione: Verba illa *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ dixit Chriſtus Paralytico *Matth.* 9. & Magdalenæ *Luc.* 7. Sed contra: Nego minorem.

Inſtantia contra eandem, ut convenientem ſacramentis ſolis.

56. Ad probationem primæ partis dico abſolutè illud ſignificari principalius ſignificatione ſacramentali quod magis ſe habet ut res ſignificata; in Euchariſtia autem gratia ſe habet ut res ſignificata magis, quam Chriſtus; quia illa eſt res ultimo & purè ſignificata; Chriſtus ita eſt res ſignificata ut ſimul ſit res ſignificans, ita ſignificatur per verba ut ſimul cum verbis ſignificet gratiam, per verba enim ſignificatur ad modum ſpiritualis alimenti, quod eſt idem ac dicere ad modum ſignificantis gratiam nos ſpiritualiter nutrientem & ſanctificantem, & quamvis Euchariſtia ſolum in ſumptione ſignificat gratiam ut ſanctificantem exercitè; tamen etiam ante ſumptionem gratiam ſignificat ut ſanctificantem ſignatè, quod ſufficit ut ſit ante ſumptionem Sacramentum.

Solvitur prima de Euchariſtia.

57. Ad probationem ſecundæ partis nego ly *in quantum ſanctificantis homines* referri dumtaxat ad homines ſuſcipientes, de ratione enim ſacramenti abſtrahentis à novis & antiquis eſt quidem ſanctificare ſuſcipientem, at imperfecta dumtaxat ſanctitate; ſanctitatem autem perfectam gratiæ internæ ſatis eſt, quod ſignificet ut ſanctificantem vel ſuſcipientem vel alios, & quod in antiqua lege aliquæ figuræ ſignificantes gratiam futuram in lege nova non fuerint ſacramenta, non eſt quia non ſignificaverint gratiam internam ut ſanctificativam ſuſcipientis; ſed quia ſuſcipienti nullam ſanctitatem imperfectam conferebant, nec erant ſigna in ſe ſeu ratione ſui ſacra ac religioſa, ut conſtat partim ex dictis §. 3. partim ex dicendis

Solvitur ſecunda de Sacramentis antiquis.

58. Ad probationem tertiæ partis quoad Martyrium, non defuerunt qui abſolutè admiſerint ipſum eſſe ſacramentum, ſub baptiſmo collocandum; adeò ut ſicut ſacramentum ordinis continet ſub ſe plures ordines, quorum ſinguli ſunt ſacramenta, ita ſacramentum baptiſmi contineat ſub ſe baptiſmum aquæ & baptiſmum ſanguinis, & utrumque ſit ſacramentum; ita refertur ſenſiſſe Major *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 1. Non defuerunt ex adverſo, qui putaverint Martyrium nequidem quoad effectum cum Sacramentis convenire, numquam ſcilicet conferre gratiam ex opere operato, ſed ex opere tantum operantis, qua ratione quod confert gratiam, ſi poſſit dici gratiæ ſignum, erit dicendum ſignum naturale potius, quam ad placitum; affertur pro hac opinione Adrianus *in* 4. *quæſt. ult. de Baptiſmo*, cui reſpectu adultorum licet non reſpectu parvulorum conferi

Solvitur tertia de Martyrio.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Eſſentiâ, & definitione Saramenti ſumpti generaliſſimè.

1. Explicatur Sacramentum quoad quid nominis.

SACRAMENTUM ex parte eamdem, ex parre diverſam, haber apud profanos, & apod ſacros Auctores, ſignificationem; haber ex parte eamdem, quia apud uttoſque juxta ætimologiam vocabuli ſonat aliquid ſacrum, & ad religionem pertinens; habet ex parte diverſam, quia apud profanos latiùs uſurpatur & ſufficit quod referatur ad ſacrum indirectè & extrinſecè connotatum; ſic depoſita quædam olim à litigantibus fieri ſolita, eò quod in loco ſacro ſervarentur, Sacramenti nomen ſortita ſunt, juramentum item eò quod per rem Sacram, & præcipuè per Deum, fiat, Sacramentum dictum eſt; & illud ſingillatim, quo milites ſe obſtringebant ad præſtandam fidelem operam Reipublicæ, appellabatur Sacramentum militare, ipſique milites tali juramento obſtricti appellabantur Sacramentarij. Apud ſacros verò Auctores illud Sacrum importatur ſtrictiùs, debet quippè eſſe res abdita, arcana, recondita; & aut ſacra in ſe ipſâ aut rei in ſe ſacræ ſignum, juxtà Magiſtrum *in 4. diſt.* 1. dicentem Sacramentum eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum: Sumitur ſacramentum pro re arcanâ, in ſe ſacra ſeu pro ſacro ſignaro 1. *Tim.* 3. ubi divini Verbi Incarnatio appellatur *Magnum pietatis ſacramentum*; item *Sap.* 2. ubi dicitur *Neſcierunt Sacramenta* (ideſt arcana concilia) *Dei*; hincque per extenſionem Sacramenti nomen in Scriptura aliquando ſupponit pro arcano ſeu ſecreto, etiam non propriè ſacro, cui tamen aliqua veneratio debeatur ſic *Tob.* 12. habetur *Sacramentum* (ideſt ſecretum) *Regis abſcondere bonum eſt.* Sumitur pro ſigno rei arcanæ in ſe ſacræ, ſeu pro ſacro ſignante, ab Auguſtino *lib.* 10. *de Civit, cap.* 15. ubi ait *Sacrificium viſibile inviſibilis ſacrificij Sacramentum, ideſt ſacrum ſignum, eſt*; & quatenùs res arcana in ſe ſacra ſacro ſignanti reſpondens eſt noſtra interna ſanctitas, ac inviſibilis Dei gratia, conſurgit Sacramenti acceptio ſeu ſignificatio propria hujus tractatus & apud Scholaſticos, Concilia, & Patres frequens; quamvis à Sectarijs communem Eccleſiæ uſum, & ſanctorum Patrum auctoritatem, contemnentibus, reijciatur tanquam nova & malè inducta, Suppoſita hac brevi Sacramen-
2. ti notione, de quâ plura attingunt Eſtius *in 4. diſt.* 1. §. 1. Bellarminus *in controverſ. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. & 8. Suarez *hic tom.* 3. *in præf.* & Gonetus *diſp.* 1. *initio*; Suppoſitâ, inquam, hac brevi ſacramenti notione quo ad quid nominis, ordo doctrinæ poſtularet nos de eodem primo agere quoad *An eſt*; quia tamen diverſitas ſentiendi circa Sacramentorum, præſertim antiquorum, exiſtentiam plurimùm pendet à diverſitate aſſignandi quiditativam & eſſentialem ſacramenti rationem expedit in præſenti quæſtione quoad *An eſt* præmittere quæſtionem quoad *Quid rei*, & variando aliqualiter cum cæteris ſcholaſticis conſuetam doctrinæ methodum illico inveſtigare Sacramenti quiditatem per rationes metaphyſicas generis, & differentiæ. Ideò ſit

---

§. I.

Utrùm Sacramentum ſit in genere Signi, an in genere Cauſæ?

ASSERT. Sacramentum, ut in præſenti ſumitur, ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni. Ita D. Thomas *hic quæſt.* 60. *art.* 1. & 2. Bonaventura *in 4. diſt.* 1. *par.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 1. §. *de tertio.* Durandus, *quæſt.* 1. *num.* 8. & 9. 3. Sacramentum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni.
Richardus *art.* 1. *quæſt.* 3. & tum Thomiſtæ & Scotiſtæ fere omnes, tum major pars Recentiorum, & licet inter Thomiſtas Cano, Martinez à Prado, Gonetus; inter Recentiores Lugus, Amicus, Averſa, & apud iſtos alij Sacramentum ſimul ponant in genere ſigni & in genere cauſæ; nihilominus vix nobis in re adverſatur, quia vel nimis late uſurpant genus cauſæ, vel declarant ſignum eſſe genus magis conveniens & magis proprium: habemus verò directè Adverſarios Capreolum *in 4. diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art* 1. Palatium *diſp.* 1. §. *Ego verò.* Stephanum Boni *tract.* 1. *quæſt.* 4. & paucos alios arbitratos Sacramentum poni debere ſimpliciter & unicè in genere cauſæ, pro quo dicendi modo ſolet etiam referri D. Thomas *in 4. diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Verùm hoc loco S. Doctor ad ſummum favet ſententiæ mediæ in utroque ſigni & cauſæ genere ſacramentum collocanti, ut perſpicuum fiet conſulenti textum, & ſingillatim expendenti verba, quæ ex eo adducit Gonetus *hic diſp.* 1. *num.* 6. & ſi quid ibi habetur aſſerto mox præfixo malè cohærens, ipſemet S. Doctor cenſendus eſt retractaſſe id aut explicaſſe *præcit. art.* 1. ſuæ ſummæ.

Probatur. Sacramentum ut in præſenti ſumitur, ut ſcilicèt ſimul complectitur Sacramenta nova & antiqua, in eo tanquam in genere ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè, in quo tanquam in aliquo eſſentiali ſimpliciter & abſolutè conveniunt omnia ſacramenta ſivè nova, ſivè antiqua; atqui hujuſmodi eſt ratio ſigni; ergo ſacramentum ut in præſenti ſumitur ponendum eſt &c. Major patet, quia genus eſt prædicatum ſuis ſpeciebus eſſentiale, ijſdemque ratio inter ſe conveniendi; ſpecies igitur in eo eſt tanquàm in genere, in quo tanquàm in aliquo eſſentiali cum ſpeciebus alijs convenit: Probatur minor, & quidem quod ratio ſigni eſſentialis ſit Sacramentis, de quibus agitur, perſpicuum eſt, ex dictis de ſacramento quoad quid nominis, tum ex recepta ab omnibus & tradita ab Auguſtino *lib.* 2. *de doctrinâ Chriſtianâ cap.* 1. definitione, qua ſignum dicitur eſſe illud *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid*

aliquid aliud facit in cognitionem venire: Quod in tali ratione eſſentiali ſimpliciter & abſolutè conveniant omnia Sacramenta, ſivè nova, ſivè antiqua, probatur ex eo quia ratio conveniendi ſimpliciter & abſolutè eſt illa, per quam habetur convenientia univoca & proxima; ſi enim non habeatur convenientia univoca, non habetur genus, quod debet eſſe conceptus univocè communis; ſi non habeatur convenientia proxima, non tàm habetur convenientia Sacramentorum inter ſe quàm cum aliquo alio, quod eſt non eſſe ſimpliciter & abſolutè genus Sacramentorum, ſicuti non eſt ſimpliciter & abſolutè genus hominum eſſe vivens; atqui reſpectu Sacramentorum per rationem ſigni habetur convenientia univoca, & proxima; & ratio cauſæ, quamvis utpotè minus latè patens, ſit magis proxima, non eſt tamen relatè ad perfectam ſanctitatem univoca utriſque Sacramentis, ſed Sacramentis novis convenit propriè, & perfectè; antiquis valdè impropriè & imperfectè, ut infrà *cap.* 3. *n.* 52. & 55.

6. Dices primò ſignum in quo tanquàm in genere ponitur Sacramentum, ſeu quod ponitur tanquàm genus Sacramenti, vel eſt ſignum naturale, vel ad placitum: Non eſt ſignum naturale, quia res illæ ſenſibiles, ex quibus Sacramenta conſtant nullam important naturalem connexionem, nullam naturalem habitudinem ad ſanctitatem, quam Sacramenta ſignificant: Non eſt ſignum ad placitum, quia cum iſtud conſiſtat formaliter in relatione rationis, conſequens eſſet aut Sacramenta non eſſe entia realia, aut ens rationis ingredi tanquam genus conſtitutionem entis realis; atqui neutrum ex his dici poteſt; ergo nec quod Sacramentum ſit in genere ſigni ſeu quod ſignum ſit genus Sacramenti. Quod ſignum ad placitum conſiſtat formaliter in relatione rationis, ſeu quod hanc importet de formali, probatur ex eo quia ſignum ad placitum conſiſtit formaliter in relatione ad rem ſignificatam habente pro ratione fundandi inſtitutionem ſeu impoſitionem alienam; atqui hoc totum nihil dicit reale intrinſecum ipſi ſigno; conſiſtit igitur in ente rationis & opere intellectus concipientis talem inſtitutionem, tanquam quid reale ſigno intrinſecum, & tanquàm rationem fundandi relationem ejus ad rem ſignificatam, puta aquæ ſeù ablutionis ad gratiam in baptiſmo, quæ aqua ſeu ablutio ſecundùm omnia, quæ habet in ſe realiter, indifferens eſt ad gratiam & non gratiam, ad hanc reſpiciendam, & non reſpiciendam, quod igitur reſpiciat eſt per ens & opus rationis, nō per aliquid reale.

7. Sed contrà; Gonetus hic *diſp.* 1. *art.* 1. §. 2. cū nonnullis alijs Thomiſtis & Vaſquio *diſp.* 128. *cap.* 4. concedit Sacramentum importare de formali ens relationemvè rationis, neque putat hoc inconveniens, quia inquit adhuc Sacramentum denominandum eſt abſolutè ens reale, non ens rationis, propter regulam generalem, quâ concreta accidentalia important in recto ſubjectum, non formam; ſupponunt pro materiali, non pro formali; ſic abſolutè dicitur album eſt ſubſtantia, cathedra eſt lignum, quatenus licet album de formali importet accidens, cathedra figuram; illud importat de materiali ſubſtantiam, iſta lignum; cum igitur materiale Sacramenti ſit quid ſenſibile reale, Sacramentum debet abſolutè dici ens reale non obſtante quod importet ens rationis de formali: Nihilominus præter quod Sacramenta *ex lib ſequent. capite primo* §. 4. quamvis ſint concreta accidentalia phyſicè, ſe habent tanquam concreta ſubſtantialia moraliter, adeóque ipſis fortaſſe non benè quadrat regula accidentalium concretorum; præter hoc inquam mihi videtur à Sacramentorum dignitate alienum eorum formale explicare per relationes rationis, & entia conficta, adeò ut Deus inſtituendo elementum in Sacramentum nihil aliud præſtet, quam præbere creato intellectui fundamentum fictionis, nec Sacramentum poſſit in ſe adæquatè dici ens reale, imò de formali & ſecundùm rationem propriam, quâ differt à non Sacramento, dicendum ſit ens rationis; ideircò tali doctrinæ non aquieſco nec admitto Sacramentum importare de formali aliquid rationis.

Sacramentum non dicit de formali aliquid rationis.

8. Ad inſtantiam autem fateor quidem & profiteor *ex ſequent. numero decimonono* Sacramentum eſſe ſignum ad placitum; at nego hoc importare de formali relationem rationis, & conformiter ad noſtra principia conſtituentia relationem in complexo fundamenti & termini ſuppoſitâ ratione fundandi, dico relationem ſigni eſſe omninò realem, quoties ſunt realia fundamentum terminus, & ratio fundandi, ut in propoſito, ubi in baptiſmo verbi gratia aqua ſeu ablutio eſt fundamentum & res ſignificans, gratia eſt terminus & res ſignificata, divina inſtitutio ſeu actus divinæ voluntatis Sacramentum inſtituentis eſt ratio fundandi, quæ utique omnia realia ſunt, realis eſt igitur relatio ſita in complexo ablutionis tanquam rei ſignificantis, gratiæ tanquam rei ſignificatæ ſuppoſita inſtitutione tanquàm ratione fundandi: Nec ſignum ad placitum differt à ſigno naturali in eo quod iſtud relatione reali, illud relatione rationis rem ſignificatam reſpiciat, ſed in eo quod ratio fundandi relationem ad rem ſignificatam in ſigno naturali ſit intrinſeca eique conveniat ex naturâ rei, in ſigno ad placitum ſit extrinſeca & conveniens ex voluntate alienâ:

Signum etiā ad placitum dici relationem realem ad rem ſignificatam.

Non ſolùm autem in noſtris principijs non diſtinguentibus relationem ab extremis ſumptis ſecundùm eſſe complexum, verùm etiam in principijs collocantibus relationem in tertiâ aliqua entitate rectè ſalvatur Sacramenta, quamvis ſint ſigna ad placitum non importare de formali relationem rationis; nam præter quod fortè de ratione ſigni eſt, quod fundamentaliter & in actu primo, non quod formaliter & in actu ſecundo ad rem ſignificatam referatur; præter hoc inquam diſtingui poteſt duplex relatio realis, altera proveniens à formâ intrinſecâ & afficiens phyſicè ſubjectum, quod relatum denominat; altera proveniens à formâ extrinſeca & afficiens moraliter, hoc ſecundo modo erit realis relatio, qua ſignum ad placitum 9.

reſpicit rem ſignificatam ; & ſicut eſſe tale, puta viſum, per denominationem extrinſecam non eſt eſſe tale per rationem, ita referri per relationem extrinſecam non eſt referri per rationem, & ſolum tum denominatio, tum relatio extrinſeca evadit denominatio & relatio rationis, quando concipitur ut proveniens à forma intrinſeca ; at nec in Sacramentis, nec in alijs ſignis ad placitum, neceſſe eſt relationem ad rem ſignificatam concipi ut provenientem à forma Sacramento & ſigno ad placitum intrinſecâ ; nec alia forma quærenda eſt præter actum voluntatis Sacramentum & ſignum inſtituentis, qui quidem actus quouſque moraliter perſeverat, moraliter afficit rem ſenſibilem ; eamque denominat extrinſecè, ſeu ab extrinſeco, inſtitutam ad ſignificandum, quod eſt idem ac dicere relatam ad rem ſignificatam.

10. Dices ſecundò. Concilium Florentinum *in decreto de unione Armenorum* Sacramenta explicat per rationem cauſæ & Tridentinum *ſeſſ.7.can.6.* per rationem tum cauſæ tum ſigni ; ergo ex mente Conciliorum Sacramentum eſt aut ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut ſimul in genere cauſæ & ſigni. Nec obſtat univocatio, quia hæc vel malè requiritur inter Sacramenta nova & antiqua, vel reſpectu utrorumque ſuſtineri poteſt in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem à perfecta & imperfecta, quamvis non relatè ad ſanctitatem perfectam determinatè : Accedit quòd ratio cauſæ eſt perfectior, quàm ratio ſigni ; ergo dignitati Sacramentorum congruentius eſt eſſe in genere cauſæ, quàm in genere ſigni; ex alia parte ratio ſigni convenit effectui potiùs, quàm cauſæ, ut patet in fumo reſpectu ignis ; Sacramenta igitur reſpectu ſanctitatis ſimpliciter & abſolutè ponere in genere ſigni eſt illis adimere reſpectu ſanctitatis rationem cauſæ, & tribuere rationem effectus, quod eſt contrà communem ſenſum.

11. Sed contrà : Aliud eſt loqui de Sacramentis novis ſeorſim, aliud de novis & antiquis ſimul ; nos nunc loquimur de novis & antiquis ſimul, & de genere communi utriſque ; Concilium Florentinum & Tridentinum locis citatis loquuntur de novis ſeorſim, & ut habent genus proprium diverſum ab antiquis ; nova autem ſic ſumpta libenter permittimus eſſe ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut in genere cauſæ & ſigni ; cum ex infrà dicendis in ratione cauſæ univocentur inter ſe, quamvis non cum antiquis. Nec verum eſt univocationem inter Sacramenta nova & antiqua, aut non requiri, aut ſaluari poſſe in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem &c. Primum enim infrà impugnabitur *cap.3 §.4.* Secundum improbatur ex eo, quòd ſanctitas abſtrahens à perfecta eſt ratio analoga, quomodo autem poteſt ſaluari univocatio relatè ad rationem analogam ? Illud, quod addebatur rationem cauſæ eſſe perfectiorem ratione ſigni, parum refert, quia in ratione generica non eſt attendendum, quod ſit magis vel minùs perfecta in ſe, ſed quod in ea magis vel minùs perfectè inferiora conveniant; & quod ratio cauſæ ſit perfectior ratione ſigni opportunum eſt ad explicandam genericam dignitatem Sacramentorum novorum ſuprà antiqua, dignitas autem communis omnibus Sacramentis ſuprà non Sacramenta relucet ſufficienter in perfectione gratiæ ſanctificantis, quam utraque Sacramenta reſpiciunt in ratione ſigni.

Quod poſtremo loco dicebatur rationem ſigni convenire effectui potiùs, quàm cauſæ, non verificatur univerſaliter, nec rectè deducitur univerſalis propoſitio ex ſingulari exemplo fumi, cum non deſint exempla alia pro ratione ſigni cauſis potiùs, quam effectui convenientis; iris enim matutina & nubes ſunt ſigna futuræ pluviæ, cujus ſunt cauſæ : Ratio igitur ſigni non excludit rationem cauſæ, ſed eſt ſecundùm ſe indifferens, ut in cauſa vel in effectu reperiatur, prout illa vel iſte notior eſt : In caſu noſtro Sacramenta ; utpotè in rebus ſenſibilibus & naturalibus inſtituta, ſunt nobis notiora, quam gratia ſanctificans, quæ inſenſibilis eſt & ſupernaturalis ; ideò, quamvis illa ſint cauſæ, iſta ſit effectus, illis potiùs quàm iſti convenit ratio ſigni : quod magis conſtabit *ex ſeq. §. 2.* ſicut & *ex §. ſubſeq.* magis perſpicuum fiet, cur Sacramentum generaliſſimè acceptum non ponatur in genere cauſæ : Sit igitur 12.

Signum quandonam melius tribuatur effectui, quam cauſæ? quando è contr.?

---

§. II.

Utrum ſignum, quod eſt Sacramentorum genus, debeat neceſſariò eſſe ſenſibile, & permanenter inſtitutum?

ASSERT. 1. Signum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet neceſſariò eſſe ſenſibile. Ita D. Thomas *quæſt. 60. art. 4.* Magiſter *in 4 diſt. 1.* Gabriel *quæſt. 1. art. 2.* Cabrera *diſput. 1. art. 4.* Joannes à S. Thoma *diſp. 22. artic. 4.* Suarez *diſp. 1. ſec. 3.* Amicus *diſp. 1. ſec. 2.* Bellarminus *tom. 2. Controv. lib. 1. cap. 9.* Herincx *diſp. 1. quæſt. 2. §. 3.* & multi alij ex omni ſchola contra Ochamum *in 4. diſt. 1. quæſt. 1.* Aliacenſem *quæſt. 1. art. 3.* Gonetum *diſp. 1. art. 4.* Vaſquium, Henriquem, Madertum, & apud iſtos aliqui alij tum Thomiſtæ tum Recentiores, qui licèt cum reliquis ferè concillentur per limitationem aſſerto interpoſitam *de quibus nunc agitur* ; nihilominus ut attingetur *ſeq. num. 18.* remanent ſaltem Adverſarij & diſſentientes in quæſtione de nomine, ideſt in ſignificatione hujus nominis *Sacramentum*, prout complectitur ea etiam, quæ per quamcunque potentiam poſſunt inſtitui. 13.

Signum, quod eſt Sacramentorum genus, debet eſſe ſenſibile.

Probatur & explicatur: Sacramenta de quibus nunc agitur ſunt Sacramenta humana, ideſt quæ pro hominibus aut fuerunt aliquando inſtituta, aut in quocumque rerum ſtatu poſſunt aliàs inſtitui ; atqui hujuſmodi Sacramentorum genus ſuppoſito ex jam dictis, quod ſit ſignum, debet neceſſariò eſſe ſignum ſenſibile ; ergo ſignum quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet &c. Major patet quia ſolùm de Sacramentis humanis conſtat fuiſſe aliqua inſtituta & potuiſſe

alia inſtitui, eademque ſola poſſunt dicere, ut dicunt Sacramenta de quibus agitur, habitudinem ad Chriſtum, qui per nos pro ſolis hominibus venit: Minor probatur, & quidem quoad Sacramenta quæ fuerunt aliquando inſtituta certum eſt ex fide, nam omnia antiqua fuiſſe tradita in ſitu ſenſibili habetur ex iiſdem locis ſcripturæ, ex quibus Sacramenta ipſa antiqua eruuntur; omnia nova componi ex rebus materialibus & verbis, adeóque ex ſenſibilibus, habent ex perpetua traditione Eccleſiæ, & ex definitionibus Conciliorum florentini præſertim ac Tridentini, ut ex profeſſo tractabitur *ſeq lib.2.* Quoad Sacramenta, quæ poſſent alias inſtitui, probatur primò, quia de iſtis ſentiendum eſt cum proportione ad ea, quæ fuerunt aliquando inſtituta, & ex quibus deducimur tum ad excogitandam aliorum poſſibilitatem, tum ad inveſtigandam primævam & propriam ſignificationem hujus nominis, Sacramentum: ut nunc ſumitur: Secundò quia Sacramenta nequeunt à Deo inſtitui aliter, quàm accommodata iis, pro quibus inſtituuntur; atqui ii, pro quibus inſtituuntur Sacramenta humana, ſenſu utuntur, & per ſenſibilia tanquam per ſibi notiora procedunt ad intelligibilia, aſſurgunt ad divina; per eadem in unum motale corpus adunantur, unam religionem proteſtantur; ergo humana Sacramenta, de quibus nunc agitur, non eſſent accommodata iis, pro quibus inſtituerentur, ſi ſenſibilibus ſignis non conſtarent; & hæc omnia confirmari poſſunt egregiis ſententiis Sanctorum Patrum, Dioniſii præſertim & Chryſoſtomi apud Suarium *præcit. ſec.3.*

14. Eſt de fide quod ſint ſenſibilia omnia Sacramenta inſtituta de facto.

Dices hæc & ſimilia ſuadere quidem, tanquam congruentiorem Sacramentorum, de quibus nunc agitur, inſtitutionem in ſignis ſenſibilibus, at non evincere poſitivè incongruam & repugnantem in inſenſibilibus; præſertim cum ex una parte Deus in noſtris principiis non neceſſitetur ad id, quod eſt melius ſeu congruentius, & ex alia parte ratio ſigni non ſit eſſentialiter alligata rei materiali & ſenſibili, conſiſtit enim præciſè in eo, quod res in ſe cognita faciat venire in cognitionem alterius; at hoc poteſt rei ſpirituali æquè ac materiali convenire; ſi autem ſemel ratio ſigni non eſt rei materiali alligata ex genere ſuo, multò minùs erit eidem alligata ex propria conditione gratiæ ſignificandæ; cum hæc majorem habeat improportionem & diſtantiam reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, & divinæ voluntati gratiæ ſignificationem imponenti ſpiritualia æquè ac materialia ſubſint. Sed contra: ſicut homo eſſentialiter conſtat parte ſenſitiva & operatur dependenter à ſenſibus, ita ſignum ſaltem humanum eſt eſſentialiter alligatum rei ſenſibili, nec conſiſtit præciſè in eo quòd res in ſe utcumque cognita faciat venire in cognitionem alterius, ſed in eo quòd hoc faciat res in ſe cognita ſenſibiliter & per ſpeciem, quam ſenſibus ingerat, juxta definitionem, cujus ſupra ex Auguſtino meminimus; ſola autem res ſenſibilis poteſt propriam ſpeciem ingerere ſenſibus & ſenſibiliter cognoſci: Spiritualia æquè ac materialia divinæ voluntati ſubeſſe verum eſt cæteris paribus & relatè ad ea, quæ non repugnant, at ex dictis alibi dum ageremus de viſione corporea Dei, repugnat etiam de potentia abſoluta ſpiritualia percipi vitaliter à ſenſu, ſeu cognoſci ſenſibiliter: Improportio & diſtantia gratiæ major reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, impertinens eſt ad rem noſtram, quia in ſigno ad placitum attenditur, quod ſit quid notius, non quod ſit quid ſimile; & licet de facto ferè omnia ea, quæ aſſumuntur in materiam Sacramenti, habeant aliquam affinitatem & congruentiam cum effectu quem præſtant; non ex hac, ſed ex propria ſenſibilitate & ex divina inſtitutione, habent rationem ſigni Sacramentalis ut magis explicabitur *ſeq. num.* 21.

15. Signum omne, ſaltem humanum, eſt eſſentialiter ſenſibile.

Urgebis: De facto ſpecies intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna, quibus homo ducitur in cognitionem objectorum & tamen ſunt res ſpirituales: ergo etiam in re ſpirituali haberi poteſt ratio ſigni humani, nec iſtud alligatum eſſentialiter rei ſenſibili. Confirmatur in ipſiſmet humanis Sacramentis, ex quibus aliqua conſtituuntur parte ſpirituali & inſenſibili, aut quoad ſubſtantiam ut eſt dolor reſpectu Sacramenti pœnitentiæ, aut quoad modum exiſtendi ut ſunt corpus & ſanguis Chriſti reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ. Sed contrà: Signa alia ſunt formalia, quæ ut medium *quo* & incognitum, alia inſtrumentalia quæ ut medium *quod* & cognitum, ducunt in alterius cognitionem; nos in præſenti agimus de ſignis humanis inſtrumentalibus, ſpecies autem intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna formalia, quæ cum non debeant eſſe in ſe nota, utique nec debent eſſe notiora eo, in cujus notitiam ducunt, aut potiùs quod formaliter notificant; ut tamen debent eſſe notiora, hincque reſpectu hominis ſenſibilia, ſigna inſtrumentalia: Undè habes obiter triplicitur nos poſſe comparare notitiam objecti ignoti; vel non procedendo ab aliquo noto, & talis notitia habetur ex vi ſigni formalis; vel procedendo ab aliquo noto, & ſimul utendo forma ſyllogiſtica, & talis notitia habetur ex vi diſcurſus; vel procedendo ab aliquo noto, quod etiam abſque forma ſyllogiſtica inducat alterius notitiam, & hæc habetur ex vi ſigni inſtrumentalis. Ad confirmationem dico vitioſam eſſe illationem à parte ad totum, & ſicuti ex eo quòd homo de facto conſtet parte irrationali, malè inferretur poſſibilis homo totus irrationalis; ita ex eo quod aliquod Sacramentum etiam humanum de facto conſtet parte ſpirituali & inſenſibili, malè infertur poſſibile Sacramentum humanum totum ſpirituale & inſenſibile. Ratio etiam ſpecialis eſt, quia pars ſpiritualis in tantum de facto ingreditur conſtitutionem alicujus Sacramenti, in quantum eſt ſenſibilis per aliud, nimirum per aliam compartem; at Sacramentum totum ſpirituale nec eſſet ſenſibile per ſe, nec per aliud. Accedit quod pars illa ingreditur conſtitutionem Sacramenti; at non ſub præciſâ ratione Sacramenti, nimirum non ut eſt Sacramentum tantum, ſed ut eſt res & Sacramentum ſimul juxta horum terminorum explicationem ponendam infrà *lib. 2. cap.* 1. §. 5.

16. Quomodò differat ſignum inſtrumentale à ſigno formali.

Major aliqua eſt difficultas; Utrùm ratio ſigni ſenſibilis ſit eſſentialis Sacramento abſtrahendo ab eo, quòd iſtud humanum ac pro hominibus iuſtitutum ſit, vel non? Difficultas duo continet: Primum eſt, utrum poſſit Deus reſpectu Angeli, aut alterius puri Spiritus, cujuſmodi eſt anima ſeparata, inſtituere aliquod gratiæ ſignum purè ſpirituale,& nullatenùs ſenſibile. Secundum, utrum tale ſignum eſſet dicendum Sacramentum, necne? Sentiendum omninò eſt poſſe Deum tribuere alicui rei ſpirituali virtutem cauſandi aliqualiter gratiam, & per ſui notitiam ducendi Angelum aut animam ſeparatam in ejuſdem gratiæ cognitionem; Utrum deindè talis res eſſet dicenda gratiæ ſignum, & utrum etiam Sacramentum? involuitur in utroque aliquid de nomine; ſi enim ſignum ſumatur juxta ſignificationem, quam habet ex definitione Auguſtini, & Sacramentum juxta eam, quam habet conformiter ad ſignum ab Auguſtino definitum, res illa ſpiritualis nec ſignum eſſet, nec Sacramentum; Quod ſi dicatur nec Auguſtinum intendiſſe definire omne ſignum, ſed ſolum humanum; nec primam impoſitionem hujus nominis *Sacramentum* fuiſſe conformatam ſeu limitatam ad ſola ſigna gratiæ humana ab Auguſtino definita; res illa ſpiritualis & ſignum & Sacramentum eſſet, angelicum

18. Senſibilitas non eſt eſſentialis omni ſigno, etiam inſtrumentali.

tamen: Et quoad primum quidem mihi veriſimilius eſt Auguſtinum non intendiſſe omne ſignum definire, & hoc in tota ſua univerſalitate debere definiri, quod præter notitiam ſui quam ingerit facit in alterius cognitionem venire, ſicque poſſe propriè dari ſigna inſtrumentalia etiam reſpectu Angelorum: Nec refert quod iſti ex modo intelligendi ſibi connaturali omnia ſua objecta immediatè cognoſcant, nec deducantur ab uno in cognitionem alterius; Nam hoc in primis verum eſt ſolùm de objectis connaturalibus, cujuſmodi non eſt gratia; & prætereà etiam reſpectu iſtorum poſſunt Angeli aut ex propria libertate, aut ex divina ordinatione, quamvis non ex indigentia, ab uno in aliud deduci, ut attigimus, dum ageremus de Angelorum diſcurſu.

Benè verò omni Sacramento.

Quoad ſecundum cenſeo hoc nomen Sacramentum ex ſua prima impoſitione fuiſſe limitatum ad ſola ſigna humana & ſenſibilia, hæc quippe ſola inſpexerunt Sancti Patres & Scholaſtici, dum gratiæ ſigna cœperunt appellare Sacramenta; & cum nihil apud ipſos reperiatur de ſignis gratiæ inſenſibilibus & angelicis, malè præſumitur eos voluiſſe etiam ad hæc transferre Sacramenti nomen, quod fuiſſet tribuere voci ſignificationem formalem majorem ratione objectiva, & re quam mente concipiebant ac intendebant exprimere; quamque vehementiſſimè inſinuarunt, dum ſemper locuti ſunt de Sacramentis, tanquam de ſenſibilibus ſignis, & viſibilibus formis: Solùm igi-

Niſi mutetur & amplietur ſignificatio ultra primævam nominis impoſitionem.

tur mutata, & ampliata vocabuli ſignificatione, appellarentur Sacramenta ſpiritualia & inſenſibilia gratiæ ſigna, quæ ad inſtar noſtrorum Sacramentorum pro Angelis inſtituerentur; ſervata verò & immutata ſignificatione, quam Sacramentum habet ex ſua inſtitutione & primævâ impoſitione, non eſt dabile Sacramentum niſi humanum, & ei ſimpliciter eſſentialis eſt ratio generica ſenſibilitatis.

Aſſert. 2. Signum quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum permanenter; imò nec de potentia abſoluta eſt dabile aliter Sacramentum ullum, attenta & ſervata ſignificatione nominis ſecundùm primævam impoſitionem. Aſſertum habet duas partes, primam in ly *inſtitutum*, & per hanc affirmat Sacramentum debere eſſe ſignum ex inſtitutione & ad placitum; ſecundam in ly *permanenter*, & per hanc ſtatuit inſtitutionem debere eſſe factam lege ſtabili & diù duraturâ; recipitur quoad utramque partem communiſſimè quatenùs procedit de Sacramentis datis de facto, quatenùs verò extenditur ad Sacramenta dabilia etiam de potentia abſoluta nonnihil adverſantur locis mox afferendis Lugus, Arriaga, Madernus, alijque nonnulli. 19.

Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex inſtitutione, & ad placitum.

Probatur prima pars: Sacramentum non eſt ſignum natum, ut ita dicam, & naturale; ergo eſt ſignum ex inſtitutione, & ad placitum; atque adeò ſignum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum: Probatur antecedens; ſignum natum & naturale eſt quod ab intrinſeco & ex natura ſua ducit in cognitionem rei ſignificatæ, ad quam propterea dicit neceſſariam & naturalem habitudinem aut tanquam cauſæ ad effectum, aut tanquam effectus ad cauſam, aut tanquam paſſionis ad eſſentiam, diſpoſitionis ad formam, imaginis ad prototypum &c. Atqui ex una parte res per ſacramentum principaliter ſignificata eſt gratia, & id cui convenit in ſacramento ratio ſigni eſt quid materiale & ſenſibile; ex alia parte nullum materiale & ſenſibile poteſt ab intrinſeco, & ex natura ſua, ducere in cognitionem gratiæ; ut quoad res materiales & ſenſibiles repertas in ſacramentis datis de facto facilè conſtat inducenti, univerſim verò probatur ex eo, quòd improportio ordinis inter materialia ſeu ſenſibilia ad gratiam, impedit ne ullum illorum poſſit ad hanc dicere neceſſariam & naturalem habitudinem, aut tanquam ad effectum, aut tanquam ad cauſam, aut tanquam ad eſſentiam &c.

Dices primò: de ratione ſacramenti eſt, quòd ſit naturaliter & ab intrinſeco ſimile effectui; at quatenùs ſimile ducit in cognitionem effectus & dicit habitudinem imaginis; ergo de ratione ſacramenti eſt, quòd naturaliter & ab intrinſeco ſit ſignum & imago; ſignum igitur quod eſt genus Sacramenti poteſt, imò debet, eſſe ſignum naturale: Major probatur ex Auguſtino *tom. 2. epiſt. 23. ad Bonifac.* dicente *Sacramenta quamdam ſimilitudinem habent earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, quam ſi non haberent, omninò ſacramenta non eſſent*; his verbis inhærens Magiſter *in 4. diſt. 1.* ait Sacramentum ita eſſe ſignum gratiæ Dei, ut *ipſius ſimilitudinem gerat* & Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacram par. 9 cap* 1. in definitione Sacramenti ponit, quod *ex ſimilitudine repræſentet*, & certè in baptiſmo v.g. nonne ablutio externa a ſordibus carnis habet ex natura ſua 20.

&

& independenter ab omni inſtitutione ſimilitudinem cum ablutione interna à ſordibus animæ? in Euchariſtia nutrimentum corporale panis & vini, corporis & ſanguinis, cum nutrimento ſpirituali augmenti gratiæ; in pœnitentia forma *ego te abſolvo* cum ſolutione à vinculis peccatorum? Sed contrà; Quatenùs instantia videtur in omnibus prorſus ſacramentis requirere naturalem ſimilitudinem cum effectu, ſeu termino ſignificato, nullatenùs infertur ex verbis Auguſtini, utpotè qui loquitur ibi de ſolis ſacramentis novis; de quibus tamen neque etiam docet id, quod instantia intendit; nam ſimilitudo naturalis, vi cujus unum ſit naturale ſignum alterius, debet eſſe formalis & propria; ſacramenta autem cum ſuis effectibus, ſi quam ſimilitudinem habent antecedenter ad inſtitutionem, eam habent fundamentalem dumtaxat & metaphoricam; metaphoricam quippè eſt, quòd gratia dicatur animæ ſordes abluere; quod ejuſdem augmentum dicatur ſpiritualis nutritio; quod peccatorum remiſſio dicatur ſolutio vinculorum: Præbet quidem hæc ſimilitudo, metaphorica, & allegorica proportionalitas fundamentum ut ea, in quibus reperitur, congruentiùs inſtituantur in ſigna ſacramentalia; at quod iſta formaliter ſignificent, habetur ab inſtitutione; quæ per ſe ipſam tribuit quamdam moralem & quaſi æquivalentem ſimilitudinem, quatenùs morali & quaſi eminenti modo præſtat in ſignis ad placitum id, quod præſtat in ſignis naturalibus ſimilitudo phyſica formalis; & vel de hac ſimilitudine morali ac eminente intelligendus eſt Auguſtinus prælaudatus in verbis illis *quam ſi non haberent omninò ſacramenta non eſſent*, vel certè loquitur de Sacramentis, ut ſunt de facto inſtituta, & nihil aliud intendit, quàm quòd ſuppoſita præſenti inſtitutione ablutionis v.g. pro materia proxima baptiſmi, ſi tollatur proportio & ſimilitudo (qualiſcumque hæc ſit) ablutionis corporis cum ablutione animæ, ac per conſequens tollatur ablutio corporis, tolletur Sacramentum baptiſmi; quod veriſſimum eſt: Aliam etiam in hac re Auguſtini ſenſum refert & commendat Arriaga *diſp. 1. ſec. 7. num. 61.* alium item Lugus *diſp. 1 ſec. 3. num. 33.* ſed nobis duo priores, iidemque receptiores ſufficiant, & Hugoni etiam Victorino, ſi lubeat, applicentur.

Margin (21.): Qualem ſimilitudinem requirat, aut habeat Sacramentum, cum effectu & termino, quem ſignificat.

Margin: 22.

Dices ſecundò: Quidquid ſit quoad ſacramenta de facto data habentia pro materia res materiales ſenſibiles ordinis naturalis, ſaltem aliquod ſacramentum dabile de potentia abſoluta poterit eſſe connaturale gratiæ ſignum, nam poterit habere pro materia rem materialem ſenſibilem ſupernaturalis ordinis, cui ineſſe connaturalem habitudinem ad gratiam evincitur de facto in ſupernaturalibus glorioſi corporis dotibus, quæ ſunt qualitates materiales & ſenſibiles, ab intrinſeco tamen connexæ cum gratia conſummata; cur igitur aliqua hujuſmodi qualitas, aut non erit ſignum connaturale gratiæ, aut non poterit dici Sacramentum? ex hoc capite Lugus *præcit. ſec. 3. num. 29.* & Arriaga *præcit. ſec. 7. num. 60.* propendent ad affirmandum non repugnantiam ſacramenti, quod ſit ſignum gratiæ naturale. Sed contrà;

23\.

Permitto entitatem aliquam materialem ſupernaturalem, quæ ſit ſignum connaturale gratiæ, at non quæ ſit, aut eſſe poſſit ſacramentum, præſertim ſervata ſignificatione, quâ Sacramenti nomen habet ex ſua primæva impoſitione; ex hac enim jure cenſetur inductum ad denotandum aliquid ſenſibile naturaliter, multoque magis, quod ſit ſignum gratiæ ipſam antecedens & aliquo modo cauſans; at qualitas ſeu entitas materialis ſupernaturalis, utique non eſt ſenſibilis naturaliter, & præterea poteſt quidem ſe habere ad gratiam, ut ſignum naturale ſubſequens & per modum connaturalis affectus; at non ut ſignum naturale antecedens & per modum connaturalis cauſæ, quod evincitur à fortiori, ex eo quod in tractatu de Gratia *lib. 3. cap. 2. n. 8.* dicebamus repugnare omninò creaturam, cui poſſit convenire connaturaliter, & ab intrinſeco, aliqua cauſalitas in gratiam.

Margin: Res materialis ſupernaturalis poteſt eſſe connaturale ſignum gratiæ, at non ſacramentum.

24\.

Probatur ſecunda pars, tum à poſteriori inducendo per ſacramenta hucuſque data, ſive in antiqua, ſive in nova lege, quæ omnia fuerunt inſtituta ſtabiliter, omnia diù duraturi, quia etiam nova diù adhuc durabunt; tum a priori ex cauſa finali; inter alios enim inſtituendorum ſacramentorum fines unus eſt, ut per ipſa fideles proteſtentur veram religionem, & ſacrentur quodammodò ad conſtituendam eandem Eccleſiam viſibilem, & exhibendum eundem cultum externum Deo; ſicut igitur Religio, Eccleſia, Ritus colendi Deum, dicunt ſtatum & petunt ſtabilem permanentiam, diuturnamque durationem, ita & Sacramenta. Confirmatur ex ratione generica ſigni ad placitum, quod ſicuti ſolet pro multis inſtitui, ita & pro multo tempore. Quantum deindè ſit hoc multum tempus & ſpatium illud, pro quo debent ſacramenta inſtitui, ut rectè dicantur inſtituta permanenter ſeu lege ſtabili ac diuturna? Arriaga *hic diſp. 1. ſec. 4. num. 38.* refert ſuppreſſo nomine aliquos requirentes totum illud tempus, pro quo durat lex, in qua inſtituuntur; aliquos alios contentos eo ſpatio, quo durat unius hominis vita: At priores loquuntur cum nimia extenſione, poſteriores cum nimia reſtrictione; Priorum regula fallit in remedio originalis pro lege naturæ, quod in Adamo & ejus deſcendentibus inducta circumciſione ceſſavit quingentis ferè annis, antequam ceſſaverit naturæ lex; & (ut arbitror) non benè audiret qui diceret in lege nova extremam unctionem v. g. futuram non fuiſſe ſacramentum, ſi eam Chriſtus inſtituiſſet aliquibus ante mundi finem ſæculis deſituram: regula poſteriorum fallit quia unius hominis vita ſæpè eſt breviſſima, & quod pro multis debet inſtitui non eſt eur onius vitæ alligetur? Arriaga ipſe *ibid.* videtur approbare ſpatium centum annorum, addit tamen fortè non defuturum, qui viginti annos dicat ſufficere: Mea ſententia ſit nihil determinatè ſentire, & rem relinquere graviori judicio, imò expectare definitionem Eccleſiæ, aut Dei, cujus ſolius eſt ſacramenta ſtatuere & inſtituere, revelationem.

Margin: Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex lege ſtabili, & diù duratura.

Margin: Ad quantum tempus debeat talis lex extendi, ut dicatur ſtabilis & diù duratura.

25\.

Dices; ex una parte hæc ipſa incertitudo temporis requiſiti ad ſacramentorum ſtabilitatem eſt

eſt validum argumentum negandi neceſſitatem ſtabilis inſtitutionis in ſignis Sacramentalibus, & nullam requirendi ſtabilitatem, ubi non poteſt aſſignari quanta requiratur; ex alia parte argumenta adducta pro ſtabili inſtitutione facile infirmantur, nam de inductione non ſatis cóſtat, quod fieri poſſit univerſaliter & adæquate; fortè enim (ut monet Lugus *pracitat.ſec.*3.*n.*48.) impoſitio manuum Moyſis, quà datus eſt Joſuë Spiritus ſapientiæ *Deuter. ultim.* fuit verum ſacramentum, ſicque haberetur in antiquâ lege exemplum Sacramenti pro breviſſimo tempore, & pro unica vice inſtituti: Illatio à fine infirma eſt, quoties agitur de fine nec unico nec primario, ut in caſu noſtro præter quod finis ille ſufficienter habetur prę hoc, quod plura, eaque principaliora, Sacramenta ſtabilia ſint, quamvis non prorſus omnia: Confirmatio verificatur ut plurimum, at non ſemper omninò; Præterea tùm illatio à fine, tùm confirmatio à ratione generica ſigni ad placitum deſumpta infringitur in Sacrificiis, quæ cum Sacramentis conveniunt, tum in prænunciato fine, tùm in genere ſigni ad placitum, nec tamen neceſſariò requirunt inſtitutionem factam lege ſtabili & diu duraturâ, alioqui nec Abraham in monte, ſi filium immolaſſet, nec de facto Chriſtus in Cruce verum ſacrificium obtuliſſet: His permoti Lugus *pracit.num.*48. Arriaga *pracit. ſec.*4.*num.*17. Madernus *quæſt.*1.*art.*4 *num.*3. & Hermex *diſp.*5.*quæſt.*5.*num.*36. perplexi ſunt, & quaſi problematici in eo, quod requiratur necne ad rationem ſacramenti permanens ac ſtabilis inſtitutio: Nihilominus audiendi non ſunt & in quæſtione, quæ partim facti eſt, partim de nomine, non ſunt communiori Sanctorum Patrum & Scholaſticorum ſenſui præferendæ leves congruentiæ, & arbitrariæ, rationes dubitandi. Ideò

26. Occurritur rationibus dubitandi pro ſacramento inſtituto, aut inſtituendo, ſine lege ſtabili & pro una vice.

Ad primam inſtantiæ partem dico frequens eſſe in moralibus, ut aliquid certum ſit quoad ſubſtantiam incertum ac indefinitum quoad temporis quantitatem, aliaque hujuſmodi, ſic v.g. certum eſt nos teneri aliquoties in vitâ ad actus fidei, ſpei, & charitatis, incertum quoties nec benè negaretur tales virtutes aliquoties obligare eo quod non poſſit aſſignari quoties obligent; ita proportionaliter &c. Ad aliam partem inſtantiæ dico pro inductione à nobis factâ ſufficere, quod eam huicuſque univerſalem & adæquatam cenſuerint Sancti Patres Scholaſtici communiter; & indigeret aliquâ, quâ tamen caret, poſitivi fundamenti firmitate Lugus in eo quod dubitat, aut opinatur, de impoſitione manuum Moyſis alioqui eadem facilitate fas eſſet dubitare, aut opinari, quòd vera fuerint ſacramenta tranſitus populi per mare rubrum, ignearum linguarum deſcenſus ſuper Apoſtolorum capita in die Pentecoſtes, & id genus alia. Illatio à fine nec unico nec primario non eſt quidem demonſtrativa & neceſſaria, eſt tamen probabilis & valdè congrua, quoties nihil eſt quod cogat hujuſmodi finem, quamvis nec unicum, nec

27. primarium, excludere. Confirmatio ex eo quod verificetur ut plurimum probat ſufficienter, quia à regula generali, ut plurimum verâ, non ſunt excipiendi particulares caſus ſine particulari neceſſitate, quæ nulla eſt in caſu noſtro. Paritas ſacrificiorum, quæ in nos retorquetur, eluditur ex diverſa nominum impoſitione, nimirum ex eo, quod ſacrificij nomen impoſitum ſit ad ſignificandam inſtitutionem etiam non ſtabilem, ſecus nomen ſacramenti; quod nobis conſtat à poſteriori ex uſu Scholaſticorum & Patrum, à quibus deductum eſt nomen ſacramenti ad ſignificanda ſigna, de quibus nunc agitur; undè etiam præſentem doctrinam limitamus ad ſacramenta ſumpta ſecundùm primævam nominis impoſitionem, nec negamus cum ampliatione, & mutatione aliqua ſignificationis primævæ, dicenda fore ſacramenta ea gratiæ ſigna, quibus reliqua ſacramentorum requiſita habentibus deeſſet ſola ſtabilitas.

Urgebis Inſtitutio ſtabilis à non ſtabili differt ſolùm penes magis, vel minus durare; atqui magis vel minus durare non variat eſſentiam rei; ergo inſtitutio ſtabilis, vel non ſtabilis, non variat eſſentiam Sacramenti; atque adeò poteſt iſtud ſubſiſtere cum inſtitutione etiam non ſtabili. Sed contrà: tranſeat major, quam etiam negare potes dicendo inſtitu- 28. Duratio major, vel minor, quomodò ſpectare poſſit ad eſſentiam rei
tionem ſtabilem à non ſtabili differre penes exigentiam magis, vel minus durandi potiùs, quàm magis vel minus durare; tranſeat, inquam, major, diſtinguo minorem, quàm omitto reſpectu rei phyſicæ, nego abſolutè reſpectu rei moralis, cujuſmodi eſt ſacramentum; & ſicuti de ratione perfectæ amicitiæ, multóque magis de ratione beatitudinis eſt, quod ſpecialiter petat ſemper durare; ità benè poteſt de ratione ſacramenti eſſe, quod ſpecialiter petat durare diu.

Ex omnibus hucuſque dictis manet probatũ aſſertum etiam quoad ultimas particulas, quibus ſervatâ primævâ nominis ſignificatione ponitur ſimpliciter eſſentiale, & de potentia etiam abſolutâ neceſſarium in ſacramento, quod ſit ſignum ad placitum, & permanens ac diuturnum.

---

§. III.

Utrùm ſit omnibus ſacramentis eſſentiale ſignificare perfectam, & conferre imperfectam ſanctitatem?

ASSERT. 1. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare perfectam ſanctitatem, id eſt gratiam juſtificantem, ſeu gratum facientem. Ità Magiſter *in* 4. *diſt.*1. Hugo Victorinus *libro primo de ſacrament. par.*9.*cap.*1. D.Thomas *hic quæſt.*60.*artic.*2. *ad* 3. Gonetus *diſputat.*3.*art.*2.§.1. Soarez *diſputation.*1. *ſec.*2. §.*dico tertio.* Amicus *diſputation.*1.*ſec.*1.*num.*5. Lugos *diſputat.*1.*ſec.*2. & reliqui magis communiter contrà Melchiorem Cano *relect. de ſacram.par.*1 Bellarminum in Controv. *tom.*2. *lib.*1.*cap.*12.*propoſ.*2. Caſpenſem *diſput.*1 *ſec.*3. Philippum à SS.Trinitate *diſputation.*1.*dub.*5. Averſam *quæſt.* 60.*ſec.* 2. alioſque nonnullos ex Scholaſticis, & à fortiori contrà plures

ſectatios

Digitized by Google

Scotos, qui non (ſicut præcitati Scholaſtici) ſolùm Sacramentis antiquis, ſed & novis negant perfectæ ſanctitatis, quæ per gratiam eſt, ſignificationem; ut magis inſinuabimus *ſeq. §. 4. num.*

29. Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis ſignificare ſanctitatem perfectam.

Patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. probante, quòd ſacramentum in communi à Magiſtro *in 4. diſt.* 1. dictum ſit *inviſibilis gratiæ viſibilis forma*; cui etiam conſonat quòd Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 16. ait *Sacramentum eſſe donum temporale, ſignificare verò donum æternum* & 10. de Civit. cap. 5. *eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam*: Item quod ex S. Iſidoro *lib. 6. etymol. cap.* 14. habetur ſacramenta dici, *Quia ſub tegumento corporalium rerum divina virtus ſecretius ſalutem operatur*: ſanctitate autem perfectâ, non imperfectâ, ſanctitas venit nomine gratiæ inviſibilis, doni æterni, rei ſanctificantis animam, virtutis operatis ſalutem; ergo. Auctoritatibus accedit multiplex ratio, potiſſima mihi videtur poſſe ſic formari. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem occultam; atqui ſanctitas occulta eſt ſola ſanctitas perfecta, quæ per gratiam ſpiritualem, internam, inviſibilem, non ſanctitas imperfecta, quæ legalis & externa conſiſtens in uſu ſacrarum ceremoniarum, in exteriore conſecratione & deputatione ad Dei cultum, in quibuſdam luſtrationibus, expiationibus, & emundationibus corporis; ergo omnibus Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem perfectam, quæ per gratiam &c. Major probatur ex eo quòd *num.* 1. obſervatum eſt Sacramentum apud ſacros Auctores dici à re ſacra, non quacumque, ſed abdita & arcana; undè & ſolet appellari Myſterium, cujus nomine nemo non
30. concipit denotari aliquid magnum, occultum, & latens; ergo. Confirmatur ex eo, quòd non aliter meliùs aſſignari poteſt tum diſcrimen inter ſacramentalia & ſacramenta, tum ratio ob quam illa, non iſta, ex communi Scholaſticorum ſenſu poſſint ab Eccleſia inſtitui; quam ponendo, quod Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare perfectam ſanctitatem, quam ſacramentalia non ſignificant, licet imperfectam & ſignificent & conferant, ut ex dicendorum progreſſu innoteſcet; ergo. Confirmatur ſingillatim quoad ſacramenta antiqua ex Concilio Florentino *in decreto unionis* dicente ea *gratiam per paſſionem Chriſti dandam figuraſſe*; atqui gratia per paſſionem Chriſti danda eſt perfecta ſanctitas, & figurare eſt ſignificare; cum omnis figura ſit ſignum rei figuratæ, undè Arriaga *diſp. 1. ſec. 4. n.* 32. ait ſe non capere, quomodò Hurtadus dixerit tranſitum maris rubri, aquam fluentem de petrâ, & ſimilia non fuiſſe gratiæ ſignum, fuiſſe tamen gratiæ figuram.

Dices: Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſenſibiliter & infallibiliter, ex dictis enim ſunt eſſentialiter ſigna ſenſibilia, & ex divina inſtitutione; quatenùs ſenſibilia ſignificant ſenſibiliter, quatenùs ex divina inſtitutione ſignificant infallibiliter, cum infallibilis ſit divina inſtitutio & infruſtrabile divinum beneplacitum; atqui ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, nullatenùs poteſt ſignificari ſenſibiliter, & ſaltem ſecundum præſentem providentiam non poteſt per aliquid, cujus uſus in noſtra poteſtate ſit, ſignificari infallibiliter; ergo ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, non poteſt per ſacramenta ſignificari, ac per conſequens ſacramentis eſſentiale non eſt ſignificare &c. Minor probatur quoad primam partem, quia repugnat in terminis quod inſenſibile cujuſmodi eſt gratia, ſenſibiliter ſignificetur, alioqui inſenſibile ſenſibile redderetur, quoad ſecundam, quia ſecundùm præſentem providentiam nullus noſtrum poteſt habere infallibilitatem & certitudinem de ſua perfecta per gratiam ſanctitate, quam tamen facile eſſet cuique habere per ſuſceptionem & uſum ſacramentorum, quæ in ſua habet poteſtate, ſi hæc illam infallibiliter ſignificarent; habens enim infallibile ſignum habet infallibilitatem & certitudinem exiſtentiæ ejus, quod ſignificatur per tale ſignum. Sed contrà. Inſtantia ut conſideranti patet valdè nimis probat, conceſſa igitur majore, nego minorem.

Ad probationem ejus quoad primam partem dico rem inſenſibilem ſenſibiliter ſignificari nihil aliud eſſe, quàm ejus ſpeciem in intellectu excitari per ſpeciem rei ſenſibilis receptam in ſenſu, in quo non eſt major difficultas, quàm in eo quòd per ſpecies viſibilium excitemur ad intelligenda inviſibilia, per ſpecies creaturarum ad intelligendum Creatorem juxta Apoſtolum *Rom.* 1. dicentem *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* In formâ diſtinguo, repugnat quod inſenſibile ſenſibiliter ſignificetur ſenſibilitate ſua ſeu rei ſignificatæ, concedo; ſenſibilitate aliena ſeu rei ſignificantis, nego, eadémque ratione repugnat quod inſenſibile reddatur ſenſibile per ſe & ſenſibilitate ſua, non per aliud & ſenſibilitate aliena. Neque dicas inſenſibile nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificare; ergo pariter nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificari. Contrà enim, in primis nutat antecedens, quia dolor internus & in ſe inſenſibilis, quatenùs eſt pars ſacramenti, dici poteſt ſenſibiliter ſenſibilitate aliena, alterius ſcilicet compartis, ſignificare gratiam ſacramentalem: deindè dato antecedente optimè adhuc negabitur conſequentia, ut optimè negretur in his illationibus præallatæ ſimilibus & æquivalentibus; Significare vocaliter non poteſt niſi vox; ergo ſignificari vocaliter non poteſt niſi vox: Sola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentare, ergo ſola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentari. Ratio à priori ſit, quia repræſentans & repræſentatum, ſignificans & ſignificatum, non eſt neceſſe quod ſint ejuſdem rationis, non valet igitur illatio à re ſignificante aut repræſentante ad rem ſignificatam aut repræſentatam, nec eſt in iſta requirendum quidquid ad illam requiritur.

31. Quomodò inſenſibile poſſit ſignificari ſenſibiliter.

Ad probationem ejuſdem minoris quoad ſecundam partem, dico ſermonem eſſe de Sacramentis, vel antiquis, vel novis: Pro antiquis probatio non eſt ad rem, quia ſacramenta antiqua ex dicendis (ſi Circumciſionem & remedium originalis excipias) ſignificabant gratiam

32. Quomodò ex infallibili ſignificantia gratiæ in ſacramentis nò poſſimus

habere infallibilitatem gratiæ in nobis.

futuram, & dandam in lege nova; nec eſt incunveniens quòd tunc haberetur certitudo gratiæ per Chriſtum in lege nova futuræ: Pro Sacramentis novis (eademque eſt ratio de Circumeiſione & originalis remedio inter antiqua) dico eſſe infallibile ſignum gratiæ exiſtentis, & præſentis in ſuſcipiente, ſuppoſito quod validè & ſine obice ſuſcipiantur; nemo autem ſecundùm ordinariam providentiam habet certitudinem & omnimodam (ſubintellige fidei) infallibilitatem, quod ſacramentum ullum ſit hic & nunc validè & ſine obice ſuſceptum: Sacramentum igitur ea ratione, qua eſt infallibile præſentis & exiſtentis gratiæ ſignum, nunquam cadit exercitè & in particulari ſub noſtram certam & infallibilem cognitionem; ideò neque ſub hanc ex vi Sacramenti exercitè & in particulari cadit noſtra perfecta per gratiam ſanctitas, ut etiam attigimus in tract. de Gratia *lib.3.cap.3.num.17.*

Dices ſingillatim quoad ſacramenta antiqua: Hæc, ut mox ex dicendis ſuppoſuimus, ſignificabant gratiam futuram & dandam alijs in lege nova, non tunc præſentem & quæ daretur ipſa ſuſcipientibus; atqui taliter gratiam ſignificare eſt eam ſignificare ſolùm per modum figuræ aut ſigni, ſi vis, non ſacramentalis; ergo ſacramenta antiqua non ſignificabant gratiam ut ſacramenta & ut ſigna ſacramentalia, ſicuti tamen debuiſſent ſignificare ex noſtri aſſerti intento. Minor probatur primò, quia ſecùs fuiſſent ſacramenta omnes figuræ, quæ in antiqua lege gratiam futuram in nova ſignificarunt, ſicque fuiſſet ſacramentum manna utpotè figura Euchariſtiæ & gratiæ per Euchariſtiam dandæ; tranſitus maris rubri, utpotè figura ſalutis per baptiſmum conſequendæ; ſerpens æneus, utpotè figura curationis peccatorum faciendæ per Chriſti gratiam: ſecundò quia ex doctrina D. Thomæ 1. 2. *quæſtio.* 101. *art.*4. & *queſt.* 102. *art.*5. ſacramenta differunt ab alijs ſacris & ſacrificijs potiſſimùm ex eo quod illa ordinentur ad ſanctificationem ſeu conſecrationem eorum, à quibus ſuſcipiuntur, ſacramentum igitur ut ſacramentum ſignificat ſolùm ſanctitatem, quæ de præſenti detur ſuſcipienti, non quæ de futuro danda ſit alijs; & hæc poſterior ſignificatio ad ſignum figurativum, ſola prior ad ſignum ſacramentale pertinet. Sed contra: nego minorem,

54. & dico ſignum figurativum gratiæ in alijs futuræ poſſe optime eſſe ſacramentum ſeu ſignum ſacramentale, quoties ſimul ſignificat aliquam imperfectam ſanctitatem, quæ de præſenti conferatur ſuſcipienti, & ea hoc capite non fuerunt ſacramenta figuræ illæ quæ in prima minoris probatione recenſentur, ex eodem capite ſaluatur doctrina D. Thomæ, quæ pro ſecunda ejuſdem minoris probatione memoratur; inſtantia ad ſummum vim aliquam haberet, ſi diceremus ſignificationem perfectæ, quæ per gratiam, ſanctitatis eſſe ſacramentis eſſentialem tanquam adæquatam ipſorum ab omnibus non ſacramentis differentiam; at hoc à nobis non dici conſtat ex ſequenti aſſerto.

Aſſert. 2. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre aliquam imperfectam & externam ſanctitatem. Colligitur hoc ex D. Thoma *cit. art.*4. & 5. & traditur à Joanne à S. Thoma *diſp.*22. *art.*1. *dub.*3. Suario *diſp.*1. *ſec* 2. & ſecundo Amico *diſp.*1. *ſec.*1. *num.*7. Lugo *diſput.*1. *ſec.*2. Arriaga *diſp.*1. *ſec.*4 *ſubſec.*1. his diſſidentibus tamen inter ſe in modo, quo id eſſentiale ſit; nam Joannes à S. Thoma vult id eſſe eſſentiale ſolùm per modum connotationis & ea parte ejus quod Sacramentum importat de materiali, idemque videntur ſentire reliqui Thomiſtæ, quamvis ſoleant minùs expreſsè loqui. Suarez, Amicus & Lugo volunt id eſſe eſſentiale ſubdisjunctò, & cum aliqua indeterminatione; adeò ut de eſſentia ſacramenti ſit conferre ſanctitatem aliquam, non imperfectam determinatè, ſed vel imperfectam vel perfectam; illam ex ſuppoſitione quod non iſtam; & totum explicant terminis abſolutè dicendo eſſe de eſſentia ſacramenti conferre ſanctitatem proportionatam ſtatui, cujus ſunt ſacramenta; qui dicendi modus Arriagæ diſplicet præcipuè ex eo quod minus bene ſuet convenientiam univocam inter diverſorum ſtatuum, ſeu antiquæ & novæ legis, ſacramenta

Probatur. Omnibus Sacramentis eſſentiale eſt, quòd ſint quid ſacrũ non ſolùm ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione ſui; qui hoc ipſo quod ſunt quid ſacrum ratione ſui, conferunt ſuis ſuſcipientibus aliquam imperfectam & externam ſanctitatem; ergo omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre &c. Major probatur & explicatur quia ſacramentum eſſe quid ſacrum etiam ratione ſui valdè congruit etymologiæ nominis, ſive conſideretur nomen latinum ſacramenti, quod ipſo vocis ſono quid ſacrum involuit, ſive expendatur nomen græcum Myſterij, quod ut obſervant Bellarminus *tom.*2. *lib.*1. *cap.*8. & Lugus *præcit. ſec.*2. *num.*9. ex prima ſua ſignificatione idem ſonat ac ſacrum initium; hinc Magiſter ut *num.* præmiſimus expreſſit Sacramentum eſſe ratione ſui, non ratione ſolius rei ſignificatæ, quid ſacrum, dicens illud eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum: hinc etiam D. Thomas *præcitat. articul.* 4. & 5. ſacramenta recenſet inter cæremonias & ritus pertinentes ad Dei cultum & ad veræ religionis profeſſionem, ſunt igitur ratione ſui quid ſacrum & religioſum. Probatur jam minor, ſuſcipere aut exercere aliquid ratione ſui ſacrum eſt hoc ipſo ſacrari & ſanctificari, ſi igitur ſacramenta ſunt aliquid ratione ſui ſacrum, & quidem non ſanctitate perfecta gratiæ gratum facientis ut per ſe patet, ſed imperfecta, cæremoniali, & per denominationem extrinſecam ab ordinatione divina, conſequens eſt ipſa conferre ſuis ſuſcipientibus aliquam ſanctitatem, hancque imperfectam & externam: Enimverò reddi exteriùs Dei cultorem & veræ religionis profeſſorem, nonne eſt exteriùs reddi aliquomodo ſanctum & ſacrum? ſi igitur ſacramenta ſunt ritus & cæremoniæ ſacræ, quibus Deum colimus exterius, veramque religionem profitemur, hoc ipſo nos reddunt cultores Dei, profeſſores religionis, atque adeò aliquomodo ſanctos & ſacros.

55. Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis conferre ſanctitatem imperfectam, & externam ſacram.

Dices primò: Non apparet quomodò detur ritus aliquis aut cæremonia ſacra in Euchariſtia 56.

Digitized by Google

riſtia, in Matrimonio; imò nec in baptiſmo, aut in circumciſione reſpectu parvulorum; ergo non eſt univerſaliter verum quod ſacramenta ſint ritus ac cæremoniæ ſacræ, quodque ex hoc capite ſuis ſuſcipientibus conferant aliquam imperfectam ſanctitatem: probatur antecedens, quia ritus & cæremoniæ conſiſtunt in actione, & important aliquid tranſiens, Euchariſtia autem utpotè ſacramentum permanens nequidem partialiter poteſt per actionem tranſeuntem conſtitui: Matrimonium importat eas ſolas actiones, quæ requiruntur ad conſtituendum contractum naturalem, & redditum eſt ſacramentum in lege nova per hoc præcisè, quod talibus actionibus addita ſit ſignificatio gratiæ, non per hoc quod ſpecialiter fuerit injuncta contrahentibus aliqua actio per modum ritus, & cæremoniæ ſacræ: Parvuli antè uſum rationis ſunt incapaces cujuſcumque actionis; baptiſmus igitur & circumciſio reſpectu ipſorum nequit importare ſacram cæremoniam conſiſtentem in actione. Sed con-

37\. *Quomodo reperiatur ratio cæremoniæ ſacræ in Euchariſtia.* trà: nego antecedens, ad cujus probationem quoad Euchariſtiam dico eum, qui hanc aut conſecrat aut ſumit, certè exercere actionem aut quaſi actionem divini cultus & veræ religionis proteſtativam, adeóque Sacram cæremoniam; ideò Euchariſtia quamvis ſit ſacramentum permanens, ſicuti dicit ordinem ad conſecrationem & ſumptionem: ita quoque ad cæremoniam ſacram, & eſt cæremonia ſacra in actu ſignato, qua deindè ratione eſt in nobis ſignum exercitè notificans ſanctitatem internam perfectam, eſt ſimul cæremonia ſacra exercitè tribuens ſanctitatem externam

In Matrimonio. imperfectam. Quoad matrimonium dico actiones ipſas naturales ad conſtituendum contractum requiſitas, quin & ipſummet naturalem contractum, induiſſe rationem cæremoniæ ſacræ in lege nova per hoc, quod ex divina ordinatione fiant non præcisè in officium naturæ, ſed ſimul in proteſtationem religionis & repræſentationis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; quod habetur ſufficienter quoties contrahentes contrahunt in facie Eccleſiæ, & cum animo faciendi quod intendit Eccleſia.

Et in ſacramentis Parvulorum. Quoad baptiſmum & circumciſionem dico cæremoniam conſiſtere in actione, non tamen activè tantum ſed & paſſive ſumpta, parvuli autem antè uſum rationis ſunt incapaces actionis ſumptæ activè, non ejuſdem ſumptæ paſſivè; & ſicuti uſus paſſivus ſacramentorum, de quibus agitur ſufficit ad conferendam parvulis ſanctitatem perfectam, ita non eſt cur non ſufficiat ad conferendam iiſdem ſanctitatem imperfectam?

38\. Dices ſecundo: Si omnibus Sacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem imperfectam, omnia ſunt in genere cauſæ, non verò ſolùm in genere ſigni ut §. 1. dicebatur; ergo doctrina præſens inconſequens eſt & contraria præcedenti; antecedens probatur ex eo, quod omnibus Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare ſanctitatem perfectam, omnia ſunt in genere ſigni, cur ergo ex eo, quod iiſdem omnibus eſſentiale ſit conferre, quod eſt cauſare ſanctitatem imperfectam, non omnia ſunt in genere cauſæ? Neque obeſt hic analogia, quia licet ſit analogus cauſæ conceptus, ſi comparetur in antiquis ad imperfectam, in novis ad perfectam ſanctitatem; aut in utriſque ad perfectam, ſed impropriè ab antiquis, propriè à novis cauſandam; bene poterit idem conceptus eſſe univocus ſi comparetur ad ſanctitatem imperfectam cauſandam ab utriſque eodem modo, ideſt moraliter & ſub ratione cæremoniæ ſacræ. Sed contrà: diſtinguo antece- 39.
dens; ſi omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem &c. omnia ſunt in genere cauſæ ſecundùm quid & ſecundum ſuum materiale concedo, ſimpliciter & ſecundùm formale nego antecedens & conſequentiam; illa enim, quæ in multis conveniunt, non illicò ſunt conſtituenda in multiplici genere, niſi conveniant in multis æquè primò & æquè principaliter ſe habentibus. Dico autem finem præcipuum & puriſſimum ſacramentorum conſideratorum formaliter, ut ſacramenta ſunt, eſſe gratiam internam & ſanctitatem perfectam, ſicque ſacramenta in eo ſolùm convenire ſimpliciter, tanquam in genere, in quo conveniunt relatè ad hunc finem; & quia per nos relatè ad hunc finem conveniunt in ſola ratione ſigni, non ſimul in ratione cauſæ, conſequens eſt ea ſimpliciter eſſe ſolùm in genere ſigni: Quòd deinde ratio cauſæ ſit iiſdem ratio conveniendi relatè ad ſanctitatem imperfectam eſt ſecundarium, ſicut finis ſecundarius Sacramentorum eſt ſanctitas imperfecta; eſt item materiale, noſtra enim ſanctificatio imperfecta habetur ab eo, quod eſt ſacramenti materia, ideſt ab ipſa actione ſeu cæremonia ſacra, puta ab ablutione in baptiſmo, à confeſſione in pœnitentia &c. Accedit quod, dum aliquid dicitur eſſe in genere cauſæ intelligi ſolet de cauſa efficiente, unde etiam Auctores ſacramenta in genere cauſæ collocantes illis tribuunt aliquam cauſalitatem effectivam in gratiam: & tamen ex alia parte ſanctitatem imperfectam, quam ſacramenta conferunt, conferunt formaliter, non effectivè; ſi igitur ex hoc capite ponantur in genere cauſæ erunt in genere cauſæ formalis, atque adeò non in genere cauſæ ſimpliciter; ſicuti gratia ex eo quod reddat formaliter ſanctum, albedo ex eo quod reddat formaliter album, anima ex eo quod reddat formaliter vivens, cæteræque formæ non dicuntur eſſe ſimpliciter in genere cauſæ relatè ad ſuos effectus formales, fortè quia ab iſtis non diſtinguuntur.

---

§. IV.

Utrùm ſacramentum poſſit ſimpliciter ac propriè definiri, & quam variè à variis definiatur.

Assert. 1. Sacramentum poteſt definiri 40.
ſimpliciter ac propriè, definitione ſcilicet metaphyſica per genus & differentiam; non verò ſolùm craſſo modo & non ſervatis

Quomodò poſſit humanitati Chriſti deferri hyperdulia, etiam ſine periculo ſcandali.

hypotheſi eſſet per accidens, & ratione ſcandali, illicita adoratio inferiori at hinc nihil contrà nos, cum præcipuè poſſit facilè amoveri omne ſcandali periculum, ſi inferioe adoratio conſummetur ut poteſt purè interius; vel exhibeatur quidem exteriùs, ſed privatim & non coram; vel tandem exhibeatur publicè & coram, ſed aut adhibendo ſigna indifferentia ad ſignificandum, tùm latriam, tùm hyperduliam; aut proteſtando legitimam exiſtimationem internam de dignitate majoris adorationis, & animum præparatum ad talem majorem adorationem deferendam.

---

§. IV.

Quænam adoratio debeatur Humanitati Chriſti cogitatione præciſæ aut etiam re ipſâ dimiſſæ à Verbo?

85. Hæc ſola, non latria, abſolutè deberetur humanitati præciſæ, aut dimiſſæ à Verbo.

ASSERT. 1. Humanitati Chriſti ſivè cogitatione præciſæ ſivè re ipſa dimiſſæ à Verbo retinenti tamen dona ſupernaturalia accidentalia, quæ tunc habet & cum talibus donis conſideratæ debetur adoratiu hypeeduliæ. Prima pars eoſdem habet pro, & contrà, Auctores quos aſſertum poſitum *præc. numero ſeptuageſimoſeptimo* Secunda pars non habet, niſi damnatæ memoriæ Adverſarios, & præcipuè Vvicleffum, qui ut ex Vvaldenſi refert Vaſquez *diſputatio nonageſimaquinta capite primo, numero primo*, voluit humanitatem, etiamſi à Verbo dimitteretur, & in propria perſona ſubſiſteret, adhue fore adorandam cultu latriæ ob noſtram redemptionem, ob quam putat deberi latriam Chriſto, etiamſi non fuiſſet Deus.

Eidem humanitati præciſæ ab omnibus ſupernaturalibus donis, aut his ſpoliatæ, non deberetur ulla adoratio abſoluta.

Dixi *retinenti tamen dona ſupernaturalia accidentalia &c.* ſi enim cogitatione præſcindatur non à Verbo tantum, ſed & ab omnibus ſupernaturalibus gratiæ donis, aut his realiter in ſui à Verbo dimiſſione ſpolietur, poterit quidem propter habitudinem, quam retineret ad ſanctitatem, vel præciſam, vel præteritam, hancque tùm creatam & accidentalem, tùm etiam increatam & ſubſtantialem; poterit, inquam, illi tribui tùm hyperdulia, tùm etiam latria reſpectiva; at non ulla adoratio abſoluta, quia hæc requirit, quod in ſubjecto cui exhibetur intrinſecè inſit & apprehendatur ineſſe aliqua ſupernaturalis ſanctitas, quæ in humanitate præciſâ etiam à ſupernaturalibus gratiæ donis non apprehenderetur ineſſe, & in humanitate iiſdem realiter ſpoliata non ineſſet. Neque dicas obiree ſi humanitas ſic præciſa & ſpoliata non eſſet ampliùs digna ulla adoratione, poſſet quis eam licitè contemnere, ei ſuam vilitatem objicere, & adorationis indignitatem exprobrare, quod non videtur poſſe admitti; neceſſe eſt igitur dicere, quod Chriſti humanitas, aut non poſſit ſic præſcindi & ſpoliari,
86. aut quod ſic præciſa & ſpoliata retineat dignitatem adorationis. Contrà enim in primis adorabilitas reſpectiva ſufficeret ad hoc, ut non poſſet jure contemni: Deinde in humanitate ſolùm præciſa quamvis non apprehenderentur, non tamen negarentur dona ſupernaturalia gratiæ, ſivè ſubſtantialis, ſivè accidentalis; contemptus verò requirit, quod negetur exiſtimationis dignitas, non præcisè quod non apprehendatur. In humanitate realiter ſeparatâ, quamvis poſſet negari dignitas, non poſſet ex hoc præcisè affirmari poſitiva indignitas; ideò iſta ei non poſſet exprobrari vilitas, quæ poſſet illi objici, eſſet eadem ad ſummum, quæ poſſet objici homini in purâ naturâ, in qua tamen ex conditione ſua non eſſet propriè contemptibilis: & quando tandem de humanitate realiter à Verbo dimiſſa, quin & accidentalibus gratiæ donis ſpoliata, concederetur poſſe abire in contemptum nulla eſſet abſurditas, cum iam dictum ſit humanitatem poſt dimiſſionem à Verbo poſſe peccare, quod certè eſt poſſe viloſcere, & exprobationem ac contemptum promereri. Ceterùm aſſertum, ut jacet,

86. At non ex hoc fieret obnoxia exprobrationi, & contemptui.

87. Probatur: Dona ſupernaturalia accidentalia, quæ nunc habet Chriſti humanitas, poſſunt in ipsâ etiam præciſâ, aut ſeparatâ à Verbo, eſſe proportionatum motivum adorationis latriâ minoris, & majoris duliâ; ergo poſſunt eſſe proportionatum motivum hyperduliæ, utpotè quæ eſt adoratio inter latriam & duliam media; ergo humanitati Chriſti, ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipsâ dimiſſæ à Verbo, retinenti tamen, &c. debetur adoratio hyperduliæ: Antecedens probatur, quia illa dona ſupernaturalia accidentalia non habent à Verbo, aut ab unione cum Verbo, quod poſſint eſſe adorationis motivum, poſſunt igitur motivum adorationis eſſe etiam in naturâ, aut præciſâ, aut ſeparatâ ſeu dimiſſâ à Verbo; at non perveniunt ad dignitatem latriæ, quia non continent excellentiam ullam increatam ac divinam ſubſtantialiter; ſuperant verò dignitatem duliæ, quia in ordine donorum ſupernaturalium accidentalium continet excellentiam ſingulariſſimam, & valdè eximiam, majoremque ea, quæ reperitur in ullo Sancto inſigniore, in ipsâ etiam Beatâ Virgine; ut conſtat dilucidè ex eo, quod in ſuperioribus dictum eſt de perfectione ſcientiæ, de infinitate gratiæ, & de multitudine ſupernaturalium donorum Chriſto Domino convenientium; ergo.

88. Cum in aſſerto meminerimus Vvicleffi humanitati Chriſti, etiam à Verbo dimiſſæ, tribuentis latriam ſpeciali titulo redemptionis expedit breviter in primis inſinuare, quid in hoc Vvicleffus ſenſerit? & deindè definire, an & quomodò debeatur latria Chriſto ut Redemptori ut ex iis duobus impugnatus maneat Vvicleffi error. Ad primum igitur Arriaga *diſputat. 51. ſec. 1. num. 2. & 3.* propendet in excuſationem Vvicleffi, tanquàm locuti de latriâ reſpectiva, nec ſibi perſuadet eum fuiſſe adeò ſtultum, ut potuerit de latriâ abſolutâ loqui, de quâ nunc agimus; nihilominus, ſi (ut refert Suarez *diſputatione*

Error Vvicleffi circâ latriam debitam humanitati Chriſti, etiã dimiſſæ.

ne quinquageſima tertia ſec.2.§ & hinc obiter) iſte Sectarius ſenſit Chriſtum, etiamſi non fuiſſet Deus, potuiſſe nos redimere, non adeò mirandum eſt, quod latriam humanitati etiam à Verbo dimiſſæ conceſſerit, cum ex una parte juxta hoc principium potuiſſet humanitas etiam à Verbo ſeparata habere abſolutum titulum redemptionis; & ex alia non detur ratiuncula aliqua ſuadens redemptionis humanæ titulum eſſe ſufficiens latriæ motivum, quamvis nec expediat rationem quærere, quâ prædicta ſtultitia, qualiſcumque fuerit, excuſetur, cum mos ſit ſectariorum ſæpè labi in errores eo, qui nunc memoratur, graviores & craſſiores.

89. Secundum præter Vaſquium, Suariom, & Arriagam jam relatos attingunt Amicus *diſputation.32. ſec.2. num.46.* Lugus *diſputat.35. ſec 3.num.76.* Scotus *in 3. diſtinct.9 quæſt. un. § ſed reſtat.* Maſtrius *diſp.2. quæſt.9. n.235.* & plures alij; tum Recentiores præſertim, tum Scotiſtæ, ex quorum (quamvis cum aliqua varietate loquentium) mente hanc efformo reſponſionem, & dico deberi Chriſto ut Redemptori latriam, ita tamen ut iſtius ratio formalis & motivum ſit ſolùm illud, quod ly *Redemptor* importat tanquam redemptionis cauſam primariam & principalem, non quod importat tanquam cauſam ſecundariam & quaſi inſtrumentalem. Probatur & explicatur, cum ex dictis de neceſſitate Incarnationis, peccati remedium, & humana redemptio, non potuerit perfectè haberi, niſi per creaturam, quæ ſimul eſſet Deus; conſequens omninò eſt in Chriſto ut Redemptore involui divinam Perſonam, atque adeò rationem formalem & motivum latriæ; quia deinde opera meritoria & ſatisfactoria, quibus de facto redemptionem, & remedium peccati, ſumus aſſecuti, non potuiſſent procedere a divina Perſona niſi cum conſortio naturæ creatæ, & de facto fuerunt immediatè elicita ab humanitate, conſequens eſt hanc quoque per Chriſtum, ut Redemptorem, ſignificari, at tanquàm cauſam ſecundariam, & quaſi inſtrumentalem, utpotè operantem dependenter à Deo elevante, & in virtute divinæ Perſonæ eam infinitè dignificantis; & quia, quod ex hac parte Redemptor ſignificat, eſt quid creatum nec aptum ut ſit ratio formalis, & motivum latriæ, jure pro hoc poſuimus ſolùm id, quod Redemptor importat, tanquam redemptionis cauſam primariam.

Quomodò debeatur Chriſto latria titulo Redemptoris, ſeu Redemptionis.

90. Hinc manet impugnatus error Vvicleffi, nam humanitas à Verbo dimiſſa non retineret titulum redemptoris, niſi ex ea parte quâ importatur cauſa ſecundaria & quaſi inſtrumentalis, quæ ex mox dictis eſt ad latriæ abſolutæ motivum inſufficiens. Hinc inſuper corruit ratio dubitandi pro Vvicleffo militans deſumpta ex eo quod ſicut Creator habet ſupremum Dominium in creatum ita Redemptor in redemptum; ſicut igitur titulo ſupremi dominij debetur latria Creatori ità eodem titulo debetur latria redemptori ſivè Deus ſit, ſivè non. Corruit inquam, quia dato, quod titulus ſupremi Dominij ſit ſufficiens latriæ motivum, dico ſupremum dominium in redemptum non ſequi ad redemptionem, niſi ubi datur cauſa redemptionis primaria & principalis, imò prima & independens; ſicut ſupremum dominium in creatum non ſequitur ad creationem, niſi ubi datur primaria, ideſt prima, ſuprema, & independens creationis cauſa, undè ſi creatura aliqua elevetur ad creandum, aut etiam ſupponatur virtute intrinſeca creans, non propterea habet ſupremum dominium in id, quod creat, multóque minus motivum, titulumve latriæ, quia nunquàm poteſt eſſe, aut intelligi creans, tanquàm prima & ſuprema cauſa; cum igitur ſimiliter nec humanitas à Verbo dimiſſa, nec purus homo qui quomodocumque ſupponatur Redemptor, poſſit eſſe, aut intelligi, tanquam ſuprema, independens, & prima cauſa redemptionis, conſequens eſt, &c.

Aſſert.2. Humanitati Chriſti, ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipſa dimiſſæ, à Verbo; & ſive cum donis ſupernaturalibus accidentalibus conſideretur eaque retineat, ſivè non, debetur latria reſpectiva; & debetur etiam reſpectiva hyperdulia, ſi abſoluta ei non debeatur, eò quod ſupponatur, aut cum donis ſupernaturalibus accidentalibus non conſiderari, aut ea non retinere. 91.

Quandonam humanitati Chriſti debeatur latria, & hyperdulia reſpectiva?

Probatur. Latria reſpectiva debetur rei dicenti peculiarem habitudinem ad divinam excellentiam, increatamque ſanctitatem; quamvis iſta non ſit, aut non conſideretur, ut hic & nunc tali rei intrinſeca; & proportionaliter hyperdulia reſpectiva debetur rei dicenti peculiarem habitudinem ad ſingulariſſimam excellentiam, ſanctitatemque creatam; quamvis iſta non ſit, aut non conſideretur, &c. atqui humanitas Chriſti, ſivè cogitatione præciſa, ſive re ipſa dimiſſa à Verbo, dicit peculiarem habitudinem ad excellentiam divinam, & iſta illi ut præciſæ non conſideratur eſſe, ut dimiſſæ non eſt intrinſeca; eamdemque proportionaliter habitudinem dicit ad ſingulariſſimam excellentiam creatam, ſi ſupponatur aut cum donis ſupernaturalibus accidentalibus non conſiderari, aut ea non retinere; ergo humanitati Chriſti ſivè cogitatione præciſæ, ſivè re ipſa dimiſſæ à Verbo, debetur latria reſpectiva, & debetur etiam reſpectiva hyperdulia ſi &c. Neque hoc majori indiget probatione, ſed ſolùm levi conſideratione terminorum, & recogitatione eorum quæ huc uſque de latriâ & hyperdulia attigimus, præſens quippè aſſertum non eſt, niſi præcedentium corollarium.

Occaſione adorationis, quam Chriſtus & ejus humanitas, aut exigit, aut non requirit, aliqui Scholaſtici integrum tractatum potius, quam ſpecialem & hujus loci propriam diſceptationem inſtituentes agunt ex profeſſo de adoratione in communi; de convenientia & diſconvenientiâ, quam inter ſe habent adorationis ſpecies; de adoratione B. Virginis, Sanctorum, Sacrarum 92.

ſivè

ſivè Imaginum, ſivè Reliquiarum, Rerum item oon ſacratum; ſunt etiam qui nonnulla intermiſcent de Sanctorum Invocatione, & interceſſione, & ſimilia; præſtant hoc ex Auctoribus mihi obvijs Suarez à *diſput. quinquageſimaprima* ad *quinquageſimamſextam*. Vaſquez à *diſputatio. nonageſimatertia* ad *centeſimam decimamtertiam*. Lugus à *diſputatio. trigeſimatertia*, ad *trigeſimamſeptimam*. Arriaga à *diſp. quinquageſima* ad *quinquageſimam ſeptimam*. Gabriël à ſancto Vincentio tota *diſput. vigeſimaquinta* & Herincx *diſputatio. tertia*. Nec vereor quin idem præſtent alij plures; ideò non erit Lectori laborandum ut inveniat liberaliore pertractatam calamo materiam, quam nos tanquam præſenti inſtituto extraneam, & magna etiam ex parte Controverſiſtis magis, quam Scolaſticis accommodatam, prætermittimus: Hæc interim pro noſtræ brevitate methodi, & tenuitate meoria de Incarnati Verbi miſterio attigiſſe ſufficiat; omnia verò & ſingula, ſicut in eiuſdem Verbi, & Auguſtiſſimæ Genitricis obſequium laudemque deferimus, ita Catholicæ Romanæ Eccleſiæ judicio, cenſuræque infallibili ſubijcimus.

TRACTA

TRACTATUS OCTAVUS,

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMUS.

COMMUNIA SACRAMENTIS utriuſque legis: & quædam propria Sacramentorum legis antiquæ.

DE ſuo, imò de Eccleſiæ theſauro, Theologia noſtra hoc in tra-
ctatu profert nova & vetera, dum primo in limine ſtatuit
utriuſque legis ſacramenta. Illa quidem legis antiquæ tan-
quàm egena prælulia & vacua ſymbola, ſi attendas uberta-
tem ac copiam ſpiritualium divitiarum, quibus novæ legis ſa-
cramenta redundant; at propriâ in egeſtate opibus cæteris
longè æſtimabiliora, ſi eadem ijs, quibus carnalis homo di-
teſcit; ſi auro, ſi gemmis, ſi fortunæ bonis compares: Sacramenta vero legis
novæ, quæ lex eſt gratiæ ex hoc ipſo ſe habent, tanquàm cæleſtium in nos gra-
tiarum vehicula: tanquam vaſa divino, ut ita dicam, liquòre, oleoque lætitiæ per
Chriſtum effuſo pleniſſima; & ab eo, cui inſidet altitudo divitiarum ſapientiæ
& ſcientiæ Dei inſtituta, ita omnia ſimul collecta coëunt in theſaurum ditiſſimum, Rom. 11.
ut & ſingula ſeorſim theſaurus ſint, ſunt quippè ſingula Myſterium, quod inter
& theſaurum, vel ex vocum ſignificatione, relucet non exigua affinitas; the-
ſauri enim æquè ac myſterij vox rem inſignis æſtimationis ſecretiùs ſacratiùſ-
que repoſitam ac reſervatam denotat: Hincque obiter monuerim deeſſe nobis
in præſenti non poſſe, aut operi pretium, aut cor & animam operi; dum materies,
in quâ verſamur, omni major pretio, & multiplex theſaurus eſt, ex divini autem
oraculi teſtimonio, vbi theſaurus, ibi cor: Corde igitur alacri, & animo quaſi ad
theſaurizandum inhiante opus aggredimur duos in libros dividendum alter ab ijs, Matth. 6.
quæ ſunt omnibus prorſus ſacramentis communia, in nonnulla ſolis ſacramentis Diviſio Tractatus.
antiquis convenientia deſinet, alter novorum ſacramentorum ex genere ſuo pro-
pria complectetur, ſicque neuter liber deſcendet ex profeſſo ad ſacramentum
ullum in ſpecie, ſed prior ferè totu inſumetur circà genus Sacramentorum ge-
neraliſſimum, poſterior expendet genus ſubalternum Sacramentorum novæ
legis. Sit igitur

CAPUT I.

De Eſſentiâ, & definitione Sacramenti ſumpti generaliſſimè.

1. Explicatur Sacramentum quoad quid nominis.

SACRAMENTUM ex parte eamdem, ex parte diverſam, habet apud profanos, & apud ſacros Auctores, ſignificationem; habet ex parte eamdem, quia apud utroſque juxta ætimologiam vocabuli ſonat aliquid ſacrum, & ad religionem pertinens; habet ex parte diverſam, quia apud profanos latiùs uſurpatur & ſufficit quod referatur ad ſacrum indirectè & extrinſecè connotatum; ſic depoſita quædam olim à litigantibus fieri ſolita, eò quòd in loco ſacro ſervarentur, Sacramenti nomen ſortita fuit, juramentum item eò quod per rem Sacram, & præcipuè per Deum, fiat, Sacramentum dictum eſt; & illud ſingillatim, quo milites ſe obſtringebant ad præſtandam fidelem operam Reipublicæ, appellabatur Sacramentum militare, ipſique milites tali juramento obſtricti appellabantur Sacramentarij. Apud ſacros verò Auctores illud Sacrum importatur ſtrictiùs, debet quippè eſſe res abdita, arcana, recondita; & aut ſacra in ſe ipsâ aut rei in ſe ſacræ ſignum, juxtà Magiſtrum *in 4. diſt.* 1. dicentem Sacramentum eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum: Sumitur ſacramentum pro re arcanâ, in ſe ſacra ſeu pro ſacro ſignato 1. *Tim.* 3. ubi divini Verbi Incarnatio appellatur *Magnum pietatis ſacramentum*; item *Sap.* 2. ubi dicitur *Neſcierunt Sacramenta* (ideſt arcana concilia) *Dei*; hincque per extenſionem Sacramenti nomen in Scriptura aliquando ſupponit pro arcano ſeu ſecreto, etiam non propriè ſacro, cuitamen aliqua veneratio debeatur ſic *Tob.* 12. habetur *Sacramentum* (ideſt ſecretum) *Regis abſcondere bonum eſt*. Sumitur pro ſigno rei arcanæ in ſe ſacræ, ſeu pro ſacro ſignante, ab Auguſtino *lib.* 10. *de Civit, cap.* 15. ubi ait *Sacrificium viſibile inviſibilis ſacrificij Sacramentum, ideſt ſacrum ſignum, eſt*; & quatenùs res arcana in ſe ſacra ſacro ſignanti reſpondens eſt noſtra interna ſanctitas, ac inviſibilis Dei gratia, conſurgit Sacramenti acceptio ſeu ſignificatio propria hujus tractatus & apud Scholaſticos, Concilia, & Patres frequens; quamvis à Sectarijs communem Eccleſiæ uſum, & ſanctorum Patrum auctoritatem, contemnentibus, rejiciatur tanquam nova &

2. malè inducta. Suppoſita hac brevi Sacramenti notione, de quâ plura attingunt Eſtius *in* 4. *diſt.* 1. §. 1. Bellarminus *in controverſ. tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. & 8. Suarez *hic tom.* 3. *in præf.* & Gonetus *diſp.* 1. *initio*; Suppoſitâ, inquam, hac brevi ſacramenti notione quo ad quid nominis, ordo doctrinæ poſtularet nos de eodem primo agere quoad *An eſt*; quia tamen diverſitas ſentiendi circa Sacramentorum, præſertim antiquorum, exiſtentiam plurimùm pendet à diverſitate aſſignandi quidditativam & eſſentialem ſacramenti rationem expedit in præſenti quæſtione quoad *An eſt* præmittere quæſtionem quoad *Quid rei*, & variando aliqualiter cum cæteris ſcholaſticis conſuetam doctrinæ methodum illico inveſtigare Sacramenti quidditatem per rationes metaphyſicas generis, & differentiæ. Ideò ſit

§. I.

Utrùm Sacramentum ſit in genere Signi, an in genere Cauſæ?

ASSERT. Sacramentum, ut in præſenti ſumitur, ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni. Ita D. Thomas *hic quæſt.* 60. *art.* 1. & 2. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 1. *par.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 2. §. *de tertio*. Durandus *quæſt.* 1. *num.* 8. & 9. Richardus *art.* 1. *quæſt.* 3. & tum Thomiſtæ & Scotiſtæ ferè omnes, tum major pars Recentiorum, & licet inter Thomiſtas Cano, Martinez à Prado, Gonetus; inter Recentiores Lugus, Amicus, Averſa, & apud iſtos alij Sacramentum ſimul ponant in genere ſigni & in genere cauſæ; nihilominus vix nobis in re adverſatur, quia vel nimis late uſurpant genus cauſæ, vel declarant ſignum eſſe genus magis conveniens & magis proprium: habemus verò directè Adverſarios Capreolum *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art* 1. Palatium *diſp.* 1. §. *Ego verò*. Stephanum Boni *tract.* 1. *quæſt.* 4. & paucos alios arbitratos Sacramentum poni debere ſimpliciter & unicè in genere cauſæ, pro quo dicendi modo ſolet etiam referri D. Thomas *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Verùm hoc loco S. Doctor ad ſummum favet ſententiæ mediæ in utroque ſigni & cauſæ genere ſacramentum collocanti, ut perſpicuum fiet conſulenti textum, & ſingillatim expendenti verba, quæ ex eo adducit Gonetus *hic diſp.* 1. *num.* 6. & ſi quid ibi habetur aſſerto mox præfixo malè cohærens, ipſemet S. Doctor cenſendus eſt retractaſſe id aut explicaſſe *præcit. art.* 1. ſuæ ſummæ. 3. Sacramentum eſt ſimpliciter & abſolutè in genere ſigni.

Probatur. Sacramentum ut in præſenti ſumitur, ut ſcilicèt ſimul complectitur Sacramenta nova & antiqua, in eo tanquam in genere ponendum eſt ſimpliciter & abſolutè, in quo tanquam in aliquo eſſentiali ſimpliciter & abſolutè conveniunt omnia ſacramenta ſivè nova, ſivè antiqua; atqui hujuſmodi eſt ratio ſigni; ergo ſacramentum ut in præſenti ſumitur ponendum eſt &c. Major patet, quia genus eſt prædicatum ſuis ſpeciebus eſſentiale, ijſdemque ratio inter ſe conveniendi; ſpecies igitur in eo eſt tanquàm in genere, in quo tanquàm in aliquo eſſentiali cum ſpeciebus alijs convenit: Probatur minor, & quidem quod ratio ſigni eſſentialis ſit Sacramentis, de quibus agitur, perſpicuum eſt, ex dictis de ſacramento quoad quid nominis, tum ex recepta ab omnibus & tradita ab Auguſtino *lib.* 2. *de doctrinâ Chriſtianâ cap.* 1. definitione, qua ſignum dicitur eſſe illud *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus,*

aliquid

aliquid aliud facit in cognitionem venire? Quod in tali ratione eſſentiali ſimpliciter & abſolute conveniant omnia Sacramenta, ſivè nova, ſivè antiqua, probatur ex eo quia ratio conveniendi ſimpliciter & abſolutè eſt illa, per quam habetur convenientia univoca & proxima; ſi enim non habeatur convenientia univoca, non habetur genus, quod debet eſſe conceptus univocè communis; ſi non habeatur convenientia proxima, non tàm habetur convenientia Sacramentorum inter ſe quàm cum aliquo alio, quod eſt non eſſe ſimpliciter & abſolutè genus Sacramentorum, ſicuti non eſt ſimpliciter & abſolutè genus hominum eſſe vivens; atqui reſpectu Sacramentorum per rationem ſigni habetur convenientia univoca, & proxima; & ratio cauſæ, quamvis utpote minus latè patens, ſit magis proxima, non eſt tamen relatè ad perfectam ſanctitatem univoca utriſque Sacramentis, ſed Sacramentis novis convenit propriè, & perfectè; antiquis valdè impropriè & imperfectè, ut infrà *cap. 3. n. 52. & 55.*

6. Dices primò ſignum in quo tanquàm in genere ponitur Sacramentum, ſeu quod ponitur tanquàm genus Sacramenti, vel eſt ſignum naturale, vel ad placitum: Non eſt ſignum naturale, quia res illæ ſenſibiles, ex quibus Sacramenta conſtant nullam important naturalem connexionem, nullam naturalem habitudinem ad ſanctitatem, quam Sacramenta ſignificant: Non eſt ſignum ad placitum, quia cum iſtud conſiſtat formaliter in relatione rationis, conſequens eſſet aut Sacramenta non eſſe entia realia, aut ens rationis ingredi tanquam genus conſtitutivum entis realis; atqui neutrum ex his dici poteſt; ergo nec quod Sacramentum ſit in genere ſigni ſeu quod ſignum ſit genus Sacramenti. Quod ſignum ad placitum conſiſtat formaliter in relatione rationis, ſeu quod hanc importet de formali, probatur ex eo quia ſignum ad placitum conſiſtit formaliter in relatione ad rem ſignificatam habente pro ratione fundandi inſtitutionem ſeù impoſitionem alienam; atqui hoc totum nihil dicit reale intrinſecum ipſi ſigno; conſiſtit igitur in ente rationis & opere intellectus concipientis talem inſtitutionem, tanquam quid reale ſigno intrinſecum, & tanquàm rationem fundandi relationem ejus ad rem ſignificatam, puta aquæ ſeù ablutionis ad gratiam in baptiſmo, quæ aqua ſeu ablutio ſecundùm omnia, quæ habet in ſe realiter, indifferens eſt ad gratiam & non gratiam, ad hanc reſpiciendam, & non reſpiciendam, quod igitur reſpiciat eſt per ens & opus rationis, nō per aliquid rea-
7. le. Sed contrà: Gonetus hic *diſp. 1. art. 1. §. 2.* cū nonnullis alijs Thomiſtis & Vaſquio *diſp. 128. cap. 4.* concedit Sacramentum importare de formali ens relationemvè rationis, neque putat hoc inconveniens, quia inquit adhuc Sacramentum denominandum eſt abſolutè ens reale, non ens rationis, propter regulam generalem, quâ concreta accidentalia important in recto ſubjectum, non formam; ſupponunt pro materiali, non pro formali; ſic abſolutè dicitur album eſt ſubſtantia, cathedra eſt lignum, quatenus licet album de formali importet accidens, cathedra figuram; illud importat de materiali ſubſtantiam, iſta lignum; cum igitur materiale Sacramenti ſit quid ſenſibile reale, Sacramentum debet abſolutè dici ens reale non obſtante quod importet ens rationis de formali: Nihilominus præter quod Sacramenta *ex lib. ſequent. capite primo §. 4.* quamvis ſint concreta accidentalia phyſicè, ſe habent tanquam concreta ſubſtantialia moraliter, adeóque ipſis fortaſſe non benè quadrat regula accidentalium concretorum; præter hoc inquam mihi videtur à Sacramentorum dignitate alienum eorum formale explicare per relationes rationis, & entia conficta, adeò ut Deus inſtituendo elementum in Sacramentum nihil aliud præſtet, quam præbere creato intellectui fundamentum fictionis, nec Sacramentum poſſit in ſe adæquatè dici ens reale, imò de formali & ſecundùm rationem propriam, quâ differt à non Sacramento, dicendum ſit ens rationis; idcircò tali doctrinæ non aquieſco nec admitto Sacramentum importare de formali aliquid rationis.

Sacramentum non dicit de formali aliquid rationis.

Ad inſtantiam autem fateor quidem & profiteor *ex ſequent. numero decimonono* Sacramentum eſſe ſignum ad placitum; at nego hoc importare de formali relationem rationis, & conformiter ad noſtra principia conſtituentia relationem in complexo fundamenti & termini ſuppoſitâ ratione fundandi, dico relationem ſigni eſſe omninò realem, quoties ſunt realia fundamentum terminus, & ratio fundandi, ut in propoſito, ubi in baptiſmo verbi gratia aqua ſeu ablutio eſt fundamentum & res ſignificans, gratia eſt terminus & res ſignificata, divina inſtitutio ſeu actus divinæ voluntatis Sacramentum inſtituentis eſt ratio fundandi, quæ utique omnia realia ſunt, realis eſt igitur relatio ſita in complexo ablutionis tanquam rei ſignificantis, gratiæ tanquam rei ſignificatæ ſuppoſita inſtitutione tanquàm ratione fundandi: Nec ſignum ad placitum differt à ſigno naturali in eo quod iſtud relatione reali, illud relatione rationis rem ſignificatam reſpiciat, ſed in eo quod ratio fundandi relationem ad rem ſignificatam in ſigno naturali ſit intrinſeca eique conveniat ex naturâ rei, in ſigno ad placitum ſit extrinſeca & conveniens ex voluntate alienâ: Non ſolùm autem in noſtris principijs
non diſtinguentibus relationem ab extremis 9.
ſumptis ſecundùm eſſe complexum, verùm etiam in principijs collocantibus relationem in tertiâ aliqua entitate rectè ſalvatur Sacramenta, quamvis ſint ſigna ad placitum non importare de formali relationem rationis, nam præter quod fortè de ratione ſigni eſt, quod fundamentaliter & in actu primo, non quod formaliter & in actu ſecundo ad rem ſignificatam referatur; præter hoc inquam diſtingui poteſt duplex relatio realis, altera proveniens à formâ intrinſecâ & afficiens phyſicè ſubjectum, quod relatum denominat; altera proveniens à formâ extrinſeca & afficiens moraliter, hoc ſecundo modo erit realis relatio, qua ſignum ad placitum

8. Signum etiã ad placitum dici relationem realem ad rem ſignificatam.

reſpicit rem ſignificatam; & ſicuti eſſe tale, puta viſum, per denominationem extrinſecam non eſt eſſe tale per rationem, ita referri per relationem extrinſecam non eſt referri per rationem, & ſolum tum denominatio, tum relatio extrinſeca evadit denominatio & relatio rationis, quando concipitur ut proveniens à forma intrinſeca; at nec in Sacramentis, nec in alijs ſignis ad placitum, neceſſe eſt relationem ad rem ſignificatam concipi ut provenientem à forma Sacramento & ſigno ad placitum intrinſecâ; nec alia forma quærenda eſt præter actum voluntatis Sacramentum & ſignum inſtituentis, qui quidem actus quouſque moraliter perſeverat, moraliter afficit rem ſenſibilem; eamque denominat extrinſecè, ſeu ab extrinſeco, inſtitutam ad ſignificandum, quod eſt idem ac dicere relatam ad rem ſignificatam.

10. Dices ſecundò. Concilium Florentinum *in decreto de unione Armenorum* Sacramenta explicat per rationem cauſæ & Tridentinum *ſeſſ.7.can.6.* per rationem tum cauſæ tum ſigni; ergo ex mente Conciliorum Sacramentum eſt aut ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut ſimul in genere cauſæ & ſigni: Nec obſtat univocatio, quia hæc vel malè requiritur inter Sacramenta nova & antiqua, vel reſpectu utrorumque ſuſtineri poteſt in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem à perfecta & imperfecta, quamvis non relatè ad ſanctitatem perfectam determinatè: Accedit quòd ratio cauſæ eſt perfectior, quàm ratio ſigni; ergo dignitati Sacramentorum congruentius eſt eſſe in genere cauſæ, quàm in genere ſigni; ex alia parte ratio ſigni convenit effectui potiùs, quàm cauſæ, ut patet in fumo reſpectu ignis; Sacramenta igitur reſpectu ſanctitatis ſimpliciter & abſolutè ponere in genere ſigni eſt illis adimere reſpectu ſanctitatis rationem cauſæ, & tribuere rationem effectus, quod eſt contrà communem ſenſum.

11. Sed contrà: Aliud eſt loqui de Sacramentis novis ſeorſim, aliud de novis & antiquis ſimul; nos nunc loquimur de novis & antiquis ſimul, & de genere communi utriſque; Concilium Florentinum & Tridentinum locis citatis loquuntur de novis ſeorſim, & ut habent genus proprium diverſum ab antiquis; nova autem ſic ſumpta libenter permittimus eſſe ſimpliciter & abſolutè in genere cauſæ, aut in genere cauſæ & ſigni; cum ex infrà dicendis in ratione cauſæ univocentur inter ſe, quamvis non cùm antiquis. Nec verum eſt univocationem inter Sacramenta nova & antiqua, aut non requiri, aut ſaluari poſſe in ratione cauſæ relatè ad ſanctitatem abſtrahentem &c. Primum enim infrà impugnabitur *cap.3 §.4.* Secundum improbatur ex eo, quod ſanctitas abſtrahens à perfecta eſt ratio analoga, quomodo autem poteſt ſalvari univocatio relatè ad rationem analogam? Illud, quod addebatur rationem cauſæ eſſe perfectiorem ratione ſigni, parum refert, quia in ratione generica non eſt attendendum, quod ſit magis vel minùs perfecta in ſe, ſed quod in ea magis vel minùs perfectè inferiora conveniant; & quod ratio cauſæ ſit perfectior ratione ſigni opportunum eſt ad explicandam genericam dignitatem Sacramentorum novorum ſuprà antiqua, dignitas autem communis omnibus Sacramentis ſuprà non Sacramenta relucet ſufficienter in perfectione gratiæ ſanctificantis, quam utraque Sacramenta reſpiciunt in ratione ſigni. 12. Quod poſtremo loco dicebatur rationem ſigni convenire effectui potiùs, quàm cauſæ, non verificatur univerſaliter, nec rectè deducitur univerſalis propoſitio ex ſingulari exemplo fumi, cum non deſint exempla alia pro ratione ſigni cauſis potiùs, quam effectui convenientis; iris enim matutina & nubes ſunt ſigna futuræ pluviæ, cujus ſunt cauſæ: Ratio igitur ſigni non excludit rationem cauſæ, ſed eſt ſecundùm ſe indifferens, ut in cauſa vel in effectu reperiatur, prout illa vel iſte notior eſt: In caſu noſtro Sacramenta, utpotè in rebus ſenſibilibus & naturalibus inſtituta, ſunt nobis notiora, quam gratia ſanctificans, quæ inſenſibilis eſt & ſupernaturalis; ideò, quamvis illa ſint cauſæ, iſta ſit effectus, illis potiùs quàm iſti convenit ratio ſigni: quod magis conſtabit *ex ſeq. §.2.* ſicut & *ex §. ſubſeq.* magis perſpicuum fiet, cur Sacramentum generaliſſimè acceptum non ponatur in genere cauſæ: Sit igitur

Signum quandoque melius tribuitur effectui, quam cauſæ quando è contr.

---

§. II.

Utrum ſignum, quod eſt Sacramentorum genus, debeat neceſſariò eſſe ſenſibile, & permanenter inſtitutum?

13. Signum, quod eſt Sacramentorum genus, debet eſſe ſenſibile.

ASSERT. 1. Signum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet neceſſariò eſſe ſenſibile. Ita D. Thomas *quæſt. 60. art. 4.* Magiſter *in 4 diſt.1.* Gabriel *quæſt.1.art.3.* Cabrera *diſput.1.art.4.* Joannes à S. Thoma *diſp. 22.artic.4.* Suarez *diſp.1. ſec.3.* Amicus *diſp.1. ſec. 2.* Bellarminus *tom.2. Controv.lib.1. cap. 9.* Herinex *diſp. 1. quæſt.2. §.3.* & multi alij ex omni ſchola contra Ochamum *in 4.diſt.1.quæſt.1.* Aliacenſem *quæſt.1.art.3.* Gonetum *diſp.1.art.4.* Vaſquium, Henriquem, Madernum, & apud iſtos aliqui alij tum Thomiſtæ tum Recentiores, qui licèt cum reliquis ferè concilientur per limitationem aſſerto interpoſitam *de quibus nunc agitur*; nihilominus ut attingetur *ſeq.num.18.* remanent ſaltem Adverſarij & diſſentientes in quæſtione de nomine, ideſt in ſignificatione hujus nominis *Sacramentum*, prout complectitur ea etiam, quæ per quamcunque potentiam poſſunt inſtitui.

Probatur & explicatur: Sacramenta de quibus nunc agitur ſunt Sacramenta humana, ideſt quæ pro hominibus aut fuerunt aliquando inſtituta, aut in quocumque rerum ſtatu poſſunt aliàs inſtitui; atqui hujuſmodi Sacramentorum genus ſuppoſito ex jam dictis, quod ſit ſignum, debet neceſſariò eſſe ſignum ſenſibile; ergo ſignum quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet &c. Major patet quia ſolùm de Sacramentis humanis conſtat fuiſſe aliqua inſtituta & potuiſſe alia

Digitized by Google

alia inſtitui, eadémque ſola poſſunt dicere, ut dicunt Sacramenta de quibus agitur, habitudinem ad Chriſtum, qui per nos pro ſolis hominibus venit: Minor probatur, & quidem quoad Sacramenta quæ fuerunt aliquando inſtituta certum eſt ex fide, nam omnia antiqua fuiſſe tradita in eſtu ſenſibili habetur ex iiſdem locis ſcripturæ, ex quibus Sacramenta ipſa antiqua eruuntur; omnia nova componi ex rebus materialibus & verbis, adeóque ex ſenſibilibus, habetur ex perpetua traditione Eccleſiæ, & ex definitionibus Conciliorum Florentini præſertim ac Tridentini, ut ex profeſſo tractabitur *ſeq. lib.* 2. Quoad Sacramenta, quæ poſſunt alias inſtitui, probatur primò, quia de iſtis ſentiendum eſt cum proportione ad ea, quæ fuerunt aliquando inſtituta, & ex quibus deducimur tum ad excogitandam aliorum poſſibilitatem, tum ad inveſtigandam primævam & propriam ſignificationem hujus nominis, Sacramentum: ut nunc ſumitur: Secundò quia Sacramenta nequeunt à Deo inſtitui aliter, quàm accommodata iis, pro quibus inſtituuntur; atqui ii, pro quibus inſtituuntur Sacramenta humana, ſenſu utuntur, & per ſenſibilia tanquam per ſibi notiora procedunt ad intelligibilia, aſſurgunt ad divina; per eadem in unum morale corpus adunantur, unam religionem proteſtantur; ergo humana Sacramenta, de quibus nunc agitur, non eſſent accommodata iis, pro quibus inſtituerentur, ſi ſenſibilibus ſignis non conſtarent; & hæc omnia confirmari poſſunt egregiis ſententiis Sanctorum Patrum, Dioniſii præſertim & Chryſoſtomi apud Suarium *præcit. ſec.* 3.

14. Eſt de fide quod hæc ſenſibilia omnia Sacramenta inſtituta de facto.

Dices hæc & ſimilia ſuadere quidem, tanquam congruentiorem Sacramentorum, de quibus nunc agitur, inſtitutionem in ſignis ſenſibilibus, at non evincere poſitivè incongruam & repugnantem in inſenſibilibus; præſertim cum ex una parte Deus in noſtris principiis non neceſſitetur ad id, quod eſt melius ſeu congruentius, & ex alia parte ratio ſigni non ſit eſſentialiter alligata rei materiali & ſenſibili, conſiſtit enim præcisè in eo, quod res in ſe cognita faciat venire in cognitionem alterius; at hoc poteſt rei ſpirituali æquè ac materiali convenire; ſi autem ſemel ratio ſigni non eſt rei materiali alligata ex genere ſuo, multò minùs erit eidem alligata ex propria conditione gratiæ ſignificandæ; cum hæc majorem habeat improportionem & diſtantiam reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, & divinæ voluntati gratiæ ſignificationem imponenti ſpiritualia æquè ac materialia ſubſint. Sed contra: ſicut homo eſſentialiter conſtat parte ſenſitiva & operatur dependenter à ſenſibus, ita ſignum ſaltem humanum eſt eſſentialiter alligatum rei ſenſibili, nec conſiſtit præcisè in eo quòd res in ſe utcumque cognita faciat venire in cognitionem alterius, ſed in eo quòd hoc faciat res in ſe cognita ſenſibiliter & per ſpeciem, quam ſenſibus ingerat, juxta definitionem, cujus ſupra ex Auguſtino meminimus; ſola autem res ſenſibilis poteſt propriam ſpeciem ingerere ſenſibus & ſenſibiliter cognoſci: Spiritualia æquè ac materialia divinæ voluntati ſubeſſe verum eſt cæteris paribus & relatè ad ea, quæ non repugnant, at ex dictis alibi dum ageremus de viſione corporea Dei, repugnat etiam de potentia abſoluta ſpiritualia percipi vitaliter à ſenſu, ſeu cognoſci ſenſibiliter: Improportio & diſtantia gratiæ major reſpectu rei materialis, quàm reſpectu ſpiritualis, impertinens eſt ad rem noſtram, quia in ſigno ad placitum attenditur, quod ſit quid notius, non quod ſit quid ſimile; & licet de facto fere omnia ea, quæ aſſumuntur in materiam Sacramenti, habeant aliquam affinitatem & congruentiam cum effectu quem præſtant; non ex hac, ſed ex propria ſenſibilitate & ex divina inſtitutione, habent rationem ſigni Sacramentalis ut magis explicabitur *ſeq. num.* 21.

15. Signum omne, ſaltem humanum, eſt eſſentialiter ſenſibile.

Urgebis: De facto ſpecies intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna, quibus homo ducitur in cognitionem objectorum & tamen ſunt res ſpirituales: ergo etiam in re ſpirituali haberi poteſt ratio ſigni humani, nec iſtud alligatur eſſentialiter rei ſenſibili. Confirmatur in ipſiſmet humanis Sacramentis, ex quibus aliqua conſtituuntur parte ſpirituali & inſenſibili, aut quoad ſubſtantiam ut eſt dolor reſpectu Sacramenti pœnitentiæ, aut quoad modum exiſtendi ut ſunt corpus & ſanguis Chriſti reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ. Sed contrà: Signa alia ſunt formalia, quæ ut medium *quo* & incognitum, alia inſtrumentalia quæ ut medium *quod* & cognitum, ducunt in alterius cognitionem; nos in præſenti agimus de ſignis humanis inſtrumentalibus, ſpecies autem intentionales & conceptus mentis ſunt ſigna formalia, quæ cum non debeant eſſe in ſe nota, utique nec debent eſſe notiora eo, in cujus notitiam ducunt, aut potiùs quod formaliter notificant; ut tamen debent eſſe notiora, hincque reſpectu hominis ſenſibilia, ſigna inſtrumentalia: Undè habes obiter tripliciter nos poſſe comparare notitiam objecti ignoti; vel non procedendo ab aliquo noto, & talis notitia habetur ex vi ſigni formalis; vel procedendo ab aliquo noto, & ſimul utendo forma ſyllogiſtica, & talis notitia habetur ex vi diſcurſus; vel procedendo ab aliquo noto, quod etiam abſque forma ſyllogiſtica inducat alterius notitiam, & hæc habetur ex vi ſigni inſtrumentalis. Ad confirmationem dico vitioſam eſſe illationem à parte ad totum, & ſicuti ex eo quòd homo de facto conſtet parte irrationali, malè inferretur poſſibilis homo totus irrationalis; ita ex eo quod aliquod Sacramentum etiam humanum de facto conſtet parte ſpirituali & inſenſibili, malè infertur poſſibile Sacramentum humanum totum ſpirituale & inſenſibile. Ratio etiam ſpecialis eſt, quia pars ſpiritualis in tantum de facto ingreditur conſtitutionem alicujus Sacramenti, in quantum eſt ſenſibilis per aliud, nimirum per aliam compartem; at Sacramentum totum ſpirituale nec eſſet ſenſibile per ſe, nec per aliud. Accedit quod pars illa ingreditur conſtitutionem Sacramenti; at non ſub præciſâ ratione Sacramenti, nimirum non ut eſt Sacramentum tantum, ſed ut eſt res & Sacramentum ſimul juxta horum terminorum explicationem ponendam infra *lib.* 2 *cap.* 1. §. 5.

16. Quomodò differat ſignum inſtrumentale à ſigno formali.

Major aliqua eſt difficultas; Utrùm ratio ſigni ſenſibilis ſit eſſentialis Sacramento abſtrahendo ab eo, quòd iſtud humanum ac pro hominibus inſtitutum ſit, vel non? Difficultas duo continet: Primum eſt, utrum poſſit Deus reſpectu Angeli, aut alterius puri Spiritus, cujuſmodi eſt anima ſeparata, inſtituere aliquod gratiæ ſignum purè ſpirituale, & nullatenùs ſenſibile. Secundum, utrum tale ſignum eſſet dicendum Sacramentum, necne? Sentiendum omninò eſt poſſe Deum tribuere alicui rei ſpirituali virtutem cauſandi aliqualiter gratiam, & per ſui notitiam ducendi Angelum aut animam ſeparatam in ejuſdem gratiæ cognitionem; Utrum deindè talis res eſſet dicenda gratiæ ſignum, & utrum etiam Sacramentum? involuitur in utroque aliquid de nomine; ſi enim ſignum ſumatur juxta ſignificationem, quam habet ea definitione Auguſtini, & Sacramentum juxta eam, quam habet conformiter ad ſignum ab Auguſtino definitum, res illa ſpiritualis nec ſignum eſſet, nec Sacramentum: Quod ſi dicatur nec Auguſtinum intendiſſe definire omne ſignum, ſed ſolum humanum; nec primam impoſitionem hujus nominis *Sacramentum* fuiſſe conformatam ſeu limitatam ad ſola ſigna gratiæ humana ab Auguſtino definita; res illa ſpiritualis & ſignum & Sacramentum eſſet, angelicum

18. Senſibilitas non eſt eſſentialis omni ſigno, etiam inſtrumentali. tamen: Et quoad primum quidem mihi veriſimilius eſt Auguſtinum non intendiſſe omne ſignum definire, & hoc in tota ſua univerſalitate debere definiri, quod præter notitiam ſui quam ingerit facit in alterius cognitionem venire, ſicque poſſe propriè dari ſigna inſtrumentalia etiam reſpectu Angelorum: Nec refert quod iſti ex modo intelligendi ſibi connaturali omnia ſua objecta immediatè cognoſcant, nec deducantur ab uno in cognitionem alterius; Nam hoc in primis verum eſt ſolùm de objectis connaturalibus, cujuſmodi non eſt gratia; & prætereà etiam reſpectu iſtorum poſſunt Angeli aut ex propria libertate, aut ex divina ordinatione, quamvis non ex indigentia, ab uno in aliud deduci; ut attigimus, dum ageremus de Angelorum diſcurſu.

Benè verò omni Sacramento. Quoad ſecundum cenſeo hoc nomen Sacramentum ex ſua prima impoſitione fuiſſe limitatum ad ſola ſigna humana & ſenſibilia, hæc quippe ſola inſpexerunt Sancti Patres & Scholaſtici, dum gratiæ ſigna cœperunt appellare Sacramenta; & cum nihil apud ipſos reperiatur de ſignis gratiæ inſenſibilibus & angelicis, malè præſumitur eos voluiſſe etiam ad hæc transferre Sacramenti nomen, quod fuiſſet tribuere voci ſignificationem formalem majorem ratione objectiva, & re quam mente concipiebant ac intendebant exprimere; quamque vehementiſſimè inſinuarunt, dum ſemper locuti ſunt de Sacramentis, tanquam de ſenſibilibus ſignis, & viſibilibus formis: Solùm igi-

Niſi mutetur & ampletur ſignificatio ultra primævam nominis impoſitionem. tur mutata, & ampliata vocabuli ſignificatione, appellarentur Sacramenta ſpiritualia & inſenſibilia gratiæ ſigna, quæ ad inſtar noſtrorum Sacramentorum pro Angelis inſtituerentur; ſervata verò & immutata ſignificatione, quam Sacramentum habet ex ſua inſtitutione & primævâ impoſitione, non eſt dabile Sacramentum niſi humanum, & ei ſimpliciter eſſentialis eſt ratio generica ſenſibilitatis.

Aſſert. 2. Signum quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum permanenter; imò nec de potentia abſoluta eſt dabile aliter Sacramentum ullum, attenta & ſervata ſignificatione nominis ſecundùm primævam impoſitionem. Aſſertum habet duas partes, primam in ly *inſtitutum*, & per hanc affirmat Sacramentum debere eſſe ſignum ex inſtitutione & ad placitum; ſecundam in ly *permanenter*, & per hanc ſtatuit inſtitutionem debere eſſe factam lege ſtabili & diù duraturâ; recipitur quoad utramque partem communiſſimè quatenùs procedit de Sacramentis datis de facto, quatenùs verò extenditur ad Sacramenta dabilia etiam de potentia abſoluta nonnihil adverſantur locis mox afferendis Lugus, Arriaga, Madernus, aliique nonnulli. 19.

Probatur prima pars: Sacramentum non eſt ſignum natum, ut ita dicam, & naturale; ergo eſt ſignum ex inſtitutione, & ad placitum; atque adeò ſignum, quod eſt genus Sacramentorum, de quibus nunc agitur, debet eſſe inſtitutum: Probatur antecedens; ſignum natum & naturale eſt quod ab intrinſeco & ex natura ſua ducit in cognitionem rei ſignificatæ, ad quam propterea dicit neceſſariam & naturalem habitudinem aut tanquam cauſæ ad effectum, aut tanquam effectus ad cauſam, aut tanquam paſſionis ad eſſentiam, diſpoſitionis ad formam, imaginis ad prototypum &c. Atqui ex una parte res per ſacramentum principaliter ſignificata eſt gratia, & id cui convenit in ſacramento ratio ſigni eſt quid materiale & ſenſibile; ex alia parte nullum materiale & ſenſibile poteſt ab intrinſeco, & ex natura ſua, ducere in cognitionem gratiæ; ut quoad res materiales & ſenſibiles repertas in ſacramentis datis de facto facilè conſtat inducenti, univerſim verò probatur ex eo, quòd improportio ordinis inter materialia ſeu ſenſibilia ad gratiam, impedit ne ullum illorum poſſit ad hanc dicere neceſſariam & naturalem habitudinem, aut tanquam ad effectum, aut tanquam ad cauſam, aut tanquam ad eſſentiam &c.

Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex inſtitutione, & ad placitum.

Dices primò: de ratione ſacramenti eſt, quòd ſit naturaliter & ab intrinſeco ſimile effectui; at quatenùs ſimile ducit in cognitionem effectus & dicit habitudinem imaginis; ergo de ratione ſacramenti eſt, quòd naturaliter & ab intrinſeco ſit ſignum & imago; ſignum igitur quod eſt genus Sacramenti poteſt, imò debet, eſſe ſignum naturale: Major probatur ex Auguſtino *tom. 2. epiſt. 23. ad Bonifac.* dicente *Sacramenta quandam ſimilitudinem habent earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, quam ſi non haberent, omninò ſacramenta non eſſent*; his verbis inhærens Magiſter *in 4. diſt. 1.* ait Sacramentum ita eſſe ſignum gratiæ Dei, ut *ipſius ſimilitudinem gerat* & Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacram par. 9 cap* 1. in definitione Sacramenti ponit, quod *ex ſimilitudine repræſentet*, & certè in baptiſmo v.g. nonne ablutio externa à ſordibus carnis habet ex natura ſua 20.

&

Digitized by Google

& independenter ab omni inſtitutione ſimilitudinem cum ablutione interna à ſordibus animæ? in Eucharistia nutrimentum corporale panis & vini, corporis & ſanguinis, cum nutrimento ſpirituali augmenti gratiæ? in pœnitentia forma *ego te abſolvo* cum ſolutione à vincu-
21. lis peccatorum? Sed contrà: Quatenùs instantia videtur in omnibus prorsùs ſacramentis requirere naturalem ſimilitudinem cum effectu, ſeu termino ſignificato, nullatenùs infertur ex verbis Auguſtini, utpotè qui loquitur ibi de ſolis ſacramentis novis; de quibus tamen neque etiam docet id, quod inſtantia intendit; nam ſimilitudo naturalis, vi cujus unum ſit naturale ſignum alterius, debet eſſe formalis & propria; ſacramenta autem cum ſuis effectibus, ſi quam ſimilitudinem habent antecedenter ad inſtitutionem, eam habent fundamentalem dumtaxat & metaphoricam; metaphoricum quippè eſt, quòd gratia dicatur animæ ſordes abluere; quod ejuſdem augmentum dicatur ſpiritualis nutritio; quod peccatorum remiſſio dicatur ſolutio vinculorum: Præbet quidem hæc ſimilitudo metaphorica, & allegorica proportionalitas fundamentum ut ea, in quibus reperitur, congruentiùs inſtituantur in ſigna ſacramentalia; at quod iſta formaliter ſignificent, habetur ab inſtitutione; quæ per ſe ipſam tribuit quamdam moralem & quaſi æquivalentem ſimilitudinem, quatenùs morali & quaſi eminenti modo præſtat in ſignis ad placitum id, quod præſtat in ſignis naturalibus ſimilitudo phyſica formalis; & vel de hac ſimilitudine morali ac eminente intelligendus
22. eſt Auguſtinus prælaudatus in verbis illis *quam ſi non haberent omninò ſacramenta non eſſent*; vel certè loquitur de Sacramentis, ut ſunt de facto inſtituta, & nihil aliud intendit, quàm quòd ſuppoſita præſenti inſtitutione ablutionis v.g. pro materia proxima baptiſmi, ſi tollatur proportio & ſimilitudo (qualiſcumque hæc ſit) ablutionis corporis cum ablutione animæ, ac per conſequens tollatur ablutio corporis, tolletur Sacramentum baptiſmi; quod veriſſimum eſt: Alium etiam in hac re Auguſtini ſenſum refert & commendat Arriaga *diſp.1 ſec.7. num.*61. alium item Lugus *diſp.1 ſec.5. num.*33. ſed nobis duo priores, iidemque receptiores ſufficiant, & Hugoni etiam Victorino, ſi lubeat, applicentur.

Qualem ſimilitudinem requirat, aut habeat Sacramentum, cum effectu & termino, quem ſignificat.

Dices ſecundò: Quidquid ſit quoad ſacramenta de facto data habentia pro materia res materiales ſenſibiles ordinis naturalis, ſaltem aliquod ſacramentum dabile de potentia abſoluta poterit eſſe connaturale gratiæ ſignum, nam poterit habere pro materia rem materialem ſenſibilem ſupernaturalis ordinis, cui ineſſe connaturalem habitudinem ad gratiam evincitur de facto in ſupernaturalibus glorioſi corporis dotibus, quæ ſunt qualitates materiales & ſenſibiles, ab intrinſeco tamen connexæ cum gratia conſummata; cur igitur aliqua hujuſmodi qualitas, aut non erit ſignum connaturale gratiæ, aut non poterit dici Sacramentum? ex hoc capite Lugus *præcit. ſec.5. num.*29. & Arriaga *præcit. ſec.7. num.*60. propendent ad affirmandum non repugnantiam ſacramenti,
23. quod ſit ſignum gratiæ naturale. Sed contrà: Permitto entitatem aliquam materialem ſupernaturalem, quæ ſit ſignum connaturale gratiæ, at non quæ ſit, aut eſſe poſſit ſacramentum, præſertim ſervata ſignificatione, quâ Sacramenti nomen habet ex ſua primæva impoſitione; ex hac enim jure cenſetur inductum ad denotandum aliquid ſenſibile naturaliter, multoque magis, quod ſit ſignum gratiæ ipſam antecedens & aliquo modo cauſans; at qualitas ſeu entitas materialis ſupernaturalis, utique non eſt ſenſibilis naturaliter, & præterea poteſt quidem ſe habere ad gratiam, ut ſignum naturale ſubſequens & per modum connaturalis affectus; at non ut ſignum naturale antecedens & per modum connaturalis cauſæ, quod evincitur à fortiori, ex eo quod in tractatu de Gratia *lib.*3. *cap.*2. *n.*8. dicebamus repugnare omninò creaturam, cui poſſit convenire connaturaliter, & ab intrinſeco, aliqua cauſalitas in gratiam.

Res materialis ſupernaturalis poteſt eſſe connaturale ſignum gratiæ, at non ſacramenti.

Probatur ſecunda pars, tum à poſteriori inducendo per ſacramenta hucuſque data, ſive in antiqua, ſive in nova lege, quæ omnia fuerunt 24.
inſtituta ſtabiliter, omnia diù durarunt, quin etiam nova diù adhuc durabunt; tum à priori ex cauſa finali; inter alios enim inſtituendorum ſacramentorum fines unus eſt, ut per ipſa fideles proteſtentur veram religionem, & ſacrentur quodammodò ad conſtituendam eandem Eccleſiam viſibilem, & exhibendum eundem cultum externum Deo; ſicut igitur Religio, Eccleſia, Ritus colendi Deum, dicunt ſtatum & petunt ſtabilem permanentiam, diuturnamque durationem, ita & Sacramenta. Confirmatur ex ratione generica ſigni ad placitum, quod ſicuti ſolet pro multis inſtitui, ita & pro multo tempore. Quantum deindè ſit hoc multum tempus & ſpatium illud, pro quo debent ſacramenta inſtitui, ut rectè dicantur inſtituta permanenter ſeu lege ſtabili ac diuturna? Arriaga *hic diſp.1. ſec.4. num.*38. refert ſuppreſſo nomine aliquos requirentes totum illud tempus, pro quo durat lex, in qua inſtituuntur; aliquos alios contentos eo ſpatio, quo durat unius hominis vita: At priores loquuntur cum nimia extenſione, poſteriores cum nimia reſtrictione; Priorum regula fallit in remedio originalis pro lege naturæ, quod in Adamo & ejus deſcendentibus inducta circumciſione ceſſavit quingentis ferè annis, antequam ceſſaverit naturæ lex; & (ut arbitror) non benè audiret qui diceret in lege nova extremam unctionem v. g. futuram non fuiſſe ſacramentum, ſi eam Chriſtus inſtituiſſet aliquibus antè mundi finem ſæculis deſituram: regula poſteriorum fallit quia unius hominis vita ſæpè eſt breviſſima, & quod pro multis debet inſtitui non eſt cur unius vitæ alligetur? Arriaga ipſe *ibid.* videtur approbare ſpatium centum annorum, addit tamen fortè non defuturum, qui viginti annos dicat ſufficere; Mea ſententia ſit nihil determinatè ſentire, & rem relinquere graviori judicio, imò expectare definitionem Eccleſiæ, aut Dei, cujus ſolius eſt ſacramenta ſtatuere & inſtituere, revelationem.

Signum, quod eſt genus Sacramentorum, debet eſſe ex lege ſtabili, & diù duratura.

Ad quantum tempus debeat talis lex extendi, ut dicatur ſtabilis & diù duratura.

Dices: ex una parte hæc ipſa incertitudo tē- 25.
poris requiſiti ad ſacramentorum ſtabilitatem

eſt

eſt validum argumentum negandi neceſſitatem ſtabilis inſtitutionis in ſignis Sacramentalibus, & nullam requirendi ſtabilitatem, ubi non poteſt aſſignari quanta requiratur: ex alia parte argumenta adducta pro ſtabili inſtitutione facilè infirmantur, nam de inductione non ſatis cóſtat, quod fieri poſſit univerſaliter & adæquatè; fortè enim (ut monet Lugus *præcitat. ſec. 3. n. 48.*) impoſitio manuum Moyſis, quâ datus eſt Joſue Spiritus ſapientiæ *Deuter. vltim.* fuit verum ſacramentum, ſicque habeteτur in antiquâ lege exemplum Sacramenti pro breviſſimo tempore, & pro unica vice inſtituti: Illatio à fine infirma eſt, quoties agitur de fine nec unico nec primario, ut in caſu noſtro præter quod finis ille ſufficienter habetur per hoc, quod plura, eaque principaliora, Sacramenta ſtabilia ſint, quamvis non protſus omnia: Confirmatio verificatur ut plurimum, at non ſemper omninò; Præterea tùm illatio à fine, tùm confirmatio à ratione genericâ ſigni ad placitum deſumpta infringitur in Sacrificiis, quæ cum Sacramentis conveniunt, tum in prænunciato fine, tùm in genere ſigni ad placitum; nec tamen neceſſariò requirunt inſtitutionem factam lege ſtabili & diu duraturá, alioqui nec Abraham in monte, ſi filium immolaſſet, nec de facto Chriſtus in Cruce verum ſacrificium obtuliſſet: His permoti Lugus *præcit. num. 48.* Arriaga *præcit. ſec. 4. num. 17.* Madernus *quæſt. 1. art. 4 num. 3.* & Herincx *diſp. 1. quæſt. 2. num. 36.* perplexi ſunt, & quaſi problematici in eo, quod requiratur necne ad rationem ſacramenti permanens ac ſtabilis inſtitutio: Nihilominus audiendi non ſunt & in quæſtione, quæ partim facti eſt, partim de nomine, non ſunt communiori Sanctorum Patrum & Scholaſticorum ſenſui præferendæ leves congruentiæ, & arbitrariæ, rationes dubitandi. Ideò

Ad primam inſtantiæ partem dico frequens
26. eſſe in moralibus, ut aliquid certum ſit quoad ſubſtantiam incertum ac indefinitum quoad temporis quantitatem, aliaque hujuſmodi, ſic v. g. certum eſt nos teneri aliquoties in vitâ ad actus fidei, ſpei, & charitatis, incertum quoties nec benè negaretur tales virtutes aliquoties obligare eo quod non poſſit aſſignari quoties obligent; ita proportionaliter &c. Ad aliam partem inſtantiæ dico pro inductione à nobis factâ ſufficere, quod eam hucuſque univerſalem & adæquatam cenſuerint Sancti Patres Scholaſtici communiter; & indigeret aliquâ, quâ tamen caret, poſitivi fundamenti firmitate Lugus in eo quod dubitat, aut opinatur, de impoſitione manuum Moyſis alioqui eadem facilitate fas eſſet dubitare, aut opinari, quòd vera fuerint ſacramenta tranſitus populi per mare rubrum, igneatum linguarum deſcenſus ſuper Apoſtolorum capita in die Pentecoſtes, & id genus alia. Illatio à fine nec unico nec primario non eſt quidem demonſtrativa & neceſſaria, eſt tamen probabilis & valdè congrua, quoties nibil eſt quod cogat hujuſmodi finem, quamvis nec unicum, nec
27. primarium, excludere. Confirmatio ex eo quod verificetur ut plurimum probat ſufficienter, quia à regula generali, ut plurimum verâ, non ſunt excipiendi particulares caſus ſine particulari neceſſitate, quæ nulla eſt in caſu noſtro. Paritas ſacrificiorum, quæ in nos retorquetur, eluditur ex diverſa nominum impoſitione, nimirum ex eo, quod ſacrificij nomen impoſitum ſit ad ſignificandam inſtitutionem etiam non ſtabilem, ſecus nomen ſacramenti; quod nobis conſtat à poſteriori ex uſu Sebolaſticorum & Patrum, à quibus deductum eſt nomen ſacramenti ad ſignificanda ſigna, de quibus nunc agitur; undè etiam præſentem doctrinam limitamus ad ſacramenta ſumpta ſecundùm primævam nominis impoſitionem, nec negamus cum ampliatione, & mutatione aliqua ſignificationis primævæ, dicenda fore ſacramenta ea gratiæ ſigna, quibus reliqua ſacramentorum requiſita habentibus deeſſet ſola ſtabilitas.

Occurritur rationibus dubitandi pro ſacramento inſtituto, aut inſtituendo, ſine lege ſtabili & pro una vice.

Urgebis inſtitutio ſtabilis à non ſtabili differt ſolùm penes magis, vel minus durare; atqui magis vel minus durare non variat eſſentiam rei; ergo inſtitutio ſtabilis, vel non ſtabilis, non variat eſſentiam Sacramenti; atque adeò poteſt iſtud ſubſiſtere cum inſtitutione
etiam non ſtabili. Sed contrà: tranſeat major, quam etiam negare potes dicendo inſtitu- 28.
tionem ſtabilem à non ſtabili differre penes exigentiam magis, vel minus durandi potiùs, quàm magis vel minus durare; tranſeat, inquam, major, diſtinguo minorem, quam omitto reſpectu rei phyſicæ, nego abſolutè reſpectu rei moralis, cujuſmodi eſt ſacramentum, & ſicuti de ratione perfectæ amicitiæ, multóque magis de ratione beatitudinis eſt, quod ſpecialiter petat ſemper durare; ità benè poteſt de ratione ſacramenti eſſe, quod ſpecialiter petat durare diu.

Duratio major, vel minor, quomodò ſpectare poſſit ad eſſentiam rei.

Ex omnibus hucuſque dictis manet probatū aſſertum etiam quoad ultimas particulas, quibus ſervatâ primævâ nominis ſignificatione ponitur ſimpliciter eſſentiale, & de potentia etiam abſolutâ neceſſarium in ſacramento, quod ſit ſignum ad placitum, & permanens ac diuturnum.

§. III.

Utrùm ſit omnibus ſacramentis eſſentiale ſignificare perfectam, & conferre imperfectam ſanctitatem?

ASSERT. 1. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare perfectam ſanctitatem, ideſt gratiam juſtificantem, ſeu gratum facientem. Ità Magiſter *in 4. diſt. 1.* Hugo Victorinus *libro primo de ſacrament. par. 9. cap. 1.* D. Thomas *hic quæſt. 60. artic. 1. ad 3.* Gonetus *diſputat. 1. art. 2. §. 1.* Suarez *diſputation. 1. ſec. 2. §. dico tertio.* Amicus *diſputation. 1. ſec. 1. num. 5.* Lugus *diſputat. 1. ſec. 2.* & reliqui magis communiter contrà Melchiorem Cano *relect. de ſacram. par. 1* Bellarminum in Controv. *tom. 2. lib. 1. cap. 12. propoſ. 2.* Caſpenſem *diſput. 1 ſec. 3.* Philippum à SS. Trinitate *diſputation. 1. dub. 1.* Averſam *quæſt. 60. ſec. 2.* alioſque nonnullos ex Scholaſticis, & à fortiori contrà plures

ſectatios

Digitized by Google

Sectarios, qui non (ſicut præcitati Scholaſtici) ſolis Sacramentis antiquis, ſed & novis negant perfectæ ſanctitatis, quæ per gratiam eſt, ſignificationem; ut magis inſinuabimus *ſeq. §. 4. num. 46.*

29. **Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis ſignificare ſanctitatem perfectam.**

Probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 3.* approbante, quòd ſacramentum in communi à Magiſtro *in 4. diſt. 1.* dictum ſit *inviſibilis gratiæ viſibilis forma*; cui etiam conſonat quòd Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum cap. 16.* ait *Sacramentum eſſe donum temporale, ſignificare verò donum æternum* & 10. de Civit. cap. 5. *eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam*: Item quod ex D. Iſidoro *lib. 6. etymol. cap. 14.* habetur ſacramenta dici, *Quia ſub tegumento corporalium rerum divina virtus ſecretius ſalutem operatur*; certè autem perfecta, non imperfecta, ſanctitas venit nomine gratiæ inviſibilis, doni æterni, rei ſanctificantis animam, virtutis operantis ſalutem; ergo. Auctoritatibus accedit multiplex ratio, potiſſima mihi videtur poſſe ſic formari. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem occultam; atqui ſanctitas occulta eſt ſola ſanctitas perfecta, quæ per gratiam ſpiritualem, internam, inviſibilem; non ſanctitas imperfecta, quæ legalis & externa conſiſtens in uſu ſacrarum ceremoniarum, in exteriore conſecratione & deputatione ad Dei cultum, in quibuſdam luſtrationibus, expiationibus, & emundationibus corporis; ergo omnibus Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſanctitatem perfectam, quæ per gratiam &c. Major probatur ex eo quòd *num. 1.* obſervatum eſt Sacramentum apud ſacros Auctores dici à re ſacra, non quacumque, ſed abdita & arcana; undè & ſolet appellari Myſterium, cujus nomine nemo non

30. concipit denotari aliquid magnum, occultum, & latens; ergo. Confirmatur ex eo, quòd non aliter meliùs aſſignari poteſt tum diſcrimen inter ſacramentalia & ſacramenta, tum ratio ob quam illa, non iſta, ex communi Scholaſticorum ſenſu poſſint ab Eccleſia inſtitui; quam ponendo, quod Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare perfectam ſanctitatem, quam ſacramentalia non ſignificant, licet imperfectam & ſignificent & conferant, ut ex dicendorum progreſſu innoteſcet; ergo. Confirmatur ſingillatim quoad ſacramenta antiqua ex Concilio Florentino *in decreto unionis* dicente ea *gratiam per paſſionem Chriſti dandam figuraſſe*; atqui gratia per paſſionem Chriſti danda eſt perfecta ſanctitas, & figurare eſt ſignificare; cum omnis figura ſit ſignum rei figuratæ, undè Arriaga *diſp. 1. ſec. 4. n. 32.* ait ſe non capere, quomodò Hurtadus dixerit tranſitum maris rubri, aquam fluentem de petrà, & ſimilia non fuiſſe gratiæ ſignum, fuiſſe tamen gratiæ figuram.

Dices: Sacramentis eſſentiale eſt ſignificare ſenſibiliter & infallibiliter, ex dictis enim ſunt eſſentialiter ſigna ſenſibilia, & ex divina inſtitutione; quatenùs ſenſibilia ſignificant ſenſibiliter, quatenùs ex divina inſtitutione ſignificant infallibiliter, cum infallibilis ſit divina inſtitutio & infruſtrabile divinum beneplacitum; atqui ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, nullatenùs poteſt ſignificari ſenſibiliter, & ſaltem ſecundum præſentem providentiam non poteſt per aliquid, cujus uſus in noſtra poteſtate ſit, ſignificari infallibiliter; ergo ſanctitas perfecta, quæ per gratiam, non poteſt per ſacramenta ſignificari, ac per conſequens ſacramentis eſſentiale non eſt ſignificare &c. Minor probatur quoad primam partem, quia repugnat in terminis quod inſenſibile cujuſmodi eſt gratia, ſenſibiliter ſignificetur, alioqui inſenſibile ſenſibile redderetur, quoad ſecundam, quia ſecundùm præſentem providentiam nullus noſtrum poteſt habere infallibilitatem & certitudinem de ſua perfecta per gratiam ſanctitate, quam tamen facile eſſet cuique habere per ſuſceptionem & uſum ſacramentorum, quæ in ſua habet poteſtate, ſi hæc illam infallibiliter ſignificarent; habens enim infallibile ſignum habet infallibilitatem & certitudinem exiſtentiæ ejus, quod ſignificatur per tale ſignum. Sed contrà. Inſtantia ut conſideranti patet valdè nimis probat, conceſſa igitur majore, nego minorem;

Ad probationem ejus quoad primam partem dico rem inſenſibilem ſenſibiliter ſignificari nihil aliud eſſe, quàm ejus ſpeciem in intellectu excitari per ſpeciem rei ſenſibilis receptam in ſenſu, in quo non eſt major difficultas, quàm in eo quòd per ſpecies viſibilium excitemur ad intelligenda inviſibilia, per ſpecies creaturarum ad intelligendum Creatorem juxta Apoſtolum *Rom. 1.* dicentem *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* In forma diſtinguo, repugnat quod inſenſibile ſenſibiliter ſignificetur ſenſibilitate ſua ſeu rei ſignificatæ, concedo; ſenſibilitate aliena ſeu rei ſignificantis, nego, eademque ratione repugnat quod inſenſibile reddatur ſenſibile per ſe & ſenſibilitate ſua, non per aliud & ſenſibilitate aliena. Neque dicas inſenſibile nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificare; ergo pariter nequidem ſenſibilitate aliena poteſt ſenſibiliter ſignificari. Contrà enim, in primis nutat antecedens, quia dolor internus & in ſe inſenſibilis, quatenus eſt pars ſacramenti, dici poteſt ſenſibiliter ſenſibilitate aliena, alterius ſcilicet compartis, ſignificare gratiam ſacramentalem: deindè dato antecedente optimè adhuc negabitur conſequentia, ut optimè negaretur in his illationibus prællatæ ſimilibus & æquivalentibus; Significare vocaliter non poteſt niſi vox, ergo ſignificari vocaliter non poteſt niſi vox: Sola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentare, ergo ſola entitas intentionalis poteſt intentionaliter repræſentari. Ratio à priori ſit, quia repræſentans & repræſentatum, ſignificans & ſignificatum, non eſt neceſſe quod ſint ejuſdem rationis, non valet igitur illatio à re ſignificante aut repræſentante ad rem ſignificatam aut repræſentatam, nec eſt in iſta requirendum quidquid ad illam requiritur. 31. **Quomodò inſenſibile poſſit ſignificari ſenſibiliter.**

Ad probationem ejuſdem minoris quoad ſecundam partem, dico ſermonem eſſe de Sacramentis, vel antiquis, vel novis; Pro antiquis probatio non eſt ad rem, quia ſacramenta antiqua ex dicendis (ſi Circumciſionem & remedium originalis excipias) ſignificabant gratiam futuram, 32. **Quomodò ex infallibili ſignificantia gratiæ in ſacramentis nō poſſimus**

habere infallibilitatem gratiæ in nobis. futuram, & dandam in lege nova; nec eſt inconveniens quòd tunc haberetur certitudo gratiæ per Chriſtum in lege nova futuræ: Pro Sacramentis novis (eademque eſt ratio de Circumciſione & originalis remedio inter antiqua) dico eſſe infallibile ſignum gratiæ exiſtentis, & præſentis in ſuſcipiente, ſuppoſito quod valide & ſine obice ſuſcipiantur; nemo autem ſecundùm ordinariam providentiam habet certitudinem & omnimodam (ſubintellige fidei) infallibilitatem, quod ſacramentum ullum ſit hic & nunc valide & ſine obice ſuſceptum: Sacramentum igitur ea ratione, qua eſt infallibile præſentis & exiſtentis gratiæ ſignum, nunquam cadit exercitè & in particulari ſub noſtram certam & infallibilem cognitionem; idcò neque ſub hanc ex vi Sacramenti exercitè & in particulari cadit noſtra perfecta per gratiam ſanctitas, ut etiam attigimus in tract. de Gratia *lib.*3.*cap.*5.*num.*17.

Dices ſingillatim quoad ſacramenta antiqua: Hæc, ut mox ex dicendis ſuppoſuimus, ſignificabant gratiam futuram & dandam alijs in lege nova, non tunc præſentem & quæ daretur ipſa ſuſcipientibus; atqui taliter gratiam ſignificare eſt eam ſignificare ſolùm per modum figuræ aut ſigni, ſi vis, non ſacramentalis; ergo ſacramenta antiqua non ſignificabant gratiam ut ſacramenta & ut ſigna ſacramentalia, ſicuti tamen debuiſſent ſignificare ex noſtri aſſerti intento. Minor probatur primò, quia ſecùs fuiſſent ſacramenta omnes figuræ, quæ in antiqua lege gratiam futuram in nova ſignificarunt, ſicque fuiſſet ſacramentum manna utpotè figura Eucbariſtiæ & gratiæ per Euchariſtiam dandæ; tranſitus maris rubri, utpotè figura ſalutis per baptiſmum conſequendæ; ſerpens æneus, utpotè figura curationis peccatorum faciendæ per Chriſti gratiam: ſecundò quia ex doctrina D. Thomæ 1. 2. *quæſtio.*101. *art.*4. & *quæſt.* 102. *art.*5. ſacramenta differunt ab alijs ſacris & ſacrificijs potiſſimùm ex eo quod illa ordinentur ad ſanctificationem ſeu conſecrationem eorum, à quibus ſuſcipiuntur; ſacramentum igitur ut ſacramentum ſignificat ſolùm ſanctitatem, quæ de præſenti detur ſuſcipienti, non quæ de futuro danda ſit alijs; & hæc poſterior ſignificatio ad ſignum figurativum, ſola prior ad ſignum ſacra-
34. mentale pertinet. Sed contra: nego minorem, & dico ſignum figurativum gratiæ in alijs futuræ poſſe optime eſſe ſacramentum ſeu ſignum ſacramentale, quoties ſimul ſignificat aliquam imperfectam ſanctitatem, quæ de præſenti conferatur ſuſcipienti, & ex hoc capite non fuerunt ſacramenta figuræ illæ quæ in prima minoris probatione recenſentur, ex eodem capite ſaluatur doctrina D. Thomæ, quæ pro ſecunda ejuſdem minoris probatione memoratur; inſtantia ad ſummum vim aliquam haberet, ſi diceremus ſignificationem perfectæ, quæ per gratiam, ſanctitatis eſſe ſacramentis eſſentialem tanquam adæquatam ipſorum ab omnibus non ſacramentis differentiam; at hoc à nobis non dici conſtat ex ſequenti aſſerto.

Aſſert. 2. Omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre aliquam imperfectam & externam ſanctitatem. Colligitur hoc ex D. Thoma *præcit. art.*4. & 5. & traditur à Joanne à S Thomâ *diſp.*22.*art.*1.*dub.*3. Suario *diſp.*1. *ſec* 2. §. *dico ſecundo* Amico *diſp.*1. *ſec.*1. *num.*7. Lugo *diſput.*1.*ſec.*2. Arriaga *diſp.*1.*ſec.*4 *ſubſec.*1. & alijs diſſidentibus tamen inter ſe in modo, quo id eſſentiale ſit; nam Joannes à S. Thomâ vult id eſſe eſſentiale ſolùm per modum conditionis & ex parte ejus quod Sacramentum importat de materiali, idemque videntur ſentire reliqui Thomiſtæ, quamvis ſoleant minùs expreſsè loqui. Suarez, Amicus & Lugo volunt id eſſe eſſentiale ſubdisjunctò, & cum aliqua indeterminatione; adeò ut de eſſentia ſacramenti ſit conferre ſanctitatem aliquam, non imperfectam determinatè, ſed vel imperfectam, vel perfectam; illam ex ſuppoſitione quod non iſtam; & totum explicant terminis abſolutis dicendo eſſe de eſſentia ſacramenti conferre ſanctitatem proportionatam ſtatui, cujus ſunt ſacramenta; qui dicendi modus Arriagæ diſplicet præcipuè ex eo quod minus bene ſaluet convenientiam univocam inter diverſorum ſtatuum, ſeu antiquæ & novæ legis, ſacramenta

Probatur. Omnibus Sacramentis eſſentiale 35. Eſſentiale eſt omnibus ſacramentis conferre ſanctitatem imperfectam, & eſſe cæremoniâ ſacram.
eſt, quòd ſint quid ſacrū non ſolùm ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione ſui; atqui hoc ipſo quod ſunt quid ſacrum ratione ſui, conferunt ſuis ſuſcipientibus aliquam imperfectam & externam ſanctitatem; ergo omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre &c. Major probatur & explicatur quia ſacramentum eſſe quid ſacrum etiam ratione ſui valdè congruit ætimologiæ nominis, ſive conſideretur nomen latinum ſacramenti, quod ipſo vocis ſono quid ſacrum involuit, ſive expendatur nomen græcum Myſterij, quod ut obſervant Bellarminus *tom.*2.*lib.*1.*cap.*8. & Lugus *præcit. ſec.*2. *num.*9. ex prima ſua ſignificatione idem fuit, ac ſacrum initium; hinc Magiſter ut *num.*1 præmiſimus expreſſit Sacramentum eſſe ratione ſui, non ratione ſolius rei ſignificatæ, quid ſacrum, dicens illud eſſe ſacrum ſignans & ſacrum ſignatum: hinc etiam D. Thomas *præcitat. articul.* 4. & 5. ſacramenta recenſet inter cæremonias & ritus pertinentes ad Dei cultum & ad veræ religionis profeſſionem, ſunt igitur ratione ſui quid ſacrum & religioſum. Probatur jam minor, ſuſcipere aut exercere aliquid ratione ſui ſacrum eſt hoc ipſo ſacrari & ſanctificari, ſi igitur ſacramenta ſunt aliquid ratione ſui ſacrum; & quidem non ſanctitate perfecta gratiæ gratum facientis ut per ſe patet, ſed imperfecta, cæremoniali, & per denominationem extrinſecam ab ordinatione divina, conſequens eſt ipſa conferre ſuis ſuſcipientibus aliquam ſanctitatem, hancque imperfectam & externam: Enimverò reddi exteriùs Dei cultorem & veræ religionis profeſſorem, nonne eſt exteriùs reddi aliquomodo ſanctum & ſacrum? ſi igitur ſacramenta ſunt ritus & cæremoniæ ſacræ, quibus Deum colimus exterius, veramque religionem profitemur, hoc ipſo nos reddunt cultores Dei, profeſſores religionis, atque adeò aliquo modo ſanctos & ſacros.

Dices primò: Non apparet quomodò detur 36.
ritus aliquis aut cæremonia ſacra in Eucha-
riſtia

Digitized by Google

riſtia, in Matrimonio; imò nec in baptiſmo, aut in circumciſione reſpectu parvulorum; ergo non eſt univerſaliter verum quod ſacramenta ſint ritus ac ceremoniæ ſacræ, quodque ex hoc capite ſuis ſuſcipientibus conferant aliquam imperfectam ſanctitatem: probatur antecedens, quia ritus & ceremoniæ conſiſtunt in actione & important aliquid tranſiens, Euchariſtia autem utpotè ſacramentum permanens nequidem partialiter poteſt per actionem tranſeuntem conſtitui: Matrimonium importat eas ſolas actiones, quæ requiruntur ad conſtituendum contractum naturalem, & redditum eſt ſacramentum in lege nova per hoc præciſe, quod talibus actionibus addita ſit ſignificatio gratiæ, non per hoc quod ſpecialiter fuerit injuncta contrahentibus aliqua actio per modum ritus, & cæremoniæ ſacræ: Parvuli antè uſum rationis ſunt incapaces cujuſcumque actionis; baptiſmus igitur & circumciſio reſpectu ipſorum nequit importare ſacram

37. cæremoniam conſiſtentem in actione. Sed contrà: nego antecedens, ad cujus probationem quoad Euchariſtiam dico eum, qui hanc aut conſecrat aut ſumit, certè exercere actionem aut quaſi actionem divini cultus & veræ religionis proteſtativam, adeóque Sacram cæremoniam; ideò Euchariſtia quamvis ſit ſacramentum permanens, ſicuti dicit ordinem ad conſecrationem & ſumptionem: ita quoque ad cæremoniam ſacram, & eſt cæremonia ſacra in actu ſignato, qua deindè ratione eſt in nobis ſignum exercitè notificans ſanctitatem internam perfectam, eſt ſimul cæremonia ſacra exercitè tribuens ſanctitatem externam imperfectam.

Quomodo reperiatur ratio cæremoniæ ſacræ in Euchariſtia.

In Matrimonio.

Quoad matrimonium dico actiones ipſas naturales ad conſtituendum contractum requiſitas, quin & ipſummet naturalem contractum, induiſſe rationem cæremoniæ ſacræ in lege nova per hoc, quod ex divina ordinatione fiant non præciſè in officium naturæ, ſed ſimul in proteſtationem religionis & repræſentationis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; quod habetur ſufficienter quoties contrahentes contrahunt in facie Eccleſiæ, & cum animo faciendi quod intendit Eccleſia.

Et in ſacramentis Parvulorum.

Quoad baptiſmum & circumciſionem dico cæremoniam conſiſtere in actione, non tamen activè tantum ſed & paſſivè ſumpta, parvuli autem antè uſum rationis ſunt incapaces actionis ſumptæ activè, non ejuſdem ſumptæ paſſivè; & ſicuti uſus paſſivus ſacramentorum, de quibus agitur ſufficit ad conferendam parvulis ſanctitatem perfectam, ita non eſt cur non ſufficiat ad conferendam iiſdem ſanctitatem imperfectam?

38. Dices ſecundo: Si omnibus Sacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem imperfectam, omnia ſunt in genere cauſæ, non verò ſolùm in genere ſigni ut §. 1. dicebatur; ergo doctrina præſens inconſequens eſt & contraria præcedenti; antecedens probatur ex eo, quod omnibus Sacramentis eſſentiale ſit ſignificare ſanctitatem perfectam, omnia ſunt in genere ſigni, cur ergo ex eo, quod iiſdem omnibus eſſentiale ſit conferre, quod eſt cauſare ſanctitatem imperfectam, non omnia ſunt in genere cauſæ? Neque obeſt hic analogia, quia licet ſit analogus cauſæ conceptus, ſi comparetur in antiquis ad imperfectam, in novis ad perfectam ſanctitatem; aut in utriſque ad perfectam, ſed impropriè ab antiquis, propriè à novis cauſandam; benè poteſt idem conceptus eſſe univocus ſi comparetur ad ſanctitatem imperfectam cauſandam ab utriſque eodem modo, id eſt moraliter & ſub ratione cæ-

remoniæ ſacræ. Sed contrà: diſtinguo antecedens; ſi omnibus ſacramentis eſſentiale eſt conferre ſanctitatem &c. omnia ſunt in genere cauſæ ſecundùm quid & ſecundum ſuum materiale concedo, ſimpliciter & ſecundùm formale nego antecedens & conſequentiam; illa enim, quæ in multis conveniunt, non illicò ſunt conſtituenda in multiplici genere, niſi conveniant in multis æquè primò & æquè principaliter ſe habentibus. Dico autem finem præcipuum & potiſſimum ſacramentorum conſideratorum formaliter, ut ſacramenta ſunt, eſſe gratiam internam & ſanctitatem perfectam, ſicque ſacramenta in eo ſolùm convenire ſimpliciter, tanquam in genere, in quo conveniunt relatè ad hunc finem; & quia per nos relatè ad hunc finem conveniunt in ſola ratione ſigni, non ſimul in ratione cauſæ, conſequens eſt ea ſimpliciter eſſe ſolùm in genere ſigni: Quòd deinde ratio cauſæ ſit iiſdem ratio conveniendi relatè ad ſanctitatem imperfectam eſt ſecundarium, ſicut finis ſecundarius Sacramentorum eſt ſanctitas imperfecta; eſt item materiale, noſtra enim ſanctificatio imperfecta habetur ab eo, quod eſt ſacramenti materia, id eſt ab ipſa actione ſeu cæremonia ſacra, puta ab ablutione in baptiſmo, à confeſſione in pœnitentia &c. Accedit quod, dum aliquid dicitur eſſe in genere cauſæ intelligi ſolet de cauſa efficiente, unde etiam Auctores ſacramenta in genere cauſæ collocantes illis tribuunt aliquam cauſalitatem effectivam in gratiam: & tamen ex alia parte ſanctitatem imperfectam, quam ſacramenta conferunt, conferunt formaliter, non effectivè; ſi igitur ex hoc capite ponantur in genere cauſæ erunt in genere cauſæ formalis, atque adeò non in genere cauſæ ſimpliciter; ſicuti gratia ex eo quod reddat formaliter ſanctum, albedo ex eo quod reddat formaliter album, anima ex eo quod reddat formaliter vivens, cæteræque formæ non dicuntur eſſe ſimpliciter in genere cauſæ relatè ad ſuos effectus formales, fortè quia ab iſtis non diſtinguuntur.

39.

§. IV.

Utrùm ſacramentum poſſit ſimpliciter ac propriè definiri, & quam variè à variis definiatur.

ASSERT. 1. Sacramentum poteſt definiri ſimpliciter ac propriè, definitione ſcilicet metaphyſica per genus & differentiam; non verò ſolùm craſſo modo & non ſervatis 40.

definitionis rigoroſæ legibus deſcribi. Ita in primis ſuppoſitivè, & minùs aſſertivè, quicumque Sacramentum definiunt non revocata in dubium ejus definibilitate, & deindè in terminis formalibus Joannes à S. Thoma *diſp*.22. *art*.2. Bellarminus *in controv.tom.*2.*lib*.1.*cap*.10. Suarez *diſp*.1.*ſec* 4. Arriaga *diſp*.1.*ſec*.1. contrà (ut multi referunt) Richardum, Ochamum, Majorem *in* 4. *diſt*. 1. & ex parte Scotum *ead diſt. quæſt*.2. Fabrum *diſp*.1.*c*.2. Vaſquium *diſp*.128.*cap*.2. & nonnullos alios negantes ſacramentis propriam perfectamque definibilitatem, eo quod ea cenſeant vel entia per accidens, vel entia rationis. Nihilominùs ex hoc ipſo impugnantur, pro quo

41. Suſtineri poteſt propriè definibile ens per accidens.

Adverto ſuſtineri in primis poſſe quod tum entia per accidens, tum entia rationis, ſint ſimpliciter ac propriè definibilia: Neque enti per accidens obſtat quod ſit multa potiùs, quam unum; definibile autem ſeu una definitione exprimibile non ſit niſi quod eſt unum. Non obſtat hoc, quia ens per accidens eſt multa potiùs quàm unum diviſivè & in eſſe ſimplici; eſt tamen quid unum ſumptum collectivè & in eſſe complexo ac concreto, quia ſolum ratione eſt quid unum etiam compoſitum ſubſtantiale, quamvis ſit ens per ſe; quod deindè unio in compoſito ſubſtantiali intendatur per ſe à natura, non in compoſito accidentali ſeu in ente per accidens, ſicuti nihil facit ad unitatem aut multiplicitatem, ita nec ad definibilitatem; & prætereà etiam accidens ſimplex & abſtractum non intenditur per ſe, per ſe verò intenditur ſimplex ſubſtantia; & tamen accidentia ſaltem conſiderata in abſtracto cenſentur propriè definibilia, & ſolent definiri: Scio quidem Vaſquium velle accidens, utpotè quod dicitur entis ens, eſſe ſolum ſecundariò ens, ſicque poſſe ſolùm ſecundariò definiri; Verum eadem ratione de ſubſtantia creata comparata ad increatam dici poſſet eſſe ens ſecundarium, & ſolum ſecundario definibile: Quod accidens dicatur entis ens eſt purus modus loquendi, ex quo ſicuti accidenti nihil detrahitur de propria ratione entis, ita nec de propria ratione definibilis.

42. Item ens rationis.

Enti rationis non obſtat quòd non habeat realem quiditatem, quæ ſola eſt objectum propriæ perfectæque definitionis: Non obſtat, inquam, quia enti rationis repugnat quidem realis exiſtentia, at hæc ipſa repugnantia dici poteſt realis ejus quiditas, unde & plures Dialectici ſuſtinent dari de eo rigoroſam ſcientiam. Deindè ſi quod ens rationis ingreditur conſtitutionem *Sacramentorum* eſt ens rationis ſecundò intentionale ſimile ſecundis intentionibus logicis, ut maximè obſervat Scotus *prœlocut. quæſt*. 2. §. *De ſecundo*, hujuſmodi autem ens rationis, quamvis exiſtat ſolum in ratione, in hac tamen exiſtit realiter cum certè exiſtant realiter conceptus mentis; habet igitur realem eſſentiam, realem quiditatem, realemque definibilitatem; ſive hanc habeat, ſive non, ens chimericum & fictum, quod maximè venire ſolet nomine entis rationis abſolutè prolati. Verùm omittamus hæc, & permittamus nec ens per accidens, nec ens rationis, eſſe ſimpliciter definibile, adhuc aſſertum

Probatur: Sacramentum eſt totaliter ac ſimpliciter ens reale; & quamvis phyſicè & ſecundùm materialem entitatem ſit ens per accidens, moraliter & ſecundum formalem rationem ſacramenti eſt ens per ſe; nec aliundè quidquam ei deeſt ad poſſe definiri ſimpliciter ac propriè; ergo Sacramentum poteſt definiri &c. antecedens quoad primam partem ſupponitur ex jam dictis *num*.7. quoad ſecundam explicatur breviter quia Sacramentum moraliter, & ſecundùm ſuam formalem rationem ſumitur indiviſibiliter per modum unius, à natura ita non intenditur per ſe ut nec intendatur per accidens, eſt ſuprà naturæ intentionem quod eſt intendi à natura quaſi per ſe eminenter; undè etiam intenditur per ſe à Deo, qui eſt eminens naturæ auctor; quoad tertiam deducitur ex eo, quod nequeat aliundè aſſignari aliquid in objecto definibili requiſitum, & in ſacramento non repertum; quod enim præcipuè requiritur in objecto definibili eſt aliquod commune per quod cum alijs eſſentialiter conveniat, & aliquod proprium per quod ab alijs eſſentialiter differat, ut ex illo poſſit deſumi genus, ex iſto differentia, quæ ſunt adæquata conſtitutiva definitionis metaphyſicæ propriè ac ſimpliciter dictæ; atqui hoc utrumque in ſacramento reperitur ut habetur ex eo, quod diximus ſacramentum eſſe in genere ſigni, & partim jam diſcuſſimus, partim *ſeq*.5. explicatius diſcutiemus, in quonam hujuſmodi ſignum differat à ſignis alijs, quæ ſacramenta non ſunt; ergo.

43. Quidquid autem de eo utroque ſit, eſt propriè ac ſimpliciter definibile Sacramentum.

Dices: Non poteſt afferri ulla definitio metaphyſica ſimpliciter ac propriè talis, quæ de ſacramento eſſentialiter prædicetur; ergo quia ſacramentum non poteſt definiri ſimpliciter ac propriè definitione metaphyſica; conſequentia patet, quia non poteſt definiri id, de quo non poteſt afferri definitio, & hæc non poteſt afferri de eo, de quo non poteſt prædicari; cum nihil tritius ſit, quàm definitionem & definitum dici ad convertentiam, ſeu ad invicem eſſentialiter: Antecedens probatur, nomine ſacramenti in præſenti venit ſignum gratiæ ſeu res ſignans & ſignificans gratiam, ut nos ipſi monuimus *præcedent. numero* 1. & alibi, atque adeò nomine ſacramenti venit concretum accidentale, ſicut eſt album, cognitum &c. atqui ex una parte concretum accidentale importat quale rei, non quid rei; & ex alia parte ſola definitio explicans quid rei, non definitio ulla explicans quale rei, prædicatur eſſentialiter; ergo. Confirmatur: In baptiſmo v.g. ſacramentum & ſignum gratiæ conſurgit ex aqua, verbis, & actu divinæ inſtitutionis, ſeu denominatione & habitudine talem actum conſequente; atqui quæcumque ſacramenti definitio afferatur nec prædicabitur eſſentialiter de aqua, nec de verbis, nec de actu divinæ inſtitutionis, ſive ſumantur hæc ſingula ſeorſim ſive omnia ſimul; ergo. Sed contrà: 44.
nego antecedens ad cujus probationem poteſt in primis cohærenter ad præmiſſam animadverſionem dici rem ſignificativam gratiæ eſſe concretum accidentale phyſicè, ſecus moraliter; detur tamen abſolutè major, diſtinguo primam partem minoris, quam

concedo

concedo ſi ly *rei* ſumatur pro ſubjecto à formâ denominato, nego ſi pro toto reſultante ex ſubjecto denominato & formâ denominante; ſic v.g. *album* importat quale *rei* ſi ly *rei* ſumatur pro pariete, qui albus denominatur, & quam albedo qualificat; importat, quid non quale, ſi ly *rei* ſumatur pro toto reſultante ex pariete & albedine; hoc quippè totum verè eſt ſua quiditas, ſeu ſuum quid nec per albedinem qualificatur ſed eſſentialiter conſtituitur: eadem proportionaliter ratione eſſe ſignificativum gratiæ importat quale *rei* ſumptæ pro ſubjecto à ſignificatione denominato, puta pro aquâ & verbis in baptiſmo, at importat quid *rei* ſumptæ pro toto reſultante ex aquâ & verbis, tanquam ex ſubjecto denominato, & ex ſignificatione tanquam ex formâ denominante, & quia hoc eſt quod venit nomine ſacramenti, optimè poterit de ſacramento afferri definitio, quæ explicet quid *rei*, quæ eſſentialis ſit, & prædicetur eſſentialiter.

45. Ad confirmationem dico tria ibi in baptiſmo enumerata (ſivè omnia ingrediantur baptiſmi conſtitutionem, ſivè non, de quo alibi) conſiderari poſſe, vel ſpecificativè & ſecundùm proprias abſolutaſque rationes, vel reduplicativè & ſecundùm quod afficiunt ſe invicem atque denominant; tanquàm ſubjectum & forma: De his tribus primo modo ſumptis neque ſeorſim neque ſimul poteſt definitio ulla eſſentialiter prædicari, alioqui deberet dari aliqua una oratio explicans quid ſit ſpecificativè & ſecundùm propriam rationem aliqua quid verba, &c. prædicari tamen optimè poteſt aliqua definitio de iiſdem ſumptis ſecundo modo, quo ſolùm ſunt ſacramentum & ſicuti ut homo dicatur ſimpliciter definibilis non eſt neceſſe quod aliqua definitio prædicetur eſſentialiter de corpore, animâ & unione ſumptis ſpecificative & ſecundum proprias abſolutaſque rationes; ſed ſufficit quod eſſentialiter prædicetur de iiſdem reduplicativè, & ſecundùm quod ſe mutuo afficiunt, qua ſolum ratione ſunt homo, ità ſimiliter &c.

46. Aſſert. 2. Variæ admodum circumferuntur, partim à Sectarijs, partim à Catholicis, excogitatæ Sacramentorum definitiones.

Probatur & explicatur percurrendo utraſque, & in illis ſectariorum inſinuando errores, quos continent contrà fidei dogmata; in aliis vitia, quibus laborant contrà Dialecticæ præcepta aut doctrinæ noſtræ fundamenta.

Referuntur variæ ſacramentorum definitiones ex Sectariis.

Inter definitiones excogitatas à Sectarijs prima habetur ex Luthero *lib. de captivitat. babylon. cap. ultim.* ubi ſacramentum dicitur, *Promiſſio ſigno externo annexa.* vel ut paulò magis explicarunt Lutherani in apologia confeſſionis Auguſtanæ art. 14. *Ritus qui habet mandatum Dei, & cui eſt addita promiſſio gratiæ.* Secundo habetur ex Calvino *lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 1.* ubi ſacramentum dicitur *Externum ſymbolum quo benevolentia ergà nos ſua promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem.* Tertia ex Zuinglio *li. de vera & falſa religione c. de ſacramentis* ubi hæc dicuntur *Initiationes quadam & oppignerationes, quibus homines ſe obligant Chriſto, & eius militia nomen dat.* Quarta ex Phanaticis, quod ſint *Signa diſtinguentia Chriſtianos à Chriſtianis* vel quod idem eſt *Symbola quadam Chriſtiana ſocietatis* Quinta ex Anabaptiſtis, quod ſint *Allegoria & quaſi ſigna quadam bonorum operum, & vita ac morum ſpiritualium.* 47.

Iſtæ omnes definitiones mutilæ ſunt, nec totam ſacramenti naturam proferunt nam tres poſteriores ſicuti nullam faciunt gratiæ mentionem, ita nullam hujus aut efficientiam, aut ſignificationem, ſacramentis tribuunt; duæ priores licet in ſacramentis agnoſcant habitudinem aliquam ad gratiam, nihilominùs ex ſuorum auctorum mente ſi minus ex verborum vi, removere à ſacramentis omnibus omnem gratiæ efficientiam; nam in definitione Lutheri ly *gratia* ſupponit quidem pro gratia juſtificationis, at antecedente cuius ſacramentum ſit ſigillum, teſtimonium, ac quaſi confirmatio; non ſubſequente cujus ſacramentum ſit cauſa, aut ſignum aliquo modo practicum: In definitione Calvini ly *benevolentia erga nos ſua* ſupponit pro gratia prædeſtinationis, quæ non ſolum eſt ſacramenti ſuſceptionem antecedens, ſed etiam eſt æterna, & nullatenus potens ſub ulla ſacramentorum cauſalitate cadere; hincq; tum Lutherana tū Calviniana definitio infert errorem alium graviſſimum, Lutherana ſcilicet, quod a ſolis exiſtentibus in gratia; Calviniana, quod à ſolis prædeſtinatis poſſint ſacramenta ritè valideque ſuſcipi: Verum de hujuſmodi definitionum ſenſu ipſarumque erroribus, ſicut & de ampliore earundem impugnatione, ac ſolutione argumentorum, de quibus Hæretici ſibi aliqualiter blandiuntur, plura videri poſſunt apud Bellarminum *pracit. lib. 1. à cap. 14. ad 17.* & rem Controverſiſtarum, non Scholaſticorum, propriam ſufficiat nobis leviter indigitaſſe.

48. Variæ item ex Catholicis tum antiquis.

Inter definitiones excogitatas à Catholicis prima habetur ex Hugone à S. Victore *lib. 1. de Sacramentis par. 9. cap. 2.* ubi Sacramentum dicitur, *Corporale elementum foris ſenſibiliter propoſitum ex ſimilitudine repraſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ſanctificatione continens aliquam inviſibilem & ſpiritualem gratiam.* Secunda ex Magiſtro *in 4. diſt. 1.* ubi Sacramentum dicitur, *Quod ità eſt ſignum gratia Dei, & inviſibilis gratia forma, ut ipſius imaginem gerat & cauſa exiſtat* Tertia ex Scoto *ead. diſt. quaſt. 2.* ubi dicitur, *ſignum ſenſibile gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* Quarta ex D. Thoma *3. p. quaſt. 60. art. 2. in c.* ubi dicitur, *ſignum rei ſacra in quantum eſt ſanctificans homines*: Quibus ſi addas breviſſimam illam, qua ſacramentum dici ſolet *ſignum rei ſacra*; aut aliquando magis, at non adhuc ſatis clarè, *Inviſibilis gratia viſibilis forma*, habes celebriores Antiquorum de Sacramentis definitiones; & his deindè variæ aliæ acceſſerunt ex Recentioribus, nam ex Cano *relect. de ſacram. par. 1. circa finem* Sacramentum eſt ſignum practicum ſanctitatis alicujus ſivè internæ ſivè externæ. Ex Suario *hic diſputation. 1. ſec 4.*

Tum Recentioribus.

 eſt

traditur formalis ratio qua à Sacramentis gratia interna reſpicitur ſeu ſignificatur, quæ eſt humana per talem gratiam ſanctificatio; hincque eruuntur plura prædicata Sacramentis eſſentialia, nam ex eo quod gratia ſignificetur ut ſanctificans, eruitur ſacramentum eſſe ſignum aliqualiter practirum, cujus finis ſit operatio, aut quaſi operatio gratiæ in ſubjecto, non cognitio ejuſdem in ſe; ex eo quod ſignificetur ut ſanctificans homines, eruitur ſacramentum eſſe ſignum ad homines pertinens ſeu humanum, ac per conſequens ſenſibile, quia deinde *ex præced. num.* 23. nullum ſignum ſenſibile ſignificans practicè gratiam poteſt eſſe natum & naturale, eruitur ulterius ſacramenta debere eſſe ſigna data & ad placitum inſtituta: Quòd tandem debeant eſſe ſigna ſtabilia & permanentia, habetur tum ex hoc ipſo, quod ſint ſigna inſtituta, tum ex ratione ſigni ſacri & religioſi idest pertinentis ad religionem, quæ ex propria ratione petit ſtabilitatem & permanentiam; ut attigimus *præced. num.* 24. Sicque noſtra definitio non ſolum explicitè profert prædicata eſſentialia ſacramentorum primo conſtitutiva per modum generis & differentiæ, verùm etiam implicitè continet reliqua prædicata ſacramentis eſſentialia eſſe non primo conſtitutiva, quod aſt eſſe definitionem omnibus numeris abſolutam, & optimam.

54. Dices: trita & celeberrima bonæ definitionis regula eſt, quod toti & ſoli definito conveniat; atqui aſſerta definitio nec toti nec ſoli definito, ideſt nec omnibus, nec ſolis, ſacramentis convenit; Non omnibus, quia inter nova non convenit Euchariſtiæ, inter antiqua non convenit ſacramentis alijs à Circoncisione & remedio originalis; Non ſolis, quia convenit Martyrio Sacrificio, & aliquibus alijs, quæ ſacramenta non ſunt, ergo aſſerta definitio deficit à trita & celeberrima bonæ definitionis regula, & peſſima eſt, non optima. Probatur minor quoad primam partem quod ſcilicèt non conveniat Euchariſtiæ, quia in hac illud, quod principalius ſignificatur, ut conſtat ex forma conſecrationis, eſt Chriſtus, ſeu Corpus ejus & Sanguis, nõ gratia, præſertim ut hominem ſanctificans, cum non ſanctificet niſi in Euchariſtiæ ſumptione, Euchariſtia verò ſit ſacramentum ante ſumptionem, ac per conſequens antequàm ſignificet gratiam ut ſanctificantem. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quod ſcilicet non conveniat Sacramentis antiquis alijs &c. quia alia ſacramenta non ſignificabant gratiam internam ut ſanctificantem ſuſcipientes ipſa, & tamen ly *inquantum ſanctificantis homines* videtur referri ad homines non quoſcumq; ſed ſuſcipientes, alioqui tota ſacramenti definitio accommodabitur omnibus figuris, quibus in antiqua lege præſignabatur gratia nobis per Chriſtum danda in lege nova. Probatur eadem minor quo ad tertiam partem, quod ſcilicet conveniat Martyrio, Sacrificio & aliquibus alijs, quia ſcilicet ſunt ſigna ſacra & religioſa, ut potè religionis proteſtativa; ſunt item ſigna internæ gratiæ in quantum homines ſanctificantis, cum hominibus contulerint ad peccatorum remiſſionem & ſanctificationem internam tum Martyrium & Sacrificium, tum aliqua alia quibus ſignanter uſus eſt Chriſtus Dominus, puta lotio pedum Apoſtolorum *Io.* 13. qua fuiſſe collatam gratiam videtur deduci ex eo, quod Chriſtus dixit Petro *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*: Inſufflatio in Diſcipulos *Io.* 20. dicente Chriſtu *Accipite Spiritum Sanctum*, utique non accipitur ſine interna gratiæ ſanctificatione: Verba illa *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ dixit Chriſtus Paralytico *Matth.* 9. & Magdalenæ *Luc.* 7. Sed contra: Nego minorem.

Instantiæ contra aſſertam definitionem ut convenientem Sacramentis omnibus.

55 Inſtantiæ contra eandem, ut convenientem ſacramentis ſolis.

56. Ad probationem primæ partis dico abſolutè illud ſignificari principalius ſignificatione ſacramentali quod magis ſe habet ut res ſignificata; in Euchariſtia autem gratia ſe habet ut res ſignificata magis, quam Chriſtus; quia illa eſt res ultimo & purè ſignificata; Chriſtus vero eſt res ſignificata ut ſimul ſit res ſignificans, ita ſignificatur per verba ut ſimul cum verbis ſignificet gratiam, per verba enim ſignificatur ad modum ſpiritualis alimenti, quod eſt idem ac dicere ad modum ſignificantis gratiam nos ſpiritualiter nutrientem & ſanctificantem, & quamvis Euchariſtia ſolum in ſumptione ſignificat gratiam ut ſanctificantem exercitè; tamen etiam ante ſumptionem gratiam ſignificat ut ſanctificantem ſignatè, quod ſufficit ut ſit ante ſumptionem Sacramentum.

Solvitur prima de Euchariſtia.

57. Ad probationem ſecundæ partis nego ly *in quantum ſanctificantis homines* referri dumtaxat ad homines ſuſcipientes, de ratione enim ſacramenti abſtrahantis à novis & antiquis eſt quidem ſanctificare ſuſcipientem, ut imperfecta dumtaxat ſanctitate; ſanctitatem autem perfectam gratiæ internæ ſatis eſt, quod ſignificet ut ſanctificantem vel ſuſcipientem vel alios, & quod in antiqua lege aliquæ figuræ ſignificantes gratiam futuram in lege nova non fuerint ſacramenta, non eſt quia non ſignificaverint gratiam internam ut ſanctificativam ſuſcipientis; ſed quia ſuſcipienti nullam ſanctitatem imperfectam conferebant, nec erant ſigna in ſe ſeu ratione ſui ſacra ac religioſa, ut conſtat partim ex dictis §. 3. partim ex dicendis

Solvitur ſecunda de Sacramentis antiquis.

58. Ad probationem tertiæ partis quoad Martyrium, non defuerunt qui abſolutè admiſſarint ipſum eſſe ſacramentum, ſub baptiſmo collocandum; adeò ut ſicut ſacramentum ordinis continet ſub ſe plures ordines, quorum ſinguli ſunt ſacramenta, ita ſacramentum baptiſmi contineat ſub ſe baptiſmum aquæ & baptiſmum ſanguinis, & utrumquè ſit ſacramentum; ita refertur ſenſiſſe Major *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 3. Non defuerunt ex adverſo, qui putaverint Martyrium nequidem quoad effectum cum Sacramentis convenire, numquam ſcilicet conferre gratiam ex opere operato, ſed ex opere tantum operantis, qua ratione quod confert gratiam, ſi poſſit dici gratiæ ſignum, erit dicendum ſignum naturale potius, quam ad placitum; affertur pro hac opinione Adrianus *in* 4. *quæſt. ult. de Baptiſmo*, cui reſpectu adultorum licet non reſpectu parvulorum

Solvitur tertia de Martyrio.

conferi

Google

conſentiunt Alenſis, Bonaventura, Sotus, Cæ-nus, Bannez & non pauci alij, ut videre eſt apud Amicum *diſp* 12 *ſec.*3 & Gonetum *diſput.*1 *de Bapt. artic.*7. Nihilominus ſententiæ Majoris. & Adriani, ſolvunt quidem adæquate inſtauritam; at aliundè improbantur unanimiter in ſcholis, & cenſentur ſingulares: Sententia Alenſis Bonaventuræ, &c. quamvis à multis olim tradita, eſt jam noſtris temporibus parum recepta, & pro re præſenti relinquit difficultatem integram in Martyrio parvulorum: Ideò his omnibus omiſſis nego ſimpliciter Martyrium eſſe ſacramentum, & concedendo ejus conducentiam ad gratiam internam ex opere operato, etiam in adultis, dico
59. ex mente D. Thomæ infrà *quæſt.* 66. *artic.* 11. *ad* 2. ipſum convenire cum ſacramentis, & ſignanter cum ſacramento baptiſmi, quantùm ad rationem effectus, non quantùm ad rationem ſigni; Non eſſe ſcilicet ſignum ſacrum & religioſum, nec inſtitutum a Deo: Non eſt ſignum ſacrum & religioſum, continens ſacram & religioſam cæremoniam, quia fit nullo ritu ſervato, in religionis odium non in proteſtationem, & Carnificem, à quo fit non ſacrat & ſanctificat ſed profanat & inquinat: Neque dicas rationem cæremoniæ ſacræ in ſacramento haberi ſufficienter, per hoc, quod ſacret & ſanctificet ſuſcipientem, ideò Martyrio ſufficere, quod ſacret & ſanctificet Martyrem, quem reſpicit ut ſuſcipientem; & quem etiam aliqui potiùs, quàm Carnificem exiſtimant dici debere Martyrij Miniſtrum. Contrà enim ratio cæremoniæ ſacræ in ſacramento elucet quidem multum relatè ad ſuſcipientem, at quando hic diverſus eſt à Miniſtro relucere etiam debet relatè ad Miniſtrum, cum actio ex genere ſuo non denominet ſolum ſubjectum in quo recipitur; ſed etiam agens, à quo fit.
60. Quod additur martyrem ipſum dici debere martyrij miniſtrum eſſet inſolens vocis abuſus, & non tolerandus, præſertim ſi martyrium ſupponatur eſſe ſacramentum, Miniſter enim ſacramenti debet ſe habere modo humano & velle ac intendere ſacramentum; Martyr autem eſſe poteſt infans, qui nondum attigerit uſum rationis, nec modum operandi humanum; item qui nullam habeat voluntatem intentionemvè Martyrij, imò etiam qui martyrium nolit & fugiat, nam etiam ſic nolens & fugiens, dummodò ſimul nolit fidem negare & ideò occidatur, verè Martyr eſt, ut ſupponit Arriaga *hic diſputatione prima ſec.*6. *numero* 50. quamvis alioqui latè improbet doctrinam, quam modo tradimus, & rationem quâ cum cæteris communiter Martyrium à Sacramentorum choro excludimus ex eo, quod non ſit ſignum religioſum & ſacrum ut mox probavi; nec inſtitutum à Deo, ut ſtatim ſuadeo breviter, ſignum eſſe inſtitutum à Deo eſt eſſe à Deo per ſe intentum ac volitum aut etiam præceptum, cujuſmodi nequit eſſe Martyrium, utpotè involvens peccatum ex parte eorum, à quibus infertur; eſt igitur ſolùm conditio, quâ poſitâ Deus vult conferre gratiam, non aliquid quod Deus velit poni ad gratiam ſignificandam.

Ad probationem ejuſdem tertiæ, partis quoad ſacrificium, dico eſſe in iſto ſecundarium & materiale, quod conferat ad remiſſionem peccatorum & ſanctificationem internam primarium verò & formale eſſe, quod fiat in cultum divinæ excellentiæ & proteſtationem propriæ ſubmiſſionis, ideò perſpicuum eſt ſacrificium ſub ſua propriâ ratione non eſſe ſacramentum, & poſſe illi ſolum ſecundariò convenire illud, quod eſt primarium conſtitutivum ſacramenti. Utrùm deindè hoc ſufficiat ad hoc, ut eadem actio poſſit dici ſacrificium & ſacramentum ſub diverſa ratione, aut ſacrificium primariò, ſacramentum ſecundariò? poteſt eſſe quæſtio de nomine, in quâ quidquid dicatur, erit ad præſentem difficultatem impertinens; certè in lege novâ ſacrificium Miſſæ ſacramentum continet, & habet pro re oblatâ ac victimâ, quam Sacerdos dum conſumit, ſimul ſacramentum ſumit: In lege etiam antiqua ſacrificiis, quibus certa peccata expiabantur, veram ſacramenti rationem tribuit Lugus *diſputat.*1. *ſec.*2. *num.*12. & his ſacrificiis utique conveniet definitio ſacramenti; at non ſub ea ratione, qua ſunt ſacrificium; quod optimè ſufficit ad hoc ut definitio ſacramenti non idcirco dicatur convenire alij à definito.

61. Solvitur eadem tertia inſtantia de Sacrificio.

Ad probationem ejuſdem tertiæ partis quoad reliqua nego abſolutè lotionem pedum Apoſtolorum fuiſſe collativam, aut ſignificativam gratiæ; non enim fuit ad hoc à Chriſto ordinata, ſed ad præbendum humilitatis exemplum, aut etiam indicandam eximiam animi puritatem prærequiſitam in accedentibus ad Euchariſtiæ ſacramentum: Nec illud Chriſti *ſi non lavero, non habebis partem mecum* idem ſonat ac non habebis gratiam, quam lotio ſignificat, ſed amittes gratiam, quam habes, eamque demereberis propter pertinacem reluctantiam contrà meam voluntatem meumque mandatum de lotione faciendâ. De inſufflatione Chriſti in Diſcipulos Suarez *diſput.*1. *ſec.*3. in fine & Amicus *diſp.*1. *ſec* 2. *nu.*43. volunt non convenire ei definitionem ſacramenti defectu inſtitutionis ſtabilis, quam quidem nos etiam ſuprà *n.*53. inſinuavimus in definitione præaſſerta implicitè contineri: Melius tamen Lugus *diſp.*1. *ſec.*3. *n.*51. Arriaga *diſput* 2. *ſec.*4. *n.*34. Henriquez *diſp.*1. *q.*2. *n* 26. & alij magis communiter concedunt ſuo modo convenire inſufflationi prædictæ definitionem ſacramenti illamque fuiſſe partiale ſacramentum ordinis & complementum ordinationis Apoſtolorum in Sacerdotes, quæ fuerit quaſi inchoata in cœnâ per collationem poteſtatis conſecrandi, tunc verò conſummata per collationem poteſtatis abſolvendi. Nec officit defectus ſtabilitatis, quia eſſe inſtitutum lege ſtabili eſt de eſſentia ſacramenti totalis, non cujuſlibet partis, inſufflatio autem fuit ſolum ſacramenti pars per modum materiæ, cujus loco nunc ſucceſſit manuum impoſitio, quod nihil aliud eſt, quam ſacramentum ordinis fuiſſe à Chriſto inſtitutum cum magna materiæ latitudine, & aliam ipſum adhibuiſſe, aliam nobis præſcripſiſſe; quod optimè præſtare potuit per poteſtatem excellentiæ, ut obſervat Lugus *præcit. num.*51. Verba Chriſti ad Magdalenam & Paraliticum

62. Solvitur eadem tertia inſtantia de lotione pedum Apoſtolorum. *Io.*13.

De inſufflatione in diſcipulos *Io.*20.

De verbis prolatis à Christo *Matth.* 9. & *Luc.* 7.

Paralyticum deficiunt ab asserta definitione, ſaltem ex eo, quod caruerint ſtabili & permanenti inſtitutione; deficiunt tamen inſuper ex eo quod non fuerint ſigna practica ſanctitatis, conſequentia, ſed declarationes & ſigna purè ſpeculativa ſanctitatis antecedentis, ut quoad Magdalenam facilè eruitur ex contextu ipſo narrationis hiſtoricæ *Luc.* 7. Quoad Paralyticum non æquè id conſtat, non parùm tamen favet, quod textus græcus *Matth.* 9. pro ly *remittuntur* habet de præterito *remiſſa ſunt*, ut monet Herincx *præcit. num.* 26.

CAPUT II.

De exiſtentia & neceſſitate Sacramentorum in variis humani generis ſtatibus.

Sacramentorum neceſſitas quotuplex?

1. ORDINE quaſi præpoſtero, at non ſine rationabili quam jam attigimus, cauſâ variato ſolùm poſt explicatam eſſentiam aſſumimus explicandam exiſtentiam, cui adjungimus neceſſitatem; & hæc duplex, alia exiſtentiam ſeu inſtitutionem ſacramentorum ſubſequens, alia antecedens: Prima eſt neceſſitas, ut nos ſacramentis inſtitutis utamur, quæ ſolet dividi in neceſſitatem medij, & in neceſſitatem præcepti, & in aliquibus ſacramentis utraque, in aliquibus neutra, in aliquibus præcepti non medij reperitur, ideò cum ſit in diverſis ſacramentis diverſa opportunius examinatur pertractando de ſacramentis ſingulis in particulari. Secunda eſt neceſſitas, ut Deus ſacramenta inſtituat, ſeu ut ſacramenta ſint, quæ ſi ſumatur pro neceſſitate ſimpliciter illico conſtat, quod nulla detur; at ſumitur pro neceſſitate ſecundùm quid, ſeu convenientia & congruitate, ſicque neceſſitas in titulo præfixa nihil eſt aliud, quam convenientia & congruitas, quam habent ſacramenta ad exiſtendum; jure igitur ponitur tanquam comes

2. exiſtentiæ: additum deindè eſt *in variis humani generis ſtatibus*; non ſunt tamen hic in ordine ad ſacramenta recurrendi omnes illi ſtatus, quos ſuo loco conſideravimus in ordine ad gratiam; ſtatus enim puræ naturæ, ſicuti puritate ſua ſervatâ non eſt capax gratiæ, ità nec ſacramentorum; eademque eſt ratio de ſtatu naturæ integræ ſumptæ ſecundùm ſe præcisè quo pacto nullam dicit elevationem ad finem ſupernaturalem, ut ſuppono ex tract. de Gratiâ *libro primo capite ſecundo*, Varij igitur ſtatus, de quibus in propoſito, ad duos reducuntur, ad ſtatum ſcilicet innocentiæ, & ad ſtatum naturæ lapſæ; quamvis commodioris doctrinæ gratia tres cum D. Thomâ *quæſtion.* 61. aſſignemus; quorum primus eſt ſtatus hominum antè peccatum; ſecundus ſtatus hominum poſt peccatum antè Chriſtum; tertius ſtatus hominum poſt peccatum & poſt Chriſtum; primus coincidit cum ſtatu innocentiæ; ſecundus & tertius continentur ſub ſtatu naturæ lapſæ: Tertius proprio nomine

Quinam ſint varij hominum ſtatus relatè ad ſacramenta?

dicitur ſtatus legis gratiæ: Secundus ſubdividitur in ſtatum legis non ſcriptæ, & ſtatum legis ſcriptæ: lex non ſcripta appellatur etiam 3.
lex naturæ, non quia importet ſola præcepta ſolaque dictamina rationis naturalia purè & nude ſumptæ; eſt enim lex hæc propria ſtatus naturæ puræ, qui nec unquam de facto extitit, nec pertinet ad rem noſtram; extenditur igitur lex naturæ etiam ad dictamina ac præcepta conſequentia lumen fidei, ex natura rei tamen, non ex impoſitione divinâ: lex ſcripta dicitur etiam lex Moſaïca, quia à Moyſe ac per Moyſem incæpit; quamvis pro re præſenti dici poſſit incæpiſſe ab Abrahamo, quando fuit ei præcepta circumciſio, quæ deinde in lege ſcriptâ permanſit, ſolùm tamen pro populo Iſraëlitico, quem ſolùm pariter lex ſcripta obligavit; hinc quantum ſpectat ad rem præſentem, ſtatus legis naturæ quoad alios ab Iſraëlitis duravit à peccato Adæ uſque ad Chriſtum, quoad Iſraëlitas tantum à peccato Adæ uſque ad Abrahamum, à quo deindè uſque ad Chriſtum pro iiſdem extitit lex ſcripta, quæ in rigore melius diceretur ab Abrahamo ad Moyſem poſitiva, ſcripta verò à Moyſe ad Chriſtum. Sicque tandem omnibus penſitatis expendenda eſt ſacramentorum exiſtentia & neceſſitas in ſtatu innocentiæ à mundi initio uſque ad Adæ peccatum: in ſtatu legis naturæ ab Adæ peccato uſque ad Abrahamum: In ſtatu legis antiquæ poſitivæ, ſivè ſcriptæ ab Abrahamo uſque ad Chriſtum: In ſtatu legis novæ ſivè gratiæ à Chriſto uſque ad mundi finem. Porrò quia ſtatus innocentiæ, prout de facto extitit in primis Parentibus uſque ad originale peccatum, valde parum duravit, ſolet de eo quæſtio inſtitui non ſolùm ſecundùm brevem durationem, quam de facto habuit, ſed etiam ſecundùm diuturniorem, quam habere potuit, quod eſt idem ac dicere ſecundum naturam ejus intrinſecam præſcindendo à duratione brevi, vel diuturnâ. Ideo ſit

§. I.

Utrùm in ſtatu innocentiæ, ſivè qui duravit de facto, ſivè qui duraſſet diutiùs, extiterit ac neceſſaria fuerint Sacramenta?

4. Nullum ſacramentum fuit in ſtatu innocentiæ, qui duravit de facto in primis Parentibus.

ASSERT. 1. Nullum extitit, nullumque neceſſarium fuit ſacramentum in ſtatu innocentiæ, qui de facto duravit in primis Parentibus uſque ad Adamum originaliter peccantem. Ità Scholaſtici communiter cum D. Thomâ *quæſt.* 61. *articul. ſecundo & in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſtion.* 1 *articul. ſecundo quæſtiunc.* 2. contrà Durandum *ead. diſtinct. quæſtion. ſecunda numero nono.* Alenſem 4. *par. quæſtion.* 1. *membr.* 2. *articulo primo*, alioſque nonnullos, qui licet fateantur non fuiſſe antè peccatum tantam, quanta fuit poſt peccatum, ſacramentorum neceſſitatem, inclinant tamen ad aſſumendam neceſſitatem, rationemque ſufficientem: Item contrà eos, qui docuerunt Matrimonium Adami cũ Evâ fuiſſe verum Sacramentum, pro quâ

ſententia Gonetus *hic diſp.* 1. *num.* 7. memotat Sotum, Alphoolum à Caſtro, Catharinum, Roffenſem, Pighium, & Henricum Angliæ Regem io tractatu, quem de Sacramentis edidit, dum eſſet Catholicus.

Probatur: Nullum eſt ſufficiens aut ab auctoritate, aut à ratione, argumentum exiſtentiæ & neceſſitatis ſacramenti alicujus in ſtatu innocentiæ, qui de facto &c. imo ratio valdè ſuadet oppoſitum; ergo nullum extitit, nullumque neceſſarium fuit ſacramentum in ſtatu Innocentiæ, qui de facto &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia nullum eſt, aut in Scriptura aut in Concilijs aut in Patribus veſtigium Sacramenti alicujus in ſtatu innocentiæ, nec ulla alicubi fit mentio inſtitutionis, aut miniſtri, aut materiæ, pro tali aliquo Sacramento. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia ſiquæ ratio præberet argumentum alicujus ſacramenti in ſtatu innocentiæ, procederet de tali ſtatu coſiderato ſecundùm ſuam intrinſecam naturam, & abſtrahendo à durationis modo, imo militaret validius in hypotheſi durationis diuturnæ; quod tamen falſum eſt ex dicendis
5. pro ſequenti aſſerto: probatur quoad tertiam partem, quia ſtatus innocentiæ de facto habuit durationem breviſſimam, & in pauciſſimis perſonis extitit, utpotè qui ſecundùm aliquos per integrum ſolum diem, ſecundùm aliquos per minus adhuc tempus duravit, & dumtaxat in Adamo & Eva extitit; fuiſſet autem inconveniens ſacramentum ullum inſtitui, aut pro unico circiter die aut pro duabus tantum perſonis; nam non benè ſalvaretur in tali ſacramento inſtitutio ſtabilis, & vix haberi poſſet uſus ejus, & utilitas; ergo.

Dices impugnando antecedens præcipuè quoad primam partem. Apoſtolus *Epheſ.* 5. poſt recitata *ex Geneſ.* 2. verba illa *Erunt duo in carne unâ* ait *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Augustinus *lib.* 8. *Geneſ. ad litt cap.* 4. de ligno vitæ, quod Deus in medio terreſtris Paradiſi produxerat, habet *Erat ei* (Adamo ſcilicet) *in lignis cæteris alimentum, in iſto Sacramentum*; ergo ab autoritate non deeſt ſufficiens argumentum ponendi aliqua ſacramenta in ſtatu innocentiæ, & dicendi quòd talia fuerint tum Matrimonium, tum lignum vitæ; illud tanquàm figura ſpiritualis conjugij inter Eccleſiam & Chriſtum, vel humanitatem & Verbum, iſtud tanquam figura Euchariſtiæ ſicque etiam quod utrumque veram gratiam internam per novæ legis ſacramenta cauſan-
6. dam figuraliter ſignificaverit. Sed contrà Senſus Apoſtoli eſſe poteſt, quòd Matrimonium in ſtatu innocentiæ inchoatum in officium naturæ ut ait D. Thomas *hic præcit. art.* 2. *ad* 3. fuerit poſteà in lege nova poſt conjunctionem Chriſti cum Eccleſia inſtitutum in ratione ſacramenti; & hoc maximè conſonat noſtris principiis, quibus ante peccatum non fuit prævisa futura Incarnatio, & Chriſti cum Eccleſiâ conjunctio; neque in hujus cognitionem ex ſuo cum Eva matrimonio Adam ductus eſt ut etiam idem D. Thomas *præcit. quæſtione.* 2. *ad* 3. His tamen miſſis facilior & receptior reſponſio eſt ly *Sacramentum* Epheſ. 5. non referri ad matrimonium legis novæ ſed latius ſumi pro myſterio; & dato quod conjugium primorum Parentum fuerit figura ſpiritualis conjugij Chriſti, & noſtri ſacramentalis matrimonij, adhuc non fuit verum ſacramentum, quia non fuit ſacra cæremonia inter primos Parentes, nec ullam illis contulit imperfectam ſanctitatem; quod tamen ſuprà diximus eſſe de eſſentia veri ſacramenti. Eadem hæc poſterior reſponſio ſolvit proportionaliter auctoritatem ex Auguſtino allatam pro ligno vitæ dato quod iſtud fuerit figura Euchariſtiæ.

Quomodo Matrimoniũ Adæ, & Evæ, nec lignum vitæ in Paradiſo terreſtri, fuerit verum ſacramentum

Aſſert. 2. Nullum extitiſſet, nullumque ne- 7.
ceſſarium fuiſſet ſacramentum in ſtatu innocentiæ, qui duraſſet diutiùs Adamo originaliter non peccante. Ita Cajetanus *hic quæſt.* 61. *art.* 1. Joannes à S. Tomâ *diſp.* 23. *art.* 2. *dub.* 2. Gunetus *diſp.* 2. *art.* 1. §. 2. Vaſquez *diſp.* 130. *cap.* 2. Valentia *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punc.* 2. Amicus *diſp.* 3. *ſec.* 1. Lugus *diſp.* 3. *ſec.* 1. & major pars tum Thomiſtarum, tum Recentiorum, pro ſe afferentium D. Thomam & Scotum, at D. Thomas non eſt admodum expreſsè locutus, & minus adhuc expreſsè Scotus. Adverſarios vix habemus; niſi ex parte, nam aliqui perſeverante ſtatu innocentiæ admittunt quidem futura fuiſſe aliqua ſacramenta; at ſolùm in hypotheſi quod fuiſſet etiam tunc Chriſtus venturus, imò ſolum poſtquàm Chriſtus veniſſet, ita Suarez *diſp.* 3. *ſec.* 3. §. *ultimò tamen:* Aliqui alij ſolum in hypotheſi, quod multi ex Adæ Poſteris peccaſſent, ita Nugnus & Serra *hic quæſt.* 61. *art.* 2. Aliqui non negant quidem perſeverante ſtatu innocentiæ omne ſacramentum, at nec aliquod affirmant, ſed hærent problematici, tanquam in re prorsùs incerta, ita Arriaga *diſp* 8. *ſec.* 3. Herinex *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 29. Madernus *quæſt.* 2. *art* 1. *num.* 6. & hi Auctores alijque in eadem perplexitate exiſtentes, ſi nil aliud intenderent quam neutri parti ineſſe abſolutam certitudinem, ipſorum perplexitas non diſpliceret; at diſplicet, quod neutri parti concedant majorem præ alterâ probabilitatem, & congruentias validiores; pro quibus.

Opinionum varietas circa ſacramenta futura in ſtatu innocentiæ, qui diu duraſſet.

Adverte extrà controverſiam eſſe, quod 8.
perſeverante ſtatu innocentiæ ſacramenta fuiſſent abſolutè poſſibilia, non abſolutè neceſſaria, fuiſſent abſolutè poſſibilia, quia homo innocens abſolutè poteſt rebus ſenſibilibus ſubijci, & per ſenſibilia ſigna practicè deduci ad cognoſcendam, ac conſequendam gratiam, ad quam eſt elevatus: Non fuiſſent abſolutè neceſſaria, quia ſacramentorum inſtitutio eſt opus ad extrà, & ſacramentorum effectus eſt Deo liber in ſubſtantia & modo, quatenus à Deo poteſt aut ſimpliciter non poni, aut aliter poni; verùm ſicuti ex eo quod ſint poſſibilia, malè deduceretur eſſe; ità ex eo quod non ſint neceſſaria, malè deduceretur non eſſe futura; aliundè igitur inveſtiganda ea eſt, & utpotè quæ pendet à liberâ Dei voluntate, eſſet pro certâ inveſtigatione recurrendum ad divinam revelationem; at quia hanc ea de re nullam habemus, ſupereſt ſolùm, ut perpendamus

quomodo

quomodò ex ſacramentorum inſtitutione poſt peccatum, & congruentijs pro ipſa militantibus, eruitur vehementior conjectura & major probabilitas non futuritionis, quàm futuritionis eorumdem antè peccatum ſtatu innocentiæ diù perſeverante.

9. Congruentiæ, rationes & fines, inſtitutionis ſacramentorum.

Porrò congruentiæ, ſeu rationes & fines, militantes pro ſacramentorum inſtitutione poſt peccatum ſunt ex Hugone à S. Victore *lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 3.* & ex D. Thoma *hic quæſt. 61. art. 1.* noſtra humiliatio, eruditio, & exercitatio ſeu præſervatio: Primò enim congruum fuit hominem, qui peccando noluit Deo ſubeſſe, & ſecundùm affectum ad corporalia & ſenſibilia ſe convertit, tanquam ad ultimum finem; congruum, inquam, fuit ut ad verum finem ultimum per ſenſibilia reduceretur, & ex Dei præcepto corporalibus ſignis in pœnam & remedium ſubjiceretur. Secundò congruum fuit eumdem amiſſa per peccatum perfecta mentis ad Deum ſubjectione omnem ſuam cognitionem haurire a corporalibus, & ab his etiam ad ſupernaturalia manuduci. Tertiò homini ad exercitationes corporales etiam vanas & noxias proclivi utile admodùm ac opportunum fuit in aliquibus corporalibus actionibus ſalubriter exerceri, & per ſalubria ſacramentorum exercitia præſervari ab exercitijs alijs vel ſuperſtitioſis conſiſtentibus in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxijs conſiſtentibus in actibus peccatorum. Tribus hiſce congruentijs & rationibus aliquas alias minùs præcipuas addit Eſtius *in 4. diſt. 1. §. 2.* nimirum ut ſacramenta ſint inſtrumenta noſtræ ſanctificationis per Chriſti paſſionem efficacia; ut ſint notæ & ſymbola, quibus in eadem vera religione aſſociemur; ut ſint juxta Auguſtinum *lib. 19. contra Fauſtum capite decimoſexto*, tanquam viſibilia & contrectabilia quædam verba, quibus fidem noſtram profiteamur; ut tandem ſint quaſi arrhæ & pignora, quibus de divinorum promiſſorum fidelitate confirmentur. His animadverſis aſſertum.

10. Nullum Sacramentum fuiſſet in ſtatu innocentiæ, qui duraſſet diutiùs.

Probatur primò à poſteriori Principaliores rationes & fines militantes pro ſacramentis de facto inſtitutis non militaſſent pro Sacramentis inſtituendis in ſtatu innocentiæ, qui duraſſet diutiùs Adamo originaliter non peccante; ergo nullum extitiſſet nullumque neceſſarium fuiſſet ſacramentorum in ſtatu innocentiæ, qui &c. Conſequentia ſuadetur ex eo, quia in ijs, quæ pendent ex libera Dei voluntate nobis non revelata, non aliundè meliùs ea, quæ fuiſſent, conjectamus quam ex modo & rationibus eorum, quæ in eodem genere facta nobis Deus revelavit, ut inſigni conſtat exemplo in quæſtione illa celeberrima de Chriſto venturo, aut non venturo, ſi Adam non peccaſſet: Antecedens probatur, quia in tribus rationibus ex Hugone adductis ſupponitur hominum inordinata converſio ad terrena & ſenſibilia, mens ad Deum non perfectè ſubjecta, & ingens ad exercitationes corporales noxias etiam & ſuperſtitioſas proclivitas; nullum autem ex ijs reperiretur in hominibus, qui innocentiam retinuiſſent, ut fiet cuique partim ex propria conſideratione partim ex mox ſubdendis perſpicuum; rationes igitur ex Hugone adductæ non militaſſent pro ſacramentis inſtituendis &c. In rationibus item ab Eſtio additis prima, & potiſſima, deſumpta à fine effectu non benè quadrat ſtatui innocentiæ diutiùs duranti, in hoc enim homines gratiam accepiſſent ſimul cum natura, fuiſſent ſcilicet in ea conditi; non potuiſſent igitur congruè recipere primam gratiam, ſeu primò ſanctificari dependenter à ſacramentis, & quia forma ſolet augeri eodem proportionaliter modo quo primò producitur, congruum fuiſſet, ut neque ſecundam gratiam & ſanctificationis augmentum Sacramentorum applicatione reciperent.

Probatur ſecundò quaſi à priori ex intrinſeca natura & propria conditione ſtatus innocentiæ; in hoc quippè pars hominis inferior perfectè ſubjiciebatur ſuperiori, & ſuperior Deo; inferiori, ſuperior, ſuperiori Deus perfectè dominabatur; intrinſeca igitur natura, & propria conditio talis ſtatus poſtulabat, ut pars ſuperior (quoad ſupernaturalia præſertim) perficeretur à Deo immediatè, non verò medijs ſignis ſenſibilibus & corporalibus, quibus utpotè ad partem inferiorem pertinentibus non poteſt pars ſuperior perfici, niſi parti inferiori ſubjiciatur, & in recipiendis nobilioribus Dei influxibus ſubordinetur ei, quam ipſa ſibi totaliter ſubordinaret & in quam perfectè dominaretur. Rationem hanc deſumptam ex S Doctore *præcitat. art. 2. in c.* latè proſequuntur Joannes à S. Thoma *præcit. dub. 2.* & multi alij Thomiſtæ, qui etiam ex ipſa utpotè procedente de ſtatu innocentiæ, qui diutiùs duraſſet æquè ac de eo, qui de facto parùm duravit, deducunt S. Doctorem idem ſentire de utroque ſtatu, etiamſi abſolutus, quo utitur, loquendi modus videatur propriè cadere ſolùm ſuprà innocentiæ ſtatum qui in re extitit, & de hoc ſolo ipſum locutum putent ex Thomiſtis Caietanus, ex Recentioribus Vaſquez, & Lugus, alijque nonnulli. 11.

Dices primò, incipiendo à mente S. Docto- 12.
ris, non fore ipſum ſibimet conformem ſi mox *cit. art. 2.* ſenſiſſet ſtatui innocentiæ etiam duraturo, ac per conſequens ab intrinſeco & ex propria conditione, ſacramenta non deberi; quomodò enim hoc cohæreret cum eo, quod antea *art. 1.* aſſignans rationes, ob quas ſunt neceſſaria ſacramenta ad humanam ſalutem, ait: *Prima ſumenda eſt ex conditione humanæ naturæ, cujus proprium eſt, ut per corporalia & ſenſibilia in ſpiritualia & intelligibilia deducatur: Pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat ſecundùm modum ſuæ conditionis, & ideò convenienter divina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus, & ſenſibilibus ſignis, quæ ſacramenta dicuntur.* Si reſpondeatur ly *ex conditione humanæ naturæ* procedere de humana natura poſt peccatum, & in ſtatu lapſus, non ante peccatum & in ſtatu innocentiæ. Impugnabitur reſponſio, quia eadem eſt in omni ſtatu humanæ naturæ conditio, & præterea quod illius proprium ſit per corporalia & ſenſibilia in

ſpiritualia & intelligibilia deduci, provenit ex unione animæ ad corpus, & alligatione intellectus ad ſenſus; certè autem etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet talis unio & alligatio, & Adami etiam originaliter non peccantis Poſteri ſcientias comparaſſent hauriendo ſpecies à ſenſibus & intellexiſſent convertendo ſe ad phantaſmata. Sed contrà: Reſponſio inſtantiæ interpoſita in ſenſu legitimo mox explicando intellecta optima eſt, & maximè ad mentem S. Doctoris *præcitat. art. 2. ad 2.* ubi ſibi objicit rationem, quam antea ipſe formaverat, & quam nunc nobis Adverſarij objiciunt. Ad impugnationem dico humanæ naturæ conditionem aliam eſſe propriam ejus ſecundùm ſe, aliam ſecundùm determinatum ſtatum; priorem permitto eſſe eandem in omni ſtatu, poſteriorem non item: Ad rationem, quâ inſtantia concluditur, dico ſpiritualia & intelligibilia quædam eſſe naturalis ordinis, quæ cognoſcere poteſt homo ex natura ſua, & ex vi naturalis luminis, nec indiget aliquo comprincipio, niſi ſe tenente ex parte objecti; quædam eſſe ordinis ſupernaturalis, quorum cognitio in homine potuerit à lumine infuſo, & à comprincipio ſe tenente ex parte potentiæ potentiamque ipſam elevante ac roborante; Quoad ſpiritualia & intelligibilia primi generis bene procedit Adverſariorum ratio & ad ea deduci per corporalia & ſenſibilia non eſt innocentiæ ſtatui incongruum, unde D. Thomas 1 *par quæſt.* 101 *art.* 1. ex eo quòd ſit naturale homini, ut ſcientiam per ſenſus aquirat, tribuit hoc etiam ſtatui innocentiæ, in quo proptereà docet, quòd pueri non fuiſſent naſcituri perfecti in ſcientia:

Suſtinetur doctrinam à nobis aſſertam eſſe ex mente D. Thomæ.

13\. *Quænam dependentia à rebus corporalibus, & ſenſibilibus, ſit homini connaturalis.*

14\. Aliter ſe res habet quoad ſpiritualia & intelligibilia ſecundi generis; horum enim cognitio debet à ſuperioribus deſcendere, non ab inferioribus emendicari, & petit ſupervenire aliquid aliud præter concurſum objectivum, in quo ſolo connaturale eſt homini dependere ab inferioribus; Cum igitur ſecundi generis ſint ea, ad quæ homo per ſacramenta deducitur, & hæc deductio fiat ſacramentis non intentionaliter & objectivè concurrentibus, ſed cauſantibus comprincipia perficientia potentias, & habitus ex parte iſtarum ſe tenentes, conſequens eſt non eſſe ſecundùm hominis naturam nec ei provenire ex unione animæ ad corpus, ex alligatione intellectus ad ſenſus, quòd per corporalia & ſenſibilia ad ſpiritualia & intelligibilia deducatur eo modo, quo deducitur per ſacramenta.

Urgebis. Cognitio rerum ſupernaturalium in anima corpori conjuncta debet proportionari cognitioni naturali quoad modum cognoſcendi cum dependentia à ſenſibus, & converſione ad phantaſmata; ergo præcedens doctrina non ſubſiſtit, nec ſolvit rationem oppoſitam; antecedens probatur quia Deus, etiam ut Auctor ſupernaturalis, accommodat ſe naturæ quantum poteſt nec in ſtatu innocentiæ debuiſſent ſinguli homines per revelationes interiores à Deo immediatè inſtrui de fidei myſterijs; ſed eo perſeverante convenienter fuiſſent Poſteri edocti per traditionem primorum Parentum, per verba & ſigna ſenſibilia. Sed contrà: Tranſeat antecedens quantùm ad ea, quæ ſpectant ad concurſum objectivum; nego quantùm ad reliqua, & ſignanter quantùm ad ſe tenentia ex parte potentiæ, hæc debent eſſe immediatè à Deo, ubi potentia Deo perfectè ſubijcitur, ut doctè & fusè tradit Joannes à S. Thoma *præcit. dub. 2.* partim in explicatione concluſionis, partim *in reſp. ad 2.* 15.

Dices ſecundò impugnando probationem deſumptam à congruentijs & finibus inſtitutionis Sacramentorum. Etiamſi pro Sacramentis in ſtatu innocentiæ duraturo non militaſſent omnes congruentiæ, omneſque fines nunc militantes, militaſſent tamen aliquæ æque ſufficientes; Cur enim eſſe ſymbola aſſociationis in eadem religione, & proteſtationes ejuſdem fidei non ſufficienter Deum moviſſent ad ſacramenta inſtituenda? Cur non idem præſtitiſſet oſtenſio divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis eximiè relucentis in eo, quòd per res ſenſibiles ſignificetur, aut etiam cauſetur gratia? Quis tandem Conſiliarius Dei fuit, aut omnes fines in divinæ providentiæ theſauris latentes penetravit, ut poſſit fidenter affirmare nullo fine Deum ſufficienter movendum ad ſacramenta inſtituenda, ſi Adamo originaliter non peccante ſtatus innocentiæ perſeveraſſet. Sed contrà: eadem proportionaliter arguendi forma concluderetur Chriſtus in carne paſſibili venturus originali non exiſtente, quia hoc non exiſtente adhuc non ceſſarent omnes prorsùs congruentiæ & fines illius adventus; dicito igitur effectum, quem conſtat fuiſſe ex pluribus finibus & congruentijs, rectè negari futurum in hypotheſi, in qua ceſſarent finis primarius & congruentiæ validiores ut ceſſarent non exiſtente originali reſpectu adventus Chriſti & in caſu noſtro reſpectu inſtitutionis Sacramentorum; nec quidquam referre ſi ſuperſint aliæ imbecilliores congruentiæ & fines ſecundarij: Hinc petentibus Adverſarijs, cur eſſe ſymbola aſſociationis? cur oſtenſio divinæ potentiæ, &c. non ſufficienter Deum moviſſent ad ſacramenta inſtituenda? non major pro reſponſione ratio quærenda eſt, quam quia de facto non moverunt, ut fines primarij & congruentiæ principaliores; nec ulla eſt neceſſitas ulteriùs inveſtigandi Dei conſilia, aut penetrandi theſauros increatæ providentiæ.

16\. *Cur perſeverante innocentia nullus finis Deum moviſſet ad ſacramenta inſtituenda.*

Urgebis, Quamvis reſponſio hæc ſatisfaciat loquendo de ſacramentis futuris ex vi præſentis decreti, non ſic ſatisfacit loquendo de ſacramentis futuris quomodocumque ex vi alterius decreti diverſi, aut etiam loquendo de Sacramentis diverſis ab inſtitutis de facto; fines enim, qui ſunt ſecundarij reſpectu decreti præſentis, quamvis non poſſint eſſe primarij & ſufficienter moventes reſpectu ejuſdemmet decreti, aut fortè nec alterius eadem ſacramenta reſpicientis, benè poſſunt eſſe tales reſpectu decreti diverſi, præſertim ſi reſpiciat etiam diverſa ſacramenta; in ordine igitur ad diverſum decretum, & diverſa ſacramenta, non conſtat defore finem primarium & congruentias principaliores in hypotheſi ſtatus innocentiæ diutiùs duraturi.

Sed

Sed contrà: Decretum diverſum, & aliud à præſenti, vel poteſt eſſe tale quod inferatur ex præſenti, vel quod non inferatur: *Si* ſermo ſit de decreto quod non inferatur ex præſenti, nihil obtinent Adverſarij, nec inferunt quod intendunt; non inferunt ſcilicet futura fuiſſe ſacramenta in ſtatu innocentiæ ex vi alterius decreti, cum fateantur hoc alterum decretum non inferri. Si ſermo ſit de decreto, quod ex præſenti inferatur, nego abſolutè antecedens, & dico quantùm ex decreto, & ſacramentis præſentibus, poſſumus conjectare inferri nullum prorsùs futurum fore de ſacramentis decretum in ſtatu innocentiæ, quod eſt idem ac dicere ex vi præſentis decreti neque formaliter neque arguitivè fore tunc ſacramenta inſtituenda eadem proportionaliter ratione, qua ſuo loco dicebamus ex vi præſentis decreti, neque formaliter neque arguitive, fore tunc Chriſtum venturum.

Dices tertiò: Adamo originaliter non peccante adhuc non fuiſſet ſtatus innocentiæ in Poſteris, imò nec fortè in Adamo ipſo, immunis à peccatis actualibus; ergo ſaltem pro actualiter peccantibus fuiſſent tunc inſtituenda ſacramenta; nam ſaltem pro actualiter peccantibus militaſſent tunc eædem ſacramentorum inſtituendorum congruentiæ, quæ nunc militant; & præterea non debuiſſent tunc homines in peccatum lapſi eſſe deterioris, quam nunc ſint, conditionis, & carere ijs, quibus nunc gaudent, remedijs ac medijs faciliùs & copioſiùs conſequendi gratiam medicinalem. Sed contrà: in ijs, qui actualiter peccaſſent non perſeveraſſet innocentia; ideò ſacramentorum inſtitutio, ſi quæ pro illis fieret, valdè materialiter & impropriè diceretur pro ſtatu innocentiæ fieri: Miſſo tamen hoc ſubterfugio dico pauciores fuiſſe homines, qui tunc peccaſſent & ad afferendum illis paucioribus remedium, ſicuti non fuiſſet Chriſtus venturus, ita nec fuiſſent ſacramenta inſtituenda: Imò ſicuti nunc in lege ſcripta non obſtante Chriſto venturo, & pluribus quàm tunc actualiter peccantibus, tamen nullum fuit pro actualium remedio ſacramentum inſtitutum; ita à fortiori nullum fuiſſet pro eorundem remedio inſtitutum tunc, quando & Chriſtus non ſolùm nondum veniſſet, ſed nec fuiſſet venturus, & pauciores actualiter peccaſſent, quàm in lege naturæ & ſcripta ante Chriſti adventum peccaverint: Quod dicebatur militaturas tunc eaſdem congruentias ad ſummum verificatur ſecundùm quid, idest ſecundùm paucos homines, non ſimpliciter & ſecundum totum humanum genus; non benè autem arguitur à ſimpliciter ad ſecundùm quid, à toto ad partem. Quod addebatur non debuiſſe tunc homines in peccatum lapſos eſſe deterioris, quàm nunc ſint, conditionis, abſolutè negabitur ab ijs, qui putant nullum fore dandum hominibus in ſtatu innocentiæ peccantibus locum pœnitentiæ, ſicuti nec datus eſt Angelis in gratia creatis; & ſicuti homines peccatores fuiſſent tunc deterioris conditionis in eo, quòd caruiſſent Redemptoris beneficio, cur non etiam in hoc, quòd carerent peccati remedio; ideò in hoc puncto perplexi

19. Neque etiã pro ijs, qui in ſtatu innocentiæ peccaſſent, fuiſſent ſacramenta inſtituenda.

19. An, & quodnam peccatorũ actualium remedium; daretur in ſtatu innocentiæ.

ſunt Joannes à S. Thoma *præcit. dub. 2. in reſp. ad 1.* & Lugus *præcit. ſec. 1. num* 21. Nihilominùs benigniùs de Deo ſentiendo dico non futuros tunc homines ſine peccati remedio, nec deterioris conditionis, quam nunc; ſed habituros tunc ſufficiens remedium in actibus charitatis & contritionis, quos ob perfectiorem Dei cognitionem faciliùs elicuiſſent, quàm nos eliciamus non ſolùm actus ſimiles; ſed fortè etiam actum attritionis, quo in pœnitentiæ ſacramento à peccatis actualibus juſtificamur.

Ex his habes non exiſtentiam ſacramentorum in ſtatu innocentiæ diutiùs duraturo juxta diverſas talis ſtatus conditiones, & controverſiæ hypotheſes, ſortiri, aut certitudinem, aut diverſi gradus probabilitatem. Sortitur certitudinem, ſi ponatur controverſia procedere ex vi præſentis de Sacramentorum inſtitutione decreti conſiderati formaliter. Sortitur maximum probabilitatis gradum, ſi agitando (ut mos eſt) controverſiam ex vi præſentis decreti etiam conſiderati arguitivè, ſupponatur (ut noſtra fert ſententia) Chriſtum originali non exiſtente non venturum, & creſcet probabilitas ſi ſupponatur ulteriùs non futurum in Adæ Poſteris ullum peccatum actuale. Sortitur minorem probabilitatis gradum, adhuc tamen meo videri ſufficientem, ſi ſupponatur etiam originali non exiſtente venturum Chriſtum, vel futura aliqua actualia, & decreſcet aliquantulum probabilitas ſi ſupponatur utrũque ſimul. Sortitur tandem probabilitatem minimam, tenuiſſimam, & vix aut ne vix quidem præponderantem parti oppoſitæ, ſi non exiſtente originali Chriſtus ſupponatur venturus, actualia ſupponantur futura in plurimis aut ferè omnibus Adæ Poſteris, & quæſtio abſtrahat à ſacramentis ejuſdem vel diverſæ rationis ab ijs, quæ ſunt de facto inſtituta. Porrò ad ſuſtinendum, ut jacet, præfixum aſſertum non eſt neceſſaria ſuppoſitio major ea, in qua diximus non exiſtentiam ſacramentorum ſortiri probabilitatem maximam; reliqua addita ſunt ratiocinij gratia, & ad indigitandum, quo propendeat animus alioqui paratiſſimus ad meliora, ſi occurrant, ſenſa ſe convertere.

20. Quomodò non exiſtentia Sacramentorum in ſtatu innocentiæ habeat varium probabilitatis gradum.

Dices quartò impugnando aſſertum etiam in ea ſuppoſitione, in qua ex mox deductis potiſſimum procedit, maximamque cenſetur habere probabilitatem: In ſtatu innocentiæ, qui etiam Chriſto non venturo & nullo futuro actuali peccato duraſſet diutiùs, futura fuiſſent Sacrificia; ergo & Sacramenta: Antecedens, ſi excipias Sotum *in 4. diſt. 1 quæſt. 2. art. 2.* & pauciſſimos alios, conceditur unanimiter; Conſequentia probatur, quia ſacrificium eſt actio & ſignum exteriùs proteſtativum divinæ excellentiæ, ſicuti ſacramentum eſt actio & ſignum exteriùs ſignificativum internæ ſanctitatis; ſi igitur ſtatui innocentiæ non inconvenit hominem uti & ſubjicere ſe rebus ſenſibilibus in ordine ad divinam excellentiam, cur id inconveniet in ordine ad internam ſanctificationem? aut cur homo ex eo, quod conſtet corpore debet Deum etiam corporalibus medijs colere, eademque de cauſa non debet etiam corporalibus medijs ſanctificari. Confirmatur ex eo

21. Quid de futuritione Sacrificiorum in ſtatu innocentiæ qui duraſſet.

quod Sacrificia ſupponant Sacerdotes, à quibus offerantur, Sacerdotes autem conſtituendi ſunt per Sacramentum ordinis; ubi igitur admittuntur ſacrificia neceſſe eſt admitti aliquod Sacramentum, ſaltem illud Ordinis. Sed contrà: Concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia ut docere ſolent Scholaſtici communiter cum D. Thoma 2. 2. *q.*85.

22. De tali futuritione diſparitas inter ſacrificia, & ſacramenta.

*art.*1. homini ſaltem extra ſtatum beatitudinis conſtituto eſt de jure naturæ offerre Sacrificia & rebus ſenſibilibus proteſtari divinam excellentiam, non ſic ſuſcipere ſacramenta & rebus ſenſibilibus ſanctificari; nam ſicuti connaturale eſt Deo etiam modo ſenſibili communicari, ita ratio naturalis dictat debere hominem habere ſenſibilia media quibus Deum colat, non ſic pariter ſenſibilia media quibus gratiam ſuſcipiat. Nec homo, ſicut per ſacramenta, ita per ſacrificia, rebus ſenſibilibus ſubjicitur; enim verò per ſacramenta homo utitur rebus ſenſibilibus tanquam ſibi non ſubordinatis, ſed Deo, cujus ſacramenta ſunt inſtrumenta; item à rebus ſenſibilibus perficitur & accipit ea, quæ deberet immediatè accipere à Deo; idcò rebus ſenſibilibus ſubjicitur: è converſo per ſacrificia potiùs rebus ſenſibilibus dominatur, ipſaque ſibi ſubordinat, immutat quippè ipſas & deſtruit, neque ab iiſdem ullo modo perficitur, aut quidquam accipit: Hinc homo ex eo, quod conſtet corpore debet etiam in ſtatu innocentiæ Deum colere corporalibus medijs, non ſic etiam ijſdem ſanctificari; quia illud, non iſtud eſt de jure naturæ; & illud importat ad res ſenſibiles ſubjectionem, ratione cujus incunvenit, iſtud importat in res ſenſibiles dominationem, ratione cujus poſitivè convenit perfectioni ſtatus innocentiæ.

23. Nec ſacrificium univerſim, nec ſingillatim ſacrificium legis novæ, ſupponit ex natura rei Sacramentum ordinis.

Ad confirmationem dico ex D. Thoma *præcit. quæſt.*85. *art.*4. *ad* 3. ſacrificia ſupponentia Sacerdotes eſſe ea dumtaxat, quæ quis offert pro ſe, & pro alijs, non pro ſe tantùm: Dico inſuper ea, quæ ſupponunt Sacerdotes, non neceſſariò ſupponere Sacerdotes per ſacramentum conſtitutos; cum de facto pro Sacerdotibus conſtituendis, nec Sacramentum ordinis, nec aliud ei æquivalens fuerit antè legem ſcriptam, ante quam tamen fuerunt Sacrificia; ad Sacerdotes igitur conſtituendos ex genere ſuo poſſet ſufficere externa aliqua cæremonia, publicus electionis ritus, aut etiam alicujus familiæ ad id muneris à Deo, vel à populo, facta deputatio. Hinc obiter cenſeo ad conficiendam Euchariſtiam ſive eſſet purum ſacramentum, ſive, ut eſt de facto, ſimul ſacrificium, non prærequiri ex natura rei ſacramentum ordinis; quia potuiſſet divinitùs inſtitui conficiendum etiam à non ſacerdotibus, ſi eſſet purum ſacramentum; aut ſaltem à Sacerdotibus ſacramento ordinis & interno charactere non conſignatis, ſi eſſet ſimul, ut nunc eſt, Sacrificium. Ita ſentiunt ex Recentioribus Amicus *præcitat. ſec.*1. *numer.* 38. & Arriaga *præcitat. ſec.* 3. *numer.* 18. qui poſterior Auctor imo vindicat Suarium à nota inconſequentiæ ei à Vaſquio objecta in eo, quod *præcitat paragrapho Vltimo tamen* non aſſeruerit in ſtatu innocentiæ ſacramentum ordinis eadem neceſſitate, qua aſſeruit ſacramentum Euchariſtiæ.

---

§. II.

Vtrum in ſtatu legis naturæ extiterit pro originali remedium, quod fuerit ſacramentum; & utrùm præter iſtud extiterint Sacramenta alia?

ASSERT. 1. In ſtatu legis naturæ extitit aliquod originalis remedium, tum pro adultis, tum pro parvulis. Eſt veritas unanimi Scholaſticorum conſenſu recepta, quamvis olim quoad parvulos oppoſitum ſenſerint nonnulli, quorum tacito nomine meminit Vaſquez *diſp.*165. *num.*1. 24.

In ſtatu legis naturæ extitit remedium originalis pro adultis.

Probatur & quidem quoad adultos res eſt certa de fide, colligitur enim ex ſcriptura, ex qua conſtat plures in ſtatu legis naturæ fuiſſe juſtos; & Deo gratos, adeóque liberatos ab originali; & de ipſomet Adamo habetur *Sap.*10. quòd eduxerit illum Dei Sapientia à delicto ſuo; extitit igitur pro adultis in lege naturæ aliquod remedium originalis, ſeu quo liberarentur ab originali; præter quod ſine tali remedio neque extitiſſet aliquod remedium actualium, quæ utique non dimittuntur retento originali; ſaltem igitur converſio ad Deum per actum charitatis infuſæ ſuppoſita fide fuit tunc remedium quo potuerunt adulti ſicut ab actualibus, ita & ab originali liberari. Quoad parvulos res non deducitur adeò clarè ex Scriptura, imò fortè nec reperitur in terminis apud Patres Auguſtino antiquiores; ut tamen videre eſt apud Suarium *diſp.*4 *ſec.*1. & Amicum *diſp.*3. *ſec.*2. expreſsè traditur ab ipſo Auguſtino pluribus in locis, & poſt ipſum à Gregorio, Bernardo, Hugone Victorino, Innocentio III. Beda, Magiſtro & Scholaſticis omnibus, qui ſua ſcripta in lucem ediderunt; quod ſignum eſt dogmatis habiti pro certo & indubitato; pro quo etiam, præter tum hujuſmodi univerſalem conſenſum, tum conjecturam alioqui non levem ex bonitate & pietate divina deſumptam, adeſt ratio validiſſima habens fundamentum in ſcriptura & fide, ſcilicet in eo quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri, neminemque perire; ex quo ſolet inferri, quod Deus providerit omnibus media & auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem; quomodò autem hoc verificaretur, ſi toti eique maxime multitudini parvulorum mortuorum in lege naturæ defuiſſet originalis remedium, ſine quo nullum poteſt eſſe ſufficiens ſalutis medium.

25. Item pro Parvulis.

Dices parvulos in lege naturæ mortuos potuiſſe per ſe loquendo, & per cauſas naturales, pervenire ad ætatem adultam, & in hac propriæ ſaluti conſulere per remedium adultorum; nec quidquam ampliùs requiritur, ut in ordine ad ipſorum ſalutem cenſeatur Deus ſufficienter providiſſe; ſicuti in lege gratiæ ut parvulis in utero materno decedentibus cenſeatur ſufficienter proviſum nihil ampliùs requiritur,

requiritur, quam quòd per ſe loquendo, & per cauſas naturales, potuerint de utero materno erumpere, & cura Parentum ſuſcipere baptiſmum omnibus ex Adami progenie natis proviſum, tanquam originalis remedium: Quod ſi in neutro caſu videatur ſaluari ſufficiens remedij proviſio; dicito, quòd ſicuti non cenſebitur abſurdum nec divinæ de omniũ ſalute voluntati repugnans damnari nunc ſine ſufficienti remedio parvulos nondum in externam lucem editos, ita idem fore ſentiendum tunc de parvulis nondùm aſſecutis ætatem adultam: Nec refert quod iſti ſint plurimi, illi pauciſſimi; quia plures parvulos fuiſſe damnatus temporibus legis naturæ, quàm damnentur temporibus legis gratiæ, valdè conſonum eſt Apoſtolo *Act.* 17. illa priora appellanti *Tempora ignorantiæ, quæ deſpiciens Deus &c.* Sed contrà: dico eſſe per ſe, & per

26. cauſas naturales, poſſibile, quòd omnes parvuli materno ex utero prodeant, non ſic quòd omnes ad ætatem adultam perveniant, ideò remedium applicabile conſtitutis extra maternum uterum, non ſic applicabile ſolùm aſſecutis ætatem adultam cenſeri ſufficienter proviſum omnibus unde in tract. de Gratia *lib.* 1. *cap.* 5. §. 11. dicebamus mortem parvuli in utero ſemper provenire ex aliqua Parentum culpa, & injuria, per auxilia ſufficientia illis proviſa vitabili; at quis diceret ſemper ex eodem capite proveniſſe mortem non adulti in lege naturæ? Aliter inſtantiam ſoluunt Amicus *præcit. ſec* 2. *num.* 64 Maſtrius *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *numer.* 46. & aliqui alij diſparitatem deducentes ex eo, quod parvuli non educti ex utero nondùm cenſentur perfectè geniti, & in ſe ipſis exiſtentes; benè verò parvuli in lucem editi, quamvis non adulti; ideò illos non iſtus putant poſſe carere ſufficienti originalis remedio abſque detrimento voluntatis ſalvandi omnes homines, quam exiſtimant non debere extendi ad nondum perfectè genitus. Verùm hæc ſolutio ſolvit inſtantiam in ſecundo ſenſu, & admittendo parvulos nunc in utero decedentes carere ſufficienti originalis remedio, quod non conſonat doctrinæ à nobis traditæ *præcit.* §. 11.

27. Aſſert. 2. In ſtatu legis naturæ remedium originalis fuit ſacramentum pro parvulis, non pro adultis. Prima pars recipitur communiter contrà Richardum *in* 4. *diſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 3. Sotum *ead diſt. quæſt.* 2. *art.* 3. & *diſt.* 2. *quæſtio.* 1. *art.* 4. Vaſquium 1. 2. *diſp* 184. *cap.* 4. & *hic diſp.* 165. *cap.* 3. alioſque paucos nullum prorsùs admittentes in lege naturæ ſacramentum; vel admittentes aliquod pro adultis tantùm, non pro parvulis, quam poſteriorem ſententiam Alberto, Paludano, Cano, Meratio & alijs tribuit Gonetus *diſp.* 1. *art.* 2. §. 1. in fine. Secunda pars cenſeri in primis poteſt illorum omnium, qui remedium originalis ſtatuunt fuiſſe ſacramentum pro parvulis, nihil verò de eodem loquuntur pro adultis: Deindè eſt expreſsè Amici *diſp* 3. *ſec.* 2. *num.* 106. Arriagæ *diſp.* 8. *ſec.* 5. *num.* 31. Lugi *diſp.* 3. *num.* 32. Materni *quæſt.* 2. *art.* 3. *num.* 1. & à fortiori eorum, qui nullum in lege naturæ ſacramentum agnoverunt contrà Nugnum hic *quæſt.* 61. *art.* 3. Caberam *eod. art.* Joannem a S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 3. *dub* 1. Gonetum *præcit. art.* 2. §. 2. & multos alios præſertim ex ſchola Thomiſtica.

In ſtatu legis naturæ remedium originalis pro parvulis fuit ſacramentum.

Probatur prima pars: In ſtatu legis naturæ remedium originalis pro parvulis fuit ſenſibile; ergo fuit ſacramentum: Conſequentia patet, quia ex hoc ipſo, quòd fuit remedium originalis fuit collativum gratiæ internæ homines ſanctificantis, ſi igitur aliundè fuit ſenſibile, fuit religioſum ac ſacrum talis gratiæ ſignum, ſicque nihil ampliùs requiritur ad hoc, ut fuerit ſacramentum, quemadmodum conſtare facilè poterit recolenti & huc referenti ea, quæ *cap præced.* §. 5. circa ſacramenti definitionem dicebamus: Probatur antecedens; remedium illud non fuit actus purè internus, neque elicitus ab iiſdem parvulis, neque ab alijs; ergo fuit ſenſibile, ideſt mediante aliqua externa & ſenſibili actione applicatum: Prima pars antecedentis probatione, non indiget, quia parvuli non ſunt capaces eliciendi actum aliquem internum, ſubintellige humanum & liberum, qui ſolus poteſt ad remedium, de quo agitur, inſervire: Secunda pars probatur; talis actus eſſet maximè interna fides à Parentibus, alijſve parvulorum curam habentibus, elicita, ut ſentiunt & ea Patribus probare contendunt Richardus, Sotus, Vaſquius, cæterique Adverſarij præmemorati; atqui neque in propoſito Patres congruè intelliguntur de fide purè interna, neque huic benè accommodantur ea, quæ ad emundandos ab originali parvulos requiruntur; ergo. 28.

Non ſola fides interna, pro ut ly *ſola* excludit ejuſdem fidei proteſtationem externam.

Probatur minor quoad primam partem, quia fides habet actum tum internum tum externum, & ſimpliciter prolata congruè refertur ad utrumque actum, ſicuti proportionaliter pro utroque actu, ideſt pro infidelitate & hæreſi exterius manifeſtata, ſolet accipi ſimpliciter abſoluteque prolatum infidelitatis, & hæreſis nomen; quamvis igitur aliqui Patres, & præ cæteris D. Bernardus ac D. Gregorius relati ab Amico *præcit ſec.* 2. *num.* 50. tradiderint parvulos fuiſſe antiquitus ſola Parentum fide juſtificatos, ly *ſola* non excludit externam manifeſtationem & ſignum quodcumque proteſtativum fidei, ſed ſignum determinatum & myſticum, cujuſmodi poſtea fuit circumciſio, & nunc eſt baptiſmus. Nec refert quod D. Thomas *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 6. *quæſtiunc.* 2. hac de re agens exiſtimaverit non videri verbis Gregorij, quæ ipſe ex Magiſtro retulerat, conſonam opinionem dicentium non ſufficere fidem ſine proteſtatione, & addiderit probabiliùs dici, *quòd parvulis ſufficiebat fides ſola ſine omni exteriori ſigno.* & idem reperit *ead. diſt. ad Annib. quæſt* 2. *art.* 2. Non refert, inquam, quia licet S. Doctor *in* 4. inclinaverit in opinionem oppoſitam, poſtea tamen *in ſum.* & *in quæſt. diſput.* quaſi retractat, aut ſaltem temperat & limitat, quod *in* 4. ſcripſerat; nam *quæſt.* 4. *de malo art.* 8. *ad* 12. ait, fides antiquorum *cum aliqua proteſtatione fidei* valebat parvulis ad ſalutem, & hic *quæſt.* 70 *art.* 4 *ad* 2. poſtquam dixit quod non requirebatur aliquod ſignum proteſtativum fidei, concludit probabile eſſe, quod Parentes adhiberent quoddam *ſignaculum fidei*; fortè igitur germana Angelici mens eſt 29.

Quænam in hoc fuerit mens Divi Thomæ

negare

negare neceſſitatem alicujus ſigni à Deo tunc determinari in ſpecie; non cujuſcumque ſigni indeterminatè, & in genere. Certe loquendi varietas ſaltem evincit eſſe nobis incertum, non pro Adverſarijs conſtantem ſenſum S. D - ctoris, Interim congruentia, imò neceſſitas intelligendi modo jam inſinuato reliquorum Patrum auctoritates confirmatur ex mox dicendis pro ſecunda minoris propoſitionis parte.

30\. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem: Ad emundandos parvulos ab originali tria præcipuè requiruntur; unum ſe habens quaſi antecedenter, alterum formaliter, poſtremum conſequenter: Primum eſt applicatio remedij, non enim habetur effectus niſi à cauſa applicata: Secundum eſt infuſio gratiæ, ſine hac enim peccatum ſaltem de lege ordinaria non remittitur; nec audiendi ſunt, qui ut meminit D Thomas *quæſt.70. art.4.* putarunt; quod remedium legis naturæ parvuli ſolverentur à culpa, non conſtituerentur in gratia: Tertium eſt ingreſſus in Eccleſiam viſibilem, nam fides, qua parvulis conſulebatur, erat ſaltem objective & implicitè fides Mediatoris, ſub quo tanquam ſub viſibili Capite omnes fideles in unam Eccleſiam conjungebantur: Atqui nullum ex his tribus benè accommodatur fidei purè internæ à Parentibus, alijſve parvulorum curam habentibus, elicitæ: Non primum, quia fides purè interna non eſt à Parentibus parvulo applicabilis, niſi per motum interiorem, quo dirigatur ad parvuli ſalutem; at hæc applicatio non eſt humana, non eſt ſcilicet ea, qua homines ſolent inter ſe communicare, & unus erga alterum aliqoid facere; Prætereà poſſet fieri urgente neceſſitate ad parvulos in quacumque multitudine, utcumque diſtantes, aut in mattum uteris exiſtentes, quæ cenſentur abſurda; ergo:

Fides Parentum purè interna non poteſt convenienter parvulis applicari.

31\. Non ſecundum quia actus fidei internæ, neque ex natura ſua, neque ex inſtitutione divina gratiam conferret; non ex natura ſua, quia ex hac non habuiſſet majorem efficaciam tunc, quam nunc; aut reſpectu parvulorum quam reſpectu elicientis; fides autem interna nec tunc habuit reſpectu elicientis, nec nunc reſpectu ullius habet efficaciam gratiæ conferendæ: Non ex divina inſtitutione, quia illud quod maximè militat contra actionis externæ neceſſitatem in remedio legis naturæ eſt, quia hujus legis ſtatus non videtur congruè admittere aliquid ex inſtitutione, quæ ſi ſemel etiam ab Adverſarijs concedenda eſt, utique meliùs in ordine ad homines ponitur cadere ſuprà actionem externam: Non denique tertium, quia ingreſſus in Eccleſiam viſibilem debet fieri modo viſibili ſeu ſenſibili, & qui applicando originalis remedium ſe habet reſpectu talis ingreſſus tanquam miniſter, debet exercere aliquem actum, ſuprà quem Eccleſia habeat poteſtatem; non habet autem Eccleſia viſibilis poteſtatem ullam ſuprà fidem purè internam.

Nec illis gratiam conferre.

Nec ijſdem ad ingreſſum in Eccleſiam viſibilem inſervire.

32\. Probatur jam ſecunda aſſerti pars; quod ſcilicet remedium originalis non fuerit ſacramentum pro adultis. Tale remedium pro iſtis non eſt neceſſe quod fuerit ſenſibile; ergo non eſt neceſſe quòd fuerit, nec fuit ſacramentum; conſequentia patet, antecedens probatur, quia id neque neceſſe fuit ex natura rei, neque ex inſtitutione & ordinatione Dei: Non ex natura rei, quia poterat quilibet adultus ab originali liberari per proprium actum contritionis aut dilectionis Dei ſuper omnia, qui quidem actus ſicuti abſque ulla actione ſenſibili eſt ex natura rei ultima diſpoſitio ad gratiam ita & ad remiſſionem originalis: Non ex Dei inſtitutione & ordinatione quia deberet hæc conſtare ex Scripturis, aut ex Patribus, & tamen ex ſcripturis ſolùm habetur deductivè inſtitutio & ordinatio remedij ſenſibilis contra originale pro parvulis, in quantum iſti nec per proprios actus, nec aliundè poſſent convenienter & ſufficienter ab originali liberari; quæ deductio ſicuti non militat pro adultis, ita pro iſtis nec deductivè ex Scripturis nec expreſſiùs ex Patribus, habetur facta à Deo inſtitutio & ordinatio remedij ſenſibilis contrà originale.

In ſtatu legis naturæ remediū originalis pro adultis non fuit ſacramentū.

Dices actus internos contritionis & dilectionis, quamvis in adultis ſufficerent ut liberarentur utcumque ab originali, non ſic ut liberarentur modo humano, multóque minùs ut ingrederentur Eccleſiam viſibilem, ſeu huic aggregarentur; atqui hoc erat adultis in originalis remiſſione neceſſarium, nec poterat meliùs haberi, quam per ſenſibile originalis remedium, exterioremque internæ fidei proteſtationem; ergo neceſſe fuit, quod tale remedium
etiam pru adultis fuerit ſenſibile. Sed contrà: 33.
Debet quidem eſſe ſenſibilis modus humanus, quo unus homo aliquid facit erga alium hominem, non ſic quo quis aliquid facit erga ſe ipſum; ex ratione igitur modi humani, quamvis inferatur debere eſſe ſenſibile remedium adhibendum à Parentibus erga parvulos, non ſimiliter infertur debere eſſe ſenſibile remedium adhibendum ab adultis erga ſe ipſos. Ad ingreſſum in Eccleſiam viſibilem, & aggregationem cum cæteris fidelibus, benè erat adultis neceſſarium, quod exercerent aliquam actionem ſenſibilem, at non quod hæc eſſet ſimul originalis remedium; poterant quippè id præſtare per ſacrificium aliumvè exteriorem Dei cultum aut fidei proteſtationem poſt conſecutam ſolo actu interno liberationem ab originali: Neque tunc ad primò proteſtandam religionem & fidem, Eccleſiamvè ingrediendam, debebat eſſe unum idemque ſignum adultis & parvulis commune, quodque pro utriſque eſſet remedium originalis, ut nunc eſt baptiſmus. Non, inquam, quia ex D. Thoma *quæſt.70.art.4. ad* 2. nondum tunc fideles erant ſegregati ab infidelibus, nec cœperant adunari ad cultum unius Dei; neceſſitati igitur proteſtandi religionem & fidem ſatisfiebat tunc per ſignum quodlibet externum, vagum, & varium, atque in diverſis diverſum; unde neque etiam pro parvulis erat determinata actio, qua Parentes ipſorum nomine fidem proteſtarentur, ſed ſolùm erat à Deo in genere ſtatutum & inſtitutum, quòd actio, qua Parentes fidem proteſtarentur, qualiſcumque eſſet, evaderet ſacramentum & remedium originalis.

Urgebis & ſimul impugnabis primam aſſerti partem: Sacramentum debet eſſe ſignum determi

determinatum à Deo; ſicut enim eſt Dei propriū gratiam cauſare, ita ejuſdem proprium gratiam huic, vel alteri ſigno alligare; humana autem poteſtas, ſicuti ex eo, quod nequeat cauſare gratiam nequit ſacramenta inſtituere, ita ex eodem capite nequit ſtatuere & determinare materiam, quæ ſacramentum evadat, ergo remedium originalis pro parvulis non fuiſſet in naturæ lege ſacramentum, ſi fuiſſet actio determinanda à parvulorum Parentibus, non determinata immediatè à Deo.

34. Sed contrà: Sacramentum debet eſſe ſignum determinatum à Deo quoad rationem formalem; debet ſcilicet eſſe ex determinatione & inſtitutione divina, quòd homo poſſit, aut etiam teneatur gratiam, ſive primam, ſive ſecundam, conſequi per aliquod ſignum ſenſibile; at quantùm ad rationem materialem ſeu materiam, rem ſcilicet ſenſibilem, quæ ſignum denominatur, non eſt neceſſe quod in ſpecie determinetur à Deo niſi ad ſummum mediatè, id eſt mediante inſtinctu divinitùs hominibus inſpirando; Nec propterea homines hanc, vel illam, in ſpecie materiam aſſignantes erunt inſtitutores & Auctores Sacramentorum, quia horum inſtitutio debet attendi penes rationem formalem, exemplificari hoc poteſt in Indulgentiis, pro quibus non eſt neceſſe quod Pontifex in ſpecie determinet res, quibus eas annectit; ſed ſatis eſt, ſi in genere annectat rebus etiam à ſæculari viro in ſpecie determinandis; nec propterea vir iſte deſignans in ſpecie rem, cui Indulgentia ſit annexa, cenſetur indulgentiæ diſpenſator. Exemplificari item poteſt in Sacramentis legis novæ, quorum omnium fatemur inſtitutorem auctoremque Chriſtum, & tamen ipſe pro aliquibus determinavit materias ſolùm in genere relinquendo hominibus liberum illas determinare in ſpecie; ut maximè conſtat in Sacramento ordinis, cujus materia etiam nunc eſt apud Græcos & Latinos valdè diverſa.

Sacramenti materia non eſt neceſſe, quod ſit à Deo determinata in ſpecie.

35. Porro ſi ſacramentum, quantùm eſt de ſe admittit materiam non determinatam à Deo in ſpecie convenientiſſimè dicitur (quidquid contrà ſentiant Herincx *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 33. & aliqui alii) talem fuiſſe materiam ſacramenti inſtituti in lege naturæ; cum in hac convenientiſſimum ſit aſtruere pauciores, quas poſſumus leges & cæremonias determinatas in particulari à Deo; iſtæ enim ex genere ſuo ſpectant ad legem poſitivam, non ad legem naturalem.

Et talis de facto non fuit materia remedii parvulorum in lege naturæ.

Poſſent hic alia, nec pauca, nec levia, circa aſſertum pro parvulorum remedio ſacramentum argumenta, aut quæſita proferri, ſed pertinent magis ad quale fuerit, quàm ad an fuerit talis remedii ſacramentum? ideò opportuniorem habent locum in capite ſequenti, in quo percurremus ea, quæ ſunt antiquorum ſacramentorum, præſertim verò Circumciſionis & remedii parvulorum, propria; ubi quomodo tale remedium habuerit vim juſtificandi & cauſandi gratiam? qualis ad ipſum fides requireretur? à quibus debuerit & potuerit miniſtrari ſeu applicari? & ſimilia. Interim pro præfixi tituli complemento ſit

36. Aſſert. 3. In ſtatu legis naturæ præter remedium originalis pro parvulis non fuit aliquod aliud Sacramentum, ſaltem univerſaliter inſtitutum. Ita Suarez *diſp.* 4. *ſec.* 4. §. *Dico ſecundo.* Amicus *diſp.* 3. *ſec.* 2. *n.* 111. Lugus *diſp.* 3. *ſec.* 2. *num.* 60. Arriaga *diſp.* 8. *ſec.* 6. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 3. *num.* 15. Herincx *diſp* 1. *quæſt.* 3. *num.* 14. & alii plurimi, præſertim ex Recentioribus contra Rubionem *diſt.* 1. *q.* 3. *art.* 1. Joannem à S. Thoma *diſp* 23 *art.* 3. *dub.* 1. Cabreram *quæſt.* 61 *art.* 3. & alios non paucos præſertim ex ſchola Thomiſtica admittentes pro adultis non ſolum ſacramentum deletivum originalis commune parvulis, ſed & ſacramentum aliud deletivum actualium correſpondens noſtro ſacramento Pœnitentiæ, cui Nugnus *q.* 61. *art.* 4, addit ſacramentum conſervativum & augmentativum gratiæ correſpondens Euchariſtiæ, quod veriſimile putat Gonetus *diſp.* 2. *art.* 2. *n.* 61. Tertium addit, nimirùm Matrimonium Argentinas *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 2. cui videntur favere illi, qui Matrimonium etiam in ſtatu innocentiæ ſacramentum eſſe docuerunt, ut retulimus *præcedent. num.* 4.

Præter remedium originalis pro parvulis non fuit in lege naturæ aliquod aliud ſacramentum.

37. Dixi *ſaltem univerſaliter inſtitutum*, quia utrum ex ſpeciali privilegio Deus particulariter inſtituerit in lege naturæ aliquod ſacramentum pro adultis alicujus familiæ? non caret propria ratione dubitandi propter oblationem panis & vini à Melchiſedech factam, quam Auguſtinus, Ambroſius & Clemens Alexandrinus relati à Suario *præcit. ſec.* 4. §. *dico tertio* ſacramentum vocant, & quamvis poſſint intelligi de nomine ſacramenti latiùs accepto, prout extenditur etiam ad purum ſacrificium; nihilominùs, cum ut diſcurrit Lugus *præcitat. ſec.* 2. *num* 62. vix ſit aliundè aſſignabile, quid illi oblationi defuerit ad ſtrictam & rigoroſam ſacramenti conditionem? non poteſt negari quin præſertim ab auctoritate habeatur aliqua probabilitas admittendi in lege naturæ aliquod ſacramentum inſtitutum particulariter pro adultis alicujus familiæ ſeu gentis, potiùs quàm inſtitutum univerſaliter pro adultis totius populi, nec quidquam amplius nunc intendimus per limitationem aſſerto adjectam. Interim aſſertum ipſum.

Saltem univerſaliter inſtitutum.

38. Probatur: In ſtatu legis naturæ ponenda ſunt pauciora, quæ poſſunt ſacramenta; at non ponuntur pauciora, quæ poſſunt ſi ponitur aliquod aliud præter remedium originalis pro parvulis; ergo in ſtatu legis naturæ præter remedium originalis pro parvulis non fuit &c. Major infertur ex propria conditione ſtatus legis naturæ poſtulantis unicè dirigi per lumina ac dictamina rationis naturalis & fidei, nec admittentis in ordine ad ſalutem præcepta poſitiva, aut media à Deo inſtituta, niſi pauciſſima pro quibus memoriâ retinendis ſcriptura non requireretur, & ad quæ aſtruenda nos magna neceſſitate urgeamur, quatenùs vel conſtent ex traditione Eccleſiæ, vel deducantur ex ipſa natura gratiæ & fidei; cum enim ex alia parte ſacramenta ſine divina inſtitutione & poſitivo præcepto non dentur, conſequens omninò eſt ea in lege naturæ poni debere pauciora, quæ poſſunt. Minor probatur, quia ſolùm remedium originalis habetur ex traditione Eccleſiæ ad nos per Sanctos Patres deducta, idemque ſolum infertur ex natura gratiæ & fidei, nimirùm ex eo, quod ſuppoſita hominum ordinatione ad finem

ſupernaturalem nequeant deeſſe ſupernaturalia media, qnibos poſſint homines talem finē & ſalutē conſequi, ut deeſſent non exiſtente pro par-
39. vulis ſacramento in remedium originalis: Nec pro ullo alio ſacramento, in lege naturæ, aut expreſſa ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia traditionem Eccleſiæ cōſequentia, aut neceſſitas medij ad ſalutem ſeu impotentia conſequendi ſine eo ſalutem; nam adulti contrà peccata actualia potuerunt ſibi ſufficienter conſulere per iternos actus contritionis & dilectionis Dei, ſicuti jam dictum eſt ipſos iiſdem actibus potuiſſe ſibi ſufficienter conſulere contrà originale; Non fuit igitur adultis in lege naturæ neceſſarium ſacramentum pro remiſſione actualium, quod noſtro ſacramento pœnitentiæ correſponderit; à fortiori deindè non fuerunt neceſſaria alia duo correſpondentia Matrimonio, & Euchariſtiæ; in iſtis enim Adverſarij ipſi fatentur minorem neceſſitatem, quàm in illo correſpondente pœnitentiæ; ſicque à primo ad oltimum non ponuntur pauciora, quæ poſſunt, in lege naturæ ſacramenta, ſi punitur aliquod aliud præter remedium originalis pro parvulis.

Cur adulti in lege naturæ non habuerint ſacramentum pro remedio actualium.

Dices: Dabatur in lege naturæ remedium ſenſibile pro remiſſione actualium; atqui hoc remedium erat ſacramentū; ergo in lege naturæ præter remedium originalis pro parvulis correſpōdens noſtro baptiſmo fuit aliquod aliud ſacramentum, nimirùm remedium actualiū pro adultis correſpondens noſtræ pœnitentiæ; Minor conſequitur ad doctrinam qua *præced. n.* 17. probabamus remedium originalis pro parvuulis fuiſſe ſacramentum, quia fuit ſenſibile: Major probatur primò, qoia videtur eſſe par & eadem ratio de remedio actoalium, ac de remedio originalis; at ex dictis dabatur in lege naturæ remedium ſenſibile pro remiſſione originalis; ergo etiam pro remiſſione actualium; huic paritati ſuffragatur auctoritas D. Thomæ *in 4. diſt. 1. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad* 2. ubi eodem modo de originalis & actualis deletione loquitur, & ad utrāque io lege naturæ putat neceſſarium fuiſſe ſacramentum, ait enim: *Antè legem ſcriptam erant quadam ſacramenta neceſſitatis, ſicut illud fidei ſacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, & ſimiliter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis.* Major eadem probatur ſecundò, quia dabantur in lege naturæ ea, quæ sūt de jure naturali, imò hæc erant illius legis propriiſſima; eſt autem de jure naturali, quod adultus oſtendat de peccatis ſuis ſigna doloris, ſeu quòd reddat ſuum dolorem ſenſibilem; nam S. Doctor infrà *q. 84. art. 7. ad* 1. expreſſè habet, *De jure naturali eſt, quod aliquis pæniteat de malis, quæ fecit quantùm ad hoc, quod doleat ea feciſſe, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat*, & poſteà *ad* 2. quaſi determinans modū remedij, & ſigna doloris ait *Quantùm ad remedium doloris quærendum habuit pœnitentia determinationem, ut aliquo modo miniſtris Dei peccata*
40. *ſua confiterentur, ad minus in generali.* Sed contra: Dabatur quidem in lege naturæ, aut ſaltem dari poterat, pro remiſſiune actualium remedium, quod eſſet ſenſibile ex devotione & ſupererogatione; neque enim tunc actus internus contritionis per hoc, quod ſigno externo ſenſibili ex peccatoris arbitrio manifeſtaretur, minùs valebat ad remiſſionem actualium, quàm valuiſſet ea ſe præcisè: At difficultas eſt de remedio, quod eſſet ſenſibile ex divina inſtitutione, & ex neceſſitate ſive medij ſive præcepti; adeò ut circumſcripta ſenſibilitate actualium remiſſionem non afferret, ſicuti circumſcripta ſenſibilitate non afferret remiſſionem originalis fides ſuprà aſſerta pro remedio parvulorum. In hoc ſenſu nego abſolutè majorem.

Ad cujus primam probationem dico remedium originalis vel ſumi in ordine ad parvu- 41.
los, vel in ordine ad adultos: Si in ordine ad parvulos, diſparitas præſto eſt ex dictis, & conſiſtit in eo quod parvuli nequeunt habere actus internos, quibus ſe purgent ab originali ſicuti habere poſſunt adulti ad ſe purgandos ab actualibus; non eſt igitur reſpectu utrorumque par eademque neceſſitas remedij externi ſenſibilis & ſacramentalis. Si in ordine ad adultos, paritas benè procedit, at nobis favet cum negaverimus fuiſſe ſenſibile in lege naturæ remedium originalis reſpectu adultorum; valdè igitur conſequenter nunc quoque ſenſibilitatem negamus in remedio actualium. In verbis D. Thomæ dico vel latius ſumi ſacramenti nomen prout abſtrahit à ſacramento ſtrictè tali, & à quacumque re ſacra recondita, vel ly *& ſimiliter pœnitentia* continere comparationem ſolùm quoad neceſſitatem, non quoad rationem ſacramenti, adeò ut Sancti Doctoris ſenſus ſit erant ante legem ſcriptam aliqua ſacramenta neceſſitatis, ea ſcilicet quæ ordinabantur ad remedium parvulorum, (& benè poſſunt pluraliter proferri habito reſpectu ad pluralitatem in numero, non in ſpecie) ſicut verò iſta erant neceſſaria ad deletionem originalis, ita actus pœnitentiæ erant neceſſarij ad deletionem actualis; quod eſt conforme Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 14. ubi loquens de pœnitentiæ ac pœnitentis actibus, & ſingillatim de contritionis motu ait *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic motus neceſſarius.*

Occurritur auctoritatibus D. Thomæ militantibus pro Sacramento delente actualia in lege naturæ

Ad ſecundam ejuſdem majoris probationem 42.
adverto poſſe aliquid eſſe de jure naturali, vel ex neceſſitate quatenùs jus naturale ad id obliget, vel ex congruitate quatenùs jus naturale ad id habeat conformitatem & congruentiam: In lege naturæ dabantur omnia, quæ primo; at non omnia, quæ ſecundo modo de jure naturali ſunt: eſt autem de jure naturali primo modo, quod homo de malis, quæ fecit, pœniteat actu interno; quod præbeat exteriùs pœnitentiæ & doloris ſigna eſt de jure naturali ſolùm ſecundo modo; quatenùs creaturæ, tum ſpiritualibus tum ſenſibilibus potentijs inſtructæ, conveniens eſt, & ex natura ſua conforme operari etiam ſenſibiliter & actus internos ſpirituales actionibus externis ſenſibilibus aſſociare; Nec quidquam ampliùs intendit S. Doctor *præcit. art. 7.* in verbis deſumptis *ex reſp. ad* 1. Verba ejuſdem deſumpta *ex reſp. ad* 2. non ſunt ad rem pro præſenti Adverſariorum intento, quia expreſſè procedont non de lege naturæ, ſed de veteri lege ſcripta, in qua utrùm oblationes pro peccatis, de quibus ibi eſt ſermo, haberent rationem non ſolùm ſacrificij,

ficij, ſed etiam ſacramenti ſignificantis actualiũ remiſſionẽ, res eſt omninò diſparata à ſenſibili eorundem actualium remedio in lege naturæ.

Dices aliter: Non debuit eſſe facilior actualiũ remiſſio in lege naturæ quàm ſit modo in lege gratiæ; at fuiſſet facilior, ſi tunc habuiſſent adulti in ſolo actu interno ſuorum peccatorum remedium, ad quod nunc præter actum internum requiritur actio externa ſenſibilis, eaque difficillima, nimirum talium peccatorum alteri facta confeſſio. Nec habetur ſufficiens diſparitatis, majoriſque difficultatis ratio ex eo, quod lex gratiæ admittat poſitiva præcepta, quæ aut nulla aut pauciſſima patiebatur lex naturæ: Non habetur, inquam, ex hoc ſufficiens ratio, quia non tam ex poſitiva lege, quam ex natura rei provenit, ut gratia aquirenda per Chriſtum aquiratur ex proteſtatione Chriſti, & ſubordinatione ad ipſum humano ac ſenſibili modo expreſſa; cum igitur etiam in lege naturæ remiſſio peccatorum obtineretur ex gratia Chriſti, ſeu ex gratia obtinenda per Chriſtum, conſequens eſt &c. Sed contra: Concedo majorem,

43. Quomodo ſine ſacramento non fuerit facilius in lege naturæ peccatorum remedium, quã ſit nunc cum neceſſitate ſacramenti.

diſtinguo minorem; ſi tunc habuiſſent adulti in ſolo actu interno ſuorum peccatorum remediũ & fuiſſent cætera paria, concedo; ſi tunc habuiſſent adulti in ſolo actu interno remedium, at fuiſſent cætera diſparia; nego. Verè autem fuerunt diſparia cætera, quia in lege naturæ ad delenda actualia etiam interveniente ſacramento ab adverſarijs admiſſo requirebatur omninò contritio aut Dei dilectio ſuper omnia nec attritio ſufficiebat, quæ tamen ſufficit in lege gratiæ, & ſicut eſt actus minùs perfectus, ita eſt magis facilis, quàm contritio aut dilectio: Præter quod contritio ipſa poteſt dici facilior nunc, quàm eſſet in lege naturæ, propter uberiora, quæ nunc habemus gratiæ auxilia ad illam eliciendam: Tandem, ſi quæ nunc eſt major ex confeſſione ſuperaddita difficultas, compenſatur hæc abundè ex majore, quæ confertur, gratia; nam per Adverſarios qui in lege naturæ juſtificabatur ex vi contritionis & ſacramenti non majorem reportabat gratiam, quam reportaſſet ex vi ſolius contritionis; at nunc reportat longè majorem, ultra gratiam ſcilicet ex opere operantis, quam tunc etiam reportaſſet, gratiam aliam reportat ex opere operato.

Ex his habes rationem ſeu ſolutionem inter inſtandum allatam, nec eſſe unicam, nec potiſſimam; continet tamen non levem congruentiam, & ejus impugnatio ſi quid probat, probat ad ſummum prærequiſitam tunc ad juſtificationem fuiſſe interiorem fidem Chriſti at non exteriorem proteſtationem; ad id quod addebatur de modo humano in promptu eſt reſponſio *ex præced. num. 33.*

---

§. III.

Utrum in ſtatu legis antiquæ, ſeu ſcriptæ, extiterint, & plura extiterint Sacramenta vera & propria?

44. ASSERT. In ſtatu legis antiquæ ſeu ſcriptæ extiterunt ſacramenta vera & propria; eaque permulta, non unum tantùm, aut alterum. Prima pars eſt veritas indubitata apud Catholicos; & quamvis illi, qui inter antiquæ & novæ legis ſacramenta agnoſcunt convenientiam ſolùm analogam, videantur aſtruere ſacramenta nova magis propriè & verè talia, quam antiqua; non idcircò his negant proprietatem & veritatem; quam proptereà cenſendi ſunt negare ſoli Sectarij, hocque à fortiori ex eo, quòd negent ſacramenta vera & propria etiam in lege nova. Secunda pars, quamvis non ſit in eodem certitudinis gradu, eſt nihilominus receptiſſima contrà Joannem de Baſſolis *in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 3* & Carolum Franciſcum Abra *tract. 2. diſp. 1. ſec. 2* qui ut refert Gonetus *hic diſp. 2. num. 96.* putarunt unicum, id eſt ſolam Circumciſionem, fuiſſe in lege veteri verum & proprium Sacramentum: Item contra alios nonnullos quibus favet Sotus *in 4 diſt. 1. quæſt. 1. art. 2.* & *quæſt. 2. artic. 3.* addentes circumciſioni ſolum eſum agni paſchalis.

Probatur prima pars imò ſupponitur ex Concilijs Florentino, & Tridentino, nam Florentinum *in decreto de unione Armen.* definit ſacramenta nova multùm differre à ſacramentis antiquis, & Tridentinum *ſeſſ. 7. can. ſecundo*, anathematizat eum, qui dixerit novæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ & alij ritus externi: Utrumque igitur Concilium ſupponit ſacramenta in antiqua lege extitiſſe, eaque vera & propria, alioqui male fieret comparatio ipſorum cum ſacramentis legis novæ. Confirmatur ex definitione Sacramenti verè ac propriè talis ſupra tradita, quam *ex capite ſequent.* conſtabit benè convenire aliquibus ſignis & ſacris cæremonijs antiquæ legis: Neceſſitas item & exiſtentia alicujus ſacramenti præaſſerta in lege naturæ infert à fortiori alicujus ſacramenti neceſſitatem & exiſtentiam in lege ſcripta.

In veteri lege ſcripta extiterunt ſacramenta vera & propria.

Probatur ſecunda pars, & ſuadent eam in primis prælaudata Concilia, dum de antiquis ſacramentis loquuntur in plurali, & tanquam de pluribus; idem præſtant paſſim Sancti Patres, ſic Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum capite 13.* ait *Prima ſacramenta, quæ celebrabantur & obſervabantur ex lege, erant*, &c. & Dionyſius *lib. 6 de Eccleſiaſt. Hierarch. capite 5.* quod inſcribitur *de Sacris ordinibus* tradit hierarchiam noſtræ Eccleſiæ habere communes cum hierarchiâ cœleſti *ſpiritales contemplationes*, cum hierarchia ſynagogæ *ſigna, quæ ſenſum movent*, id eſt ſacramenta. Eamdem ſecundam aſſerti partem confirmat duplex potiſſimum congruentia; prima ſic, quia ſacramenta antiqua fuerunt figuræ & ſymbola noſtrorum ſacramentorum; fuerunt igitur multa, ſicut & noſtra multa ſunt, Secunda, quia homines ſub lege ſcripta fuerunt in ſtatu minùs perfecto & magis per affectum propenſi ad res ſenſibiles, quam ſimus nos; habuerunt igitur tunc homines majorem convenientiam ſibi conſulendi per res ſenſibiles, majoremque indigentiam ſacramentorum; hæc prætereà fuerunt tunc minùs

45. Eaque multa.

Et plura quam in lege nova.

perfecta,quam nunc ſint ; quæ autem ſunt minùs perfecta ſolent eſſe magis multiplicata : Hincque arguitur ſacramenta antiqua fuiſſe multa,non ſolùm abſolutè,ſed & comparativè ad nova, adeò ut fuerint in majore numero & plura, quàm iſta;undè Auguſtinus *præcit.c.*13. rect. ait *Sacramenta veteris legis ablata ſunt, quia impleta,& alia inſtituta,virtute majora,utilitate meliora,actu faciliora,& numero pauciora.*

46. Si quæratur hic, Quotnam fuerint determinatè & in particulari antiquæ legis ſacramenta ? Res quæritur parum utilis, cum modò talia ſacramenta ceſſaverint,& multum difficilis,cum id requirat interpretationem & attentam inſpectionem magnæ partis Exodi & Levitici,ut ex varijs cæremonijs , obſervantijs & actionibus ad religionem pertinentibus ibi præſcriptis diſcernantur, quæ ſacramenta ſunt ab ijs,quæ dumtaxat ſacrificia,aut puræ obſervantiæ legales : Expedit propterea latitudinem aliquam ac indeterminationem admittere,& cum Suario *diſp.*5.*ſec.*2. Goueto *diſp.*2. *art.*1.alijſque communiter ſecutis D. Thomam 1.2.*quæſt.*103.*art.*5.omnia antiqua ſacramenta ad tres claſſes revocare, ſub quâlibet claſſe diverſa aliqua ſacramenta recenſendo ; at non definiendo quot præcisè poſſint & debeant recenſeri ? Ibi igitur S. Doctor conſiderat antiqua ſacramenta , quatenùs ipſis aliqualiter conſecrabantur , ac deputabantur,homines ad Dei cultum ; & ad hunc tria præcipuè requirir,nimirum poſitionem in ſtatu colendi Deum, uſum eorum quæ ad Dei cultum pertinent , & remotionem eorum quæ à Dei cultu impediunt ; juxtà hæc tria tres distinguuntur Sacramentorum claſſes , & ſub ſingulis rectè aſſignantur quædam ſacramenta communia toti populo, quædam propria Sacerdotum & levitarum:Sic poſitio in ſtatu colendi Deum quoad populum habebatur per circumciſionem, ſine qua nulli licebat accedere ad legalia;quoad Sacerdotes & levitas per quamdam ipſorũ conſecrationem : Uſus pertinentium ad Dei cultum habebatur in toto populo per eſum v.g.agni paſchalis;in Sacerdotibus,levitis alijſque Miniſtris divino cultui conſecratis per eſum panum propoſitionis ; Remotio impedientium à Dei cultu , ideſt quarumdam immunditiarum & irregularitatum , fiebat reſpectu totius populi per quaſdam purificationes & expiationes,aut etiam oblationes ; reſpectu ſacerdotum & levitarum per ablutionem manuum ac pedum,& raſionem pilorum.

Reducuntur omnia ad tres claſſes.

47. Porrò,cum antiqua Sacramenta fuerint figuræ & ſymbola novorum , placet hic ex D. Thoma *eod. art.*5. *ad* 3. inſinuare propriam antiquorum, quæ recenſuimus , cum aliquo ex novis correſpondentiam figuralem , ut ita dicam,& ſymbolicam : Circumciſio ſcilicet pro Maſculis , & remedium legis naturæ pro fœminis , correſpondet baptiſmo : Conſecratio ſeu deputatio Sacerdotum & Levitarum , ordini ; Eſus agni paſchalis & panum propoſitionis,Eucharistiæ;Purificationes, expiationes, manuum pedumque ablutio,& pilorum raſio, Pœnitentiæ. Addit *ibid.*S.Doctor nullum antiquæ legis ſacramentum correſpondiſſe Confirmationi : Extremæ unctioni,& Matrimonio; rationemque affert , pro Confirmatione quidem , quia eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ ; pro Extrema unctione, quia eſt præparatio ad introitum gloriæ,pro Matrimonio, quia eſt ſignificatio conjunctionis Christi & Eccleſiæ ; tempore autem antiquæ legis plenitudo gratiæ nondùm advenerat, gloriæ aditus nondum patebat , conjunctio Christi & Eccleſiæ nondùm habebatur : Hanc rationem vocat infirmam congruentiam Hurtado *diſp.*1. *quæſt.*3. *num.*36.at nec aſſignat ipſe firmiorem , nec infirmum mihi eſt, quod S. Doctoris auctoritate firmatur.

Correſpondent aliquibus Sacramentis novis, & quibus.

Circà Circumciſionem,quæ potiſſimum tenet in Sacramentis antiquis locum, dubitatur, cum legi ſcriptæ potiùs, quàm legi naturæ tribuatur? cum ab Abrahamo cœperit tempore legis naturæ quadringentis annis antè datam Moyſi legem ſcriptam ; & quamvis jam ſuprà *num.* 3. dictum ſit , quantùm ad ſacramenta legem naturæ pro Iſraëlitis duraſſe dumtaxat uſque ad Abrahamum ; tamen hoc ipſũ indiget explicatione, cujus gratia obſervo Abrahamum ſe habuiſſe ad legem naturæ , & legem ſcriptam , eo ferè modo, quo ſe habuit Joannes ad legem ſcriptam & legem gratiæ ſeu Evangelij ; & ſicuti iſte à D. Thoma *q.*38. *art.*1.*ad* 2. dicitur *terminus legis, initium Evangelij* & à D. Chryſologo *ſerm.* 91. vocatur *legis & gratiæ fibula* ; ita ille dici poſſit terminus naturæ,initium legis,vel naturæ & legis fibula: Hinc nonnulli ſpatium temporis, quod vel ab Abrahamo ad Moyſem accipientem à Deo legem ſcriptam, vel à Joanne ad Christum condentem legem Evangelicam , fluxit,egregiè & ingenioſè appellant confinium ; illud quidem naturæ & legis ; iſtud legis & gratiæ ſeu legis & Evangelij : In priore confinio cœpit natura declinare & inſinuare ſe lex,cœpit enim in circumciſione præcipi determinata materia pro remedio originalis , cœpit item congregari & diſcerni ſpecialis populus , ac præparari ad legem ſuſcipiendam : In poſteriore confinio cœpit declinare lex & inſinuare ſe Evangelium Chriſti , ad quem Joannes verbo & opere inducebat,ut ait D. Thomas *in præcit. reſp.ad* 2. poſtquam *in reſp.ad* 1.dixerat Joannis baptiſmum eò quod diſponeret ad baptiſmum Chriſti aliqualiter pertinuiſſe ad legemChriſti,non autem ad legem Moyſi, & ratio ſumpta ex ipſo S. Doctore *in* 4.*diſt.*1.*q.*2.*art.*1. *quæſtiunc.*2. *ad* 5.eſſe poteſt ; quia diſpoſitiones diſtinctionem habent penes ea , ad quæ diſponunt. Ex his eruo reſponſionem ad dubium, & dico circumciſionem,quamvis in lege naturæ cœperit, tribui legi ſcriptæ & inter legis ſcriptæ ſacramenta computari , quia non tam cœpit in lege naturæ, quàm in legis naturæ & legis ſcriptæ confinio,in illius declinantis termino , in iſtius ſe inſinuantis initio, item quia fuit diſpoſitio , ſeu præparatio,ad legem ſcriptam,in qua deinde perſeveravit , tanquam proprius illius legis character, tanquam teſſera militiæ ſub Moyſe adſcriptæ , & Moſayeis ritibus obligatæ ac initiatæ. 49.

48. Cur Circumciſio pertineat ad legem ſcriptam?quamvis cœperit in lege naturæ.

§. IV.

§. IV.

An, Quot, & Quæ Sacramenta exiſtant in ſtatu legis novæ, ſeu gratiæ: & quàm neceſſaria ſint?

ASSERT. In ſtatu legis novæ, ſeu gratiæ, exiſtunt vera & propria ſacramenta, non plura, nec pauciora, quam ſeptem; nimirùm Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extremaunctio, Ordo, Matrimonium; & ſunt neceſſaria non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid & neceſſitate congruitatis ſeu convenientiæ. Eſt veritas Catholica, quam Latina ſimul & Græca Eccleſia complexa eſt in Concilio Florentino, & Latina iterùm in Tridentino contra varios hæreticos, ex quibus antiquitùs omnia ſacramenta, tanquam perfectioni legis gratiæ repugnantia, abjeciſſe referuntur Archontici, Gnoſtici, Charatiſtæ, & Fraticelli, ut videre eſt apud Suarium *diſput.* 6. *ſec.* 1. Nec minùs in re videntur erraſſe Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & alij Novatores, qui licet ſacramenta aliqua admiſerint, nullibi veram ſacramenti eſſentiam agnoverunt, ut patet ex ipſorum definitionibus, quarum meminimus *cap. præced. num.* 46. Quoad Sacramentorum numerum mira res eſt, quam variè & inconſtanter tum antiqui tum recentes Sectarij ſcripſerint; ex antiquis ſuſtulerunt Baptiſmum Gaiani, Manichæi & Seleuciani, Confirmationem & Pœnitentiam Novatiani, Extremam Unctionem Albigenſes, Matrimonium Encraticæ, & alia alij: ex Recentibus quamvis Calvinus & Lutherus ſibi ipſis in Sacramentorum numero non conſtiterint, Calviniſtæ communios aſtruunt duo tantum ſacramenta, Baptiſmum & Cœnam; Lutherani tria Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam; Zuingliani pariter tria, ſed ponunt loco pœnitentiæ Matrimonium; Melanchton quatuor, tribus ſcilicet Lutheranorum addit Ordinem, quin & propendet ad addendum quintum, Matrimonium ſcilicet cum Zuinglianis; quæ omnia magis diſtinctè & eruditè profert Bellarminus tomo ſecundo controverſiarum partim *libro* 1. *capite primo*, partim *lib.* 2. *cap.* 23.

50. Errores Hæreticorum circa ſacramenta novæ legis.

51. Exiſtentia & numerus ſeptenarius talium ſacramentorū, eſt de fide.

Probatur Sacramentorum in lege gratiæ exiſtentia & numerus expreſſa definitione Conciliorum Florentini *in decreto de unione Armen.* & Tridentini *ſeſſ.* 7. *can* 1. Item totius Eccleſiæ exiſtimatione antiquiſſima, adeò ut nulla hiſtoria referat, quandonam cœperint doceri, aut quinam Pontifex, quodnam Concilium primò induxerit ſeptem legis gratiæ ſacramenta? quod evincit ea primos fideles à Chriſto & Apoſtolis immediatè didiciſſe & ſucceſſiva deindè univerſalis Eccleſiæ traditione ad nos perveniſſe, undè etiam Magiſter jam à quadringentis & amplius annis ſcribens *in* 4. *diſt.* 2. ſeptem novæ legis Sacramenta, tanquàm aliquid non ambiguum aut novum, ſed certum & Eccleſiæ uſu receptum, enunciat: Fas igitur non eſt ſuſpicari de Eccleſiæ circa aſſertum dogma antiquiſſima traditione & univerſali conſenſione, quod propterea ſi falſum foret, tota Eccleſia per ſexdecim ſæcula erraſſet; pernicioſiſſimè, ſi plura eſſent ſacramenta, quàm ſeptem, quia tamdiù omnes fideles aliquorum ſacramentorum fructu fraudaſſet; irreligioſiſſimè, ſi pauciora, quia aliqua non ſacramenta pro ſacramentis ſuperſtitioſè habuiſſet.

Probatur eorumdem ſacramentorum neceſſitas, & quidem quod non ſint neceſſaria ſimpliciter evincitur, tum ex conditione communi operum ad extra, tum ex conditione ſpeciali operum ſpectantium ad ordinem gratiæ, cujus ſicut proprium eſt eſſe ex liberalitate, ita & ex libertate: Quòd verò ſint neceſſaria ſecundùm quid ſuadetur primò ex congruentijs communibus cuicumque ſacramentorum inſtitutionis, quas *præced. num.* 9. protulimus, quaſque optime comperiet in novæ legis ſtatu, quiſquis huic illas comparaverit. Suadetur ſecundò congruentijs proprijs ſtatus legis novæ, cum enim ex una parte ſit ſtatus perfectior, in quo creditur Chriſtus præſens, & homo ex Apoſtolo *ad Galat.* 4. ſe habet ut vir adultus in ætate perfecta, in lege verò antiqua creditus fuerit Chriſtus futurus & homo ſe habuerit ut parvulus in ætate puerili, & ex alia parte ſit conveniens non eſſe eadem ſigna fidei reſpectu diverſi objecti, non eſſe eaſdem medicinas reſpectu adulti & parvuli; conſequens eſt ſacramenta, quæ ſunt tum ſigna fidei, tum ſpirituales medicinæ debuiſſe non eſſe eadem in utraque lege; fuit igitur in lege nova ſecundùm quid & ex congruitate neceſſitas inſtituendi nova ſacramenta ab antiquis diverſa. Suadetur tertiò congruentijs ſingillatim accommodatis novorum ſacramentorum numero; primò enim frequentiſſima, quæ (ut Bellarminus *præcit lib.* 2 *cap.* 26. inſinuat) ex antiqui teſtamenti paginis fit mentio ſeptenarij numeri in expiationibus, videtur prænunciaſſe, quod aliquando danda forent ſeptem ſacramenta, tanquam ſeptem celeberrima ac uberrima media, & remedia, ad expiationem peccatorum: Secundò, quia congrue aſſignantur ſeptem peccata & vulnera quorum ſingula ſingulis ſacramentis deleantur & curentur; ſeptem item inſigniores virtutes, quarum ſingulæ ſingulis ſacramentis reſpondeant & foveantur, ut enumerat & ſingula ſingulis comparat Bellarminus *eod. cap.* 26. poſt D. Thomam *quæſt.* 65. *art.* 1. *in c.* Tertiò & potiſſimè, quia in homine vita ſpiritualis habet conformitatem quamdam cum vita corporali, hæc autem ut ratiocinari ſolent ſcholaſtici cum S. Doctore *eod. artic.* 1. perficitur ſeptem modis, quibus in ordine ad perficiendam vitam ſpiritualem æquivalent ſeptem ſacramenta. Corporalis ſiquidem vita ex parte cujuſlibet privatæ perſonæ perficitur per ſe, & aquirendo ſibi neceſſaria, tribus modis, generatione, augmentatione, nutritione: per accidens & removendo ſibi contraria duobus modis, altero quo curatur à morbis & ſanitati reſtituitur; altero quo liberatur à morbi reliquijs & plenè convaleſcit; ex parte Reipublicæ ſeu Communitatis perficitur poteſtate & propagatione, priore Magiſtratus

52.

Suadetur congruentiis, tum cōmunibus cuicumque ſacramentorum inſtitutioni, tum proprijs ſtatus legis novæ.

53. Tum ſingillatim accommodatis ſeptenario Sacramentorum numero.

ſtratus & Principes reliquos te unt & gubernant, poſteriore multiplicantur individua & ſpecies conſervatur. Sic in vita ſpirituali Baptiſmo regeneramur, Confirmatione, augemur & roboramur, Eucharistiâ nutrimur, Pœnitentiâ ſanamur à peccatorum morbis, Extrema unctione liberamur ab eorundem reliquijs, Ordine fidelium Reſpublica ſeu Eccleſia gubernatur & regitur, Matrimonio in ſuis membris ad Dei cultum propagatur: Quæ ſingula egregijs Scripturæ ſententijs illuſtrata habes apud S Doctorem *præcit art* 1.

Dices has congruentias ſeptenarij numeri ſacramentorum æque reperiri in lege veteri, nam etiam tunc erat proportio vitæ ſpiritualis cum corporali, etiam ſeptem inſigniores virtutes, & aſſignari congruè poterant ſeptem peccata & vulnera æquè ac nunc; ergo tales congruentiæ vel ſuadent ſeptenarium ſacramentorum numerum etiam in lege veteri, vel neque ipſum ſuadent in nova. Sed contrà:

55. Præallatæ congruentiæ non ſunt adeò efficaces, ut ex ſe præcisè evincant nec plura, nec pauciora, quam ſeptem debere eſſe ſacramenta, ſuppoſito tamen quòd aliundè ſeptem eſſe

Cur antiqua ſacramenta non fuerint ſeptem, ſicut nova?

innoteſcat (ut ex fide pro nova, non pro veteri, lege innoteſcit) ſunt accommodatiſſimæ, ut id convenienter ac rationabiliter factum ſuadeant, & hoc ſufficit ut non militent pro veteri lege æquè ac pro nova: Habetur inſuper poſitivum hujus rei fundamentum ex diverſitate ſacramentorum utriuſque legis, quatenùs ſacramenta nova ſunt inſtituta præcipuè ad juſtificationem ſuſcipientium, quod eſt idem ac dicere ad peccatorum remedium, & perfectionem vitæ ſpiritualis ipſorum; ſacramenta antiqua (ſi circumciſionem excipias) ſunt inſtituta præcipuè ad ſignificanda Myſteria Chriſti, Sacramenta ab ipſo inſtituenda, & gratiam futuram in nova lege; perſpicuum eſt igitur congruentias, rationeſque deſumptas a peccatis, virtutibus, & perfectione vitæ ſpiritualis, non poſſe accommodari ſacramentis antiquis, ſicut novis; nec pro illorum, ſicut pro iſtorum, ſeptenario numero militare.

Urgebis perperam nos ſupponere notum, certumque ex fide, ſeptenarium ſacramentorum numerum in nova lege, cum non poſſimus afferre ullam ſcripturam, nec ullum Sanctum Patrem facientem mentionem talis numeri, aut nominantem, & numerantem, ſeptem ſacramenta, imò inveniamus duo tantùm, ideſt Baptiſmum & Euchariſtiam, apud Juſtinum, Ireneum, Tertullianum, Auguſtinum; tria, ideſt Baptiſmum, Chriſma, & Euchariſtiam, apud Gregorium; quatuor, ideſt præter tria mox aſſignata ordinem, apud Dionyſium; ſeptem igitur ſacramenta fuerunt ſolùm excogitata à Scholaſticis, & ſolùm ex iſtorum ſcriptis ea hauſit ac approbavit Concilium Florentinum primò, deinde Tridentinum. Sed

56. contra: Quòd Scriptura & Patres nullibi in terminis protulerint eſſe ſeptem ſacramenta eſt quia nullibi omnia ſimul enumeranda aſſumpſerunt; protulerunt tamen ea æquivalenter & illativè, quatenus modo de uno, modò de alio ſacramento, varijs in locis agendo ſingula ſeptem ſeorſim & ſparſim tradiderunt; ſic pro ſingulis profert in medium ſcripturæ teſtimonia Bellarminus *præcitat. libro* 2. *cap.* 24. & ſingula etiam in D. Auguſtino reperit Herincx *diſp.* 1. *quaſt.* 5. *num.* 56. Nec quidquam officit, quod tum ipſe Auguſtinus, tum plures alij Sancti Patres, ſæpe ſæpiùs duorum tantùm, aut certè pauciorum quam ſeptem, Sacramentorum meminerint; fuit enim hoc per accidens, & ratione materiæ ad explicandum aſſumptæ, aut aliæ ſimili occaſione, ad quam non omnia ſeptem ſacramenta pertinebant; non per ſe & ex propoſito ſtatuendi duo tantùm, aut certè pauciora quàm ſeptem ſacramenta; cum nullus Sanctorum Patrum tale propoſitum expreſſerit, nec etiam præſumi poſſit illud habuiſſe, niſi ſimul præſumatur contradixiſſe ſibi ipſi alijs in locis, aut ſaltem alijs Patribus.

Ex his habetur primò probaſſe nos ſuperiùs ſeptem ſacramentorum in lege nova exiſtentiam ex traditione, & verbo non ſcripto, potiùs quam ex ſcriptura & verbo ſcripto, non quia non hinc etiam ſufficienter probetur, ſed quia non adeò clarè, explicitè, & in terminis; ideſt nullibi uno eodemque contextu ſeptenarius ſacramentorum numerus in ſcriptura recenſetur.

Habetur ſecundò ordinem, quo ſacramenta numeravimus ponentes primo loco Baptiſ- 57.

Quinam, & qualis, inter ſeptem ſacramenta ordo.

mum, ſecundo Confirmationem, tertio Euchariſtiam &c. non eſſe præcisè ordinem numeri primò inductum ex arbitrio numerantis, ſed eſſe ordinem rei numeratæ & cum fundamento in re; potiſſima enim congruentia deſumpta ex conformitate vitæ ſpiritualis cum corporali non magis ſuadet convenienter poni ſeptem ſacramenta, quàm convenienter poni eo ordine, quem in ipſis enumerandis ſervavimus, ſaltem loquendo quoad quinque priora; undè etiam hæc per ſe loquendo ſunt à nobis eodem ordine ſuſcipienda primò Baptiſmus, ſecundò Confirmatio, tertiò Euchariſtia &c. Non militat quidem hic ordo ſuſceptionis & proportionis vitæ ſpiritualis cum corporali pro duobus poſtremis, Ordine ſcilicet & Matrimonio, quæ cum reſpiciant communitatem, nec per ſe conjungantur in ulla privata perſona, non potuerunt ex ſuſceptione, & ex modo, quo unuſquiſque corporaliter vivit, ordinari; at in iſtis duobus ſervatus eſt ordo dignitatis; præpoſitus ſcilicet eſt Ordo Matrimonio, quia ille huic dignitate præcellit: In reliquis ſacramentis numerandis ægrè potuiſſet dignitatis ordo ſervari, quia aliqua ità ſe habent per modum excedentis & exceſſi, ut non ſatis conſtet, quodnam ſit alio ſimpliciter dignius & excellentius? quod perſpicuum fuit conſideranti varias ſingulorum dignitates & excellentias, quas breviter excutit Bellarminus *præcit. lib.* 2. *cap.* 18.

CAPUT III.

Quædam propria antiquorum Sacramentorum; & iſtorum cum novis comparatio.

1\. NOMINE antiquorum Sacramentorum non intelligimus hic præcisè ſacramenta inſtituta in lege antiqua ſcripta, aut in ejus confinio, ſed & remedium originalis inſtitutum in lege naturæ; tum quia hæc jure dici poteſt lex antiqua non ſcripta, cum fuerit ipſa lege ſcriptâ prior & antiquior; tum quia remedium originalis in lege naturæ inſtitutum eſt aliqualiter legi antiquæ ſcriptæ commune, cum in hac pro fœminis & in aliquo caſu etiam pro Maſculis perſeveraverit; imò in ratione ſacramenti non admodùm ex mox dicendis differat à Circumciſione, quæ ejus loco ſucceſſit in lege ſcripta: Sub præfixo igitur titulo occurrunt in primis exponenda ea, quæ ſunt propria remedij originalis & circumciſionis, & quibus Sacramenta, quorum alterum eſt per nos unicum in lege antiqua non ſcripta, alterum eſt potiſſimum in lege antiqua ſcripta, ſecernuntur primò ab invicem, deindè à Sacramentis legis novæ. Quoad primum autem

Lex antiqua dividi poteſt in ſcriptam, & non ſcriptam.

Præmitto conſentire quidem Patres & Scholaſticos in eo, quod circumciſio ſit verum & proprium legis antiquæ ſacramentum, ſed ſummopere diſſidere, & in duas ſententias ingenti utrimque Auctorum agmina propognatos dividi circa modum, & finem, inſtitutionis ejus.

2\. Prima ſententia docet circumciſionem fuiſſe à Deo inſtitutam dumtaxat ad conſignandum, conſecrandum, & à reliquis gentibus diſtinguendum peculiarem populum; nec habuiſſe rationem ſacramenti, quatenùs ſignificaverit gratiam præſentem, quæ conferretur ipſis circumciſis, ſed quatenus tanquam figura baptiſmi ſignificabat gratiam futuram, quæ erat conferenda baptizandis in lege nova: Referuntur pro hac ſententia ex Patribus Juſtinus, Irenæus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Euſebius, & ferè quicumque alij antè Auguſtinum de circumciſione ſcripſerunt, quorum non paucos videre eſt apud Suarium *diſp.5. ſec.1.* Pro eadem ſententia ex Scholaſticis ſtant Vaſquez *diſp.184.cap 3.* Coninchus *quæſt.62.art.6.* Lugus *diſp.5. ſec.3.* & aliqui alij, qui in ſuum ſenſum trahunt Auctores docentes circumciſionem non contuliſſe gratiam ex opere operato; immeritò tamen, quia per iſtos Auctores neque remedium legis naturæ gratiam ex opere operato contulit; cum hoc igitur quòd Circumciſio gratiam ex opere operato non contulerit benè poteſt per eoſdem cohærere, quòd fuerit à Deo inſtituta tanquam ſacramentum ſignificativum gratiæ præſentis & deletivum originalis, ſicuti hujuſmodi fuit remedium inſtitutum in lege naturæ.

Sententia de inſtitutione circumciſionis facta præcisè ad conſignandum peculiarem populum.

3\. Secunda ſententia docet Circumciſionem fuiſſe à Deo inſtitutam tum ad conſignandum & ſegregandum peculiarem populum, tum ad delendum originale, adeò ut remedium legis naturæ, quod pro alijs erat indifferens quoad actionem & ritum exteriorem, pro populo Iſraelitico circumciſione obſignando fuerit affixum ipſi ritui circumciſionis. Ita pluribus in locis Auguſtinus à Suario *præcit. ſec.1. §. Secunda ſententia* dictus primus ac præcipuus & indubitatus Auctor hujus ſententiæ, & ex alijs deindè Patribus Gregorius, Proſper, Bernardus, Rupertus, & Hugo à S. Victore; ex Scholaſticis Magiſter *in 4. diſt.1.* Scotus *ead. diſt. quæſt.6.* ead. item *diſt.* Durandus, Richardus, Gabriel, & prætereà Joannes à S. Thoma *hic diſp.24. art.6.* Gonetus tract. de Baptiſmo *diſput.5. art.1.* Maſtrius *hic diſp 1. quæſt.2. art.3.* Herincx *diſp.1. quæſt.4.* Suarez *diſp.5. ſec.1.* Amicu; *diſp.4. num.14.* Arriaga *diſp.9 ſec.3.* Madernus *quæſt.3. art. 1.* & alij plurimi, adeò ut Suario *præcit. ſec.1. §. Secundò dicendum eſt* videatur non poſſe nunc negari ſine aliqua temeritate propter communem conſenſum tantorum Patrum & Scholaſticorum; imò Ovandus *in 4. diſt.1. propoſ.15.* putet eſſe de fide. 4. Diſſident quidem hujus ſententiæ Auctores, dum ulteriùs quærunt, Utrum eſſe remedium originalis deletivum, an eſſe ſignum populi diſtinctivum fuerit primaria Circumciſionis inſtituendæ ratio? in quo faciunt primariam eſſe rationem ſigni, ſecundariam rationem remedij Suarez & Herincx; faciunt è converſo primariam rationem remedij, ſecundariam rationem ſigni Gonetus & Cabrera: Mediam quamdam ineunt viam Averſa *quæſt.70. art.1.* & Maſtrius *præcit. art. 3. num. 73.* arbitrati utramque rationem eſſe ſub diverſa conſideratione primariam, & circumciſionem, quatenùs relinquebat externum in corpore characterem fuiſſe primariò inſtitutam ad diſtinguendum populum, quatenùs continebat exteriorem fidei profeſſionem fuiſſe primariò inſtitutam ad delendum originale: Verùm hoc diſſidium leve eſt nec tanti momenti ut aut principalis ſententiæ firmitatem lædat aut in eo expediat immorari. His præmiſſis ſit

Sententia de inſtitutione ejuſdem etiam ad delendum originale.

§. I.

Quomodò ab invicem differant Circumciſio & Remedium legis naturæ? Ubi nonnulla de utrinſque Sacramenti ritu.

5\. ASSERT. Circumciſio & remedium legis naturæ differunt non ſolùm in eo, quòd illa ſit inſtituta in ſignum populi diſtinctivum, ſed etiam in eo, quod ſit pariter inſtituta in ſacramentum deletivum originalis parvulorum ritu & modo magis determinato, quàm remedium legis naturæ. Tota hujus aſſerti difficultas & controverſia eſt penes ly *inſtituta in ſacramentum deletivum originalis parvulorum*, in quo contra nos ſtant Auctores mox relati *num.2.* pro nobis verò alij, & hi multò plures, relati *num.3.* quibus addo D. Thomam ibi omiſſum,

omiſſum, quia ab utriſque Auctoribus pro ſua opinione citatur; ab Adverſarijs quidem ex eo, quòd infrà *quæſt.* 63. *art.* 6. *ad* 3. habet *Circumciſio ſicut & alia ſacramenta veteris legis erat ſolùm ſignum fidei juſtificantis*, hocque magis explicans *quæſt.* 79. *art.* 4. *in c.* ait *In circumciſione conferebatur gratia non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti* (& poſt pauca recitatis verbis Apoſtoli *Rom.* 4. appellantis Circumciſionem ſignaculum juſtitiæ fidei, habet) *quia ſcilicèt juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante*.

6. *D. Thomas ſtat pro circumciſione inſtituta etiam ad delendum originale.*

Nihilominus cum utrobique S. Doctor ſtatuat, aut ſupponat, quòd in Circumciſione remittebatur originale, & conferebatur gratia, melius omnibus conſideratis aſſeritur pro noſtra ſententia, & verba adducta pertinent ad modum, quo circumciſio gratiam contulerit, & ad quæſtionem *ſeq.* 5. diſcutiendam; nec faciunt contrà nos difficultatem ullam in quæſtiune præſenti, pro qua ſufficit nobis circumciſionem fuiſſe inſtitutam ad delendum originale & conferendam gratiam, quod ut jam dixi, & ob oculos habebit quiſquis textum perlegerit, expreſsè habet S. Doctor locis citatis, & magis etiam ad intentum noſtrum accedendo tradiderat *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. docens Circumciſionem primò & principaliter fuiſſe neceſſariam ad expreſſiorem ſignificationem ablationis originalis peccati. Jure igitur reliquis præfixi aſſerti Patronis addimus D. Thomam, cujus mox commendata auctoritas eſſe poteſt felix præludium ad majorem, quam ſubjicio, ejuſdem aſſerti probationem.

7. *Pro circumciſione ſic inſtituta ſtamus & nos.*

Probatur. Circumciſio in lege ſcripta fuit neceſſaria parvulis maſculis ad ſalutem, at non fuit his neceſſaria, niſi ut ſacramentum deletivum originalis ipſorum, nec potuit eſſe ſacramentum originalis deletivum, niſi ut tale fuerit à Deo inſtituta; ergo Circumciſio fuit à Deo inſtituta in ſacramentum deletivum originalis parvulorum (ſubintellige Maſculorum) & quia ſub hac ratione habet ritum magis determinatum, quam haberet remedium legis naturæ, & ex alia parte fuit etiam inſtituta in ſignum populi diſtinctivum, ut omnes fatentur & obiter conſtabit ex dicendorum progreſſu, conſequens eſt circumciſionem & remedium legis naturæ differre non ſolum in eo, quod illa ſit inſtituta in ſignum &c. Minor vix videtur pati difficultatem, quia ex una parte circumciſio non potuit eſſe parvulis neceſſaria, aut neceſſitate præcepti, aut ad tollendum ſalutis impedimentum aliud ab originali; cum nec aliud impedimentum haberent, nec eſſent capaces præcepti: ex alia parte ſi erat neceſſaria titulo delendi originale, erat igitur originalis deletiva & collativa ſanctitatis, quod habere non poterat, niſi ex divina inſtitutione; & cum ei non deeſſet ratio ſigni ſenſibilis, nihil deerat ad rationem ſacramenti, ſeu ad hoc quod eſſet in ſacramentum originalis deletivum inſtituta. Major probatur *ex*
8. *Gen. n.* 17. verbis illis *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit*, ubi tria ſunt obſervanda: Primum eſt, quod ly *Maſculus* vel debet unicè referri ad parvulos juxtà interpretationem ſeptuaginta Interpretum & plurium Sanctorum Patrum in ly *cujus præputij caro circumciſa non fuerit* ſubintelligentium *octavo die*, & exiſtimantium hoc inferri ex contextu verborum præcedentium *Infans octo dierum circumcidetur*; vel certè non debet ad ſolos adultos limitari, cum nulla prorſus occurrat ratio talis limitationis. Secundum eſt, quod ly *delebitur anima illius de populo ſuo* nec poteſt congruè intelligi de morte corporali, cum nunquam incircumciſis, ſive parvulis, ſive adultis, fuerit præcisè ob non adhibitam circumciſionem impoſita pœna mortis corporalis; neque item de ſola legali ſeparatione & temporali expulſione à cœtu populi fidelis, in primis quia hæc ipſa temporalis ſeparatio eſt argumentum ſeparationis æternæ ab eodem populo in alia vita; deinde juxtà phraſim Scripturæ *Gen.* 25. 35. *&* 49. *apponi ad populum ſuum* eſt adſcribi ad cœtum Sanctorum in alia vita; conſentaneè igitur *deleri de populo ſuo* ſignificat etiam ab eodem cœtu in alia vita excludi. Tertium eſt, quòd ly *Quia pactum meum irritum fecit* quamvis ex contextu capitis ſignificet pactum circumciſionis, quod parvulus dicatur irritum feciſſe quaſi paſſive, quatenus non habuerit ipſum in ſe executioni mandatum; ſi tamen, ut commodè poteſt, ſimul ſignificet pactum cum Adamo initum, quod parvulus magis propriè irritum in ſe fecit, quatenùs in Adamo peccavit, infertur immediatè quod ly *deleatur anima de populo* importet etiam comminationem damnationis æternæ; hæc enim eſt, quæ incurritur propter irritationem pacti cum Adamo initi, ſeu propter contractionem originalis. Ecce quo-
modò textus *ex Gen.* 17. deſumptus, quamvis 9.
variè à varijs intelligatur, expoſitione tamen accommodatiſſima quoad omnes ſuas partes favet aſſertæ veritati; quæ inſuper ſicut & tota prædicti textus expoſitio validiſſimè confirmatur ex Cap. *Majores* de Baptiſmo, ubi Innocentius III. ait *Baptiſma circumciſioni ſucceſſit*, deinde verba Gen. 17. *Maſculus cujus præputij caro circumciſa non fuerit*, &c. comparat verbis Chriſti Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit*, &c. Poſteà ſubdit quod *Originalis culpa remittebatur per Circumciſionis Myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cœlorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum*: quo toto diſcurſu vix quidquam clarius proferri poteſt ad probandam præſertim *ex Gen.* 17. circumciſionis neceſſitatem ad ſalutem, & ſimul ejus inſtitutionem ad remiſſionem originalis parvulorum.

Dices hæc omnia nimis probare, & qua ra- 10.
tione non nimis probant, procedere de circumciſione materialiter, quatenus ex Hebræorum conſuetudine per ipſam applicabatur remedium legis naturæ, non de eadem formaliter, & quatenùs ex divina inſtitutione erat ſacramentum à remedio legis naturæ diverſum: Primum probatur ex eo, quòd tum textus deſumptus *ex Gen.* 17. tum multò magis auctoritas Innocentij III. circumciſionem baptiſmo

&c,

& verba *Gen.* 17. verbis *Io.* 3. comparantis, procedunt de adultis æquè ac de parvulis, & tamen pro adultis circumciſio non erat ad ſalutem neceſſaria, niſi neceſſitate præcepti; non erat inſtituta in ſacramentum deletivum originalis, cujus remedium adulti, ſicut in lege naturæ, ita in lege ſcripta, habuerunt ſolum ex proprijs actibus, non ex aliquo ſacramento. Secundum ſuadetur & explicatur, quia cum ex una parte præcedentibus auctoritatibus aliquid concedendum ſit, ex alia parte dentur auctoritates aliæ vehementer ſuadentes inefficaciam & inutilitatem circumciſionis ad gratiam conferendam, ejuſdemque inſtitutionem ſolùm ad diſtinguendum populum, non videtur poſſe utrumque ſaluari aliter, quam dicendo hoc poſterius procedere de circumciſione ſumpta formaliter, illud prius de eadem ſumpta materialiter; quatenùs Iſraëlitæ ex Abrahæ genere propagati videntes ſibi impoſitum in ordine ad parvulos maſculos duplex præceptum; alterum eos circumcidendi in ſignaculum populi fidelis, alterum eiſdem applicandi remedium legis naturæ in remiſſionem originalis; ex quadam conſuetudine, & tacita conſenſione, ac quaſi conventione, implebant regulariter utrumque præceptum eadem actione, & circumciſioni conjungebant remedium legis naturæ, aſſumendo illam tanquam exteriorem proteſtationem fidei requiſitam ad originalis remiſſionem, pro qua potuiſſent aliam exteriorem actionem aſſumere, ſicut aliam aſſumebant ad applicandum remedium fœminis, imò & maſculis decedentibus antè octavum diem. Sed contrà:

Circumciſio non fuit ſacramentum pro adultis eodem modo, quo pro parvulis; nec habuit parem pro utriſque neceſſitatem.

11. Ad primum dico juxtà præmemoratam ſeptuaginta Interpretum, & plurium Sanctorum Patrum, intelligentiam textum ex Geneſi deſumptum, & conſequenter auctoritatem Innocentij tali textu utentis, ad ſolos parvulos referri; abſtrahamus tamen ab hoc, & permittamus extendi ad adultos, non ideò neceſſe eſt quod de ijs procedat eodem modo, quo de parvulis, cum præcipuè, nec quoad baptiſmum ſit eadem prorsùs pro utriſque ratio, & par neceſſitas: Concedo igitur circumciſionem fuiſſe adultis neceſſariam ſolùm neceſſitate præcepti, quod ſufficientiſſimum eſt ad verificanda in toto ſenſu ſupra inſinuato verba illa *Delebitur anima illius* &c. cum tranſgreſſio præcepti ſit ſufficientiſſima ratio æternæ damnationis: Concedo item pro adultis circumciſionem fuiſſe ſolùm inſtitutam in ſacramentum diſtinctivum populi fidelis, & ſignificativum gratiæ futuræ ex vi baptiſmi in lege nova; at hinc non infertur idem ſentiendum eſſe de parvulis; pro quibus major eſt, quàm pro adultis ſacramenti ad originale remittendum neceſſitas; & pro quibus etiam in aliquo majori rigore, quam pro adultis, ſucceſſit circumciſioni baptiſma, ſeu datur inter circumciſionem & baptiſma proportio.

12. Ad ſecundum, quo Lugus *præcit. ſec.* 3 *numero* 40. putat ſe utramque in præſenti controverſia ſententiam complecti, re ipſa tamen ſolùm primam amplectitur: Ad ſecundum dico gratis ſupponi illam humanam, aut conſuetudinem, aut conventionem, de differendo ſemper originalis remedio uſque ad octavum diem, eoque conjungendo cum circumciſione; & licet potuerit id fieri, non conſtare quòd fuerit regulariter factum; multóque minus ſufficere ad comminationem, & pœnam damnationis in parvulis, in quibus factum non fuiſſet, quoties non ſupponatur id fuiſſe neceſſarium ex inſtitutione Dei collocantis in circumciſione remedium originalis parvulorum maſculorum ex Abrahamo deſcendentium: Lugi igitur doctrina, & explicatio, nec ullo poſitivo nititur fundamento, nec ſatisfacit noſtris auctoritatibus, quibus ipſe vult aliqualiter favere, & conciliationem cum illis Adverſariorum afferre; imò neque iſtis plenè conſonat, quia iſtæ maximè negant circumciſionis utilitatem, at non poteſt hanc negare Lugus, dum concedit circumciſionem materialiter, & quatenus adhibetur ut actio fidei proteſtativa, valere ad remittendum originale, & conferendam gratiam, quemadmodum magis urget Arriaga *præcit. ſec.* 3. *num.* 13. & 14.

Superſunt directè expediendæ auctoritates ab Adverſarijs afferri ſolitæ, & ad tres claſſes reduci poſſunt. Prima claſſis eſt earum, quibus univerſim negatur antiquæ legi, ejuſque Sacramentis, vis juſtificandi; ſic *Roman.* 3. habetur *ex operibus legis non juſtificatur omnis caro coram illo* & ad Galat. 3. *In lege nemo juſtificatur apud Deum*; Sic item antiqua Sacramenta *ad Galat. quarto*, appellantur *infirma & egena elementa*, & ad Coloſſ. 2. *Vmbra futurorum*; undè etiam Concilium Florentinum *in decreto de unione Armenorum* de antiquæ legis Sacramentis ait *Non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant*, & Tridentinum *ſeſſion. ſeptima, canon. ſecundo*, anathematizat dicentem *novæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ & alij ritus externi*, planè autem alio modo non differrent, ſi antiqua gratiam contuliſſent ſicut nova, nec iſta habuiſſent majorem gratiæ ſignificandæ efficaciam, ut fuit error Lutheri, quem Tridentinum eo canone damnare intendit, quemadmodum obſervat Bellarminus *præcitat. libro ſecundo, capite duodecimo*, Secunda claſſis eſt eorum, quibus de circumciſione ſingillatim traditur; quòd fuerit Iudæis prorsùs inutilis ad juſtificationem & ſalutem, ſic 1. *Cor. ſeptimo*, dicitur *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt* & ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis?* & licèt Apoſtolus ſibi ipſi reſpondeat, *Multum per omnem modum*: Addendo tamen *Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia*, aſſignat tanquam unicum, aut certè præcipuum circumciſionis fructum contentum in ly *Multum per omnem modum*, quòd per Circumciſionem credita ſint Iudæis Dei eloquia, non eſſet autem hic præcipuus, multóque minus unicus, circumciſionis fructus, ſi per eam haberetur juſtificatio; contrà quam etiam facit, quòd idem Apoſtolus *ſeq. capite* 4. *ad Roman.* tradit Abrahamum, qui primus circumciſionem accepit, fuiſſe juſtificatum at non per circumciſionem. 13.

Auctoritates ab Adverſarijs afferri ſolitæ reducuntur ad tres claſſes.

Prima claſſis.

Secunda claſſis.

EEee Tertia

14. Tertia claſſis. Tertia claſſis eſt earum, quibus circumciſio perhibetur inſtituta ad ſolam diſtinctionem populi fidelis & ſignificationem ſpecialis fœderis inter Deum & talem populum; ſic *Gen.* 17. circumciſionis inſtitutio deſcribitur, & *Rom* 4. ad eamdem alluditur, nulla facta mentione ordinationis in remedium originalis, in ſacramentum juſtificans; ſed ſolùm *in ſignum fœderis: In fœdus æternum: In ſignaculum juſtitiæ fidei.* Singulis his auctoritatum ex Scriptura claſſibus accedunt in ſubſidium totidem, eæque copioſiores claſſes auctoritatum ex Sanctis Patribus, quorum inſigniora teſtimonia recitat Suarez *præcit. ſec.* 1. & plura etiam Bellarminus *præcitat. lib duodecimo, capite* 15.

His omnibus multi, ut calamo parcant, conantur afferre aliquam communem univerſalemque reſponſionem ſeu explicationem; at facilè quælibet impugnatur, tanquam vel alicui peculiari auctoritati non accommodata, vel aliundè non ſubſiſtens; unde ſex hujuſmodi reſponſiones refert, & refutat Lugus *diſput.* 5. *ſec.* 2. Expedit propterea minùs parcère calamo, & recurrendo ſingula, propriam cuilibet, & tum verborum contextui conſonam, tum alijs titulis ſufficientem, ſolutionem adhibere:

15. Occurritur primæ auctoritatum claſſi: Ad primam igitur auctoritatum claſſem (præter quòd poteſt tota retorqueri contrà remedium legis naturæ, utpotè quod præſertim pro fœminis fuit ſacramentum etiam vigens in lege ſcripta, & ut *num.* 1. attigimus bène venit nomine antiquorum ſacramentorum, & tamen etiam ab Adverſarijs ferè omnibus conceditur fuiſſe collativum gratiæ, & deletivum originalis) quatenùs negat legi vim juſtificandi, procedit de lege & ejus operibus conſideratis ſine ſpiritu fidei, & ſine habitudine ad Chriſti merita; & redarguuntur Judæi plus æquo jactantes efficaciam operum ſuæ legis: Quatenùs antiqua ſacramenta appellat infirma & egena elementa, umbram futurorum; ſi comprehenditur circumciſio, ut videtur maximè comprehendi *ad Galat. quarto*, procedit relatè ad adultos, non relatè ad parvulos: & prætereà eſſe umbram futurorum, ſeu gratiæ futuræ, non excludit conferre gratiam de præſenti, ſed denotat gratiam non eſſe in tali ſtatu conſummandam per introitum gloriæ, ſubrogandumque eſſe ſtatum perfectiorem, in quo inſtituantur clariora ſigna gratiæ uberioris, & illicò poſt obitum conſummandæ; Concilia Florentinum & Tridentinum loquuntur de Sacramentis, vel pariter relatè ad adultos, quibus per nos neque circumciſio, neque originalis remedium, gratiam confert; vel (& melius) ſumptis collectivè, & ſenſus Florentini eſt, quòd non omnia antiqua ſacramenta cauſabant gratiam, ſicut hanc cauſant omnia nova: ſenſus Tridentini, quòd non omnia antiqua differant ab omnibus novis præcisè per hoc, quòd ſint cæremoniæ aliæ, & alij ritus; ſed per hoc quoque, quòd omnia nova cauſent gratiam, non omnia antiqua; qua ratione damnatur directè error Lutheri facientis ſacramenta antiqua paria novis eo quòd in iſtis omnibus neget gratiæ cauſalitatem.

Ad ſecundam claſſem, quatenùs abſolutè dicit circumciſionem nihil eſſe, refertur ad tempus, quo poſt Chriſti mortem jam fuerat promulgata nova lex, & abrogata antiqua; ſenſus ſcilicet eſt, quòd poſt inductum chriſtianiſmum, neque circumciſio Judæis, neque remedium legis naturæ Gentilibus quidquam proſit ad ſalutem, ſicut idem eſt ſenſus illorum verborum ad Galat. 5. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium:* Quatenùs deindè Apoſtolus *Roman. tertio.* interrogando ait *Quid amplius &c.* refertur quidem ab aliquibus ad idem tempus Chriſti morte poſterius, & ly *Quid amplius? Quæ utilitas?* &c. cenſetur idem ſonare, ac nihil ampliùs, & nulla utilitas Judæo ex circumciſione poſt Chriſti mortem, & novam legem promulgatam, permanſit; conformiùs tamen tum ad verba præcedentia *capite ſecundo*, quibus comparantur Judæi Gentilibus, & dicitur quod obſervando mandata ſaluari poterant Gentiles in præputio æquè, ac Judæi in circumciſione, tum ad verba immediatè ſubſequentia, quibus dicitur *Multum per omnem modum* Judæo circumciſionem prodeſſe; conformiùs, inquam, ad hunc antecedentium & ſubſequentium verborum contextum non eſt facienda limitatio ad tempus novæ legis, ſed loquendo etiam antè Chriſti adventum, intentum Apoſtoli eſt increpare Iudæos nimium extollentes circumciſionem ſuprà præputium, ideò poſt factam *cap.* 2. utriuſque comparationé, incipit caput tertium dicens *Quid amplius* &c. nimirùm, Quid magis prodeſt Iudæis circumciſio, quàm Gentilibus præputium? Quæ major, in illa, quàm in iſto, utilitas? multum quidem prodeſt, & valdè major eſt utilitas; at ſolùm in eo, quod circumciſis, non reliquis, credita ſint Dei eloquia & tradita ſcripturæ documenta; non verò in eo, quod circumſio proſit ad ſalutem & juſtificationem magis, quàm remedium legis naturæ, & ſoli circumciſi ſaluari poſſint, habentes præputium non item. Breviter igitur *Rom.* 3. negatur circumciſioni in lege ſcripta ad juſtificationem & ſalutem utilitas, non abſoluta, ſed comparativa & major quàm eſſet in remedio legis naturæ; quod totum & nos ſentimus. Auctoritas, quæ objiciebatur ex *Rom. quarto*, nullam habet difficultatem in noſtris principijs, quibus non tribuimus circumciſioni vim ullam conferendi gratiam adultis; erat autem adultus Abraham, quando fuit circumciſus, ideò &c. 16. Occurritur ſecundæ claſſi:

Ad tertiam claſſem dico eo loco Geneſis fieri quidem expreſſiorem mentionem circumciſionis ad populum diſtinguendum, quam 17. Occurritur tertiæ claſſi. ad originale delendum inſtitutæ; non tamen hoc ſecundum omninò reticeri, continetur enim illis ejuſd. *cap. decimiſeptimi*, verbis *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur &c.* Prætereà in eo ipſo, quod circumciſio dicitur ſignum fœderis: ſignaculum juſtitiæ fidei, exprimitur circumciſionem eſſe in genere ſigni, & quidem ſacri, quod eſt eſſe in genere ſacramenti; ut igitur

Digitized by Google

igitur ſit in ſpecie ſacramentum deletivum originalis ſatis eſt, quòd aliundè conſtet ei convenire originalis deletionem. Convenienter autem fuit facta expreſſior mentio ſignificandi fœdus & pactum divinum, quàm ſignificandi gratiam remiſſivam originalis; quia prior ſignificatio erat propriiſſima legis ſcriptæ, in qua ſola cœpit haberi; ſignificatio poſterior erat communis legis naturæ, in qua præceſſerat, & per circumciſionem in lege ſcripta cœpit haberi ſolùm quoad majorem determinationem, non ſimpliciter. Tandem etiamſi eo loco Geneſis nulla fieret ne quidem implicita mentio circumciſionis inſtitutæ ad delendum originale, dum iſte finis non excluditur, nec inſtitutio ad ſignificandum fœdus & diſtinguendum populum ponitur cum aliqua particula taxativa, & reſtrictiva ad talem præciſè ſignificationem, auctoritas remanet purè negativa; adeóque non efficax pro Adverſariorum intento.

18. Sic expoſitis auctoritatibus ſcripturæ neceſſe non eſt in medium proferre exprimendo teſtimonia Patrum iiſdem auctoritatibus reſpondentia; facilè enim quiſque dignoſcet ad cujuſnam prædictarum claſſium ſubſidium ſingula accedant, ac per conſequens quænam prædictarum expoſitionum ſingulis Sanctorum Patrum teſtimoniis accommodatior ſit & opportunior.

Procedamus jam ad ſecundam præfixi tituli partem, eamque expediamus variis dubiis inſervientibus etiam ad majorem confirmationem ac notionem aſſerti jam poſiti, & ſignanter continentibus, in quonam præciſè conſiſtat modus delendi originale magis determinatus in circumciſione; quàm in remedio legis naturæ? Cur circumciſio fuerit inſtituta in originalis remiſſionem, quamvis non potuerit applicari fœminis, & non debuerit applicari Maſculis ante octavum diem, nec fuerit applicata in deſerto per quadraginta annos natis; ex quibus etiam capitibus Adverſarii putant incongruam, & malè aſſertam, circumciſionis inſtitutionem in remedium originalis.

19. Dubitatur primò: In quonam præciſè, aut ſaltem præcipuè, differat in ordine ad delendum originale ritus & modus circumciſionis à ritu & modo remedii legis naturæ? Reſpondetur differre præcipuè ratione materiæ, ſeu actionis exterioris, quæ pro circumciſione erat determinata à Deo in ſpecie, erat ſcilicet abſciſſio præputii, in remedio legis naturæ, erat determinata à Deo ſolùm in genere *ex cap. præced. num.* 34. relinquebatur verò determinanda in ſpecie à Republica, ſeu ab Eccleſia, nec ſufficiebat privata auctoritas cujuſlibet, quia per talem actionem debebat fieri proteſtatio fidei publica & Eccleſiæ innoteſcens; debebat igitur eſſe ſignum publicum, & actio ad talem proteſtationem ſignificandam ordinata à Republica; de facto cenſetur fuiſſe pueri ad Deum oblatio, aut Dei ſuper puerum invocatio aut verbis aut nutibus facta; Potuiſſet tamen ad id ſtatui aliqua alia actio valdè diverſa, puta præputii abſciſſio, qualem deindè Deus ipſe Judæis præſcripſit; aut pueri ablutio, ut nunc fit in baptiſmo. Aderat inſuper in remedio legis naturæ indeterminatio alia, ſcilicet temporis; nec ulla erat neceſſitas illud applicandi octavo die, ſicut fuit pro circumciſione; & quamvis non expediret morari diù, ne interim periclitaretur pueri ſalus, abſolutè tamen poterat non ſolùm octavus dies non expectari, ſed & ultrà octavum diem differri.

Circumciſio à remedio legis naturæ differt præcipuè ex parte materiæ magis determinatæ.

20. Dubitatur ſecundò: Utrum, tum remedium legis naturæ, tum circumciſio, potuerint à quocumque indiſcriminatim applicari? Reſpondetur affirmativè quoad validè: ratio eſt, quia ex una parte tum remedium legis naturæ, tum circumciſio ſunt ſacramenta neceſſitatis, ſicut baptiſmus, qui ut neceſſitati conſulatur poteſt à quolibet validè applicari, ex alia parte nec reſpectu remedii legis naturæ, nec reſpectu circumciſionis, cujus ritus eſt determinatior, invenitur aliquid ſingillatim ſtatutum de determinato Miniſtro; & licèt de parvulis in lege naturæ dici ſoleat, quòd ſalvabantur in fide Parentum, ex quo videtur quaſi traditione conſtare, quòd actio fidei proteſtativa eſſet illis applicanda à Parentibus, aut certè à propinquioribus Parentum vicem gerentibus, hoc tamen procedit ad ſummum quoad applicationem convenientem & licitam, non quoad validam; ratio eſt quia filii nondum adulti, ſicut quoad corpus, ita & quoad animam, convenientiùs reguntur à propriis Parentibus, quam ab extraneis; & ſicuti illicitè, quamvis validè, baptizantur infidelium filii Parentibus invitis, eo quia ſi poſtea relinquantur ſub patria poteſtate, exponuntur manifeſto periculo perverſionis à fide ſuſcepta; ſi ad hoc vitandum ab illa extrahantur fit Parentibus injuria; ita propter eandem rationem, ut magis explicat Lugua *diſp.* 1. *ſec.* 2. *num.* 36. idem proportionaliter ſentiendum, tum de remedio legis naturæ, tum de circumciſione: In hac porrò ſpeciale eſt, quod adhiberi potuerit à ſe ipſo ſibi, ut de Abrahamo legitur *Gen.* 17. at tunc conſiderabatur ut inſtituta, non in remiſſionem originalis, ſed in ſignaculum fœderis, quia certe parvulis adhiberi non poterat niſi per alium; per nos autem ſolùm pro parvulis erat inſtituta in remiſſionem originalis.

Utrumque Sacramentum poterat validè miniſtrari à quolibet.

Et circumciſio, quamvis non in originalis remiſſionem poterat adhiberi etiam à ſe ipſo ſibi.

21. Dubitatur tertio: Qualis nam fuerit fides neceſſaria ac requiſita in applicante remedium originalis? Duæ ſunt ſub hoc dubio ſententiæ extremæ: Prima requirit in applicante, ſeu in Miniſtro, fidem non ſolùm actualem & explicitam Chriſti venturi, ſed etiam charitate formatam & in juſto repertam; ita Vaſquez *diſputatio.* 165. *capite quarto.* Fidem etiam formatam requirit Durandus *in* 4. *diſtinct.* 1. *quæſtio.* 8. *numero ſeptimo*, at putat ſufficere, quod reperiatur in corpore Eccleſiæ, quamvis non in Perſona miniſtri. Secunda non ſolùm non requirit fidem formatam, ſed nec requirit fidem propriè dictam ſive in perſona Miniſtri ſive in corpore Eccleſiæ; ſed contenta eſt fide objectiva & valdè implicita, contenta in voluntate ſeu intentione faciendi quod Deus inſtituit, & quod vera Eccleſia faceret; ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 5. Sotus

diſt. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. & ex Recentioribus Suarez *hic diſp.* 10. *ſec.* 1. §. *Dico ſecundò.* Amicus, *diſp.* 3. *ſec.* 2. *num.* 82. inter hos ſententias mediant Lugus *diſput.* 3 *ſec.* 2. *num* 40. Arriaga *diſput.* 8. *ſec.* 5. *num.* 32. & 35. Madernus *quæſtio.* 1. *artic.* 3. aliique plures, quos ſequor

22.

Ad remedium legis naturæ non requirebatur fides formata, benè tamen fides propriè dicta, nec ſuffi ciebat intentio faciendi, quod Deus inſtituit.

primò, quia ex ſententijs extremis prima reddit nimis arduum & nimis incertum remedium legis naturæ; nec pro ſe habet poſitivum alicujus momenti fundamentum, & quatenùs forte fundatur in eo, quod remedium illud ex applicantis, aut ex Eccleſiæ, merito conferret gratiam, falſo nititur ſuppoſito: Secunda reddit idem remedium nimis facile, & ſupernaturalem Dei providentiam magis favorabilem parvulis legis naturæ, quam parvulis legis gratiæ, nec ſatis cohæret communi modo loquendi Sanctorum Patrum apud Lugum *præcitat. numero quadrageſimo*, tribuentium fidei juſtificationem parvulorum in lege naturæ, quomodo enim venire poteſt nomine fidei intentio faciendi &c. quæ vix ullam habet cum fide affinitatem, & in quolibet infideliſſimo barbaro poteſt reperiri? aut quomodo dici poteſt applicare ſuam fidem parvulo is, qui intentionem illam habet, nullam verò fidem? Secundò quia ſententia media meliùs ſalvat in remedio legis naturæ rationem ſacramenti, meliùs quidem, quàm extremarum prima, quia ratio ſacramenti meliùs relucet in eo, quod confert gratiam ex opere operato, ex voluntate ſcilicet aut merito inſtituentis, quàm in eo, quod confert ex opere operantis, ex merito ſcilicet miniſtrantis aut ſuſcipientis: Meliùs item quàm extremarum ſecunda, quia hæc tantam relinquit indeterminationem in remedio legis naturæ, ut vix poſſit in eo aſſignare aliquid determinatum habens rationem ſigni ſacri & religioſi, quod tamen benè relucet in ſigno proteſtativo veræ fidei: Utrum deindè hæc fides debuerit eſſe ſupernaturalis; item terminata ad Chriſtum Mediatorem ac Redemptorem? an ſufficiens fuerit naturalis, item terminata præcisè ad Deum ut noſtræ remunerationis & remiſſionis peccatorum Auctorem: Res eſt valdè incerta:

23.

Verùm talis fides debuerit eſſe ſupernaturalis & in Chriſtum: res eſt magis incerta.

Propendent ad ſufficientiam fidei naturalis Lugus *præcitat. ſec. ſecunda, numero quadrageſimoſexto*, & Arriaga *præcit ſec.* 5. *numero* 34. Quoad ſufficientiam fidei terminatæ præcisè ad Deum Arriaga *ead. ſec. numero* 31. dubius eſt, affirmare videtur Madernus *præcit. articul.* 3. *numero* 7. Quidquid ſit de primo, de quo pauci admodùm loquuntur; nec quidquam invenio de Sanctorum Patrum mente; quoad ſecundùm non facilè requirerem explicitam in Chriſtum fidem, cum enim in tractatu de virtut. Theolog. *libro primo, capite ſexto, numero nonageſimoſexto*, probabilius cenſuerim, quod explicita in Chriſtum fides nec ſit, nec unquam fuerit neceſſitate medij neceſſaria adultis ad ſalutem propriam, videretur inconſequenter dici, quod fuerit in illis neceſſaria ad ſalutem parvulorum; ut tamen neceſſaria fuiſſet, quoties ſine ea non potuiſſet parvulis applicari remedium originalis.

Saltem de ſecundo videtur negandum.

Dixi me probabilius cenſuiſſe, quòd *explicita in Chriſtum fides nec ſit, nec unquam fuerit, neceſſitate medij neceſſaria ad ſalutem*: Non enim omninò abſolutè id docui, ſed ſolũ tanquàm magis pium & magis conforme rationi agnoſcendo ſimul ſuam, præſertim ab auctoritatibus deſumptam, probabilitatem in ſententia oppoſita, cui fortè quis exiſtimabit nonnihil favere, quod ſexageſima quarta propoſitio ex nuper damnatis ab Innocentio XI. ſub die 2. Martij Anni 1679. ſic habeat. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.* Nihilominus in hac propoſitione ly *Quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum fidei* ſic univerſaliter & indefinitè poſitum excludit etiam fidem tum explicitam Dei exiſtentis & remuneratoris, tum implicitam Trinitatis & Incarnationis; quæ utraque à nobis ſimpliciter affirmatur adultis neceſſaria neceſſitate medij ad juſtificationem etiam in ſacramento, quod eſt idem ac diceta ad capacitatem abſolutionis. Quod in eadem propoſitione additur *etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſteriũ Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis*, non ſolùm per ly *neſciat* abſolutè poſitum excludit pariter omnem Trinitatis & Incarnationis fidem etiam implicitam, ſed inſuper ſupponit utriuſque ignorantiam culpabilem, cum qua ut quis ſit incapax ſacramentalis abſolutionis, ſufficit ſi illud quod ignorat ſit neceſſarium neceſſitate præcepti, ut per nos neceſſaria maximè eſt fides Trinitatis & Incarnationis etiam explicita: ſufficit, inquam, ſi &c. Certè enim qui eſt in ignorantia culpabili, adeòque peccaminoſa, alicujus quod tenetur ſcire ſeu credere, quamvis teneatur ſolùm ex neceſſitate præcepti, non eſt capax abſolutionis, niſi talem ignorantiam deponat, & quatenùs culpabilem retractet: Ipſe quoque Confeſſarius tenetur hujuſmodi pœnitentem, antequam ſacramentaliter abſolvat, inſtruere, & ab eo prædictorum Myſteriorum fidem exigere: Salvo igitur meliori judicio, cui ſemper paratus ſum adhærere, independenter prorsùs ab eo, quod fides explicita Incarnationis neceſſaria ſit neceſſitate medij, necne? jure optimo damnatus eſt qui dixerit, *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis &c.*

Dubitatur quarto: Utrum in applicante circumciſionem fuerit neceſſario eadem fides, quæ in applicante remedium legis naturæ, an ſufficerit intentio faciendi, quod intendebat ſeu faciebat verá Eccleſia? Peculiaris ratio dubitandi deſumitur ex Auguſtino *libro primo, contra Creſconium capite trigeſimoprimo*; docente circumciſionem à Samaritano, ſeu ab infideli factam, fuiſſe validam & non iterandam; ſicut nunc validus eſt & non iterandus baptiſmus collatus ab hæretico, aut Pagano. Reſpondetur circumciſionem fuiſſe inſtitutam tum ad remittendum originale, tum ad diſtinguendum populum; ut ſumpta ſecundo modo, erat contéta in intentione faciendi quod faciebat Eccleſia, neque enim ad ipſam taliter ſumptam

24.

Quomodò, & quando circumciſio requirat in Miniſtro eãdem fidem, quam remedium legis naturæ.

ſumptam invenitur requiſita à Patribus fides; ut ſumpta primo modo, requirebat fidem propriè dictam, ſicut remedium legis naturæ; non quia applicata ſine fide deberet iterari, nam nec moraliter poterat, ſed quia in ordine ad remiſſionem originalis erat ſupplenda per remedium legis naturæ, in ordine ad diſtinctionem populi alio ſupplemento non indigebat, & quocumque modo fieret lex manebat impleta, quamvis ſi fuiſſet facta etiam ſine intentione faciendi, quod faciebat vera Eccleſia, neque etiam ut ſignaculum populi diſtinctivum habuiſſet rationem ſacram. Porrò Auguſtinus *præcitat. cap.* 31. quatenùs docet circumciſionem ab infideli factam non eſſe iterandam; quocumque modo intelligatur, nil refert ad rem præſentem, quia provenit ex eo quod non ſit iterabilis; ſufficit nobis Auguſtinum nullibi docere, ut verè nullibi docet iterandum pariter non fuiſſe remedium legis naturæ, quando fuiſſet ab infideli applicatum; quatenùs inſuper dicit eam circumciſionem eſſe validam, ſicut eſt validus baptiſmus ab infideli collatus, loquitur de circumciſione ſumpta ſecundo modo, & ut inſtituta ad diſtinguendum. Si quæras, Cur baptiſmus, etiam ut inſtitutus in remiſſionem originalis, ad ſui validitatem non requirat in Miniſtro fidem? hanc verò requirat tum circumciſio ut in eandem remiſſionem inſtituta, tum remedium legis naturæ. Reſpondebitur rationem congruentem eſſe, quia in lege gratiæ remiſſio originalis debebat eſſe facilior quam in lege naturæ aut ſcripta; at fundamentum ſolidius habetur ex auctoritate Patrum docentium parvulos in lege naturæ & ſcripta fuiſſe juſtificatos in fide Parentum, non ſic idem docentium pro lege gratiæ, ſi qui verò Sancti Patres ab Adverſariis præſumuntur id docuiſſe, illegitime aut referuntur aut intelliguntur; ut expendit Lugus *præcitat. ſec.* 2. *numer.* 54. & 55.

25.
Cur talem in Miniſtro fidem non requirat baptiſmus.

26.
Circumciſio antè octavum diem nunquam fuit licita.

Dubitatur quintò; utrùm licitè, aut ſaltem validè potuerit circumciſio applicari parvulis antè octavum diem? Quoad licitè affirmant Altiſiodorenſis 4. *ſumma, cap. de dignitate circumciſionis* & cum aliqua perplexitate Magiſter *in* 4 *diſt.* 1. in fine. Reliqui communiter negant, quia ex una parte certum eſt fuiſſe à Deo *Geneſ.* 17. præſcriptum ac præceptum octavum diem, & ex alia parte non apparet, quænam poſſet occurrere gravis & rationabilis cauſa eum præveniendi; nam morte imminente poterat ad conſulendum ſaluti applicari parvulo remedium legis naturæ, quod erat magis facile, magiſque expeditum, imò ſi mors fuiſſet imminens ex ægritudine erat maxima cauſa circumciſionis non adhibendæ ne circumciſione ipſa occideretur infans; ex hoc igitur capite, ſicut & propter communionem Scholaſticorum ſenſum, cenſeo nunquam potuiſſe parvulum aliquem licitè circumcidi antè octavum diem. Quoad validè Auctores ferè ex æquo dividuntur, & utraque contradictionis pars habet ſuam congruentiæ rationem, ut videre eſt apud Suarium *quæſt.* 70. *in comment. art.* 1. & Lugum *diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 82. In tali quaſi æquilibrio vix poſſum in unam potiùs, quàm in alteram partem propendere; lector igitur vel maneat mecum problematicus, vel ſentiat ut ſibi libuerit.

Utrum fuerit aliquando valida? Problematicum.

Dubitatur ſextò: utrùm validè, aut etiam licitè, potuerit circumciſio applicari parvulis poſt octavum diem? quoad validè pars affirmativa certa eſt ex eo, quod circumciſio validè applicaretur adultis; multo magis igitur parvulis octavum à Nativitate diem prætergreſſis: Nec refert, quod adultis per nos non applicaretur in remedium originalis; Non refert, inquam, quia gratis quis ſupponeret octavum diem fuiſſe magis neceſſarium ad valorem circumciſionis adhibendæ in remedium originalis ſimul & ſignaculum fœderis, quam ad valorem ejuſdem adhibendæ ſolùm ſecundo titulo. Quoad licitè, pars ſimiliter affirmativa loquendo in aliquibus particularibus caſibus ferè æquè certa eſt & receptiſſima; leges enim poſitivæ etſi divinæ, ut eſt lex circumcidendi octavo die, non ſolent obligare cum ingenti vitæ diſcrimine, ſine quo tamen non potuiſſet octavo die circumcidi parvulus eo die ægrotans, v. g. poterat igitur cauſâ ægritudinis, aliâve ſimili, circumciſio licitè differri ultra octavum diem; ſicut & in deſerto eò quod Judæi continuum iter agentes non poſſent parvulos circumcidere ſine magno ipſorum detrimento, licitum fuit ſpatio quadraginta annorum circumciſionem differre, & quidem ex interpretatione legis pro eo tempore non obligantis potiùs, quam ex divina diſpenſatione; cum nullibi fiat hujus diſpenſationis mentio, & *Joſuè* 5. Non aliam legamus incircumciſionis in deſerto cauſam, *niſi quadraginta annos itineris latiſſimi.* 27.

Poſt octavum diem fuit ſemper valida.

Et in aliquibus caſibus licita.

Dubitatur ſeptimò: Cur in lege ſcripta fuerit inſtitutum ſpeciale remedium originalis pro Maſculis? quamvis originale ſit & fuerit commune fœminis. Reſpondetur rationem haberi ex D. Thoma *quæſt.* 70. *art.* 2. *ad* 4 docente peccatum originale, quamvis maſculis fœminiſque commune, à Maſculo ſeu à Patre, non à fœmina ſeu à Matre trahi; ab Adamo non ab Eva in nos traduci; fuit igitur hinc pro Maſculis conveniens ſpeciale originalis remedium, & quidem pœnale ac doloriferum, qualis fuit circumciſio: Nec propterea fœminæ nondùm adultæ in lege ſcripta caruerunt originalis remedio; manſit enim pro ipſis ſacramentum legis naturæ, quod etiam per accidens applicari debebat parvulis Maſculis, quibus vel quia antè octavum diem periclitarentur, vel alia ex cauſa non poterat per circumciſionem ſubveniri; undè & ſupradicto ſpatio quadraginta annorum, ſi aliqui parvuli in deſerto perierunt, cenſendum eſt ipſis quoque applicatum fuiſſe legis naturæ ſacramentum; ſi inquam, aliqui perierunt, quia hoc incertum eſt, & in negativam partem inclinat D. Thomas *quæſtio ſeptuageſima, articul.* 4. *ad* 3. ductus tum verbis Pſalm. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus*, tum ex eo quod *Joſue* 5. quamvis expreſsè non dicatur nullum incircumciſum fuiſſe mortuum in deſerto, dicitur tamen *Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis maſculini mortui ſunt in deſerto, qui omnes circumciſi erant*; incluſio autem unius videtur excluſio alterius: & 28.

Quibuſnam in lege ſcripta remitteretur originale per ſacramentum legis naturæ.

Digitized by Google

33. *Tum circumcisio, tum remedium legis naturæ, conferebant gratiam parvulis ex opere operato.*

Aſſert. 2. Tum circumciſio, tum remedium legis naturæ, conferebant gratiam parvulis ex opere operato. Ità præſertim quoad circumciſionem (nam quoad remedium legis naturæ non omnes mox citandi conveniunt in eo, quod fuerit Sacramentum) Scotus *in 4. diſt.* 1. *quæſt.* 6. Gabriel *ead. diſt. quæſt.* 4. *art.* 1. Paludanus *quæſt.* 5. *art.* 4. Joannes a S. Thoma *diſput.* 24. *art.* 6. *dub. unic.* Gonetus *diſp.* 1. *art.* 2. *num.* 8. & plures alij cõtrà Suarium *diſp.* 10. *ſect.* 2. §. *Quocirca* Amicum *diſp.* 4. *ſect.* 1. Bellarminum *lib.* 2. *cap.* 14. & aliquos alios, qui tamen non ideò docent circumciſionem contuliſſe gratiam ex opere operantis, ſed potius modo quodam medio, qui propriè nec ex opere operantis ſit, nec ex opere operato. Eſt magis directè aſſertum contra eos, qui ſenſerunt in circumciſione fuiſſe juſtificatos parvulos per fidem Miniſtri circumcidentis, vel Eccleſiæ, in qua ſententia videtur fuiſſe D. Thomas propter auctoritates ex ipſo jam relatas *præced. num.* 5. quibus tamen exiſtimo nihil aliud evinci, quàm quòd talis fi-

34. *Quænam in hoc fuerit mens D. Thomæ.*

des eſſet in Miniſtro neceſſaria, ut nos ipſi admiſimus *præced. n.* 24. cum quo ſtat ipſam non habuiſſe rationem meriti & operis operantis in ordine ad gratiam, ſicut modò in noſtris Sacramentis eſt neceſſaria Miniſtri intentio, at non tanquam opus gratiam operans, etiamſi ſermo ſit de Baptiſmo, qui parvulo miniſtretur: Dici inſuper poteſt locis præmemoratis S. Doctorem ſumere fidem objectivè, & pro nobis potius, quàm contra nos ſtare, juxtà id quod ſcripſerat *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt* 2. *art* 6. *quæſtiuncul.* 1. *ad* 1. ubi de remedio, quod circumciſionem præceſſit, ait *fides aliena non juvabat, in quantum erat actus perſonæ, ſed ex parte illa, qua reſpiciebat objectum ſuum, ſcilicet Chriſtum quod erat medicina totius naturæ in quo habebat quandam ſimilitudinem cum ſacramentis noſtris, in quantum juſtificabat ex objecto quaſi ex opere operato, non autem ex opere operante,* & ibidem ad 3. aſſignans, cur puero ad delendum originale valeret fides Parentum, etiam informis? ſubdit *formatio & informitas fidei ſunt conditiones ejus ex parte operantis, non autem ex parte objecti.* Ecce quomodo Adverſarij in re præſenti immeritò pro ſe citant S. Doctorem; imò ecce obiter ejus auctoritate comprobatum noſtrum aſſertum, quod præterea,

35. Probatur: Circumciſio (eadem quoad hoc eſt ratio de remedio legis naturæ) conferebat gratiam parvulis non ex opere operantis, neque ex purâ liberalitate Dei ſe accommodantis neceſſitati & indigentiæ parvulorum; ſed ex Chriſti meritis; ergo circumciſio conferebat gratiam parvulis ex opere operato, & quidem ſumendo opus operatum in magis propria & rigoroſa ſignificatione, quâ ſupponit pro merito alieno: Probatur antecedens quoad primam partem; id cujus intuitu proximè & ultimò dabatur parvulis gratia in circumciſione erat interna fides Miniſtri & externa ejuſdem proteſtatio; circumciſio enim ut actio proteſtativa fidei originale remittebat, & ex parte parvulorum nullus prorsùs actus præcedebat, cujus intuitu gratia daretur; atqui neque interna fides Miniſtri, neque externa ejuſdem proteſtatio, ſe habebat ut opus meritorium gratiæ quæ parvulis dabatur; ergo talis gratia parvulis non dabatur, ſeu circumciſio gratiam parvulis non conferebat, ex opere operantis; conſequentia patet ex præmiſſa explicatione operis operantis; probatur minor quoad fi- 36.
dem internam, & manebit conſequenter probata etiam quoad proteſtationem externam, cum ex alibi dictis actus externus non habeat meritum diverſum à merito actus interni, cui correſpondet, probatur, inquam, minor quoad fidem internam, quæ certè non ſe habebat, ut opus illius gratiæ meritorium de condigno, quia nec pura creatura poteſt condignè mereri gratiam alteri, nec illa fides requirebat omnes meriti condigni conditiones cum non requireret in eliciente ſtatum gratiæ: Non item ſe habebat, ut opus illius gratiæ meritorium de congruo, quod maximè verum eſt in ſententia docente talem fidem potuiſſe eſſe naturalem, etiamſi tamen ſupernaturalis eſſe debuiſſet, & quia ſupernaturalis potuiſſet eſſe de congruo meritoria, adhuc ſub ratione meriti congrui non conduxiſſet ſufficienter ad gratiam parvulorum, quia per circumciſionem gratia conferebatur infallibiliter, gratia autem quæ datur ex merito congruo non datur infallibiliter, niſi illud quod habet rationem meriti congrui habeat ſimul rationem ultimæ diſpoſitionis, ut contritio vel dilectio Dei ſuper omnia in peccatore.

Probatur primum antecedens quoad ſecundam partem, quia licet potuerit Deus circumciſionem, ſicut & remedium legis naturæ inſtituere ex pura ſua liberalitate, de facto tamen inſtituit cum habitudine ad Chriſti merita; 37.
quia per circumciſionem, & remedium legis naturæ, voluit conferri Chriſti gratiam ex regula generali, qua omnis gratia collata de facto hominibus in natura lapſa eſt gratia Chriſti, ſeu per Chriſtum; ergo verè circumciſio conferebat parvulis gratiam, non ex pura liberalitate Dei, ſed ex meritis Chriſti.

Dices data tota hac antecedentis probatione, & admiſſo quod in circumciſione conferretur parvulis gratia ex Chriſti meritis, adhuc non benè inferri, quòd conferretur propriè ex opere operato: Primò quia merita Chriſti pro tempore legis naturæ, & legis ſcriptæ, erant ſolùm futura; ergo habere poterant ſolùm rationem operis operandi, non operis operati: Secundò quia circumciſio, & reliqua antiqua Sacramenta, non erant actiones Chriſti, non fiebant Chriſti nomine, nec à Miniſtro qui eſſet Chriſti miniſter; cauſæ enim nondum exiſtenti, ſicuti nondum exiſtebat Chriſtus tempore antiquorum Sacramentorum, nulla poteſt actio tribui; & ſicuti talis cauſa nequit per ſeipſam agere, ita nec habere Miniſtros qui ejus nomine agant, & ſe habeant ut ejus inſtrumenta; atqui ſacramenta nova dicuntur cõferre gratiã ex opere operato, non præcisè, quia in illis gratia detur ex Chriſti meritis; ſed multo magis, quia ipſa ſunt Chriſti actiones fiunt Chriſti nomine, & à Chriſti Miniſtro; ergo circumciſio, cui iſta non conveniunt, non contulit gratiam propriè ex opere operato; etiamſi deinde parvulis circumciſis gratia collata fuerit ex Chriſti meritis, non ex opere operantis,

nec

nec ex pura liberalitate: Quibus omnibus conſonat quod Apoſtolus *ad Galat.* 4. de Sacramentis antiquis, maxime verò de circumciſione loquens, ea vocat *infirma & egena elementa*, non niſi quia non continebant merita Chriſti, ex quorum opere operato gratiam conferrent.

38. Sed contrà; ex una parte inſtantia non tam probat circumciſionem non contuliſſe gratiam ex opere operato, quam ſimpliciter gratiam non contuliſſe; & Deum ex Chriſti meritis juſtificaſſe parvulos ad præſentiam potius, quàm ad exigentiam circumciſionis; ex alia parte circumciſio, quamvis propriè non contineat Chriſti merita ut continent nova Sacramenta, quatenus tamen non continet Chriſti fidem, dicit aliquam ſpecialem ad Chriſti merita habitudinem, quæ etiam merita connotat quatenus eſt figura Baptiſmi; ideò fatendum eſt circumciſionem conferre gratiam parvulis ex opere operato, at non ea proprietate & perfectione, qua id præſtant nova Sacramenta.

39. In quonam maximè conſiſtat major perfectio novorum ſacramentorum ſuprà circumciſionē, quamvis conferentem parvulis gratiam ex opere operato.

In quonam autem conſiſtat pro re præſenti major perfectio & proprietas novorum Sacramentorum ſuprà circumciſionem: Joannes à S Thoma & Gonetus locis præcitatis explicāt dicendo nova ſacramenta conferre gratiam ex opere operato activè, circumciſionem ex opere operato paſſivè: Lugus *diſp.* 4. *ſect.* 5. *à n.* 75. & Arriaga *diſp.* 10. *ſect.* 3. *ſubſect.* 4. putant id conſiſtere in eo, quòd nova ſacramenta conferant ex opere operato gratiam per modum cauſæ, circumciſio ſolum per modum conditionis, & valde laborant in explicando quomodo circumciſio etiam in genere moris ſit pura conditio, non cauſa; nos tamen, qui infrà ſuſtinebimus in novis ſacramentis cauſalitatem phyſicam, facilè pro nunc poſſumus admittere, tum quod circumciſio activè non paſſivè tantùm ſe habuerit; tum quòd ejus activitas fuerit per modum cauſæ, moralis tamen; non per modum puræ conditionis, & tamen quod gratiam ex opere operato non contulerit ea proprietate & perfectione, qua nova ſacramenta, propter cauſalitatem phyſicam quam iſta habent præter moralem. His poſitis & ſuppoſitis.

40. Quomodò merita Chriſti reſpectu circumciſionis non ſint opus operandum potius, quam operatum.

Ad inſtantiam directè nego non benè inferri, &c. Ad primam rationem in oppoſitum dico merita Chriſti pro tempore legis naturæ & legis ſcriptæ, quamvis phyſicè eſſent ſolùm futura, ità tamen ſe habebant, ac ſi fuiſſent præterita aut præſentia in ordine ad cauſalitatem moralem; ad quam requiritur quidem, quòd cauſa phyſicè exiſtat, at non quòd exiſtat pro differentia temporis præteriti, aut præſentis magis, quā futuri; ut enim alibi tradidimus, cauſa finalis, cauſa efficiens phyſica, & cauſa efficiēs moralis differunt in hoc, quod cauſa finalis cauſat ſecundum exiſtentiam intentionalē, cauſa efficiens phyſica ſecūdum exiſtentiam phyſicam ſecundum quam ſit phyſicè præſens & coexiſtens effectui, cauſa efficiens moralis cauſat & ipſa ſecundum exiſtentiam phyſicam, at non eſt neceſſe, quod dum cauſat ſit phyſicè præſens & coexiſtens effectui; cauſa finalis cauſat ut ſit, efficiēns phyſica cauſat quia eſt, efficiens moralis cauſat quia eſt, vel fuit, vel erit: Merita igitur Chriſti pro lege naturæ & ſcripta erant opus operandum, ſi conſiderabantur phyſicè & in ordine ad cauſalitatem phyſicam, at in ordine ad cauſalitatem moralem, de qua agitur, jam ex tunc æquivalebant operi operato, & valebant æquè ac ſi fuiſſent jam phyſicè præſentia.

Ad ſecundam rationem omitto majorem 41. diſtinguo minorem, Sacramenta nova dicuntur conferre phyſicè gratiam ex opere operato, non quia in illis gratia detur ex Chriſti meritis, ſed multò magis quia &c. concedo; dicuntur conferre moraliter gratiam ex opere operato, non quia in illis gratia detur ex Chriſti meritis, ſed multo magis quia &c. nego minorem; eademque diſtinctione utendo ad conſequentiam, concedo circumciſionem non contuliſſe gratiam phyſicè ex opere operato, nego non contuliſſe moraliter: Vel ſi velis uti alijs modis explicandi inſinuatis *præced. num.* 39. diſtinctionem adhibe alijs terminis, & pro ly *conferre phyſicè*, *conferre moraliter* pone conferre activè, conferre paſſivè; aut conferre per modum cauſæ, conferre per modum conditionis. Ad illud Apoſtoli *Galat.* 4. dico antiqua ſacramenta, comprehendendo circumciſionem, appellari infirma & egena elementa, reſpectu adultorum non reſpectu parvulorum, ut jam attigi *præced. num.* 13. vel ſi vis Apoſtolum etiam loqui reſpectu parvulorum dicito appellari infirma & egena elementa, non abſolutè; ſed comparativè ad ſacramenta nova; quatenus antiqua licèt importent ad Chriſti merita habitudinem & ex Chriſti meritis cauſent; non tamen, ſicut ſacramenta nova, continent merita Chriſti ſibi ab ipſomet Chriſto applicata, nec ſunt inſtrumenta à Chriſto inſtituta, nec habent ex Chriſti meritis activitatem phyſicam.

---

§. III.

Utrùm in aliquo antiquo Sacramento data fuerit gratia adultis, à quibus ſuſcipiebatur?

ASSERT. 1. In nullo antiquo Sacramento data fuit ex opere operato gratia adultis à quibus Sacramentum ſuſcipiebatur. Ita Scholaſtici communiter, quamvis apud Suarum *hic diſp.* 10 *ſect.* 3. oppoſitum olim ſenſerint Hugo à S. Victore, Bonaventura, Alenſis, & Durandus. 42.

Nullum antiquum ſacramentum contulit adultis gratiam ex opere operato.

Probatur, quia ex una parte valdè congruit præſtātiæ novorum Sacramentorum ſuprà antiqua, & iſtorum imperfectioni ac imbecillitati ab Apoſtolo *ad Galat.* 4. & alibi ſæpius inſinuatæ, quòd ſaltem relatè ad adultos ſolùm in novis, non in antiquis Sacramentis, ex opere operato gratia detur; ex alia parte neceſſitas, quæ pro parvulis militabat in ordine ad recipiendam per aliquod antiquum Sacramentum gratiam ex opere operato, non militat pro adultis, utpotè qui poſſunt ſibi gratiam comparare per proprios actus & ex opere operātis; unde etiam in lege naturæ, in qua fuerunt ſolùm

lùm ſacramenta neceſſitatis, nullum fuiſſe pro adultis inſtitutum ſacramentum docuimus *cap. praced.* §. 2. & mox etiam *num.* 11. & 16. ad ſolos parvulos limitavimus in lege ſcripta circumciſionem, prout in ordine ad conferendam gratiam originalis remiſſivam ſucceſſit remedio ſeu Sacramento legis naturæ; ſicuti item *pracit.* §. 2. nullum admiſimus in lege naturæ inſtitutum ſacramentum remiſſivum actualium pro adultis, ita idem ſentimus in lege ſcripta; in qua plura quidem ſunt ſacramenta, quam in lege naturæ, at egena & infirma; cæterùm quoad ſacramenta non egena & non infirma, non eſt pro adultis favorabilius ſentiendum de lege ſcripta, quàm de lege naturæ.

43. Hinc habes Durandum *in* 4. *diſtinct.* 1 *quaſtio.* 5. *numero* 11. malè ſupponere pro adultis in lege veteri à Deo inſtituta aliqua ſacramenta ad effectum, qui non poſſit haberi ſine gratia; talis enim effectus eſſe non poſſet alius, quam remiſſio peccati, aut originalis, aut actualis; ad neutrius autem peccati remiſſionem habuit ex mox dictis lex vetus pro adultis aliquod ſacramentum. Malè *ibidem* ſupponit Durandus inſtituta in lege veteri aliqua ſacramenta ad officium, quod non poſſet bene ſine gratia exerceri; tale enim ſacramentum fuiſſet maximè unctio, ſeu ordinatio Sacerdotum; at Sacerdotale officium ſeu miniſterium in lege veteri fuit in ſe valdè imperfectum, & ad imperfecta ſacramenta miniſtranda inſtitutum; ideò non ſatis conſtat, quod ad ipſum ritè & ſine peccato exercendum fuerit neceſſarius ſtatus gratiæ: & dato quòd hic ſtatus neceſſarius fuiſſet, erat illis Sacerdotibus ſufficienter proviſum per hoc, quod potuerint ſe proprijs actibus & ex opere operantis in ſtatu gratiæ conſtituere vel in ipſa Sacerdotij ſuſceptione vel quoties debebant Sacerdotio fungi; ſicque Deus (quod eſt fundamentum Durandi) non defecit in neceſſarijs non conferendo ex opere operato gratiam in illorum Sacerdotum ordinatione; neque in adultorum originale habentium circumciſione; neque in purificationibus, ſeu expiationibus, habentium actualia

44. Aſſert. 2. In nullo antiquo ſacramento data fuit ex opere operantis adultis, à quibus ſacramentum ſuſcipiebatur, gratia, quæ eſſet propriè ſacramentalis, ad quam ſcilicet ſignificandam ſacramentum ipſum eſſet inſtitutum. Hoc aſſertum conſequitur ad doctrinam, qua partim *pracit. paragrapho* 2. partim mox *numero* 42. nullum admittimus Sacramentum antiquum inſtitutum ad delenda adultorum peccata; & eſt contrà Joannem à S. Thoma *diſp.* 23. *art.* 3. *dub.* 2. Gonetum *diſput.* 1. *art.* 2. *num.* 19. item *diſp.* 2. *art.* 2. §. 2. & majorem partem aliorum Auctorum exiſtimantium neceſſarium fuiſſe in lege tum naturæ tum ſcripta aliquod ſacramentum ad delenda adultorum peccata.

Nec item gratiam ſignificavit, conferendam ex opere operantis.

45. Dixi *Gratia, quæ eſſet propriè ſacramentalis, ad quam ſcilicet* &c. quamvis enim olim aliqui ſenſerint antiqua ſacramenta ita fuiſſe egena & infirma, ut illorum ſuſceptio nullatenus potuerit ad gratiam inſervire; nihilominùs ſicut cætera opera legis ante Chriſti mortem, quoties ex fide & charitate procedebant, erant condignè meritoria apud Deum, ita non eſt hoc negandum antiquorum ſacramentorum ſuſceptioni, cum hæc fuerit ex genere ſuo opus bonum, ad religionem pertinens, & a Deo præceptum; ſupponendum igitur adultos ſi in ſtatu gratiæ antiqua ſacramenta ſuſcipiebant meruiſſe condignè gratiæ augmentum, ſi exiſtentes in peccato ad eadem contriti accedebant meruiſſe congruè primam gratiam, ſeu quod eis dabatur in ſacramentis gratia eo modo, quo in cæteris operibus ex genere ſuo bonis, ſolum controvertitur, Utrùm talis gratia daretur in ſacramentis ex opere quidem operantis, at modo cæteris externis operibus non communi, adeò ut ſpecialiter ſignificaretur per ſacramenta, nec haberetur niſi poſitis illis ſignis & actionibus externis à Deo inſtitutis. In quo controverſiæ ſenſu negativa à nobis pars aſſeritur, &

Quamvis ſæpè in antiquorum ſacramentorũ ſuſceptione gratia ex opere operantis conferretur.

Probatur; In nullo antiquo Sacramento 46.
data fuit ex opere operantis adultis, à quibus ſacramentum ſuſcipiebatur, gratia, quæ haberet ſacramentum ipſum pro cauſa, aut pro ſigno; ergo in nullo antiquo ſacramento data fuit &c. gratia, quæ eſſet propriè ſacramentalis, ad quam ſcilicet &c. conſequentia patet, quia gratia propriè ſacramentalis debet habere ſpecialem connexionem cum ſacramento, nec apparet quomodò poſſit cum ipſo connecti, niſi aut tanquam cum ſigno, aut tanquam cum cauſa: Antecedens quoad primam partem, ideſt quoad rationem cauſæ, facilè deducitur ex eo, quod Sacramentum ipſum non eſt opus operantis, imò ab aliquibus ut à Durando *pracit. quaſt.* 5. *num.* 5. & Maſtrio *diſput.* 1. *quaſt.* 2. *numer.* 78. abſolutè dicitur opus operatum, & quamvis hic operis operari modus *praced. numer.* 32. notatus à nobis fuerit, ut minus proprius, certè tamen non ſpectat ad opus operantis; gratia igitur data ex opere operantis non eſt ex ſacramento, tanquam ex cauſa, ſeu non habet ſacramentum ipſum pro cauſa. Idem antecedens quoad 47.
ſecundam partem, ideſt quoad rationem ſigni, probatur: Illa gratia non habet ſacramentum pro ſigno, quæ omninò eadem daretur non poſito tali ſigno, & quæ modo cæteris operibus meritorijs communi correſpondet operi interno ſecundùm ſe, æquè ac operi interno ſimul & externo; atqui in nullo antiquo ſacramento dabatur adultis ex opere operantis gratia, quæ omninò eadem dari non poſſet non poſito ſacramento; adultus enim, qui in originali exiſtens cum Chriſti fide per charitatem formata ſuſcipiebat circumciſionem, eandem prorsùs gratiam obtinuiſſet, ſi circumciſionem non ſuſcipiendo eandem Chriſti fidem, eandemque Dei dilectionem habuiſſet; exiſtens item in actuali, qui per contritionem ſuſcipiebat ſacramentum noſtræ pœnitentiæ correſpondens, eandem obtinuiſſet gratiam ſi ſacramentum illud non

ſuſcipiendo eandem contritionem habuiſſet; ergo in nullo antiquo ſacramento dabatur ex opere operantis gratia, quæ haberet ſacramentum pro ſigno, ſeu quæ eſſet Sacramento tanquam ſigno alligata, ut magis etiam conſtare poterit recolendo ſupradicta *capite 2. paragrapho 2. numero 32. & 33.* item 40 *& ſeqq.*

Dices: ex hac doctrina ſequitur nullum antiquum ſacramentum fuiſſe gratiæ internæ ſignum in adultis, nam gratiam in adultis non habere ſacramentum pro ſigno, & ſacramentum in adultis non eſſe gratiæ ſignum ſynonyma ſunt; atqui dicere, quòd nullum antiquum ſacramentum in adultis fuerit internæ gratiæ ſignum eſt, vel nullum agnoſcere antiquum ſacramentum pro adultis, vel ad eſſentiam ſacramenti non requirere, quòd ſit ſignum gratiæ internæ; primum autem eſt contra communem ſenſum & ſæpiùs à nobis hucuſque dicta; ſecundum eſt contrà generaliſſimam definitionem ſacramenti, quam nos ipſi ſuprà tradidimus *capite 1. pa-*
48. *ragrapho 5.* ergo in doctrina mox poſita nobis ipſi contradicimus aut etiam communi ſenſui. Sed contrà. Diſtinguo ſequelam majoris, ſequitur nullum antiquum ſacramentum fuiſſe gratiæ internæ ſignum in adultis ſuſcipientibus, ſeu in adultis antiquæ legis, concedo; in adultis quibuſcunque etiam novæ legis, nego ſequelam majoris; eadem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam; neque enim ulla eſt contradictio in eo, quod ex una parte ſit de eſſentia ſacramenti eſſe ſignum gratiæ internæ vel in ſuſcipientibus, vel in alijs, & ex alia parte antiqua ſacramenta ſint etiam pro adultis vera ſacramenta abſque eo, quod ſint ſigna gratiæ internæ in ſuſcipientibus, ſeu in ijs, à quibus ſuſcipiuntur; hoc autem eſt quod nos partim docuimus ſuprà, partim docemus in præſenti.

Urgebis: Sacramenta antiqua reſpectu internæ gratiæ in nova lege, & novorum ſacramentorum ſuſceptoribus conferendæ, vel ſunt pura ſigna, non cauſæ; vel ſunt ſigna ſimul & cauſæ; neutrum dici poteſt; ergo eſſe ſignum gratiæ internæ in ſacramentis antiquis non benè explicatur relatè ad gratiam in lege nova, & novorum ſacramentorum ſuſceptoribus, conferendam: Probatur minor, non poteſt dici quod ſint pura ſigna, non cauſæ, quia ſic eſſent ſigna ſpeculativa; ratio autem ſigni à nobis poſita in definitione ſacramenti eſt ratio ſigni practici; Non poteſt dici quod ſint ſigna ſimul & cauſæ, quia ſic omnibus antiquis ſacramentis concederetur cauſare internam perfectamque gratiam relatè ad adultos, quod eſt contra expreſſa verba Florentini; quin & contra utramque explicationem, quam ad
49. talia verba attulimus ſupra *numero decimoquinto*, Eſt inſuper contrà ſæpius commendatam, & ab omnibus comprobatam, excellentiam novorum ſacramentorum ſupra antiqua; ſi enim utraque cauſant in nobis eandem gratiam, in quonam notabiliter præcellunt antiquis nova? Nec admodùm refert, quòd nova ſacramenta cauſent gratiam in ſubjecto proprio, & in ſuis ſuſceptoribus, antiqua in ſubjecto alieno, & in ſuſceptoribus ſacramentorum novorum. Non, inquam, admodùm refert primò, quia quando ejuſdem perfectionis, imò idem eſt effectus, qui producitur, videtur ad explicandam perfectionem cauſæ per accidens ſe habere, quod in proprio, vel alieno, ſubjecto producatur: Secundò quia ſicut ſacramenta antiqua cauſarent gratiam in ſubjecto alieno, non in proprio; ita nova cauſant in ſubjecto proprio, non in alieno; ex parte igitur ſubjecti utraque ſervant inter ſe æquiparantiam, & proportionem; & ſi quæ ex hoc capite datur præcellentia, datur potiùs in ſacramentis antiquis; nam ſicuti excellentius quid eſt ac difficilius, quòd quis mereatur gratiam alteri, quam quod eam mereatur ſibi; ita proportionaliter excellentius videtur ac perfectius, quod ſacramentum cauſet gratiam in ſubjecto alieno ut cauſarent antiqua, quàm quòd eam cauſet in ſubjecto proprio ut cauſant nova; nec apparet, cur cauſare gratiam in alio, ſeu in ſubjecto alieno, ad majorem perfectionem imputandum ſit operi operantis, non operi operato? Sed contrà:

Rationes dubitandi contrà cauſalitatem antiquorum ſacramentorum reſpectu noſtræ gratiæ.

Ad primam partem dilemmatis dico etiam Auctores docentes ſacramenta antiqua ſignificaſſe gratiam ſuis ſuſceptoribus in actuali uſu conferendam, at ex ſolo opere operantis, debere explicare, quomodo ſacramenta antiqua ſint ſigna practica gratiæ, cujus non ſunt cauſæ, ut verè non ſunt reſpectu gratiæ datæ ex opere operantis; cum cauſalitas ſacramenti propria tota ſit ex opere operato: Explicant autem id dicendo ſignum practicum eſſe quidem magis propriè tale, ſi ſimul ſit cauſa & operetur quod ſignificat; hoc tamen non eſſe illi eſſentiale & neceſſarium, ſed ſufficere, quod ordinetur ad opus executioni mandandum, ſive deindè executio ponenda ſit ex cauſalitate & efficientia ipſius ſigni, ſive aliundè: Iuxtà hanc doctrinam, quam tradit inter alios Ioannes à S. Thoma *diſput. 24. articul. 6. ad 2.* & nos jam inſinuavimus, dum ſacramenti definitionem explicabamus *numero quinquageſimotertio*, permitti poteſt ſacramenta vetera fuiſſe ſigna & non cauſas gratiæ nobis conferendæ in ſuſceptione novorum ſacramentorum, & tamen adhuc ſuſtineri, quod fuerint ejuſdem gratiæ ſigna practica. 50.

50. Ratio ſigni practici gratiæ in ſacramentis antiquis poteſt ſuſtineri tum ſine cauſalitate.

Ad ſecundam partem dilemmatis non deſunt qui ſuſtineant ſacramenta antiqua fuiſſe reſpectu gratiæ nobis conferendæ ſigna ſimul & cauſas, & dicunt Concilium Florentinum ſtatuiſſe, quòd Sacramenta antiqua non cauſabant gratiam (ſubintellige) tempore legis antiquæ, ad quod refertur ly *cauſabant*, non ſtatuiſſe quod non cauſent de præſenti & tempore legis novæ; quòd autem tempore legis antiquæ non cauſaverint, benè dictum eſt verificari vel relatè ad adultos, vel ſumendo omnia antiqua ſacramenta collectivè, ut nos dicebamus *præcitat. num. 15.*

51. Tum cum cauſalitate eorundem in noſtram gratiam.

num. 15. quod deindè nunc tempore legis novæ, etiam relate ad adultos, & omnia collectivè ſumpta cauſent, cohæret optimè cum eo, quod olim neutro modo cauſaverint, & nec verbis Florentini, nec allatæ à nobis explicationi contradicit: Excellentia etiam novorum ſacramentorum ſupra antiqua, ſi comparentur utraque ad tempus novæ legis, relucet in eo, quod nova ex dicendis cauſent phyſicè, antiqua moraliter, & cauſalitate morali minùs propria vix, aut ne vix quidem excedente rationem conditionis: Si comparentur ſingula ad legem propriam, relucet clariùs eadem excellentia, quia nova gratiam cauſant pro ſtatu & tempore propriæ legis in ſui uſu & ſuſceptione, non ſic antiqua: ſed cauſabant iſta in adultis gratiam, vel potiùs erant cauſatura & effectum habitura pro ſtatu & tempore alterius legis, quæ propriæ ſucceſſiſſet, & in ſuſceptione aliorum ſacramentorum, quorum erant figuræ: Totam hanc doctrinam tradit expreſsè & defendit Lugus *diſp.* 1. *ſec.* 2. *num.* 17. item *diſp.* 4. *ſec.* 5. *num.* 73. & licet hoc poſteriore loco conetur antiquis ſacramentis reſpectu noſtræ gratiæ tribuere prærogativam moralis conditionis potiùs, quam moralis cauſæ, ſuo tamen conatu pro diſtinguenda in hoc puncto conditione à cauſa vix aliquid obtinet, & ipſemet tandem *num.* 76. & 86. aliquam rationem cauſæ in antiquis ſacramentis agnoſcit.

52. Ex his habes in antiquis ſacramentis relatè ad gratiam ſanctificantem ſuſtineri poſſe tum rationem ſigni practici ſine ratione cauſæ, tum rationem cauſæ ſine præjudicio excellentiæ, quam præ illis habent ſacramenta nova, & quamvis attendendo præcisè ad ſolutionem inſtantiæ, cujus occaſione utrumque dicendi modum protulimus, primus modus expeditior ſit; nihilominùs attendendo ad rem abſolutè, magis propendeo in ſecundum, qui & cum majori proprietate ſalvat prædictam rationem ſigni practici, & aliundè ſuadetur primò, quia ſicut ſacramenta nova dicuntur ſigna demonſtrativa gratiæ præſentis, ita antiqua dici ſolent fuiſſe ſigna prognoſtica gratiæ futuræ, ſicut igitur nova ſunt cum cauſalitate ſigna demonſtrativa, ita & antiqua rectè ponuntur fuiſſe cum aliqua cauſalitate ſigna prognoſtica: Secundò quia eadem antiqua ſacramenta fuerunt ſigna futuræ gratiæ promiſſiva, ut deducitur ex Apoſtolo dum *Heb. octavo*, & alibi ea vocat *repromiſſiones*, item ex Auguſtino, dum *libro decimonono, contra Fauſtum capite decimoquarto*, necnon *in Pſalm.* 39. & 73. docet Deum per omnia antiqua Sacramenta promiſiſſe gratiam Salvatoris & Salvatorem; atqui ſignum promiſſivum eſt moraliter licet impropriè cauſativum, cum promiſſio moraliter, licet impropriè moveat promiſſorem ad dandam rem promiſſam quouſque hæc data non ſupponitur; ergo. Favet etiam quod idem Auguſtinus *in Pſal.* 77. ait *Sacramenta fuiſſe omnibus communia, non tamen gratiam, quæ eſt virtus ſacramentorum*; quibus verbis appellat gratiam virtutem, ſeu effectum ſacramentorum indefinitè, eamque negat fuiſſe communem omnibus, quibus fuerunt communia ſacramenta; at non negat fuiſſe communem omnibus ſacramentis; ſenſus igitur Auguſtini eſſe videtur, quod omnia ſacramenta gratiam cauſent, at non omnia eam cauſent in populo, cujus ſunt ſacramenta, ſed omnia in populo Chriſtiano.

Præfertur ſecundus modus, & tribuitur antiquis Sacramentis aliqua ratio cauſæ moralis in noſtrá gratiam.

Ad rationes dubitandi contrà talem cauſalitatem poſitas *præced. num.* 49 quatenùs nituntur auctoritati Concilij aut Florentini dicentis, quod antiqua ſacramenta gratiam non cauſabant; aut Tridentini præferentis antiquis ſacramentis nova, jam reſponſum eſt *numer.* 51. quatenus deindè ulteriùs inſtant quòd hoc ipſum cauſare gratiam in ſubjecto alieno & in ſuſceptoribus non ſuis, ut faciunt ſacramenta antiqua, ſit paris aut etiam majoris excellentiæ & perfectionis, quam eandem cauſare in ſubjecto proprio & in ſuſceptoribus ſuis, ut faciunt ſacramenta nova, dico oppoſitum deduci ex eo; quod operari immanenter ſit ex genere ſuo perfectiùs, quàm operari tranſeunter: Quòd ex opere operantis, ideſt ex proprio merito ſubintellige condigno, poſſit quis cauſare gratiam in ſe, non in alio, non provenit ex majori perfectione cauſandi in alio; ſed ex natura gratiæ, quæ petit dari ſecundùm majus bonum merentis, cui certè melius eſt ipſimet, quam alij gratiam dari. Deindè his omiſſis, ſi quæ eſt proportio & æqualitas inter cauſare in ſubjecto proprio & cauſare in ſubjecto alieno, erit profectò tunc ſolùm, quando inveniuntur cætera paria; non quando cauſare in ſubjecto proprio importabit cauſalitatem de præſenti & tum moralem rigoroſam tum phyſicam; cauſare autem in ſubjecto alieno importabit cauſalitatem de futuro & ſolùm moralem, hancque latiorem & vix à conditione diverſam, ut res ſe habet inter ſacramenta nova in ſubjecto proprio, & ſacramenta antiqua in ſubjecto alieno gratiam cauſantia. 53.

Occurritur rationibus dubitandi contra talem dicendi modum præmiſſis.

Ex his non ſolùm conſtat ſacramenta antiqua fuiſſe ſimpliciter imperfectiora novis; ſed inſuper illud, quod in ipſis fuit magis excellens, nimirùm eſſe ſignum practicum & aliqualiter cauſativum internæ gratiæ adultos ſanctificantis, fuiſſe ordinatum ad novam, non ad antiquam legem; in Chriſtiani, non in Judaici populi bonum; undè, ſi ſacramenta antiqua ſumantur cum reduplicatione, & ut antiquæ legi, populique Judaici bono inſervientia, majori jure & in toto rigore verificatur fuiſſe *egena & vacua elementa*, nec ullatenùs *cauſaſſe gratiam* adultos ſanctificantem; & fortè abs re non erit hunc etiam ſenſum accommodare talibus verbis, prout ex Apoſtolo & Concilio Florentino deſumuntur. 54.

§. IV.

In quibus ab invicem differant, & quomodò ad invicem conveniant Sacramenta antiqua, & nova?

ASSERT. 1. Sacramenta antiqua & nova differunt ab invicem tripliciter: Primò in modo cauſandi gratiam: Secundò in modo ſignificandi, tum eandem gratiam, tum paſſionem Chriſti: Tertiò ex parte cauſæ tum extrinſecæ à qua inſtituuntur, tum intrinſecæ qua conſtituuntur in ratione ſacramenti.

Probatur & explicatur diſcurrendo per tria aſſerta diſcrimina, quæ ſubintellige eſſe non omnia prorsùs, ſed principaliora.

55. *Primum inter ſacramenta antiqua & nova diſcrimen in cauſando.*

Differunt primò ſacramenta antiqua & nova in modo cauſandi gratiam internam ſanctificantem; quatenùs ea novis omnia & ſingula per ſe loquendo (nam aliter quandoque evenire ratione obicis per accidens eſt) eam cauſant de præſenti in ſuis ſuſceptoribus, ſive parvulis, ſive adultis, & cauſalitatem exercent tum moralem rigoroſam, tum phyſicam obedientialem; moralem, inquam, rigoroſam eo quòd Chriſti merita jam præterita & conſummata reſpiciant; imò tanquam Chriſti actiones ea in ſe ipſis moraliter perſeverantia contineant: ex antiquis ſolum circumciſio & originalis remedium, & ſolùm relatè ad parvulos, cauſabant gratiam de præſenti in ſuis ſuſceptoribus; reliqua ſicut & circumciſio relatè ad adultos gratiam cauſabant, ſeu cauſatura erant, dumtaxat de futuro, & in ſuſceptoribus non ſuis: Utraque deindè, ſeu omnia & ſingula, exercebant cauſalitatem dumtaxat moralem; hancque non rigoroſam, eo quod merita Chriſti, ex quibus moralitatem ſuam habebant, ſignificarent quidem & connotarent futura, at non ſupponerent conſummata, nec ea tanquam Chriſti actiones in ſe moraliter continerent: Quod totum quoad ſacramenta antiqua ex jam dictis, quoad nova ex dicendis *lib. ſeq capite* 4.§.2. innoteſcit, nec magis hoc loco diſcutiendum eſt.

56. *Secundum diſcrimen in ſignificãdo.*

Differunt ſecundò in modo ſignificandi, quatenùs commune quidem eſt antiquis & novis ſacramentis, tum paſſionem Chriſti, tum gratiam, ſicut & gloriam ſignificare, cum hæc tria ut benè obſervat D. Thomas *quæſt.*60. *art.*3. ad ſanctificationem noſtram à ſacramentis potiſſimum ſignificatam concurrant; Chriſtus ſeu Chriſti paſſio, tanquam efficiens; gratia, tanquam forma; gloria, tanquam finis; Chriſtus, tanquam id per quod; gratia, tanquam id quo; gloria, tanquam id ad quod, ſeu propter quod noſtra ſanctificatio fit: Nihilominus nova ſacramenta ad hæc tria ita ſe habent ut ſint Chriſti & paſſionis ejus ſigna rememorativa, gratiæ demonſtrativa, gloriæ prænunciativa ſeu prognoſtica; paſſionem ſcilicet Chriſti ſignificant ut præteritam, gratiam ut præſentem, gloriam ut futuram: Aliter ſe habebant ſacramenta antiqua, utpotè quæ non ſolùm gloriam, ſed & paſſionem Chriſti, imò & gratiam (ſi circumciſionem & remedium originalis reſpectu parvulorum excipias) futuram ſignificabant, & erant omnium trium ſigna prænunciativa ac prognoſtica: Quin & reſpectu gloriæ ſunt quidem utraque ſigna prænunciativa, aliter tamen & aliter; nam nova prænunciant gloriam futuram ſtatim, & decedentibus in gratia dandam aut illico ſi nullum habeant temporalis pœnæ debitum, aut cum primum hujuſmodi debitum perſoluerint, ſi aliquod habeant, ſicque nova ſacramenta ſignificant gloriam futuram, & plurimis dandam durante ipſamet nova lege: Sacramenta antiqua prænunciabant gloriam futuram & dandam ſolùm poſt diuturnum tempus id eſt non durante antiqua lege, ſed differendam uſque ad primordia novæ legis & adventum Chriſti; qui primus Cœlum ingrediens cæteris etiam aditum ingreſſu & merito ſuo aperiret. 57. Porrò antiquis & novis ſacramentis commune eſſe paſſionem Chriſti, gratiam, & gloriam ſignificare, non ſolùm ſuadetur ex eo, quia his tribus (ut ex D. Thoma dictum eſt) ſanctificatio noſtra perficiatur; ſed inſuper quia his tribus correſpondet in quolibet, ſive antiquo, ſive novo, ſacramento aliqua ſpecialis habitudo ut per ſingula ſacramenta diſcurrendo explicat Gonetus *diſput.*1. *art.*3. *num* 53. & 54. Utrùm verò triplex hujuſmodi ſignificatio omnibus ſacramentis de facto inſtitutis conveniat ex univerſaliſſima & generica ratione ſacramenti, adeò ut cuilibet alii ſacramento poſſibili eſſentialis ſit? Negativè ſentiendum, quia ſignificatio paſſionis Chriſti in tantùm convenit ſacramentis, in quantùm ſpectat ad noſtram ſanctificationem Chriſti paſſio; at ad noſtram ſanctificationem Chriſti paſſio non ſpectat eſſentialiter, & de facto quidem ſanctificamur omnes ex gratia & meritis Chriſti; at poſſumus abſolutè ſanctificari ex gratia & pura miſericordia Dei, ideò &c. Ex eo, quòd ſacramenta de facto inſtituta ſignificent gratiam, gloriam, & Chriſti paſſionem, quatenùs ſanctificationem noſtram perficientia, deducitur obiter cur non ſint ſigna æquivoca? ſignum enim æquivocum debet ſignificare plura diverſa ut diverſa, ita ut ad unum non ordinentur, ſed ſingula ſint ſeorſim ſignificatum totale; at tria enumerata eo ipſo quod ſignificantur ut unam eandemque in nobis ſanctificationem perficientia, jam non ſignificantur ut diverſa, jam ordinantur ad unum, & ſe habent ſingula ut ſignificatum partiale, ideò &c.

58. *Tertium ex parte cauſæ tum extrinſecæ inſtituentis, tum intrinſecæ conſtituentis.*

Differunt tertiò ex parte cauſæ extrinſecæ inſtituentis, quatenùs nova, ut infrà declarabitur, fuerunt inſtituta à Chriſto, antiqua à Deo; neque enim hæc potuerunt eſſe inſtituta à Chriſto, qui tunc nondum exiſtebat; inſtitutio autem ſacramentorum nequit fieri ſine actione phyſica, & actio phyſica nequit haberi à cauſa nondùm exiſtente. Differunt item ex parte cauſæ intrinſecæ conſtituentis; quatenùs omnia nova, ut latè infrà tradetur, conſtant ſeu conſtituuntur intrinſecè ex rebus & verbis, antiqua in ſolis rebus conſiſtebant, nec ullam requirebant formam verborum, ſi quæ verò in aliquibus verba adhibebantur, non erant

erant hæc determinata, operatoria; ac habentia rationem formæ, & partis eſſentialis, ſed pro Miniſtri libito varia, deprecatoria, & habentia rationem circumſtantiæ accidentalis. Hujus diſcriminis duplex potiſſimum occurrit congruentia: Prima eſt quia Sacramenta nova clariorem poſtulant ſignificationem, obſcuriorem antiqua utpotè umbræ, & ſigna prognoſtica, atque inſervientia legi habenti minus expreſsè revelata myſteria; verba autem magis clarè & magis determinatè ſignificant, ſunt enim per ſe ad ſignificandum inſtituta, & ut loquitur Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana capite 5. *inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi.* Secunda eſt, quia nova habent Auctorem & Inſtitutorem Chriſtum, cui quodammodo conformantur per hoc, quòd rebus & verbis conſtent; & in ipſorum quolibet rei ſenſibili addatur verbum vocale humanum, ſicuti in Chriſto unitur carni ſenſibili Verbum mentale divinum; eandem conformationem ſacramenta antiqua non exigunt, utpotè quæ Chriſto Auctore & Inſtitutore non gaudent: Meminit hujus utriuſque congruentiæ S. Doctor *quæſt.* 60. *art.* 6.

59. **Diſcrimina reliqua minùs inſignia.**

Reliqua minùs inſignia diſcrimina eſſe poſſunt, quod ſacramenta nova ſint pro diuturniore tempore, in minore numero, ad uberiorem fructum ſeu effectum inſtituta; Item quòd ex novis aliqua characterem ſpiritualem imprimant; aliqua ſint etiam adultis neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij: quæ & ſimilia, abſque eo quòd ulteriùs enumerentur, aut explicentur, ſicut facilè quilibet excogitabit, ita ex omnibus tandem clarè deducet, quam meritò Auguſtinus *lib.* 19. *contrà Fauſtum cap.* 13. de novis ſacramentis ad antiqua comparatis protulerit eſſe *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

60. **Datur in omnibus ſacramentis propriè dictis convenientia univoca.**

Aſſert. 1. Antiqua & nova ſacramenta conveniunt ad invicem univocè in conceptu & nomine ſacramenti propriè dicti: In conceptu, inquam, & nomine ſacramenti propriè dicti; quia quod ſacramenta univocè conveniant in aliquo alio conceptu univerſaliore, non ſufficit; quod è contra nomen ſacramenti latiùs accepti analogum ſit, non officit rei præſenti, quæ tota eſt de ſacramentis propriè dictis, & ſub ſuo præcisè conceptu conſideratis. Aſſertum ſic intellectum tradunt Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Joannes à S. Thoma *diſp.* 22. *articul.* 2. *dub.* 2 Suarez *diſp* 1 *ſec.* 2 §. *Atque hinc.* Vaſquez *diſp.* 128. *cap.* 5. Amicus *diſp.* 1. *ſec.* 3. Lugus *diſp.* 1. *num.* 43. Coninchus *quæſt.* 60. *articul.* 4. Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 12. Arriaga *diſp* 1 *ſec.* 7. Mastrius *quæſt.* 1. *art.* 4. & plurimi alij, tùm Thomiſtæ, tum Recentiores, inter ſe tamen diſcrepantes in aſſignanda ratione univocæ convenientiæ, quam Scotus, Ioannes à S Thoma, Suarez, Vaſquez, Arriaga, Madernus, collocant unicè in ratione ſigni; reliqui etiam in ratione cauſæ; & hi magis ex diametro opponuntur Auctoribus, quos habemus in præſenti Adverſarios, & ſunt Magiſter *in* 4. *diſt.* 1. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 6. §. *de potentia.* Palatinus *diſp.* 1. Martius *diſp.* 1 *quæſt.* 1. *num* 11. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 1. *num.* 23. Eſparza *lib.* 10. *quæſt.* 2. alijque nonnulli præſertim ex ſchola Scotiſtica docentes nova & antiqua ſacramenta, ſaltem omnia, non univocari inter ſe ex eo, quod cenſeant eſſe utriſque ex genere ſuo eſſentialem, & non univocam rationem cauſandi ſanctitatem; de hujus rationis univocatione quid ſentiam, attingam in fine §. *à num.* 67. interim, quidquid de ipſa ſit, aſſertum

61. Probatur: Conceptus & nomen ſacramenti propriè dicti importat ſignificare perfectam, & per ſe formaliter conferre imperfectam ſanctitatem; atqui in his duobus conveniunt ad invicem univocè antiqua omnia, & nova ſacramenta, & ex alia parte, quæ conveniunt in prædicatis ſub conceptu & nomine aliquo importatis, eodem modo in conceptu & nomine ipſo conveniunt; ergo antiqua & nova ſacramenta conveniunt ad invicem &c. Major ſupponitur *ex cap.* 1. ferè per totum, maximè verò *ex* §. §. 3. & 5. quibus & oſtendimus ſignificationem perfectæ, collationemque imperfectæ, ſanctitatis eſſe cuilibet ſacramento propriè dicto eſſentialem & per eam utramque rationem ſacramentum à novis & antiquis abſtrahens definivimus, certè autem conceptus & nomen rei importat in primis ea, quæ ſunt rei eſſentialia & per quæ res definitur: Minor quoad

62. **Relucens tum in ſignificatione ſanctitatis perfectæ.**

primam partem, ſcilicet quoad univocam antiquorum & novorum ſacramentorum convenientiam in ſignificatione perfectæ ſanctitatis probatur ex eo, quod ſanctitas perfecta, quæ ab utriſque ſacramentis ſignificatur, eſt eadem, ſcilicet gratia interna per Chriſtum; modus etiam ſignificandi eſt in utriſque perfectus ac proprius, utpote in utriſque ſtabilis, infallibilis, & ex divina inſtitutione; utraque igitur perfectè & propriè, ac per conſequens æqualiter, quantum ad univocationem neceſſe eſt, participant rationem ſignificandi perfectam ſanctitatem; eadem utraque proprietate & æqualitate participant rationem conferendi ſanctitatem imperfectam (quæ erat ſecunda minoris propoſitionis pars) quia in tantum

Tum in collatione ſanctitatis imperfectæ.

ſacramenta ſanctitatem imperfectam conferunt, in quantum ſunt cæremoniæ religioſæ ac ſacræ per ſe formaliter ſacrantes, uſuque ſuo reddentes aut demonſtrantes eos, à quibus ſuſcipiuntur, veræ religionis cultores; hoc autem totum præſtabant antiqua Sacramenta æquè ac præſtent nova, ſicuti erat religio vera ac propria, veris item ac proprijs cæremonijs ſacris condecorata, religio antiqua æquè ac ſit nova, ergo à primo ad ultimum in duobus prædicatis per conceptum, & nomen, ſacramenti propriè dicti importatis antiqua & nova ſacramenta univocantur ad invicem, ac per conſequens ſimpliciter univoca ſunt.

63. Dices: Analogia habetur ex eo, quòd ratio communis participetur vel cum inæqualitate, vel cum dependentia unius ab alio, atqui communis ratio ſacramenti participatur ab antiquis & novis cum inæqualitate, participatur item cum dependentia antiquorum à novis, ergo habetur, & quidem ex duplici capite, analogia inter antiqua & nova ſacramenta: Probatur minor quoad primam partem, antiqua & nova ſacramenta in ratione ſacramenti ſunt inæqualia, nova ſcilicet ſunt longè perfectiora & excellentiora, ergo quia ab utriſque com-

munis ratio Sacramenti participatur inæqualiter: Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, antiqua ſacramenta dependebant à novis in gratiæ ſignificatione, ſignificabant enim gratiam dependenter à novis in lege nova conferendam; ergo cum ſignificatio gratiæ (ut nos ipſi mox dicebamus) importetur in conceptu; ſeu communi ratione ſacramenti, conſequens eſt hanc participari cum dependentia &c. Confirmatur ex eo quia ſacramenta antiqua ſe habent ad nova, tanquam figuræ & umbræ ad figuratum & adumbratum; atqui figuræ & umbræ non dicunt cum ſuis figuratis & adumbratis æqualitatem, illæ ab iſtis dependent; nec quidquam utriſque commune eſt magis, quam analogicè ut exemplificari poteſt in homine picto in vero, in imagine & prototypo; ergo. Sed contra: Nego minorem.

64. *Prædictæ convenientiæ univocæ non officit, quod ſacramenta nova præcellant antiquis.*

Ad cujus primæ partis probationem dico antiqua & nova ſacramenta eſſe inæqualia in ratione ſacramenti ſpecifica & differentiali ſicut in ratione animalis v. g. ſunt inæqualia homo, Leo, formica; & in eadem pariter ſacramenti ratione antiquis ſunt longè perfectiora & excellentiora nova, non in ratione generica & communi, quod requireretur ad hoc ut hæc ab utriſque participaretur inæqualiter & fundaret analogiam; & nimis hallucinaretur, omnemque de medio tolleret univocationem, quiſquis putaret hanc impediti, & analogiam induci, per ſpecierum inæqualitatem, aut (quod in idem recedit) ſpecies non eſſe univocas, niſi ſint quoad omnia prorsùs ſua prædicata eſſentialia æquales.

65. *Nec quòd antiqua dependeant à novis.*

Ad probationem ſecundæ partis ejuſdem minoris hæret aliquantulùm Arriaga *præcitat. ſec.7.num.*68. & ſuppoſito, quòd ens ſit analogum creaturæ & Deo propter dependentiam creaturæ à Deo, cenſet valdè probabiliter defendi ſacramentum analogum antiquis & novis propter dependentiam antiquorum à novis: Nihilominùs permitto ens analogum, fateor dependentiam eſſentialem unius ab alio in participanda aliqua ratione communi reddere rationem hanc analogam; at dico ſacramenta antiqua ſignificaſſe gratiam per dependentiam à ſola divina inſtitutione, non à novis ſacramentis, & ab iſtis dependiſſe ad ſummum in gratia ipſa, quam per nova ſacramenta dandam ſignificabant; at aliud eſt pendere in termino ſignificationis, aliud pendere in ſignificatione; ad ſummum, inquam, in gratia, quia præter gratiam per noſtra ſacramenta dandam dici poteſt antiqua ſacramenta, ſicut ſignificabant Chriſtum, ita ſignificaſſe gratiam quocumque modo in lege nova dandam ex meritis Chriſti; & ſic quoad aliquam, non quoad omnem gratiam, quam ſignificabant, à Sacramentis novis dependiſſe.

66. *Nec quòd ſint umbræ, & figuræ novorum.*

Ad confirmationem dico umbras & figuras ſumi poſſe vel ſub ratione umbræ & figuræ præciſè, vel ſub aliqua alia ratione: Primo modo tranſeat umbram & adumbratum, figuram & figuratum, non univocari: Secùs ſecundo modo; nam filius eſt naturalis figura Patris, & tamen in pluribus univocatur cum Patre; & (ſi exemplum theologicum magis arrideat) incruentum Euchariſtiæ ſacrificium eſt figura, eſt umbra Sacrificij cruenti crucis, cum quo in ratione ſacrificij univocatur: Valet hoc etiam in ordine ad imaginem & imaginatum, ſignum & ſignificatum, cum omnis figura ſit etiam imago & ſignum; quòd ſi quæras exemplum in imagine artificiali & ſigno ad placitum, nonne imago alterius imaginis, & hæc altera imago, univocantur in repræſentatione communis prototypi? Nonne panis in officina expoſitus in ratione panis univocatur cum pane intus aſſervato, cujus eſt ſignum? Ad argumentum in forma diſtinguo majorem, ſacramenta antiqua ex ſua ratione ſpecifica & differentiali, ſe habent &c. concedo; ex ſua ratione generica & communi, nego: atqui figuræ & umbræ ſub ſua formali ratione præciſè non dicunt &c. concedo; ſub alia ratione, nego minorem: ergo ſacramenta antiqua ſub ſua ratione ſpecifica & differentiali, qualia in ipſis ratio figuræ, & umbræ, præciſè accepta, non dicunt &c. concedo; ergo ſacramenta antiqua ſub ſua ratione generica & communi, qualis in ipſis eſt ratio ſignificandi gratiam, non dicunt &c. nego conſequentiam, juxta explicationem jam poſitam *num.*64.& 66.

Urgebis: Ipſa communis ratio ſignificandi gratiam in antiquis, & novis ſacramentis, eſt analoga, eſt enim ratio ſignificandi practicè, ac per conſequens eſt ratio ſignificandi ſimul & cauſandi: at ratio cauſandi eſt analoga, cum ſit impropria, utpote moralis & per modum conditionis potiùs, quàm cauſæ, in antiquis; propria verò & per modum cauſæ rigoroſæ etiam phyſicæ in novis ſacramentis; ergo à primo ad ultimum Sacramenta antiqua, & nova, ſunt inter ſe analoga; & confirmatur hoc expreſſis verbis D. Thomæ *in 4. diſt.1. quæſt.*1. *art.*1. *quæſtiunc.*3. *ad* 5. dicentis *Sacramentum non dividitur per ſacramenta veteris & novæ legis ſicut genus per ſpecies, ſed ſicut analogum in ſuas partes.* Sed contrà: concedo, quòd ratio cauſandi gratiam in antiquis & novis ſacramentis reperta ſit analoga; concedo item, quòd ratio ſignificandi gratiam utriſque ſacramentis communis ſit ratio ſignificandi practicè; at ex his malè infertur talem communem rationem eſſe analogam, quia malè ſupponitur rationem ſignificandi practicè debere ſimul eſſe rationem cauſandi, jam enim oppoſitum docuimus ſuprà *num.* 50. Nec refert, quòd hoc non obſtante *ibid. num.*51.& 52. propenderimus ad tribuendam antiquis ſacramentis rationem ſignificandi cum ratione cauſandi conjunctam, ac per conſequens, quòd per noa ratio cauſandi, tanquam in utriſque ſacramentis reperta, videatur eſſe communis ratio ſacramenti non minùs, quam ratio ſignificandi. Non refert, inquam, quia ad tribuendam antiquis ſacramentis rationem cauſandi propendimus ex eo, quod fuerint ſigna promiſſiva novorum, & gratiæ in nova lege dandæ, ſicque ſicut ratio ſigni promiſſivi, ita & ratio gratiam cauſandi antiquis ſacramentis convenit, non tanquam communis ratio ſacramenti, ſed tanquam ratio differentialis, aut quaſi differentialis, à qua, & à ratione

68. *Quomodò antiquis, & novis, ſacramentis communis ſit ratio cauſandi gratiam.*

cauſandi

Digitized by Google

cauſandi in novis ſacramentis reperta ſi quæ
communis ratio abſtrahatur, erit quidem ana-
loga; at non obſtat univocationi ſpecierum,
quòd à differentijs ipſarum ſecundùm proprias
actiones acceptis abſtrahi ſolùm poſſit ratio
analoga. Hinc ſub genere generaliſſimo ſacra-
menti poſſunt tria genera ſubalterna diſtin-
gui: Primum ſacramentorum gratiam ſigni-
ficantium & cauſantium propriè: Secun-
dum gratiam ſignificantium & impropriè
cauſantium: Tertium gratiam ſignifican-
tium practicè & nullatenùs cauſantium. In
primo ſunt ſacramenta novæ legis: In ſecundo
ſacramenta legis antiquæ: In tertio fortè non
fuit hucuſque inſtitutum ullum ſacramentum,
potuit tamen & poteſt inſtitui.

Ad confirmationem deſumptam ex verbis
69. D. Thomæ putant aliqui ipſum impliciè
retractaſſe ſententiam, dum in ſummâ ſæp.,
& ſignanter hic *quæſtio*. 60. & 61. locutus eſt
de ſacramentis antiquis, tanquam veris pro-
prijs & ſimpliciter dictis: Sed meliùs alij
exiſtimant S. Doctorem *præcitat. quæſtione*.
tertia, *ad quintum*, non ex proprio ſenſu
ſcripſiſſe, ſed ut purum Commentatorem
Magiſtri ponentis in definitione ſacramen-
ti rationem cauſæ; quaſi dicat, ſi Sacramen-
tum, ut Magiſter docet, eſt ex genere ſuo
cauſa gratiæ, conſequens eſt ſacramenta ve-
teris & novæ legis eſſe analoga; quod non
eſt abſolutè facere ſacramenta nova & vetera
analoga, ſed eſt facere ea analoga in ratione
cauſæ; qualia & nos facimus.

Dubitatur hic, Utrùm antiquis & novis
ſacramentis ſicut non eſt univoca ratio cau-
ſandi gratiam & ſanctitatem perfectam; ita
neque univoca ſit ratio cauſandi ſanctitatem
aut imperfectam, aut à perfecta & imperfe-
cta abſtrahentem? Reſpondetur, ſi cauſa-
70. re ſumatur in genere cauſæ formalis eſſe om-
nibus ſacramentis univocam rationem cau-
ſandi ſanctitatem imperfectam, undè & hæc
ratio continetur in definitione ſacramenti,
in qua diximus per rationem ſigni ſacri & re-
ligioſi importari ſignum tale non ratione ſo-
lius rei ſignificatæ, ſed etiam ratione ſui, ac
conſequenter per ſe formaliter conferens
ſeu cauſans imperfectam ſanctitatem: Nihi-
lominùs, quia dum de cauſalitate ſacramento-
rum agitur, cauſare ſumi ſolet in genere ef-
ficientis, abſolutè reſpondendum eſt non eſ-
ſe antiquis, & novis ſacramentis univocam
rationem cauſandi, quamvis ſumatur rela-
tè, ad ſanctitatem, aut imperfectam, aut à
perfectâ, & imperfectâ, abſtrahentem: Non
eſt univoca relatè ad ſanctitatem imperfe-
ctam, quia relatè ad hanc ſacramentis non
convenit, aut ſaltem non eſſentialiter con-
venit ulla cauſalitas in genere efficientis, ſed
ſolùm in genere cauſæ formalis, ut mox at-
tigi, cohærenter ad ſupradicta *capite primo*,
paragrapho tertio, *numero trigeſimonono*, Non
71. eſt item univoca relatè ad ſanctitatem abſtra-
hentem à perfectâ, & imperfectâ, quia mo-
dus cauſandi relatè ad ſanctitatem imperfe-
ctam eſt in genere cauſæ formalis, relatè ad
ſanctitatem perfectam eſt in genere efficientis;

Quomodò ſit iiſdem communis ratio cauſandi ſanctitatem imperfectam.

Item ſanctitatem abſtrahentem à perfecta, & imperfecta.

multóque magis, quia non conveniunt in-
ter ſe univocè imperfecta & perfecta, exter-
na & interna, ſanctitas; & poſteriore hoc ti-
tulo etiamſi utraque ſanctitas, imperfecta
quidem ab antiquis, perfecta à novis non
aliter, cauſaretur, quàm efficienter morali-
ter, adhuc utraque ſacramenta non conveni-
rent univocè in ratione cauſandi ſanctitatem.
Nec refert quod eodem modo cauſarent, quia
cauſarent quidem eodem modo ex parte prin-
cipij, & abſolutè; at non ex parte termi-
ni & relatè ad effectum; non cauſarent ſci-
licet eodem modo ſanctitatem ſeu eundem
modum ſanctitatis; & ſicuti videns riſum ho-
minis, & videns riſum prati, ſecundùm ſe
& abſolutè vident eodem modo, quia ta-
men non vident eodem modo riſum, ſeu
eundem modum riſus, non conveniunt
univocè in conceptu videntis riſum, ita ſi-
militer &c.

Dices ex Lugo *præcitat. diſputatio prima*,
numero quadrageſimoſeptimo, quamvis ſan-
ctitas dicatur analogicè de ſanctitate perfe-
cta, adhuc poſſe ſacramentis tribui ratio-
nem univocam cauſandi relatè ad aliquem
conceptum ſanctitatis conceptu univerſalio-
rem, & verè ac propriè ſanctitati imperfe-
ctæ æquè ac perfectæ convenientem, puta
relatè ad conceptum conſecrationis, aut de-
dicationis, & peculiaris conjunctionis cum
Deo. Sed contrà: Hæc ſunt pura & inutilia
verba, nec in re video, cur gratia magis pro- 72.
priè, quam ſanctitas legalis ſanctificet, non
verò etiam magis propriè conſecret dedi-
cet, & conjungat Deo? Deinde ſacramen-
tum in genere debuiſſet definiri & explicari
per habitudinem ad conſecrationem, aut de-
dicationem; non verò per habitudinem ad
ſanctitatem, ſicut tamen explicavit & defini-
vit ipſemet Lugus.

Dices aliter: Gratia & ſanctitas legalis,
quamvis conſiderata directè & abſolutè ſint
analoga, ſi tamen conſiderentur reflexè & re-
ſpectivè ad propriam legem, ſunt univoca;
quia ſanctitas legalis externa, tam fuit pro-
portionata & propria reſpectu legis antiquæ,
quàm ſit proportionata & propria reſpectu
legis novæ gratia & ſanctitas interna; ergo
ſaltem conſiderandu ſacramenta reflexè, &
antiqua relativè ad antiquam, nova relati-
vè ad novam legem, eſt utriſque univoca
ratio cauſandi ſanctitatem. Sed contrà: Con-
venientia plurium, ut ſubſtantium* concep- 73.
tibus reflexis & reſpicientium propria ſub-
jecta diverſa: non eſt convenientia æqualita-
tis ſed proportionis; nec fundat univocatio-
nem, ſed analogiam, quam proportionali-
tatis ſeu proportionis vocant; & quando ſub
conceptibus ac reſpectibus prædictis nova &
antiqua ſacramenta, gratia & ſanctitas le-
galis univocarentur; nulla eſſent adeò diver-
ſa & diſſimilia, quæ non poſſent pariter
univocari, nam maximè diſſimilia poſſunt
concipi ut convenientia in hoc ipſo, quòd
ſint maximè diſſimilia; ultimæ differentiæ in
hoc, quòd faciant ultimò differre. Item
rationalitas & hinnibilitas relativè ad pro-
prium

prium ſubjectum conveniunt, nec minus eſt propria & proportionata reſpectu equi hinnibilitas, quàm ſit reſpectu hominis rationalitas; quin etiam non minus eſt proprius & proportionatus riſus metaphoricus reſpectu prati, quàm riſus verus reſpectu hominis. Inſtantia igitur ſi quid probaret, probaret nimium, ideoque probat nihil, & falſum aſſumit antecedens.

24 Ex facta hucuſque comparatione inter antiqua & nova Sacramenta, & ex ſuperius tradita definitione utriſque communi, formari facilè poteſt duplex definitio, quarum altera antiquorum, altera novorum ſit propria; dicendo, Sacramentum antiquum eſt ſignum ſacrum ſeu religioſum & ſolùm valdè impropriè cauſa gratiæ internæ in quantum ſanctificantis homines, præſertim adultos. Sacramentum novum eſt ſignum ſacrum ſeu religioſum, & propriè cauſa gratiæ internæ in quantùm ſanctificantis homines, ſive parvulos, ſive adultos.

Definitio, altera antiquorum, altera novorum ſacramentorum propria.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

PROPRIA SACRAMENTORVM novæ Legis ex genere ſuo.

17. HVMANARVM rerum inconſtans, & permanſionis diutinæ neſcia conditio, æſtimationem pretiumque attulit vetuſtati, adeò ut ex vulgi ſententia præſtantius judicetur quod antiquius, præſtantiſſimum quòd antiquiſſimum: Non eadem lex eſt rerum divinarum, quæ ſicuti familiarem habent diuturnitatem, ita non ſolent ex ea admodum æſtimari, & ut ſcripſit Tertullianus *debent potius de ſua veritate, quam de vetuſtate cenſeri.* Mirum propterea non ſit divina in lege, diviniſque in Sacramentis, non antiqua novis, ſed antiquis nova præcellere, & ſpecioſum titulum vetuſtatis à pluribus alijs præſtantiæ titulis ſuperari; ex ijs, ut inſigniores in totius libri progreſſu penſitandos ſervem, nonne, quo recentia non vetera gaudent Sacramenta, numerus ſeptennarius ſolemne perhibet ſingularis præcellentiæ documentum? Septenario quippè ſub numero Myſteria latitant penè innumera, illum Baſſus neſcio qua divinitate donavit, & Nicomachus portentoſis illuſtravit nominibus; illum Pytagorici religioſiùs coluerunt, & Sancti Patres numerum univerſitatis appellarunt; illum tandem in præclarioribus quibuſcunque, ſive naturæ, ſive gratiæ, operibus relucere facilè comperiet quiſquis perluſtraverit, quæ de ſeptennarij laudibus erudito expeditoque calamo Bona collegit: Stet igitur ſeptem novæ legis Sacramentis prima; & magis obvia, ex numero nobilitas; ut verò etiam alia majoris nobilitatis & præſtantiæ argumenta proferamus, neceſſe eſt novorum Sacramentorum doctrinam ex profeſſo tradere, ipſamque per cauſas præſertim, & effectus, indagare. Ideò ſit

lib. 1. adverſus Marcionem.

In Pſallentis Eccleſiæ harmonia cap. 2. §. 5. num. 2.

CAPVT I.

De conſtitutivis, & cauſis intrinſecis Sacramentorum novæ Legis.

1. EXISTENTIAM, congruentiam, numerum, & Ordinem Sacramentorum novæ Legis jam ſtabilivimus *lib. præced. c. 2. §. 4.* Ideò in præſenti illicò aſſumimus explicanda ipſorum conſtitutiva, & cauſas intrinſecas, materialem ſcilicet & formalem, ſeu materiam & formam, quæ quidem duplex eſſe poteſt altera totalis, partialis altera; cum enim Sacramenta nova, æquè ac vetera, ſint in genere ſigni, ſicuti ſignum ſumi poteſt vel ſecundum acceptionem omninò adæquatam pro re ſignificante & ſignificatione, vel ſecundùm acceptationem vulgatiorem & uſitatiorem, quamvis non ita adæquatam pro re ſignificante ſeu pro ſubſtrato ſignificationis; ita ſecundum utramque pariter acceptionem ſumi poteſt Sacramentum, & ſi ſecundum utramque inveniatur componi ex materia & forma, materia & forma componentes ipſum primo modo acceptum erunt totales; componentes verò ipſum acceptum ſecundo modo erunt partiales, & ipſamet partialia forma reſpectu formæ totalis ſe habebit ut materia: Nec novum eſt unam formam ſubſtare alteri, tanquam ſubjectum & materiam ejus, nam hoc non ſolùm familiare eſt in compoſitis artificialibus, in quibus forma naturalis formæ artificiali, puta forma ligni ſimul cum ſua materia formæ ſcamni aut cathedræ, tanquam ſubjectum ſubſternitur, ſed & evenit in aliquibus compoſitis phyſicis ijſque ſubſtantialibus, ſic in homine formæ ſubſtantiales partiales ſimul cum materia, cum qua conſtituunt corpus organicum, ſubſtant ſeu ſubſternuntur animæ: In propoſito igitur ſacramenta præter compoſitionem ex re ſignificante & ſignificatione, tanquam ex materia & forma totalibus, facile poſſunt in ratione Sacramenti ſumpti pro re ſignificante habere compoſitionem aliam ex materia & forma partialibus: Portò prior compoſitio, utpotè Sacramentis omnibus communis & eſſentialis, minus pertinet ad hunc locum; magis verò poſterior, utpotè propria novorum Sacramentorum, de quibus non omninò adæquatè, ſed pro ſola re ſignificante, & ſolo ſignificationis ſubſtrato, ſumptis ſolet ſingilla-

Signum & ſacramentū poſſunt, vel omninò adæquatè, vel non ita adæquatè, ſumi.

2. Vna forma poteſt ſubſtare alteri, tanquam ſubjectum & materia.

tim controverti, utrùm omnia componantur ſeu conſtituantur ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma? Pro qua controverſia.

3. Præmitto, in ea nec res ſumi metaphyſicè tranſcendentaliter, prout res cum ente convertitur; nec verba ſumi ſtrictè & formaliter, prout ſolas voces articulatas, & ora prolatas, important; nam primo modo etiam verba ſunt res, ſicut ſunt ens; ſecundo modo alicui novo Sacramento, Matrimonio ſcilicet, verba deſunt aut deeſſe poſſunt: Res igitur debent ſtrictiùs ſumi pro ſubſtantia ſenſibili, aut actione aliqua magis de ſe indeterminata, quàm verba; hæc debent ſumi latius, prout complectuntur etiam ſcripta, & nutus, quæ aliquando adhibemus loco verborum, & ſunt verba ſeu voces æquivalenter, quamvis non formaliter.

4. Præmitto inſuper materiam & formam ſumi poſſe, vel ſecundum proprietatem & primævam nominum impoſitionem, vel ſecundum quandam analogiam & accommodationem: Primo modo materia & forma ſunt ſubſtantiæ incompletæ conſtituentes totum ſubſtantiale, & unum per ſe; quia tamen in his ſubſtantijs incompletis id, quod videtur ut ita dicam magis obvium, atque perſpicuum, eſt quod materia præcedat & ſit determinabilis, forma ſuccedat & ſit determinativa, per analogiam & accommodationem dicuntur materia & forma quæcunque confluunt in unum, itaut alterum præcedat tanquam determinabile, alterum ſuccedat tanquam determinativum; ſic ſubjectum propoſitionis materiam, prædicatum formam, & genus ſpeciei materiam, differentiam formam appellamus, quia dum propoſitio formatur ſubjectum præcedit tanquam terminus indifferens ad hoc vel illud prædicatum, & in ſpeciei conſtitutione gradus genericus eſt prior & præcedit cum indifferentia ad hunc vel illum gradum differentialem: Eandem analogiæ rationem facilè quiſque dignoſcet in eo, quòd compoſita ex eſſentia & exiſtentia; ex natura & ſubſiſtentia, dicimus eſſe ex eſſentia & natura tanquam ex materia, ex exiſtentia & ſubſiſtentia tanquam ex forma. His præmiſſis ſit

Materiæ & formæ, tum propria, tum analogica, acceptio.

§. I.

Utrùm Sacramenta novæ Legis conſtent rebus & verbis, tanquam materia & forma?

5. ASSERT. 1. Omnia Sacramenta novæ legis conſtant rebus, & verbis, ſaltem, æquivalenter. Ita Theologi communiſſimè partim *in 4. diſt. 1.* partim cum D. Thoma *hic quæſt. 60. art. 6.* & licet Durandus *in 4. diſt. 1. quæſt. 3. num. 8.* de Pœnitentia & Matrimonio oppoſitum docuerit, & ſenſerit ſacramentum Pœnitentiæ perfici ſolis verbis confeſſionis & abſolutionis; Sacramentum Matrimonij illis ſolis, quibus conjuges conſenſum exprimunt, idemque de Matrimonio tradiderit Adrianus *quæſt. 2. de Baptiſmo.* Nihilominus hujuſmodi exceptionem Nugnez *hic quæſt. 60. art. 3.* & alij cenſent temerariam, aliqui etiam proſcribunt tanquam hæreticam propter mox afferendam definitionem Concilij Florentini, excuſari tamen aut certè excuſari poſſunt ab hæreſi Durandum eo quòd antè Florentinum Concilium ſcripſerit, ut obſervat Gonetus *diſput. 1. art. 7. num. 85.*

6. Dixi *omnia novæ legis ſacramenta* quia de his ſolis in præſenti agitur, nec eadem eſt ratio de antiquis, imò iſta de facto ſolis conſtabant rebus, ut attigimus *lib. præced. capit. 3. num. 58.* Ex quo Sacramentorum antiquorum à novis diſcrimine conſequens eſt Sacramenta ex genere ſuo præſcindere ab eo, quòd conſtent vel rebus & verbis, vel ſolis rebus, vel etiam (ſi vis) ſolis verbis, & quòd de facto non fuerit inſtitutum ullum ſacramentum aut pro lege antiqua in rebus & verbis, aut pro lege nova in ſolis rebus, aut pro alterutra in ſolis verbis, non fuit ex aliqua intrinſeca repugnantia ſed ex extrinſeca Dei ordinatione, convenientiſſima tamen & vario hominum ſtatui accommodatiſſima.

Sacramenta ex genere ſuo abſtrahunt ab eo quod conſtent vel rebus & verbis; vel ſolis rebus, vel ſolis verbis.

Dixi *ſaltem æquivalenter* quæ particula refertur præcipuè ad verba propter ſacramentum Matrimonij, in quo neceſſe non eſt intercedere verba formalia, ſed ſufficiunt nutus vel ſigna alia, quæ dum ad exprimendum conſenſum ponuntur loco verborum, rectè poſſunt ex præmiſſis dici verba æquivalenter ſeu virtualiter; ab aliquibus tamen propter idem matrimonij ſacramentum eadem particula refertur etiam ad res ut attingetur infrà *numero nono, & decimo*, Aſſertum ſic explicatum

7. Probatur expreſſa definitione Concilij Florentini in decreto unionis, ubi de ſeptem novæ legis ſacramentis ait *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur: rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Confirmatur partim ex Scriptura, partim ex Traditione, nam ex Scriptura pro Baptiſmo habetur Matth. 28. *Baptizantes eos* (Ecce res) *in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti* (Ecce verba pro Confirmatione Act. 8. *Quum veniſſent oraverunt pro ipſis* (ecce verba) *tunc imponebat manus ſuper illos* (ecce res.) Pro Euchariſtia Matth. 26. *Accepit Ieſus panem. Et accipiens calicem* (ecce res) *ait Hoc eſt corpus meum. Hic eſt enim ſanguis meus* (ecce verba.) Pro Extrema-Unctione Iacob. ult. *Vngentes eum oleo* (ecce res) *in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum* (ecce verba.) Pro reliquis tribus Sacramentis Pœnitentia, Ordine, & Matrimonio, quod in Scriptura deſideratur ſupplet traditio Eccleſiæ aliquorum antiquorum Patrum teſtimonio, Fidelium praxi, & tandem Concilij Florentini decreto ad nos deducta. Confirmatur inſuper congruentijs, quas pro neceſſitate rerum ſimul & verborum in novis potiùs, quam in veteribus ſacramentis jam ex D. Thoma inſinuavimus *præcit. num. 58.* & quidem congruentia ibi primo loco poſita corroborari poteſt ex eo, quòd ſpiritualium notitiam comparamus per viſum præcipuè qui circa res, &

Omnia tamen nova rebus, & verbis, conſtant.

auditum

auditum qui circa verba verſatur, nova igitur ſacramenta, ut melius nos ducerent ad intelligendos ſpirituales gratiæ effectus debuerunt conſtare tum rebus quibus per viſum tum verbis quibus per auditum nobis ſpiritualium intelligentiam ingererent.

8. Major aſſertæ veritatis elucidatio, & accuratior per ſingula ſacramenta inductio, ſpectat ab particulares ſingulorum ſacramentorum tractatus; undè etiam rationem dubitandi ſolitam ex Durando afferri contrà Pœnitentiam & Matrimonium neceſſe non eſt nunc ex profeſſo examinare, & de varijs, quos varij circa eam tradunt ſolutionis modis, judicium ferre; ſed ſufficit modos ipſos cum ſuis Auctoribus indicare & quidem omittendo eos Auctores, qui latius ſumendo materiæ nomen contenti ſunt aſſignare res pro materia remota & circa quam, ſicque dicunt res, quæ ſe habent ut materia reſpectu pœnitentiæ, eſſe peccata, reſpectu Matrimonij eſſe contrahentium corpura: Hos, inquam, omittendo tanquam parum ad rem locutos & quaſi extra chorum ſaltantes; reliqui loquentes, ut loquendum eſt, de materia etiam proxima & ex qua

9. Quomodò rebus & verbis conſtet ſacramentum Pœnitentiæ. Quoad ſacramentum Pœnitentiæ diviſi ſunt in duos potiſſimum dicendi modos: Primus eſt ipſam confeſſionem, quamvis formaliter in verbis conſiſtat, eſſe tamen æquivalenter ſeu virtualiter res, quia non tam ponitur ad ſignificandum internum loquentis ſeu confitentis conceptum, quam ad exprimendam peccatorum patratorum malitiam, & ſic æquivalet reali talium peccatorum exhibitioni, quod eſt æquivalere rebus; quibus etiam alio titulo confeſſio æquivalet, nimirùm ex eo quod ſubſternatur ſignificationi ſacramentali ut quid determinabile, non ut quid determinativum, abſolutio quippè confeſſionem, non confeſſio abſolutionem determinat ad ſignificandam gratiam & peccatorum remiſſionem quod autem ſe habet ut res: Ita Maſtrius *diſp.* 1 *q.* 3. *n.* 102. Joannes à S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 6. *dub.* 1. *ad* 1. Gonetus *diſp.* 1. *art.* 7. *n.* 100 Eſparza *q.* 3. *ad* 1. Secundus dicendi modus aſſignat pro re in ſacramento Pœnitentiæ internum cordis dolorem, qui licet ſecundum ſe ſit inſenſibilis, redditur ſenſibilis per externam oris confeſſionem, & ut taliter ſenſibilis redditus optimè poteſt ingredi conſtitutionem ſigni ſacramentalis ſenſibiliter ſignificantis: Hincque inſuper fit confeſſionem, quatenùs reddit dolorem ſenſibilem, & doloroſa eſt, ſe tenere ex parte ejus, quod eſt res; & ipſam quoque induere aliquam rationem rei, quamvis formaliter in verbis conſiſtat. Ita Amicus *diſp.* 3. *ſec.* 1. *num.* 6. Lugus *diſp.* 3. *ſec.* 1. *num.* 4. Madernus *q.* 1. *art.* 5. *num.* 5.

10. Quomodò iiſdem conſtet Sacramentum Matrimonij. Quoad ſacramentum Matrimonij primus dicendi modus eſt verba, quæ ab alterutro Conjuge proferuntur æquivalere rebus ſeu eſſe æquivalenter res, quæ verò ab altero Conjuge proferuntur poſteriùs retinere propriam rationem & denominationem verborum; eo quod ſub prioribus verbis Matrimonium ſit adhuc imperfectum, indifferens, & incompletum; perficiatur verò, determinetur, & compleatur per poſteriora: Ita Richardus *in* 4. *diſt.* 26. *art.* 4. *q.* 1. Victoria in ſumma *n.* 245. Henriquez *lib.* 11. *c.* 2. Ledeſma, Vega, & aliqui alij. Secundus modus eſt ex parte utriuſque contrahentis dari verba ſeu ſigna tum exprimentia traditionem, id eſt æquivalentia traditioni corporum; tum exprimentia eorundem corporum acceptationem; vel potiùs iiſdem verbis importari corporum traditionem & acceptationem ab utroque contrahente factam, & quia traditio ex ſe præciſe ſuſpenſa manet & imperfecta, donec acceptetur, verba primo modò accepta dicuntur æquivalere rebus, accepta ſecundo modo habere propriam rationem verborum: Ita Suarez *hic diſp.* 2. *ſec.* 1. § *Sed occurrit* Lugus *diſp* 2 *ſec.* 1. *n.* 29 Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio diſp.* 5. *nu.* 6 Maſtrius *in* 4 *diſp.* 7. *q* 2. *n.* 53. Lauræa *diſp.* 24. *art.* 3. & 4. cum reliquis Scotiſtis, & Recentioribus magis communitet. Tertius modus eſt dari etiam in Sacra- 11.
mento Matrimonij res formaliter tales, diſtinctaſque omninò à verbis, & hujuſmodi eſſe mutuum conſenſum internum utriuſque contrahentis, qui quidem conſenſus, licet non ſenſibilis per ſe ipſum præciſe, eſt ſenſibilis per verba vel nutus, quibus exprimitur; ſenſibilitas autem requiſita ad rem, quâ ſacramentum conſtat, non eſt neceſſe, quod tali rei conveniat per ſe, ſufficit quod conveniat per aliud; nam corpus Chriſti in Euchariſtia per ſpecies, non per ſe; dolor in pœnitentia per confeſſionem, non per ſe habent ſenſibilitatem; Nec refert, quod ſpecies & Confeſſio ſe teneant ex parte materiæ, imò ſint pars materiæ; & illæ in Euchariſtia ſint res formaliter, iſta in pœnitentia ſit res æquivalenter; verba autem vel nutus in Matrimonio juxta hunc dicendi modum habeant rationem formæ & neque æquivalenter ſint res. Non refert, inquam, quia ſi ſemel in Sacramento ſufficit ſenſibilitas, quæ habeatur in una re per aliam, in una per aliam partem materiæ, nulla eſt ratio, cur nequeat ſufficere ſenſibilitas, quæ habeatur in re per verba, in materia per formam: Ita Navarrus in Manual. *c.* 22. *n.* 26. & Canoniſtæ communiter *cap. Tua nos. de Sponſal.* quibus accedunt Valentia de Matrimonio *diſp.* 10. *q.* 1. *punc.* 6. Averſa *quæſt.* 2. *ſec.* 3. alijque nonnulli Recentiores. Ex tribus his modis primus receptior eſt inter Summiſtas; Tertius inter Canoniſtas; Secundus eſt mediùs inter Scholaſticos, adeóque hoc ſaltem titulo poteſt nobis, qui ſcholaſtice ſcribimus, peculiariter arridere.

Aſſert. 2. Omnia Sacramenta novæ legis 12.
conſtant rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, intelligendo nomine materiæ, & formæ conſtitutiva intrinſeca & eſſentialia per analogiam ad ſubſtantias incompletas conſtituentes totum ſubſtantiale, & unum per ſe. Hoc aſſertum eſt in univerſum contrà Cabreram *diſp.* 2 *art* 6. non agnoſcentem in ſacramentis aliam formam præter ſignificationem, prout originem ducit à verbis: eſt inſuper ex parte contrà Suarium *diſput.* 2. *ſec.* 2. §. *Dico tamen.* Amicum *diſp.* 2. *ſec.* 2. *num.* 9. Maſtrium *diſp.* 1. *q.* 3. *art.* 2. & alios tum Recentiores non paucos, tum Scotiſtas communiter à præſenti aſſerto excipientes Euchariſtiam, eo quòd non conſiſtat in uſu, ut cætera ſacramenta ſed permanens

Verbis quidem tanquam formâ rebus tanquam materia; utriſque tanquam conſtitutivis intrinſecis & eſſentialibus.

manens ſit adeóque non videatur poſſe ex verbis tranſeuntibus intrinſecè conſtitui. Sotus etiam à nonnullis cenſetur totam Sacramentorum eſſentiam atque ſubſtantiam in rebus, ſeu in materia collocaſſe: Scotus item ſecundum aliquos docuit ablutionem in baptiſmo, abſolutionem in pœnitentia habere totam vim ſignificandi. Verùm juxtà communiorem intelligentiam alia eſt Soti & Scoti mens, ut quoad Sotum videre eſt apud Arriagam *diſput.* 3. *ſec.* 1. quoad Scotum apud Maſtrium *præcit. q.* 3. *n.* 106. Quidquid de his ſit, aſſertum ea univerſalitate, qua poſitum eſt, tueniur cum D. Thoma *hic q.* 60. *art* 6 *ad* 2. & *art.* 7. Joann. à S Thomà *diſp* 22 *art* 6. *dub.* 1 & 2. Gonetus *diſput* 7. *art.* 1. §. 1. Lugus *diſp.* 2. *ſec.* 3 Eſparza *lib.* 10 *q.* 3. Maderus *q.* 1. *art.* 6. & tùm tota ſchola Thomiſtica, tum major pars Recentiorum.

13. Probatur primò ex verbis Concilij Florentini allegatis *præced n.* 7. quibus non utcumque dicitur ſacramenta perfici rebus & verbis, ſed expreſsè additur, tanquam materia, & tanquàm formâ; materia autem & forma abſolutè prolata ex uniformi uſu & unanimi conſenſu ſignificant conſtitutiva intrinſeca & eſſentialia: Nec refert, quòd *ibid.* Concilium aſſignans ſingulorum ſacramentorum materias, non pro omnibus aſſignet materiam proximam & *ex qua*, quæ ſola eſt conſtitutivum eſſentiale & intrinſecum; ſed afferat v. g. pro materia baptiſmi aquam, pro materia Euchariſtiæ panem & vinum, quæ ſunt talium ſacramentorum materia remota, circa quam, & extrinſeca. Non refert, inquam, quia cum Concilium intenderet doctrinæ ſacramentariæ veritatem contra hæreticos & ſchiſmaticos ſtabilire, jure debuit in particulari illas materias aſſignare, circa quas inſurrexerant, aut inſurgere facilè poterant, hæreſes & ſchiſmata, etiamſi deindè non eſſet materia proxima & illa eadem, de qua procedunt præallegata verba. Porrò ex eo, quòd idem Concilium non dicat ſimpliciter res eſſe materiam, verba formam, ſed utatur modificatione illa *tanquam* deducitur illud, quod in aſſerto additur nimirum materiam & formam in præſenti ſumi per analogiam; undè etiam Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. actus pœnitentis non appellat ſimpliciter materiam, ſed quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Cur verba dicantur tanquam forma res tanquam materia aut quaſi materia, non forma & materia ſimpliciter.

14. Probatur ſecundò ratione, & explicatur. Res & verba conſtituunt intrinſecè eſſentiam cujuſlibet novi ſacramenti, adeò ut in tali conſtitutione res ſint priores & habeant rationem determinabilis; verba ſint poſteriora & habeant rationem determinativi; ergo quatenùs conſtituunt intrinſecè eſſentiam ſunt conſtitutiva eſſentialia intrinſeca, quatenùs res ſunt priores verba poſteriora, & illæ habent rationem determinabilis, iſta determinativi, ſunt materia & forma analogicè ſeu per analogiam ad ſubſtantias incompletas conſtituentes &c. quæ ſunt materia & forma ſecundùm proprietatem & primævam nominum impoſitionem, ut præmiſſum eſt *n.* 4. ergo, à primo ad ultimum omnia novæ legis ſacramenta conſtant rebus, tanquam materia &c. Antecedens probatur, quia ex una parte ſolis rebus, vel ſolis verbis, poſitis non ponitur, & alterutris ſolis remanentibus non remanet tota eſſentia ullius novi ſacramenti, ut aliquantulùm conſtabit ex dicendis de intentione Miniſtri, pro hac excludenda à conſtitutione intrinſeca ſacramentorum, quamvis videatur ad iſta requiri æquè ac
res & verba; ex alia parte res ſecundùm ſe, ut- 15.
potè non inſtitutæ ad ſignificandum & ad diverſos ſæpè effectus cauſandos ac ſignificandos idoneæ, habent ſignificationem magis vagam & magis indeterminatam, quàm verba; & hæc, utpote à ſacramentorum Miniſtris proferenda ſuprà res, præſupponunt ante ſe res, ut perſpicuum fiet diſcurrenti & expendenti ſingula ſacramenta & ritum pro ſingulis ſervandum; Neque hic expedit magis dearticulatè ſingula proſequi, ſpectant enim ad proprios tractatus de ſacramentis in particulari, & potiſſimum ad tractatum de Sacramento Euchariſtiæ ſpectat ſtatuere, quomodò Euchariſtia cùm permanens ſit poſſit conſtitui ex verbis tranſeuntibus? explicando quomodò forma conſecrationis, quamvis tranſeat phyſicè permaneat moraliter, ſeu virtualiter, quouſque permanet Euchariſtiæ ſacramentum? hocque ſufficiat, ut ex illis iſtud intrinſecè conſtituatur. Ex iiſdem proprijs tractatibus repetenda eſt ſolutio difficultatum ſigillatim in re præſenti militantium contrà aliquod particulare ſacramentum, dum nos ſubjicimus & ſolvimus, eas ſolas, quæ ſunt omnibus ſacramentis novis communes.

Dices primò: Verba non ſunt de novorum ſacramentorum ſubſtantia; ergo neque ſunt de novorum ſacramentorum eſſentia; ergo nova ſacramenta non conſtant verbis, tanquam forma & conſtitutivo eſſentiali; prima conſequentia patet, quia eſſe de eſſentia eſt idem ac eſſe de ſubſtantia, aut etiam aliquid ampliùs; antecedens probatur, quia verba adveniunt rebus, tanquam quid accidentale, non tanquam quid ſubſtantiale: Item à ſacramento importantur in obliquo, ut importatur accidentalis forma ab accidentali concreto; non in recto ut importatur forma ſubſtantialis à concreto ſubſtan-
tiali. Sed contra: Sicut ſacramentum in eſſe 16.
morali habet rationem totius ſubſtantialis, ita verba dici poſſunt eſſe de ſubſtantia ipſius ſumpti in eſſe morali, quamvis non ſumpti in eſſe phyſico; advenire rebus tanquam quid ſubſtantiale morale, etſi non tanquam quid ſubſtantiale phyſicum: Vel abſtrahendo ab eo, quod ſacramentum ſit moraliter totum ſubſtantiale permitto antecedens, nego conſequentiam; & quamvis in totis ſeu compoſitis ſubſtantialibus eſſe de eſſentia ſit eſſe de ſubſtantia, non ſic in compoſitis accidentalibus; nam forma quælibet accidentalis eſt de eſſentia ſui accidentalis compoſiti, æquè ac forma ſubſtantialis ſit de eſſentia ſui compoſiti ſubſtantialis; & tamen illa non eſt de ſui compoſiti ſubſtantia, nec ſuo ſubjecto advenit, tanquam quid ſubſtantiale. Hinc etiam quando daretur verba per ſacramentum in obliquo importari, non proptereà importarentur accidentaliter & tanquam non de eſſentiâ; cum forma ipſa accidentalis quam in exemplum afferunt Adverſarij, quamvis importetur in obliquo, importetur eſſentialiter & tanquam conſtitutivum à ſuo

Verba in quonam ſenſu ſint, vel non ſint, de ſubſtantia ſacramenti?

In recto ne, an in obliquo per ſacramentum importetur.

ſuo compoſito, ſeu à ſuo concreto. In re deindè ſentiendum ne ſit verba per ſacramenta nova importari in recto, an in obliquo? quamvis hoc loco tractetur ab aliquibus nimirùm ab Arriaga *diſp. 5. ſec. 5.* à Lugo *diſp. 2. ſec. 3.* & ab Eſparza *lib. 10. q. 8.* frequentiùs tamen & ſolemniùs tractatur, dum agendo de Euchariſtia examinatur id ſingillatim in verbis conſecratorijs; hunc in locum placet & nobis quæſtionem ſervare, & pro nunc ſufficiat dicere extendendum proportionaliter eſſe ad verba, quibus alia nova ſacramenta conſtant, illud quod ibi de verbis conſecratorijs in obliquo, vel in recto, per Euchariſtiam importatis ſtatuetur.

17. Dices ſecundò: Sacramenta nova non important eſſentialiter res & verba; ergo non conſtant ex ipſis tanquam ex materia & forma ſignificantibus conſtitotiva intrinſeca & eſſentialia; conſequentia patet, antecedens probatur: Illud ſolum res aliqua importat eſſentialiter, quod importat ſecundùm ſuum conceptum, aut genericum, aut differentialem; conceptus enim genericus & conceptus differentialis, genus & differentia, ſunt tota eſſentia rei, unde definitio quælibet cenſetur adæquata & totam definiti eſſentiam explicans quoties per genus & differentiam traditur; atqui ſacramenta nova non important res & verba ſecundùm ſuum conceptum genericum, quia iſte conceptus genericus idem eſt in ſacramentis antiquis res & verba non importantibus: Neque ſecundùm ſuum conceptum differentialem, quia conceptus differentialis ſacramentorum novorum ab antiquis *ex lib. præced. c. 3. §. 4.* attenditur penes perfectiorem majoremvè virtutem cauſativam & ſignificativam gratiæ habitualis; at hæc virtus non eſt eſſentialiter alligata rebus & verbis, adeò ut nequeat ſolis rebus communicari; nec eſt ulla ſufficiens ratio repugnantiæ, ob quam ad cauſandam in ſuſcipiente ſacramentum gratiam habitualem de præſenti poſſint dumtaxat à Deo inſtitui & elevari res ſimul & verba; non etiam res ſeorſim à verbis, aut verba ſeorſim à rebus. Confirmatur ex eo quod in calce libri præcedentis *num. 74.* ſacramenta nova definivimus nulla facta mentione compoſitionis ex rebus & verbis; ergo vel hæc compoſitio non eſt de eſſentia novorum ſacramentorum, vel illa definitio mutila fuit & non explicans totam eſſentiam

18. ſui definiti. Sed contrà: Non loquimur hic de ſacramentis novis quomodocumque, & ut abſtrahentibus ab hac, vel illa, inſtitutione, ſed de ſacramentis novis exiſtentibus de facto, & ut terminantibus eam inſtitutionem, quam de facto habuerunt; Inſtantia autem ſi quid probat, probat de Sacramentis novis priore, non poſteriore modo conſideratis; ideò &c. In forma igitur diſtinguo antecedens, Sacramenta nova quomodocunque accepta, & ut abſtrahentia ab hac, vel illa, inſtitutione non important eſſentialiter res & verba, concedo; ſacramenta nova de facto exiſtentia, & ut terminantia præſentem inſtitutionem, non important &c. nego antecedens; & in eodem ſenſu, nego conſequentiam; ad antecedentis probationem dico in primis poſſe aliquid importari eſſentialiter, quod neque importetur ſecundùm conceptum genericum, neque ſecundùm conceptum differentialem ſeorſim, importetur verò ſecundum utrumque collectim, ſic ſubſtantia creata importat eſſentialiter eſſe naturale, ſeu naturalis ordinis, & tamen hoc non importat ſecundùm conceptum aut genericum ſubſtantiæ, aut differentialem creati ſeorſim, ſed ſecundùm utrumque collectionem; ſic quantùm eſt ex vi præſentis argumenti proportionaliter dici poſſet ſacramenta nova importare eſſentialiter compoſitionem ex rebus & verbis ſecundùm utrumque generis & differentiæ conceptum ſimul, quamvis ſecundùm

Res & verba importantur eſſentialiter à ſacramentis novis, non ut ſunt præcisè ſacramenta nova, ſed ut ſunt de facto inſtituta.

neutrum ſeorſim: Nihilominùs data abſolutè majore, & conceſſa prima parte minoris; diſtinguo ſecundam, neque ſecundùm conceptum differentialem quomodocumque acceptum & abſtrahentem ab hac vel illa, inſtitutione, concedo; de facto exiſtentem & ut terminantem præſentem inſtitutionem, nego: eademque ratione dico virtutem perfectè cauſativam &c. non eſſe eſſentialiter alligatam rebus, & verbis, relatè ad nova ſacramenta quomodocunque, benè verò relatè ad nova ſacramenta de facto exiſtentia & ſiſtendo in præſenti inſtitutione. Ad confirmationem dico nos definiviſſe nova ſacramenta ſecundùm ſe & abſtrahendo ab inſtitutione, quam de facto habent; ideò non debuimus mentionem facere, aut apponere ullum prædicatum illativum eorum, quæ iiſdem ſacramentis eſſentialia ſunt dependenter à præſenti inſtitutione. 19.

Urgebis accidentale eſt novis ſacramentis terminare præſentem inſtitutionem potiùs, quàm aliam; ergo pariter accidentale eſt quidquid illis dependenter à præſenti inſtitutione convenit, ergo dicere, quòd res & verba conveniant novis ſacramentis eſſentialiter, & dicere quòd iiſdem conveniant dependenter à præſenti inſtitutione, ſeu ex ſuppoſitione præſentis inſtitutionis, eſt contradicere in terminis. Sed contrà: eodem modo dici poſſet, accidentale fuit baptiſmo inſtitui in aqua naturali potius, quam in artificiali, accidentalis eſt parieti albedo, ergo dicere quòd baptiſmus ſuppoſita præſenti inſtitutione eſſentialiter requirat aquam naturalem, nec poſſit validè in artificiali miniſtrari; item quod parieti ſuppoſita albedine eſſentialis ſit diſgregativitas viſus, eſt in terminis contradicere: Illud igitur quod alteri convenit dependenter ab aliquo accidentali eſt accidentale illi ſumpto ſecundùm ſe, at non eſt accidentale eidem ſumpto ſimul cum illo accidentali priore, puta parieti ſecundum ſe, non ſimul cum albedine ſumpto accidentalis eſt diſgregativitas viſus. eadem ratione ſacramentis novis ſecundum ſe præcisè, non ſimul cum præſenti inſtitutione ſumptis, accidentalis eſt compoſitio ex rebus & verbis; ex adverſo eſt illis eſſentialis ſumptis ſimul cum præſenti inſtitutione, non ſecundùm ſe, & ideò *n. 18.* monui nos hic loqui de ſacramentis novis, non quomodocumque, & ut abſtrahentibus &c. 20.

Quomodò poſſit eſſe de eſſentia id, quod alicui conveniat dependenter ab aliquo accidentali.

§. II.

Quam ſimultatem requirant: Undè determinationem habeant: Et quomodò mutationem admittunt res & verba in Sacramentis novæ legis?

21. ASSERT. 1. Res & verba in ſacramentis novæ legis nequidem ſecundùm aliquam ſui partem requirunt ſimultatem phyſicam, aut temporis, aut loci; requirunt tamen ſimultatem moralem. Ita Nugnus *hic diſp.* 60 *diff.* 2. Joannes a S.Thoma *diſp.* 22. *art.* 6. *dub.* 2. Suarez *diſput.* 2 *ſec.* 2. §. *ſed quæres.* Amicus *diſp.* 5. *ſec.* 3. Maſtrius *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *n.* 108. Madernus *quæſt.* 1. *art.* 8. & alij communiter contra Gloſſam *in cap. detrahe.* 1. *quæſt.* 1. requirentem ſimultatem etiam mathematicam inter applicationem materiæ, & ultimum inſtans prolationis formæ: Item contra aliquos arbitratos res & verba debere ſibi phyſicè coëxiſtere ſecundùm aliquam ſui partem indeterminatè, adeò ut vel incipiat applicatio materiæ antequam abſoluatur prolatio formæ ut volebat etiam mathematicè loquendo gloſſa; vel è contra incipiat prolatio formæ, antequam abſolvatur applicatio materiæ; referuntur pro hoc dicendi modo Richardus *in* 4 *diſt.* 3. *artic.* 4. *quæſt.* 1. Scotus *diſt.* 6. *quæſt.* 1. Robio *ead. diſtinct. quæſtio prima, articul. ſecundo*, Gabriel *quæſtio. prima, articul. ſecundo*, *concl. octava*, Verùm de Richardo Suarez ait ipſum putaſſe ſufficientem, at non neceſſariam talem ſimultatem ſeu coëxiſtentiam phyſicam; hancque eandem Maſtrius cenſet fuiſſe à Scoto requiſitam non abſolutè & ſimpliciter; ſed ad meliùs eſſe, & ad tollendos ſcrupulos. Quidquid ſit de iſtorum Auctorum mente,

22. *Nullum novæ legis ſacramentum poteſt exiſtere phyſicè totum ſimul.*

Probatur & explicatur aſſertum in quo advertenter dixi *Nequidem ſecundùm aliquam ſui partem*, nam quòd res & verba non requirant ſimultatem phyſicam ſecundùm omnes ſuas partes, perſpicuum eſt ex eo, quòd nec verba ipſa ſecundùm ſe, imò ut plurimùm nec res habere poſſint talem phyſicam ſimultatem; non poſſit ſcilicet primum alicujus formæ ſacramentalis verbum eſſe phyſicè ſimul cum ultimo, nec inceptio actionis, quæ ut plurimùm eſt res & materia ſacramenti, eſſe phyſicè ſimul cum continuatione; ratio facilis ac ineluctabilis eſt, quia ens ſucceſſivum, cujuſmodi ſunt, tùm verba, tum ut plurimum res novorum Sacramentorum conſtitutivæ, nequit habere omnium, imò nec duarum ſui partium phyſicam ſimultatem ſeu coëxiſtentiam: ſolùm igitur in præſenti locus eſt difficultati in rebus & verbis conſideratis ſecundùm aliquam ſui partem præſertim indeterminatam; & neque hoc modo requiri ſimultatem phyſicam probo ex eo, quòd res & verba in ſacramentis nequidem ſecundùm aliquam ſui partem componunt phyſicè, aut ſaltem non conſiderantur ſecundùm compoſitionem phyſicam; ergo nequidem ſecundùm aliquam ſui partem requirunt phyſicam ſimultatem; partium enim ſimultas quoad tempus & locum requiritur propter ipſarum unionem; ergo ſufficit, quòd ſit in eodem genere, in quo eſt unio, neque requiritur phyſica, ubi unio eſt tantùm moralis: Patet hoc maximè in Sacramento Pœnitentiæ, in quo quando Sacerdos incipit proferre verba abſolutionis, actus pœnitentis, qui ſunt res & materia, jam non ampliùs exiſtunt phyſicè ſecundùm aliquam ſui partem, nam confeſſio ſemper ſupponitur antecedenter abſoluta, & dolor non eſt neceſſe quod actu poſt confeſſionem perſeveret, aut de novo eliciatur tempore abſolutionis; quin ſufficit etiam dolor paulò antè confeſſionem elicitus. Porrò ſicut unio phyſica phyſicam, ita unio moralis, quæ certè inter res & verba in ſacramentis negari nequit, moralem ſimultatem requirit; & cum tùm prolatio verborum, tùm res quæ ſunt ſacramentorum materia, ſint quidam actus humani, poteſt hic univerſim inter res & verba moralis ſimultas explicari eodem modo, quo regulariter explicatur inter cæteros humanos actus ad hoc ut plures cenſeantur coaleſcere vel in unum contractum, vel in unum peccatum, vel in quid ſimile. Non tamen eadem protsùs regula, & quaſi menſura, ſervanda eſt reſpectu omnium Sacramentorum; imò proſequendo eandem paritatem ſicuti in humanis actibus ad coaleſcendum in aliquod unum morale diverſi diverſam, aliqui majorem ſimultatem requirunt, aliqui minore contenti ſunt; ita proportionaliter evenit in rebus & verbis diverſis, ut coaleſcant in unum ſacramentum: & quidem, quia in quolibet ſacramento verba habent rationem formæ & determinativi, penes ipſa potiſſimum debet regulari modus ſimultatis; & cum ex communi ſenſu pronomina demonſtrativa ad ſui verificationem poſtulent rem magis præſentem, majorem res inter & verba exigunt ſimultatem, minoremque admittunt, aut temporis moram, aut loci diſtantiam, ea ſacramenta, quæ perficiuntur verbis continentibus pronomina materiæ demonſtrativa: Hinc Amicus *præcitat. ſec.* 3. *numero decimonono*, majorem rerum cum verbis ſimultatem requirit in Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Extrema unctione; & Ordine: Minorem in pœnitentia ſervante formam judicij: Minimam in Matrimonio ſervante formam civilis contractus, undè etiam poteſt inter abſentes & valde diſtantes celebrari; quæ Amici deductio quàm vera ſit, & quas in ſingulis Sacramentis difficultates patiatur? non eſt hujus loci examinare, niſi velimus tractationi ſacramentorum in genere permiſcere propria ſacramentorum in ſpecie.

Nullum item requirit quod res & verba ſibi phyſicè coëxiſtant ſecundùm aliquam ſui partem.

23. *Requirit verò quod ſibi coëxiſtant moraliter.*

24. Dices in univerſum: Quando profertur ultima ſyllaba formæ debet perfici Sacramentum; atqui hoc aliquando non eveniret, ſi ſufficeret præaſſerta ſimultas moralis, ſi nimirum poſſet validè forma etiam quoad ultimam ſyllabam proferri, antequam eſſet phyſicè cæpta actio inſerviens pro materia; in hoc quippe caſu pro ultimo inſtanti prolationis formæ,

materia

materia nondum exiſtit phyſicè ut ſupponitur; at nec exiſtit moraliter, quia exiſtentia moralis ſupponit anteceſſiſſe exiſtentiam phyſicam; ergo. Major probatur quia verba ſacramentalia faciunt quod ſignificant, adeoque ſacramentum fit, quando perficitur verborum ſignificatio; hæc autem perficitur, quando ultima
25. ipſorum ſyllaba profertur; ergo. Sed contrà; diſtinguo majorem, quando profertur ultima ſyllaba formæ adeò ut ſit tum phyſicè, tum moraliter terminata, debet perfici ſacramentum, concedo; quando profertur ultima ſyllaba formæ ſecundum ſuam terminationem phyſicam, at non ſecundum terminationem moralem; nego majorem; ad cujus probationem dico fieri ſacramentum, quando perficitur tum phyſicè tum moraliter verborum ſignificatio, non quando perficitur ſolùm phyſicè; perficitur autem ſolum phyſicè verborum ſignificatio, & eſt ſolùm phyſicè terminata forma; quando materia, ſuprà quam cadit, nondum exiſtit, in hoc quippe caſu formæ prolatio continuatur quodammodo moraliter quo uſque ſit exiſtens materia, quod tamen rarò admodum & in paucis Sacramentis evenire poteſt, ſimultas enim moralis rerum & verborum ſufficiens ad Sacramenta conſtituenda facilius habetur per præcedentiam phyſicam rerum ad verba, quàm verborum ad res; ſic in Pœnitentia & Euchariſtia nequeunt verba verificari ſi proferantur antè exiſtentiam phyſicam materiæ, & fortè ſolùm in Ordine & Matrimonio verba habentia rationem formæ poſſunt validè proferri paulò antè, quàm incipiat actio habens rationem materiæ, ut quoad ordinem in particulari explicat Madernus *præcit. art. 8. n. 8.*

26. Aſſert. 2. Res & verba in ſacramentis novæ legis habent determinationem ex inſtitutione Chriſti: Non eſt tamen hæc determinatio æqualis, ſed major in verbis, quam in rebus; major in uno Sacramento, quam in alio. Ita omnes Scholaſtici cum D. Thoma *hic quæſt. 60. art. 5. & 7.* & præſertim quoad verba, de quibus eſt cum Sectarijs controverſia latiùs rem tractant Lugus *diſput. 2. ſec. 4. & 5.* Amicus *diſp 2 ſec. 4.* Herincx *diſp. 2. quæſt. 2.* Madernus *quæſt. 1. art. 9. & 10.* Valentia *diſp 3. quæſt. punc. 2.* & Bellarminus *lib. 1. de Sacram. in gen cap.* 19 & 20. ubi eruditè refert, quàm impiè in hoc puncto hæretici ſenſerint de catholica veritate, dum verba quæ nos ſemper eadem ſuprà ſacramentorum materias proferimus modo conſecratorio & rituali, dicunt eſſe ſuperſtitioſa & ſpeciem Magiæ præſeferentia, volunt autem ipſi talia verba eſſe concionatoria, & debere dirigi ad populum inſtruendum, ſicque non eſſe determinata, ſicuti non ſolent eſſe determinata verba concionum. Præter hunc recentiorum Hæreticorum errorem fuit circà aſſertum dogma error alius quaſi in oppoſitum extremum declinans; Pauliciani enim, ut refert Euthymius *in 2. par. Panopliæ titul. vigeſimoprimo*, putarunt dari pro Sacramentis verborum, non rerum determinationem, adeò ut dummodò ſervetur eadem verborum forma, per quamcumque cujuſcumque rei ſeu materiæ applicationem conficiatur Sacramentum, & producatur ſacramentalis gratia.

Errores oppoſiti circa determinationem rerum & verborum in ſacramentis.

27. Probatur prima pars: Verè datur in ſacramentis novæ legis rerum & verborum determinatio, ut quoad plura ſacramenta habetur expreſsè ex Scriptura locis inſinuatis *præced. num. 7.* quoad omnia verò ex perpetua praxi & traditione Eccleſiæ; atqui hujuſmodi determinatio non provenit à Sacramentorum Miniſtris, vel ab Eccleſia, quia pertinet ad ſacramentorum ſubſtantiam, Eccleſia autem ex Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 2.* non habet in ſacramenta poteſtatem niſi ſalua ipſorum ſubſtantia, non item provenit immediatè à Deo ſolo, quia determinare in ſacramentis res & verba eſt ſtatuere ſacramentorum conſtitutiva, adeóque eſt ſacramenta inſtituere, Deus autem non inſtituit de facto per ſe ſolum immediatè ullum novæ legis ſacramentum; ut certum eſt ex Tridentino *ſeſſ. 7. can* 1. anathematizante eum, qui dixerit *Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta*; provenit igitur prædicta determinatio ex inſtitutione Chriſti; ac per conſequens res & verba in ſacramentis novæ legis &c. Confirmatur ex eo, quod Chriſto tanquam Eccleſiæ Capiti valde congruebat tribuere omnibus Eccleſiæ membris uniformem ſacramentorum ritum, nec potuit id meliùs præſtare, quàm determinando ſacramentorum materias & formas, ſeu res & verba. Perfectioni etiam legis gratiæ debebantur clariora & expreſſiora ipſius gratiæ ſigna; ſignum autem eo eſt clarius & expreſſius, quo eſt in rebus determinatioribus inſtitutum.

Verè admittenda eſt verbis determinatio ex Chriſti inſtitutione proveniens.

28. Probatur & explicatur ſecunda pars, & quidem quod major ſit determinatio in verbis, quam in rebus, conſtat ex eo quod verba ſunt determinativa rerum, ſunt igitur in ſe determinatiora, quàm res; & deinde excepto Matrimonio in quo ſufficit quodlibet ſignum expreſſivum conſenſus, in reliquis Sacramentis verba debent eſſe formalia, & ſunt ſaltem quoad ſubſtantiam (quod dixerim propter Ordinem) determinata in ſpecie athoma; res autem ſolùm in baptiſmo, in Extrema-unctione, & ſecundum communiorem ſententiam in Confirmatione, habent ſpeciei athomæ unitatem; ut mox ſubijcio oſtendendo, quomodò ſit major determinatio in uno ſacramento, quàm in alio, eaque in rebus maximè eluceat, licet reſpectu Matrimonij & Ordinis habeant Sacramenta alia majorem determinationem etiam in verbis; nam Matrimonium contentum eſt verbis virtualibus, & admittit nutus ac ſigna loco verborum; Ordo contentus eſt verbis idem ſignificantibus quoad ſubſtantiam, & admittit diverſum modum ſignificationis implicitæ vel explicitæ; ut patet ex forma qua Græci, & forma qua Latini utuntur; pro reliquis ſacramentis requiruntur verba tum formalia, tum idem ſignificantia non ſolùm quoad ſubſtantiam, verum etiam quoad ſignificationis implicitæ vel explicitæ modum.

Inæqualis tamen, & major in verbis, quam in rebus.

Item tum quoad verba, tum potiſſimum quoad res, major in uno Sacramento, quã in alio.

29. Elucet verò maximè quoad res inæqualis, & major in uno ſacramento, quam in alio determinatio, quia hæc in Sacramentis baptiſmi, extremæ

Quoad res determinatio eſt maxi-

ma in baptiſmo, extrema-unctione & Confirmatione.

Extremæ-unctionis, Confirmationis, reſpicit unitatem ſpecificam athomam; determinavit ſcilicet Chriſtus pro re, & materia, in Baptiſmo aquam naturalem & ablutionem in Extrema-unctione oleum olivarum & unctionem ſenſuum, in Confirmatione oleum olivarum mixtum balſamo & unctionem in fronte; omnis autem aqua naturalis, omne oleum olivarum, omne mixtum ex oleo olivarum & balſamo, eſt unius ſpeciei athomæ: In Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ reſpicit unitatem ſpecificam ſubalternam; determinavit ſcilicet Chriſtus pro re & materia proxima in Pœnitentia dolorem & confeſſionem, in Euchariſtia accidentia ſeu ſpecies panis tritici, & vini de vite; dolor autem, utpotè qui poteſt eſſe attritio vel contritio, continet ſub ſe duas ſpecies; Confeſſio etiam utpotè quæ poteſt eſſe de diverſis peccatis, & tum verbis tum nutibus fieri, cenſeri poteſt ſpecie multiplex? Cenſetur item juxta communiorem opinionem ſpecie multiplex vinum de vite, ac per conſequens eadem ſpecifica diverſitas cenſenda eſt convenire accidentibus ex eo relictis: Tandem in Sacramentis Matrimonij & Ordinis reſpicit unitatem valdè genericam, Chriſtus ſcilicet pro re, & materia, ſacramenti Matrimonij nihil aliud determinavit, quam mutuum conſenſum Conjugum, quatenus eſt legitimus & civilis contractus, reliquendo in poteſtate Eccleſiæ præſcribere conditiones & leges pro talis contractus legitimitate neceſſarias; pro re verò & materia ſacramenti Ordinis nihil aliud, quàm aliquid ſenſibile ſpecialiter aptum exprimere poteſtatem, quæ traditur ordinato, relinquendo liberum Eccleſiæ in tale ſignum eligere hanc vel illam rem ſeu actionem; ex qua libertate originem ducit diverſus conferendorum ordinum ritus apud Græcos & apud Latinos; illi quippè ordines conferunt per ſolam manuum impoſitionem cum formis verborum, etiam valdè implicitis, iſti per porrectionem inſtrumentorum ſeu rerum, quibus ſinguli ordines ſunt exercendi, adhibitis formis explicatioribus, & magis expreſſivis poteſtatis traditæ ordinato: De hujus utriuſque ritus tum legitimitate, tum conciliatione, non eſt hujus loci diſſerere, quamvis ſatis latè id præſtent Amicus *diſp.2. ſec.4.* Lugus *diſp.1.ſec.5.* Arriaga *diſp.6.ſec.2.* & nunnulli alij.

Media in Pœnitentia, & Euchariſtia.

30. Minima in Matrimonio & Ordine.

Dices impugnando ſingillatim aſſertam determinationem verborum: Proferre certa verba ſuper aquam, panem, vel quid ſimile, tanquam habentia vim præſtandi aliquem effectum etiam ſuperantem vires naturæ, & conſecrandi ſolo ut ita dicam inani ſono mutum elementum, & rem inanimem, independenter ab eo, quod percipiatur, aut credatur, ipſorum ſignificatio, eſt quid ſuperſtitioſum & magicum; atqui hoc modo proferrentur verba ſacramentalia, ſi haberent determinationem à nobis aſſertam, & conſecratoria eſſent ac ritualia, non concionatoria & doctrinalia; ergo Confirmatur: Verbum quod aliquid operatur, non quia dicitur, ſed quia creditur, operatur in quantùm inſtruit ac inducit audientem ad credendum, & concionatorium eſt ac doctrinale, non conſecratorium & rituale; atqui verbum ſacramentale operatur, non quia dicitur, ſed quia creditur, ut de verbo quod eſt forma baptiſmi expreſsè tradidit Auguſtinus *tract.80. in Ioan.* ubi poſtquam interrogaverat, *Undè tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* reſpondet, *niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*; ergo verbum ſacramentale operatur in quantum inſtruit &c. ac per conſequens non eſt alligatum determinationi à nobis aſſertæ. Sed contrà: ex quo ponitur exemplum de verbis prolatis ſuper aquam & panem, quod eſt idem ac 31.
dicere de formis baptiſmi & Euchariſtiæ, adverto duas has Sacramentorum formas expreſſius & magis in terminis, quam reliquas in Scripturis tradi; unde dum has eaſdem Hæretici magiæ & ſuperſtitionis inſimulant, inexcuſabiliores & intolerabiliores ſunt, ipſorumque argumentum, ut ait Bellarminus *præcitat. cap.20. ad 2.* non tam objectio eſt, quam horribilis blaſphemia.

Adverto inſuper à forma baptiſmi, quam Sectarij maximè putant debere eſſe concionatoriam, ſpecialibus titulis concionem excludi: Primò etenim talis forma continet invocationem Trinitatis, & nihil aliud adjungitur; mos autem non eſt uti ſola invocatione ad concionandum, & inſtruendum populum. Secundò, baptiſmus ut plurimùm confertur parvulis incapacibus concionis percipiendæ, & quando confertur adultis, debent iſti concione inſtrui, non per formam ſacramentalem in ipſo actu baptiſmi, ſed per verba non ſacramentalia antecedēter ad baptiſmi actum, ut habetur ex verbis Chriſti Matth. ult. *Docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. ubi doctrina & inſtructio præſcribitur tanquam à baptizationis actu diſtincta, & ad ipſum præmittenda. Tertiò, ex *Epheſ.4.* Unum eſt baptiſma, ſicut unus eſt Dominus, & una fides; non eſſet autem unum, ſi ejus forma eſſet indeterminata & concionatoria; verbum enim indeterminatum & concionatorium non ſolet eſſe apud multos, & varios, unum & idem. Quartò, ex verbis Apoſtoli 1. Cor. 1. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*, infertur munus evangelizandi ſeu concionandi eſſe diverſum à munere baptizandi; non eſſet autem diverſum, ſi baptiſmi forma in concione conſiſteret. Quintò, Hæretici nequeunt habere concionem, ſeu prædicationem veram, & tamen conferunt baptiſmum verum quem Catholica Eccleſia approbat; Catholici baptizando non intendunt habere concionem, & tamen baptiſmum, quem conferunt, eſſe verum baptiſmum fatetur ipſemet Calvinus *lib.4. Inſtit. cap.15. §.16.* ergo.

Ad inſtantiam directè dico quando certa 32.
verba, aut ſine ſenſu ullo, aut ſenſu neglecto, & attendendo ſolùm ad materialem ſonum, ad caracteres, & ſyllabas, ſuper rem aliquam proferuntur tanquam habentia vim præſtandi effectum aliquem, ſi talis vis ſupponitur illis ineſſe naturaliter & ab intrinſeco, eſſe ſuperſtitionem; eſſe verò magiam ſeu magicam incantationem, ſi vis illa ſupponatur iiſdem tribui ex aſſiſtentia diaboli, & ex conventione

Diluitur ſuperſtitioſa & Magiæ labes, quam ſacramentorum formis Sectarij offundunt.

ventione cum diabolo inita; at nullum ex his ſequitur ex eo, quod verba Sacramentalia determinata ſint & conſecratoria; nam ipſorum determinatio penes ſenſum attenditur, non penes materialem ſonum, characteres, & ſyllabas; & dummodò ſervetur idem ſenſus eademque ſignificatio, nil refert, ſi diverſus ſit ſonus, diverſi characteres, diverſus numerus ſyllabarum, ut vera hæc omnia diverſa ſunt, quoties formæ ſacramentales diverſis linguis, aut ſynonimis vocibus, proferuntur. Eorundem verborum vis conſecratoria & operatoria, non ponitur illis ineſſe aut naturaliter, ab intrinſeco, aut ex diaboli aſſiſtentia; ſed ſupernaturaliter, ex virtute Dei, & inſtitutione Chriſti: Ex nullo igitur capite cum ſuperſtitione & magia convenit præaſſerta verborum determinatio, & Sectarij in oppoſitum clamitantes nullo rationis fundamento ducuntur, & ſolùm propriam habent pro ratione voluntatem, imò impietatem.

33\. Occurritur auctoritati, quam Sectarij ex Auguſtino objiciunt.

Ad Confirmationem non deſunt, ut videre eſt apud Bellarminum *præcitat. capite 19.* ex Sanctis Patribus & ſignanter ex Auguſtino multa clara teſtimonia pro aſſerto catholico dogmate; mirum eſt igitur Calvinum magis moveri ab unico teſtimonio obſcuriore, quàm à pluribus clarioribus; & iſtis omiſſis illud urgere, tanquam contrà nos efficax; cum tamen ſi aliquam ſeorſim & ex proprijs terminis haberet efficaciam, retunderetur hæc & infirmaretur ex majore claritate, & copia, teſtimoniorum contrariorum; Verùm in re, neque etiam ſeorſim & ex terminis; efficaciam ullam contrà nos habet; ly enim *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, ex mente Auguſtini idem eſt, ac non quia habet talem ſonum materialem & oris dearticulationem, ſed quia continet myſterium aliquod ſeu objectum fidei, ideſt virtutem ſpiritualem ſupernaturalem ſola fide cognoſcibilem: Quæ mens & intelligentia Auguſtini aliena penitùs eſt à Sectariorum intento, ipſam verò eſſe conformem contextui eorum, quæ docet eo loco Auguſtinus, oſtendunt & expendunt Herincx *diſp. 2. quæſt. 2. num* 13. Lugus *diſput. 2. ſec. 4. num. 78.* & latiùs Bellarminus *lib. 1. de Sacram. capite 20. ad* 1.

34\. Determinatio, rerum, & verborum, in ſacramentis novæ legis non excludit mutationem aliquam accidentalem.

Aſſert. 3. Res, & verba, in Sacramentis novæ legis admittunt mutationem accidentalem, non ſubſtantialem; poteſt ſcilicet abſque ſacramenti irritatione variari in rebus & verbis communis uſus ſeu ritus Eccleſiæ, quoties ſaluatur ſubſtantia determinationis factæ ex inſtitutione Chriſti, ſecùs quoties talis ſubſtantia non ſaluetur, Ita cum D. Thoma *hic q. 60. art. 8. & in 4. diſtinct. 3. quæſt. un. art. 2.* & Scoto *ead. diſt. quæſt. 2.* omnes Scholaſtici communiſſimè, & quamvis in mutatione aliqua particulari dubium ſit & controverſum, utrum ſacramentum ſit irritum, necne? hoc provenit ex eo, quod illam particularem mutationem ſubſtantialem aliqui putent, aliqui accidentalem; non ex eo quòd aliqui exiſtiment ſufficientem ad irritandum ſacramentum mutationem accidentalem, alij ſentiant non irritari ſacramentum per mutationem quamlibet ſubſtantialem.

Probatur primo aſſertum univerſim, & quidem quòd res & verba non admittant mutationem ſubſtantialem, adeò ut ſacramentum non fiat, quoties ponuntur aut res & verba ſubſtantialiter diverſa ab ijs, cum quibus ſacramentum fit, perſpicuum eſt ex eo, quia partes non admittunt mutationem ſubſtantialem in ordine ad conſtituendum idem totum, nec poteſt iſtud fieri idem niſi ex ijſdem ſubſtantialiter partibus, res autem & verba ſunt extrema conſtituentia, ſunt partes componentes ſacramentum, tanquam quoddam totum; Hinc & Tridentinum, cujus jam meminimus *præcedent. numero vigeſimoſeptimo*, agnoſcit in Eccleſia poteſtatem mutandi ſacramenta ſalua ſubſtantia, quod eſt idem ac dicere, accidentaliter non ſubſtantialiter: Et ratio talis poteſtatis in Eccleſia, & accidentalis mutabilitatis in ſacramentis, habetur ex eo, quod nimis difficile eſſet ſacramentorum miniſterium, & ſæpè etiam moraliter impoſſibile, ſi deberent ea confici ſervando ſemper in rebus & verbis eadem prorsùs accidentia; ſuavitati igitur providentiæ Dei, & inſtitutionis Chriſti, conveniens fuit determinare res & verba cum aliqua latitudine accidentali, intra quam poſſet fieri mutatio abſque detrimento valoris ſacramentorum.

Probatur ſecundò & explicatur aſſertum ſingillatim quoad res: ea ſcilicet, quæ iſtis ſecundum ſe acceptis omninò accidentalia ſunt, accidentalia eſſe ſolent ijſdem in ordine ad ſacramenta, ſic quia aquæ naturali accidentale eſt quod ſit frigida, aut calida; pani triticeo quod ſit azymus, aut fermentatus; acidentale pariter eſt, quod in baptiſmo ablutio per frigidam, aut per calidam aquam fiat; quod in Euchariſtia fermentatus, aut azymus panis conſecretur; eſſet verò quid ſubſtantiale, & irritaretur Sacramentum, ſi in Baptiſmo ablutio fieret per aquam roſaceam, quæ ſubſtantialiter differt à naturali, vel in Euchariſtia conſecraretur panis hordeaceus, qui ſubſtantialiter differt à triticeo: Nihilominus evenit aliquando, ut quod accidentale eſt rei ſecundum ſe ſit eidem ſubſtantiale in ordine ad Sacramentum, aut è contrà; ſic aquæ naturali accidentale eſt, quod ſit conglaciata, & tamen hoc eam ſubſtantialiter variat in ordine ad Baptiſmum, eam ſcilicet reddit ineptam ad ablutionem, & validam baptizationem, è contrà eſſe contritionem vel attritionem ſubſtantiale eſt dolori ſecundum ſe, & tamen accidentale eſt eidem in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſive cum contritione ſive cum attritione fiat, validè fit: Certior igitur & receptior regula mutationis accidentalis vel ſubſtantialis in materijs Sacramentorum eſt, ut tunc materia ſeu res cenſeatur mutata ſolum accidentaliter, quando ſecundum communem hominum conceptionem, & acceptionem, convenit adhuc ei idem nomen, & eadem ratio, cum re; quam Chriſtus pro Sacramento determinavit; ſicuti attritioni, non contritioni ſoli, convenit nomen & ratio doloris, qui eſt res à Chriſto determinata pro Sacramento Pœnitentiæ: Tunc verò cenſeatur 35.

36\. Regula diſcernendi mutationem accidentalem, & ſubſtantialem, in rebus.

 mutata

mutata ſubſtantialiter, quando non convenit ei amplius tum idem nomen tum eadem ratio, ſicuti nomen aquæ naturalis, quæ eſt res à Chriſto determinata pro materia bapriſmi non convenit aquæ conglaciatæ; hæc quippe ſecundum communem appellationem dicitur proprio nomine glaciea, non aqua. Ratio hujus regulæ eſt, quia in ordine ad compoſita moralia, cujuſmodi ſunt ſacrameota, mutatio jure attenditur penes eſſe morale, quod res habent in uſu & in exiſtimatione hominum magis, quàm penes eſſe phyſicum, quod habent in ſuis prædicatia intrinſecis & eſſentialibus.

37. Probatur tertiò & explicatur aſſertum ſingillatim quoad verba: Hæc ſicuti ſunt primò & per ſe ad ſignificandum inſtituta, ita habet pro ſua quodammodo ſubſtantia, ſeu eſſentia, ſignificationem, & quando mutantur ſalva ſignificatione cenſentur mutari ſalva ſubſtantia, & accidentaliter, ſubſtantialiter verò ſeu non ſalva ſubſtantia, quando mutantur quoad ſignificationem ipſam: Hine inter varias, quæ fieri poſſuot in ſacramentalibus formis mutationes facilè eſt dijodicare, & dignoſcere, quænam accidentales ſint, quænam ſubſtantiales? Mutationes ſcilicet evenientes per varietatem idiomatis, ut ſi dicatur in forma Pœnitentiæ *Io ti aſſoluo*; per voces verè ſynonymas, ut ſi dicatur in forma Baptiſmi *ego te abluo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*; per vocabulorum corruptionem præſertim ortam ex balbutie aut ex imperitia pronunciationis & deſitionis ipſorum, ut ſi dicatur *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancla*; quemadmodùm aliquando conſueviſſe ſub tali forma baptiſmum miniſtrari à quodam Latinæ linguæ ignaro narratur *in Cap Retulerunt de Conſecrat. diſt.* 4. mu-

Regula dignoſcendi mutationem accidentalem & ſubſtantialem in verbis.

38. tationes, inquam, hujuſmodi accidentales ſunt, & non irritant ſacramentum. Mutatio per interruptiooem, & moram, inter prolationem unius & alterios verbi, accidentalis eſt & ſenſum relinquit, ſi ſit modica; eſt ſubſtantialia & ſenſum deſtruit, ſi magna & notabilis, qood ſtatuendum eſt judicio prudentum. Mutatio per verborum additionem, vel detractionem ſicuti aliquando mutar ſenſum, aliquando non, i.a aliqnando ſubſtantialis eſt aliquando accidentalis; regulariter tamen quæ per additionem, ut plurimum eſt accidentalis; ſubſtantialis ut plurimum, quæ per detractionem: Mutatio in verba virtualia, ideſt in ſcripta, ſigna, vel nutua, accidentalis eſt in Sacramento Matrimonij; ſubſtantialia in reliquis Sacramentis. Mutatio in verba idem ſignificantia, ſed ſolùm implicitè & valdè confusè ſubſtantialis eſt, ſaltem ſi excipias Sacramentum Ordinia; cur autem quoad hunc ultimum mutationis modum non ſit eadem ratio de Matrimonio, ac de cæteris Sacramentis? pendet ex inſtitutione & determinatione Chriſti, de qua nos aliquid leviter attigimus *præceden. numero* 30.

Singula enumerata mutationum capita, ſi-
39. cut & aliqua alia minus præcipua, aliqui latiùs expendunt, & extendunt varia adducendo exempla, & formando dubia: At hæc eſt meſſis Caſuiſtarum, in quam non debemus ponere falcem ſcholaſticam: Si tamen mihi obiter eſſet ea ex meſſe manipulus aliquis decerpendus, potius obiter quærerem, Quandonam mutatio accidentalis in prædictis rebua aut verbis licita, aut illicita ſit? Reſponderem autem eſſe licitam; qoando ſit ex Eccleſiæ auctoritate, ut eſt diverſus ritus ſacramenti Ordinis apud Græcoa & Latinos; aut orgente neceſſitate, ut ſi Latinus Sacerdos non poſſit perficere ſacrificium inchoatum, niſi conſecret in fermentato; ſæpè etiam poteſt aliquam accidentalem mutationem materialiter licitam reddere ignorantia, vel inadvertentia: Cæterùm, ſi quis ſciens & volena abſque neceſſitate, & ex privata auctoritate, in rebus vel verbis; in materijs vel formis, ſacramentorum aliquid accidentale motet non excuſabitur à peccato gravi, vel levi, prout erit attentis circumſtantijs gravis vel levis mutatio & receſſus à communi ritu Eccleſiæ, in quam propterea eſt irrevetens qui mutare præſumit; imò hæc irreverentia erit ſemper magna & mala lethaliter, quoties qui mutat habebit animum inducendi novum ritum ritui ab Eccleſia ſervato contra-

Quandonã prædicta mutatio accidentalis licita aut illicita ſit?

rium: In hoc caſu videntur aliqui abſolutè ſenſiſſe mutationem etiam ſolum circa accidentalia irritare ſacramentum eò quòd qui mutationem eo animo facit, nequeat habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; adeòque error circa accidentalia redundet (ut ajunt) in ſubſtantialia ex defectu intentioois. Communis & vera ſententia diſtinctione utitur; qui enim errat, & intendit errorem ſuum in Eccleſiam inducere, vel errat formaliter, ſciena ſe errare, & adhuc vult ſuum errorem, ſuumque ritum Eccleſiæ contrarium inducere; vel errat materialiter, neſciena ſe errare, nec putans eſſe veræ Eccleſiæ contrarium ritum reipſa talem, quem denovo vult inducere: Primo modo eum errore privato, & inteotione novi ritus, non ſubſiſtit intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſecùs ſecondo modo; ideò etiam ſolùm qui primo modo habet animum inducendi novum ritum irritar ſacramentum defectu intentionis, ſecus qui ſecundo, ut magis explicant Joannes à S. Thoma *diſputat.* 22. *articul.* 8. *dub.* 1. Gonetua *diſput.* 1. *artic* 9. *num.* 134. Suarez *diſput.* 2. *ſec.* 5. §. *dico ſecundò*. Amicus *diſput.* 2. *ſec.* 5. *num.* 79. Arriaga *diſp.* 7. *ſec.* 2. *numer.* 10. Madernus *quæſt.* 1. *articul.* 12. *numero* 3. & alij plotes. 40.

40. Qsid de mutatione accidentali facta animo inducendi novum ritũ

§. III.

Utrùm intentio Miniſtri, aut aliquid aliud, præter res & verba, ingrediatur conſtitutionem Sacramentorum novæ legis?

ASSERT. 1. Intentio Miniſtri non ingreditur conſtitutionem intrinſecam alicujus ſacramenti novæ legis ſimpliciter & abſolutè dicti ſecundùm acceptionem uſitatiorem, de 41.

Intentia Miniſtri non ingreditur

qua

constitutionem intrinsecam ullius novi Sacramenti.

qua ſuprà *numero primo*. Ita quamvis, aut non iiſdem, aut non æquè claris omnes terminis, Vaſquez *diſputatio.* 119. *capite* 3. Dicaſtillo *tractat.* 1. *diſputat.* 1. *dub.* 19. Gonetus *diſputatio.* 1. *articul.* 7. *numero* 107. Amicus *diſput.* 2. *ſec.* 2. *numero* 10. Madernus *quæſtio. prima*, *articul.* 13. idem videntur ſenſiſſe antiquiores Scholaſtici, quatenùs, licèt rem hanc ex profeſſo non tractent, quoties de intentione Miniſtri loquuntur conſiderant eam ex parte cauſæ extrinſecæ, & efficientis, contrà Lugum *diſput.* 2. *ſec.* 7. Arriagam *diſput.* 3. *ſec.* 2. Eſparzam *libro* 10. *quæſtio* 6. & alios non paucos Recentiores, ex quibus aliqui excipiunt Euchariſtiam, & loquuntur ſolùm de cæteris ſex ſacramentis in uſu conſiſtentibus ita Lugus; reliqui nullam faciunt Euchariſtiæ, aut alterius ſacramenti, exceptionem.

42. Probatur primò ex Concilio Florentino *in decreto unionis*, ubi ut jam retulimus de novis ſacramentis habetur *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia:* Quo in loco favet nobis primò ly *perficiuntur*, ſi enim tria, quæ enumerantur eſſent ſingula componentia & conſtitutiva intrinſeca, incongruè omiſſis verbis *componuntur conſtituuntur*, fuiſſet poſitum verbum univerſalioris ſignificationis, ut eſt *perficiuntur*. Favet ſecundò, quod intentio neque ponatur ex parte materiæ, neque ex parte formæ, cui utrique convenit conſtituere; ſed ex parte Perſonæ Miniſtri, cui convenit ſacramentum conferre & conficere, non conſtituere: Ubi adverte obiter, quòd ſi ex hoc ipſo Concilij loco Adverſarij putent aliquid pro ſe deduci, deberent magis propriè, & magis directè, ad intrinſecè conſtituenda ſacramenta requirere Miniſtri perſonam, quam Miniſtri intentionem; illam quippè primò & per ſe Concilium recenſet, iſtam ſolùm concomitanter, & tanquam ſe tenentem ex parte illius.

43. Probatur ſecundò ratione: Sacramentum ſimpliciter & abſolutè dictum eſt ſignum ſacrum ſeu religioſum &c. ſumpto ſigno pro ſignificationis ſubſtrato, adeóque eſt ſubſtratum ſignificationis ſacramentalis, ſeu res ſacramentaliter ſignificans; atqui in nullo ſacramento novo intentio Miniſtri ingreditur conſtitutionem intrinſecam ſubſtrati ſignificationis ſacramentalis, ſeu rei ſacramentaliter ſignificantis; ergo intentio Miniſtri non ingreditur conſtitutionem intrinſecam alicujus ſacramenti &c. Major ſupponitur ex dictis partim in calce præcedentis, partim in limine præſentis libri, & admittitur communiter perceptis terminis. Minor probatur, ſubſtratum ſignificationis ſacramentalis in nova lege eſt eſſentialiter entitas ſenſibilis, (ſubintellige ſaltem per aliud & mediatè) & res ſignificans ſacramentaliter eſt res ſignificans ſenſibiliter; at intentio Miniſtri non poteſt ingredi intrinſecam conſtitutionem entitatis ſenſibilis, ſeu rei ſenſibiliter ſignificantis, cum talis intentio neque immediatè & per ſe, neque mediatè & per aliud ſenſibilis ſit; non eſt ſenſibilis immediatè & per ſe, quia eſt ſpiritualis & interna; non eſt ſenſibilis mediatè & per aliud, quia hoc aliud deberent eſſe res & verba, materia & forma ſacramenti; res autem & verba, puta ablutio & forma verbalis in baptiſmo non ſignificant intentionem Miniſtri ex natura rei, ut ex ſe liquet; non item ex inſtitutione & ordinatione divina, quia ex hac habent ſignificare non aliquid ex parte ejus, qui ſacramentum confert & efficit, ſed ſanctificationem, ſeu gratiæ ſanctificantis infuſionem, ex parte ejus, qui ſacramentum ſuſcipit; ergo.

Dices primò: In Sacramento Matrimonij Miniſter eſt uterque Conjux contrahens, & intentio Miniſtri eſt utriuſque Conjugis conſenſus; atqui iſte conſenſus ingreditur intrinſecam conſtitutionem ſacramenti Matrimonij, utpotè quod habet rationem contractus, nihil autem magis intrinſecam cujuſcumque contractus conſtitutionem ingreditur; quàm conſenſus contrahentium; ergo ſaltem in ſacramento Matrimonij non verificatur aſſertum à nobis omninò univerſaliter poſitum de quolibet Sacramento; quin & ex Matrimonio deduci poteſt argumentum ad aliquod aliud ſacramentum, puta ad ordinem; nam ſicut in illo unus Conjux confert alteri ſui corporis poteſtatem, ita in iſto Epiſcopus confert ordinato poteſtatem præſtandi varia munera circa corpus Chriſti, tum verum, tum myſticum; ergo ex eo quod unus tradat aliquid alteri, ſicuti illius conſtitutionem ingreditur conſenſus ſeu intentio utriuſque Conjugis, ita iſtius conſtitutionem ingreditur conſenſus ſeu intentio Epiſcopi: Ita arguit, & mutatis mutandis argumentum ulteriùs extendit ad ſacramentum Pœnitentiæ Lugus *præcit. ſec.* 7. *num.* 131. Sed contra: Conſenſus utriuſque Conjugis in Matrimonio poteſt haberi, aut ſaltem poteſt conſiderari, dupliciter, vel quatenus uterque Conjux conſentiat & intendat facere, quod inſtituit Chriſtus & facit Eccleſia; vel quatenùs uterque conſentiat & intendat tradere alteri poteſtatem ſui corporis: Conſenſus utriuſque Conjugis ſumptus primo modo eſt quidem intentio Miniſtri, at non ingreditur intrinſecam conſtitutionem ſacramenti Matrimonij, undè etiam qua talis non redditur ſenſibilis per verba & nutus conjugum, nec ut ab uno Conjuge elicitur indiget ab alio acceptari. Conſenſus utriuſque Conjugis ſecundo modo verè ingreditur ſacramenti Matrimonij conſtitutionem; at ſe habet non ut intentio, ſed ut res & verba, ut materia & forma modo explicato *præcedent. num decimo*, & *undecimo*, & quia conſenſus Epiſcopi poteſtatem tradentis in ſacramento ordinis ſe habet præciſè ut intentio, nullatenùs ut materia aut ut forma, nullatenùs talis conſenſus ingreditur ſacramenti Ordinis conſtitutionem, nec valet in hoc argumentum deductum à Matrimonio ad ordinem. 44.

45. Conſenſus utriuſque Conjugis ea ratione qua eſt Miniſtri intentio, non ingreditur conſtitutionem Sacramenti Matrimonij.

Dixi *Conſenſus utriuſque Conjugis poteſt haberi aut ſaltem poteſt conſiderari dupliciter*; quia non contendo talem conſenſum debere eſſe entitativè duplicem, ſatis eſt, quòd ſit unus entitativè actus ſub duplici conſideratione, 46.

ad hoc ut ſub una, non ſub altera, conſtitutionem ſacramenti ingrediatur; & ſicuti Adverſarij arbitrari intentionem Miniſtri eſſe partem ſacramento intrinſecam & conſtitutivam, ſi illis objicias Sacramentum non poſſe peccato conſtitui, & tamen intentionem miniſtri eſſe poſſe peccaminoſam, reſpondent intentionem, quam peccaminoſam eſſe contingat, conſiderari debere tum ut tendit in id quod intendit & facit Eccleſia, tum ut habet finem pravum, ratione cujus eſt peccaminoſa; & ſub prima, non ſub ſecunda conſideratione eſſe ſacramenti conſtitutivam, hocque ſufficere ut ſacramentum peccato non conſtituatur; Ita nos jure poſſumus conſiderare unum, eundemque, conjugum conſenſum, tum ut eſt traditio proprij corporis ſeu poteſtatis in proprium corpus, tum ut eſt intentio ejus quod facit Eccleſia; eſque ſub prima, non ſub ſecunda, conſideratione tribuere, quòd ſit partiale conſtitutivum Sacramenti Matrimonij, & per hoc ſufficienter ſaluare quod Matrimonij ſacramentum intentione Miniſtri non conſtituatur. Ex quo incidimus in intentionem Miniſtri peccaminoſam, moneo obiter ex ea non deſumi efficax pro re præſenti argumentum contra Adverſarios, licèt enim libenter fatear ſacramentum, utpotè quod eſt eſſentialiter à Deo aut à Chriſto inſtitutum & per ſe intentum, non poſſe intrinſecè ex peccato componi, undè Auguſtinus *lib. 3. contra Donatiſtas cap.* 10. benè ſcripſit *Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris, ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt:* licet inquam, libenter hoc fatear, non deinde exiſtimo efficaciter inferri, quòd ex peccato conſtituatur ſacramentum intentione peccaminoſâ confectum, quia quod intentio eſſet peccaminoſa per accidens ſe haberet ad ſacramentum; hocque ſicut illam, ut peccaminoſam, non requireret, ita eadem ut peccaminoſâ non conſtaret. Cæterùm actum aliquem peccaminoſum, quamvis non ut peccaminoſum, eſſe poſſe intrinſecè conſtitutivum ſacramenti ſuſtinendum eſt independenter ab eo, quod ſacramenti conſtitutionem ingrediatur Miniſtri intentio, nam in Matrimonio poteſt eſſe peccaminoſus Conjugum conſenſus, etiam qui habet rationem materiæ aut formæ, ut eveniret in Conjugibus, qui cum conſcientia alicujus impedimenti non dirimentis conſentirent in tradenda mutuo proprij corporis poteſtate

47. Ex eo quòd intentio Miniſtri poſſet eſſe peccaminoſa, non habetur argumentum efficax eam excludendi à conſtitutione ſacramenti.

Dices ſecundò: Sacramenta novæ legis, ſi Euchariſtiam excipias, conſiſtunt in uſu, & intrinſecè conſtituuntur ex aliqua Miniſtri actione, puta Baptiſmus ex ablutione, Confirmatio ex unctione in fronte, Extrema-unctio ex unctione ſenſuum; & quidem talis actio debet eſſe non purè phyſica & facta modo quaſi mortuo; ſed moralis, facta modo humano, & nomine Chriſti, quatenùs moralis & facta modo humano debet eſſe ex intentione alicujus finis, quatenùs facta nomine Chriſti debet eſſe ex intentione finis intenti à Chriſto, ſeu ex intentione faciendi, quod fecit & inſtituit Chriſtus; ergo à primo ad ultimum ſacramenta novæ legis, ſaltem ſi Euchariſtiam excipias, intrinſece conſtituuntur ex intentione Miniſtri. Sed contrà: dico in actione ſacramentali, quod ſit moralis, facta modo humano, & nomine Chriſti, eſſe denominationem provenientem à Miniſtri intentione, tanquam ab aliquo extrinſeco, ſe tenente ex parte efficientis ſacramentum; non verò eſſe denominationem, rationemvè intrinſecam conſtitutivam, aut ab aliquo Sacramenti conſtitutivo provenientem: Quòd enim illa actio ſit moralis facta modo humano, & nomine Chriſti, non eſt aliquid ſenſibile & ſenſibiliter ſignificativum gratiæ, ut debet eſſe omne conſtitutivum ſacramenti ſimpliciter dicti *ex præced. num.* 43. 48.

49. Achilles Adverſariorum pro Miniſtri intentione conſtitutionem ſacramentorum ingrediente.

Dices tertiò: Illud, quo ſimul cum quibuſdam alijs poſito ponitur, & quo præcisè non poſito etiam poſitis omnibus alijs non ponitur aliquod totum ſeu aliquod concretum, ingreditur conſtitutionem intrinſecam talis totius ſeu talis concreti; atqui quodlibet novæ legis ſacramentum eſt aliquod totum, ſeu concretum, ad quod intentio miniſtri ita ſe habet, ut ea poſita ſimul cum rebus & verbis ponatur, eademque præcisè non poſita etiam poſitis rebus & verbis, non ponatur ſacramentum; ergo intentio Miniſtri ingreditur conſtitutionem intrinſecam cujuſlibet novæ legis ſacramenti: Major cujus potiſſima vis eſt in ly *quo præcisè non poſito* conſtat, tum ex inductione, quæ fieri poteſt per quælibet intrinſeca rerum conſtitutiva, tum ex differentia, quæ verſatur inter conſtitutiva intrinſeca, & requiſita extrinſeca, qualia ſunt cauſa efficiens, cauſa finalis, conditio ſine qua non; hæc quippè licèt ſæpè ſint omninò neceſſaria ut ponatur ſeu exiſtat res, non requiruntur tamen immediatè & ratione ſui, adeò ut ipſis præcisè non poſitis ſeu non exiſtentibus non ponatur ſeu non exiſtat res, ſed mediatè & ratione alterius, quod alterum ſi ponatur, aut intelligatur poni, independenter ab illis extrinſecis requiſitis, iſtis non poſitis poneretur aut intelligetur poſita res, & ſic quando iſtis non poſitis non ponitur, id non eſt iſtis non poſitis præcisè, ſed iſtis non poſitis & non poſito etiam aliquo alio. Minor probatur, quia in baptiſmo v.g. ablutio, forma verbalis, & ſi quæ ſunt alia baptiſma conſtitutiva, poſſunt poni & exiſtere non poſita & non exiſtente Miniſtri intentione; & per hoc præcisè quod taliter ponantur & taliter exiſtant, irritum eſt ac nullum, quod idem eſt ac dicere non ponitur, non exiſtit baptiſmi ſacramentum, idemque proportionaliter evenit in quolibet alio novo ſacramento, ergo.

50. Infirmatur varijs inſtantiis.

Huic Adverſariorum Achilli opponi in primis ſolent alia plurima, quæ eadem arguendi forma probarentur eſſe, aut omnium, aut aliquorum ſaltem ſacramentorum conſtitutiva; talia eſſent reſpectu omnium inſtitutio Chriſti, & perſona Miniſtri; reſpectu aliorum ſex ſacramentorum ab Euchariſtia perſona ſuſcipientis ejuſdemque intentio ſaltem habitualis ſi ſit adultus; reſpectu aliorum ſex ſacramentorum à baptiſmo character baptiſmalis ex vi præcedentis baptiſmi ſubjecto impreſſus: reſ-

pectu

Digitized by Google

ſpectu trium ſacramentorum initerabilium carentia alterius ſacramenti ſimilis antecedenter collati eidem ſubjecto: Reſpectu Euchariſtiæ poteſtas Ordinis, reſpectu Pœnitentiæ præter poteſtatem Ordinis poteſtas juriſdictionis: De his enim ſingulis, & alijs hujuſmodi, quæ facile cuilibet eſt excogitare, verificatur, quod eo præcisè non poſito non ponatur ſeu non exiſtat ſacramentum; non poſita ſcilicet inſtitutione Chriſti & poſitis omnibus alijs nullum novum ſacramentum ponitur; non poſito ex parte ſubjecti baptiſmo, & poſitis omnibus alijs, nullum aliud ex ſex Sacramentis ponitur &c. Videtur autem à communi exiſtimatione alienum, quod tot ſint ſacramentorum conſtitutiva, cum præſertim plurium ut talium, nec Sancti Patres, nec Concilia, meminerit; Item quod unum Sacramentum per aliud, puta Pœnitentia per ordinem, Ordo per Baptiſmum, conſtituatur, adeóque quòd ſeptem novæ legis ſacramenta non diſtinguantur omnia ab invicem adæquatè.

51\. Verùm non expedit hujuſcemodi inſtantijs admodum fidere; nam præter quod, ut dici ſolet, afferre inſtantiam non eſt ſolvere argumentum, non facilè expugnabuntur Adverſarij, ſi concedant omnia, aut ferè omnia mox enumerata, ſacramentorum conſtitutionem ingredi, & contendant non eſſe ab hoc alienam communem, præſertim virorum doctiorum, exiſtimationem; addantque Concilia & Patres non debuiſſe illorum omnium ſub conſtitutivorum nomine meminiſſe, quia pro inſtructione doctis & indoctis communi ſat ipſis fuit ſparſim docere illa omnia eſſe ad ſacramentorum valorem neceſſaria, relinquendo ſub Scholaſticorum examine, quænam ſe habeant ut intrinſeca conſtitutiva, quænam ſolùm ut requiſita extrinſeca?

52\. *Solvitur directè argumentum pro Achille formatum.*

Ad argumentum directè tranſeat major, diſtinguo minorem, ablata præcisè intentione & poſitis rebus & verbis non ponitur, ſeu non exiſtit ſacramentum ſumptum omninò adæquatè, prout importat concretum ex re ſignificante & ſignificatione, item tum fieri tum factum eſſe, omnemque aliam denominationem & actualitatem ad ſacramenta novæ legis pertinentem, concedo; Non ponitur, ſeu non exiſtit ſacramentum ſimpliciter & abſolutè dictum, prout importat in facto eſſe ſolam rem ſignificantem, & ſolum ſubſtratum ſignificationis, nego minorem, & in eodem ſenſu nego conſequentiam; non poſita enim ſeu non intellecta intentione adhuc habetur in rebus & verbis in facto eſſe perfectis & completis totum id, quod dicit immediatam vel mediatam ſenſibilitatem ſeu ſignificativitatem ſenſibilem, & in hoc conſiſtit ſacramentum ſimpliciter & abſolutè dictum:

53\. *Aſſeritur origo diſſidij quoad plura, vel pauciora, ſacramentorum conſtitutiva.*

Præcipua igitur origo præſentis diſſidij provenit meo videri, partim ex eo quòd in ijs, quæ in uſu ſeu actione conſiſtunt, ut nova (ſi Euchariſtiam excipias) Sacramenta, ægrè ſecernitur fieri à facto eſſe, hincque ea, quæ conſtituunt fieri, facilè ſumuntur tanquam etiam conſtituentia factum eſſe; partim ex eo quod ſignum & quidquid in genere ſigni eſt, ut quodlibet ſacramentum, licet abſolutè ſupponat pro ſola re ſignificante ſeu ſignificationi ſubſtratâ, ſumitur tamen etiam aliquandu prout ſignificationem ipſam includit, hincque conſtitutiva ſignificationis aliquandu confunduntur cum conſtitutivis ſigni ſimpliciter dicti: Propterea Adverſarij, ni fallor, vocibus potiùs, quàm re ipſa, à nobis diſſentiunt, & ponunt plura quàm nos ſacramentorum conſtitutiva, quia ſumunt ſacramentum tum in facto eſſe tum in fieri; tum pro re ſacramentali ſignificationi ſubſtrata, tum pro concreto ſacramentalem ſignificationem includente, nos verò ſumimus ſacramentum ſolùm pro ſacramentalis ſignificationis ſubſtrato in facto eſſe, quâ ſolum ratione eſt ſacramentum ſimpliciter & abſolutè, quamvis non adæquatè.

54\. *Nec inſtitutio Chriſti, nec Perſona Miniſtri, nec quid aliud præter res & verba conſtituit intrinſecè ullum ſacramentum.*

Aſſert. 2. Neque inſtitutio ſeu voluntas Chriſti inſtituentis, neque perſona Miniſtri ſacramentum conferentis & conficientis, neque aliud quidquam, præter res & verba, ingreditur conſtitutionem intrinſecam alicujus ſacramenti novæ legis ſimpliciter & abſolutè dicti. Hoc aſſertum habet eoſdem, quos aſſertum præcedens, Adverſarios, & quamvis non omnes de reliquis mox poſitis loquantur æquè expreſsè, ac de intentione, eſt tamen eadem omnium ratio, & ſignanter etiam de voluntate Chriſti inſtituentis agunt & ſentiunt contrà nos ex profeſſo Arriaga & Eſparza locis præcitatis.

Probatur repetendo argumentum poſitum *præced. num* 43. Inſtitutio enim, ſeu voluntas Chriſti inſtituentis, non eſt ſenſibilis, ſicut non eſt ſenſibilis Intentio Miniſtri; non poteſt igitur talis inſtitutio ingredi conſtitutionem rei ſenſibiliter ſignificantis: Perſona Miniſtri, quamvis verè ſit ſenſibilis, per accidens id eſt reſpectu ſacramenti, & dummodò ſit ſenſibilis ſacramentalis actio & verborum prolatio, etiamſi Miniſter haberet modum exiſtendi ſpiritualem & inſenſibilem, adhuc ſubſiſteret valor & haberetur conſtitutio intrinſeca ſacramenti. Confirmatur ex eo, quòd nihil ingreditur conſtitutionem compoſiti præter materiam & formam, ſeu id quod ſe habet tanquam materia, & id quod ſe habet tanquam forma; atqui quodlibet novum ſacramentum eſt quoddam compoſitum, in quo nihil præter res & verba ſe habet tanquam materia & tanquam forma, non enim alicujus alterius aut tanquam materiæ aut tanquam formæ, meminit Concilium Florentinum, & communis Scholaſticorum ſenſus; ergo nihil præter res & verba ingreditur conſtitutionem intrinſecam alicujus novi ſacramenti. Neque dicas; Nonne ſaltem, præter materiam & formam, compoſiti conſtitutionem ingreditur unio?

55\. Contrà enim, unio per nos non diſtinguitur adæquatè à materia & forma, nec eſt aliquid præter utramque ſimul & complexè acceptam: In ſententia verò diſtinguente unionem ab extremis, ingreditur quidem intrinſecè compoſitum & conſtitutionem; at ſe habet ut purum *quo*, Conſtitutivum autem ſupponit pro aliquo ſe habente ut *quod*, & compoſitum ingrediente merito ſui, non merito extremorum præcisè; ideò &c.

Dices pro inſtitutione, ſeu voluntate Chriſti

inſtituentis: Sacramenta nova ſunt in genere ſigni ad placitum, ſeu ſunt ſigna ad placitum; atqui ſignum ad placitum conſtituitur intrinſecè ex inſtitutione ſeu ex voluntate inſtituentis; ergo ſacramenta nova conſtituuntur intrinſecè ex inſtitutione ſeu ex voluntate Chriſti, quem habent pro inſtituente. Sed contrà:

56. Quomodò voluntas inſtituentis ingrediatur conſtitutionem ſigni ad placitum.

concedo majorem conformiter ad ſuprà dicta *lib.* 1. *cap.* 1. *num* 8. diſtinguo minorem, ſignum ad placitum ſumptum omninò adæquatè pro concreto ex re ſignificante & ſignificatione, conſtituitur intrinſecè &c. concedo; ſignum ad placitum ſumptum ſimpliciter & abſolutè pro ſola re ſignificante & ſubſtratâ ſignificationi conſtituitur intrinſecè &c. nego minorem, & ſub eadem diſtinctione, nego conſequentiam; quamvis enim ſignum ad placitum, prout includit ſignificationem includat etiam inſtitutionem, quæ eſt ratio fundandi ſignificationem; quatenùs tamen eſt pura res ſignificans reſpicit, tum ſignificationem, tum inſtitutionem, tanquam aliquid ſibi extrinſecum, alioqui ſi ſignificatio eſſet intrinſeca rei ad placitum ſignificanti, conveniret ipſi ex natura rei, jamque ſignum ad placitum confunderetur cum ſigno naturali, quod nihil eſt aliud quàm res ſignificans ex natura rei, ſeu cui convenit ex natura rei ſignificatio.

§. IV.

Quomodò in Sacramentorum conſtitutione res, & verba, componant tum inter ſe, tum cum ſignificatione.

57. ASSERT. 1. In conſtitutione Sacramentorum novæ legis res, & verba, inter ſe componunt compoſitione morali, per ſe tamen non per accidens.

Res & verba in ſacramentis componunt inter ſe.

Probatur & explicatur, & quidem quod res & verba in cujuſlibet novi ſacramenti conſtitutione inter ſe componant, patet ex eo quod, ut jam dictum eſt, in tali conſtitutione ſe habent tanquam materia & forma, & dum unum ſacramentum conſtituunt in unum coaleſcunt; non coaleſcunt autem plura in unum, niſi uniantur & componant inter ſe: Quòd deinde componant compoſitione morali deducitur ex eo, quod nulla relucet inter res & verba habitudo phyſica, non conſtituunt aliquid phyſicè unum; nec poſſunt facere inter ſe compoſitionem, niſi in eo genere, in quo habent ſimultatem; habent verò res & verba in Sacramentorum conſtitutione ſimultatem ſolùm moralem *ex præced.* §. 2. Quod tandem hujuſmodi compoſitio moralis ſit per ſe, non per accidens, ſuadetur ex analogia ad compoſitionem per ſe phyſicam; ſicuti enim in phyſicis illa dicuntur compoſita per ſe, quæ ſunt reliquis perfectiora, & per ſe ac primariò intenta à natura, ita & jure dicentur in moralibus compoſita per ſe ea, quæ ſunt valdè perfecta aut etiam compoſitis per ſe phyſicis perfectiora; quæ item per ſe & quaſi ultimò, non ratione alterius & in ordine ad aliud compoſitum conſtituendum intenduntur; hujuſmodi autem ſunt ſacramenta; ſunt igitur in genere morali compoſita per ſe, eorumque compoſitio eſt in eodem genere compoſitio per ſe, & ſuo modo ſubſtantialis.

Compoſitione morali.

Per ſe, non per accidẽs.

Sic breviter expedita compoſitione rerum & verborum inter ſe, ſeu rerum cum verbis, comparare debemus utraque cum ſignificatione, & ſtatuere utrum cum iſta componant indiviſibiliter, tanquam cum unica forma totali, an diviſibiliter, tanquam cum duplici forma partiali? adeò ut res componant priùs cum ſua partiali ſignificatione, cum ſua item componant verba; & poſteà, dum res componunt cum verbis, ſignificatio rerum componat cum ſignificatione verborum; & ſicuti res ſe habent tanquam materia, verba tanquam forma ad conſtituendam unam totalem rem ſignificantem; ita ſignificatio rerum ſe habeat tanquam materia, ſignificatio verborum tanquam forma ad conſtituendam unam totalem ſignificationem: Poſteriorem hunc dicendi modum amplectitur Suarez *diſput.* 2. *ſec.* 1. §. *Secundò eſt.* & favet ei aliquantulùm Lugus *diſput.* 2. *ſec.* 5. *n.* 42. Suſtinent verò oppoſitum, ideſt unicam ac indiviſibilem in rebus & verbis ſacramentalem ſignificationem, Caietanus *hic quæſt.* 60. *art.* 6. Joannes à S. Thoma *diſput.* 22. *articul.* 6. *dub.* 1. *paragrapho Nihilominus.* Vaſquez *diſput.* 136. *cap.* 2. Amicus *diſp.* 2. *ſec.* 2. *num.* 14. Arriaga *diſp.* 2. *ſec.* 2. *ſubſec.* 3. Madernus *quæſt.* 1. *art.* 7. cæterique Scholaſtici communiter. 58.

Adverto in rebus & verbis ſacramentorum conſtitutivis duplicem ſignificationem conſiderari poſſe, alteram illis quodammodò inditam ex inſtitutione humana, alteram ſuperadditam ex inſtitutione Chriſti; hæc poſterior ſignificatio aliquam ſervat cum priore analogiam ac proportionem, nam in Baptiſmo v. g. aquæ ablutio & verba ſimul prolata ſignificant ex inſtitutione hominum munditiem externam corporalem, ex inſtitutione Chriſti munditiem internam ſpiritualem corporali analogicè ſimilem, & proportionaliter affinem: Propter hujuſmodi analogiam, in ſignificatione indita ex inſtitutione & voluntate hominum fundatur ſuo modo ſignificatio addita ex inſtitutione & voluntate Chriſti; & quamvis ſola poſterior ſignificatio ſit abſolutè & ſimpliciter ſacramentalis, poteſt etiam prior dici ſacramentalis quaſi fundamentaliter & remotè. 59.

Duplex ſignificatio rerum, & verborum, in novis ſacramentis.

Aſſert. 2. In novis ſacramentis res & verba cum ſignificatione abſolutè & ſimpliciter ſacramentali componunt indiviſibiliter, tanquam cum unica prorsùs forma, non verò diviſibiliter res cum una, verba cum alia ſignificatione partiali. Ita contra Suarium & ex parte Lugum Scholaſtici reliqui communiter, ut retulimus *præced. num.* 58. 60.

Probatur: In novis ſacramentis ſignificatio ſimpliciter & abſolutè ſacramentalis, quam aliqui ſacramentalitatem vocant, unica prorsùs & indiviſibilis eſt; ergo cum ea res & verba componunt indiviſibiliter &c. Conſequentia patet; probatur antecedens primò ſacramentalitas,

Ea, quæ eſt abſolutè & ſimpliciter ſacramẽtalia eſt forma unica prorsùs ac indiviſibilis.

Digitized by Google

mentalitas, ſeu ſignificatio abſolutè & ſimpliciter ſacramentalis, in novis ſacramentis habetur ex inſtitutione Chriſti, & nihil aliud eſt, quàm habitudo rerum & verborum ad talem inſtitutionem, aut etiam inſtitutio ipſa in rebus & verbis denominativè & quaſi moraliter perſeverans; atqui Chriſti inſtitutio eſt unicus prorsùs & indiviſibilis actus, nec Chriſtus in ſingulis novis ſacramentis inſtituendis habuit duplicem actum, quorum altero res, altero verba voluerit ad gratiam ſignificandam aſſumere; ergo ſimiliter unica prorsùs eſt & indiviſibilis ſacramentalitas, ſeu ſignificatio &c. Probatur idem antecedens ſecundò, In

61. *Et cum ipsa res, & verba, indiviſibiliter componunt.*

novis ſacramentis ſignificatio ſacramentalis eſt ſignificatio gratiæ practica, & conjuncta cum cauſalitate; atqui gratiæ cauſalitas eſt unica prorsùs ac indiviſibilis; nec res unam, verba aliam gratiæ partem cauſant, & ſi ponantur ſolæ res, puta in Baptiſmo ſola ablutio, nihil prorsùs gratiæ cauſatur, nihil item ſi ponantur ſola verba, ſed neceſſe eſt poni res & verba ſimul; eandemque gratiam, quam cauſant res, cauſant verba, & è contra: ratio a priori univerſaliſſima eſſe poteſt, quia res & verba, ſicuti ſunt quid etherogeneum, ita in ordine ad gratiam cauſandam ſe habent, ut cauſæ partiales etherogeneæ, quibus commune eſt ad effectum ſuum concurrere indiviſibiliter, ut exemplificari poteſt in intellectu & lumine gloriæ reſpectu beatæ viſionis, in objecto & potentia reſpectu cujuſlibet notitiæ &c. ergo. Confirmatur ex regula generali non multiplicandi nec diſtinguendi ſine neceſſitate entitates, nullam autem eſſe neceſſitatem diſtinguendi in quolibet novo ſacramento duplicem ſacramentalem ſignificationem, quamvis partialem, ſtatim oſtendo ſolvendo rationes & inſtantias pro tali neceſſitate militantes: Ideò

Dices primò: ex ſuprà dictis res ſe habent tanquam materia, verba tanquam forma, in novis ſacramentis, quia res ſe habent ut determinabiles, verba ut determinantia ſeu ut determinativa; atqui verba non ſunt determinativa, niſi ratione ſignificationis; & quatenùs habent ſignificationem magis determinatam & magis expreſſam, quam res; ergo differunt omninò ac diſtinguuntur in novis ſacramentis ſignificatio rerum, & ſignificatio verborum; illa ſe habet tanquam materia, iſta tanquam forma; imò etiam ſunt ratio, cur ſe habeant tanquam materia res, tanquam forma verba? Confirmatur, in quolibet novo ſacramento tum res tum verba ſeorſim ſunt partiale ſacramentum & partiale ſignum; ergo habent ſeorſim partialem ſacramentalitatem, partialemque ſignificationem; probatur antecedens, eſſe partem ſacramenti & eſſe partiale ſacramentum, eſſe partem ſigni & eſſe partiale ſignum ſunt ſynonyma; at tum res, tum verba, ſunt pars ſacramenti ſeu ſacramentalis ſigni, ſeorſim utique, non ſimul; cum ſimul ſint totum ſacramentum & totum ſacramentale ſignum; ergo. Sed contrà: concedo majorem, diſtinguo minorem; verba non ſunt determinativa niſi ratione ſignificationis, quaſi naturalis & inditæ ex inſtitutione

62. *Quòd res & verba ſint tanquam materia & forma provenit à naturali potius quam à ſacramentali ſignificatione.*

humana, quatenùs habent in hominum uſu determinatiorem expreſſioremque ſignificandi modum, concedo; niſi ratione ſignificationis ſimpliciter ſacramentalis & additæ, ex inſtitutione Chriſti, de qua ſola aſſertum procedit; nego minorem, & ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam, diſtinctioniſque explicationem repete *ex præced. num.* 59. Neque dicas, res & verba ſe habent tanquam materia & forma, quatenùs ſunt conſtitutiva ſacramentorum; at ſignificatio naturalis & indita ex inſtitutione hominum non convenit illis, quatenùs ſunt conſtitutiva ſacramentorum; ergo talis ſignificatio malè affertur pro ratione, ob quam res & verba ſe habeant tanquam materia & forma. Contra enim res & verba ſe habent tanquam materia & forma, quatenùs ſunt conſtitutiva ſacramentorum, ſumpto ſacramento pro re ſignificante & ſubſtrato ſacramentalis ſignificationis; at non ſumpto ſacramento pro complexo ipſius rei ſignificantis & ſacramentalis ſignificationis; ſub hac quippè ratione non ſolùm res, ſed & verba, ſe habent tanquam materia *ex præced. num.* 2. Porrò ſignificatio naturalis rebus & verbis, ut conſtitutivis ſacramentorum primo modo, optimè convenit; cum ipſamet ſubſternatur ſignificationi ſacramentali, & ſit aliquale iſtius fundamentum, ut attigimus *præcit. n.* 59.

63. Ad confirmationem dico in etherogeneis partem valdè impropriè dici partiale totum, ſic corpus eſt pars hominis, non propriè partialis homo; cum igitur ſacramentum (eadem eſt ratio de ſigno) coaleſcat ex etherogeneis, non ſunt propriè ſynonyma pars ſacramenti & partiale ſacramentum; & poteſt abſolutè negari, quòd tum res tum verba ſeorſim ſint partiale ſacramentum: Ne tamen videamur facere quæſtionem de nomine, omitto modum loquendi & juxta duplicem acceptionem ſacramenti mox prælaudatam, & latiùs traditam §. *præced.* dico res & verba ſeorſim eſſe partiale ſacramentum ſumpto ſacramento pro re ſignificante, & quatenùs ſacramentum hoc modo ſumptum conſtituunt, habent ſuam partialem ſignificationem, at naturalem vel ſacramentalem ſolùm fundamentaliter; non ſacramentalem ſimpliciter: Sumpto verò ſacramento pro complexo rei ſignificantis, & ſacramentalis ſignificationis, dico res & verba ſeorſim non eſſe partiale ſacramentum, at nec eſſe partem ſacramenti propriè, quia ſeorſim ſumpta nequeunt cum ſacramentali ſignificatione componere, & ſunt pars partis idest materiæ ſacramenti, at non totius ſacramenti immediatè: Et quod dicebatur res & verba ſimul ſumpta eſſe totum ſacramentum, verum eſt de ſacramento in primo ſenſu, non in ſecundo, in quo ſacramenti nomen præter res & verba importat ſignificationem ſacramentalem, tamquam formam totalem & ultimam.

In quo ſenſu tum res, tum verba, ſeorſim poſſint dici pars ſacramenti, aut etiam partiale ſacramentum.

Dices ſecundò: Nequit ſuprà duas diſtinctas entitates cadere indiſtincta & indiviſibilis ſignificatio; atqui res, & verba, in novis ſacramentis ſunt duæ diſtinctæ entitates, ergo ſacramentalis ſignificatio ſuprà res, & verba, cadens eſt neceſſariò duplex & diſtincta; non

unica,

unica, indiſtincta, & indiviſibilis: Major probatur, indiſtinctum & indiviſibile accidens nequit eſſe in duobus diſtinctis ſubjectis; at ſignificatio ad entitatem, ſuprà quam cadit, ſe habet tanquam accidens ad ſubjectum: ergo.

64. Sed contra: nego majorem, & dico diſtinctas entitates eſſe ſecundum ſe indifferentes, ut aſſumantur ad diviſibiliter vel indiviſibiliter ſignificandum, ad habendas plures ſignificationes partiales vel unicam totalem; ſic in hac propoſitione *Petrus & Paulus currunt* ſingulæ voces, ſeu ſingulæ partes propoſitionem componentes, habent ſuas partiales ſignificationes; hæc vox *Reſpublica* ex duabus vocibus compoſita, ſicut & hæc vox *Quadraginta* compoſita ex quatuor ſyllabis, habent ſignificationem indiviſibilem, ſignificat enim *Reſpublica* indiviſibiliter multorum hominum collectionem, non ly *Res* unam, ly *publica* aliam partem collectionis; ſignificat *Quadraginta* indiviſibiliter numerum quadragenarium, non ſingulæ quatuor diſtinctæ ſyllabæ, ex quibus componitur, quartam quadragenarij partem; idemque proportionaliter evenit in omnibus ferè vocibus, aliiſque plurimis ſignis; unde hinc majori jure pro nobis, quam pro Adverſarijs argumentum ſumitur, ex eo ſcilicet quod diſtinctæ entitates habere poſſint, & ut plurimùm habeant, ſignificationem indiviſibilem, rectè infertur non diſtingui, nec eſſe neceſſitatem diſtinguendi, ſignificationes Sacramentales in rebus & verbis, quamvis inter ſe diſtinctis.

Quomodò ſuprà diſtinctas res poſſit cadere indiſtincta ſignificatio?

65. Paritas ad majoris propoſitionis probationem adducta nutat in ſuppoſito, quia unum & indiviſibile accidens eò quod nequeat tranſire de ſubjecto in ſubjectum nequit eſſe in diſtinctis ſubjectis ſucceſſivè, at juxta multorum opinionem benè eſſe poteſt in diſtinctis ſubjectis ſimul & eodem tempore, præſertim ſi ſint ſubjecta diſtincta conſtituentia unum totum: Quidquid autem de hoc ſit, non currit illatio ab accidente phyſico ad formam moralem, qualis eſt ſacramentalis ſignificatio; hujuſmodi enim forma moralis eſt ſolùm æquivalenter intrinſeca ſuo ſubjecto, & eſt extrinſeca entitativè; ſicuti igitur una ſimplex forma extrinſeca poteſt denominare diſtincta ſubjecta, puta una ſimplex viſio denominare viſas diſtinctas res, ita una ſimplex forma moralis poteſt cadere ſuprà diſtinctas entitates, maximè ſi iſtæ componant inter ſe quid moraliter unum, ut componunt res & verba in ſacramentis.

Significatio Sacramentalis eſt forma moralis.

66. Ex eo, quod mox dictum eſt Sacramentalem ſignificationem eſſe formam moralem, res item & verba, quæ ſunt hujus formæ ſubjectum, ſeu ſubſtratum, eſſe quid moraliter unũ, conſequens eſt ſacramentalem ſignificationem cum ſubjecto ſibi ſubſtrato moraliter componere, extrema enim moralia moralem ſolùm habitudinem poſſunt inter ſe habere, moralemque ſolùm compoſitionem inter ſe facere; Hincque infertur Sacramentum ſive ſumatur, ut in primo aſſerto, ſecundum acceptionem magis uſitatam, ſecundum quam conſtat rebus & verbis; ſivè ſecundum acceptionem magis adæquatam, ſecundum quam conſtat re ſignificante & ſignificatione, eſſe quoddam totum ſeu compoſitum morale: Utrùm verò hoc compoſitum, ſicut in prima acceptione eſt ex dictis unum per ſe, & ſuo modo ſubſtantiale, ita tale quoque ſit in ſecunda acceptione? Cenſeo omninò affirmandum, à fortiori enim pro ſecunda acceptione militat quod pro prima acceptione dictum eſt ſuprà *n.* 57. Accedit quòd effectus, ad quem Sacramentum, ſive primo, ſive ſecundo, modo acceptum ordinatur, eſt gratia habitualis, quæ ſe habet, tanquam ſubſtantia in ordine ſupernaturali & morali, unum autem per accidens non ordinatur ad effectum ſubſtantialem; Sacramentum igitur utroque modo acceptum eſt in ſupernaturali, & morali ordine unum per ſe.

Et facit cum re ſignificante moralem compoſitionem.

Conſtituit tamen unum per ſe, & ſuo modo ſubſtantiale.

---

§. V.

Quid ſint, & an dentur in ſingulis novis Sacramentis Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res & Sacramentum ſimul?

ASSERT. 1. Res tantùm, Sacramentum tantum, Res & Sacramentum ſimul, prout ſolent in novis Sacramentis diſtingui, rectè deſcribuntur dicendo rem tantùm eſſe id, quod ſignificatur & non ſignificat; Sacramentum tantùm id, quod ſignificat & non ſignificatur; Rem & Sacramentum ſimul id, quod ſignificatur ſimul & ſignificat. Ità Scholaſtici communiter poſtquam cœperunt tria hæc in Sacramentis diſtingui; cœperunt autem diſtingui ab Hugone de S. Victore *tom. 3. lib. 2 de Sacram. part. 8. cap. 7.* ab Innocentio III. *in Cap. Cum Martha. de celebrat. Miſſarum*, à Magiſtro *in 4. diſt. 22.* à D. Thoma infrà *q. 84. art. 1. ad 3.* &c. 67.

Probatur & explicatur advertendo Theologos, dum tria præmemorata diſtinguunt, non ſumere nomen rei, ut hucuſque ſumptum eſt, dum diceremus res eſſe cujuſlibet Sacramenti materiem; gratia enim, quam communiter aſſignant pro re Sacramenti, non ſe habet tanquam Sacramenti materies. Non ſumunt item nomen Sacramenti, prout ſuprà definitum eſt ſignum Sacrum & quidem practicum gratiæ; aut prout deinde explicatum eſt ſumi pro compoſito tum ex rebus & verbis tum ex re ſignificante & ſignificatione; ea enim, quæ communiter nunc aſſignant pro re & Sacramento, nec ſunt practicum gratiæ ſignum, nec compoſitum ex rebus & verbis, aut ex re ſignificante & ſignificatione, ut ex ſequenti aſſerto conſtabit. Rei igitur & Sacramenti nomine in præmemorato ternario ſortiuntur apud Scholaſticos diverſam ab hucuſque dictis acceptionem; eam nimirùm, quam eis aſſertum poſitum tribuit; nec poteſt de tali acceptione ſeu deſcriptione fieri quæſtio, niſi purè de nomine; in qua ſtandum eſt ſenſui & modo loquendi communiori, pro quo utique nos ſtamus. Hac terminorum notione ſuppoſita ſit.

Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res & ſacramentum ſimul Explicantur.

Aſſert. 2. Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res & Sacramentum ſimul, dantur in 68.

ſingulis

Digitized by Google

Et aſſignatur in omnibus, & ſingulis, novis ſacramentis. In omnibus ſcilicet

ſingulis novis ſacramentis. Ità Scholaſtici communiter, quamvis cum aliqua diſcrepantia aſſignent id, quod eſt res & ſacramentum in Extrema-unctione, & Pœnitentia, unde etiam multi in tractatu de his duobus ſacramentis in particulari ſervant præfixi tituli materiam; cenſui tamen non debere hic omninò præteriri, cum non parum conducat ad melius percipiendam materiam, formam, conſtitutionemque novorum Sacramentorum generatim.

Res tantum eſt gratia.

Probatur. In ſingulis novis ſacramentis datur aliquid, quod ſignificatur & non ſignificat; aliquid, quod ſignificat & non ſignificatur; aliquid, quod ſignificatur & ſignificat, ergo in ſingulis novis ſacramentis dantur res tantum, ſacramentum tantùm &c. conſequentia patet ex præaſſerta deſcriptione & notione terminorum: Prima & ſecunda antecedentis pars facilem, atque omnibus obviam; habet probationem; nemo enim non videt in quolibet novo Sacramento gratiam ſacramentaliter ſignificari, ipſam verò non aliud quidpiam ſacramentaliter, ideſt ex vi inſtitutionis ſacramenti & pertinens ad ſacramentum, ſignificare: Nemo item non videt ſignificare & non ſignificari cujuſlibet novi ſacramenti, tum formam verbalem, tum materiam in rebus per ſe ſenſibilibus ſitam, quam materiæ limitationem addo præcipuè propter dolorem, qui eſt partialis materia ſacramenti pœnitentiæ, & tamen non præcisè ſignificat, ſed ſimul ſignificatur per confeſſionem, per quam redditur ſenſibilis. Cenſenda eſt pariter prædicta limitatio addita propter internum Conjugum conſenſum, ſi iſte ponatur eſſe materia Sacramenti Matrimonij, ut ponere ſolent Canoniſtæ, quorum ſupra meminimus *num.* 11. Tertia ejuſdem antecedentis pars facilem ſimiliter habet probationem in tribus ſacramentis characterem imprimentibus, ipſe quippè character à ſui ſacramenti materia & forma ſicut cauſatur, ita ſignificatur; & præterea, tum gratiam, tum ſpecialem poteſtatem, quæ in quolibet ſacramento characterizante confertur, ſignificat: In Euchariſtia etiam & Matrimonio nec difficultas eſt, nec controverſia; Corpus enim & ſanguis Chriſti in Euchariſtia per ſpecies panis & vini, formaſque verbales ſacramentaliter ſignificantur, & gratiam ſacramentaliter ſignificant: Indiſſolubilitas, ſeu indiſſolubilis nexus, ſicuti major eſt & ſpecialior in Matrimonio ſacramento, quam in non ſacramento; ita per ſacramenti formam materiamque ſignificatur, ſignificat verò, tum gratiam, tum conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, Verbi cum humanitate. Nec refert, quòd Matrimonium, ratum jam ſit ſacramentum, & nondùm habeat omnimodam indiſſolubilitatem; habet enim jam majorem, quam Matrimonium conſummatum inter infideles, & dicere eam poteſt omnimodam radicaliter, utpotè quæ evadit omnimoda formaliter præcisè per hoc, quòd ponatur conſũmatio ſeu copula

Sacramentũ tantum eſt forma verbalis, & materia per ſe ſenſibilis.

69. Res & ſacramentum in baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, eſt character.

In Euchariſtia & Corpus & ſanguis Chriſti:

In Matrimonio eſt indiſſolubilitas vinculi:

70. A primo igitur ad ultimum diſcrepantia, ut jam præmonui, & difficultas aliqua aſſignandi rem & Sacramentum locum habet duntaxat in Extrema-unctione, & Pœnitentia; & in Extrema quidem Unctione duplex eſt opinio; Prima aſſignat pro re & ſacramento hilaritatẽ mentis, & confortationem animi dictam ab aliquibus internam unctionem, qua infirmus ſublevatus morbi incommoda ac labores leviùs fert, ut loquitur Tridentinum in doctrina de Sacramento Extremæ-unctionis *ſeſſ.* 14. *c.* 2. Secunda aſſignat ſanitatem corporis, quam interdum extremo oleo unctus, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur ex Tridentino *ibid* Porrò tum hilaritas mentis, tum ſanitas corporis, ſicuti ſunt quidam ſecundarij effectus Extremæ-Unctionis, ita per hujus materiam & formam ſignificantur; ac prætereà habitualem gratiam, tanquam animæ ſanitatem, & quaſi radicalem hilaritatem, ſignificant: Nec refert, quòd aliquando neutrum prædictorum effectuũ Extrema-unctio cauſet, infirmus ſcilicet neque exhilaretur in mente, neque ſanetur in corpore: Non refert inquam, quia ut uterque effectus ab ipſa ſignificetur, ſatis eſt quòd ſit ſecundùm ſe apta utrumque cauſare; ut patet in gratia, quam ſemper quodlibet novum ſacramentum ſignificat, quia ſemper ſecundùm ſe poteſt cauſare, etſi aliquando per accidens & propter obicem non cauſet.

In Extrema-unctione vel hilaritas mentis.

Vel ſanitas corporis:

71. In Pœnitentia opinio triplex occurrit: Prima aſſignat pro re & ſacramento peculiarem qualitatem ſpiritualem, quæ ſit ornatus animæ & diſpoſitio proxima ad gratiam habitualem: Hujus opinionis Auctores ſimilem qualitatem excogitant pro re & ſacramento in ſacramentis alijs characterem non imprimentibus; at ſicuti in alijs ſacramentis audiendi non ſunt, ita quoad hoc non ſolent audiri in ſacramento Pœnitentiæ, in quo benè, etſi non tam facile, quam in ſacramentis alijs, aſſignari poteſt res & ſacramentum abſque recurſu ad novam qualitatem, cujus nec Sancti Patres, nec Concilia, meminerunt: Secunda idcircò opinio à Thomiſtis communiter, alijſque plurimis recepta aſſignat dolorem, de quo non videtur quidem dubitabile, quin ſit ſacramentum, cum verè ſimul cum confeſſione & abſolutione ſacramẽtalem gratiam cauſet & ſignificet; quod tamen ſit res Sacramenti non caret ingenti dubitandi ratione, eo quòd ita ſignificetur à cõfeſſione, ut non cauſetur; imò etiam ſignificetur ex natura rei potiùs, quam ex inſtitutione Chriſti; & tamen quod eſt res in ſacramentis alijs ſignificatur ſacramentaliter, ideſt ex Chriſti inſtitutione; nec ſignificatur tantũ, ſed & cauſatur à materia & forma ſacramenti, aut ſaltem à forma, quod dixerim propter Euchariſtiã, in qua Corpus Chriſti (ſicut & ſanguis) eſt etiã, res quamvis cauſetur à ſola forma verbali, non à materia; imò ſit ipſummet pars materiæ Euchariſtiã conſtituentis. Propter hanc rationem dubitandi ſecundæ ſententiæ Auctores in duas præcipuè claſſes dividuntur; Thomiſtæ ſe conantur ſuſtinere dolorem ſub aliqua particulari conſideratione eſſe effectum confeſſionis aliarumvè partium ſacramenti, ſuumque conatum, ut refert Lugus *hic diſp.* 2. *ſec.* 8. quinque modis exerunt;

In Pœnitentia vel internus dolor,

72. Reliqui faciliùs ſe expediunt dicendo non eſſe de ratione rei, quòd cauſetur, ſufficere quod ſignificetur à ſacramento aut ab aliqua ejus parte, ut verè à confeſſione ſignificatur dolor, utpotè qui per illam ſenſibilis redditur;

tur, ſignificatur, inquam, ex Chriſti inſtitutione non ex natura rei, quia confeſſio abſtrahens ab inſtitutione Chriſti, & ab eo quod Sacramentalis ſit, abſtrahit ab eo quod ſit doloroſa, nec eſt per ſe ſignum doloris; poteſt enim propriorum peccatorum narratio alteri fieri ad jactantiam, ad ſeductionem, ad oſtendendam confidentiam, ad petendum conſilium æquè, ac ad proteſtandum dolorem. Tertia opinio, quam tradit Lugus *præcitat. ſect. 8. num. 166.* poſt efficaciter impugnatos, ut ipſe putat, omnes alios dicendi modos, pro re & Sacramento in Pœnitentia aſſignat pacem ac ſerenitatem conſcientiæ, & videtur aliqualiter deduci ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 3.* dicente *Sanè verò res & effectus hujus Sacramenti* (ſubintellige Pœnitentiæ) *quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris pijs & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conſcientiæ pax, ac ſerenitas, cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet.*

Vel pax ac ſerenitas conſcientiæ.

73. Sic poſitis & expoſitis circa Extremam-unctionem, & Pœnitentiam, varijs de re & Sacramento opinionibus; ſupereſſet ferendum de ſingulis judicium, at non expedit diutiùs detineri in controverſis ad duo prædicta Sacramenta in particulari pertinentibus, non hujus loci admodum propria, nec magni in ſe momenti, præter quod vix poteſt accuratius examinari ſine quæſtione de nomine: Solùm obiter moneò communiorem eſſe ac receptiorem pro Extrema-unctione ſententiam de hilaritate mentis, & confortatione animi; pro pœnitentia ſententiam de dolore; ideò hæc utraque cenſeri poteſt præferenda, ſaltem ex generali regula loquendi cum pluribus, ubi ſuſpicio eſt controverſiæ deſinentis in vocale diſſidium & quæſtionem de nomine: Nec impugnationes Lugi contra dolorem quidquam evincunt, imò ſuſtinendo, ut benè ſuſtineri poteſt, quòd neceſſe non ſit rem Sacramenti eſſe Sacramenti effectum, facilem habent ſolutionem, ut partim inſinuatur *præced. n. 72.* partim videre eſt apud Arriagam *hic diſp. 5. ſect. 2. n. 15.* & Madernum *q. 1. art. 14. n. 8.*

Veriſimilius autem in illa mentis hilaritas, in iſta internus dolor.

74. Ex his infertur primò, quàm jure *num. 67.* adverterim in præſenti non ſumi Sacramenti nomen eodem modo, quo ſumebatur ſuperiùs, dum Sacramenti definitio & conſtitutio explicaretur, alioqui Sacramentum tantum deberet dici, vel illud omne, vel illud ſolum, quod eſt Sacramenti conſtitutivum, & tamen in Euchariſtia Corpus Chriſti, in Pœnitentia dolor ſunt Sacramenti conſtitutiva, & non ſunt Sacramentum tantum; è contrà in iiſdem Sacramentis forma verbalis & ſpecies, forma verbalis & confeſſio ſunt Sacramentum tantum, & non ſunt ipſa ſola conſtitutiva, ut patet conſideranti. Rurſus ea, quæ dicuntur res & Sacramentum, dicuntur Sacramentum, & tamen juxta acceptionem, de qua ſuprà ut plurimum nullatenus Sacramentum ſunt, cum ut plurimum ne quidem ingrediantur conſtitutionem Sacramenti, ſed ſint puri effectus ſecundarij

75. Infertur ſecundò illud, quod in novis Sacramentis denominatur res & Sacramentum, eſſe ut plurimum effectum ſecundarium ipſorum; non tamen hoc verificatur omninò univerſaliter, & in ſingulis prorſus novis Sacramentis; non verificatur ſcilicet in Euchariſtia, & juxtà receptiorem opinionem neque etiam in Pœnitentia; non igitur quidquid denominatur res & Sacramentum eſt effectus ſecundarius Sacramenti; at ex adverſo etiam non quidquid eſt effectus ſecundarius Sacramenti rectè denominatur res & Sacramentum, etiamſi ſignificetur & ſignificet; nam conſolatio quædam & dulcedo ſpiritualis, quæ ſolet ex Euchariſtia percipi, auxilia item actualia, quæ ex vi Ordinis vel Matrimonij dantur ad exercenda Ordinis miniſteria, vel ſuſtinenda Matrimonij onera, aliáque hujuſmodi, ſunt effectus ſecundarij, ſignificantur à Sacramento & gratiam ſignificant; nec tamen ſolent denominari res & Sacramentum, idemque juxta communiorem ſententiam procedit de ſanitate corporis & ſerenitate conſcientiæ reſpectu Extremæ-unctionis & Pœnitentiæ; Cur autem unus potiùs, quàm alius effectus ſecundarius, etiamſi uterque ſignificetur & ſignificet, dicatur res & Sacramentum? vix aliunde habetur quàm ex uſu Scholaſticorum: Conatur quidem Lugus *præcitat. ſect. 8. num. 169* rationem aliquam afferre, at ſi benè expendatur, ſufficiens & univerſalis non eſt.

CAPUT II.

De Cauſis extrinſecis Sacramentorum novæ Legis, & primò de efficiente, ſeu de Inſtitutore & Miniſtro.

Expeditis cauſis intrinſecis, quæ ſunt materia & forma, procedimus ad extrinſecas, quæ ſunt finalis & efficiens, item materialis ſumpta non pro parte comparata ad totum quod componit, ſed pro ſubjecto aut quaſi ſubjecto recipiente comparato ad id, quod recipit. 1.

Quoad cauſam finalem ſi ſermo ſit de fine primario & præcipuo, ex ipſa de qua ſuprà ſacramentorum præſertim novorum definitione colligitur eſſe humanam ſanctificationem, cū ſacramenta præſertim nova definiantur in ordine ad gratiam, ut homines ſanctificantem; undè ex ſequenti Capite quarto, quod totum in tali gratia inſumetur, habebitur quidquid poteſt circa finem ſacramentorum primarium deſiderari: Si ſermo ſit de finibus alijs ſecundarijs, & minùs præcipuis, ſufficit recolere quæ attigimus *lib. præced. c. 2. n. 9.* & 52. dum recenſeremus congruentias & fines inſtitutionis ſacramentorum poſt peccatum, ideò de cauſa finali partim ex dicendis, partim ex dictis fit nihil ſupereſſe quod in præſenti tractetur: Cum verò efficiens ſit procul dubio nobilior materiali, illam huic præmittimus, & primo loco inter cauſas extrinſecas proponimus.

Cauſa finalis ſacramentorum novæ legiā quæ.

Quoad cauſam igitur efficientem, aut quaſi efficien 2.

Cauſa efficiens corundem quotuplex.

efficientem, duplex, ut præfixo titulo inſinuatur, occurrit; altera principalis & inſtituens, altera inſtrumentalis ſeu miniſterialis & exequens: Illa rursùs alia eſt inſtituens poteſtaſeimparticipata & per auctoritatem, alia poteſtate participata & quaſi per commiſſionem, factam tamen modo excellentiſſimo & tanquam principio conjuncto; undè etiam appellari ſolet poteſtas excellentiæ, & de hac præcipuè controvertitur, utrùm eam habuerit, & circa omnia nova ſacrameota pee ſe ipſum adhibuerit Chriſtus, ut homo? nam quoad poteſtatem auctoritatis & imparticipatam, certum eſt ſoli Deo & Chriſto ſolùm ut Deo convenire; nihilominùs uberioris doctrinæ gratia, & quia theologici muneris eſt plura quoque certa & incontroverſa ſine probatione aliqua non dimittere, placet expendere novorum ſacramentorum inſtitutionem, prout à Chriſto non ſolùm ut homine, ſed etiam ut Deo factam. Idcò ſic

---

§. I.

An & Quomodò Chriſtus, tum ut Deus, tum ut homo, inſtituerit omnia ſacramenta novæ legis?

3. ASSERT. 1. Chriſtus ut Deus omnia ſacramenta novæ legis inſtituit poteſtate auctoritatis & imparticipata. Eſt veritas non tantùm certa ſed & incontroverſa.

Chriſtus, ut Deus, omnia nova ſacramenta inſtituit poteſtate auctoritatis.

Probatur: Quoties aliquid omninò proprium Dei dicitur de Chriſto, id dicitur de Chriſto ut Deo; atqui ſacramenta inſtituere poteſtate auctoritatis, & imparticipata, eſt omninò proprium Dei, & tamen dicitur de Chriſto, utpotè qui ſimpliciter abſoluteque dicitur novorum ſacramentorum Auctor & Inſtitutor; ergo id ei convenit, ut Deo, ac per conſequens Chriſtus, ut Deus &c. Major patet ex terminis, minor quoad ſecundam partem conſtabit ex ſequentibus, quoad primam probatur, Sacramenta, præſertim qualia habemus in lege nova, inſtituere eſt tribuere rei ſenſibili virtutem practicè ſignificativam & cauſativam habitualis gratiæ; atqui hoc præſtare poteſtate auctoritatis, & imparticipata, eſt proprium illius, qui habet auctoritativam; principalem, ac primariam poteſtatem conferendi gratiam, & cujus voluntas eſt ex ſe ab intrinſeco ſufficiens ad eandem pro libito conferendam, quod totum eſſe Dei proprium, nec poſſe alicui, qui Deus non ſit, convenire ſupponitur ex dictis ſuo loco de cauſis gratiæ, cujus excellentiam quiſquis vel leviter conſideraverit, ultrò fatebitur opus non eſſe majori probatione: Hincque

4. Eadem poteſtate auctoritatis omnia antiqua ſacramenta inſtituit Deus ſecundùm ſe.

obiter probatum manet antiqua ſacramenta ſive legis naturæ, ſive legis ſcriptæ, quamvis non fuerint inſtituta à Chriſto, ut Deo, ſeu à Deo unito humanitati; fuiſſe omninò poteſtate auctoritatis inſtituta à Deo ſecundùm ſe: Nec refert, quòd ex illis plura habuerint virtutem gratiæ cauſativam ſolùm impropriè, imò per aliquos præcisè ſignificativam infallibiliter: Non refert, inquam, quia is, qui non habet in ſua poteſtate gratiam, nequit alteri tribuere non ſolùm propriam ejus cauſalitatem, ſed nec aut cauſalitatem impropriam, aut ſignificationem infallibilem. Multo minùs refert, quod ſicut per Moyſem & Angelos dicitur data antiqua lex, ita per eoſdem dicenda ſint data, ac per conſequens inſtituta, antiqua ſacramenta: Multo minùs inquam refert, quia per Moyſem & Angelos non auctoritativè & principaliter, ſed promulgativè ſolùm & miniſterialiter data fuit antiqua lex; proportionaliter modo fateor per Moyſem & Angelos data fuiſſe antiqua ſacramenta; at id non ſufficit ut dicantur per eoſdem inſtituta, cum nec dicatur per eoſdem coodita antiqua lex; undè paritas nobis favet, & poſſumus ex ea ſic argumeotari; Solus Deus auctoritativè & principaliter condidit antiquam legem; ergo ipſe ſolus auctoritativè & principaliter inſtituit antiqua ſacramenta; vel univerſaliùs ſic, leges ab eo ſolo ſimpliciter conduntur, à quo accipiunt auctoritativè & principaliter virtutem obligaodi; ergo ſacramenta ab eo ſolo ſimpliciter inſtituuntur, à quo accipiunt auctoritativè & principaliter virtutem ſanctificandi; at hanc accipiunt & accipere poſſunt à ſolo Deo; ergo.

5. Chriſtus, ut homo, ſeptē nova ſacramenta immediatè inſtituit poteſtate excellentis commiſſionis.

Aſſert. 2 Chriſtus ut homo omnia ſeptem novæ legis Sacramenta immediatè per ſe ipſum inſtituit poteſtate principalis miniſterij & excellentiæ, ſeu excellentis, ut ita dicam, commiſſionis. Duplex ſub hoc aſſerto occurrit controverſia, altera eſt Catholicorum cum hæreticis, altera fuit olim Catholicorum inter ſe: Controverſia Catholicorum cum Hæreticis eſt in ly *omnia ſeptem*, hæretici enim concedunt quidem omnia vera novæ legis Sacramenta fuiſſe immediatè inſtituta à Chriſto, at negant ea eſſe ſeptem; & duo tantùm, vel tria, vel quatuor ad ſummum, agnoſcunt ut retulimus *lib. præced. cap.* 2. *num.* 50. Controverſia Catholicorum inter ſe fuit in ly *immediatè per ſe ipſum*, olim enim aliqui Catholici aliter ſenſerunt de Extrema unctione & Confirmatione, illam putantes immediate poteſtate commiſſionis inſtitutam à Jacobo Apoſtolo *cap.* 5. *ſua Epiſtola Canonica*; iſtam ab Eccleſia in Concilio Meldenſi, tradiderunt id de Extrema-Unctione Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacramentis par.* 15. *cap.* 2. Magiſter *in* 4 *diſt.* 23. Bonaventura *ead. diſt. art.* 1. *quæſt.* 2. De Confirmatione verò idem Bonaventura *in* 4. *diſtin.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. & Alenſis 4 *par. quæſt.* 24. *memb* 1. Contra quos non ſolum ſtant quicumque poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt; ſed anteà quoque ſtetiſſe ferè omnes antiquos Scholaſticos colligitur ex eo, quòd prædictorum Auctorum opinionem temerariam appellet Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 1. ſcribens paulò ante mox affecendam Tridentini definitionem, poſtquam certè nequit ampliùs illa opinio à temeritate excuſari; utrum verò propter non expreſſam in verbis definitionis particulam *immediatè per ſe ipſum* excuſari adhuc poſſit ab errore contra fidem, propendent in mitiorem affirmativam partem Suar *diſp.* 12. *ſec.* 1. §. *Dico*

6. Cenſura opinionis oppoſitæ circa extremam unctionem, & Confirmationem.

primò Arriaga *diſp.*38 *ſect.*1.*n.*3.& nõnulli alij; negant autem & poſt Tridentinum aſſertam veritatem etiam reſpectu Confirmationis & Extremæ-unctionis de fide eſſe cenſent Vaſquez *diſp.*135.*cap.*1. Amicus *diſp.*8.*num.*4. Lugus *diſp.*7.*ſect.* 1.*num.*4 Gonetus *diſp.*5.*art.*1.§. *dico tamen*, cæterique communiter, quibus adhæreo: Neque hinc quidquam detrahitur Hugoni Victorino, aliiſque Auctoribus graviſſimis præmemoratis; iſti enim cum Tridentinum præceſſerint, jure excuſantur, prætetquod fortè ipſorum aliqui inſtitutionem impropriè uſurparunt & confuderunt, aut cum promulgatione præſertim ſcripto tradita, aut cum inſtauratione (ut ita dicam) rei antecedenter neglectæ, & ſub hac impropriétate tribuerunt Jacobo inſtitutionem Extremæ-unctionis, quia hanc ſcripto promulgavit; Concilio Meldenſi inſtitutionem Confirmationis, quia hanc tunc fortè neglectam quaſi inſtauravit & revocavit in uſum: favet huic benignæ prædictorum Auctorum interpretationi Eſtius *in* 4. *diſt.* 23. §. 3. Verùm quidquid ſit de aliorum mente, eorumdemque cenſura, aſſertum univerſim, & ut jacet.

7. Auctoritates pro immediata inſtitutione omnium Sacramentorum novorum à Chriſto. Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 1. anathematizante eum, qui dixerit *Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora, quàm ſeptem*, quo Canone non ſolum expreſſiſſimè damnatur error Sectariorum dicentium non eſſe à Chriſto inſtituta omnia ſeptem Sacramenta nova eò quod non omnia ſeptem ſint Sacramenta vera, ſed etiam additis præſertim alijs ejuſdem Concilij locis mox afferendis ſufficientiſſimè reijcitur opinio, quæ olim tribuebat Chriſto aliquorum ſacramentorum inſtitutionem mediatam & per Eccleſiam, vel Apoſtolos factam; nam in primis de Extrema-unctione, de qua maximè talis opinio procedebat, idem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.*1. ſtatuit fuiſſe *à Chriſto Domino noſtro inſtitutam, & à beato Iacobo Apoſtolo promulgatam:* Deindè *ſeſſ.*21. *cap.* 2. circa quodlibet univerſim ſacramentum non aliam agnoſcit in Eccleſia poteſtatem, quam ſtatuendi & mutandi ſalua ſacramenti ſubſtantia, ſignum eſt igitur quod illa nunquam inſtituit, nec potuit inſtituere, ſacramentum ullum quoad ſubſtantiam, etiamſi ſermo ſit de poteſtate commiſſionis dumtaxat, non auctoritatis.

8. Tandem primus Canon relatus *ex ſeſſ.* 7. de omnibus novis ſacramentis æquè affirmat fuiſſe à Chriſto inſtituta, atqui de aliquibus certum eſt fuiſſe inſtituta immediatè, ergo certum pariter id eſt de reliquis, & ſignanter de Extrema-unctione & Confirmatione; pro qua utraque, ſicut & pro nulla alia re, inſtitutio mediata ab Adverſarijs prætenſa non ſufficit, ut dicantur habere ſimpliciter Chriſtum inſtitutorem; nam ſimilem inſtitutionem mediatam, ideſt ab Eccleſia ex poteſtate à Chriſto accepta factam terminant omnes leges Eccleſiaſticæ, omnes cæremoniæ & ritus ad ſacramenta pertinentes; hæc quippè omnia Eccleſia ſtatuit ex poteſtate à Chriſto tanquam Capite derivata, nec tamen tales leges, cæremoniæ, & ritus dicuntur habere ſimpliciter Chriſtum Inſtitutorem. Abſtineo ab alijs, aut auctoritatibus, aut rationibus, urgendis ſingillatim pro Confirmatione, & Extrema-Unctione, quia non agitur nunc de illis in particulari, ſolum quoad Concilium Meldenſe, cujus pro Confirmationis inſtitutione ex Adverſariorum mente meminimus, inſinuo quòd Valentia *hic quæſt.* 5. *punct.* 2. §. *Hi autem* obſervat ipſum in tomis Conciliorum non reperiri; Amicus *præcit. diſp.* 8. *num.* 11. profert Pontifices Clementem & Fabianum, Concilia Valentinum & Chartaginenſe IV. mentionem feciſſe Confirmationis & tamen valdè anteceſſiſſe Concilium Meldenſe; Amicus *ibid.* & Bellarminus *libro primo, de ſacrament. capite vigeſimotertio*, monent Meldenſe nihil aliud de Confirmationis ſacramento ſtatuiſſe, niſi quod chriſma conficiatur feria V. majoris hebdomadæ, nullum munus accipiatur pro eo conferendo, & jejuni ſint accedentes ad ipſum ſuſcipiendum.

Probatur ſecundò ratione & congruentijs deſumptis potiſſimum ex D. Thoma *hic quæſtio.*64. *art.*4. in ſolutione argumentorum, & *in ſupplem. quæſt.*6.*art.*6. *in c.* Prima ſit, quia ſicut creatio univerſi præſupponitur operationi cauſarum ſecundarum, & facta eſt immediatè à ſolo Deo; ita fundatio Eccleſiæ debuit præſupponi operationi Miniſtrorum, & fieri à ſolo Chriſto; fundata eſt autem Eccleſia per fidem & ſacramenta, debuit igitur à Chriſto immediatè procedere fidei & Sacramentorum in Eccleſia ab ipſo fundata inſtitutio. Secunda ſit, ne ſi aliquis alius à Chriſto ſacramenta aliqua inſtituiſſet, dividerentur fideles, & unus in uno, alius in alio, Sacramentorum Inſtitutore ſpem ſuam poneret, dicerentque ut dicebant illi olim 1. Cor.1. *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Tertia, ut meliùs eluceat unitas, & ſtabilitas Eccleſiæ; unitas in eo quòd omnia ipſius ſacramenta uno eodemque gaudeant Auctore; ſtabilitas in eo quod ſacramentorum ſubſtantia & numerus nequeat ulla humana poteſtate variari. Quarta, quia omnium ſacramentorum à Chriſto ut homine facta inſtitutio commendat admodùm potentiam humanitatis & valorem meritorum ipſius; confert etiam plurimùm ad ſacramentorum dignitatem, & ad patentiùs eorundem diſcrimen à ſacramentalibus. 9. Congruentiæ pro eadem inſtitutione.

Dices his omnibus, aut ferè omnibus, quamvis evincatur quòd Chriſtus ſit per ſe ipſum novorum ſacramentorum inſtitutor, non tamen probari, quod talis ſit ut homo, non præcisè ut Deus; non item quidquam attingi de aſſerta poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ; ergo omnia hucuſque poſita non probant aſſertum adæquatè, & ut jacet.
Sed contra: Quæ conveniunt Chriſto præcisè 10.
ut Deo, non ſolent de eo dici ſimpliciter & abſolutè, nec de hoc homine deſignando Chriſtum verificantur aliter, quam per communicationem idiomatum; ex Tridentino autem Chriſtus ſimpliciter dicitur ſacramenta inſtituiſſe, neque hoc per ſolam communicationem idiomatum de Chriſto homine ſeu de hoc homine deſignando Chriſtum verificatur,

rificatur,

tificatur: Deindè gratia, quæ per nova ſacramenta confertur, eſt gratia Chriſti etiam ut hominis, non præciſè ut Dei, eſt ſcilicet non ex ſola efficientia phyſica principali Dei, ſed ſimul ex efficientia morali & meritoria, quam habuit Chriſtus etiam ut homo; neque enim meruit aut mereri potuit præciſè ut Deus: Rursùs ut homo etiam, non ut Deus præciſè, eſt Eccleſiæ Caput; cum igitur prærogativa Capitis & cauſalitas gratiæ per ſacramenta conferendæ ſuppeditent præcipuas congruentiæ rationes pro inſtitutione ſacramentorum à Chriſto; conſequens eſt hanc præcedentibus, tum auctoritatibus, tum congruentijs, comprobari reſpectu Chriſti etiam ut hominis, non ut Dei præciſè. Quoad eandem inſtitutionem à Chriſto, ut homine, factam poteſtate principalis miniſterij, ſeu excellentiæ, deducitur partim ex dictis, partim ex dicendis, quatenus ex una parte oſtenſum eſt in ee Sacramentaria poteſtatem auctoritatis, & omnino principalem, eſſe Dei propriam, nec communicabilem humanitati, ſeu Chriſto ut homini; ex alia verò parte mox explicabitur poteſtatem, quâ Chriſtus ut homo Sacramenta inſtituit, eſſe excellentiorem eâ omni, quæ pro ſimili inſtitutione poſſit, ſi quæ poteſt, puræ creaturæ communicari, ſive committi. Ideò ſit

§. II.

An, & quanam inſtituendorum Sacramentorum poteſtas communicari poſſit puræ creaturæ?

11. ASSERT. 1.° Nullatenus poteſt puræ creaturæ in ordine ad Sacramenta inſtituenda communicari poteſtas auctoritatis & omninò primaria. Eſt veritas receptiſſima & carens quæſtione.

Poteſtas auctoritatis in ordine ad Sacramenta inſtituenda nequit ullatenus communicari puræ creaturæ.

Probatur ex eo quòd jam dictum eſt poteſtatem auctoritatis in ordine ad Sacramenta inſtituenda requirere potentiam producendi principaliter, imò etiam independenter ab aliena voluntate, & ex proprio utcumque libitó, habitualem gratiam; hancque eadem independentia & libertate alligandi rebus ſenſibilibus nexu infallibili, quod totum nequit certè Deus communicare ulli puræ creaturæ, alioqui poſſet hanc facere gratiæ auctricem, nec ulla deinde ſupereſſet repugnantia, quin poſſet quoque eam facere auctricem naturæ, eique impertire rationem cauſæ primæ, quæ & ſimilia habere, tum indubitatam in ſe certitudinem, tum inconcuſſam pro præſenti intento efficaciam, ultrò fatebitur quiſquis fidei & Theologiæ principia non penitus ignoraverit. Hiſce rationibus à priori accedit argumentum à poſteriori ex eo, quod illa auctoritatis poteſtas non fuerit de facto communicata humanitati à Verbo aſſumptæ, nec Chriſto homini conveniat aliter, quàm per communicationem idiomatum, & tamen cum Chriſtus ſimpliciter abſolutéque dicatur Sacramentorum inſtitutor jure præſumitur habuiſſe omnem ſibi, etiam ut homini, poſſibilem Sacramentorum inſtituendorum poteſtatem.

Poteſtati auctoritatis ſuccedit poteſtas commiſſionis, quæ ſumi poteſt vel cum ea excellentia & proprietatione, quam habuit in Chriſto, vel univerſalius & ex genere ſuo. Circa poteſtatem commiſſionis præſertim hoc ſecundo modo ſumptam diſſident Scholaſtici, & in opiniones dividuntur extremè oppoſitas: Negant ſcilicet, nullamque prorſus agnoſcunt inſtituendorum Sacramentorum poteſtatem, cujus pura creatura ſit capax, Durandus *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 5. Gabriel *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Scotus *diſt.* 1. *quæſt.* 5. §. *De ſecundo*, *&* *diſt.* 2. *quæſt.* 1. §. *ex his*. Faventius *diſp.* 5. Maſtrius *diſput.* 1. *quæſt.* 6. *art.* 1. Vaſquez *diſp.* 135. *cap.* 2. & tum nonnulli alij Recentiores, tum communiter Nominales & Scotiſtæ; ex quibus tamen Pontius *diſp.* 41. *quæſt.* 6. *num.* 40. & Henricx *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 65. dum putarit mediam viam inire dicendo puram creaturam poſſe ex commiſſione Sacramenta inſtituere ſimul cum Deo principaliter inſtituente, non ſe ſolâ, valdè deflectunt ad ſententiam oppoſitam, cujus Auctores nunquam excludunt à Sacramentorum inſtitutione Dei conſortium; imò Deo relinquunt inſtitutionem ex poteſtate primaria & principali, eo ipſo quod eandem aſtruunt à creatura fieri ſolùm ea poteſtate ſecundaria & delegata: Hoc autem poſſibile eſſe aſtruunt & ſententiæ præallatæ adverſarij cenſentur Richardus *in* 4. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 3. Bonaventura *ead. diſt. art.* 3. *quæſt.* 2. S. Thomas *hic q.* 64. *art.* 4. Cajetanus & Sylvius *ead. art.* Gonetus *diſp.* 5. *art.* 2. Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. Amicus *diſput.* 8. *num.* 19. Lugus *diſp.* 7. *ſect.* 2. Arriaga *diſput.* 18. *ſect.* 2. Eſparza *quæſt.* 10. *art.* 2. Madernus *quæſt.* 5. *art.* 2. & cum tota ſchola Thomiſtica Major pars Recentiorum. 12.

Iſto in diſſidio ferè omnes fatentur multum miſceri quæſtionis de nomine, utriuſque enim ſententiæ Auctores conſentiunt in eo, quod Deus aut Chriſtus poſſit noſtro concipiendi modo ita dicere puræ creaturæ, homini v. g. vel Angelo; Do tibi poteſtatem determinandi pro gratia ſignificanda & conferenda quamcumque, ſive materiam, ſive formam; uno verbo quamcumque volueris rem ſenſibilem; & quidquid determinaveris volo, quod infallibiliter gratiam ſignificet & conferat: Diſſentiunt verò in ſtatuendo, utrum determinans ex vi talis poteſtatis rem aliquam ſenſibilem ad gratiam ſignificandam, & conferendam, dicendus eſſet ſacramenti inſtitutor, necne? ſicque apex quæſtionis, & ſumma difficultatis, poni videtur in nomine *Inſtitutor*, ſeu in voce *Inſtituere*, cujus ſignificatio limitatior ſit & ſtrictior apud Auctores primæ; amplior & laxior apud Auctores ſecundæ opinionis; & iſtis, ſi ita res ſe habet, prodeſt quod Adverſarios pluralitate & numero ſuperent propter ſæpiùs repetitam generalem regulam, ſecundùm quam in ſuſpicione quæſtionis de nomine, veriſimilior & eligibilior cenſetur pars à pluribus receptior. His poſitis ſit 13.

Aſſert. 2. Communicabilis eſt divinitùs puræ creaturæ poteſtas delegationis, ſeu com- 14.

Benè verò poteſtas delegationis, ſeu commiſſionis.

miſſionis, ſufficiens ad veram, quamvis ſecundariam, ſacramentorum inſtitutionem. Ita omnes Thomiſtæ & Recentiores plurimi, quibus ex parte favent aliqui Scotiſtæ, contra Scotiſtas alios ferè omnes, Nominales, & nonnullos Recentiores; ut diſtinctè retulimus *præced. num.* 12.

Probatur primò ex eo quia non admittendo communicabilem puræ creaturæ poteſtatem pro vera ſacramentorum inſtitutione ſufficientem, intercluditur, aut ſaltem valdè difficilis redditur, aditus ſuſtinendi, quod Chriſtus etiam ut homo adeóque per poteſtatem humanitati communicatam ſacramenta inſtituerit; undè Auctores, quos hic habemus Adverſarios, ſolent Chriſto tantùm ut Deo tribuere novorum ſacramentorum inſtitutionem, in quo licèt fatear non eſſe ulli cenſuræ obnoxios, & aſſertum poſitum *præced. numer.* 5. ad fidem pertineat dumtaxat quatenùs procedit contra duas opiniones ibi relatas, quibus de Chriſto abſolutè, ac per conſequens etiam ut Deo, negatur quod omnia ſeptem novæ legis ſacramenta inſtituerit; non verò ad tantam certitudinem aſſertum illud perveniat, quatenùs de Chriſto ut homine loquitur: licet, inquam, hæc fatear, nihilominùs abſtrahendo a certitudine fidei, & ab omni contrariæ opinionis cenſura, idem aſſertum totum, ut ibi jacet, iterùm cenſeo veriſſimum, & præter probationem jam poſitam *præced. num.* 10. Chriſtum etiam ut hominem ſacramenta de facto inſtituiſſe confirmo ſingillatim ex Euchariſtia, quam Tridentinum *ſeſſ.* 13.

15. Probatur iterum obiter Chriſtum ſacramenta inſtituiſſe, etiam ut hominé.

cap. 1. & 2. deſcribit Chriſtum inſtituiſſe, cum ſe præbere diſcipulis ſuum Corpus & ſuum ſanguinem *diſertis & perſpicuis verbis teſtatus eſt* tum cum *eſſet diſceſſurus ex hoc mundo*, Chriſtus autem ut homo loquebatur, ut homo erat diſceſſurus; etiam igitur ut homo Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit: Favet huic confirmationi Eccleſia, dum in Feſto Corporis Chriſti de Euchariſtiæ inſtitutore canit *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens, Accipite quod trado vaſculum omnes ex eo bibite, ſic ſacrificium iſtud inſtituit* &c. Vbi ly *Dedit dicens* operationem appellat humanam, & ad Chriſtum ut hominem refertur; ad eundem igitur etiam ut hominem refertur ly *ſacrificium iſtud inſtituit.* Neque obſtet Sacrificij potius quàm ſacramenti nomen, eſt enim id factum metri gratia; nec placet quod Maſtrius *præcit. quæſtio.* 6. *numero* 156. ait Euchariſtiam ut ſacrificium fuiſſe inſtitutam à Chriſto ut homine;

16. ut ſacramentum à Chriſto ut Deo: Non placet, inquam, quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi hanc duplicem inſtitutionem, & Euchariſtia ſicuti non ſolùm ut ſacrificium offertur, ſed etiam ut ſacramentum conficitur à ſolis Sacerdotibus; ita ſub utraque ratione jure ponitur inſtituta à Chriſto ut ſummo Sacerdote; Chriſtus autem eſt Sacerdos etiam ut homo, non præcisè ut Deus. Hac interpoſita digreſſiuncula de novis ſacramentis à Chriſto, etiam ut homine, inſtitutis, redeo jam ad probationem inceptam, eámque ſic inſtauro, Facilè eſt concedendum quod ex una parte non repugnat, & ex alia parte favet inſtitutioni ſacramentorum a Chriſto etiam ut homine factæ; atqui quod communicabilis ſit divinitùs puræ creaturæ poteſtas delegationis &c. non repugnat ut ex ſequentibus conſtabit; favet verò prædictæ inſtitutioni, quia poteſtas communicabilis inſtrumento ſeparato, & humanitati in proprio ſuppoſito, eſt vehemens argumentum ſimilis poteſtatis eminentiori modo repertæ in inſtrumento conjuncto, & humanitate aſſumpta à ſuppoſito divino.

Probatur ſecundò: Communicabilis eſt puræ creaturæ poteſtas, qua ex commiſſione ſeu 17.
delegatione divina tribuat pro libito alicui rei ſenſibili virtutem ſignificativam & cauſativam gratiæ; atqui hæc eſt poteſtas commiſſionis ſeu delegationis ſufficiens &c. nam ſicuti tribuere rei ſenſibili prædictam virtutem ex facultate intrinſeca, & independenti, eſt ſacramentum inſtituere poteſtate auctoritativa & ordinaria, ita tribuere illam ex delegatione, & commiſſione, eſt ſacramentum inſtituere poteſtate delegata & commiſſaria: ergo. Major probatur, quia communicabilis eſt puræ creaturæ, tanta plenitudo gratiæ, ut ejus opera in multorum ſententia ſint condignè meritoria gratiæ alijs, & quamvis huic ſententiæ in tract. de Gratia *lib.* 4. *capite* 8. §. 6. non adhæſerim, *ibid.* tamen docui poſſe puram creaturam ex divina diſpenſatione ordinare propria opera in bonum alienum & obtinere infallibiliter alteri gratiam, quam poſſet ſibi condignè mereri; poteſt igitur pura creatura ex commiſſione, ſeu diſpenſatione, divina obtinere infallibiliter gratiam alijs; cur igitur non poterit gratiam obtinere per applicationem rei ſenſibilis, quam ipſamet ad id deſtinaverit? atqui hoc foret poſſe tribuere pro libito alicui rei ſenſibili virtutem ſignificativam &c. ergo. Confirmatur ex eo quia, quidquid ſit de gratia ex proprijs operibus alijs obtinenda, poteſt Deus ſe obligare puræ creaturæ ad dandam gratiam, quoties & cuicumque applicabitur res aliqua ſenſibilis, quam talis creatura pro gratiæ collatione applicandam determinaverit ſeu ſtatuerit; atqui hoc eſt poſſe ex divina commiſſione tribuere pro libito alicui rei ſenſibili virtutem ſignificativam, & cauſativam gratiæ; ergo.

Varij modi, quibus pura creatura poteſt ex commiſſione divina operari Sacramentorum effectum, & ſacramenta inſtituere.

Dices primò ex Vaſquio inſtituere eſt rem aliquam inchoare ſeu ab initio & quaſi primo ſtatuere; atqui ex commiſſione ſeu delegatione rem aliquam ſtatuit, non inchoat nec ab initio & primò ſtatuit, ſupponitur quippe talis rei inchoatio & primum initium in decreto & voluntate præbentis commiſſionem ſeu delegationem; ergo ex commiſſione, ſeu delegatione, nullum ſacramentum poteſt inſtitui, nec ſine terminorum contradictione inducitur inſtitutio ſecundaria ſacramentorum, & poteſtas commiſſaria inſtituendi ſacramenta. Sed contrà: Verè quidem inſtituere apud 18.
Latinæ linguæ Auctores aliquando idem eſt, ac incipere, inſtitutus idem, ac inceptus juxtà Ciceronem pro Cluentio dicentem *Vt facere inſtituiſtis, benignè attentèque audiatis*: & pro Domo, *Inſtitutas cæremonias perſequi non potuit*:

Quid propriè ſignificet verbum *Inſtituo.*

potuit : ac hæc non eſt unica illius vocis ſignificatio, & aliquando etiam inſtituere idem eſt, ac decernere, conſtituere, ordinare; inſtitutus idem ac conſtitutus ordinatus juxta eundem Ciceronem quartò Verr. *Tu qui inſtitueras in eos animadvertere* & Attic. lib. 2. *Magiſtratus hic multos annos poſt decem viros inſtitutus eſt.* Propterea verbum *inſtituo* ex ſe non magis ſignificat primò, quam ſecundò ſtatuere; inchoare rem, quam inchoatam ultimò quodammodo determinare: Præter quòd juxta communem loquendi modum rectè dicitur rem aliquam incipere is etiam, qui dependenter ab alio, & ex aliena commiſſione, talem rem primus exequitur? atque adeò quomodocunque ſumatur inſtituere verificatur de eo qui primus aliena commiſſione oritur, & quod ſibi indifferenter commiſſum eſt determinat, ſic Religionum fundatores dicuntur religiones ipſas & Religionum regulas inſtituiſſe, licet id præſtiterint ex facultate & poteſtate accepta à ſummo Pontifice: Imbecille igitur oppoſitæ opinionis præſidium deſumitur ex prætenſa à Vaſquio ſignificatione verbi *Inſtituo*, & proculdubio eandem, ſi in ea ſiſtitur, purè putè de nomine diſputatur.

Dices ſecundò ex Scoto *præcit.* §. *Ex his.* Deus non poteſt a creatura determinari ad producendam, ſeu conferendam gratiam, tum quia hæc eſt effectus Dei proprius, ad effectum autem ſibi proprium à ſe ſolo Deus determinatur; tum quia ſi à creatura ad gratiam producendam determinaretur, jam eſſet cauſa ſecunda reſpectu ejus quod repugnat; atqui ſi creatura ſacramentum inſtitueret, Deum ad gratiam producendam determinaret; alligaret enim gratiam rei ſenſibili tanquam ſigno infallibili, quo poſito non poſſet Deus non producere ſeu non conferre gratiam, ergo nullatenùs poteſt creatura ſacramentum inſtituere.

19. Sed contrà: Diſtinguo majorem, Deus non poteſt à creatura determinari determinatione incipiente ab eadem creatura, concedo; determinatione incipiente à ſe ipſo, nego majorem; creatura autem, quæ ſacramentum inſtitueret ex poteſtate commiſſionis Deum ad gratiam producendam determinaret determinatione incipiente ab ipſo Deo, quatenùs ipſemet dediſſet poteſtatem, vi cujus creatura aſſumeret rem ſenſibilem ad ſignificandam infallibiliter gratiam, eandemque creaturam prædeterminaret ad aſſumendam pro gratia infallibiliter ſignificanda hanc potius, quàm illam rem ſenſibilem: Solum inſtantia benè procederet ſi poneremus in creatura inſtituendorum ſacramentorum poteſtatem auctoritativam; & à Deo independentem; tunc enim ſimpliciter & propriè Deus à creatura determinaretur ad gratiam producendam; at in noſtra hypotheſi determinatur valdè impropriè, & in rigore non magis, quam nunc, ad eandem producendam determinetur à Miniſtro ſacramentum, puta baptiſmum conferente, à juſto exercente aliquod opus ſupernaturale, à peccatore eliciente actum contritionis.

Deus non determinatur à creatura, niſi determinatione incipiente à ſeipſo.

20. Dices tertiò ex Durando *præcit. num.* 5. Non poteſt Deus puræ creaturæ in ordine ad ſacramenta committere aliquid ampliùs, quam quod eligat atque determinet res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtant; atqui hoc non eſt committere poteſtatem inſtituendi ſacramenta; ergo hanc non poteſt Deus committere puræ creaturæ, ac per conſequens non eſt divinitùs puræ creaturæ communicabilis poteſtas commiſſionis. &c. Minor probatur quia determinare res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtant, eſt ſupponere ſacramenta à Deo inſtituta cum indeterminatione materiæ, ſicuti Teſtatore relinquente hæreditatem ei, quem Petrus elegerit ſeu determinaverit, dum deinde Petrus determinat ſupponit inſtitutum cum indeterminatione Perſonæ hæredem eum, quem determinat, & ſicuti Petrus in hoc caſo determinatione ſua non inſtituit hæredem, ita nec pura creatura in illo caſu determinatione ſua inſtituit ſacramentum: Minor eadem probatur efficaciùs ex eo quod in lege naturæ reliquit Deus liberum hominibus eligere atque determinare rem ſeu actionem, in qua conſiſteret remedium originalis & ſacramentum juſtificativum parvulorum; nec propterea tunc homines dicebantur ex commiſſione inſtituere, aut habere poteſtatem inſtituendi illud ſacramentum; ergo. Ratio à priori eſt, quia determinare præcisè res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtant, non eſt rebus & verbis tribuere efficaciam virtutemque ſignificandi & conferendi gratiam, ſed ſolùm deſignare id, cui Deus ſub conditione determinationis à creatura faciendæ efficaciam illam virtutemque tribuit, quod eſt ponere non ipſam ſacramenti inſtitutionem, ſed conditionem pro divinæ inſtitutionis executione & conſummatione requiſitam: Cæterum efficaciam virtutemque prædictam, ſicuti nulla pura creatura poteſt in ſe tanquam cauſa principalis aut quaſi principalis habere, ita nec poteſt ulli rei ſenſibili tanquam inſtrumentali tribuere. Doctrina hujus inſtantiæ continet medullam totius quæſtionis, & quidquid difficultatis in ea repetibile eſt, quod non ſit purus nominis cortex. Sed contrà:

Inſtantia continens medullam totius præſentis quæſtionis.

Adverto cohærentes ad ſupradicta *num.* 17. duobus per nos modis poſſe puram creaturam inſtituere ex commiſſione divina ſacramentum, vel dependenter à propriis operibus & plenitudine gratiæ, quam in ſe habeat; vel dependenter à ſolo pacto, quo Deus committat (ut ita dicam) ſuæ gratiæ diſpenſationem alicujus puræ creaturæ beneplacito, & promittat ſe daturum gratiam cuicumque illa voluerit, relinquendo illi liberum voluntatem ſuam vel aliter manifeſtare, vel alligare quodammodò applicationi alicujus rei ſenſibilis, hocque non in ordine ad certos & determinatos gratiæ gradus, ſed in ordine ad plures pancioresve pro libito. Addo deindè eum, qui determinat præcisè res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtant, habere quidem in ſua poteſtate, quod gratia per hanc potiùs, quàm per illam rem conferatur; at non quod conferatur major aut minor prout ſibi libuerit, non item, quòd ſi ipſe velit, immediatè & nulla applicata re ſenſibili conferatur gratia,

21. *Sacramentori ex divina commiſſione inſtitutio quid addat ſuprà determinationem materiæ à Deo relictæ indifferentis.*

gratia quæ conferretur per applicationem rei ſenſibilis ab ipſo determinatæ. Hinc

22. Ad inſtantiam nego majorem: poſſe enim vel ex proprijs operibus, vel etiam ex ſolo Dei pacto, gratiam alijs obtinere; poſſe item ac velle hanc infallibilitatem rei ſenſibili affigere quodammodò, & alligare, eſt aliquid ampliùs, quam eligere ſeu determinare res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtant; eſt ut *præcit. num.*17. dicebatur rebus ipſis & verbis efficaciam gratiæ conferendæ tribuere; eſt ſacramenta inſtituere non ea ſupponere cum indeterminatione materiæ inſtituta, ſicuti in lege naturæ inſtitutum ſupponebant remedium originalis ij, qui ejus materiam determinabant; qui propterea poterant quidem hanc vel illam actionem eligere ad conferendam gratiam parvulorum juſtificativam, at non poterant gratiam parvulis obtinere abſque ulla externa actione, aut actionem ipſam externam, prout voluiſſent, determinare ad majoris vel minoris gratiæ collationem: Sicuti pariter determinans perſonam inter multas relictas à Teſtatore ſub indeterminatione hæredis non poteſt ei tribuere jus ad majorem, vel minorem, pro ſuo libito hæreditatis portionem; aut declarare eam hæredem aliter, quàm applicando ei voluntatem Teſtatoris, à quo relicta eſt ſub indeterminatione hæres. Nil igitur concludunt Adverſariorum exempla; nec mirum eſt cum minorem inſtantiæ propoſitionem probent, non majorem, quam nos negamus, & pro qua ſolùm contrà nos aliquan-

23. tulùm militat quod ultimo loco afferebatur in ly *Cæterum efficaciam virtutemque prædictam &c.* Ad hoc autem dico verè non poſſe ullam puram creaturam habere in ſe virtutem, qua ut cauſa phyſica principalis producat gratiam; at pro noſtro intento ſufficit, quòd habeat virtutem, qua gratiam producat ut cauſa moralis, movendo ſcilicet divinam voluntatem, etiamſi talis motio ſit dumtaxat ex vi pacti & promiſſionis Dei: Præter quòd unum inſtrumentum poteſt communicare virtutem inſtrumentalem alteri: Pura igitur creatura poterit à Deo aſſumi ut inſtrumentum phyſicum productivum gratiæ, tum per ſe ipſam, tum per aliud inſtrumentum, cui ipſa virtutem ſuam ex divina diſpenſatione communicet, & hoc aliud inſtrumentum, ſi cætera requiſita non deſint, habere poterit rationem ſacramenti.

Urgebis ex Auguſtino *tract.*72.*in Ioan.* Majus eſt, quòd ex impio fiat juſtus, quàm creare Cœlum & terram; ergo productio gratiæ juſtificantis, qua impius fit juſtus ſeu inſtitutio ſacramenti potentis talem gratiam producere eſt quid majus, quam creare Cœlum &c. ſeu quam creatio; atqui ex D. Thoma 1. *par. quæſtio.*45. *art.* 5 non eſt communicabilis puræ creaturæ virtus, quamvis inſtrumentalis, creativa; ergo à fortiori communicabilis eidem non eſt virtus, quamvis inſtrumentalis, productiva

24. Creationis cum juſtificatione, ſeu productione gratiæ, comparatio. gratiæ, aut inſtitutiva ſacramenti. Sed contrà: Non deſunt qui putent poſſe puræ creaturæ, communicari virtutem creativam principalem, ne dum inſtrumentalem; & quando neque etiam inſtrumentalis eſſet communicabilis, non valeret illatio ad virtutem productivam gratiæ, quia virtus creativa, quamvis inſtrumentalis, debet eſſe phyſica; virtus productiva gratiæ poteſt eſſe moralis. Deindè his omiſſis juſtificatio impij & productio gratiæ eſt quid majus creatione ex parte termini producti; at creatio, ut ait D. Thomas 1. 2. *quæſt.*113.*art.*9 *ad* 3. eſt maximum opus Dei ex parte modi agendi ſeu producendi; & ex hac parte quando repugnaret inſtrumentum phyſicum creationis, poſſet adhuc non repugnare inſtrumentum phyſicum juſtificationis, ſeu productionis gratiæ.

Ex his habetur in eo ſenſu, quo ſuſtinemus communicabilem puræ creaturæ poteſtatem inſtituendi ſacramenta non præciſe per determinationem materiæ, ſed per efficaciam virtutemque gratiæ ſignificativam ab ipſa creatura materiæ ſeu rei ſenſibili collatam, nos inter & Adverſarios verſari reale, non vocale diſſidium, & noſtram doctrinam multùm recedere à quæſtione de nomine, à qua ægrè ſe expediunt admittentes ſacramentis etiam à creatura inſtitutis tribui à ſolo Deo virtutem ſignificandi infallibiliter gratiam, iſti enim nequeunt aſſignare quid aliud creatura in pretioſa ſacramentorum inſtitutione præſtet, quàm eligere & determinare materiam, & quantumcunque conentur non ſatis explicant, cur de facto antiqui Patres dicendi non ſint inſtituiſſe ſacramentum deletivum originalis in lege naturæ, qua de re plura Lugus & Arriaga locis præcitatis.

Supereſt ut expoſitam hucuſque ſacramentorum inſtituendorum poteſtatem in pura creatura dabilem comparemus cum poteſtate excellentiæ data de facto in Chriſti humanitate, ſeu in Chriſto ut homine, & aſſignando in quonam iſta illi præcellat? explicatum maneat id, quod in calce præcedentis. §. de tali Chriſti poteſtate explicandum reliquimus. Sit igitur. 25.

Aſſert. 1. Inſtituendorum ſacramentorum poteſtas communicabilis puræ creaturæ eſt quoad ſubſtantiam ejuſdem rationis, at eſſe nequit ejuſdem eminentiæ & perfectionis cum ea, quam habuit de facto Chriſtus ut homo ſeu Chriſti humanitas. Colligitur ex D. Thoma *præcit. art.*4. Geneto *præcit. art.* 2. *num.*15. & 24. Lugo *præcit. ſec.*2. *n.*23. Arriaga *diſp.*18. *ſec.*3. & alijs

Probatur & explicatur: Sicuti inſtituendorum ſacramentorum poteſtas communicabilis puræ creaturæ, eſt poteſtas delegationis ſeu commiſſionis; ita de facto non aliter, quàm ex delegatione ſeu commiſſione Chriſtus, ut homo, ſacramenta inſtituit; utraque igitur poteſtas eſſentialiter & quoad ſubſtantiam eſt ejuſdem rationis, utraque eſt ex delegatione ſeu commiſſione Dei, hincque D. Thomas præcitatus docet Chriſtum Dominum potuiſſe communicare ſuis Miniſtris poteſtatem excellentiæ, quam ipſemet in ſacramentis habuit, loquitur autem de ea quoad ſubſtantiam, ſecundùm quam tanquam poteſtas commiſſionis à poteſtate auctoritatis diſtinguitur; cæterùm quoad modum perfectionis & eminentiæ, ex prærogativis, quas idem S. Doctor *art.* 3. in Chriſto 26. Quomodò delegata Sacramentorũ inſtituendorum poteſtas fuerit excellentior in Chriſto, ut homine, quã eſſe poſſit in ulla pura creatura.

Chriſto conſiderat, facilè deducitur non poſſe eundem reperiri in pura creatura: eſt autem ex hujuſmodi prærogativis præcipua, quòd in Chriſto meritum & virtus paſſionis ejus inſtituendorum ſacramentorum poteſtatem comitetur, & in ſacramentis ipſis operetur: Hinc fit Chriſtum ut hominem ſacramenta inſtituentem poſſe illis ex condigno, imò ſuperabundante, propriorum meritorum valore communicare virtutem conferendi gratiam ſive ſecundam, ſive etiam primam in quocumque gradu; pura autem creatura quantumcunque ſancta & Deo grata, ſicuti non poteſt condignè mereri alijs primam gratiam & per nos neque ſecundam; ita ſacramentis à ſe inſtitutis non poteſt tribuere virtutem gratiæ conferendæ ex valore condigno ſuorum meritorũ, ſed ſolùm ex pacto & promiſſione Dei, aut ex proprijs quidem operibus, non tamen ut condignè meritorijs, neque in Ordine ad gratiam in quocunque gradu: Eminentia igitur & perfectio, quæ ex virtute & merito paſſionis redundat in ſacramentorum inſtitutionem à Chriſto, etiam ut homine, factam, in nulla pura creatura dabilis eſt; ac per conſequens inſtituendorum ſacramentorum poteſtas puræ creaturæ communicabilis nequit eſſe ejuſdem eminentiæ & perfectionis cum ea &c. Et ecce explicatum quod in calce præcedentis §. reliqueramus explicandum.

Ex dictis infertur duplicem debere diſtingui poteſtatem inſtrumentalem, ſeu miniſterialem in ordine ad Sacramenta; alteram ſcilicet ad ea inſtituenda, alteram ad ea conficienda: Primam habuit de facto ſola Chriſti humanitas; Secundam habent omnes Sacramentorum Miniſtri; utraque ſecundùm ſe & abſolutè miniſterialis eſt, utpotè ex commiſſione & diſpenſatione aliena proveniens; per comparationem tamen unius ad alteram, prima ſicuti ex eo, quod ſecundæ valde præcellat, nominatur poteſtas excellentiæ, ita in ſuo genere nominari poteſt poteſtas principalis, item poteſtas auctoritatis, ſubintelligendo comparativè & ſecundùm quid, non abſolutè & ſimpliciter: In hoc ſenſu D. Thomas *præcit. art. 4. ad 2.* intelligit gloſſam in eo, quod ſuper illud *Cor. 1.* Diviſus eſt Chriſtus, ait *Potuit eis dare auctoritatem baptiſmi, quibus contulit Miniſterium*; potuit ſcilicet committere poteſtatem inſtituendi, quibus contulit poteſtatem miniſtrandi. Hinc, ſi vis, potes in re præſenti triplicem aſſignare poteſtatem, alteram puræ auctoritatis, & hæc eſt Dei propria nullique protsùs ad extra communicabilis; alteram puri miniſterij & hæc eſt omnibus Sacramentorum miniſtris communis; alteram auctoritatis & miniſterij ſub diverſa ratione; auctoritatis ſecundùm quid, miniſterij ſimpliciter; & hæc de facto eſt propria Chriſti, ut hominis, divinitùs fieri poteſt communis alijs.

In ordine ad ſacramenta diſtingui poteſt. poteſtas puræ auctoritatis, poteſtas puri miniſterij; poteſtas auctoritatis & miniſterij.

§. III.

Quiſnam ſit, vel eſſe poſſit, Miniſter conficiens ſacramenta novæ legis?

ASSERT. 1. Miniſter ordinarius, ſeu de lege ordinaria, conficiens ſacramenta novæ legis eſt reſpectu omnium ſacramentorum ſolus, reſpectu aliquorum omnis homo. 28.
Circa hoc aſſertum lapſi ſunt in errores oppoſitos Sectarij relati à Bellarmino *lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 14.* nam Lutherus docuit non ſolùm homines, ſed & Angelos ſive bonos ſive malos, habere ordinariam ſacramentorum conficiendorum poteſtatem, hancque hominibus præſertim competere pro omnibus prorsùs ſacramentis, quamvis ad vitandam confuſionem oporteat non omnes ea uti, ſed dumtaxat legitimè vocatos. Calvinus eandem poteſtatem non ſolùm non extendit ad Angelos aut Dæmones, ſed inſuper ita ſeverè limitat ad legitimè vocatos, ut pro nullo prorsùs ſacramento illam omnibus hominibus concedens velit Laicos & fœminas nequidem in neceſſitate poſſe validè conficere ſeu conferre baptiſmum. Contrà utrumque hunc errorem ſentiunt & conſentiunt Scholaſtici communiter cum D. Thoma *hic quæſt. 64. articul. 7.* & *in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2. artic. 3.* & quidem quod non omnes homines omnium, omnes tamen ſint aliquorum id eſt Baptiſmi & Matrimonij ſacramentorum Miniſtri ordinarij, res eſt inter Catholicos incontroverſa, non ſic quòd tales ſint homines ſoli; putant enim aliqui tales eſſe etiam Angelos & afferunt pro ſe Scotum *in 4. diſt. 6. q. 1.* at meo videri Doctor ſubtilis de extraordinaria potiùs, quàm de ordinaria poteſtate loquitur, ut & nos loquemur in ſequenti aſſerto: Interim pro aſſerto præſẽti

Errores oppoſiti Sectariorum circa Sacramentorum Miniſtros.

Adverto me dixiſſe *conficiens* potius, quàm miniſtrans, quia reſpectu Eucharistiæ, quæ eſt ſacramentum permanens, non conſiſtens in uſu, duplex datur miniſterium; alterum, quo ſacramentum conficitur ſeu conſecratur, alterum quo diſtribuitur ſeu diſpenſatur: Hoc ſecundum miniſterium à quocumque fiat, ſive ab Angelo, ſive ab anima ſeparata, non infertur detrimentum valori ſacramenti, cum ſupponatur jam antecedenter validè peractum; nec impeditur ejus effectus, quia iſte pendet à diſpoſitionibus & conditionibus ejus, qui ſuſcipit, non ejus qui porrigit; quod igitur ſoli homines ſint ſacramentorum Miniſtri, quoad Euchariſtiam procedit de Miniſtro utcumque, ſed de Miniſtro conficiente, licèt alia ſacramenta in uſu conſiſtentia duplicem hunc miniſterij, ſeu Miniſtri modum non admittant, & per hoc, quod conficiantur, porrigantur ſeu conferantur. Aſſertum ſic explicatum 29.

Quomodò & cur pro Euchariſtia potiùs quam pro alijs ſacramentis diſtinguatur duplex miniſterium.

Probatur: Ordinarius Miniſter validè legitiméque conficiens aliquod novum ſacramentum eſt is ſolus, quem Chriſtus tale ſacramentum inſtituendo deſignavit; atqui Chriſtus omnia nova ſacramenta inſtituendo ſolos 30.

Cujuſlibet novi Sacramenti conficiendi Miniſter ordinarius eſt ſolus homo.

homines deſignavit, ergo reſpectu omnium novorum ſacramentorum ſolus homo eſt ordinarius Miniſter validè legitiméque ea conficiens; Major patet, quia ex inſtitutione dependent & ab Inſtitutore deſignanda ſunt ea, quibus ſacramentum perficitur, ex Florentino autem ſæpiùs memorato omnia nova ſacramenta perficiuntur rebus verbis, & perſona Miniſtri; debet igitur hujus deſignatio æquè ac rerum & verborum ex inſtitutione & Inſtitutore peti; Præter quod Miniſter in novis ſacramentis conficiendis operatur, ut inſtrumentum Chriſti, cujus vicem gerit; ſpectat autem ad cauſam principalem ſibi eligere inſtrumentum, & ſubſtituere perſonam gerentem vicem ſui. Minor probatur, quia Chriſtus omnia nova ſacramenta inſtituendo ſolos homines eſt allocutus, ut adductis ferè pro quolibet novo ſacramento ſpecialibus ſcripturæ locis, oſtendunt Suarez *diſp.* 12. *ſec.* 1. & alij paſſim: Hinc Apoſtolus *Cor.* 4. Solos homines appellat *Miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, eoſdemque ſolos *Heb.* 5. dicit *conſtitui in ijs, quæ ſunt ad Deum*, ideſt in ſacramentis, ut exponit D. Thomas *præcitat. art.* 7. *in arg. Sed contrà*. Confirmatur congruentijs: Novorum ſacramentorum miniſter principalior eſt Chriſtus ut homo, eorundem ſolus homo eſt ſuſceptor; ergo ut ſalvetur conformitas inter Miniſtrum principaliorem & minùs principalem; inter ſuſceptorem & collatorem, debuit ſolus homo deſignari ad miniſterium ea conferendi & conficiendi. Rursùs ſacramenta ipſa ſunt ſenſibilia, ſenſibili Eccleſiæ deſtinata, & conſtant ſenſibili verborum forma; decuit igitur ſenſibiles deputari Miniſtros, quales ſunt ſoli homines inter creaturas rationales, quibus etiam ſolis convenit propria & naturalis verborum prolatio.

31. Et alicujus, at non cujuſlibet, eſt omnis homo ſubintellige, ratione utens.

Probatur jam reſpectu alicujus, non reſpectu cujuſlibet, ſacramenti ordinarium Miniſtrum eſſe omnem hominem, ſubintellige ratione utentem, nam amentes, parvuli, & ſi qui alij uſu rationis carent, ſunt homines duntaxat ut ita dicam materialiter, non gaudent humano operandi modo, nec ſunt capaces intentionis ad quodlibet ſacramentum conficiendum neceſſariæ; nequeunt igitur ſacramentum ullum legitime conficere; ſuppoſito uſu rationis omnes tum viri tum fœminæ validè & in caſu neceſſitatis etiam licitè conficiunt, ac conferunt baptiſmum, hocque ſuſcepto omnes pariter tum viri tum fœminæ, niſi ea peculiari conditione perſonæ aliquo impedimento detineantur, validè ac licitè Matrimonium conficiunt & contrahunt: Sacramenta cætera requirunt determinatæ conditionis homines, nimirùm Euchariſtia, Pœnitentia, & Extrema-unctio Sacerdotes; Ordo & Confirmatio (ſaltem niſi ſummi Pontificis diſpenſatio intercedat) Epiſcopos: Hujus diverſitatis ratio petenda maximè eſt ex inſtitutione, ſeu ex voluntate Chriſti inſtituentis nobis verbo partim ſcripto partim tradito manifeſtata, & accommodata perfectioni Eccleſiæ; cui tanquam Myſtico corpori convenit non omnia membra eundem actum habere, undè etiam in ſynagoga, in qua erant imperfectiora ſacramenta, adhuc nō poterant omnes omnia miniſtrare; quod verò tunc remedium legis naturæ, nunc baptiſmus miniſtrari ab omnibus poſſit, ſpecialem congruentiam facit ſumma utriuſque ſacramenti neceſſitas; quod inſuper nunc poſſit ab omnibus baptizatis miniſtrari Matrimonium rationem aliquam habet in eo, quod Miniſtri conficientes ſunt ipſæmet Perſonæ ſuſcipientes, congruebat autem Matrimonium poſſe ab omnibus ſuſcipi; qua de re ſicut & de congruentijs pro determinatione Miniſtrorum in cæteris ſacramentis conſulendi ſunt proprij ſingulorum ſacramentorum tractatus. Interim

32. Nullius ſacramenti conficiendi poteſtatem ordinariam habet Angelus, aut anima ſeparata.

Ex dictis habetur non ſolùm Angelos, neque malos, neque bonos; ſed neque animas ſeparatas habere Ordinariam ullius ſacramenti conficiendi poteſtatem; cum neque iſtæ veniant hominum nomine, & pars hominis ſint, non homo: Utrum verò anima, quæ ſemel ſeparata corpori reuniretur, talem ſibi poteſtatem vendicaret, & abſque alio à reunione miraculo poſſet conficere ſacramenta, ſicut poterat dum primò fuerat corpori unita? Poteſt dupliciter caſus contingere, poteſt ſcilicet anima vel corpori paſſibili & mortali, vel impaſſibili & glorioſo reuniri. Si caſus primo modo contingat, neminem non affirmantem invenio; quia anima ſic reunita non ſolùm eſſet verus homo, ſed etiam eſſet iterùm viator; in quo caſu ſicut eſſet æquè ac anteà Sacramentorum ſuſcipiendorum capax, ita & conficiendorum quoad ea, quæ pendent ex inſtitutione & voluntate Dei vel Chriſti, cujus intentioni mors limites non præſcribit, quamvis præſcribat intentioni hominum, quæ in ſpectantibus ad ſocietatem & politiam humanam non extenditur ultrà communem curſum vitæ mortalis; & hoc ſemel finito nulla habetur ratio reditus ad vitam, iſte quippè ſicuti non eſt poſſibilis naturalibus ipſorum hominum viribus, ita cenſetur ad naturalem eorundem providentiam, intentionemque, non pertinere.

Benè verò anima poſt ſeparationem reunita corpori paſſibili.

33. Hincque conſtat obiter, cur mors ſolvat inter Conjuges Matrimonij vinculum & iſtud diſſolutum maneat, etiamſi uno Conjuge ſuperſtite alter, qui erat mortuus, ſuſcitetur? cur item Epiſcopus, vel ſummus Pontifex, redivivus non habeat iterùm, quam habebat anteà, primus in ſua Diœceſi, ſecundus in tota Eccleſia juriſdictionem? habeat verò quilibet in paſſibili corpore ſuſcitatus eam, quam antè mortem habebat poteſtatem ad baptiſmum vel matrimonium novum conficiendum; habeat quoque iterùm, ſi quam habebat anteà, poteſtatem Ordinis pro conficiendis reliquis ſacramentis; ratio ſcilicet eſt, quia poſteriora non pendent ex voluntate & conceſſione humana, benè verò priora; doctrinam rationemque hanc attingunt in præſenti Arriaga *diſp.* 18. *ſec.* 4. *num.* 22. Eſparza *quæſt.* 12. *ad* 4. Madernus *quæſtio.* 5. *articul.* 3. *numero* 9.

34. Si caſus contingat ſecundo modo; & anima ſeparata reunitur corpori glorioſo, concedenda eſt ei ſic reunitæ ordinaria Sacramentorum conficiendorum poteſtas, quoties hæc non ſit alligata ſtatui viæ, neganda quo-

ties

De ſumma ſcupit.a corpori glorioſo res eſt magis dubia.

ties ſit alligata: Caſus igitur in ſecunda hypotheſi reſolutiu pendet ab eo, quòd Chriſtus pro novis ſacramentis conficiendis ſolos homines viatores deſtinaverit, necne? Affirmant hoc autem Lugus *diſp.*8. *ſec.* 1. *num* 3. Eſparza *quæſt.* 12. *art.* 2. & 3. Vaſquez, Becanus, Coninchus, Cabrera & aliqui alij: Negant Suarez *diſp.*13. *ſec.*1. §. *atque ex his.* Arriaga *pracit. ſec.*4. *num.*21. Macedinus *pracit. artic.*3. *num* 4. Gonetus *diſp.*6. *art.*1. §.1. *num.*6. Nugnus. *quæſt.*64 *articul. ſeptimo*, Soto *ibid.* & reliqui Thomiſtæ communiter cum Recentioribus non paucis.

Fundamenta affirmantium ſunt primò, quia Chriſtus ſacramenta inſtituens ſolus homines viatores eſt allocutus; iſti etiam ſoli ſunt Sacramentorum ſuſcipiendorum capaces. Secundò, quia poſt diem judicij ſicuti nullum conficietur ſacramentum, ita nulla remanebit ad id poteſtas; ergo quia hæc eſt reſtricta ad viatores, & ad ſtatum viæ non ultrà diem judicij duraturum. Tertiò, quia pias offendit aures; quòd Sacerdos & Epiſcopus damnatus, qui in inferno cum corpore & anima exiſteret, poſſit validè tum Euchariſtiam conficere, tum Confirmationem & Ordines conferre, niſi continuo perpetuoque miraculo à Deo impediatur. Quartò, quia Apoſtolus Jacobus ad Extremam-Unctionem videtur in Miniſtro requirere fidem, quæ eſt propria Viatoris.

35. Fundamenta negantium ſunt primò auctoritas D. Thomæ qui negativam in hoc reſolutionem ſupponit & inſinuat, aut ſaltem ſupponere & inſinuare videtur *pracitat. articul.*7. *ad* 2. Secundò, quia Chriſtus Sacramenta conficienda commiſit hominibus abſolutè; nec ullibi invenitur ab ipſo appoſita conditio aut facta reſtrictio ſtatus viæ; & quòd ſolos viatores fuerit allocutus, fuit per accidens, eò quòd illos ſolos habuerit præſentes. Tertiò, quia homines comprehenſores retinent characterem ſacramentalem, & ſi quis eorum nunc in corpore, & animâ, inter nos verſetur, præſto habet ſubjecta ſacramentorum capacia, & facilè poteſt adhibere, tum debitam intentionem, tum idoneam pro ſacramentis materiam & formam.

36.

Sicuo valdè dubia res eſt, utrum prædicta poteſtas ſit alligata ſtatui viæ? qua in re vel negativè ſentio, vel problematicus hæreo.

Hæc utriuſque partis fundamenta, utpotè planè æqualis ponderis, rem quodammodò ſtatuunt in æquilibrio, & ſicuti utramque partem videntur reddere ſatis probabilem, ita neutri tribuunt gravem reſpectu alterius præponderantiam; & licet propter D. Thomæ potiſſimùm auctoritatem in partem negativam propendeam, dum tamen S. Doctoris mens non eſt admodùm expreſſa; & negativam partem omittit potiùs, aut permittit, quàm aſtruat; vix non hæreo problematicus, ut hæret Herincx *diſput.* 3. *quæſt.* 1. *numero* 5. ubi cenſet hanc modicæ utilitatis controverſiam in ſua eſſe incertitudine relinquendam.

Aſſert. 2. Miniſter extraordinarius, ſeu de lege extraordinaria, & ex peculiari Dei diſpenſatione, conficiens ſacramenta novæ legis (ſi Matrimonium excipias) eſſe poteſt, tum Angelus, tum Anima ſeparata. Ita omnes communiſſimè, nec ſimpliciter & directè in contrarium lego relatum Auctorem ullum præter Auguſtinum Bernal *diſput* 17. *ſec.* 1. *num.* 15. teſte Gonetio *pracit. art.* 2. *num.* 1. arbitratum Angelos poſſe duntaxat eſſe miniſtros extraordinarios ad Euchariſtiam diſtribuendam, non ad eandem conſecrandam aut aliud ſacramentum conficiendum: indirectè & ſecundum quid contrarij videri poſſunt Cabrera, Nugnus, & quidam alij exiſtimantes ſacramenta, quæ ab anima ſeparata, vel Angelo, tanquam Miniſtro extraordinario conficerentur, non fore ejuſdem ſubſtantialis rationis cum noſtris, eò quòd non conſtarent verbis ejuſdem ſpeciei cum verbis humanis; Verùm hæc ſubſtantialis & ſpecifica, ſi quæ eſt, verborum diverſitas materialiter, imò impertinenter ſe habet ad rationem ſacram uti, ut explicabitur *ſeq num.* 48.

Dixi *ſi Matrimonium excipias*, quia Matrimonij Sacramentum habet hoc ſpeciale, ut 37.
ejus Miniſtri ſint ipſimet ſuſcipientes ſeu contrahentes, cum igitur perſpicuum ſit ſubſtantias purè ſpirituales, & carnis corporiſque expertes, ut ſunt Angelus & Anima ſeparata, nullo quantumcumque extraordinario modo poſſe vel inter ſe, vel cum hominibus contrahere matrimonium carnale, & corporis quo carent poteſtatem alteri præbere, conſequens utique eſt nullo pariter modo poſſe idem Matrimonium, tanquam Miniſtros, conficere. Quoad reliqua ſacramenta

Angelus. & anima ſeparata, neque de lege extraordinaria poſſunt eſſe Miniſtri ad conficiendum ſacramentum Matrimonij.

Probatur aſſertum ex eo quia, quòd de facto & de lege ordinaria ſoli homines ſint Miniſtri, provenit ex Chriſti voluntate, non ex natura & eſſentia ſacramenti; ex eadem igitur Chriſti vel Dei voluntate poteſt in hoc diſpenſari, & alijs rationalibus creaturis committi ut ſacramenta noſtra conficiant, cum præſertim poſſint ipſæ quoque habere præſentem materiam ſenſibilem, cui cum debita intentione applicent formam verbalem.

Bene verò ad conficienda reliqua Sacramenta.

Dices ex D. Thoma 1 *par. quæſt.* 51 *art.* 3. *ad* 4. Angeli (idem procedit de animabus ſeparatis) in corporibus aſſumptis, & à fortiori extra ipſa, nequeunt propriè loqui proferendo humanas voces, ſed ſolùm impropriè, formando in aere ſonos humanis vocibus ſimiles; ergo forma verbalis applicabilis ab Angelis nequit eſſe propriè talis, & ejuſdem rationis cum ea, quam applicant homines; ergo nequeunt Angeli conficere ſacramenta, ſaltem habentia eandem ſubſtantialem & ſpecificam rationem quam noſtra. Sed contrà: humanæ voces conſiderari poſſunt vel ut ſoni vitales, vel ut 38.
ſoni ſignificativi, ſi conſiderentur primo modo, verè non poſſunt Angeli formare voces humanas, ſed tantùm aliquid ipſis ſimile; at humanarum vocum vitalitas impertinenter ſe habet ad ſacramenta, ad quæ humanæ voces pertinent per hoc, quod ſint in genere ſigni; ſunt autem in genere ſigni per hoc, quòd ſint ſoni ſignificativi, ad ſignificandum inſtituti, & formati deindè à creatura rationali ex intentione ſignificandi, quo modo optimè poſſunt ab Angelo formari: Ideò forma verbalis ab Angelo applicabilis rei ſenſibili eſt diverſa ab ea, quam applicant

homines, in aliquo, quod ad ſacramenti conſtitutionem non pertinet, & ſecundùm quod etiam Pſitachus poteſt verbalem formam, ut proferunt homines, proferre, in eo verò, ſecundum quod ad ſacramenta pertinet ipſorumque conſtitutionem ingreditur, eſt ejuſdem rationis; ſicque Angelus talem formam applicando conficeret ſacramenta in ratione ſacramenti eadem ſubſtantialiter, & ſpecificè cum noſtris.

39. Explicantur variæ hiſtoriæ de Miniſterio Euchariſtiæ ab Angelis, vel hominibus beatis.

Ex his infertur primò quomodò intelligendæ ſint plures hiſtoriæ, quibus apud Gonetum *præcit. art. 1. num. 5.* & Lugum *præcitat. ſec. 1. num. 4.* narratur Angelos, vel aliquem hominem beatum, Euchariſtiam Miniſtraſſe: Si enim conſtet ſimul etiam celebraſſe & conſecraſſe, fecerunt hoc Angeli ex ſpeciali & extraordinaria Dei commiſſione, & ex eadem id fecit aliquis homo beatus, ſi erat ſola talis hominis anima in corpore aereo; quod ſi erat totus homo, ideſt anima in proprio corpore glorioſo, fuit ex ſpeciali diſpenſatione animæ & corporis anticipata reunio ad tempus facta; fortè tamen ulteriore privilegio opus non fuit pro conficienda Euchariſtia juxta doctrinam, de qua ſuprà *num.* 36. Idem eſto judicium de Angelis, vel beatis hominibus, Epiſcopali munere & miniſterio functis in conſecrando aliquo templo, vel in Epiſcopum aliquo pio vito, ut aliquando eveniſſe referunt *ibid.* Gonetus & Lugus: Quòd ſi in prioribus exemplia de celebratione & conſecratione tunc facta non conſtet; faciliùs & cum nullo, vel certè cum minore miraculo, dicetur Angelos homineſvè beatos in illis caſibus præſtitiſſe circa Euchariſtiam ſolum miniſterium ſecundarium porrigendi hoſtiam aliundè tranſlatam, & conſecratam à Sacerdote, ad quod miniſterium, utpotè ſacramenti non effectivum, non requiritur commiſſio extraordinaria, illa ſaltem, de qua nunc agitur.

Infertur ſecundò, quòd ſicuti poteſtas extraordinaria conficiendi univerſim noſtra ſacramenta poteſt communicari non homini, ita ſimiliter poteſt communicari non baptizato, non Sacerdoti, non Epiſcopo, poteſtas extraordinaria conficiendi ſingillarim ea ſacramenta, quæ requirunt pro Miniſtro Ordinario hominem Baptizatum, vel Sacerdotem, vel Epiſcopum: Et quamvis ex vi præſentis inſtitutionis ſolus, at non omnis homo, poſſit conficere omnia nova ſacramenta; ex vi tamen peculiaris commiſſionis poteſt è contrà ea omnia conficere, & omnis, & non ſolus homo.

40. Infertur tertiò ex commiſſione extraordinaria poſſe validè ſacramenta confici etiam ab Angelis malis & hominibus damnatis; ex dictis enim conſtat divinam voluntatem intrà latitudinem creaturæ rationalis, rationiſque uſum habentis, non eſſe in committendo ſacramentorum miniſterio alligatam ulli qualitati & conditioni perſonæ: Idque prætereà à fortiori deducitur ex eo, quòd *ſeq. §.* dicendum eſt etiam de facto & ex vi præſentis inſtitutionis homines improbos, & peccatores ſceleſtiſſimos, poſſe validè ſacramenta conficere. Neque quoad commiſſionem extraordinariam contrarius eſt D. Thomas *præcit. art. 7. in c.* docens, ſi boni Angeli aliquod ſacramentale miniſterium perficiant, eſſe hoc ratum habendum; ſecùs ſi tale miniſterium exhibeant dæmones: Contrarius, inquam, non eſt, quia intendit ſolùm extraordinariam commiſſionem, de qua aliundè non conſtet, debere præſumi pro bonis Angelis qui ſunt veraces, non pro dæmonibus qui ſunt ſpiritus mendacij; cæterùm non vult S. Doctor, aut non poſſe illam dæmoni fieri, aut non poſſe ex illa dæmonem ſacramentale miniſterium validè exercere.

Regulariter ratum habendum eſt ſacramentale miniſterium præſtitum à bonis, non ſic à malis Angelis, & cur?

---

§. IV.

Utrùm in Miniſtro conficiente ſacramenta novæ legis requiratur fides, probitas, & intentio.

41. Ad validum novorum Sacramentorum miniſterium non requiritur fides, & probitas, in Miniſtro.

ASSERT. 1. Ad valorem ſacramentorum novæ legis, neque fides, neque probitas, requiritur in Miniſtro ea conficiente: Eſt poſt Nicænum Concilium fidei dogma à Catholicis omnibus receptum, hincque Scholaſticorum non pauci malunt id ſupponere, aut controverſias contrà hæreticos conſcribentibus relinquere, quam hoc loco tractare; tractant tamen præter Bellarminum Controverſiſtam *lib. 1. cap. 26. de Sacram. in gen.* Suarez *diſp.* 13 *ſec. 4.* Valentia *diſput. 3. quæſt. 5. punc. 3.* Herinex *diſp. 3. quæſt. 2.* Gonetus *diſp. 6. art. 3.* & aliqui alij cum D. Thoma *quæſtio. 64. art. 5.* contra varios variorum errores, & primò quidem contrà Agrippinum Epiſcopum Carthaginenſem, deindè Cyprianum Aggrippini ſucceſſorem, quamvis non immediatum; alioſque nonnullos Epiſcopos Africanos in Concilio Provinciali ſimul cum Cypriano congregatos & arbitratos eſſe invalida ſacramenta collata ab hæreticis, vel Schiſmaticis; & ab iſtis baptizatos eſſe rebaptizandos: *Secundò* contrà Donatiſtas, Vvaldenſes, & ſaltem ex parte, ideſt quoad ſacramentum ordinis, Luciferianos, qui Africanorum Epiſcoporum errorem non ſolum pertinaciter & poſt abſolutam in oppoſitum Eccleſiæ definitionem, tenuerunt ſed & auxerunt excludendo à valido ſacramentorum miniſterio ſimul cum hæreticis ac ſchiſmaticis, quoſcumque peccatores præſertim manifeſtos. Tertiò contra Vviclefum, qui magis adhuc eundem errorem extendendo à valido ſacramentorum miniſterio excluſit non ſolùm peccatores de præſenti, ſive manifeſtos, ſive occultos, ſed & peccatores de futuro, ideſt omnes reprobos ſeu præſcitos.

42. Benè verò ad licitum.

Dixi *Ad valorem*, quia quoad congruentiam, & licitum miniſterium, diverſimodè ſentiendum eſt; & ad licitè ac ſine peccato conficienda ſacramenta novæ legis regulariter requiri in Miniſtro ſtatum gratiæ, ac per conſequens fidem & probitatem, eſt unanimi Sanctorum & Doctorum mente receptum, & pluribus fultum rationibus petitis ex ſancti-

tate

Digitized by Google

tate actionis qua ſacramentum conficitur, effectus qui per ſacramentum confertur, Chriſti cujus nomine Miniſter operatur, conſecrationis qua quis ad ſacramentale miniſterium deputatur; quæ rationes etſi fortè ſingulæ non ſint omninò efficaces, tales ſunt omnes ſimul; & quando nec omnibus ſimul convincaris, convinceris ſaltem communi auctoritate; ſub hac deindè eſt quidem multiplex diſſidium circa varias doctrinæ generalis limitationes, variaſque ex eadem illationes; at hæc omitto Caſuum profeſſoribus expendenda, cum nec ad Scholaſticum inſtitutum pertineat ea ex profeſſo tractare, nec poſſint ſatis explicari, niſi ex profeſſo tractentur.

43. *Cur ſacramentum deletivum originalis in antiqua, non in nova lege ad ſui valorem requirat fidem in Miniſtro.*

Dixi *Sacramentorum novæ legis*, non ſolùm quia nunc unicè de iſtis agitur, ſed etiam quia in re nequit præfixum aſſertum à nobis extendi ad ſacramenta antiqua; nam horum potiſſimum fuit remedium originalis, ad cujus valorem fuiſſe neceſſariam in Miniſtro fidem, quamvis non probitatem ſeu gratiam, tradidimus *lib. præced. cap. 3. num. 55.* ubi etiam *numer. 55.* aſſignavimus rationem, ob quam tale remedium ſive per circumciſionem, ſive aliter applicaretur, exigebat in applicante fidem, non ſic nunc dum applicatur per baptiſmum. Hincque obiter infero ſacramentum ex genere ſuo præſcindere ab eo, quod ad ſui valorem requirat in Miniſtro fidem (eademque eſt ratio de probitate, & ſtatu gratiæ) necne? & quod hanc de facto nullum novum ſacramentum requirat, non provenit ex natura rei, & eſſentiali conditione ſacramenti, ſed ex libera inſtitutione & extrinſeca Chriſti domini voluntate; congruentiſſima tamen, quamque proptereà nobis non ſolùm manifeſtant definitiones Conciliorum, & traditio Eccleſiæ, ſed ſuadent quoque multæ morales rationes, & congruentiæ: Ideò aſſerta veritas

44. Probatur primò ex Concilijs, inter quæ Nicænum celebratum anno 327. non multò poſt exortum Africanorum Epiſcoporum errorem ſuſcipiendo (ut teſtatur Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos*) omnes ab hæreſi reſipiſcentes in ſuo gradu, ideſt baptizatos, ordinatos ut verè in ordine ſuſcepto conſtitutos, approbavit tanquam valida ſacramenta Baptiſmi & Ordinis ab hæreticis collata: Damnarunt deindè paulò poſt in diverſis ſectarijs eundem errorem Concilium Carthaginenſe 1. *can.* 1. & Arelatenſe 1. *can.* 8. ac diù poſtea Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. & poſtremò Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 12. de Sacram. in gen.* & *can. 4. de Bapt.* & quamvis (ut obſervat Suarez *præcit. ſec. 4. §. ſecundò præcipuè* in fine) hæc Concilia exprimant aut ſolùm baptiſmum & ordinem, aut frequentiùs ſolùm baptiſmum, & Tridentinum *præcit. can.* 12. exprimat quidem quodlibet ſacramentum indeſinitè, at mentionem faciat Miniſtri in peccato mortali exiſtentis, non hæretici; adeóque non appareat ab ullo Concilio in terminis definitus valor cujuſlibet ſacramenti confecti ab hæretico: Nihilominùs in primis Tridentinum *præcit. can.* 12. ſub peccato mortali jure ſupponitur hæreſim comprehendere, & reliqua Concilia ſingillatim ſolùm baptiſmum, aut baptiſmum & ordinem expreſſerunt, non quia ad hæc limitare intenderent ſuas definitiones, ſed quia Sectarij, quos damnabant, in ijs ſingillatim errorem ſuum promulgaverant: Cæterum eadem in hoc fuit quoad omnia nova ſacramenta Conciliorum mens, ſicuti eadem pariter quoad omnia fuit Eccleſiæ ab Apoſtolis deducta traditio, licet hanc peculiariter pro baptiſmo Stephanus Papa I. Cypriano oppoſuerit, eandemque ſimiliter occaſione baptiſmi commendaverit Auguſtinus *lib. 5 de baptiſmo cap. 9.* dicens *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem* & luculentiùs Vincentius Lyrinenſis *in Commonitorio cap. 9.* loquens de ijs, qui fuerant ab hæreticis baptizati, ſcripſerit, *Venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contrà divinum Canonem, contra morem & inſtituta Majorum, rebaptizandum eſſe cenſebat.*

Probatur ſecundò ratione: Reſpectu Chriſti nova ſacramenta inſtituentis nulla fuit neceſſitas requirendi, & plurima fuit congruentia non requirendi prò ipſorum valore fidem & probitatem Miniſtri; ergo ad valorem ſacramentorum novæ legis neque fides, neque probitas &c. conſequentia patet, quia ex modo inſtitutionis, & voluntate inſtitutoris, provenit quod aliquid ſit vel non ſit de neceſſitate ſacramenti, requiratur vel non requiratur ad ipſius valorem: Probatur antecedens quoad primam partem, reſpectu Artificis ſeu cauſæ principalis nulla eſt neceſſitas utendi inſtrumento vivo & conjuncto, ſed poteſt inſtrumento etiam mortuo & ſeparato uti; atqui in quolibet novo ſacramento conficiendo Chriſtus ſe habet ut Artifex & cauſa principalis, Miniſter ut inſtrumentum, vivum quodammodò & conjunctum ſi fidem habeat & gratiam ſeu probitatem, mortuum & ſeparatum ſi ea utraque careat; ergo. Ratio univerſalior ſit, quia cauſa principalis utitur inſtrumento non ſecundùm formam & virtutem inſtrumenti propriam, ſed ſecundùm eam, quam ipſa habet in ſe & inſtrumento communicat, imò per inſtrumentum quaſi per medium tranſmittit; ad cauſam igitur principalem, ejuſque opus, impertinenter & per accidens ſe habet, quòd propria inſtrumenti forma ſeu conditio perfecta ſit vel imperfecta, bona vel mala; in cujus confirmationem apud Sanctos Patres Auguſtinum præſertim & Thomam egregia occurrunt exempla, puta arti medicæ, ut ſanitatem conferat, impertinens eſt quòd Medici corpus ſanum vel infirmum ſit; ſemini ut fructum afferat quòd lotis vel ſordidis manibus ſpargatur; aquæ ut agris ſua irrigatione proſit quod per ligneum vel lapideum canalem decurrat; ſigillo ut effigiem imprimat quód ex auro vel ferro conſtet &c. 45.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem; congruum enim primò fuit homines non eſſe valdè incertos & perplexos de valore ſacramentorum, ut tamen eſſent, ſi valori illi officeret infidelitas & improbitas Miniſtri, 46.

præſertim etiam occulta: Congruum ſecundò fuit non pendere à bonitate Miniſtri valorem miniſterij reſpicientis aliorum potiùs, quam ipſius Miniſtri utilitatem: Congruum tertiò fuit non amitti poteſtatem, cujus ſignum retinetur; Miniſtri autem conſecrati quomodocumque peccent retinent characterem, quo ſignificatur conficiendorum ſacramentorum poteſtas: Congruum quartò fuit ſacramentorum ſubſtantiam & efficaciam non tribui humanæ conditioni & bonitati Miniſtri, ne homines in hominibus confidere aſſueſcerent, & ſpem ſalutarem, quam totam debent in Deo reponere ex parte refunderent in creaturam.

47. Fides, & probitas, in Miniſtro neque etiam requiritur, ad novorum ſacramentorum effectũ.

Poſteriore hac aſſerti probatione, maximè verò exemplis & congruentijs in ea poſitis, facilè deducitur, quod dictum eſt de ſacramentorum valore, extendi debere ad ſacramentorum effectum, contrà quoſdam hæreticos nuncupatos Apoſtolicos, qui temporibus D. Bernardi vigneruntt; & poſteà contra Albigenſes, qui utrique docuerunt à malis Miniſtris conferri ſacramenta validè at non efficaciter, ideſt non cum effectu gratiæ, quæ doctrina etſi in Concilijs non damnetur ita expreſsè, ut præcedens; nihilominùs non ſolùm prædictis exemplis & congruentijs, communique in oppoſitum auctoritate Scholaſticorum, & Patrum, improbatur; ſed inſuper ipſa quoque contrà fidem eſſe convincitur ex Tridentino *ſeſſ.7 can.6.* & 7. definiente ſacramenta novæ legis conferre gratiam ſemper, & omnibus non ponentibus obicem, quod igitur valida ſint, & effectu gratiæ careant provenire poteſt ſolùm ex indiſpoſitione & obice ejus, qui ſuſcipit non ex infidelitate & improbitate ejus, qui miniſtrat. Quòd ſi agatur de alio aliquorum ſacramentorum effectu, ideſt de charactere; res eſt clarior, eo ipſo enim quod Concilia ſtatuunt baptizatos ab hæreticis non eſſe rebaptizandos, baptiſmum ab hæreticis collatum non eſſe iterandum, declarant talem baptiſmum non ſolùm eſſe validum, ſed & imprimere characterem; ab hoc quippè cenſetur habere quod iterandus & iterabilis non ſit. Eadem proportionaliter eſt ratio de charactere Confirmationis, & Ordinis.

Dices primò impugnando hoc corollarium de Sacramentorum effectu: Sancti Patres juxta illud Eccleſ. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* paſſim tradunt ſacramenta ab hæreticis collata non ſanctificare & ſanare, ſed inquinare & polluere, ut Bellarminus *præcit. cap.26.* refert ſingillatim de Ambroſio, Leone, & Athanaſio; imò hic poſtrèmus, quia *ſerm. 3. contrà Arrianos* Baptiſmum ab iſtis collatum vanum vocat & invalidum, ſolet à Scholaſticis explicari de vanitate & invaliditate quoad effectum; ergo ex Sanctorum Patrum & Scholaſticorum mente ſaltem ad effectum ſanctificationis, & gratiæ, requiritur in Sacramentorum miniſtro probitas, maximè verò fides, de qua addi poteſt valdè formalis auctoritas Gregorij Nazianzeni *orat.*40. ubi poſtquàm admiſit peccatorem poſſe eſſe baptiſmi Miniſtrum, apponit hanc limitationem, *Dummodò non apertè condemnatus ſit, & ab Eccleſia alienus:* & infrà *Quivis tibi initiator eſt, qui modò eadem fide informatus ſit.* Suffragatur hiſce auctoritatibus tritum axioma *Nemo dat, quod non habet*, cum igitur Miniſter infidelis, aut aliter improbus, gratiam non habeat, quomodò gratiam dat? Sed contrà: Cum illicitum ſemper ac prohibitum fuerit communicare cum hæreticis, præcipuè in rebus ſacris, & in his habeatur maxima communicatio per ſuſceptionem ſacramentorum, per quam cum hæretico communicans ut plurimùm hæreſi conſentit, fit quod ſuſcipiens ab hæretico ſacramentum in ipſa ſuſceptione peccet (loquendo regulariter & extrà caſum neceſſitatis) & ponat obicem gratiæ ſacramentali: Veriſſimum igitur eſt ſacramentum ab hæretico collatum inquinare potiùs, quam ſanctificare, & gratiæ effectum non tribuere; at hoc ut docet etiam D. Thomas *in ſupplem. quæſt.*38. *art.*2. *in c.* non provenit ex defectu Miniſtri conficientis, ſed ex obice ſubjecti ſuſcipientis; non ex illius infidelitate; ſed ex iſtius indiſpoſitione. Eadem ferè eſt ratio de Miniſtro improbo, quoties qui ab eo ſacramentum ſuſcipit, cum eodem in improbitate communicat & cooperatur ejus peccato, adeóque peccat & ponit obicem effectui Sacramenti quod ſuſcipit; quia tamen communicatio cum infideli eſt ſpecialiter prohibita, & ab exiſtente in alio, quam in infidelitatis peccato, facile & ſæpè poteſt Sacramentum ſuſcipi abſque eo, quòd peccetur, jure Nazianzenus tradidit exiſtentem in alijs peccatis potius, quàm exiſtentem in infidelitate, poſſe eſſe ſacramentorum Miniſtrum; ſubintellige etiam quoad effectum, Tritum axioma *Nemo dat quod non habet* procedit de eo, qui dat tanquam cauſa principalis & ex propria virtute; at non dat hac ratione gratiam Miniſter Sacramenti: Illud etiam Eccleſiaſt. *Ab immundo quis mundabitur?* rectè poteſt intelligi de immundo operante principaliter, & per virtutem propriam.

48. Occurritur auctoritatibus militantibus contra ſacramentorum ab infideli, vel improbo, Miniſtro collatorum efficaciam.

49. Dices ſecundò impugnando principalem doctrinam de Sacramentorum valore: Ut miniſter conficiat ſacramentum validum, ejus actio debet eſſe ſimul actio Dei, tanquam ſpecialis Motoris, & Chriſti tanquam principalis Miniſtri; nequit autem hujuſmodi eſſe actio, quam adhibet ad ſacramentum conficiendum malus Miniſter, utpotè quæ eſt peccaminoſa, cum malus Miniſter præſertim conſecratus (ut nos ipſi attigimus *num.* 42.) peccet conficiendo aut contendendò conficere ſacramentum. Nec deſunt in hujus rationis confirmationem auctoritates, nam in primis *can.* 45. *Apoſtolorum* ita habetur *Epiſcopum, aut Presbyterum, hæreticorum ſuſcipientem baptiſma damnari præcipimus:* Concilium Nicænum, quod pro nobis primo loco retulimus, ſtatuit *can.*19. & jubet Paulianiſtas ad fidem converſos rebaptizari. Pontifex Pelagius *cap. Schiſma* 24.*quæſt.*1. ait *Non eſt Chriſti corpus, quod ſchiſmaticus conficit.* Tandem tota Eccleſia, ut Sanctum, inſignem, magnæque doctrinæ & auctoritatis virum colit Cyprianum, qui quod nos nunc tanquam errorem reijcimus acriter propugnavit, & pro eo pugnavit adversùs

Stephanum

Stephanum Summum Pontificem contradicendo & obſiſtendo Epiſtolæ ad ſe ab ipſo conſcriptæ pro ſuprà aſſerto Sacramentorum
50. valore. Sed contrà: Cum ex una parte Dei motio, & Chriſti cooperatio, poſſit eſſe, ut ita dicam, præciſiva; & ex alia parte in actione Sacramentali mali Miniſtri ſint diſtinctæ rationes eſſe peccaminoſum, & eſſe ſenſibile ac cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; benè poteſt talis actio eſſe ex ſpeciali Dei motione, & Chriſti cooperatione, ut eſt ſenſibilis & cum intentione, &c. quamvis non ut peccaminoſa, qua ratione ſicuti per accidens & materialiter ſe habet ad Sacramentum, ità nil mirum ſi eodem modo ſe habeat ad motionem & cooperationem principaliter cauſativam Sacramenti. Huic doctrinæ à fortiori favet quod ſuprà *cap. 1. num. 47.* dicebamus actum peccaminoſum, quamvis non ut talem poſſe ingredi intrinſecam conſtitutionem Sacramenti, hinc quippè conſequens eſt ſimilem actum poſſe multò magis concurrere ad extrinſecam Sacramenti efficientiam.

51. Occurritur auctoritatibus militantibus contrà eorundem ſacramentorum valorē.

Ad auctoritates in confirmationem adductas, & in primis ad Canonem 45. Apoſtolorum, dico ibi per ſuſcipientes hæreticorum baptiſma intelligi eos, qui vel approbant varia baptiſmata à variis hæreticis inducta, ſubſtantialiter diverſa à noſtro; vel admittunt hæreticos ad noſtrum baptiſma aliavè Sacramenta miniſtranda, utrique jure damnantur, quia utrique cum hæreticis communicant in ſacris, quoad invaliditatem tamen dati hæc ſolùm in baptiſmate hæreticorum primo modo, inducto ſcilicet ab hæreticis, non dumtaxat miniſtrato. Ad Canonem 19. Niceni dico, quod Paulianiſtæ baptizabant non adhibita Eccleſiæ forma, & formæ non fidei defectu baptizabant invalidè, & qui ſic baptizabantur erant rebaptizandi, ut benè juſſit Concilium, quod hoc ſpecialiter jubendo de Paulianiſtis firmavit regulam de non rebaptizandis aliis hæreticis legitimam materiam, formam, & intentionem adhibentibus, ut *can.* 8. expreſſe definierat de Novatianis. Ad Caput Schiſma 14 loquitur ibi Pontifex non de corpore Chriſti vero in Euchariſtia, ſed de corpore myſtico, quod eſt Eccleſia; hocque Schiſmaticus non conficit, quia nec cum aliis membris, nec cum Chriſto Capite conjunctionem habet & unitatem.

52. Quid in hoc de ſenſu, & mente D. Cypriani.

Quoad Cyprianum ſunt qui velint errorem, de quo agitur, fuiſſe ei impoſitum ejuſque ſcriptis inſertum fraude hæreticorum: Communis tamen opinio fatetur verè Cyprianum in eo errore fuiſſe, neque hoc creditur admodùm officere ejus ſanctitati & auctoritati; quia oppoſitum nondùm erat ab ullo univerſali Concilio definitum, nec Stephanus Papa ad ipſum ſcripſit ut ex Cathedra loquens, potuit propterea Cyprianus ei contradicere non ſeparando ſe ab Eccleſia, cum qua et poſitivè unitatem unionèmque ſervaret, definitionem Concilii Africani de invaliditate baptiſmi collati ab hæreticis noluit haberi pro fidei articulo, nec unquàm ſuos in hoc Adverſarios damnavit, tanquam à fide deficientes: Utrùm deindè errorem ſuum quamvis materialem, & non cum pertinacia, antè mortem retractaverit: Eſt incertum, videtur tamen id præſumendum de tanto viro, *Cujus* (ut ait Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 5.) *correctionem ſi litteræ taceant, merita clamant: ſi in epiſtolis non invenitur, corona martyrii teſtatur*: Certum verò eſt (ut idem Auguſtinus ſcribit lib. de unit. bapt. cap. 13) *ſi Cyprianus in hac cauſa aliquid purgandum habuit, ultima paſſionis falce fuiſſe ſublatum.*

Aſſert. 2. Ad valorem Sacramentorum novæ legis omninò requiritur in Miniſtro ea conficiente certa intentio, qua actio ſacramentalis (idest applicatio rerum & prolatio verborum, quibus ſacramentum conſtituitur) cum interna deliberatione & ſeria exterius executione, non caſu aut joco & deriſione fiat. Eſt veritas fidei contrà Lutherum, Calvinum, Kemnitium & alios ejuſdem temporis ejuſdemque conditionis Hæreticos relatos à Bellarmino *lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 27.* 53. Ad valorem novorum ſacramentorum omninò requiritur intentio in Miniſtro.

Probatur ex eo, quod Concilium Florentinum *in decreto unionis Armenorum*, & Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 11 de Sacram. in gen.* omninò requirunt in Miniſtro ſacramenta conficiente intentionem faciendi quod facit Eccleſia, hæc autem utique, nec caſu, nec joco aut deriſione, res ſacras operatur: & prætereà contrarium errorem de ſufficientia actionis jocoſæ aut deriſoriæ ad ſacramenti valorem damnavit in terminis, tum idem Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 6.* requirens in Sacerdote ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrante animum *seriò agendi & verè abſolvendi*, tum Leo X. in Bulla edita contrà varios Lutheri errores, inter quos quartus decimus erat is, quem nunc improbamus. Idem ſingillatim quoad actionem caſualem evincitur ex eo, quòd actio caſualis non eſt propriè humana, nec ab homine ut homine, multóque minùs eſſe poteſt ab eodem ut à Chriſti Miniſtro. Confirmatur aſſerta veritas partim ex dictis ſuprà *cap. 1. §. 5.* pro opinione ponente intentionem Miniſtri, tanquam intrinſecum ſacramentorum conſtitutivum, ea quippè ſaltem probant talem intentionem eſſe extrinſecum eorundem requiſitum; partim ex dicendis § *ſeq.* pro diſcuſſione earum, quæ remanent inter Catholicos circa aſſertam intentionem controverſiæ; & his diſcuſſis facilè conſtabit nihil concludere quidquid poſſunt, ſi quid alicujus momenti poſſunt, Sectarii objicere.

54. Porrò inter Catholicos circà deliberatam, & seriò executioni mandatam, Miniſtri intentionem duo ſunt controverſiæ capita. Primum verſatur circa ejus objectum; ſecundum circa ejus modum: Primum in definiendo *Quæ*; ſecundùm in definiendo *Qualis* eſſe debeat ea intentio?

Pro primo adverto, quod ſicuti Eccleſia in ſacramentis tria præſtat, nimirùm ponit rem externam ſacramenti, conficit ipſum ſacramentum, & confert ſacramenti effectum; ita intentio in Miniſtro requiſita, quæ ex jam dictis debet eſſe intentio faciendi, quod facit Eccleſia, poteſt habere pro objecto vel rem externam præciſè, vel ipſum ſacramentum, vel ſacramenti effectum: Aliqui exiſtimant ſuffi-

cere

cere intentionem primo modo, qua Miniſter

55\. *Varietas opinionis circa objectum intentionis in ſacramentorum Miniſtro requiſitæ.*

ponat omnia externa ad ſacramentum requiſita eo exteriore ritu, quo ponit Eccleſia, ſervata ſcilicet eadem exteriore forma, ſerietate, & gravitate, quam Eccleſia ſervat; imò Auctores ita exiſtimantes non videntur requirere prædictam intentionem, niſi apparentem adeò ut putent ſufficere, quòd exteriùs appareat Miniſtrum ſeriò & graviter omnia operari, ſivè adſit internus animus, ſive non: Ita Catharinus *opuſc. de Intent. Miniſtri.* Scribonius *diſp.* 1. *de Sacram. in gen. quæſt.* 6. & 7. Paſqualigus *diſp* 75. *ſec.* 4. & alij nonnulli præſertim ex Contemporaneis Catharino, quibus favent Paludanus *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 2. *art.* 3. Sylveſter in ſumma verbo *Baptiſmus* 3. *num.* 12. & Angelus verbo *Baptiſmus* 5. *num.* 7. quin & favere videtur D. Thomas, de cujus mente infrà 56. Aliqui in extremum oppoſitum abeuntes requirunt intentionem non tantùm conficiendi ſacramentum, ſed etiam inducendi effectum ſacramenti, vel ſaltem utramque intentionem ſimul confundunt, pro hoc dicendi modo Vaſquez *diſp.* 138. *num.* 15. refert Richardum, & pro eodem ſtare videntur Valentia *quæſtio* 5. *punc.* 3. §. *Quartò igitur*, & Eſparza *quæſt.* 13. *artic.* 5. Media incedunt via, & nec prima intentione ſunt contenti, nec tertiam requirunt, ſed ſecundam tùm neceſſariam tum ſufficientem judicant Scholaſtici reliqui communiter, quibus inter duas relatas ſententias extremas maxime diſplicet prima, eam dicunt fuiſſe poſt Catharinum a multis annis abolitam, & à Scribonio male excitatam; eam Arriaga *diſput.* 19 *ſec.* 2. *num.* 13. cenſet planè erroneam; Lugns *diſp.* 8 *ſec.* 2. *num.* 15. non multum ab errore diſtantem, Eſparza *quæſt.* 13. *articul. quinto*, non ſatis tutam, & ferè omnes proſcribunt ſaltem ut temerariam.

Cenſura opinionis requirentis in Sacramentorum Miniſtro ſolam intentionem ponendi ſeriò opus externum.

Pro ſecundo adverto intentionem ex genere ſuo triplicem potiſſimùm eſſe juxta triplicem exiſtentiæ modum, quem habere poteſt quilibet actus voluntatis: Alia ſcilicet eſt intentio actualis, & eſt actus intentionis phyſicè præſens & exiſtens in ſe ipſo: Alia virtualis, & eſt actus intentionis in ſe ipſo præteritus, exiſtens tamen in aliquo ſuo effectu ſeu virtute, vi cujus in rem intentam influit: Alia habitualis & eſt actus intentionis in ſe ipſo præteritus, in nullo ſuo effectu, in nulla virtute exiſtens, non tamen retractatus: Addi ſolet intentio indirecta, qua quis intendit rem, non in ſe, ſed in cauſa; puta indirectè intendit homicidium, qui intendit ebrietatem ſciens ſe in ebrietate occidere; intentionem hanc aliqui collocant ſub virtuali, fortè tamen meliùs ponitur vagari per tres enumeratos intentionis modos; adeò ut, quatenus actus, quo quis vult rem in cauſa, vel exiſtit in ſe ipſo, vel perſeverat in effectu, vel eſt præcisè non retractatus, intentio indirecta dicatur actualis, virtualis, vel habitualis: Intentionem interpretativam prætereo, quia ab aliquibus cum virtuali, ab aliquibus cum indirecta, confunditur. Aliundè, id eſt non penes modum exiſtendi, ſed penes modum tendendi in objectum dividitur intentio in abſolutam, & conditionatam; & iſta talis eſt, vel de præterito, vel de præſenti, vel de futuro; prout conditio, cui ſubſternitur vel præterita, vel præſens, vel futura eſt: In tota hac intentionis pluralitate, & varietate difficultas potiſſima verſatur circa intentionem virtualem, & diſſidium eſt potiùs in ſtatuenda propria talis intentionis conditione, quam in aſtruenda ejus ſufficientia ad Sacramentorum valorem. Hac terminorum, & opinionum prænotione ſuppoſita, ſit,

56\. *Diviſio intentionis penes modum exiſtendi.*

Diviſio ejuſdem penes modum tendendi in objectum.

---

§. V.

Quæ, & qualis, ſit intentio in Miniſtro requiſita ad valorem novorum Sacramentorum?

ASSERT. 1. Ad valorem ſacramentorum 57.
novæ legis non eſt ſufficiens intentio ponendi ſeriò opus externum, non eſt neceſſaria intentio inducendi effectum ſacramenti, ſed neceſſaria eſt & ſufficiens intentio conficiendi ſacramentum ipſum, ſeu faciendi, quod facit Eccleſia non materialiter & ritu præcisè exteriore, ſed formaliter & ritu ſacramentali. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 5. Gabriel *ead. diſt. quæſt.* 1. Aleoſis 4. *par. ſum. quæſt.* 13. *memb.* 1. *art.* 2. Maſtrius *diſp.* 1. *quæſt.* 7. Hetincx *diſp.* 8. *quæſt.* 3. Sylvius *quæſt.* 64. *art.* 8. Caietanus & Nugnus *eod. art.* Gonetus *diſp.* 6. *art.* 2. Suarez *diſp.* 13. *ſec.* 2. Vaſquez *diſp.* 137. Madernus *quæſt.* 5. *artic.* 4. & reliqui adeò ut in hoc aſſerto, quatenus negat ſufficientiam intentionis ponendi ſeriò opus externum, conſentiant Thomiſtæ Scotiſtæ Nominales, & Recentiores, ſi paucos, eoſque non à cenſura immunes, excipias, ut meminimus *præced. num.* 55. Quatenùs verò aſſertum negat neceſſitatem intentionis inducendi effectum ſacramenti, non eſt quidem adeò unanimis Recentiorum conſenſus, nec cum cenſura excipiuntur Adverſarij; ſunt tamen etiam hi pauci, & aliqui Antiquiores, qui idem videntur docuiſſe, per finem & effectum ſacramenti nihil aliud intellexerunt, quàm ipſum eſſe ſacramenti perfectum & completum, ut obſervat Bellarminus *lib.* 1. *de Sacram. in gen. cap.* 27. circà medium.

Probatur prima pars, tum auctoritate Con- 58.
ciliorum Florentini & Tridentini, quæ dum locis *num.* 53. præcitatis definiunt requiri ad Sacramentorum valorem intentionem faciendi quod facit Eccleſia ſine neceſſitate, imò cum magna incongruitate, limitantur ad id, quod facit Eccleſia exteriùs; debent igitur intelligi de eo, quod facit Eccleſia ſimpliciter, formaliter, & intentione, ut ita dicam, adæquata ei quod fit; certè autem id, quod ſive ab Eccleſia ſive à Miniſtro ſacramenta conficiente fit, non eſt præcisè opus externum: Tum ratione à priori, quatenus Chriſtus inſtituendo ſacramenta dedit poteſtatem Miniſtro ea conficiendi, & inſtitutionem ſuam primariò direxit ad Miniſtros, non ad opus externum materialiter, & ſecundùm ſe; ergo intentio Miniſtri ad Sacramentum conficiendum requiſita debet terminari ad aliquid ampliùs, quam ad opus externum materialiter & ſecundùm ſe: probatur antecedens

Intentio in Miniſtro requiſita ad valorem ſacramenti nõ ſatis eſt, quod tendat in rem ipſius externam.

Digitized by Google

antecedens, quia in inſtitutione ſacramenti pœnitentiæ dixit Chriſtus Io. 2 *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* de Euchariſtia Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* de Extrema-unctione habet Iacobus cap. 5. ſuæ Epiſtolæ *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum.* Aliquid ſimile de cæteris ſacramentis afferunt paſſim Auctores in præſenti, & ſignanter Suarez *præcit. ſec. 5. §. Fundamentum.* & Chriſtus tali loquendi modo non ſolùm expreſse ad Miniſtros inſtitutionem dirigit, ſed & inſinuat ſe ab iiſdem aliquid amplius exigere, quam opus externum, ejuſvè intentionem; nam intentio requiſita ad remittendum debitum non eſt præcisè intentio proferendi exteriùs verba ſignificantia remiſſionem, nec pro intentione requiſita ad orandum ſufficit intentio proferendi exterius verba deprecatoria. Solet hic addi probatio à poſteriori, & ab inconvenientibus, quæ facile cuique eſt apud varios Doctores varia reperire, aut proprio marte excogitare; nobis pro nunc argumentum, tum ab auctoritate, tum à ratione à priori deſumptum: ſicut eſt potiſſimum, ita ſit quoque ſufficientiſſimum.

59.
Nec eſt neceſſe quod directè tendat in ejuſdē effectum.

Probatur ſecunda pars, quia intentio inducendi effectum ſacramenti alia indirecta eſſe poteſt, alia directa; prior non diſtinguitur ab intentione conficiendi ſacramentum; intentio enim cauſæ eſt ſemper ſimul indirecta intentio effectus ab intendente cauſam inimpedibilis, ſicut eſt inimpedibilis inductio gratiæ à Miniſtro intendente ſacramentum, ſicque datur quidem ſemper talis prior intentio in Miniſtro, at non habetur de ea ratio: quia ſermo nunc eſt de intentione directa, quamvis fortè Auctores, quos in hac parte habemus Adverſarios, ſatis non diſtinxerint & in modo loquendi potiùs, quàm in re à nobis diſſentiant: Porrò poſteriorem & directam effectus intentionem non eſſe ad valorem ſacramenti neceſſariam ſuadetur efficaciter ex eo, quod ignorans conferri, aut etiam per errorem exiſtimans non conferri à ſacramentis gratiam, adeóque non habens directam intentionem gratiam, tanquã ſacramentorum effectum, inducendi adhuc poteſt validè ſacramenta conficere, plures enim hæretici in illo errore verſantur, & tamen ſacramenta ab ipſis omnia alia requiſita apponentibus collata rata habentur, & ut valida approbantur ab Eccleſia; hocque etiamſi tales hæretici cum intentione conficiendi ſacramentum habeant ex ſuo errore privato intentionem poſitivam non inducendi gratiam. Favet expreſsè D. Thomas *quæſt. 64. art. 10.* docens pravam & perverſam intentionem Miniſtri, ſi ſit reſpectu ipſius ſacramenti, tollere ſacramenti veritatem, ſecus ſi ſit reſpectu ejus, quod ſequitur ſacramentum, ut ſequitur effectus: Nec refert, quod *ead. q. art. 8.* loquens de ablutione aquæ, quæ fit in baptiſmo dixerit oportere *quod determinetur ad unum, ideſt ad ſacramentalem effectum, per intentionem abluentis*, adeóque poſuerit ſacramentalem effectum eſſe objectum intentionis requiſitæ in Miniſtro baptiſmi: Non refert, inquam, quia per ſacramentalem effectum non intelligit S. Doctor effectum ſacramenti ſed eſſe ſacramentale, quod quatenùs à Miniſtro fit eſt proculdubio quidam effectus, huncque eſſe germanum textus ſenſum latè oſtendit Sylvius *præcit. art. 8. conc. 3.* Si nihilominùs per ſacramentalem effectum omninò velis intelligi effectum ſacramenti adhuc nil referet, quia dicendum erit S. Doctorem poſuiſſe talem effectum pro objecto intentionis, non directè, ſed indirectè ſumptæ.

60.
Eſt verò tum ſatis, tum neceſſe, quod tendat in ſacramentum ipſum, ſeu in id, quod facit Eccleſia formaliter, & ritu ſacramentali.

Probatur tertia pars, imò deducitur ex probatione duarum præcedentium. Ipſum enim ſacramentum eſt quodammodò quid medium inter opus materiale externum, & effectum ſpiritualem internæ gratiæ; dum igitur illius intentio eſt diminuta & non ſufficiens, iſtius eſt nimia & non neceſſaria, ſequitur recurri debere ad intentionem alicujus inter illa duo medij quale eſt ſacramentum ipſum. Tota difficultas eſt in explicando quidnam ſacramentum ipſum addat ſuprà rem externam; & difficultas quamvis diverſimodè procedit, tum in noſtris principijs quibus *præced. capit. 1. paragrapho tertio*, docuimus nihil aliud præter materiam & formam verbalem ingredi conſtitutionem intrinſecam ſacramentorum novæ legis; tum in principijs aliorum docentium ſacramenta conſtitui materiâ, forma, & intentione Miniſtri, aut etiam inſtitutione Chriſti: Si enim juxtà hæc principia nomine ſacramenti veniat conſtitutum ex materia forma & intentione, intentio faciendi ſacramentum ſuprà intentionem faciendi conſtitutum ex materia & forma, quod eſt res externa, nihil addit à ſe diſtinctum & erit intentio faciendi ſe ipſam, ſicuti erit pariter intentio faciendi inſtitutionem Chriſti, quoties ex hac quoque ponantur ſacramenta conſtitui, & tamen Miniſter dum ſacramentum facit certè nec propriam facit intentionem, nec Chriſti inſtitutionem: Si verò juxta principia noſtra nomine ſacramenti veniat conſtitutum duntaxat ex materia & forma verbali, ſeu ex rebus & verbis, intentio faciendi ſacramentum nihil aliud erit, quàm intentio ponendi res & verba, quæ ſunt opus externum ſeu res externa ſacramenti; ſicque relabimur in ſententiam, quam maximè conamur reijcere, & ſolis ludimus vocibus; cæterùm in re per intentionem faciendi ſacramentum intelligimus præcisè illud ipſum, quod intelligunt Adverſarij per intentionem faciendi ſeu ponendi rem externam ſacramenti, nec aſſignamus tali intentioni diverſum objectum, ſed objectum idem ſub diverſo nomine.

61.
Quodnam ſit objectum propriè importatum per ly Sacramentum ipſum, ſeu id quod facit Eccleſia &c.

In hac difficultate, & ratione dubitandi, multi multùm laborant: Lugo *diſp. 8. ſec. 2. num. 35.* docet intentionem faciendi ſacramentum, ſeu quod facit Eccleſia ritu ſacramentali, ſuprà intentionem faciendi rem externam addere intentionem operandi nomine Chriſti, hancque collocat in velleitate, qua Miniſter quantum eſt de ſe vellet actionem ſuam eſſe actionem Chriſti Arriaga *diſput. 19. num. 15.* & Madernus *præcit art. 4 n. 13.* volunt intentionem faciendi ſacramentum ſupra intentionem &c. addere intentionem conformitatis cum intentione ſeu voluntate, qua Chriſtus voluit, ut hæc materia & hæc forma verbalis ſimul ſumpta eſſent ſignum gratiæ: Verum in primo dicendi

modo diſplicet, quod intentio ad valorem ſacramenti neceſſaria reſolvatur tandem in velleitatem objecti impoſſibilis, de quo in praxi non ſolùm rudes & ignari, ſed ſapienter quoque & docti viri vix unquam cogitant: In ſecundo recurrit tota ratio dubitandi in explicando, quidnam hanc materiam & hanc formam eſſe ſignum gratiæ addat ſupra eandem materiam & formam ut ſunt præcisè hæc res ſenſibilis? Neque hic dici poteſt addere Chriſti inſtitutionem, quia ut fatetur Arriaga conformitas, de qua iſte dicendi modus loquitur, eſt conformitas cum voluntate Chriſti diſtincta ab ejus inſtitutione, ſeu voluntate inſtituendi, alioqui Miniſter vellet ſe conformare voluntati, qua Chriſtus ſacramentum inſtituit, adeóque vellet ſacramentum inſtituere, ſicut inſtituit Chriſtus: Miſſis igitur his & ſimilibus dicendi modis adverto & repeto ex dictis *præcit.* §. 3.

62. ſacramentum ſumi poſſe, vel ſimpliciter & abſolutè pro re ſignificante & ſubſtrato ſacramentalis ſignificationis, vel omninò adæquatè prout eſt conflatum ex re ſignificante, & ſignificatione ipſa: Sacramentum primò dumtaxat, non ſecundo modò, ſumptum conſiſtit per nos in ſolis rebus & verbis, ſeu in ſolis materia & forma verbali. Huic doctrinæ inſiſtendo videtur facilè ſolvi ratio dubitandi, ſi dicatur ſacramentum, quod in præſenti ponimus pro objecto intentionis Miniſtri, ſumi omninò adæquatè, & ſuprà rem externam, ſeu materiam & formam verbalem, addere ſacramentalitatem, ſeu ſacramentalem ſignificationem: Neque dicas ſacramentum hoc modo ſumptum includit, ut nos ipſi attigimus *eod. paragrapho tertio, numero* 56. voluntatem Chriſti inſtituentis, quatenùs autem talem voluntatem includit, nequit eſſe objectum intentionis Miniſtri, qui certè dum intendit facere ſacramentum non intendit facere voluntatem,

63. qua Chriſtus ſacramentum inſtituit. Contrà enim, qui intendit facere aliquod compoſitum, ſeu concretum, non eſt neceſſe quòd intendat facere ſingulas ejus partes ſecundùm ſe, ſatis eſt quod intendat facere, ut una pars ſit ſimul cum altera, & hoc optimè facit Sacramentorum Miniſter, faciendo quippè rem ſenſibilem cum debita intentione, & alijs ad ſacramentalitatem ſeu ſacramentalem ſignificationem requiſitis, rectè dicitur facere, ut res ſignificans ſit ſimul cum ſignificatione, ſeu ſacramentalitate, quamvis non faciat ſacramentalitatem ipſam, ſeu ſignificationem, & ſignificationis aut ſacramentalitatis conſtitutiva ſecundùm ſe.

Dices primò: Sacramenta ex natura rei non magis ad ſui valorem requirunt aſſertam à nobis Miniſtri intentionem, quam ejuſdem fidem & bonitatem, & potuerunt à Chriſto inſtitui cum independentia ab utroque; atqui fuerunt de facto inſtituta cum independentia à Miniſtri fide & bonitate; ergo etiam cum independentia ab ejuſdem intentione: Major patet, quia ex natura rei in ordine ad gratiam ſignificandam non majorem habet virtutem, proportionem, aut connexionem, Miniſtri intentio, quàm ejuſdem fides & bonitas; Minor ſupponitur *ex præced.* §. Conſequentia probatur, quia penè omnes congruentiæ afferri ſolitæ, & à nobis etiam *præced. num.* 46 allatæ, pro inſtitutione independente à Miniſtri fide & bonitate, militant pro independentia à Miniſtri intentione & in primis militat congruentia potiſſima deſumpta ex eo, quod ſecus homines eſſent nimium incerti & perplexi de Sacramentorum valore; enimverò undè nam quia poteſt de interna alterius intentione magis quàm de ejus interna fide & bonitate certificari? Sed con-

trà: Hæc inſtantia, ſi quid probat, valdè multum probat, probat ſcilicet ad ſacramentorum valorem nullam prorsùs internam Miniſtri intentionem requiri, dummodò res externa ſeriò fiat; quod falſiſſimum eſt partim ex jam dictis, partim ex dicendis §. *ſeq.* In forma do majorem, concedo minorem, & nego conſequentiam; ad cujus probationem dico in primis, quòd licet penè eædem pro utraque independentia militarent congruentiæ, non haberent iſtæ pro utraque probanda eandem vim, quia in ordine ad independentiam ab intentione infirmantur quodammodo & infringuntur auctoritate, ratione, & inconvenientibus contrà talem independentiam *ex præced. n.* 58. peculiariter militantibus: Verùm nec ullatenus concedendum eſt eaſdem utrobique congruentias militare, & ut reliquas cujuſlibet conſiderationi relinquam, certè non eſt eadem utrobique incertitudinis & perplexitatis ratio; cum enim facillimum Miniſtro ſit habere internam intentionem, hancque exigat modus operandi humanus & propria conditio inſtrumenti rationalis, nunquam rationabiliter, niſi aliundè conſtet, præſumitur deficere; ſicque ſemper de ea habetur certitudo moralis ſufficiens ad tollendam in ſuſcipiente animi perplexitatem & anxietatem conſcientiæ: Non ita res ſe habet reſpectu fidei & bonitatis, quæ ex una parte ad humanum operandi modum, & rationalis inſtrumenti conditionem, impertinens eſt, & ex alia difficillimè & à paucis diù ſervatur, rationabiliter igitur præſumitur aut ambigitur ſæpè deficere, nec de ipſa habetur univerſaliter moralis certitudo.

Quomodò habeatur major certitudo de Miniſtri intentione, quàm de ejuſdem fide & probitate.

Urgebis: facile quidem eſt Miniſtro habere interiùs intentionem rei externæ ſeriò peragendæ, eſtque hæc neceſſaria ad modum operandi humanum; at non eſt ad hunc neceſſaria intentio à nobis aſſerta, quæ præterea ſicuti variè admodum & difficile exponitur, ita difficile in Miniſtro reperitur, vixque poteſt rationabiliter præſumi in hominibus rudioribus & indoctis; ergo pro intentione aſſerta non eſt inſtantiæ ſufficienter ſatisfactum, & urget omninò eadem, aut etiam major, quàm pro fide & probitate ratio perplexitatis

& incertitudinis. Sed contrà: Benè urgeretur inſtantia, ſi intentio aſſerta & expoſita requireretur ſemper clara omninò & explicita, adeò ut quilibet Miniſter deberet diſtinguere inter intentionem rei externæ & intentionem ſacramenti, proprias hujus conditiones percipere, de ſingulis rationem reddere &c. At ad cathedram & ſpeculationem ſcholaſticam hæc pertinent, ad praxim & ad uſuale miniſterium ſufficit; ſi eadem habeatur confusè & valdè implicitè, ut habe- 65.

ri

ri cenſentur à quolibet Miniſtro, quoties ulterius non penetrans intendit Sacramentum conficere, vel facere quod facit Eccleſia, quod Chriſtus inſtituit, vel etiam univerſaliùs, ad ſacramentum conficiendum vocatus intendit fungi munere ſuo, propriam obligationem implere &c.

Dices ſecundò: Ad inducendum effectum ſacramenti non requiritur in miniſtro intentio effectus; ergo ad conficiendum ſacramentum non requiritur in eodem intentio ſacramenti, antecedens patet, quia ad inducendum effectum ſacramenti ſufficit intentio requiſita ad ſacramenti valorem, ad hunc autem ex dictis non eſt neceſſaria in Miniſtro intentio effectus; Conſequentia probatur, quia ita ſe habet intentio effectus ad effectum, ſicut intentio ſacramenti ad ſacramentum, & ex natura rei non majorem dicit connexionem cum ſacramento, quam cum effectu, propria intentio; ex inſtitutione verò non apparet, cur Chriſtus ad ſacramentum potiùs quàm ad effectum debuerit propriam intentionem requirere? Sed contrà; loquendo ut ſuppono de
66. intentione directa concedo antecedens, nego conſequentiam; ratio congruentiæ, ob quam Chriſtus requiſierit propriam intentionem directam ad ſacramentum, non ad effectum, eſſe poteſt quia Miniſter eſt immediata cauſa efficiens reſpectu ſacramenti, mediata reſpectu effectus ſacramenti; congruit igitur ut in ordine ad ſacramentum operetur ex intentione ipſius immediata & directa, in ordine ad effectum ex intentione mediata; & indirecta, contenta in ipſamet intentione conficiendi ſacramentum. Neque dicas poſſe effectum induci etiam ſine ipſius intentione mediata & indirecta, hanc enim non habet qui vult poſitivè contrarium, ideſt gratiam per ſacramentum non conferre, & tamen adhùc iſte dummodò intendat ſacramentum conficere, ſicut *ex præced. num.* 59. ſacramentum ipſum conficit, ita ejus effectum inducit gratiamque confert.

67. Quandonam validè conficiatur ſacramentum cũ intentione non inducendi effectum, quando non?

Contrà enim; ex ſuppoſitione alicujus erroris ſeu ignorantiæ facilè quis poteſt ſimul velle duo contraria, unum directa, aliud indirecta voluntate, ſic aliquis neſciens potionem aliquam inebriare poterit directè nolle ebrietatẽ, hancque ſimul indirectè velet, ſi velit talem potionem; ſic pariter qui ex errore putat ſacramentum ſine obice ſuſceptum poſſe non conferre gratiam, etiamſi directè nolit hanc conferre, ſimul indirectè vult conferre ſi velit ſacramentum conficere; Ratio eſt, quia in hoc caſu voluntas directa non conferendi gratiam non cenſetur abſoluta; ſed ex ſuppoſitione, quòd ſacramentum poſſit tali collatione carere independenter ab obice ſuſcipientis. Quod ſi voluntas gratiæ non conferendæ ſupponatur omninò abſoluta, adeò ut quis velit ſacramentum non conficere potiùs, quàm ſacramentum conficiendo gratiam conferre; tunc quidem neque indirectam habebit gratiæ conferendæ voluntatem, & revera gratiam non conferet; at neque ſacramentum conficiet, quia voluntas ipſum conficiendi non eſt abſoluta, ſed ſub conditione & ſuppoſitione, quod non conferat impedibiliter gratiam.

Dices tertiò: Ad valorem eorum, quæ in humanis miniſterijs fiunt non eſt in Miniſtro neceſſaria ulla peculiaris intentio, ſed ſufficit externa executio operis ab eo, cujus quis Miniſter eſt, injuncti; ſic ut ſervus transferat in pauperem dominium eleemoſinæ, non eſt in ipſo neceſſaria intentio eleemoſinæ faciendæ, ſed ſolùm quòd tradat pauperi eleemoſinam quam Dominus tradendam injunxit: Ut obligatoria & valida ſit lex à Præcone promulgata, nulla in ipſo requiritur intentio obligandi, ſed ſufficit quod exequatur promulgationem ſibi à Legiſlatore injunctam; ergo ſimiliter in miniſterijs ſacramentalibus ad ſacramentorum valorem ſufficit, quòd Miniſter exequatur opus externum injunctum à Chriſto, nec ulteriùs neceſſe eſt quod intendat ſacramentum conficere. Sed contra: Duplex eſt humanorum miniſteriorum genus, aliud in quo committitur miniſtro ſola manifeſtatio & executio alienæ voluntatis; aliud in quo tribuitur aliqua poteſtas ex judicio & arbitrio proprio ipſius Miniſtri exercenda: Illa dici poſſunt miniſteria materialia & puræ executionis, iſta miniſteria formalia & veræ cooperationis; in illis nulla deſideratur intentio aut non major, quàm præſtandi utcunque opus externum; in iſtis requiritur intentio faciendi illud totum, ad quod quis ab eo, cujus eſt Miniſter, deputatur; Miniſteria primi generis ſunt quæ in inſtantia afferuntur, item Tabellionis, Nuntij, Interpretis: Miniſteria ſecundi generis ſunt Æconomi ad diſponendum de rebus domeſticis, Procuratoris ad negotia & contractus, Judicis delegati ad cognoſcendam & definiendam aliquam cauſam: Porrò miniſteria ſacramentalia hujus ſecundi generis ſunt, ut colligitur partim *ex præced. num.* 58. partim ex eo quòd 1. *Cor.* 4. Sacramentorum Miniſtri appellantur *diſpenſatores Myſteriorum Dei* eſt igitur ipſis quaſi Æconomis data poteſtas operandi ex judicio, & arbitrio proprio in ſacramentorum diſpenſatione; & de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ ſigillatim habetur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 6. quòd ejus abſolutio non eſt nudum miniſterium *ſed ad inſtar actus judicialis quo ab ipſo velut à Iudice ſententia pronunciatur.* Ad inſtantiam igitur diſtinguo antecedens, concedo illud de miniſterijs primi, nego de miniſterijs ſecundi generis, & nego pariter conſequentiam, utpotè de miniſterijs ſecundi generis procedentem, ut mox oſtenſum eſt.

68. Duplex Miniſtrorum & Miniſteriorum genus.

Aſſert. 1. Ad valorem ſacramentorum novæ legis non eſt ſufficiens intentio indirecta, aut merè habitualis; non eſt neceſſaria intentio actualis; neceſſaria verò eſt & ſufficiens intentio virtualis. Ita Scholaſtici communiſſimè cum D. Thoma *hic quæſt.* 64. *art.* 8. *ad* 3. & Scoto *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 6. Solum quoad intentionem indirectam quorundam tacito nomine ſententiam in contrarium refert, & probabilem cenſet Cabrera *quæſt.* 68. *art.* 7. *in comment. art.* 1. 69.

Ad valorem ſacramentorum non ſufficit in Miniſtro intentio indirecta.

Probatur prima pars quoad intentionem indirectam ex eo, quod Miniſter debet liberè & modo humano operari in Sacramentorũ miniſterio, cum ex hoc maximè capite probata mox ſit intentionis internæ neceſſitas ad ſacramentorum valorem; at ad ſic operandũ non ſufficit

intentio indirecta, neque enim (ut trito hac in re exemplo utar) ex libero arbitrio, & modo proprio creaturæ rationalis, ſed ex neceſſaria phantaſiæ motione & modo pſitacis communi loquitur quis in ebrietate vel ſomno; et amſi dum erat in vigilia, & ſui compos, ebrietatem ſomnumvè intenderit ſciens ſe in illis locuturum, aut etiam intenderit ipſam locutionem in ebrietate ac ſomno ſecuturam; quæ duo diverſa cenſet Lugus *diſput.* 8. *ſec.* 6. *num.* 100. & ſolùm priorem locutionis intentionem indirectam vocat, poſteriorem verò putat vocandam eſſe directam, quamvis remotam & in cauſa; nihilominùs cæteri non ſolent in hoc diſtinguere, nec agnoſcere voluntarium remotum & in cauſa, quod non ſit indirectum; res eſt nullius momenti, præſertim pro præſenti inſtituto, cum Lugus ipſe fateatur ad modum operandi humanum, & valorem Sacramentorum, non ſufficere intentionem, quam putat dicendam eſſe directam, quamvis remotam & in cauſa: Neque pro ſufficientia intentionis conficiendi ſacramenta in ebrietate, quomodocumque ea vocetur, rectè affertur Auguſtinus *tract.* 5. *in Ioannem* docens validum eſſe baptiſmum collatum ab ebrioſo: Non, inquam, rectè affertur, quia ebrioſus appellat vitium & uſum, non actum ebrietatis, ſicut appellat ebrius; ſenſus igitur Auguſtini eſt, quod ſicut alijs vitijs deditus ità & deditus vitio ſe inebriandi validè ſacramenta conficiat, at non in actuali ebrietate

Neque merè habitualis: Vbi cur ponatur ly *merè*.

Probatur eadem prima pars quoad intentionem merè habitualem, ubi ly *merè* ponitur ad diſtinctionem intentionis habitualis, quæ ſimul virtualis ſit juxtà antiquiorem vocis acceptionem, qua omnis intentio non actualis dicebatur habitualis; ſivè non eſſet, ſive etiam eſſet ſimùl virtualis ut ex D. Bonaventura obſervat Gonetus *diſp.* 6. *art.* 2 §. 6. qui etiam cum alijs communiter de intentione habituali ſic accepta, ideſt ſimul virtuali, intelligit D. Thomam *in præcit. reſp. ad* 3. ponentem ad ſacramenti perfectionem ſufficere intentionem habitualem; niſi fortè S. Doctor ibi *virtualem* ſcripſerit, & deindè per oſcitantiam Typographorum irrepſerit mutatio in *habitualem*, cujus quidem mutationis vehementia ex Patre Nicolai indicia profert Gonetus *eod.* §. 6. Quoad intentionem, inquam, merè habitualem ſic explicatam probatur eadem prima pars ex eo, quia talis intentio merè concomitanter, non cauſaliter ad effectum ſe habet, datur item in dormientibus & ebrijs, non inducit per ſe modum operandi humanum, nec ſufficit ad obeunda ea munera, in quibus quis eſt miniſter non purè exequens, ſed ſimùl cooperans, qualis eſt *ex præced. num.* 68. Miniſter ſacramentorum: Procedit autem hoc totum de intentione habituali (ut facilè perſpicuum erit conſideranti) non ſolùm ſumpta pro actuali intentione præteritâ, non retractatâ, juxtà explicationem uſitatiorem acceptioremque Recentioribus, & à nobis poſitam ſuprà *num.* 56. verùm etiam ſi ſumatur aut prò facilitate & promptitudine ex præteritæ intentionis actu relictâ, ut placeat Scotiſtis arbitratis hanc acceptionem eſſe magis ex mente ſubtilis Doctoris; aut pro diſpoſitione & præparatione animi, qua quis aliquid actu intenderet, ſi id ei proponeretur & cogitationi ejus occurreret, & placet hæc acceptio ijs, qui cum intentione habituali interpretativam confundunt. Porrò pro ſufficientia intentionis habitualis ſic improbatæ, ſumptæ præſertim pro intentione actuali præterita non retractatâ vix aliquid militat præter paritatem ſacrificij, ad quod alteri applicandum intentionem præteritam non retractatam ſufficere exiſtimant Doctores communiter contra Vaſquium *hic diſput.* 38. *cap.* 6. Beiam *par.* 1. *caſ.* 23. Fraxinellum *de obligat. Sacerd. ſec.* 4. *conc.* 4. §. 7. & paucos alios, contrà quos prioribus Auctoribus adhæreo & adverto applicationem, de qua loquuntur, reſpicere non ſacrificium ipſum, ſed ſacrificij fructum; undè in primis ad ſervandam proportionem applicatio fructus, qui ex ſacrificio percipitur, deberet comparari cum inductione gratiæ, quæ per ſacramentum confertur, & tunc curreret paritas in eo, quod nec ad applicandum fructum ſacrificij, nec ad inducendum effectum ſacramenti, requiratur fructus aut effectus intentio virtualis; ſed ſicut pro applicatione fructus ſufficit intentio habitualis, ita pro inductione effectus ſufficit *ex præced. num.* 66. intentio in cauſa; item è contrà in eo, quòd ſicut ad conficiendum ſacramentum, ita quoque ad conficiendum ſacrificium, ſeu ad actionem ſacrificativam, intentio habitualis aut in cauſa non ſufficiat: Cæterùm comparando applicationem fructus ſacrificij ad confectionem ſeu miniſterium ſacramenti non currit paritas, quia applicatio fructus non eſt actio phyſicè cauſativa ipſius, ſed pura diſpenſatio & deſignatio; at miniſterium ſacramenti eſt actio ipſius verè & phyſicè cauſativa, mirum autem non eſt majorem intentionem requiri ad phyſicè per ſe cauſandum aliquid de novo, quàm ad diſpenſandum quod cauſatum jam eſt aut aliundè cauſatur; undè etiam repetendo doctrinam, de qua ſuprà Sacerdos reſpectu fructus ſacrificij dici poteſt Miniſter puræ executionis, non cooperationis, ut eſt reſpectu ſacramenti.

71. Cur intentio merè habitualis ad applicandum fructum ſacrificij ſufficiat potiùs quam ad conficiendum ſacramentum.

Probatur ſecunda pars quoad intentionem actualem, quia ex una parte iſta non eſt neceſſaria ad modum operandi humanum; non ad orandum, non ad merendum, non ad contrahendum, aliaque hujuſmodi, ad quæ maximè neceſſarium eſt humanum & liberum operari: Ex alia parte non congruebat Chriſtum ſacramenta actuali intentioni alligare, hoc quippè fuiſſet reddere ipſorum valorem nimis incertum, & nimis difficile eorundem miniſterium; cum propter volubilitatem & inconſtantiam humanæ conditionis moraliter vix poſſit aliquid ſæpiùs fieri ſervata ſemper actuali advertentia mentis & intentione voluntatis; undè D. Thomas *in præcit. reſp. ad* 3. rectè ait *hoc non eſſe totaliter poſitum in hominis poteſtate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare ſecundùm illud Pſal.* 39. *Cor meum dereliquit me*: optimè nihilominùs ad hæc verba S. Doctor permittit *ſtudiosè curare debere ſacramenti miniſtrum, ut etiam intentionem actualem adhibeat*, actualem, inquam,

72. Ad valorem ſacramentorum non eſt neceſſaria intentio actualis.

Eſt tamen optima, & in actu exercito conſulenda.

inquam, ut monere ſolent Interpretes non reflexè, & in actu ſignato, quatenùs quia ſemper quodammodo dicat *volo ſacramentum conficere*, aut ſemper cognoſcat ſe id velle; ſed practicè & in actu exercito, quatenùs quis poſt ſemel elicitam actualem Sacramenti conficiendi intentionem ſuo ſacro miniſterio ex animo incumbat, agat quod agit, ea quibus ſacramentum conficitur cogitet, non alia.

73. Intentio verò virtualis & neceſſaria eſt & ſufficiens.

Probatur tertia pars quoad intentionem virtualem quin jam eſt ex præcedentibus probata & conſtans ex eo, quòd intentio virtualis nec ſit nimiùm difficilis, & quaſi humanæ conditioni regulariter impoſſibilis, quod officit neceſſitati intentionis actualis, nec ſit nimium communis & ad modum operandi humanum non accommodata, quod officit ſufficientiæ intentionis, aut mere habitualis, aut indirectæ; adeóque inter non neceſſariam & non ſufficientem mediet, & ex primo capite neceſſaria, ex ſecundo ſufficiens ſit: & quoad hoc ſecundum quidem magis adhuc res innoteſcet expendendo propriam rationem, ſecundum quam differt intentio virtualis à merè habituali, quamque illa huic addit; & licet videatur nullo negotio res expediri dicendo intentionem virtualem habituali addere, quòd ſit præſens non negativè tantùm, & per non retractationem, nec item per aliquid poſitivum dans facilitatem, at non influxum per ſe determinatum ad opus; ſed poſitive & per effectum, virtutemque à ſe relictam; ac in opus per ſe influentem; nihilominùs in hoc ipſo eſt difficultas, nimirum in determinando, quæ & qualis virtus debeat ab actuali intentione prætereunte relinqui ut dicatur talis intentio permanere virtualiter & eſſe virtualis?

74. Varij modi explicandi propriam rationem intentionis virtualis.

Tali difficultati Richardus *in 4. diſt. 6. quæſtio. 3. art. 2.* occurrit dicendo à voluntate actualiter intendente produci in potentia motiva qualitatem, quæ quamdiù durat intentio virtualis dicitur, & continuatè movet potentiam externam in finem actuali intentione præcedente volitum; ſicut virtute projectis impreſſa, quamdiu durat, projectum movetur in ſcopum à projiciente antecedenter intentum: Sed mirum eſt, inquit Scotus *ead. diſt. quæſt. 6. §. Nec requiritur*, tum quod voluntas poſſit per ſe immediatè producere qualitatem non vitalem in potentia organica, tum quod hæc qualitas, ſi ſemel producatur, per ſe ipſam nullo contrario oppugnante paulatim deficiat. Ideò miſſo hoc dicendi modo in alios duos Scholaſtici dividuntur: Primus eſt, quòd intentio virtualis importet ſemper de præſenti aliquem actum voluntatis finem intendentis, adeò ut cum finis primò intenditur volitione actuali expreſsâ & perceptibili dicatur intentio actualis, quamdiù verò poſteà idem finis continuatè intenditur volitione quidem actuali at valdè tenui, & vix, aut nullatenùs perceptibili, dicatur intentio virtualis: Ita Lugus *diſput. 8. ſec. 5. numero 83.*

75. Eſparza *quæſt. 15. art. 6.* Averſa, Dicaſtillo, & aliqui alij Recentiores. Secundus eſt quod intentio virtualis habituali addat actus de præſenti exiſtentes, non finis intentivos, ſed à voluntate intentiva imperatos, quos aliqui ponunt eſſe actus ipſiuſmet voluntatis circa media; ita quamvis non omninò aſſertive Scotus *præcit. quæſt. 6.* Aretinus *ead. quæſt. 6. art. 2.* Maſtrius *quæſt. 7. art. 2. num. 281.* Aliqui ponunt eſſe actus phantaſiæ & appetitus ſenſitivi; refert hunc modum & non improbat Scotus *ibid.* Favet eidem Suarez *diſp. 14. ſec. 3. §. Quo circa*, adhæret verò ex profeſſo Coninchus *quæſt. 64. artic. 8. dub. 2.* Aliqui ponunt ſufficere actus potentiarum externarum, quatenùs ad volitionem intentivam præteritam relatos & procedentes à potentijs ſeu membris per illam ad operandum & ſe movendum applicatis; ita Caietanus *hic quæſt. 64 art. 8.* Nugnus, Cabrera, Sylvius *eod. art.* Gonetus *præcit. art. 2. num. 52.* Suarez *præcit. ſec. 3.* Vaſquez *diſp. 138. cap. 6.* Arriaga *diſp. 19. ſec. 4. ſubſec. 2.* Maderinus *quæſtio 5. art. 5.* & tum major pars Recentiorum, tum communiter Thomiſtæ arbitrati ſe id apertè colligere ex S. Doctore *præcit. reſp. ad 3.* item 2. 2. *quæſtio. 83. articul. 13.* & *lib. 3. cont. Gent. capite 138.*

Ex his dicendi modis primus diſplicet quia ex una parte non tam intentionem virtualem explicat, quàm eam ejuſque ad ſacramentorum valorem ſufficientiam negat, & intentionis diviſio in actualem, & virtualem eſſet potiùs ſubdiviſio intentionis actualis in expreſſam & confuſam, intenſam & tenuem, ex alia parte volitiones imperceptibiles induerit nulla cogente neceſſitate & multum refragante experientia; mirumque eſt actus internos adeò tenues & debiles, ut excitare nequeant ad ſui perceptionem & experientiam habere vim influendi in opus externum, & movendi externas potentias ad operandum: Hincque etiam diſplicent Auctores, qui in ſecundo dicendi modo requirunt ad intentionem virtualem actus, ut plurimùm imperceptibiles, aut voluntatis electivæ, aut phantaſiæ, & appetitus ſenſitivi; amplector igitur ſecundum dicendi modum, ut traditur ab Auctoribus ultimo loco relatis, quorum doctrina placet, tum negativè ex eo quod quidquid alij in præſenti docent diſpliceat, tum poſitivè ex eo quod illi faveat experientia, auctoritas Divi Thomæ & conſenſus majoris partis Scholaſticorum, apud quos, & ſignanter apud Arriagam *præcit. ſec. 4. ſubſec. 3.* ſoluta reperies, quæ poſſunt contrà talem doctrinam objici, quæque nos nunc omittimus tanquam & parùm difficilia, & ſpectantia ad intentionem virtualem ex genere ſuo, non ut hujus loci propriam, & ſpecialiter ad ſacramentorum valorem requiſitam. 76.

Quinam modus ſit alius præferendus.

Aſſert. 3. Ad valorem ſacramentorum novæ legis, Matrimonio excepto, intentio ſub conditione de futuro non ſufficit, ſed requiritur intentio abſoluta aut abſolutæ æquivalens, & de præſenti in abſolutam tranſiens. Ita Scholaſtici communiter, qui tamen hic ſolent non niſi generaliter eam percurrere, caſus particulares tranſmittendo ad tractatus de ſacramentis in particulari, Matrimonij præſertim & Pœnitentiæ; juxta quem morem nos quoque generalia dumtaxat attigimus: Ideò aſſertum breviter 77.

Probatur & explicatur. Ex vi intentionis

Ad valorem aliorum ſacramentorū à Matrimonio non ſufficit intentio conditionata de futuro

conditionatæ conditione de futuro, nec ſacramentum fit, quando intentio elicitur, nec fiet, Matrimonio excepto, quando conditio purificabitur; non primum, quia intentio conditionata de futuro eſt ſuſpenſiva, & qui eam habet non intendit facere nunc; ſed quando conditio ponetur, Non ſecundum, quia quando conditio purificabitur non erit applicatio materiæ, & formæ, quam Miniſter poſuiſſe ſupponitur, dum intentionem elicuit; nec hujuſmodi applicatio cenſetur perſeverare uſque ad eventum conditionis, cum ad conficienda alia ſacramenta à Matrimonio apponantur pro materia actiones tranſeuntes; pro forma verba formalia; quæ ut talia illicò tranſeunt; ſolùm in Matrimonio, in quo non requirantur pro
78. forma verba formalia, & cujus materia ſunt vel ipſamet corpora contrahentium, vel tradendorum corporum conſenſus; rectè poſſunt materia & forma permanere moraliter uſque ad conditionis eventum, & tum ex hoc capite, tum ex communi ratione contractus, cui ſacramenti ratio ſupervenit, ſufficit ad ipſius valorem intentio conditionata de futuro, & Conjugibus ſub conditione de futuro contrahentibus Matrimonium, ſicut in ratione contractus, ita in ratione ſacramenti, perficitur quando conditio purificatur: Cæterum in alijs ſacramentis, quæ nequeunt ſuſpendi intentio debet eſſe efficax & efficiens de præſenti, quando ipſa elicitur & materiæ forma applicatur; talis autem eſt ſola intentio abſoluta aut abſolutæ æquivalens, & in abſolutam de præſenti tranſiens, ut æquivalet & tranſit intentio conditionata de præterito, aut de præſenti ſub conditione, quæ revera extiterit, aut exiſtat.

Benè verò ſub conditione de præterito, aut de præſenti.

§ VI.

Expenduntur circà internam Miniſtri intentionem nonnulla fragmenta, tum auctoritatum D. Thomæ, tum hiſtoriarum Eccleſiæ.

79. Aſſero 1. D. Thomas, licèt fuerit variè locutus de neceſſitate intentionis internæ in Miniſtro, omninò tamen cenſuit eam eſſe ad ſacramentorum valorem neceſſariam: Ita cum omnibus Thomiſtis ferè omnes alij Scholaſtici contra Auctores relatos *præcedent. num.* 55. qui in neganda illius intentionis neceſſitate contendunt ſe ſentire cum D. Thoma; & quòd eo ipſa ad ità ſentiendum magis omninò inclinaverit, admittunt etiam Vaſquez *diſp.* 138. & Arriaga *diſp.* 19. *ſec.* 1. *num.* 5. hincque ob S. Doctoris reverentiam Vaſquez abſtinet ab omni cenſura in ſententiam negantem intentionis internæ neceſſitatem, & Arriaga obſervat temporibus D. Thomæ probabilem fuiſſe talem ſententiam, ſicque cenſuram, cui nunc ſubijcitur, nullatenùs attingere S. Doctorem, nec extendi ad tempora, quibus in illam iſte inclinavit; Nihilominùs Angelico magis favet, quod in re id non ſenſerit: Ideò aſſertum

Probatur in medium proferendo loca ad id pertinentia; & oſtendendo ea, in quibus S. Doctor videtur in partem negativam inclinaſſe ſuperari ab iis, quæ pro parte affirmativa militant; & priora poſſe rectè intelligi ſine poſteriorum præjudicio.

Porrò pro parte negativa, ſeu negante 80.
præaſſertam neceſſitatem intentionis internæ, duplex eſt textus; Primus *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. ubi cum ſibi S. Doctor objeciſſet intentionem Miniſtri internam ſi requiratur, utpotè quæ eſt nobis occulta, reddere nos de valore ſacramentorum incertos, approbat reſponſionem dicentium *Quod in baptiſmo. & in alijs ſacramentis, quæ habent in forma actum exercitum non requiritur mentalis intentio; ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta, & ideò ſi forma ſervatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus eſt.* Secundus in præſenti *quæſt.* 64. *art.* 8. *ad* 2. ubi ad ſibi factam iterùm eandem objectionem eandem iterum reſponſionem clariùs approbans ait *Alij meliùs dicunt, quòd Miniſter ſacramenti agit in Perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter: In verbis autem quæ profert exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum.*

Teſtimonia D. Thomæ pro neganda neceſſitate intentionis internæ in Miniſtro ſacramentorū.

Pro parte affirmativa, ſeu affirmante inten- 81.
tionis internæ neceſſitatem primus textus ſit *in præcit. art.* 8. partim *in c.* ubi S. Doctor aſſignat Miniſtri intentionem pro ratione determinante ad eſſe ſacramentale ea, quæ in ſacramentis aguntur; partim in poſtremis verbis *ex reſp. ad* 2. relatis, quibus inſinuat ad perfectionem ſacramenti intentionem eodem modo requiri ex parte miniſtri & ex parte recipientis, & deinde infrà *q.* 68. *art.* 7. *ad* 2. intentionem recipientis ponit eſſe neceſſariam ad valorem dicens, *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus.* Secundus pariter in præſenti *quæſt.* 60. *artic.* 7. *ad* 3. ubi aſſignans, cur ſacramentum non conficiat is, qui ex induſtria profert corruptè verba ſacramentalia, ait *Quia non videtur intendere facere, quòd facit Eccleſia*, ex mente igitur D. Thomæ eſt de neceſſitate ſacramenti, quod hoc Miniſter intendat. Tandem miſſis alijs tercius ſit *in opuſc.* 5. in cujus ſecunda parte ſub titulo *de Eccleſiæ Sacramentis* S. Doctor apertiſſimè tradit, quod intendimus, dicens, *Requiritur etiam in quolibet ſacramento perſona Miniſtri cum intentione conferendi & faciendi quod facit Eccleſia* (nonnullis interpoſitis) *& ſi miniſter ſacramenti non intendit ſacramentum conficere, non perficitur ſacramentum.* Circa hæc, & ſimilia pro parte affirmante teſtimonia, adverto in primis ea ferè omnia non ſolùm militare pro neceſſitate intentionis internæ utcunque, ſed etiam pro talis intentionis objecto, quod ſit ſacramentum ipſum, & id quod facit Eccleſia, non præciſè opus externum, ut & nos ſuprà aſſeruimus: Adverto inſuper ea valdè præponderare teſtimonijs faventibus parti negativæ primò, quia ſunt plura; ſecundò quia in ipſis S. Doctor loquitur enunciativè, & ex propria ſententia, in alijs

Teſtimonia ejuſdem plura clariora & validiora pro eadem neceſſitate affirmanda.

alijs recitativè referendo ſententiam aliorum, nec expreſsè abſolutéque approbando: Tertiò, quia aliquod ſaltem ex parte affirmativæ teſtimonijs, illud ſcilicet quod ex *Opuſc. 5.* poſitum eſt, nullam patitur Adverſariorum explicationem, cùm tamen in explicandis teſtimonijs partis negativæ non admodùm laborent, quamvis non totaliter conveniant, noſtri aſſerti Auctores.

82. Occurritur teſt-modijs primo loco relatis.

Solent autem ea explicare dupliciter: Primò ſcilicet intelligendo utrumque teſtimonium de perfectione ſacramenti, non abſolutè, ſed quoad nos, ſeu quoad moralem ſuſcipientium certitudinem, de qua ſicuti procedebat objectio, ita congruè intelligitur procedere reſponſio, non obſtante quod utrobique *in corp. art.* agatur de neceſſitate intentionis abſolutè: Juxta hanc intelligentiam, ſenſus utriuſque textus eſt, quòd ad ſufficientem certitudinem & ſecuritatem valoris ſacramentorum non requiratur intentio interna Miniſtri manifeſtata aliter, quàm proferendo verba inſtituta ab Eccleſia, hæc quippe cum valde expreſsè ſignificent confectionem ſacramenti ab Eccleſia intentam, difficile eſt Miniſtrum ea adhibentem non habere, quoties contrariam non exprimit; internam intentionem conficiendi ſacramentum, ut Eccleſia intendit.

83. Secundò utrumque pariter teſtimonium intelligendo de intentione interna clara prorsùs & explicita, adeò ut ſenſus ſit non requiri ad valorem ſacramenti intentionem internam, qua Miniſter clarè & explicitè comprehendat objectum à ſe in ſacramentali miniſterio intentum ſeu intendendum; quæ quidem intentio, ſicuti difficilè habetur regulariter à quolibet Sacramentorum Miniſtro, ita ſi omninò requireretur, redderet nimis dubium apud ſuſcipientes Sacramentorum valorem, quod erat objectionis intentum: Cæterùm cum hoc ſtat requiri intentionem implicitam & confuſam, de qua ſuprà *num. 65. & ſeqq.* ſicut facilè habetur, ità neceſſitate ſua non inducit nimiam incertitudinem valoris ſacramentorum, & jure præſumitur haberi à quocumque exprimente ſine contraria proteſtatione intentionem Eccleſiæ per prolationem verborum ab ipſa inſtitutorum. Utramque utriuſque teſtimonij explicationem conantur Adverſarij infirmare, tanquàm non ſatis conformem contextui; at in re nihil afferunt magni ponderis, & pro majori utriuſque explicationis, tum comprobatione, tum vindicatione à contrarijs oppoſitionibus, videri poſſunt inter alios Sylvius *quæſt. 64. artic. 8. conc. 6.* circa finem, & Lugus *diſp. 8. ſec. 4.* & ille quidem in priorem, iſte in poſteriorem explicandi modum videtur magis propendere.

84. Occaſione argumenti reſponſione mox explicata ſoluti refert D. Thomas iiſdem locis aliam reſponſionem aliorum dicentium internam Miniſtri intentionem, quamvis ad ſacramenta neceſſariam, non obeſſe certitudini, quam quilibet ex ſacramentis habere debet de ipſorum effectu & propria ſalute; eò quia pro ſacramentis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & ſignanter pro baptiſmo illius intentionis defectus, quando evenit, ſuppleatur in parvulis à Christo Domino, in adultis ex propria recipientium fide & devotione. Ideò expedit obiter proferre quid de hoc D. Thomas ſenſerit, quidvè revera ſentiendum ſit? & quidem, quòd non ſuppleatur intentionis defectus, ita ut deficiente intentione adhuc fiat ſacramentum, communiſſimè aſſeritur ab aſſerentibus neceſſitatem intentionis ad ſacramentorum valorem, & eſſe ad mentem D. Thomæ colligitur apertè ex eo, quod utroque loco præcitato ait defectum intentionis Miniſtri in baptiſmo non ſuppleri quantùm ad characterem, *quia character nunquam imprimitur, niſi per ſacramentum*: Utrum verò ſuppleatur intentionis defectus quantùm ad effectum ultimum, qui eſt juſtificatio à peccatis adeò ut ſuſcipiens baptiſmum ex defectu intentionis Miniſtri invalidum conſequatur, aut ex ſpeciali Dei miſeratione ſi ſit parvulus, aut ex propria ad ſacramentum diſpoſitione ſi adultus, eandem prorsùs gratiam juſtificantem, quam fuiſſet ex baptiſmo valido conſecuturus? Videtur affirmare S. Doctor illis duobus locis, idque olim tradiderunt Alenſis *par. 4. quæſt. 13. art. 5. ad 4.* D. Antoninus *par. 3. tit. 14. cap. 13. §. 10.* D. Bonaventura *in 4. diſt. 6. art. 2. quæſt. 1.* Durandus *ead. diſt. quæſt. 2. num. 14.* Paludanus *ead. q. 2. artic. 1.* Sylveſter verbo *Baptiſmus 3. num. 12.* & Valentia *hic, q. 5. punc. 3. §. Ad eam verò.* Oppoſitum tradunt Sylvius *præcit. conc. 6.* circa finem, (ubi notat relatam ſententiam ab aliquibus cenſeri hiſce temporibus temerariam) Gonetus *diſp. 6. art. 2. §. 5.* Madernus *quæſtio. 5. art. 6. num. 18.* Hetinca *quæſt. 4. num. 21.* Cabreza, Averſa, & reliqui Scholaſtici conſenſu unanimi, hoc non obſtante Maſtrius *hic diſp. 1. q. 7. n. 272.* hæret problematicus, & commendat Hiquæum *in 4. diſt. 1. q. 5.* dicentem neutram ſententiam firmum habere fundamentum, & totum eſſe Dei providentiæ & diſpoſitioni ſecretæ reſervatum. Nihilominùs

Defectus intentionis Miniſtri in nullo unquã ſacramento ſupletur, neque quantùm ad Sacramenti valorem.

85. Neque quãtum ad effectum, ſeu gratiam ſacramentalẽ.

Reſpondeo abſolutè, nec D. Thomam ſenſiſſe, nec ſentiendum eſſe, quòd in baptiſmo (idem à fortiori procedit de alio quolibet ſacramento) ſuppleatur unquam intentionis defectus quantùm ad juſtificationem, & gratiam ſacramentalem: Probatur prima pars ex eo, quia D. Thomas duobus locis præcitatis ex propria ſententia ſolùm dicit adultos ex intentionis defectu invalidè baptizatos poſſe proprijs actibus ſupplere effectum, qui eſt juſtificatio à peccatis; at non dicit poſſe taliter ſupplere, ut conſequantur eandem prorsùs juſtificationem eandemque gratiam, quam conſequerentur ex vi baptiſmi; & ſupplementum hujuſmodi neque in parvulis ex proprijs actibus, neque in adultis ex ſuavitate divinæ providentiæ fuiſſe ab Angelico admiſſum, colligitur apertè ex alijs locis, nimirùm ex *Quodlib. 6. art. 4.* & in præſenti infrà *ex quæſt. 68. artic. 1.* & *ex quæſt. 73. art. 3.* Probatur ſecunda pars tùm ex mox memoratis auctoritatibus D. Thomæ, libenter enim cenſeo ſentiendum quod ipſe ſenſit, tum ex illo Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, cujus generalis regulæ non invenitur ulla traditione, aut auctoritate Eccleſiæ, facta exceptio, niſi in caſu baptiſmi ſanguinis, vel flaminis. Neque pro 86.

caſu

Quomodò oppoſitum ſaltem pro baptiſmo parvulorum non inferatur ex ſuavitate divinæ providentiæ.

caſu baptiſmi ex defectu intentionis invalidi ſufficiens exceptionis ratio habetur ex pietate & miſericordia Dei, à qua videtur prorſus alienum permittere, quod quis aut omittendo ex incuria, aut ſubtrahendo ex malitia, intentionem, poſſit in negotio ſalutis nocere alijs, præſertim parvulis antè uſum rationis decedentibus, quibus ex occulto intentionis defectu invalidè baptizatis nullum ſupereſſet pro ſalute remedium. Contrà enim eadem conjectandi libertate dicere quis poſſet Deum ex ſua pietate & miſericordia ſupplere in baptiſmo occultum defectum formæ, vel materiæ, ſi contingat; item extrà ſacramentum defectum contritionis in peccatore adulto, qui ſe contritum putat; & id genus alia quæ excogitare facile eſt, aſſeverare verò temerarium; Non eſt igitur contrà generales Scripturæ locutiones & Eccleſiæ regulas facienda exceptio ex ſola conjectura pietatis & miſericordiæ Dei, præſertim pro caſibus rarò & per accidens evenientibus. Et quando tandem in propoſito fas eſſet quidquam pro parvulorum ſalute conjectare, fortè rationabilius diceretur ad ſuavitatem divinæ providentiæ pertinere, quod in ipſorum baptiſmo, aut nunquam permittat, aut antequam decedant revelet occultum defectum intentionis Miniſtri.

87. Aſſert a. Nulla Eccleſiæ hiſtoria benè expenſa favet valori alicujus Sacramenti ſine interna Miniſtri intentione peracti. Eſt aſſertum ad præcedentia conſequens & pertinens ad ipſorum confirmationem.

Referuntur ex ſacris hiſtorijs quædam rationes dubitandi pro valore ſacramentorum abſque intentione Miniſtri.

Probatur afferendo breviter & expendendo eas hiſtorias & narrationes, ex quibus maximè oriri videtur in propoſito aliqua ratio dubitandi. Primum ſit, quod Ruffinus *libro* 10. *hiſt. cap.*14. & Nicephorus *lib.*8. *cap.*40. narrant de Athanaſio, qui adhuc puer alios pueros ludendo baptizavit, ſi autem adhuc erat puer, ſi ludebat, quomodò nam habere potuit veram intentionem internam faciendi ſacramentum? & tamen illos pueros fuiſſe validè ab Athanaſio baptizatos declaravit Alexander Patriarcha Alexandrinus, ut habetur cap. *Spiritus Sanctus.* 1. *quæſt.*1. Secundum ſit quod Nicephorus *eod. lib.*8. *cap.*44. Surius *tom.*4. in vita S. Geneſij, & alij narrant Geneſium adhuc gentilem & mimum in ſcenâ coram Imperatore ludentem ad irridenda Chriſtianorum ſacramenta petijſſe ab alio ſuo ſodali baptiſmum; quem dum iſte parat mimicè conferre, monetur Geneſius ab Angelo de baptiſmalis aquæ vi ad peccata delenda, & ad fidem converſus, & aquâ ablutus certior redditur de peccatis deletis; habuit igitur hujuſmodi baptiſmus valorem, & tamen baptizans caruit omni interna intentione faciendi ſacramentum; imò habuit intentionem contrariam fingendi, ſcilicet ipſum & deridendi. Tertium ſit quod *in tom.*3. *Concil.* & cap. *à quodam Iudæo* de conſecratione *diſt.*4. refertur nonnullos fuiſſe baptizatos à quodam Judæo, & cum dubitarent de baptiſmi valore, Summus Pontifex Nicolaus de hoc interrogatus reſpondit fuiſſe validum, ſi fuit cum debita forma & materia collatus, nec quidquam de interna intentione requiſivit; ſignum eſt igitur, quòd iſta non cenſebatur de neceſſitate Sacramenti. Nihilominus ut ab hoc tertio, quod facilius eſt, me expediam, dico argumentum parùm urgere, utpote merè negativum, Pontifex enim, quamvis intentionem non requiſierit, non tamen poſitivè dixit non requiri; imò eam non requiſivit quia adeſſe ſuppoſuit, dum qui eum interrogabant ſupponebant debitam materiæ & formæ applicationem, & dubitabant de valore baptiſmi ex eo, quod dubitarent, an poſſet validè conferri à Miniſtro non baptizato? quod dubium & benè ſolvitur affirmativa reſponſione, & non poſtulat quidquam de Miniſtri intentione definiri. Redeo jam ad alia duo ſacræ hiſtoriæ fragmenta, pro quibus expedit nonnulla curſim expendere. 88.

Expenditur reſponſum Nicolai I. occaſione baptiſmi collati à quodam Iudæo.

Quoad primum expendo Athanaſium alios pueros baptizantem fuiſſe annorum circiter duodecim ut probat Sylvius *præcitat. art.*8. *in reſp. ad* 13. erat jam igitur optimè capax uſus rationis, & propriæ intentionis internæ, & ab hiſtoricis inter pueros recenſetur, quatenùs nondum erat vir, quamvis eſſet grandiuſculus: Expendo inſuper poſſe aliquid per ludum & jocum fieri dupliciter, vel fictè & ſimulatè, ut fit in theatris vel verè & ex animo, quamvis ludi & recreationis gratia; quod fit per ludum primo modo ſive ſacramentum ſit, ſive quid aliud, fictum eſt ac ludicrum, quod fit per ludum ſecundo modo non item, habet quippè ludum ſolùm pro fine extrinſeco operantis; extrinſecus autem finis operantis ex genere ſuo non vitiat ſubſtantiam operis, ut quoad ſacramenta exemplificari poteſt in eo, qui vellet lucri cauſa baptizare, qui certè adhuc poſſet baptizare: In facto igitur Athanaſij nec quòd eſſet puer, nec quòd luderet, infert defuiſſe intentionem ad validum baptiſmum requiſitam, dummodo ludus ſecundo modo ſe habuerit, ut verè ſe habuiſſe colligitur primò ex eo, quòd Athanaſius ipſe interrogatus quid intenderet ſeu quid vellet facere ſodales ſuos baptizando? reſpondit ſe voluiſſe facere, quod videret fieri ab Epiſcopo Alexandrino: Secundò ex eo, quod baptizavit ſolos cathecumenos, nondum antea baptizatos, & validi baptiſmi capaces: Tertiò ex eo, quod natura & genius puerorum eſt imitari quantùm poſſunt actiones ſeniorum, & intendere verè facere, quod iſti faciunt. 89.

Expenditur factum Athanaſij adhuc pueri pueros ludendo baptizantis.

Quoad ſecundum nulla eſt ratio dubitandi, ſi res evenit, ut narrat Ado Trevirenſis qui teſte Bellarmino *lib.*1. *de ſacram. in gen. cap.*28. primus Geneſij hiſtoriam ſcripſit, & refert quòd Geneſio ſcenicè & irriſoriè poſtulante baptiſmum Chriſtianorum fuerit juſſu Imperatoris accerſitus ad eum baptizandum ſacerdos & Exorciſta; & Sacerdote interrogante, quid peteret? ipſum non amplius ſcenicè & irriſoriè, ſed verè & ex animo reſpondiſſe ſe petere gratiam Chriſti, ſicque & ex parte Geneſij fuiſſe veram intentionem ſuſcipiendi, & ex parte baptizantis fuiſſe debitam intentionem conferendi baptiſmum. Quia tamen plures Hiſtorici probatæ fidei factum aliter narrant, & referunt baptiſmum, de quo agitur fuiſſe à ficto Sacerdote, id eſt ab 90.

Expenditur caſus Geneſij in ſcena, dum Mimum agit, baptizati.

Hiſtrione

Hiſtrione agente in ſcena perſonam Sacerdotis deriſoriè miniſtratum; expendendus eſt etiam juxta iſtorum Hiſtoricorum Geneſij baptiſmus circa quem adverto nihil eſſe de ipſius valore definitum; & de facto fuiſſe defectu intentionis Miniſtri invalidum probabilius cenſuerunt poſt Vincentium Beluacenſem Lugus *hic diſp.8 ſec.3.num.42.* Arriaga *diſp.29. ſec.1.num.7.* Madernus *quaſt.5. art.4. num.8.* & aliqui alij, atque his etiam nulla ſupereſt quoad rem præſentem ratio dubitandi; at parùm conſonat ſeries hiſtoriæ in eo, quod narrat Geneſium fuiſſe ab Angelo antè ablutionem inſtructum de ſacri lavacri virtute, & poſt ablutionem certiorem factum de peccatorum re-
91. miſſione: Ideò difficiliùs quidem ſe expediunt, at ad hiſtoriã conformiùs ſentiunt, qui ſupponunt baptiſmum Geneſij fuiſſe in ſcena ab hiſtrione pagano cum deriſione miniſtratum, & ſimul concedunt fuiſſe validum; utrumque autem conciliant cum præaſſerta neceſſitate intentionis ad ſacramentorum valorem dupliciter; primò ſcilicet dicendo deriſionem reſpectu hiſtrionis baptizantis fuiſſe ſolum finem extrinſecum, ut modò dicebatur de ludo reſpectu Athanaſij, ſicque illum deridendo baptizantem habere potuiſſe, & de facto habuiſſe debitam intentionem, ſicut hanc habuit iſte baptizans ludendo; præſertim cum quod ille fuerit paganus non noceat, ſed faveat conjunctioni deriſionis cum debita intentione, ut inſinuat Gonetus *diſp.6.art.2.§.3.num.32.* Secundò dicendo deriſionem fuiſſe tantum apparentem & exiſtimatam ab adſtantibus, cæterùm hiſtrionem ab initio quidem intendiſſe deridere, poſteà tamen ante actualem ablutionem habuiſſe intentionem operandi ex animo, & ſeriò faciendi, quod facit Chriſtianorum Eccleſia; eò quòd de tali intentione habenda fuerit admonitus ab eodem Angelo, à quo de baptiſmi virtute & ſeria ſuſceptione fuerat inſtructus Geneſius. Prætereo tertium conciliandi modum aliquorum dicentium baptiſmum, de quo agitur, non ſolùm cum deriſione, ſed & cum defectu debitæ intentionis, fuiſſe miniſtratum, & ſimul fuiſſe validum; at ex ſpeciali privilegio & ſupplemento Dei; Prætereo autem, quia licèt facilis pro re præſenti & expeditus, parum cohæret ſupradictis *n.80.* & *81.* & omninò propendeo ad ſupplementum illud nunquam de facto præſumendum, aut concedendum, ſine fundamento ſpecialis revelationis, quam non habemus in caſu Geneſij.

CAPVT III.

De cauſa extrinſeca materiali Sacramentorum novæ legis ſeu de Suſceptore & ſubjecto.

1. SICVT in Sacramentorum Miniſtro maximè conſideravimus potentiam activam, & eorum efficiendorum facultatem, tum remotè & ſecundùm ſe, tum proximè & ſecundùm omnia ad actum exercitum requiſita; ita in ſacramentorum ſubjecto conſiderare debemus potentiam paſſivam, & eorundem recipiendorum capacitatem, quæ ſimiliter ſumi poteſt, tum remotè & ſecundùm ſe, vel ut nonnulli loquuntur, phyſicè; tum proximè, vel ut nonnulli loquuntur moraliter, & ſecundùm diſpoſitiones in adultis neceſſarias; iſtæ tamen, cum ſint ex majori parte pro diverſis ſacramentis diverſæ, opportuniorem locum habent in tractatibus ſingulorum Sacramentorum proprijs: hincque ſiſtendo in ſacramentis generatim non multa occurrunt examinanda ſub præfixo titulo, qui propterea à D. Thoma, multiſque alijs in præſenti materia prætermittitur, tractatur verò in materia baptiſmi, & ferè omnium aliorum ſacramentorum in particulari: Nihilominùs tum pertinentia ad capacitatem remotam, tum aliqua de capacitate proxima, quæ omnibus, aut certè pluribus ſacramentis communia ſunt, opportunum habent hic locum; & aliunde incongruum videbatur materiali ſacramentorum cauſæ nullum titulum inſcribere, & ſacramentorum effectui aliqualem proprij ſubjecti notitiam non præmittere.

Sacramentorum capacitas alia remota & phyſica, alia proxima, & moralis.

---

§. I.

Quodnam ſit ſubjectum capax ſuſcipiendi ſacramenta novæ legis?

ASSERT. Soli homines viatores ſunt capaces Sacramentorum novæ legis, & quidem per ſe loquendo omnes omnium, niſi quod fœminæ non ſunt capaces Sacramenti ordinis. Quoad ly *omnes omnium* eſt contra plures Sectarios, ex quibus Joannes Vviclefus, & Joannes Hus; in ſolis prædeſtinatis; aliqui alij in ſolis juſtis agnoverunt ſacramentorum ſuſcipiendorum capacitatem: Nihilominùs totum aſſertum eſt veritas Catholica conſtans perpetua totius Eccleſiæ traditione & praxi, & ulterius. 2

Probatur prima pars: In ſacramentis novæ legis duo maximè conſiderantur, nimirùm ratio ſigni & ratio effectus ſignificati, qui eſt gratia; atqui ſecundùm utramque rationem pertinent ad ſolos homines viatores, & pro iſtis ſolis ſunt inſtituta; ergo ſoli homines viatores ſunt ipſorum capaces: Minor probatur quia ratio ſigni in novis ſacramentis eſt ratio ſigni ſenſibilis & humani, ut *præced.lib.1. cap.1.§.2.* oſtenſum eſt; ratio effectus ſignificati eſt gratia de novo infuſa ſacramentum ſuſcipienti; ad ſolos autem homines viatores pertinet, tum ſigna ſenſibilia adhibere, tum gratiam aut augmentum ejus aquirere; non enim pertinent hæc ad creaturas irrationales; quia iſtæ, nec per res ſenſibiles ad cognitionem intellectualem excitari, nec per gratiam ſanctificari poſſunt; non ad Angelos, quia iſti carent ſenſibus, quibus ſui ſpeciem ſenſibilia ſigna ingerant, & ſunt omnes de facto in termino, qui non eſt ſtatus novæ gratiæ aquirendæ; Non ad homines extra viam

Soli homines viatores ſunt de lege ordinaria capaces novorum Sacramentorũ?

MMmm conſtitu

conſtitutos, quia poſt animarum ad corpora reunionem in die judicij faciendam ceſſabit ſacramentorum uſus, antè talem verò reunionem eadem eſt de animabus, utpotè ſeparatis, quoad improportionem cum ſignis ſenſibilibus ratio, quæ de Angelis; eædemque cum ſupponantur extrà viam, ſive ſeparatæ, ſive corpori reunitæ ſint, nec gratiæ nec augmenti ejus capaces ſunt de lege ordinaria; ſupereſt igitur quòd tum ratione rei ſignificantis, tum ratione effectus ſignificati, nova ſacramenta pertineant de lege ordinaria ad ſolos homines viatores.

3. Iidemque ſoli fuerunt de eadem lege capaces Sacramentorum antiquorum.

Si quæras hic obiter, quid ſentiendum de ſacramentis antiquis, & quid de utriſque in ordine ad legem extraordinariam & potentiam abſolutam? Reſpondeo ad primum quoad rationem ſigni militare pro antiquis ſacramentis quidquid pro novis militat, fuerunt enim illa in eodem humani & ſenſibilis ſigni genere, in quo ſunt de facto ſacramenta nova: Quoad rationem effectus ſignificati eſt quidem diverſitas, cum antiqua ſacramenta (uno excepto remedio originalis) ſignificaverint in ſuſcipiente ſanctitatem imperfectam dumtaxat & legalem, quæ nec videtur omninò improportionata irrationalibus creaturis, nec alligata ſtatui viæ: Nihilominùs in re illa ſanctitas imperfecta cum Sacramenti ſuſceptorem ordinaret ad Dei cultum, & veræ religionis profeſſionem, creaturis irrationalibus non conveniebat, & cum conſecraret in ordine ad miniſteria extrà viam non exercenda, ſtatui viæ alligabatur; Sicque etiam ſacramenta antiqua ad ſolos homines viatores, tum ratione rei ſignificantis, tùm etiam ratione effectus ſignificati, pertinebant.

4. Creaturæ irrationales, nec de lege extraordinaria, ſunt alicujus ſacramenti capaces.

Reſpondeo ad ſecundum quoad creaturas irrationales, iſtas neque de potentia extraordinaria eſſe ſacramentorum, ſive antiquorum, ſive novorum, capaces; repugnat enim quòd ad cognitionem intellectualem excitentur; item quòd ſanctificentur, aut per gratiam habitualem in ordine ad gloriam, aut per ſanctitatem legalem in ordine ad cultum Dei, & profeſſionem religionis: Quoad homines conſtitutos extra viam in immortali corpore vix eſt ratio dubitandi, quin ſint de lege extraordinaria & potentia abſoluta ſacramentorum capaces, cum ſolùm de lege ordinaria ſit ſtatui viæ alligata novæ gratiæ infuſio, nec abſolutè repugnet habitualem gratiam, aut in damnatis poni, aut in beatis augeri:

Benè verò homines extra viam.

Quoad animas ſeparatas & Angelos, ſive extra viam ſint, ſive etiam in via ſupponantur, res eſt difficilior, ex eo enim quod ſenſibus, & corpore careant, nulla quantumvis extraordinaria lege poſſunt ipſis aut res ſenſibiles ſui ſpeciem ingerere, aut actiones materiales per materialem contactum applicari; ideò nec de lege extraordinaria poſſunt ſuſcipere ſacramentum aliquod ſive antiquum ſive novum, ut de facto à nobis ſuſcipitur, & ut de facto fuit inſtitutum:

Verum etiã animæ ſeparatæ & Angeli à reducitur ad quæſtionem de nomine.

Utrùm verò poſſit inſtitui, aliquod aliud ſacramentum ſenſibile & noſtris ſimile, cujus capaces ſint Angeli & animæ ſeparatæ? Poteſt utique inſtitui aliqua verborum prolatio, aut aliqua materialis actio, exercenda circa aliquod corpus, aut aſſumptum ab Angelo & anima, aut etiam non aſſumptum, adeò ut prolatis illis verbis, aut poſita illa actione materiali, infundatur Angelo & animæ ſeparatæ gratia: Utrùm verò per hoc eſſet dicendum inſtitutum in illis verbis, illâvé actione materiali, ſacramentum ſenſibile noſtris ſimile, ab Angelis tamen & animabus ſeparatis ſuſceptibile? eſt quæſtio purè de nomine, in qua non expedit immorari.

5. Omnes homines Viatores ſunt capaces omnium ſacramentorum, & in quo ſenſu, cum qua item exceptione.

Probatur ſecunda pars, in qua dixi *per ſe loquendo*, quia multiplex ſupervenire poteſt alicui homini viatori impedimentum, ratione cujus nequeat hoc vel illud ſacramentum validè ſuſcipere, ut exemplificari maximè poteſt in Matrimonio, & facile cuique eſt in aliquo alio ſacramento reperire; at iſta per accidens ſunt, nec per ſe ſpectant ad propriam conditionem, aut hominis, aut ſtatus viæ; Nequa nos, dum facimus omnes homines viatores omnium ſacramentorum capaces, intendimus quod ſint ſic capaces in quacumque ætate, in quacumque circumſtantia, ſed loquimur in terminis habilibus, & conſiderando viatorem quemlibet nudè & ſecundùm capacitatem remotam. Probatur, inquam, ſic explicata ſecunda pars, quia neque ex vi inſtitutionis, neque ex natura rei, aliquis homo viator eſt per ſe alicujus ſacramenti incapax; non ex vi inſtitutionis, quia ſacramenta, ordine excepto, ſunt omnia pro omnibus utriuſque ſexus viatoribus indefinitè inſtituta, neque conſtat à Chriſto Inſtitutore factam eſſe ullam aliam exceptionem ab ea, quam ex perpetua Eccleſiæ traditione habemus de fœminis reſpectu ordinis. Non ex natura rei, quia pro remota, de qua nunc agitur cujuſlibet Sacramenti capacitate, nihil aliud ex parte ſubjecti requiritur, niſi quod poſſit recipere tum paſſionem materialem ſeu ſenſibilem puta ablutionem, unctionem, tum novam gratiam ſive primam, ſive ſecundam; quod utrumque per ſe loquendo convenit æqualiter omnibus utriuſque ſexus viatoribus: Neque dicas ſecundum non conveniſſe Beatæ Virgini, quæ etiam dum eſſet in via, ſaltem poſt conceptum Chriſtum Dominum habuit gratiæ plenitudinem; primum verò non convenire parvulis in utero Materno, circa quos nullum agens extrinſecum poteſt materialem actionem exercere, & tamen jam ſunt viatores, quia homo inchoat viam, dum inchoat vitã.

6. Contra enim dici in primis poteſt non eſſe per ſe & ratione ſtatus viæ, quòd B. Virgo habuerit, ſi aliquãdo adhuc viatrix habuit, novæ gratię incapacitatẽ; item nõ eſſe per ſe, quòd homines viatores pro aliquo tempore in uteris maternis exiſtant; ab eo autem, quod per accidens eſt, nõ benè arguit ad incapacitatem ſacramentorum per ſe: Melius tamen dicitur Beatam Virginem, quouſque fuit viatrix fuiſſe ſimpliciter capacem ſacramentorum, at ſimul fuiſſe capacem augmenti gratiæ;

Parvuli maternis adhuc uteris incluſi nondum ſunt humano modo viatores.

Parvulos verò maternis uteris occluſos eſſe quidem ſacramentorum incapaces, at nec dum eſſe viatores modo humano, viſibili, & ſenſibili, quo conſideratur in hominibus ratio viatoris in ordine ad ſacramenta; & quod homo inchoet viam, dum inchoat vitam, verum eſt coram Deo & in foro Poli, non coram hominibus, & in foro Eccleſiæ.

Mox explicata capacitas remota, & phyſica,

Digitized by Google

ta, omnibus hominibus viatoribus reſpectu omnium ſacramentorum (ſi fœminas reſpectu ordinis excipias) per ſe conveniens, & in omnibus æqualis, ad hoc ut fiat proxima, & homo viator ſit ſubjectum in actu exercito aptum ad validam ſacramenti ſuſceptionem, requiruntur ut jam præmonui diverſæ, pro ſubjectorum & ſacramentorum diverſitate conditiones; ex quibus fit, quòd non in omnibus viatoribus ſit æqualis & eadem ſuſcipiendorum ſacramentorum capacitas proxima, ſicut eſt remota: Aliquia igitur de ijs, quæ ad capacitatem proximam generatim pertinent, dicturus advertò illam conſiderari maximè poſſe penes duplex ſubjectum; nimirùm penes viatorem parvulum & viatorem adultum; item penes duas univerſaliores conditiones: Prima requiritur in quocunque ſubjecto ad quodcunque aliud ſacramentum à baptiſmo, & eſt baptiſmus ipſe, dictus propterea ſacramentorum janua; de conditione iſta nihil nunc dicendum occurrit, ſatis eſt quod ex tractato de Baptiſmo ſupponatur: Secunda pro aliquibus ſacramentis requiritur in quocunque; pro alijs ſolùm in viatore adulto, hujuſmodi eſt prævia voluntas ſeu intentio ſuſcipientis; & quia ſacramentorum conditionem hanc in quocunque ſubjecto exigentium parvuli nequeunt eſſe proximè capaces, ſicuti non ſunt capaces iſtius conditionis, ſit

7. Quid ſuprà capacitatem ſacramentorum remotè addat capacitas proxima?

---

§. II.

An aliquorum, & quorum, Sacramentorum novæ legis ſint proximè capaces, vel incapaces, Parvuli antè uſum rationis?

8. ASSERT. Parvuli antè uſum rationis ſunt proximè capaces ſuſcipiendi validè aliqua ſacramenta novæ legis, in primis ſcilicet baptiſmum, & inſuper Confirmationem, Euchariſtiam, ac ordinem: Ad reliqua in primis ſcilicet ad Matrimonium, & inſuper ad Pœnitentiam, ac Extremam unctionem, ſunt proximè incapaces: Conveniunt in utraque aſſerti parte omnes Catholici adverſantibus quoad primam Anabaptiſtis & nonnullis alijs hæreticis, qui ut refert Bellarminus *controv. 2. lib. 1. de Sacram. Baptiſ. cap. 8.* non admiſerunt in parvulis capacitatem baptiſmi, & conſequenter nec alicujus alterius Sacramenti, ſi aliquod aliud agnoverunt

Dixi *ſuſcipiendi validè*, nam quoad ſuſceptionem licitam, per quam quidem non ſolùm non peccent parvuli (quos in nullius ſacramenti, ſive valida, ſive invalida, ſuſceptione peccare perſpicuum eſt, cùm nequeat eſſe ſine rationis uſu peccatum) verùm nec peccent adulti ſacramenta parvulis miniſtrantes; quoad ſuſceptionem, inquam, taliter licitam parvuli fuerunt olim capaces baptiſmi & Euchariſtiæ; nunc ſolius baptiſmi, non verò Euchariſtiæ, Confirmationis, Ordinis, eo quod Euchariſtiam & Confirmationem Eccleſia prohibuerit conferri non habentibus uſum rationis, & ad Ordinem licitè conferendum præter rationis uſum taxaverit certam ætatem pro diverſo ordine diverſam: Quæ omnia ſunt ex proprijs ſingulorum ſacramentorum tractatibus ſupponenda, & ex iiſdem pariter repeti debet plena probatio eorum, quæ quoad ſuſceptionem validam traduntur in utraque aſſerti parte. Interim breviter pro nunc

Probatur prima pars in primis quoad baptiſmum ex Eccleſiæ traditione & praxi: Item ex eo, quòd ſecùs parvuli in lege gratiæ carerent tum originalis remedio quo nec in lege naturæ caruerunt nec in ſcripta; tum omni ad ſalutem medio contra illud Chriſti Domini *Matth. 9. Marc. 10. & Luc. 18.* dicentis *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum.* Tandem negative ex eo, quòd nec divina inſtitutio, nec aliqua Eccleſiæ conſtitutio, nec ulla valida ratio excludit parvulos à valida & etiam licita ſuſceptione baptiſmi, ut latè diſcutit Bellarminus *præcit. cap. 8.* Imò ex parte Eccleſiæ adeſt præceptum vel saltem introducta conſuetudine obligatio ipſos baptizandi, ſeu non relinquendi diù ſine baptiſmo, cui ex conſuetudine obligationi, ſi parvulus de vita periclitatur, accedit baptiſmi miniſtrandi obligatio cuilibet quidem in aliorum defectum ex charitate, Parentibus ex pietate, Parocho ex juſtitia. Suppoſito in parvulis baptiſmo, probatio jam adducta tum quatenus Eccleſiæ traditione nititur, tum quatenus negativè procedit, militat pro iiſdem non excludendis à valida ſuſceptione Confirmationis Euchariſtiæ, & Ordinis; hæcque ſuſceptio, quamvis propter Eccleſiæ prohibitionem & in contrarium conſuetudinem, eſſet peccaminoſa ex parte adulti miniſtrantis, ex parte tamen parvuli ſuſcipientis non valida tantùm eſt, ſed fructuoſa quoque & cum effectu, quia peccatum miniſtri adulti, non eſt obex gratiæ in parvulo.

9. Parvuli ante uſum rationis ſunt proximè capaces baptiſmi.

Et poſt baptiſmum ſunt capaces Cōfirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis.

Roboratur ſecunda pars in primis quoad Matrimonium, cujus inter parvulos incapacitas evincitur primò, quia ſuſcipientes ſacramentum Matrimonij ſunt ſimul ejuſdem Miniſtri, jam autem *præced. cap.* ſtabilitum eſt cujuſlibet ſacramenti Miniſtrum ex genere ſuo debere eſſe adultum, ratione utentem & ex interna intentione operantem: Secundò quia in Matrimonio illud, quod elevatur in ſacramentū eſt contractus, iſte autem ex genere ſuo requirit voluntarium ac liberum contrahentium conſenſum, qui certè eſſe nequit in parvulis ante uſum rationis: & quamvis tutores à Republica deſignati poſſint pupillorum, ſeu parvulorum nomine inire aliquos contractus, ex quibus parvuli ipſi, quando ad uſum rationis pervenerint, maneant obligati, non debet tamen hoc ad Matrimoniū, aut ad obligationem vinculi conjugalis extendi, quia Matrimonij ſacramentum cenſetur inſtitutum in ſolo contractu inito ex propria voluntate, & ſecundùm communiorem contrahendi modum, vinculum item conjugale majus eſt, quàm ut poſſit aliena voluntate humana induci, undè ut videre eſt apud Amicum *tom. 9. diſputatio 4 ſect. 1.* valde controvertitur, utrum de abſoluta Dei potentia potuerit inſti-tui

10. Non ſic ſunt capaces Matrimonij.

Matrimonij ſacramentum, in quo abſque contractu inter Conjuges, propria voluntate mito conſurgeret vinculum conjugale tantum, quantum conſurgit de facto.

11\. Ex hac probatione habetur Matrimonij incapacitatem in parvulis oriri immediatè ex eo, quod defectu uſus rationis habere nequeant conſenſum, & intentionem internam faciendi contractum & ſuſcipiendi ſacramentum, non ſic immediatè ex impotentia habendi intentionem oritur in iiſdem incapacitas pœnitentiæ & Extremæ-unctionis, ſed potiùs & principaliùs ex defectu materiæ remotæ & circa quam, quæ reſpectu utriuſque, ut ex utriuſque formâ colligitur, ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, quæ certè nulla potuerunt committi à parvulo ante uſum rationis. Hincque potes obiter anterere eum, qui pervenit ad uſum rationis per ſe loquendo eſſe illicò capacem ſacramenti Matrimonij, ut verò ſit capax Pœnitentiæ & Extremæ unctionis requiritur ulteriùs, quod peccatum aliquod actuale commiſerit; & quia nullum Beata Virgo commiſit toto vitæ decurſu, nunquam ipſa fuit Pœnitentiæ & Extremæ unctionis proximè capax, eſt inſuper alia aſſertæ parvulorum incapacitatis ratio, tum pro Pœnitentia, tum pro Extrema-unctione: Pro pœnitentia ſcilicet defectus materiæ proximæ ſitæ in actibus confeſſionis & doloris, qui haberi nequeunt ſine uſu rationis: Pro Extrema-unctione defectus finis ſui, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. in doctrina de Sacrament. Extrem. unct.* in eſſe conſummativo Sacramenti Pœnitentiæ, qui certè finis nequit obtineri in ſubjecto Pœnitentiæ incapaci, ut ſunt parvuli: Hæc tamen duplex ratio, ſi benè expendatur in priorem ex materia remota deſumptam reſolvitur.

Non item Pœnitentiæ, nec Extremæ-unctionis.

12\. Ex his habes dicta in præſenti de parvulis procedere pariter de perpetuò amentibus, illi enim, utpotè nunquam rationis uſu potiti, nunquam fuerunt formaliter adulti; & cujuſcumque ætatis exiſtant, parvulis nondum attingentibus ætatem regularem capacem uſus rationis æquiparantur quoad ea, quæ pendent ab uſu rationis, ut ſunt habere proprium conſenſum & intentionem internam, committere peccata actualia, & elicere actus doloris ac confeſſionis peccatorum.

Quod dictû eſt de parvulis extendi debet ad perpetuò amentes.

Procedendum modo à parvulis, & amentibus nunquam rationis uſu potitis, ad adultos, qui ſunt de præſenti, aut de præterito fuerunt, ſanæ mentis rationiſque compotes, & examinandum, Utrùm in iſtis omnia ſacramenta requirant ad ſui valorem præviam aliquam intentionem, & voluntatem ſuſcipientis; an verò ea, quæ ſine tali intentione & voluntate ſunt valida in parvulis, & perpetuò amentibus, poſſint ſine eadem eſſe valida in adultis, & aliquando ratione utentibus: & ſicuti pro prioribus agitur potiſſimùm de valore baptiſmi, ita de hoc ipſo potiſſimum agi ſolet pro poſterioribus.

13\. Porrò non defuerunt qui cenſuerint in adulto ad ſuſcipiendum validè baptiſmum ſufficere, quòd non habeat voluntatem contrariam, & ſolum ad hanc tollendam, & per accidens, eſſe aliquando neceſſariam poſitivam baptiſmi ſuſcipiendi intentionem, cæterùm non requiri per ſe, & eum qui nunquam de baptiſmo ſuſcipiendo cogitavit, aut ad ipſum ſemper indifferenter & negativè ſe habuit, ſi ſic indifferens baptizari ſe ſinat, vel etiam in ſomno, aut ebrietate, baptizetur, eſſe validè baptizatum. Ita cenſuit Caietanus infra *quaſt. 68. art. 7.* ad quem accedunt Serra *eod. art. 7.* Ledeſma *in 4. par. quaſt. 9. art. 7.* & aliqui alij Recentiores Thomiſtæ; verùm docent oppoſitum tum reliqui Thomiſtæ cum D. Thoma *ead. quaſt. 68. art. 7.* & 12. necnon *in 4. diſt. 6. quaſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 3.* tum communiſſimè cæteri Scholaſtici ſive antiqui, ſive recentes cum Magiſtro *in 4. diſt. 4.* Scoto *ead. diſt. quaſt. 4.* & Bonaventura *art. 2. quaſt. 1.*

§. III.

An, aliqua, & qualis, prævia intentio ſeu voluntas requiratur in adultis, ut ſint proximè capaces Sacramentorum novæ legis?

ASSERT. 1. In adultis ut ſint proximè capaces ſuſcipiendi validè in primis ſacramentum baptiſmi, & inſuper alia ſacramenta novæ legis, Euchariſtia excepta, omninò requiritur aliqua prævia ipſorum intentio ſeu voluntas. Ita *ex præced. num. 13.* Scholaſtici ferè omnes contra Caietanum, Serram, Ledeſmam, & paucos alios. 14.

Dixi *Euchariſtia excepta*, quia ipſa non ſicut reliqua ſacramenta in actione ſucceſſiva & uſu conſiſtit, ſed eſt ſacramentum permanens, verum ac validum antè uſum, & ſive ſumatur ſive non; intentio igitur, conſenſus, & quidquid aliud ex parte ſumentis, ſeu ſuſcipientis, ſe tenet, ad Euchariſtiæ valorem impertinens eſt. Si tamen etiam Euchariſtia conſideretur modo reliquis ſacramentis communi, id eſt ſecundùm uſum ſeu ſecundùm illud, quod præſtat in uſu, nimirum ſecundùm effectum gratiæ, quem in ſumente cauſat, requirit ipſa quoque aliquam præviam adulti, à quo ſumitur, intentionem, qua deficiente redditur ſuo modo invalida, quatenùs non magis ſumenti prodeſt, quàm ſi aut non eſſet valida, aut non ſumeretur.

Ad Euchariſtiæ valorem non requiritur in adulto ſuſcipiente aliqua prævia intentio.

Probatur aſſertum primò ſingillatim quoad baptiſmum ex eo, quod Concilia Carthaginenſe III. *cap. 34.* relato in Can. *Ægrotantes diſt. 4.* & Arauſicanum *Lean. 12.* ſtatuunt adultum qui in amentiam incidit, vel remanſit ſenſibus deſtitutus, eſſe baptizandum, ſi antea baptiſmum petijt, ejuſve deſiderium ac voluntatem oſtendit, ſupponunt igitur præviam aliquam voluntatem ad baptiſmi valorem in adultis requiri, ut ſupponit etiam Rituale Pauli V. dum in Rubricis *de Baptiſmo adultorum* prohibet baptizari amentem, qui antea, dum eſſet rationis compos, nec baptiſmum petijt, nec oſtendit ejus voluntatem. 15.

Benè verò ad valorem baptiſmi.

Dices ex his auctoritatibus benè colligi, quòd ſit illicitus, at non quòd ſit invalidus baptiſmus adultis collatus ſine ulla prævia ipſorum

ipſorum voluntate, & ita de prædictis auctoritatibus ſentiendum eſſe ſuadetur primò à ſimili ex eo quod, dum alias Concilia ſtatuunt ne baptizentur infidelium infantes ſine Parentum conſenſu, colligitur ſolùm quòd ſit illicitus, non quòd ſit invalidus talium infantium baptiſmus ſine tali conſenſu: Secundò ex auctoritate Innocentij III. *cap. Majores de baptiſmo* quæ cum prædemoratis Concilijs de invalido, non de illicito tantum baptiſmo intellectis, malè cohæreret, ait enim Innocentius *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenerit obſiſtentem*, quibus verbis videtur omninò concludere baptiſmo, ut characterem imprimat, quod eſt idem ac dicere, ut ſit validus, ſufficere quòd adultus ſuſcipiens negative ſe habeat, nec contraria obſiſtat voluntate.
16. Sed contrà; Ex hoc ipſo, quòd baptiſmus, de quo agitur, prohibeatur à Concilijs, & declaretur illicitus, conſequens eſt, quòd ſupponatur invalidus, alioqui irrationabiliter & cum nimio detrimento adultorum, qui aliquando per talem baptiſmum, ſi eſſet validus, ſalvari poſſent & non aliter, prohibitus & illicitus declararetur; Nec eadem eſt ratio de baptiſmo infantium infidelium, quem eſſe validum conſtat aliundè, & quamvis validum eſſe illicitum non eſt irrationabile, quia ex una parte adſunt vehementes pro ipſius prohibitione rationes, & ex alia non relinquuntur infantes ſine remedio; quia inſtante mortis periculo ceſſat prohibitio, & poſſunt licitè baptizari, ſine Parentum conſenſu. Tandem ſine alia diverſitatis ratione communis Scholaſticorum auctoritas eſſet ſufficiens fundamentum intelligendi Concilia in primo caſu de baptiſmo etiam invalido, in ſecundo de baptiſmo ſolùm illicito. Ad illud ex cap. *Majores* dico Innocentium ibi in verbis præcedentibus expreſsè requiſiviſſe poſitivum conſenſum ad adultorum baptiſmum, dum igitur poſteà in verbis adductis videtur ſolùm requirere, quod non adſit voluntas contraria, vel nomine voluntatis contrariæ intelligit etiam puram carentiam voluntatis baptiſmi, quæ poteſt dici voluntas contraria negativè, vel loquitur ibi Pontifex præcisè pro caſu, de quo fuerat interrogatus, & in quo eo ipſo, quod non invenitur obex voluntatis contrariæ neceſſe eſt inveniri voluntatem poſitivam baptiſmi; fuerat enim ibi Pontifex interrogatus de valore baptiſmi collati invito, qui autem baptizatur invitus, ſi non habet omninò contrariam voluntatem & internum diſſenſum, neceſſe eſt, quòd habeat internus poſitivum, quamvis metu extortum conſenſum, nec poteſt manere in ſtatu ad diſſenſum & conſenſum indifferenti, medio, ac neutro.

17. *Et aliorum præter Euchariſtiam Sacramentorum.* Probatur ſecundò univerſim quoad alia cum baptiſmo ſacramenta præter Euchariſtiam. Sacramenta quæ conſiſtunt in ſucceſſivo, & uſu ipſo fiunt, ut ſunt baptiſmus & alia omnia præter Euchariſtiam, dum perficiuntur inducunt nec poſſunt perfici quin inducant in ſuſcipiente effectum requirentem in eodem, quoties adultus eſt, aliquam diſpoſitionem, quæ ad minus conſiſtit in prævia intentione, & poſitiva voluntate ſuſcipiendi ſacramentum, ac conſequenter effectum ejus; ergo baptiſmus, & alia omnia ſacramenta præter Euchariſtiam, nequeunt in adulto validè perfici, quin in eo ſupponant præviam intentionem & poſitivam voluntatem; quod eſt idem ac dicere, ergo in adultis ut ſint proximè capaces ſuſcipiendi validè in primis baptiſmum, & inſuper &c. conſequentia patet: Antecedens probatur & explicatur: Duplex eſt Sacramentorum effectus; alius omnibus communis, at reſpectu aliquorum immediatus, mediatus reſpectu aliorum, hujuſmodi eſt gratia; alius eſt aliquorum ſacramentorum proprius, ac in ipſis præcedens gratiam, faciensque hanc eſſe effectum mediatum: Sacramenta, quæ in uſu conſiſtunt & habent pro effectu immediato atque unico gratiam ſunt Pœnitentia & Extrema unctio; & hæc duo nequeunt in adulto perfici, quin unicè gratiam inducant; neutrum enim poteſt eſſe validum, quin ſit formatum, ut ſuppono ex proprijs utriuſque tractatibus: Sacramenta, quæ in uſu pariter conſiſtunt, & habent pro effectu 18.
immediato characterem aut quaſi characterem, gratiam verò pro effectu mediato, ſunt quoad characterem Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quoad quaſi characterem Matrimonium, reſpectu cujus voco quaſi characterem indiſſolubilitatem conjugalis vinculi; & hæc quatuor ſacramenta, quamvis poſſint eſſe valida & informia, atque in adulto perfici, quin in eo inducant gratiam, non ſic tamen quin in eodem inducant tria priora characterem, quartum indiſſolubilitatem conjugalis vinculi; atqui tum gratia, tum character & indiſſolubilitas conjugalis vinculi; ut in adulto inducantur, requirunt aliquam præviam ipſius diſpoſitionem, quæ ad minùs conſiſtit &c. ergo ſacramenta, quæ in uſu ipſo fiunt, nequeunt in adulto perfici quin inducant effectum requirentem &c. Minor quoad gratiam ſupponi poteſt ex proprio tractatu; in quo *libro 5. capit. 1. paragrapho 4. & 6.* oſtenſum eſt, nunquam eam de lege ordinaria ſubjecto diſpoſitionis capaci infundi ſine præcedenti voluntaria diſpoſitione, & quidem requiſita ex natura rei.

Minor eadem quoad characterem, & in- 19.
diſſolubilitatem conjugalis vinculi, ſuadetur in primis ex eo quòd utraque ſignificant & exigunt ſacramentalem gratiam; ut igitur in ſubjecto diſpoſitionis capaci inducantur requirunt aliquid quaſi remotè ad gratiam diſponens, cujuſmodi maximè videtur eſſe voluntarietas & conſenſus ſuſcipientis: Deindè probatur, & meliùs, ex eo quia ſubſtantiæ habenti rationis & liberi arbitrij uſum connaturale eſt non conſtitui independenter à proprio arbitrio & ſine proprio conſenſu in ſtatu aliquo permanenti, in quo præſertim gravibus obligationibus & oneribus ſubjiceretur; atqui ex una parte Deus, ſicut & Chriſtus, ſivè in inſtitutione ſacramentorum, ſive in rebus aliis cenſetur ſe accommodare, quantum congruè poteſt rerum connaturalitati; ex alia parte tum ſacramentalis character utpotè in ſe indelebilis, tum conjugale vinculum, utpotè

 indiſſu-

indiſſolubile, ſubjectum ſuum conſtituit aut conſtitutum ſignificat in ſtatu permanente, hocque oneribus & obligationibus gravibus alligato, character ſcilicet baptiſmi conſtituit baptizatum in perpetua ſubjectione ad Eccleſiam, character Confirmationis in perpetua ſpiritualis militia, character Ordinis in perpetua obligatione reddendi Deo peculiarem cultum, vinculum conjugale durante utriuſque conjugis vita utrumque aſtringit ad mutuam quoad corporum uſum dependentiam, & ad onera vitæ ſocialis; ergo de facto tum baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis character, tum Matrimonij vinculum, ut in adulto, qui eſt ſubſtantia habens rationis & liberi arbitrij uſum, indicantur requirunt dependentiam à proprio ipſius arbitrio, propriumque ipſius conſenſum; idque, & ex natura rei, & ex inſtitutione Chriſti rerum naturæ ſe accommodantis.

Dices: ſi ſic univerſaliter ad valorem Sacramentorum requireretur intentio ſuſcipientis, Concilium Florentinum, cujus ſæpius meminimus, enumerans ea, quibus ſacramenta perficiuntur, ſicut mentionem fecit intentionis Miniſtri, ita & debuiſſet mentionem facere intentionis ſuſcipientis, & tamen iſtius non meminit, ſignum eſt igitur, quòd non requiritur univerſaliter ad ſacramentorum valorem. Sed contrà: ad valorem ſacramento-

20\. Cur Florentinum ad ſacramenta expreſſe requiſierit intentionem Perſonæ miniſtrantis potiùs quam ſuſcipientis.

rum in uſu conſiſtentium, de quibus nunc agitur, utique univerſaliter requiritur perſona ſuſcipientis, & tamen neque hujus Florentinum meminit, quamvis meminerit perſonæ Miniſtri; eo ipſo autem quòd non expreſſit nominatim ſuſcipientis perſonam congruum erat, quòd neque exprimeret ſuſcipientis intentionem: Præterea abſolutè duplex poteſt afferri ratio, ob quam Concilium unius potiùs quàm alterius intentionis meminerit: Primariò quia intentionem Miniſtri requirit ſacramentum directè & ratione ſui, imò ſecundùm aliquos tanquam intrinſecum conſtitutivum, intentio autem ſuſcipientis ad ſacramentum requiritur indirectè & ratione effectus, ut colligitur ex præcedenti probatione: Secundò; quia intentio Miniſtri requiritur omninò univerſaliter & ad quodlibet ſacramentum & in quolibet Miniſtro; non eadem univerſalitate requiritur intentio recipientis, utpotè quæ nec requiritur ad ſacramentum Euchariſtiæ, nec in recipiente non adulto.

21\. Circa & contra aſſertam in adultis præviæ intentionis neceſſitatem ad validè ſuſcipiendum baptiſmum in primis, & deindè etiam aliud quodlibet ſacramentum in uſu conſiſtens, multa alia à multis proferuntur; at quæcumque alicujus momenti ſunt, occurrent meliùs, & opportuniùs expedientur tractando ſecundàm præfixi tituli partem, & ſtabiliendo, qualis ſit intentio, ſive pro baptiſmo, ſive pro ſacramentis alijs, in ſuſcipiente adulto requiſita? quod ut præſtem, ſtatim recolo *ex num. 56. cap. præced.* communem intentionis diviſionem in actualem, virtualem, habitualem, *ex numer. 74.* propriam rationem intentionis virtualis, & *ex num. 61.* diviſionem aliam intentionis in explicitam & implicitam, claram & confuſam, quæ quidem intentio implicita & confuſa majorem adhuc, quàm ibi fuerit inſinuatum latitudinem admittit, ut mox *num. 27.* attingetur. Prætereà adverto alicujus ſacramenti ſuſcipiendi intentionem poſſe eſſe ſuſcipienti voluntariam, vel voluntarietate pura & abſoluta, & eſt illa, quam quis ex ſe libenter elicit non cogente nec vehementer impellente contra ipſius libitum aliquo extrinſeco, vel voluntarietate mixta & conditionata, & eſt illa, quam quis elicit ex coactione extrinſeca, non elicituros, ſi ab extrinſeco, puta à metu in conſtantem virum cadente, & extrinſecus incuſſo, non cogeretur, hujuſmodi intentio dicitur voluntaria voluntarietate mixta, quia ita eſt voluntaria ſimpliciter, ut ſimul ſit conditionatè, ſecundùm quid, & ſecundùm velleitatem involuntaria, ejuſdem voluntarietatis ex voluntario ſimpliciter, & involuntario ſecundùm quid mixtæ familiare habetur exemplum in projectione mercium facta metu naufragij. His ſuppoſitis, & animadverſis, juxta triplicem intentionis diviſionem tria ſunt ſub ſecunda tituli parte definienda; pro diviſione ſcilicet intentionis in actualem, virtualem, & habitualem, definiendum eſt, qualis debeat eſſe adulti ſacramentum ſuſcipientis intentio quoad exiſtentiam? pro diviſione in explicitam & implicitam qualis debeat eſſe, quoad tendentiam in objectum? pro diviſione in voluntariam purè & voluntariam mixtè, qualis debeat eſſe quoad voluntarietatem? ut verò incipiam ab eo, quod poteſt faciliùs breviùſque expediri, ſit

Aſſert. 1. Intentio in adultis requiſita ad validè ſuſcipiendum baptiſmum, & aliud quodlibet Sacramentum in uſu conſiſtens, Matrimonio excepto, non eſt neceſſe quòd ſit purè & abſolutè voluntaria, ſed ſufficit, etiamſi ſit ſolùm voluntaria mixtè, & conditionatè. Ità Scholaſtici communiter cum D. Thoma *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 3.* 22.

Dixi *Matrimonio excepto*, quia certum eſt ipſum debere eſſe purè & ſimpliciter voluntarium, cum inter impedimenta, quibus dirimitur & invalidum redditur, enumeretur vis, quæ quantùm ad Matrimonium attinet coincidit cum metu, voluntas igitur, ſeu intentio metu (ſubintellige injuſtè incuſſo ad finem Matrimonij extorquendi) coacta, quod eſt idem ac dicere ſolùm mixtè & conditionatè voluntaria, non ſufficit ad contrahendum Matrimonium validum; ſive id proveniat ut aliqui exiſtimarunt ex natura contractus; ſivè ut communior fert opinio ex jure poſitivo, & lege Eccleſiæ juſtis de cauſis, de quibus in proprio tractatu, irritante Matrimonium ſine libertate perfecta, & voluntarietate pura, celebratum.

Ad valorem Matrimonij non ſufficit in ſuſcipiente intentio ſolùm mixtè, & conditionatè; voluntaria.

Probatur aſſertum ex eo quod Concilium Toletanum IV. *cap. 55.* relatum in cap. *de Judæis diſt. 45.* & approbatum ab Innocentio III. in cap. *Majores de baptiſmo* definit eſſe validum baptiſmum collatum invito, nec certè loquitur de omninò invito, & habente voluntatem abſolutè contrariam, ſed de invito ſecundùm quid, quod eſt idem ac dicere de habente voluntarietatem mixtam dumtaxat & conditiona- 23.

23\. Sufficit verò ad valorem baptiſmi.

conditionatam, modo jam explicato. Nec refert quod Gloſſa *in cap. Majores cit.* videatur definitionem intelligere de omninò invito, & habente voluntatem abſolutè contrariam, cum doceat ad valorem baptiſmi ſufficere, quod quis exteriùs ipſum petat, & ore dicat ſe conſentire, etſi habeat internum in corde diſſenſum: Non refert, inquam, quia quantùm ad aſſertum pertinet, probatio procederet à fortiori, ſi enim valeret baptiſmus collatus invito ſimpliciter, multò magis collatus invito ſecundùm quid: In re tamen Gloſſa prædicta nullatenus recipienda, nec toleranda eſt; niſi fortè (ut obſervat Hetinex *hic diſp. 3. quæſt. 8. num. 89.*) velit tantùm petitionem externam ſufficere ad hoc, ut baptiſmus in foro externo præſumatur validus, nec Eccleſiam, quæ de internis non judicat, debere eſſe ſollicitam, utrum interiùs conſenſus vel diſſenſus extiterit? Moneo hic obiter, quòd ſicut de invito ſecundùm quid procedit præmemorata Concilij Toletani definitio, ita de nolente ſecundùm quid cenſenda eſt procedere ſententia Auguſtini *tract. 26. in Ioan.* dicentis *Accipere quiſquam poteſt ſacramentum nolens, credere non poteſt, niſi volens*: poterit tamen etiam permitti talis ſententia tanquam procedens de nolente ſimpliciter, quoties Auguſtinus de ſolo ſacramento Euchariſtiæ locutus ſupponatur; cui ſuppoſitioni favere contextum ipſum notat Sylvius infrà *quæſt. 68. art. 7. ad 2.* Redeo

24\. Et aliorum præter Matrimonium ſacramentorum.

jam ad noſtram probationem & ſuppoſito, quod pro baptiſmo ſufficiat in ſuſcipiente voluntarietas mixta & conditionata, multò magis iſta ſufficiet pro reliquis præter Matrimonium Sacramentis; nam potiſſima ratio requirendi voluntarietatem in adulto Sacramenta ſuſcipiente eſt, ne ſine proprio conſenſu mutet ſtatum, & ſubeat magnas obligationes magnaque onera; magis autem quis ſtatum mutat, & majores obligationes, majoraque onera ſubit in baptiſmo, quàm in alijs ſacramentis. Confirmatur totum aſſertum ratione univerſali & à priori ex eo, quod intentio voluntaria mixtè & conditionatè eſt intentio vera & propria ſufficiens regulariter ad valorem contractuum, & ad hoc ut quis cenſeatur agere & pati modo humano & creaturarum ratione utentium proprio; ergo non eſt, cur non cenſeatur ad ſacramenta validè ſuſcipienda ſufficiens, quoties aliud non obſtet, ut pro Matrimonio obſtat ex jam dictis Eccleſiæ lex.

Dices mixta, & conditionata, ſuſcipientis voluntarietas, quamvis ſufficiat ad baptiſmi valorem, non ſufficit ad baptiſmi effectum, & ad conſequendam ex baptiſmo gratiam, nam D. Thomas *præcit. quæſt. 3.* loquens de eo, qui cum tali voluntarietate baptizatur, ait, *Suſcipit ſacramentum, ſed non rem ſacramenti*, ergo idem ſentiendum de alijs à baptiſmo ſacramentis, atqui ex his aliqua, nimirùm Pœnitentia, & Extrema-unctio nequeunt carere effectu, quin careant valore, ut nos ipſi ſuppoſuimus *præced. num. 17.* ergo pro iſtis duobus mixta & conditionata voluntarietas eo ipſo, quod non erit (ut non eſt pro baptiſmo) ſufficiens ad effectum, non erit pariter ſufficiens ad valorem. Sed contrà: dico mixtam, & conditionatam, ſuſcipientis voluntarietatem ſufficere ad baptiſmi, tum valorem, tum effectum; dummodo huic nihil aliud obſtet aut deſit, ſicuti tamen obeſt aut deeſt aliquid in caſu, de quo loquitur S. Doctor, *præcit. quæſt. 3.* in hac quippe baptizandus ſupponitur habuiſſe voluntatem baptiſmo contrariam, adeóque peccaminoſam; quæ voluntas licèt quantum ad rationem voluntarij pro ſacramento requiſiti ſufficienter retractetur per ſacramenti ſuſcipiendi intentionem etiam ſolùm mixtè & conditionatè voluntariam, quantùm tamen ad rationem peccaminoſi impedientis effectum gratiæ non ſufficienter tollitur per talem intentionem, quin nec per dolorem, quo baptizandus ad deteſtandam priorem voluntatem contrariam induceretur ex metu extrinſecùs excuſſo, non deteſtaturus ſi talis metus non urgeret: Cæterùm ſi is, qui ex metu, & cum voluntario mixto, accedit ad ſuſcipiendum baptiſmum, aut voluntatem contrariam non habuerit, aut de ea aliovè quolibet peccato præcedente doluerit, ut oportet ſuſcipiet, tum ſacramentum, tum rem ſacramenti. Hinc ad inſtantiam diſtinctis & explicatis juxta hanc doctrinam antecedente, & prima conſequentia; concedo minorem ſubſumptam, & ad ſecundam conſequentiam dico mixtam, & conditionatam voluntarietatem, quantùm ad id quod requiritur ex parte intentionis præcisè ſufficere ad Pœnitentiæ (idem à fortiori procedit de Extrema unctione) effectum, ſi non deſit ullum aliud pro tali effectu requiſitum; maximè verò dolor abſolutus, & ut oportet: Petrus v. g. vi & metu inducitur ad volendum ſacramentum Pœnitentiæ, ſicque habet intentionem conditionatè voluntariam, ſi cum hac intentione habeat deindè dolorem abſolutum, ſacramentum validum & fructuoſum ſuſcipit, ſi verò habeat dolorem intentioni ſimilem, ex vi ſcilicet ac metu elicitum & ſolùm conditionatè voluntarium, nec fructuoſum ſacramentum ſuſcipit nec validum; at hoc provenit ex doloris, non ex intentionis defectu; ex voluntarij mixti inſufficientia ad contritionem vel attritionem, non ad intentionem pro Pœnitentiæ ſive valore ſive effectu neceſſariam. 25.

26\. Etiam Pœnitentiæ, & Extremæ-unctionis; quoties nihil aliud obſiſt, aut deſit.

Aſſert. 3. Intentio in adultis requiſita ad validè ſuſcipiendum baptiſmum, & aliud quodlibet ſacramentum in uſu conſiſtens, excepto ad ſummum Matrimonio, non eſt neceſſe quod ſit aut actualis, aut virtualis, ſed purè habitualis, id eſt præterita non retractata ſufficit; eaque reſpectu Extremæ-unctionis, & Confirmationis, ſatis eſt, quod fuerit valde implicita & interpretativa, reſpectu cæterorum ſacramentorum regulariter loquendo oportet quod fuerit expreſſa per petitionem ſacramenti, vel oſtenſionem deſiderij ejus. Eſt aſſertum ſecundùm omnes ſuas partes valdè communiter receptum, & ſi quos habet in aliquo Adverſarios, inſinuabo obiter in probatione & explicatione mox ſubjicienda. 27.

Dixi *excepto ad ſummum matrimonio*, quia reſpectu iſtius conjuges ſuſcipientes ſunt ſimul Miniſtri, & in ipſis qua Miniſtris conſtat

ex

Digitized by Google

ex ſæpiùs dictis requiri intentionem ſaltem virtualem, nec merè habitualem ſufficere; ſi tamen conſiderentur præcisè ut ſuſcipientes, utrum etiam qua tales debeant habere intentionem merè habituali majorem, adeò ut ad valorem Matrimonij requiratur in utroque conjuge quaſi duplex virtualis intentio, una titulo Miniſtri conficientis, altera titulo ſubjecti ſuſcipientis, an verò hoc poſteriore titulo ſufficiat intentio habitualis? ſub lite res eſt, & videntur intentione habituali contenti Sanchez *lib. 2. de Matrimonio diſp. 12. num. 4.* & Arriaga *diſp. 12. ſec. 5.* in fine, ſecundùm quos propterea non eſt facienda in præfixo aſſerto Matrimonij exceptio: E contrà videntur in utroque conjuge, etiam ut ſuſcipiente, intentionem virtualem exigere Lugus *diſp. 9. ſec. 7. num. 139.* & aliqui alij, ſecundùm quos conſequenter prædicta exceptio eſt abſolutè facienda: Ego, ut in præſenti abſtineam ab ea lite, quæ parui momenti & alterius loci eſt, ex profeſſo dirimenda, exceptionem appoſui modificatam per ly *ad ſummum*, quo mouerem me non ferre abſolutum de tali exceptione facienda, vel non facienda, judicium; in eam tamen magis, quàm in aliquam aliam propendere, & pro eadem agnoſcere peculiarem rationem dubitandi. Matrimonio igitur, vel excepto, vel omiſſo, quoad reliqua ſacramenta, & magis ſignanter quoad baptiſmum

Intentio merè habitualis utrum in Conjugibus, ut ſuſcipientibus, ſufficiat ad valorem Matrimonij? ſub lite relinquitur.

28\. Probatur aſſertum ex Concilijs Carthaginenſi III. Arauſicano I. ex Rituali Pauli V. & ex cap. *Majores* de baptiſmo, quorum omnium meminimus *præced. num. 15.* & ſingula ſtatuunt adultos in periculo mortis conſtitutos, & vel deſtitutos ſenſibus, vel in amentiam aut phrænesim lapſos, eſſe baptizandos, ſi anteà baptiſmi petitionem fecerint, aut deſiderium oſtenderint; ubi ecce baptiſmi petitio vel deſiderium arguit præceſſiſſe ſacramenti ſuſcipiendi intentionem, ſtatos verò deſtitutionis ſenſuum, amentiæ, vel phrænesis, infert illam nec actu nec virtute, ſed ſolùm habitu & in negatione retractationis perſeverare; ad baptiſmi igitur valorem nec actualis, nec virtualis, intentio ſuſcipientis requiritur, ſed purè habitualis ideſt præterita, non retractata ſufficit; & hujus ſufficientiæ facienda eſt exteoſio ad reliqua ſacramenta, quorum licèt non ſit tanta ad ſalutem neceſſitas, quanta baptiſmi; eſt tamen maxima utilitas & aliundè non tantam, quantam baptiſmus in ſuſcipiente inducunt obligationem, & ſtatus mutationem; ideò neceſſitas propriæ in ſuſcipiente intentionis & voluntarietatis, quæ ex primo capite videtur eſſe minor in baptiſmo, quàm in reliquis ſacramentis, compenſatur quodammodò ex ſecundo capite, ex quo eſt in baptiſmo quam in reliquis ſacramentis major. Ratio deindè univerſalis pro omnibus ſacramentis militans eſt, quia minus ex genere ſuo requiritur ex parte paſſi, quàm ex parte agentis, ad pati quàm ad agere; cum igitur ex parte Miniſtri, qui reſpectu ſacramentorum eſt agens, ſufficiat intentio virtualis, conſequens eſt quòd ex parte ſuſcipientis, qui eſt paſſum, ſufficiat intentio virtuali minor, adeóque merè habitualis: Præterea intentio ſaltem virtualis in Miniſtro requiritur

Ad reliqua ſacramenta in proprijs ſuſcipientibus ſufficere affirmatur.

29\. Cur in ſuſceptore Sacramentorũ ſufficiat minor intentio, quam in Miniſtro.

eò quod Miniſtri Intentio debet influere in actionem ſacramentalem, nequit autem influere, niſi poſitivè exiſtat ſaltem ſecundùm aliquam ſui virtutem; non ſic debet in ſacramentum influere nec quidquam agere ſuſceptor, aut ejus intentio; ideò &c.

Dices hinc probari, quòd ex parte ſuſceptoris utquidem intentio habitualis requiratur; ad quid enim iſta requiritur? ſi nihil influit & nihil præſtat; & aliunde univerſaliter loquendo intentio neceſſaria eſt ex parte agentis duntaxat, non ex parte patientis: Quod in propoſito ſingillatim confirmatur reſpectu Extremæ-unctionis, quæ ex uſu Eccleſiæ datur etiam ijs, qui eam anteà non petierunt, nec poſſunt petere, imò nec velle de præſenti eò quod ex ſubita morbi vi fuerint ſenſibus & rationis uſu deſtituti; eſtque hujuſmodi uſus Eccleſiæ conformis Rituali Romano, quod titulo *de Sacramento Extremæ unctionis* præſcribit non eſſe eo privandos ſenſibus deſtitutos, *qui anteà illud petierunt ſeu veriſimiliter petijſſent, ſeu dederunt ſigna contritionis.* Sed contra: Quod requiritur ex parte paſſi non debet quidquam in id, quod recipitur, influere, aut in eo præſtare; ſatis eſt, quod præſtiterit aut præſtet aliquid in paſſo; verè autem intentio habitualis, ſeu præterita non retractata, aliquid præſtitit & præſtat in adulto ſacramenta ſuſcipiente, & ad modum paſſi ſe habente; nam in primis quando talis intentio fuit actualis ſæpe removit prohibens, & abſtulit obicem voluntatis contrariæ; deindè quo uſque non retractatur ſemper continuatè conſtituit ſubjectum in ratione paſſi voluntarij & rationalis; ipſumque diſtinguit eum à paſſo coacto, cujuſmodi eſt qui voluntate omninò reluctante cæditur, tum à paſſo merè naturali cujuſmodi eſt ſupra dum comburitur: Quod dicebatur univerſaliter loquendo intentionem neceſſariam eſſe ex parte agentis, non ex parte patientis, verum eſt de intentione influente in id, quod recipitur, vel meliùs de patiente coacto aut merè naturali, ſecùs de patiente voluntario & rationali. Ad confirmationem ab Extrema-unctione ſingillatim deductam fateor hanc dandam eſſe etiam fidelibus adultis, qui eam non petierunt; at non propterea tunc datur ijs, qui nullam ejus ſuſcipiendæ intentionem habuerunt; ſed ſolum qui non habuerunt explicitam & expreſſam, habuerunt tamen implicitam & interpretativam juxta doctrinam in poſteriore aſſerti parte poſitam, & mox explicandam: Ideò

30\. Intentio habitualis quidnam præſtet in ſuſceptore ſacramentorum

32\. Sufficit valdè implic pro Conf rmatione, extrema-ctione.

31\. Probatur & explicatur aſſertum quoad poſteriorem partem incipientem in ly *eaque reſpectu Extremæ unctionis & Confirmationis ſatis eſt* &c. Ex Sacramentis novæ legis aliqua inducunt notabilem ſtatus mutationem, & obligationes valdè graves; aliqua non item: Sub primo genere ſunt baptiſmus, Ordo, & Matrimonium; ſub ſecundo Confirmatio, Extrema-unctio, Eucharistia, & Pœnitentia: Conſiderando tamen pro nunc ex una parte ſolùm baptiſmum & ordinem, ex alia Confirmationem & Extremam-unctionem, dico ad duo poſteriora ſufficere in ſuſcipiente intentionem minùs expreſſam, facile enim quia præſumitur velle

Cur, & quomodò, debeat eſſe in aliquibus ſacramentis magis, in alijs minùs explicita.

velle id, quod ingentem utilitatem affert & leve gravamen; requiri verò magis expreſſam ad duo priora, quia cum non adeò facilè quis velit, etiamſi cum ingenti utilitate ingredi ſtatum gravibus oneribus & obligationibus obnoxium, non eſt facilè præſumenda in ullo talis voluntas, ſed expectandum eſt quod eam ipſe proferat exteriùs & exprimat; rationabiliter igitur dictum eſt ſuſcipientis intentionem reſpectu Extremæ unctionis, & Confirmationis, ſatis eſſe, quòd fuerit valde implicita & interpretativa, reſpectu verò aliorum ſacramentorũ baptiſmi maximè, & ordinis, requiri expreſſam, & aliquali ſacramenti petitione notificatã

32. Sufficit valdè implicita pro Confirmatione, & extrema-unctione. regulariter loquendo. Porrò intentio valdè implicita, interpretativa, & præſumpta, pro Extrema-unctione & Confirmatione ſufficiẽs reperitur in quolibet adulto poſt baptiſmum profitente chriſtianam religionem & volente vivere ac mori juxta catholicæ Eccleſiæ leges ac ritus, nam ex hoc ipſo habet generalem voluntatem ſuſcipiendi debito tempore Eccleſiæ ſacramenta ad quæ quilibet Catholicus tenetur, tenetur autem, ut plurimùm undecumque obligatio proveniat ad ſuſcipiendam extremam-unctionem inſtante morte, & Confirmationem data opportunitate, vel ſaltem inſtante morte, ſi commodè fieri poſſit ut tradit in terminis Eſparza infra *lib*.10.*quæſt*.55.*ad* 4.

Dices: Sicut reſpectu baptizati in voluntate generali vivendi, & moriendi, more Chriſtiano continetur implicita & interpretativa voluntas ſuſcipiendi debito tempore ea ſacramenta, ad quæ quilibet Chriſtianus aliqualiter tenetur, ita reſpectu non baptizati in voluntate generali procurandi ſalutem per omnia media ad ipſam cuicunque adulto neceſſaria videtur contineri voluntas interpretativa & implicita baptiſmi, utpotè medij ad ſalutem neceſſarij; ergo ſicuti prior voluntas non retractata ſufficit, ut baptizato amenti, vel ſenſibus deſtituto, inſtante morte validè conferatur Extremæ-unctio & Confirmatio, ita poſterior voluntas non retractata ſufficiet, ut non baptizato amẽti & validè conferatur baptiſmus; ſicque non erit ad iſtius valorem neceſſaria prævia intentio per ſacramenti petitionem expreſſa. Sed contra: dummodò agatur de non baptizato attrito admittit paritatẽ & illationem Coninch. *hic q*.64. *art*.8.*dub*.5.*n*.103. impugnatus à Lugo *diſp*.9.

33 Requiritur magis explicita pro baptiſmo. *ſec* 7.*n*.129 & ab Arriaga *diſp*.22.*ſec*.4. ego in primis obſervo non baptizatum non intendentem ingredi religionem Chriſtianã regulariter non habere illam generalem, de qua in inſtantia voluntatem ſine errore, quo puret baptiſmũ & profeſſionem Chriſtianæ religionis non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, hujuſmodi autem error certe impedit, ne in illa voluntate generali contineatur voluntas implicita baptiſmi. Quòd ſi talis non baptizatus ſupponatur ab illo poſitivo errore immunis eo quod nihil unquam de baptiſmo, nihil de chriſtiana religione audierit, erit caſus valdè extraordinarius, & regulariter non eveniens, pro quo quãdo permitteretur Coninchi doctrina nihil inferretur cõtrarium noſtro aſſerto, quod quatenùs præviã petitionem ad reliqua à Confirmatione & Extremæ unctione ſacramenta requirit, procedit loquendo regulariter; Cæterùm in re abſolutè cum Lugo, & Arriaga, ſentio in allata voluntate generali procurandi ſalutem non benè præſumi contentam voluntatem implicitam baptiſmi, hocque propter mutationem ſtatus, obligationes, & onera, quæ ſecum baptiſmus affert, & ex quibus poteſt oriri ſuſpicio ſeu præſumptio rationabilis, quòd ſi fuiſſent cognita & conſiderata reddidiſſent hominem non baptizatum, quaſi nutantem in illa voluntate generali, & univerſali propoſito, aut etiam induxiſſent ad habendam formalem voluntatem baptiſmo contrariam.

Dubitatur hic, Utrùm non obſtantibus obligationibus, & oneribus, baptiſmũ conſequentibus, jure præſumatur ejus implicita & interpretativa voluntas in adulto non baptizato, qui habuit & manifeſtavit animum ſeu propoſitum ingrediendi Chriſtianam religionem & obſervandi Eccleſiæ Catholicæ ritus, adhuc tamen baptiſmum non petijt, imò nondum quidquam de ipſo, aut ipſius neceſſitate ſcivit: affirmat Lugus *præc ſec*.7.*n* 130. in fine docens, quòd talis adultus amiſſo ex morbi vi rationis uſu validè baptizaretur. Mihi videtur res eſſe valdè dubia, & in dubio valoris non fore tali adulto baptiſmum miniſtrandum, niſi ſub conditione: 34.
Videtur, inquam, res valdè dubia, quia licèt ex una parte in voluntate generali amplectendi Chriſtianam religionem, & ritus catholicos, ſit quodam modo major ad baptiſmum, etſi adhuc ignoratum propinquitas, eſt major ratio præſumendi voluntatem ejus implicitam, quàm in voluntate generali procurandi ſalutem, & adhibendi media ad eam neceſſaria, Nihilominus ex alia parte ignorantia baptiſmi videtur ſupponere ignorantiam ferè omnium obligationum, & onerum, Chriſtianæ religionis, quorum notitia fortè redderet adultum, de quo agitur, nutantem in talis religionis delectu, quod ſi adultus ille fuit de baptiſmo inſtructus, nec tamen petijt, aut oſtendit ejus deſiderium, præſumi poteſt debilem fuiſſe, & non omninò abſolutam Chriſtianiſmi amplectendi voluntatem; qui enim vehementer, & efficaciter, vult eſſe Chriſtianus non videtur poſſe abſtinere à deſiderio & petitione baptiſmi propoſiti ad modum januæ, per quam habetur primus in Chriſtianiſmum ingreſſus.

His pro ſuſcipientis intentione magis, vel minus explicita ſingillatim delibatis circa Extremam unctionem, Confirmationem, & Baptiſmum, expedit pro eadem nonnihil attingere circa reliqua in particulari ſacramenta.

Circa ordinem, cum (ut jam inſinuatum eſt) afferat ipſe quoque mutationem ſtatus, & ingentem obligationem, ſicut baptiſmus, intentio ad ejus valorem neceſſaria debet eſſe ſicut ad valorem baptiſmi, expreſſa, & manifeſtata per præviam ſuſcipientis petitionem; imò quod licitè Arriaga *præcit. diſp* 22. *ſec*. 5. *n* 25. putat amenti, aut dormienti, qui antea petijt, non ſicut licitè confertur baptiſmus, ita licitè conferri ordinem, propter minorem hujus neceſſitatem, & plures cæremonias ad decentiam requiſitas ex parte ſuſcipientis, quas tamen amens, aut dormiens, nequit exercere. 35. Pro Ordine.

Circa Matrimonium eadem eſt intentionis expreſſæ ratio ac neceſſitas, quæ circa baptiſmum, & Ordinem; prætereà videtur eam ſpe- Pro Matrimonio.

ſciali jure exigere natura contractus Matrimonij ſacramento ſubſtrati. Deindè cum neque ad Matrimonium, neque ad ordinem ſuſcipiendum ullus in particulari teneatur, conſequens eſt in voluntate generali vivendi more Catholicorum non debere præſumi contentam voluntatem implicitam ſuſcipiendi Matrimonium aut ordinem, ſicque neutrum poſſe eſſe validum ex vi illius generalis voluntatis, vi cujus diximus poſſe eſſe validam Extremam-unctionem & Confirmationem.

36. Circa Pœnitentiam, non inducit quidem ejus ſuſceptio aut novum ſtatum, aut gravia onera; & cum tum in mortis periculo, tum ſemel in anno, ſit cuilibet præcepta, rectè præſumitur voluntas ejus implicita contineri in voluntate profitendi & obſervandi ritus & leges Chriſtianorum, ſicque videretur pro ſufficientia voluntatis implicitæ, & non indigentia petitionis eodem modo diſcurrendum de
Pro Pœnitentia. Pœnitentia, quo diſcurrebamus de Confirmatione & Extrema-unctione: Nihilominùs eſt aliunde ſpecialis ratio, ob quam non poteſt pœnitentiæ ſacramentum validè confici ſine prævia petitione & expreſſa intentione ſuſcipientis, eſt enim tale ſacramentum per modum externi judicij ad hoc autem ex genere ſuo requiritur, quòd accuſator vel reus recurrat exterius deferatque cauſam ad Iudicem, qui nequit ex ſe inchoare judicium, niſi petente & inſtante parte: Porrò in ſacramentali Pœnitentiæ judicio Sacerdos ſeu Miniſter eſt Iudex, Pœnitens ſeu ſuſcipiens eſt accuſator & reus, ſacramentalis abſolutio eſt judicialis ſententia, externa recuſatio & abſolutionis ſacramentalis petitio eſt delatio cauſæ ad Iudicem, & inſtantia partis pro ſententia obtinenda; omninò igitur ad pœnitentiæ valorem requiritur illa externa accuſatio & petitio, per quam ſuſcipiendi ſacramenti intentio redditur expreſſa
37. & manifeſta. Non tamen hinc ſequitur quod ſenſibus deſtituto aut in phrænesim lapſo non poſſit aliquando Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrari, Non ſequitur, inquam, nam ex eo, quod dicamus præviam intentionem ſuſcipientis debere eſſe expreſſam & manifeſtam, non dicimus debere eſſe actualē aut virtualem, quā ſenſuum deſtitutio & phrænesis non compatitur; ſed contenti ſumus quòd ſit habitualis, ideſt præterita non retractata, juxta ſententiam cōmunem in Rituali Romano Pauli V. approbatam, ſecundùm quam qui in mortis periculo oſtendit deſiderium confeſſionis, & dedit ſigna doloris, etiāſi deinde a Sacerdote ſupervenienre reperiatur ſine ſenſuum & rationis uſu, non eſt ſacramētali abſolutione fraudandus; dūmodo ex adſtantium teſtimonio, aut aliundè Sacerdoti ipſi, qui præſens non erat, conſtet de oſtēſo confeſſionis deſiderio, & datis ſignis doloris. Neque dicas ex Lugo *præc. ſec. 7. n. 132. & 139.* ſi hæc debet & conſtare ſacerdoti, ut validè abſolvat, conſequens eſt præteritam ſuſcipiendi ſacramenti voluntatem, & intentionem, influere in ipſam abſolutionem; at ſi influit, permanet virtualiter, dum abſolutio profertur & ſacramentum conficitur; non ſufficit igitur ad Pœnitentiæ valorem habitualis, ut mox dicebatur, in ſuſcipiente intentio, ſed neceſſaria eſt virtualis. Contra enim: diſtinguo majorem, conſequens eſt ſacramenti ſuſcipiendi voluntatem, & intētionem, influere quatenùs ſe tenet objectivè & intentionaliter ex parte Miniſtri, concedo: quatenùs ſe tenet elicitivè & phyſicè ex parte ſuſcipientis, nego; intentio autem, quæ ſecundùm communem acceptionem virtualis dicitur, debet permanere elicitivè & pyſicè, ideſt ſecundum aliquam ſui virtutem phyſicam in eodem principio eliciente continuatam; nec influxus proveniens ab intentionali, & objectiva, intentionis permanentia, ſufficere poteſt ad denominandam talē intentionem virtualē, niſi inducatur nova, inuſitata, & ſingularis vocis acceptio.

Quod mox dicebatur eum, qui in mortis periculo intentionem ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ expreſſit oſtendendo confeſſionis deſiderium, & peccatorum dolorem, etiamſi deindè, antequam babeatur copia Confeſſarij, amittat ſenſuum & rationis uſum, adhuc poſſe validè & debere abſolui, videtur ab Arriaga *præc. ſec. 5. n. 23.* extendi ad eum, qui nullo urgēte mortis periculo peteret poſt peccatum commiſſum abſolutionem pro caſu, quo rationis uſum amitteret, & quamvis patiatur hæc extenſio aliquam ſpecialem difficultatem in eo, quòd ipſa ſemel admiſſa nequit ampliùs ullo modo taxari, quandiu poſſit abſolutionem ſacramentalem præcedere ſacramenti intentio; reſpondet tamen Arriaga *ibid. n. 25.* quantum eſt ex titulo intentionis præciſè, cum quacumque iſtius præcedentis, dummodo non ſit per peccatum aliquod intermedium, aut aliter retractata, ſubſiſtere ſacramentum; at poſſe facilè invalidari aliundè, præcipuè ex defectu ſimultatis moralis requiſitæ inter formam abſolutionis, & materiam proximam ſitam in actibus Pœnitentis. Ex quo fit in praxi cenſeri debere invalidum nec eſſe miniſtrandum ſacramentum pœnitentiæ, quoties petitio ejus & ſignificatio doloris tamdiù diſtant, ut iis prudētum judicio non habeat ſimultatem, ſeu propinquitatem ſufficientem ad componendum moraliter cum forma abſolutionis. Utrum verò invaliditas proveniat ſolùm ex nimia diſtantia doloris, an etiam ex nimia diſtantia petitionis ſacramenti? ad puram ſpeculationem pertinet, nec video ullum periculum in ſecunda parte negando, ut negat Arriaga. 38.

Ex diſcurſu hucuſque facto per ſingula ſacramenta in uſu conſiſtentia duo conſtant; Primum eſt jure nos *præced. n. 27.* aſſeruiſſe alia omnia ſacramenta præter Confirmationem, & Extremam-unctionem, ad ſui valorem ex parte ſuſcipientis regulariter requirere intentionem expreſſam, & externa ſacramenti petitione manifeſtatam: Secundum eſt ſacramēta hujuſmodi intentionem expreſſam requirentia non omnia ex eodem titulo eā requirere; & ſignanter Pœnitentiā habere titulum peculiarē, & ſibi omninò propriū deſumptū à forma judicij in ſacramento Pœnitētiæ ſolo, & in nullo alio, reperta. 39.

Supereſt, ut aliquid de ſuſcipientis intentione proferamus reſpectu Euchariſtiæ, non quoad valorem (ad hunc enim jam dictum eſt impertinenter ſe habere quod detur, & à fortiori quòd hoc vel illo modo detur alicujus ſuſcipientis intentio) ſed quoad effectum, ad quem breviter dico requiri quidem in adulto aliquam ſacramenti ſuſcipien- 40.

di

Digitized by Google

Pro Euchariſtia, quoad valorē nulla ſuſcipientis intentio requiritur, quoad effectum requiritur aliqua, at non major ea, quæ pro Confirmatione, & Extrema unctione.

di intentionem, at non majorem ea, quæ requiritur ad valorem & effectum Confirmationis, & Extremæ unctionis: Ratio eſt quia Euchariſtia, nec ſtatus mutationem, nec ingentes obligationes induceit, nec rationem contractus nec formam judicij continet, nec habet aliud quidpiam, vi cujus major voluntarietas & major intentio ſuſcipientis debeat ad effectum ejus requiri, quam ad effectum Confirmationis & Extremæ unctionis: In Baptizato igitur adulto ad ſuſcipiendam cum effectu, & fructu, Euchariſtiam ſufficit intentio habitualis eaque implicita, interpretativa, & præſumta, contenta in voluntate generali vivendi & moriendi intra Eccleſiam Catholicorum more; ſicque dummodò non conſtet de exiſtentia in ſtatu peccati, nec ſit periculum exponendi ſacram hoſtiam irreverentiæ, danda eſt Euchariſtia in mortis articulo ijs, qui ex morbo remanſerunt ſenſibus deſtituti, vel etiam qui anteà poſtquàm fuerunt rationis compotes inciderunt in diuturnam amentiam, in ò iſtis poſterioribus danda videtur, & fructuoſa erit, alijs quoque temporibus, quibus tenentur & ſolent Catholici eam ſumere, ut ſingulis annis in Paſchate, & in aliquo alio feſto ex ſolemnioribus. Non ſic eſſet fructuoſa; ſi immitteretur dormienti, aut à rationis compote ſumeretur inadvertenter per modum panis non conſecrati, quia in ijs & ſimilibus caſibus ſicut Euchariſtia non datur more chriſtiano, ità in nullo præſumitur intentio interpretativa, & implicita, eam ſuſcipiendi; qua dere aliquid ampliùs in præſenti attingunt Lugus *pracit ſec.7.n.126.* & 127. & Arriaga *diſp.21.ſec.3.num.*13.

CAPVT IV.

De effectu univerſaliore, & principaliore Sacramentorum novæ legis; ſcilicet de gratia ſacramentali.

1. In inſtrumentis ad agendum ordinatis idem eſt finis, & effectus.

IN inſtrumentis ad agendum ordinatis finis & effectus, concidunt; finis, propter quem exiſtunt, eſt effectus quem producunt: Sic in propoſito gratia ſacramentalis ſeu hominum per gratiam ſanctificatio, & character, ſunt reſpectu novorum ſacramentorum fines ſimul & effectus; gratia quidem finis primarius & effectus principalior, character finis ſecundarius & effectus minùs principalis. Hinc multi poſt D. Thomam explicatis ſacramentis quoad eſſentiam & exiſtentiam, ſeu neceſſitatem & conſtitutionem, priuſquàm de alijs eorum cauſis extrinſecis, agunt de gratia & charactere, tanquam de duplici ipſorum cauſa finali, quam utpote ex genere ſuo nobiliorem cauſa, tum effectiva, tum ſubjectiva, jure huic utrique præmittunt: Nihilominus, cum adverterim nihil aut propè nihil circa gratiam & characterem diſputari, quod pertineat ad cauſalitatem finalem quam in ſacramenta exercent, ſed omnia aut ferè omnia pertinere ad cauſalitatem, quam in ipſa tanquam in effectus exercent ſacramenta; viſum eſt gratiam & characterem hocce in tractatu conſiderari debere ſub ratione effectus magis, quam ſub ratione finis; & quia ſub ratione effectus ſupponunt ſacramentorum cauſam tum effectivam tum ſubjectivam, placuit de ea utraque diſſerere priuſquam de gratia & charactere, cur deinde de gratia diſſeramus priuſquam de charactere rationem facilè ſuggerit major gratiæ perfectio, qua principalior, majorque ad omnia non ad aliqua tantum ſacramenta extenſio, qua univerſalior effectus eſt. His pro methodi & ordinis ratione ſuppoſitis ſit

§. I.

Faciliora & certiora de cauſalitate & efficacia novorum Sacramentorum in gratiam.

ASSERT. 1. Nova ſacramenta verè habent vim conferendi gratiam immediate, & per ſeipſa: Eſt veritas fidei & Catholicum dogma contra Meſſalianos in primis, qui ſolis precibus vim juſtificandi tribuerunt, & poſtea contra Lutheranos & Calviniſtas, qui eandem vim tribuerunt ſoli fidei; undè priores non voluerunt ſacramenta conferre gratiam, niſi medijs precibus, quas fundant; poſteriores niſi media fide, quam excitant; neutri verò ſacramentis ipſis conceſſerunt ullam efficaciam immediatam in gratiam, ut quoad Lutheranos præſertim & Calviniſtas late ac eruditè oſtendit Bellarminus *lib.2. de Sacram. in gen. cap.5.*

2. De fide eſt nova ſacramenta habere vim conferendi gratiam immediatè.

Probatur ex Concilijs Moguntino *c.21.* docente Deum per ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, *velut per apta remedia atque inſtrumenta & peccatis noſtris mederi, & ſua gratia munera nobis impartiri.* Florentino *in decreto unionis* clare dicente *Hæc noſtra ſacramenta, & continent gratiã, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt:* Triden. *ſeſſ.7. can.6. de ſacram. in gen.* clariùs ad huc loquente & anathematizante eum, qui dixerit *Sacramenta novæ legis non continere gratiam quã ſignificant aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus.* Afferri inſuper poſſunt alia tum eorundem, tum aliorum Conciliorum verba eandem veritatem definientia pro diverſis ſacramentis in particulari: Has autem omnes definitiones Concilia hauſerunt ex ſcriptura & Patribus, ut videre eſt apud Bellarm. *pracit. lib.2. à c.3.* ad 8. ubi non ſolùm ſcripturæ & Patrum teſtimonia profert, ſed & Sectariorum effugijs occurrit & ipſo *c.8.* plures contrà eoſdem rationes congruentiæ congerit: Præſtãt id quoque ſed multò breviùs Suar. *hic diſp.7. ſec.1.* Valent. *q.3. punc.1.* Ioan à S. Thom *diſp 24. art.1. dub 1.* Gonet. *diſp.1. art.1 §.1.* Madern. *q.3. art.1.* & aliqui alij Scholaſtici, nos in re controverſia contenti ſumus indicaſſe; quos poſſit lector cõſulere, & cæteris omiſſis curſim attingere præcipua, tum fundamenta, tũ conſectaria, 3.

doctrinæ hæreticorum in hoc puncto, ut ex illorum abſurditate facilè cuique innoteſcat, quàm ingens & patens ſit error oppoſitus aſſertæ veritati.

4. *Abſurda fundamenta, & conſectaria, erroris oppoſiti.* Primum igitur & potiſſimum fundamentum, ex quo hæretici negant ſacramentis immediatam virtutem juſtificandi, & conferendi gratiam, eſt quia non agnoſcunt gratiam, quæ ſit qualitas nobis inhærens & noſtram juſtificationem refundunt in ſolam juſtitiam Dei, aut Chriſti, nobis imputatam; certè autem juſtitiam Dei, aut Chriſti; nobis ſacramenta non conferunt: Secundum fundamentum, ex quo putant ſacramenta dari ad excitandam, & alendam, in ſuſcipientibus fidem, eſt quia cenſent hanc & nihil aliud requiri, ut juſtitia Dei aut Chriſti alicui imputetur, quapropter etiam fidem, ſeu fiduciam juſtificantem vocant: Utrumque hoc fundamentum abſurdiſſimum eſt, & impugnatum à nobis in tract. de Gratia *lib.4. cap* 1. & 2. Nec minùs abſurdum eſt duplex ejuſdem doctrinæ conſectarium, Primum eſt, quòd verba formarum ſacramentalium concionatoria ſint & ad populi inſtructionem dirigenda: Secundum quòd eadem verba, ut à Catholicis proferuntur, ſuperſtitioſa ſint & magiam redoleant: Hujus utriuſque conſectarij abſurditatem, & falſitatem, nos attigimus ſuprà *cap* 1.*n*.26.& 31.

5. Aſſert.2 Nova ſacramenta gratiam, quam conferunt, conferunt ex opere operato. Eſt dogma catholicum habens eandem cum præcedenti certitudinem fidei, eoſdemque damnatæ memoriæ Adverſarios.

De fide eſt nova ſacramenta conferre gratiā ex opere operato. Probatur expreſſis verbis Concilij Tridentini *ſeſſ.7. can.8. de Sacram. in gen.* anathematizantis eum, qui dixerit *per ipſa novæ legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere.* Undè licèt hæretici conſequenter loquantur, dum poſtquàm docuerunt ſacramenta immediatè inſervire ſolùm ad inducendas preces, vel excitandam fidem, docent deindè gratiam, ſi quam conferunt, conferre ex opere operantis, nimirùm ex precibus vel ex fide, tanquam ex proprijs ſuſcipientis ſacramentum operibus, licet, inquam, conſequenter loquantur, errant tamen in antecedente, quo ſupponunt, tum ſacramenta nihil aliud immediatè præſtare quàm inducere preces & excitare fidem, tum preces ipſas & fidem ſufficere ad immediatè juſtificandum; quod utrumque jam eſt à nobis improbatum, & damnatur in terminis à Tridentino *can.* præallato. Minoris momenti eſt, quod hæretici irrideant ly *ex opere operato*, tanquam novum & parùm conforme regulis grammaticæ: Minoris, inquam, momenti eſt, utpotè leviſſima & grammaticalis de voce quæſtio, præter quòd immeritò fieri illam irriſionem oſtendimus jam *lib.præced.c.*3.*n*.31. quo ex loco, multóque magis ex mox dicendis de cauſalitate, tum morali, tum phyſica, novorum ſacramentorum facilè eruitur, quidquid hic deſideratur ad majorem elucidationem gratiæ per ipſa collatæ ex opere operato.

6. *Sacramenta nova non conferunt gratiam ut meræ conditiones, aut cauſæ ſine quibus non.* Aſſert.3. Nova ſacramenta non ſunt meræ conditiones, aut cauſæ ſine quibus non, ad quarum præſentiam Deus conferat gratiam; adeò ut ex pactione, ſeu ordinatione, divina ſolus recipiens ſacramentum recipiat ſacramentalem gratiam at hanc recipiant à Deo, non à ſacramento. Ità D. Thomas *hic quæſt.*6. *art.*1.& *in* 4.*diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.*4. Valentia *præcit.punct.* 1.6. *Sed revera* Amicus *diſp* 4. *ſec.*9. *num.*106. Madernus *quæſt.* 3 *art.* 3 *num.* 5. Gonetus *præcit.art.*1. § 2. & Scholaſtici reliqui communiſſimè, adeò ut ſententiam oppoſitam, quā olim tradiderunt Durandus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.*4. *num.*19 Aliacenſis *quæſt.*1.*art.*1.*conc.*3. Gabriel *quæſt* 1. *art.* 2 *concl.*7. Ochamus *quæſt.* 1. & aliqui alij, adeò ut, inquam, ſententiam oppoſitam temerariam, & præſumptuoſam, vocet Capreolus *in* 4 *diſt.*1. *quæſt.*1. erroneam Gonetus *præcit.* § 2. *num.*34. eandemque Valentia *præcit.* § *Sed revera* & Sotus *in* 4 *diſt.* 1. *quæſt.* 3. *art.*1. cenſeant nihil plus ſacramentis tribuere, quàm hæretici tribuant.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

Probatur ex eo, quia Concilia Florentinum & Tridentinum relata *præced. num.*2. novis ſacramentis tribuunt, quod gratiam contineant, & pluribus alijs tum Conciliorum tum Patrum auctoritatibus infrà inſinuandis abſolutè dicitur, quod nova ſacramenta verè gratiam cauſent, quod ſint ſigna non ad ſignificandum tantùm, ſed & ad efficiendum inſtituta; atqui nequeunt iſta verificari, ſi gratia ſacramentalis à ſolo Deo, non ſimul à ſacramento, recipitur, & ſacramenta ſunt præciſè ſigna; ad quorum præſentiam Deus gratiam cauſat, ſive deindè per hoc nuncupentur meræ conditiones, ſive cauſæ ſine quibus non, ſive, ut Durandus admittit, cauſæ per accidens, ergo nova ſacramenta non ſunt meræ conditiones, aut cauſæ ſine quibus non &c. Confirmatur ex eo, quod Concilium Florentinum in eod. decreto, de quo ſuprà ponit nova ſacramenta differre ab antiquis in eo, quod nova gratiam cauſent, non antiqua, hincque ex communi Scholaſticorum ſenſu habent nova ſacramenta ſpecialem modum cauſandi gratiam, quem non habent antiqua; atqui iſte ſpecialis modus nequit conſiſtere in eo, quod illa ſint meræ conditiones aut cauſæ ſine quibus non, quia iſte modus non eſt verè modus cauſandi, & quando utcunque modus cauſandi ſit, nequit negari antiquis ſacramentis ſaltem reſpectu parvulorum, imò cum nos *lib. præced. cap.*3. *num.*52. & 55. in ordine ad gratiam conferendam conceſſerimus illis aliquid amplius, quàm meræ conditionis prærogativam, eſſet abſurdiſſima inconſequentia, quod talem prærogativam & nihil amplius in ſacramentis novis agnoſcendo faceremus iſta illis infirmiora, & inferiora, in ordine ad gratiam cauſandam 7.

Dices ex Durando *præcit. quæſt.*4. *numer.* 21. & 23. neque rationem cauſæ cum ratione ſigni conjunctam in novis ſacramentis, neque iſtorum ſuprà antiqua excellentiam, ſuadere, quod intendimus: Non primum, quia ſacramentis non debet competere ratio cauſæ plus, quàm ratio ſigni; atqui ratio ſigni illis competit ex ſola pactione & inſtitutione Dei; ergo ex eadem ſola debet illis competere ratio cauſæ, quatenus ipſis poſitis Deus ex pactione & inſtitutione ſua gratiam cauſet abſque eo, 8.

quod

Digitized by Google

quod ſacramenta habeant ullam virtutem intrinſecam gratiæ cauſativam, ſicuti nec habebit ullam virtutem intrinſecam ſignificativam: Non ſecundum, quia ſatis eſt nova ſacramenta ſuprà antiqua excellere eo modo, quo ſuprà antiquam excellit nova lex; atqui hæc excellit, quatenùs quæ in antiqua lege promittebantur in nova fiunt, à Deo tamen in lege, ſeu quodammodò ad præſentiam legis, non ab ipſa lege; ergo ſatis eſt, quod nova ſacramenta excellant, quatenùs gratia quæ in antiquis promittebatur ſeu figurabatur, in novis fiat, non ab ipſis tamen ſacramentis, ſed à Deo in

9. ipſis ſeu ad præſentiam ipſorum. Sed contrà: Ad primum do rationem cauſæ non debere novis ſacramentis competere plus, quam rationem ſigni; at dico ad rationem cauſæ ex genere ſuo requiri plus, quam ad rationem ſigni; ad hanc ſufficit denominatio moralis & extrinſeca ei, quod ſignum denominatur; ad illam requiritur virtus, aut ſaltem actio intrinſeca ei, quod denominatur cauſa. Do etiam nova ſacramenta cauſare ex ſola pactione & inſtitutione Dei, at ly *ſola* debet dumtaxat excludere conſortium cauſalitatis à ſacramentis provenientis ex natura rei, & nec neceſſarium eſt, nec ſufficiens, quòd ſolus Deus in ſacramentis cauſet, ſed quod cauſet ſimul cum ipſis, non tamen operantibus ab intrinſeco & ex natura rei. Ad ſecundum nego majorem, lex enim ex genere ſuo eſt tantùm directiva, ſacramentum ex genere ſuo eſt cauſativum; excellentia igitur legis novæ ſuprà antiquam rectè habetur independenter ab eo, quod per ſe ipſam aliquid faciat, dummodo meliùs & ad meliora opera dirigat, at ad excellentiam novorum ſacramentorum requiritur, quod per ſe ipſa cauſent & perfectiùs cauſent, quàm antiqua.

10. Solet hic objici quædam auctoritas D. Bernardi *in ſerm. de cœna Domini* docentis ſacramenta ad gratiam ſe habere ut ſe habent annulus, baculus, liber ad inveſtiendum, Epiſcopum, Abbatem, Canonicum; annulus autem, baculus liber ſunt pura ſigna, non per ſe ipſa cauſæ Epiſcopatus, Abbatiæ, Canonicatus. Nihilominùs D. Bernardus contrarius nobis non eſt, quia ibi non intendit facere comparationem adæquatam, & ſecundum omnem rationem in ſacramentis repertam, ſed inadæquatam, & ſecundùm præciſam rationem ſignificationis. Nec refert, quod Durandus *præcit. quæſt. 4. num.* 10. dicat oppoſitum patere diligenter intuenti verba Bernardi. Non refert, inquam, quia prior interpretatio traditur à Divo Thoma *præcitat. articul. 4 quæſtiunc. 1. ad* 1. in quo, nec diligentia, nec intelligentia, pro percipiendo legitimo ſenſu verborum Bernardi potuit deſiderari: Certè ibi Bernardus præmiſerat ſacramenta operari gratiam, non potuit igitur poſteà facere ipſorum comparationem adæquatam ad annulum, baculum, librum, de quibus dici nequit operari effectus, quos eo loco ſignificant.

11. Non cauſant, inſtrumentaliter phyſicè phyſicâ diſpoſitione ad gratiam.

Aſſert 4. Nova ſacramenta non ſunt cauſæ inſtrumentales phyſicæ efficientes immediatè aliquam phyſicam diſpoſitionem ad gratiam, & per hoc mediatè ipſam gratiam. Ita communiſſimè Scholaſtici noſtrorum temporum, adeò ut oppoſitam opinionem meritò jam omnibus diſplicere dixerit Valentia *præcit. punc. 1. § Sed hæc opinio*; Eam nihilominùs olim docuerunt Alenſis *par. 4. quæſt. 8 memb. 3. & 7. 19. memb. 2.* Paludanus *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. conc. 2.* Capreolus *quæſt. 1. concl.* 3. Ferrarienſis 4. *cont. Gent. cap. 57.* & aliqui alij pro ſe aſſerentes D. Thomam *præcit. quæſtiunc. 2. in c. & de verit. quæſt. 27. art. 4 ad* 5. Hæc tamen loca, & ſi quæ ſunt ſimilia Joannes a S. Thoma *præcit. art. 1. dub. 7.* putat fuiſſe à S. Doctore retractata in ſumma 1. 2. *quæſt. 112. art. 1. ad* 2. Item *hic quæſtio. 62 art. 1 in c.* Tandem 3. *par q. 13. art. 2.* undè S. Doctor, quamvis aliquando Adverſarijs faverit, in poſtremo ſuo ſcripto favet nobis, & ejus auctoritas in locis mox ex ſumma memoratis afferri jure poteſt pro prima poſiti aſſerti probatione, quod prætereà, Mens D. Thomæ.

Probatur ex eo quia Adverſarij falſis nituntur ſuppoſitis, ſupponunt ſcilicet gratiam admittere præviam diſpoſitionem phyſicam, produci per creationem; & nullam puram creaturam poſſe aſſumi, tanquam inſtrumentum phyſicum ad creandum, quæ omnia ſunt in noſtris principijs falſa, ut quoad primum & ſecundum tradidimus in tract. de Gratia *lib. 4. cap. 2. §. 2. &* 5. quoad tertium in philoſophicis. 12.

Et ex his fit primò, quod non ſit difficilius ſacramenta habere efficientiam immediatam phyſicam in gratiam, quam in ejus phyſicam diſpoſitionem, ſi eſſet dabilis. Fit ſecundò pro ſacramentis characterem imprimentibus malè tribui characteri prærogativam phyſicæ diſpoſitionis ad gratiam, & ejuſdem prærogativæ titulo malè excogitari in ſacramentis alijs qualitatem aliam ſpiritualem ſupernaturalem ornantem animam, ideóque dicendam animæ ornatum; repugnat enim talis prærogativa, & quando non repugnaret adhuc malè tribueretur tum characteri, tum ornatui; quia diſpoſitio phyſica requiritur ad ſuam formam in quocunque ſubjecto. & tamen nec character, nec ornatus, requiritur in ſubjecto, quod gratiam conſequitur extra ſacramentum; & prætereà in eo, qui conſequitur gratiam per ſacramenta iterabilia, non requiritur character; ſicut nec ornatus in eo, qui per initerabilia: Dices fortè gratias ſacramentales eſſe ſpecie diverſas, tum à non ſacramentalibus, tum ab invicem, ideò rectè poſſe gratias non ſacramentales nullam, gratias ſacramentales diverſorum ſacramentorum diverſam diſpoſitionem phyſicam requirere: Verùm hujuſmodi gratiarum diverſitas eſſet aliud ſuppoſitum in noſtris principijs falſum, ut attingetur infrà §. 5. Fit tertiò ſententiam oppoſitam ſine neceſſitate ponere in ſacramentis cauſalitatem gratiæ ſolùm mediatam, & diſpoſitivam; & ſine fundamento detorquere ad ſenſum minùs proprium auctoritates abſolutè affirmantes nova ſacramenta eſſe inſtrumenta, & cauſas gratiæ.

Hinc manet obiter improbata etiam ſententia Soti *in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 1. §. Igitur ad argum.* docentis ſacramenta eſſe cauſas inſtrumentales phyſicas efficientes immediatè ſolam unionem animæ cum gratia; & per hoc mediatè gratiam; manet, inquam, improbata, 13.

Non nem cauſant immediatè ſolam unionē animæ cum gratia.

nam ipſa quoque ſupponit gratiam eſſe termi-num, & nullam puram creaturam eſſe poſſe inſtrumentum phyſicum creationis; ipſa item ſolùm mediatam, & minùs propriam, ſacramentorum in gratiam cauſalitatem ſuſtinet ſi quam ſuſtinet, in re enim efficere unionem animæ cum gratia eſt efficere hominem gratum, non gratiam, ſicut efficere unionem corporis cùm anima eſt efficere hominem, non animam, & univerſim efficere unionem ſubjecti cù forma eſt efficere concretum non formã.

14\. Aſſert. 5. Nova ſacramenta non cauſant gratiam, tanquam cauſæ principales Eſt veritas, de qua nullus ſaltem loquendo de cauſalitate principali phyſica unquam dubitavit; etſi per calumniam & malam fidem hæretici aliquid etiam deterius Catholicis impoſuerint nimirùm, quod Deus ita cauſet gratiam medijs ſacramentis, ut nullatenus eam cauſet immediatè per ſe, undè Calvinus *lib.4. Inſtitut. cap.* 4 §.17. explicans ſtatum præſentis controverſiæ, ait *Tantum hic quæritur propriane & intrinſeca, ut loquuntur, virtute operetur Deus, an externis ſymbolis reſignet vices ſuas?* quod eſſet ſacramentis tribuere rationem cauſæ non ſolùm principalis, ſed etiam primariæ & unicæ. At quiſnam unquam hoc in controverſiam vocavit? aut cuinam Catholicorum venit in mentem? quòd ſine immediato & principali, Dei concurſu gratia producatur; cum omnes fateantur Deum eſſe cauſam immediatam, & primam, cujuſcunque effectus ad extrà, etiam naturalis & minimi, & ſingillatim quoad gratiam ita Deus ponatur eſſe cauſa principalis, ut nec ſimul cum Deo admittatur dabilis cauſa principalis creata, & oppoſitum temeritate ad minùs ab omnibus Catholicis notetur, quemadmodum ex profeſſo tradidimus in tract. de Gratia *lib.*4 *cap.*2. §.1. Neque aſſerta veritas majori probatione, aut vaniſſima Sectariorum impoſtura majori impugnatione indiget: ſolùm obiter moneo non multum ab hac diſſimilem eſſe impoſturam aliam, quam Catholicis intentant dicendo cauſalitatem moralem quam ſacramentis in gratiam tribuunt avocare homines à Chriſto, & ab ejus paſſione; quaſi verò hujuſmodi cauſalitas ſecundùm Catholicos non tota à Chriſti meritis pendeat, atque proveniat; & Chriſtus non ſit moralis principalis cauſa gratiæ per ſacramenta cauſatæ, ſicuti Deus eſt ejuſdem cauſa principalis phyſica: Per cauſalitatem igitur, quam in ſacramentis agnoſcimus, nihil detrahimus aut omnipotentiæ Dei, aut omnimerentiæ Chriſti, ſed magis utrique faveмos; nec à Deo, aut à Chriſto, homines avertimus, ſed ad utrumque magis a[illegible]nus; & humanam erga utrumque gratitudinem promovemus.

Non principaliter gratiam ipſam.

15\. Ex hucuſque poſitis conſtat ſacramenta nova conferre gratiam, tanquam cauſas ejus immediatas, propriè, & per ſe tales, at non unicas, nec principales, conſequens eſt igitur quod ſint cauſæ inſtrumentales Deo & Chriſto, tanquam cauſis principalibus, ſubordinatæ, & ſimul cum iſtis gratiam efficientes: oritur jam illicò circà hujuſmodi inſtrumentalem cauſalitatem quæſtio celeberrima, & Auctorum ferè ex æquo diviſorum acerrima diſſenſio in definiendo phyſica ne ea ſit, an tantùm moralis? & qualiſcunque aſtruatur, ſuboritur deinde aliqua alia quæſtio, & diſſenſio ſubalterna in ſtabiliendo cauſalitatis, ſive moralis tantùm, ſive etiam phyſicæ modo; & ut à cauſalitate morali incipiamus, ſit

§. II.

Utrùm nova Sacramenta cauſent gratiam moraliter; & in quo conſiſtat moralis ipſorum cauſalitas.

16\. ASSERT. 1. Nova Sacramenta verè & immediatè cauſant gratiam moraliter. Ita quicumque tribuunt novis ſacramentis veram & immediatam in gratiam efficaciam, ſeu efficientiam; licèt enim iſti, ut mox attigimus, plurima contentione diſputent, utrum talis efficacia ſeu efficientia ſit moralis tantùm? non tamen utrum ſit moralis indefinitè & abſtrahendo ab eo, quod ſit ſimul phyſica, necne? Habemus igitur in præſenti Adverſarios eos dumtaxat, quos Adverſarios, habuimus, & retulimus in aſſertis *præcedent.*§. poſitis, quoſque majori ex parte, aut hæreſis, aut aliqua alia cenſura notat

Sacramenta nova gratiã moraliter cauſant.

Probatur: Nova Sacramenta continent moraliter gratiam; ergo verè & immediatè gratiam moraliter cauſant; conſequentia patet, quia cauſa effectum maximè cauſat eâ ratione, qua continet; cum continentia effectus in cauſa ſit cauſalitas in actu primo, & virtus qua cauſa redditur potens cauſare; antecedens probatur, & quidem quod nova ſacramenta contineant gratiam, tradit expreſsè Tridentinum relatum *præced. num.*2. quod contineant moraliter ſuadetur ex eo, quia gratiam continent in virtute Paſſionis & mortis Chriſti, undè à multis Sanctis Patribus, & ſignanter ab Auguſtino *tract.*120. *in Ioan.* dicuntur *de Chriſti latere manaſſe*; atqui virtus paſſionis & mortis Chriſti eſt virtus moralis, præſertim poſtquàm paſſio ipſa, & opera meritoria à Chriſto elicita, non ampliùs phyſicè exiſtunt; ergo nova ſacramenta continent gratiam in virtute morali, adeóque moraliter, ut abundantiùs conſtabit, tum ex mox determinando talis moralitatis modo, tum ex argumentis *ſeq.*§. aſſerendis pro ſacramentorum cauſalitate ſolùm morali, ex quibus plura certè cauſalitatem moralem evincunt ſaltem indefinitè, & abſtrahendo ab eo, quod detur ſimul, vel non cauſalitas phyſica; non eſt igitur cur pro nunc in ulteriore præfixi aſſerti probatione detinear, ſolùm ad majorem ipſius elucidationem, aut potiùs præparationem ad ſequentia unam, vel alteram inſtantiam, ſubjicio. Ideò 17.

Eandemque moraliter continent.

Dices primò: Cauſare moraliter eſt ex genere ſuo cauſare mediatè, ergo aſſertum involvit repugnantiam in terminis in eo, quòd affirmat ſacramenta cauſare gratiam moraliter, & ſimul cauſare immediatè: Antecedens probatur; cauſare moraliter eſt bonitate ſua movere alium ad efficiendum, ſeu conferendum aliquid, non verò eſt efficere ſeu conferre per ſe;

ſe; ergo eſt mediante allo, non immediatè cauſare; meritum v. g. cauſat moraliter movendo eum, apud quem quis meretur ad præmium dandum, non verò per ſe præmium ipſum dat, aut efficit.
18. Sed contra: Hoc ipſum, quod eſt movere alium ad aliquid efficiendum ſeu conferendum eſt immediatè cauſare moraliter; quamvis non ſit immediatè cauſare phyſicè, imò ſit phyſicè non cauſare; & cum cauſalitas moralis in motione conſiſtat, illa cauſa moralis eſt immediata, quæ immediatè ad effectum movet, nec eſt quærenda alia attingentia immediatior, ſicuti non eſt quærenda immediatior attingentia pro immediata cauſa finali, cujus ſimiliter cauſalitas conſiſtit in motione alterius ad agendum, & de qua ſecùs eadem arguendi forma probaretur, quod cauſare finaliter ſit ex genere ſuo cauſare mediatè.

Dices ſecundò: Sacramenta *ex §. præced.* cauſant gratiam ut inſtrumenta, non ut cauſæ principales; ergo ſi cauſant gratiam moraliter cauſant ut inſtrumenta moralia; at non cauſant ut inſtrumenta moralia ergo non cauſant moraliter; Probatur ſubſumptum, quia ex dicendis infra *n.* 36. Sacramenta cauſant gratiam, ut inſtrumenta Dei; ut inſtrumenta autem Dei non ſunt inſtrumenta moralia, quia inſtrumentum morale non eſt inſtrumentum ejus, qui movetur ad aliquid conferendum; at Deus eſt, qui per ſacramenta movetur ad conferendam gratiam: Item quia inſtrumentum morale debet pro principali agente reſpicere agens morale; at ſacramenta ut ſunt inſtrumenta Dei Deumque pro agente principali reſpiciunt, non reſpiciunt agens morale, cum Deus ſit cauſa principalis phyſica, non moralis

19. Sunt in ordine ad gratiam inſtrumenta moralia Chriſti.

reſpectu gratiæ. Sed contra quantum ſufficit ad præſentis inſtantiæ ſolutionem ſufficeret dicere ſieramneta, ſicuti cauſant gratiã etiam phyſicè, ita cauſare, ut inſtrumenta etiam phyſica; adeóque ut phyſica & moralia ſub diverſa ratione; & quatenus dicuntur inſtrumenta Dei ſumi, ut inſtrumenta phyſica, quatenùs verò cauſant moraliter, & ſunt inſtrumenta moralia, dici debere inſtrumenta Chriſti: Nihilominus quia Choquerius, Nuſius, & aliqui alij apud Gonetum *hic diſp.* 3. *art.* 4. §. 1. nequidem reſpectu Chriſti admittunt ſacramenta poſſe dici inſtrumenta moralia, placet inſinuare fundamenta doctrinæ ex diametro oppoſitæ, quã Gonetus *ibid* Joannes à S. Thomâ *diſput.* 24. *art.* 1 *dub. ultim. ad* 5. Lugus *diſp.* 4 *ſec.* 5. *numer.* 95. & alij magis communiter ſuſtinent ea rectè dici inſtrumenta moralia, etiam reſpe-

20. Et aliquo modo etiam inſtrumenta moralia Dei.

ctu Dei. Primum autem fundamentum eſt, quòd nova ſacramenta continent pactum & promiſſionem Dei, ratione cujus Deum movent, ut ad ipſorum præſentiam infallibiliter gratiam producat, & ex hoc capite ſunt inſtrumenta moralia Dei reſpectu gratiæ eo modo, quo ſignum promiſſivum eſt reſpectu rei promiſſæ inſtrumentum morale promittentis. Secundam fundamentum eſt, quia Deus præceptis, exhortationibus, & illuſtrationibus movit Chriſtum ad promerendam nobis gratiam & ad applicanda nobis ſua merita medijs ſacramentis hæc igitur habent ſuam vim moralem immediatiùs quidem à Chriſto, at principalius à Deo, ſicque rectè dicuntur inſtrumenta moralia non ſolùm Chriſti, ſed & Dei.

Juxta hanc doctrinam negandum eſt Sacramenta, ut ſunt inſtrumenta Dei, non eſſe inſtrumenta moralia; & ad primam rationem, quam inſtantia opponit, dicendum non eſſe contra naturam inſtrumenti moralis, quod moveat eum cujus eſt inſtrumentum, imò id eſſe de eſſentia inſtrumenti moralis promiſſivi. Ad ſecundam dicendum Deum eſſe quidem eſſentialiter cauſam phyſicam gratiæ, quatenus eam ad præſentiam ſacramentorum, vel cum ſacramentis, ut cauſa prima producit; at ſimul eſſe cauſam moralem, quatenùs eam poſitis ſacramentis ſe daturum promiſit, & ad eandem nobis promerendam Chriſtum excitavit, & ſub hac ratione ſacramenta reſpicere Deum, ut cauſam principalem moralem gratiæ. Hæc dicta ſint doctrinæ gratia, cæte- 21.
rùm primum fundamentum non eſt mihi admodùm firmum, quia ſignum merè promiſſivum vix habet rationem cauſæ moralis, & multum novis ſacramentis detrahitur, ſi dicatur ipſa ut ſunt inſtrumenta Dei non habere majorem cauſalitatem moralem in gratiam, quam habuerint ſacramenta antiqua, quæ ſicut fuerunt Dei de gratiâ promiſſiones, ità tanquàm ſigna promiſſiva gratiam moraliter utcumque cauſabant *ex lib præced. cap.* 3. *numer.* 52. & alibi. Secundum fundamentum videtur quidem mihi firmius & ſolidius, at ſaluat ſacramenta eſſe inſtrumenta moralia Dei, ſolùm mediatè & remotè: ideò meo videri ſacramenta, quamvis in aliquo ſenſu minùs proprio dici poſſint inſtrumenta moralia Dei; ſimpliciter tamen & abſolutè meliùs dicuntur inſtrumenta moralia ſolius Chriſti; ſicque inſtantiæ, cujus occaſione hæc protulimus, melius occurritur ſolutione primo loco poſita *num.* 19. ut magis etiam perſpicuum fiet declarandu ſecundam præfixi tituli partem, & ſtatuendo in quonam propriè conſiſtat Sacramentorum in ordine ad gratiam moralitas ſeu moralis cauſalitas, aut potiùs cauſativitas?

Aſſert. 2. Nuvotum Sacramenturum in ordine ad gratiam moralitas, ſeu moralis cauſa- 22.
litas, conſiſtit in eo, quòd illa in Chriſti perſonâ & Chriſti nomine fiant, adeóque ſint moraliter actiones Chriſti: Eſt aſſertum, ut conjicere potui, valdè commune, quamvis non à pluribus tradatur diſtinctè & ſub proprijs terminis, ſic verò traditur præcipuè à Lugo *diſput.* 4. *ſec.* 5. *num.* 74. Amico *diſp.* 4. *ſec* 9. *numer.* 211. Maderno *quæſt.* 1. *art.* 3. *num* 9. & Arriaga *diſputat.* 10. *ſec.* 3 *ſubſec* 2. ubi *ſub ſec.* 1. præmittit, & impugnat duodecim alios ejuſdem moralis cauſalitatis explicandæ modos, & omnes videntur deficere in eo, quod non ſalvent cauſalitatem moralem propriam, & ſufficientem ad contradiſtinguenda ſacramenta nova ab antiquis, quod maximè præſtat modus mox aſſertus, ut jam aliqualiter attigimus *præced. lib.* 1. *cap* 3. *num.* 5. & ſtatim in ſequentibus magis ex profeſſu oſtendo, Ideò aſſertum.

Probatur & explicatur: Nova ſacramenta verè ſunt moraliter actiones Chriſti, in ejus perſona

Digitized by Google

Perſona & nomine factæ; & ex hoc verè habent pruprıam eauſalıtatem moralem in ordine ad gratiam, ergo novorum ſacramentorum in ordine ad gratiam moralitas, ſeu moralis cauſalitas &c. Coolequentıa patet.

23. Actiones ſacramentales ſunt moraliter actiones Chriſti factæ in ejus Perſona.

Prima antecedentis pars probatur ex eo, quia Miniſtri conficientes ſaerameota novæ legis ſunt ſubordinari Chriſto, & ab ipſo deputati, undè etiam rectè dicuntur Miniſtri Chriſti juxta illud Apoſtuli 1. *Cor.* 4 dicentis *ſic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti*; quidquid igitur per tales Miniſtros Chriſtus in ſacramẽtis operatur, cenſetur operari per ſcipſum juxta illud tritum *Qui per alium facit per ſeipſum facere videtur*, hoc autem eſt nova ſacramenta, ſeu actiones in quibus nova ſacramenta, conſiſtũt, eſſe moraliter actiones Chriſti, in ejus perſona & nomine factas; Quod confirmatur tum univerſim reſpectu omnium ſacramentorum ex eo, quia ſuprà *cap.* 1. §. 2. & 3. diximus Chriſtum habere reſpectu omnium poteſtatem miniſterialem primariam, puros homines poteſtatem miniſterialem ſecundariam, & à poteſtate primaria Chriſti dependeorem; tum ſingillatim reſpectu ſacramenti Euchariſtiæ, ex quo deindè deducenda eſt à pari illatio ad cætera; reſpectu, inquam, ſaeramenti Euchariſtiæ ex verbis Conſecrationis, quæ manifeſtè à Sacerdote proferuntur io Perſunâ Chriſti; alioqui per ly *Corpus meum, ſanguis meus*, non ſignificaretur, nec poneretur ſub ſpeciebus Corpus, & ſanguis Chriſti: Fauet etiam quòd Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. comparans ſacrificium eruentum Crucis cum ſacrificio incruento Altaris, ait *Idem eſt nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit*; cum enim in Euchariſtia qui Sacrificium offert, ſecramentum conficiat, cooſequeos eſt quòd Chriſtus per Sacerdotem, aut Sacerdos in Perſona Chriſti, ſicut eſt offerens ſacrificium, ita ſit eonficiens ſacramentum. Confirmatur item ſingillatim reſpectu baptiſmi ex verbis *Io.* 1. ubi dicitur de Chriſto *Hic eſt, qui baptizat*, hocque debere iotelligi de Chriſto non ſolùm ut per ſe ipſum, ſed etiam ut per diſcipulos ſuos baptizante probat ex Auguſtino Arriaga *pracit. ſubſec.* 2. *num.* 25.

24. Et ex hoc habent propriam cauſalitatem moralem in gratiam.

Secunda ejuſdem antecedentis pars probatur pariter & explicatur: Actiones ſacramentales eſſe moraliter actiones Chriſti, & in ejus perſona factas, eſt ipſas habere conjunctionem moralem cum Chriſti meritis & participare ſuo modo infinitam ex infinita Chriſti Perſona dignitatem, ſicque eſt ipſas induere in ordine ad gratiam valorem qoodammodò infinitum, ex quo certè valore conſurgit valdè perfecta & propria cauſalitas moralis; ergo nova ſacramenta ex hoc, quòd ſiot moraliter actiones Chriſti &c. verè habeor propriam cauſalitatem &c. Probatur aotecedens primò à priori quia actiones eſſe moraliter actiones Chriſti eſt eſſe ſpecialiter imperatas ex interna ipſius volitione, actus autem externus interni, & imperatus imperantis bonitatem valoremque moralem participat: ſecundò à pari ex eo, quia quæ à Principis legato, ut tali fiunt, ex eo quod ſint moraliter actiones Principis habent peculiarem conjunctionem cum perſona Principis, & ex majore, vel minore, iſtius dignitate majorem, vel minorem, exiſtimationem valoremque moralem contrabunt; ergo.

Dices primò impugnando primam primi antecedentis partem. Antiqua ſacramenta non erant moraliter actiones Dei, neque in Dei perſona, & nomine, fiebant; ergo nova ſacramenta non ſunt moraliter actiones Chriſti in ejus perſona & nomioe factæ: Antecedeos non videtur poſſe negari, tum quia ſecùs aotiqua ſacramenta fuiſſent perfectiora novis, tum quia actiones, in quibus antiqua ſacramenta conſiſtebant maximè ſpectabant ad Dei cultum, cultus autem nequit eſſe moraliter actio Dei, nec quiſquam poteſt ſe ipſum, ſive per ſe, ſive per alium ſuo oomine operantem, colere. Conſequentia procedit à pari, quia antiqua erant ſacramenta Dei, ſicut nova Chriſti; illorum Miniſtri erant miniſtri Dei, à Deo deputati, Deo ſubordinati; ſicuti iſtorum Miniſtri ſuot miniſtri Chriſti, ſubordinari Chriſto, deputati à Chriſto; ergo. Sed contrà:

25. Non eodem modo, quo nova ſacramenta fiunt nomine Chriſti, antiqua fiebant nomine Dei,

Utrùm miniſtri antiquorum ſacramentorum propriè fueriot miniſtri Dei, nec ne definiri nequit ſioe eo, quod multum miſceatur quæſtionis de nomine, certè illi non ſe habent ad Deũ eo modo, quo Miniſtri novorum ad Chriſtum; nam iſti ſunt deputati à Chriſto ut Miniſtro ſaeramentorum principali, & ut ab agente morali propriè, immediatéque, tali reſpectu gratiæ; illi ſunt deputati à Deo ſolùm ut ſacramentorum inſtitutore, item ut ab agente phyſico, aut ſi ut ab agente morali, ſolùm ut à minùs propriè, mediatéque, tali juxta doctrinam, de qua ſuprà *num.* 21. Saeramenta igitur antiqua, ſi fiebant nomine Dei, fiebant nomine ipſius ut agentis phyſici, non ut agentis moralis, propriè ſaltem immediatéque talis; ideò non participabant à Deo ullum valorem moralem ſaltem propriè talem, & ſufficientem ad fundandam propriam moralem cauſalitatem; & cum Deus per ſe ipſum operaos non refundat in ſuas operationes valorem ullum moralem in linea meriti, ſatisfactionis, aut impetrationis, quid mirum, ſi talem valorem non refundat dum operatur per alium, ſivè iſte alius dicatur ipſius Miniſter, ſive non. Ad inſtantiam igitur do anteeedens in ſeoſu explicato, nego conſequentiam propter diſparem jam allatum modom, quo ſe habebant Miniſtri antiquorum ſacramentorum ad Deum, ac ſe habeant Miniſtri novorum ad Chriſtum.

26. Urgebis: ſaltem ſicut antiqua ſacramenta ſpectabaot ad Dei cultum, ſeu erant quidam Dei cultus, ita nova ſunt quidam cultus Chriſti; ergo ſicut illa non poterant fieri Dei nomine, ne Deus ſe ipſum coleret, ita nova non poterunt fieri nomine Chriſti, ne ſe ipſum colat Chriſtus. Sed contra: Brnè poteſt Chriſtus ut homo colere ſe ipſum ut Deum, ſicuti poteſt ut homo ſibi ipſi ut Deo ubedire, ſibi ut Deo ſatisfacere. Quòd ſi replices nova ſacramenta eſſe cultum Chriſti etiam ut hominis: dico hoc eſſe minùs præcipuum in novis ſacramentis, & ſub hac ratione minùs præcipua permitto ea fieri à Miniſtro nomine proprio, non nomine Chriſti. Imò nec exiſtimo abſolutè efficacem illam illationem, *Sacramentum eſt cultus Dei*,

ergo

ergo non poteſt fieri nomine Dei, ſolùm enim interendum eſſet, *ergo ſub ratione cultus non poteſt fieri nomine Dei*, cum quo ſtat poſſe ſimpliciter fieri nomine Dei, ſi poſſit ſic fieri ſub ratione ſignificandi & cauſandi gratiam, quæ eſt ratio magis propria, & ſimpliciter; ac ultimò, conſtitutiva Sacramenti.

Dices ſecundò: Actio, quæ ſit moraliter actio Chriſti, in ejus Perſona & nomine facta, nequit eſſe mala, atqui actiones ſacramentales poſſunt eſſe malæ, & tales ſunt, quoties à malo miniſtru, vel ex malo fine, fiunt, ergo actiones ſacramentales non ſunt moraliter actiones Chriſti

27. &c. Sed contrà: Actiones ſacramentales ſumi poſſunt vel ſecundùm quod ad ſacramenta per ſe pertinent, vel ſecundum quod admittunt aliquod accidentale, ad ſacramēta impertinens, aut etiam incongruens; primo modo dici poſſunt ſacramentales formaliter, ſecundo modo ſacramentales materialiter, primo modo ſunt moraliter actiones Chriſti; at nequeunt eſſe malæ; ſecundo modo poſſunt eſſe malæ, at non ſunt moraliter actiones Chriſti, ideò cōceſſa majore, diſtinguo minorem, & ad diſtinctionē minoris diſtinguo, aut etiā nego abſolutè, conſequentiā.

Dices tertiò impugnando ſecundam ejuſdem primi antecedentis partem: Actiones ſacramētales in tantum ſunt moraliter actiones Chriſti, in quantum ſunt quidam actus externi voluntatis, qua Chriſtus ſubſtituit ſibi Miniſtros ad conficienda in ipſius perſona & nomine nova ſacramenta; atqui non ex hoc iſta habent ſuam moralem cauſalitatem in ordine ad gratiam; ergo talis cauſalitas male ponitur haberi ex eo, quod actiones ſacramentales ſint moraliter actiones Chriſti. Major eſt quoad ſubſtantiam doctrina à nobis poſita *præced. n.* 24. Minor probatur, quia nova ſacramenta dicuntur communiter ſuum valorem, ſuamque cauſalitatem in gratiam habere ex virtute paſſionis & mortis Chriſti, ut nos ipſi attigimus ſuprà *n.* 17. at voluntas, qua ſibi Chriſtus ſacramentorum Miniſtros ſubſtituit, non fuit voluntas patiendi & moriendi, nec in ſe habuit ejus virtutem, ſed valorem & meritum ab eo paſſionis, & mortis, diverſum, ergo non ab illa priore voluntate habent nova ſacramenta ſuam moralem cauſalitatem.

28. Quomodò novorum ſacramentorum cauſalitas habeatur peculiariter ex virtute paſſionis, & mortis Chriſti.

Sed contrà: Chriſtus inſtituendo ſacramenta, & ſubſtituendo ad ea ſuo nomine conficienda Miniſtros, voluit ſimul applicare ad obtinendam medijs ſacramentis gratiam alia ſua merita, ea præſertim paſſionis & mortis: Voluntas igitur, qua Chriſtus ſibi ſacramentorum Miniſtros ſubſtituit, ſumi poteſt vel ut præciſè actiones ſacramentales ſuo nomine faciendas imperans, vel ut ſimul hujuſmodi actionibus alia ſua merita applicans; ſūpta primo modo non ſaluat quomodo moralia novorum ſacramentorum cauſalitas habeatur peculiariter ex virtute paſſionis & mortis; bene verò ſumpta ſecundo modo; ideò &c.

Dices quartò: Moralis ſacramentalium actionum cauſalitas non eſt cauſalitas meritoria, nec ſacramenta gratiam cauſant per modū meriti, alioqui deberēt ſēper eſſe actiones omninò bonæ in ſe & honeſtæ; ergo nihil ad ſacramentorū cauſalitatem confert, quòd tanquam actiones Chriſti habeant peculiarem cum Chriſti meritis connexionem. Sed contrà: opera Chriſti domini cōſiderari poſſunt, vel ſub ratione formali & ſpecifica meriti idest operis habentis valorē moralem in ordine ad præmiū, vel ſub ratione generica operis habentis valorem moralem abſtrahendo ab eo, quod talis valor moralis ſit in ordine, vel ad merendum, vel ad ſatisfaciendū, vel ad impetrandum, vel ad aliter utcunque morali motione obtinēdam rem aliquā ab alio:

29. Quomodò habeatur ex Chriſti meritis, quamvis non ſit in ſe cauſalitas meritoria.

Hinc dato quòd Chriſti merita, aut connexio cum ipſis, ut præciſè habent aut potiùs habuerunt valorem moralem meritorium, non conferant ad cauſalitatem ſacramentorum in gratiā, conferunt tamen, ut habent valorem moralem impetratorium, aut ut ita dicam innominatum, quo poſſunt utcunque morali motione Deum allicere ad gratiam elargiendam: Concedo igitur antecedens, & prædicta diſtinctione adhibita nego conſequentiam; Concedo, inquam, antecedens, quia ſi actiones ſacramentales, ut ſunt moraliter actiones Chriſti, cauſarent gratiam per modum meriti, Chriſtus ipſe per tales actiones gratiam nobis mereretur, quod falsū eſt, cum Chriſtus non ſit de facto capax meriti & in ſtatu merendi; cæterùm non placet ratio, quæ pro ejuſdem antecedentis probatione in inſtantia ponitur, nam licet actio meritoria debeat eſſe omninò bona in ſe & honeſta reſpectu perſonæ merentis, poteſt tamen reſpectu diverſæ Perſonæ eſſe mala, ſic largitio eleemoſynæ poteſt eſſe meritoria reſpectu ejus, qui eam imperat, quamvis fortè ſit mala reſpectu ejus, qui eam exequitur, ità ſimiliter &c.

Dices quintò: Sacramenta haberent in gratiam cauſalitatem moralem principalem, ſi hanc haberent ex eo, quod ſint moraliter actiones Chriſti; atqui per nos non habent in gratiam cauſalitatem moralem principalem; ergo cauſalitatem, quam in gratiam habent, nō habēt ex eo quod ſint moraliter actiones Chriſti. Major probatur, quia actiones & opera Chriſti habent æqualem, imò ſuperabundantē valorem ad gratiam, & ut ad hanc nobis dandam Deum efficaciter moveant, nullo favore extrinſeco, nulla ſuperioris virtutis communicatione indigent.

30. Sed contra: opera Chriſti aliqua ſunt ejus, tanquam principij phyſici per ſe ipſum operantis; aliqua ſunt ejuſdem; tanquam principij moralis operantiā per alium ſibi ſubſtitutum, utraque habent æqualem imò ſuperabundantem ad gratiam valorem, at hunc priora habent ab intrinſeco & ex natura rei, poſteriora ex inſtitutione & voluntate extrinſeca, qua Chriſtus deputavit & delegavit Miniſtros ſuo nomine operantes; ideò priora ex vi talis valoris fundant cauſalitatem moralem principalem, poſteriora inſtrumentalem in ordine ad gratiā; Porò ſacramenta ſunt actiones & opera Chriſti poſteriore, nō priore modo, ideò &c. Neque dicas; ergo ſaltem principalem, non inſtrumentalem, cauſalitatem haberet ſacramentū, quod Chriſtus miniſtraret & conficeret immediatè per ſeipſū; hoc quippè eſſet opus Chriſti etiā ut principij phyſici. Contrà enim, adhuc in ratione ſacramenti, & quatenùs gratiam cauſaret ex opere operato, ideſt ex valore prætteritorum meritorum Chriſti Domini, cauſaret inſtrumentaliter; quia non eſt ex natura rei,

Digitized by Google

ſed ex ſpeciali inſtitutione & quaſi obedientiali aſſumptione actionis, quod moraliter cauſet etiam in virtute, & valore operum à ſe diſtinctorum: Utrùm deinde talis actio ex peculiari valore, quem haberet ex immediata efficientia Chriſti, tanquam ex opere operantis, dici poſſit cauſa moralis principalis, parum refert, quia ex hoc capite non eſſet actio ſacramentalis, & per accidens ſacramento eſt quidquid in eo reperitur independenter ab inſtitutione; & ex opere operantis, etiamſi operans ſit ipſemet Chriſtus.

31. Ex his habetur, quàm perfecta ſit moralis gratiæ cauſalitas in novis ſacramentis, & quã excellentior ea, quæ reperitur, ſi quæ reperitur, in antiquis: eſt ſcilicet valdè perfecta, quia fundatur tam in dignitate Chriſti Domini tanquã in principio morali actionum ſacramentalium, tum in valore meritorum, paſſionis præſertim & mortis, ejuſdem Chriſti, cum quo nova ſacramenta ex voluntate ea inſtituente, & imperante, peculiarem habent connexionem. Hincque illicò apparet talis cauſalitas valdè excellentior ea; quæ poteſt, ſi quæ poteſt, antiquis ſacramentis tribui; nam iſta reducitur ad rationem ſigni promiſſivi, quod impropriiſſimè habet rationem cauſæ, & vix aut ne vix quidem differt à pura conditione; qui enim poſito ſigno promiſſivo dat rem promiſſam dat ex propria fidelitate potiùs, quàm ex aliquo valore, qui in ſigno reluceat, & quo ſignum moveat ac alliciat; & licèt gratia, quæ ab antiquis ſacramentis ſignificabatur, fuerit Chriſti gratia & ex Chriſti meritis; hoc non proveniebat ex virtute & valore ſacramentorum, aut ex ipſorum cum talibus meritis connexione, ſed ex ſuppoſitione extrinſeca, nimirùm ex eo, quod Deus voluerit omnem prorsùs gratiam hominis lapſi eſſe per Chriſtum, quæ omnia ſi compares ijs, quæ *lib. præced. c.* 3 §. 3. & 4. de antiquis ſacramentis dicebamus multũ utraque ſibi invicẽ lucẽ afferent, ſicut & affirmatæ utrobique præcellentiæ novorum ſacramentorum ſupra antiqua multum confirmationis accedet ex phyſica novorum in gratiam cauſalitate, pro qua ſit

Excellentia cauſalitatis moralis in novis ſacramentis tum abſolutè, tum comparativè ad antiqua.

§. III.

An & Quomodò nova ſacramenta cauſent gratiam etiam phyſicè.

32. Assert. 1. Nova ſacramenta per ſe loquendo cauſant de facto gratiam etiam phyſicè. Ita Caietan *hic q* 62. *art.* 1. & *q.* 78. *art.* 4. Nugnez & Sylvius *eod. art.* 1. Joann à S Thom. *diſp.* 24. *art.* 1 *dub. ult.* Gonetus *diſp* 3 *art* 2. §. 3. Cabrera *diſp.* 3. *conc.* 5. Choquetius *lib.* 2. *diſp.* 6. *c.* 1. Suar. *diſp.* 9 *ſec.* 2. Valent. *diſp.* 3. *q.* 3 *punc.* 1. Henriq. *lib.* 1. *c.* 16 & 17. Eſparza *lib.* 10. *q.* 24. Maderius *q.* 3. *art* 4. Bellarm *in controv. lib.* 2. *de Sacram in gen c.* 11. Vega *lib.* 7. *in Trid. cap.* 11. & 12. &c. contra Scotum *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. §. *Ad primam ergo quæſtionem* Bonaventuram *ead diſt. art.* 5 *q.* 4 & 5 Richardum *art.* 4. *q.* 2. Maſtrium *diſp.* 1. *q.* 4. *art.* 1. Herincx *diſp.* 4. *q.* 2. Vaſquium *diſp.* 136 *c.* 6. Gaſparem Hurtad. *diſp.* 3. *diffic.* 2. Amicum *diſp.* 4. *ſec.* 9. Lugum *diſp.* 4. *ſec.* 4. Arriagam *diſp.* 11 *ſec.* 3. & a fortiori contra Auctores relatos *præced. n.* 6. pro opinione tribuente ſacramentis reſpectu gratiæ puram rationem conditionis, ſine qua: Breviter habemus contrà nos totam ſcholam Scotiſticam, pro nobis totã Thomiſticam, diviſos verò ferè ex æquo & partim contra, partim pro, reliquos Scholaſticos. D. Thom. pro neutra parte conſultò retuli, quia aliqua eſt de ejus mẽte diſſenſio, orta præcipuè ex eo quòd ipſe agens de ſacramentorum cauſalitate diverſis in locis diverſimodè loquatur, nec unquã utatur ſcholaſticis terminis *phyſicè*, aut *moraliter*, ut obſervat Arriaga *præc. diſp.* 11. *ſec.* 1. *n.* 4. In re tamẽ exiſtimo illum ſimpliciter pro nobis ſtare, ut expenſis ipſius in utramque partem locis oſtendere ex profeſſo ſolent ejus diſcipuli, quorum de germana ſui S. Doctoris mente judicium libentius approbo, quam Extraneorum, præter quod quoad hoc, idem cum Thomiſtis judicium ferunt aliqui etiam ex Adverſarijs, ne dum ex Extraneis; ut Arriaga *ſec.* 1. mox citata & Amicus *præcit ſec.* 5. *n. ult.*

Mens D. Thomæ circa moralem, aut phyſicam, cauſalitatem novorũ ſacramentorum in gratiam.

33. Dixi *per ſe loquendo*, conſiderando ſcilicet ſacramentum ſecundùm virtutem & exigentiam, quam habet ratione ſui, & ſecundum id, quod ſemper præſtat in ſubjecto benè diſpoſito, abſtrahendo verò ab eo, quod ipſi poteſt accidere ratione impedimenti extrinſeci, & ſubjecti indiſpoſiti; Undè quòd baptiſmus v. g. ſuſceptus cum fictione & obice ad gratiam, hanc deindè recedente fictione moraliter tantum non phyſicè cauſet per accidens eſt; ſicuti eſt per accidens quod idem baptiſmus gratiam cauſet, non quãdo ipſe ſuſcipitur, ſed quando fictio recedit; & ſicuti hoc ſecundũ non impedit, quin ſacramẽta ſint per ſe loquẽdo cauſativa gratiæ quãdo ſuſcipiũtur, ita nec illud primũ impedit, quin ſint per ſe loquendo cauſativa gratiæ phyſicè.

34. Dixi *de facto* quia quoad de poſſibili, & ſecũdùm aliam providentiã, & nos libenter admittimus nova ſacramenta potuiſſe inſtitui cum ſola cauſalitate morali; & Adverſarij majori ex parte fatentur ſecundùm abſolutam Dei potentiam non repugnare ſacramentis cauſalitatem phyſicam, quam de facto negant; majori, inquam, ex parte, ſcio enim non deeſſe aliquos, qui ſuam negativam ſententiam etiam ad potentiam abſolutam extendant eò quòd putent non poſſe aliquid divinitùs elevari ad producẽdum phyſicè effectum, ad quem non habeat aliquam inchoatam virtutem naturalem, quam nullam habent ſacramenta ad gratiam, ad quã propterea Vaſquez, & Hurtadus locis præcitatis, alijque nonnulli putant omninò repugnare, quod noſtra ſacramenta à Deo eleventur, tanquam inſtrumenta phyſica. Nihilominùs quoad hoc jure oppoſitum ſupponimus, tum quia id nobis concedit major cæterorum quoad de facto Adverſariorum pars, tum quia id poſtulat cohærentia doctrinæ, qua alibi ſæpiùs inſinuavimus ſolùm in principio, quod elevatur ad operandum vitaliter, neceſſariam eſſe eam virtutem naturalem inchoatam, quam præmemorati Auctores ad quemlibet prorsùs effectum requirunt; cum igitur ſacramenta cauſent gratiã operatione nõ vitali, ſervamus doctrinæ cohærentiam ſupponendo ea, etiã ſine ulla virtute

De potentia abſoluta nec repugnat illis ſola moralis, nec phyſica ſimul cum morali.

Digitized by Google

turæ naturali inchoata, poſſe elevari ad cauſandum phyſicè. Neque eſt, cur in hoc majorem ducamus moram? cum univerſalis controverſia de potentia obedientiali, & elevabilitate cujuſlibet, vel ad quodlibet, vel ſolùm ad id ad quod habet ab intrinſeco inchoatam activitatem, & imperfectam proportionem, philoſophica magis, quam theologica ſit; quamvis eam hoc loco tractent ex præcitatis Theologis præter Vaſquium & Hurtadum Amicus tota *diſp.* 5. Eſparza *quæſt.* 21. 22. 23. & Joannes à S. Thoma *dub.* 7. & 8. His poſitis & ſuppoſitis

55. De facto datur in illis phyſica ſimul cum morali.

Probatur aſſertum, ſi ſimpliciter non repugnat, quòd nova ſacramenta gratiam phyſicè cauſent, eam de facto phyſicè cauſant; atqui ſimpliciter non repugnat quod &c. ergo &c. Minor, ut mox præmiſſum eſt, à pluribus Adverſarijs admittitur, & contra reliquos à nobis aliundè ſupponitur. Major probatur, cum cauſalitate phyſica; utpote quæ eſt cauſalitas magis perfecta & propria, quàm moralis meliùs, quàm cum ſola morali, explicatur dignitas novorum ſacramentorum, tum abſoluta, tum relata ad ſacramenta antiqua: Melius, & in ſenſu magis proprio, intelligitur modus loquendi Conciliorum & Patrum novis ſacramentis tribuentium vim regenerandi, mundandi, ſanctificandi. Meliùs ſuſtinetur, quòd formæ ſacramentales, ut communiter dici ſolet, faciant id, quod ſignificant, & ſignanter in ſacramento Pœnitentiæ, quòd ſacerdos formam proferat ut Judex, de cujus ratione eſt, ut per ſententiam a ſe prolatam reum reddat abſolutum, non ut ad id præſtandum moraliter alium

56. inducat. Meliùs tandem ſaluatur in ſacramentis ratio cauſæ inſtrumentalis, quæ quatenùs ſupponit pro inſtrumento morali convenit illis propriè reſpectu ſolius Chriſti ut tradidimus ſuprà *num.* 21. & tamen nova ſacramenta à pluribus paſſim dicuntur etiam inſtrumenta Dei, & videtur hoc colligi ex verbis Concilij Moguntini relatis *præced. numer.* 2 quin etiam ſingillatim quoad baptiſmum ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ubi pro cauſa efficiente principali juſtificationis impij aſſignatur Deus, & deindè pro inſtrumentali baptiſmus, eſt igitur ſacramentum baptiſmi cauſa inſtrumentalis relatè ad Deum, ſeu eſt inſtrumentum Dei. Quæ & ſimilia, ſicut & auctoritates, quibus nituntur, nec attentius expendo nec latiùs proſequor, tum quia obvia ſunt ferè apud quēlibet phyſicæ ſacramentorum cauſalitatis aſſertorē; tū quia quod modò in poſitiva probatione deſideratur, illicò magna ex parte ſupplebo ſolvendo & impugnando Adverſariorū inſtantias.

Dices primò: Cauſa moralis eſt ſimpliciter & propriè cauſa, ad hanc quippè ex genere ſuo nō requiritur phyſicus in effectum influxus; alioqui neque cauſa finalis eſſet cauſa ſimpliciter & proprie, cum neque ipſa in effectum phyſicè influat: Imò cauſa moralis non ſolùm eſt talis ſimpliciter & proprie, ſed etiam eſt præſtantior, quam phyſica; cū perfectiùs operetur Princeps moraliter & imperando, quàm ſubditus phyſicè ac exequendo, & in communi modo loquendi cauſa ſupponit ſæpè pro morali potiùs, quā pro phyſica, unde cum quis à mandatario occiditur, cauſa occiſionis ſimpliciter dicitur mandans, qui moralis, potiùs quam mandatarius, qui phyſica occiſionis cauſa fuit. Et quando tandem in rebus phyſicis præferretur cauſa phyſicæ morali, ſaltem in entibus moralibus, cujuſmodi ſunt ſacramenta, adhuc præferenda eſſet cauſa moralis phyſicæ; ergo a primo ad ultimum probatio deſumpta ex majori perfectione & proprietate cauſalitatis phyſicæ præ morali, vel procedit ex falſo ſuppoſito, vel non militat in ſubjecta materia. Sed cōtra: in eo genere, in quo non datur modus cauſandi, niſi intentionalis, benè eſt quòd ad rationem cauſæ propriè & ſimpliciter talis, non requiratur influxus phyſicus; ſecùs in eo genere, in quo datur modus cauſandi tum intentionalis, tū phyſicus, in primo genere eſt cauſa finalis, in ſecundo eſt efficiens, ſub qua moralis, ideò non valet ab illa ad iſtam arguere, & illa rectè dicitur in ſuo genere cauſa ſimpliciter & proprie, eo quòd non admittat in eodem genere aliam magis propriam; ſecùs de cauſa morali, quæ in rigore eſt ſolum analogicè efficiens, & ad efficientem phyſicam ſe habet, ut minùs principale analogatum. 57. Cauſa moralis non eſt æquè perfecta ac phyſica.

Multò minùs eſt perfectior.

Nec verum eſt cauſam moralem eſſe unquam præſtantiorem phyſica, quoties cætera ſint paria, & ſervetur debita utriuſque cauſæ proportio; exempla adducta nihil probant, quia comparant cauſam moralem principalem ad phyſicam non ſimiliter principalem, ſed ſuo modo inſtrumentalem & morali ſubordinatam. Prælatio cauſæ moralis ſaltem in moralibus aliquid forte concluderet ſi ſacramenta eſſent entia purè moralia, at ſumpta ſecundùm magis propriam ſacramenti rationem, id eſt ſecundùm illud, ſuprà quod cadit ſacramenti denominatio, & quod eſt ſubſtratum ſignificationis ſacramentalis, ſunt entia phyſica: Hincque obiret etiam aliqualem noſtræ ſententiæ confirmationem; ex eo ſcilicet, quòd ſacramenta non ſint præciſe aliquod morale, infero debere eſſe non moralem tantùm, ſed etiam phyſicam ipſorum efficaciam & cauſalitatem.

Urgebis quidquid ſit de præponderantia proprietatis; & perfectionis, inter cauſam phyſicam & moralem, certe cauſalitatem moralem ſufficere ad ſaluanda ea omnia, quæ nos ſuprà protulimus pro cauſalitate phyſica ſuadetur vehementer ex eo, quia ea omnia ſaluantur in ſacramento cauſante gratiam, quando phyſice non exiſtit, adeóque cauſante gratiam ſolùm moraliter, ut evenit in baptiſmo cum fictione ſuſcepto, qui cauſat gratiā ſolùm quando fictio recedit, & ipſe jam phyſice præterijt, & tamen hujuſmodi baptiſmus habet totam ſuam dignitatem tum abſolutam tum relatam; regenerat, mūdat, ſanctificat; ejus forma facit quod ſignificat, ſicque in eo ſalvatur quidquid pro cauſalitate phyſica prolatum eſt; unde etiam Concilia & Patres ſuas locutiones, ex quibus nos cauſalitatem phyſicam deduximus, non limitant ad Sacramenta ſine obice ſuſcepta & conferentia gratiam, dum phyſice exiſtunt: Independenter etiā a fictione poteſt eadē retorſio urgeri, primò in Matrimonio per Procuratorē celebrato, quod ſæpe perficitur, & in principali contrahēte gratiā cauſat, quādo in iſto nō exiſtit ampliùs phyſice cōſenſus, & licet phyſice tūc exiſtat manifeſtatio cōſenſus à Procuratore facta alteri cō- 58. Vehemens adverſariorum in nos retorſio multipliciter corroborata.

jugi nihilominùs iſta procuratoria manifeſtatio eſt conditio, nō pars ſacramenti; & quando eſſet pars, adhuc nec ipſa, nec Conjugis, cum quo Procurator agit, conſenſus poſſet in alio contrahente abſente cauſare phyſicè gratiam, obſtaret enim localis diſtantia: Secundò in ordine, & Pœnitentia, in quibus ſæpè forma ſacramentalis non pervenit phyſicè ad ordinatum & Pœnitentem, & tamen ad cauſalitatem phyſicam debet agens eſſe immediatum paſſo, & contingere phyſice ſubjectum, in quo effectus producitur, cum actio phyſica nequeant in diſtans exerceri: Ex quibus omnibus non ſolùm vehementer inſtatur contrà noſtram probationem, ſed etiam poteſt contra nos formari univerſale directum & validum argumentum pro cauſalitate ſolùm morali ſic,

Eadem doctrina in ſummam, & indirecti argumenti formam, redacta.

Nova ſacramenta, vel omnia cauſant gratiam ſolùm moraliter, vel omnia cauſant moraliter ſimul & phyſicè; atqui non omnia cauſant moraliter ſimul & phyſicè; ergo omnia cauſant ſolùm moraliter: Minor evincitur in ſacramentis, quæ aut phyſicè non exiſtunt, aut phyſicè non contingunt ſubjectum, in quo gratiam cauſant, ut mox oſtenſum eſt; Major probatur, quia Scriptura, Concilia, & Patres quidquid proferunt ad novorum ſacramentorum cauſalitatem pertinens, proferunt de omnibus ſacramentis indiſtinctè; non debemus igitur nos in ipſis diverſos cauſalitatis modos diſtinguere, ſed per ſolam cauſalitatem moralem ſalvare in omnibus quidquid per eandem ſalvamus in aliquibus, nec ultrò & ſine neceſſitate nos ipſos conijcere in graviſſimas, quas ingerit cauſalitas ſacramentorum phyſica, difficultates. Sed contra: ut in

40. primis formæ argumenti ex totius inſtantiæ ſumma deducti in forma reſpondeam diſtinguo majorem, & concedo ipſam loquendo per ſe, poſitiſque aliundè omnibus extrinſecis ad phyſicam cauſalitatem requiſitis; nego loquendo per accidens & deficiente aliundè aliquo extrinſeco ad phyſicam cauſalitatem requiſito, ut ſunt exiſtentia phyſica, & fortè etiā indiſtantia localis; eadem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam. Porrò quia de ijs, quæ per accidens, & in particularibus caſibus eveniunt, vix ulla ratio habetur, jure omnia ſacramenta ſimpliciter abſolutéque dicuntur cauſare gratiam moraliter ſimul & phyſicè, jure etiam Concilia & Patres cenſentur id omnibus indiſtinctè tribuere. Argumentum ad ſummum urgeret, ſi nos inter ſeptem novæ legis ſacramenta poneremus aliqua, quæ ſemper cauſarent gratiam moraliter & phyſice; alia verò, quæ nullo obſiſtente impedimento, nulla deficiente ſubjecti diſpoſitione, ſemper cauſarent gratiam ſolùm moraliter.

41. Hac ad ſummam inſtantiæ, & formam argumenti, ſolutione adhibita procedo jam ad caſus particulares, ex quibus argumentum deductum eſt, & ad primum de baptiſmo cum fictione ſuſcepto concedo cauſare gratiam ſolùm moraliter contra plures Thomiſtas, quorum aliqui in inſtrumentis à Deo aſſumptis non requirunt exiſtentiam phyſicam ad operandum phyſicè, aliqui alij, quos valdè probabiliter ſentire ait Gonetus *præcit. diſp. 3. art. 3. §. 2.* dicunt baptiſmum, quamvis cum fictio recedit non ampliùs exiſtat phyſicè in ſe, exiſtere adhuc phyſicè in charactere, tanquam in ſua virtute, & per characterem cauſare phyſicè gratiam; concedo nihilominùs cauſare ſolùm moraliter, at dico ipſum habere totam ſuam perfectionem ac dignitatem in actu primo & ſignato, non in actu ſecundo & exercito, in quo etiam fateor non regenerare, non mundare, non ſanctificare ea tota proprietate, qua ipſemet baptiſmus, aut aliquod aliud novum ſacramentum, ſine fictione, & ſine alio cauſalitatis phyſicæ impedimento, ſuſceptum.

Baptiſmus cum fictione ſuſceptus cauſat gratiam ſolum moraliter.

Ad ſecundum de Matrimonio, quod ſupponitur per Procuratorem celebrari & tunc perfici, quando in Conjuge abſente non eſt quidem retractatus, at non exiſtit phyſicè, neque in ſe, neque in aliqua ſui virtute, internus conſenſus, dico quod ſi contentioſè quis velit repugnare quamcunque prorſùs actionem phyſicam in diſtans concedendum utique erit gratiam in Conjuge abſente cauſari à ſacramento ſolum moraliter; at hoc eveniet per accidens, & ratione diſtantiæ localis, quæ ſupponitur omninò impedire phyſicam cauſalitatem; Quod ſi ſuſtineatur elevari poſſe ad operandum phyſicè in diſtans, ſi minùs agens principale, ſaltem inſtrumentum à Deo aſſumptum, utpotè quod eſt ſubjectum in quo effectum producit indiſtans & immediatum indiſtantia & immediatione virtutis divinæ, cum qua & per quam operatur, licèt non indiſtantia & immediatione, aut entitatis, aut virtutis à ſe diffuſæ: Si, inquam, id, ut veriſimilius mihi eſt, ſuſtineatur dici poterit non deeſſe in caſu Matrimonij, de quo agitur, phyſicam gratiæ cauſalitatem, eò quod conſenſus Conjugis præſentia phyſicè, dum ſacramentum perficitur, exiſtens elevabilis ſit ad producendam inſtrumentaliter phyſicè gratiam non ſolùm in Conjuge, à quo elicitur; ſed & in alio Conjuge abſente, & diſtante. 42.

Inſtrumentū à Deo aſſumptum poteſt operari phyſicè in diſtans.

Ad tertium de ordine, & Pœnitentia, dico utrumque poſſe phyſicè cauſare gratiā in ſuſcipiente, etiamſi ad iſtum phyſicè non perveniant verba formæ, verborumvè ſonus, idque non ſolùm quia, ut mox dictum eſt, inſtrumentum à Deo aſſumptum poteſt operari phyſicè in diſtans & abſque eo, quod ſubjectum ratione ſuæ entitatis, aut virtutis à ſe diffuſæ, phyſicè contingat; ſed inſuper quia dum perficitur Ordinis, aut Pœnitentiæ, ſacramentum, ſæpè eſt proxima & inexiſtens ſuſcipienti materia proxima ipſius ſacramenti, dum ſcilicet Ordo ultimò perficitur ſæpè datur in ordinato actualis contactus materiæ remotæ, dum ultimò perficitur Pœnitentia ſæpè exiſtit actu in Pœnitente internus dolor, ſicque in his caſibus Ordo, & Pœnitentia, cauſabunt phyſicè gratiam ſecundùm ſuam materiam præſentem & phyſicè inexiſtentem ſubjecto, quando non cauſent phyſicè ſecundùm formam ſubjectum phyſicè non contingentem.

Dices ſecundò: Nova ſacramenta cauſant gratiam in virtute paſſionis, & mortis Chriſti; atqui in virtute paſſionis, & mortis Chriſti non cauſant, nec cauſare poſſunt gratiam phyſice; ergo nova ſacramenta non cauſant 43.

gratiam

gratiam phyſicè: Major eſt communiter recepta, & à nobis ipſis tradita ſuprà *num.* 17. Minor probatur, Nova ſacramenta in virtute paſſionis & mortis Chriſti non poſſunt cauſare gratiam niſi eo modo, quo gratiam cauſat mors & paſſio Chriſti; alioqui virtus mortis & paſſionis eſſet activior ac efficacior in ſacramentis, in quibus reperitur ex libera communicatione, & per participationem, quam in ipſa paſſione & morte, cui ineſt ex natura rei & ſe tota; atqui mors & paſſio Chriſti non cauſant in nobis gratiam phyſicè, cum non ampliùs phyſicè exiſtant, imò nec phyſicè cauſabant quando phyſicè exiſtebant, quia habebant etiam tunc efficaciam ſitam duntaxat in valore morali, non in aliquo phyſico; ergo.

44 Sed contra: Adverto primò paſſionem & mortem Chriſti ſumi poſſe, vel quaſi in abſtracto & ſecundùm ſe præcisè, quatenus ſunt quædam mutationes & quidam motus; vel in concreto, quatenùs idem ſunt ac humanitas Chriſti paſſa & mortua, ſeu per paſſionem & mortem, mutata. Adverto ſecundò virtutem paſſionis & mortis Chriſti etiam ſumptam, ut eſt præcisè valor moralis, poſſe in ſacramentis operari, vel immediatè per ſeipſam, vel mediante alia virtute quam ipſa in ſacramentis moraliter cauſaverit, movendo Deum ad illam ſacramentis communicandam; & hujuſmodi alia virtus poteſt eſſe phyſica activitas; ſicuti enim nos ex valore morali operum Chriſti plura phyſica gratiæ dona conſequimur, ita non eſt, cur ex eodem nequeat in ſacramenta aliquid phyſicum derivari, & à Deo ex morali illius motione dari: Iuxtà hanc duplicem animadverſionem duplicem affero inſtantiæ ſolutionem:

45 Iuxta primam ſcilicet diſtinguo majorem; Sacramenta cauſant in virtute paſſionis & mortis ſumptæ pro humanitate paſſa & mortua, concedo; ſumptæ præcisè pro motu qui tranſiit, & mutatione quæ jam non eſt, nego majorem; eadem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam; ad probationem do majorem, diſtinguo iterum eadem diſtinctione minorem, mors ſcilicet & paſſio ſumpta præcisè pro motu, & mutatione, non cauſant in nobis gratiam phyſicè nec phyſicè exiſtunt; ſecùs ſumpta pro humanitate mortua & paſſa. Neque dicas: Humanitas Chriſti mortua & paſſa, quamvis exiſtat phyſicè, exiſtit tamen in Cœlo, & valde diſtat, tum à Sacramentis, tum à ſubjectis in quibus Sacramenta gratiam cauſant, ergo mors & paſſio Chriſti, etiam ſumpta pro humanitate mortua & paſſa, non cauſat in nobis gratiam phyſicè, nec in ipſius virtute id præſtant, aut præſtare

Humanitas Christi potest rectè sustineri instrumentum physicum physicè in nobis causans cum sacramentis gratiam.

46 poſſunt nova Sacramenta. Contrà enim: Jam dictum eſt diſtantiam localem non obſtare, quin poſſit phyſicè operari illud, quod operatur, tanquam inſtrumentum divinæ virtutis; ſicut operatur, ſeu operaretur, in caſu noſtro Chriſti humanitas in Cœlo exiſtens. Neque dicas ulteriùs, deberet ſaltem Chriſti humanitas aliquid phyſicum Sacramentis imprimere, ut in illius virtute dicerentur Sacramenta phyſicè operari, & tamen non apparet quidnam phyſicum illa illis imprimat: Contrà enim: Qui docent Sacramenta ad phyſicè operandum elevari per qualitatem, ſeu entitatem creatam ſibi ſuperadditam facilè docebunt ad hanc producendam Deú uti humanitate Chriſti tanquam inſtrumento, adéoque hujuſmodi entitatem eſſe illud phyſicum, quod humanitas Sacramentis imprimit dato, quod debeat aliquid phyſicum imprimere: Doccodo verò Sacramenta elevari, ut infrà docebimus, per ſolam extrinſecam aſſiſtentiam, non eſt quærendum aliquid phyſicum ab humanitate Sacramentis impreſſum, & ſicuti iſta nulla ſibi facta phyſica impreſſione dicũtur operari phyſicè in virtute Dei per hoc, quod Deus illis ſpeciali concurſu phyſico aſſiſtat ut cauſa principalis, ità dicentur operari phyſicè in virtute humanitatis per hoc, quod humanitas ſit inſtrumentum phyſicum conjunctum Dei ſpecialiter illis aſſiſtentis & principaliter operantis. Doctrina hujus ſolutionis eſt valdè conformis menti D. Thomæ tum *hic quæſt.* 62. *art.* 5. dicentis *Oportet quod virtus ſalutifera à divinitate Chriſti per ejus humanitatem in Sacramenta derivetur tanquam per inſtrumentum conjunctum in inſtrumenta ſeparata*: tum *quodlib.* 12. *art.* 14. concludentis *Sicut carò Chriſti habuit virtutem inſtrumentalem ad facienda miracula propter conjunctionem ad Verbum, ità Sacramenta per continuationem ad Chriſtum crucifixum & paſſum*, tum alijs in locis citatis à Goneto *diſp.* 5. *art.* 2. §. 4.

Iuxtà ſecundam animadverſionem diſtinguo aliter eandem primam majorem, nova ſacramenta cauſant gratiam in virtute etiam mediatâ paſſionis & mortis Chriſti; concedo; in virtute ſolùm immediata, nego majorem; eadem diſtinctione utor ad minorem; & nego conſequentiam: Ad probationem do efficaciam, ſeu virtutem, immediatam paſſionis & mortis conſiſtere in ſolo valore morali; nec poſſe eſſe majorem in ſacramentis, quàm fuerit in ipſa paſſione & morte: at præter virtutem immediatam dici poteſt ejuſdem paſſionis & mortis virtus, ſed mediata, quidquid Deus ex illius valore morali tribuit, hocque poteſt eſſe aliquid phyſicum, & aptum inſervire ad phyſicè operandum; ideò ex virtute mediata paſſionis & mortis poſſunt nova ſacramenta gratiam phyſicè cauſare, etiam dato quòd eam phyſicè per ſe immediatè non cauſent nec mors Chriſti & paſſio, nec mortua & paſſa Chriſti humanitas. Doctrina hujus ſolutionis arridere poteſt ex eo, quòd facilior ſit, & minùs miracula multiplicet; at præcedens præter quòd magis conſonat menti D. Thomæ, magis etiam favet humanitati Chriſti; eligat nihilominùs Lector, quam maluerit. 47.

Independenter tamen à tali causalitate physica humanitatis sustineri adhuc potest causalitas physica in sacramentis.

Dices tertiò: Aſtruere de facto efficaciam inſtrumentalem phyſicam ſacramentorum in gratiam eſt multiplicare ſine neceſſitate miracula, talis enim efficacia ſeu efficientia, quomodocumque explicetur, non exercetur ſine peculiari miraculo. Eſt inſuper malè ſalvare plura teſtimonia Sanctorum Patrum docentium gratiam eſſe opus Dei proprium, & eam etiam, quæ per ſacramenta confertur, à Spiritu Sancto dari, à ſolo Deo produci; ergo. Sed 48.
contra: ex modo loquendi Conciliorum &

Patrum,& perfectione novorum Sacramentorum ſuprà antiqua, ex proprietate verborum Sacramentalium,aliiſque hucuſque inſinuatis, ſufficienter ſuadetur non multiplicari ſine neceſſitate miracula cauſalitatem Sacramentorum phyſicam comitantia. Ad præmemorata teſtimonia Sanctorum Patrum dico poſſe iſta in primis urgeri contra efficaciam etiam moralem Sacramentorum, deinde in re procedere de cauſalitate principali,& hanc reſpectu gratiæ eſſe Dei propriam, necnon,ut à cauſa principali,à ſolo Deo gratiam produci.

Si quid aliud alicujus momenti Adverſarij nobis objiciunt ſpectar,aut ad modum, aut ad tempus,quo Sacramenta phyſicè cauſent & alterum quidem ſequentis paragraphi materiem conſtituo,alterum ſequentis aſſerti;pro quo,& pro ſecunda præfixi tituli parte.

49. Adverto diverſitatem opinandi circa modum phyſicæ cauſalitatis Sacramentorum in gratiam originem ducere ex diverſitate explicandi, per quid in univerſum creatura conſtituatur in actu primo potens attingere inſtrumentaliter & obedientialiter effectum proprias ipſius vires excedentem? In qua univerſali controverſia duo ſunt univerſales dicendi modi: Primus eſt,quod id habeatur per quandam virtutem intrinſecam & congenitam cuilibet creaturæ, quæ dicatur potentia obedientialis activa,& nihil aliud ſit, quàm ipſamet entitas rei creatæ prout Deo ſubordinatur, & poteſt cum extraordinario, indebito, ac fortiore Dei concurſu conjungi. Secundus eſt; quod id habeatur per virtutem extrinſecus a Deo communicatam,ſuperadditam,ac inhærētem creaturæ, & ſaltem per modum inſtrumenti proportionatam ad effectum,ad quem datur, & ad quem creaturam cui datur elevat: Vterque dicendi modus plurimos pro ſe habet Auctores & Patronos; pro priore ſtat in primis major pars Recentiorum,pro poſteriore Schola Thomiſtica. Ex Auctoribus priorem modum amplectentibus aliqui potentiam obedientialem activam congenitam agnoſcunt in quolibet ad quodlibet,aliqui ſolùm in rebus ex genere ſuo naturaliter activis & productivis alicujus effectus: Aliqui item virtutem ſuperadditam à ſecundo dicendi modo aſſertam exiſtimant ſolùm non neceſſariam, aliqui exiſtimant etiam omninò repugnantem. Ex Auctoribus amplectentibus modum poſteriorem aliqui admittunt etiam aliqualem potentiam obedientialem activam congenitam, at quæ ſine virtute ſuperaddita, quâ actuetur, nequeat conſtituere creaturam potentem inſtrumentaliter agere, aliqui omnem potentiam obedientialem activam congenitam reſpuunt, & concedunt ſolùm congenitam potentiam obedientialē paſſivam ad recipiendam virtutem ſuperadditam dantem poſſe agere; hanc porrò virtutem aliqui collocant in aliquo permanente per modum qualitatis,aliqui in aliquo tranſeunte per

50. modum motionis: De quibus omnibus in præſenti latè agunt, & pro ſingulis dicendi modis aliquos ſingillatim Auctores referunt, ex Thomiſtis Joannes à S. Thoma *diſput.* 24. *art.* 1. *dub* 8. ex Recentioribus Amicos *diſp.* 5. Quid nos ſentiamus, quamvis nullibi ex profeſſo tractaverimus, deduci poteſt ex ijs, quæ ſuo loco diximus de lumine gloriæ per aſſiſtentiam Dei extrinſecam ſupplebili,& de igne divinitus elevato ad producendam qualitatem ſpiritualem doloriſicam in ſpiritibus damnatis,deduci, inquam, poteſt nos agnoſcere congenitam rebus creatis potentiam obedientialem activam,quam prior dicēdi modus aſtruit; unde cohærenter loquendo nullam habemus neceſſitatem tribuendi Sacramentis aliquid extrinſecus adveniens, & inhærens, quo tanquam inſtrumentali virtute reddantur cauſativa gratiæ: Ideò ſit

Origo diverſitatis opinionum circa modū phyſicæ cauſalitatis ſacramentorum in gratiam.

51. Aſſert. 2. Nova Sacramenta cauſant phyſicè gratiam,non per aliquam virtutem ſuperadditam ſibi inhærentem; ſed per conjunctionem,ſeu complexionem, potentiæ obedientialis activæ ſibi congenitæ cum Deo, divináque omnipotentia extrinſecus aſſiſtente. Ita Valentia *præcit. punct.* 2. §. *verior igitur.* Bellarminus *præcit. cap.* 11. circà finem Madernus *præcitat. art.* 4. *num.* 6. *&* 24. alijque Auctores ſuſtinentes univerſim potentiam obedientialem congenitam,de qua *præced. num.* 49. contrà Joannem à S. Thoma *præcit. dub.* 8. Gonetum *præcit. art.* 3. §. 6. alioſque Auctores univerſim amplectentes ſecundum,de quo ſuprà,dicendi modum.

Sacramenta non elevantur ad cauſandam phyſicè gratiam per qualitatem ſuperadditam ſibi inhærentem.

Probatur & explicatur aſſertum: Si non eſt ad cauſandam phyſicè gratiam neceſſaria,non datur de facto in Sacramentis,ſeu in rebus ſenſibilibus,in quibus Sacramenta conſiſtunt,virtus ſuperaddita inhærens; atqui verè non eſt neceſſaria ad cauſandam phyſicè gratiam hujuſmodi virtus,ergo non datur de facto;ac per conſequens nova Sacramenta cauſant phyſicè gratiam,non per aliquam virtutem,&c. Minor deducitur ex dictis in tract. de Deo *lib.* 2. *cap.* 3. §. 5. & ex doctrina univerſali, de qua *præcedent. n.* 49. Major probatur ex regula generali, tum non multiplicandi ſine neceſſitate entitates, tum non ſubeundi ſine eadem valdè graves difficultates, quales ſunt quas ſecum fert hujuſmodi virtus Sacramentis ſuperaddita, de qua difficile eſt ſtatuere, utrum ſpiritualis ſit, ſicut ſpiritualis eſt gratia, ad quam datur, an corporalis, ſicut corporale eſt ſubjectum in quo recipitur? Vtrùm ſit de genere qualitatis permanentis & ad modum termini;an tranſeūtis & ad modum tendentiæ, ſeu motionis? & quatenùs juxta receptiorem opinionem ſit qualitas,aut quaſi qualitas ſpiritualis tranſiens & ad modum motionis, contra ipſam militat illud, quod Adverſarij maximè contra nos urgent, nimirum quòd Sacramenta, nunquam conſtituantur in actu primo potentia, & apta cauſare; ſed ſolùm cauſantia in actu ſecundo, retenta & nullatenus mutata improportione, ſeu incompletione,ex parte actus primi. Confirmatur: Creatus intellectus *ex præcit.* §. 5. per complexionem cum Deo extrinſecus aſſiſtente poteſt cauſare phyſicè beatam viſionem;ergo à fortiori ſenſibilis & creata entitas Sacramenti per eandem complexionem poteſt cauſare phyſicè gratiam,ac per conſequens non eſt neceſſaria virtus ſuperaddita inhærens;probatur conſequentia,quia ex una parte beata viſio eſt ſupernaturalis æque ac gratia, & ex alia parte creatus intellectus ad beatam viſionem elevatur,

tur, ut cauſa principalis; creata entitas Sacramenti ad gratiam elevatur, ut inſtrumentum.

Dices: Imò hinc habetur argumentum in præjudicium noſtræ opinionis, nam quidquid ſit de poſſibili certè de facto intellectus creatus ad beatam viſionem elevatur per qualitatem inhærentem ſuperadditam, id eſt per lumẽ gloriæ, ergo ſimiliter loquendo de facto debet entitas Sacramenti ad gratiam elevari per virtutem ſibi factam intrinſecam & inhærentem, quamvis aliunde ſit divinitus elevabilis etiam per aſſiſtentiam extrinſecam.

53\. *Cur per talem qualitatem elevetur de facto intellectus ad viſionem potiùs, quàm ſacramentum ad gratiam?*

Sed contra: In primis ad de facto admittendum lumen gloriæ elevativum intellectus creati ducimur auctoritate Conciliorum, & Patrum, quæ nulla eſt pro virtute ſuperaddita elevativa Sacramentorum; Quatenùs deinde illatio paritate nititur inefficax eſt duplici ex capite; primò ſcilicet, quia, ut jam dixi, intellectus creatus elevatur ut cauſa principalis, Sacramentum ut inſtrumentalis, ſicuti autem agens principale magis, quàm inſtrumentum, petit operari ab intrinſecu, ita illud magis quàm iſtud petit elevari per virtutem ſibi factam intrinſecam: Secundò, quia intellectus creatus eſt quid permanens, & benè intelligitur conſtitutus in actu primo, antequam moveatur & exeat in actum ſecundum beatæ viſionis; Sacramenta (ſi Euchariſtiam excipias) ſunt quid tranſiens, & cum primùm completè exiſtunt exeunt in actum ſecundum cauſandi gratiam, nec poſſunt intelligi conſtituta in actu primo, antequam moveantur & exeant in actum ſecundum: ideò connaturale eſt intellectui conſtitui in actu primo ad viſionem per aliquid permanens diverſum à motione, & actuali tendentia in eandem viſionem; Sacramentis verò connaturale conſtitui in actu, tum primo tum ſecundo, ad gratiam per aliquid tranſiens indiſtinctum à motione & actuali tendentia in ipſam gratiam.

54\. Urgebis: Hoc, quod dicimus motionem & actualem tendentiam Sacramentorum in gratiam vel in ipſis Sacramentis aliquid præſtat & in illis recipitur; vel præſtat ſolùm aliquid extra Sacramentum, in gratia ſcilicet aut in ſubjecto gratiæ nihil verò in Sacramentu ipſo; Si primum dicamus, concedimus Adverſarijs, quod intendunt, Si dicamus ſecundum, ſequitur Sacraméta cauſare gratiá abſque eo, quod reddita ſint apta & proportionata ad ipſá cauſãdá; quomodo enim reddũ. ut apta & proportionata? ſi nihil recipiunt, per quod mutentur, aptentur, proportionentur. Neque poteſt dici ea eſſe apta & proportionata per potentiam obedientialem activam, qua Deo ſubordinantur; nam hanc potentiam obedientialem activam in ordine ad gratiam habent res aliæ æquè ac Sacramenta, cur igitur Deus tanquam inſtrumenta phyſica gratiæ aſſumit Sacramenta potiùs, quam res alias? Neque item poteſt aliter dici inſtrumentum debere eſſe aptum & proportionatum ad hoc, ut eo utatur agens creatum; non ad hoc, ut eo utatur Deus, nam inſtrumentum, quo Deus utitur vel operatur ſimul cum Deo, vel non; ſi operatur, non apparet quomodò poſſit operari, manens ineptum & improportionatum ad operandum, ſi non operatur, ergo operatur ſolus Deus ad præſentiam inſtrumenti; & Deum uti ſacramento, tanquam phyſico inſtrumento gratiæ, nihil aliud eſt, quam ipſum producere phyſice gratiam ad præſentiam ſacramenti, quod tamen ſæpiùs diximus non ſufficere ad ſaluandam cauſalitatem, quam Sancti Patres, & Concilia, Sacramentis, in gratiam tribuunt.

Sed contrà: Dico motionem & actualem tendentiam ſacramentorum in gratiam, nun eſſe nec præſtare aliquid in ipſis ſacramentis receptum: Ad ſequelam qua hoc impugnatur adverto potentiam obedientialem activam, qua ſacramenta ſubordinantur Deo, conſiderari poſſe, vel ſecundùm ſe præcisè, & prout importat materiales ſacramentorum entitates in eſſe ſimplici; vel ſecundum complexionem quam facit cum Deo, Deique omnipotentia, & ſicuti Deus conſiderari poteſt vel ut paratus & determinatus ad ſacramentalem gratiam producendam, vel ut talem gratiam actu producens, ita potentia obedientialis activa de qua in præſenti poteſt conſiderari ut faciens complexionem vel cum Deo parato producere, vel cum Deo actu producente ſacramentalem gratiam: Obedientialis ad gratiam potentia ſumpta primo modo vere non tribuit ſacramentis eſſe inſtrumenta apta & proportionata ad gratiam cauſandam, & reperitur in rebus alijs, æque ac in ſacramentis: Bene verò id tribuit nec in rebus alijs indifferenter reperitur eadem potentia obedientialis ſumpta ſecundo modo; & quatenùs importat complexionem cum Deo parato gratiam producere reddit ſacramenta inſtrumenta ad gratiam phyſicè cauſandam apta & proportionata in actu primo proximo, quatenùs importat complexionem cum Deo actualiter gratiam producente ea reddit gratiam phyſice cauſantia in actu ſecundo. 55.

Sacramenta elevantur ad cauſandã phyſice gratiam per complexionem cum Deo extrinſecus aſſiſtente, & gratiam producente.

Urgebis adhuc: Hoc ipſum, quod eſt materiales Sacramentorum entitates tranſire ab eſſe ſimplici ad eſſe complexũ cum Deo actualiter cauſante & per actualem in gratiam influxum aſſiſtente, fieri nequit ſine aliquo intrinſece prædictis entitatibus ſuperaddito; ergo quomodocunque res explicetur Sacramenta non cauſant phyſice gratiam ſine entitate ſuperaddita ipſis inhærente. Sed contrà: ſi ad faciendum tale complexum requireretur aliquid Sacramentorum entitatibus ſuperadditum, hoc foret per modum unionis & vinculi, non per modum motionis & virtutis operativæ, & tamen ſuperadditum, quod Adverſarij requirunt, eſt per modum motionis, non unionis; virtutis operativæ, non unitivæ: Inſtantia igitur non eſt ad rem, & præterea quando ad rem eſſet, nil probaret, quia profert antecedens omninò falſum in noſtris principijs, in quibus tantum abeſt, quod ad conſtituenda complexa tertias entitates requiramus, quin ex oppoſito complexa inducimus ad tertias entitates ſuperadditas excludendas, ut ſuppono ex dictis, partim in tract. de Angelis dum ipſorum conſtitutionem in loco, partim in tract. de Incarnatione dum rationem formalem unionis hypoſtaticæ explicaremus, partim alibi ſparſim. 56.

Hujuſmodi complexum fit ſine ulla ſimplici entitate intermedia.

§. IV.

§. IV.

Quandonam, & an ſe totis nova Sacramenta cauſent phyſicè gratiam?

57. Sacramenta ſuſcepta ſolùm in voto, neque phyſicè, neque moraliter, gratiam cauſant.

ASSERT. 1. Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam, antequam in re ſuſcipiantur, nec ſufficit quod ſint ſuſcepta in voto, imò neque hoc ſufficit ut cauſent de facto gratiam moraliter. Ita Alenſis 4. *part. quæſt.* 41. *memb.* 3. *art.* 3. Sotus *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. *art.* 1. & *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 1. Joannes a S. Thoma *diſput.* 24. *art.* 1. *dub.* 5. Suarez *diſp.* 8 *ſect.* 1. Amicus *diſp.* 4. *ſect.* 7. Arriag. *diſp.* 12. *ſect.* 1. Herincx *diſput.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 39. Maderna *quæſt.* 3 *art.* 5. & reliqui Scholaſtici unanimiter contra nonnullos, quorum ſuppreſſo nomine primum meminit Sotus *præcit. art.* 1. ex *diſt.* 11. oppoſitum de Euchariſtia in particulari ſentientes; docentes ſcilicet ipſam ſolùm ſpiritualiter ſuſceptã conferre ſaltem in extrema neceſſitate effectum ex opere operato, quæ doctrina videtur habere aliquale fundamentum, tum in pietate Patrum ſpiritualium conſulentium fidelibus ut ſpiritualiter & in voto communicent, cum nequeũt communicare Sacramentaliter & in re; tum in auctoritate D. Thomæ infrà *quæſt* 80. *art.* 1. *in c.* concedentis per ſpiritualem manducationem Corporis Chriſti percipi effectum Sacramenti, quin & poſtea ad 3. univerſaliter tradentis effectum Sacramenti poſſe ab aliquo percipi, ſi Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re, quod tradit etiam alibi. Nihilominus aſſertum certiſſimum æquè ac receptiſſimum.

58. Probatur facilè, & quidem quod Sacramenta in ſuſceptione & uſu conſiſtentia, ideſt alia omnia ab Euchariſtia, non cauſent gratiam phyſicè, antequam in re ſuſcipiantur patet ex eo, quod antequam in re ſuſcipiantur, neque exiſtunt, neque extiterunt; nemo autem hucuſque, ut arbitror, affirmavit cauſam, quæ neque exiſtit, neque extitit, poſſe phyſicè agere, & licet aliqui concedant efficientiam phyſicam rei, quæ nunc non exiſtit, dummodo immediatè antea extiterit, non tamen eandem efficientiam concedunt rei, quæ nunc non exiſtit, ſed exiſtet immediatè poſt, & diſparitatis rationẽ affert inter alios Gonetus *diſp.* 3. *art.* 3. §. 5. *numer.* 106. Euchariſtia, quæ permanens eſt & ante ſumptionem in re exiſtens, non habet eandẽ ad cauſandam phyſicè gratiam, antequam in re ſumatur, repugnantiam; habet tamen aliquam ſaltem de lege ordinaria, ſecundum quã ejus effectus promittitur ſolùm eam manducanti juxta illud Joh. 6. *Qui manducat meam carnem*, &c. Et præterea Euchariſtia, niſi ſumatur & manducetur, manet diſtans & non applicata ſubjecto, in quo debet gratiam cauſare. Quod deinde Sacramenta, antequam ſumantur in re, & quatenus ſumpta dumtaxat in voto, neque cauſent gratiam moraliter probatur primo ex eo quod ſicut Euchariſtiæ ex mox dictis, ita reliquis Sacramentis, promiſſio gratiæ facta eſt ipſis perfectis & in re ſumptis, ſic de Baptiſmo dicitur *Qui baptizatus fuerit*: de Pœnitentia *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Secundò quia ſacramentum in voto eſt deſiderium ſacramenti, cum quo aliquomodò ſtat ſacramentum ipſum non eſſe in re ſumendum; cauſa autem moralis quamvis ad cauſandum non requirat quòd exiſtat, aut extiterit, ſaltem requirit, quod extitura ſit. Tertiò quia ſacramenta characterizantia imprimunt quidem aliquando ſine gratiâ characterem, at nunquam ſine charactere gratiam, cum character ſit effectus prior gratia, nec habeat contrarium à quo impediatur, ſicut habet gratia; atqui hujuſmodi ſacramenta ſumpta dumtaxat in voto nullo modo, ne quidem moraliter, conferunt characterem, ergo nullo modo, ne quidem moraliter, conferunt gratiam; Minor evincitur ex eo quòd ſecùs, qui habuit votum baptiſmi v. g. aut Confirmationis, non eſſet ampliùs baptizandus, aut confirmandus in re.

Ad fundamentum jam inſinuatum, ex quo videtur poſſe præſertim pro Euchariſtia erui ratio dubitandi in oppoſitum adverto votum Sacramenti, & præſertim Euchariſtiæ eſſe ex genere ſuo actum bonum, ſupernaturalem, & meritorium gratiæ; Adverto inſuper gratiam Sacramentalem, quantùm ad rem præſentem attinet, eſſe à non Sacramentali diverſam, neque penes propriam entitatem, neque penes effectum formalem juſtificandi, ſed penes modum quo datur, & jus quod dat ad actualia auxilia, quatenus non Sacramentalis datur ex opere operantis, & dat jus ad auxilia non hæc potiùs, quàm illa; Sacramentalis, ut jam dictum eſt, datur ex opere operato, & dat ut *ſeq.* §. exponetur jus ad auxilia quædam peculiaria: Hinc ad Patrum ſpiritualium conſilium dico ipſos jure conſulere Euchariſtiæ ſumptionem ſpiritualem & in voto, eò quòd talis ſumptio ſit actus eximiæ bonitatis & meriti, ſicque conducens ad ingens gratiæ augmentum ex opere tamen operantis, ut ex genere ſuo conducunt reliqui actus meritorij; non ex opere operato, ut conducunt ſacramenta: Ad auctoritatem D. Thomæ dico ipſum locis præmemoratis nomine effectus ſacramenti intelligere gratiam non ſacramentalem, quæ quatenùs præſtat eundem juſtificandi & ſanctificandi effectum, quem gratia ſacramentalis, hoc æquivalet & dici poteſt effectus ſacramenti æquivalenter; Idem eſt ſenſus Tridentini *ſeſſ.* 13. *cap* 8. de ijs, qui ſpiritualiter & voto cœleſtem panem edunt, dicentis quod *fide viva quæ per dilectionem operatur fructum ejus & utilitatem ſentiunt*, ubi ly *fide viva, quæ per dilectionem operatur*, intento noſtro favet & opus operantis inſinuat: Aliquid amplius & ſpecialius hiſce auctoritatibus tribuit Ledeſma apud Suarium *præcit. ſec.* 1. arbitratus per Sacramentum in voto ſeu per votum ſacramenti conferri quidem gratiam ſolùm ex opere operantis, conferri tamen majorem, quàm conferret aliud boni operis deſiderium æqualis valoris cæteris paribus; verum voluntariè prorsùs inducit additamentum illud, quo gratia ſit major, nec apparet quomodò detur ex opere operantis, ſi ex alio opere operantis æqualis valoris non daretur. 59.

60. Spiritualis ſumptio Euchariſtiæ cauſat gratiam ſolùm non ſacramentalem, & ex opere operantis.

Digitized by Google

Si quæras hic, utrum etiam ad potentiam abſolutã, & ad aliam quamcunque inſtitutionẽ extendendum ſit, quod mox quoad potentiam ordinariam & inſtitutionem præſentem dictũ eſt ſacramenta neque phyſicè, neque moraliter, cauſare gratiam, antequam in re ſuſcipiantur? Quoad Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum permanens, & cui ad cauſandam de facto, antequam in re ſumatur, gratiam non obſtat, niſi localis diſtantia à ſubjecto, & promiſſionis ſecundum præſentem inſtitutionẽ factæ modus; quoad Euchariſtiam, inquam, abſolutè cenſeo non repugnare quin poſſit inſtitui taliter, ut ſuppoſito quod ſit exiſtens, & à parte rei permanẽs, cauſet phyſicè ex opere operato gratiã in habente votum ac deſiderium eam ſumendi non obſtante locali diſtantia, cum ſæpius diximus cauſalitatem phyſicam inſtrumentalem poſſe divinitus in diſtans, ſeu non obſtante locali diſtantia, exerceri. Quoad ſacramenta alia in ſumptione & uſu ſita, non ambigo, quin à Chriſto potuerint ita inſtitui, ut habens eorum votum ac deſideriũ conſequatur ex opere operato eandem gratiam ſacramentalem, quã conſequeretur ſumens ea realiter, ac in re: Ad hanc tamen gratiã phyſicè in deſiderante ſacramentum efficiendam elevaretur, aut elevari poſſet, actus ipſe deſiderij realiter exiſtens, non ſacramentum deſideratum exiſtens ſolum objectivè, aut ad ſummum realiter de futuro propter regulam generalem, qua nullatenùs poteſt phyſicè operari quòd non exiſtit, neque exiſtit realiter: Utrùm deindè per hoc, quòd elevaretur illud ſacramenti votum, dicendum eſſet elevari ad phyſicè cauſandam gratiam ipſum ſacramentum in voto, an non? erit quæſtio de nomine, & non niſi cum impropríetate & aliquo terminorum abuſu affirmabitur, Faciliùs poterit, ſi ſinet ſacramento, ſi ſupponatur futurum, concedi in eo caſu cauſalitas moralis, cum ad hanc requiratur quidem realis exiſtentia cauſæ, at de futuro ſufficiat, nec ſit neceſſaria de præſenti, aut de præterito.

An, & quomodò, ſacramenta ſuſcepta ſolùm in voto poſſint cauſare gratiam de potentia abſoluta.

62\. Viſo & ſtabilito quod ſaltem de facto, & ſecundùm præſentem inſtitutionem, ſacramenta non cauſent gratiam, antequam ſuſcipiantur, rectus ordo poſtulat perquirere, utrum cauſent cum actu ſuſcipiuntur; ex tribus enim temporum differentijs ad quas ly *Quando* in titulo poſitum referri poteſt, prima eſt temporis ſumptionem antecedentis quam expedivimus, tertia eſt temporis ſumptionem ſubſequentis, quam attingimus *ſeq.* §. 8. Secunda, de qua utpotè primæ immediata nunc illicò agimus, eſt temporis ſumptionem comitantis, ſeu cum ſacramenta ſumuntur, quod reſpectu aliorum ſacramentorum ab Euchariſtia eſt idem ac dicere, conficiuntur ac perficiuntur, & verò non admodùm difficile eſt ſtatuere, quòd ſacramenta verè cauſent gratiam tunc quando ſumuntur ac perficiuntur, at quia ly *tunc* im-

63\. porrat ſucceſſionem & latitudinem temporis, difficillimum eſt aſſignare & definire, Utrum cauſent in aliqua & quanam parte, an in aliquo & quonam inſtanti talis temporis? Difficillimum, inquam, aſt difficultate tamen non phyſicæ ſacramentorum cauſalitati, ut ita dicam, innata, nec hujus loci propria; ſed aliena & extranea, conſequente ſcilicet nunquam ſatis à Philoſophis explicatam quæſtionem de compoſitione continui, ſive permanentis, ſive ſucceſſivi, vel ex ſolis partibus, vel ex ſolis indiviſibilibus (hæc reſpectu continui permanentis puncta, reſpectu temporis & continui ſucceſſivi inſtantia nuncupantur) vel ex partibus ſimul & indiviſibilibus, ſivè finitis ſive infinitis.

Origo difficultatis, & diverſitatis, in explicando, quandonam ſacramenta gratiã cauſent?

Juxta diverſitatem ſentiendi inter Philoſophos de compoſitione continui, præſertim ſucceſſivi, diverſimodè ſentiunt Theologi de eo *tunc*, quo ſacramentum in ſui ſuſceptione perficitur, & in ſuſcipiente gratiam cauſat; abſit à me, quòd recantem, & ex profeſſo revocem huc res philoſophicas, non poſſum tamen doctrinæ gratia non interponere aliquale judicium de præcipuis juxtà propria principia philoſophica ſententijs, & deindè proferre quid ſentiendum ſit ſuppoſita, qualem in philoſophia docuimus, compoſitione continui ex ſolis partibus proportionalibus diviſibilibus in infinitum.

In primis igitur juxta ſententiam componentem continuum ex ſolis indiviſibilibus præſertim finitis quodlibet temporis ſpatiũ habet, tum primum, tum ultimum inſtans intrinſecum quo non ſolùm terminatur ſed & conſtituitur; & ultimum inſtans intrinſecum temporis, in quo ſacramentum perficitur & ultimò exiſtit, in quo ſcilicet ponitur ultimum indiviſibile, ſive actionis, ſive verborum, ſacramentum conſtituentium, eſt illud ipſum inſtans, in quo gratia producitur & primò exiſtit, ſicque benè explicatur quomodò gratia utpotè permanens incipiat tota ſimul, & tamen dum incipit, exiſtat adhuc & gratiæ coëxiſtat ſacramentum, quamvis ſucceſſivum: de modo iſto non ambigo, quin quantùm pertinet ad hanc noſtram quæſtionem theologicam ſit cæteris expeditior, ab omni gravi difficultate liberior, & accommodatior ad explicandam phyſicam ſacramentorum cum gratia coëxiſtentiã pro phyſica illorum in iſtã cauſalitate requiſitam, undè ipſum cæteris præferendũ cenſerẽ, niſi eſſet cęteris magis difficilis minùs receptus, & à nobis etiã rejectus ex parte ſui principij philoſophici, ad quod cõſequitur. 64.

Suppoſita compoſitione continui ex ſolis indiviſibilibus nullo negotio explicatur, quando ſacramenta cauſent phyſicè gratiã.

Juxta ſententiam componentem continuum ex indiviſibilibus ſimul & partibus, quælibet determinata temporis morula utcunque minima cõtinet plures partes priores & poſteriores, pluraque inſtantia, tum continuativa, tum terminativa, nec ulla eſt aſſignabilis, quæ ſit tota ſimul, & in qua ſacramentum poſſit intelligi ultimo perfectéque exiſtens & coëxiſtẽs inceptioni ſeu productioni gratiæ, quæ eſſentialiter ex communi rerum permanentiũ lege incipit, & producitur tota ſimul: Hinc Auctores, ijque plurimi, talẽ ex philoſophia continui compoſitionẽ ſuſtinentes, & ex alia parte hoc loco tribuentes ſacramentis cauſalitatem phyſicam, vel concedunt ſacramenta, cum phyſicè gratiam cauſant, nullatenùs gratiæ phyſicè coëxiſtere, neque actualiter exiſtere in ſeipſis, ſed ſolũ immediatè antè extitiſſe; vel ſi ſuſtinent phyſicè coëxiſtere ponunt hujuſmodi coëxiſtentiam, aut in inſtanti duntaxat non in tempore, aut in tempore indeterminato, non determinato, in tempore, inquam, indeterminato immediatè antecedente 65.

Suppoſita compoſitione ejuſdem ex indiviſibilibus ſimul, & partibus, tres ſunt opiniones, & ſingulæ difficiles.

66. primum non eſſe ſacramenti : Hujus triplicis opinionis eadem proportionaliter eſt ratio, nimirùm quòd Sacramenta,& reliqua entia ſucceſſiva, ſecundùm Auctores primæ opinionis nullum habeant terminum intrinſecum, in quo ſint conſummata & ultimatè completa, ſed duntaxat extrinſecum explicatum per primum non eſſe;ſecundùm Auctores ſecundæ habeant pro termino intrinſeco inſtans;ſecundùm Auctores tertiæ habeant pro termino intrinſeco partem temporis indeterminatam. Auctores primæ ſunt Sotus *in 4.diſtinct.9.quæſt.2 artic.7.* Nugnus *hic q.62.art.1. diffic.5.* Cabrera *diſp.3.§.13.* Joannes à S.Thoma *diſp.24.art.1. dub.5.* Gonetius *diſp.3 art.3.§.5.* & cæteri Thomiſtæ communiter. Auctores ſecundæ ſunt Suar. *diſp.8 ſec.2.* Coninchus *q.62.art.1. dub.4.* Eſparza *lib.10.q.39.* Madernus *q.3 art.5.n.16.* & aliqui alij Recentiores. Auctores tertiæ non invenio nominatim referri, ipſius tamen opinionis mentio fit ferè ab omnibus, & ſignanter à Suario *præcit. ſec. 2. §. Ad hanc difficultatem*, Arrico *diſp.4 ſec.7.num.*138. Lugo *diſp.4.ſec.6. num.*108. Ex his opinionibus tertiam cenſeo omnium improbabiliſſimam, quia ſacramentum conſummari, & gratiam ſacramentalem incipere in tempore indeterminato, eſt qualibet temporis parte aſſignata, non in hac tota illud conſummari, & iſtam incipere, ſed in minore ; at hoc eſt potiùs explicare quando non conſummetur quàm quando conſummetur ſacramentum, quando non incipiat quam quando incipiat gratia. Deindè quis non patiatur mentis violentiam in concipiendo rem determinatam, & determinata actione, productam, ut eſt gratia, incipere in indeterminato tempore. Tandem aures ipſas pene offendit, quòd ex ea opinione ſequitur ne Deum quidem videre, quandonam præcisè ſacramentum conſummetur ? quandonam præcisè gratia ſacramentalis incipiat ? Secundam & primam opinionem cenſeo ferè ex æquo probabilem, quamvis in prima valdè durum ſit ſacramentum poſſe operari phyſicè, quando jam non exiſtit ; nec fortè minùs durum in ſecunda, quod primum eſſe gratiæ ſacramentalis poſſit coëxiſtere ultimo indiviſibili ſacramenti & ultimo inſtanti temporis, quo ſacramentum perficitur, abſque eo quòd ſimul coëxiſtat parti tum ſacramenti tum temporis ; cum enim, ſicut punctum in continuo permanente, ita inſtans in tempore ſeu continuo ſucceſſivo, non faciat majus, conſequens eſt neutrum eſſe extra partem ſui continui, ſed utrumque in partem aliquam incidere, cum parte aliqua penetrari ; quinam igitur fieri poteſt aliquid coëxiſtere puncto,vel inſtanti,& non ſimul parti ?

67. Fertur de tribus dictis opinionibus breve judicium.

68. Suppoſita compoſitione continui ex ſolis partibus diviſibilibus in infinitum recurrunt duæ ex tribus prædictis opinionibus.

Juxtà ſententiam componentem continuum ex ſolis partibus proportionalibus diviſibilibus in infinitum, certè quidquid in continuo ſucceſſivo (ut ſunt,tum tempus,tum ſacramenta (ſi Euchariſtiam excipias) aſſignetur habet partes priores & poſteriores,ſicque vix videtur poſſe explicari quòd gratia tota ſimul incipiat, & tamen,dum incipit, coëxiſtat alicui ultimo complemento intrinſeco ſacramenti, aut alicui determinatæ morulæ temporis:Ideò juxta hanc continui compoſitionem viget tota quæ juxta præcedentem difficultas aut etiam major, & plures putant non poſſe reſponderi aliter,quàm cum Auctoribus ibi pro primo, & tertio, opinandi modo relatis, recurrendo aut ad inſtans extrinſecum, aut ad tempus indeterminatum ; nihilominùs in re ſupereſt adhuc modus alius, quem Lugus quamvis aliundè phyſicam ſacramentorum cauſalitatem non ſuſtinens *præcit.ſec.6. num.*123. commendat, & refert quoque Suarez *præcitat ſec.*2.approbatque pro rebus alijs quamvis non pro ſacramentis: Conſiſtit porrò iſte alius modus in eo quod dicatur cum ſacramenta ultimò perfici, tum gratiam à ſacramentis primò produci, in parte temporis determinata, quæ licèt in ſe diviſibilis indiviſibiliter ſumatur ; cujus doctrinæ, aliqui duriuſculæ, intelligentiam partim ſuppono ex phyſicia, dum rerum permanentium inceptionem in tempore conciliarem cum diviſibilitate ipſius temporis in partes ſemper priores & poſteriores, partim iterùm in ſequentis aſſerti probatione,& propugnatione, ſubijcio : Sit igitur

Et poteſt quoque alius de novo addi.

69. Sacramenta cauſant phyſicè gratiam in determinata, breviſſimaque morula temporis, quâ in actuali ſumptione ultimò perficiuntur.

Aſſert 1. Sacramenta cauſant phyſicè gratiam, quando actu in re ſuſcipiuntur, & quidem neque in ultimo inſtanti ſive intrinſeco ſive extrinſeco, neque in parte temporis indeterminata ; ſed in parte determinata breviſſimaque morula, quâ in actuali ſumptione ultimò perficiuntur & complentur. Eſt aſſertum, ut ex præmiſſis habetur, conſequens noſtra principia philoſophica de continui compoſitione, & rerum permanentium inceptione ; quoad poſtremas particulas non procedit de Euchariſtia, utpotè quæ non perficitur & completur in actuali ſumptione ; quandonam verò & quonam determinato tempore ipſa phyſicè gratiam cauſet, tradetur in proprio ipſius tractatu ; interim omiſſa pro nunc Euchariſtia quoad reliqua ſacramenta, quæ dum ſumuntur eſſentialiter perficiuntur, & in ſucceſſivo conſiſtunt,

Probatur & explicatur aſſertum: Sacramenta neque cauſant phyſicè gratiam, antequam actu ſuſcipiantur, neque poſtquam fuerunt actu ſuſcepta, quia cauſa ut phyſicè cauſet debet actu exiſtere, ſacramenta autem, de quibus agitur, antequam actu ſuſcipiantur, non exiſtunt adhuc ; poſtquàm fuerunt actu ſuſcepta, non exiſtunt ampliùs ; cauſant igitur phyſicè 70.
quando actu in re ſuſcipiuntur, at non in ſuſceptionis initio, aut ut ita dicam progreſſu, quia in horum neutro, ſed ſolùm in termino habent ſacramenta totam ſuam eſſentiam & ſignificationem ; habent igitur etiam ſolùm in ſuſceptionis termino cauſalitatem ; at non in termino ſumpto pro ultimo inſtanti intrinſeco, quia nec datur in noſtris principijs philoſophicis ullum hujuſmodi inſtans intrinſecum, & quatenus daretur ægrè poſſet ſacramentum cauſare in tali inſtanti, quin ſimul cauſaret in aliqua temporis parte *ex præced. numer. ſexageſimoſeptimo*, Non item in tali termino ſumpto pro inſtanti terminativo extrinſeco propter difficultatem ſuſtinendi, quòd aliquid phyſicè operetur, quando primò non exiſtit, etſi immediatè ante extiterit.

Non

Digitized by Google

Non denique in eodem termino ſumpto pro ultima parte temporis indeterminata propter nimiam id affirmandi improbabilitatem inſinuatam dicto *num.67.* ergo omnibus benè conſideratis reliquum eſt ſacramenta cauſare phyſicè gratiam in parte temporis determinata, breviſſimâque morulâ, quâ in actuali ſumptione &c. ut magis, quantùm materiæ difficultas patitur, perſpicuum fiet ſolvendo inſtantias, quæ cenſeri poſſunt hujus loci propriæ.

Dices primò: In qualibet determinata parte temporis, morulâque breviſſimâ (eadem eſt ratio & difficultas de quâlibet parte illius continui ſucceſſivi, in quo ſacramentum conſiſtit) dantur partes priores & poſteriores: In illa igitur ultimâ determinatâ parte, in qua ponitur ſacramentum perfici, & gratia cauſari, conſidero duas partes, priorem alteram, alteram poſteriorem, & peto vel in priore parte ſacramentum eſt perfectum, completum, conſummatum, vel non; ſi eſt perfectum, ergo in parte poſteriore non ampliùs exiſtit, alioqui eſſet ens permanens; ergo in parte poſteriore non ampliùs gratiam phyſicè cauſat, alioqui operaretur phyſicè, quando non ampliùs exiſtit. Si non eſt in priore parte perfectum; ergo in ipſa nondùm gratiam cauſat, neque enim ſacramentum cauſat antequàm ſit perfectum & completum, ergo cauſat ſolùm in parte alia poſteriore, atque adeò nunquam ſalvatur gratiam phyſicè produci à ſacramento in tota aliqua parte temporis determinata. Rursùs paulò aliter, vel in parte priore gratia eſt producta tota, & ſic in poſteriore conſervatur, non ampliùs producitur; vel eſt producta tota tantùm in parte poſteriore, & ſic in priore nullatenùs producitur; res enim permanens non producitur, niſi quando tota producitur, cum eſſentialiter producatur tota ſimul; ergo.

71\. Sed contrà: admiſſis reliquis ad illud, quod petitur de duplici parte: altera priore, altera poſteriore, dico in parte priore ſacramentum eſſe perfectum perfectione protrahenda ad partem poſteriorem, non perfectione ſiſtente præciſè in ipſamet parte priore; Vel quod in idem recidit, ſacramentum eſſe perfectum in parte priore ut indiviſibiliter continuanda cum poſteriore, non in eadem ſumpta diviſibiliter & diſcontinuatè: Neque putes repugnare, quòd prius & poſterius ſe habeant indiviſibiliter; quamvis enim nequeant ſe habere indiviſibiliter in ordine ad ſe, benè poſſunt ex ordinatione & determinatione divina ſe habere indiviſibiliter in ordine ad perficiendum tertium: & ſic ſacramentum, quia in parte priore eſt perfectum; jam in parte priore gratiam cauſat; quia eſt perfectum perfectione protrahenda, in parte priore non deſinit, neque idcircò talis perfectio permanet, quod repugnat continuo ſucceſſivo; non permanet, inquam, quia protrahitur non per conſervationem ſui ipſius, ſed per ſucceſſionem alterius perfectionis ſibi omninò ſimilis. Ad eandem inſtantiam paulò aliter formatam vel eadem proportionaliter orta diſtinctione; uti dico in parte priore gratiam eſſe productam totam, at non totaliter id eſt ſecundùm totam ſuam entitatem, non ſecundum totam actionem productivam, nec propterea in parte poſteriore conſervatur ſaltem conſervatione propria & diſtincta à productione, quia hujuſmodi conſervatio præſupponit totam actionem productivam; adeóque rem productam totam & totaliter.

Dices ſecundò: Non poſſumus aſſignare, quanta ſit determinata pars temporis, in qua ponimus ſacramentum ultimò perfici & gratiam produci, quæcumque enim pars aſſignetur, certum eſt potuiſſe, aut minorem, aut majorem, à Deo taxari, ſæpè igitur erimus perplexi de valore ſacramenti, & de poſitione ultimæ partis ipſius ſub determinata menſura temporis ad ejus eſſentialem perfectionem neceſſaria, Utrùm v.g. in forma baptiſmi prolatio ultimæ ſyllabæ *ti* facta fuerit cum tota mora taxata à Deo; hincque erit commendanda magna, & ſcrupuloſa, ultimarum ſyllabarum protractio in proferendis formis ſacramentalibus.

Sed contrà: Verè determinata pars temporis, in qua ſacramentum perficitur, & gratia producitur, ſicut à ſolo Deo taxatur, ità ſoli Deo innoteſcit, nec poteſt à nobis certò aſſignari versùs minimum, ſeu versùs parvitatem, benè tamen versùs maximum, ſeu versùs magnitudinem; quatenùs ex communi Eccleſiæ ſenſu, & ſuavitate divinæ providentiæ, certum nobis eſt Deum taxaſſe non ingentem moram, ſed breviſſimam morulam, adeò ut vix fortè poſſit naturaliter dimidiari, quod eſt dicere de ſupra aſſerta breviſſima morula non conſtare nobis poſitivè, conſtare tamen negative, quanta ſit? & hoc ſufficit ad non inducendam perplexitatem valoris ſacramentorum, & ad non favendum ſcrupulis protrahentium ultimas ſyllabas formarum ſacramentalium; quamvis deindè facilè contingat tales ſyllabas produci ultrà menſuram à Deo taxatam, parum intereſt, quia ut dici ſolet, quæ abundant, non vitiant; productio tamen prolationis ultrà menſuram à Deo taxatam facta, ſicuti non eſt de neceſſitate ſacramenti, ita nec ad hujus eſſentialem perfectionem, nec ad gratiam efficiendam, inſerviet. 72.

Quanta præciſè ſit illa breviſſima morula? nobis innoteſcit negativè tantùm, non poſitivè; ſoli Deo innoteſcit ſimpliciter.

Dices tertiò, miſſis alijs difficultatibus, quas latè objicit & ſoluit Lug. *præcit. ſec.6.* quaſque placet omittere eo quòd contra principia philoſophica, ad quæ noſtra præſens doctrina conſequitur potiùs, quàm directè contra ipſam præſentem doctrinam militent; Miſſis, inquam, aliis difficultatibus, ex noſtro aſſerto ſequitur illud, quod cauſat phyſicè gratiam ſacramentalem, eſſe ſolum ultimam determinatam partem materiæ vel formæ ſacramẽti correſpondentem breviſſimæ temporis morulæ, qua ponimus ſacramenta perfici, atqui hoc non videtur rectè dici, quia cum ea ultima pars non ſit totum ſacramentum, imò neque ſit tota materia, neque tota forma ſacramenti, non apparet quomodò ſacramentum ſimpliciter dicatur cauſare phyſicè gratiã, quã non cauſat phyſicè ſecundum ſe totum, imò nec ſecundum totã ſuã materiam, nec ſecundum totam ſuam formam; & auctoritates quarum ſuprà meminimus pro phyſica ſacramentorum cauſalitate ad ſenſum valdè improprium & diminutum deprimuntur, ſi verificantur ſolùm de ultima & modicíſſima ſacramentorum parte; ergo: Sequela

majoris probatur, quia illud ſolùm phyſicè gratiam cauſat, quod phyſicè exiſtit quando gratia cauſatur; atqui per nos gratia cauſatur in morula temporis, in qua phyſicè exiſtit ſolùm illa ultima determinata pars, cæteræ verò ſa-
73. cramenti partes præteritæ; ergo. Sed contra: Inſtantia in primis majorem habet difficultatem in quocumque alio, quàm in aſſerto à nobis, dicendi modo; minùs quippe de ſacramento explicat minuſve continet pars indeterminata, aut indiviſibile intrinſecum, aut terminos extrinſecus, quam pars determinata; ſi igitur cæteri Auctores cauſalitatis phyſicæ ſacramentorum putant huic non obeſſe; quod gratia cauſetur, cum ſacramentum exiſtit ſolùm, aut ſecundum partem indeterminatam, aut ſecundùm indiviſibile terminativum intrinſecum, aut etiam duntaxat ſecundum terminum extrinſecum, majori jure non oberit, quod ſacramentum exſtat ſolum ſecundum partem determinatam, etſi modiciſſimam; Utrùm deindè hoc ſufficiat, ut cauſalitas phyſica tribuatur toti ſacramento, an in re tribui debeat ſoli prædictæ ultimæ parti? eſt illud, quod ſecundo loco in præfixo titulo proponebatur, pro quo, unâque ſimul pro directâ inſtantiæ mox poſitæ ſolutione, ſit

74.
Sacramenta cauſant phyſicè gratiam ſe totis.

Aſſert. 3. Nova ſacramenta, prout conſtant rebus & verbis, cauſant phyſicè gratiam ſe totis per ſe loquendo: Ita Sotus *in 4. diſt 9 q. 2. art. 7.* Sylvius *hic q 62. art. 1. quæſit. 3.* circa finem Gonetus *diſp. 3. art. 3. num. 104.* Maderus *q. 3. articul. 5. numer. 20.* & communiter quicunque tribuunt novis ſacramentis cauſalitatem phyſicam contra eos, qui talem cauſalitatem negant quique ad ipſam negandam ac improbandam adhibent inter alia, tanquam validum & efficax, argumentum, quod mox in inſtantia formabatur, quodque Amicum *hic diſput. 6. dub. 1.* & alios nonnullos induxit ad ſentiendum nec de potentia abſoluta elevabile eſſe ens ſucceſſivum ad efficiendam phyſicè rem permanentem.

Sumendo ea, ut conſtant rebus & verbis.

Dixi *prout conſtant rebus & verbis* quæ ex *præced. cap. 1. §. 1.* eſt ſacramentorum acceptio uſitatior, licèt materialis; cæterùm ſi ſacramenta ſumantur prout conſtant ex re ſignificante & ſignificatione; quæ eſt acceptio formalis & magis adæquata, licet minus uſitata, non cauſant phyſicè gratiam ſe totis ſeu ſecundùm ſe tota; non cauſant ſcilicet phyſicè ſecundum ſignificationem, cum hæc ſit in illis aliquid morale, adeóque dumtaxat aptum operari moraliter.

75.
Et loquendo per ſe.

Dixi *per ſe loquendo* quia ut ſuppono *ex eod. cap. 1. §. 2.* res & verba, ex quibus ſacramenta componuntur, licèt regulariter & per ſe continuentur phyſicè, non eſt tamen id ſacramentis eſſentiale, nec ipſorum valori obeſt res inter & verba, materiam inter & formam, aut inter unam & alteram partem materiæ, unam & alteram partem formæ phyſica diſcontinuatio, dummodò ſervetur continuatio moralis; ſi igitur per accidens contingat ſacramentum fieri cum morali dumtaxat, non phyſica partium continuitate priores partes, quæ à poſterioribus & ultimis erunt phyſicè diſcontinuæ, neque ut ſumptæ ſecundum ſe, neque ut facientes unum cum partibus ultimis habebunt phyſicam exiſtentiam & coexiſtentiam ad gratiam, quæ cum partes ultimæ ponuntur producitur, tale ſacramentum ſecundùm partes illas priores & ſe toto non cauſabit phyſicè gratiam; at hoc erit per accidens. Aſſertum ſic intellectum

Probatur & explicatur duo ſupponendo: 76.
Primum eſt, quod obſervat Cajetanus infrà *quæſtio. 78. artic. 4.* exiſtentiam totius ſucceſſivi non, ſicut exiſtentiam totius permanentis, requirere quidquid eſt ejus ſimul eſſe, ſeu omnes ejus partes ſimul exiſtere, ſed aliquid ejus eſſe, ex quo reliqua inferantur, ſeu exiſtere aliquam partem cum qua aliæ ſuo modo ideſt ſucceſſivè faciant unum; ratio eſt, quia eſſentia ſucceſſivi conſiſtit in tranſire & in inferri, non in permanere; in conſecutione unius ad alterum, non in ſimultate unius cum altero. Secundum eſt agens permanens, & localiter extenſum, licet ad phyſicè operandum requirat approximationem & indiſtantiam localem à paſſo, non eſſe neceſſe quod ſit approximatum & localiter indiſtans ſecundum quamlibet ſui partem, ſed ſufficere quod tale ſit ſecundum aliquam, cum qua aliæ faciant unum & phyſicè continuentur; ſic ignis bipalmaris v.g. quamvis lignum contingat ſecundum ſolam ſuperficiem ſecundi palmi, quia tamen cum hac ſuperficie facit per unam partem poſt aliam, ſeu continuatam alteri, quid unum totus bipalmus, dicitur ligno approximatus & in lignum phyſicè agere totus ignis bipalmaris.
77. Hinc procedendo ab agente permanente ad agens ſucceſſivum, & à præſentia ſeu indiſtantia loci ad præſentiam ſeu indiſtantiam temporis, dico quòd ſicuti totum agens permanens eſt loco indiſtans per hoc, quod ſit indiſtans ſecundum unam partem, cum quâ reliquæ faciunt unum, etſi in eodem loco non ſint, ita totum agens ſucceſſivum eſt tempore præſens per hoc, quod ſit præſens ſecundum unam partem, cum qua reliquæ faciunt unum, etſi ratione ſui eodem tempore non exiſtant; & extendendo paritatem, ſicut illud agens permanens dicitur ſe toto tanquam indiſtans agere, etſi habeat aliquas partes ſecundum ſe loco diſtantes; ita iſtud agens ſucceſſivum dicetur agere ſe toto tanquam præſens, etſi habeat aliquas partes ſecundum ſe tempore abſentes & præteritas; ſicut tandem illud agit ſe toto phyſicè ita & iſtud niſi aliud obſtet, ut ſupponitur aliud non obſtare ſacramentis, de quibus propterea meo videri manet ſufficienter probatum, & explicatum, quod aſſeruimus, unaque ſimul ſolutum argu-

Ita ſe habet ad agens ſucceſſivum præſentia temporis, ſicut ad agens permanens in diſtantia loci.

mentum ſuperioris inſtantiæ, ad quam in 78.
forma nego ſequelam abſolutè, ad probationem diſtinguo majorem, illud ſolum phyſicè cauſat gratiam, quod phyſicè exiſtit vel ratione ſui præcisè, vel ratione continuationis ſucceſſivæ cum altero, cum quo facit unum, concedo; quod phyſicè exiſtit ratione ſui præcisè nego majorem, eadem diſtinctione ad minorem adhibita nego conſequentiam, & retorqueo ex mox dictis argumentum. Illud ſolum phyſicè operatur, quod phyſicè contingit paſſum; atqui dum lignũ comburitur ab igne bipalmari, ſola

ultima

ultima ignis ſuperficies lignum contingit, ergò illa ſola phyſicè in lignum operatur.

Dices impugnando præſentem noſtram doctrinam, & inſtaurando præcedentem Adverſariorum inſtantiam: Ignis bipalmaris, quamvis lignum contingat, eique ſit localiter indiſtans, ſolum ſecundum ultimam ſuperficiem, totus tamen in ſe exiſtit dum lignum comburitur; Sacramentum verò non totum in ſe exiſtit, dum gratia producitur, & ita eſt ſecundum ſolam ultimam partem tempore præſens & coëxiſtens gratiæ, ut ſecundum eandem ſolam in ſe exiſtat, non ſecundum partes anteriores
79. & præteritas. Si quis reſpondeat, dum gratia producitur, Sacramentum exiſtere in ſe totum exiſtentia illativa & totius ſucceſſivi, quamvis non exiſtentia entitativa & totius permanentis, eademque exiſtentia illativa & ſucceſſiva rectè dici exiſtens etiam ſecundum partes anteriores & præteritas. Impugnabitur reſponſio, quia ſi hoc modo in ultima parte Sacramentum dicitur totum exiſtere, hocque ſufficit ut ſe toto phyſicè agat, dicendum quoque erit totum exiſtere in prima & qualibet alia ſui parte, ſicque dum primo incipit fieri incipiet ſe toto phyſice agere, & ex tunc ac in qualibet alia parte temporis, qua ſit gratiam phyſicè cauſabit, non in ſola parte ultima: Probatur hæc illatio ex eo, quia non magis faciunt unũ, nec majorem habent contiguitatem, partes præteritæ & anteriores cum ultima quam partes futuræ & poſteriores cum prima, unde etiam in communi modo loquendi res ſucceſſivæ per quamcunque ſui partem æque ac per ultimam dicuntur ſimpliciter exiſtere, ſic in qualibet diei hora dicitur eſſe talis dies, in qua-
80. libet anni die dicitur eſſe talis annus. Sed contrà: Amplector & approbo reſponſum interpoſitum, ad impugnationem dico Sacramentum, & quamlibet aliam rem ſucceſſivam conſiderari poſſe, vel ſecundum eſſe perfectum vel ſecundum quod abſtrahit ab eſſe inchuato & ab eſſe perfecto; ſub ſecunda conſideratione exiſtit ſimpliciter & totum Sacramentum in qualibet ſui parte, & ſub hac conſideratione ſumitur dies dum dicitur eſſe in qualibet ſui hora, & annus dum dicitur eſſe in qualibet ſui die: Sub prima conſideratione exiſtit Sacramentũ ſolùm in parte ultima quia hæc ſola eſt complementum & perfectio; debet igitur iſta principaliter & ratione ſui exiſtere, ut Sacramentum denominetur exiſtens totum in eſſe perfecto, & completo: Porrò cauſare phyſicè, imò etiam ſolùm moraliter, gratiam convenit Sacramento, non ut abſtrahenti, ſed ut exiſtenti in eſſe perfecto & completo, ideò nil concludit illatio, ad quam præterea ſicut & ad ejus probationem dici poteſt diverſam eſſe præſertim in ordine ad phyſicè cauſandum rationem de partibus præteritis relatè ad ultimam, ac de futuris relatè ad primam, illæ enim habent ratione ſui prioritatem ad effectum producendum à parte ultima, non ſic iſtæ ad effectum producendum à parte prima; illæ poſſunt ad ultimam comparari tanquam ad ſui virtutem, non ſic iſtæ ad primam; virtus quippe ſubſequitur, non præcedit id, cujus eſt virtus.

Quomodò Sacramentũ ſit totum in ultima, potiùs quàm in qualibet alia ſui parte.

§. V.

Quid ſit Gratia Sacramentalis, & utrùm etiam ſecundum id quod addit non Sacramentali, cauſetur à novis Sacramentis phyſicè?

Assert. 1. Gratia Sacramentalis non eſt habitus diverſus à gratia juſtificante, ſeu à gratia virtutum & donorum, neque huic addit aliquid phyſicum ipſam modificans & comitans; non eſt tamen præciſe ipſe habitus gratiæ juſtificantis, nec ab iſto differt ſolùm penes agens extrinſecum. Prima pars eſt contrà Paludanum *in 4. diſt. 2. quæſt. 4.* & Aureolum *diſt. 1. quæſt. 3. art. 4.* ponentes gratiam Sacramentalem in quodam habitu reparativo defectus, in cujus remedium ſpecialiter Sacramentum ordinatur. Secunda pars quoad ly *comitans* eſt contrà nonnullos opinatos gratiam Sacramentalem habere comitem quandam peculiarem qualitatem, quæ in aliquibus Sacramentis ſit character, in alijs ornatus animæ, pro hac opinione Lugus *hic diſp. 4 ſect. 3. num. 18.* refert Capreolum, quoad ly *modificans* eſt contra Nignum *hic quæſt 62. art. 2.* Cabreram *eod. art.* Joannem à S. Thoma *diſp. 24. art. 2. dub unic.* & aliquos alios Thomiſtas docentes gratiam Sacramentalem ſupra non Sacramentalem importare modum permanentem intrinſecum bene diſponentem ſubjectum ad illos peculiares effectus, ad quos quodlibet Sacramentum datur. Tertia pars eſt contrà non agnoſcentes aliud gratiæ Sacramentalis à non Sacramentali diſcrimen niſi quod iſta à ſolo Deo, illa à Deo ſimul & Sacramento producatur; pro hoc dicendi modo Gonetus *diſp 3. art. 4. num. 197.* recenſet Bonaventuram, Richardum, & Gabrielem, quos tamen invenio ab Amico *diſp. 4. ſect. 3. num. 41.* pro noſtro aſſerto referri, fortè quia poſſunt facile ad diverſas ſententias reduci, eò quod ſint obſcurius locuti, ut inſinuat Lugus *præcit num* 18. Quidquid de his ſit totum noſtrum aſſertum colligitur ex D. Thoma *hic quæſt. 62. art. 2.* Cajetano & Sylvio, *eod art.* Goneto *præcit art. 4.* Amico & Lugo *præcitat. ſect.* Suarez *diſput. 7. ſect. 5.* Arriaga *diſput. 16. ſect. 1.* Eſparza *lib. 10. quæſt. 18.* Herincx *diſp 4. quæſt. 1. n. 19* Maderno *quæſt. 3. art. 7.* cæteriſque Recentioribus communiter cum majori parte Thomiſtarum. 81.

Probatur prima pars: Habitus ille diverſus a gratia ſanctificante, neque eſt neceſſarius ad peculiares Sacramentorum effectus; nec ſi datur ea ſolis Sacramentis, & cum ſola gratia, qua per Sacramenta juſtificamur, datur; ergo gratia Sacramentalis non eſt, &c Probatur antecedens quoad primam partem, quia peculiares Sacramentorum effectus, ſicut & reparationes defectuum, in quorum remedium Sacramenta ordinantur, non ſunt niſi actus particularium virtutum, ad quos ſufficienter in actu primo diſponunt proprij earundem virtutum habitus in quolibet juſto reperti; ergo non eſt ad effectus illos neceſſarius habitus à 82.

Gratia Sacramentalis non eſt habitus diverſus à gratia juſtificante.

gratia juſtificante,ſeu à gratia virtutum & donorum,quod eſt idem ac dicere à gratia,virtutibus,& donis diverſus: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia habitus ille, ſi datur,datur ad eliciendos actus virtutū; per iſtos enim pervenitur ad proprios Sacramentorum fines, & perficiuntur Sacramentorum effectus; eſt igitur ſupernaturalis virtus, etiamſi fortè ſupponatur eſſe virtus innominata & pluribus alijs virtutibus æquivalens,atqui omnis ſupernaturalis virtus ad gratiam, tanquam proprietas ad eſſentiam, & potentia ad naturam,conſequitur; ad gratiam,inquam, ſive per Sacramenta ſive extra Sacramenta juſtificantem; ergo habitus ille ſi datur non ſolis Sacramentis, nec cum ſola gratia, qua per Sacramenta juſtificamur,datur.

83. Probatur ſecunda pars quoad ly *comitans*, quia gratis tribuitur aliquibus Sacramentis, quod cauſent qualitatem ornantem animam diverſimode,ac ornet gratia juſtificans;in alijs verò Sacramentis character ad gratiam Sacramentalem non pertinet,præcedit enim gratiam Sacramentalem, infunditur etiam quando ratione obicis ſuſpenditur, permanet etiam quando ratione peccati ſubſequentis amittitur gratia Sacramentalis, nec dat jus habendi peculiaria auxilia pro effectibus, ad quos Sacramenta characterem imprimentia ordinantur, quia hujuſmodi jus in ſolis juſtis, character etiam in peccatoribus, etiam in damnatis reperitur. Probatur eadem ſecunda pars quoad ly *modificans* quia hæc modificatio ponitur à ſuis Auctoribus gratiæ Sacramentali eſſentialis & intrinſeca, reddit igitur gratias Sacramentales eſſentialiter & ſpecie diverſas, tum ab invicem,tum à non Sacramentalibus, repugnat autem ex dictis ſuo loco ſpecifica diverſitas in gratia juſtificante,& quando non repugnaret, nulla eſſet neceſſitas inducendi de facto talem diverſitatem inter gratias Sacramentales, ſive inter ſe, ſive cum non Sacramentalibus comparatas, magnaque eſſet difficultas eandem ſuſtinendi, quia ægrè ſalvaretur gratias,aut ex diverſis Sacramentis, aut partim ex Sacramentis, partim extra Sacramenta aquiſitas in unam intenſiorem gratiam coaleſcere: Nec prodeſt,quod juxta probabiliſſimam ſententiam intenſio qualitatum fiat per gradus

Neque gratiæ juſtificanti addit aliquam phyſicam qualitatem.

Neque ullũ modum intrinſecum permanentẽ.

84. etherugeneos; Non prodeſt,inquam,quia hujuſmodi etherogeneitas fortè non eſt ſpecifica, & quando ſpecifica ſit,non habetur ex prædicatis qualitatis,quæ intenditur; ſed ex ordine graduum,& conſiſtit præciſè in eo,quod unus gradus ſit eſſentialiter primus, alter eſſentialiter ſecundus,&c.

Dices modificationem, quam gratia Sacramentalis ſupra non Sacramentalem importat, eſſe quidem eſſentialem & intrinſecam gratiæ Sacramentali ſumptæ formaliter & reduplicativè; at non ſumptæ materialiter, ſpecificativè,& ſecundum ſubſtratum, quod eſt entitas gratiæ communiter dictæ; ideò talem modificationem diverſificare gratias Sacramentales ab invicem ſpecie formali, non ſpecie entitativa & phyſica,à gratia autem non Sacramentali diverſificare ſolùm ſpecie accidẽtali;hincque benè ſalvari, tum quod gratiæ diverſorū Sacramentorum, aut Sacramentales & non Sacramentales,ſe mutuò intendant & in unam intenſiorem habitualis gratiæ entitatem coaleſcant, tum quod omnis gratia habitualis ſit unius ſpeciei athomæ loquendo de ſpecie ſimpliciter dicta,ideſt eſſentiali,entitativa,& phyſica. Sed contra: juxta hanc modificationis explicationem,quam fateor eſſe magis ad mentem Thomiſtarum eam ſuſtinentium,vix habet robur aliquod probatio adducta, improbatur tamen aliũde modus ſic explicatus ex eo,quod nulla ſit neceſſitas entitatis phyſicè modificantis,tum quia ad ſalvandam in Sacramentis gratiæ diverſitatem,quoties hæc non ſit eſſentialis & ſpecifica, ſufficit modificatio moralis, de qua infrà; tum quia, cum entitates modales non ſint ex genere ſuo operativæ, nec ad operandum dentur, non apparet qua ratione modus ille phyſicus inſerviat & conducat ad præſtandos effectus ſacramentorum proprios, in ordine ad quos maximè diſtinguuntur gratiæ ſacramentales, tum ab invicem, tum à non ſacramentalibua; & quatenùs ad id inſerviat, dum ſimul ponitur eſſe entitas phyſica permanens,erit pura quæſtio de nomine,quod dicatur modus potiùs, quàm habitus. 85.

86. Probatur tertia pars quia ſi gratia ſacramentalis eſt præciſè habitus gratiæ juſtificantis, erit præciſè unus idemque effectus primarius, una eademque gratia diverſorum ſacramentorum,ſicque gratiæ ſacramentales non ſolùm à non ſacramentalibus,ſed nec inter ſe erunt diverſæ; ad quid igitur inſtitutio, ad quid ſumptio diverſorum ſacramentorum? imò nec poterit ſuſtineri ipſamet diverſitas ſacramentorum in eo, quod eſt ipſorum proprium, nimirùm in ratione ſignificandi gratiam, nequit enim eſſe diverſa ſignificatio, ubi eſt idem terminus formalis ſignificatus. Nec ſufficienter diverſificantur gratiæ per habitudinem ad diverſum principium, quod ſit vel ſolus Deus, vel Deus ſimul & ſacramentum: enim verò hoc ſpectat ad puram denominationem extrinſecam, & ſicuti cæteri effectus non cenſentur diverſi ex eo quòd ſint à Deo, vel immediatè ſe ſolo,vel mediante inſtrumento,ita &c. Deinde diverſificare gratias ipſas Sacramentales inter ſe ex eo, quod ſint à diverſis Sacramentis,eſt ſupponere Sacramenta diverſa,& tamen iſta (ut mox dicebatur) in propria ratione non differunt,niſi per habitudinem ad diverſas gratias, vitioſo igitur circulo explicaretur diverſitas gratiarum Sacramentalium per habitudinem ad diverſitatem Sacramentorum, & diverſitas Sacramentorum per habitudinem ad diverſitatem gratiarum Sacramentalium.

Gratia ſacramentalis non eſt præciſè habitus gratiæ juſtificantis.

Nec ab iſta differt ſolùm penes diverſum principium efficiens.

87. Aſſert. 2. Gratia Sacramentalis addit gratiæ habituali juſtificanti jus morale ex divina inſtitutione proveniens, & reſpiciens ſpecialia auxilia danda ad peculiares effectus, & fines Sacramentorum: Sicque gratia Sacramentalis eſt gratia habitualis juſtificans cum jure morali,&c. Hoc aſſertum eoſdem quos præcedens habet, tùm pro ſe, tum contra ſe, Auctores.

Differt verò penes quoddam jus morale,quod iſti addit.

Probatur: Gratia Sacramentalis verè habet ex divina inſtitutione jus morale reſpiciens ſpecialia auxilia danda, &c & non habet hujuſmodi jus gratia habitualis juſtificans,prout extrà

Digitized by Google

extrà Sacramenta confertur; ergo gratia Sacramentalis addit gratiæ habituali, &c. conſequentia patet, id enim unum addit alteri, per id unum differt ab alio, quod reperitur in uno & non in alio: Probatur antecedens quoad primam partem, Sacramenta ex divina inſtitutione ordinantur ad effectus, & fines peculiares, ad quos præſtandos & obtinendos præter gratiam virtutum & donorum, tanquam naturam & potentias neceſſaria ſunt auxilia actualia, tanquam motiones; ergo gratia virtutum & donorum, quæ per ſacramenta confertur, debet habere & verè habet ex eadem inſtitutione morale jus ad talia auxilia, natura enim & potentiæ ex genere ſuo habent jus ad ea, ſine quibus exire nequeunt in ſuos actus ſecundos,
88. ut ſunt in propoſito prædicta auxilia; Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, Gratia juſtificans, prout extra ſacramenta confertur, habet quidem ipſa quoque jus ad auxilia danda pro actibus ſalutaribus, at non ad auxilia ſpecialia pro actibus peculiaribus; nam ſicuti non magis reſpicit hos, quàm illos actus ſalutares, unde ſecum fert pro omnibus potentias & habitus in intenſione æquales; ità non reſpicit auxilia ſpecialiter, aut inæqualiter, danda pro his potiùs, quàm pro illis, ſed indiſferenter & æqualiter pro omnibus; ergo Porrò ut facile cuique eſt excogitare, aut apud quemlibet Scholaſticum reperire, effectus & fines peculiares, ad quos Sacramenta ordinantur, ſunt in diverſis Sacramentis diverſi, ſic & diverſa correſpondere debent ſpecialia auxilia, diverſumque morale jus in gratia, quæ ex diverſo Sacramento confertur; hincque per morale jus ad ſpecialia auxilia rectè ſecernitur non ſolum gratia ſacramentalis à non ſacramentali, ſed etiam una gratia ſacramentalis ab alia. Ex tali igitur morali jure habetur ſufficiens & optimum conſtitutivum gratiæ ſacramentalis, & diſtinctivum, tum unius ab alia, tum cujuſlibet à non ſacramentali; nec poteſt meliùs aſſignari, quid ſit gratia ſacramentalis, quàm dicendo eſſe gratiam habitualem juſtificantem cum jure morali, &c. ut magis adhuc conſtabit occurrendo Adverſariorum oppoſitionibus. Ideò

Hujuſmodi jus eſt in gratijs diverſorum ſacramentorum diverſum.

89. Dices primò: Ex D. Thoma quæſt. 62. art. 2. in c. *Sicut virtutes & dona addunt ſuper gratiã communiter dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia Sacramentalis addit ſuper gratiã communiter dictam, & ſuper virtutes & dona, quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.* Atqui virtutes & dona ſuper gratiam communiter dictam addunt aliquid phyſicum, ergo etiam aliquid phyſicum addit gratia ſacramentalis ſupra gratiam communiter dictam, virtutes, & dona; quod phyſicum licet ab ipſo S. Doctore vocetur auxilium, ſit tamen non tranſiens per modum motionis & actualis concurſus, ſed permanens & confortans ad operandum ex parte actus primi ut permanent & confortant virtutes & dona. Cõfirmatur ex eo quod S. Doctor *eod. art. 2. ad 3.* ait *Ratio Sacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus*, ratio autem ſpeciei addit generi aliquid phyſicum & intrinſecum, nec ad gratiam habitualem juſtificantem, ut ſpecies ad genus, ſe habet gratia Sacramentalis, ſi nihil eſt aliud, quam gratia habitualis juſtificans cum jure morali, &c. Nec benè cum Cajetano *ibid.* Amico *præcit. ſect. 3. num. 59.* aliiſque nonnullis occurritur nomine gratiæ communiter dictæ intelligendo gratiam habituali & actuali cõmunem, ad quam ſicut habitualis & actualis ſe habent ut ſpecies, ita verè ut ſpecies ſe habeat gratia Sacramentalis utpotè actualis & in actuali auxilio conſiſtens. Non, inquam, benè occurritur, quia ex contextu totius articuli manifeſtum eſt ibi nomine gratiæ communiter dictæ venire gratiam habitualem juſtificantem, & præterea gratiam ſacramentalem eſſe actualem, & in actuali auxilio ſitam, nec eſt id, quod à nobis aſſeritur, nec eſt conforme menti S. Doctoris, qui pluries inſinuat gratiam ſacramentalem importare aliquid permanens ut ex variis ipſius locis oſtendit Joannes à 90.
S. Thoma *præcit. dub. unic.* Sed contra: libenter fateor eo *art. 2.* nomine gratiæ communiter dictæ venire gratiam habitualem juſtificantẽ; fateor item ac profiteor gratiam ſacramentalem eſſe permanentem, & aliquid permanens juſtificanti addere; ideò id, quod addit, dixi eſſe jus morale ad actualia auxilia quod permanet, non ipſa actualia auxilia quę tranſeunt, & dum S. Doctor ait addere quoddam divinum auxilium, ſumit iſtud non in actu ſecundo ſed in actu primo, prout in jure morali continetur; unde etiam non ait divinum auxilium actuale, ſed divinum auxilium, quod ab actuali abſtrahit, adeò ut etiam habitus à Deo infuſi rectè dicantur divina auxilia. Rejecta igitur reſponſione inſtantiæ interpoſita; aliter 91.

Occurritur auctoritatibus D. Thomæ.

Ad auctoritatem adductam dico non fieri ibi à D. Thoma comparationem quoad omnia, alioqui ſicut virtutes & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam diſtinctos habitus, diſtinctum quoque habitum ſuper eandem gratiam, virtutes & dona, adderet gratia ſacramentalis, quod non intendunt, nec admittunt, Thomiſtæ objicientes nobis prædictam comparationem: Debet igitur comparatio intelligi ſolùm quoad aliqua, nimirum quoad hoc, quod cum per virtutes & dona ſuper gratiam juſtificantem, cum per gratiam ſacramentalem ſuper eandem gratiam, virtutes, & dona, addatur aliquid permanens, abſtrahendo ab eo, quod ſit quid phyſicum vel morale, habitus vel modus. Eadem planè eſt intelligentia alterius auctoritatis in confirmationem adductæ: Ratio ſcilicet ſacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus; quatenùs ſicut ſpecies addit aliquid generi, ita gratia ſacramentalis addit aliquid gratiæ communiter dictæ; at non eſt extendenda comparatio ad illud, quod additur: Præter quod dici poteſt ſpeciem abſtrahere à phyſica & morali; ab eſſentiali & acciden- 92.
tali, & in verbis D. Thomæ ly *ratio ſpeciei ad genus* ſupponere pro ſpecie morali & accidentali; adeòque nihil aliud inferri, quàm quòd gratia ſacramentalis gratiæ communiter dictæ addat moralem accidentalemque differentiam quod veriſſimum eſt, & illud ipſum quod nos aſſerimus;

Digitized by Google

aſſerimus;eſt item ſufficientiſſimum ad intentum D. Thomæ nihil aliud eo loco intend ntis, quàm ſaluare quod non dicatur æquivocè gratia communiter ſumpta,& gratia ſacramentalis.

Dices ſecundò: Omnia moralis oritur ex aliquo phyſico, nec datur quidquam novum morale ſine aliquo novo phyſico; ergo gratia ſacrameuralis nequit addere gratiæ habituali juſtificanti jus morale, niſi ſimul addat aliquid phyſicum; ergo duo præcedentia aſſerta à nobis poſita ſibi contradicunt. Confirmatur: diverſæ gratiæ ſacramentalea important diverſa jura muralia; atqui eadem gratia ſanctificans non poteſt fundare diverſa jura moralia, ergo diverſæ gratiæ ſacramentales important, & gratiæ juſtificanti addunt, diverſas entitates phyſicas diverſa jura moralia fundantes, major habetur ex dictis *num.*88. minor probatur repetendo, quod mox objiciebarur non eſſe dabile novum morale ſine novo phyſico, diverſum morale ſine diverſo phyſico. Sed contra:

93. Quamvis omne morale oriatur ex phyſico, & novum morale ex novo phyſico, non eſt tamen neceſſe utrumque eſſe in eodem ſubjecto, & benè poteſt novum morale oriri ex aliquo phyſico exiſtente in alio ſubjecto ab eo, in quo conſurgit novum morale: In propoſito igitur concedo antecedens, diſtinguo conſequens, ergo gratia ſacramentalis nequit addere ratiæ habituali juſtificanti jus morale, niſi ſimul addat aliquid phyſicum ipſi gratiæ habituali extrinſecum, concedo; intrinſecum, nego; & tamen intrinſecum eſſe deberet, ut duo nostra aſſerta ſibi contradicerent, ut infertur in ſecunda conſequentia, quam propterea nego abſolutè. Porrò extrinſecum phyſicum, qood gratia ſacramentalis ſuper habitualem addit, ſeu connotat, nihil aliud eſt, quàm divina inſtitutio, unde ex hac aſſerui provenire jus morale gratiæ ſacramentalis proprium. Ad confirmationem conceſſa majore diſtinguo minorem, eadem gratia juſtificans ſecundùm ſe præciſè, & ſecundùm ſuas perfectiones intrinſecas, non poteſt fundare diverſa jura moralia, concedo; ut ſubeſt diverſæ inſtitutioni divinæ & diverſæ denominationi extrinſecæ, nego minorem, & conſequentiam. Et hinc obiter ſol-

94. vitur facilè argumentum, quod paulò aliter formari poteſt ad probandum eſſentialiter, & ſpecie, differre gratiam non ſacramentalem à ſacramentali, & unam ſacramentalem ab alia ſic, Ubi datur diverſa diverſarum rerum exigentia datur diverſa eſſentia; atqui in qualibet gratia ſacramentali, ſive ad non ſacramentalem, ſive ad aliam ſacramentalem, relara datur diverſa diverſorum auxiliorum exigentia; ergo datur diverſa eſſentia;ergo omnea hujuſmodi gratiæ differunt eſſentialiter& ſpecie: ſolvitur autem concedendo majorem de exigentia phyſica proveniente ab iutrinſeco, & ex natura rei, ſecùs de exigentia morali proveniente ab extrinſeco; qualis eſt, ut jam explicuimus, ea de qua agitur; Ideò &c.

Dices tertiò: Gratia communiter dicta, ſicuti ſecum fert habitus neceſſarios ad omnea actus ſalutares, ità ſecum fert exigentiam & jua ad divina auxilia pro talibus actibus requiſita; ergo ſicut ex primo capite gratia ſacramentalis ſuper communiter dictam non addit ullum ſpecialem ad actus ſalurares habitum, ita ex ſecundu non addet ullum ſpeciale ad divina auxilia jus; & nos ipſi incohærenter loquimur, dum illo rejecto iſtud aſtruimus. Confirmatur; Conſequenter ad gratiam communiter dictam, eo independenter à Sacramento, quilibet juſtus recipit opportuno tempore auxilia actualia ad operationes ſacramentorũ proprias; ergo quia gratia communiter dicta dat ad talia auxilia jus, non verò hoc ſuper illam addit gratia ſacramentalis, probatur antecedens, quia profiteri, v.g. fidem coram Tyranno eſt operatio propria Sacramenti Confirmationis, & tamen juſtua, aut non adhuc confirmatus, aut qui per peccatum confirmationem ſubſequens ſacramentalem confirmationis gratiam amiſit, non deſeritur actualibus auxiliis ad profitendam coram Tyranno fidem requiſitis; ergo. Sed cō-

trà: Concedo antecedens, nego conſequentiam; 95. *Quomodo in gratia Sacramentali, & non Sacramentali, ſit diverſum ad actualia auxilia jusà*

diſparitas eſt, quia ad eliciendos aliquos peculiares actus frequentius, facilius, infallibilius, & quocunque peculiari modo ſacramentorum proprio; ſufficiunt communes virtutum habitus, non ſic communia auxilia, ac per conſequens nec commune ad iſta jus, & ratio à priori ſit quia ea, quæ ſunt actui ſecundo proximiora & ad ipſum magis deducentia, debent eſſe determinatiora; actualia autem auxilia, & ad ipſa jus, ſunt actibus ſecundis, ad quos dantur proximiora, quàm habitus. Ad confirmationem diſtinguo antecedens, recipit opportuno tempore auxilia actualia communia, & ex jure communi, concedo; ſpecialia, & ex jure ſpeciali, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam, pro qua adverto operationes Sacramentorum proprias aliquas cadere, aliquas non cadere ſub præcepto: Ad non cadentea ſub præcepto veriſimile eſt deſtitutum gratia ſacramentali aliquando omni carere auxilio, non ſic gratia ſacramentali inſtructum; Ad cadentes ſub præcepto præſto ſunt, ſicut ad vitandum peccatum, actualia auxilia cuilibet ſive juſto ſive peccatori; diverſimodè tamen, peccatori ſcilicet ſine aliquo ipſius jure; juſto per gratiam non ſacramentalem ex ipſius jure ar dumtaxat communi; juſto per gratiam etiam ſacramentalem ex quodam ipſius jure ſpeciali. Quod dicebarur de juſto, qui per peccatum ſacramenti ſuſceptionem ſubſequens ſacramentalem gratiam amiſit, non eſt ad rem, quia iſte ſi ſupponitur juſtus, & à peccato illo juſtificatus gratiam etiam ſacramentalem in

juſtificatione recuperavit, ut attingetur infrà 96.

§.8. *num.*149.

Si quæras hic in quonam aoxilia ſpecialia conſequentia gratiam ſacramentalem differant potiſſimum ab auxilijs communibus conſequentibus gratiam communiter dictam? Reſpondebitur differre potiſſimum in eo, quod illa, non iſta, dentur ex ſpeciali inſtitutione ac promiſſione divina, & ex hac ſortiantur ſpecialiſſimam infallibilitatem: eademque ratione jus ſpeciale differt potiſſimum à jure communi in eo, quod illud oriatur ex inſtitutione Dei, iſtud ex natura gratiæ: dixi potiſſimum, non deſunt alia minus principalia diſcrimina, puta quod auxilia

Digitized by Google

auxilia ſpecialia dentur ex opere operato, communia ex opere operantis, ſicut datur ex opere operato gratia ſacramentalis, ex opere operantis gratia communiter dicta; item quod illa eſſe ſoleant ubetiora, & ex ſpecialibus plura quam ex communibus efficacia. Hinc ſi quæratur ulterius, An auxilia conſequentia gratiam ſacramentalem poſſint ſaltem de lege extraordinaria dari extra Sacramentum & independenter à ſacramento: Reſpondebitur poſſe dari eadem auxilia phyſicè & quoad ſubſtantiam, at non moraliter & quoad modum, cum eadem ſcilicet entitativa perfectione, ubertate, & efficacia; at non cum eadem habitudine ad jus morale nec ex eadem Dei inſtitutione, nec item ex eadem applicatione operis operati.

97. Gratia ſacramentalis ſecundùm id, quod addit non ſacramentali, non cauſatur à ſacramentis phyſicè.

Aſſert. 3. Gratia ſacramentalis ſecundùm illud, quod addit gratiæ non ſacramentali, ſeu gratiæ habituali communiter dictæ, non cauſatur a novis ſacramentis phyſicè. Ita tum Auctores negantes ſacramentis omnem phyſicam cauſalitatem, dum ad hanc negandam moventur etiam ex præſentis aſſerti ſuppoſitione, & ex eo, quòd ſacramenta non cauſent phyſicè gratiam ſecundùm propriam differentiam ſacramentalis; inferunt neque cauſare phyſicè gratiam communiter dictam, & differentiæ ſeu addito ſacramentalis ſubſtratam; tùm ex Auctoribus phyſicam ſacramentorum cauſalitatem admittentibus illi omnes, qui ſtant pro ſecundo aſſerto præcedente.

Probatur: Gratia ſacramentalis non ſacramentali addit proxime & formaliter jus morale, remote & radicaliter ſpecialia auxilia, tanquam moralis juris fructus & effectus; neutrum autem cauſatur à ſacramentis phyſicæ, non jus morale, quia ex hoc ipſo, quod eſt quid morale, poteſt ſolùm cauſari moraliter; Non ſpecialia auxilia, quia hæc cauſantur à ſacramentis medio jure morali, non cauſantur igitur magis, quam cauſetur ipſum jus morale: Deinde ſpecialia auxilia non dantur in actuali ſuſceptione ſacramenti ſed in opportunitatibus ſucceſſivè decurſu temporis occurrentibus, quando ſacramentum tranſactum eſt, & ſicuti non ampliùs phyſicæ exiſtit, ita nullatenùs poteſt phyſicè operari, ergo quod gratia ſacramentalis addit non ſacramentali, quomodocunque ſumatur, non cauſatur a ſacramentis phyſicè.

Dices: Ergo ſacramenta nullam prorsùs gratiam phyſice cauſant non cauſant quippè phyſicè gratiam ſacramentalem, quia ex mox dictis non cauſant phyſicè propriam rationem gratiæ ſacramentalis conſtitutivam & diſtinctivam ejus à non ſacramentali: Multò minus cauſant phyſicè gratiam non ſacramentalem, quia hæc datur extra ſacramenta, nec eſt ſacramentorum effectus.

98. Sed contra e dico cauſare phyſicè gratiam ſacramentalem ſpecificativè, non reduplicativè; ſecundùm id, quod per modum ſubſtrati, non quod per modum ultimi conſtitutivi & diſtinctivi importat; hoc tamen ſufficit, ut dicatur cauſare gratiam ſacramentalem ſimpliciter & abſolutè, quia ſubſtratum eſt id, quod in ea nobilius ac principalius eſt; undè etiam ſimpliciter & abſolutè dicitur juſtificare, quamvis formaliter juſtificet ratione ſolius ſubſtrati, non ratione ſui ultimi conſtitutivi & diſtinctivi.

Ex his habetur gratias ſacramentales differre ab invicem non in ſubſtrato, & entitate phyſica intrinſeca, ſed in ratione ſuperaddita & pure morali: eſtque hoc corollarium expreſſa doctrina D. Thomæ infrà *q. 72. art. 7. ad 3.* ubi ad gratiam baptiſmi comparans gratiam Confirmationis ait, *Si conſideretur gratia in hoc ſacramento collata, quantum ad id, quod eſt commune, ſic per hoc ſacramentum non confertur aliqua alia gratia, quàm per baptiſmum, ſed quæ prius inerat, augetur: ſi autem conſideretur quantum ad illud ſpeciale, quod ſuperadditur, ſic non eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſa.* Utrùm deindè gratia baptiſmi, & gratia confirmationis, ſicut & gratiæ aliorum ſacramentorum ex eo quod non ſint ejuſdem ſpeciei quoad ſuperadditum, debeant ſimpliciter dici differre ſpecie ab invicem, an potiùs ſpecie ad invicem convenire ex eo quòd ſint ejuſdem ſpeciei quoad ſubſtratum? ſpectat ad modum loquendi & diſſidium vocale, in quo pro ipſis ſimpliciter denominandis diverſæ ſpeciei facit, quod ſuperadditum ſit ipſarum prædicatum formale, pro iiſdem ſimpliciter denominandis ſpeciei ejuſdem facit, quòd ſubſtratum ſit earundem prædicatum principalius & nobilius. Fortè vitabitur quæſtio de nomine, ſi ſumptæ ſpecificativè, dicantur eſſe ſimpliciter in eadem ſpecie, in diverſa ſumptæ reduplicativè; in diverſa, inquam, morali tamen, non phyſica, cùm per nos morale ſit, non phyſicum, ipſum ſuperadditum, quod eſt formalis & proxima ratio diverſitatis.

99. An, & quomodo, diverſæ gratiæ ſacramentales differant ab invicem ſpecie.

---

§. VI.

Quamnam gratiam habitualem ſacramenta per ſe cauſent; primamne, an ſecundam?

ASSERT. Non omnia, ſed ſola ſacramenta mortuorum, ideſt baptiſmus & pœnitentia per ſe ſeu ex primario propriæ inſtitutionis fine cauſant primam gratiam: Non omnia item, ſed ſola ſacramenta vivorum, ideſt alia quinque à baptiſmo, & pœnitentia, per ſe cauſant ſecundam gratiam. Prima pars eſt contrà duas opiniones extremas, quarũ altera omnibus prorsùs novis ſacramentis tribuit cauſare per ſe primam gratiam, altera omnibus prorsùs id negat: Prioris opinionis, tacitis ipſius Auctoribus, meminit Suar. *diſp. 7 ſec. 2. §. Secundum dubium*, eamque cum aliqua limitatione & diſtinctione tradunt Nugnus *hic q. 62 art. 1. difficult. 1.* Joannes à S. Thom *diſp. 24 art. 1. dub. 2.* aliique nonnulli: Poſterioris opinionis fuerunt olim Ocham *in 4. diſtinct. 4. quæſtio. 8.* Gabriel *diſtinct. 4.* & *diſtinct. 14. quæſtio. 2. articul. 2.* Argentinas *diſtinct. 16. quæſt. 1. artic. 1.* & *diſt. 18. quæſt. 1. art. 3.* aliique antiqui non pauci, qui referuntur ſenſiſſe nullum prorsùs ſacramentum facere de attrito contritum, nullumque peccatorem adultum eſſe, niſi per contritionem, ſufficienter diſpoſitum ad fructuoſam alicujus ſacramenti ſuſceptionem; Ad eandem 100.

 opinio

opinionem accedunt illi, qui etiam nunc docent ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiri dolorem ex dilectione divina, ſeu ex motivo Dei ſuper omnia dilecti provenientem. Secunda aſſerti pars eſt contra Serram *hic quæſt.* 62. *art.* 1. *dub.* 3. de omnibus ſacramentis, etiam mortuorum, affirmantem, quod per ſe cauſent gratiæ augmentum ſeu ſecundam gratiam, idemque à fortiori affirmabunt quicunque ut mox retulimus mortuorum ſacramentis negãt per ſe cauſare gratiam primam. Totum aſſertum, aut ſaltem major & magis controverſa ipſius materies, habetur ex D. Thoma infra *quæſt.* 68. *artic.* 4. & *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 5. Scoto *in* 4. *diſtinct.* 4. *quæſtio.* 5. §. *Reſpondeo* & *diſt.* 14. *quæſt.* 4. §. *Quantum ad tertium*, Gonero *hic diſput.* 3. *articul.* 5. Suario *præcit. ſec.* 2. Amico *diſput.* 4. *ſec.* 4. & 5. Arriaga *diſp.* 16. *ſec.* 1. Eſparza *lib.* 10. *quæſt.* 26. Madereno *quæſt.* 3. *art.* 6. & plurimis alijs, quorum aliqui à cenſura, præſertim contrà poſteriorem opinionem primæ parti aſſerti oppoſitam, non abſtinent.

101. Sacramenta mortuorum, & ſacramenta vivorum, quæ & cur ſic dicta.

Dixi *Sacramenta mortuorum, ideſt baptiſmus & pœnitentia: Sacramenta vivorum, ideſt alia quinque*; Uſus enim obtinuit, ut duo priora mortuorum denominentur, eò quòd ſint inſtituta, ut hominem regenerent, aut ad novam vitam revocent, ideóque dari ſolent ſpiritualiter mortuis morte peccati, in lethali ſcilicet peccato aut originali aut perſonali exiſtentibus; alia verò quinque denominentur vivorum, eò quòd ſint inſtituta ad augendam, fovendam, & nutriendam vitam, ideóque dari ſolent ſpiritualiter vivis vita gratiæ, in gratia ſcilicet conſtitutis.

Dixi *per ſe ſeu ex primario propriæ inſtitutionis fine*, quia ly *per ſe* poteſt etiam alijs modis ſumi, puta prout importat præcisè per propriam virtutem, & contraponitur ad per accidens ſumptum prout importat per virtutem accidentaliter aliundè adjunctam, qua ratione calidum actione antiperiſtica per accidens, non per ſe, frigefacit, Muſicus per accidens, non per ſe, ædificat; & in hoc ſenſu ſumpto *per ſe* non negaremus ſacramenta mortuorum cauſare per ſe, ideſt ex efficientia propriæ virtutis, ſecundam gratiam, ſicut nec Adverſarij præmemorati pro opinione affirmante etiam ſacramenta vivorum cauſare per ſe gratiam primam, per ly *per ſe* intelligunt ſolùm per efficientiam propriæ virtutis; nam hanc efficientiam reſpectu primæ gratiæ in ſacramentis vivorum agnoſcunt etiam Auctores volentes ipſa cauſare primam gratiam ſolùm per accidens. His poſitis

102. Sacramenta vivorum non cauſant per ſe primã gratiam.

Probatur prima aſſerti pars contrà opinionem omnibus prorsùs novis ſacramentis tribuentem cauſare per ſe primam gratiam: Vel enim hæc opinio ſine limitatione procedit, & vult ſacramenta vivorum cauſare per ſe primam gratiam, æquè ac ſacramenta mortuorum, adeò ut peccator ad illa, ſicut ad iſta, poſſit licitè accedere cum ſolâ attritione, cognita ut tali, & ſic accedens juſtificari: Vel procedit cum limitatione, & vult utraque quidem ſacramenta eſſe apta per ſe cauſare primam gratiam; at ſacramenta mortuorum id habere tum ex inſtitutione generica & ratione communi ſacramenti novæ legis, tum ex inſtitutione ſpecifica & ratione differentiali ſacramenti talis; ſacramenta autem vivorum id habere dumtaxat primo titulo, & ſumpta ſecundùm inſtitutionem ſpecificam rationemque differentialem per ſe cauſare gratiam ſecundam, ideò per ſe requirere diſpoſitionem gratiæ ſecundæ proportionatam, qualis non eſt attritio cognita ut talis. Si opinio procedit primo modo, continet doctrinam oppoſitam praxi & ſenſui omnium Catholicorum, & ſignanter reſpectu Euchariſtiæ nec Apoſtolo 1. *Cor.* 11. nec Tridentino *ſeſſ. decimatertia, capite ſeptimo*, conformem, undè ab Arriaga *præcit. ſec.* 1. *num.* 6. cenſetur erronea ſi non hæretica, & majori impugnatione non indiget. Si procedat ſecundo modo, ſit licet à cenſura immunis, eſt valdè difficilis, & impugnatur ex eo quòd diſtinctio rationis communis & differentialis, inſtitutionis genericæ & ſpecificæ, utpotè intentionalis & metaphyſica, impertinenter ſe habet ad cauſalitatem phyſicam & realem; Dato verò, quòd poſſit pertinenter ſe habere, gratis & ſine fundamento excogitatur inſtitutio generica; neque enim Chriſtus ſacramenta inſtituit aliter, quàm in ſpecie; & quod ex ſacramentis in ſpecie inſtitutis erui poſſit aliqua communis ratio generica eſt opus noſtri intellectus abſtrahentis, non Chriſti inſtituentis: Et quando tandem permittatur inſtitutio generica & ratio communis, quam Adverſarij intendunt, non reſpiceret determinatè gratiam primam, ſed gratiam abſolutè, ut abſtrahit à primâ & ſecundâ, quod ſic probo, Inſtitutio ſeu ratio generica & communis ſacramentorum novæ legis debet eſſe contrahibilis à differentijs ſpecificis talium ſacramentorum; atqui non eſſet ſic contrahibilis ſi reſpiceret determinatè gratiam primam ſeu hujus cauſalitatem per ſe, alioqui in ſacramentis mortuorum contraheretur à ſe ipſa; horum enim differentia ſpecifica etiã juxtà Auctores, quos impugnamus, nihil eſt aliud, quàm per ſe cauſare primam gratiam; in ſacramentis vivorum contraheretur à differentiâ ſibi repugnante, iſtorum enim differentia ſpecifica etiam juxtà eoſdem Auctores eſt cauſare dumtaxat ſecundam gratiam, non primam; ergo. 103. Etiamſi ſirmamus ſecundùm inſtitutionem genericam & rationem communem novi ſacramenti.

Dices: Quod gratia ſit prima vel ſecunda pendet ſolùm ex conditione ſubjecti nondum præexiſtentis vel jam præexiſtentis in gratiâ; cæterùm eadem gratiæ entitas, quæ in uno eſt gratia prima, eſſe poteſt in alio gratia ſecunda, & è contrà; ergo eo ipſo quod ſacramenta nova ex ſua ratione generica poſſunt per ſe cauſare gratiam abſolutè, poſſunt per ſe cauſare gratiam primam, ſeu gratiam in qua continetur, cum gratia prima, tum gratia ſecunda: Sacramenta deindè mortuorum habent ex ſua ratione ſpecifica per ſe cauſare gratiam primam non ſolùm, ut explicat præcisè propriam entitatem, ſed etiam ut hanc explicat relatè ad ſubjectum, in quo denominatur prima, & in quo præſtat effectum gratiæ ſic denominatæ proprium, quod non habent ſacramenta vivorum; imò iſta per ſe cauſant gratiam ſolùm, ut explicat propriam entitatem 104.

entitatem relatè ad ſubjectum, in quo denominatur ſecunda: Ecce quomodò ratio generica reſpiciens per ſe cauſare gratiam primam, neque à ſe ipſa in ſacramentis mortuorum, neque à differentia ſibi repugnante in ſacramentis vivorum contrahitur: Ecce inſuper ex continentia gratiæ primæ in gratia abſolutè dicta poſitivè impugnatam primam noſtri aſſerti partem, & confirmatur impugnatio tum auctoritate, tum ratione: Auctoritate, quia Concilia & Patres aſſignantes gratiam pro effectu omnibus novis ſacramentis communi magis propriè intelliguntur, ſi intelligantur de gratia etiam prima: Ratione, quia ſacramenta nova ex genere ſuo per ſe cauſant gratiam ex virtute paſſionis & mortis Chriſti, adeò ut etiam talem virtutem in ſe contineant, quemadmodum nos ipſi attigimus *præced.* §. 2. *n.* 17. 28. & 31. virtus autem paſſionis & mortis Chriſti omninò poteſt per ſe cauſare gratiam

105. primam. Sed contrà: Cum juxta præſentem providentiam non detur ſtatus medius inter ſtatum gratiæ, & ſtatum peccati; gratia prima eo ipſo quod non ſupponit ſubjectum præexiſtens in gratia, ſupponit ipſum exiſtens in peccato, nec poteſt in ipſo recipi niſi remittendo & expellendo peccatum; gratia igitur prima addit entitati gratiæ remiſſionem peccati, & illam per ſe cauſare eſt per ſe cauſare complexum ex gratiæ entitate & peccati remiſſione, & ſacramenta eo modo, quo non ſunt inſtituta ad cauſandam per ſe remiſſionem peccati; non ſunt inſtituta ad cauſandam per ſe gratiam primam; nec in gratiâ abſolutè dicta continetur gratia prima adæquatè, taliter quod ex cauſalitate per ſe gratiæ abſolutè dictæ inferatur cauſalitas per ſe gratiæ primæ; nec item ſacramenta mortuorum à ſacramentis vivorum differunt præcisè per hoc, quod cauſent gratiæ entitatem in ordine ad diverſum ſubjectum, ſed per hoc quòd illa præter gratiæ entitatem præſtent aliquid aliud, ideſt peccati remiſſionem, à qua gratiæ entitas habet, quod ſit gratia prima.

Urgebis: omne agens potens inducere aliquam formam eo ipſo poteſt expellere formam oppoſitam; atqui peccatum eſt forma aut quaſi forma oppoſita entitati gratiæ abſolutè dictæ; ergo omne agens, & omne ſacramentum, potens per ſe inducere, ſeu per ſe cauſare entitatem gratiæ, eo ipſo poteſt per ſe cauſare expulſionem remiſſionemvè peccati; nec præſtare peccati remiſſionem debet conſiderari tanquam aliquid ampliùs, quàm inducere gratiæ entitatem. Sed contrà: Concedo ma-

106. jorem de forma oppoſita auferibili paulatim & per gradus, adeò ut forma, quæ inducitur per ſingulos ſuos gradus excludat ſingulos gradus formæ oppoſitæ reliquis gradibus relictis, ut evenit in qualitatibus contrarijs elementorum; nego eandem majorem de forma oppoſita non auferibili, niſi indiviſibiliter & totaliter, adeò ut forma, quæ inducitur, per quemlibet ſui gradum excludat omnes gradus, aut quaſi gradus formæ oppoſitæ, ſicut gratia per quemlibet ſui gradum excludit omnia peccata ſecundùm ſe tota. Ratio diſparitatis & diſtinctionis eſt, quia in prioribus formis ſicut

Quandonam inductio unius formæ & expulſio contrariæ, ſint effectus ejuſdem præcisè poteſtatis; quando non.

inductio cujuſlibet gradus eſt conjuncta cum expulſione gradus oppoſiti correſpondentis, nec magis de forma oppoſita expellit primus gradus, quàm ſecundus, aut alius quilibet; ita poteſtas inducendi talem formam quomodocunque conſideratam eſt ſemper conjuncta cũ poteſtate expellendi oppoſitam, nec ſimul cum iſta cenſetur aliquid ampliùs, quàm ſe ſola: In formis poſterioribus ſinguli gradus abſtrahunt ab eo, quòd conjungantur vel non cum expulſione formæ oppoſitæ, & in re conjungitur ille ſolus gradus qui primus eſt, ſeu qui primò in ſubjectum inducitur: Ideò in hujuſcemodi formis inducere formam & expellere contrariam, item inducere gradum primum, jure cenſetur aliquid ampliùs, majoremque poteſtatem requirens, quàm inducere formam præcisè, aut gradus alios à primo; diſtincta igitur juxta hãc doctrinã majore, & minore, nego conſequentiã.

Ad confirmationem principalis inſtantiæ quatenùs ab auctoritate deſumptam, dico Concilia & Patres ſæpè cum aliqua limitatione loqui, dicendo de ſacramentis univerſim, quòd contineant & cauſent gratiam, non quamcunque ſed quam ſignificant, non omnia autem ſignificant gratiam per modum dantis vitam, quod eſt ſignificare gratiam primam, ſed aliqua per modum roborantis ut Confirmatio, aliqua per modum nutrientis ut Euchariſtia; quod eſt ſignificare gratiam ſecundam: Non ſunt igitur omnes auctoritates intelligendæ de gratia prima, nec propterea intelliguntur minùs propriè, quia quilibet gradus gratiæ eſt æquè propriè gratia, ſicut quilibet gradus caloris eſt æquè propriè calor. Deindè nonne juſti per bona opera dicuntur mereri gratiam abſolutè & propriè, & tamen merentur ſolum gratiam ſecundam, ſeu gratiæ augmentum. Ad eandem confirmationem, quatenùs à ratione deſumptam, dico virtutem paſſionis & mortis Chriſti univerſaliter acceptam, aut totaliter communicatam; utique poſſe per ſe cauſare gratiam primam; at ſacramenta operantur ex virtute mortis, & paſſionis, diverſimodè juxtà diverſam inſtitutionem participata, & communicata partialiter, ideò ut ex illa per ſe cauſent primam gratiam, debent ipſam ex propria inſtitutione participare in ordine ad talem cauſalitatem; quòd non omnibus, ſed ſolis mortuorum ſacramentis, convenit, non vivorum. 107.

Gratia ſecunda eſt gratia æquè propriè, ac ſit gratia prima.

108.

Urgebis: eadem virtus, quæ poteſt qualitatem, vel habitum augere, poteſt primò inducere; ergo ſi ſacramenta vivorum ex virtute paſſionis, & mortis, poſſunt per ſe cauſare ſecundam gratiam, quod eſt ipſam augere, poterunt etiam per ſe cauſare primam, quod eſt eandem primò inducere: Antecedens conſtat inductione, & ex eo quod, ſi quæ eſt major qualitatis perfectio, eſt potiùs in augmento, quàm in prima inductione, in gradibus alterius, quàm in primo. Sed contrà. Permitto antecedens ſi cætera ſint paria, nego ſi diſparia, ut diſparia ſunt in propoſito, ubi gratiam primò inducere importat ſimul expulſionem formæ contrariæ & remiſſionem peccati, non ſic gratiam intendere ſeu augere, hincque ad illud major, quam ad iſtud, virtus requiritur, ut 109.

Quandonam formam augere, & eandem primò inducere, poſſint eſſe ab eadem virtute; quando non?

ut jam dictum eſt *num.* 106. Occurrit alia quoque diſparitas, quia ſcilicet in Sacramentis vivorum virtus paſſionis & mortis eſt primariò inſtituta, & applicata à Chriſto ad intendendam, non ad primo inducendam gratiam; in cauſis autem inſtrumentalibus virtus, quamvis aliunde ad multa ſufficiens, operatur per ſe loquendo ſolùm in ordine ad id, ad quod eſt à principali agente applicata.

Probatur eadem prima aſſerti pars contra opinionem omnibus prorſus, etiam mortuorum, ſacramentis negantem cauſalitatem per ſe primæ gratiæ. Sacramenta mortuorum eo modo cauſant primam gratiam, quo cauſant remiſſionem peccatorum; atqui hanc cauſant per ſe & ex primario ſuæ inſtitutionis fine, ergo & illam, major patet, quia ex hucuſque dictis remiſſio peccatorum eſt illud, quo maximè differt gratia prima à ſecunda, & ex cujus noncauſalitate ſacramenta vivorum maximè habent non cauſare per ſe gratiam primam, licet cauſent per ſe ſecundam: Minor probatur, quia ſacramenta illud cauſant per ſe & ex primario ſuæ inſtitutionis fine, ad quod ſunt primo & per ſe inſtituta; ſunt autem ſacramenta mortuorum primo & per ſe inſtituta ad remiſſionem peccatorum primò, quia nulla eſſet ratio, cur ſpecialiter ſacramenta mortuorum denominarentur? quoties non poſſent ex ſua inſtitutione conferri ſpiritualiter mortuis, & gratiæ vitam non per ſe repararent deperditam, ſed augerent dumtaxat præſuppoſitam, quod præſtant etiam ſacramenta, quæ vivorum denominantur: Secundò quia ex proprijs verborum formis, quibus conſtant, remiſſionem peccatorum ſignificant; nam ablutio ſordium, quæ in forma Baptiſmi, & ſolutio vinculorum quæ in forma Pœnitentiæ, exprimitur, nihil aliud eſt, quàm excluſio ſeu remiſſio peccatorum, quæ verè ſunt animi ſordes & vincula.

Sacramenta mortuorum cauſant per ſe primam gratiam.

110. Confirmatur ex eo, quod opinio oppoſita quomodocunque ſumatur, procedit ex falſo ſuppoſito; falſum ſcilicet eſt peccatorem adultum dumtaxat per actum perfectè retractativum, & deletivum peccatorum ſufficienter diſponi ad ſuſcipiendum ſine obice baptiſmum, aut pœnitentiam: Falſum item eſt pro valore ſacramenti pœnitentiæ requiri dolorem ex divinâ dilectione elicitum, eſſe verò inſufficientem imò & illaudabilem, ſi eliciatur ex metu gehennæ, ex turpitudine peccati, aliovè ſimili motivo infrà Deum ſuper omnia dilectum: Falſum, inquam, eſt utrumque, quia ex utroque contrà communem Scholaſticorum ſenſum ſequitur ſacramenta mortuorum non facere de attrito contritum, nec faciliùs peccatorem per talia ſacramenta juſtificari, quàm aut extrà ſacramenta, aut per ſacramenta vivorum: Deindè falſum eſſe ſecundum ex profeſſo oſtendetur in proprio tractatu de Pœnitentiâ; primum partim ex eodem tractatu, partim ex ſequenti tum *num.* tum §. manebit luculentiùs impugnatum.

Dices: omnibus novis ſacramentis, ſive vivorum ſint, ſivè mortuorum, commune eſt conferre per ſe gratiam non habenti, non conferre habenti obicem, Peccator igitur attritus vel habet obicem gratiæ, & ſic neque ſacramenta mortuorum ei gratiam per ſe conferent; vel non habet obicem, & ſic ei gratiam per ſe conferent etiam ſacramenta vivorum, ac per conſequens in peccatore vel ſufficit attritio ad ſuſcipienda ſine obice ſacramenta vivorum, vel requiritur contritio ad ſuſcipienda ſine obice ſacramenta mortuorum, quod utrumque eſt contrà nos. Si quis reſpondeat omnibus qui- 111.

Cur peccator attritus habeat obicem gratiæ ut per vivorum, non ut per mortuorum ſacramenta conferendæ.

dem ſacramentis commune eſſe conferre per ſe &c. at non eſſe eundem reſpectu omnium ſacramentorum gratiæ obicem, ideò bene poſſe peccatorem attritum habere obicem gratiæ ut per ſacramenta vivorum, non ut per ſacramenta mortuorum, conferendæ. Impugnabitur, quia ſicuti nullum eſt majus gratiæ oppoſitum, ita nullus eſt major & magis reſpectu omnium ſacramẽtorum militans gratiæ obex, quàm peccatum; atqui peccator attritus adhuc habet peccatum; ergo habet gratiæ obicem reſpectu omnium ſacramentorum, etiamſi mortuorum ſint. Sed contrà: Benè inſtantiæ in ipſa inſtantia reſponſum eſt; Ad reſponſionis impugnationem, concedo majorem de peccato nullatenùs deteſtato ſeu retractato, nego de eodem deteſtato ſeu retractato ſaltem imperfectè; peccator autem attritus adhuc habet peccatum deteſtatum tamen, ſeu retractatum, licet imperfectè; quod eſt idem ac dicere habet peccatum, at cum receſſu ab ipſo, licèt non cum ſufficienti acceſſu ad terminum oppoſitum; ſine affectu ad ipſum, licèt non cum ſufficienti affectu ad Deum: Dico igitur peccatum ſemel commiſſum, & nullatenùs ſupernaturali actu retractatum, eſſe obicem gratiæ reſpectu omnium ſacramentorum; retractatum imperfectè per ſupernaturalem attritionem eſſe obicem gratiæ reſpectu ſacramentorum, quæ vivorum, non quæ mortuorum denominantur; retractatum perfectè per contritionem, dilectionemvè ſupernaturalem Dei ſuper omnia, nullatenùs eſſe gratiæ obicem, imò eſſe ultimam pro gratia diſpoſitionem, etiam extra ſacramentum.

Urgebis gratis hæc dici, & adhuc ſupereſſe 112.
aſſignandum, cur peccatum imperfectè deteſtatum, & deteſtatione ipſa non deletum, ſit obex gratiæ quam Sacramenta vivorum, non quam ſacramenta mortuorum conferunt. Sed contrà: ſufficienter id aſſignatum eſt ex diverſo inſtitutionis fine, qui pro ſacramentis vivorum eſt gratia præcisè, pro ſacramentis mortuorum eſt gratia ſimul & peccati remiſſio, illa igitur ex propriæ inſtitutionis fine debent peccatorum remiſſionem ſupponere non ponere, iſta ponere non ſupponere; hincque ad illorum gratiam peccatum non deſinit eſſe obex niſi ſit remiſſum, ad gratiam iſtorum deſinit eſſe obex per hoc, quòd ſit retractatum, etſi non remiſſum Neque dicas, ſi peccatum, ut deſinat eſſe obex gratiæ pro ſacramentis mortuorum, non eſt neceſſe, quod ſit remiſſum, ad quid ponitur requiri quod ſit deteſtatum, ſeu retractatum? Contrà enim, ponitur requiri quod ſit deteſtatum, ſeu retractatum per attritionem, quia attritio, quamvis non tollat peccatum, tollit affectum peccandi, de illa enim Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ait ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ diſponere *ſi volun-*

tatem

Digitized by Google

tatem peccandi excludat; aff.ctus autem peccandi eſt obex gratiæ, etiam ut per ſacramenta mortuorum conferendæ; peccatum igitur n ſi ſit ſaltem attritione retractatum non deſinit eſſe hujus gratiæ obex: Deindè eſt deratione generica peccati, quod ſaltem ſecundùm præſentem providentiam neque extrà ſacramentum, neque in ſacramento ullo, remittatur ſine prævio actu peccatoris, nec poteſt alius actus meliùs requiri, quàm dolor, qui ſit ad minus attritio.

113. Sacramenta vivorum cauſant per ſe ſecundam gratiam.

Probatur ſecunda aſſerti pars, & quidem quòd ſacramenta vivorum per ſe cauſent ſecundam gratiam redditur ea dictis perſpicuum, cum enim nunc oſtenderimus non cauſare per ſe gratiam primam, ſæpiùs autem toto hoc tractatu dixerimus cauſare per ſe gratiam, conſeqnens utique eſt cauſare per ſe gratiam ſecundam; Quòd verò hanc per ſe cauſent ipſa ſola, non etiam ſacramenta mortuorum, ſeu non omnia prorsùs ſacramenta, deducitur ex eo, quod ſecùs ſacramenta mortuorum eſſent ſimul ſacramenta vivorum, ſi per ſe vitam augerent; imò per ſe ſupponerent, & non ſupponerent, vitam gratiæ; ſupponerent quia per ſe talem vitam augerent; non ſupponerent quia ſupponerent ejus oppoſitum ideſt mortem peccati: Vel paulò aliter ſupponerent primæ gratiæ carentiam, & primæ gratiæ exiſtentiam; carentiam, quia cauſant per ſe primam gratiam, quæ dum cauſatur præſupponit carentiam ſui; exiſtentiam, quia cauſarent per ſe ſecundam gratiam, quæ præſupponit exiſtentiam primæ.

Non ſic ſacramenta mortuorum.

Dices: Sacramenta mortuorum ſæpè ſecundam gratiam cauſant, at non cauſant ipſam per accidens; ergo per ſe; major negari non poteſt niſi dicatur eſſe invalida, aut ſaltem informia, Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, quoties ſuſcipiuntur à præexiſtente in gratia; Minor probatur primò, quia ſi ipſam cauſant, cauſant ex vi inſtitutionis, ergo non per accidens; ſecundò quia ſacramenta vivorum non cauſant per accidens gratiam primam, ergo ſacramenta mortuorum non cauſant per accidens gratiam ſecundam. Sed contrà: concedo majorem, nego minorem; ad cujus primam probationem diſtingoo antecedens cauſant ex vi inſtitutionis ſecundariæ & quaſi concomitanter ſe habentis, concedo; primariæ & ſe habentis formaliter, nego antecedens, & conſequentiam: dico enim ſacramenta mortuorum ex ſua inſtitutione primaria, ſeu ex fine primario ſuæ inſtitutionis, reſpicere gratiam & remiſſionem peccatorum ſimul, quia tamen reſpiciens aliquod majus, conſentaneum eſt, ut tanquam finem ſecundarium & concomitanter ſe habentem, reſpiciat minùs in illo majore contentum, & gratia ſine remiſſione peccatorum, quæ ſecundùm præſentem providentiam ſemper eſt gratia ſecunda, contineatur tanquam quid minus in gratia & remiſſione peccatorum ſimul acceptis, deducitur ſacramenta inſtituta primariò ad cauſandam gratiam & remiſſionem peccaturum, quod eſt idem ac dicere gratiam primam, fuiſſe convenienter ordinata, tanquam ad finem ſecundarium, ad gratiam etiam ſine remiſſione peccatorum, quod eſt idem ac dicere, ad gratiam ſecundam; ac propterea iſtam cauſare ſolùm per accidens & ex quadam abundantia, non ex propria peculiari exigentia: Ad ſecundam ejuſdem minoris probationem, quidquid ſit de antecedente, conſequentia eſt illegitima, quia ſi ſacramenta mortuorum non cauſarent per accidens gratiam ſecundam, nullatenùs ipſam cauſarent, ſicuti ſacramenta vivorum nullatenùs cauſant gratiam primam in ſententia, qua non cauſant ipſam per accidens; nequit autem ſine errore dici, quod ſacramenta mortuorum nullatenùs & nunquam gratiam ſecundam cauſent. Ratio illegitimitatis conſequentiæ ſit, quia illegitimum eſt argumentum negativum à majori ad minus, cum igitur gratia prima ſit qoid majus, gratia ſecunda quid minus, illegitimè arguitur à non cauſalitate gratiæ primæ ad non cauſalitatem gratiæ ſecundæ.

114. Cauſant tamen iſta ſecundam gratiam per accidens.

Diai *Quidquid ſit de antecedente*, ut abſtineam pro nunc à definiendo Utrùm ſacramenta vivorum non poſſint, an poſſint cauſare per accidens primam gratiam? in quo eſt non modica Auctorum contentio, & major pars præſertim in Euchariſtia, & Extrema-unctione, talem cauſalitatem per accidens admittit: Videat in præſenti qui velit Suarium *diſput.7.ſec.2.* Amicum *diſp.4.ſec.5.* Arriagam *diſp.16.ſec.1 ſubſec.2.* & 3. Eſparzam *lib.10. queſt.26.* Madernum *quæſt.3. art.6.* & Gonetum *diſp.3. artic.5.* §.5. dum ego quæſtionem, in qua diverſi pro diverſis ſacramentis diverſimodè ſentiunt, cenſeo opportuniorem habere locum in ſingulorum ſacramentorom tractatibus, & quatenùs ad Euchariſtiam pertinet, eam moa in proprio de Euchariſtia tractatu non diſſimulabo, imò ex ijs, quæ ex profeſſo ſtatuero de ſacramento Euchariſtiæ, facile erit deducere, quid de alijs vivorum ſacramentis in eadem quæſtione ſentiendum ſit?

115. Verùm ſacramenta vivorum cauſent per accidens primam relinquitur alibi definiendũ.

§. VII.

Quantam gratiam habitualem ſacramenta cauſent? Cum quanam diſpoſitione majorem, cum quonam obice nullam?

ASSERT. 1. Nullatenùs aſſignari poteſt, quanta ſit abſolutè habitualis gratia, quam ſacramenta cauſant; benè verò aliqualiter aſſignatur, quanta ſit comparativè, ideſt à quibus nam ſacramentis, vel inter ſe, vel ad diſpoſitiones comparatis, major, à quibus minor, à quibus æqualis cauſetur? Aſſertum ſic univerſaliter poſitum vix patitur aut controverſiam aut Adverſarios, niſi fortè ex ea parte, qua inſinuat ejuſdem ſpeciei ſacramenta cauſare cum meliori diſpoſitione majorem, cum æquè bona æqualem gratiam; at hujus rei, ſicut & Auctorum adverſantium, habebitur peculiaris mentio infrà *num.* 122. & 128. Interim aſſertum ſub ea univerſalitate, ſub qua procedit, 116.

Probatur & explicatur: Aſſignare, quanta ſit abſolutè habitualis gratia, quam &c. eſt aſſignare, quod determinatè gratiæ gradus in ali-

Non eſt in ſacramenti aſſignabila

quantam abſolutè gratiam cauſent.

cujus ſacramenti ſuſceptione quis conſequatur? quod pendet ex libera determinatione Dei & Christi inſtituentis, & qualiſnam de facto fuerit hujuſmodi determinatio? nulla à nobis poteſt nequidem apparenti ratione deduci, nullâque nobis revelatione, nulla traditione, nulla ſufficienti auctoritate innoteſcit; nullatenus igitur niſi gratis & divinando aſſignare poſſumus, quanta ſit abſolutè habitualis gratia &c.

117. Non adeò incerta res eſt quoad gratiæ quantitatem comparativam; licet enim in hac quoque ſit ſimpliciter incertum, & inaſſignabile, quoto gradu gratia unius ſacramenti excedat gratiam alterius ſpecie diverſi? aut gratia ſacramenti cum majore diſpoſitione ſuſcepti excedat gratiam ejuſdem ſuſcepti cum diſpoſitione minore? non eſt tamen adeò incertum, quod cæteris paribus aliqua ſacramenta ex ſua ſpecie cauſent majorem, aliqua minorem gratiam, & quod ſingula cauſent gratiam in ſubjecto magis diſpoſito majorem, in minus diſpoſito minorem, in æquè diſpoſito æqualem; quamvis neque hoc ſit omninò certum, ideóque aſſeruerim benè aliqualiter aſſignari quãtitatem comparativam, ut per ly *aliqualiter* inſinuarem talem aſſignationem cum magna probabilitate, non cum omnimoda certitudine, fieri; & reſpicere unius gratiæ ſupra aliam exceſſum indefinitum, non determinatum & quotum exceſſus gradum; ut magis dearticulate perſpicuum fiet ſequentibus aſſertis, quibus comparabimus primo loco ſacramenta unius ſpeciei ad ſacramenta alterius, ſecundo loco ſacramenta ſpeciei ejuſdem ad æquales, vel inæquales diſpoſitiones, ad ſubjecta æqualiter, vel inæqualiter diſpoſita.

Benè verò aliqualiter, quantam comparativè.

118. Aſſert. 2. Sacramenta ſpecie diverſa cauſant cæteris paribus gratiam inæqualem, & ex novis ad antiqua comparatis quodlibet novum confert ſuſcipienti gratiam majorem, quam ullum antiquum; ex novis comparatis inter ſe majorem conferunt illa, quæ aut excellentiora, aut initerabilia ſunt. Totum aſſertum recipitur ſatis communiter, quamvis probabile tantum ſit, non certum, niſi quoad id, quod affirmat de ſacramentis novis ad antiqua comparatis.

Sacramenta ſpeciei diverſæ cauſant gratiam inæqualem.

Probatur prima pars: Sacramenta ſpecie diverſa ſunt inæqualis inter ſe perfectionis, ergo cauſant cæteris paribus inæqualem gratiam; antecedens ſupponitur ex eo, quod non dantur regulariter, & forte nec ſimpliciter ſunt dabiles, plures ſpecies inter ſe æquales; probatur conſequentia ex eo quod ſacramentorum perfectio maximè attenditur ex habitudine ad habitualem gratiam, quam cauſant; ergo ex ſacramentorum perfectione inæquali maximè arguitur, habitudo ad cauſandum inæqualem gratiam, & hoc eſt etiam valdè conſentaneum ſuavitati providentiæ Dei accommodáris cauſas effectibus, nec facilè ordinantis cauſas inæquales ad non inæquales effectus.

119. Quodlibet novum majorem, quam ullum antiquum.

Probatur ſecunda pars; Quodlibet novum ſacramentum in ſuſcipiente etiam adulto habitualem gratiam cauſat, ut eſt actio Chriſti & ut continet in ſe virtutem paſſionis ejus & mortis; ex antiquis nullum erat Chriſti actio, nullum virtutem meritorum ejus in ſe continebat, nullum item cauſabat habitualem gratiam in ſuſcipiente adulto, & remedium originalis eam quidem conferebat ſuo ſuſceptori, at duntaxat parvulo; reliqua eam cauſabant, aut potius ſignificabant quidem etiam in adultis, at non in ſuis ſuſceptoribus; ſignificabant ſcilicet habitualem gratiam non quæ conferretur tunc propriis ſuſceptoribus in lege veteri, ſed conferendam poſtea nobis in lege nova; ergo à primo ad ultimum pluribus titulis quodlibet novum Sacramentum ſuo ſuſcipienti confert gratiam majorem, quàm conferret ullum antiquum: Antecedens continet doctrinam ſparſim hucuſque toto tractatu traditam de antiquis & novis ſacramentis; conſequentia clariùs deducitur, quàm ut indigeat probatione, niſi velis eam ſtrictiore forma corroborare ſic ex mox dictis conſtruendo argumentum: Sacramenta inæqualia inæqualem, & cæteris paribus perfectiora majorem habitualem gratiam cauſant; atqui quodlibet ſacramentum novum eſt longè perfectiùs, quam ſit ullum antiquum; ergo ex antiquis ad nova comparatis quodlibet novum &c.

Probatur tertia pars, in qua poſui disjunctionem illam *aut excellentiora, aut initerabilia*; quia licèt cæteris paribus major perfectio ſeu excellentia ſacramenti vehementer arguat majorem gratiam, hujus tamen etiam magnitudinem non leviter arguit initerabilitas; in primis enim ipſamet initerabilitas videtur eſſe aliqua excellentia, convenit quippè eſſe intenſivè perfectius id, quod utpotè immultiplicabile eſt minus perfectum extenſivè: Deindè cum ſacramenta initerabilia poſſint unica vice ſuſcipi, nimis excederentur in ſuo effectu à ſacramentis ſæpiùs ſuſceptibilibus, ſi illa ſua unica ſuſceptione non plus gratiæ conferent, quàm iſta ſingulis, hiſque ſæpè multiplicatis ſuſceptionibus: Ideò (ſi Euchariſtiam ratione ſuæ ſupereminentis dignitatis & fontis gratiæ quem continet excipias) propendeo ad præferenda ſacramenta initerabilia reliquis; adeò ut majorem præ omnibus gratiam conferat Euchariſtia, utpotè quaſi incomparabiliter præcellens: Deinde Baptiſmus, Ordo, & Confirmatio, utpotè initerabilia ſimpliciter; poſteà Extrema-unctio & Matrimonium, utpotè initerabilia ſecundùm quid; & tandem minor reliquis omnibus correſpondeat gratia Pœnitentiæ. Quod accipe tanquam cum aliqua veriſimilitudine, at cum nulla certitudine dictum; 120.

Ex novis Euchariſtia majorem quam reliqua: ex reliquis initerabilia majorem quàm iterabilia.

Undè etiam hanc novorum inter ſe ſacramentorum comparationem plures Auctores omninò diſſimulant, reliqui ut Joannes à S. Thoma *diſp. 24. art. 1. dub. 4. §. Pro intelligentia.* Arriaga *diſp. 10. ſec. 4. num. 63.* Herincx *diſput. 4 quæſt. 1. num. 31.* Maderuus *quæſt. 3. art. 9. num. 1.* leviſſimè attingunt 121.

Dices: Remiſſio peccatorum maximè gratiam exigit; ergo illa ſacramenta maximè, & majorem, quam reliqua gratiam cauſant, quæ ſunt primariò & directè inſtituta ad remiſſionem peccatorum, ut ſunt baptiſmus & Pœnitentia; ergo hæc duo ſacramenta majorem etiam, quàm Euchariſtia, gratiam cauſant cæteris paribus. Sed contrà: Remiſſio peccatorum aliud eſt, quod maximè, aliud quod maximam gratiam exigat; exigit maximè quia non

non aliter poteſt, quàm per gratiam fieri; non exigit maximam, imò nec magnam, quia per quamcunque tenuiſſimam gratiam fit; ex eo igitur quod Baptiſmus, & Pœnitentia, ſint primariò ad remiſſionem peccatorum inſtituta malè infertur, quod magnam, majoremvè, quàm reliqua ſacramenta, gratiam cauſent. Neque dicas; ſaltem remiſſio peccatorum, & gratia utcunque tenuiſſima, eſt aliquid plus, quàm quodcunque gratiæ augmentum; ergo Baptiſmus, & Pœnitentia, ſi non cauſant majorem, quàm reliqua ſacramenta, gratiam, cauſant ſaltem majorem effectum, ratione cujus reliquis ſacramentis, etiam Euchariſtiæ,

122. præcellant. Contrà enim; hæc præcellentia eſt præcellentia ſecundùm quid, quæ fortè in reliquis ſacramentis compenſatur per hoc, quòd ſupponant ſubjectum perfectius, ideſt in gratia conſtitutum; compenſatur verò peculiariter, imò exceditur, in Euchariſtia per hoc, quod iſta ſimul cum gratia conferat peculiarem à peccatis præſervationem; à peccatis autem præſervatio eſt quid plus, quàm peccatorum remiſſio, quia magis à malo removet, ut ratiocinatur Eſparza *hic lib. 10. quæſt. 27. ad 3.*

Aſſert. 5. Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſuſcepta cum diſpoſitione, aut negativè, aut poſitivè, æquali conferunt æqualem gratiam habitualem. Eſt aſſertum apud Scholaſticos receptiſſimum & colligitur ex D. Thoma infrà *quæſt. 69. art. 8.* Sylvio *eod. art.* Alenſi *part. 4. quæſt. 21. memb. 3.* Joanne à S. Thoma *præcit. dub. 4.* Suario *diſp. 7. ſec. 5.* Lugo *diſp. 9. ſec. 2.* Amico *diſp. 4. ſec. 6.* Maderno *præcit. art. 9.* & aliis contra Paludanum *in 4. diſt. 4. quæſt. 1.* Maytonem *quæſt. 3.* Gabrielem *quæſt. 2. artic. 2. conc. 7.* & nonnullos alios, qui tamen gratiæ inæqualis exceſſum, non tam tribuunt virtuti ſacramenti, quàm ſpeciali benevolentiæ Dei aut impetrationi Miniſtri; undè etiam ſolent pro eadem opinione referri Scotus *in 4. diſt. 4. quæſt. 7.* & Cajetanus *quæſt. 64. art. 7.* quamvis in re nihil aliud doceant, quàm baptizantis, vel aſſiſtentium baptiſmo, orationes poſſe parvulo, qui baptizatur prodeſſe ad aliquod gratiæ auctarium.

123. Quinam ſint ad ſacramenta ſuſcipienda diſpoſiti æqualiter negativè.

Dixi *cum diſpoſitione, aut negativè, aut poſitivè, æquali*; intelligo autem nomine diſpoſitionis negativè æqualis omnem tum diſpoſitionis tum indiſpoſitionis carentiam, qualem reſpectu baptiſmi v. g. habent, qui nunquam fuerunt rationis compotes, ſive parvuli ſint, ſive perpetuò amentes. Cenſeri etiam poſſunt habere diſpoſitionem negativè æqualem tum inter ſe, tum cum rationis uſum nunquam aſſecutis, illi adulti, qui licet aliquam pro ſacramento ſuſcipiendo poſitivam diſpoſitionem habuerint; hæc tamen diu præceſſit, & neque moraliter cenſetur exiſtere, dum ſacramentum ſuſcipitur, ut attingetur *ſequent. numer. 129.* Ubi etiam explicando, quænam ſit reſpectu Sacramentorum diſpoſitio poſitiva major & melior, innoteſcat conſequenter, quænam ſit poſitivè æqualis. Aſſertum ſic explicatum.

124. Sacramenta æqualiter negativè diſpoſitis conferunt gratiam æqualem.

Probatur primò quoad diſpoſitionem negativè æqualem, ideſt aut nullam, aut ne moraliter quidem præſentem nec ullatenus poſitivè cooperantem: Menſura gratiæ per ſacramenta cauſandæ, quoties ſumi nequit ex diſpoſitione ſubjecti ſumitur præcisè ex voluntate & promiſſione Dei; atqui menſura gratiæ, quam ſacramenta ejuſdem ſpeciei conferunt æqualiter negativè diſpoſitis ſumi nequit ex diſpoſitione ſubjecti, & quatenus ſumitur ex voluntate & promiſſione Dei, eſt æqualis; ergo ſacramenta ejuſdem ſpeciei ſuſcepta cum diſpoſitione negativè æquali conferunt æqualem gratiam; Major probatur, quia ſacramenta ſe habent, ut agentia naturalia; agens autem naturale ad majorem, minoremvè effectum determinatur, vel ex diſpoſitione materiæ in quam agit, vel ex conditione propriæ formæ ſi ſit agens naturale & principale, vel ex voluntate & promiſſione agentis principalis, ſi ſit agentis principalis liberi inſtrumentum; cum igitur ſacramenta ſint inſtrumenta Dei agentis liberi, quoties non determinantur ad majorem minoremvè gratiam, ſeu non habent gratiæ cauſandæ menſuram, ex diſpoſitione ſubjecti, conſequens eſt, quod illam habeant præcisè ex voluntate, & promiſſione Dei: Minor quoad primam partem patet, quia diſpoſitio negativè æqualis ſupponit in præſenti pro diſpoſitione, aut nulla, aut non ſufficienter præſente, ut ad ſacramenti effectum conducat, nequit igitur eſſe hujus effectus menſura; quoad ſecundam probatur, quia voluntas & promiſſio, quam Deus habet de conferenda per Sacramentum gratia ſuſcipienti ſine obice, involvitur in ipſa ſacramenti inſtitutione; ſicuti igitur reſpectu cujuſlibet ſacramenti in ſpecie inſtitutio eſt unica, ita eſt unica illa voluntas & promiſſio; eſt item ad unicam, certam, & æqualem gratiam terminata; ergo gratia, quam ſacramenta conferunt, &c. quatenus ſumit ſuam menſuram præcisè ex voluntate & promiſſione Dei, eſt æqualis, 125. nec major aut minor reſpectu unius ſubjecti, quàm alterius, ſed reſpectu cujuſlibet minima, quæ per tale ſacramentum detur; nam ſi inveniat ſubjectum poſitivè diſpoſitum, dabit majorem; ſi poſitivè indiſpoſitum, dabit nullam, dum igitur invenit neque poſitivè indiſpoſitum, neque diſpoſitum, ſed negativè ſe habens, & cum diſpoſitione negativè æquali, dat gratiam aliquam, ſemper æqualem, hancque minimam.

125. Eamque minimam.

Hinc habetur omnes antè uſum rationis baptizatos æqualem, eamque minimam, quam baptiſmus conferat, gratiam reportare, loquendo de gratia, quæ ex virtute ſacramenti, & ex opere operato infallibiliter confertur; nam quod in aliquibus hujuſmodi baptizatis contingat gratiam eſſe majorem ex baptizantis, aut baptiſmo adſtantium precibus, nil refert ad rem noſtram, quia talis gratiæ exceſſus & inæqualitas, nec ex virtute ſacramenti, nec ex opere operato infallibiliter proveniet, undè exiſtimo nobis hic non adverſari Caietanum, Scotum, & ſi qui alii ex impetratione baptizantis tribuunt uni potiùs, quàm alteri, antè uſum rationis baptizato aliquod gratiæ auctorium, quod ſi ſupponantur tale auctarium aſtruere, tanquàm proprium ſacramenti effectum, adverſantur quidem, at ſufficienter impugnantur ex eo quod ſuprà *cap. 2. §. 4. num. 47.* dicebatur Miniſtri probitatem non ſolùm non

requiri

requiri ad valorem, ſed nec requiri ad effectum in novis ſacramentis.

Dices ex his ſequi valdè multos decedere cum æquali gratia, & obtinere in patria æqualem gloriam, quod tamen dici nequit, quia ſecùs non ſaluaretur homines prædeſtinatos implere ruinas Angelorum damnatorum, utpotè qui, niſi defeciſſent, futuri erant omnes inæquales in gloria, ſicuti erant inæquales in natu-
126 ra. Sed contrà: Hoc fundamentum, quo maximè movetur Paludanus ſuprà relatus, infirmum eſt; quia per nos non omnes Angeli differunt ſpecie, non omnes ſunt inæquales in natura; ex falſo igitur ſuppoſito infert omnes damnatos futuros fuiſſe inæquales in gloria: & quando ex hoc capite fundamentum ſubſiſteret, adhuc nil concluderet aliundè, nimirum ex eo quia homines prædeſtinati reproborum Angelorum ruinas implent longè aliter, quàm per hoc quod ſinguli homines gloriam, quæ fuiſſet ſingulis Angelis danda, conſequantur; ut videre eſt in tract. de Angelis *lib. 1. capit. 3. numer. 9.*

Urgebis: ſaltem ex noſtra doctrina ſequitur nullum hominem conſecuturum eſſe gloriam inæqualem, niſi dependenter à proprijs meritis, & tamen cum Deus homines ad gloriam prædeſtinaverit non ſolùm ante præviſa inſtituta ſacramenta, ſed etiam ante præviſa prædeſtinatorum merita, non apparet, cur prædeſtinati conſecutori ſint gloriam inæqualem
127. ſolùm dependenter à meritis, non etiam dependenter à ſacramentis. Sed contra: ſi ſermo ſit de adultis, dico ipſos conſequi (ſubintellige in executione) gloriam inæqualem, tum dependenter à meritis, tum etiam dependenter à ſacramentis; hæc quippe ex dicendis *ſeq. aſſert.* conferunt adultis gratiam, ut plurimum inæqualem: Si ſermo ſit de non adultis, dico iſtos, ſicuti non conſequuntur gloriam inæqualem ex proprijs meritis, ita nil mirum, ſi neque inæqualem eam conſequantur ex ſacramentis, & purâ Dei beneficentia eſt, quòd ex ſacramentis conſequantur aliquam, æqualem licet & minimam. Diverſitas igitur divinæ providentiæ conſiſtit in hoc, quòd poſtquam Deus ante præviſa in noſtris principijs, tum ſacramenta, tum merita homines partim ad æqualem, partim ad inæqualem gloriam elegit, eos quos elegit ad æqualem gloriam ſed minimam, poſſit regulariter loquendo in executione ſaluare ſolùm medijs ſacramentis; eos verò, quos elegit vel ad gloriam inæqualem vel ad æqualem, ſed non minimam, ſaluare debeat medijs ipſorum operibus & meritis, aut ſolis, aut ut ad ſacramenta diſponentibus: Quæ providentiæ œconomia nullam habet inconvenientiæ ſpeciem, imò
128. convenientiſſima eſt.

Probatur aſſertum ſecundò quoad diſpoſitionem poſitivè æqualem: Ita ſe habet diſpoſitio poſitivè æqualis ad gratiam æqualem, ſicut diſpoſitio poſitivè major ad majorem, poſitivè minor ad minorem gratiam, atqui ſacramentum ejuſdem ſpeciei ſuſceptum cum diſpoſitione poſitiva majore majorem, cum minore minorem gratiam cauſat; ergò ſuſceptum cum diſpoſitione poſitiva æquali cauſat gratiam æqualem, duo ſcilicet accedentes ad Euchariſtiam, v. g. æqualiter poſitivè diſpoſiti æqualem ex Euchariſtia gratiam reportant, quamvis deindè non minimam, ſed majorem ea, quam reportarent duo æqualiter diſpoſiti ſolùm negativè; undè dum dicimus ſacramenta ſuſcepta cum diſpoſitione, aut negativè, aut poſitivè, æquali conferre æqualem gratiam loquimur cum diſtributione accommoda, & intendimus quod duæ gratiæ correſpondentes duplici diſpoſitioni æquali negativè, & duæ aliæ correſpondentes duplici diſpoſitioni æquali poſitivè, ſint æquales tum illæ inter ſe, tum iſtæ inter ſe; at non illæ iſtis: Minor, quæ ſola in hoc ratiocinio poteſt probatione indigere, eſt materies ſequentis aſſerti. Ideò ſit

Diſpoſitis æqualiter poſitivè conferunt pariter gratiam æqualem, at non minimam.

Aſſert. 4. Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſuſcepta cum diſpoſitione actuali, aut virtuali, inæquali cauſant inæqualem gratiam, majorem cum diſpoſitione majore, minorem cum minore. Ita, ſi Alenſem excipias, Auctores in præcedente aſſerto relati, etiam Paludanus, & alij ibi Adverſarij: Si Alenſem, inquam, excipias, utpotè qui *par. 4. quæſt 8. memb. 8. artic. 3. §. 3.* vult ſacramenta ita conferre æqualem; minimamque gratiam, diſpoſitis æqualiter negativè, ideſt præcisè non habentibus obicem; ut eandem, non majorem, conferant diſpoſitis poſitivè, ſive per æqualem; ſive per inæqualem, diſpoſitionem, ſintque reſpectu cujuſlibet ſubjecti determinata ad certum gratiæ gradum, invariabilem tam versùs maximum, quam versùs minimum; Hujus opinionis noſtro aſſerto contrariæ fuerunt etiam aliqui alij, & ejus meminit ſuppreſſo Auctorum nomine Suarez *præcit. ſec. 5. § Secunda ſententia eſt.*

Diſpoſitis inæqualiter poſitivè gratiam inæqualem pro ratâ diſpoſitionis actualis, aut virtualis, inæqualitatem.

Dixi *cum diſpoſitione actuali, aut virtuali*, cu- 129.
jus nomine intelligo diſpoſitionem ſitam in ejus, qui ſacramentum ſuſcipit actibus, ijſque aliqualiter præſentibus & exiſtentibus phyſicè, ſi non in ſe ipſis formaliter, ſaltem in aliqua ſui virtute; ratio eſt quia ex mox dicendis diſpoſitio major ſeu melior ex parte ſuſcipientis in tantum conducit ad reportandam majorem ex ſacramento gratiam, in quantum ſuſcipiens ſuo modo per eam cooperatur cum ſacramento ad gratiam, non dicitur autem quis cooperari ad gratiam, niſi per proprios actus, eoſque aliqualiter præſentes & exiſtentes. Hinc exiſtimo primò ex eo, quòd quis ſit magis juſtus majorique gratiâ habituali inſtructus, non conſequi ex ſacramento majus gratiæ augmentum; nam major gratia non eſt actus proprius nec cooperatio ſuſcipientis, & ſicuti per nos ex dictis ſuo loco non conducit ad obtinendum majus gratiæ augmentum ex opere operantis & per proprium meritum, ita à fortiori ad tale augmentum non conducet ex opere operato & per ſacramentum: Undè Suarez *præcit. ſec. 5.* in fine in tantùm nobis quoad hoc adverſatur, & majorem gratiam in præſenti conſiderat tanquam majorem melioremque diſpoſitionem, in quantum exiſtimat eam conferre ad majus meritum & reddere actus majoris valoris, quod per nos falſum eſt; & quando verum foret, adhuc ad Suarij intentum pro re præſenti non ſufficeret, ut oſtendit Arriaga *diſp. 10. ſec. 4. num. 70.* Exiſti-

Quænam ſit diſpoſitio propriè conferens ad æqualem, vel inæqualem in ſacramento gratiam.

mo

y Google

mo ſecundò actus, quibus quis ſe ad ſacramenti ſuſceptionem diſponit, ut conducant ad gratiam majorem debere facere unum quid cum ſacramento, quod ſuſcipitur; cauſa enim cooperans debet habere aliquam unitatem & ſimultatem cum ea, quam ad operandum juvat, quod non videtur convenire diſpoſitionibus, quæ neque actu, neque virtute exiſtunt: Præter quod gratiam, quæ ex ſacramentis datur, ex ſuſcipientis diſpoſitionibus creſcere eſt effectus valdè extraordinarius, & miraculo ut ita dicam plenus; reſtringendus igitur eſt potiùs, quam ampliandus, & ſolis diſpoſitionibus proximioribus, non aliјs utcumque remotis tribuendus, quidquid in contrarium videatur ſentire Lugus *diſp.9.num.* 14. & 72. improbatus ab Arriaga *præcit.ſec.4 ſubſec.3.* & à
130. Maderno *quæſt.3.art.9.num.* 2. Quænam deindè ex diſpoſitionibus actualibus proximioribus ſit in particulari melior alia, & ad majorem, quam alia cæteris paribus, gratiam inſerviens, nequit certa regula aſſignari; inter diſpoſitiones tamen ejuſdem rationis videtur eſſe melior ea, quæ intenſior, aut diuturnior; inter diſpoſitiones diverſæ rationis videtur melior ea, quæ magis ad Deum convertit, magiſque avertit à peccato, ſic optimus eſt actus charitatis aut contritionis, deindè attritionis, deindè ſpei &c. ut attingunt Suarez *præcit.ſec.5. paragrapho Sed quæres.* & Coninchus *quæſt.62.articul.1.numer.*53. His interpoſitis pro intelligentia diſpoſitionis, de qua aſſertum procedit, iſtud.

Quænam icè inter prædictas diſpoſitiones ſit melior ſeu major.

Probatur ex Tridentino *ſeſſ.6. cap.7.* ubi Concilium loquens de juſtificatione, tùm univerſim, tum de ea ſingillatim quæ per baptiſmum fit (eadem autem eſt ratio de ea, quæ fit per alia nova ſacramenta) ſtatuit juſtitiam, ſeu gratiam, in nobis recipi *ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*; Neque dicas Concilium loqui quidem antecedenter de juſtificatione, quæ per baptiſmum fit, ac ad eam non referri verba adducta in ly *ſecundùm propriam cujuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem*, ſed præcedentia *quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult*, adeò ut intentum Concilij ſit, quod præter juſtificationem, in qua Spiritus Sanctus per ſacramenta partitur gratiam ſecundùm menſuram propriæ voluntatis, detur juſtificatio alia, in qua extra ſacramenta gratiam partiatur ſecundùm menſuram noſtræ diſpoſitionis. Contrà enim: ſi verba adducta nullam aliam ab ea, quam nos ſupponimus interpretationem admitterent, continerent formalem pro ſententia à nobis aſſerta definitionem, omnemque intercluderent viam amplectendi ſine cenſura ſententiam oppoſitam, quod nobis in mentem non venit; ſufficit autem intento aſſertoque noſtro quod interpretatio à nobis ſuppoſita ſit, ut verè eſt, planior, auctoritatibus Patrum (ac ſignanter Damaſceni *lib 4. cap.* 20. dicentis *quamvis peccatorum remiſſio omnibus æquè per baptiſmum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur*) conformior; necnon etiam pluribus congruentiæ ra-
131. tionibus corroborata; quarum prima ſumi poteſt ex ſuavitate divinæ providentiæ attemperantis ordinem ſupernaturalem naturali, ſicut igitur ſubjectum magis diſpoſitum magis recipit de effectu agentis naturalis, & ut exemplificat D.Thomas infrà *quæſt.69.art.8. in c. ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat*, ita magis diſpoſitus magiſque appropinquans ad ſacramentum &c. Secunda à paritate gratiæ, quàm Deus per ſe immediatè cauſat extra ſacramentum, ſi enim in hac cauſanda immediatè Deus ſequitur menſuram diſpoſitionum, cur non etiam in eadem cauſanda medio Sacramento? Tertia à dignitate ſacramentorum exigentium prævias diſpoſitiones; debent igitur ad has magis magiſque apponendas homines excitari; nequeunt autem fortiùs ſuaviúſque excitari, quàm ſpe & fiducia reportandi majorem ex ſacramentis gratiam.

Dices has congruentiæ rationes infirmari rationibus oppoſitis validioribus: Prima ſit, quod ſacramenta ſicuti habent minimum, ità debent habere maximum quod ſit gratiæ, quam cauſant; non haberent autem, ſi cauſarent gratiam majorem juxta meliorem diſpoſitionem, cum hæc poſſit eſſe melior & melior in infinitum. Secunda: major indiſpoſitio non facit, quod ſacramenta cauſent gratiam minorem; neque minorem ex ſacramento pœnitentiæ v.g. gratiam reportat quis ex eo præciſe, quòd cum gravioribus, aut pluribus, peccatis ad ipſum accedat; ergo major diſpoſitio non facit, quod ſacramenta cauſent gratiam majorem. Tertia: Gratia, quæ eſt alicujus ſacramenti effectus, tota datur ex opere operato; at ſi daretur major ex majori diſpoſitione, ſecundùm aliquos ſui gradus daretur ex opere operantis; quod magis urgeo & explicatiùs profero ſic: Accedant duo ad baptiſmum unus magis, alter minùs diſpoſitus; prior recipiat gratiam ut ſex; poſterior ut quatuor; de duobus gradibus, quibus illa gratia iſtam excedit; quæro vel cauſantur ex virtute & efficacia diſpoſitionis ſubjecti, vel ex virtute & efficacia baptiſmi; ſi primum dixeris, fateberis cauſari ex opere operantis, cum opus operantis ſit ipſa diſpoſitio: Si dixeris ſecundum, impugnaberis, quia efficacia & virtus baptiſmi eſſet major in uno baptiſmo, quam in alio; & unus baptiſmus eſſet in ratione ſacramenti melior ac perfectior alio; quod nec admitti poteſt, nec quando admitteretur Adverſarijs prodeſſet, quia iſte baptiſmus melior ac perfectior majorem gratiam cauſaret etiam in ſubjecto minùs diſpoſito. Sed contrà: Ut ſingulis ſingillatim occurram, ad primam rationem dico 132.
totam aſſerti probationem inſervire pro diſparitate inter minimum, & maximum quod ſit, gratiæ ſacramentalis; & quamvis verè potuiſſent ſacramenta inſtitui cum determinatione ad utrumque terminum, imò cum alligatione ad certum gratiæ gradum in quolibet prorſùs ſubjecto cauſandum; de facto tamen non fuiſſe ſic inſtituta colligitur ex auctoritatibus, & rationibus præmemoratis. Neque ex eo, quod diſpoſitio ad majorem gratiam cōferens poſſit eſſe in infinitum melior, ſequitur ullum inconveniens; neque enim propterea ſecundùm

præſentem providentiam evadit unquam in ſe infinita, aut infinitam gratiam exigens; & quando ſecundum aliam providentiam ad infinitatem in ſe, & ad infinitam gratiæ exigentiam perveniret, non ideò excederet virtutem ſacramentorum, quæ utpotè proveniens ex virtute paſſionis Chriſti ſacramentis applicata optime poſſet ſecundùm aliam providentiam eſſe infinita, & gratiæ infinitæ cauſativa.

133\. Ad ſecundam rationem dico indiſpoſitionem ſubjecti ad ſacramenta, neque majorem, neque minorem rectè dici, ſed in indiviſibili conſiſtere, & quoties verè datur, totum ſacramenti effectum, totam gratiam impedire; ideò ab indiſpoſitione malè argui ad diſpoſitionem, quæ magis & minùs ſuſcipit, major & minor eſſe poteſt. Exemplum accedentis ad pœnitentiæ ſacramentum cum gravioribus, aut pluribus, peccatis non eſt ad rem, quia vel accedit attritus, & ſic peccata, qualiacunque ſint, non reddunt ipſum ad ſacramentum pœnitentiæ indiſpoſitum, vel non accedit attritus & ſic peccata, ſive plura, ſive pauciora, ſive magis ſive minus gravia, reddunt ſubjectum indiſpoſitum ad totam gratiam indiviſibiliter: Deindè peccata non remanent dum gratia infunditur, remanent verò bonæ diſpoſitiones, ideò ex eo quòd majora peccata non retundant activitatem ſacramenti ut minorem gratiam cauſet, malè infertur quòd meliores diſpoſitiones eandem activitatem non acuant, ut producat gratiam majorem.

Indiſpoſitio ad gratiam conſiſtit in indiviſibili, ſecùs diſpoſitio.

134\. Ad tertiam rationem fateor gratiam, quæ eſt effectus ſacramenti, verè totam & ſecundùm omnes ſuos gradus dari ex opere operato, neque oppoſitum ſequitur ex eo, quòd detur ad menſuram diſpoſitionis, & major meliùs diſpoſito; Ad illud, quod quæritur de duobus gradibus, quibus gratia baptiſmi cum majore diſpoſitione ſuſcepti ſupponitur excedere gratiam ejuſdem ſuſcepti cum diſpoſitione minore, dico cauſari ex virtute & efficacia baptiſmi, nec propterea iſta eſt major in uno baptiſmo, quàm in alio, niſi quoad exercitium & actum ſecundum; cum tamen virtus & efficacia ſimpliciter abſolutèque prolata ſupponat pro actu primo, multoque magis ex actu primo ſumenda ſit melior & perfectior ratio ſacramenti; quoad actum primum autem etiam baptiſmus, qui ſubjecto minùs diſpoſito contulit gratiam ut quatuor, habuit virtutem & efficaciam conferendi gratiam ut ſex, hancque contuliſſet, ſi inveniſſet ſubjectum æquè diſpoſitum, ac invenit ille alius baptiſmus, qui ſupponitur gratiam ut ſex contuliſſe.

Sacramentũ in ſubjecto magis diſpoſito habet majorem virtutem in actu ſecundo & exercito, non in actu primo & ſignato.

Urgebis: Illi duo gratiæ gradus quos dicimus eſſe ex virtute & efficacia baptiſmi, vel ſimul ſunt ex virtute & efficacia diſpoſitionis, vel non; Primum dici nequit, quia virtus & efficacia diſpoſitionis tanta, quanta eſt, reportat gratiam ex opere operantis, per hanc igitur exhauritur & impeditur ne aliquid præſtet reſpectu gratiæ ex opere operato, & quatenus aliquid reſpectu iſtius præſtet, jam iſta erit ex opere operato & ex opere operantis ſimul, non præcisè ex opere operato. Nequit item dici ſecundum, quia *ex præcedent. numero 129.* diſpoſitio, de qua agitur, debet eſſe cooperans ad gratiam ſacramenti, quomodò autem poteſt eſſe cooperans? ſi non eſt ſimul cum ſacramento operans, aut quomodo poteſt eſſe ſimul operans gratiam? ſi hæc non eſt ſimul ex virtute & efficacia ipſius. Sed contrà: 135.
Illi duo gratiæ gradus, ſicut & alij quatuor, effectivè & immediatè ſunt ex virtute & efficacia ſolius baptiſmi, ſunt tamen præparativè & mediante baptiſmo etiam ex virtute & efficacia diſpoſitionis; clariùs ſunt ex virtute & efficacia iſtius ut ſubjectum præparantis, non ut gratiam efficientis; & hoc ſufficit, ut diſpoſitio dicatur ad gratiam cooperatio; cooperatur ſc. ſacramento, quatenùs dum iſtud operatur efficiendo gratiam, illa ſuo modo operatur præparando ſubjectum, aut potius ſubjectum operatur præparando ſe ipſum, & ponendo id, quo poſito ſacramentum eſt ex divina inſtitutione determinatum ad efficiendam gratiam majorem, puta ut ſex, non ut quatuor tantùm. Neque in ordine ad hanc cooperationem ac præparationem minuitur, aut exhauritur diſpoſitionis efficacia per hoc, quòd tanta quanta diſpoſitio eſt, gratiam aliam à ſacramentali reportet ex opere operantis; enim verò efficacia, quam talis diſpoſitio impendit reſpectu gratiæ ex opere operantis, eſt in ratione meriti abſtrahendo à ſacramento; efficacia, quam impendit in ordine ad prædictam cooperationem eſt in alia linea, id eſt præciſe in linea diſpoſitionis relatè ad ſacramentum.

Aſſert. 5. Obex, cum quo ſacramenta validè ſuſcepta nullam prorsùs in ſua ſuſceptione gratiam cauſant, eſt omne & ſolum peccatum lethale, ſive actuale, ſive habituale nullatenùs retractatum. Totum aſſertum quoad reliqua ſacramenta ab Euchariſtia recipitur communiſſimè, quoad Euchariſtiam eſt in ly *ſolum peccatum lethale* contrà Bonaventuram, Alenſem, Paludanum, Caietanum, Durandum, & aliquos alios arbitratos pro Euchariſtiæ effectu requiri in ſuſcipiente actualem devotionem qua mentis diſtractiones, & peccata venialia actualia excludantur; Nobis tamen pro nunc ſufficiat probare aſſertum univerſim abſtrahendo ab Euchariſtia, circa quam in proprio tractatu agemus de hoc puncto opportuniùs & Auctores præmemoratos ſuis tunc locis recitandos impugnabimus, iiſdemque alios & multo plures opponemus. 136.

Dixi *cum quo ſacramenta validè ſuſcepta* ut innuerem me non loqui de obice, ratione cujus non ſolum effectus, ſed & ſubſtantia ſacramẽti impeditur, ipſaquemet ſacramenta reddita invalida non ſolùm non cauſant gratiam in ſua ſuſceptione, ſed nec poſteà, etſi obex auferatur, qui quidem obex poteſt ſe tenere etiam ex parte Miniſtri, non ex parte ſolius ſuſcipientis, & quatenus ex parte ſuſcipientis ſe tenet, utique non eſt ſolum peccatum lethale, imò neque omne nullatenùs retractatum: Non eſt ſolum peccatum, quia ex parte ſuſcipientis ſubſtantiam valoremque ſacramenti (ſi Euchariſtiam, quæ in uſu & ſuſceptione non conſiſtit, excipias) impedit quidquid reddit ſubjectum ſacramenti ſuſcipiendi proximè incapax, ut ſunt reſpectu omnium ſacramentorum exiſtentia extrà

Quinam ſit obex impediens ſacramentorum valorem.

Digitized by Google

extrà ſtatum viæ, carentia cujuſcunque intentionis in adultis, reſpectu aliorum ſacramentorum à baptiſmo carentia prævij characteris baptiſmi; aliaque plura pro diverſis ſacramentis diverſa, de quibus egimus *præced. cap. 3.* per totum. Non eſt item omne peccatum nullatenùs retractatum obex impediens cujuſcumque ſacramenti valorem, nam certum eſt peccatum originale in parvulis, à quibus nullatenùs eſt, nec eſſe poteſt retractatum, non impedire valorem, imò nec effectum, baptiſmi ipſis collati; quin neque adultorum baptiſmo obeſt, quòd non retractetur originale peccatum, utpotè quod, ſicuti non eſt propria voluntate inductum, ita neceſſe non eſt quod propria voluntate auferatur: Hinc Joannes à S. Thoma *hic diſp. 24 art. 1. dub. 3. §. Similiter.* Amicus *diſp. 4. ſec. 4. num 74.* Madernus *quæſt. 3. articul. octavo, numer. ſexto*, alijque communiter obſervant adultum validè baptizari & ab originali, in quo ſolo ſupponatur exiſtens, juſtificari abſque eo, quod habeat ullum actum doloris, aut retractationis de peccato, dummodò habeat intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, & actus fidei, & ſpei; illam tanquam neceſſariam in quolibet adulto ad ſacramentorum ſuſceptionem, iſtos tanquam prærequiſitos ad quamlibet adulti juſtificationem, imò etiam tanquam præſuppoſitos ad intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, aliudvè quodlibet ſacramentum, cum talis intentio debeat eſſe ſupernaturalis ex motivo fidei, & ex deſiderio conſequendi aliquod bonum conducens ad ſalutem. Aſſertum ſic explicatum.

138. Quinam ſolùm impediat eorum effectum, & gratiam?

Probatur, quia ex una parte certum eſt ſacramenta, ſive omnia, ſive aliqua, eſſe interdum valida, & non conferre in ſua ſuſceptione gratiam ratione obicis, ex alia parte nil præter lethale peccatum excogitari poteſt, quòd non obſit valori, & impediat effectum; ſaluáque ſacramenti ſubſtantia ſit obex gratiæ; ergo obex, cum quo ſacramenta validè ſuſcepta nullam prorsùs in ſua ſuſceptione gratiam &c. Antecedens quoad primam partem colligitur ex Tridentino *ſeſſ. ſeptima, canon. 6.* & 7. quatenùs primo loco definit ſacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem; ſignum eſt igitur dari aliquem obicem, ratione cujus gratiam non conferant; ſecundo loco ſtatuit per eadem ſacramenta dari gratiam ſemper, & omnibus, quantùm eſt ex parte Dei, non datur igitur per ſacramenta gratia ſemper, & omnibus abſolutè, ſed ſolùm quantum eſt ex virtute, quam Deus ſacramentis communicavit, & quaſi ſub conditione, quòd non ponatur obex ex parte noſtra, ſeu ex parte ſubjecti ſuſcipientis: idem antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia maximum, & unicum. gratiæ oppoſitum eſt lethale peccatum, ſi igitur iſtud etiamſi nullatenùs retractatum non obſit, ut verè aliquando non obeſt, valori ſacramenti; nihil melius quàm ipſum, & nihil præter ipſum, excogitari poteſt, quod ſalua ſacramenti ſubſtantia ſit obex gratiæ; ergo.

139. Hujuſmodi obex alius poſitivus, alius negativus.

Porrò peccatum lethale aſtruitur gratiæ obex, ſive actuale, ſive habituale ſit; & meritò quia, ſive actuale ſive habituale ſit, gratiæ opponitur: occurrit tamen pro re præſenti aliquid diſcriminis inter actuale & habituale, quatenus peccatum actuale committitur in ipſa ſacramenti ſuſceptione, hancque reddit in ſe peccaminoſam, & dicitur obex poſitivus: peccatum habituale ſupponitur commiſſum antecedenter, non reddit in ſe peccaminoſam ſacramenti ſuſceptionem, & dicitur obex negativus, dummodò ſit invincibiliter oblitum, nam ſi ſit actu in memoria & conſcientia ſuſcipientis ſacramentum, eo ipſo quòd non retractatur, conjungitur cum peccato actuali, reddit ſuſceptionem peccaminoſam, & ſit obex poſitivus: Breviter habet poſitivum gratiæ ſacramentalis obicem qui culpabiliter, negativum qui inculpabiliter accedit ad ſacramentum cum lethali nullatenùs retractato: Vel habet obicem poſitivum, qui ſcienter poſitivè indiſpoſitus; negativum, qui non poſitivè diſpoſitus ſeu cum carentia diſpoſitionis poſitivæ ſibi neceſſariè, accedit. Hujuſmodi obex, ſive poſitivus, ſive negativus ſit, vocatur etiam fictio, & qui cum obice accedit dicitur accedere fictus, quia profitetur exteriùs velle ſuſcipere ſacramentum & effectum ejus, quod interius non vult, quatenùs interiùs apponit, aut non removet, impedimentum, ut ex Auguſtino explicat D. Thomas infrà *quæſtio. 69. artic. 9. in c.*

Vocatur etiam fictio, & cur.

---

§. VIII.

Quomodò obex auferatur, & Quomodò hoc ablato redeat impeditus Sacramentorum, præſertim Baptiſmi, effectus?

ASSERT. I. In duobus mortuorum ſacramentis, ſi ambo poſſint cum negativo gratiæ obice validè ſuſcipi, ſufficienter auſertur talis obex per attritionem etiam ſolam & extra Pœnitentiæ ſacramentum. Obex verò poſitivus in altero dumtaxat mortuorum ſacramento, ideſt in baptiſmo, poteſt cum ſacramenti valore conjungi, & nequit poſteà auferri, niſi per contritionem, aut attritionem cum Pœnitentiæ ſacramento. Ita Scholaſtici communiter, partim in præſenti, partim in tractatibus particularibus de Baptiſmo, & de Pœnitentia: Quoad obicem tamen negativum adverſantur & ſentiunt non poſſe ſola attritione auferri Gabriel *in 4. diſt. 4.* & *14 q. 2.* Marſilius item *in 4 q. 2.* Petrus Soto *lect. 4. de Bapt.* & *lect. 7. de Pœnit.* & ex Recentioribus Vaſquez *hic diſp. 160.* Quoad obicem verò poſitivum adverſatur, & putat etiam ipſum reſpectu baptiſmi auferri poſſe attritione ſola independenter à Pœnitentiæ Sacramento Paludanus *in 4. diſt. 4. quæſt. 5.* 140.

141. Sacramentũ Pœnitentiæ utrum ſuſceptum cum obice negativo poſſit eſſe validũ in controverſia eſt.

Dixi *Si ambo poſſint cum negativo gratiæ obice validè ſuſcipi*, nam de Pœnitentia, quæ eſt alterũ mortuorum ſacramentum, valdè cõtrovertitur, utrum poſſit cum tali obice, ideſt cum lethali invincibiliter oblito & nullatenus retractato validè ſuſcipi: quod alijs terminis dici ſolet, utrũ poſſit eſſe validũ & informe: & ego quidẽ

Digitized by Google

in opinionem negantem propendeo, nolo tamen nunc controverſiam dirimere, & dum eam in proprium tractatum reſervo, data opinione affirmante quod de obicis negativi remotione proferetur reſpectu baptiſmi facilè extendetur ad Pœnitentiam, nulla addita peculiari probatione, aut explicatione: Multò minus erit aliquid reſpectu Pœnitentiæ peculiariter addendum de remotione obicis poſitivi, utpotè qui (ut in aſſerto inſinuavi) nequit ab accedente ad Pœnitentiam haberi ſalvo ſacramenti valore; nam obex poſitivus reddit ſacramenti ſuſceptionem culpabilem, peccaminoſam, ſacrilegam; certum eſt autem confeſſionem ſacramentalem ſacrilegam non poſſe eſſe validam, & dolorem pro valore ſacramenti Pœnitentiæ requiſitum debere eſſe de omnibus peccatis, quorum quis eſt ſibi conſcius, nequit autem talem dolorem habere qui in ipſa ſacramenti ſuſceptione ſciens & volens peccat. Supereſt igitur, ut reſpectu ſolius baptiſmi probetur, quod de obice, ſive negativo, ſive poſitivo, reſpectu utriuſque mortuorum ſacramenti aſſertum eſt: Sic autem

Certum verò quòd non poſſit eſſe validum cum obice poſitivo.

142\. In Baptiſmo ut auferatur obex negativus ſufficit attritio.

Probatur primò quoad obicem negativum: Ut auferatur, aut potiùs non habeatur, negativus gratiæ obex ab adulto in baptiſmi ſuſceptione ſufficit attritio; ergo pariter attritio ſufficit ut idem obex, qui in baptiſmi ſuſceptione extiterit, poſt baptiſmum ſuſceptum auferatur: antecedens ſupponitur ex *præcedent. paragrapho 6.* conſequentia probatur, quia quod ſufficit ad impediendum aliquid ne exiſtat, ſufficit ad ipſum deſtruendum, ſeu auferendum, quando exiſtit; ſi igitur attritio ſufficit, ut non habeatur, quod eſt idem ac dicere ad impediendum ne exiſtat, negativus baptiſmalis gratiæ obex, ſufficit pariter ut deſtruatur ſeu auferatur, quando exiſtit, quod eſt idem ac dicere, ad impediendum ne perſeveret exiſtens. Confirmatur ex eo, quòd obex, qui ex ſolius attritionis carentia oritur, debet poſſe ex ſolius attritionis poſitione perire; atqui obex, de quo agitur, ex ſolius attritionis carentia oritur ergo. Hincque obiter cum Arriaga Madeenus *quæſt.3.art.12. num.4.* notat negativum gratiæ obicem, qui in ſuſcipiente baptiſmum, non ex attritionis, ſed ex alicujus alterius actus carentia oriretur, fore ex hujus actus poſitione auferendum ſic fortè eveniret in adulto, qui ſupponeretur in ſolo originali exiſtere, ac per conſequens *ex præced. num* 137. attritione ad baptiſmi effectum non indigere; iſte ſcilicet ſi actu ſpei, ſine quo nullus adultus poteſt juſtificari, inculpabiliter omiſſo baptiſmum ſuſcipiat, ſi ſuſcipiet validè, ſuſcipiet adhuc infructuosè, & cum negativo gratiæ obice, qui tamen poſtea auferretur per poſitionem ſolius actus ſpei.

143\. Probatur ſecundò quoad obicem poſitivum, qui triplex eſſe poteſt, antecedens, comitans, & ſubſequens. Obex poſitivus baptiſmum antecedens eſt quodlibet lethale perſonale antè baptiſmi ſuſceptionem commiſſum, & nec retractatum, nec invincibiliter oblitum. Obex poſitivus baptiſmum comitans eſt quodlibet lethale, quod committatur, dum baptiſmus ſuſcipitur, ſive ſit ipſa ſacrilega baptiſmi ſuſceptio aut voluntas indignè & ſacrilegè ſuſcipiendi, ſive aliquod aliud à baptiſmo diſparatum, puta deſiderium furandi, quod quis habeat, dum baptizatur. Obex poſitivus baptiſmum ſubſequens eſt quodlibet lethale commiſſum poſt baptiſmum ſuſceptum cum alio, ſive negativo, ſive poſitivo gratiæ obice, nondum ſublato. Probatur, inquam, aſſertum quoad triplicem hunc obicem poſitivum; Attritio neque vi ſua præcisè; neque vi ſuſcepti baptiſmi, poteſt auferre obicem poſitivum, qui fuerit modo explicato antecedens, comitans, vel ſubſequens baptiſmum; ergo nequit talis obex auferri niſi per contritionem, aut attritionem cum ſacramento Pœnitentiæ; conſequentia patebit probato antecedente, quod quoad primam partem facilè ſuadetur ex eo quia obex poſitivus mox explicatus, ſive antecedens ſit, ſive comitans, ſive ſubſequens, eſt lethale peccatum; certum eſt autem attritionem vi ſua præcisè, & independenter à ſacramento, non poſſe delere ſeu auferre lethale peccatum; quoad ſecundam probatur, quia obex, ſeu peccatum, ſubſequens baptiſmum non eſt materia baptiſmi, nec ſacramentum ullum eſt inſtitutum ad delenda peccata poſt ipſum commiſſa, nequit igitur attritio vi ſuſcepti baptiſmi delere peccatum, & auferre obicem ſubſecutum baptiſmi ſuſceptionem: Obex comitans non eſt pariter materia baptiſmi, quia ſupponitur continuari in illo inſtanti breviſſimove ſpatio temporis, quo perficitur & conſummatur baptiſmus; at pro tunc is, qui baptiſmum ſuſcipit, jam habet characterem jamque eſt Eccleſiæ ſubditus; ergo obex pro tunc continuatus, & peccatum pro tunc perſeverans eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ, non baptiſmi; nec poteſt per ſupervenientem attritionem vi baptiſmi ſuſcepti auferri, ſeu deleri; Obex antecedens non habet rationem obicis poſitivè, niſi quatenùs eſt ſimul cum obice comitante, nec poteſt ille ſine iſto auferri ex regula generali, qua nequit ſaltem de lege ordinaria remitti unum peccatum ſine alio; cum igitur obex comitans nequeat per attritionem vi ſuſcepti baptiſmi auferri, conſequens eſt quòd nec poſſit per talem attritionem auferri obex poſitivus antecedens.

Vt auferatur obex poſitivus, qualiſcunque ſit, requiritur contritio, aut attritio cum Pœnitentiæ ſacramento.

144\.

Peccata cōmiſſa in ſuſceptione baptiſmi ſunt materia ſacramenti Pœnitentiæ, ut magis declarabitur infrà n. 181.

Dices primò impugnando aſſertum quoad obicem negativum: Obex negativus importat peccata lethalia baptiſmum antecedentia, etſi invincibiliter oblita; atqui hæc peccata nequeunt per attritionem ſolam auferri, ergo nequit per attritionem ſolam auferri obex negativus; probatur minor, nequeunt auferri per attritionem ſolam vi ſua præcisè, quia quod attritio vi ſua præcisè nequeat delere lethale etiam de lethali invincibiliter oblito procedit; neque vi ſuſcepti baptiſmi, quia gratis dicitur virtutem baptiſmi priùs impeditam poſſe poſteà operari ad cauſandam gratiam & remiſſionem peccatorum; imò non ſolùm gratis verùm etiam contra auctoritatem & rationem; contra auctoritatem, quia Auguſtin. apud Vaſquium *diſp.*161 *c.*4. & Lugum *diſp.*9. *ſec.*4. *n.*47 pluribus in locis inſinuat baptiſmum cum obice ſuſceptum nihil poſtea operari, niſi peccatorum obex per confeſſionem, pœnitentiam,

aut

aut charitatem auferatur: Contrà rationē quia peccata, quæ baptiſmum præceſſerunt eo ipſo, quòd in baptiſmi ſuſceptione non remittuntur evadunt peccata hominis baptizati, & ſubditi Eccleſiæ; incipiunt igitur eſſe materia pœnitentiæ, deſinunt eſſe materia baptiſmi, neque iſtius virtus poteſt ampliùs ad illa remittenda
145. ſe extendere. Sed contrà: conceſſa majore nego minorem, ad cujus probationem conceſſa prima parte antecedentis nego ſecundam, nec gratis dici virtutem baptiſmi priùs impeditam poſſe poſteà &c. conſtabit ex dicendis *ſequent. aſſert.* 3. ubi etiam oſtendetur Auguſtinum pro tali baptiſmi virtute, & pro nobis ſtare: A ratione in contrarium adducta breviter pro nunc me expedio dicendo peccata, quæ ſunt materia ſacramenti Pœnitentiæ, debere eſſe peccata hominis baptizati, ita ut ab homine baptizato committantur, nec ſufficere, quod utcunque in homine baptizato reperiantur, alioqui etiam originale evaderet materia Pœnitentiæ, quia etiam ipſum reperitur in adulto baptizato cum gratiæ obice.

Dices ſecundò impugnando aſſertum quoad obicem poſitivum, oſtendendo ſcilicet etiam ad hunc auferendum ſufficere attritionem ſolam & extra Pœnitentiæ ſacramentum: Attritio ſola vi baptiſmi ſuſcepti ſufficit ad auferenda peccata baptiſmum præcedentia, atqui hæc peccata, quando ſunt ſimul cum obice poſitivo, nequeunt auferri, quin ſimul auferatur obex poſitivus; ergo attritio ſola vi baptiſmi ſuſcepti ſufficit ad auferendum obicem poſitivum: Major continet doctrinam à nobis mox traditam, minor certa eſt ex eo quod nequeat remitti unum lethale ſine alio; conſequentia probatur, Sacramentum pœnitentiæ & attritio vi ipſius, quamvis nequeat per ſe delere peccata non confeſſa, quando tamen evenit illa ſimul cum confeſſis reperiri, ex eo quod nequeant confeſſa ſine non confeſſis deleri, delendo per ſe confeſſa delet per accidens non confeſſa; ergo ſimiliter attritio vi baptiſmi ſaltem per accidens poteſt auferre obicem poſitivum, quoties iſte reperitur cum peccatis baptiſmum præcedentibus ab attritione per ſe auferibilibus. Confirmatur ex eo, quòd univerſim exiſtentibus ſimul peccatis quæ per ſe ab attritione auferri poſſunt, & alijs quæ per ſe ab eadem auferri non poſſunt, non eſt major ratio cur illa reddantur per accidens inauferibilia ex iſtis, quàm quod iſta reddantur per ac-
146. cidens auferibilia ex illis? Sed contrà: Conceſſa majore & minore, nego conſequentiam, ad cujus probationem dico obicem poſitivum, de quo ſit ſermo, importare peccata, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt, materia baptiſmi, utpotè commiſſa ab homine baptizato; peccata autem, quæ ſupponuntur non confeſſa, ſunt in actu ſignato materia præteriti ſacramenti pœnitentiæ, quatenùs potuerunt ipſi ſubijci, & per accidens eſt quòd non fuerint ſubjecta, ſactaque materia in actu exercito: Benè autem poteſt aliquod ſacramentum, & attritio vi ſacramenti, delere per accidens peccatum quod aliquo modo, at non quod nullo modo ſit ipſius ſacramenti materies; ideò non currit paritas, & concedendo quòd in antecedente aſſertur de attritione vi Pœnitentiæ nego quod infertur in conſequente de attritione vi baptiſmi. Ad confirmationem dico eſſe de ſubjecto non ſupponente, quatenùs ſupponit peccata, de quibus agitur, poſſe reddi auferibilia per accidens, quod in propoſito falſum eſt; peccata enim, quæ nullatenùs ſunt materia baptiſmi, non poſſunt eſſe aut reddi auferibilia, nequidem per accidens, à baptiſmo, aut ab attritione vi baptiſmi.

Urgebis: Sicut peccata à baptizato commiſſa nullatenùs ſunt materia baptiſmi, ita commiſſa à non baptizato nullatenùs ſunt materia Pœnitentiæ, atqui iſta adhùc poſſunt auferri per accidens vi Pœnitentiæ, ergo & illa vi baptiſmi; Minor probatur qui cum obice poſitivo etiam antecedente, & cum peccatis etiam ante baptiſmum commiſſis, baptizatur, & deindè attritus accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ, vi iſtius conſequitur remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, adeóque ſaltem indirectè, & per accidens, etiam eorum, quæ baptiſmum præceſſerunt; ergo. Sed contrà: Concedo majorem, nego minorem; ad cujus probationem dico in dato caſu accedentem ad ſacramentum Pœnitentiæ conſequi quidem remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, at non omnium vi ſolius pœnitentiæ, ſed vi Pœnitentiæ ſimul & baptiſmi, ſeu vi Pœnitentiæ adjectæ à præterito baptiſmo, ut loquitur Amicus *diſp.* 4. *ſec.* 8. *num.* 167. & explicabitur infrà *num.* 150. & 156.

Nullatenùs verò peccata commiſſa antè baptiſmum.

Aſſert. 2. In vivorum ſacramentis validè ſuſ- 147.
ceptis cum gratiæ obice, iſte etiamſi duntaxat negativus ſit nequit per ſe loquendo auferri, niſi per contritionem, aut attritionem cum Pœnitentiæ ſacramento. Ita Scholaſtici communiter & videntur ſolùm poſſe adverſari illi, quorum meminimus *præced. num.* 100. pro opinione ſimpliciter tribuente vivorum ſacramentis virtutem cauſandi per ſe primam gratiam.

In Sacramētis vivorum obex, etiam negativus, nequit auferri attritione ſola.

Probatur. Obex negativus, id eſt peccatum invincibiliter oblitum, cum quo aliquod ſacramentum vivorum, puta ſacramentum Confirmationis ſuſceptum ſit, nequit per ſe loquendo auferri attritione ſola; ergo non niſi contritione, aut attritione cum Pœnitentia; atque adeò in vivorum ſacramentis validè ſuſceptis &c. Conſequentia patet, antecedens probatur, ſi obex negativus auferretur attritione ſolâ, vel auferretur ab iſta vi ſui ipſius præcisè; & hoc non, quia quod attritio vi ſui ipſius præcisè nequeat auferre lethalia etiam de invincibiliter oblitis procedit, ut meritò conceſſimus *præced. num.* 145. Vel auferretur ab eadem vi ſuſceptæ Confirmationis, & neque hoc dici poteſt, quia attritio non magis valet vi Confirmationis præteritæ & ſuſceptæ, quàm vi ejuſdem præſentis & dum ſuſcipitur; atqui non valet ad delenda per ſe loquendo lethalia vi Confirmationis præſentis & dum ſuſcipitur; ergo neque vi ipſius præteritæ & ſuſceptæ, minor ſupponitur ex eo quòd ſecus Confirmatio cauſaret per ſe primam gratiam, & ſciens ſe eſſe in lethali licitè, ac cum fructu, accederet ad Confirmationem aliudve vivorum ſacramen-
tum attritus, quod eſt ex dictis falſum. Con- 148.
firmatur, in tantùm attritio ſola poteſt auferre

obicem negativum baptiſmi ſuſcepti, in quantùm ipſa ſola eſt ſufficiens diſpoſitio ad ſuſcipiendum cum effectu baptiſmum, atqui ex oppoſito non eſt ipſa ſola per ſe loquendo ſufficiens diſpoſitio ad ſuſcipiendum cum effectu aliquod ſacramentum vivorum, ſed omninò requiritur ſtatus gratiæ in ſuſcipiente; ergo neque eadem ſola eſt ſufficiens per ſe loquendo ad auferendum obicem negativum alicujus ſacramenti vivorum jam ſuſcepti, ſed omninò requiritur ad talem obicem auferendum ſtatus gratiæ, qui ſola contritione, aut attritione cum ſacramento comparatur.

Per ſe loquendo, nam loquendo per accidens pendet ab eo quod ſacramenta vivorum poſſint vel non poſſint cauſare per accidens primam gratiā.

Et hæc quidem benè procedunt per ſe loquendo, nam ut obſervat Herincx *diſput* 4. *quæſt*.5. *num*.52. ſi aliquod ſacramentum vivorum poteſt per accidens cauſare primam gratiam, & cum attritione ſola per accidens delere in ſui ſuſceptione lethale, præſertim invincibiliter ignoratum, poterit etiam attritio, quæ in ſacramenti ſuſceptione inculpabiliter defuerit, & poſteà ſuperveniat; poterit, inquam, vi ipſius ſacramenti ſuſcepti illud idem lethale per accidens delere, & negativum gratiæ obicem per accidens auferre: Suppoſito v.g. quod Euchariſtia ſit per accidens primæ gratiæ cauſativa, qui in lethali invincibiliter ignorato exiſtens, illam neque contritus neque attritus ſumeret, quando deindè attereretur per accidens auferret ſui ignorati lethalis obicem negativum vi ſumptæ Euchariſtiæ.

Ex eo quod dictum eſt tùm mox de obice negativo per ſe loquendo, tum ſupra de obice poſitivo reſpectu baptiſmi, facilè deducitur à fortiori in ſacramentis vivorum cum obice poſitivo ſuſceptis, non poſſe hunc deindè per attritionem ſupervenientem ſolam auferri, ſed omnino requiri aut attritionem cum Pœnitentiæ ſacramento, aut contritionem, ut auferatur.

149. Aſſert. 3. Quidquid ſit de alijs ſacramentis, ablato baptiſmi obice, redit formaliter & vi ipſius baptiſmi totus effectus qui fuerat obice impeditus; ſignanter verò habitualis gratia remiſſiva omnium peccatorum baptiſmi ſuſceptionem præcedentium. Quidquid, inquam, ſit de alijs ſacramentis, ut abſtineam pro nunc à quæſtione pro ſingulis ferè ſacramentis diverſa, & ad ſingulos ſingulorum ſacramentorum tractatus pertinente; & licet etiam pro baptiſmo potuerit in proprium ipſius tractatum reſervari, nihilominùs quia pro ipſo continet materiam magis celebrem ac apud Auctores exploratam, magis item ſcitu dignam ac neceſſariam, placuit ipſam nec prorsùs omittere, nec in locum alium differre. Porrò quòd in præſenti de baptiſmo aſſerimos colligitur ex D. Thoma infrà *quæſt*.69. *art*.10. ex Scoto *in* 4. *diſt*.4. *quæſt*.5. §. *Etſi obijcitur*. Joanne à S. Thoma *hic diſp*.24. *art*.1. *dub*.6. Goneto *diſp* 4. *de Bapt*. *art*.3 §.2. Maſtrio *diſp*.2. *de Bapt*. *quæſt*.6. *art*.1. Herincx *hic diſp*.4. *quæſtio*.4. Suario *diſp*.28. *ſec*.4. Lugo *diſp*.9. *ſec*.3. Arriaga *diſp*.14. & 55. *ſec*.1. Maderno *quæſt*.3. *art*.10. alijſque tum Thomiſtis, tum Scotiſtis, tum Recentioribus communiter contrà Gabrielem, Marſilium, & alios relatos *præcedent*. *num* 240. pro opinione docente nequidem negativum baptiſmi obicem auferri poſſe attritione ſola; ad hoc enim moventur potiſſimum ex eo, quod putent baptiſmum præteritum, & cum obice ſuſceptum, non poſſe poſteà reviviſcere ad producendam vi ſua gratiam habitualem, quam in ſuſceptione ſua produxiſſet, ſi non fuiſſet negativo obice impeditus: Pro hac eadem opinione & doctrina nobis contraria nonnulli referunt Scotum *præcit*. *quæſt*.5. in fine §. *Tertio modo*, Et verè hocce tertio modo tali opinioni favet, at magis adhæret doctrinæ aſſerto noſtro accommodatæ, quam poſuerat in principio quæſtionis, ut cum alijs Scotiſtis notat Maſtrius *præcit*. *art*.1. *num*.142. ideò jure ipſum inter alios aſſertæ veritatis Auctores enumeravimus.

Probatur aſſertum primò ex Tridentino *ſeſſ*.6. *cap*.4. definiente tranſlationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ poſt Evangelium promulgatum fieri non poſſe *ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto*; quod eſt idem ac dicere non concurrente baptiſmo, aut voto baptiſmi; atqui niſi rediret ex vi baptiſmi gratia remiſſiva originalis aliorumque peccatorum baptiſmum cum obice ſuſceptum præcedentium, is, qui tali obice recedente juſtificaretur, tranſiret ab eo ſtatu in quo &c. non concurrente baptiſmo nec voto baptiſmi; ergo redit ex vi baptiſmi gratia remiſſiva &c. minor probatur, tranſiret ab eo ſtatu &c. non concurrente baptiſmo, quia (ut ſupponitur) gratia, in quam tranſiret, non daretur vi ſuſcepti baptiſmi; tranſiret etiam non concurrente voto baptiſmi, quia in hypotheſi argumenti ſicut non ampliùs poteſt baptiſmus adhiberi, ita nec haberi proprium baptiſmi votum, eſt quippè iſtud de baptiſmo futuro & ſuſcipiendo, non de præterito & ſuſcepto. Confirmatur ex Auguſtino *lib*.1. *de baptiſmo contrà Donatiſtas cap*.12 ubi ait, *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit*, Quid eſt autem valere ad ſalutem, niſi vi ſua cauſare gratiam & *lib*.6. *cap*.5. ubi de baptizato in hæreſi ait, *Si converſus venerit ad Catholicam pacem, ſub eodem baptiſmate, quod acceperat, etiam peccata dimittuntur*, quid eſt autem peccata dimitti ſub eodem baptiſmate, niſi dimitti vi ipſius: Similia habentur, tum ex eodem Auguſtino alibi, tum ex alijs Patribus, Cypriano præſertim & Gregorio apud Lugum *præcit*. *ſec*.3. *num*.24. & Eſtium *in* 4. *diſt*.4. § 12.

150. Recedente obice datur baptiſmi gratia vi ipſius baptiſmi.

Reſpondent Adverſarij quoad Tridentinum ly *ſine lavacro, aut ejus voto*. malè à nobis pro eodem ſumi ac *non concurrente baptiſmo aut ejus voto*, & ly *ſine* ſufficienter ſalvari per hoc, quòd baptiſmus ſit ad juſtificationem neceſſarius tanquam conditio, etſi non ſemper tanquam cauſa influens; nam etiam rectè dicitur, ignis non comburit ſine approximatione, & tamen approximatio eſt neceſſaria ad combuſtionem ut conditio, non ut cauſa influens: Reſpondent inſuper quoad Auguſtinum, & alios Patres, baptiſmum ablato obice incipere valere ad ſalutem & dimittere peccata, vel quatenùs delet reatum pœnæ temporalis in juſtificatione rei contritioni, aut ſacramenti pœnitentiæ, facta relictum; vel quatenùs ipſo non ſuſcepto pœnitentiæ ſacramentum ad ſalutem 151.

Digitized by Google

lutem, & ad peccata dimittenda, non prodeſſet, & in contritione ut prodeſſet deberet includi baptiſmi votum, quod ſuppoſita baptiſmi ſuſceptione non includitur. Impugnantur tamen iſtæ reſponſiones, quia non adeò propriè, nec adeò juxta communem Scholaſticorum ſenſum, Concilij & Sanctorum Patrum verba ſaluant, ut ſaluamus nos; & ſignanter quoad Auguſtinum neutra Adverſariorum reſponſio quadrat contextui & intento ipſius, ut latiùs expendunt Arriaga *præcit. diſp. 14. ſec. 1.* & Lug. *præcit. ſec. 3.* Cæterum quod allatis auctoritatibus poſſint aliqualiter Adverſarij occurrere, nihil aliud probat, quàm ipſorum opinionem non expreſsè opponi Concilijs aut Patribus, nec debere ex hoc capite gravi cenſura notari, quod ultrò do.

152. Probatur aſſertum ſecundò ratione: Vis ſeu virtus baptiſmi præteriti, ac ſuſcepti cum obice, hoc recedente & poteſt & debet præſtare totum effectum, quem antea ubice non impedita præſtitiſſet; ergo ablato baptiſmi obice redit formaliter ex vi ipſius &c. conſequentia patet probatur antecedens quoad primam partem, ſcilicet quoad ly *poteſt*; Virtus baptiſmi præteriti recedente obice poteſt cauſare aliquem ſuum effectum, atqui non eſt major ratio de aliquo, quam de omni ſeu toto; ergo; Minor ſuadetur ex eo, quia totus æquè ac aliquis baptiſmi effectus poteſt cauſari à baptiſmo moraliter; ergo totus æquè ac aliquis poteſt cauſari à baptiſmo præterito, nec eſt major ratio &c. Major probatur, quia nimis durum foret dicere baptiſmum validum obice recedente ad nullum prorsùs ſuum effectum reviviſcere, & ipſimet Adverſarij ei tribuunt, quòd tunc cauſet remiſſionem aliquam pœnæ temporalis & jus ad ſpecialia auxilia, quod gratia habitualis ſacramentalis addit non ſacramentali: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, ſcilicet quoad ly *debet*; Virtus potens præſtare totum aliquem effectum, ſi de iſto præſtat quod ſecundarium eſt, debet præſtare reliquum quod primarium, adeóque totum, alioqui per ſaltum ut ita dicam & inordinatè operaretur; atqui virtus præteriti baptiſmi recedente obice eſt potens præſtare totum ſuum effectum, & de ipſo ex mox dictis præſtat quod ſecundarium eſt, nimirùm remiſſionem pœnæ temporalis, & jus ad auxilia; ergo debet præſtare reliquum quod primarium, nimirùm gratiam habitualem & remiſſionem peccatorum quoad culpam loquendo de peccatis, quæ baptiſmi ſuſceptionem præceſſerunt.

153. Cuilibet peccato debet eſſe proviſum medium & remedium quo per ſe deleatur.

Confirmatur ex eo quod ſuavitati & excellentiæ legis gratiæ convenit habere medium & remedium, quo quodlibet peccatum poſſit deleri per ſe & directè; atqui peccata, quæ baptiſmum cum obice ſuſceptum præceſſerunt nullum haberent tale medium & remedium, niſi delerentur vi ſuſcepti baptiſmi ablato obice reviviſcentis ad cauſandam gratiam ipſorum remiſſivam; ergo verè ſic delentur, ac per conſequens ablato baptiſmi obice redit formaliter, & vi ipſius &c. Minor probatur peccata illa non poſſent deleri per ſe virtute pœnitentiæ, aut alterius ſacramenti, quia non eſſent materia propria pœnitentiæ, nec alterius ſacramenti à baptiſmo; Non item poſſent deleri per ſe, imò nec per accidens, virtute contritionis, quia contritio in præſenti providentia non delet peccata, quæ ſunt materia propria alicujus ſacramenti niſi in voto ſaltem implicito talis ſacramenti, in noſtra autem hypotheſi contritio non poſſet (ut colligitur *ex præced. num. 150.*) continere votum nequidem implicitum baptiſmi, cujus peccata, de quibus agitur, ſunt materia propria; ergo. Præter quòd, quando poſſent contritione per ſe deleri, videretur adhuc incongruum, quod nullum daretur remedium externum, & ſacramentale, illorum per ſe remiſſivum.

Dices primò: Quilibet gratiæ gradus ſicut per ſe directè, & formaliter cuilibet peccato opponitur, ita per ſe, directè, & formaliter quodlibet peccatum expellit; ergo ſive virtute contritionis, ſive virtute ſacramenti Pœnitentiæ, aliquis gratiæ gradus cauſetur, quodlibet peccatum etiamſi baptiſmum præceſſerit per ſe, directè, ac formaliter remittitur ſeu deletur, & à nobis malè inducitur duplex modus delendi peccata, alius per ſe, directè, & formaliter, alius per accidens, indirectè, & concomitanter; malè item infertur peccata baptiſmum cum obice ſuſceptum præcedentia remedio per ſe deletivo caritura, niſi vi baptiſmi reviviſcentis deleantur. Sed contrà: Duplex ille modus delendi peccata etiam independenter ab hac materia communiter recipitur, & omnes vulgariter docent in pœnitentiæ ſacramento ſolùm per accidens, & indirectè, deleri peccata, quæ quis ex juſta cauſa in confeſſione reticet, aut confitetur non habenti pro ipſis ſufficientem juriſdictionis poteſtatem: Ad inſtantiam dico gratiam habitualem, quamvis ex natura ſua per ſe deleat omnia peccata, quatenùs tamen cauſatur ab hoc, vel illo, ſacramento, & actu peccatoris, delere ſolùm ea ad quæ delenda per ſe primò intenditur ac ordinatur, adeò ut ſi ea ſola darentur adhuc à ſacramento ipſa gratia cauſaretur; non cauſaretur autem à ſacramento pœnitentiæ gratia in eo, qui haberet ſola peccata baptiſmum cum obice ſuſceptum præcedentia, imò nec cauſaretur in eodem à contritione ſola, quia non poſſet hæc elici cum voto baptiſmi, ut dicebamus *num. præcedent.*

154. Quid ſit peccatum deleri per ſe & directè? Quid deleri per accidens & indirectè.

Dices ſecundò impugnando, quod in aſſertione & probatione noſtra præcipuum eſt: Etſi quoties ſupponatur auferri per attritionem obex, benè poſſit intelligi, quòd formaliter & vi præteriti baptiſmi redeat habitualis gratia remiſſiva peccatorum, quæ baptiſmum præceſſerant; quoties tamen obex aufertur per contritionem aut pœnitentiæ ſacramentum, eſt id inintelligibile non obſtante quòd permittatur duplex prædeclaratus delendorum peccatorum modus, quod ſic oſtenditur: Nequit intelligi vi baptiſmi rediens gratia remiſſiva peccatorum, quæ nequeunt intelligi vi baptiſmi remitti; atqui quoties aufertur obex per contritionem aut ſacramentum pœnitentiæ, peccata quæ baptiſmum præceſſerant nequeunt intelligi vi baptiſmi remitti; ergo quoties aufertur obex &c. nequit intelligi vi baptiſmi rediens &c. Minor probatur, quoties

155. Præcipuum Adverſariorum fundamentum contra reviviſcentiam baptiſmi ad cauſandam ablato obice gratiam.

aufertur

auſertur obex &c. peccata, etiam quæ baptiſmum præceſſerant, intelliguntur remiſſa, antequam poſſit intelligi baptiſmus operans; ergo non poſſunt intelligi remitti vi baptiſmi, alioqui baptiſmus actum ageret; nec refert quòd intelligantur remiſſa dumtaxat per accidens & indirectè, nam etiam ſic remiſſa ſunt remiſſa omninò, adeò ut nihil ipſorum remaneat, ac per conſequens adeò ut non poſſint ampliùs per baptiſmum remitti, Probatur antecedens. Intelligitur auferri obex & poni id, per quod obex auſertur, antequam poſſit intelligi baptiſmus operans; atqui quoties obex auſertur per contritionem, aut Pœnitentiæ Sacramentum, eo ipſo quod intelligitur id, per quod obex auſertur, intelligitur id, per quod peccata, etiã quæ Baptiſmũ præceſſerant, remittuntur; ergo quoties obex auſertur, &c. peccata, etiam quæ Baptiſmum præceſſerant, intelliguntur remitti ſeu remiſſa antequam, &c. Hincque adversùs probationem à nobis poſitam *num.* 152. habetur, cur Baptiſmus poſſit reviviſcere ad cauſandum aliquem effectum ſecundarium non reviviſcendo ad primarium; ratio ſcilicet eſt, quia iſtum, non illum, invenit jam aliunde cauſatum. Sed contrà: Ut huic inſtantiæ, quæ & potiſſimum Adverſariorum fundamentum & difficultatem non modicam continet, ſatiſfaciam

156.

Quomodò baptiſmus aliquando ſit totalis, aliquando ſolùm partialis cauſa gratiæ quæ datur ablato obice.

Adverto in primis & admitto non eodem prorſus modo cõferri ficte baptizato gratiam, quando fictio ſeu obex ſupponitur auferri per contritionem aut Pœnitentiæ Sacramentum, ac quando per attritionem; nam in hac poſteriore hypotheſi confertur ex vi præteriti Baptiſmi, tanquam cauſæ totali, cum attritio non ſit cauſa nequidem diſpoſitiva ſufficiens ad inducendam vi ſua primam gratiam: In priore hypotheſi confertur partim ex vi præteriti Baptiſmi, partim ex vi Sacramenti Pœnitentiæ aut contritionis præſentis; in illa hypotheſi tota eſt ex opere operato; in iſta eſt quidem pariter tota ex opere operato ſi ſit ex vi Baptiſmi & Sacramenti Pœnitentiæ; at ſi ſit ex vi Baptiſmi & contritionis, eſt partim ex opere operato, partim ex opere operantis.

157. Adverto inſuper obicem, cum quo Baptiſmus ſuſcipitur, conſiderari poſſe, vel materialiter prout dicit culpam, vel formaliter & ſub ratione objecti, prout dicit indiſpoſitionem, ratione cujus non poteſt culpa à Baptiſmo remitti, ſeu carentiam diſpoſitionis neceſſariæ ut Baptiſmus culpam remittat; quæ diſpoſitio, ſi obex fuit poſitivus, debet eſſe contritio aut Pœnitentiæ Sacramentum: obex conſideratus primo modo auſertur formaliter per gratiam; conſideratus ſecundo modo auſertur formaliter per poſitionem contritionis, aut Sacramenti pœnitentiæ attritioniſvè in ipſo: Porrò tum contritio, tum Pœnitentiæ Sacramentum, ſunt quidem ſimul cum gratia in eodem inſtanti temporis, at non in eodem inſtanti naturæ; cum enim tum contritio, tum Pœnitentiæ Sacramentum, ſint ſuo modo cauſa gratiæ, neceſſe eſt, quòd præcedant natura gratiam, & ſint in inſtanti naturæ diverſo prioreque ad gratiam; hincque proportionaliter neceſſe eſt, quod Baptiſmi obex priùs natura auferatur ſub ratione obicis & formaliter, quàm ſub ratione culpæ & materialiter. His animadverſis

Obex priùs auſertur ſub ratione obicis, quàm ſub ratione culpæ, & quomodo.

Ad inſtantiã dico, independenter ab eo, quod admittatur necne aliqua peccatorum remiſſio facta indirectè & per accidens, rectè intelligi, quòd vi baptiſmi etiam per contritionem aut pœnitentiam ſacramentalem reviviſcentis remittantur peccata, quæ baptiſmum præceſſerant; ad argumenti formam conceſſa majore, nego minorem; ad hujus probationem nego antecedens, & dico in hypotheſi argumenti peccata, quæ baptiſmum præceſſerant nullatenùs intelligi remiſſa nequidem per accidens & indirectè, antequàm intelligatur baptiſmus operans: Ad probationem antecedentis diſtingo majorem, intelligitur auferri obex formaliter & in ratione obicis, & poni id per quod obex ſub eadem ratione auſertur, antequàm &c. concedo majorem; intelligitur auferri obex materialiter & poni id per quod obex in ratione culpæ auſertur, antequam &c. nego majorem, eademque diſtinctione proportionaliter utor ad minorem, & nego conſequentiam; diſtinctionis intelligentia pendet *ex numer. præced.* ex quo dico pro eo priori naturæ, pro quo intelligitur contritio vel pœnitentia ſacramentalis, nondùm intelligi infuſam gratiam, ac per conſequens nec peccatum ullum remiſſum in ratione culpæ, quia tamen intelligitur ablatus obex in ratione obicis intelligitur baptiſmus potens operari, imò ſimul cum contritione aut pœnitentia ſacramentali operans ad cauſandam gratiam, adeò ut una ſimul eodemque naturæ inſtanti baptiſmus præteritus cauſet gratiam remiſſivam peccatorum, quæ ipſum præceſſerunt, & contritio vel pœnitentia ſacramentalis gratiam remiſſivam aliorum, quæ comitata aut ſubſecuta ſunt baptiſmum; ſicque utraque peccata directè dumtaxat & æquè primò remittuntur, nec baptiſmus reviviſcens & potens operari invenit per accidens & indirectè remiſſa peccata, quæ ipſum præceſſerunt. Hæc doctrina, quam tradunt Maſtrius *præcit. quæſt.* 6. à *num.* 156. Lugus *præcit. ſec.* 3. *num.* 41. Arriaga *diſp.* 15. *numero* 33. aliique plures tum Scotiſtæ, tum Recentiores; Hæc inquam doctrina totam enervat argumenti vim, & placet inſuper ex eo quòd conſonat ijs, quæ ſuo loco tradidimus docendo ultimam diſpoſitionem ad gratiam, ſivè ſit contritio, ſive attritio in ſacramento, eſſe ſimpliciter priorem gratia; Thomiſtæ facientes talem diſpoſitionem gratia priorem ſolùm in genere cauſæ materialis, poſteriorem verò in genere efficientis paulò aliter in præſenti reſpondent, ut videre eſt apud Gonetum *præcitat. diſput.* 4. *numero* 37. nobis ſufficiat explicaſſe reſponſionem noſtris principijs conformem.

158.

Baptiſmus reviviſcens cauſat gratiam pro eodem priori naturæ, pro quo cauſat contritio, aut pœnitentia ſacramentalis, auferens obicem.

159.

Urgebis impugnando hanc reſponſionem, tanquam nec reviviſcentiæ baptiſmi, nec remiſſioni peccatorum, nec remotioni obicis, quando poſitivus eſt, accommodatam: Non eſt accommodata reviviſcentiæ baptiſmi, quia prius eſt baptiſmum exiſtere, quàm operari, eſt igitur etiam prius reviviſcere, & priùs debet intelligi redivivus quàm operans; atqui pro illo priori naturæ, pro quo obex in ratione obicis

Inſtatur aut præcipuum Adverſariorum fundamentum, de quo ſuprà.

obicis modo à nobis explicato aufertur, & in nullo priore antecedente baptiſmus intelligitur redivivus ſeu reviviſcens; ergo pro illo priori non poteſt intelligi operans & ſimul cum contritione aut pœnitentiæ ſacramento gratiam cauſans; alioqui jam non intelligeretur priùs reviviſcens, quàm operans. Non eſt accommodata remiſſioni peccatorum, quia hæc nequit eſſe dimidiata, adeò ut aliqua peccata per unam aliqua per aliam remiſſionem deleantur, non omnia per quamlibet; & tamen hoc ſequitur ex noſtra doctrina; quia in habente peccata aliqua poſteriora, aliqua priora baptiſmo, dicimus illa non iſta, remitti ex vi contritionis vel ſacramentalis pœnitentiæ præſentis; iſta, non illa, ex vi baptiſmi præteriti. Non eſt accommodata remotioni obicis quando poſitivus eſt, quia iſte per nos ex *præcedent. num.* 245. nequit ſola attritione auferri, & tamen ſi in ratione obicis, ut nunc docebamus, auferretur ſine infuſione gratiæ, & ſine remiſſione culpæ, poſſet auferri ſola attritione; nam ratio obicis conſiſteret non in macula & culpa peccati, ſed in retractationis carentia; hæc autem auferretur etiam per attritionem, nam etiam is qui de peccato atteritur, peccatum retractat. Sed contrà: funiculus iſte, quamvis triplex, non adeò difficilè rumpitur, ideò

160. Ad primam ejus partem dico baptiſmum reviviſcere, non tanquam antecedenter mortuum & nullatenùs exiſtentem, ſed tanquam antecedenter impeditum ac quaſi mortificatum, exiſtentem tamen moraliter; ideò eo ipſo priori naturæ, quo intelligitur reviviſcere, benè poteſt intelligi operari cum intelligatur antecedenter exiſtere, nec ut intelligatur operans debet intelligi priùs reviviſcens, ſicut debet intelligi priùs exiſtens. Neque arguas; opus bonum elicitum ab exiſtente in peccato eſt mortuum, non mortificatum dumtaxat; ergo pariter eſt mortuus non mortificatus dumtaxat baptiſmus ab exiſtente in peccato ſuſceptus. Contra enim illatio, ſi quid probat, probat baptiſmum nullatenùs reviviſcere, ſicut nullatenùs reviviſcunt bona opera elicita ab exiſtentibus in peccato; neganda eſt igitur conſequentia, & facilè occurrit diſparitas, quia baptiſmus eſt opus Dei, non ejus à quo ſuſcipitur, ſicuti eſt ejus à quo elicitur opus peccatoris; ideò iſtud utpotè opus mortui mortuum eſt, nec unquam vivificatur, illud utpotè opus Dei ſemper viventis eſt opus ſemper vivum, & mortificari poteſt, non mori.

Baptiſmus à peccatore ſuſceptus eſt mortificatus ſolùm, non mortuus, & cur.

161. Ad ſecundam partem dico tunc peccatorum remiſſionem dimidiari, quando aliqua peccata remittuntur per unam, aliqua per aliam remiſſionem ſucceſſivè & diverſo tempore poſitam; non quando utraque remiſſio ponitur indiviſibiliter, nec poteſt poni una, quin ſimul ponatur alia; ſicut in fictè baptizato non poteſt poni remiſſio ex vi contritionis aut pœnitentiæ, quin ſimul ponatur ex vi præteriti baptiſmi & è contra. Deindè dummodò remiſſio ſit totalis & integra ex parte Dei, quatenùs ipſe omnia peccata totaliter remittat, parum refert quod quaſi dimidietur ex parte cauſæ moralis aut inſtrumentalis, quatenùs Deus ad aliqua peccata remittenda uno, ad aliqua alio inſtrumento, aut motivo, moveatur, ut evenit in caſu noſtro.

Ad tertiam affirmo iterum ablationem obicis in ratione obicis haberi formaliter ſine infuſione gratiæ, & remiſſione, culpæ per ſolam retractationem; at dico hanc reſpectu obicis poſitivi debere eſſe perfectam & ultimo diſponentem ad gratiæ infuſionem, & culpæ remiſſionem, qualem retractationem non habet is, qui extra ſacramentum atteritur, ideò &c.

162. Ex dictis infertur eum, qui baptizatus eſt cum obice negativo, & deindè amovet attritione obicem, conſequi ſuorum omnium peccatorum remiſſionem tum quoad culpam, tum quoad totam pœnam, etiam temporalem; cum verò, qui baptizatus eſt cum obice poſitivo, & deindè amovet obicem contritione, vel attritione ſacramentali, pro peccatis quidem quæ baptiſmum præceſſerunt conſequi pariter culpæ, totiuſque pœnæ, remiſſionem; at pro alijs conſequi remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, non pœnæ temporalis; ratio illationis facilis eſt, quia in primo caſu omnia; in ſecundo priora, non poſteriora, peccata delentur formaliter vi baptiſmi, cujus, non contritionis, aut ſacramentalis attritionis, proprium eſt conferre gratiam remiſſivam totius pœnæ etiam temporalis.

Dum reviviſcit remittit, etiam quoad totam pœnam, peccata, quæ ipſum præceſſerunt.

§. IX.

Ad quantam gratiam ablato obice reviviſcant Sacramenta cum obice ſuſcepta? Ubi de ipſorum, & præſertim Baptiſmi, reviviſcentia ad remiſſionem venialium.

ASSERT. I. Sacramenta ablato obice reviviſcentia non conferunt gratiam ſemper æqualem & minimam, ſed majorem vel minorem, prout major vel minor eſt diſpoſitio, qua obex aufertur, adeóque reviviſcunt ad tantam proportionaliter gratiam, quanta eſt talis diſpoſitio. Ita, ſuppoſito, quod ſacramenta ad cauſandam gratiam reviviſcant, Vaſquez *diſput.* 159. *cap.* 5. Lugus *diſp.* 9. *ſec.* 5. *num.* 71. Gonetus *diſp* 4. *de Bapt. art.* 2. *num.* 24. Maſtrius *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *num* 262. Herincx *diſput.* 4. *quæſt.* 4. *num.* 47. & plures alij contra eos in primis, quorum ſuprà *num* 118. meminimus pro opinione docente ſacramenta, etiam quando ſine obice ſuſcipiuntur, cauſare ſemper æqualem minimamque gratiam, & præterea contra Suarium *diſp.* 28 *ſec.* 4. §. *Duos potui* Coninchum *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 6. Arriagam *diſput.* 15. *ſec.* 1 *ſubſec.* 3. Joannem à S. Thom. *diſp.* 24 *art.* 1. *dub.* 6. §. *In alia verò ſententia*, Madernum *q.* 3. *art.* 13. alioſque nonnullos, quorum tamen major pars & ſignanter Suarez, Arriaga Joannes à S. Thomâ, judicant quoque valdè probabilem opinionem à nobis aſſertam. 163.

Probatur: Sacramenta, dum gratiam cauſant in ſui ſuſceptione, illam cauſant majorem vel minorem juxta majorem vel minorem 164.

Sacramenta ablato obice conferunt gratiam juxta menſuram diſpoſitionis, qua obex aufertur.

diſpoſitionem, qua ſubjectum ea ſuſcipit; ergo dum gratiam cauſant in ſui reviviſcentia cauſant pariter majorem vel minorem juxta majorem vel minorem diſpoſitionem, qua ſubjectum quodammodò ea vivificat auferendo obicem; ac per conſequens ſacramenta ablato obice reviviſcentia non conferunt gratiam ſemper æqualem &c. Antecedens ſupponitur *ex præcit. num.* 128. & *ſeqq.* Conſequentia probatur, quia auctoritates & rationes eo loco adductæ pro inæqualitate gratiæ, in ſacramentorum ſuſceptione, ferè ex æquo, ſi benè expendantur, militant pro eadem inæqualitate in ſacramentorum reviviſcentia; ut magis conſtabit improbando rationes, quibus Adverſarij aut diſparitatem quoad hoc punctum inter Sacramentorum ſuſceptionem, & reviviſcentiam, affirunt, aut propriam ſententiam noſtræ oppoſitam fulciunt.

Dices primò: Cauſare gratiam majorem juxta majorem diſpoſitionem non convenit ſacramentis ex natura rei, ſed ex privilegio & favore Dei extrinſeco, de quo quidem ſufficienter conſtat conceſſum fuiſſe ſacramentorum ſuſceptioni, at nulla deindè auctoritas ſuadet idem eſſe ſentiendum de reviviſcentia, & tamen in ijs, quæ ſunt privilegij & favoris Dei extrinſeci, non eſt facilè quidquam ſine auctoritate affirmandum; Neque admodum urget probatio à ſuſceptione ad reviviſcentiam mox deducta; eſt enim voluntaria extenſio potiùs, quam aliqualiter neceſſaria illatio. Paritas etiam à nobis prætenſa valdè claudicat, quia præcipuum, ſi minùs unicum motivum, quo Chriſtus ſacramenta inſtituens voluit ea conferre majorem gratiam meliùs diſpoſitis, fuit ut hoc majoris gratiæ emolumento magis magiſque præpararemur ad ſacramenta dignè & reverenter ſuſcipienda; at hoc non militat pro reviviſcentia quæ ſupponit ſacramenta jam ſuſcepta; ratio igitur, ob quam Chriſtus ſacramentis cum meliori diſpoſitione ſuſceptis conceſſit privilegium cauſandi majorem gratiam, non procedit pariter pro ijſdem cum meliori diſpoſitione reviviſcentibus. Sed contrà: Sacramenta ex natura 165. rei indifferenter ſe habent ad cauſandam gratiam, vel majorem juxta meliorem diſpoſitionem, vel minimam & ſemper æqualem; ideò hoc ſecundùm ſive ſit privilegium, ſive quaſi privilegij diminutio, non convenit ſacramentis ex natura rei æquè ac non conveniat primum, & ſicut æquè ac primum provenit ex voluntate Dei merè extrinſeca, ita æquè ac primum non eſt ſine auctoritate affirmandum; & nos quidem cenſemus Concilij Tridentini, & Sanctorum Patrum, auctoritates pro primo militantes militare pro ſecundo, Adverſarij verò nullam ſpecialem auctoritatem proferunt pro eo, quod de ſecundo aſtruunt diverſum à primo; ideò non noſtra, ſed Adverſariorum affirmatio, non noſtra extenſio, ſed Adverſariorum exceptio, voluntaria eſt & ſine auctoritate: Ad rationem diſparitatis deſumptam ex motivo, quo Chriſtus &c. dico tale motivum certè non eſſe unicum, ſive verò præcipuum ſit, ſive non, benè ſuo modò militare etiam pro reviviſcentia, ad ſacramentorum enim dignitatem pertinet non ſolùm quod ſubjectum ſit magis magiſque diſpoſitum dum ea ſuſcipit, ſed etiam quod tale ſit dum ea ad operandum applicat, obicemque quo indignè ſuſcepit removet. Deindè præparari ad ſacramenta dignè ſuſcipienda eſt præparari ad ea ſuſcipienda cum fructu & effectu gratiæ, undè etiam indignè ſuſcipiuntur per hoc, quod ſine tali effectu & fructu ſuſcipiantur: Diſpoſitio igitur ſuſcipientis reſpicit gratiam, quæ eſt effectus ſacramenti potiùs, quàm ſacramentum ipſum, & dum dicitur Chriſtum conceſſiſſe ſacramentis privilegium conferendi gratiam majorem meliùs diſpoſitis, ut excitaremur ad ea dignè digniùſque ſuſcipienda, idem eſt ac dicere, ut excitaremur ad ſuſcipienda ipſa cum effectu ſeu ad ſuſcipiendum ipſorum effectum; atqui in ſacramentorum reviviſcentia, quamvis non ſuſcipiantur ipſa ſacramenta, ſuſcipitur ipſorum effectus; ergo illud, quod fuit præcipuum Chriſti motivum ad concedendum ſacramentis cum meliori diſpoſitione ſuſceptis privilegium cauſandi majorem gratiam, militat ſuo modo pro ijſdem cum meliori diſpoſitione reviviſcentibus 166.

Dices ſecundo: Sacramentum ſuſceptum ſine ulla diſpoſitione cauſat gratiam minimam & ſemper æqualem; atqui ſacramentum reviviſcens eſt ſacramentum ſuſceptum ſine ulla diſpoſitione, eſt enim ſacramentum ſuſceptum cum obice & indiſpoſitione, quæ importat ad minus diſpoſitionis carentiam; ergo. Confirmatur; diſpoſitio poſterior ſuſceptione Sacramenti non confert ad majorem Sacramenti effectum, nec auget gratiam Sacramentalem; atqui diſpoſitio, qua obex aufertur, eſt diſpoſitio poſterior ſuſceptione Sacramenti; ergo. Sed 167. contrà: In primis non verificatur univerſaliter, quod Sacramentum reviviſcens fuerit ſuſceptū ſine ulla diſpoſitione, fuit quidem ſuſceptum ſine diſpoſitione præcipua & maximè neceſſaria; at non ſemper ſine alia quacunque, & obex ſeu indiſpoſitio importat ad minus diſpoſitionis præcipuæ carentiam, at non diſpoſitionis cujuſcunque; adultus enim, qui ſine ſufficienti ſuorum peccatorum dolore baptiſmū ſuſcipit, poteſt eſſe ad iſtum aliqualiter diſpoſitus per actus fidei & ſpei, per largitionem eleemoſynæ, aliudvè ſimile bonum opus; hinc Lugus *præcitat. ſection.* 5. *numero* 72. putat Sacramentum reviviſcens conferre gratiam inæqualem, non ſolùm juxta inæqualem diſpoſitionem, qua obex aufertur, ſed etiam juxtà inæquales diſpoſitiones quaſi ſecundarias, quæ Sacramenti ſuſceptionem, licet cum obice factam, præceſſerunt: Nihilominùs ex dictis *numero* 219. exiſtimo hujuſmodi diſpoſitiones quaſi ſecundarias, ſi quæ præceſſerunt, non eſſe (ſaltem regulariter loquendo) ſufficienter præſentes & proximas, ut poſſint ſacramenta reviviſcenti inſervire ad majorem gratiam cauſandam, & quidquid, de hoc ſit, nos præcipuè intendimus ſalvare in ſacramento reviviſcente cauſalitatem gratiæ inæqualis juxta inæqualitatem diſpoſitionis, qua aufertur obex; huic autem intento nihil prodeſt cauſalitas gratiæ inæqualis ex inæqualitate

Non ſic regulariter loquendo juxta menſurā diſpoſitionum, quæ ſacramentorum ſuſceptionem præceſſerunt, ſi quæ præceſſerunt.

qualitate diſpoſitionum ſacramenti ſuſceptionem præcedentium, inter quas certè eſſe nequit ea, qua obex aufertur. Omiſſo igitur hoc effugio, tanquam nec ſatis ſolido nec rei noſtræ opportuno, aliter & directè inſtantiam
168. ſoluo diſtinguendo majorem, Sacramentum ſuſceptum ſine ulla diſpoſitione, & in ſuſceptione gratiam cauſans, cauſat &c. concedo majorem, & in ſuſceptione gratiam non cauſans, nego; atqui ſacramentum reviviſcens eſt ſuſceptum ſine ulla diſpoſitione & in ſuſceptione gratiam non cauſans, concedo; & in ſuſceptione gratiam cauſans, nego minorem, & conſequentiam. Eadem diſtinctione utor ad confirmationem, dico ſcilicet diſpoſitionem poſteriorem ſuſceptione ſacramenti in ſuſceptione ipſa gratiam cauſantis non conferre ad majorem effectum, ſecùs &c. Vel, quod in idem recidit, diſpoſitio poſterior ſuſceptione, & ſimul operatione ſacramenti, non confert &c. concedo, diſpoſitio poſterior ſuſceptione, at non ſimul operatione, qualis eſt diſpoſitio, qua obex aufertur, non confert &c. nego.

Dices tertiò: major diſpoſitio, qua reviviſcit gratia ſacramentalis amiſſa, aut meritum mortificatum, non confert ad hoc, ut aut gratia ſacramentalis reviviſcat major, aut meritum mortificatum reviviſcat ad gratiam majorem, ergo etiam major diſpoſitio, qua aufertur obex ſacramenti, quod eſt idem ac dicere, qua reviviſcit gratia ſacramentalis impedita, & ſacramentum mortificatum, non facit quod gratia ſacramentalis ſit major, quàm ſi non fuiſſet impedita; nec quod ſacramentum cauſet gratiam majorem, quàm ſi non fuiſſet
169. mortificatum. Sed contrà: Concedo antecedens, utporè conſonum doctrinæ, ſecundùm quam in Tract. de Gratia *lib.*4. *cap.*10. docuimus per quamcunque minimam juſtificationem redire totam gratiam peccato deperditam, & reviviſcere ad totum ſuum præmium merita peccato mortificata; concedo, inquam, antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia diſpoſitio, qua ſacramentum mortificatum reviviſcit, adjuvat & applicat ſacramentum ad gratiæ productionem, ſi igitur major ſit; magis adjuvat, & meliùs applicat; cauſa autem magis adjuta, & meliùs applicata, debet cauſare majorem effectum: diſpoſitio, qua reviviſcit gratia deperdita, (ſivè ſacramentalis, ſive non ſacramentalis ſit) aut meritum mortificatum, non adjuvat ullum talis gratiæ, aut meriti principium, ſed præcisè removet peccatum mortificativum meriti, & inductivum deperditionis gratiæ, undè etiam dicitur redire antiquum meritum & antiqua gratia, non produci de novo; cum è contrà in reviviſcentia ſacramenti nihil antiquum redeat, ſed gratia producatur ſimpliciter de novo, & propriè dicenda ſit primò advenire & quaſi primò vivere, non redire nec reviviſcere.

Urgebis: Sacramenta applicantur quando ſuſcipiuntur, atqui diſpoſitio, qua aufertur obex ſupponit ſacramentum jam ſuſceptum; ergo ſupponit ipſum jam applicatum, & præcisè removet impedimentum operationis, nec quidquam confert ad meliorem applicationem. Sed contrà: diſtinguo majorem, ſacramenta applicantur quando ſuſcipiuntur, 170.
ſi ſuſcipiantur ſine obice, concedo, ſi ſuſcipiantur cum obice, ſubdiſtinguo, applicantur remotè & ad effectum aliqualiter indeterminatum, concedo; proximè & ad effectum omninò determinatum, nego majorem, eadem diſtinctione utor ad priorem conſequentiæ partem, nego verò abſolutè poſteriorem.

Urgebis adhuc, quando ſacramentum cum obice ſuſcipitur, vel ſcit Deus quantam præcisè gratiam ſit daturus ex vi ſacramenti ſic ſuſcepti, vel non ſcit; hoc ſecundum nimis lædit omniſcientiam Dei; ſi dicatur primum, ſequitur ſacramenta, etiam quando cum obice ſuſcipiuntur, eſſe jam ex tunc applicata proximè & ad effectum omninò determinatum nec poſſe deinde ex diſpoſitione majore ſuperveniente applicari meliùs, & ad effectum majorem. Sed contrà: Quando ſacra- 171.
mentum cum obice ſuſcipitur, ſcit Deus, quantam gratiam ex vi ipſius ſit daturus, quia ſcit cum quanta diſpoſitione ſit auferendus obex; cæterùm ſi ſupponas hoc à Deo neſciri, illud quoque neſcietur; & ſicuti juxtà præſentem providentiam non ſcit Deus quantam gratiam ſit daturus ex vi ſacramenti à ſe inſtituti, niſi relatè ad diſpoſitionem cum qua ſuſcipietur, ita nil mirum ſi neſciat quantam gratiam ſit daturus ex vi ſacramenti à nobis cum obice ſuſcepti, niſi relatè ad diſpoſitionem cum qua obex auferetur.

Dices quartò: fictio & indiſpoſitio, cum qua quis ſacramentum ſuſcipit, non poteſt ei prodeſſe; at aliquando prodeſſet ſi ſacramentum cum fictione, & indiſpoſitione, ſuſceptum reviviſceret ad gratiam non minimam, ſed proportionatam diſpoſitioni, cum qua fictio ſeu obex aufertur; ergo non ſic ſacramentum reviviſcit; Probatur minor, quia aliquando major gratia reportaretur ex Sacramento fictè, quam dignè ſuſcepto; hocque eveniret, quoties fictus ſuſceptor apponeret majorem diſpoſitionem ad remotionem obicis, quam ipſemet aliàs, aut aliquis alius, ad dignam ſuſceptionem ſacramenti: Imò in aliquo particulari caſu, quo obex baptiſmi verbi gratia, auferretur per attritionem intenſiſſimam in Pœnitentiæ Sacramento, tanta gratia reportaretur in remotione obicis baptiſmo appoſiti, quanta vix poſſet unquam reportari in digna baptiſmi ſuſceptione; talis enim attritio, cum ſupponatur intenſiſſima, vix poterit unquàm eſſe duplò major; & tamen gratia, quam reportaret removendo obicem, eſſet duplo major, ea quàm reportare poſſet inſerviendo ad dignam baptiſmi ſuſceptionem; eſſet, inquam, gratia duplo major, eſſet quippè ex ea attritione ut inſerviente duplici ſacramento, quorum unum eſt pœnitentia præſens, alterum baptiſmus reviviſcens; diſpoſitio autem ſimul inſerviens duplici ſacramento reportat gratiam duplo majorem, quam inſerviens unico. Sed contrà: Sicut peccatum ex genere ſuo poteſt per accidens & occaſionaliter prodeſſe ad gratiam; hancque aliquando majorem reportat de

Peccatum ad gratiam, peccatum indignæ ſuſceptionis ſacramenti ad gratiam ſacramentalem poteſt per accidens prodeſſe.

peccato præterito pœnitens, quàm à peccato innocens; ita nullum eſt abſurdum ſi in ſpecie peccatum fictionis, ſeu indignæ ſuſceptionis ſacramenti, poſſit prodeſſe per accidens & occaſionaliter ad gratiam ſacramentalem; quo modo, & non aliter prodeſſet, quoties fictus ſuſceptor apponeret ad removendam fictionem ſacramenti præteriti diſpoſitionem majorem, quam ſuſceptor non fictus ad dignam ſuſceptionem ſacramenti præſentis; quod certe eſſet per accidens; illud quippè quod per ſe prodeſſet ad gratiam, eſſet non fictio, ſed major diſpoſitio, qua fictio removetur, & quæ æquè prodeſſet ſuſceptori non ficto, ſi ab ipſo non remotioni fictionis, ſed dignæ ſuſceptioni ſacramenti apponeretur. Quod totum pertranſivè ſit dictum, nam regulariter loquendo neque per accidens, & ex occaſione, ficto ſuſceptori prodeſſet ſua fictio, quin obeſſet plurimùm, quia, ut obſervat Scotus *in 4. diſtinct. 4. quæſt.* 5. poſt medium, ſuſceptor non fictus ſtatim à ſacramento ſuſcepto poteſt erumpere in plura bona opera de condigno meritoria augmenti gratiæ; ſuſceptor verò fictus à ſacramento ficte ſuſcepto uſque ad tempus pœnitentiæ nequit elicere opera niſi mortua, & merito vacua.

173. Ad caſum particularem, quo inſtantia inſtaurabatur, dico gratiam illam, quæ ſupponeretur duplo major, non fore ſecundùm ſe totam ex vi baptiſmi reviviſcentis, ſed ſolùm ſecundùm medietatem, & ſecundùm hanc haberetur quoque ex vi baptiſmi præſentia cum attritione æquè intenſa ſuſcepti; nullatenùs igitur ſequitur ex baptiſmo per remotionem obicis reviviſcente reportari tantam gratiam, quanta reportari vix poſſet ex ulla digna ejuſdem baptiſmi ſuſceptione. Utrùm deindè in re ſentiendum ſit gratiam illam fore duplo majorem? Utrum ſcilicet cum ea attritione, qua unus ſeorſim & diverſo tempore dignè accedens ad ſacramentum baptiſmi, & ad ſacramentum pœnitentiæ, reportat ex quolibet ſacramento octo gradus gratiæ, alius dignè accedens ad ſacramentum Pœnitentiæ poſt indignam ſuſceptionem baptiſmi ſit reportaturus ſimul ſexdecim gradus, octo ex vi Pœnitentiæ præſentia, octo alios ex vi baptiſmi præteriti & reviviſcentis? Affirmant Suarez *diſp.* 28. *ſec.* 5. §. *ſed ſuperſunt.* Lugus *præcit. ſec.* 5. à *num.* 87. & cum aliqua perplexitate Arriaga *diſp.* 15. *ſec.* 1. *ſubſec.* 4. Magis perplexus, & dubius, eſt Vaſquez *diſput.* 160. *num.* 13. dicens hoc reſervandum eſſe Dei judicio. Negare verò cenſendi ſunt illi, qui abſolutè docent ſacramentum reviviſcens cauſare gratiam non juxtà menſuram diſpoſitionis; ſed minimam & ſemper æqualem: Certè doctrinæ à nobis huc uſque traditæ pars affirmativa eſt conformior, ideóque amplectenda etiam abſque ulteriore examine, pro quo relinquo conſulendum aliquem ex Auctoribus recitatis.

Utrùm eadem diſpoſitio æquè valeat pro duobus ſacramentis ſimul, ac valeret geminata pro iiſdem ſucceſſivè.

174. Aſſert. 2. Sacramenta cum obice remiſſionis venialium ſuſcepta reviviſcunt etiam ad hanc remiſſionem, quando hujus obex, ſive ſimul cum obice remiſſionis lethalium, ſive ſeorſim & poſteriùs, aufertur. Ita Suarez *diſp.* 28 *ſec.* 4. poſt medium. Lugus *diſp.* 9. *ſec.* 5. à *num* 91. Arriaga *diſp.* 15. *ſec.* 2. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 13. *num.* 8. idemque veriſimile eſt ſenſiſſe alios *præced. numer.* 240. memoratos pro reviviſcentia baptiſmi ad remiſſionem lethalium contrà Vaſquium *diſp.* 160. *cap.* 3. & eos, cum quibus ipſe ſentit baptiſmum cum obice ſuſceptum hoc oblato aut nihil, aut circa ſolum peccatum originale aliquid operari.

Probatur & explicatur aſſertum ſingillatim in ſacramento baptiſmi, ex quo facile quiſque doctrinam deducet ad alia ſacramenta, quæ exiſtimabit æquè ac baptiſmum poſſe, tum validè ſuſcipi & ſine effectu, tum ablato poſteà impedimento totum ſuum effectum operari & reviviſcere: Siſtendo igitur in Sacramento baptiſmi poteſt adultus ad ipſum accedere cum obice remiſſionis, aut venialium & lethalium, aut ſolùm venialium, quatenùs aut neque de venialibus, neque de lethalibus atteratur, aut ſolùm atteratur de lethalibus, non de venialibus: Eadem ratione poſt baptiſmum cum utriuſque remiſſionis obice ſuſceptum auferet obicem totum, ſi de utriſque peccatis atteratur; auferet ſolùm obicem remiſſionis lethalium, ſi atteratur de ſolis lethalibus, permanebit verò obex venialium quoad uſque poſteà fuerit etiam de iſtis attritus: Nolim tamen exiſtimes poſſe proportionaliter auferri obicem remiſſionis venialium permanente obice remiſſionis lethalium: Nolim, inquam, hoc exiſtimes, quia benè poſſunt remitti lethalia non remiſſis venialibus, non ſic venialia non remiſſis lethalibus, aut unum lethale non remiſſo alio. Ecce cur in aſſerto poſuerim? ly *Quando hujus* (id eſt remiſſionis venialium) *obex, ſivè ſimul cum obice remiſſionis lethalium, ſive ſeorſim & poſteriùs aufertur*; & his particulis explicatis 175.
aſſertum ipſum probatur ſic. Baptiſmus non habet minorem vim ad venialia, quàm ad lethalia remittenda, & ſine obice remiſſionis venialium ſuſceptus cauſat in ſui ſuſceptione venialium non minùs, quàm lethalium remiſſionem; ergo hanc eandem cauſat in ſui reviviſcentia ea proportione & ratione, qua reſpectu venialium obex aufertur, ſimul ſcilicet cum remiſſione lethalium, aut poſteà; quoad omnia venialia, aut tantùm quoad aliqua; prout obex aufertur reſpectu venialium & lethalium ſimul, aut priùs reſpectu lethalium, poſt reſpectu venialium; item prout aufertur reſpectu venialium omnium, aut tantùm reſpectu aliquorum; conſequentia patet partim ex præmiſſa explicatione, partim ex Doctrina poſita §. *præced. aſſert.* 1. juxtà quam baptiſmus recedente obice reviviſcens præſtat totum effectum, quem præſtat ſuſceptus ſine obice; Antecedens procedit affirmativè à majori ad minus, & deducitur ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccat. origin.* ſtatuente homines conſepultos cum Chriſto per baptiſma reddi innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ita ut nihil protsùs eos ab ingreſſu Cœli remoretur; quod non benè verificaretur, ſi baptiſmus non haberet vim remittendi venialia æquè ac lethalia &c.

Baptiſmus reviviſcit ad remiſſionem venialium ea proportione & ratione, qua obex, cum qua ſuſceptus fit, aufertur.

Dices primò: licet Baptiſmus in ſua ſuſceptione habeat vim remittendi venialia, & benè

Digitized by Google

benè hoc inferatur ex Tridentino, non eſt ei eadem vis tribuenda in reviviſcentia; hoc enim eſſet ſpeciale privilegium ac novus favor, pro quo nulla militat auctoritas; imò nec ulla vehemens congruentia; & cum remiſſio venialium non ſit ad ſalutem neceſſaria, ſicut eſt remiſſio lethalium; cum item illa, non iſta, haberi poſſit per attritionem ſe ſolâ independenter à virtute ſacramenti; à reviviſcentia baptiſmi ad remiſſionem lethalium non benè arguitur ad reviviſcentiam ejuſdem pro remiſſione venialium, nec refert quod arguatur à majori ad minus affirmativè, nam in ijs, quæ continent privilegium voluntarium, favoremque extrinſecum, argumentum affirmativum à majori ad minus eſt ex genere ſuo imbecille, & ſæpè nullum,

176. Sed contra: Etſi loquendo præciſe ex natura rei noſtra illatio non ſit efficax, benè talis eſt attento modo inſtitutionis Chriſti, inſtituit quippè Chriſtus baptiſmum ut homo ſemel perfectè regeneretur & fiat ex vi ipſius innocens, immaculatus, purus, innoxius juxtà verba ex Tridentino relata; quamvis igitur remiſſio venialium non impediat ſalutem, & poſſit haberi attritione ſe ſola, niſi tamen in baptizato cum venialibus habeatur vi baptiſmi, aut præſentis, aut reviviſcentis, nunquam verificabitur talem baptizatum fuiſſe ex vi baptiſmi redditum innocentem, immaculatum &c. ergo ut hoc poſſit verificari, & benè ſalvetur modus inſtitutionis Chriſti, ſentiendum eſt conceſſum fuiſſe baptiſmo privilegium reviviſcendi, etiam ad remiſſionem venialium, & ſtante tali inſtitutionis modo, à reviviſcentia baptiſmi ad remiſſionem lethalium benè arguitur ad reviviſcentiam ejuſdem pro remiſſione venialium, auctoritateſque pro priore reviviſcentia militantes debent extendi ad poſteriorem, ut ſingillatim quoad Auguſtinum expendit, & oſtendit, Lugus *præcit. ſec. 5. num. 94.*

177. Dices ſecundò: Saltem de venialibus, quæ poſt baptiſmum ſuſceptum remittuntur ſeorſim à lethalibus, & iſtis antecedenter remiſſis, nequit ſuſtineri, quod remittantur vi ſuſcepti baptiſmi; ergo baptiſmus reviviſcens poterit ad ſummum cauſare remiſſionem venialium, quando hujus obex auferetur ſimul & ſemel cum obice remiſſionis lethalium, non quando ſeorſim & poſteà; ergo aſſertum ſaltem quoad poſtremas particulas, non ſubſiſtit. Antecedens probatur, Is, cui venialia illa remitterentur, eſſet conſtitutus in gratia per baptiſmum, ex cujus vel ſuſceptione vel reviviſcentia reportaſſet antecedenter remiſſionem lethalium; homini autem ſic in gratia conſtituto nequeunt ampliùs vi baptiſmi venialia remitti, primò quia in talium venialium remiſſione, vel baptiſmus novam gratiam produceret & ſic baptiſmus iterum & bis gratiam cauſaret, quod nulli ſacramento conceditur; vel non produceret novam gratiam, & ſic venialia remitterentur ſine infuſione gratiæ quod de lege ordinaria non evenit: Secundò quia cum in homine juſto attritio, etiam extra ſacramentum, ſit remiſſiva venialium, diſpoſitio, quæ in hypotheſi argumenti auferret venialium obicem, ſe ſola venialia remitteret. Baptiſmus igitur eo ipſo, quod inveniret ablatum obicem remiſſionis venialium, inveniret poſitam, non virtute ſua poneret; talem remiſſionem. Sed contrà: 178.

Quomodò exiſtenti jam in gratia per baptiſmum poſſint adhuc remitti venialia vi baptiſmi.

nego antecedens, nego item homini conſtituto in gratia per baptiſmum non poſſe ampliùs remitti venialia vi baptiſmi; ad primam probationem in oppoſitum dico, quod baptiſmus non produceret novam gratiam, nec proptereà venialia remitterentur ſine infuſione gratiæ, vel enim ſermo eſt de infuſione gratiæ quomodocunque, vel de infuſione gratiæ novæ; non remitterentur ſine infuſione gratiæ quomodocunque, quia remitterentur dependenter à gratia antecedenter infuſa vi baptiſmi; non remitterentur etiam ſine infuſione gratiæ novæ, quia infunderetur in ipſorum remiſſione nova gratia ex vi attritionis removentis obicem, & ſic quatenus remitterentur ex opere operantis & ex vi attritionis ad remiſſionem concurreret gratia infuſa de novo; quatenùs remitterentur ex opere operato, & vi ſacramenti, ad remiſſionem concurreret gratia infuſa antecedenter. Neque dicas, ad remiſſionem venialium ex opere operantis non ſufficit gratia ex opere operantis antecedenter infuſa, ſed requiritur gratia infuſa de novo; ergo ſimiliter ad remiſſionem venialium ex opere operato requiritur gratia ex opere operato infuſa de novo; ergo in propoſito requiritur, quod baptiſmus novam gratiam producat: Contrà enim, Quod in remiſſione venialium ex opere operantis facta ſemper infundatur aliqua gratia nova, non eſt ex exigentia remiſſionis venialium, ſed ex conditione operis operantis, quod quoties eſt ſufficienter retractativum venialium in homine juſto, eſt ſimul condignè meritorium augmenti gratiæ; cæterùm augmentum hoc non eſſe de neceſſitate illius remiſſionis ſuadetur, tùm ex eo quod ſecùs non poſſent venialia remitti per primam gratiam, tùm ex eo, quod, dum à juſto veniale committitur, gratia non minuitur; ergo dum juſto veniale remittitur, non eſt neceſſe, quòd gratia augeatur.

Ad ſecundam in oppoſitum probationem dico in primis eſſe nimiam, concluderet enim juſto per nullum ſacramentum poſſe venialia ex opere operato remitti, quatenùs ut per aliquod ſacramentum remittantur debet præcedere ipſorum retractatio, ſeu attritio, ſicque cujuſlibet ſacramenti ſuſceptio juxtà probationem contrà nos factam ſupponeret, non poneret, in juſto venialium remiſſionem. Pro ſolutione directa dico attritionem ſumi, vel ut venialium retractativam, vel ut venialium remiſſivam; ut retractativa eſt prior ſe ipſa ut remiſſiva, ideò enim eſt remiſſiva, quia eſt retractativa; ut retractiva tollit venialia, quatenus ſunt obex propriæ remiſſionis per baptiſmum conferendæ, ut remiſſiva tollit venialia quatenùs ſunt culpa: Baptiſmus igitur in hypotheſi argumenti invenit ex vi attritionis ablatum in venialibus obicem priùs, quàm culpam remiſſam; & in illo priori, in quo invenit obicem ablatum, culpam non remiſſam, ſimul cum attritione operatur ad culpæ remiſſionem; 179.

quæ propterea ſimul habetur per attritionem ex opere operantis cum infuſione novæ gratiæ, & per Baptiſmum ex opere operato, & per habitudinem ad gratiam antecedenter infuſam, pro quo recolenda eſt, & ſervatis ſervandis huc transferenda doctrina, de qua ſuprà *numero centeſimo quinquageſimo ſeptimo, & ſequentibus.*

180. Venialia, ad quorum remiſſionem baptiſmus reviviſcit, ſunt ea ſola, quæ præceſſerunt baptiſmi conſummationē.

Huc uſque dicta de remiſſione venialium ex vi baptiſmi reviviſcentis procedunt de venialibus antecedentibus ſuſceptionem, & conſummationem baptiſmi, non de ſubſequentibus nec de comitantibus uſque ad ultimum inſtans, quo baptiſmus perficitur, continuatis; quoad hoc enim eadem eſt proportionaliter ratio de venialibus, quæ de lethalibus, & ſicut ex lethalibus attigimus ſuprà *numero centeſimo quadrageſimoquarto, centeſimo quadrageſimoſexto, & centeſimo ſexageſimoſecundo*, ea ſola, quæ baptiſmi conſummationem præcedunt, eſſe ipſius baptiſmi materiem, reliqua ad ſacramentum pœnitentiæ pertinere, ita quoque de venialibus ſentiendum eſt, excepto quòd venialia ad pœnitentiæ ſacramentum pertineant, non tanquam materia neceſſaria, ſicut lethalia; ſed ſolùm tanquam materia ſufficiens, quod impertinens eſt ad rem præſentem. Scio quidem Suarium ex peccatis lethalibus baptiſmi ſuſceptionem, conſummationemque, comitantibus (idem à fortiori de venialibus dicturum) ſolùm peccatum formalis fictionis, quo ſcilicet quis intendit indignè baptizari, & ſciens ac volens indignè baptizatur, collocare ſub materia pœnitentiæ; non verò peccata reliqua fictionis materialis, puta deſiderium furandi, propoſitum occidendi; & ſimilia quæ quis eliciat, aut continuet, dum baptizatur: Scio quidem, inquam, ita ſentire Suarium *diſputatio.18. ſec.5. paragrapho Nihilominùs*, ubi pro ſe affert aliquos Thomiſtas ac ipſum D. Thomam, necnon Auguſtinum à D. Thoma allegatum; & ratio, qua movetur eſt, quia ſola fictio formalis, non fictio materialis, eſt directè in contemptum baptiſmi, & per ſe ex vi rationis ſuæ repugnat, obicemque ponit ejus effectui.

181. Verùm his non moveor, nec removeor ab opinione oppoſita jam inſinuata, & tradita etiam ab Arriaga *diſputatio. decima quinta, ſection. tertia, numero vigeſimo octavo*, Coninncho *quæſtio. ſexageſima ſeptima, articulo primo, dubio ſexto, numero nonageſimo ſexto*, Herincx *diſputatio. quarta, quæſtio. quinta, numero quinquageſimo ſexto*, Maderno *quæſtio. tertia, articulo duodecimo, numero ſexto*, Goneto *diſputatio. quarta, de Baptiſmo, articulo quarto, numero quadrageſimo nono*, aliiſque pluribus. Nec contrarius eſt Divus Thomas in eo, quod inſtà *quæſtio. ſexageſima nona, articulo decimo, ad ſecundum*, ait *Remota fictione baptiſmus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum baptiſmo.* Contrarius, inquam, non eſt quia ipſe (ſicut & Auguſtinus ab ipſo *ibid.* allegatus) loquitur de peccatis præcisè ſimul exiſtentibus cum baptiſmo utcumque, non verò de ſimul exiſtentibus cum ipſo in eſſe perfecto & conſummato, & pro eo tunc, pro quo baptiſmus deberet effectum ſuum cauſare; hujuſmodi enim peccata in rigore ſubſequuntur, non præcisè comitantur; ideò cenſenda ſunt pertinere ad idem ſacramentum, ad quod pertinent reliqua ſimpliciter baptiſmum ſubſequentia, quæ non ad baptiſmum ipſum, ſed ad Pœnitentiam pertinent: In rigore, inquam, ſubſequuntur, quia ut dicebamus *præcitat. numer.144.* ſunt peccata hominis baptizati, item quia, utpotè effectum baptiſmi culpabiliter impedientia, actu exiſtunt pro eo tunc, pro quo deberet poni effectus baptiſmi, hujuſmodi autem tunc eſt baptiſmum ſubſequens, ſicuti eſſet ſubſequens effectus ſi poneretur; ſunt igitur baptiſmum ſubſequentia etiam peccata pro eo tunc actu exiſtentia; eſt quidem tantùm ſubſecutio pro ſigno naturæ; at hoc nobis ſufficit.

Peccata elicita, aut continuata in conſummatione baptiſmi ſunt materia pœnitentiæ, & baptiſmum in rigore ſubſequuntur, nō præcisè comitantur.

182. Ad rationem, qua Suarez movebatur, dico fictionem etiam ſolum materialem, ſicuti eſt per ſe & ratione ſui incompoſſibilis cum gratia, quæ eſt Baptiſmi effectus, ita per ſe & directè repugnare, obicemque ponere tali effectui, quidquid ſit, utrum redundet necne in contemptum Baptiſmi? quod parùm refert, & ſapit quæſtionem de nomine. Confirmatur tota hæc doctrina: Cum nullum Sacramentum plus poſſit in reviviſcentia, quàm in ſuſceptione, conſequens eſt Baptiſmum non poſſe, dum reviviſcit, remittere illud peccatum, quod nunquàm poteſt remittere, dum ſuſcipitur; atqui dum ſuſcipitur, nunquam poteſt remittere peccatum, quod committitur aut continuatur in conſummatione ultima ipſius Baptiſmi, alioqui hujuſmodi peccatum remitteretur eo ipſo inſtanti, quo committitur aut continuatur, quod repugnat; ergo ſignum eſt hujuſmodi peccatum ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinere tanquam ejus materiem, ne cogaris dicere nullius Sacramenti materiem eſſe, & per nullum Sacramentum remitti poſſe; quod foret ſuavitati præſentis providentiæ injurioſum.

183. Ex his habetur adultum, qui poſt plura commiſſa peccata ad Baptiſmum accedit, & præter formalem fictionem, qua ſciens ac volens indignè, & ſine ſuorum peccatorum dolore Baptiſmum ſuſcipit, in ipſomet ultimo inſtanti conſummationis Baptiſmi habet animum furandi, & occidendi, teneri poſteà Sacramentaliter confiteri & clavibus ſubjicere, nec omnia ſua peccata, nec ſolum peccatum formalis fictionis; non tenetur omnia, quia non tenetur confiteri ea, quæ commiſit antè Baptiſmum; non ſolum peccatum formalis fictionis, quia tenetur etiam confiteri animum furandi, & occidendi, quem habuit in ipſomet ultimo inſtanti, &c. ratio corrollarij perſpicua eſt ex dictis, quia in dato caſo nec omnia illius adulti peccata, nec ſola formalis fictio, ſunt propria materies Sacramenti Pœnitentiæ; unde etiam nec omnia prædicta peccata, nec ſola formalis fictio, dum poſtea remittuntur quoad culpam, retinent reatum alicujus pœnæ temporalis.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

De effectu minùs univerſali, & minùs principali Sacramentorum novæ Legis, ſcilicèt de Charactere.

1. SACRAMENTALIS character denominatur Sacramentorum effectus minus univerſalis, & minùs principalis, comparativè ad gratiam effectum eorundem univerſaliorem ac principaliorem; cujus denominationis ratio poſita jam & expoſita in limine præcedentis, luculentius perſpecta fiet in progreſſu præſentis Capitis: Interim initio facto à *Quid nominis* adverto cum Scoto *in 4. diſtinction. 6. quæſtio 9. §. De primo* characterem idem græce ſignificare quod latine figura, ſeu nota, inſtrumento aliquo impreſſa: Hinc *Hebræor. 1.* ubi in textu latino habetur *Figura ſubſtantia* in græco habetur *character*, & Apocalyp. 13. 14. 16. & 19. Character beſtiæ in fronte, vel in manu, idem eſt ac beſtiæ figura fronti vel manui appoſita: Hinc etiam figuras ſeu notas, quibus litteras ſcribimus, conſuevimus appellare characteres Quia deinde figura ac nota alicui rei impreſſa ſolet quoque inſervire pro ſigno faciente cognoſcere, cujus ſit, aut ad quid deputata ſit talis res, paulo latiùs character pro ſigno ſumitur, & latiùs adhuc à Theologis in præſenti pro ſigno ſpirituali; cum in rigore tum figura tum ſignum debeat eſſe quid materiale & ſenſibile; ut de figura patet ex eo, quod ſit affectio quantitatis; de ſigno verò ex eo quod debeat ſui ſpeciem ſenſibus ingerere juxta ſupra dicta *libro primo, capit. primo, numero decimo quinto.*

Character ex vi nominis quid.

2. *Quid item ex vi nominis character ſacramentalis.*

Character igitur Sacramentalis nominali & lata deſcriptione dici poteſt, Signum ſeu ſignaculum, & quaſi ſigillum ſpirituale, ex vi alicujus Sacramenti impreſſum ei; qui tale Sacramentum ſuſcipit, ſic explicato de charactere Sacramentali quid nominis, antequam de eodem explicemus quid rei; ſeu *Quid ſit*, ſtabiliendum eſt *An ſit*; An ſcilicet per aliqua novæ legis Sacramenta imprimatur; novæ, inquam, legis Sacramenta, non tantum quia de his ſolis præfixus titulus & totus hic liber inſcribitur, ſed inſuper quia reverà nullum antiquæ legis Sacramentum impreſſit ſpirituale ſignaculum, & licet Scotus *præcitata quæſtio. 9. §. Ad rationes principales* affirmaverit, aut potius inſinuaverit, concedi poſſe impreſſum ſpiritualem characterem à Circumciſione, idque aliqui ejus diſcipuli, inter quos Maſtrius *hic diſputatio. prima, quæſtio. quinta, numero 130.* extenderint ad remedium legis naturæ, quando hoc non applicabatur in Circumciſione ipſa. Nihilominus Divus Thomas *hic quæſtio. ſexageſima tertia, articulo primo ad tertium*, negat id abſolute de antiquis Sacramentis univerſim, & ſingillatim de Circumciſione ait, quod ſufficiebat corporalis; cui conſonat quod Divus Chryſoſtomus *homilia 2. in Epiſtol. ad Epheſ.* Scripſit de Judæis *Obſignati ſunt Iſraelitæ, ſed Circumciſione quemadmodum pecudes*, quaſi diceret Signaculum, quo Iſraelitæ a Gentilibus ſecernebantur, non erat ſpirituale, ut in nobis, ſed corporale ut in pecoribus, ſeu ut illud quod pecudibus imprimitur ut diſcernantur; cujus Domini ſint, qua de re aliquid iterùm infra *n. 10.*

3. *Nec Circumciſio, nec ullum aliud antiquum ſacramentum, characterem ſpiritualem impreſſit.*

Militant pro hac, quam omninò amplector; negativa opinione plures congruentiæ, quibus tamen non admodum fido; habet enim ſuas quoque non admodum impares opinio affirmativa, & ſicuti iſtis apud nos, ita noſtris apud Adverſarios & in primis apud Scotum § *præcitato*, non deeſt ſua ſolutio: Mihi propterea ſolidius fundamentum eſt tum regula generalis non inducendi ullam præſertim ſupernaturalem, ac ſuo modo miraculoſam entitatem ſine neceſſitate, tum auctoritas in primis negativa, quatenus nulla Eccleſiæ traditione, nulla Conciliorum definitione evincitur character pro ullo antiquo Sacramento ſicut tamen evincitur pro aliquibus novis *ex ſequenti numero quinto* Deinde favet etiam auctoritas poſitiva, quatenus præter Divum Thomam, & Divum Chryſoſtomum, jam relatus, plures alij Patres maximè Græci conſueverũt præferre Baptiſmum Circumciſioni, in eo quod illius obſignatio fuerit ſolùm corporalis & externa, illius ſit ſpiritualis & interna. Accedit conſenſus Scholaſticorum fere univerſalis, adeò ut Joannes à Sancto Thoma *hic diſputatio vigeſima quinta, articul ſexto ad primum*, dixerit Scotum in eo, quod tenuit Circumciſionem impreſſiſſe characterem; ſingulariter ſenſiſſe, & licet nunc idem ſentiens non eſſet amplius ſingularitatis notandus, ſentiret quippe cum multis & ferè omnibus Scotiſtis; non eſſet tamen ex hoc capite commendandus, quia ſentiret contrà alios Scholaſticos valdè plures. 4.

His obiter poſitis pro negando cuilibet ex antiquis Sacramentis charactere; de eodem concedendo aliquibus novis non fuit unquam inter Catholicos quæſtio, ſed ſolùm de modo probandi ejus exiſtentiam, aut explicandi ejus eſſentiam, ut ex ſequentibus conſtabit: Ideò ſit

§. I.

An aliqua, & quænam, novæ Legis Sacramenta characterem imprimant? Item Quomodò & Quando?

ASSERT. 1. Aliqua, id eſt tria novæ Legis Sacramenta characterem imprimunt; eaque ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Ita Scholaſtici univerſi partim cum Divo Thoma *hic quæſtio. ſexageſima tertia, articulo primo & ſexto.* partim cum Scoto *in 4. diſtinction ſexta, quæſtio. ſeptima & nona.* contrà Uviclefum *libro quarto, Trialogi capite decimo quinto.* Calvinum *in antid Tridentin ſeſſion. 7. can. 9.* Kemnitium *ſecunda parte exam.* Heshuſium, *libro de erroribus Pontificiorum titulo quinto*, & alios horum ſectatores Sectarios 5.

Imprimunt verò ex novis ſacramentis tria; Baptiſmus, Confirmatio & Ordo.

Int

latè impugnatos à Controverſiſtis ac ſignanter à Bellarmino *libro ſecundo de Sacramentis, capite decimo nono, & ſequentibus.* Nobis pro veritate dogmatica inter Catbolicos certa, nec Scholaſticorum admodum propria, ſufficiat inſinuare, quod fundamentale & præcipuum eſt: Sicque aſſertum

Eſt veritas pertinens ad fidei dogma.

Probatur primò ex traditione Eccleſiæ, & definitionibus Innocentij III. Summi Pontificis, & Conciliorum Florentini ac Tridentini: Traditio Eccleſiæ colligitur ex antiquiſſimis Patribus, qui characteris præſertim Baptiſmalis partim ſub proprio nomine, partim ſub nomine ſigni, ſignaculi, vel ſignationis, ſæpè meminerunt, ut videre eſt apud Bellarminum *præcitato libro ſecundo, capite vigeſimo primo.* Valentiam *diſputatio. tertia, quæſtio. quarta, puncto ſecundo,* Gonetum *diſputatio quarta, articulo primo paragrapho primo,* & alios Scholaſticos paſſim. Definitio Innocentij III. habetur in Cap. *Majores* de Baptiſmo his verbis: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Definitio Concilij Florentini habetur *in decret. Union.* ubi de Sacramentis novis ſic ſtatuitur *Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem imprimunt in anima, reliqua verò quatuor characterem non imprimunt.* Definitio Tridentini habetur *ſeſſion. ſeptima, can. 9. de Sacramentis in genere,* ubi anathematizatur qui dixerit *In tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpiritale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt.* His definitionibus & Eccleſiæ traditione ſuppoſitis congruè hic afferuntur, & de obſignatione ſeu ſigillatione per Sacramentalem characterem intelliguntur, nonnulla loca Scripturæ ex terminis parùm expreſſa, & varias interpretationes admittentia: Primus locus eſſe poteſt. 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos, Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris:* Secundus Epheſ. 1. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto:* Tertius Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis:* Pro quibus ſingulis locis aliquos Sanctos Patres ipſa juxtà intentum noſtrum interpretantes recenſet Bellarminus *præcitat. libro 1. cap. 20.*

6 Ex præmemoratis Patribus Innocentio III. antiquioribus, & mox adductis ſcripturæ teſtimonijs, evincitur, quàm falsò ac immeritò Sectarij dixerint characterem ſacramentalem fuiſſe primò ab Innocentio excogitatum, & de eo mirum eſſe ſilentium in Scripturis & Patribus. Nec refert, quod Scotus *præcitat. quæſtio. nona paragrapho. Ad quæſtionem* doceat characterem non poſſe probari ex creditis, aut ex ijs, quæ per Sanctos ſunt ex creditis elicita: Non refert, inquam, nec favet Sectarijs, quia ibi ſubtilis Doctor loquitur cum modificatione *manifeſtè*; fatemur autem nos quoque adducta ſcripturæ teſtimonia non eſſe ex terminis manifeſta, & Sanctos ſæpè egiſſe de charactere in aliqua alia ſignificatione ab ea, quam nunc intendimus; at ſuppoſita auctoritate & traditione Eccleſiæ, quam ibi Scotus maximè profitetur pro ſacramentali charactere militare & ex Innocentio III. colligi, & prætereà additis definitionibus Florentini & Tridentini Scoto poſterioribus, cenſeo omninò etiam ex Scriptura & Patribus ſufficienter deduci aſſertam veritatem, & in hoc aut Scotum non fuiſſe contrarium, aut talem fuiſſe non futurum, ſi Conciliorum definitiones vidiſſet.

Probatur ſecundò ratione non quidem, quæ 7.
ſit ex natura rei efficax, ſed quæ ſuppoſito, quòd aliunde traditione ſcilicet & auctoritate res innoteſcat, oſtendat ejus congruentiam, & explicet, cur Baptiſmo, Confirmationi, & Ordini potius, quàm alijs Sacramentis debuerit ex divina inſtitutione concedi privilegium imprimendi characterem? Pro quo inter alias plures potiſſima & optima cenſenda eſt ea ratio, quam licèt in eodem omninò modo tradunt Divus Thomas *præcitato articulo primo, in c.* & Scotus *præcitata diſtinction. ſexta, quæſtio. decima, §. Sed reſtant*, & tum utriuſque Doctoris diſcipuli, tum ferè omnes alij Scholaſtici, & ſic formari poteſt: Ex una parte in qualibet Republica benè inſtituta illis, qui conſtituuntur in determinato gradu & ad certum munus deputantur, ſolent apponi peculiares notæ, & obſignationes, quibus à cæteris diſcernuntur, ut maximè uſuvenit in famulis, item in Militibus, qui olim charactere corpori impreſſo notabantur, & etiam nunc geſtare ſolent certi coloris faſciam, imò nobiliorum militiarum, puta Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut Sancti Jacobi Equites in pallio & in pectore præferunt ſpecialiora inſignia: Ex alia parte Eccleſia ſe habet ut Politia quædam, ſeu Reſpublica, eaque optimè inſtituta, in qua per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, in determinato gradu conſtituimur, & ad certum munus deputamur; non ſic per alia Sacramenta. Per Baptiſmum ſcilicet aſſumimur in familiam Chriſti & ad ejus famulatum ac cultum deputamur; Per Confirmationem promovemur ad militiam & deputamur ad pugnandum pro Chriſti fide; Per Ordinem præferimur ad doctrinam, & deſtinamur ad conſtituendos alios in proprijs gradibus: Hæc autem ſingula important peculiarem gradum in familia ſeu Republica: Nil proportionaliter ſimile invenitur in alijs ſacramentis, nam per Matrimonium multiplicamus in Republica perſonas, per Euchariſtiam quaſi comedimus ad menſam Principis, per Pœnitentiam Principi offenſo reconciliamur, per Extremam unctionem talem reconciliationem ultimò perficimus, aut etiam corporaliter roboramur & exhilaramur; at hæc non cenſentur in ulla humana Republica tribuere ſtatum, & in determinato gradu conſtituere; neque enim habet peculiarem gradum & ſtatum in aula regia is, qui aliquando cum Rege comedit, aut ei novum Aulicum 8.
quodammodò procreat, aut eum ſibi offenſum reconciliat &c. ergo. Hanc eandem congruentiæ rationem Subtilis Doctor *præcitat. paragrapho. Sed reſtant* in fine extendit ad initerabilitatem, quam habent tria priora ſacramenta,

Ratio congruentiæ pro tali veritate.

Sicut & pro eorundem ſacramentorum initerabilitate,

non

Digitized by Google

non quatuor reliqua; quatenùs ſicut in humana politia non ſolent iterari receptio in familiam, promotio ad militiam, prælatio ad doctrinam, bene verò comeſtio ſeu nutritio, procreatio, reconciliatio, item quaſi medicinalis refocillatio ſeu exhilaratio; ita in Eccleſia congruum fuerit inſtitui cum inIterabilitate tria ſacramenta correſpondentia tribus prioribus gradibus, cum iterabilitate verò alia quatuor correſpondentia quatuor poſterioribus actibus.

Quænam ſit connexio inter characterem, & initerabilitatem, in ſacramentis.

Hinc obiter infero argumentum, quo aliqui in præſenti probant characterem ex initerabilitate, ſivè habeat, ſive non habeat, efficaciam ex aliqua connexione phyſica neceſſaria inter hoc, quod eſt characterem imprimere, & eſſe initerabile; habere ſaltem efficaciam aliquam ex congruitate, quæ eadem eſt pro utroque, ideò ubicumque unom reperitur congruum eſt congruèque infertur reperiri & alterum: Et hoc ſufficit ad ſaluandum in recitatis Tridentini verbis ly *undè ea iterari non poſſunt* (idem procedit de Florentino quatenùs verbis ex ipſo præallatis ſubjicit *Vnde in eadem Perſona non reiterantur*) quo infertur ex charactere initerabilitas; ſufficit, inquam, ad hoc ſaluandum, quia illationes in Concilijs contentæ, dummodò veræ ſint, ſatis eſt, quod in morali congruitate fundentur, nec requiritur ſemper fundari in connexione phyſica neceſſaria rei illatæ cum ea, ex qua infertur; & ut obſervat Arriaga *hic diſp.17.ſec.1. num.4.* non eſt mos Conciliorum definire rationes, quibus utuntur ad definiendas veritates, ſicque Concilia Florentinum & Tridentinum de tribus novis ſacramentis definiunt, tum quòd characterem imprimant, tum quòd non poſſint iterari, & unum afferunt pro ratione alterius; at non ideò definiunt unum eſſe rationem alterius neceſſariò & ex natura rei concludentem; ſed hoc relinquunt diſputandum ſcholaſticis, inter qoos nullam connexionem phyſicam neceſſariam inter characterem, & initerabilitatem, agnoſcunt Lugus *diſp.6. ſec.1. num.5.* Arriaga *præcit. ſec.1 n.2.* Amicus *diſp.7. n.13.* Herincx *diſp.4. q.6 n.64.* & plures alij.

9

Dices; tota ratio congruentiæ à nobis poſita pro charactere baptiſmi militat etiam pro charactere circumciſionis; atqui *ex præced. num* 1. Circumciſio nullum characterem impreſſit; ergo vel nobis ipſis non cohæremus, vel poſita congruentiæ ratio eſt pro charactere baptiſmi incongrua: probatur major, quia etiam per Circumciſionem homines conſtituebantur in determinato gradu, recipiebantur enim in familiam Dei, aut etiam Chriſti venturi, cujus fidem profitebantur: Erat item circomciſio initerabilis, ſicut baptiſmus; ergo. Sed contra; Iam olim protestati ſumus nos præcedentem rationem poſuiſſe non tanquam abſolutè efficacem ad probandum, ſed tanquam accommodatam ad congruè explicandum baptiſmi characterem jam aliundè probatum; ideò ex eo quòd poſſit etiam ad Circumciſionem extendi, nihil concluditur de Circumciſionis charactere,

10.

cum iſte non ſicut character baptiſmi probetur aliundè, imò ex dictis improbetur. Deindè præcedentis congruentiæ extenſio, ſi aliquem Circumciſionis characterem ſuadet, ſuadet ſolùm corporalem, tum quia imperfectori ſacramento, & carnali adhuc populo, congruebat imperfectior, & carnalis character; tum quia Circumciſio non conferebat ſuis ſuſcipientibus ullam ſpiritualem poteſtatem, nec per ſe loquendo ullum ſpiritualem effectum; nam licet cauſaret gratiam aliquando, hanc non cauſabat per ſe, quia cauſabat ſolùm in parvulis & qoatenùs continebat remedium legis naturæ, non præcisè ratione ſui; non debuit igitur imprimere ſpiritnale ſignaculum, neque pro iſto militat præcedens congruentia; ſed ſolum pro obſignatione corporali impreſſa carni per abſciſſionem præputij; hincque manet etiam impugnatus Paludanus, qui ut refert Amicus *præcitat. diſputatio. ſeptima, numero vigeſimoprimo* Circumciſioni conceſſit impreſſionem cujuſdam ſpiritualis ornatus.

Prædicta congruentiæ ratio ad circumciſionē deducta non ſuadet characterem, niſi corporalem.

11.

Si quæras hic obiter, utrùm talem ſpiritualem ornatum, tanquam aliquid charactert affine & proportionale, imprimant ſaltem quatuor novæ legis ſacramenta characterem propriè dictum non imprimentia, per ſe tamen inſtituta ad conferendum ſuis ſuſceptoribus Spiritualem effectum, nempè gratiam habitualem. Affirmarunt olim aliqui non contemnendæ notæ Theologi ornatum illum requirentes pro diſpoſitione phyſica ad ipſam habitualem gratiam. Verùm hanc opinionem cum ſuis Auctoribus jam retulimus & impugnavimus *capite præcedent. numero undecimo*, nec neceſſe eſt quidquam modò addere, ſed ſolùm ibi dicta repetere.

Character à ſacramentis cauſatur eodem modo, eodemque tempore quo gratia.

Aſſert. 2. Sacramenta characterem imprimentia ipſum imprimunt eo modo, eoque tempore, quo per ſe loquendo; & nullo exiſtente obice, conferunt gratiam; adeóque cohærenter ad ſupradicta *numero* 32. & 69. characterem imprimunt ſeu cauſant etiam phyſicè, & in parte temporis determinata breviſſimaque motula, qua ultimò perficiuntur. In prima aſſerti parte indefinitè poſita omnes conveniunt; in ſecunda qoa primam ad noſtra principia determinamus habemus eoſdem Adverſarios, quos habuimus circa cauſalitatem phyſicam ſacramentorum in gratiam, & hujus productionem in parte temporis determinata, contrà quos tamen hoc utrumque ſupponendum nunc eſt, non iterùm probandum; ideò aſſertum facilè, & breviter,

12.

Probatur quia ex una parte effectus primarius, & ſecundarius, univerſim eodem modo, eodemqoe tempore producuntur; & ex alia parte cum characteris nullus detur obex, nulla poteſt eſſe ratio, ob quam producatur aliquando gratia, & non producatur character, ſitque expectanda ulterior pro iſtius productione diſpoſitio: Cum item ſacramentalis character non ſit ſuperioris ordinis, nec majoris perfectionis, quàm ſacramentalis gratia, ſed ordinis ejuſdē, & perfectionis minoris, nequit

T T t c rationa

Digitized by Google

rationahiliter excogitari, quòd majorem, quam gratia virtutem ex parte ſuæ cauſæ requirat,& non poſſit produci, aut non producatur, phyſice à ſacramentis à quibus per ſe loquendo producitur phyſicè gratia; ergo à primo ad ultimum ſacramenta characterem imprimentia ipſum imprimunt &c.

13. Si quæras hic, Utrùm inter characterem & gratiam,quamvis per ſe loquendo non detur prioritas temporis, detur ſaltem aliqua prioritas naturæ. Illi qui putant characterem phyſicè ad gratiam diſponere, aut etiam eſſe virtutem qua mediante ſacramentum phyſicè gratiam efficiat, quorùm meminimus ſuprà *num.* 11.& 41. agnoſcunt conſequenter in charactere phyſicam naturæ prioritatem ad gratiam,ex adverſo agnoſcit in gratia phyſicam naturæ prioritatem ad characterem Soto *in* 4.*diſt*.1. *q*. 4. *art*.4. quia inquit character fidem,cujus eſt ſignum,conſequitur,fides autem conſequitur gratiam: Verùm neuter dicendi modus ſubſiſtit,non primus quia oritur ſuppoſito à nobis mox *cit.num.* 11.& 41. improbato:Non ſecundus quia quidquid ſit Utrum character benè dicatur eſſe ſignum fidei, ex hoc infertur ad ſummum conſequi ad fidem ordine intentionis, at non ordine executionis & productionis,de quo nunc agitur:Reſpondeo igitur cum Suario *diſp.* 11 *ſec*. 1. § *ſed dubitabit aliquis*.Sacramentalem characterem & ſacramentalem gratiam non habere inter ſe ordinem phyſicum cauſalitatis; & nec characterem ad gratiam, nec gratiam ad characterem, habere phyſicam naturæ prioritatem: loquendo verò moraliter potiùs characterem eſſe natura priorem gratia, quam gratiam charactere; datur enim & permanet aliquando in eo, qui ſacramentum characterizans ſuſcipit, talis ſacramenti character ſine ipſius gratia,non è contra; ſi quæ igitur eſt moralis dependentia inter characterem & gratiam, potiùs eſt gratiæ à charactere,quam è contra; ac per conſequens moralis naturæ prioritas potiùs eſt in charactere ad gratiam, quàm è contrà in gratia ad characterem.

Quid de prioritate naturæ inter characterem & gratiam.

---

§. II.

Quid ſit ſacramentalis character? Ubi præſtituitur, An ſit realis entitas, An relatio, An modus, An & cujus ſpeciei qualitas?

14. ASSERT. 1. Sacramentalis character eſt entitas realis,& phyſica, realiter diſtincta ab anima, ejuſque potentijs. Eſt contrà Durandum *in* 4.*diſt*.4.*quaſt*.1. *num*.11. docentem eſſe aliquid rationis ſeu moralitatem, & denominationem extrinſecam ex Dei inſtitutione, & ſacramenti ſuſceptione, reſultantem: idem videntur ſentire Rubion *diſtinct*.17.*quaſt*.2. *art*.2. & Sotus *diſt*.1. *quaſt*.4. *art*.1. & *diſt*.14. *quaſt*.1. *art*.1. Reliqui tamen Scholaſtici non ſolùm ſimpliciter tradunt aſſertam veritatem, ſed etiam ferè omnes eam cenſent omninò certam, & cum gravi cenſura excipiunt Durandi opinionem, hanc Suarez *diſp*.11.*ſec*.2. ait non poſſe nunc ab errore in fide vindicari, Bellarminus *lib*.2. *de ſacrament. capite* 19. *propoſ*.2. exiſtimat vix diſtingui ab hæreſi hujus temporis. Lugus *diſputatio* 6. *ſec*.2.*numero* 18. judicat eſſe contrà mentem Conciliorum, Gonetus *diſputatio* 4 *art* 2. §.1. appellat erroneam. Excuſant verò Durandum & ipſius opinionem ab omni gravi cenſura liberare contendunt Vaſquez *hic diſputatio*. 134. *capit*.2. & Arriaga *diſp*.17.*ſec*.3.

Character ſacramentalis non eſt relatio rationis,aut denominatio extrinſeca.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

Dixi *entitas realis & phyſica* ut excluderem ens rationis non ſolùm ſumptum formaliter pro ente fictitio, ſed etiam ſumptum pro entis fictitij fundamento,qua ratione denominationes extrinſecæ, & moralitates, quamvis ſuo modo quid reale, quatenùs tamen præbent intellectui fundamentum eas concipiendi tanquam formas phyſicas intrinſecas ſubjecto, ſuprà quod cadunt, dicuntur entia rationis ſeu relationes rationis; in quo certè ſenſu locutum eſſe Durandum patet ex ejus contextu; nec benè Pontius *diſp*.41.*quaſtio*. 8. doctrinæ, quam impugnamus, impoſuit quod ſacramentalem characterem collocet in ente fictitio, undè & ex hoc capite talem doctrinam immeritò ridiculã nuncupavit.

Probatur primò ſic explicatum aſſertum. 15.
Innocentius III. & Concilia Florentinum ac Tridentinum, de quibus ſuprà *num*.5. conformiter ad traditionem Eccleſiæ, & Antiquorum Patrum mentem docuerunt characterem ſacramentalem eſſe aliquid ſpirituale, & indelebile impreſſum in anima ſuſcipientis ſacramentum, idque ſtatuerunt tanquam veritatem negatam à pluribus Sectarijs; atqui relatio rationis moralitas, denominatio extrinſeca, non rectè dicitur eſſe aliquid ſpirituale indelebile, multoque minùs animæ imprimi; Non item negabatur, nec negari poterat, à Sectarijs, quos Concilia damnarunt; ergo ſacramentalis character, cujus quiditas inquiritur & cujus exiſtentia ex antiquis Patribus deducitur, ex Concilijs definitur, non eſt relatio rationis, moralitas, denominatio extrinſeca; eſt igitur entitas realis, & phyſica &c. Probatur minor quoad primam partem ex eo, quod eſſe ſpirituale, eſſe animæ impreſſum, in communi propriaque intelligentia ſonant aliquid phyſicum, nec denominatio extrinſeca cogniti dicitur aliquid ſpirituale imprimere objecto, quamvis cognitio, ex qua talis denominatio provenit, ſpiritualis intellectualiſque ſupponatur; domui item v. g. nihil dicitur imprimi per hoc, quod à relatione rationis ad tempus præteritum denominetur antiqua: Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quia licèt omnem denominationem extrinſecam, omnemque moralitatem, ex Sacramentis relictam potuerint Sectarij negare negando ſacramenta ipſa,tamen ſemel admiſſo aliquo ſacramēto præſertim initerabili,videtur ex terminis manifeſtum, quod ſaltē per denominationem extrinſecam, & relationem rationis,

rationis, ad tale ſacramentum ſemel ſuſceptum remaneat quis incapax ad ipſum ſuſcipiendum, qualis non erat antequam ſuſcepiſſet: Deinde Hæretici ipſi, dum impugnant ſacramentalem characterem contrà Catholicos, impugnant ipſum tanquam aliquid phyſicum & reale, ergo illud, quod ipſi negant, & in quo à Concilijs damnantur, eſt quòd character ſit entitas realis & phyſica; de moralitate verò, denominatione extrinſeca, & relatione rationis, ſicuti nihil Catholicis objiciunt, ita præſumendi ſunt nullam habuiſſe difficultatem.

16. Probatur ſecundò: Ratio congruentiæ militans pro ſacramentalis characteris exiſtentia militat pro ejuſdem reali, & phyſica, entitate; ergo vere ſacramentalis character eſt realis & phyſica entitas; probatur antecedens, quia in humana Republica benè inſtituta qui conſtituuntur in determinato gradu, & deputantur ad certum munus, notantur ac diſcernuntur aliquo ſuperaddito reali & phyſico: ut exemplificavimus in famulis & militibus; & licet inter homines hoc reale & phyſicum ſoleat eſſe externum, impreſſum corpori, eivè adhærens, provenit id ex imperfectione humanæ virtutis non valentis immutare interiùs animam, nec diſcernicula & ſigna ſua ordinantis ultrà hanc vitam mortalem, in qua congruum eſt ea eſſe externa & corporea; aliter res ſe habet in charactere ſacramentali, qui debet diſcernere etiam animas ſeparatas in alia vita, & imprimitur virtute divina, cui maximè convenit non exteriùs tantùm & in corpore, ſed interiùs quoque & in anima operari, Congruentia igitur ex politiæ humanæ gradibus deſumpta ſuadet characterem ſacramentalem debere eſſe entitatem realem & phyſicam, at non ſimiliter debere eſſe corporalem.

Dices eſſe valdè accidentale & voluntarium, quod in Republica humana ponatur aliqua realis & phyſica entitas ad diſtinguendos ac diſcernendos varios hominum ſtatus & gradus, neque morem hunc apud omnes, aut quoad omnes gradus ſervari: Nam multi Principes nullam notam inurunt, nullum phyſicum ſuperadditum apponunt eis, quos ſuæ militiæ adſcribunt: Magiſterium, Doctoratus, aliaque hujuſmodi important ſpeciales hominum gradus, & tamen ut plurimum ſunt denominationes merè extrinſecæ; ergo adducta congruentiæ ratio non probat quod intendimus, & Adverſarijs favet æquè ac nobis. Sed contrà: In

17. rationibus congruentiæ non eſt quærendum quod adæquatè, in omnibus, & quoad omnia, procedant, & quamvis ſit ſimpliciter accidentale ac voluntarium humanæ Reipublicæ ſtatuere phyſica diverſorum graduum diſcernicula; pro re noſtra ſufficit ſi id ſpectet ad perfectam & bonam illius inſtitutionem; & Reſpublica, in qua id ſervetur, cenſeatur perfectiùs ac meliùs inſtituta, cum enim divinum regimen ſit proculdubio perfectiſſimum, ſi quæ congrua illatio facienda eſt ab humano regimine ad divinum, utique debet deſumi ab eo, quod inter homines perfectius eſt, ac meliùs inſtitutum. Neque in his expedit ulteriùs immorari, cum aſſerta veritas magis, quam congruentijs, nitatur auctoritatibus ac definitionibus Conciliorum, quibus licèt Vaſquez & Arriaga varia excogitent effugia, hæc tamen aſſerunt ad moderationem cenſuræ, non ad poſitivam defenſionem opinionis oppoſitæ: & quidquid tandem afferant, deflectunt Concilia ad locutionem & intelligentiam minùs propriam, quod ſi cum neceſſitate præſtarent, benè ſaperent; at dum id præſtant ſine neceſſitate, & ſine ullo ſolido fundamento, quoad negandam ſacramentali characteri phyſicam entitatem inducantur, audiendi non ſunt.

Aſſert. 1. Sacramentalis character nec eſt entitas relativa, nec modalis; ſeu nec eſt relatio, nec modus. Prima pars eſt contrà Fabrum, Centinum, Brancatum, & aliquos alios Scotiſtas, docentes characterem eſſe de numero earum relationum, quæ ſolent in ſchola Scotiſtica appellari extrinſecùs advenientes; oppoſitum tamen docent & nobiſcum ſentiunt Scotiſtæ antiquiores & nonnulli etiam recentes, quos refert & ſequitur Maſtrius *hic diſp. 1. q. 5. art. 2.* occaſionem hujus inter ſuos diſcipulos diſſidij præbuit ipſemet ſubtilis Doctor *in 4. diſt. 6. quæſt. 10. §. Ad quæſtionem*, ubi de charactere in forma relativa vel abſoluta collocando problematicè loquitur, adeò ut nec poſſit benè conijci, in quam partem inclinet; quamvis ejus diſcipuli ab invicem diviſi conentur ſinguli oſtendere ſuum Doctorem magis inclinatum in eam partem, quam ipſi amplectuntur, & pro eadem ipſum referant, immeritò tamen, ſicut & multò magis immeritò aliqui Recentiores, inter quos Vaſquez *hic diſputatio. 14 capite 2.* ei adſcribunt, quod inclinaverit in ſententiam de relatione rationis, forte quia per relationem extrinſecùs advenientem idem intellexerunt, ac per denominationem extrinſecam, cum tamen non idem intelligat Scotus, ſed juxta ipſius doctrinam relatio extrinſecùs adveniens ſit forma realis intrinſeca ſubjecto, quod relatum denominat: Secunda aſſerti pars traditur communiter etiam ab Auctoribus Societatis, quamvis alioqui ad modales entitates valdè propenſis; undè à Suario *diſp. 11. ſec. 1. §. Tertia ſententia.* Lugo *diſp 6. ſec. 2. num. 17.* Arriaga *diſp. 17. ſec. 3.* & alijs ex profeſſo impugnatur Sotus eo quod *in 4 diſt. 1. quæſt. 4. art. 2.* dixerit eſſe valdè probabilem opinionem ponentem characterem, tanquam quemdam animæ modum. 18.

Mens Scoti circà characterem ſacramentalem in relatione collocandum.

Probatur aſſertum quoad primam partem, pro qua præmoneo aliud eſſe, quòd character ſit fundamentum proximum alicujus relationis, relationemque aliquam, aut prædicamentalem ſecum ferat, aut tranſcendentalem ſibi identificet; aliud quòd ſit relatio præciſè, & cum excluſione formæ abſolutè, in quo ſenſu procedit aſſertum. & probatur ſic: Sacramentalis character, neque eſt tranſcendentalis relatio, neque prædicamentalis; ergo ſimpliciter non eſt relatio: Probatur 19.

Charactre ſacramentalis neque eſt tranſcendentalis relatio

antecedens quoad relationem tranſcendentalem, iſta eſt eſſentialis ſuo ſubjecto, & ſibi identificat aliquod abſolutum; atqui ſacramentalis characteꝛ non eſt eſſentialis animæ, neque hanc ſibi identificat; ſi igitur eſt relatio tranſcendentalis eſt eſſentialis alicui alij entitati ab anima? & aliquam aliam entitatem abſolutam animæ ſuperadditam ſibi identificat; non eſt igitur pura relatio, ſed eſt ſimul & principaliùs forma abſoluta. Probatur idem antecedens quoad relationem prædicamentalem in primis, quia iſta per nos conſiſtit præcisè in complexo fundamenti & termini ſuppoſita ratione fundandi, nec eſt tertia entitas ſimplex ſubjecto ſeu fundamento ſuperaddita, ſicuti tamen character, ſive in anima, ſive in aliqua animæ potentia ſubjectetur, eſt ſimplex entitas ſuo ſubjecto ſuperaddita & ab ipſo realiter adæquatè diſtincta: Abſtrahamus tamen ab hoc argumento, quamvis alioqui in noſtris principijs validiſſimo; abſtrahamus item ab alijs argumentis communibus, puta quòd ad relationem prædicamentalem non detur per ſe motus, qui tamen datur ad characterem; quòd relatio reſultet poſitis fundamento & termino, cum tamen character imprimatur, & infundatur, non reſultet; quæ & ſimilia Scotiſtæ eludunt dicendo procedere de relationibus intrinſecùs advenientibus, non de advenientibus extrinſecùs, quæ per ipſos ſunt reſpectus ab extrinſeco agente producti, & habentes pro proprio munere referre ad aliud ſubjecta, in quibus producuntur, abſque eo quòd egrediantur ex principijs intrinſecis talium fundamentorum, aut in iſtis inveniant

Neque prædicamentalis.

20\. peculiarem rationem fundandi: Abſtrahamus, inquam, ab his; quin, etſi à nobis hujuſmodi reſpectus relationeſque extrinſecùs advenientes poſſint jure ſupponi non dabiles, abſtrahamus etiam ab eo, quod dari poſſint necne? adhuc character non eſt ponendus de talium relationum numero, quia ex una parte etiam iſtæ relationes minùs propriè dicuntur imprimi; cum enim ſint puri reſpectus, videntur ſolùm explicare Ad, non In; & tamen imprimi maximè explicat In: Deindè character ab omnibus concipitur, ut valdè perficiens & ornans animam; relatio autem ex genere ſuo vix ſubjectum perficit cum tota ſit ad terminum, & omnis perfectio relativa valdè tenuis ſit ac minor perfectione abſoluta; ex alia parte ſi quid afferunt pro charactere in relatione collocando probat ſolum characteri relationem ineſſe, at non probat ipſum characterem relationem eſſe ut ſtatim ſubjicio.

Et ſignanter non eſt relatio extrinſecus adveniens.

Dices: Character eſt in genere ſigni, & eùm à Sanctis Patribus paſſim, tum maximè in definitionibus ſuprà ex Florentino, & Tridentino, relatis ſignum nuncupatur; atqui ſignum conſiſtit in relatione & reſpectu ad rem ſignificatam; ergo. Confirmatur primò: Per characterem baptiſmi, ut nos ipſi ſuprà dicebamus, ingredimur Chriſti familiam; per illum Confirmationis aſſumimur ad Chriſti militiam; per illum Ordinis alijs præficimur ad doctrinam; atqui hoc idem eſt ac dicere, ad Chriſtum referimur tanquam famuli ad Dominum, tanquam milites ad ducem, & ad alios tanquam Magiſtri ad diſcipulos; ergo tres ſacramentales characteres nihil aliud ſunt, quam tres relationes. Confirmatur ſecundò; Non eſt ponenda entitas abſoluta, ubi poteſt ſufficere relativa; atqui pro charactere ſacramentali, & ad ſaluanda ea omnia, quæ ipſi tribuuntur, poteſt ſufficere entitas relativa, ut conſtat ex eo quod Scotus *præcit. q.* 10. in fine ſoluit omnia argumenta, quæ pro entitate abſoluta formaverat; ergo: probatur major, non eſt ponenda perfectio major, ubi poteſt minor ſufficere, jam enim poneretur aliquid perfectionis ſine neceſſitate; atqui ut mox nos diximus perfectio abſoluta eſt major, relativa eſt minor; ergo. Sed contrà: Character ſignum eſt, & in genere ſigni ſumpto

21\. ſigno materialiter pro ſubſtrato ſignificationis, non formaliter pro ſignificatione ipſa, ut *præced. lib. cap.* 1. *num.* 2. & 53. dicebatur de ſacramento, quod ſimiliter ſignum eſt & in genere ſigni, nec propterea ponitur in relatione conſiſtere. Ad primam confirmationem dico per characterem baptiſmi, nos nec formaliter conſtitui Chriſti famulos, nec formaliter ad Chriſtum tanquam ad Dominum referri, ſed deſignari ſeu oſtendi conſtitutos ac relatos. Ad ſecundam confirmationem dico Scotum in noſtris principijs non ſufficienter ſoluere argumenta pro entitate abſoluta militantia, & majorem perfectionem talis entitatis ſuprà entitatem relativam non poni ſine neceſſitate, partim conſtat ex jam dictis, partim conſtabit ulteriùs ex dicendis.

Probatur aſſertum quoad ſecundam partẽ, pro qua certè ſufficeret quod alibi univerſaliter modales entitates improbaverimus; ſi enim modos negavimus, etiam ubi Modaliſtæ maximam ipſorum neceſſitatem exaggerant, multò magis negare debemus in præſenti, ubi vix modaliſtarum aliquis modi neceſſitatem agnoſcit, eo quòd modorum neceſſitas ſit ad determinandam indifferentiam, hic autem non appareat ad quam indifferentiam determinandam character inſerviat: Deindè modus ex genere ſuo eſt entitas diminuta, valdè imperfecta ſe habens præcisè ut *quo*, talis autem non eſt conceptus, quem communiter de ſacramentali charactere formamus: Tandem ratio modalis accidentis obſtat ſeparabilitati ejus à ſubjecto, ejuſdemque conſervationi in alio aut ſine omni ſubjecto; quod utpotè minùs favens, tum ſupremo Dei Dominio, tum juri quod quælibet res exiſtens habet ad ſui conſervationem, non debet de charactere, aut de re alia, affirmari niſi cogat fides aut ratio, & tamen nec fides nec ratio cogit ad id affirmandum de charactere, quin potiùs utraque ſuadet oppoſitum. Ergo.

22\.

Non eſt item modaliſ ſeu modalis entitas.

Ex eo quod hucuſque oſtenſum eſt ſacramentalem characterem, nec eſſe denominationem extrinſecam, nec aliquid morale, nec ens rationis; item nec relationem realem, nec modum evincitur eſſe rem phyſicam abſolutam & cum ratione ſuæ ſupernaturalitatis 23.

non

non ſit ſubſtantia, ratione ſpiritualitatis non ſit quantitas, aliiſque rationibus facilè cuilibet obviis nec ſit actio, nec paſſio, nec ullum aliud ex poſterioribus prædicamentis, relinquitur quod ſit qualitas ſeu ſub prædicamento & genere qualitatis; Hicque illicò circa rem parui momenti magnum diſſidium in aſſignando ſub quanam ſpecie qualitatis ſit ex quatuor illis, quas Dialectici cum Ariſtotele ſolent in prædicamento qualitatis enumerare ac diſtinguere; & prima eſt Habitus & diſpoſitio; Secunda Potentia & impotentia; Tertia Paſſio & paſſibilis qualitas; Quarta Forma & figura. Diſſidij occaſio partim logica eſt, & fere de nomine; proveniens ex diverſo modo explicandi, quid veniat ſub nomine ſingularum quatuor ſpecierum qualitatis; partim theologica & magis de re; verſaturque in determinando quænam prædicata characteri conveniant? in primis verò, utrum ei conveniat aliqua ratio potentiæ; activæ vel paſſivæ, phyſicæ vel moralis.

Eſt ſub prædicamento & genere qualitatis.

Tribuunt potentiam phyſicam, paſſivam quidem characteri baptiſmi, activam characteri Confirmationis & Ordinis, Thomiſtæ communiter, quibus adhærent aliqui Recentiores, & favet Scotus *præcit. §. Ad quæſtionem*, quatenus de charactere ait, quòd ſi ponatur accidens abſolutum poteſt poni in ſecunda ſpecie qualitatis vel etiam in prima. Denegant verò ſacramentali characteri omnem potentiam phyſicam ſive activam, ſive paſſivam; & ſolùm moralem (hancque aliqui cum majori, aliqui cum minori latitudine) concedunt Marſilius, Richardus, Bonaventura, Alenſis, Altiſſiodorenſis, & tum alij multi antiqui Scholaſtici, tum major pars Recentiorum, inter quos pro hac negativa ſententia plurimus eſt Suarez *hic diſp. 11 ſec. 3.* ſicut & inter Thomiſtas plurimus eſt pro ſententia oppoſita affirmativa Joannes à S. Thoma *diſp. 25 art 2. dub 2. & 3.* Conſulat utrumque qui callere velit, quid pro utraque ſententia, quid contra utramque dici poſſit, dum ego me expedio breviter; & in difficultate, in qua nec à ratione, nec ab auctoritate, peti poteſt judicium certum aut certo proximum, argumento negativo ducor in partem negantem, & ex eo quòd phyſica activitas characteris in gratiam, in auxilia, in actus ad ſacramenta pertinentes, aliaque hujuſmodi, ſpectet ad voluntatem Dei omninò liberam, communemque providentiam valdè excedat, nec aliundè appareat ulla ſufficiens neceſſitas, ob quam induci debeat, ſto communi legi non multiplicandi entia & privilegia ſine neceſſitate, & infero negandam eſſe characteri omnem phyſicam activitatem ſeu activam potentiam; & conſequenter etiam paſſivam, quam Adverſarij ipſi difficiliùs explicant; & nos explicaremus difficillimè, poſtquam characteri negavimus prærogativam phyſicæ diſpoſitionis ad gratiam: Quoad potentiam activam & paſſivam moralem aliquam facilè characteri concedam, tum ut Thomiſtis aliquid deferam, nec videar ab ipſis nimis alienus, tum quia hujuſmodi potentia opportuna eſt & ſufficiens ad ſalvandas aliquas auctoritates, quarum meminit Lugus *diſp 6. ſec. 5. num. 42.* tum quia denique character eo ipſo, quod ſubjectum ornat ac perficit reddit aliquo modo ipſum magis aptum, ac meliùs diſpoſitum ad recipiendos influxus ac effectus ſupernaturales, aut etiam alia ſacramenta, ſi ſermo ſit de charactere baptiſmi; veriſimile eſt etiam, ac facile, Deum viſo charactere ſaltem in juſto moveri ad danda ſpecialia auxilia, Angeloſque excitari ad habendam ſpecialem curam eorum, quos eodem inſignitos agnoſcunt, hujuſmodi autem motio & excitatio eſt aliqua moralis activitas characteris.

24\. Non dicit ullam potentiam paſſivam aut activam phyſicam.

Benè verò moralem.

25\. His breviter poſitis de potentia activa & paſſiva, aliud prædicatum reſpectu characteris ſecundo loco examinandum eſſe poſſet ſignum, ſeu ſigillum; Hoc quippè licet communiter ſacramentali characteri tribuatur, controvertitur utrùm naturaliter, an ad placitum? ex natura rei an ex inſtitutione divina ſignificet? Verùm hæc controverſia pertineret quidem ad determinandam ſpeciem, in qua character exiſtat, ſi iſte eſſet ſub genere relationis; at, dum à nobis ponitur ſub genere qualitatis, & in qua qualitatis ſpecie ſit inquiritur, parùm refert, quod ratio ſigni in charactere naturalis ſit an ad placitum? quod eſt idem ac dicere importet eſſentialem an accidentalem reſpectum ad rem ſignificatam? Ideò hujuſmodi controverſia, ſicut & aliqua alia ad cætera characteris prædicta pertinens, non eſt cur hic intermiſceatur, tanquam neceſſaria ad determinandam ſpeciem in qua character collocetur; omiſſis igitur, & ad ſequentia tranſmiſſis reliquis, ſit

26\. Aſſert. 3. Sacramentalis character eſt in genere qualitatis & pertinet ad primam ſpeciem meliùs, quàm ad ullam aliam; poteſt tamen ferè æquè benè pertinere ad tertiam; minùs propriè ad ſecundam, impropriiſſimè ad quartam; Meliùs ſcilicet dicitur Habitus; ferè æquè benè Paſſibilis qualitas; minùs propriè Potentia; impropriiſſimè Figura. In hoc peculiari judicio quod de charactere ad ſingulas quatuor qualitatis ſpecies comparato proferimus, quoſnam habeamus pro, quoſnam contrà ſentientes, ad quos & à quibus magis minuſvè accedamus & recedamus, vix poſſum aliter referre & innuere; quàm brevi enumeratione recenſendo pro qualibet qualitatis ſpecie ſuos Auctores ei præcipuè aut unicè ſacramentalem characterem adſcribentes. Adſcribunt autem primæ ſpeciei Suarez *præcit. ſec. 3. §. Vltimò ergo.* Vaſquez *diſput. 136.* Amicus *diſp. 7. num 41.* aliique Recentiores non pauci, & ex Scotiſtis Aretinus *in 4. diſtinct. 6. quæſt. 10. art. 6.* Maſtrius *diſput. 1. quæſtio. 5. art. 2.* Hiquæus *in comment.* Scoti *præcit. quæſt. 10.* ubi eidem primæ ſpeciei favet ſub disjunctione, ut jam retulimus, ipſe ſubtilis Doctor. Adſcribunt ſecundæ ſpeciei Cajetanus *hic quæſt. 63. art. 2.* Joannes à S. Thoma *præcit dub 2.* Gonetus *diſp. 4. art. 2. num. 37.* Favet ſubdisjunctione Scotus jam relatus, & aliqualiter etiam Maſtrius *præcit. art. 2. n. 206.*

Sub genere qualitatis pertinet maximè ad primam ſpeciem, & quo ordine ad tres alias.

Quatuor pro characterе auctorum claſſes juxta quatuor qualitatis ſpecies.

Adſcribunt tertiæ ſpeciei Ocham & Bonaventura *in 4. diſt. ſexta*, Lugus *diſput. ſexta, ſec. tertia, numer 48.* Hernex *diſput. quarta, quæſtio ſexta, numero ſeptuageſimoquarto* Arriaga *diſputatio. decimaſeptima, ſec ſexta numero trigeſimoſexto*, Adſcribunt quartæ Marſilius *in 4. quæſtio. quarta, articul. primo*, Richardus. *diſtinct. 5. articul. 2. quæſtio prima*, Salas in 1 2. *tractat. 2. diſput. 8. ſec 3.* Averſa, & aliqui alij.

27. Probatur jam & explicatur aſſertum, quod quidem quatenùs præciſe ſiſtit in genere qualitatis, & affirmat in eo eſſe characterem, evincitur ſufficienter ex aſſertis præcedentibus juxta deductionem factam *numero vigeſimotertio*, quatenùs verò deſcendit ad qualitatis ſpecies, & in primis quatenùs quartam ſpeciem ſeu figuram à charactere maximè removet ſuadetur ex eo, quia figura non niſi per metaphoram transferri poteſt ad qualitatem ſpiritualem, qualis eſt character, & propriè dicitur de ſolis qualitatibus corporeis; cum enim ſit nomen translatum à quantitate ad qualitatem, debet in qualitate retinere rationem aliquam in quantitate repertam, quæ non poteſt eſſe alia meliùs, quàm ratio corporei. Deinde conceptus genericus figuræ eſt, quod terminet, unde dicitur terminus quantitatis, non apparet autem quamnam terminationem præſtet character animæ, cui imprimitur: Nec refert, quòd per ſacramentalem characterem dicamur configurari Chriſto, eſt enim locutio metaphorica, qua nihil aliud propriè exprimitur, quam nos deſignari peculiariter relatos ad Chriſtum, & ad ipſum appropinquantes tanquam famulos, tanquam milites, tanquam immediatos ſublimeſque Miniſtros, ac quaſi ſpirituales œconomos.

28. Quatenùs deindè characteri non niſi cum modica proprietate; & minore, quàm ad primam & tertiam, tribuit reductionem ad ſecundam ſpeciem ſeu ad potentiam, inſertur ex eo quod dictum eſt characteri convenire ſolùm rationem potentiæ moralis, & tamen quatuor ſpecies quæ ſub qualitate aſſignantur, ſicut aſſignantur ſub genere phyſico, ita debent eſſe phyſicæ adeòque potentia, quæ ſecundam ſpeciem conſtituit eſt propriè loquendo ſola potentia phyſica, & non niſi cum modica proprietate ſub tali ſpecie ponitur aliquid morale; ſicut etiam character ſumitur ſecundùm illud, quòd in ipſo minùs proprium ac minùs principale eſt, dum ſumitur ſecundùm moralitatem; quamvis hoc modo meo videri ſumpſerit Divus Thomas, dum in præſenti *quæſtio. ſexageſimatertia, articul. ſecundo*, eum collocat in ſecunda qualitatis ſpecie, undè etiam loquitur reductivè ſeu indirectè: Potrò de charactere in eſſe phyſico, aut non examinavit S. Doctor ad quam ſpeciem pertineret, aut exiſtimando ad nullam directè pertinere, contentus fuit pertinentia indirecta in eſſe morali; hocque videtur aliqualiter colligi ex ipſis Thomiſtis faventibus poſſe aliquid directè eſſe in aliquo genere, & ſolùm indirectè pertinere ad aliquam

Explicatio aliqua Divi Thomæ ponentis characterem in ſecunda qualitatis ſpecie.

quam ſpeciem talis generis, ut iſtè tradit inter alios Joannes à S. Thoma *præcitat dub. 3. in reſp ad argumen.* Hincque obiter habetur aliqua explicatio S. Doctoris in eo, in quo poteſt contra nos afferri

Quatenùs tandem characterem, quaſi ex æquo collocat ſub prima, & ſub tertia ſpecie, cum aliqua tamen prælatione & præponderantia primæ ſpeciei, probatur quia Habitus, prout characteri convenit pertinet ad benè eſſe, non ad operari, & ſub hac ratione vix differt à paſſibili qualitate, cujus nomine multi intelligunt eam omnem, quæ datur præcisè ad perficiendum, deſignandum, ornandum ſubjectum; ex quo capite Lugus *præcit. n. 48.* recitè notat inconſequentiæ Suarium, dum in præſenti characterem eò quod perficiat animam ſine ordine ad operationes ponit ſub ſpecie habitus; in metaphyſica verò *diſp. 42. ſec. 4. num. 53.* gratiam, eò quòd non ſit per ſe primò operativa, ponit in ſpecie paſſibilis qualitatis, & *ead. diſp ſec 5 num. 1. & 12.* advertit ponendas eſſe ſub tali tertia ſpecie, ſub paſſibili ſcilicet qualitate, eas qualitates ſpirituales, quas Deus ponit in ſpirituali ſubſtantia ad ipſam perficiendam. Ecce igitur habitus, prout datur ad formaliter perficiendum, non ad agendum, ad eſſe non ad operari, ferè coincidit, & plurimùm convenit, cum paſſibili qualitate, vix igitur poteſt character conſtitui ſub prima qualitatis ſpecie tanquam habitus, quin ferè æquè benè ponatur ſub tertia tanquam paſſibilis qualitas modo explicato: Nihilominùs, quia ex una parte explicatum qualitatis paſſibilis modum non omnes recipiunt, multique cenſent ſub tertia non minùs, quam ſub quarta ſpecie contineri dumtaxat qualitates corporeas atque ſenſibiles, & ex alia parte habitui meliùs, quàm paſſibili qualitati convenit quod ſit difficilè mobilis; item quod admittat aliquam activitatem; ſicuti eſt difficile mobilis, imò immobilis, utpotè indelebilis, character, qui etiam admittit aliquam activitatem & potentiam activam, licet tantùm moralem ex jam dictis; quia, inquam, hæc omnia ita ſe habent, probatum manet characterem ſimpliciter & abſolutè meliùs pertinere ad primam ſpeciem qualitatis, quàm ad ullam aliam, etiam quàm ad tertiam.

Aſſert. 4. Sacramentalis character eſt qualitas primæ ſpeciei animam in ordine ad ſe perficiens, indelebiliter inhærens, & ad placitum ſignificans; Hæc definitio partim continetur in doctrina præcedentis aſſerti, partim conſtabit ex ſequentibus, in quibus ſtabilientur reliqua ad characterem pertinentia, præcipuè verò ſubjectum immediatum, indelebilitas, & ſignificatio; & ex his etiam magis eluceſcet, quòd jure characterem ſub prima qualitatis ſpecie poſuerimus, ideò non eſt cur in præſenti quidquam addamus pro majori hujus, aut præcedentis, aſſerti comprobatione.

29.

30.

Sacramentalis characteris definitio.

§. III.

§. III.

Quodnam ſit tum remotum, tum proximum ſubjectum Sacramentalis Characteris.

31. Quænam Perſonæ ſint capaces characterum ſacramentaliū. ASSERT. 1. Subjectum remotum characteris, perſona ſcilicet ipſius capax, eſt quiſquis habet capacitatem recipiendi validè ſacramentum characterem imprimens. Aſſertum recipitur, imò ſupponitur, communiſſimè, & facillimè

Probatur. Character eſt proprius Sacramenti characterizantis ſeu characterem imprimentis effectus, & ad hoc ut à ſacramento imprimatur, nihil aliud requirit, quàm quòd ſacramentum ipſum validè ſuſcipiatur, ergo eſt capax habendi characterem quiſquis eſt capax recipiendi validè &c. & quo modo hanc poſteriorem capacitatem habet; vel proximam, vel ſolùm remotam, vel de potentia ordinaria, vel ſolùm de abſoluta; eodem modo habet & priorem; undè ſi repetantur quæ *præcedent. capite tertio*, de ſubjecto ſacramentorum capaci dicebamus, nihil hic ſupererit pro ſubjectis remotis & perſonis ſacramentalium characterum capacibus deſiderandum; niſi fortè placeat aliquid obiter attingere de Chriſto Domino, cui fuiſſe ab inſtanti conceptionis impreſſos omnes ſacramentales characteres affirmat Mayron *in 4. diſtinctio. 7. quæſtio. 5. articul.* 13. idemque, de ſolo tamen charactere ordinis, aſſerunt nonnulli apud D. Thomam *in 4. diſtinctio. 4. quæſtio. 1. articul. 3. quæſtiunc. 5.* at ipſe

32. Chriſtus Dominus nullum habuit characterem ſacramentalē. ait, *melius eſt ſi dicatur quod Chriſtus nullum characterem habuit*, idemque repetit *hic quæſtio. 63. articul. 5. in c.* dicens *Chriſto non competit habere characterem* & rationem aſſignat utrobique eandem, quia ſcilicet ipſe habuit ſpiritualis ſacerdotij plenitudinem, & plenariam in ſacramentis poteſtatem, tanquam ea inſtituens; character autem non eſt niſi quædam talis poteſtatis participatio, aut potiùs participationis ſignificatio, & in nobis eſt perfectio ex ſuppoſitione imperfectionis, at in Chriſto eſſet imperfectio, quia argueret eum habere poteſtatem ſpiritualem participatam, coarctatam, diminutam; non primariam, non plenariam, non univerſalem: Aliquas alias ſacramentalium characterum imperfectiones Chriſto repugnantes attingunt in præſenti Suarez *diſputatio. 11. ſec. 4.* in principio, & Amicus *diſputatio. ſeptima, numero octuageſimoſecundo*, adduntque ad eum obſignandum pro eminentiſſimo charactere inſervijſſe divinitatem & Verbum increatum; quod totum eximiè approbo, & optimè dictum cenſeo.

33. B. Virgo habuit illum baptiſmi, & Confirmationis. Dubitant hic etiam aliqui de beatiſſima Chriſti Domini Matre; Verùm fatent quidem ipſam non habuiſſe characterem ordinis, & fuiſſe hujus ſicut & ſacramenti ordinis incapacem ratione ſexus: Cæterùm baptiſmi, & Confirmationis, non eſt cur aut characteres non habuerit, aut ſacramenta non ſuſceperit; imò cum B. Virgo comparaverit gratiæ augmentum per propria merita, congruum fit quod comparaverit illud quoque per ſacramenta, ſingillatim per Baptiſmum & Confirmationem; maximè verò per baptiſmum, ſine quo ſuſcepto nullum potuiſſet ſacramentum ſuſcipere; & tamen Amicus *præcitat. diſput. 7. numero* 83. refert aliquos teſtari Beatam Virginem ſumpſiſſe quotidiè Euchariſtiam. Verùm hæc utpotè nec admodùm hujus loci propria ulteriore non indigent diſcuſſione; majorem aliquam controverſiam admittit, diſcuſſionemque requirit, ſecunda tituli pars de ſubjecto immediato, proximo, & inhæſionis, quod conſequenter ad diverſum modum explicandi propriam characteris rationem & eſſentiam, diverſimodè aſſignatur, & à nobis quidem aſſignandum eſt, quale exigitur à qualitate ſpirituali primæ ſpeciei: Nihilominùs quaſi ſcholaſticæ eruditionis gratia profero breviter quid quiſque de tali ſubjecto ſentiat juxta propria de charactere principia. Undè

Adverto, ut advertit etiam Arriaga *diſputatio. 17. ſec. 6. numero* 38. vix aliquid in homine eſſe, quod non inveniatur ab aliquo aſſignari pro immediato & proximo ſubjecto characteris; ſunt qui corpus, ſunt qui animam; & hujus ſunt qui eſſentiam, ſunt qui intellectum, ſunt qui voluntatem, ſunt qui utramque potentiam aſſignent; vel ſaltem (quod addiderim propter non diſtinguentes potentias, nec ab invicem, nec ab eſſentia animæ) ſunt qui animam aſſignent ſub formali ratione eſſentiæ, ſunt qui ſub formali ratione intellectus &c. 34.

Aſſignant pro characteris ſubjecto corpus illi, qui characterem à ſacramento ipſo, quod in corpore ſuſcipitur non diſtinguunt; at hujuſmodi ſententia ſicut ſolam characteris vocem, non rem admittit, ita ſolùm ab hæreticis tradi poteſt, ut obſervat Suarez *præcitat. ſec. 4. 5. Omiſſo ergo*, quamvis ipſe poſtea illativè talem ſententiam tribuat Durando & alijs docentibus characterem eſſe puram denominationem extrinſecam, relationemque rationis fundatam in ſuſceptione ſacramenti; putat enim denominationem extrinſecam, relationemque rationis debere ſuo modo immediatè ſubjectari in eo, in quo fundatur, ſeu ad quod conſequitur; ſuſceptio autem ſacramenti fit, ſeu recipitur, in corpore; in hoc igitur etiam ſubjectatur denominatio ſeu relatio ſuſceptionem conſequens: Verùm Lugus *diſputatio. 6. ſec. 4. numero* 52. & Arriaga 35. Malè tribuitur Durando quod aſſignaverit corpus pro ſubjecto characteris. *præcitat. numero* 38. non approbant Suarij illationem; certè autem ea non eſt ad mentem Durandi, utpotè qui *in 4. diſt. 4. quæſt. 1.* poſtquàm *num.* 11. characterem collocavit in relatione rationis, *numero* 13. ait Non eſſe quærendum, in quo ſit character, tanquam in ſubjecto. Hincque deducitur obiter non eſſe paterer ex Durandi mente illud quod Sotus *in 4. diſtinctio. 1. quæſtio. 4. articul. 4.* ei tribuit

de

Digitized by Google

de charactere Ordinis, quod ſcilicet hunc poſuerit in membris corporis, quibus Sacerdos ſacramenta conficit, præcipuè in lingua qua formam profert; facit quidem Durandus mox citat. quæſtio.1. numero 9. mentionem talis modi dicendi, ſed improbando & tanquam falſum abſurdumque deducendo ex opinione docentium ſacramentalem characterem eſſe inſtrumentariam virtutem, qua ſacramentorum Miniſtri operantur; Neque in hoc de Durandi mente hæſitabit qui Durandum ipſum in fonte utcumque conſuluerit. Omninò igitur omiſſa tanquam, aut à nullius, aut ſolùm à damnatæ notæ Auctoribus, tradita opinione aſſignante corpus, corporiſvè membra, pro characteris ſubjecto proximo; ex aſſignantibus animam, ejuſvè potentias.

36. Quomodò diverſi diverſimodè aſſignent pro ſubjecto characteris animam.

Docent ſacramentalem characterem immediatè recipi in intellectu, ſeu in anima ſub ratione potentiæ intellectivæ, Paludanus *in 4. diſtinct.4. quæſtio.2. art* 2. Richardus *diſtinctio.5. articul.2. quæſtio.*1. Caietanus *hic quæſtio.63.art.4.* Sylvius *eod.art.* Joannes à S.Thoma *diſput.25. artic.4. dub. unic.* Gonetus *diſput.4.art.3.paragrapho* 1. & reliqui Thomiſtæ communiter.

Docent immediatè recipi in voluntate, ſeu in anima ſub ratione potentiæ volitivæ, Scotus *in 4.diſt.6. quæſt.*11. §. *Dico ergo.* Mayron *diſt* 7. *quæſt.*5. *art.*12. Maſtrius *hic diſp.*1. *quæſtio.5.art.*4. Herincx *diſp.*4. *quæſt.*6. *numer.*75. & communiter Scotiſtæ.

Docent immediatè recipi in intellectu ſimul & voluntate, ſeu in anima ſub ratione utriuſque potentiæ, Bonaventura *in 4.diſt.6. art.1. quæſt.*5. Alenſis 4. *par. quæſt.*19. *memb.*3. & aliqui alij.

37. Docent immediatè recipi in animæ eſſentia, *Aureolus in 4. diſt.4. art.4.* Marſilius *quæſtio.4.art.*1 Gabriel *diſt.6.quæſt.1. art.3. dub.*2. Suarez *hic diſp* 11 *ſec.*4. Arriaga *diſp.*17 *ſec.*6. *num.*39. Bellarminus *lib. 2. de Sacram. capite* 19. *propoſ.* 4. Maderus *quæſtio. 4. articulo* 4. & tum Nominales, tum Recentiores communiter.

Verè characteris ſubjectum eſt anima ſub ratione eſſentiæ, ſeu animæ eſſentia.

Aſſert. 2. Subjectum proximum & immediatum ſacramentalis characteris eſt eſſentia, ſeu ſubſtantia animæ, ſivè ab iſta & inter ſe diſtinguantur intellectus & voluntas, ſive non. Ita Auctores mox relati ſub *n.*37. contrà alios eoſque non paucioces poſitos ſub *n.*36.

Probatur: Animæ nomen abſolutè prolatum ſupponit pro animæ eſſentia & ſubſtantia potius, quàm pro ulla ejus potentia aut potentijs, atqui Concilia Florentinum & Tridentinum verbis ſuprà relatis *n.* 5. abſolutè tradunt characterem eſſe impreſſum (quod eſt idem ac dicere, eſſe immediatè receptum ac ſubjectatum) in anima; ergo debent intelligi de animæ eſſentia, ac per conſequens ſubjectum proximum & immediatum, &c. & licet non multa prædictis Concilijs violentia inferatur, ea intelligendo de impreſſione ſeu receptione characteris in animæ ſubſtantia medijs potentijs; nihilominus nemo negaverit eſſe intelligentiam magis propriam & magis connaturalem, ſi intelligantur de impreſſione & receptione omninò immediata; ita igitur debent intelligi cum præcipuè ad illam aliam intelligentiam non adeò propriã Adverſarij ducantur imbecillibus rationibus, & falſis ſuppoſitis; Thomiſtæ enim ducuntur potiſſimum ex eo, quod putent characterem dari ad operandum, & eſſe virtutem activam: Scotiſtæ ex eo, quod putent characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & hanc utpotè à charitate indiſtinctam recipi immediatè in voluntate; hæc autem omnia falſa ſunt in noſtris principijs, ex quibus proptereà ſic in oppoſitum arguimus, & aſſertum noſtrum efficaci ratione probamus: Character eſt habitus non operativus, ſicut eſt habitus gratiæ *ex præcedent num.*24. atqui habitus gratiæ ex eo quod ſit non operativus immediatè recipitur in eſſentia animæ, ut ſuppono ex tract. de Gratia; ergo etiam character debet immediatè recipi in eſſentia animæ: Nec refert quod characteri conceſſerimus aliquam activitatem, virtutemvè operativam moralem: Non refert, inquam, quia ſicuti talis activitas non ſufficit ad hoc ut character ſit in ſe potentia, ſeu ſub ſpecie potentiæ, ita nec ut debeat in potentia recipi: Deindè ſimilis, aut etiam major, moralis activitas convenit pariter habitui gratiæ, ad gratiam quippè habitualem moraliter conſequuntur virtutum habitus, auxilia actualia, aliaque hujuſmodi bona & dona ſupernaturalia. Confirmatur: Character ſacramentalis per nos datur præcipuè, ut ſignum ſeu ſigillum deſignans, obſignans, & diſtinguens homines in certis gradibus conſtitutos, & ad certa munera deputatos; ergo debet immediatè recipi in ea hominis parte, quæ notior eſt & ad notificandum aptior; item ſuprà quam meliùs cadunt denominationes graduum & munerum de quibus agitur; atqui ſubſtantia animæ ſecundùm ſe eſt notior & prior ullâ ſuâ potentiâ, ſuprà ipſam item meliùs, quàm ſuprà ullam ejus potentiam, cadunt denominationes famulatus, militiæ, & prælationis; quæ ſunt gradus & munera per characteres denotata; ergo debent characteres in animæ ſubſtantia ſeu eſſentia, non in potentia ulla immediatè recipi.

38.

39.

Dices tamen primò pro intellectu cum Thomiſtis: Character eſt ſpirituale ſignum, ut nos fatemur, eſt item ſpirituale lumen, ſpiritualis imago & figura, ut colligitur ex modo loquendi plurium Sanctorum Patrum, inter quos Dionyſius *cap.2. de Eccleſ. Hierar.* expreſſè ait characterem eſſe *lumen divinum illuminans nos, & configurans Chriſto*; atqui hæc omnia immediatè pertinent ad intellectum, nam ſpirituale ſignum datur ad excitandam cognitionem ſpiritualem, & huic eidem ſpirituale lumen inſervit: Ad intellectum etiam pertinent imago & figura, quia potiſſimum imaginis & figuræ prædicatum eſt ſimilitudo, & proprium intellectus eſt aſſimilare ſeu operari viâ ſimilitudinis, hincque in divinis ſecunda Perſona ex eo, quod

per

Digitized by Google

40. Character in quo ſenſu dicatur, lumen, imago, figura.

per intellectum à Patre procedat, dicitur imago Patris & figura ſubſtantiæ ejus. Sed contrà: Character eſt ſignum at inſtrumentale, non formale; & cognitum, non incognitum, cognitionem excitat: eſt lumen at objectivum, non intentionale; ſe tenens ex parte objecti, non ex parte potentiæ; eſt pariter inſtrumentalis & objectiva, non formalis aut intentionalis imago & figura; ideò abſtrahendu etiam ab eo, quod prædicta prædicata non ſine aliqua improprietate, & allegoriâ, characteri tribuantur, dico ex ipſis nullatenus inferri, quòd ſubjectivè, ſed tantùm quod objective ad intellectum character pertineat, ut magis explicat Lugus *ſec. citat. num.* 60 *&* 61.

Dices ſecundò pro voluntate cum Scotiſtis: Character eſt ſignum obligationis noſtræ ad Deum in ratione famulatus militiæ, & miniſterij, ad quæ per characterem ipſum obſignamur; atqui obligatio immediate pertinet ad voluntatem, nam per hujus actum præcisè quis ſe obligat, ergo ſimiliter immediatè pertinet ad voluntatem, hancque habet pro ſubjecto proximo, character; rationabile quippe eſt ut obligationis ſignum ibi ſit, ubi eſt obligatio. Sed contrà: Per nos character eſt ſignum deputationis & gradus potiùs, quàm obligationis, & cum obligatio (ut Scotus arguit) habeatur præcise per actum voluntatis, quomodonam ſunt capaces obligationis parvuli antè uſum rationis? qui tamen ſunt capaces characteris, adeóque ſignificationis per characterem importatæ: Detur nihilominùs characterem eſſe ſignum obligationis: gratis ſupponitur debere recipi in eodem ſubjecto: in quo recipitur obligatio; imò oppoſitum ſuadetur ex ſigno, quod ſervis & militibus in humana republica imprimitur, item ex eo quod maximè congruit ſigno recipi in eo quod notius eſt, ſivè huic eidem inſit res ſignificata, ſive non: Deindè detur etiam characterem debere recipi in eodem ſubjecto; gratis, imò falsò dicitur ſubjectum obligationis eſſe voluntatem, eſt quidem neceſſarius aliquis volũtatis actus ut obligatio contrahatur; at obligatio in anima recipitur; hæc quippè eſt, quæ obligata denominatur, quæque tenetur & poteſt obligationi ſatisfacere ratione dominij, quod habet in actus ſub obligatione cadẽtes, cujuſcũque potentiæ ſint.

41. Character non eſt propriè ſignum obligationis; nec quatenùs tale ſit, debet recipi in voluntate.

Dices tertiò pro utraque potentia cum Bonaventura & Alenſi: Character eſt configuratio hominis ad Deum, configuratur autem homo Deo per intellectum quatenùs memoriam complectitur, & per voluntatem; nam per memoriam, intellectum, & voluntatem gerimus imaginem figuramque Trinitatis. Confirmatur: character datur præcipuè ad fidei profeſſionem & Dei cultum; ergo in eo debet tanquam in ſubjecto próximo poni, in quo ponuntur habitus fidei, à quo fidei profeſſio, & habitus religionis à quo Dei cultus; atqui habitus fidei ponitur in intellectu habitus religionis in voluntate, quin & ipſe habitus fidei, ſi adæquatè ſumatur prout includit habitum inclinantem ad pium credendi affectum, partim, in intellectu eſt, partim in voluntate; ergo debet pariter eſſe partim in intellectu, partim in voluntate, ſeu in intellectu ſimul & voluntate character. Sed contrà: Sacramentalis character, ut tradit & explicat D. Thomas *hic quaſt.* 63 *art.* 3. dicendus eſt character Chriſti potiùs, quàm Dei; & Chriſto ejuſque Sacerdotio nos configurat potiùs, quàm Deo; à Chriſto quippe eſt ſpecialiter, participativè, & exemplariter, à Deo ſolùm effectivè; & prætereà, quatenùs ut procedens effective à Deo poteſt dici character Dei, eſt character Dei ut unius non ut Trini, opera quippè Dei ad extra ſunt veſtigia, & quaſi figuræ divinæ eſſentiæ, non Trinitatis, nulla igitur eſt proportio inter configurationem trium potentiarum animæ cum Trinitate, & configurationem characteris cum Deo, & omni ex parte nutat inſtantia, quatenùs à configuratione deſumitur. Ad confirmationem jam patet ex dictis characterem dari præcipuè ad ornandum, obſignandum, & diſtinguendum; non ad fidei profeſſionem; Dei cultum, aliamve ullam operationem; & prætereà, quatenùs ad aliquam operationem datur, ſe habet ut potentia moralis, & conferens morale jus ad ſpecialia pro tali operatione auxilia; quod non ſufficit ad inferendum characterem debere in animæ potentijs recipi ut jam attigimus *n.* 38.

42. Quomodò ſit configuratio in Deo ac character Dei & utrum magis propè Chriſti.

Hac tamen ratione ductus fateor obiter, quod ſi character non eſſet immediatè ponendus in animæ eſſentia, loquendo de potentijs animæ intellectiva & volitiva; illum potius collocarem in utraque, quàm in alterutra: Nec me ab hac ſententia removeret difficultas collocandi idem numero accidens in duplici ſubjecto; nam tota hujus difficultatis vis dependet ex eo, quod accidens individuetur, unitatemque numericam ſumat à ſubjecto, quod mihi falſum eſt; & quando verum eſſe permitteretur, deberet accidens individuari à ſubjecto ultimato & ſubſtantiali, potiùs quàm ab immediato & accidentali character autem immediatè receptus in duplici potentia haberet quidem ſubjectum immediatum & accidentale duplex, at ultimatum & ſubſtantiale unicum, eandem ſcilicet animæ ſubſtantiam, in qua ipſa duplex potentia ſubjectaretur.

43. Si character non poneretur in animæ eſſentia, eſſet ponendus in utraque animæ potentia.

§. IV.

De indelebilitate, ſeu perpetuitate; æqualitate ſignificativitate & ſignificatione ſacramentalis characteris.

ASSERT. 1. Character ſacramentalis eſt indelebilis, adeò ut ſemel impreſſus permaneat de potentia ordinaria in anima pro quocumque ſtatu, hocque ei competat ex natura rei. Aſſertum quatenùs affirmat characteris indelebilitatem ſaltem pro ſtatu vitæ præſentis cenſetur de fide quoad reliqua non item; eſt tamen totum receptiſſimum, & ad

mentem Divi Thomæ *hic quæſtio. 63. articul.5* & Scoti *in 4. diſtinct.6. quæſtio.9.* circà finem.

Character ſacramentalis nec deletur in præſenti vita nec in futura.

Probatur & explicatur, & quidem cum Concilia Florentinum ac Tridentinum locis ſæpè memoratis expreſsè tribuant charactéri rationem ſigni indelebilis, conſequens eſt, quod ſaltem pro ſtatu vitæ præſentis characteris indelebilitas habeatur ut fidei veritas; quia deindè ex una parte eadem Concilia poſſunt indefinitè, ac ſine limitatione ad vitam præſentem intelligi, & ex alia parte ſuppoſito quòd character uſque ad mortem duret, nulla eſt ratio, cur in morte pereat ſtante ejus ſpiritualitate & independentia à corpore, fit valdè certum nec multum à fide diſtans, quod etiam poſt mortem perſeveret pro quocumque animæ ſtatu: Hincque duo dumtaxat in aſſerto remanent aliqualiter probanda, nimirum ly *de potentia ordinaria* & ly *ex natura rei.*

45. Poteſt tamen deleri à Deo de potentia abſoluta.

Primum habet rationem aliquam dubitandi ex ipſomet S. Doctore quatenus *præcitato articulo quinto*, tradit rem ſemel Deo conſecratam, tamdiù manere conſecratam, quamdiù manet res ipſa integra, ut patet in Eccleſijs, vel Altaribus, in quibus conſecratio manet, niſi deſtruantur; conſecratio igitur, quam habet anima per characterem, ac per conſequens character ipſe, nec de potentia abſoluta videtur poſſe auferri & deſtrui anima remanente, ac per conſequens quòd character ſemel impreſſus permaneat in anima pro quocumque ſtatu, non eſt ad potentiam ordinariam limitandum: Nihilominùs conſecratio alia eſt per formam intrinſecam inhærentem, ſic conſecratur anima per characterem: alia eſt per denominationem extrinſecam ab actione ſeu cæremonia præterità, ſic remanent conſecratæ res inanimes, Eccleſiæ, Altaria, Calices: Prior conſecratio eſt de potentia abſoluta auferibilis re manente integra, etiam quando non eſſet ſic auferibilis conſecratio poſterior; prior enim pendet ex actuali exiſtentia formæ inhærentis, quidquid autem actu exiſtit poteſt à Deo auferri & fieri non exiſtens; poſterior pendet ex actione præterita, ad quam auferendam non datur potentia, nec poteſt à Deo fieri non præteritum quod præteritum eſt; Hinc igitur ad ſummum probaretur characterem nec de potentia abſoluta eſſe delebilem, quoties in ſola denominatione extrinſeca ex ſacramento ſuſcepto relicta collocaretur:

46. Verùm neque hoc probatur; quia denominationes extrinſecæ, aliæ ſunt phyſicæ, ut eſt verbi gratia denominatio domus antiquæ; aliæ morales dependentes ab aliquo actu libero & morali, ut eſt denominatio Eccleſiæ conſecratæ; De prioribus denominationibus extrinſecis tranſeat, quod nec de potentia abſoluta auferri poſſint, ſecùs de poſterioribus, in quibus licèt nequeat auferri præterita, à quâ pendent, actio ſecundum eſſe phyſicum, benè auferri poteſt ſecundùm eſſe morale perſeverans, apponendo moralitatem contrariam, ſic aufertur ab Eccleſijs conſecratio abſque eo, quod deſtruantur, per divinam execrationem, per deputationem ad uſus profanos, & ſimilia; ſic obligatio voti, ſic macula peccati, quæ præcipuè aut unicè conſiſtunt in denominatione extrinſeca à voto emiſſo & peccato commiſſo, remanentibus ſubjectis auferuntur per diſpenſationem, retractationem, condonationem.

47. Cum hoc ſtat quòd ſit indelebilis, & perpetuus ex natura rei.

Secundum habet rationem dubitandi ex hoc ipſo, quod mox dictum eſt characterem eſſe delebilem de potentia abſoluta: enim verò quod convenit alicui ex natura rei, convenit eſſentialiter, & nec de potentia abſoluta poteſt non convenire; character igitur ſemel impreſſus vel non eſt indelebilis, & pro quocumque animæ ſtatu permanens ex natura rei, vel eſt talis etiam de potentia abſoluta: Nihilominùs hæc ratio dubitaodi facilè eluditur, quia eſſe tale ex natura rei importat eſſe tale connaturaliter, non ſemper eſſentialiter; pro quo ſufficit recolere quæ ſuo loco dicebamus de Angelorum indeſtruibilitate, incorruptibilitate, perpetuitate ex natura rei, & relatè ad potentiam ordinariam, non eſſentialiter & relatè ad potentiam abſolutam; neque enim aliter in præſenti ſuſtineo indelebilem & perpetuum characterem, quàm ibi ſuſtinuerim indeſtruibilem & perpetuum Angelum; quin & utrumque ſuadetur argumento non admodùm diverſo, quod nunc pro charactere ſic formo.

48. Illi accidenti competit ex natura rei perpetuitas, quod nec poteſt ex natura rei deſtrui per deſitionem ſubjecti ſuſtentantis, nec per introductionem contrarij advenientis, nec per ſubtractionem concurſus effectivi conſervantis; atqui nullo ex his modis poteſt ex natura rei deſtrui ſacramentalis character; Non primo modo, quia habet ſubjectum ex natura rei immortale, perpetuum, nunquam deſiturum: Non ſecundo modo, quia nullum habet contrarium nec phyſicum nec morale; Non phyſicum, quia per nos character perficit animam in ordine ad ſe & in ordine ad eſſe ſupernaturale; nulla autem qualitas poteſt eſſe contraria ei, quod perficit ſuum ſubjectum in ordine ad ſe & in eſſe; alioqui talis qualitas eſſet deſtructiva ſui ſubjecti, ac per conſequens ſui ipſius; quod ſi juxta Thomiſtas character perficeret ſubjectum in ordine ad phyſicè operandum, adhuc non haberet phyſicum contrarium, quia eſſet in genere potentiæ phyſicæ, potentiæ autem phyſicæ contrario carent: Non habet character contrarium morale, quia hoc deberet maximè eſſe peccatum, at peccatum characteri non contrariatur, quia non eſt de ratione characteris, quod quis eo benè utatur; & de facto benè ſimul cohærent character & peccatum: Nō denique poteſt character deſtrui ex natura rei tertio modo, ideſt per ſubtractionem concurſus effectivi conſervantis, quia conſervatur effectivè à ſolo Deo; Dena autem ex natura rei, ſeu connaturaliter, non ſubtrahit ſuum concurſum, niſi ad exigentiam alterius, quod in propoſito deberet eſſe aut ſubjectum

deſinens

deſineos aut contrarium adveniens, & tamen reſpectu characteris, ut jam dictum eſt, nec poteſt ſubjectum deſinere, oec contrarium advenite; ergo à primo ad ultimom nullus eſt modus, quo poſſit character ex oatura rei deſtrui.

49. *Cur non ſit eodem modo perpetuus habitus gratiæ.*

Ex his patet obiter, cur habitualis gratia, etiamſi ſit charactere nobilior, & ſubjectum in ordine ad ſe ac in eſſendo perficiat, non exigat ax natura rei perpetuitatem ut character? ratio ſcilicet eſt, quia iila habee morale contrarium, quod eſt peccatum, nec eſt præcisè forma phyſica ut character, ſed ſimul moralis, unde ſuo loco dicebamus eſſe participationem divinæ naturæ, tum phyſicè, tum moraliter ſumptæ: Nec in ordine ad perpetuitatem gratiæ prodeſt major nobilitas; familiare enim eſt plura ignobiliora eſſe diururniora nobilioribus; & quantitas eſt ex natura rei perpetua, quamvis ſit non ſolùm gratia, ſed & charactere imperfectior.

Aliam rationem perpetuitatis ex natura rei characteri debitæ affert D. Thomas *pracitat. articul. quinto*, ex more ſuo ſubtiliter deductam, explicatam egregiè à Joanne à S. Thoma *eod. articul.* & deſumptam ex participatione æteroi Sacerdotij Chriſti; eam tamen omitto, eò quòd nequeat ſine magna indagine exponi, & aliundè videatur ſupponere characterem eſſe virtutem inſtrumentalem phyſicè activam, quod non conſonat doctrinæ à nobis traditæ de characteris eſſentia *pracit.* §. 1.

50. Faciliorem & expeditiorem ejuſdem perpetuitaria confirmatiooem deducit Arriaga *pracit. diſp. 17. ſec. 7 num.* 44. ex non repugnantia qualitatis naturâ ſuâ perpetuæ; hac eoim non repugnantia ſuppoſita. & ſuppoſita ſimol aliundè duratione characteris futura de facto perpetua connaturalius omoin & minùs miraculoſum fuit Deum pro charactere ſtatuere qualitatem duraturam perpetuò ex natura ſua, quàm ex natura ſoa defectibilem, & favore deindè extrioſeco perpetuoque miraculo cooſervandam; ergo talem de facto qualitatem Deus pro charactere ſtatuit; & hæc deductio efficax eſt, etiamſi ſupponatur quoque dabilis qoalitas, cui nec adſit contratium, nec deſit aut ſubjectum ſuſtentaos aut efficiens conſervans, & tamen ex natura rei debeatur conſervatio dumtaxat uſque ad certum tempus; in qua hypotheſi videtur aliqualiter nutare noſtra ſuperior ratio, niſi confirmatione mox adducta roboretur.

Character ſacramentalis eſt in omnibus, & ſemper æqualis.

Aſſert. 2. Character Sacramentalis eſt in omnibus & ſemper æqualis, non verò in uno ſubjectu remiſſior in alio intenſior, aut modo remiſſior, modo intenſior io eodem ſubjecto; hocque ei competit ex natura rei. Ita Suarez *hic quaſt.* 63. *in comment artic.* 5. Lugus *diſp.* 6. *ſect.* 4. *n* 76. Arriaga *pracit ſect.* 7. *n.* 48. Joannes à S. Thoma *pracit. art.* 5. in fine Gonetus *diſput.* 4. *art.* 3. *num.* 37. Madernus *quaſt.* 4. *art.* 4. *num.* 13. & reliqui Scholaſtici, obiter quidem, ſed communiter; præſertim ſi excipias poſtremas particulas, de quibus nonnulli dubitanter loquuntur.

51. Probatur: Character Sacramentalis datur præcipuè, tanquam ſignum diſtinguens & ducens in cognitionem peculiaris gradus, quem quis habet in Eccleſiæ republica; at ſignum eò meliùs diſtinguit atque notificat, quò in ſe certius ac notius eſt, & certius eſt ac ootius, ſi ſit in omnibus ſimile ſemper & æquale, quàm ſi inæquale & diverſum; cum præſertim æquales io omnibus ſint ipſi gradus, in quorum cognitionem characteres ducunt; tales enim ſunt illi gradus, qualis eſt poteſtas, quam habent in illis gradibus conſtituti; at hæc poteſtas eſt in omnibus æqualis; omnes enim conſtituti per Baptiſmum in gradu famulatus habent æqualem poteſtatem ſuſcipiendi alia Sacramenta, & fruendi ſpiritualibus bonis familiæ Chriſti; omnes conſtituti per Ordinem in gradu prælationis & miniſterij habent ex vi ejuſdem Ordinis æqualem poteſtatem ſupra corpus ſive verum ſive myſticum; æquè poſſunt quantùm eſt ex vi Ordinis Sacramenta alia conficere ac diſpenſare, &c. ergo.

Sicut & gradus ac poteſtas per characterem deſignata.

51. Confirmatur, ut ponantur characteres in intentione diverſi & inæquales potiùs, quam æquales & ſimiles, debet afferri pro diverſitate & inæqualitate aliqua neceſſitas, aut vehemens congruentia; atqui hæc nulla afferri poteſt, neque ex parte ſacramenti characterem imprimentis, neque ex parte ſubjecti cui character imprimitur, nec ex parte gradus ſeu poteſtatis cujus character eſt ſignum, nec ex parte auxiliorum actualium ad quæ character eſt ſuo modo moralis potentia; ergo. Major patet ex regula generali non multiplicandi, nec diverſificandi entia ſine neceſſitate: Minor probatur diſcurrendo per ſingulas ejus partes; non poteſt ſcilicet afferri neceſſitas ex parte ſacramenti, quia ſacramentum characterem imprimens non iteratur, non poteſt igitur circa characterem ſemel impreſſum aliquid iterùm operari, nec in eodem ſubjecto alium ejuſdem rationis characterem, qui priorem intendat, imprimere: Non ex parte ſubjecti, quia character non datur ad menſuram diſpoſitionis ſubjecti, cum in ſubjecto etiam diſpoſitionis capaci nil aliud prærequirat præter validam ſacramenti, à quo imprimitur ſuſceptionem; hâc verò exiſtente benè detur ſubjecto etiam aliunde poſitivè indiſpoſito; non prodeſt igitur characteri diſpoſitio ſubjecti, cum indiſpoſitio non obſit: Non ex parte gradus ſeu poteſtatis, quia Sacramenta conferentia gradum & poteſtatem, conferunt omoibus, & ſemper, æqualem ex jam dictis: Non denique ex parte auxiliorum actualium, quia quilibet character ſicuti eſt ſecundum ſe indifferens, ut conjungatur cum majori vel minori gratia habituali, ita etiam ut conjungatur cum jure, & ſit potentia moralis, ad majora vel minora, plura vel pauciora, auxilia actualia; horum igitur inæqualitas refundenda eſt in inæqualitatem gratiæ, non characteris qui quoties repetitur ſine gratia deſinit eſſe potentia moralis, & dare jus ad actualia auxilia.

Quòd character ſit potentia moralis ad auxilia inæqualia provenit ex gratia, non ex ipſo charactere.

Dices: Character Baptiſmi deſignat majorem ſuſcipiendorum Sacramentorum capaci-

tatem in manibus, quàm in fœminis, cum iſtæ etiam poſt baptiſmum ſint incapaces ſuſcipiendi ordinem, cujus illi capaces ſunt, ergo character baptiſmi inæqualis eſt, & in maribus intenſior, quam in fœminis. Deindè ſaltem in ſacramento ordinis datur characteris inæqualitas, Sacerdos enim proculdubio habet majorem, & intenſiorem, characterem, quam Diaconus; Diaconus quàm Subdiaconus &c. ergo non verificatur univerſaliter characterem ſacramentalem eſſe in omnibus

53. & ſemper æqualem. Sed contrà: Per accidens eſt, & ex conditione ſubjecti, non ex defectu characteris baptiſmi, quòd in fœminis non deſignet proximè, & in actu exercito, capacitatem ſuſcipiendi ordinem, quam eſt ex ſe aptus deſignare, & abſque ulla ſui mutatione deſignaret ſi aut Deus ſtatueret ordinem poſſe etiam à fœminis ſuſcipi, aut character idem numero, qui in fœmina eſt, per baptiſmum divinitus reproduceretur in viro. Illud, quod de ſacramento ordinis additur, non facit ad rem, quia nos in præſenti loquimur de characteribus ejuſdem rationis, & pro noſtro intento ſatis eſt, quòd ſint in omnibus & ſemper æquales characteres Sacerdotales inter ſe; quidquid ſit deindè, utrùm character ſuperioris ordinis characterem inferioris intendat, aut (ut aliqui malunt) extendat, necne? quod pendet ab eo, quod ſinguli ſingulorum ordinum characteres ſint qualitatea diverſæ, & indiviſibiles; an verò ſint una & eadem qualitas characteris inferioris, quæ ex ſuperioribus ordinibus paulatim augeatur per modum intentionis, aut extenſionis? & mihi quidem primum magis placet; at non eſt hujus loci id probare, ſpectat enim ad tractatum de Sacram. Ordinis in particulari; licèt in hoc ipſo tractatu de Sacram. in gen. tractetur à Logo *præcit. ſec.4. num.77.* alijſque nonnullis.

Quomodò detur æqualitas etiam in charactere ordinis.

54. Supereſt in præfixo aſſerto probandum, quod characteris æqualitas ei competat ex natura rei, & probatur ex eo quòd nulla apparet repugnantia in qualitate, quæ ſit ex natura rei ſemper æqualis, & neque intenſibilis, neque remiſſibilis; at ſi hujuſmodi qualitas non repugnat, proportionaliter ad ſuprà dicta *num.50.* connaturalius eſt, quòd Deus eam pro charactere deſtinaverit, quàm qualitatem intenſionis & remiſſionis capacem ex natura ſua, ex providentia tamen extrinſeca futuram ſemper æqualem, & nec remittendam unquam, nec intendendam. Neque puta huic poſitioni malè cohærere quod ſuprà characterem collocaverimus in ſpecie habitus, non in ſpecie potentiæ; cum tamen potentiæ, non habitus, ſint intenſionis & remiſſionis incapaces, qualem modo dicimus eſſe characterem. Contra enim, non eſt quærenda omnimoda proportio inter naturalia & ſupernaturalia; & ſicuti habitus virtutum per ſe infuſarum ſe habent ut potentiæ in ordine ſupernaturali, & tamen ſunt capaces intenſionis & remiſſionis, cujus ſunt incapaces potentiæ naturales; ita nil mirum ſi ſupernaturalis character ſit intenſionis ac remiſſionis incapax, etiamſi non ſe habeat ut potentia? Deinde quod habitus, qui dantur ad operandum & poſſunt per proprios actus augeri, intenſibiles ac remiſſibiles ſint, benè eſt, at non idem neceſſariò ſentiendum de habitu, qui datur ad perficiendum eſſe, ut datur per nos character.

Aſſerta æqualitas competit characteri ex natura rei.

Aſſert. 3. Character ſacramentalis eſt ſignum ad placitum, non naturale, & ex inſtitutione Chriſti, non ex natura rei ſignificat. Ita Scotus *in 4. diſt.6. quæſt.10. §. Iſtud probatur* circà finem. Gabriel *ead. diſt. quæſt.1.* Ocham *ibid. quæſt.2.* Maſtrius *diſp.1. quæſt.5. art.2.* Suarez *diſp.11. ſec.2.* Vaſquez *diſp.134. num.61.* Arriaga *diſp.17. ſec.4.* Madernus *quæſt.4. art 2. num.8.* & reliqui Scholaſtici magis communiter contra Aureolum *in 4. diſt.4. quæſt.1. artic.3 propoſ.2.* Salas *1.2. tract. 2. diſp.8. ſec 3. n.61.* Amicum *hic diſp.7. num.75.* Lugum *diſput.6. ſec.3. num.38.* & alios nonnullos, hoſque non inter ſe omninò concordes in explicando modo, quo character naturaliter ſignificet. 55.

55. Character ſacramentalis eſt ſignũ ad placitum, non naturale.

Probatur: Character ſacramentalis, ut ſæpiùs dictum eſt, ſignificat in primis gradus famulatus, militiæ & miniſterij hominum ad Chriſtum, cui propterea dicitur non configurare; Deindè ſignificat auxilia actualia requiſita ad gradus illos exercendos; item gratiam habitualem ſacramentalem dantem ad auxilia jus; atqui ex una parte difficillimum eſt, quod una eademque qualitas ab intrinſeco, & ex natura ſua, cum his omnibus connectatur, ſicut requiritur ut naturaliter ſignificet; difficillimum, inquam, eſt quia ea ſunt ab invicem valdè diverſa & diſparata, & includunt multas moralitates, quæ ſicuti ex genere ſuo pendent ab alieno principio libero, ita ægrè habent naturalem & neceſſariam connexionem cum ulla phyſica qualitate; ex alia parte nulla nos neceſſitas inducit in tot graviſſimas difficultates, & tamen res fidei jam ex propria conditione obſcuræ & difficiles non ſunt ſine neceſſitate novis difficultatibus involvendæ; & laudabile eſt eas reddere, quantùm poſſumus, intelligibiliores & accommodatiores humano captui; ſicuti facile captu & benè intelligibile eſt, quòd qualitas aliqua, præſertim valdè perfecta, ſpiritualis, ſupernaturalis, & ad ornatum data, qualis eſt per nos character, ſit ex Chriſti & Dei voluntate ordinata & inſtituta ad illa omnia ſignificanda, illaque omnia notificet, per hoc præciſè, quod qui ipſam inſpicit, noverit prædictam voluntatem ordinationemque Chriſti & Dei; ergo ſentiendum prorsùs eſt characterem ſacramentalem eſſe ſignum ad placitum, & ſignificare ex inſtitutione. Confirmatur in particulari, quòd character ſacramentalis, non configuret nos Chriſto naturaliter, tanquam famulos Domino, aut milites Duci; nec naturaliter ſignificet noſtrum famulatum, noſtram militiam &c. quæ eſt primaria characteris ſignificatio, ex qua deindè nullo negotio extendi poteſt argumentum ad ſignificationem auxiliorum actualium, & gratiæ habitualis: Confirmatur id, inquam, ſic. 56.

Quidnam ſignificet.

Illud, quod repræſentat & ſignificat naturaliter

turaliter aliud, vel eſt figura ejus ſeu imago entitativa acobjectiva, hoc modo ſtatua repræſentat prototypum; vel eſt imago intentionalis, hoc modo actus cognitionis & ſpecies, ſive impreſſa, ſive expreſſa, repræſentat objectum; vel eſt connaturalis effectus proprietas aut quaſi affectio; hoc modo riſibilitas repræſentat ſeu ſignificat rationalitatem, gemitus triſtitiam, fumus ignem; atqui nullo ex his modis character ſacramentalis ſe habet ad Chriſtum, ſive ſecundùm ſe, ſivè ut Dom..., ſive ut Ducem &c. Non primo modo, quia figura ſeu imago objectiva habet cum re repræſentata ſimilitudinem entitatis ſaltem quoad externam proportionem & delineationem partium; certè autem nequit ſpiritualis qualitas, ut eſt character, habere talem ſimilitudinem entitatis cum Chriſto: Non ſecundo modo, quem tenuit Aureolus, quia character per nos eſt ſignum inſtrumentale, quod priùs cognitum ducit in cognitionem rei ſignificatæ, imago autem intentionalis eſt ſignum formale, & in ſe incognita notificat ſeu repræſentat objectum; Deindè ſi eſſet imago intentionalis daretur ad cauſandam notitiam, non ad ornandam animam; & non in iſtis eſſentia deberet recipi, ſed in intellectu; & potius in intellectu aliorum, quàm ejus, qui ſacramentum ſuſcipit, nam in aliis potiùs, quàm in ſacramenti ſuſceptore, debet cauſare notitiam; ut le-
57. viter conſideranti conſtabit: Non tertio modo, quem tenent Salas, Amicus, & Lugus, quia eſt per ſe nimis durum concipere quòd character ſacramentalis ſit proprietas, aut effectus, habens neceſſariam connexionem cum exiſtentia Chriſti unioniſque hypoſtaticæ, & hinc imprimis ſequitur pro triduo mortis, pro quo non exiſtebat Chriſtus, non extitiſſe in Apoſtolis characterem baptiſmi, fuiſſe verò poſteà reproductum in Chriſti reſurrectione; deindè recurrunt omnes difficultates, quarum jam meminimus *numero quinquageſimoquinto*, quaſque latiùs proſequitur Arriaga *præcitat. ſec. 4. numero vigeſimoquarto*, & *eigeſimoquinto*.

Dices non eſſe laudabile ſtudium vitandi in rebus fidei difficultates, quando talium rerum intelligentiam & explicationem, licèt reddant magis difficilem, reddunt tamen ſimul magis conformem communi ſenſui Sanctorum Patrum, & connaturali modo operandi Dei; atqui ſenſui Sanctorum Patrum, & modo operandi Dei, magis conforme eſt, quòd character ſuſtineatur ſignum naturale, quàm quod ſuſtineatur ſolùm ſignum ad placitum; ergo ſuſtineri debet ſignum naturale etiamſi ingentes difficultates ſolvendæ occurrant; nec laudabile eſt quod ad has vitandas contenti ſimus ſigno ad placitum; alioqui debuiſſemus etiam ſubſcribere Durando in eo, quòd ad reddendas intelligibiliores res fidei, & vitandas difficultates occurrentes contra entitatem phyſicam characteris, docuit hunc conſiſtere in pura moralitate ſeu denominatione extrinſeca, ut ſuprà retulimus *numero*
58. *decimoquarto*, Probatur minor quoad primam partem, quia Sancti Patres explicare conſueverunt characterem per rationem ſigni, & ſigilli; ergo quia ſenſerunt hanc rationem characteri competere ex natura rei & ad ipſius naturam pertinere, nec habet character naturam aliam, cui extrinſecè adveniat ratio ſigni, ut tamen ſequitur ex eo, quod ſit ſignum ad placitum. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, quia connaturaliùs Deus operatur per qualitates & cauſas præſtantes ſuos effectus ſuaque munera ex natura rei, quam ex Decreto extrinſeco; unde nos ipſi ex hoc capite mox docebamos tum perpetuitatem, tum æqualitatem, ab intrinſeco & ex natura rei characteri competere; debemus igitur pari majoris connaturalitatis jure eidem tribuere ab intrinſeco & ex natura rei ſignificationem. Confirmatur ex eo quia ad ſignificandum ad placitum, & ex inſtitutione id quod ſignificat character, poterat Deus ordinare, aut gratiam ipſam habitualem, aut qualitatem quidem à gratia diſtinctam, ſed naturalem, imò & materialem, ad quid igitur & cur ordinaſſet peculiarem qualitatem ſpiritualem, ſupernaturalem, qualis eſt per nos character? Sed contra: Concedo majorem, quæ benè procedit pro non vitandis cum Durando difficultatibus militantibus contra phyſicam characteris entitatem, quam ex dictis evincunt non ſolùm expreſſa Sanctorum Patrum teſtimonia, ſed & formales Conciliorum definitiones; concedo, inquam, majorem, nego minorem quoad utramque partem:

Ad probationem primæ partis dico San- 59.
ctos Patres explicando characterem per rationem ſigilli, & ſigni, intendiſſe explicare munus, non naturam characteris; & verè hunc habere naturam aliam à ratione ſigni, quam non omninò Patres diſſimularunt, ſed indicarunt dicendo characterem eſſe ornatum animæ, eſſe indelebilem &c. Cur autem magis characteris munus, quàm naturam, expreſſerint? ratio eſſe poteſt; quia ſacramentalis character magis eſt nobis ſecundùm munus, quàm ſecundùm naturam revelatus, ut & ſacramenta ipſa: Hincque obiter occurrit duplex confirmatio ſigni ad placitum in ſacramentali charactere; prima deſumitur ex paritate ſacramentorum, quæ & ipſa ad placitum ſignificant; ſecunda ex locutionibus Sanctorum Patrum characterem ſacramentalem aſſimilantium notis ſervorum, teſſeris militum, inſignibus Equitum, quæ omnia ſunt ſigna ad placitum, & ex inſtitutione humana.

Cur Sancti Patres magis explicaverint characteris munus, quàm naturam.

Ad probationem ſecundæ partis fateor ap- 60.
parere aliquam majorem connaturalitatem in ſignificatione ex natura rei; at cum aliunde de hac ſignificatione reſpectu characteris non ſatis conſtet, quod ſit poſſibilis, & data poſſibilitate ſit obnoxia difficultatibus graviſſimis, nulla habenda eſt ratio illius aliquantulo majoris connaturalitatis, quæ in tantum benè militat pro characteris perpetuitate, & æqualitate ab intrinſeco, in quantum de hac utraque aliunde conſtat poſſibilitas,

Cur characteri tribuatur ex natura rei perpetuitas & æqualitas potius quam ſignificatio.

& neutra characteri addit magni momenti difficultates.

Ad confirmationem do ſignificationem, quam habet de facto character, imponi potuiſſe gratiæ habituali, aut qualitati naturali etiam materiali; non fuiſſe verò de facto impoſitam deducitur aliunde; non fuiſſe ſcilicet impoſitam gratiæ deducitur ex eo, quod aliquando ſine gratia aquiritur & amiſſa gratia non amittitur; non qualitati materiali, quia talis ſignificatio ineſt animæ cui non benè ponitur ineſſe ulla materialis qualitas; non qualitati naturali, quia qualitas ſpectans ad ſupernaturalem providentiam, ut ſpectat character, congruentius ponitur ſupernaturalis.

61. Ex his habetur relationem ſigni in charactere eſſe accidentalem, non eſſentialem ſuo fundamento proximo, adeóque eſſe prædicamentalem, non tranſcendentalem; unde ſi eſſentia characteris poneretur conſiſtere non in re ſignificante & ſubſtrato ſignificationis, ſed in ſignificatione ipſa, ac per conſequens in relatione; non conſiſteret in relatione tranſcendentali, ſed in prædicamentali, & in hoc ſenſu Arriaga *precitat. ſect.* 4. *num.* 21. putat poſſe probabiliter defendi opinionem collocantem characterem in relatione, dicendo ſcilicet quod in qualitate ad placitum ſignificante famulatum, militiam &c. denominatio & ratio characteris formaliter cadat non ſuprà qualitatem, ſed ſuprà ſignificationem ad placitum, quæ verè eſt prædicamentalis relatio. Verum per nos falſũ omnino eſt, quod denominatio & ratio characteris poſſit formaliter ſuprà ſignificationẽ cadere; neque eſt cur hic aliquid addamus dictis ſuperius, præſertim *n.* 19. & 20. Imò neque eſt, cur quidquam ulteriùs, aut de charactere, aut de Sacramentis in genere, proferamus plura prolaturi de Sacramentis in particulari; interim ſivè hucuſque dicta, ſivè impoſterum Deo dante dicenda ſunto Eccleſiæ judiclo, cenſuræque ſubjecta.

INDEX

INDEX RERUM.

T, TRACTATUM SIGNIFICAT: L, LIbrum : C. *Caput:* N, *numerum marginalem.* P, *paginam.*

A

ABraham ſe habuit ad legem naturæ & ad legem ſcriptam to fortè modo, quo Joannes ad legem ſcriptam & ad legem gratiæ.t.8.lib.1.cap.2.num.48. pag.590

Accidens non poteſt immediatè aſſumi ad ſubſiſtendum, imò nec ad exiſtendum exiſtentia ſubſtantiali. t.7.l.1.c 5.n.66. & 67. pag.258. & ſeq. Quomodò à ſubjecto ſeparatum exiſtat in ſe & per ſe: Per quid formaliter terminet concurſum Dei potentiorem.eod.c.5.n.69.p.259. Poteſt idem numero eſſe in doplici ſubjecto, præſertim non ultimato.t.8.l.2.c.5.n.45.p.715

Actiones ſicut & paſſiones eſſe ſuppoſitorum quomodò verificetur?t.7.l.1.c.9. numer.20. pag.315.

Actus bonus poteſt habere concomitantem actum malum, at non poteſt ab iſto imperari.t.6.l.1.c.5.n.61.p.71

Actus directus & reflexus, imperatus & imperans, quando ad eundem quando ad diverſum habitum pertineant?eod.c.5.n.67.p.73. Quomodò diverſimodè ſe habeant in materia fidei & in materia aliarum virtutum? n.69. p.ead. Actus externi ſub quibuſnam virtutibus collocandi ſint?t.6. l.1.c.6. n.5. pag.91.

Actus ſupernaturales relinquunt naturales, non ſupernaturales ſui ſpecies; naturalem non ſupernaturalem habitum aquiſitum. t.6.l.1. c.7. n.66. p.114. Nequeunt elici ex objecto formali naturali, ſicut nec actus naturales ex objecto formali ſupernaturali, idque etiam de potentia abſoluta. t.6. l.1. c.5. n.141.p.91

Adam cur fidem amiſerit nobis, etiamſi fortè non ſibi? t.7.l.3.c.4. n.26. p.493. Non fuit præſcius ſui peccati, quamvis habuerit fidem Incarnationis.t.6.l.1.c.7.n.60.p.113.& t.7.l.1.c.7.num.37. & 39.p.294. Vide Primi Parentes.

Adami ad Chriſtum comparatio quoad ſcientias naturales: Item quoad prærogativam Capitis & Doctoris. t.7.l.2.c.4.n.26. & 29. p.196.

Admiratio quid & quotuplex? Datur in parte appetitiva etiam ſenſitiva, & hæc admiratio ſenſibilis eſt paſſio contenta ſub timore, deſiderio, vel gaudio: Verè fuit in Chriſto.t.7.l.4.c.3.n.52. p.518

Adoptio. Vide filiatio adoptiva.

Adoratio quid ex Sanctis Patribus, quid item ex Scholaſticis?t.7.l.4.c.4.n.63. p.554. Dividitur ex parte actus in internam, & externam: ex parte objecti in reſpectivam, & abſolutam; Latriam, Duliam, Hyperduliam; & quid ſint hæ ſingulæ adorationes? t.7.l.2.c.6.n.47.p.42, & l.4.c.4.n.64 & 66. p.554

Adoratio abſoluta poteſt ſolùm terminari ad aliquid rationale; at non eſt neceſſe, quòd hoc ſit Perſona: Non eſt item neceſſe, quòd deferatur propter dignitatem maximam ejus cui defertur. eod.c.4. n.79.& 81. p.558

Adoratio externa ſine interna nequit ſubſiſtere, benè verò interna ſine externa. eod. c.4. n.64.& 65.p.554

Advertentia implicita quid, & quomodò ſufficiat ad contrahendam malitiam moralem? t.7.l.1.c.3.n.59.p.226

Æquivocatio & amphybologia propriè dicta quid? t.6.l.1.c.3.n.11. p.24

Ætates mundi quomodò enumerentur?t.7.l.1. c.2.n.29. p.210

Amentia eſt malum purè phyſicum, & corporis potiùs quam animæ.t.7.l.4. cap.3. n.13. pag.528

Amicabilia ad alterum provenire ex amicabilibus ad ſe quomodò verificetur, etiam in charitate ſupernaturali? t.6.l.2. c.5. n.49. p.177

Amor Dei perfectus & ſuper omnia nequit in via elici ſine præcisa fide Dei, non ſolùm ut exiſtentis, ſed etiam ut remuneratoris. t.6.l.1.c.5.n.105.p.82.

Amor beatificus non ſolùm ut verſatur erga Deum, ſed etiam ut verſatur erga proximum, neceſſarius eſt.t.7.l.3. c.3.n.24. & 31. p.474. Amor beatificus concupiſcentialis provenit formaliter ab habitu ſpei, concomitanter ab habitu charitatis.t.6.l.2.cap.2. n.38 p.144

Amor inimicorum videtur ſimpliciter perfectior amore amicorum t.6. l.2.c.5. num.42. p.176

Amor theologicus triplex: alius concupiſcentialis proveniens ab habitu ſpei: alius amicabilis proveniens ab habitu charitatis: alius benevolus præcisè non reſpiciens fortè ullum ſpecialem habitum.t.6.l.2. cap.4. num.19.& 23.p.159. Vide charitatis actus.

Angeli non cognoſcunt evidenter naturæ lumine humanitatem Chriſti carere ſubſiſtentia creata. t.7.l.1.c.1.n.17.& 25. p.201. Secluſa revelatione viderentur habere probabilitatem aliquam de repugnantia potiùs quam

Digitized by Google

quàm de poſſibilitate Incarnationis. eod. c.1.n.22.& 24.p.201

Angeli babuerunt ab initio infuſum habitum fidei priùs natura, quàm habitum gratiæ, dummodò Angelum primum & ſupremum excipias. t.6.l.1.c.7.n.54.55.56.p.111. talis fidei objectum fuit Deus ut exiſtens, ut remunerator, ut Trinus, ut Incarnandus, eod.c.7.n.57.p.112. ut Incarnandus tamen innotuit quoad ſubſtantiam dumtaxat, non quoad circumſtantias. n.58. Quomodò iſta fides fuerit in ipſis meritoria? t.7.l.3.c.4.n.19 p.491

Angeli miniſtrarunt Chriſto tùm in ordine ad corpus, tum in ordine ad animam; at non exercuerunt reſpectu ipſius ullum magiſterium. t.7.l.2.c.4.n.23.& 31.p.396. Angelus in horto Chriſtum confortans an & quomodò ei verè attulerit ſolatium? eod.c.4.numer.32.& ſeqq.p.398

Angeli & animæ ſeparatæ non poſſunt de lege ordinaria conficere ullum ſacramentum; de lege extraordinaria poſſunt conficere omnia præter Matrimonium. t.8.l.2.cap.2.n.32.& 37.p.636. Procedit hoc quoque de Angelis & animabus damnatis, at in his non eſt facilè præſumenda extraordinaria Dei commiſſio.eod.c.2.n.40.p.637. de Angelis & animabus ſeparatis idem ferè ſentiendum in ordine ad ſacramenta ſuſcipienda quod in ordine ad conficienda. tr.8.l.2.c.3.n.4.p.652

Anima poſt ſeparationem reunita corpori paſſibili habet poteſtatem ordinariam conficiendi ſacramenta: Utrùm etiam reunita corpori impaſſibili? res eſt dubia, & potiùs negativæ parti adhærendum. t.8.l.2.cap.2.n.33.34.& 36.p.636

Animæ antiquorum juſtorum decedentium ſine ullo pœnæ reatu cur non fuerint conſecutæ gloriam ſtatim, ſed detentæ in limbo uſque ad Aſcenſionem Chriſti Domini? t.6.l.1.c.5.n.95.p.79

Antichriſtus non habebit certitudinem fidei de propria damnatione. tr.6.l.2.c.3.n.17.p.153. Simulabit religionem judaicam, at in re erit Paganus.t.7.l.1.c.8.nu.17.p.120. Non erit dæmon incarnatus.t.7.l.1.cap.5.n.125.p.272

Apoſtaſia in genere quid? t.6.l.1.c.8.num.21.p.122

Apoſtaſia à fide quid? alia eſt propria, alia impropria. eod. n.21. Non eſt infidelitatis ſpecies; ſed cujuſlibet infidelitatis accidens genericum & circumſtantia, addit regulariter infidelitati ſpecialem malitiam contra aliam virtutem à fide.eod.c.8.n.22.23.& 25.p.122

Arduum ſeu arduitas quid? Duplex ipſius modus. t.6.l.2.c.1.n.9.& 10.p.131

Argumentum ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis quaodonam ſit efficax.t.6.l.1.c.4 n.42.p.50

Aſſenſus & diſſenſus circa idem objectum nullatenus poſſunt eſſe ſimul. t.6.l.1.cap.4.n.12.p.43

Aſſenſus fidei. Vide.fidei actus.

Aſſiſtentia Spiritus Sancti in definitionibus fidei reſpectu cujus detur. t.6.l.1.c.2.n.19.p.16.& c.3.n.55.p.33

Attritio attingit Deum ut finem ſupernaturalem, nec poteſt haberi ſine prævio actu fidei.t.6.l.1.c.5.n.82.p.76.Talis fides aliquando debet eſſe fides Dei non ſolum ut exiſtentis,ſed etiam ut remuneratoris.eod.l.1.c.5.n.106.p.82

Attritio cur tollat à peccatore obicem gratiæ pro ſacramentis mortuorum, non pro ſacramentis vivorum tract.8.l.2.c.4.n.181.p.686

Audacia aliquandò eſt honeſtiſſima & actus virtutis, ſe habet ad timorem ut ſpes ad deſperationem.t.7.l.4.c.3.n.50.p.536

B

Baptiſmi ſacramentum cur pro remiſſione originalis non requirat neceſſariò fidem in Miniſtro,ſicut requirebant remedium legis naturæ & circumciſio t.8 l.1.c.2.n.25.p.588. Cur ad ſalutem adultorum ſufficiat aliquando in voto; fidei verò actus ſemper ſit neceſſarius in re.t.6.l.1.c.5.n 85.p.77.Eſt ex Tridentino inſtrumentum Dei.tr.8.l.1.c.4.n.36.p.669

Baptiſmi ſacramentum ſuſceptum à peccatore & cum fictione; eſt mortificatum tantum, non mortuum; quamvis mortuum ſit, non tantum mortificatum, opus bonum à peccatore elicitum,& cur? t.8.l.2.c.4.num.160.p.699.Dum talis baptiſmus reviviſcit, cauſat gratiam ſolum moraliter. eod.c.4.n.56.p.668. Ad quem effectum reviviſcat. Vide Obex.Sacramenta.

Baptiſmi ſacramentum quandonam miniſtrandum adultis ſenſuum uſu deſtitutis vel in amentiam lapſis. t.8.l.2.c.3.n.28.p.658. An ſit miniſtrandum ei, qui antè amentiam non aliam habuit voluntatem,quàm procurandi ſalutem per omnia media ad ipſam neceſſaria. eod.c.3.n.33.p.659

Baptiſmi ſacramentum dubium, multoque magis invalidum, non conſtituit hominem ſubditum Eccleſiæ.t.6.l.1.c.8.n.33.p.124. Baptiſmi character remanet in damnatis. eod.l.1.c.7.n 47.p.110

Baptiſmus Joanois miniſtrabatur in remiſſionem peccatorum dumtaxat figuraliter; Cur fuerit à Chriſto ſuſceptus? t.7.l 4.c.2.n.8.p.507.Magis pertinuit ad legem Chriſti,quàm ad legem Moyſis.t.8.l.1.c.2.n.48.p.590

Beati poſſunt babere de lege ordinaria fidem angelicam,& humanam,ſolùm de lege extraordinaria divinam,t.6.l.1.c.7.n.51.52.53.p.112. Retinent habitum ſpei at nequeunt elicere actum,qui propriè & ſpecialiter denominatur ſpes, eliciunt verò ſub denominatione ſpei actus aliquos ſecundarios, & circa ſecundaria objecta.t.6.l.2.c.2.num.34.& 42.p.143.& 147

Beati poſſunt velle bonum minus relicto majore,nec ex Dei viſione neceſſitantur ad volendum quod melius eſt.t.7.l.1.c.p.5.n.32.p.407

Beneficentia quomodo poſſit eſſe actus exter-

nus

nus tum plurium virtutum, tum charitatis proprius.t.6.l.2.c.3.n.4.p.166

Blaſphemia hæreticalis continet hæreſim ſaltem materialem,t.6.l.1.c.8.n.45.p.127

Bonitas divina quomodò dividatur in naturalem & ſupernaturalem.t.6.l.2.c.4.n.7.p.157

Bonum quomodò & in quo genere ea læ ſit communicativum ac diffuſivum ſui & majus bonum magis communicativum.t.7.l.1.c.2.n.9.& 10.p.106

C

CAput aliud naturale & phyſicum, aliud morale,& myſticum: Tres ſunt præcipuæ utriuſque proprietates.t.7.l.2. cap.7.n.76. p.441. Utrumque caput eſt ſimpliciter & abſolute caput;at ſolum capiti naturali, non capiti morali, eſſentiale eſt eſſe ſimpliciter & abſolute membrum corporis, cujus eſt caput.eod. c.7. n.77. & 81. p.442. Caput morale,non caput naturale, reſpicit membra abſciſſa,arida,mortua;& cum n. 95. p.446.& l.3.c.4.n.26.p.493

Cauſa cur facile confundatur cum conditione? Duplex inter utramque diſcrimen notabile. t.6.l.1.c.2.n.25.p.14

Cauſa formalis poteſt eſſe obedientialis quamvis forte non poſſit eſſe inſtrumentalis.t.7.l.1.c.5.n.131.p.273

Cauſa materialis ex ſui comprehenſione non infert diſtinctam cognitionem omnium formarum,quas in ſe poteſt recipere.t.7.l.2.c.3.n.24.p.360

Cauſa moralis non eſt perfectior quàm phyſica,nec item æquè perfecta. t.8. l.2.c.4.n.37. p.669. licet cauſet mediante alio, ſeu movendo aliud,adhuc in ſuo genere cauſat immediatè.eod.c.4.n.18.p.665

Cauſa inſtrumentalis, quæ ſit inſtrumentum Dei,poteſt agere phyſicè in diſtans.eod c.4. n.42. Cauſa inſtrumentalis non requirit ex genere ſuo virtutem intrinſecam inchoatam.t.7.l.1.c.8.n.10. p.306

Cenſuræ variæ propoſitionum damnabilium intrà & infrà infidelitatem.t.6.l.1. c.8.n.42. & ſeqq. p.126. Cenſuræ reflexæ in malè cenſurantes quales?Quàm cautè procedendum in cenſuris ferendis, & à quo iſtæ expectandæ?eod.c.8.n.50.p.127

Certitudo quid & quotuplex? ſuſcipit magis & minus.t.6.l.1.c.5.n.26.p.63. Actus certus non poteſt habere in ſe aliquam certitudinem, quam non communicet intellectui. eod.c.5. n 30. p.64. Unus actus poteſt eſſe alio minus certus ſimpliciter, magis certus ſecundum quid, & plures certitudinis ſecundùm quid modi. n.29.ibid.

Certitudo, quæ non habetur ex fide theologica,nequit haberi ſine evidentia.t.6. l.1.c.4. n.41.p.50.& t.7.l.1.c.1.n.6.p.199

Certitudo boni futuri quandonam impediat ſpem? t.6.l.2.c.2.n.39 p.142

Certitudo aliqua quomodò poſſit ſe tenere ex parte voluntatis? eod.cap.2. n.44.p.145

Certitudo moralis triplex: Quid requiratur ut ſit ſumma. tract.6. lib.1. cap.3. num.34. & 38.p.28

Certitudo poſitiva,& certitudo negativa quæ? t.7.l.1.c.1.n.6.p.199

Certitudo adhæſiva quæ? quæ item certitudo objectiva t.6 l.1.c.3.n.41.p.50.

Certitudo adhæſiva quomodò differat à pertinacia.eod l.1.c.5.n.32. p.65.

Character ex vi nominis quid,t.8. l.2. c.5. n.1. & 2.p.705

Characterem ſpiritualem ex antiquis ſacramentis nullum impreſſit: ex novis tria imprimunt,Baptiſmus,Confirmatio, & Ordo. eod.c.5.n.3.& 5.ibid. Et characterem quem imprimunt, cauſant phyſicè, eo modo & tempore,quo gratiam.n.12.p.707

Character ſacramentalis definitur. t.8.l.2.c.5. n.50.p.712. A Sanctis Patribus fuit explicatus quoad munus magis,quam quoad naturam,& cum n.59.p.719.Non eſt relatio rationis aut denominatio extrinſeca;Non eſt item relatio realis neque tranſcendentalis neque prædicamentalis; neque intrinſecus adveniens.n.19.& 20.p.709.non eſt tandem modus,ſeu modalis entitas. n. 2. p.710. Eſt ſimpliciter in genere qualitatis, pertinet maximè ad primam ſpeciem,& aliquo ordine deindè ad tres alias. num.23. & ſequent. ibid.

Character ſacramentalis dicendus eſt character Chriſti potiùs,quam Dei.t.8.l.2. cap.5. n. 42. p.715. In quo ſenſu configuret nos Chriſto,aut etiam Deo? n.37.42.& 56 In quo ſenſu dicatur lumen, Imago, figura? n.40. p.715. Utrùm ſit potentia activa,vel paſſiva, & quam activitatem dicat.n.24.p.711

Character ſacramentalis eſt in genere ſigni ſumpto ſigno pro materiali, non pro formali.eod.c.5.n.21.p.710. Eſt ſignum inſtrumentale,non formale.n.40.p.715. Ad placitum, non naturale. n. 55. refertur prædicamentaliter, non tranſcendentaliter ad id, quod ſignificat. n.61. Significat præcipuè gradum famulatus, militiæ, & miniſterij, deindè gratiam habitualem & actualem. n.55.non propriè aliquam noſtram ad Deum obligationem.n.41.p.715

Character ſacramentalis eſt delebilis de potentia abſoluta.eod.c.5.n.45. p.716. Indelebilis de ordinaria, & ſemel impreſſus permanet ex natura rei in anima pro quocumque ſtatu.n 44.& 47. Utrum ratione indelebilitatis inferat ex natura rei irreiterabilitatem ſacramenti, à quo imprimitur? n.9. Non habet contrarium nec phyſicum nec morale, & cum n.48.eſt in omnibus & ſemper æqualis, hocque ex natura rei num. 50. & 54. Habet moralem naturæ prioritatem ad gratiam potius, quàm poſterioritatem, phyſicè nullus eſt inter characterem & gratiam naturæ ordo.n.14.p.708

Characteris ſacramentalis, ſubjectum remotũ eſt quælibet perſona capax ſuſcipiendi valide ſacramentum characteriſans. eod. c.5. n.33.p.713. Subjectum proximum eſt animæ eſſentia ſeu anima ſub ratione eſſentiæ. n.37.p.714.& quando tale ſubjectum deberet eſſe aliqua animæ potentia, eſſet potiùs potentia intellectiva & volitiva ſimul quàm alterutra.n.41.p.716

Charitas aliquando extenditur ad ſignificandum amorem concupiſcentiæ, propriè tamen ſupponit pro ſolo amore benevolentiæ & quidem mutuo.t.6.l.2.c.4.n.2. p.156. Charitas ſupernaturalis erga Proximum poteſt poni duplex, alia theologica, alia moralis.eod.c.n.15.p.158

Charitas theologica definitur dupliciter, aliter quoad actum & habitum latè, aliter quoad actum & habitum ſtrictè acceptum.t.6. l.2. c.5.n.76.p.183. Quomodò ſit omnium virtutum forma?eod.c.n.75. Quomodò reddat fidem formatam & vivam. t.6.l.1.c.7.n.12. p.102. Cur fidem magis, quàm alias virtutes?eod.c.n.13.p.103. eſt fide & ſpe poſterior ordine productionis, prior ordine perfectionis.t.6.l.2.c.4.n.1.p.155. Datur primò & per ſe in bonum ſubjecti cui inhæret. eod. l.2. c.5.n.64.& 69.p.181. Quomodò dicatur non quærere quæ ſua ſunt.eod.c.5.n.49.p.177

Charitatis actus ſumptus pro illo ſolo, qui denominatur actualis charitas, eſt primarius & principalior.eod.c.5.n.1.& 8.p.167. ſumptus pro illo omni, qui elicitur a charitatis habitu denominatur effectus potiùs quam actus charitatis, & complectitur interiùs gaudium pacem, miſericordiam; exteriùs eleemoſynam, beneficentiam, correptionem fraternã. eod.n.1.& ſeqq. p.166. Complectitur inſuper aliquos alios actus, inter quos poni non ſolet deſiderium, & cur.eod.c.5.n.7.p.167

Charitatis actus erga Deum eſt neceſſitate medij neceſſarius ad juſtificationem adultorum quamcum que in lege antiqua, extra ſacramentum in lege nova.eod.c.5.n.9. & 10. p.167. eſt inſuper omnibus adultis, quamvis juſtificatione non indigentibus nec exiſtentibus in peccato, ſimpliciter & directè neceſſarius ex præcepto, non negativo tantùm ſed & affirmativo; ſæpe etiam eſt neceſſarius neceſſitate & obligatione indirectâ n.11.& 23. Quandonam dicatur eſſe ex toto corde & ex tota anima? n.14. p.169

Charitatis actus erga Proximum continetur implicitè & in præparatione animi, non formaliter & in re in charitatis actu erga Deũ: Non eſt in ſe formaliter ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij, benè verò neceſſitate præcepti, etiã affirmativi.eod c.5.n.29. 30.& 31.p.172. Amor Proximi propter Deũ poteſt eſſe intenſior erga Proximum, quàm erga Deum; nec propterea eſt vitiuſus, quamvis ſi ſit intenſior erga Deum ſit laudabilior.t.6.l.2.c.4.n.45.& 46.p.165

Charitatis actus erga Deũ & charitatis actus erga Proximum habent unum idemque objectum formale, probabilius nihilominus eſt quòd ſpecie differant.eod.c.4.n.24.& 26 p.160. Cur uterque actus ſpectare poſſit ad eundem ſpecie habitum charitatis, non ſic cultus Dei & cultus Proximi ad eundem ſpecie habitum religionis?n.11.& 14.p.158. Uterque actus, quatenus eſt ex præcepto neceſſarius, non eſt præcisè amor externus & in effectu, ſed internus etiam & in affectu t.6. l.2. c.5.n.13.& 33. p.169 & 173

Charitatis theologicæ habitus eſt elicitivus amoris theologici erga Deum, non cujuſcumque, ſed amicabilis; theologicus verò erga Deum amor non amicabilis nullum reſpicit ſpecialem habitum à quo eliciatur, & elicitur (ſi aliquando elicitur) dependenter à ſpeciali auxilio.t.6 l.2.c.4.n.19 p.159. Charitatis habitu, qui de facto datur, non eſt dabilis in propria linea habitus perfectior. eod.c.4.n.18.ibid.

Charitatis habitus datur ad proprium actum, ut neceſſarium neceſſitate præcepti, non ut neceſſarium neceſſitate medij. t.6. l.2. c.5. n.15.p.169. Reperitur in omnibus & ſolis juſtis: Habet pro ſubjecto immediato & proximo voluntatem, ſeu naturam intellectualem ut volitivam. eod. c.5. n.71.& 72. p.182. Eſt unus in ſpecie athoma, habet tamen ſub ſe actus, tum primarios, tum ſecundarios, ſpecie diverſos.n.73.& 74. p.183

Charitatis habitus quomodò maneat in Patria magis, quam habitus ſpei, licèt etiam iſte maneat?t.6.l.2.c.2.n.39 p.144

Charitatis theologicæ objectum formale *quo* eſt bonitas Dei Auctoris ſupernaturalis, ut in ſe & ipſi Deo bona, ſumpta non quatenus abſtrahit à Divina per ſe & Divina per accidens; non item quatenus ſupponit pro ſola bonitate aut divinæ eſſentiæ, aut ſpecialis attributi; ſed quatenus complectitur omnem & ſolam bonitatem per ſe Divinam.t.6.l.2.c.4.n.7.& ſeqq.p.157

Charitatis theologicæ objectum materiale eſt natura intellectualis, ſupernaturalis beatitudo, & quidquid ad hanc pertinet, ac conducit. Supernaturalis beatitudo, & conducentia ad ipſam ſunt objectum materiale *quod*. Natura intellectualis eſt objectum materiale *cui*; primarium, & attributionis, quatenus ſupponit pro natura intellectuali increata; ſecundarium, & attributum, quatenus ſupponit pro natura intellectuali creata.eod.c.4.n.2.& ſeqq p.156

Charitatis theologicæ oppoſita ſunt impropriè omnia peccata, propriè ea ſola, quæ habent directam contrarietatem cum aliquo charitatis actu, & peculiarem in charitatis linea malitiam, t.6. l.2.cap.6. num.1. p.183. Oppoſitum primarium eſt odium Dei & Proximi: oppoſita ſecundaria ſunt Acedia, Invidia, diſcordia, Contentio, Schiſma, Bellum, Rixa, Seditio, Scandalum, & in aliquo ſenſu Nemeſis; ubi quid ſint ſingula.eod.cap.6. numer.27. & ſequentib. p.189

Charitatis ordo quoad actus eſt penes prioritatem dignitatis, non executionis. tr. 6. l.2.cap.4. num.36.p.163. Alius appretiativus eſt, alius intenſivus: Solum appretiativus, qui intenſivo eſt potior, cadit ſub charitatis præcepto. eod. cap.4. n.39.& 40. p.164. In ijs, quæ ſunt de neceſſitate charitatis, unuſquiſque tenetur magis appretiativè diligere Deum, deindè Chriſtum & ejus Matrem, deindè ſe ipſum, deindè Proximum & inter proximos conjunctiorem. t.6. l.2.c.5.num.43. & ſeqq.p.176. Connaturale homini eſt amare magis appretiativè Deum, quàm ſe ipſum.eod.c.5. num.46. p.177

Google

Index Rerum.

Charitatis ordo datur etiam quoad objecta materialia, & habent iſta triplicem diligibilitatis modum, in quo poſſunt eſſe inæqualia.t.6.l.2.c.4.n.37.p.164. Cur objecta materialia charitatis admittant ordinem in eſſe diligibili, non objecta materialia fidei in eſſe credibili.eod c.4.n.35.p.163. Charitatis ordo quoad bona, quæ ex charitate volumus ſeu quoad objectum materiale *quod*, qualis ſit.t.6.l 2.c.5.num.62.& ſeqq. p.180

Charitatis ordo datur etiam in Patria, at non idem omninò qui in via, ſed diverſus relatè ad Proximum; ſaltem loquendo de ordine formali, ſi minus de radicali. eod. c.5. n.69.& 70.p 181

Charitatis præceptum ut in lege traditur ſit ne in via perfectè impiebile.an ſolum in patria? Vel problematicè ſentiendum vel potius affirmandum poſſe perfectè impleri. t.6.l.1.c.5.n.16.p.369

Charitatis præceptum erga Deum rectè dicitur tum naturale tum ſupernaturale. Utrum duplex ſit, an unicum? Problema eſſe poteſt: Rectè item dicitur poſitivum: Convenienter non fuit connumeratum inter præcepta Decalogi: obligat circa initium uſus rationis, circa finem vitæ, & aliquoties in ſucceſſivo vitæ decurſu. eod.c.5. n.18. & ſeqq.p.170. Præcepto charitatis erga Deum nullius ſacramenti ſuſceptione, nec alterius actus, niſi contritionis elicitione poteſt ſatisfieri.n.28.p.172

Charitatis præceptum erga Proximum eſt ſupernaturale, naturale, & poſitivum. eod.c.5. n.32. p.172. Extenditur ad inimicos. n.40. & 41.p.175. Pro quo & quo tempore obliget.n.38. Urget ipſius obligatio independenter ab eo, quod charitatis actus ſit neceſſarius, aut ad ſubventionem Proximi, aut ad depoſitionem odij, aut ad quid ſimile.n.37.p.174

Chriſtus ex vi nominis quid.t.7. l.1. c.1. n.2. p.198. Non ſolum diverſo, ſed etiam eodem tempore poteſt eſſe multiplex.eod.l.1. c.4.n.35.& 38.p.137. Cur dicatur veniſſe ad vitæ veſperam.eod. l.1. c.2. n.30. p.210. Quando ſuper aquas ambulavit, item quando ſe transfiguravit, Utrum id præſtiterit per dotes glorioſas agilitatis & claritatis. t.7.l 4.c.1.n.11. p.508. Nullum habuit Angelum Cuſtodem.t.7.l.2.c.4.n.33. p.398

Chriſtus eſt divinitas & humanitas quomodò verificetur, quomodò non. t.7.l.2. c.1. n 24. p.332.& 42.p.339. Quatenus eſt conflatum, ſeu compleaum ex humanitate & Verbo eſt quid minus Sanctum, quàm ſit Verbum ſecundum ſe.eod.l.2.c.6.n.48. p.423. Quando in horto poſtulavit ut tranſiret calix, verè ne oraverit pro morte declinanda, an pro quo aliu objecto.eod.l.2.c.5.n.39.& 40. p.409. Quomodò nihil tunc didicerit ab Angelo confortante, & quomodò facta fuerit illa in horto confortatio.eod. l.2.c.4. n.36.37.& 38.p.399. Univerſim nihil unquam ab Angelis aut ab hominibus didicit. eod.c.4.n.32.p.397

Chriſti anima manſit in utero Virginis majore ſpatio temporis, quàm regulariter maneant reliquæ animæ in uteris maternis.t.7. l.1.c.3.n 84. p.262. Fuit in ordine ad aſſumendum corpus medium congruitatis, non neceſſitatis.eod.c.5.n.92. p.264

Chriſti anima cœpit operari in primo inſtanti conceptionis Chriſti & creationis propriæ. t.7.l.2.c.2. n.21. p.353. Cœpit habere impaſſibilitatem ſeu Indolentiam ab inſtanti mortis, non verò ſolum ab inſtanti reſurrectionis.t.7.l.3.c.3.n.55.p.481. Nullum habuit characterem ſacramentalem ſibi impreſſum, aut in inſtanti creationis, aut aliàs. t.8.l.2.c.5.n.32 p.713

Chriſti anima ſcit omnia quæ Deus ſcit, quomodo verificetur.t.7.l.1.c.3.n.19.29.30.p.359

Chriſti corpus habuit perfectam pulchritudinem, qualis virum decet: habuit & cur habere debuerit ſexum virilem potius, quam fœmineum?t.7.l.4. c.1. n.14. & 15. p 502. Quoad materiam primam fuit antè unionem ad Verbum ſubſiſtens ſubſiſtentia creata.t.7.l.1.c.3.n.83.p.261. Quomodo, & quando, fuerit animatum in utero Virginis, eod.c.3.n.84 p.262

Chriſti corpus fuit verè mortale, & paſſibile.t.7.l.4.c 1 n.2.p.300. Secum traxit defectus omnibus humanis corporibus communes, ut ſunt fames, ſitis, defatigatio; non ſic defectus provenientes ex cauſa non communi, ut febris, paralyſis, &c. eod. c.1. n.10. & 12.p.501. Priores defectus fuerunt Chriſto voluntarij & liberi tum ſecundum divinam, tum ſecundum humanam voluntatem, ſecundum illam per modum tum objecti tum effectus, ſecundum iſtam ſolum per modum objecti. eod. c.1.n.18. & 22.p.503. Dicitur Chriſtus illos ſuſcepiſſe, vel aſſumpſiſſe, potius quàm contraxiſſe vel incurriſſe, & cur?eod.c.1.n.19.p.304

Chriſti divinitas quomodò non ſordeſcat in carne? Quomodò item non mutetur nec innovetur.t.7.l.1.c.2.n.12.& 13.p.107

Chriſti gloria in quo ſēſu ex Tridētino ſit finis noſtræ juſtificationis.eod.l.1.c.7.n.36.p.294

Chriſti gratia capitalis non conſiſtit in virtutum per ſe infuſarum habitibus, non in gratia habituali, non in iſta & gratia unionis ſimul, ſed in gratia unionis ſola.t.7. l.2. c.7. n.99.101.& 102. p.447

Chriſtus per gratiam capitalem eſt ſimpliciter & abſolutè Eccleſiæ caput, quamvis ſit caput morale tantum, non phyſicū eod.c.7. n.76 p.442. Quamvis item neque ſit ejuſdē Eccleſiæ membrum, neque pars.n.81 & 82. p.443. Et hoc eſt Chriſti propriiſſimum ac cuilibet puro homini repugnans.n.83.&84. ib. Eſt caput Eccleſiæ etiam prout complectitur Angelos, nec videtur hoc negabile ſine cenſura. n.92. Cur ſit Eccleſiæ Caput potiùs, quàm Cor. n.85. Quid & quomodò influat in diverſa membra Eccleſiæ, cujus eſt Caput.n.87.& ſeqq.p.444

Chriſti gratia habitualis neque data ei fuit abſolutè ad formaliter ſanctificandā humanitatem; neque ad hanc coaptandā unioni hypoſtaticæ, neque ad tribuendā humanitatis operibus, aut ſupernaturalitatē, aut ſupernaturalis

præmij condignitatem ; ſed data fuit præcipuè ad connaturalem modum eliciendi actus ſupernaturales, & minùs præcipuè ad aliqualem ſanctificationem. tract.7. l.2. c.7.n.21.& ſeqq. p.427. Si ea Chriſtus caruiſſet, adhuc non caruiſſet omni ſanctificatione accidentali. eod. cap 7. numer.28. p.429

Chriſti gratia habitualis fuit ejuſdem ſpeciei cum ea cæterorum juſtorum.eod.c.7. n.22. p.429. Suppoſita non repugnantia infiniti cathegorematici ſuſtinenda eſt infinita entitativè & phyſicè, at non ſumma ne quidem negativè.n.35. p.431. Habuit peculiarem ſummamque plenitudinem ſive infinita fuerit, ſive non.num.43.& 44.p.414

Chriſti gratia unionis habet majorem proportionem cum gratia habituali,quàm hæc cum natura. t.7. l.1.c.9.n.57.& ſeqq.p.517. eſt bonum politicum habens majorem titulum perficiendi moraliter,quàm gratia habitualis,quæ eſt bonum monaſticum.t.7.l.2. c.6.n.10.p.414 In ſe formaliter etiamſi eſſet mo dus diſtinctus adhuc non eſt forma, aut quaſi forma, ſanctificans Chriſti humanitatem.eod.c.6.n.15. p.415

Chriſti gratia unionis præceſſit de facto omnem aliam gratiam ; potuiſſet tamen ipſa præcedi à gratia tum habituali,tum actuali. t.7.l.1.c.9.n.9.& 18.p.511.515.Quando gratia habitualis gratiam unionis præcederet ſolùm naturâ,non daretur ex affectu adoptionis,nec conferret filiationem adoptivam. eod.c.9.n.19 p. 313

Chriſti humanitas fuit humanitas vera ejuſdem rationis cum noſtris conſtans vero corpore & vera anima rationali inter ſe immediatè unitis.t.7.l.1.c.5.n.71.& 76. p.260. Nullam habuit operationem tempore, aut naturâ priorem unione ſui ad Verbum t.7. l.1.c.9.n.6. p.510. Non fuit de facto antè aſſumptionem ſubſiſtens ſubſiſtentia propria,potuit tamen ſic eſſe & in aſſumptione ſubſiſtentiam propriam amittere. eod.l.1. c.5.n.28.& 29.p.150. Potuiſſet etiam in aſſumptione ſubſiſtentiam propriam retinere.eod.c.5.n.30. p.251. In Chriſto de facto ſubſiſtentiam propriam appetit per modum innati amoris, non per modum innati deſiderij eod.c.5. n.116 p.270

Chriſti humanitas quòd de facto propriam ſubſiſtentiam non habeat conſtat duplici potiſſimum titulo.t.7. l.1. c.5. n.43. p.254. Magnificatur in Chriſto & humiliatur, exaltatur & exinanitur,ſub diverſa ratione. t.7.l.1.cap.2.num.12.p. Terminatur à Verbo terminatione intenſivè majore, quàm ſit propria terminatio naturalis, & quando terminaretur ſimul à Patre & Spiritu Sancto terminaretur terminatione majore etiã extenſivè.eod.l.1.c.4.n.26.& 27.p.236.Propriè dicitur prædeſtinata ad unionem hypoſtaticam,ſolùm verò impropriè ad naturalem Dei filiationem, & ad gloriam. t.7. l.4.c.4.n.60. p.553

Chriſti humanitas poteſt rectè ſuſtineri inſtrumentum phyſicum in nobis cauſans cum ſacramentis gratiam. t.8.l.2.c.4. n.45. p.671. Ut conjuncta Verbo eſt in ratione objecti terminativi ſecundarij adoranda adoratione latriæ perfectæ, abſolutæ & per ſe ſecundò talis.t.7.l.4.c.4. n.69. & 76. p.555.& 557.eſt quoad modum,non quoad ſubſtantiam adorationis, minùs adoranda, quàm Verbum. n.74. p.ead. Eadem humanitas ratione donorum accidentalium ordinis creati adorabilis eſt adoratione hyperduliæ ; imò eſſet ſic adoranda, quando talibus donis retentis à Verbo dimitteretur. n.77.& 85. p. ead. Nulla verò humanitati ſic dimiſſæ deberetur latria abſoluta,etiamſi conſideraretur ut antecedenter aſſumpta in conſortium redemptionis: Benè deberetur latria reſpectiva,ſicut & donis ſupernaturalibus accidentalibus ſpoliatæ reſpectiva hyperdulia.n.90.& 91.p.561

Chriſti humanitas ſanctificatur formaliter, phyſicè,ac immediatè, ſanctitate ſubſtantiali increata perſonalitatis Verbi. t.7. l.2. c.6.n.4.p.412. A divina natura ſanctificatur ſolùm mediatè, & moraliter. eod.c.6.n.19. & 33.p.416.& 419.Solùm item mediatè & moraliter à tota Trinitate, à qua magis propriè ſanctificaretur, ſi unio hypoſtatica fuiſſet facta in ſubſiſtentia divina abſoluta.n 39 & 40.p.420

Chriſti humanitas ex ſanctitate ſubſtantiali increata non redditur tam ſancta, quam eſt ſancta ipſa increata ſanctitas, nec ſanctificatur infinitè ſimpliciter.eod.c.6. num.41. p.421. Sanctificatur tamen infinitè ſecundùm quid.n.49 p.423.eodemque modo redditur ſecundùm quid,non ſimpliciter infinitè ſubſiſtens.n 52. p.414. Cur à ſubſiſtentia Verbi formaliter ſanctificetur ; non etiam formaliter æternizetur, immenſitetur? Cur recipiat effectum formalem divinæ ſanctitatis,non ſimiliter aliorum divinorum prædicatorum ?n.26.27.28.p.418. Cur.

Chriſti humanitas, tùm ex non præexiſtentiâ in Adamo,tùm ex ſanctitate unionis hypoſtaticæ, habuit incapacitatem ad debitum originalis peccati ; & quando in Adamo præextitiſſet habuiſſet deindè in inſtanti aſſumptionis eandem incapacitatem ex vi unionis.t.7.l.4.c.2. n.71. p.522. Humanitas aut non ampliùs, aut non adhuc Verbo unita convenientiſſimè ſervaretur tum poſt dimiſſionem tum antè aſſumptionem ſine omni peccato ; abſolutè tamen eſſet peccabilis. eod c.2.n.57.& 59 p.519.Humanitate peccante antè aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem, non propterea de Verbo prô tempore unionis diceretur peccavit aut peccabit,& cur.eod.c.2. n.62. p.520. Si tamen humanitas Verbo unita ſupponeretur peccare aut poſſe peccare, deberet de Deo & de Verbo per communicationem idiomatum dici peccat, poteſt peccare.eod.c.2. n.22. & 24. p.510. Humanitas, quæ antè aſſumptionem peccaſſet, non poſſet in aſſumptione retinere reatum ullum aut culpæ aut pœnæ eod. cap.2. numer.65. & 66. p.521

Chriſti humanitas ſeu Chriſtus ut homo habuit potentiam peccandi remotam & quid

iſta ſit.t.7.l.4.c.2.n.19. & 20. p.510. Rectè tamen dicitur ea ſuppoſitione impeccabilis eſſentialiter, intrinſecè, & phyſicè. eod. c.2.n.77.p.524. Non ſolùm de potentia ordinaria, ſed nec de extraordinaria peccare poteſt, & hoc habet immediatè & formaliter ex unione hypoſtatica. n.14. & ſeqq. p. 508. Peccare autem non poteſt neque etiam peccato deſtructivo unionis, ſeu amittendo per peccatum unionem. n 25. pag.511. Neque item peccato aut ſolùm veniali, aut ſolùm materiali,num.72.& 74. pag.523

Chriſtus ut homo nequit dici ſervus ſervitute legal.t 7.l.4.c.4.n.5. p.535. benè verò Dei ſervus ſervitute naturali. eod. c.4 n.7. Nequit item dici filius Dei adoptivus. num.14. p.541. Neque ipſius humanitas dici poteſt à Deo adoptata, aut ex vi gratiæ habitualis, aut ex vi gratiæ unionis. n.22. p.543. Chriſtus tum ut homo,tum ſine addito,rectè dicitur prædeſtinatus. n.41. primariò & principaliter ad naturalem filiationem Dei.n.45.p.549. Secundariò,& minùs principaliter ad gratiam habitualem, & gloriam tum animæ tum corporis,n.50. p 551. In Chriſto homo dicitur prædeſtinatus ad eſſe filium Dei majori proprietate, quàm filius Dei dicatur prædeſtinatus ad eſſe hominem,n.59.p.553.Si humanitas fuiſſet aſſumpta à Patre,aut à Spiritu Sancto,Chriſtus ut homo nec eſſet filius Dei adoptivus nec naturalis, & haberet naturale jus ad gloriam ut proprietatem potiùs, quàm ut hæreditatem n.58. p.547. Chriſtus ſicut eſt filius Dei Patris etiam ut homo,ita eſt filius Virginis Matris etiam ut Deus. n.16.p.544

Chriſti intellectus duplex,humanus alius,alius divinus: & duplex proportionaliter Chriſti intelligere in actu ſecundo.t.7.l.2.c.2.n.1. & 9. p.548. 550. In intellectu Chriſti humano fuit uſus rationis pro primo conceptionis inſtanti. eod. c.2. n.23. p.553. In eo ſimul cum actu intelligendi creato nec fuit, nec etiam de potentia abſoluta eſſe potuit. actus intelligendi increatus.n.12 & 15. p.551

Chriſti intellectus humanus habuit perfectionem naturalem majorem, quàm habuerit ullus alius intellectus pariter humanus, non quàm angelicus; ſupernaturalem majorem, etiam quàm ullus angelicus. eod. cap.2.n.17.pag.552. Nec de potentia abſoluta admittere potuit ullius erroris actum aut habitum. t.7. l.4.c.3. num.7.pag.526. Non item deceptionem ex ſenſibus eodem c. 3. n.16. p. 518. Non ignorantiam pravæ diſpoſitionis, benè verò ignorantiam privativam,n.2.& 6.p.516

Chriſti meritum cœpit ab inſtanti & in inſtanti conceptionis, continuavit abſque interruptione uſque ad mortem, deſiit in inſtanti mortis,t.7.l.3. c.3. n.1.& ſeqq p 469. Quomodò fuerit paſſione & morte conſummatum, & tamen fuerit prævìſum antè prævìſa peccata crucifigentium Chriſtū.tr.7.l.1.c.7.n.51.& 52.p 297.& l.3.c.4. n.19.p.475. Quomodò in obſervantia præceptorum tùm poſitivorum tùm naturalium potuerit cum Impeccabilitate cohærere? tract.7.lib.4.cap.1.num.,8.51. & 54. p.514 & 518.

Chriſti meritum fuit ex parte actus multiplex, & veriſimilius eſt fuiſſe quoque multiplex ex parte præmij, tr.7. lib.3. c 3.n.9. & 10.p.470.Fuit in Chriſto meritorius aliquis actus amoris, at non actus amoris beatifici, neque etiam ut terminati præcisè ad Præmium; ſed amor alius à beatifico ſpecie diverſus, regulatus à ſcientia ſupernaturali per ſe infuſa, eod. c.3.;n.21.24. 27.& 29.p.473. & ſeqq. In eodem Chriſto actus naturales ſecundùm ſe ſumpti fuerunt meritorij,naturalis tamen, non ſupernaturalis præmij, n.32. p. 475. Ut imperati ab actu ſupernaturali fuerunt meritorij,at merè extrinſecè & denominativè, præmij ſupernaturalis, n34. p.476. Præmij verò cujuſcunque fuerunt ſimpliciter meritorij omnes & ſoli actus liberi virtutum per ſe infuſarum,n.35.p.476

Chriſti meritum eſt infinitum,eod.cap.3.n.37. p.477. Nequit habere præmium ſibi adæquatum in ullo bono purè creato, benè verò in bono aliquo partim creato, partim increato, cujuſmodi maximè eſt unio hypoſtatica,n.41.p.478. Cur Chriſti meritum non ſit ſuperabundans prò quocunque præmio, benè verò Chriſti ſatisfactio pro quocunque debito? Cur item meritum actuum naturalium Chriſti habere poſſit præmium aut exceſſum aut excedens, at non præcisè æquale.n.48.p.479

Chriſtus aliquid ſibi meruit at minus, quàm nobis & ſolùm intentione ſecundaria, tr.7. l.3.c.3.n.49.& 51 p 480. Meruit autem ſibi potiſſimum, & quidem immediatè ac directè, gloriam corporis & exaltationem nominis,eod.c.3.n.53.& ſeqq.p.481.Meruit inſuper extenſionem ſuæ unionis hypoſtaticæ in Euchariſtia; ſuam reſurrectionem; & aliquas ſuæ Incarnationis circumſtantias,n.70. p.484. Non meruit ſibi de facto gloriam eſſentialem, nec gratiam habitualem.n.58.p.482. Utramque tamen etiam in primo inſtanti acceptam potuit ſibi mereri de potentia abſoluta,n.73.p.485

Chriſtus non meruit gratiam aut gloriam eſſentialem Angelis, neque primis Parentibus gratiam ſtatus innocentiæ, tr.7. l.5.c.4. n.7. p.488. Meruit utriſque aliquam accidentalem tùm gratiam, tùm gloriam, eod. c.4. n.20. p.491. Meruit nobis, & primis Parentibus poſt lapſum, diſpoſitiones ad juſtificationem, juſtificationem ipſam, quæ juſtificationem ſubſequuntur, & remiſſionem pœnæ peccatis debitæ; at non meruit hæc omnia æquè immediatè,num.21.30.52. & 51.p.492.494. Meruit omnibus hominibus prædeſtinatis prædeſtinationem tùm quoad executionem; tùm quoad electionem ad gloriam, hancque electionem meruit non ſolum ſumptam abſolutè & materialiter, ſed etiam ſumptam comparativè & formaliter, n.36.p.495. Meruit ſingillatim B. Virgini maternitatem ſumptam in

executione, num. 38. p. 496. Utrum eandem meruerit ſumptam in intentione? poteſt eſſe problema, n. 43. p. 497. Meruit item tùm Progenitoribus mediatis circumſtantiam ſtirpis, tùm aliquas alias circumſtantias Incarnationem antecedentes, n. 44. p. 498

Chriſti mors alia phyſica, alia moralis, tr. 7. l. 1. cap. 7. n. 51. p. 297. & l. 3. c. 3. n. 15. p. 471 Quomodo dicatur cóſummaſſe noſtram redemptionem, & hæc illi ſpecialiter tribuatur, tr. 7. l. 3. c. 2. n. 49. & 50. p. 465. Fuit ſatiſfactionis & meriti terminus extrinſecus, eod. l. 3. c. 3. n. 11. p. 470. Fuit meritoria ut in fieri, non ut in facto eſſe, imò in facto eſſe ne quidem denominativè & in cauſa meritoria fuit, eodem cap. 3. num. 15. & 17 p. 471

Chriſti mors non potuit à Genethliacis ex ulla Cœli figura colligi, ſi non fuiſſet violenta eveniſſet ab intrinſeco in magno & ultimo Chriſti ſenio, tr. 7. l. 4. c. 1. n. 6. & 8. p. 501. Quomodo dici poſſit violenta etſi fuerit Chriſto voluntaria? eodem cap. 1. num. 27. p. 505. Quomodo Chriſtus meruerit per vulnus proprio lateri inflictum poſt mortem, tract. 7. lib. 3. cap 3. num. 16. p. 472

Chriſti opera habent ſuum potiſſimum valorem moralem ex morali ipſorum unione cum Perſonâ Verbi, tr. 7. l. 3. c. 1. n. 3. p. 450. Hæc unio eſt cum tali Perſona tùm tanquam cum principio operante, tùm tanquàm cum forma ſanctificante, eodem c. 1. n. 6 p. 451

Chriſti opera ſunt omnia valoris æqualis & tamen potuit Chriſtus mereri in ipſorum delectu, num. 16. p. 453. Inter Chriſti opera cur unum non ſit præmium adæquatum alterius quamvis alteri æquale, tr. 7. l. 3. c. 3. n 43. p. 478

Chriſtus ad operandum indiguit gratia actuali phyſica, non morali; ſeu auxilijs actualibus phyſicis; non moralibus; iſtis tamen etiam indiguiſſet ſi anima Verbo unita caruiſſet omni ſcientia actuali. t. 7. l. 2 c. 7. n. 73 74. & 75, p. 441. Chriſtus verè orat pro nobis in Cœlo, & cur nihilominus non ſoleamus ipſum interpellare ut pro nobis oret, ſed ut nos exaudiat, nobis miſereatur, t. 7. l. 3 c. 3. n. 19. p. 472

Chriſti Perſona eſt verè & propriè compoſita, t. 7. l. 2. c. 1. n. 3. p. 330. Compoſitione *ex his* non verò ſolùm compoſitione *hujus ad hoc* aut *cum his*, n. 7. p. 331. Hujuſmodi compoſitio in Chriſto eſt duplex, alia immediata ex naturâ humana & perſonalitate Verbi, alia mediata ex naturâ humanâ & naturâ divinâ, n. 6. Neutra compoſitio eſt aut ratione partium aut præcisè ratione numeri, n. 10. p. 331

Chriſti Perſona ſeu Chriſtus rectè dici poteſt conſtare tribus naturis, rectiùs tamen dicitur conſtare ſolùm duabus, tr. 7. l. 1. c. 5. n. 79 & 80. p. 261

Chriſti ſanctitas alia ſubſtantialis, alia accidentalis, t. 7. l. 2. cap. 6. & 7, n. 1. p. 412. & 425. ſanctitas ſubſtantialis. Vide, Chriſti humanitas. Chriſti ſanctitas accidentalis complectitur plura dona ſupernaturalia creata tùm habitualia, tùm actualia, in primis verò gratiam habitualem, quam in Chriſto dari eſt Theologicè certum at non de fide, t. 7. l. 2. c. 7. n. 1. & 2. p. 425

Chriſti ſatisfactio fuit pro peccatis hominum condigna ex intrinſeco valore operum, t. 7. l. 3. c. 2. n. 2. p. 454. Fuit inſuper ſuperabundans & ultra condignum, eod. c. 2. n. 9. p. 456. etiam quando ſupponeretur infinita gravitas noſtrorum peccatorum, & finitus valor operum Chriſti, n. 12. & 17. p. 457. Item quando fieret comparatio ad peccatum aut commiſſum per impoſſibile ab ipſomet Chriſto, aut invincibiliter putatum deſtructivum Dei, n. 19. & 22. p. 458. Fuit tandem ſuperabundans non ſolùm pro injuriâ ſed etiam pro damno conſequente peccatum Chriſticidij n. 23. p. 459

Chriſti ſatisfactio quoad id quod formale & præcipuum in ipſa eſt procedit à Chriſto ut Deo, eod. c. 2. n. 5. p. 455. Non ſervavit nec ſervare potuit formalem rationem juſtitiæ rigoroſæ ſumptæ pro commutativa, n. 26. p. 460. Servavit tamen, aut ſaltem ſervare potuit ex ſuppoſitione, quod eſſet dabilis in Deo & ad Deum juſtitia, aliquas conditiones, puta alteritatem, n. 10. p. 461. Eſſe ex bonis proprijs, n. 34. Eſſe ex indebitis alio titulo, n. 36. p. 462 Eſſe non ex gratia creditoris, n. 39. p. 463. Inducere obligationem acceptationis, n. 41. p. 464

Chriſti ſatisfactio non fuit actus alicujus unicæ ſpecialis virtutis, eod. c. 2. n. 45. p. 465. fuit tamen potiſſimum conſummata actibus religionis & obedientiæ quos potiſſimum Chriſtus exercuit in paſſione & morte, n. 49 & 50. p. 466. Fuit exhibita pro omnibus prorſus hominibus at pro diverſis diverſimodè n. 51 & ſeqq. p. 466

Chriſti ſatisfactio ſufficiens, efficax in actu ſignato, in actu exercito, quid? n. 50. 51. 56. p. 466

Chriſti ſcientia beata ab inſtanti conceptionis & ſemper fuit in ipſo tùm habitualis tùm actualis, tr. 7. l. 2. c. 3. n. 1. 3. & 5. p. 354. Relatè ad ſcientias beatas aliorum ſivè Angelorum ſivè hominum fuit majoris perfectionis tùm intenſivæ tùm extenſivæ, non ſpecificæ, eod. c. 3. n. 6. p. 355. Semper in actu ſecundo attigit omnes creaturas pro aliqua differentia temporis exiſtentes & ſignanter omnia prorſus futura etiam conditionata, n. 10. & 13. p. 356. 362. Attigit inſuper poſſibilia infinita, quamvis non infinitas poſſibilium ſubſtantialium & fortè nec accidentalium ſpecies in comprehenſione rerum exiſtentium, n. 22. 23. & 24. p. 359. Imò aliundè quàm ex tali comprehenſione attingit poſſibilia omnia prorſus, n. 26. p. 360. Quoad numerum ſcibilium adæquat ſcientiam increatam Dei, n. 18. & 29. p. 358. 361. Adhuc tamen Chriſtus nec habuit de facto, & nec de potentia abſoluta habere potuit cognitionem creatam Dei compræhenſivam. n. 33. p. 362

Chriſti ſcientia ſupernaturalis per ſe infuſa alia beata verè admittenda eſt. t. 7. l. 2. c. 3. n. 34.

n.34. p.361. Fuit ſemper in aliquo actu ſecundo at nunquam in nllo actu ſecundo adæquato toti ſuo objecto, num.99. & 103. p. 388. Elicit actus ſupernaturales in ſubſtantia, ad quos Chriſtus poteſt ſe ex ſe præcisè excitare pro libito & quomodò, num.102.& 106.p.389. Hujuſmodi ſcientia importat ſpecies in repræſentando univerſales, & ſpeciebus Angelicis perſectiores, nitùm etiam univerſaliores, problema? Præter ſupernaturales ſpecies importat ſupernaturale lumen diſtinctum & diverſum à lumine gloriæ, at non ultrà ſpecies & lumen aliam ſupernaturalem qualitatem, n.47 & ſeqq. p.365. Imò de potentia abſoluta poteſt eadem qualitas æquivalere ſpeciebus & lumini, n.53.p.367

Chriſti ſcientia ſupernaturalis per ſe infuſa ſumpta pro ſpeciebus non eſt qualitas una, ſimplex, & homogenea, benè verò ſumpta pro lumine, tr.7.l.2.c.3.n.57.p.367. Hujuſmodi ſcientia in ſui nec diſcurſum requirit, nec converſionem ad phantaſmata, permittit tamen utrumque, n.6.& ſeqq.p 355 Habet pro objecto res omnes naturales, ſecreta cordium, futura contingentia, omnia præterita, omnia dona ſupernaturalia creata, probabiliter etiam omnia poſſibilia, hæcque omnia Chriſtus, tali ſcientia cognuſcere poteſt immediatè & comprehenſivè, Deum verò unum & Trinum ſolum mediatè & non comprehenſivè, n.66.& ſeq. p.369

Chriſti ſcientia naturalis alia per ſe infuſa ſimilis ei quam ex natura ſua exigunt anima ſeparata & Angelus ſita in ſpeciebus naturalibus univerſalibus non ſe extendentibus ultra objecta pertinentia ad hoc univerſum, tr.7.l.2 c.4.n.6.& ſeqq.p.391. Alia naturalis aquiſita, & hæc partim propriè experimentalis, partim non: Scientia infuſa per accidens nulla in Chriſto, eod.c.4. n.14.19. & ſeqq.p.393. Cur virtutes per ſe aquiſibiles fuerint Chriſto ab initio infuſæ potiùs quàm per ſe aquiſibiles ſcientiæ, tr.7. l.2.c.7.n.52.p.436

Chriſti ſubſiſtentia divina habeat ne rationem formæ reſpecto naturæ humanæ, tr.7. l.1. c.2. n.16. p.207. Quomodò in iſta expleat appetitum naturalem ſubſiſtentiæ propriæ? eod.c. n.21. p.109. Quomodò reddat humanitatem infinite ſubſiſtentem, tr.7. l.2. c.6.n.52.p.424. Reſpectu humanitatis habet duplicem rationem principij ſeu quaſi principij & quomodo? tr.7.l.3.c.1.num.5. & 6. p.450. Non recte dicitur compoſita ex duplici habitudine ad duplicem naturam. t.7.l.1.c.1.n.2.p.329

Chriſti virtutes per ſe infuſæ probabiliter fuerunt habitus phyſicè infiniti, eodemque modo ſentiendum de talium habituum actibus quos Chriſtus elicuit & elicit ut comprehenſor, at non quos elicuit ut Viator, tract.7. lib.2. cap.7. num. 35. & 49. p.432 & 435

Chriſtus in via habuit verum actum ſpei circa gloriam corporis & exaltationem ſui nominis, t.6.l.2.c.2.n.43.p.145

Chriſtus habuit per ſe infuſos omnes virtutum ſupernaturalium habitus exceptis incompoſſibilibus cum ſtatu beatifico ut ſunt præcipuè ex Theologicis fides, ex moralibus Pœnitentia, t.7.l.2.c.7.n.45.46 47.p 434 Habuit item ab initio infuſos per accidens habitus virtutum moralium naturalium ſuppoſito quòd ſint à ſpeciebus coordinatis diſtincti, n.51.p.436. At iſti habitus non fuerunt entitativè infiniti, n.49.p.435. Habuit ſimul cum virtutibus voluntatis naturalem prudentiam ab initio infuſam intellectui, n.58. p. 437. Habuit tandem & adhuc habet etiam quoad aliquem actum omnia dona Spiritus Sancti, num.59.p.438 Omnes pariter gratias gratis datas & quidem permanenter, etſi forte ſolùm unus vel alter habitus fuerit pro illis inditus, n.65.& ſeq.p.439

Chriſti voluntas duplex, humana alia, alia divina, t.7.l.2.cap.1.n.1.p.348. Duplex item Chriſti velle in actu ſecundo, eod.c.2.n.9 p.350. Vide, Chriſti intellectus.

Chriſti voluntas humana rationalis fuit libera libertate non ſolùm à coactione ſed etiã à neceſſitate; item non ſolùm libertate contradictionis, ſed in aliquo ſenſu etiam contrarietatis, tract.7.lib.2. cap.5. num.2. & 4. p.400

Chriſti libertas cum libertate & præcepto mortis ſubeundæ non per aliud melius conciliatur quàm per ſenſum compoſitum & diviſum, t.7.lib.4.c.2.n.38. p.514. Alius deinde conciliationis modus eſſe poteſt potentia impetrandi diſpenſationem, eodem c.2.n.49. p.517. In ordine ad præcepta naturalia alia via ineunda eſt, nec poteſt Chriſti libertas & meritum circà ipſa quando obligant exerceri quoad ſubſtantiam rei præceptæ, ſed ſolùm quoad aliquam ejus perfectionem accidentalem, n.52.p.518

Chriſti voluntas humana potuit eligere bonum minus relicto majore; & quoad bonitatem perfectionemque intrinſecam elicere actum minus perfectũ non elicito actu perfectiore t.7. 2. c.5.n.5. & 13. p.401.& 402. Potuit omittere opera conſilij communiter accepta. eod. c.5. n.19.& 20.p.404. Et hæc omnia potuit potentia & indifferentia non phyſica tantum ſed & morali.n.13.p.405

Chriſti voluntas humana efficax fuit ſemper impleta, ejus tamen efficacitas fuit adhoc admodum diverſa ab efficacitate voluntatis divinæ. eod.c.5. n. 35. & 32. p.407. Nunquam fuit difformis voluntati divinæ efficaci ſivè ſigni, ſivè beneplaciti, ſivè in volito formali, ſivè in volito materiali. n.24. & 26.p.405. Imò nec de potentia abſoluta potuit eſſe difformis voluntati divinæ efficaci Chriſto notæ & veriſimiliter etiam non notæ.n.29. & 39.p.406.& 409

Chriſti voluntas humana potuit eſſe & fuit aliquando inefficax ſive ſumatur ut natura, ſive ſumatur ut ratio.t.7.l.2.c.5.n.34.p.407. Et de facto fuit inefficax non ſolum ut natura ſed etiam ut ratio voluntas declinandi mortem n.37.p.408

Chriſti voluntas humana inefficax volens oppoſitum

Digitized by Google

poſitum ejus quod volebat voluntas divina, & ſignanter voluntas declinandi mortem non fuit contraria & difformis voluntati divinæ imò fuit poſitivè conformis. eod.c.n.42.& 45.p.409.& l.4.c.1.n.25.p.505. Non fuit item talis voluntas inefficax actus fomitis.eod.l.4.c.5.n.35.p 533

Chriſtus præter voluntatem humanam rationalem habuit voluntatem ſenſualem ſeu appetitum ſenſitivum, ejuſdem ſpeciei cum eo cæterorum hominum. t.7.l.4.c.3.n.25.& 27.p.530.& 533. Hujuſmodi voluntas ſenſualis in Chriſto non admiſit de facto, & nec de potentia abſoluta admittere potuit fomitem neque etiam in actu primo, neque etiam ſumptum latius prout inclinat ad præveniendam rationem circa objecta ei conſona.eod. cap.5. num.31. 36. & 39. p.532.& 533. Admiſit paſſiones & quidem omnes dummodò ly *omnes* ſupponat pro ſingulis generum, non pro generibus ſingulorum, n 41.& 46 p.534. Iſtæ paſſiones fuerunt à noſtris diverſæ quoad tria; Utrum idcircò dicendæ ſint propaſſiones liberum & problematicum.n.54.& 55.p.537 Admiſit tandem voluntas Chriſti ſenſualis admirationem & verum dolorem ſenſibilem.n.52.& 53.p.536

Circumciſio quamvis cœperit in lege naturæ dicitur ſacramentum legis ſcriptæ, & cur? t.8.l.1.c.2.n.48.p.590. fuit inſtituta non ſolum in ſignum diſtinctivum populi, ſed & in ſacramentum deletivum originalis parvulorum, ſubintellige, Maſculorum, & quatenus tale contulit parvulis gratiam ex opere operato, & ex Chriſti meritis.t.8.l.1.c 3.n.5.33.& 37 p.602. Quomodò potuerit dici Sacramentum egenum & vacuum.n.15. Non magis ad ſalutem profuit, quàm remedium legis naturæ.n.16.p.596

Circumciſio antè octavum à nativitate diem nunquam fuit licita; Utrum aliquando valida? Problema: Poſt octavum diē fuit sēper valida & in aliquibus caſibus licita, eodem c.5.n.26. & 27. p.589. Potuit validè miniſtrari à quolibet, & (quamvis non in remedium originalis) etiam à ſeipſo ſibi, n.20. Ut in remedium originalis dabatur requirebat eandem fidem quam remedium legis naturæ, n.24. p.588. Vide originalis remedium.

Circumciſio non imprimebat ſpiritualem characterem, tract.8.lib.2.cap.5.n.3. & 10. p.705.707

Cogitatio propriè accepta importat cognitionem imperfectam, tractat.6.lib.1. cap.5. n.3.p.58

Cognitio comprehenſiva quodnam principium requirat tam perfectum quàm eſt perfectum objectū, t.7.lib.2.c.3.n.87p.184

Cognitioni propriè intuitivæ non ſufficit quod ejus objectum ſit exiſtens, & exiſtens cognoſcatur, ſed inſuper requiritur quod ſit cognitioni phyſicè coexiſtens, eod. c.3.n.81.p.383

Cognoſci ſequitur ad eſſe quomodò verificetur, eod.c.3.n.18.p.358

Communicatio idiomatum quid ſignificet? da-tur in Chriſto verè & propriè, t.7.lib.2.c.1 n.19 p.333. Non habetur ex eo quod divina attributa in ſeipſis formaliter ſint immediatè unita humanitati, ſed præcisè ex unitate perſonæ ſeu ex unione duarum naturarum in una perſona, eod.c.1.n.23.& 27 p.334.335

Communicatio idiomatum conſequitur aſſumptionem naturæ completæ dumtaxat, non incompletæ, tr.7.l.1.c.5.n.64.p.258. Niſi ſermo ſit de aliquo idiomate convenienie tum parti, tum etiam toti, eod.c.5.n.104 p.267

Communicationis idiomatum variæ regulæ tr.7.l.2.c.1. n.35. & ſeqq. p.337. Variarum item propoſitionem ad talem communicationem ſpectantium ſeu conſequentium judicium, eod.c.1.n.46. & ſeqq.p.340. De Deo & Perſonâ divinâ etiam per communicationem idiomatum repugnat dici quod peccet aut poſſit peccare, & in univerſum nullum malum morale poteſt de Deo per communicationem idiomatum dici, quamvis poſſit ſic dici malum phyſicum & cur? tractat. 7. libr.4. capit.2. numer.22. & 24. pag.510

Compoſitum & compoſitio verè ac propriè quid? t.7.l.2.c.1.n.3.& 7.p.331.& 334. Quid compoſitio *Ex his*, *Cum his*, *Hujus ad hoc*. Quid compoſitio ratione partium, quid compoſitio ratione numeri, quid compoſitio inter hanc utramque media, eod.c.1.n.7. & 10.p.331

Compoſitum non eſt ſemper verè & propriè totum, eod.c.1.n.9.p.331

Compoſitum ſeu concretum phyſicum aliquando ſumitur pro eo ſolo quod conſtat forma phyſica, aliquando pro eo omni, quod eſt realiter & propriè compoſitum, t.7.l.2.c 6.n.57.p.420

Concilia ſeorſim à Summo Pontifice non habent ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti ad deficiendas res fidei, tr.6.lib.1. cap.2. n.39.p.16

Confirmationis Sacramentum exiſtimarunt olim aliqui Catholici fuiſſe inſtitutum ab Eccleſia, non à Chriſto, tr.8.l.2. c.2. n.5. p.629

Conſecratio alia per formam inhærentem, alia per denominationem extrinſecam, illa vix poteſt auferri permanente ſubſtantia rei, ſecùs iſta, tract.8.lib.2. cap.5. n.45. p.716.

Conſecratio Calicis in triduo mortis Chriſti potuiſſetne fieri, & quid tunc ſub ſpeciebus vini fuiſſet poſitum, tr.7.lib.1.c.5.n.104 p.267

Conſiliorum non obſervantia, ſeu non impletio cur in nobis potius quàm in Chriſto inducere poſſit aliquam reprehenſibilitatem, t.7.l.2.c.5.n.19.p 404

Contritio non poteſt elici ſine prævio actu fidei divinæ, nec contenta eſt cognitione Dei finis ſupernaturalis etiamſi ſupernaturali hauſta ex creaturis, t.6.l.1.c.5.n.82.& 83 pag.76

Contritio eſt condignè ſatisfactoria pro culpa veniali non ſic attritio, t.7.l.1.c.3.n.73.p.229

Convenientia quomodò ſe habeat ad bonitatem, quomodò ad poſſibilitatem. t.7.l.1. c.2. num.1. p.204. Quid convenientia negativa, quid poſitiva? n.2.p.205. Quid convenientia laudabilitatis, utilitatis, voluptatis? n.3.p.203. Quid convenientia ab intrinſeco, quid convenientia ab extrinſeco.n.4.p.205

Converſionis ad phantaſmata duplex modus. t.7. l.2.c.3.n.64 p.369

Cornelius *act*.10. quomodò fuerit vir juſtus & timens Deum antequàm edoceretur à Petro & incorporaretur Eccleſiæ. t.6. l.1.c.5. n.93.& 94. pag.79

Correctio & correptio fraterna ſolent ſumi pro eodem, in re tamen differunt: ſunt quædam ſpiritualis eleemoſyna; Continētur propriè ſub miſericordia, & ad charitatem pertinent eo modo, quo miſericordia.t.6.l.2.c.5.n 6.p.167

Corruptionis duplex modus.t.7.l.4.c.1.n.4 p.500

Creationis cum juſtificatione, virtutis creativæ cum virtute juſtificativa comparatio.t.8.l.2.c.2. n.24.p.624

Credere Deo, Deum, & in Deum quid. t.6.l.1.c.5. n.7.p.58. Non poſſumus eodem modo credere Eccleſiæ, Eccleſiam, & in Eccleſiam, n.9. p.59. Credere in Deum quomodò poſſit competere fidelibus exiſtentibus in peccato.n.10.p.59

Credibilitas referri poteſt vel ad actum directum quo aliquid creditur, vel ad actum reflexum quo cognoſcitur dignum credi.t.6.l.1.c.4.n.42.p.50

Credibilitas eſt una & eadem reſpectu omnium objectorum materialium fidei, evidentia credibilitatis eſſe poteſt inæqualis & varia. eod. c.4. n.68.p.56

Credibilitatis motiva non movent ad aſſenſum ſed ad judicium de dignitate ſeu convenientia aſſenſus.t.6.l.1.c.5.n.48.p.68

Credibilitatis evidentia. Vide evidentia credibilitatis.

Credulitas nimia & peccaminoſa in quo conſiſtat. t.6.l.1.c.8.n.9.p.118

Credulitatis virtus eſt habitus à quo elicitur pia credendi affectio, & eſt habitus formaliter moralis, inchoativè theologicus.t.6.l.1.c.5.n.65. & 66. p.72. Divinitùs poteſt eſſe habitus indiſtinctus ab habitu fidei ex parte intellectus, poteſt item ſuppleri actuali auxilio. eod.c.5.n.71. & 72.p.74. Habet pro ſubjecto immediato & proximo voluntatem ſeu naturam intellectualem ut volitivam.eod.l.1.c.7.n.43. p.109. Amittitur quoties amittitur habitus fidei ex parte intellectus.eod.c.7. n.69. p.115. habet pro ultima diſpoſitione piæ affectionis actum.num.20. p.104

D

Damnatio propria nemini regulariter revelatur abſolute & ſimpliciter, & cenſenda eſt regulariter comminatoria & conditionata propriæ damnationis revelatio ſi quæ alicui à Deo fit.t.6 l.2.c.3.n.20.& 26.p.151.& 159. De potentia abſoluta poteſt cuilibet (duobus caſibus exceptis) reprobo etiam exiſtenti in gratia propria damnatio ſimpliciter & abſolutè revelari. n.28. p 153. Is cui talis revelatio facta ſupponatur non teneretur ſperare & poſſet licitè deſperare deſperatione negativa, teneretur tamen non deſperare deſperatione poſitiva & propria ſicut & teneretur ſervare alia præcepta excepto illo poſitive ſperandi. n.20.22. & 23 p.152. Haberet ſtatum viæ diverſum ab eo quem habent cæteri viatores; eſſet in termino inchoative.n.30.& 31.p.154

Decretum divinum efficax poteſt tendere in rem abſtrahendo à circumſtantijs & modis ejus extrinſecis ad ſummum, non intrinſecis.t.7.l.1.c.7. n.22.p.29

Deſperatio ſpei theologicæ oppoſita conſiſtit in actu voluntatis: eſt peccatum ex genere ſuo lethale, & definiri poteſt nolitio poſitiva beatitudinis.t.6.l.2.c.3 n.11.13.& 14 p.150. Alia eſt poſitiva, alia negativa.n.22.p.142. Si propriè ſumatur verſari non poteſt circa beatitudinem alienam.eod.l.2 c.1.n 26.p.135

Deſperatio poteſt eſſe tum cum, tum ſine infidelitate, ſemper tamen ad hanc diſponit.t.6.l.2.c.3. n.15.& 16.p.150. Suaptè natura procedit ex falſa, poteſt tamen etiam procedere ex vera exiſtimatione.eod.c.3.n.18.p.151

Deſperationem in Chriſto extitiſſe quinam blaſphemaverint.t.7.l.2 c.3.n.1.p.334

Deus poteſt multis modis loqui.t.6.l.1.c.2. n.21. p 13. Quòd de facto nec fuerit locutus falſum nec mentitus eſt de fide; quòd neutrum poſſit de potentia abſoluta, nec per ſe, nec per alium habendum eſt pro certo.eod. l.1.c.3.n.3. & 8. p.23. Non poteſt etiam Deus mentiri aut falſum dicere in promittendo.eod.c.3.num.12. Vide loquutio.

Deus uti non poteſt æquivocatione aut amphibologia propriè dicta; nec reſtrictione mentali purè tali, nec infundere erroris actum nec item habitum. eod.c.3. n.13. & ſeqq. p.24. Non poteſt operari miracula in confirmationem falſi.n.28. pag.27

Deus nihil ſperat nec ſperare poteſt. t.6 l.2.cap.2. n.27.p.141. ut Auctor ſupernaturalis non eſt ſuperior ſeipſo ut Auctore naturali. t.7.l.1.cap.3. n.53.p.224

Deus ſi eſſet unica Perſona adhuc optimè poſſet hypoſtaticè aſſumere naturam creatam.t.7. l.1. c.4.n.52. p.241. Ut de facto eſt in tribus etiam ut ab omnibus tribus abſtrahens poteſt pariter aſſumere per ſubſiſtentiam abſolutam, & per hanc aſſumendo naturam humanam tres divinæ Perſonæ incarnarentur mediatè, unio item eſſet hypoſtatica ſolùm mediatè, ſubſiſtentia tamen humanitatis propria excluderetur immediatè.eod.c.4.n.64 65 & 66 p.244

Deus eſt homo verificatur in Chriſto rigoroſè & propriè abſtrahendo ab eo quod ſit in materia aut neceſſaria aut contingenti aut per ſe aut per accidens.t.7.l.2.c.1.n. 4.p.337

Deus eſt humanatus verificatur propriè & rigoroſè participaliter tantùm & ſubſtantive, non denominative & adjectivè.eod.c.1.n 32. p.337

Deus in Incarnatione rectè dicitur factus homo at non rectè dicitur ne quidem per communicationem idiomatum mutatus.eod.c.1.n 13.& 57. p.341. Non item rectè dicitur quod aſſumpſerit hominem.num.59 pag.344. Diſcurſus propriè talis quid; quandonam habeat formaliter, quando æquivalenter applicatam formam ſyllogiſticam. tract.6. l 1 cap.5.num.12. pag 60

Diſcurſus virtualis nō intervenit ubicúque præſtatur aſſenſus uni propter aliud.eod.c.5.n.16 p.61

Index Rerum.

Diſcurſus quomodò requiratur vel non requiratur ad fidem theologicam. Vide fidei actus.

Diſpoſitio condigna quomodò à merito condigno differat? Quomodò item poſſit quis mereri condignè diſpoſitionem ad formam, non merendo condign. formam. t.7.l.1.c.9.n.71.p.325

Diſpoſitio moralis eſt valdè affinis merito congruo.eod.c.9.n.78.p.327

Diſpoſitio negativè æqualis quid? & quomodò juxtà diſpoſitionem æqualem vel inæqualem, ſacramenta conferant æqualem vel inæqualem gratiam.t.8 l.2.c.4. n.113. 124. & ſeqq. p.689. Quænam diſpoſitio ſit conducens & quænam magis conducens ad gratiam ſacramentalem. eod.c.4.n.129.p.690

Diſpoſitio inſerviens duobus ſacramentis ſimul conducat ne ad tantam gratiam, ad quantam eadem diſpoſitio geminata inſerviens iiſdem duobus ſacramentis ſucceſſivè.n.173.p.702

Diſtinctio includentis ab incluſo non eſt neceſſe quod ſit per aliquid ſimplex. t.7. l.1. c.6.n.5. p. 75

Dolor alius objectivus, alius formalis: Dolor objectivus eſt corporis læſio: Dolor formalis ab aliquibus collocatur in talis læſionis ſenſione, ab aliis meliùs in diſplicentia conſequente; & hac ratione eſt paſſio animalis ad fugam aut ad triſtitiam pertinens.t.7.l.4. c.3.n.53.p.536

Dominici diei præ aliis diebus prærogativæ, & præclariora Myſteria in ipſo peracta.t.7.l.1.c.2. n.52.p.219

Donum ex genere ſuo eſt irrevocabile.t.7. l.1.c.6. n.41.p.184

Dona Spiritus Sancti ſunt ſeptem, quatuor ad intellectum, tria ad voluntatem pertinent; diſtinguuntur à virtutibus per ſe infuſis eodem nomine ſignificatis & quomodo? Reperiuntur omnia in Beatis & in Chriſto etiam quoad actum, ubi ſingillatim de actu timoris, pietatis, conſilij,& fortitudinis.t.7 l.2.c.7.n.59.& ſeqq. p.438

Dubitans de rebus fidei conſtituitur ſub illa ſpecie infidelitatis,ad quam deflectit, t.6.l.1.c.8.n.19. p.121

Dulia ex accommodatione Scholaſticorum & Patrum habet ſignificationem diverſam ab ea quam habet ex ſua inſtitutione.t.7.l.4.c.4.n.66. p. 554

E

Ecclesia tum in tota ſua latitudine,tum ut militans ſub lege evangelica quid? t.6.l.1.c.2. n.57.p.16. Quid item & ex quibus conſurgat? quatenus ejus Caput eſt Chriſtus.t.7.l.2. cap.7. n.87.& ſeqq. p.444

Eccleſia Chriſti viſibilis conſurgit ex ſolis hominibus baptizatis.t.6.l.1.c.8.n.33.p.124

Eccleſia nihil ſtatuit de fide quod non fuerit creditum ab Apoſtolis. t.6. l.2.c.1. n.22. p.134. Quandonam dicatur proponere, quando definire, quando aſſeverare fidei veritates? eod.c.s. n.24 p.135.& c 2.n.35.p.143

Eccleſia habet juſtam poteſtatem puniendi errantes exterius in materia morum & fidei. t.6. l.1. c.8 n.31.p.124

Eccleſiæ auctoritas alia humana,alia divina: Neutra ingreditur objectum formale fidei. eod. l.1. c.2. n.38. 41. & 42. p. 16.Eccleſiæ propoſitio ſe tenet ex parte objecti formalis fidei, at ſolùm tanquàm conditio *cum qua*, non *ſine qua*. eod. c.2.n.34.40.& 43.p.16.& 17. Hujuſmodi propoſitio alia proxima,alia remota.n.45.p.17

Eleemoſyna eſt actus externus miſericordiæ & ad charitatem pertinet eo modo quo miſericordia ipſa.t.6.l.2.c.5.n.5.p.566

Effectus formalis eſt præciſè forma communicata ſubjecto, de quonam effectu formali procedat. t.7.l.2.c.6.n.31. p.419

Effectus formalis moralis haberi poteſt à forma unita ſolùm mediatè, non ſic effectus formalis phyſicus. eod.c.6.n.35.p.419

Ens rationis quomodò complectatur denominationes extrinſecas & moralitates.t.8. l.2. cap.5. n.14.p.708

Entia rationis & entia per accidens poſſunt ſuſtineri propriè ac per ſe definibilia. t.8. l.1. c.1. n.41.& 42.p.574

Error ex genere ſuo quid addat ſupra falſitatē.t.6. l.1.c.8.n.44.p.126. Error intellectus quāvis ſpeculativus eſt malū morale majus quàm potentia peccandi.t.6.l.1.c.3.n.25.& 24.p.26.& t.7.l.4.c.3. n.8.& 9.Neque quoad actum neque etiam quoad habitum eſt de potentia abſoluta producibilis à Deo in intellectu creato. t.6. l.1. c.3. n.20. & 27.p.26.& 27

Error in materia fidei proveniens ex ignorantia etiam affectata non eſt infidelitas nec expellit fidei habitum.t.6.l.1.c.3.n.6.p 22

Eſſe datur ad operari quomodò & de quo eſſe verificetur.t.7.l.1.c.5.n 51.p.256

Euchariſtia fuit à Chriſto etiam ut homine inſtituta.t.8.l.2.c.2.n.15. p.632. Etiamſi permanens ſit eſſentialiter conſtituitur verbis.eod. l.2. c.s. n.12.p.631 Significat gratiam etiam antè ſumptionem & quomodo? t.8. l.t. c. 1. n.56. p.567. Nullam ad ſui valorem requirit intentionem ſuſcipientis.t.8.l.2.c.3.n.14.p.652. Ut ſuſcipiatur eu fructu requirit quidem aliquam intentionē at ſufficit valdè implicita.eod.c.3.n.40.p.665

Euchariſtia ſumpta ſolùm in voto non confert aliquam gratiam ſacramentalem. t.8 l.2. cap.4. num.58. Sumpta in peccato veniali non impeditur à ſuo effectu.& quinam oppoſitum ſenſerint.eod.c.4.n.516.p.692

Euchariſtiam nonnulli referunt fuiſſe à B Virgine quotidiè ſumptam.t.8.l.2. c 5.n.33.p.713

Evidentia in atteſtante ſeu evidentia divinæ revelationis haberi poteſt ſine evidentia divinæ veracitatis,t.6.l.s.c.4. n.16. p.46. Gignit evidentiam rei atteſtatæ.eod.c.4.n.30.p.47. Aut nulli aut ſoli primo Angelo fuit de facto communicata.n.28 p.47. Per accidens & concomitanter poteſt ſtare cum fide at non formaliter & per ſe loquendo.n.29.p.47

Evidentiæ diviſio in intrinſecam & extrinſecam: Item quod illa tantùm,non iſta, fidei repugnet, multum habet quæſtionis de nomine. t.6. l.1. c.4.n.31.p.47

Evidentia credibilitatis quomodò differat ab evidentia veritatis? quomodò item cohæreat cum obſcuritate fidei? eod.c.4.n.37.& 38 p.49. Sicut non infert evidentiam veritatis, ita nec evidentiam poſſibilitatis.n.42.p.50.Non poteſt neceſſitate intellectum ad aſſenſum. eod. l.1. c.5. n.43.p.67

Evidentia credibilitatis in rebus noſtræ fidei eſt

maxima

maxima non ſolùm abſolutè ſed etiam comparativè ad alias ſectas & iſtæ apparent evidenter incredibiles.t.6.l.1.c.4.n.44.p.51. Datur de facto tum in objecto fidei formali,& divina revelatione,tum in objectis materialibus & rebus revelatis.eod.c.4.n.40.p.50.Deſumitur ex varijs motivis quæ commodè poſſunt ad quinque claſſes revocari, omniaque deindè in unum argumentum colligi & quaſi conglobari.n.45.54.& 58.p.51.& 53.Cur non obſtantibus tot motivis credibilitatis ſint facilius diſcredibilia objecta fidei divinæ,quam aliqua objecta fidei humanæ.t.6 l.1.c.5.n.49.& 50.p.69

Evidentia credibilitatis admittit latitudinem,intrà quam in ſingulis credentibus ad actum fidei prærequiritur.eod.l.1.c.4.n.55.& 56.p.53.Judicium de tali evidentia non eſt neceſſe quod ſit ſupernaturale eod. c.4. n.57. p.54. Eſt concluſio deducta ex duabus præmiſſis naturalibus n.58. Ex ſe præciſè & quatenùs ſpeculativum eſt non inducit voluntatem credendi,præſtat hoc dumtaxat ut conjunctum cum ſupernaturali illuminatione, per quam etiam dici poteſt reddi practicum.n.59.& 60.p.54. Quatenùs ſpeculativum eſt provenit ex naturali habitu ſcientiæ. n.62.p.55

Eutychetis error de unica natura in Chriſto qualis & undè derivatus.t.7 l.1.c.4.n.3.& 4 p.230

Extrema. Unctio fuit olim ab aliquibus Catholicis exiſtimata inſtituta à Iacobo Apoſtolo. t.8. l.2.c.2.n.5.p.629. Non eſt miniſtranda parvulis antè uſum rationis.t.8.l.2.c.3. n 8. p.653. Benè verò aliquando amentibus aut deſtitutis uſu ſenſuum.eod.c.3.n.29.& 31.p.658

F

FAcilitas eliciendi actus ſupernaturales fidei undènam proveniat. t.6.l.1.c.7.n.59. p.112

Factus quid ſignificet in propoſitionibus illis *Homo factus eſt Deus,Deus factus eſt homo*,& cur ſecunda non prima propoſitio verificetur ſimpliciter in ſenſu proprio & rigoroſo.t.7. l.2. cap.1. n.4.& ſeqq.p.330

Fides ex genere ſuo non eſt quicumque aſſenſus teſtimonio præſtitus, ſed neceſſe eſt quod ſit præſtitus teſtimonio non inducenti evidentiam rei atteſtatæ.t.9.l.1.c.4.n.34.p.48

Fidei ſupernaturalis diviſio in theologicam & catholicam, aut in theologicam & communiter dictam multum habet quæſtionis de nomine. eod.l.1.cap.3. num.68. & 72. p.36. Non eſt de conceptu fidei theologicæ quod per eam credamus Deo & Deum ; ſufficit illi quod credamus Deo.eod.n.72.p.37

Fides ut eſt gratia gratis data fuit in Chriſto & quid importet?t.7.l.2.c.7.n.66.p.439

Fides theologica non eſt virtus moralis niſi ſumatur aut imperativè aut proprio affectu credendi.t 6.l.1.c.3.n.83. p.39 Quomodò fuerit eadem ab initio mundi quæ eſt nunc? Quomodò tota contineatur ſub his duobus credibilibus Deus eſt & Remunerator eſt.t.6.l.1.c.1. n.26. & 27. p.7. Quomodò fuerit ſimpliciter major in Apoſtolis quàm ullo alio tempore.eod. c.1.num.50. 58

Fidei theologicæ actus internus definitur tripliciter,ex noſtris principijs,ex Apoſtolo,& ex Auguſtino.t.6.l.1.c.5. n.3. p. 57. elicitur ab intellectu,imperatur à voluntate,eod.c 5.n 2 ibid. Ampliativè non excluſivè dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum & argumentum non apparentium. eod.c.5.n.4 p.58.& c.4. n.20. p.45. Non admittit ſub ſe ſpecificam diverſitatem & dividitur ſolùm per diviſiones improprias quæ quinque potiſſimum eſſe poſſunt.eod.c.5.n.6.7.& 8. p.58

Fidei theologicæ actus internus eſt ſupernaturalis in ſubſtantia.t.6.l.1.c.5.n.116.& 123 p.85. Præter ſupernaturalem habitum non requirit ex parte intellectus ſupernaturales ſpecies intentionales neque ſupernaturales apprehenſiones. eod.l.1.c.7.n.61.& 62.p.113. Non relinquit item ſupernaturalem ſui ſpeciem, neque ullam ſpeciem directam ſui objecti. eod. c.7. n.65. & 66. p.114. Non poteſt reſolvi in aſſenſum naturalem neque etiam ut conditionem, poteſt tamen dependere à naturali conditione.eod.l.1.c.2.n.53. & 54.p. 9 Poteſt item pendere à naturali medio explicativè ſe habente.eod.l.1. c 3. num.46. p.11.Non prærequirit circa objectum formale aſſenſum ullum aut naturalem aut ſupernaturalem realiter priorem,debet tamen priùs ratione objectum formale quam objectum materiale attingere.t.6.l.1.c.2.n.57.& 63.p.20

Fidei theologicæ actus internus à quibuſnam alijs actibus præcedatur & quo ordine. eod.l.1.c.4. n.61.p.54. Quoties proprium habitum præcedit eſt ad ipſum diſpoſitio ultima. eod. l.1. c.7. n.17 p.103.Item cauſa efficiens moralis, at non efficiens phyſica,ne quidem inſtrumentalis.eod. c.7.n.24. 25.& 27. p.105. Tollit errorem, non malitiam infidelitatis.n.14.ibid.

Fidei theologicæ actus internus eſt liber & indigens voluntatis imperio etiamſi ſupponatur attentio ad motiva evidentis credibilitatis.eod. l.1.c.5.n.40.42.& 46. p.66.& ſeqq. Hujuſmodi imperium debet eſſe poſitivum, nec ſufficit pura voluntatis non reſiſtentia. eod.c.5.n.51. p.69. Debet item eſſe reſpectu cujuſcumque actus fidei ſive primi ſive ſecundi ſupernaturale in ſubſtantia.n 53.54.& 55 p 69.Non poteſt eſſe actus malus etiamſi ſermo ſit de imperio ſolùm aut partiali aut mediato.n 58. p.70. Procedit à ſpeciali habitu ſupernaturali qui dici poteſt habitus credulitatis n. 62 & 64.p.71.& 72

Fides quæ ſine tali imperio eliceretur Deo per ſe ſupplente determinationem quam tale imperium præſtat non eſſet elicienti libera num.75. pag.74

Fidei theologicæ actus internus eſt ſimpliciter certior quocumque actu naturali etiam quoad nos,etiam adhæſivè.eod.c.5.n.25.30.& 32.p.63. & 64.Eſt æquè certus ac viſio & prophetia,certior alijs actibus ſupernaturalibus,quibus ſit ne etiam perfectior ? dubia res. Indubitatum verò quod ſit imperfectior viſione n.38.& 39. p 66. Nequidem de potentia abſoluta poteſt eſſe falſus, etiam materialiter & per accidens. eod. l.1. c.5.n 81.p.55. Poteſt ſimul eſſe cum actu ſcientiæ circa idem objectum materiale.eod. l.1. c.4. n.7.p.41. Item cum actu opinionis & fidei humanæ eod.c 4.n.18 p.44 Habet de lege ordinaria non de lege abſoluta ſpecialem repugnantiam cum ſcientia beata.n.10. p.43

Fidei theologicæ actus internus nullum prorſus diſcurſum per ſe requirit, neque etiam ab

objecto formali ad materiale.eod.l.1.c.5.n.11. & 14.p.59.& 60.admittit tamẽ diſcurſum etiam formalem qui explicativè non motivè ſe habeat,& poteſt fides dici diſcurſiva præſuppoſitivè,concomitanter,activè,non formaliter. eod. c.5.n.19.& 24.p.61.& 62

Fidei theologicæ actus internus eſt in quolibet adulto neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem & iuſtificationem.eod.c.5.n.79.& 82.p.70.Talis actus debet eſſe fidei in re, & fides in voto,pro fide in re non ſufficit, imò propriè non eſt dabilis n.86.& 87.p.77. Debet item eſſe fidei explicitæ Dei tum exiſtentis , tum ſupernaturalis remuneratoris, Dei exiſtentis præcise non ſufficit, Incarnationis & Trinitatis probabilius non requiritur.n.96.p.80.& ſeqq.Fides Dei exiſtentis, debet eſſe de exiſtentia ipſius etiam naturali n.108. p.81. Non eſt neceſſaria maior fides ad glorificationem ſeu ſalutem ſecundam , quàm ad iuſtificationem ſeu ſalutem primam. n.91 p.78. De potentia abſoluta poteſt adultus pluribus modis ſine interna fide iuſtificari.n.88. p.78

Fidei actus internus neceſſarius neceſſitate præcepti extenditur ſaltem ad omnia articulos cõtentos in ſymbolo Apoſtolorum.eod,c.5.n.109. & 112.p.83. Quale ſit huiuſmodi præceptum, pro quo & quo tempore obliget & ad quid ſe extẽderet in lege naturæ,n.111.& 115.p.83.& 84

Fidei theologicæ actus externus eſt valdè imperfectior interno ; provenit tamen ſuo modo ab eodem habitu,à quo internos, & per ſe refertur ad eundem finem.eod.l.1.c.6.n.1. 2. & 5. p.91. Non eſt ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medij. num.8. p.93. benè verò neceſſitate præcepti tum negativi obligantis ſemper & pro ſemper ad fidem non negandam.n.11.p.93.tum poſitivi obligantis aliquando ad eandem profitendam, & utrumque præceptum eſt iuris tum naturalis,tum divini.n.14.& 15.p.94 datur inſuper pro aliquibus peculiaribus perſonis peculiare præceptum Eccleſiaſticum n 16. p.94

Fidei exteriùs profitendæ præceptum & obligatio quomodo aliquando admittat occultationem, diſſimulationem,fugam,taciturnitatem , tergiverſationem,& ſimilia.n,20 & ſeqq.p.95

Fidei habitus de fide eſt quod detur. eod. l.1. c.7. n.2.p.100,Definitur dupliciter eod. c.7.n.5.& 8. p.101. Non diſtinguitur realiter à fidei lumine, inchoat in nobis vitam æternam.n.6.& 7.p.101 Habet pro cauſa efficiente principali ſolum Deum.n.25. p.105. Non habet ſub ſe habitus ſpecie diverſos,in quos tanquam genus dividatur.n.9.p.102.Infunditur parvulis ſimul tempore cum habitu gratiæ,Adultis regulariter priùs. n.16. & 17. p.103. Datur ad credendas non ad apprehendendas res fidei.n.64. p.114

Fides ſpeculativa & practica in ratione habitus differunt accidentaliter.eod.c.7,n.10.p.102.Fides informis & fides formata ſunt unus habitus etiam numero n.11.p.102.Fides quamvis informis eſt ſimpliciter & propriè virtus n.14.p.103

Fidei habitus ut contradiſtinguitur ab habitu credulitatis recipitur proximè in natura intellectuali quatenùs habente rationem intellectus, remotè in qualibet natura intellectuali creata ſecundum ſe.eod.c.7. n 43. p.109. Perſeverat in animabus Purgatorij & olim in animabus lymbi non in beatis nec in damnatis. n.45. & 46. p.110. Poſſet divinitùs in his utriſque reperiri. n.51.& 52.p.111. Extitit de facto in Angelis & primis Parentibus.n.54.p.111.Neque extitit,neque exiſtit in Chriſto.t.7.l.2.c.7.n.46.p.415

Fidei habitus non amittitur diſſenſu interno , non negatione externa præciſe. t.6.l.1.c.6. n.7. p.93. amittitur omni & ſolo peccato lethali infidelitatis internæ.eod.l.1.c.7.n.35. p.107.Poteſt tamen divinitùs cum hac componi. n.51. & 55. p.111.Expellitur non phyſicè ſed moraliter;non purè demeritoriè , ſed diſpoſitivè &, objectivè. n.39, 40. & 41 p.108

Fidei theologicæ objectum formale neque eſt lumen infuſum , neque actuale auxilium , neque dominium ſupremum Dei , neque voluntas revelandi,neque loquutio moraliter divina,neque prima veritas in eſſendo,ſed unicè divinæ veracitas & divina revelatio t.6.l.1.c.2.n.2. & ſeqq. p.8.Quænam ex his duabus importetur in recto vel obliquo eſt quæſtio grammaticalis. eod. c.2.n.48.p.18. Relatè ad fidem non ſunt duæ rationes diſparatæ.n.47. Debent ambæ antè fidei aſſenſum præcognoſci. n.50. p.18. Utrùm actus quo præcognoſcuntur ſit etiam ipſe actus fidei problematicum.n.63. p.21. Duplex modus talis præcognitionis abſque prævio aſſenſu. n.55.56.& 57.p.20. Quomodò divina veracitas & divina revelatio poſſint eſſe objecta fidei etiam materiale.n.64.p.21

Fides requirit ex parte ſui objecti formalis obſcuritatem tanquàm partem potiùs quàm tanquam conditionem t.6.l.1.c.4.n.22.p.45. Non eſt neceſſe quod talis obſcuritas ſe teneat ex parte revelationis,& quando in veracitate, non in revelatione reperiretur, non inferret actum fidei ſpecie diverſum.eod.c.4.n.24.p.46

Fidei objecta formalia nullum habent inter ſe ordinem in eſſe credibilia;habent verò in tali eſſe ordinem prioritatis ad objecta materialia. eod. c.4. n.64. p.55. Quomodò veracitas & locutio Dei quatenùs ſunt objectum formale fidei ſint quid ſupernaturale.t.6.l.1.c.5.n,139. p.90

Fidei objectum materiale adæquatum eſt omnis veritas revelata aut revelabilis à Deo. eod. l.1. c.1.n.2.p.2. Nulla falſitas poteſt ſub tale objectum cadere.eod.c.1.n.5. Objectum materiale primarium ſeu attributionis & formale *quod* eſt Deus ut Deus qui tamen non habet propriam talis objecti primarij rationem in eſſe credibilis.eod.c.1.n.9.p.3.& c.4.n.67.p.56

Fidei objectum materiale requirit ex parte ſui obſcuritatem , hancque eſſentialiter ſi ſumatur ut præciſè refertur ad actum fidei.eod.l.1.c.4.n.3. p. 41. Admittit tamen aliundè evidentiam ex parte ſubjecti & poteſt ſimul terminare ſcientiam. eod.c.4.n.7.p.42

Fidei objecta materialia partialia abſtrahunt à complexo & ſimplici.eod.l.1.c.1.n.14.p 4. Objecta fidei materialia remota non poſſunt creſcere aut minui : materialia proxima non creverunt quoad rem benè verò quoad modum n.18. & 20.p.5. Quænam dicantur eſſe de fide per ſe primò,quænam per ſe ſecundò.eod.l.1.c.3.n.48. p.31

Fidei objecta materialia ut purè talia non habent ordinem dependentiæ & prioritatis in eſſe credibilis, quamvis aliquem ordinem admittant in

eſſe

eſſe entis & in eſſe neceſſario ad ſalutem. eod. l.1 c.4.n.64.& 68.p.55. Habent inſuper ordinem poſterioritatis & dependentiæ relatè ad objecta formalia.n.69 & 70.p.57

Figura propriè eſt affectio quantitatis, & ſolùm per metaphoram dicitur de qualitate præſertim ſpirituali.t.8.l.2.c.5.n.57. p.712

Filiatio adoptiva non cadit niſi in Perſonam Patri adoptanti extraneam & ei conjunctam ſolo affectu.t.7.l.4.c.4.n.15.& 17. p.542. aut effectu inducente conjunctionem ſolùm accidentalem. eod.c.4.n.24 p.544. Non datur in Chriſto reſpectu Dei, & cur eam in ipſo non præſtet gratia habitualis.n.22.23. & 24.p.543. eſſe adoptatum ex vi nominis quid? eod.n.23.p.543

Filiatio ſeu filius naturalis requirit naturam intellectualem, & quando hanc non requireret ex genere ſuo filiatio naturalis, requireret omninò filiatio naturalis divina eod.c.4.n.35.p.546

Filiatio naturalis Dei quomodò poſſit tribure ſuum effectum formalem naturæ creatæ. eod. n.51.p.546

Filiatio propria ſeu filius proprius non debet ſecerni ſeu diſtingui à filiatione ſeu filio naturali. eod.c.4.n.30.p.545

Filiatio ſive adoptiva ſivè naturalis reſpicit perſonam magis quàm naturam eod.c.4.n 20. p.543

Finis quomodò aliquando poſſit eſſe quid ignobilius iis quæ ad ipſum ordinantur, ſeu quæ ſunt ad finem.t.7.l.1.c.5.n.27.p.210.& c.7.n.34.& 35. p.294

Finis *cui* quamvis cauſæ materiali aliqualiter aſſimiletur non debet ad cauſam materialem reduci.t.7.l.1.c.7.n 12. & 28

Finis pravus poteſt negativè, non poſitivè movere ad actum bonum.t.6.l.1.c.5.n.61.p.71

Finis præcepti non cadit ſub præcepto & poteſt iſtud perfectè impleri illo non obtento. t.6.l.2. c.5.n.17.p.169

Finis totalis nequit eſſe duplex, niſi uterque ſit ſimul & æquè primo applicatus ſimul & æquè primò movens.t.7.l.1.c.7.n.29.p.292.

Forma alia phyſica, alia metaphyſica, alia intentionalis: Componere per modum formæ primo modo, non ſecundo, aut tertio, dicit imperfectionem.t.7.l.1.c.2.n.14.p.207

Forma communicata ſubjecto quemnam effectum formalem eſſentialiter præſtet. t.7.l.2.c.6.n.31. p.419. Communicans ſubjecto ſe totam, non ſemper communicat ſe totaliter, ideò poteſt adhuc communicare ſe inæqualiter. eod.c.6.n.45. p.422

Forma æquè contrarium excludit quando ineſt ſubjecto per realem unionem, ac quando per identitatem.t.7.l.4.c.2.n.17.p.509. Unius formæ inductio & contrariæ expulſio aliquando ſunt effectus ejuſdem præcisè poteſtatis, aliquando non. Aliquando item ſunt ejuſdem præcisè poteſtatis prima formæ inductio & ipſius intenſio aliquando non.t.8.l.2.c.4.n.106.& 109.p.685

Formæ accidentales & formæ ſubſtantiales materiales quomodò habeant diverſam inhærentiam.t.7.l.1.c.5.n 70.p.159

Fomes peccati quid? Quomodò reperiatur etiam in phantaſia, in intellectu, in voluntate? Quomodò diſtinguatur ab appetitu ſenſitivo.t.7.l.1.c.3. n.26.& 27 p.531

Fomes in actu primo, fomes in actu ſecundo: fomes ligatus, fomes extinctus, fomes ſimpliciter non exiſtens quomodò differant? eod.c.3.n.28. & 29. p.531

Futura poſſunt cognoſci mediatè, immediatè, intuitivè: Quinam ex his cognoſcendi modis ſit Dei proprius, quinam etiam Chriſto conveniat, t.7.l.2.c.3.n.74. & 82. p.381. & 583

G

GOneſius in Scena dum Mimum agit validè baptizatur & quomodò. t.8. l.2.c.2. n.90. & 91.p.650

Gentiliſmus. Vide. Paganiſmos.

Gratia creditoris quandonam obſit condignitati ſatisfactionis ſeu ſolutionis. t.7.l.3.c.2.num.39. p.463

Gratiæ gratis datæ quot & quæ. t.7.l.2. c.7.n.65. p.439. Per quid differant à virtutibus per ſe infuſis & donis Spiritus Sācti.eod.c.7.n.71.p.440

Gratiam dari ex opere operantis, eandemque dari ex opere operato quid? t.8.l.1.c.3.num.31.& 32. p.590

Gratia prima ſecundùm præſentem providentiam addit entitati gratiæ remiſſionem peccati.t.8.l.2. c.4.n.105.p.685. Non eſt magis propriè gratia, quàm gratia ſecunda.eod.c.4.n.107.p.685

Gratiæ plenitudo triplex; infima, communis omnibus Sanctis; media, propria Sanctorum inſigniorum, ſumma propriiſſima Chriſti.t.7.l.2.c.7. n.43.p.414

Gratia habitualis cœpit maximè innoteſcere poſt Concilium Tridentinum. t.7.l.2.c.7. n.2. p.425. Eſt prima radix virtutum per ſe infuſarum tum theologicarum, tum moralium, diverſo tamen modo. t.6. l.1.c.7.n.18. p.104. Non eſt talium virtutum infundendarum cauſa phyſica principalis.eod.c.7.n.24.& 28 p.105. Dici poteſt elevativa ad operandum & operativa per modum naturæ, quamvis non per modum potentiæ.eod. c.7.n.43.p.109. Facit nos hæredes Dei & cohæredes Chriſti, at non præſtat utrumque eodem modo.eod.l.1.c.3.n.15.p.25. Poteſt ex natura ſua ſemper augeri nec admittit terminum ſeu ſtatum.t.7.l.2.c.7.n.39 p.433

Gratia habitualis ſanctificat ſolum ſubjectum cui inhæret.t.7.l.2. c.6. n.32. p.414. Non dignificat actus naturales & cur? Cur item iſtos dignificet gratia unionis in ordine ad quodcumque præmium, naturale tamen tantùm non ſupernaturale.t.7.l.3.c.1.n.7.p.450.& c.3.n.32.p.475. Non eſt in juſtis per variam graduum replicationem eadem numero quæ fuit in Chriſto. t.7. l.2.c.7. n.7.p.426

Gratia habitualis Adamo & Angelis fuit infuſa dependenter à diſpoſitione & merito, non ſic Chriſto, & cur?t.7.l.3.c.3.n.61.p.482. Non reddit Chriſtum filium adoptivum, nec Chriſti humanitatem adoptatam, & cur?t.7.l.4.c.4.n.22.23 & 24.p.543

Gratia habitualis non habet neceſſariam connexionem cum gratia unionis. t.7.l.1.c.3.num.12 p.214. Non præceſſit in humanitate Chriſt. gratiam unionis, neque ad hanc diſpoſuit.t.7.l.1. c.9.n.9.p.311. & 74. p.326. Se habet tamen ad gratiam unionis tanquam medium ſeu diſpoſitio congruitatis; item tanquam connaturalis proprietas.n.77.& 82. p.327

Gratiæ habitualis cum gratia unionis comparatio quoad vim formalem ſanctificandi naturam creatam.t.7.l.2.c.6.n.8.p.414. Item quoad vim dignificandi opera ſive naturalia ſive ſupernaturalia.t.7.l.3.c.1.n.7.& 8.p.411

Gratia ſacramentalis non eſt habitus diverſus à gratia habituali juſtificante; neque huic addit phyſicam qualitatem,aut modum intrinſecum. t.8.l.2.c.4.n.82.& 83. p.679. Non eſt præcisè ipſe habitus gratiæ juſtificantis,nec ab iſta differt præcisè penes diverſum principium efficiens, ſed penes quoddam jus morale. eod. c.4. n.86 & 87.p.680. Quatenùs differt à gratia habituali non cauſatur a novis ſacramentis phyſice.n.97.p.683

Gratiæ ſacramentales diverſorum ſacramentorum ſum præ reduplicativè differunt ab invicem ſpecie morali,non phyſica.eod.c.4.n.99.p.683

H

Habitus ex genere ſuo repugnat,ubi repugnat potentia, etiamſi ſolum repugnet potentia proxima nõ remota.t.7.l.4.c.3.n.20.& 22.p.509

Habitus aquiſiti ſeu relicti ex actibus ſupernaturalibus,naturales ſunt, non ſupernaturales. t.6. l.1.c.7.n.66.p.301

Habitus vitioſi juxta ſententiam non diſtinguentem habitus morales à ſpeciebus quomodò explicentur.t.7.l.4.c.3.n.12.p.530

Habitus inclinans ad malum morale eſt in ſe malum morale, & malum majus quàm potentia peccandi.t.6.l.1.c.3. n.27.p.67. Habitus erroris non poteſt à Deo nobis infundi eod. n.27. p.67

Habitus qui detur ad eſſe poteſt faciliùs admittere intentionis & remiſſionis incapax, quàm habitus qui detur ad operari.t.8.l.2.c.5. n.54.p.718

Habitus virtutum per ſe infuſarum non ſe habent ut formæ dignificantes moraliter ſuos actus. t.6.l.1.c.5.n.108.p.87. Sunt capaces remiſſionis at de facto nunquam remittuntur. eod. l.1. c.7. n.32.p.107. Poſſunt influere in actus ſpecie diverſos.t.6.l.2.c.2.n.4.p.157

Habitus per ſe infuſi virtutum theologicarum habent ſinguli proprium actum pro ſufficienti ultima diſpoſitione; non ſic habitus per ſe infuſi virtutum moralium.t.6.l.1.c.7. n.17. 18. p.104. & 72. p.116. Non habent proprios actus pro cauſa efficiente phyſica,benè verò pro efficiente morali,hacque infallibili. eod. c.7. n.24. 25. & 31.p.105. Augentur in peccatoribus quolibet & ſolo actu proprio, in juſtis regulariter loquendo quolibet actu meritorio. n.19. p.106. Poſſunt dici ad proprios actus quos efficiunt etiam materialiter diſponere,at non eadem omninò ratione qua lumen gloriæ eſt materialis diſpoſitio ad actum viſionis.eod.c.7.n.74.p.116

Habitibus per ſe infuſis utimur quando, & quantum volumus quomodò verificetur.t.7. l.2.c.3. n.108.p 590

Hæreſis ex vi nominis quid? Quid item ut eſt ſpecies infidelitatis? Cur Chriſtianiſmum potiùs quàm Iudaiſmum & Paganiſmum profitentibus tribuatur?t.6.l.2.c.8.n.29.p.123.Reipsâ dici poteſt etiam Judaiſmum habuiſſe ſuas hæreſes.eod. c.8.n.19.p.121

Hæreſis regulariter loquendo eſt infidelitas abſolutè omnium peſſima & graviſſima, eod.cap.8. num.17.p.123. Quatenus eſt ſpecies infidelitatis non eſſentialiter requirit antecedentem fidei aut Baptiſmi ſuſceptionem, n.18.p.121. Quatenus ab Eccleſia punibilis requirit antecedentem baptiſmum non antecedentem fidem, n. 38. p.125. Quatenus ab Eccleſia punibilis præter antecedentem baptiſmum, requirit externam manifeſtationem & comitem pertinaciam, num.18.32. & 34.p.123.& 124.

Hæretica ne ſit quæcunque propoſitio enuncians hæreſim,an ſolum ea quæ hæreſim enunciat & ab hæretico profertur,eod.c.8.n.41.p.126

Homo quomodò ſit omnis creatura, & contineat omnes gradus rerum magis propriè quam Angelus,t.7.l.1.c.2.n.3.p.205.& 24.p. 209

Honorius I. vindicatur à Monothelismo.t.7.l.2.c.2. n.8.p.350

I

Idiomatum communicatio. Vide Communicatio idiomatum.

Ignorantia alia ſimplicis negationis,alia ſimplicis, alia pravæ diſpoſitionis;ſolùm ſecunda eſt ignorantia propriè & ſimpliciter dicta: Tertia alia eſt poſitiva & cum errore coincidit,alia privativa & coincidit cum inconſideratione culpabili, t.7.l.4.c.3.n.3.p.525

Impetratio ſicut & interpellatio latius patent quam meritum.t.7.l.3.c.3.n.19.p 472

Incarnatio ex vi nominis quid? & quomodò idem ſignificent Inhumanatio, Incorporatio, Deificatio, Imperſonatio, Unio hypoſtatica.t.7.l.1. c.1.n.3.& 4.p.198.Quamvis ex vi nominis ſignificet actionem unitivam cum carne, ſumi tamen ſolet pro formali cum carne unione. eod. n.4.p.198.& c.4.n.1. p.229. Sumpta pro actione unitiva & effectiva habet pro termino ſive totali, ſive formali aliquid compoſitum ſeu complexum.t.7.l.2.c.1.n.18.p.333

Incarnatio validiùs probari poteſt contra hæreticos,quàm contra Judæos.contrà Judæos quàm cõtra Ethnicos.eod.c.1.n.30.p.336.ejus poſſibilitas habet ex lumine naturæ certitudinem ſolùm negativam, poſitivam ex lumine fidei. n.5. & 6.p.330. Eſt pariter fidei,non naturæ lumine certum Incarnationem eſſe actualem & peractam n.11.& 15.p.332. Nullâ revelatione ſuppoſita neque etiam poſitiva probabilitas poteſt naturæ lumine haberi de Incarnationis aut poſſibilitate aut exiſtentia.n.19.& ſeqq.p.333. Revelatione ſuppoſita haberi poteſt aliqua talis probabilitas etiã in infidelibus.n.27.& 28.p.335

Incarnatio fuit conveniens Deo;aliqua ejus attributa manifeſtat & quæ.t.7. l.1. c.2. n.6. p.205. Fuit conveniens Perſonæ Verbi etiam ut tali. n.17.p.208.Naturæ humanæ ſpecificativè & reduplicativè. n.18. Omnibus creaturis univerſi. n.22.p.209. Fini tum univerſali tum particulari,tempori; & alijs circumſtantijs n.25.& ſeqq. p.209

Incarnatio quo tempore & quo præcisè anno facta ſit,eod.c.2.n.28.p.210. Quomodò ſit maxima communicatio Dei ad extrà t.7.l.1 c.c.n.7. p.206. Non fuit Deo neceſſaria abſolutè nec ex ulla ſuppoſitione, præterquàm ex ſuppoſitione ſatisfactionis condignæ pro lethali, eod. l.1.c.3.n.1.& ſeqq. p.210. De facto fuit neceſſaria ex ſuppoſitione ſatisfactionis condignæ

etiam

Google

etiam pro veniali. eod. cap.3. num.70.pag.229
Incarnatio ex parte Verbi non eſt facta immediatè in natura, imò nec de potentia abſoluta potuit in natura præcisè fieri. t.7. l.1. c.4. n.6. p.230. & 55 p 242. Neque facta eſt in ſubſiſtentia eſſentiali. ſive præcise, ſive ut affecta proprietate perſonali. eod. c.4.n.10 & ſeqq.p.231.ſed facta eſt in perſonalitate ipſa,adeò ut natura humana fuerit immediatè & primariò unita ſoli Perſonæ Verbi.n.17.p.233
Incarnatio ſicut facta eſt in Perſona Verbi, ita potuit fieri in qualibet alia divina Perſona tum ſeorſim à Verbo, tum ſimul cum Verbo. eod. c.4.n.23.& 25.p.234. ſaltem loquendo de Incarnatione quoad ſubſtantiam, nam accidentaliter eſſet multiplex diverſitas. n.24.p.225
Incarnatio non habet cauſas propriè intrinſecas, materialem & formalem; habet ſolùm extrinſecas, efficientem & finalem t.7.l.1 c.7.n.1.p.286
Incarnationis cauſa finalis potuit abſolutè eſſe aliquid aliud à remedio peccati,& potuit Incarnatio fieri etiam ex ſolo fine gloriæ Dei,etiam non exiſtente ulla alia creatura ab humanitate, eod. c.7.n.3.& 5.p.287. De facto tamen remedium peccati fuit unicus & totalis ipſius finis alterius finis totalis & primarij conſortium non admittens,n.15.19 & 23. p.389. & ſeqq. Fuit ſcilicet Incarnatio æquè primo volita tum quoad ſubſtantiam tùm quoad poſſibilitatem carnis,n.20. & 21.p.290. Propter remedium peccati originalis tanquam propter finem motivum ac primarium & propter remedium peccatorum actualium tanquam propter finem impulſivum ac ſecundarium.n.41.p.295. Non fuerunt hæc præviſa in ſe ipſis futura ante Incarnationis decretum.n.47.p.296
Incarnationis cauſa efficiens phyſica principalis eſt ſola & tota Trinitas.t.7.l.1.c.8.num.2.p.304. Creaturæ nec de potentia abſoluta nec ut elevatæ poteſt talis cauſæ ratio competere.eod.c.8. n.5.& 6 p.305. Benè verò poteſt competere ratio cauſæ efficientis phyſicæ inſtrumentalis obedientialiter,non connaturaliter ſe habentis. n.9.p.305. & 24. p.309. De facto tamen neque hæc ulli puræ creaturæ communicata fuit, nequidem relate ad Incarnationem ſecundùm quid ſeu ad uniones hypoſtaticas partiales.n.17. & 23 p.307
Incarnationis cauſa efficiens moralis non fuit de facto ullum opus quod in Chriſti humanitate Incarnationem præceſſerit & ejus fuerit meritorium.t.7.l.1. c.9. n.5. p.310. Potuit tamen aliquod tale opus meritorium de congruo de potentia abſoluta in humanitate præcedere. n.12. Non potuit item eſſe Incarnationis meritorium ullum humanitatis opus Incarnationem ſubſequens etiamſi ſermo ſit de potentia abſoluta.n.21.& ſeqq.p.314. Potuit ſub Chriſti ſeu humanitatis ejus meritum Incarnationem ſubſequens cadere unionis hypoſtaticæ continuatio aut extenſio ad novas partes materiæ at non cecidit de facto. t.7. l.3. c.3.n.65. & 77. p.483. & 486
Incarnatio nec de potentia abſoluta poteſt cadere ſub meritum condignum ullius puræ creaturæ, benè verò ſub meritum congruum. t.7. l 1. c.9. n.32.35.p.316. & 44. p.319. Incarnationis ſubſtantia non cecidit de facto ſub meritum congruum Sanctorum Patrum.eod.c.9.n.43. & 48. p.318.& 320.Benè verò ſub tale meritum ceciderunt aliquæ circumſtantiæ, inter quas acceleratio. n.51.p.320.ceciderunt autem quoad executionem,non quoad intentionem n.53. p.320. Quænam aliæ circumſtantiæ præter accelerationem ſub idem meritum congruum ceciderint.n.56.p.321
Incarnationis cauſa diſpoſitiva, ſive phyſica, ſive moralis,nulla de facto in humanitate præceſſit. eod.c.9.n.74.p.326.De potentia abſoluta potuit præcedere prævia diſpoſitio moralis non prævia diſpoſitio phyſica.n.78.& 79. p.327
Incarnationis fides explicita nequidem poſt promulgatum Evangelium eſt ad ſalutem in adultis neceſſaria neceſſitate medij.t.6.l.1. c.5. n.96. p.80. Eſt tamen etiam probabile oppoſitum. n.98.p.80.Eſt de facto illa fides omnibus neceſſaria neceſſitate præcepti.n.112.p.83
Incarnationis fides implicita eſt neceſſitate medij ad ſalutem neceſſaria; & quid veniat nomine talis fidei implicitæ, eod.c.5. n.89.p.78. & 107. pag.82
Incarnationis fides in Angelis non fuit meritoria augmenti gratiæ & gloriæ eſſentialis. t.7. l.3. c 4.n.19.p.491
Individuum ſubſtantiale, & ſuppoſitum,quomodò differant.t.7.l.1.c.5.n.21.& 23.p.248
Infideles ut ſint ab Eccleſia punibiles propter infidelitatem debent præſupponi baptizati;ut ſint punibiles propter alia crimina contra religionem & fidem, ſufficit quod ſint temporaliter ſubditi Principi Chriſtiano aut in locis tali Principi ſubjectis delinquant. t.6. l.1.c.8.n.39. p.125
Infidelitas alia moralis,alia theologica;alia poſitiva,alia negativa; alia materialis, alia formalis. eod.c.8.n.2.p.117
Infidelitas theologica formalis quid ſit?n.4.p.117. Quam grave peccatum ſit?n.2 p.117.Sub ratione peccati eſt primario in voluntate. n.3. p.117. Sub propria ratione ſpecifica eſt primariò in intellectu & ſolùm per accidens poteſt conſummari in voluntate.n.12.Expellit fidei divinæ habitum moraliter,non phyſicè, non tamen purè demeritoriè.t.6.l.1.c.7 n.40. & 41. p.109. Poteſt divinitus cum tali habitu componi. n.51. & 52. p. 115
Infidelitatis theologicæ ſpecies accidentales tales tamen,non eſſentiales,ſunt Paganiſmus, Judaiſmus,Hæreſis, debent explicari per ordinem ad receſſum a fide objective accepta. t.6.l.1.c.8. n.15. 16. & 24. p.120.122. Debent diſtingui in confeſſione potius ex oppoſitione ad aliquam aliam virtutem, quàm ex oppoſitione ad fidem. eod.c.8.n.26.p.122
Innocentiæ ſtatus quantum duraverit.t.8. l.1. c.2. n.5.p.580. Nulla in eo fuerunt ſacramenta, nec fuiſſent etiamſi diutiùs duraſſet.eod.c.2.n.4.&7. p.580 Nec propterea homines tunc caruiſſent peccatorum actualium remedio. num.19 p.583. Fuiſſent in eo ſtatu Sacrificia.n.22.p.584
Inſtituere aliquando ſumitur pro primò ſtatuere,at hoc non eſt unicum talis verbi ſignificatum.t.8. l. 2.c.2.n.18.p.642
Intellectionis humanæ prout fit dependenter à ſenſibus modus & deſcriptio.t.7.l.2.c.4.n.15.p.394
Intellectus agentis munera quæ? fuit hujuſmodi

intellectus

intellectus in Adsmo & in Chriſto. eod. c.4. n.10.& 18.p.394.& 396

Intell. ctua ex gen.o ſuu non attendit auctoritati, ubi veritas eſt perſpicua;poteſt tamen illi attendere ea voluntatis imperio.t.6.l.1.c.4.n.16.p.44 Quomo dò poſſit aſſentiri objecto minùs credibili & diſſentiri credibiliori.eod.c.4.n.46. p.51. Non poteſt neceſſitari aliundè, quàm ex evidentia veritatis.eod.l.1.c.5.n.44.& 45. p.67.Intellectus ab alijs potentijs vitalibus diſcrimen quoad libertatem operandi circa objectum ſufficienter propoſitum.eod.c.5.n.44 & 45.p 67

Intellectus & voluntaa naturales ſunt, non perſonales, ideſt naturam conſequuntur, non perſonam.t.7 l.2.c.2.n.6.p.349

Intentio actualis,virtualis,habitualis, interpretativa, indirecta,abſoluta,conditionata, quid?Quid item intentio implicita & eaplicita, voluntaria putè & voluntaria mixtè.t 8.l.2.c.2.n.56 p.642. & c 3.n.21.p.656

Intentio habitualis & virtualis quomodò ab aliquibus confundantur & pro eodem ſumantur. eod.c.2. n.70. p.646. Propria ratio intentionis virtualis in quo conſiſtat. n.76.p.647

Intentio habitualis cur ſufficiat ad applicandum fructum ſacrificij, potiùs quam ad conficiendum ſacramentum.n.71.p.646

Intentionis Miniſtri defectus in nullo unquam ſacramento ſuppletur neque quantum ad ſacramenti valorem, neque quantum ad effectum. eod.c.2.n.84.& 85.p.649

Ira quid? Alia per yitium,alia per zelum; hæc vere fuit in Chriſto.t.7.l.4.c.3. n.51.p. 536

Iudaiſmus eſt infidelitaa punibilis ab Eccleſia, quoties habet conditiones requiſitas ad hæreſim punibilem t.6.l.1.c.8.n.38.p.125

Iudæus delinquens contra fidem & religionem Chriſtianam, blaſphemando aut contemnendo ipſam; vel etiam à propria religione tranſiena ad turciſmum eſt punibilis ab Eccleſia & ab Inquiſitoribus fidei.eod.c.8.n.39. p.126

Iudicij eatremi dies quomodò innotuerit Chriſto Domino.t.7.l.2.c.3 n.13.p.357

Iudicium evidentis credibilitatis. Vide Evidentia credibilitatis.

Iuſtitia particularis ſumitur tum pro commutativa & diſtributiva, tum etiam pro legali & vindicativa t.7.l.5.c.2.n.25.p.460. Quam alteritatem requirat.eod.c.2.n.29 p.461

L

LAtria ex accommodatione Scholaſticorum, & Patrum, habet diverſam ſignificationem, ac habuerit ea ſua inſtitutione. t.7.l.4.c.4.n.66. p.554. Tanquam objectivo motivo aut terminativo primario debetur ſoli Deo,tanquam objecto terminativo ſecundario deberi poteſt creaturæ.eod.c.4.n.73.p.556

Lex divina antiqua dividitur in non ſcriptam & ſcriptam.t.8.l.1.c.3.n.1. p.591. Illa dicitur etiam lex naturæ, iſta dicitur etiam lea Moſayca.eod. l.1.c.2.n.1.& 2 p.599

Lex divina antiqua non ſcripta,ſeu lex naturæ habuit originalis remedium,quod pro adultis non fuit ſacramentum, ſed ſolùm pro parvulis. eod. c.2.n.24.& 27.p.584.585. Quomodò hujuſmodi ſacramentum fuerit determinatum,aut indeterminatum. n.54. p.587. Non habuit lex naturæ ullum aliud è remedio originalis ſacramentum ſaltem univerſaliter inſtitutum. num.36. p.587. Adulti tunc juſtificabantur actu doloris interni; cujus exterior manifeſtatio eſſe poterat ex ſupererogatione,at non erat ex neceſſitate. n.41. & 42.p.588

Lea divina antiqua ſcripta habuit vera,& propria ſacramenta, eaque multa & plura quàm ſint in lege nova.t.8.l.1.c.2. n.44. & 45. p.589. Reducuntur hæc antiqua ſacramenta ad tres claſſes, nec poteſt determinatè aſſignari quot fuerint? Correſpondent antiqua ſacramenta novis & quibus.eod.c.2.46.& 47. p.590. Omnia ſignificabant & cauſabant modo aliquo morali gratiam habitualem ut conferendam nobis in lege nova.t.8 l.1.c.3.n.48.& 51.p.604.Nullum antiquum ſacramentum erat juſtificativum adultorum,& inſtitutum ad conferendam gratiam habitualem ijs à quibus ſuſcipiebatur.eod. cap.3. n.42.& 44.p.603

Lea ipſa antiqua in quo ſenſu nullam habuerit vim juſtificandi.eod.c.3.n.15.p.596

Legis divinæ antiquæ ſacramenta non fuerunt actiones Dei ſicut nova ſunt actiones Chriſti, nec illorum Miniſtri erant Miniſtri Dei,eo omninò modo,quo Miniſtri novorum ſunt Miniſtri Chriſti.t.8.l.2.c.4.n.25.& 28.p.666 Nullum ea ipſis impreſſit ſpiritualem characterem.eod. l.2.c.5.n.3.p.705

Libertas quomodò ſit potentia ad oppoſita? & quomodò debeat eodem modo ſe habere ad utrumque oppoſitorum? t.7.l.4.c.2.n.37. & 47. p.514.& 516

Libertas eſſentialis quænam dicatur. eod. l.4. c.2. n.31.p.512

Libertas contrarietatis verſari poteſt non ſolùm inter bonum & malum,ſed etiam in aliquo ſenſu inter diverſa bona.t.7.l.2.c.5.n.4.p.400

Loqoutio quid? t.6. l.1.c.2.n.21. Non poteſt licitè fieri cum propria reſtrictione mentali, nec poteſt conſtare terminis partim vocalibus partim mentalibus.eod.l.1.c.5.n.16 & 18.p.115

Loquutio Dei poteſt fieri multis modis. eod.l.1. c.2.n.22.p.209.eſt ut plurimum mediata.eod.l.1. c.3.n 9.p.214.Æquivalet ſemper loquutioni juratæ.eod c.3.n.12. p.214. Deum poſſe cum hominibus loqui ſit ne naturale & notum naturæ lumine.eod.l.1.c.5.n.139.

Ludo facta aliquando ſunt ficta & ſimulata, aliquando non.t.8.l.2.c 2.n.89.p.650

Lumen corporeum ſe tenet ſolum ex parte objecti lumen innatum ſolùm ea parte potentiæ. t.6.l.1.c.2.n.4.p.9

Lumen naturæ cur diſtinguatur ab habitibus ſcientiarum naturalium? non ſic lumen gloriæ & fidei à gloriæ & fidei habitibus. t.6. l.1. c.7. n.6.p.101

Lumen gloriæ inſervire poteſt ad cognitionem ſui in Verbo,non ad cognitionem ſui in proprio genere.t.7.l.2.c.3.n.52. p.366. Poteſt in proprio genere & eatra Verbum comprehendi ab intellectu creato.eod.c.3.n 87.p 384

Lumen ſcientiæ Chriſto & beatis per ſe infuſæ diverſum eſt & diſtinctum à lumine gloriæ; de potentia tamen abſoluta poteſt eſſe indiſtinctum adeò ut utrumque lumen ſit una & eadem qualitas.eod.c.3.n.50.& 56.p.365.& 36

Digitized by Google

Index Rerum.

M

MAgia, ſeu magica verba quid. t.8.l.2.c.1.n.35. p.618

Malum morale radicale aliud tale indifferenter, aliud tale determinatè, illud, non iſtud, poteſt à Deo per ſe produci. t.6.l.1.c.3.n.24. p.57

Malum culpæ, ſeu peccatum, rectè poteſt eſſe objectum timoris & quidam filialis. t.6.l.2.c.5.n.10. & 11. p.118

Mancipia ſunt ſervi ſervitute legali, ea maximè quæ oritur ex ſententia Iudicis. t.7.l.4. c.4.n.2. p.518

Martyrium non habet pro Miniſtro Martyrem: non eſt in ſe res ſacra: non eſt gratiæ ſignum ex divina inſtitutione, nec eſt ſacramentum quamvis gratiam cauſet ex opere operato. t.8.l.1.c.1. n.58.59.& 69.p.578

Materia & forma per analogiam ad materiam & formam phyſicam quid. t.8 l.2.c.1.n.1.p.612

Maternitas Chriſti in Virgine fuit quid excellentius & æſtimabilius gratia & gloria. t.7.l.1. c.9. n.71.& 73.p.355. In quo conſiſtat & quomodo eam Virgo meruerit. Vide, Virgo Deipara.

Matrimonij Sacramentum quomodo conſtet rebus & verbis. t.8.l.2.c.1.n.10.& 11. p.615. Eſt inſtitutum cum magna materiæ, imò & formæ latitudine ſeu in determinatione. eod.c.2.num.30. p.618. Quomodo non conſtituatur intrinſecè ex intentione Miniſtri, quamvis intrinſecè conſtituatur ex conſenſu utriuſque Conjugis, qui uterque eſt Miniſter. n.45.p.621

Matrimonium eſt irritum, non ſolùm quando eſt celebratum ab invito ſimpliciter, ſed etiam quando ab invito ſecundum quid. t.8.l.2.cap.3. n.25.& 51 p.656. Celebratum per Procuratorem quomodo poſſit cauſare gratiam phyſicè in conjuge abſente. t.8.l.2.c.4.n.42. p.670

Mendacium non requirit eſſentialiter animum fallendi. t.6.l.1.c.3.n 2.p.22

Mentiri & falſum dicere quomodò differant? ſunt in nobis ſeparabilia, at non eſſent ſeparabilia in Deo ſi eſſent in ipſo dabilia. eod. cap.3. n.2. pag.21

Meritum quandonam poſſit impropriè ſumi pro quacumque congruitate ſeu coaptatione unius cum alio? t.7 l.1.c.9. n.59. p.335

Quandonam poſſit præcedere præmium ſolùm natura, quando non. eod.c.9.n.21.p.313

Meritum beatitudinis natura tantùm præcedens beatitudinem repugnavit in Angelis, non in Chriſto & cur. t.7.l.3.c.1.n.75. p.486

Merito ſufficit aptitudo ad conſequendum, nec neceſſaria eſt conſecutio præmij. eod.l.3. cap.1. n.17.p.453

Meritum in quolibet ſtatu requirit libertatem à neceſſitate, nec contentum eſt libertate à coactione. t.7. l 2.c.5.n.5. & 3.p.400. Requirit item libertatem inter bona inæqualia, nec contentum eſt libertate inter bona æqualia. eod.cap.5. n.6. p. 401

Meritum condignum & diſpoſitio condigna quomodo differant. t.7.l.1.c.9.n.71.p.325

Meritum dignum medium inter condignum & congruum malè aſtruitur. eod.c.9.n.66.p.324

Meritum congruum quoties eſt ſimul ultima diſpoſitio infert infallibiliter præmium. t.6. l.1. c.7.n.31.p.106. Non ſaluatur ſufficienter in cauſalitate diſpoſitiva & materiali ſed omninò habet communem cum merito condigno cauſalitatem effectivam. t.7. l.1.c.9.n.46.p.319

Meritum in intentione & in ſpe non habet propriam rationem meriti, nec exercet cauſalitatem meritoriam, ſed finalem. eod.c 9.n.27.p.315

Meritum & ſatisfactio creaturæ ad Deum in quibus conveniant, in quibus differant. t.7.l.1.cap.3. n.35.p.219

Meſſias ex vi nominis quid ſignificet. t.7. l.1. c.1. n.2.p.198

Miniſtrorum & Miniſteriorum duplex genus, aliud materiale & puræ executionis; aliud formale & cooperationis. t.8.l.2.c.2.n.68.p.645

Miniſtri fides & probitas in ſacramentis novis neque ad ipſorum valorem, neque ad effectum eſt neceſſaria. t.8.l.2.c.2.n.41. & 47.p.638

Miniſtri intentio non ingreditur conſtitutionem intrinſecam alicujus ſacramenti. eod.l.2.c.1.n.41. p.621. Non benè hoc probatur ex eo quod talis intentio poſſit eſſe peccaminoſa. n.47.p.622

Miniſtri intentio eſt aliquid eſſentialiter requiſitum ad ſacramenti valorem. eod. l.2. c.2.n.53. p.641. Quomodo intentio Miniſtrantis ad ſacramenta magis requiratur, quàm intentio ſuſcipientis. eod.l.2.c.3.n.20.& 29.p.656.& 658

Miniſtri intentio ad ſacramenti valorem requiſita debet in primis eſſe actus voluntatis deliberatus de actione ſacramentali ſeriò executioni mandanda. eod.n.53. p.641. Non ſufficit hujuſmodi actus ſi in nihil aliud tendat. eod.l.2. c.2. n.58.p.642. Non eſt neceſſe quod tendat in effectum, ſeu quod ſit intentio de inducendo ſacramenti effectu. n.59 p.643. Benè verò quod ſit intentio faciendi quod facit Eccleſia formaliter & ritu ſacramentali. n.60. p.643. Quid per hujus intentionis objectum importetur. n.61.p.644 Quomodo in praxi talis intentio ſufficiat valdè implicita & confuſa? n.65.p.644. Non ſufficit indirecta, aut merè habitualis, benè verò virtualis n.69.p.645. Intenſio actualis, quamvis non neceſſaria, optima eſt & conſulenda in praxi. n.75. p.646. Intentio conditionata de futuro ſufficit dumtaxat ad ſacramentum Matrimonij. n.77.p.647

Miniſtri intentio de non conferendo ſacramenti effectu, quando obſit valori ſacramenti, quando non. t.8.l.2.c.2.n.67.p.645. Intentionis Miniſtri defectus in nullo unquam ſacramento ſuppletur neque quantum ad valorem, neque quantum ad effectum ſacramenti. eod.c.2. num.80.& 81. p.648

Miraculum verum ne quidem per accidens & per abuſum poteſt inſervire falſæ doctrinæ confirmandæ. t.6.l.1.c.3 n.30.p.28

Miraculorum operatio eſt propria & potiſſima loquutio Dei. t.6.l.1.c.2.n.25.p.13.& c.3.num.59. pag.27

Miſericordia quamvis ſit virtus ſimpliciter diſtincta à charitate, quomodo tamen ſpecialiter ad charitatem reducatur, & dicatur eſſe ejus actus ſecundarius, ſeu effectus. t 6.l. 2.c.5.n.3. p.166

Modi, ſeu modales entitates, ſunt ex genere ſuo purum *quo* & gratia alterius. t.7.l.2.c.16.& 17. pag 415

Monophyſitæ qui & unde dicti? t.7.l.1.cap.2 n.2. p.348

Monothelitæ qui, undè dicti, & in quonam pro-

Digitized by Google

priè erraverit?eod.c.2.n.2.p.348.& c.5.n.24.p.405
Mors naturalis & ab intrinſeco, quæ & quaſnam cauſas habeat.t.7.l.4.c.1. n.7. p.501. Eſt de facto peccati pœna tantum per accidens. eod.c.1. n.9.p.501
Myſterium ex prima ſua inſtitutione quid ſignificet.t.8.l.1.c.1.n.35.p.572

N

Natura divina in quo ſenſu dicatur incarnata. t.7.l.1.c.4.n.6. p.230. Habet omnimodam repugnantiam ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia creata. eod.c.4.n.22.p.234
Natura humana cur titulo propiæ perfectionis magis exigat actus potentiæ intellectivæ & volitivæ, quam generativæ.t.7.l.2.c.2.n.12. p.351
Natura quælibet creata diſtinguitur realiter â ſubſiſtentia.t.7.l.1.c.5.n.18.p.248.Quomodo id ſingillatim verum ſit etiam in natura ſpirituali.eod.c.5.n.22.p.249
Natura creata, quæ ſuam ſibi ſubſiſtentiam identificaret, non eſſet aſſumptibilis in unitate perſonæ, & quando neque virtualiter à ſubſiſtentia diſtingueretur nullatenus eſſet aſſumptibilis. eod.c.5.n.41.& 42.p.253
Natura creata, quæ terminaretur ſubſiſtentia aliena creata, adhuc appeteret ſubſiſtentiam propriam; non ſic quæ terminatur ſubſiſtentia aliena increata & cur?t.7.l.1. c.5. n.122. p.277. Verè autem natura creata poteſt ſubſiſtentia aliena creata terminari de potentia abſoluta. eod.c.5.n.127. Poteſt item omni ſubſiſtentia ſive increata, ſive creata, etiamſi hæc eſſet modus, carere.n.124.p.272. De facto nulla unquam natura habuit ſubſiſtentiam creatam alienam. n.125.p.272
Neceſſitas phyſica & neceſſitas moralis quid. t.7. l.5.c.3.n.1.p.211
Neceſſitas medij quid? quid item neceſſitas præcepti? & varia utriuſque diſcrimina. t. 6 l.1. cap.5. num.74. & 75. p.74. Quædam ſunt neceſſitate medij neceſſaria ex natura rei, quædam ex ordinatione Dei, eod.c.5.n.77.p.75. Quidquid eſt ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij eſt ſimul neceſſarium neceſſitate præcepti naturalis.n.110.p.83
Nemeſis quid? Aliquando in bonam partem pro virtute, aliquando in malam pro vitio ſumitur. t.6.l.2 c 6.n.30.p.190
Neſtorij error de duplici perſona in Chriſto qualis, & undè derivatus. t.7.l.1.c.4. num.2. & 4. p.230
Nominis exaltatio, & nomen ſuper omne nomen in Chriſto, quid, & quomodo ſub Chriſti meritis ceciderit.t.7.l.3.c.3.n.56.p.481

O

Obex reſpectu Sacramentorum dicitur etiam fictio & cur? Alius eſt negativus, alius poſitivus.t.8.l.2.c.4. n.139. p.693. Alius eſt impediens valorem, alius impediens ſolùm effectum. eod.c.4.num.136.p.632.
Obex negativus poteſt eſſe antecedens, comitans & ſubſequens n.141.p.694. Obex effectus datur ſolùm ex parte ſuſcipientis, obex valoris poteſt ſe tenere etiam ex parte Miniſtri.n.136
Obex negativus reſpectu baptiſmi ſufficienter auffertur per attritionem ſolam.eod.c.4.num.142. p.694. Non ſic reſpectu alicujus ſacramenti vivorum per ſe loquendo. n.147. p.695
Obex poſitivus etiam reſpectu baptiſmi ut auferatur requirit contritionem aut attritionem cum ſacramento Pœnitentiæ.n.144.p.695. Auffertur priùs ſub ratione obicis quàm ſub ratione culpæ & quomodò.n.157.p.698
Obice baptiſmi ſuſcepti ablato redit vi ipſius baptiſmi totus effectus qui fuerat obice impeditus.t.8.l.2.c.4.n.149. p.696. Gratiæ ablato baptiſmi obice redeuntis aliquando baptiſmus ipſe eſt cauſa totalis, aliquando ſolùm partialis. n.156. p.698. Peccata quæ baptiſmum præceſſerunt ex vi ipſius reviviſcentis remittuntur etiam quoad totam pœnam.n.162.p.699. Obice venialium ablato reviviſcit baptiſmus etiam ad venialium, quæ ipſum præceſſerunt, remiſſionem.n.174.& 180 p.702.& 704
Objectum materiale quandonam ſit complexum ex parte ſui, quando ex parte cognoſcentis.t.6. l.1.c.1.n.14.p.4
Objectum materiale primarium dicitur etiam objectum attributionis & formale *quod*, eod. c.1. n.9.& 13.p.3.& 4 Non eſt neceſſe quòd cætera omnia objecta poſſint eſſe præmiſſæ ad inferendam ipſius cognitionem.n.12.p.4
Objectum formale *quo* dicitur etiam objectum ſpecificativum & ratio formalis *ſub qua*. t.6.l.1. c.2.n.1.p.8. Quomodo determinet ad actum. eod.c.1.n.6.p.3. Quomodò debeat ſe habere ut forma reſpectu objecti materialis & eſſe huic intrinſecum.n.14 21.& 30. p.4.6. & 8 Non eſt neceſſe quod ab objecto formali *quod* diſtinguatur realiter, ſufficit diſtinctio rationis & muneris.eod.n.21. p.6. Non poteſt excedere habitum, cujus eſt objectum formale. eod. l.1.c.3. n.75.p.37
Objecta formalia ſunt ſpecificativa actuum & habituum & quandonam ſint ſpecificativa adæquata.eod.l 1.c.5.n.135.& 136.p.89
Obſcuritas non eſt pura carentia cuiuſcumque claritatis & lucis, ſed lux & claritas modica t.6.l.1. c.4.n.7. & 23. p 42. & 46. In ordine ad cognitionem alia ſe tenet ex parte obiecti, alia ex parte intellectus, & quomodo? eod. cap.4. n.2. pag.41
Obſcuritas reſpectu fidei theologicæ non tam ſe tenet ex parte obiecti materialis, quam ex parte obiecti formalis, & ex parte iſtius ſe habet ut pars non ut pura conditio.eod.c.4. n.22. & 36. p.45.& 49
Odium quid & quotuplex.t.6.l.2.c.6.n.2. p.184
Odium Perſonæ non eſt ſemper odium inimicitiæ & quandonam tale ſit, quando non.eod.c.6. n.11.& 12.p.186
Odium oppoſitum charitati erga Deum, aliud improprium & virtuale tranſcendens omnia peccata; aliud proprium & formale quod ſimpliciter dicitur odium Dei; & hoc etiam verè in nobis dari poteſt & reſpicit Deum conſideratum ſecundùm aliquos effectus ad extra. eod.cap.6. n.3.& 4.p.184. Odium formale Dei eſt peccatum omnium lethalium graviſſimum, nec poteſt eſſe veniale ex parvitate materiæ. n.6. & 7. p 185 Eſt intrinſecè malum ex propria ratione formali.n.16.p.187

Odium

Odium oppoſitum charitati ergà Proximum ſeu odium inimicitiæ in peccatores & inimicos cur conveniat Deo & ſit illicitum nobis,n.30.& 31. p.190. eſt nobis illicitum etiam de jure naturæ, eod.l.2.c.5.n.40.p.175.& c.6.n.16.p.187. Quomodò in peccatores ſit nobis licitum aliquod odium abominationis,eod.l.2.c.4.n.30.p.162. & c.6.n.11.p.186

Odium Proximi ſumptum pro odio abominationis nulla ratione eſt intrinſecè malum, t.6 l.2. c.6. n.11.p.186.Sumptum pro odio inimicitiæ eſt in nobis intrinſecè malum ex conditione ſubjecti, non ex propria ratione formali præcisè,eod.c 6. n.13.& 16.p.ead.Fuit ſemper illicitum & prohibitum etiam in lege antiqua,n.18.p.187

Odium Proximi eſt tum in ſeipſo ſpecie multiplex,tum ſpecie diverſũ ab odio Dei,n.25.& 26. p. 189. Eſt peccatum ex genere ſuo lethale & grave,imò graviſſimum omnium quæ committuntur in Proximum,n.19.& 20.p.188

Offenſa quandonam creſcat ex dignitate perſonæ quæ offenditur,quando nõ?t.7.l.1.c.3.n.49.p. 223

Offenſa peccati lethalis eſt in ordine ſeu genere omnium ſupremo,eod.c.3.n.42. & 46.p.221

Omnipotentiæ Dei ad omnimerentiam Chriſti proportio & multiplex comparatio,t.7.l.3. c.4. n.37.p.496

Opinionis & fidei humanæ actos poſſunt eſſe ſimul cum actibus ſcientiæ & fidei divinæ circa idem objectom materiale : multo magis poſſunt eſſe ſimul habitus,t.6.l.1 c.4.n.18.& 19.p 44

Opus operatum & opus operantis quid?t.8.l.1.c.3. n.31.& 32.p.600

Opera ad extra procedere indiviſim à tota Trinitate verificatur etiam relatè ad potentiam abſolotam,t.7.l.1.c.8.n.8.p.305

Opera naturalia quomodo habeant minorem proportionem cum gratia adoptionis, quàm opera ſupernaturalia cum gratia unionis, t.7. l.1. c.9. n.37.p.317

Oratio & interpellatio quomodò differant ? t.7.l.3. c.3.n.18.p.472

Ordo aſſumptionis in partibus humanitatis Chriſti quis?t.7.l.1.c.5.n.81 & ſeq.p.265

Ordo naturalis cũ ſupernaturali,aut ſupernaturalia cum hypoſtatico nequit habere neceſſariam connexionem,t.7.l.1.c.3.n.9.& 12.p.214

Ordo ſignorum & inſtantium in divinis actibus reſpicientibus decretum Incarnationis quomodo variè à variis aſſignetur?t.7.l.1.c.7.n.9.p.288 Quomodo in re aſſignandus,eod.c.7.n.53.p.298 Idem ordo relatè ad ſubſtantiam & circumſtantias Incarnationis,ac utriuſque meritum,qualis? eod.c.9.n.64.p.323

Ordinis Sacramentum fuit inſtitutum cum magnâ materiæ latitudine, & in eo aliam materiam Chriſtus adhibuit,aliam nobis præſcripſit, t.8. l.1.c.1.n.62.p.578. & l.2.c.1. n.30. p.618. Quomodo ſit diverſus ordinationis ritus apud Græcos & Latinos,eod.n.30.ibid.

Ordinis character quomodo ſit in omnibus æqualis,t.8.l.2.c.5.n.53.p.718

Originalis remedium in lege non ſcripta,ſeu in lege naturæ fuit Sacramentum pro parvulis, non pro adultis,t.8.l.1.c.2.n.17.p.585. Contulit parvulis gratiam ex opere operato & ex Chriſti meritis,eod.l.1.c.3.n.33.& 37.p.601

Originalis remedium quomodo fuerit Sacramentum à Circumciſione diverſum?eod.c.3.n.5. & 19 p 593.& 597. Potuit validè miniſtrari à quolibet.n.20.p.597. Non requirebat in miniſtrante fidem formatam, benè verò fidem propriè dictam,quæ utrùm deberet eſſe ſupernaturalis?incertum : Utrùm explicita in Chriſtum?videtur negandum,n 22.& 23.p.598

P

PAganiſmus eſt ſpecies infidelitatis ſub ſe complectens Turciſmum, Atheiſmum Idololatriam,Antichriſtianiſmum,t.6.l.1.c 8.n.17 p.120 Eſt infidelitas omnium peſſima ſecundum quid, non ſimpliciter,n.27.p.123.Eſt punibilis ab Eccleſia, quoties habet conditiones requiſitas ad hæreſim punibilem,n.37.p.125

Pars ſecundum aliquos abſtrahit ab imperfectione,meliùs tamen dicitur non abſtrahere.....

Parvuli adhuc maternis uteris incluſi nundum ſunt humano modo viatores,t.8 l.2.c.3. n.6.p.652

Parvuli antè uſum rationis ſunt capaces ſuſcipiendi Sacramenta Baptiſmi,Cõfirmationis, Euchariſtiæ,& Ordinis ; non ſic Matrimonij, Pœnitentiæ,Extremæ-Unctionis,n.9.10.11.p.653

Paſſio in tota ſua latitudine quid ſit?t.7. l.4.cap.3. n.41. p.554. Dividitur in corporalem & animalem,n.43.p.ead.

Paſſiones animales ſeu animi quid & quot ſint? Cur ſint in parte appetitiva potiùs quam in apprehenſiva,n.44.& 45.p.545

Paſſiones ſpirituales dicuntur impropriè & ſolũ per analogiam ad paſſiones animales,n.36.p.537

Paſſionum in Chriſto exiſtentia. Vide Chriſti voluntas ſenſualis.

Pax ut eſt actus ſeu effectus charitatis Theologicæ quid t.6.l.2.c.5.n.2.p.166

Peccatum contrà Deum deſumit ſuam gravitatem præcipuè ex averſione.eod.l.2.c.6.n.6. p.184. In ratione offenſæ non creſcit ex vilitate creaturæ, niſi ut relata ad Deum quod eſt ultimò reſolvi in dignitatem Dei,t.7.l.3 c.2.n.7.p.455

Peccatum lethale meliùs dicitur eſſe ordinis infiniti quam eſſe infinitum quoad ordinem;eſt in ordine ſeu genere ſupremo offenſæ; nec unum lethale quoad ordinem eſt majus alio,t.7.l.1.c.3. n.42.& 46.p.221

Peccatum deleri per ſe & directè quid ? quid item deleri per accidens & indirectè,t.8.l.2.c.4.n.154. p.697

Peccatum quo per impoſſibile unus Deus ſupponeretur offendere alium Deum ſolum materialiter & ſecundum quid eſſet minus grave quam ſint noſtra peccata,t.7.l.3.c.2.n.7.p.455. Eadem eſt ratio de peccato quod pariter per impoſſibile ſupponeretur committi à Chriſto;n.19.p.458

Peccatum quod committitur ab exiſtente jam in peccato non contrahit majorem offenſæ gravitatem ex vilitate peccati præcedentis,n.8.p.456

Peccatum præteritum quandonam ſit majus malum quam peccatum futurum aut poſſibile, quando non?t.7.l.4.c.2. n.60. p.120 Præſervatio à peccato futuro eſt minus bonum quam remiſſio peccati præteriti,tr.8.l.2.cap.4.num.122. p.689

Peccata externa contrà Proximum ſunt ſecundùm quid graviora interno Proximi odio, at iſtud eſt illis gravius ſimpliciter,t.6.l.2.c.6.n.21.p.188

Peccata commiſſa aut continuata in ſuſceptione baptiſmi ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ,t.8 l.2.c.4.n.144.& 181.p.694.& 704

Peccatum originale cur aliquando dicatur in plurali peccata,t.7.l.1.c.7.n.44 p.295.Quomodo & in quibus ſit malum majus,quàm peccata actualia,eod.c.7.n.45. p.296. A peccato originali poteſt adultus juſtificari abſque eo quòd de ipſo doleat aut ipſum retractet,t.8.l.2.c.4.n.137.p.693 Peccati originalis remedium. Vide originalis remedium.

Peccatum purè & præcisè philoſophicum quid? t.7.l.1.c.3.n.56.p.225.Si daretur,non eſſet lethale niſi materialiter & fundamẽtaliter,n.61.p 227

Peccatum veniale non eſt offenſa ordinis ſupremi; imò non eſt offenſa Dei ſimpliciter & propriè, non eſt item ſimpliciter & propriè contra divinam voluntatem,n.63.& ſeqq.p.227

Peccatũ quod terminetur immediatè ad Deũ poteſt eſſe veniale ſolũ ex indeliberatione , n.67.p.228

Perſona, Suppoſitum, Hypoſtaſis reſpectu naturæ intellectualis creatæ ſunt nomina ſynonima,t.7. l.1.c.4.n.19.p.234

Perſonæ diſtinctio in completam & incompletam, ſeu in Perſonam, & Semiperſonam non approbatur , niſi ſermo ſit de incompletione quæ in Perſonam derivetur à natura,eod.c.4.n.63.p.244 & c.5.n.62.p.258

Perſona humana & homo in quibus differant , in quibus conveniant,t.7.l.1.c.4.n.50.p.241

Perſona divina poteſt una & eadem ſimul aſſumere plures naturas creatas : Poſſunt item plures naturas creatas ſimul aſſumere plures divinæ Perſonæ,ſingulæ ſingulas,t.7.l.1. c.4.n.35 & 37. p.238. Poſſunt tandem plures divinæ Perſonæ ſimul aſſumere unam naturam n.a5.p.149. Sive autem tres Perſonæ divinæ aſſumant unam humanitatem , ſivè una Perſona aſſumat tres humanitates, eſſent ſemper unus homo , non tres homines,n.40.43.& 46.p.259

Perſona divina poteſt aſſumere naturam aliam tùm ſpecie,tùm numero ab humana de facto aſſumpta;poteſt ſcilicet aſſumere quamlibet naturam ſubſtantialem completam,ſivè humana ſuperiorem, ut eſt Angelica,ſivè inferiorem ut eſt irrationalis,t.7.l.1.c.5.n.44.& 46. p.254. Aſſumendo naturam angelicam , non conſtitueret unum majus eo , quod conſtituit de facto cum natura humana,eod.l.1.c.6.n.29.p.281

Perſona divina poteſt aſſumere naturam ſubſtantialem incompletam ; nimirùm tùm materiam primam , tùm formas ſubſtantiales, tùm ſeorſim partes integrantes totum ſubſtantiale , eod.l.1. c.5.n.17.& ſeqq.p.157. Ex aſſumptione naturæ incompletæ non ſequitur communicatio idiomatum, eod.c.5.n.64. p.258. Nullatenùs poteſt ad ſubſiſtendum imo nec ad exiſtendum aſſumere naturam accidentalem,ſeu accidens, n.66. & 67.p.258

Perſonæ divinæ poſſunt dici inter ſe idem mediatè & ratione naturæ,t.7.l.2.c.1.n.12.p.232

Pertinacia ad hæreſim, imò ad quamlibet infidelitatem ab Eccleſia punibilem requiſita qualis eſſe debeat,t.6.l.1.c.8.n.35.p.125

Pius affectus voluntatis prærequiſitus ad fidem qualis? Vide fidei actus. Credulitatis virtus.

Pœna damni conſiſtit principaliùs in carentia viſionis Dei,minùs principaliter in carentia aliorũ donorum ſupernaturalium,t.6.l.1.c.7.n.47.p.110

Pœnitentiæ Sacramentum quomodò conſtet rebus & verbis,& ſignanter quomodò in ipſo confeſſio ſe habeat ut res?t.8.l.2.c.1.n.9.p.613.Quandonam poſſit abſolutè miniſtrari ſenſibus deſtituto,eod.l.2.c.3.n.37.& 38.p.660 ..

Pontifex Romanus habet etiam ſeorſim à Concilijs auctoritatem definiendi res fidei ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti,t.6.l.1.c.2. n.39. p.16. In conficiendis Sacramentis poteſt errare defectu intentionis aut materiæ & datus eſt caſus,in quo defectu materiæ aliquis Pontifex conſecravit invalidè,t.6.l.1.c.3.n.59.p.34

Pontifex Romanus quandonam cenſeatur ab univerſa Eccleſia receptus?eod.c.3.n.49.p.31. Hunc numero Pontificem ab univerſa Eccleſia receptum eſſe verum Pontificem eſt ſimpliciter de fide & immediatè ac per ſe revelatum, n. 47.& 52.p.31.Eſt inſuper de fide Pontificem ab Eccleſia receptum eſſe ritè baptizatum & eſſe virum, n.56.& 57.p.33.Quod fuerit etiam ritè & validè ordinatus eſt fidei proximum:Quod fuerit electus ſine ſimonia, cum ſufficienti ſuffragiorum numero,& ſervatis alijs conditionibus juris poſitivi eſt certum ſolùm aliqua certitudine morali , eſt verò certum certitudine morali ſumma, quod hujuſmodi aut fuerint ſervatæ in electione aut poſtea ſanatæ ſeu diſpenſatæ in Eccleſiæ acceptatione,n.60.p.34

Pontifex Romanus non poſſet definire res fidei ſi non eſſet de fide ipſum eſſe legitimum & verum Pontificem,n.61.p.34

Potentia loco motiva habet majorem dependentiam à voluntate quàm aliæ potentiæ ſenſitivæ, & cur?t.6.l.1.c.5.n.45.p.67

Potentia paſſiva obedientialis alia pura, alia non pura,& quid utraque?t.7.l.1.c.5.n.46.p.254

Potentia peccandi alia reſpicit peccatum, tanquam actum ſecundum & effectum , alia præcisè tanquam ſpecificativum,t.7.l.4.c.2.n.19 p.510. Eſt minùs malum , quam actus aut habitus erroris, t.6.l.1.c.3.n.24.& 27.p.27

Præceptum juris naturalis in quonam ſenſu aliquando ſe extendat ad ſupernaturalia,t.6.l.1.c.5. n.110.p 83

Præceptum naturale negativum per puram omiſſionem rei prohibitæ obſervatur quidem,at non obſervantia meritoria,t.7.l.4.c.2 n.50.p.517

Præcepti poſitivi duplex acceptio,t.6.l.1.c.5.n.111. p.83.Præcepta poſitiva cur aliquando obligent etiam ad circumſtantias , non præcepta naturalia,t.7.l.4.c.2.n.56.p.519

Prædeſtinatio eſt præcedẽs deſtinatio ad quodcunque bonum ſupernaturale,& ordinis gratiæ.t.7. l.4.c.4.n.41.p.548.Poteſt fieri etiam ad id quod non eſt præcipuum & ultimum,n.52.p.551

Præſumptio ſumitur aliquando pro vitio intellectus,aliquando pro vitio voluntatis,& utroque modo multipliciter,t.6.l.1.c.3.n.2.p.147

Præſumptio in materia ſpei aliquando ſumitur in bonam partem ut plurimũ tamen malè ſonat,& ſumitur pro vitio per exceſſum oppoſito ſpei Theologicæ,ad hanc ſe habente,ſicut nimia credulitas ad fidem;eſt peccatum ex genere ſuo lethale,minus tamen grave,quam deſperatio,eod. c.3.n.3.4 & 9.p.148. Præſumptio eſt contra Dei juſtitiam, deſperatio contra Dei miſericordiam, eod.n.4.p.ead.

Præſumptio ſpei theologicæ oppoſita non eſt ea ſe præciſè ei oppoſita in toto rigore, eſt incompoſſibilis cum actu & expellit habitum ſpei ut conjuncta infidelitati, non præciſè ratione ſui, nec quatenùs eſt, ut aliquando eſſe poteſt, infidelitati non conjuncta. eod. c. 3. n. 6. & ſeq p. 148. Præſumptio infidelitati conjuncta alia eſſe poteſt Pelagiana, alia Lutherana, alia Calviniana. eod. n 6. p. ead.

Primi Parentes habuerunt ab initio infuſum habitum fidei & habitum ſpei. t. 6. l. 1. c. 7. n. 54. p. 121 & l. 2. c. 1. n. 28. p. 142. Habuerunt item fidem actualem Dei exiſtentis, remuneratoris, & Trini. c. 7. n. 57. p. 112. Item Incarnationis quoad ſubſtantiam, ignorarunt tamen eam faciendam in remedium originalis. n. 59. & 60. p. 112

Principium meriti non poteſt cadere ſub meritum, niſi ſit principium meriti in genere cauſæ finalis. t. 7. l. 1. c. 9. n. 27. & 28. p. 315. qua tamen ratione non dicitur propriè principium. n. 45 p. 319

Privatus Spiritus à Sectariis excogitatus quid? & quàm malè ponatur pro indice ac judice rerum fidei. t. 6. l. 1. c. 3. n. 65 p. 35

Probabilitas alia poſitiva, alia negativa, eodem modo quo evidentia t. 7. l. 1. c. 1. n. 21. p. 205

Prophetiæ à fide theologica diſcrimē ex parte objecti materialis præcipuū. t. 6. l. 1. c. 3 n. 7.. & 72. p. 37

Prophetia ſeu prophetica cognitio permittit, sat non eſſentialiter requirit obſcuritatem: Verè fuit in Chriſto pro ſtatu viæ, at non eſt nunc in eodem n patria. t. 7. l. 2. c. 7. n. 67. p. 440

Propoſitio deducta tanquam concluſio ex duabus præmiſſis de fide materialiter & ſpecificativè eſt de fide. t 6. l. 1. c. 5. n. 20. & 23. p. 61

Propoſitionum damnabilium intrà & infrà infidelitatem variæ cenſuræ. t. 6. l. 2. c. 8. n. 42. & ſeqq. p. 126

Proximi nomen quatenùs ſignificat objectum, ſeu ſubjectum, in quod poſt Deum charitas fertur, extenditur ad Chriſtum Dominum, ad omnes tùm beatos, tum viatores ſive Angelos ſive homines alios ab ipſo diligente, etiam inimicos, peccatores, & reprobos: Non extenditur verò ad ipſum diligentem, nec ad exiſtentes in ſtatu damnationis, nec ad creaturas irrationales. t. 6. l. 2. c 4 n. 27. & ſeqq. p. 161. Ad reprobum, cujus futura damnatio ſit abſolutè revelata extenditur ſolùm ſecundùm quid. n. 32. p. 162. Quid potiſſimum nomine Proximi veniat quatenùs tenemur ipſum diligere dilectione interna? eod. l. 2. c. 5. n. 39. p. 175

Proximus conjunctior Deo eſt ea charitate magis amandus objectivè, at proximus conjunctior diligenti eſt magis amandus ſimpliciter & appretiativè. t. 6. l. 2. c. 5. n. 52. & 54. p. 178. Conjunctior inquam, diligenti conjunctione carnali, non ſpirituali, ubi aſſertur varia cujuſlibet cum ſuo Proximo conjunctio n. 55. & ſeqq. p. 179

Prudentia falli poteſt circa verum ſpeculativum non circa verum practicum; licèt ſit in intellectu dicitur virtus moralis & eſt virtus quaſi media inter virtutes intellectus & virtutes voluntatis. t. 6. l. 1. c. 3. n. 83. p. 39. & t. 7. l. 2. c. 7. n. 58. pag. 437

Pulchritudo ex tribus conſurgit & quænam ſint hæc tria? t. 7. l. 4. c. 1. n. 16. p. 565

Q

QValitatem habere ſtatum quid ſit? t. 7. lib. 2. cap. 7. n. 26. p. 430. Nulla qualitas ſtatum habet n. 38. & 39 p. 433

Qualitati habenti intenſionem infinitam facilùs ſuſtinetur poſſe novos gradus addi in ſententia ponente gradus intenſionis homogeneos, quam in ſententia eos ponente atherogeneos. n. 26. p. 430

R

REatus pœnæ & pœna quomodò differant, & cur ille, non illa ſit malum n [illegible] t. 7 l. 4. c. 2. n. 66. & 67. p. 521. Cur ille poſſit ſimul eſſe cum gratia habituali, non cum gratia unionis? n. 68. & 73. p. 522

Relatio ex parte fundamenti poteſt comprehendi non comprehenſo eius termino. t. 7. l. 2. c. 3. n. 90. p. 385

Relatio extrinſecus adveniens quid ſecundùm Scotiſtas. t. 8. l. 2. c. 5. n. 19 p. 709

Remedium legis naturæ pro originali quibuſnam poſſet applicari etiam in lege ſcripta. t. 8. l. 1. c. 3. n. 28. p. 589. Vide. Originalis remedium.

Res & verba in ſacramentis componunt moraliter & per ſe, tum inter ſe, tum cum ſignificatione. t. 8. l. 2. c. 1. n. 57. & 60. p. 624. Se habent tanquam materia & forma. Vide ſacramenta nova.

Res tantum, Sacramentum tantum, Res & Sacramentum ſimul, quid ſignificent, à quibuſnam cœperint in novis ſacramentis diſtingui, & an in ſingulis novis ſacramentis dentur. eod. cap. 1. n. 67. & 68. p. 626. Aſſignantur in ſingulis ſacramentis, etiam in Extrema-unctione & Pœnitentia, in quibus eſt ſpecialis difficultas, n. 69. & ſeq. p. 627. Res ſacramenti, utrum debeat cauſari, an ſufficiat ſignificari à ſacramento, poteſt utrumlibet ſuſtineri. n. 71. p. ead.

Reſtrictio mentalis propriè talis quid: Ipſius uſus Deo repugnat, & locutionem amphibologicam ac mendacem reddit. t. 6. l. 1. c. 3. num. 16. & 17. pag. 35

Revelatio ex vi nominis quid? Alia late ſumpta & facialis, alia ſtrictè ſumpta & auricularis. t. 6. l. 1. c. 2. n. 20. p. 12

Revelatio ſtrictè ſumpta eſt manifeſtatio facta cum loquutione. n. 21. p. ead.

Alia explicita eſt, alia implicita. t. 6. l. 1. c. 3. n. 31. p. 28 Alia univerſalis, alia particularis. n. 15. p. ead. Alia formalis, alia virtualis, n. 42. p. 30. Alia publica, alia privata. n. 64. p. 25. Alia divina in re, alia divina in exiſtimatione. n. 77. p. 38. Revelatio poteſt fieri de implicita explicita, non de virtuali formalis. n. 46. p. 31

Revelatio divina ut facta cum loquutione eſt objectum formale partiale fidei theologicæ t. 6 l. 1. c. 1. n. 13. 27. & 46. p. 11. & ſeqq. & debet ſumi activè, non paſſivè. n. 33. p. 15. In tali objecto importetur ne in obliquo, eſt quæſtio grammaticalis? n. 48. p. 18

Revelatio univerſalis ſufficit ad credenda etiamſi hæc ſub illa contineri conſtet ſolum certitudine morali. t. 6. l. 1. c. 3. n. 12. & 35 p. 18. Eadem ratione revelatio totius ſufficit ad credendas partes totum conſtituentes n. 40. p. 29. Revelatio virtualis ad credenda ea ſuper quæ ſolùm virtualiter cadit. n. 42. p. 30

Revelatio privata alia eſt talis ex parte modi, alia ex parte perſonæ; alia ex parte materiæ. n.67. p.36. Quænam ſufficiat pro objecto formali fidei. n.69.& 70.p.636. Non requiritur ſimul cum publica ad fidei aſſenſum.n.64. p.35. Qualiſcumque ſit, dummodò divina obligat ad credendum quoties eſt ſufficienter propoſita & regulariter eſt ſufficienter propoſita ei ſoli, cui immediatè fit. n.73. & 74. p.37. Reſpicit eundem habitum quem revelatio publica, fortè etiam quando non obligat ad credendũ.n.75.& 76.p.38

Revelatio non divina poteſt inculpabiliter exiſtimari divina,& ſufficienter proponi ut talis, nec datur internum ſupernaturale diſcerniculum revelationis divinæ à non divina.n.79.& 80.p.ead. Qualiſcumque tamen ſit, non ſufficit ad objectum formale & actum fidei theologicæ. n.77. & 81.p.ead Nec de potentia abſoluta poteſt ex revelatione ſolùm putativè divina elici actus fidei ſupernaturalis.n.87 p.40. Diſcredens tamen aut credens tali revelationi poteſt habere demeritum actus ſupernaturali fidei oppoſiti aut ipſius ſupernaturalis fidei meritum.n.85. p.ead.

Revelationis divinæ evidentia. Vide evidentia in atteſtante.

Revelationis divinæ evidens credibilitas. Vide. Evidentia credibilitatis.

Revelatio propriæ damnationis. Vide Damnatio.

S

SAcramentum quid ex vi nominis? t.8. l.1. c.1. n.1.p.564.eſt quid ſacrum etiam ratione ſui, non ratione ſolius rei ſignificatæ, n.25. p.572. Non dicit de formali aliquid rationis,n.7.p.565 Eſt ſimpliciter in genere ſigni,n.3.p.564.Hujuſmodi ſignum debet eſſe ſenſibile,& ſolùm cum ampliatione nominis dabile eſt Sacramentum purè ſpirituale,n.13.& 18.p.566. & ſeq. Debet eſſe ad placitum & repugnat Sacramentum humanum quod ſit gratiæ ſignum naturale, n.19. & 23.p.568. Debet eſſe ſtabiliter inſtitutum, & ſolùm cum ampliatione nominis poteſt Sacramentum inſtitui non ſtabiliter, n.19.24 & 27. p.568.& ſeqq.

Sacramentum eſt propriè definibile & in genere moris ens per ſe,eodem c.1.n.40 & 41.p.573.& ſeq.& l.2.c.1,n.57.& 66 p.674.& ſeq. Quomodò variè definiatur tùm à Sectarijs tùm à Catholicis ſivè Antiquis ſivè Recentibus, tr.8 l.1. c.1.n.46.p.575.& ſeqq.Quænam ſit ipſius ut abſtrahentis ab antiquis & novis melior,ac verior definitio? n.51. p.576. Quænam item definitio propria ejuſdem ut abſtrahentis à ſolis antiquis aut à ſolis novis,eod.l.1.c.3. n.74.p.610

Sacramentum cum effectu ſeu termino, quem ſignificat nullam propriè requirit ſimilitudinem,& ea,quã de facto habet metaphorica eſt,t.8.l.1.c. 1.n.21.p 569.Quodlibet Sacramẽtũ eſſentialiter ſignificat internam ſanctitatem perfectam,n.29. p.571. At aut præſentem aut futuram,præſentem verò ſignificat eſſentialiter ſolam ſanctitatem imperfectam,n.34. & 35.p.572. Hancque cauſat in genere cauſæ formalis,nõ efficiẽtis,n.39.p 573

Sacramentorum neceſſitas alia quoad inſtitutionem,alia quoad uſum,t.8.l.1.c.2.n.1.p.579. Neceſſitas inſtitutionis pro ſtatu naturæ aut puræ aut integræ nulla,n.2.p.ead,Pro ſtatu item innocentiæ nulla fuit nec fuiſſet etiamſi diutiùs duraſſet, n.4.& 7. p.ead. Nec diverſa Sacramenta ab ijs quæ de facto fuerunt in eo fuiſſent,nequidem pro hominibus qui tunc actualiter peccaſſent,n.17.& 18.p.582. Pro ſtatu legis antiquæ & novæ fuit neceſſitas ſecundum quid,n.44.& 52. p.589.& 591

Sacramentorum inſtituendorum quænam congruentiæ & quinam fines,tr.8.l.1.c.2.n.9 p.581. & l.2.c.2.n.1.p.628

Sacramentorum materies non eſt neceſſe quod ſit determinata in ſpecie ut maximè patet in Sacramento Ordinis inter nova,& remedio originalis inter antiqua,t.8.l.1.c.1.n.62.p.578. & c.2. n.34.& 35.p.587

Sacramenta antiqua cur dicta fuerint egena & vacua,t.8.l.1.c.3.n.16.41.& 54.p.596 & ſeq. Fuerunt inſtituta principaliter à ſolo Deo,promulgativè & miniſterialiter à Moyſe,& Angelis,t.8.l.2.c.2. n.4.p.629. Quot fuerint? Quid ſignificaverint? Vide lex divina antiqua.

Sacramenta antiqua in quibuſnam potiſſimùm differant à novis,quomodo utraque ſint ſignificativa gratiæ,gloriæ & paſſionis Chriſti, t.8.l.1. c.3.n.55.& ſeq.p.606.Cur non conſtituantur intrinſecè rebus & verbis ſicut nova, n.58 p.ead. Conveniant cum novis univocè in ratione ſigni etiam practici,at non in ratione cauſæ efficientis ſanctitatem ſivè perfectam, ſivè abſtrahentem à perfectâ & imperfectâ,potiùs conveniunt univocè in ratione cauſæ formalis, reſpectu ſanctitatis imperfectæ,n.60.68.70.71.p.607.& ſeq.

Sacramenta nova de fide eſt quod ſint ſeptem, & quænam ſint?t.8.l.1.c.2.n.50.p.591.Quinam inter ipſa ordo ex parte rei numeratæ, n.57.p.592. In quonam ſenſu dicantur manaſſe ex Chriſti latere lanceâ transfixo,t.7.l.3.c.3.n.16. p.472. Nullum ipſorum poteſt exiſtere phyſicè totum ſimul, t.8.l.2.c.1.n.22. p.616, Quodlibet tamen exiſtit aliquo,& quomodo totum in ultima ſui parte,aut etiam in aliqua alia parte non ultima, eod.l.2.c 4.n.80.p.679

Sacramenta nova omnia conſtant rebus & verbis ſaltem æquivalenter,t.8.l.1.c.1 n.5.p.612.Rebus tanquã materia,verbis tanquam forma,loquẽdo de Sacramentis novis ut ſunt de facto inſtituta, n.12.& 19.p 613.& ſeqq. Non requirunt quod res & verba ſibi coexiſtant phyſicè, benè verò quòd ſibi coexiſtant moraliter,n.21.p.616. Hæc moralis coexiſtentia admittit variam latitudinẽ juxta Sacramentorum varietatem, n.23. p.ead. Quandonam forma verborum poſſit phyſicè præcedere applicationem materiæ,quando non? n.25.p.617. Tùm res tùm verba in Sacramentis novis habent determinationem ex inſtitutione Chriſti,inæqualem tamen.n.26.p.ead. Admittũt ſalvo Sacramenti valore mutationem accidentalem,non ſubſtantialem,& quænam ſit legitima regula diſcernendi unam mutationem ab alia, n.34.36.& 37 p 619. Quænam item ſit legitima regula dignoſcendi quando mutatio accidentalis ſit licita,quando non?n.37.p.610.

Sacramenta nova non conſtituuntur intrinſecè ex inſtitutione Miniſtri,t.8.l.2.c 1.n.41 p.620. Neque ex ejuſdem Miniſtri Perſona, neque ex Chriſti inſtitutione,neque ex aliquo alio à rebus & verbis,n.54.p.623

Sacramentorum novorum cauſa efficiens, alia inſtituens,

ſtituens,alia exequens, & illa alia inſtituens per auctoritatem , alia per excellentem commiſſionem,tract.8.lib.2. cap.2. num.2. pag.619. Omnium novorum Sacramentorum cauſa inſtituens immediata fuit de facto Chriſtus ut Deus poteſtate auctoritatis,ut homo poteſtate excellẽtis commiſſionis. n.3.5. & 15. p.619. & ſeq. Congruentiæ pro tali immediata inſtitutione. n.9. p 630 Sacramentorum inſtitutio ſecundaria & delegata poteſt fieri etiam à pura creatura,hocque varijs modis.n.14 & 17.p.631.Quidnam talis inſtitutio adderet ſuprà determinationem materiæ à Deo relictæ indifferentis. n.21.p.633

Sacramentorum novorum cauſa exequens & miniſterialis ſeu Miniſter eſt de facto ſolus homo ratione utens & adultus. eod. c.2.num.28.& 31. p.6 .5. Utrùm debeat eſſe viator? dubium:potius tamen affirmandum. n.36. p.637. Quam intentionem habere debeat. Vide Miniſtri intentio. Utrum de lege extraordinaria Angelus & anima ſeparata poſſint eſſe ſacramentorum Miniſtri. Vide Angelus, Anima ſeparata.

Sacramentorum novorum cauſa materialis extrinſeca ſeu ſubjectum,aliud remote,aliud proximè capax.t.8.l.2 c.3.n.2. & 3. p.651. Quodnam ſit omnium capax remotè de lege tum ordinaria tum extraordinaria eod.n.2 & 4.p.ead.quid addat ſacramentorum capacitas proxima ſuprà eorundem capacitatem remotam.n.7. p.651. In adultis relatè ad alia ſacramenta ab Euchariſtia addit in primis intentionem n.14.p.654.talis intentio relatè ad alia ſacramenta à Matrimonio ſufficit quod ſit voluntaria mixtè & cõditionatè.n.22 p.656. & hæc voluntarietas ſufficit etiam ad ſacramentorum effectũ.n.25.p.657 Sufficit pariter ſaltem ſub eadem Matrimonij exceptione,quod ſit habitualis.n.27.p.657

Sacramentorum novorum aliquorum tamen, non omnium effectus minus principalis eſt character.t.8.l.2.c.5.n.1.p.705. Sacramenta characterizantia cur aliquando cauſent ſine gratia characterem nunquam ſine charactere gratiam.t.8. l.2.c.4.n.58.p.674.Cur ſint initerabilia.eod.c.5. n.9. p.707 Quænam ſint. Vide. Character Sacramentalis.

Sacramentorum novorum & quidem omnium effectus principalior eſt gratia.t.8.l.2. c.4.num.1. p.661. De fide eſt quod hanc nova ſacramenta conferant immediatè per ſe ipſa, & ex opere operato.n.2. & 5. p.ead. Eſt ferè æquè certum quod non cauſent ſolum aut diſpoſitionem ad gratiam,aut unionem animæ cum gratia; item quod non ſe habeant in ordine ad gratiam ut meræ conditiones aut ut cauſæ ſine quibus non. n.6.11.& 13.p.662.& ſeq.

Sacramenta nova cauſant gratiam moraliter , & ſunt inſtrumenta moralia Chriſti magis propriè quàm Dei n.14.16.19.& 21. p.664. & ſeq. Sunt etiam moraliter actiones Chriſti,factæ in ejus perſona & ex hoc habent cauſalitatem moralem propriam.n.23.& 24.p.666.cum quo benè ſtat quod talem cauſalitatem habeant peculiariter ex virtute paſſionis & mortis,item quod non ſit cauſalitas meritoria.n 28.& 29.p.667

Sacramenta nova per ſe loquendo cauſant gratiam etiam phyſicè tanquam inſtrumenta Dei. n.32.& 36.p.668. Idque per conjunctionem ſeu complexionem cum Deo extrinſecus aſſiſtente, non per aliquam virtutem ſuperadditam ſibi inhærentem.n.51.p.672.Per talem complexionem diverſimodè acceptam conſtituuntur ſacramenta tum in actu primo apta cauſare,tum in actu ſecundo cauſantia gratiam. n.55. p.673

Sacramenta nova ſuſcepta tantùm in voto antequam ſumantur & perficiantur in re nullatenus de facto cauſant gratiam ſacramentalem t.8.l.2. c.4.n.57.p.674. Cauſant verò quando actu ſine obice ſumuntur & perficiuntur idque in ultima parte determinata, breviſſimaque morula temporis n.69.p.676. Quanta præcisè ſit hujuſmodi morula nobis innoteſcit negativè tantùm non poſitive.n.72.p.677.Gratiam.quam phyſicè cauſant, ſe totis per ſe loquendo cauſant. n.74.p.678

Sacramenta nova ſpeciei inter ſe diverſæ cauſant cæteris paribus gratiam inæqualem : Euchariſtia majorem quam reliqua , ex reliquis initerabilia.eod.c.4.n.118. & 120. p.688. Sacramenta ejuſdem ſpeciei æqualiter negativè diſpoſitis conferunt gratiam æqualem, hancque minimã. n.124. p.689. Diſpoſitis æqualiter poſitivè pariter æqualem,at non minimam;diſpoſitis inæqualiter inæqualem juxta diſpoſitionis actualis aut virtualis inæqualitatem. n.128. p.690. Suſcepta cum obice,hoc ablato,conferunt gratiam juxta menſuram diſpoſitionis qua obex auferetur,non diſpoſitionum,quæ ipſorum ſacramentorum ſuſceptionem præceſſerunt, ſi quæ præceſſerunt.n.164.& 167.p.700

Sacramenta vivorum & ſacramenta mortuorum quæ,& cur ſic dicta.eod. c.4. n.101. p.684. Illa non cauſant per ſe primam gratiam , benè verò iſta.n.102.& 109.p.ead.Illa è contra cauſant per ſe ſecundam gratiam,iſta non item.n.113.p.687 Sacramenta mortuorum cauſant per accidens gratiam ſecundam, Utrùm etiam per accidens gratiam primam ſacramenta vivorum ? alibi. n.114.& 115 p.ead.

Sacramentorum obex,vel illorum cum obice & fictione ſuſceptio. Vide.Obex.

Sacramentalis gratia. Vide.Gratia ſacramentalis.

Sacramentalitas ſeu ſacramentalis ſignificatio in rebus,& verbis ſacramentalibus , unica eſt ac indiviſibilis.t.8.l.2.c.1.n.60 p.624

Sacrificium non eſt neceſſe quod ſit inſtitutum lege ſtabili.t.8.l.1.c.1.n.17.p.670.Poteſt aliquando ſacramentum includere at ei ut tali, non convenit ſacramenti definitio. n.63. p.578. Non defuiſſet aliquod ſacrificium in ſtatu innocentiæ ſi duraſſet. eod.l.1. c.1. n.21. p.584. Quodnam ſacrificium ſupponat Sacerdotium,& quomodò Sacerdotium poſſit dari ſine ſacramento ordinis.n.23.p.ead.

Salus ſecundùm aliquos dividitur in primam, cujus nomine juſtificationem,& ſecundam , cujus nomine glorificationem intelligunt.t.6. l.1.c.3. n.79.& 90 p.78

Sanctitas ſeu ſanctificatio alia moralis & perfecta propria creaturæ rationalis ; alia phyſica communis creaturis irrationalibus.t.7.l.1. c.5. n.50. p.256.& l.2.c.6.n.1.& 38.p.412.& 420.Sanctitas ſubſtantialis & perſonalis non eſt purè phyſica.n.10.p.414

Sanctitas in Deo eſt prædicatum tranſcendens, ſicut bonitas.eod.c.6.n.21.p.416. Non præſtat ad intra eoſdem effectus quos ad extra , non con-

ſtituit ſcilicet hæredem, nec dat jus ad gloriam. n.23.p.417. Cur ſubſtantialis ſanctitas Dei præſtet in humanitate Christi ſuum effectum formalem, non ſic ullum aliud divinum attributum. n.26.27.28.p.418

Sanctitas divina accidentalis debet ſe habere per modum naturæ, non ſic ſanctitas divina ſubſtantialis & cur. n.23.p.417

Sanguis eſt totus inanimatus t.7.l.2.c.5.n.98.p.266 Non eſt dividendus in nutrimentalem & vitalem. eod.c.5.n.97.& 101.p.ead. Eſt pars neceſſario requiſita ad veritatem & integritatem corporis humani.n.100.p.ead. In corpore glorioſo major ne ſit, quàm in corpore mortali? incertum.n.109.p.268

Sanguis humanitatis Christi fuit immediatè aſſumptus à Verbo.eod.c.5.n.96.p.266. Vide Verbum divinum.

Sanguis effuſus à Chriſto in paſſione, fuit in reſurrectione reſumptus totus moraliter, non totus phyſicè.n.108. p.268. Non is totus quem in terris veneramur, fuit à Chriſto fuſus in paſſione.n.111.p.269. Is, qui in terris relictus fuit à Chriſto fuſus in paſſione fuit à Verbo dimiſſus, & quando.n.110. p. ead. Probabile eſt quod in Sindone Taurinenſi, & alijs ſimilibus retinuerit veram formam ſubſtantialem ſanguinis. n.112.p.269

Satisfactio quid ex vi nominis, quid item propriè & in re: Alia in rebus, alia in actionibus. t.7.l.1. c.3.n.33. p.219 Alia condigna & perfecta, alia congrua & imperfecta.n.34.p.ead. Alia abſtrahit à valore morali, alia non.t.7.l.3.c.t.n.1.p.449 In aliquibus differt à merito, in aliquibus cum merito convenit.t.7.l.1.c.3.n.15.p.219

Satisfactio condigna debet eſſe æqualis debito, nec ſufficit quòd ſit æqualis virtuti ſatisfacientis.n.50.p.224

Satisfactio condigna pro lethali poteſt à qualibet Perſona divina in qualibet natura intellectuali creata exhiberi.n.29.p.218. Nullatenus verò ab aliqua pura creatura, à qua etiam haberi non poteſt condignum meritum remiſſionis peccati lethalis.n.31.38. & 39.p.119. Non eſt tamen puræ creaturæ neganda potentia ſatisfaciendi pro lethali imperfectè & congruè.n.35. p.ead.

Satisfactionis pro lethali condignæ repugnantia in pura creatura provenit potiſſimum ex diverſitate ordinis inter ſatisfactionem & offenſam ex eo ſcilicet quod puræ creaturæ ſatisfactio nequeat eſſe in ſupremo genere ſatisfactionis ſicut eſt in ſupremo offenſæ genere offenſa lethalis.eod.c.3.n.40 44.& 45.p.220. Hujuſmodi repugnantia extenditur ad lethale ſive proprium ſive alienum; ſive perſonale, ſive originale.n.51. Item ad commiſſum in pura natura.n.52. p.224. Item ad veniale alienum.n.72 p.229

Satisfactio condigna poteſt à pura creatura exhiberi pro peccato quod ſupponeretur eſſe purè philoſophicum. n.55. p.225. Item pro veniali proprio, pro quo tamen poteſt ſolùm condignè ſatisfacere exiſtens in gratia per opera ſupernaturalia, niſi ſermo ſit de veniali quod ſupponeretur committi in pura natura.n.62.69.70.& 71. p.227. De facto ſatisfactio condigna pro veniali proprio habetur in juſtis per contritionem, non per attritionem.n.73.p.229

Satisfactio Chriſti. Vide. Chriſti ſatisfactio.

Scientia & fides Theologica poſſunt eſſe ſimul circà idem objectum materiale etiam naturaliter & de potentia ordinaria, t.6.l.1.c.4.n.7.& 10. p.42. Non poſſunt ſe invicem intendere; poteſt tamen dari aliquis tertius actus continens quodammodo actum ſcientiæ & actum fidei, n.11. & 19.p.43

Scientia habitualis excludit aliquam non omnem ignorantiam, t.7.l.2.c.3.n.15.p.357. Scientia beata non ſufficit quod ſit in Chriſto habitualis. p.ead.

Scientia infuſa per accidens: Scientia infuſa per ſe: Scientia indita, quid? n.34.p.362

Scientia infuſa per ſe poteſt eſſe naturalis, & è contrà ſcientia quoad ſubſtantiam ſupernaturalis poteſt eſſe aquiſita, eod.l.2.c.4 n.1.& 2.p.390

Scientia naturalis per ſe aquiſita alia eſt propriè experimentalis & impropriè ſcientia, alia eſt propriè ſcientia, & impropriè experimentalis, n.19 & 25.p.394

Scientiæ naturales cur fuerint infuſæ Adamo, non Chriſto, n.17.p.396.

Scientia Chriſti. Vide Chriſti ſcientia.

Senſus compoſiti & ſenſus diviſi legitima explicatio: Potentia in ſenſu compoſito, & in ſenſu diviſo; poſitionis, & puræ poſſibilitatis, actuanda, & actuabilis in idem recidunt, t.7. l.4. cap.2. n.37.& 44.p.514

Servitus minus latè patet quàm ſubjectio: alia eſt naturalis ſeu phyſica, alia legalis ſeu civilis, t.7. l.4.c.4.n.5.& 10.p.538

Servitus ex genere ſuo non requirit omnimodam carentiam communicationis in bonis domini, ſed hoc eſt proprium ſervitutis legalis.n.9.p.540

Servitus naturalis eſt ſimpliciter & abſolutè ſervitus, n.8.p.539

Servitus peccati & ſervitus diaboli ſunt ſervitus ſolum reductive, & analogicè: Reducuntur ad ſervitutem legalem ortam ex jure aut belli, aut emptionis, n.3.p.518

Signum aliquando ſumitur pro ſola re ſignificante, aliquando pro conſtituto ex re ſignificante & ſignificatione, t.8.l.2. c.1.n.1. p.611. Quid ſit ex Auguſtino.t 8.l.1.c.1.n.5.p.564. Quandonam ratio ſigni melius tribuatur cauſæ quandonam meliùs effectui, n.12.p.566. Signum humanum eſt eſſentialiter ſenſibile, non ſic omne ſignum univerſaliſſimè, n.15.& 18.p.567

Signum aliud naturale, aliud ad placitum: aliud formale; quid ſint & quomodò ab invicem differant? n.6.& 16.p.565.& ſeq.

Signum ad placitum dicit ad ſuum ſignificatum relationem realem. eod.c.1, n.8. p.565. In quonam ſenſu conſtituatur intrinſecè ex voluntate inſtituentis.t 8 l.1.c.1.n.56. p.624

Signum practicum poteſt ſecundùm aliquos eſſe tale abſque eo quod ſit cauſa. t.8. l.1. c.1.n.53. p.576.& c.3.n.50.p.604

Signum æquivocum quodnam ſit.n.57. p.606

Simulatio etſi aliquando liceat in alijs materijs, nunquam licet in materia fidei & cur t.6.l.1.c.6. n.32.& 34. p.98. Loquendo de ſimulatione ſeria, non jocoſa & ſcenica etiam aliqualiter in materia fidei licere poteſt.n.40.p.109

Species intentionalis poteſt eſſe comprehenſiva ſpecie perfectior & ſupercomprehenſiva. t.7. l.2.c.3.n.45.p.365

Species

Index Rerum.

Species intentionalis naturalis cum ſupernaturali lumine potius quàm lumen naturale cum ſupernaturali ſpecie poteſt inſervire ad ſupernaturalem actum & cur n.49.p.ead. Cur item ſpecies naturalis poſſit facilius inſervire ad ſupernaturalem actum fidei, quàm ad ſupernaturalem actum ſcientiæ.n.68.p.380

Species intentionales prærequiſitæ ad actus fidei theologicæ poſſunt eſſe ſupernaturales, at non ſunt tales de facto.t.6.l.1.c.7.n.61.& 62. p.113. Non dantur ad ſupernaturales apprehenſiones,& quando ad has darentur adhuc eſſent naturales & concurrerent ut elevatæ à fidei lumine.eod.n.62.p.ead.

Species intentionales, ſi quæ relinquuntur in actibus ſupernaturalibus,naturales,non ſupernaturales ſunt.n.66. p.114

Speculativum & practicum non multiplicant potentias naturales nec habitus per ſe infuſos. n.10.p.102

Spes,Expectatio,Confidentia quomodò ſint idem. t.6.l.2.c.2. n.26. p.141. Spes magna & ſpes exigua, quæ? ibid.

Spes debet eſſe de re poſſibili moraliter & practicè;deſiderium contentum eſt rei poſſibilitate phyſica & ſpeculativa.eod.l.2.c 3 n.21 p.152

Spes ſenſibilis à ſimplici deſiderio differt etiam ratione arduitatis objecti.t.7.l.4.c.3.n.49 p.536

Spes theologica definitur quoad actum & habitum tum ſumptum ſtrictiùs & ſub denominatione ſpei,tum ſumptum latiùs & adæquatè.t.6. l.2.c.2.n.50.p.147

Spei theologicæ actus ſumptus pro illo ſolo qui denominatur ſpes eſt ſpecie unicus;ſumptus pro illo omni qui procedit à ſpei habitu eſt ſpecie multiplex.n.2.3 & 4.p.136 Spei actus quo quis ſperat aliquid creatum obtinendum à Deo ut omnipotente non eſt ex hoc præciſe theologicus.t.6. l.2 c.1. n.25. p.134. Non eſt item theologicus actus quo quis ſperat beatitudinem alienam ut præciſe relatam ad alium. n.24.& 25. pag.135

Spei theologicæ actus, qui denominatur ſpes, eſt ſub ſpei habitu actus præcipuus.t.6.l.1.c.2.n.37. p.144.Ex parte rei ſperatæ quam certitudinem admittat?n.19.p.152.Quam item certitudinem habeat tum extrinſecam ex parte intellectus, tum intrinſecam ex parte voluntatis, n.44. 45. & 46.p.145

Spei theologicæ actus eſt cuilibet adulto neceſſarius neceſſitate medij ad juſtificationem & ſalutem. n.47. p.146. Eſt inſuper neceſſarius neceſſitate præcepti; & fortè ſub hac ratione ad plura extenditur, quàm ſub neceſſitate medij. n.48.p.ead. Pro quo, & quo tempore tale præceptum obliget.n.49.p.ead.

Spei theologicæ habitus reſpicit actus ſpecie diverſos,& quos? n.3. & 4.p.136. Præter actum, qui denominatur ſpes, cauſat de eodem objecto amittendo timorem: Cauſat item aliquod deſiderium inefficax,& ſimplicem fugam; amorem,& odium;gaudium & triſtitiam.n.15.& 13. p.139. & 141. Et in ordine ad omnes iſtos actus eſt habitus in ſpecie unicus.n.52 p.147

Spei theologicæ objectum materiale adæquatum conſurgit ex æterna beatitudine & omnibus bonis ad eam conducentibus.t.6.l.2.c.1.num.2. p.136. Objectum materiale primarium ſeu attributionis eſt ipſa æterna beatitudo ſupernaturalis præſertim objectiva & in re coincidit cum objecto materiali primario fidei.n.4.& 5. p.137. Beatitudo,inquam,propria,nam beatitudo aliena nequit eſſe objectum ſpei theologicæ niſi materiale ſecundarium. n.24. p.141. Ordo objectorum materialium ſpei attenditur penes conducentiam ad beatitudinem ſeu ultimum finem. n.28. p.142

Spei theologicæ objectum formale neque eſt ratio ardui; neque Deus ut Auctor bonorum ſupernaturalium;Neque omnipotentia ut promittens, aut inauxilians;neque poſſibilitas rei ſperatæ.eod.c.1.n.9.& ſeqq.p.138. Sed bonitas rei ſperatæ præſertim beatitudinis objectivæ ut relata ad ſperantem ſeu ut conveniens ſperanti. n 20.p.140

Spei theologicæ oppoſita, alia ſunt propriè, alia impropriè talia. Propriè talia ſunt Deſperatio & Præſumptio,inter quæ,tanquam extrema vitioſa, mediat ſpes tanquam virtus. t.6. l.2. c.3. n.1.p.147

Spei theologicæ ſubjectum immediatum & proximum eſt voluntas, ſeu natura intellectualis ut volitiva; Mediatum & remotum eſt natura intellectualis ſecundùm ſe ſuppoſita elevatione ad finem ſupernaturalem. t.6.l.2. c.2. n.24. & 27. p.141. Extitit de facto ſpei theologicæ habitus in Angelis omnibus,etiam primo;in primis Parentibus; in animabus limbi; & modò eſt in animabus Purgatorij, & in beatis,non in damnatis n.28.& ſeqq.p.142.Eo modo, quo in Beatis,extitit in Chriſto viatore, & exiſtit nunc in eodem Comprehenſore.t.7.l.2.c.7. n.46. p.435. Exiſtit inſuper in omnibus juſtis, & ab his amittitur ob ſola peccata infidelitatis & deſperationis.t.6.l.2.c.2.n.30.& 31.p.142

Spiritus Sanctus cur dicatur Cor potius,quàm Caput Eccleſiæ.t.7.l.2.c.7.n.86.p.444

Status Innocentiæ.Vide Innocentiæ ſtatus.

Status legis naturæ.Vide. Lex divina antiqua non ſcripta.

Status viæ non requirit eſſentialiter, quod quis in eo poſſit mereri gloriam.t.6.l.2.cap.3.num.32. p.154

Subſiſtentia creata non conſiſtit formaliter in negativo,ſeu in negatione, & explicatur circa talem negationem mens Scoti.t.7.l.1.c.5, num.8. p.246. Non item in poſitivo à natura diſtincto ſola ratione n.15.p.247. Sed in poſitivo à natura diſtincto realiter, & hoc poſitivum neque eſt exiſtentia per ſe, neque collectio accidentium, neque modus ſubſtantialis ex tali collectione proveniens,neque individuatio;ſed eſt ſubſtantiale complementum &c.ibid.& ſeq. Niſi ſubſiſtentia ſit quid poſitivum ægrè ſalvatur in unione hypoſtatica fieri unum per ſe.t.7.l.1.c.6. n.24.p.280

Subſiſtentia naturæ creatæ propria poteſt eſſe multiplex.t.7.l.1.c.4.num.34. p.237. Quomodò quælibet ſive propria ſive aliena terminet totaliter naturam.n.28.& 29.p.236. Quomodo propria & aliena faciant ſubſiſtere in ſe & in alio. eod.l.1.c.5.n.33.p.251

Subſiſtentia creata unitur propriè naturæ abſque modo ſuperaddito. t.7.l.1.c.6.n.7. p.276. In ſe melius dicitur eſſe res,quàm modus.eod.l.1.c.5. n.27.p.250.Neque divinitus poteſt ab alia ſub-

ſiſtentia

ſiſtentia aſſumi ad ſubſiſtendum. n.50. p.251 Quomodo in Chriſto dicatur conſumpta n.19. & 29.p.248.& 250

Subſiſtentia creata in toto ſubſtantiali vel à materia communicatur formæ (ut nobis in philoſophia probabilius viſum eſt) vel eſt duplex alia propria materiæ, alia propria formæ: In toto integrali eſt diviſibilis iuxta diviſibilitatem materiæ.t.7.l.1.c.5.n.60.p.257. Subſiſtentia formæ, ſi diſtinguitur à ſubſiſtentia materiæ, non componit cum iſta nec eſt ſubſiſtentia partialis. n.61. Non datur ſpecialis ſubſiſtentia faciens ſubſiſtere unionem ſubſtantialem inter materiam & formam.n.78.p.261

Subſiſtentia divina abſoluta poteſt immediatè terminare ſeu aſſumere naturam creatam. t.7. l.1. c.4 n.58.p.245.at non conſtituere unum ſeu totum perfectius eo, quod de facto cum humanitate conſtituit ſubſiſtentia divina relativa.eod. l.1.c.6.n.29.p.281

Subſiſtentia divina relativa magis eſt per ſe ipſam ſanctitas, quàm ſit per ſe ipſam æternitas aut immenſitas.t.7.l.2.c.6.n.29.p.418

Subſiſtere.& completè exiſtere, quomodò in aliquo ſenſu ſint idem, in aliquo non. t.7.l.1.c.4. n.66. p.242. Subſiſtere ſemper de lege ordinaria ſupponitur ad operari præſertim liberum. eod.l.1.c.9.n.6.p.510. Fundamenta, falſa tamen quibus aliqui hoc extendunt ad potentiam abſolutam.n.13.& 20.p.511.& 513

Succeſſiva quomodo tota exiſtant? ſeu quid requiratur ut dicatur exiſtere aliquod totum ſucceſſivum? t.8.l.2.c 4. n.76.p.678

Supernaturalitas dicitur relatè ad naturam creatam, non relatè ad Deum t.6.l.1.c.5.n.140.p.90. In genere quid ſit tùm in re tum ex vi nominis.n.121.& 122. p.86. Quid ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalitas quoad modum, vulgari & univerſaliſſima explicatione.ibid. Scotus non negavit in creatis omnem ſupernaturalitatem in ſubſtantia, licet hoc ei ab aliquibus tribuatur.n.117 p.85

Supernaturalitas in actibus ſalutaribus virtutum per ſe infuſarum babetur primariò ex ſupernaturalitate objectorum formalium.eod.c.5.n.137. p.88. Ex huiuſmodi tamen obiectis formalibus eliciens actum nequit habere certitudinem quod ſit ſupernaturalis & cur?n.137.p.89. Vide Virtutum per ſe infuſarum actus.

Superſtitio ſeu ſuperſtitioſa verba quid.t.8.l.5.c.1. n.32.p.618

T

TEmporis inſtans continere poteſt plura inſtantia naturæ idque multipliciter exemplificatur.t.7.l.1.c.9.n.17.p.512

Tentationes inviſibiles quæ & an aliquæ fuerint in Chriſto.t.7.l 4.c.3.n.34.p.533

Timor dividitur in moralem & naturalem. Moralis ſudividitur in mundanum, ſervilem, filialem, initialem.t.6.l.2.c.5.n.5.& ſeqq. Quinam ſit timor qui à charitate expellitur. n.6.&.21. p.ead. & ſeq.

Timor mundanus eſt vitioſus, & elicitur à philautia.n. 56.p.139. Sub ipſo continetur timor ſerviliter ſervilis.n.9.p.138

Timor ſervilis eſſe poteſt non ſolùm de malo pœnæ ſenſus, ſed etiam de malo pœnæ damni.n.14. p.139. Timor ſervilis de pœna damni ſæ habet ad actum proſecutionis ſibi oppoſitum; eſt theologicus & ab habitu ſpei theologicæ elicitur.n.3.& 15.p.136.& 139

Timor ſervilis de pœna ſenſus elicitur ab habitu timoris infuſi, & ab habitu ſpei theologicæ provenire poteſt ſolùm imperativè. n.19. & 20. p.140. Sub timore ſervili continetur timor mercenarius.n.14.p.139

Timor tum filialis, tum initialis, & in magna parte etiam reverentialis elicitur ab habitu theologico charitatis. n.16. p.ead. Sub filiali continetur quoad ſubſtantiam initialis n. 13. p.138. Item reverentialis.n. 50. p.138. Timor mali culpæ eſt filialis.ibid.

Timor prout eſt donum Spiritus Sancti eſt reverentialis ſubjectio per modum cujuſdam fugæ.

Timor ſenſibilis à ſimplici fuga differt ex eo quod ſit de malo ingenti; Quandonam debeat eſſe cum ſpe evadendi.t.7.l.4.c.3.n.50. p.636

Trinitatis fides explicita non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.t.6.l.1.c.5.n.101.p.81. Eſt verò maxime ad eandem neceſſaria neceſſitate præcepti n.112.p.85

V

UBiquiſtæ ſeu Ubiquetarij unde dicti t.7.l.2. c.1. n.22.p.334

Ubiquitas Chriſti, & humanitatis ejus impugnatur.n.26.p.335

Veracitas quid addat ſuprà veritatem in dicendo t.6.l.1.c.2.n.13.& 19.p.11

Veracitas divina eſt objectum formale partiale fidei theologicæ.n.15.& 46.p.11.& 17. Eſt ſumma & perfectiſſima, habet omnimodam repugnantiam cum mendacio t.6.l.1.c.3.n.3.& 8.p.22 Vide Deus.

Verba quomodò ſint de eſſentia novorum ſacramentorum? An ſint etiam de ipſorum ſubſtantia? In recto ne an in obliquo per ſacramenta imponentur. t.8.l.2.c.1.n.16.p.614. Sunt in diverſis ſacramentis diverſimodè determinata. n.28. p.617. Sunt conſecratoria, non concionatoria. n.31.p.618

Verborum ſacramentalium ſacramentalis ſignificatio fundatur aliquo modo in ſignificatione naturali.eod.c.1.n.59.p.624. Eſt in rebus & verbis unica ac indiviſibilis.ibid. Vide. Sacramenta nova.

Verbum divinum in Chriſto aſſumpſit veram humanitatem ejuſdem rationis cum noſtra.t.7.l.1. c.5.n.71.p.560 Quo ordine aſſumpſerit ejus partes.n.81.& ſeqq.p.562. In quo ſenſu dicatur aſſumpſiſſe corpus media anima & animam media mente.n.90.& 91.p.264. Aſſumpſit humani corporis partes integrantes primarias. n.93. p.264. Item integrantes ſecundarias. num.113. p.269. Singillatim ſanguinem, non ſolum aliquem ſed totum.n.96 p.266

Verbum divinum in Chriſto non aſſumpſit per ſe immediatè unionem inter corpus & animam.n.78. p.261. Non partes corporis excrementitias.n.113 p.269. Non partes ejuſdem accidètales, ſeu accidètia.n 66.& 114.p.258.& 270

Verbum divinum quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit, quomodo limitandum ſit & quomodo verificetur?n.106. p.268. In mortis triduo retinuit

nuit unionem ad animam & corpus ab invicem ſeparata, num. 103. p. 267. Item ad ſanguinem etiam à corpore ſeparatum, in reſurrectione tamen reuniendum; non ſic ad particulas ſanguinis in terris relictas poſt reſurrectionem, n.96.& 110 p.166.& 269

Verbum divinum non exerceret in unionem hypoſtaticam, in humanitatem, aut in opera humanitatis activitatem aliquam non communem toti Trinitati, t.7.l.1.c.8.n.3.& 4.p.304

Verbum divinum originali non exiſtente incarnandum non fuiſſet ex vi præſentis decreti ſive formaliter & cauſativè, ſive etiam conſequenter & arguitive accepti, tractat.7. libr.1. cap. 7. num.54 p.198. Niſi ulterius ſupponatur originali non exiſtente futura fuiſſe in omnibus Adæ Poſteris actualia, hac enim in hypotheſi fuiſſet Verbum incarnandum ex vi præſentis decreti conſequenter & arguitivè accepti non ſic ſi actualia futura ſolum fuiſſent in majori talium Poſterorum parte, n.66. p.301

Verbum divinum ex vi præſentis decreti etiam aliquo modo ſumpti formaliter fuiſſet incarnandum exiſtente ſolo originali ſine ullis prorſus actualibus, n.71. p.302. Nullatenus verò incarnandum fuiſſet occaſione peccatorum aut venialium dumtaxat aut committendorum in pura natura, eod.c.7.n.7.& 69.p.287.& 302

Verbum divinum in Chriſto eſt creatura nequidem per communicationem idiomatum rectè dicitur. t.7.l.2.c.1.n.66.p.345

Veritas omnis eſt à Deo revelabilis per ſe loquendo, ſolùm per accidens & ex ſuppoſitione extrinſeca eſſe poteſt aliqua irrevelabilis, tract.6. l.1.c.1. num.4. & 6. p.1. Solùm etiam per accidens & ex ſuppoſitione extrinſeca poteſt eſſe incredibilis veritas aliqua à Deo revelata, n.8.p.3

Veritas divina in eſſendo, in cognoſcendo, in dicendo, quid? eod.l.1.c.2.n.10.& 13.p.10. Veritas divina in dicendo quomodo reſolvatur in Deitatem, vel in veritatem in cognoſcendo, num.15. & 18.p.12

Violentia inferri poteſt etiam rei ſe habenti purè paſſivè, t.7.l.5.c.5.n.159.p.271

Virgo Deipara habuit meritum majus, quàm habuerit ulla alia pura creatura, tr.7.lib.1.cap.9. n.60. p. 352. Habuit meritum congruum propriè tale maternitatis quoad executionem, numer.58. pag.eadem. At non ejuſdem aut meritum congruum quoad electionem, aut meritum ſive condignum ſive dignum quoad executionem, num.66. & ſeqq. p.314. Quomodo nihilominus dicatur digna Dei mater, num.70.p.315 Quomodo item dicatur habuiſſe condignam diſpoſitionem ad Maternitatem, n.71. p.eadem. Quomodo tandem etiam independenter à merito congruo propriè tali fuerit congruè Mater Dei ratione ſuæ gratiæ & ſanctitatis, tr.7.lib.1. c.2.n.42.p.351. In quo ſenſu fuerit felicior concipiendo mente quam ventre, eod. l.1. c.6.n.40. p.284.& c.9.n.73.p.325

Virgo Deipara non habuit ullam efficientiam ne quidem inſtrumentalem reſpectu Incarnationis, t.7.l.1.c.8.n.17.& 18.p.307. Nec talis efficientia quidquam conferret ad ejus Maternitatem reſpectu Verbi Incarnati, n.20.p.308. Per quamnam actionem propriè ſit Mater Verbi Incarnati, n.25.p.309.& l.2.c.1.n.60.p.344. Generationi Chriſti impedit aliquid ampliùs quàm generationibus alijs impendere ſoleant aliæ Matres, t.7.l.4.c.4. n.16.p.144

Virgo Deipara etſi ab originali prorſus immunis, cur dicatur contraxiſſe & incurriſſe defectus corporales originale conſecutos: Chriſtus verò eos aſſumpſerit, non contraxerit, eod.l.4.cap.1. n.19.p.504

Virgo Deipara fuit capax ſuſcipiendi Sacramenta, t.8.l.2.c.3.n.6.p 652. Non tamen omnia proximè, n.11.p.654. Habuit de facto characterem Baptiſmi & Confirmationis: Secundum aliquos quotidie ſumpſit Sacramentum Euchariſtiæ, t.8. l.2.c 5.n.33.p.725

Virtuti cuilibet opponitur velle ſtatum ei contrarium non ſolum in ſe ſed etiam in alijs, t.6.l.1. c.1. n.22. & 26 p.26

Virtutum connexio attenditur penes habitus magis quam penes actus, & aliquarum virtutum actus etiam in via poſſunt ſe invicem excludere, t.6.l.2.c.2.n.22.p.140

Virtutes morales naturales aquiſitæ permanent in beatis ſecundum formale, quamvis non ſecundum materiale, & ſecundum eandem rationem fuerunt ab initio infuſæ Chriſto Domino, tr.7. l.2.c.7.n.56.p.437

Virtutum moralium habitus juſto per ſe infundi & eſſe ſupernaturales in ſubſtantia non eſt omninò certum, nec tam certum quam de virtutibus Theologicis, t.6.l.1.c.7.n 76.p.116.& t.7.l.2. c.7.n 48.p.435

Virtutum per ſe infuſarum habitus etiam in Chriſto prærequirunt habitum gratiæ, eod.l.2.c.7. n.20.p.429

Virtus ſupernaturalis moralis non virtus ſupernaturalis intellectualis poteſt verſari circa falſum, & cur? t.6.l.1.c.3.n.82 & 83.p.39

Virtutes Theologicæ unde dictæ. t 6.l.1.c.1.num 1. Non eſt neceſſe quod habeant aliquid divinum pro objecto materiali, n.75.p.37. & l.2. c.1.n.4. p.129. Non eſt item neceſſe quod habeant objectum formale adæquatè divinum, t.6.l.1.c.2. n.31.p.15. Quatenus tamen objectum formale ſaltem partiale debet eſſe divinum non ſufficit quod ſit divinum per participationem, tr.6.l.2. c.4.n.10.& 11.p.157

Virtutes Theologicæ quemnam ſervent inter ſe ordinem tum dignitatis, tum cauſalitatis, tum infuſionis, t.6.l.1.c.7.n.70.& 71. p.115. Sunt ſupernaturales in ſubſtantia, t.6.l.1 c.5.n.123.p.86. Et nec divinitus ſunt dabiles actus ſupernaturales quoad modum intrinſecum tantum, non quoad ſubſtantiam, n.130.p 88

Viſio beata quomodo non ſit ſimpliciter perfectior, melior, eligibilior unione hypoſtatica, t.7. l.1.c.6.n.35.& ſeq.p.99

Viſio intellectualis aliquando ſumitur ſtrictè & rigoroſè pro ſola cognitione intuitiva, aliquando latiùs pro quacunque cognitione clara & diſtincta, t.7.l.2.c 3.n.20.

Unio hypoſtatica latiùs patet, quam Incarnatio, t.7.l.1 c.3.n.1.p.353. Eſt quid complexum, non quid ſimplex; non diſtinguitur adæquatè ab humanitate & Verbo, eod.l.1.c.6.num.5.p.175. Quatenus in complexo conſiſtit eſt unica & indiviſibilis ſimpliciter, duplex & diviſibilis ſecundum quid, n.46.47.48.p.185. Si conſiſteret in modo eſſet duplex & partim ſubjectaretur in

Digitized by Google

anima partim in corpore,n.49.50.51.p.286

Unio hypoſtatica jure poteſt ſimpliciter appellari compoſitio,t.7.l.1.c.1.n.4. p.330. Poteſt in aliquo ſenſu rectè affirmari, in aliquo alio rectè negari quod eſſentialis & naturalis ſit, tr.7.l.1. c.6.n.16.p.278. Omninò affirmandum quòd ſit ſubſtantialis, & quidem intrinſecè ac in ſe formaliter, hocque etiamſi eſſet entitas modalis, non complexum,n.18 & ſeq p.ead.

Unio hypoſtatica quamvis fuerit de facto diſſoluta ſecundum quid ſimpliciter eſt ex natura ſui indiſſolubilis de potentia ordinaria, & diſſolubilis ſolùm de potentia abſoluta t.7.l.1.c.6 n.41. & ſeqq p.284. Eſſet verò ex natura rei ſimpliciter diſſolubilis unio hypoſtatica quæ fieret cum natura corruptibili.n.45.p 285

Unio hypoſtatica non habuit de facto ullam præviam diſpoſitionem neque phyſicam neque moralem;& phyſicam nec de potentia abſoluta habere potuit,t.7.l 1.c 9.n.74.p.326

Unio humanitatis cum Verbo tum in ratione unionis,tum in ratione beneficij & doni eſt maxima ſimpliciter, non maxima ſecundum quid, eod.l. 1.c.6.n.27.& 33.p.280.Eſt ſimpliciter melior, ſecundum quid non melior unione intentionali quæ habetur in viſione beata,n.35.36.37 p.281.Si eſſet modus & ſub tali ratione præciſè ſumeretur adhuc eſſet donum omnium maximum,& ſignanter majus Maternitate Deiparæ, n.39.& 40.p.283

Unio naturæ creatæ quæ fieret cum ſubſiſtentia divina abſoluta non eſſet major, imò eſſet minor unione humanitatis quæ de facto facta eſt cum ſubſiſtentia divina relativa, n.29.p.281. Ea quæ fieret cum tota Trinitate eſſet eâ, quæ facta eſt,major extenſivè,non intenſivè,n.36.p.282

Unio naturæ cum ſubſiſtentia eſt ex genere ſuo major cæteris unionibus,n.32.p.281

Unionis hypoſtaticæ extenſio fit præcipuè duobus modis,t.7.l.3.c.3.n.64.p 483

Unum per ſe requirit alterum ſaltem extremum ſubſtantialiter incompletum, t.7.l.1.cap.4.n.14. p.242.& c.6.n.25.p.280.Utrùm medium uniens debeat neceſſariò eſſe in ſe ſubſtantiale, in quæſtione eſt, re verâ tamen potiùs affirmandum, eod.c.6.n 3.20.21.& 26 p.275.& 279

Unum per ſe quomodo debeat eſſe à natura per ſe intentum, n.21.p.279. Quando & quomodo admittat extrema maximè diſtantia,tt.7. l.1.c.2. n.16.p.207

Voluntas ut natura & voluntas ut ratio quid tr.7. l.2.c.5.num.25.& 28 p.408. Voluntas ut natura quomodo fuerit in Chriſto.n.34.p 407

Voluntas efficax unius & voluntas inefficax oppoſite non ſunt inter ſe difformes & contrariæ, n. 43. p.409. Præſertim ſi utriuſque voluntatis diverſum ſit objectum formale & motivum; utriuſque item elicientia ſit facta cum plena deliberatione, nec voluntas ineffi cax ex ſurreptione ſit,n.10.p.412

Voluntas efficax pro facto reputatur quando eſt efficax in re & de objecto verè poſſibili; non quando eſt efficax ſolùm putativè & de objecto putato poſſibili,t.7.l.3.c.2.n.22.p.459

Urbanitatis virtus etiamſi inſervire poſſit ad imperandam fidem humanam, non ſic ad imperandam fidem divinam,t.6 l.1.c.5.n.70.p.73

Vulnus inflictum lateri Chriſti poſt mortem non fuit meritorium niſi antecedenter, quando fuit volitum & acceptatum,t.7 l.2.c.3.num.16. & 17. p.472. Non fuit item ſatisfactorium niſi eodem modo,n.20.p.473

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2